R.P. DIDACI DE CELADA MONTELADENSIS , E SOCIETATE IESU...

Diego Celada

R. P.
DIDACI
DE CELADA
IN
TOBIAM.

R. P. DIDACI DE CELADA MONTELADENSIS, E SOCIETATE IESV,

THEOLOGIÆ QVONDAM PROFESSORIS,
Nunc vero in Collegio Imperiali Madridensi pro Scholiis regiis,
Sacrarum Litterarum Interpretis,

COMMENTARIVS LITTERALIS AC MORALIS, IN TOBIÆ HISTORIAM.

Cum quinque Indicibus. I. *Paragraphorum.* II. *Ad Conciones copiosissimo.* III. *Quo traditur Institutio Politico-Christiana.* IV. *Locorum Sacræ Scripturæ.* V. *Rerum & Verborum.*

EDITIO VLTIMA A MENDIS EXPVRGATA.



LVGDVNI.
Sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, ET GVILL. BARBIER.

M. DC. LXIV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

ILLVSTRISSIMO,
ac Reuerendissimo Domino
D. FRANCISCO RVIZ
DE ALARCON
ET COVARR. EPISCOPO
CIVITATENSI, &c.

DIDACVS DE CELADA è S. I. F.

AD quem nisi ad misericordiæ Antistitem diu miser Tobias tandem confugiat? *Ludit de suis fortuna muneribus. Omnia illis abstulit, sed spem reliquit*, quod est vltimum miserorum asylum. Erubescebat se mitti ad magnum Præsulem, inclytum augustis Infulis purpuram æmulantibus, merito suo purpuræ candidatis. *Ita ferè quorum honesta, imbecilla frons est.* At ego non arbitrabar indignam Tobiæ nuper augustè felicis, iam miserabiliter improsperi, verecundiam esse, frontem & ora purpurare doctam. Hærebat adhuc inter hæc pudore suffusus, si coram ornatissimo Viro appareret nudè inornatus; & dudùm luteâ Principis Assyrij gratiâ coram inspectus, & nunc votiuis latebris clàm inuisus (quippe qui *nudus latuit; quia multi diligebant eum.*) Scilicet feralis edicti regij sæuas atrociter minas cauta sagacitate Tobias deludit, amica hostium dilectione fultus, & suæ nuditatis ope securus. Sed quem proprius metus benè nudum abdit, Mea forsan nunc audacia malè vestitum rudis Commentarij soloce, prodere non veretur. Factum audax, fors & temerariè superbum, de plebe vltimum litteratorum, Tobiam benè nudum, litterario ornatu malè vestire. Suspicabar tamen quòd licèt Tobias noster benè dum latuit, *nudus* erat; nunc in lucem inopinatam prodiens, aduersùs vituperonum dentes, aduersûs liuentium æstus, & Sycophantarum frigora, niues, grandines, forsan vestiri velit. Mihi nec toga, nec pallium, quo inuestem adornem, vel eius saltem dissimulem nuditatem, mutuabitur ergo à domo tuâ vestem, non possum meliore, non sanctiore, non illustriore. Vestiendum itaque mitto. Nec iam vltrà meus est, quem ma-

Seneca in Controu.

Carol. in Præfat. ad Prodig.

Tobiæ 1. v.23.

¶ 3 numitto:

numitto : Tuus est, splendore illustrandus Tuo, stolâ adornandus
Guarric. de Nativ. Ioan. serm. 3. Tuâ, nomine auctorandus Tuo. *Sanè auctoritas tanti nominis primâ fronte prælati, totum exinceps commendabilius reddet Opus.* Habes illum ergo de charitatis tuæ purpurâ splendidè amictum, reliqua inuestem, quò diutiùs Infularum tuarum splendore, augustiusque vestiatur. Et licet illum vestierit amor, non est contentus vestiri veste vnâ, purpurâ vnâ: vestiri etiam iudicio Tuo exambit, cùm sit ex illis, de quibus olim cecinit purpuratorum Princeps : *Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Geminata purpura gaudeat, aut purpuram purpura vestiat, quò certiùs nuditatem tegat. Hoc vt mihi spondeam, comitas & humanitas tua facit. quid non audeam in tam diuite spe, tot diu beneuolentiis grauida? Nec volo affectum nostrum tempore metiaris; non enim hic, vt sęcularis est, *qui spe potiùs quàm fide paritur.*

Prou. 31. v. 21.

S. Paullin. epist. 35.

Ergò Tobias de ingenioli inerudita industria meus, de gratis beneuolentiæ, ac beneficentiæ auguriis iam Tuus, rectà venit ad Te: tametsi cæcus, nullo pueri ductu, nullo Scipionis adminiculo directus ac fultus: cæcus adest, *visu suo vacuus, & operosus alieno.* Ad te inquam, sine duce & luce vltrò it *confusis vestigiis*; sed *prospero errore, & cæca felicitate.* Venit patria extorris, & mundi exul, ad eum qui est peregrinorum patria, vel patria hospitum domus, & cui *totus mundus patria est, imò exilium est*, dum præproperè coloniam duxit in cœlum Venit pauper, egestatis suffragio miserandus, ad misericordiæ præsidem, *vinis opibus, hoc est eleemosynis* opinatissimum. Venit veræ tunc fidei ore ac manu acerrimus vindex, ad eum, qui perdiu in præcelso Inquisitoris munere fuit. Christianæ *fide assertio*, & ficti erroris titubatio. Venit ad morientium testamentum, & defunctorum asylum, ille cui *sepultura pauperum fuit mortis pretium*, in tam Sarbara Assyrij Tyranni atrocitate, & confusa dementia, vt *quibus cœlum acquirebat, his terram negaret.* Venit tot beatis calamitatibus in terra naufragus, vt assiduo tuæ beneuolentiæ fotu naufragium digerat. Adest tibi genis lachrymarum vdore flebiliter madidus, ærumnosam vitam votiua morte paratus redimere. Tu ad vitam porrige manum cæspitanti, lapsanti, corruenti. Possem plurima hìc attexere ad tui commendationem, aut laudibus Tobianis simillima, aut nimium æmula; sed tu omnium oculis *parcus verborum, factorum diues*, scripturientem de te calamum præpoperè castigasti. *Breuis sanè est assertio veritatis, ostendi gaudet, non ornari.* Ego inornatè ostendam, & summatim perstringam; tametsi *præuaricatio est cursim & breuiter attingere, quæ inculcari, infigi & repeti debent.*

Idem 4. epist. Tertul. de Anim. c. 2.

S. Paullin. epist. 35.

S. Ambr. de Tobia. Emis. homil. de S. Bland.

Ennod. in vitâ Epip. Carol. sup. Cai. Cęcil. L. 1. ep. 20.

Et quidem sacer Historicus huius libri auspicium, nobilitatis Tobiæ facit exordium, auitam retrò prosapiam referens, dum eius proauos Nephthalitæ generositatis principes longâ seriatim recensitione numerat, Iacobææ familiæ stemmatibus prælustres. At maiores tuos quamuis clarissima exceperunt cunabula, nemo nascentes vidit, recénsve natos memorat; ne vnquam pusillos videret magnos viros, ad summa quæque feciliter ortos. Quantùm longè humanæ mentis acies oculatè retrospiciat sollerti historiarum indagine, tantùm antiquitatis nobilitas tuâ ab omni æuo sibi vendicat. Nullum hâc in re auctoramentum maius, quàm carere certi temporis fide.

Tobiæ 1. Apud Græcos codices.

Quæ

Quæ cæteris rebus iniuria habetur, senectus, hæc gentilitium tuum stemma sumptuosiùs reddit augustum. Natus ad chrystallinum fluuiorum imperium Nilus, arcanè labyrinthæâ saxorum solertiâ fontanam ambitiosè celat originem: *Nec licuit populis paruum te Nile videre, Arcanum naturæ caput.* Scilicet mauult curiosam mortalium sagacitatem ortus suos mirari, quàm noscere. Sic huius familiæ principis annosa vetustàs, generositatis arbitrio abdidit ortum, ne prodat initium. Nesciat Orbis quem eius Principem colat: nam quò ille abstrusè latentior, eò præclarè augustior eminet, senectute viget, antiquitate floret, & de cæcè inuisâ sui origine, arcano nobilitatis Sacramento micantiùs scintillat; incerti æui purpurâ ambitiosiùs amictus. Quid nobilius vidit Hispana antè & post illius ineluctabile excidium, quèm ZEBALLORVM generosum sanguinem, tot præliis victorem, tot victoriis triumphalem, tot triumphis superbum? Intermitto hæc, ne audaciæ insimuler, si ad breue compendium redigere præsumam res præclarè gestas, quæ plura historiarum volumina (quæ iam iam propè sub prælo gemunt) eruditè fatigant. *Num quia oculis Solem comprehendere non possum, etiam lucis visum, quantum sufficit, non aspiciam?* Itaque quingentissimus ferè excurrit annus, à quo in paucis ille strenuus vestræ familiæ Heros nomine FERDINANDVS MARTINES DE ZEBALLOS (à quo per lineam virilem vndecimo gradu generosè propagaris) nobile oppidum de ALARCON, munitissimum tunc Saracenorum præsidium, robustâ militum manu stipatus, cunctatione audaci, & audaciâ segni obsedit pugnax, subiugauit ferox, detriumphauit magnanimus. A castro ALARCON expugnato, ALARCONIS accitum est cognomen, & inde *nominis consilium*, & recens ALARCONIDVM titulus Noscas hinc arma protectura dignitatem, quam arma dederunt. O quàm obscure clarus est, qui solius fortunæ irrationali fauore claret! Contrà quàm præclarè splendet, qui non otiosus felicem fortunam inuenit, sed propria industria felicem fecit. *Herculei generis hoc factum est, virtuti debere quod vendicat.* Complura alia circumcircà non ignobilia oppida FERDINANDVS expugnauit, quæ tanquam generosè opulenta Maurorum spolia eius Posteri hæreditario iure nunc obtinent, nobili ALARCONIDVM stemmate illustres: sed oppidò illustrius *quòd virtutibus exteterint fratres.* Quæ multiiuga soboles in primis generosa, à tanto Heroë originem trahere per exploratos nobilitatis traduces, tanquam auiti census & nobilitatis abreptiones, liquidò constat ex peruulgatæ traditionis vetustâ præscriptione, ex authenticis Regum priuilegiis, & aliis retinendæ antiquitatis Sacramentis, quæ in Valuerdensibus archiuis adseruantur perenni tantæ nobilitatis censu ad omne æuum duraturo: non ex redempta relationum lingua aut calamo, qui quamlibet fucatis verborum imaginibus fingit nobilitatis speciem, veri adstipulatione repræsentat. *O quàm graues hiatus patitur alienæ gratiæ commissa credulitas!*

Arcoreus Vates.

S.Cyrillus Catech.6.

Tertull. aliàs expensus.

Mamer. in Panegyr. ad Maxim

Idem.

Ennod. li. 1.epist,1.

Neque rerum præclarè gestarum sterilis fuit tam fœcunda tanti Heroïs soboles, nec auitâ generositate ignobiliter iners. Solent qui aquarum fontes per latè iacentem vallem aquæductum ingenio

¶ 4 subrigunt

ſubrigunt ad editam in monte vrbem, ex interuallo excitare caſtella, ne aquarum libramenta depereant. (quæ diu iacuit virtus haud facilè attollitur.) O ex tanto Heroë qualis quantuſcuſque Heros ſurrexit attauus tuus (vt interim omittam MARTINVM,& LOPEZIVM de ALARCON; hunc à Ioanne II. illum ab Henrico III. Caſtellæ Regibus,ob egregia geſta magnis titulis decoratos) D.FERDINANDVS DE ALARCON, Marchio Vallis Siculæ in prouinciâ Aprucij, Rendæ in prouinciâ Calabriæ, Comes Samarribbæ, Caſtellanus Caſtrinoui,in vrbe Neapoli,Caroli V.Cæſaris à re Status,& Belli Conſiliarius, Laticlauius eques, militiæ S. Iacobi. O qualem Matrem Hiſpania Italiæ dedit, Europæo plaudente ſolo, ſalo? Si bella eius numerem, tot inuenio, quot triumphos: congreſſui ſuo nullus hoſtium, niſi qui laudibus adderetur occurrit: militauit trophæis, qui reſtitit voluntati: qui illum in acie licet impari conſpexit, ſuperatus eſt. *Quid opus erat multitudine cùm tu pugnares, ipſe omnibus locis, totaque acie dimicares: ipſi hoſti vndique, & quà reſiſteret, & quà caderet, & quà fugeret, occurreres? eorùmque aduerſariis pariter ac tuis faceres: cùm neque te Barbari vnum putarent; neque milites non dico ſtipatione, ſed ſaltem oculis ſequi poterant.* Sub FERDINANDO duce nauſeabat Hiſpanienſium vagina ſiccum gladium; tunc quidem micantior erat, quando inimico cruore infectior; tunc integrior, quando hoſtili cæde dentacior. Non vallis tunc cingebatur Hiſpania, robuſtiùs huius robore quaſi turritis mœnibus cingebatur. Vbi erat illo Duce audax inimicorum ferocia? vbi ieiuna triumphorum ambitio? Intermitto FERDINANDI facinora, quæ omnium gentium ora buccinant, quæ Carolus V. Imperator in prælustri diplomate (quod videre licuit) ſumptuoſiùs deprædicat. *Laudet te, quem omnes laudant.* Decuit tantus encomiaſtes FERDINANDVM, & tantus miles Carolum Imperatorem decuit. Decuit & olim inuidioſum *Domini* cognomentum, iam in te dulce, gratum, familiare. Ita FERDINANDVM hiſtoriographi tam noſtrates, quàm exteri dum illuſtria eius geſta commemorant, adplaudentis famæ ore vocitare ſolitant. Nimirùm ſequaces ſunt Caroli Cæſaris hoc ipſo *Domini* titulo FERDINANDVM nobilitantis. Quam imperialem vocem vniuerſarum gentium vox ingeminat ad gratam ſæculorum inuidiam, ſuperbo nominis cenſu, quod de ſingularitate famoſum nulla obliuio, nullâ delebit inuidia. Sic enim *Domini* glorioſum nomen ALARCONI imprimitur, aut ipſe ALARCON ipſi nomini impreſſus eſt, vt vel tacita *Domini* vox, illum argutâ diſſimulatione notificet. *Aſſecutus es nomen, quod ad alium tranſire non poſſit, nam licet alij poſtea vſurpent, ſemper tamen agnoſcetur vt tuum. Etenim vt nomine Auguſti admonemur eius, cui primùm dicatum eſt; ita hæc Domini appellatio nunquam memoriæ ſine te recurret: quotieſque poſteri noſtri aliquem* Dominum *vocare cogentur, toties recordabuntur quis meruerit vocari.* Et quamuis talis tantuſque fuerit DOMINVS ALARCON nolo tamen vt ALARCONIDVM domus nota ſit à *Domino*, ſed *Dominus* à domo. Porrò in reliquis etiam huius nobiliſſimæ familiæ germinibus, quantum excelſa quoque virtus pretiis bene naſcentis adiungat, in comperto eſt. Exinde penè ſuperba cognationum & affinitatum celſitudo: *& pauciora annalium ſcriniis, quam in veſtræ domus titulis cognomenta legantur.* Et quis

Mamer. in Panegyr.

Cic. lib. 5. Epiſt. 6.

Plin. in Panegyr.

Pacat. in Paneg.

Dyna

Dynastarum in Hispaniâ, in Neapoli, in Siciliâ, in Lusitania. ALARCONIDVM sanguinem ad rigandam amplificandæ nobilitatis sitim, non hausit venis hiantibus? Cognatorum Principum censu genethliaca illorum superbiat historia, nobilitatis vsurâ, generosis nobilitata Heroïnis. *In summa nil erit in domo totâ, cuius generum elegisti, quod non tibi tanquam in tuâ placeat.... Inuentus est coniux, qui quidem diu quærendus fuisset, nisi paratus, & quasi prouisus esset cœlesti consilio, ex quo nasci nepotes familiæ* ALARCONIDVM *deceat.* Plin. lib. 1. epist. 14.

Tandem (PRÆSVL ILLVSTRISSIME) post tot virtutis ac nobilitatis antenuncia, ventum est ad Te; ad Te inquam, de quo dicturus, non tam vereor subire adulationis censuram, quàm inuidiæ notam. Tuorum gaudia ingenij tui dotibus ampliasti: & quod iubar sanguinis præstitit, industria gloriosiùs consummauit. Ego quidem *credidi votorum summam fatigari si te natalibus reddidisses*; illud non expendens, quid optima indoles, proba institutio, pietatis ac sapientiæ studium, claritati tuæ assiduè infunderet nouo virtutis ac dignitatis auctario. Neque ideò Maiorum tuorum gloriæ census deuenustatur: *quoniam illis gloriosum est, quod à tuâ serenitate superentur.* Prælucens filiorũ dignitas mitiores parentum faculas non interstinguit, sed mirissimo lucis fœnore splendidiùs accendit, nouos inde fulgores micantiùs reuerberans. An non illud argutè verum? *Filios prudenter instituit, quibus comparatus Pater, inde felicior incipit esse, quia vincitur.* Si enim magnum est à Maioribus aliquid accepisse; maius profectò erit, magnis parentibus aliquid adiecisse, velut fluctu glorias reciprocante. Et sanè Tu singulariter in puerili ætatulâ, in ætate iuuenili, in geminatis, inquam, morum naufragiis, probitatis portum sospes tenuisti; dum inconditam plerumque iuuentam stipendiis senecturis ornabas; & in minori ætate prudentiæ immaturâ, cana vigebant consilia. Adeò vt posses cum Sapiente dicere: *Flores mei, flores honoris & honestatis.* Nimirùm in florido ætatis vere, præcoci morum fructu præmaturè autumnabas. *Cæsarum* (nostri ALARCONIDIS potiùs) *laudes exequi velle, studium quidem dulce, sed non & cura mediocris, cuius in annis pubescentibus, non eruptione virtutis tumens germen, non flos præcursor indolis bonæ lætior quàm vberior apparet; sed iam facta grandifera, & contra rationem ætatis, maximorúmque fructuum matura perceptio.* Adoluit ætate, pariter ac sapientiâ adoluit, quâ in re Salmanticensi Academiâ operosè imbutus, & omnigenæ eruditionis limâ excultus, ad omnia summa consummatus euasit. Arcano plane augurio hæc tua admirabilis sapientia, quàm è re Tibi & aliis futura esset ad hos bellicos Lusitaniæ tumultus, præsago instructu prouidenter ominabatur. *Accessit his bonis desiderabilis eruditio, quæ naturam laudabilem eximiè reddit ornatam. Ibi bellator reperit vnde animi virtute roboretur: inde Princeps accipit quemadmodum populos sub æquitate componat: nec enim aliqua in orbe potest esse fortuna, quam litterarum non augeat gloriosa doctrina.* Quin & semel duntaxat sapiens est, & sua solum doctrinâ sapit, qui amicum cum sapientibus commercium negligit. *Sapiens non potest in habitu suæ mentis stare, nisi amicos aliquos similes sui admisit, cum quibus virtutes suas communicet.* At noster Præsul geminatâ ornatur sapientiâ, & suâ, & alienâ; dum tanto beneuolentiæ & beneficentiæ studio eruditos amat, colit, & laudum pretiis impensè cumulat. *Inter præclaras & eximias virtutes tuas maximè tamen quasi è sublimi quâdam specula se ostendit & extollit*

Ennod. li. 1. epist. 1.

Cyrill. Alexand. in epist. ad Theodos.

Sidon. Apoll. lib. 7. in Conc.

Eccli. 24. v. 23.

Belga anonymus de Cæsar.

Cassiodor. lib. 16. Variar.

Senec. ep. 110.

Lipsius in Critic.

extollit benignitas illa tua, & innata tua erga litterarum studiosos propensio; quæ ita in te elucet, vt videatur te ad hanc vnam virtutem natura genuisse, voluntas exercuisse, fortuna seruasse.

Ex hâc scientiarum metropoli præmaturè laureatus, ad Canonicatũ & Magistralem in Conchensi Ecclesiâ Dignitatem assumptus, & in locum Auunculi tui Domini D. Sebastiani de Couarrubias feliciter subrogatus. Dedit Tibi fortuna in illo ætatis auspicio, quod si negasset, merita tribuissent. Vterque hoc in facto laude dignissimus, Auunculus tuus, quia Te elegit, Tu quia eligi meruisti. Ampliasti illius dignitatem succedens, & penè diuinitatis affinem reddidisti, Plinianæ panegyris hic ausus est, *Vna itémque certissima diuinitatis fides est, bonus successor.* Vnde nec illi licuit adoptare alium, nec si liceret, vellet; ne Dignitate fraudaret suâ, quem merita etsi alienum, postulabant. Veriùs de Auunculo tuo dictum existimauerim: *Excanonicari postulabas, tuumque Tibi Nepotem substitui, moribus insignem, & ad litteralem scientiam coæuis excultum disciplinis.* Illustris sanè Auunculi tui laus fuit, Dignitatis collegam, & honoris partiarium ambire, nam ad obeundi muneris celsitudinem omnium festinat ambitio; & quantum aliis adiicitur, sibi detrahi suspicatur. *Magnum hoc suæ moderationis iudicium, quòd non solùm Dignitatis successor, sed particeps sociusque placuerit: nam successorem, etsi nolis, habebis; non est habendus socius, nisi velis.* Neque eligentem præclara de Te vota, & spes animo conceptæ, fefellerunt: nam meruisse Te in adhuc pubescente ætate tantã Dignitatem, ipsa Dignitas præclarè docuit, quæ prodit immerẽtes, facitque Dignitatis splendore infelices, tãtâ Te moderationẽ gessisti in ætate lubricâ dimissè incedens per sublimitatum ardua. *Nam qui fastum in sublimitate reprimit, docet se meruisse quod adeptus est.* Tuum fuit tui Auunculi deuotioni pretia benemerendo dare; ne consultior electio, sanguinis quàm virtutis deuotioni citiùs adscribatur.

Pin. in Panegyr. — Hildebert. epist. 35. — Plin. in Panegyr. — Idem indidem.

In obeundo autẽ posteà magno & negotioso Inquisitoris munere, in cõfesso omnibus est quàm fueris diligens & attẽtus, quàm sollers tuendæ religionis zelo, quàm exsomni curâ muneri tuo semper assiduus: tuus indefessus labor: Collegarum, officialium, ac litigantium quies erat, Te Tibi eripiebas, vt Te totum vniuersis impenderes. Refectionis adinstar apud Te cõtinui laboris mutatio putabatur. Ab Ecclesiâ ad Tribunal, à Tribunali ad Ecclesiã, vnum tibi itinerariũ, & otium Tibi negotiosum fuit. *Reliqua pars dies Tribunali dabatur, ibi verò quãta religio æquitatis? quanta legum reuerentia! ad hac tam assiduus in Tribunali, vt labore refici, aut reparari videretur.* Natura iam Tibi videbatur assiduus labor, & succedaneus tumultuantium negotiorũ fluctus, quò emendares impios, & impia flagitia eliminares, stans *impietatis basiliscus*; aut innoxios & indefensos à falsatis obtrectatorũ calũniis vindicares. Ad hæc iustitiæ & pietatis officia dignè præstanda, non ambitiosâ negotiatione Dignitatem ambiisti, sed ipsa Dignitas Tui cãdidata Te negotiosiùs ambiuit. *Illis difficile est in Potestatibus temperare, qui per ambitionem sese probos simulauere? Tibi autem qui omnem ætatem in optimis artibus egisti, benefacere iam ex consuetudine in naturã versum est.* In Tribunali verò ad litis dirimendę momenta perattentus, *audiebat plurima, respondebat pauca*: nã ad lucrum erroris procedit, qui in fidei ac religionis conflictibus non priùs caussas quàm aliud expendit. Et dum ferebat suffragium, ac ius dicebat, palã habebatur *lingua fidei*, Christianę *legis tutor*, religionis census, errorũ naufragium,

Secundus in Paneg. — S. Nazian. pro Athã. — Sallust. in Bello Iugur. — Sid. Apoll. ad Agric. de Theod. — Petr. Dam. & Tertull. aliàs expensis.

fragium, & felix veritatis assertio. Fœtida errorum dogmata, subdolæ artis penniculo aduersus religionem colorata, sic fidei auditu attentus rerum trutinator excipiebat, mentis acie explorabat, sapientiæ ignicula concoquebat, & à superstitionum fæcibus depurabat; vt ad aurium margines excolata, scoriam omnem deponerent. Veriùs de Te dictum: *Sapiens stulti est redemptio ac merces.* Neque indefensa à reo causa suffragabatur reatui, aut de eo præiudicabat, ne culparet innocentiam: sic enim erat & sollicitus criminum indagator, & diligens probationum trutinator, vt illum duntaxat consultissimo suo suffragio condemnaret, *quem hoc fuerat damnare, quod argui.*

Philo alil. expensus.

od. in libell. &c.

E magno sanctæ Inquisitionis Tribunali ad Pontificias infulas translatus es; nobilem Te Ecclesia habet, & vt priùs Senatus habuit. *Sanè sana Regis dispositio fuit, quæ Christi Ecclesiæ nil melius potuit prouidere quàm Te, cuius & scientiâ proficiunt subditi, & patrocinio virtus exultat.* Tu nunc erga Te dum fatigas commune electionis votum, omnium producis effectum. *Et licet parendi magis quàm iubendi habueris voluntatem, mutasti tamen per officium personam, animum non amisisti.* Profectò sicut verum Dei Sacerdotem decebat, fide quæritur, pietate inuenitur, & opimis omnium spebus electione felici agolum manu sumit. Sequitur illum, atque comitatur, non extraneus, sed proprius ac domesticus suffragatur, vniuersus pietatis & sapientiæ chorus, nempe sanctitas, generositas, benignitas, castitas, sapientia, comitas, iustitia, misericordia. Ecce quali pretio & ambitione Sacerdotium comparauit. *Vnde emit, ipsum est quod emit*: id est, quia verus meritorum honor, non alibi quàm in ipsis meritis continetur, litterarum sapientia, generis nobilitas, & morum integritas, propter quas est ad Dignitatem assumptus, ipsa est electior nostri Præsulis Dignitas. Olim Tu quidem eligi merebaris ad longè opulentiores ac spendidiores infulas; sed nesciissemus quantum Tibi deberet Hispanum Imperium si ante Lusitanorum tumultus assumptus esses. *Expectatum est tempus, in quo liqueret, non tam accepisse Te beneficium, quàm dedisse. Confugit in sinum tuum concussa Respublica*, tuénsque Regni terminos, Ciuitatensis Dignitas Regis Tibi voce delata est in hostili pugnacissimarum gentium confinio. *O veri Principis munus, reconciliare æmulas ciuitates, tumentésque populos, non imperio magis quàm ratione compescere. Intercedere iniquitatibus Magistratuum, infectúmque reddere quicquid fieri non oportuit. Postremò velocissimi sideris more omnia inuisere, omnia audire, & vndecumque inuocatum statim velut numen adesse & assistere.* Nec scit parcere quieti propriæ dum consulit alienæ. *Nam in tantâ circumspectione salutis omnium, solum pro se timere non nouit.* Et vt paucis multa complectar, *Ille est, circa quem & concordiam pugnantes seruauerunt, & cuius quietem bella non lederent..... Ecce hominem, quem vidisse, præmium est, cum quo habitare securitas.* Adeò vt in illo frequentium bellorum confinio, ille & rem Christianam pariter ac ciuilem opportunè clypearet. Vtraque Respublica *istius sustentabatur manibus, in huius nitens erigebatur amplexus, pes illius erat, oculus, dextera: cuius ministerio quicquid optasset fieri, ante iussionem suam videbat impletum.* In tanto autem rerum dispendio, crebris calamitatibus, tuo periculo, & tuorum discrimine, semper idem fuisti æquanimitate magnanimâ, *ne in aduersis amitteret constantiam, qui in prosperis tenuit æquitatem.* Neque mirum, quòd cùm prosperâ & aduersâ fortunâ

Hildeb. epist. 3.

Ennod. in vita Epiphan.

Emiss. pro Maximo.

Plin. in Panegyr.

Ennod. de Epiph.

Idem ibidem.

Stephan. Tornac. epist. 81.

non

non reciprocaueris vices, qui etiam in summo Dignitatis fastigio idem es ac priuatus; semper autem humanissimus: agnoscis, agnosceris: eosdem nos, eundem Te putas: par omnibus, hoc ceteris maior, quia melior. Ausim dicere, *nullum mortalium tam dulcem vni esse, quàm hic est omnibus.* Hinc in tot terrorum caussis, Biantis illud euenit: *timere subditos non illum, sed pro illo.*

Seneca de Gallion. fratre. Bian. apud Lipſ. in Polit. lib. 2.c.12.

Neque in negotiosis belli curis, & tumultu armorum, ad quæ Te vocabat tuorum pietas, militum spes, & tui generis fides, Sacerdotem amisisti: & qui iam dudum in Canonico Pontificem gesseras, postmodum Pontificem in milite custodisti. *Procedendum censuit omnibus in quolibet aëris terrore maturiùs: ita vt vigilarum formam Lectoribus antecedens ad Ecclesiam præberet Episcopus. Postquam verò ad Altaris confinia peruenisset, nullam deliberauit futuram esse necessitatem, quâ indè nisi impletis solemnibus posset abduci.* Refundebat Tibi bellantium populorum generalitas obligata deuotionem, compensans moribus, quod adepta est de exemplari. *Tuum est, Inclyte, deuotioni pretium dare, quam intelligis vires subditorum non posse transcendere: erit dispensationis sacræ, de famulis æstimare quod exigas, in quibus cognoscis tantum Tibi militare quod praualent.* Semper in re Dei occupatus, & semper Episcopalibus muniis occupatissimè vacans; totus singulis, & omnibus totus; Templo assiduus, subditis frequens, peruius vniuersis: neglector quietis, fugax otij, appetitor laboris, humilis ad merita, superbus ad vitia, patiens ærumnarum, honoris impatiens, inops in propriâ æstimatione; locuples in donis Dei, pauper in pecuniâ, quia diues in misericordiâ. *Sic in se excoluit gratiam vnamquamque quasi solam: pauci sic tenuerunt singulas, quomodo ille in se expleuit vniuersas.*

Ennod. in vita Epiphan. Idem in Panegyr. Emiſ. de ſuo Max.

Profectò illa tua sapientia coæuis disciplinis in eruditissimo Gymnasio feliciter instituta, non subtili idearum euanuit indagine, quod est intemperantiæ genius; sed operatorio excultu, & ideali eruditione; vt Te primùm, & de Te reliquos ad omnes sanctitates institueres. Qui fructuosa, non qui multa scit, sapit. Nam nos plerique hodie, *vt omnium rerum, sic litterarum intemperantiâ quoque laboramus: nec vitæ, sed scholis discimus.* Pacuuij affectu vltrò etiam afficior, *Odi homines ignauâ operâ, philosophâ sententiâ.* Scientiam Præsidentium operibus imbuere, potioris litteraturæ sacramentum est, & probitatum fœcunditas. Principis fortuna hæc est, quòd vnius culpâ ab omnibus peccatur. Antistes velit honesta, nemo non eadem volet. *Rectè facere Princeps ciues suos faciendo docet:* & illud ipsum tacita quædam lex est. *quoniam hac conditio Principum, vt quicquid faciant, præcipere videantur.* Hæc mei Præsulis eximia laus. *Quantò enim magis arduum est alios præstare, quàm se, tantò laudabilius, quòd cùm ipse sis optimus, omnes circa Te similes Tui effecisti.* Hanc morum censuram, & probitatis censum, etsi diœcesanis omnibus allinis, domesticis tamen tuis propiùs affricas quotidiano exemplo, à quo sensim probitatem hauriunt, arripiunt, exprimunt, nec *aurium cæci*, neque oculorum quidem surdi. *Considera patremfamilias, attende pueros: in Domino deuotionem inuenies, in pueris disciplinam. Quippe in domo Patriarchæ nemo inuentus est sacris indeuotus obsequiis.* Tibi proculdubiò debent quod sequuntur, Principi nostro quòd Te illis dederit.

Seneca epiſt. 107. Pacuuius. Vellei. l. 11. Quintil. declam. 4. Cai. Cæcil. ad Cæſar. Tertull. de Hildeb. epiſt. 61.

Et quidem parùm Tibi foret, omnem tuam Diœcesim quàm latà iacet, (iacet autem latissimè) ad morum reformationem, & reliqua Episcopalia munia,

munia, vicatim perlustrasse; ægrotantes etiam & miseros inuisere solitas; atque magno pietatis fœnore dum Episcopum geris, Ecclesiæ Principem imples. *Boni enim Principis est lubenter suos videre felices; sed melioris inuisere etiam laborantes.* Neque cum tuorum morte tumulatur pietas tua, Tobiæ æmula: sic enim sollicitè tuis expensis procuras miserorum funera, sicut eleemosynis procurabas *viuas exequias* pauperum; vt terrâ honestè dones, quibus piissimè cælum acquisisti. Huiusmodi autem humillimæ pietatis officia, quæ è plebe quispiam rubore solet obire, maiestati tuæ nihil detrahunt. *Ita morum grauitatem atque maiestatem cum animi demissione commisces, vt non auertat oculos intuentium, sed iucundum faciat obtutum: vt neque grauitatis ac seueritatis splendor obscuretur, neque latens in animo vis propter humilitatem despiciatur: sed alterum æqualiter in vtroque, tum in celsitudine ac sublimitate comitas & humanitas, tum in humilitate vice versâ, grauitas & seueritas animaduertatur.* Neque silentio premam, quòd qui penè inconsultâ largitate liberalitatem comit, in conferendis tamen Dignitatibus velut morositate electionem adornet. *At ille fauoris nescius, pertinaci tenens districtione censuram, quem nunquam nisi conscientia duxit ad gratiam.* Et sanè quâ munificentiâ emines, *beneficia tua vt maiestate præcellunt, ita mutuum non exposcunt.* Hinc erga pauperes, qui gratiam rependere non eualent effusior tua largitas, & genio & munere tuo digna; pietatis detrimentum putans, nisi supplicationem pietas anteuerterit. *At ille supplicantem prohibebat, ne sibi inuidiam rogando concitaret,* misericordiæ probrum censens, nisi inrogatus annuisset.

Flauian. in Paneg. ad Constantin.

Nyssen. in Orat. de his qui præmaturè, &c.

Ennod. in vita Epiphan.

Ausonius in Paneg.

Ennod. suprà.

O qualis est ad Iudicis munia, qui ad Patris pietatem talis existit! Amico sociauit fœdere res diuersissimas, & Episcopi clementiam, & emendatissimam morum censuram. *Constituit bonos mores ciuitati, & prouinciæ, & vitia eius feliciùs compescit: si patiens eorum est: non tanquam probet, sed tanquam inuitus, & tanquam magno tormento ad castigandum veniat. Verecundiam peccati faciens ipsa clementia regentis.* quod est regiminis compendium, & ciuilis peritiæ meta, quippè qui *malit videri inuenisse bonos, quam fecisse, &c. Vbi verò conuentus ac iudicia poscerent, grauis, intentus, seuerus, & sæpiùs misericors: vbi officio satisfactum, nulla vltrà potestatis persona.* Itaque clementiæ assiduus plerumque est, memor semper illius decantatissimæ sententiæ: *Metus autem & terror infirma vincula charitatis, quæ vbi remoueris, qui timere desierint, odisse incipient.* Eheu! *videbis ea sæpè committi, quæ sæpiùs vindicantur.* Subaudio in meo Antistite illas Epiphanij voces Episcopo dignas, diœcesanis gratissimas, exemplares vniuersis: *Meam vobis communionem seruandam cum omni humilitate polliceor, neque futurum esse quemquam, qui me nisi cum Deo nostro possit offendere.* O nimis verè! *Magnum quid, & diuinum sapit offensus clemens.* Magnanimi est iniurias in summâ potentia pati: nec quidquam gloriosius est Principe impunè læso. Quid, quæso, erit, si iniurias beneficiis compenset, *inuerso gratus officio.*

Seneca lib. 1. de Clem. c. 22.

Tacitus in Agricol.

Idem ibidem.

Senec. l. 1. de Clem.

Ennod. in vita Epiphan.

Zeno Veron. ser. 1. de Psalm. 130.

Verùm in laudibus ipsis sicut turpe est illa audere, quæ nec ille de quo narrantur, agnoscat; sic iniuriosum putabitur, illud preteriisse silentio, quod relatio vera possit attollere. Noster autem Præsul fuit *laudationis amore vacuus, cùm quotidie in eo laudanda adolescerent: cúmque res gloria dignas per horarum momenta consummaret, perire fructum gloriæ opinabatur atque mercedem si pretulissent homines, quod soli Deo exhibebat abscondité.* Abscondas

Ennod. suprà.

¶¶ licet

licet tectiùs, factâ tua Te modulatè buccinant, & præclarè produnt linguato silentio. *Nam vera bona ex seipsis naturaliter vocem mittunt, etiam si sileant : nam nec Sol, nec Luna opus habent interprete, qui nos doceat, ab altero interdiu, ab alterâ noctu mundum vniuersum illustrari; sed ipsi suo splendore fidem vel absque teste faciunt oculis.* Ergo mittens has meas in Tobiam lucubratiunculas, ad magnas Infulas tuas purpurâ dignas, meritò purpurasco; mitto tamen, non quòd mereantur, sed quod hoc darem amori meo, beneuolentiæ tuæ erga me, & generatim erga nostrates omnes. *Ita ferè in paruis magni ludunt, & gratiora è tenui dexterâ munera sunt: & meminerim etiam aquam vtrâque bolâ, rusticâ manu porrectam, Regibus non semel placuisse.* Affectum parem in pari obsequio sperabam, & si quid iudico, non inexpertus humanitatis tuæ non fallar, par benignitas, comitas, amor in Litteras in literis ad me tuis video, & si vota mea eualent, taceo. Otantùm preluftris ALARCONIDVM familia multos tui similes Orbi Heroas largiatur. *Hæc vota liberâ emitto manu, & calamo : maiora pectori recondo. audi Deus.*

Philo de sacrific. Abel.

Carol. in Proleg. ad Prodigū adolesc.

Idē inibi.

R. P. F.

R. P. F. IACOBI NYSSENI S. BASILII *Magni Monachi, olim in Castellanâ Prouinciâ Prouincialis, & in Bœthicâ Apostolici Visitatoris; nunc verò in Matritensi Cœnobio iterum Abbatis, de hocce Opere iudicium.*

SVPREMI Castellæ Senatûs præscripto, Commentarium Litteralem & Moralem in Tobiam, Auctore R. P. Didaco de Celada Monteladiense, è Societate IESV, attentè vidi; ingentíque perfusus voluptate, perlegi. Ergo nihil in Orthodoxam fidem & honestos mores peccatum, nihil inibi de omni literaturâ non tactum; scriptum ferè supra hominem, attamen ab homine. Omnia piè, acutè, scitè tractata, & ad elegantiam Apollinis & Suadelæ elaborata & perpolita. *Stylus illi*, (vt de meo olim Nysseno Photius) *illustris & iucunditatem auribus instillans. Venustas enim orationis & splendor iucunditate mixtus etiam in hoc Opere decenter se ostendit.* Sed sicut *vnum Ver inter anni partes, vnus Sol inter Sydera, vnum cælum omnia complexu suo coërcens, ita vnus hic Liber de omnibus triumphat, si modò satis ego sim, qui de huiusmodi operâ iudicium feram, nec mihi Amor imposturã faciat.* Quid enim ego morer & dubitem floridum & amœnum Ver indigitare Opus quod floribus eloquentiæ tam splendidè vernat? Cur Solem non appellem nobilem hanc & illustrem lucubrationem, quæ *sua se* (vt Ambrosius loquitur) *luce signat; & æquali interuallo cunctis hominibus, quoscunque tractus telluris habitent, obuiam se est oblaturus*, vt meus ille Magnus Parens pangebat? Et quare Cælum vocitare verebor? Nam si (vt noster Diuinus Symonides canit) *Cæli enarrant gloriam Dei*, nonne Opus hocce præclarissimum Cælum vocandum, in quo abstrusa diuini Oraculi Arcana tam luculenter enucleantur? Nonne Ver, Sol, & Cælum? Cum,

(Phot. in Nysseno. S. Gregor. Naz. epist. 10. ad Basil. Magn. S. Ambr. lib. 1. in Luc. S. Basilius Magn. homil. 6. in Hexaë. Psalm. 18.)

Arduâ LIBER expolitus arte,
Arguto liber expolitus vngue,
Venustus Liber elegansque totus,
Extremis Liber auctus vmbilicis
Ex templo in medium ruat coronam
Et longas hominum esuritiones
Sua lautitia, famemque pascat?

(Iacobus Bonfrer. in Less.)

Sed quid vltrâ? Cum vnico verbo omnia comprehendantur, cùm dixero *Opus est Celada*, cùm hîc opus in laudando sit. Sicut enim de illo Carthaginensi Duce R. Popul. acerrimo & infensissimo hoste Chæronæus refert Philosophus, in eius sepulchro tantillam hanc inscriptionem & epigraphem insculptam, Hic SITVS EST ANNIBAL? solum enim nomen iudicatum illi satis fore ad ingentissimarum cumulum laudum; nec sanè fefellit opinio. Ita ego cùm dixero, HIC LIBER EST CELADÆ, prædicaui satis superque opus ad astra euexi, *vt qui terrarum Orbem vnius tabulæ ambitu circumscribunt aliquanto detrimento magnitudinis, nullo dispendio veritatis.* Nam cùm CELADAM dixeris, dicam equidem Oratorem summum, eximium Euangelici verbi celeberrimúmque buccinatorem, totius prædicabilis Orbis splendidissimum iubar fulgentissimúmque luminare, concionatorij Cæli ditissimum validissimúmque Atlantem, moralium conceptuum alterum Chrysologum, id est, materiandarum concionum opulentissimum ærarium supellectilem instructissimam, grandiloquum Artificem, & sapientissimum Architectum. Bone Deus, quot in vno homine & nomine clauduntur encomia! Prodeat ergo in lucem hic nouus in Tobiam fœtus fœcundissimus copiam sui cunctis qui Euangelicâ professione censentur, quantocius faciat, feliciter præstet, vt omnibus prosit. Tobias enim tali Raphaële, id est CELADA, stipatus iter suum inoffenso pede tutissimus peraget. Sic voueo, sic ex animo censeo. Matriti die primâ Iun. Ann. M. DC. XLIII.

(Plutarch. in Annibali. Auson. in gratiarum action. ad Gratian.)

Fr. IACOBVS NYSSENVS.

COMMISSION DEL ORDINARIO.

NOS el D. Don Antonio de Aldana Iuez de Vicario General en Sede vacante en la Audiēcia y Corte Arçobiſpal de eſta Villa de Alcala, y en toto el Arçobiſpado de Toledo, &c. Remitimos a ſu P[d] del Padre Maeſtro Moya Lector en Theologia del Conuento de la Sanctiſſima Trinidad calçada Vea, y examine vn libre intitulado *Commentarius Moralis & Litteralis in Tobiam, Auctore P. Didaco de Celada Societatis* IESV, y examinado nos remitta ſu cenſura. Dada en Alcala a treze dias del mez de Febrero de mil ſeis cientos y quarenta y tres años.

El D[r] Don ANTONIO DE ALDANA.

Por ſu mandado,

IOSEPH LOPEZ MOGRO, Scriuano.

CENSVRA.

EX commiſſione Domini Doctoris Don Antonij de Aldana Iudicis Vicarij Generalis Sede vacante, in hac Archepiſcopali Curia Complutenſi, attentiùs legi librum R. P. M. Didaci de Celada è Societate IESV, in Collegio Complutenſi olim Sacrarum Litterarum Interpretis (cuius titulus eſt: Commentarius in Tobiæ Hiſtoriam) nihilque in eo reperi non conſonum doctrinæ, fidei, aut bonis moribus, ſed eam valdè vtilem eſſe cenſeo Bibliorum ſtudioſis & Oratoribus ſacris. Ideoque opus dignum exiſtimo, quod in publicam vtilitatem euulgetur. Datum in hoc noſtro Collegio Complutenſi Sanctiſſimæ Trinitatis 18. menſis Februarij 1643.

Fr. LVISIVS MOYA CORONEL.

Licentia del Ordinario de Alcala.

NOS el D[r] Don Antonio de Aldana Iuez de Vicario General en Sede vacante en la Audientia y Corte Arçobiſpal deſta Villa de Alcala, y en todo el Arçobiſpado de Toledo, &c. Por la preſente en quanto podemos y ay lugar de drecho y no en mas, damos licentia para que ſe pueda imprimir vn libro intitulado *Comment. Moralis & Litteralis in Tobiam, Auctore P. Didaco de Celada Societatis* IESV, attento eſta viſto y examinado, y no ay coſa contra nueſtra ſancta Feé, ni que tildar ni emendar. Dada en Alcala en diez y hocho dias del mez de Febrero de mil y ſeis cientos y quarenta y tres años.

El D[r] Don ANTONIO DE ALDANA.

Por ſu mandado

IOSEPH LOPEZ MOGRO, Scriuano.

EGO

EGO Franciscus Aguado Prouincialis Societatis IESV in Prouinciâ Toletanâ, potestate ad hoc mihi factâ à Reuerendo admodum Patre nostro Mutio Vitelleschi eiusdem Societatis Præposito Generali, Facultatē facio, vt Tomus inscriptus, *Commētarius Litteralis & Moralis in Tobiæ Historiā*, à P. Didaco de Celada, in nostro Collegio Complutensi Sacrarum Litterarum Interprete conscriptus, & eiusdem Societatis grauium, doctorúmque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostrâ subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Compluti, die 24. Martij, Anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio.

FRANCISCVS AGVADO.

Summa Priuilegij S. C. Maiestatis.

POR Priuilegio dado en Madrid a 14. dias del mez de Iunio 1643. años tiene licençia el R. P. Diego de Celada, de la Compañia de IESVS, o quien su poder huuiere, de hazer imprimir vn Commentario que el dicho Padre a hecho sobre la Historia de Tobias, por tiempo y espacio de diez años, sò las penas contenidas en dicho Priuilegio.

Firmado.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro Señor,

DON ANTONIO HVRTADO DE MENDOZA.

TIene licencia el dicho R. P. Diego de Celada, Por Decreto de los SS.res del Real consexo para poder hazer imprimir fuera destos Reynos el sobre dicho libro como dello consta por vn auto, passado en Madrid a los 15. dias del mes de Iullio 1643. años Antes Francisco Espandaña Secretario de Camera.

EL dicho R. P. Diego de Celada a hecho cession del susodicho Priuilegio al Heredero de Pedro Prost, Philippo Borde, y Laurentio Arnaud Mercaderes de Libros en Leon de Francia.

¶¶ 3 APPRO

APPROBATIO.

PRæCLARA in Iudith Commentaria nomen percelebre iam dedêre R. P. Didaco de Celada é Societate IESV: Illius docta expositio tum litteralis, tum moralis in Tobiæ Historjam, non minus eam commendabit, nihil enim nisi oleum redolet, & quisque inoffenso pede eam legere potest. Actum Lugduni, die septimâ Nouembris 1644.

Fr. STEPHANVS MOLIN Carmelita, Doctor Theologus Facultatis Parisiensis.

Fr. MICHAEL MICARD Minor, Doctor Paris.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS *Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi.*

ANTONIVS MILIEVS Prouincialis Societatis IESV in Prouinciâ Lugdunensi, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. 10. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne Libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos absque Superiorum permissione imprimant. Permitto Hæred. Petit Prost, Philippo Borde, & Laurentio Arnaud, Bibliopolis Lugdunensibus, vt Librum cui inscriptio est, Expositio tùm Litteralis tùm Moralis in Tobiæ Historiam, Authore R. P. Didaco de Celada Societatis IESV, ad sex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere possint, datum Lugduni die 8. Nouemb. 1644.

ANTONIVS MILLIEVS.

Summa Priuilegij Regis christianißimi.

LVDOVICVS XIV. Dei gratiâ Galliarum, & Nauarræ Rex Christianissimus singulari Priuilegio sanxit, ne quis per Vniuersos Regnorum suorum fines, intra quinque annos à die finitæ impressionis comparandos, imprimat, seu Typis excudendum curet, & vænalem habeat Librum qui inscribitur *R. P. Didaci de Celada è Societ. Iesu Commentarij Morales & Litterales in Tobiæ Historiam*, præter Hæred. PETRI PROST, PHILIPPVM BORDE, & LAVRENTIVM ARNAVD Bibliopolas Lugdunenses, aut illos quibus ipsimet concesserint: prohibuit insuper eadem auctoritate Regiâ omnibus suis subditis eundem librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam vbicunque fuerit, ad id agendum impellere ac instigare sine consensu dictorum Hæred. P. PROST, BORDE, & ARNAVD. Idque omne sub confiscatione Librorum, aliisque pœnis contra delinquentes expressis, vti latiùs patet in litteris datis Parisiis, die XIV. Decembris 1644.

Ex mandato Regis

Signatum

CRAMOISY.

SERIES

SERIES PARAGRAPHORVM MORALIVM.

PROLEGOMENA IN TOBIÆ HISTORIAM.

CAPVT PRIMVM.

CAPVT II.

CAPVT. III.

CAPVT IV.

P. Didac. de Celada in Tobiam.

CAPVT V.

CAPVT VI.

¶¶¶ 2 Al

CAPVT VII.

CAPVT X.

CAPVT XI.

CAPVT XII.

Homines

CAPVT XIII.

CAPVT. XIV.

PROLE

PROLEGOMENA

IN

TOBIÆ HISTORIAM.

1. GEMINATVS in prælustrem Tobiæ historiam labor (& qui litteram exegeticos sollerter, indagat & qui exindè ad mores parænetico's vbertim exundat) geminatum exposcit prolegomenon. Vnum, quod sensum litteralem altè fundat; alterum fundabit theses, quæ mores ædificant, ad virtutis fabricam, & vitiorum ruinam. Ab hoc huius Operis auspicium esto, vt illud sine hiatu commentarium litteralem continuet. Vastum nimis iter, quod istinc adorior, non geminatis ingenij, & eruditionis alis conficiendum præsumo, qui foret arrogantiæ fastus: imò nec pigris indefessi laboris gressibus, cui nostra sedulitas impar est: sed *quemadmodum* (inquit Tertullianus) [Tertul. lib. de Anim. c. 10.] *incedunt quadam sine pedibus manante impetu, quod angues: & spumante raptatu, quod limaces, & insurgente conatu, quod vermes.* Tenuitati enim nostræ clausa est gratioris itinerarij spes. Nisi fortè hærentem, & titubantem subfirmet, quòd [Publ. Mim.] *Alienum nobis, nostrum plus aliis placet.* Vel saltem mihi contingat in re moralium acuminum, quod apud eruditulum quempiam ei accedit, qui sollerter amentiam simulabat: *Quandoque etiam prudentibus verbis alebat amentia famam: quoniam nullus est tam amens, qui vbique desipiat.*

Prolegomenon vnum pro thesibus ad mores fabricandis.

2. [Seneca epist. 29.] SEntentiosè ait Seneca: *Sagittarius non aliquando ferire debet, sed aliquando deerrare.* Peritissimus etiam quisque aliquando *deerret*, necesse est: nam etsi ad effectum non casu venit, tamen vltra humanum fastigium esset præfixum semper scopum certò collimare. Qui autem aliquando duntaxat illum *ferit*, non perito consummatæ artis ductui, sed occursus incerti fortuito casui deputatur, non in denium tunc declinasse. Igitur in re morali tractanda, ne vitiorum concionatoriè sagittarius aliquando *feriat*, sed maximùm, aliquando *deerret*, forsan vsui erunt, quæ in hoc Prolegomeno præstrictim traduntur: in quo rei ethicæ à nobis tractandæ idea præfigitur, quam ipse primus exprimere ambio. Pacatè admodum libabo hanc mores sagittandi artem. [Tertul. lib. de Anim. c. 6.] Longè istinc abeat *Chrysippus ad helleborum.* Et quidem primo euulgabo causas, quæ in hoc scripturienti sæculo me ad hanc scriptionem impulerint, mox agam de idonea thesium moralium soliditate, aut subtilitate: dein morum, & verborum elegantia: demum de pacata, & minimè pugnaci dictione, *ab alio expectes, alteri quod feceris*, [Publ. Mim.] quæ maximè in Concionatore, seu moralium thesium Scriptore requiritur, ne etiam sine felle venenata fella eructet: nam *illud venenum, quod serpentes in alienam perniciem proferunt, sine sua continent.* [Seneca epist. 82.] Et sanè in litteratorum inuidia semper mendax iracundia est. Hæc de consilio & forma nostri Operis prælibare sat esto, quod pauculis Paragraphis absoluimus.

---

§. I.

Ne gestorum Tobiæ senescat claritudo, ea modulatè obliget catena referentium; quò tanti Heroïs vitalis sit obitus.

3. [Ennod. de vita Anton.] SCIO verum illud M. Felicis Ennodij: *Vt præliantes adsurgunt buccinis; vt equorum celeritas ad potiorem cursum ferrata calce prouocatur: ita dum Maiorum virtus sollicitat, ingenia nouella confortat.* Quisquis enim de repetitis identidem Commentariis, velut de exuberanti quodam virtutis promptuario, cana olim virtutum exercitia, & prælustria retro veterum Sanctorum gesta relegit; & pio imitationis calcare extimulatur, & ad disciplinarum frugem propositis laudum præmiis inardescit. [*Quorum probitas historiis mandata est, eorum vitalis est obitus.*] [Idem inibi.] *Imago præcedentis gloriæ, vt ad posteros veniat, linguarum catena retinetur, non licet per ætates perire, si quid lectio serenis actibus amica susceperis. Itaque eloquentiæ diuturnitas, mortalis naturæ sine congressionis periculo vincit angustiam; per quam optimorum conuersatio ipsis decedentibus, nescit occasum. Restituitur quidem corpus origini, & destinatus à superis spiritus ad proprium recurrit auctorem: quorum tamen probitas libris mandata fuerit, eorum vitalis est obitus.* Hæc pia mei sudoris ambitio, propagandæ pietatis studio diutiùs intenta, Iuditham primo dedit, Iuditham inquam, fœminam virtutum moribus factam: exin illustrium testamenti veteris Patriarcharum

Ideam, vel potiùs virtutum faciem geminauit: iam tertiò Tobiam non tam scriptionis penicillo, quàm animi votis colorare mens est; dum omnigena eius probitas *libris mandatur, eius vitalis fit obitus*, quò spirans tot virtutum simulachrum, per multiplicatos styli traduces manante gloria, ad posteros æmula imitatione perueniat. Si fortè etiam in me de viciniori tot virtutum, retractatu, & affrictu, Ennodij dogma verum existat: *Fit sanctis proximus, qui in illis sine fuco prædicat sanctitatem.* Nobis ergo præclara Tobiæ gesta reuiuiscant, nobis profutura seruentur merita eius, qui corporali luce perspicaciter viduatus, *per mandatorum cœlestium lineas lenocinantem huius lucis non sensit errorem.* Quid aptiùs de Tobia dici potuit.

Sanctis vicinatur, qui illorum prædicat sanctitatem.

Ennod. lib. 7 epist. 14

Idem de vita Anton.

4\. Itaque Tobias corpore cæcus, mente oculatissimus, tenui sermonis nostris facula clarandus proponitur, vt eius cæcitate velut collyrio quodam inoculemus ad omnes sanctitates. *Fuit enim virtutis elipta, viuus martyr, columna spirans, athleta pietatis, Domini voluntas, spiritus domicilium, peccati diluuium, fidei fulcimentum, conscientiæ domesticum, ac verum Tribunal: non enim virtutis legem omnibus fuisse dicere verebor.* Hanc viuam pietatis legem repetita sæpius historiæ inculcationes, ad imitationem euulgare expediebat: *Eam enim ob rem* (ait Basilius) *litterarum monumenta, sanctorum vitas complexa, notitiam ad posteros transmittunt, quoad imitationem impellantur, vtque nondum natis thesaurus paretur; virtutis promptuarium ad vitæ rationes peruitile obiiciunt.* Igitur de sacrario mundi pectoris ad omnium vtilitatem effluat tot sanctitatum in vno Heroë largior enarratio, post tot etiam opulentos enarratores. Enim verò ne *senescat claritudo operum, aduocanda sunt linguarum exercitia; quid egerit, ne vetustas sibi vendicet, obliget catena referentium.* Ergo tametsi canæ infantiæ meæ bene sim mihi scius, animos de difficultate resumam: atque vnde spem excussisse possem, fiduciam intrepidus concipio, subaudiens tempestiuum illum M. Felicis susurrum: *Proprij ergo macie non turberis ingenij, quando eloquij vilitas pretio suscepta dictionis eleuatur. Erigere è mens fasce depressa imperitiæ, dextera impacti oneris subleuaris.* Cuius rei peridonea ratio in re ipsa haut cæcis litteris à M. Leone legenda obiicitur: nempè *cùm ipsa materia ex eo quod ineffabilis sit, fandi tribuat facultatem: nec possit deficere quod dicatur, dum non potest satis esse quod dicitur.* Nunquam pauper vena timetur ingenij, vbi diues est causa dicendi. Sæpè in facundiæ dotibus ieiuna inuenitur lingua prædicantis, & *è diuerso thesaurus cordis irradiat in egestate verborum*, dum propter Heroïs sublimitatem, non potest satis esse quod dicitur.

S. Naz. orat. 10. & 14. & 11. aliorsùm. *Addensantur Tobiæ elogia.*

Basil. Seleuc. orat. 16.

Quàm sit vtile referre Optimorum virtutes. Ennod. in Paneg.

Idem dict. 8 *Eloquij nostri vtilitas pretio suscepta dictionis eleuatur.*

S. Leo ser. 10 in Passione Dom.

Idem M. Felix dict. 8.

5\. Et quoniam Tobias dudum in solo patrio mūdi exulem gesserat, postmodum in exilio, cœli incolam custodiuit: neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, patiens obiectionis, honoris impatiens, egenorum ærarium, morientium testamentum, defunctorum asylum, specimen religionis, pietatis meta, pauper in pecunia, diues in conscientia, cæcus corpore, mente perspicax, humilis ad merita, superbus ad vitia: *Locuples in donis Dei, sic in se excoluit gratiam vnamquamque, quasi solam, pauci sic tenuerunt singulas, quomodo ille in se expleuit vniuersas.* Quid vltra? *Totum ei videbatur parum quicquid adhuc recipiebat augmentum.* Ecce qualiter ambitiosus noster, opulenta benignitatis vsura, prædiues misericordiæ elogium, per omnes semper ætates sedula negotiatione acquisiuit, dum exundantem pietatem repetita pietate mercatur. O admirabile negotium! ô cœleste commercium! *Vnde emit, ipsum est quod emit.* Et humanæ misericordiæ semper intentus, diuina secum incessanter ruminabit, vt præter cœlestia mihi esuriret, præter iustitiam sitiret nihil. Adeò vt *præsentia tanquam inania atque transacta, absentante spiritu* (citiùs quàm oculorum orbitate) *non videret, & in futuro reposita, tanquam oculis subdita concupisceret.* Atque in penetralibus deuotionis suæ, spe disponente, ac imaginante, sic depingebantur cœlestia, vt fastidio essent quæ sese aspectibus possent offerre. Sic ergo Tobias noster, veluti omniū sanctitatum floriarium, cunctas virtutes spirabat, de quorum odore legentium mores *cælum fragrarent!* Porrò virtutes sic Tobiæ impressæ sunt, aut Tobias ipse sic virtutibus impressus, vt Tobiam laudans, virtutes adæquè laudet. Et sanè *quarum rerum laudes noui, earum quoque rerum haut dubiè incrementa explorata habeo, nec quicquam omnino est, quod non hac ratione augeatur.* Hic, hic est nostræ sedulitatis in hac lucubratiuncula labor; de expertæ tenuitatis imperitia, humilis; de sūptuosa materia, & pietatis voto superbus. Cuius ideam in vestibulo colorare, scopum in auspicio figere, institutum in exordio aperire, & præproperè laboris nostri compendiariam vsuram lecturis propinare, operæpretium est. *Futura pugnant, vt se superari sinant.* Perbellè, vt assolet Stromatæus: *Exiguam sapientiam speret homo habere ab homine.* Sicubi verè nunc maximè. Habebit autem non à commentatore, sed ab hac historia, in qua & vtriusque Tobiæ virtutes, & aliorum vitia recensentur. *Quod præcipuum munus Annalium reor,* (ait Tacitus) *ne virtutes sileantur; vtque prauis dictis factisque ex posteritate, & infamia metus sit.*

Emiss. hom. de Maxim.

Tobiæ encomia adglomerantur.

Idem inibi. *Vnde emit, ipsum est quod emit.*

Laudata virtus suscipit incrementa.

Tertul. aliàs expensu. S. Naz. orat. pro Basilio.

Publ. Mim.

Clem. Alex. 5 Strom. c. 7 *Quodnam sit præcipuum historiæ munus.*

Tacit. apud Lips. in Polit.

§ II.

In tanta condendi libros scabie huius scripturientis aut, causa quæ Auctorem impulerint ad hanc scriptionem, densè conglobantur.

NOn sine felle adhuc pangit ille quicumque: *Scribimus indocti, doctique poemata passim.* Nam etiam iners imperitè vulgus, & quibus nec gutta mentis inest, & præsumptæ ambitionis adest pelagus, intentiùs scripturit, rusticantis ingenij, & eloquij meritis. Magnum sanè ridiculum! *Rursus Minerua virgo est, & draconem parit?* imperitia contentiosè obstetricante, reptilium partus (aborsum aptiùs dixisse) peritæ Mineruæ adscribitur? scortari nunc compellitur scientiarum Dea, quæ olim etiam cauponari coacta est. *Siquidem* (ait Tertullianus) *& ab Apostolo iam tunc Philosophia, concussio veritatis prouidebatur. Athenis enim expertus linguatam ciuitatem, cùm omnes illic sapientiæ atque facundiæ caupones degustasset.* Profectò, vt doctè admonet Hebræus Philo: *Quotquot mediis artibus studendo, propter ingenium durius non valentes eas assequi, laudem merebun-*

1\. Horat. lib. 2 epist. 1. ad Aug.

S. Naz. orat. 45. *Durius ingenium laudem merebitur, si scribere desinat.*

Tertul. lib. de Anim. c. 3.

Philo de Sacrif. Abel.

merebun

merebuntur si desinant. Quisquis de scriptionis peritia non commendatur, laudem quidem merebitur, si scribere *desinat.* Vide nouum arbitrium laudes promerendi: Malè scripsisse, silentium scribere *desinentis* facit disertum, & laude dignum. Qui enim ad nostram garrulitatē fastidiosè nauseant, ad mutam taciturnitatem gratanter hiabunt. *Tace*, inquit Philo, *& audi preceptum pulcherrimum. Nam inscitia res est mala temerariaque, cuius primum remedium est, Auctoris silentium.* De his, qui hac de causa tandem scribere *desinunt*, dicam, quod faceté de morte Reguli dixit Plinius: *Sed vtcumque se habent ista, bene facit Regulus, quod est mortuus, melius si ante.* Ergo proderit nonnunquam magis nostrum silentium: *Mea certè sententia* (adhuc loquitur Philo) *qui didicerunt loqui, etiam silere didicerunt, cum vtrumque eiusdem facultatis sit. At qui narrant quæ non decent, non eloquentiam ostentant, sed silendi impotentiam*, & suam loquendo produnt imperitiam. Nam, vt ait Paulinus, *Ex abundantia cordis os loquitur, & sapor mentis in ore gustatur.* Est enim scriptio (verba sunt Cassiodori) *speculum mentis, vbi auctorem omnis ætas ventura possit inspicere. Contingit enim dissimilem filium plerumque generari, oratio dispar* menti ac *moribus vix potest inueniri: est ergo ista valde certior arbitrij proles.* Sed incompti, & rusticantis arbitrij proles, quo minus à parente degener inuenitur, eo magis à sapientia degenerat, & maiori impetu ad scriptionem fertur. *Imperitorum hominum* (inquit Nazianzenus) *loquacitatem sermone reprimere non potui, nec promptitudinem illam animi, impetumque, quo nunc omnes ad ea quæ Spiritus sancti sunt, sine spiritu docenda, & exponenda præcipites feruntur.* Falsa sæpè est de scripturo, sicut de regnaturo, opinio; Nam quod Galbæ olim euenit, qui *omnium iudicio dignus imperio, nisi imperasset*, habitus est, id pluribus litteratis accidit, qui in bona spe scriptionis, eo se ostenderunt esse minores. O quis scribendo non saltem timeat incerti vulgi iudicia, & canæ sapientiæ supercilia, & cuiusque de nutu censuram? *Nos ipsius lepores, destinata venatio, de longinquo obsidemur*, de propinquo abrodimur.

Philo in lib. *Quis rerum diuin. hæres.*

Plin lib. 6. epist.

Philo in lib. Quod deter. *Sapor mentis in ore gustatur*, &c.

S. Paulin. epistol. 15. Matth. 12. v. 34.

Cassiodor in Præf. Variar.

S. Naz. orat. 6

Tacit. 1. Histor.

Tertul. in Scorp. c. 1.

2. Verum enimvero cùm *fides æstuat, & Ecclesia excutitur de figura rubi*: cùm *sanguinis animi gelascit, carne spiritus exolescit, & nausea nominis* (an Christiani) *inaccrescit*, quo minus adhuc scribere non desinam, *his rationum excantamentis memet delinio*, (vt cum Gregorio loquar) si fortè de Christi schola Christianorum mores excolere valeamus. Et primò Tobiæ præclara gesta tradimus, quæ virtutes spirant, allinunt, imprimunt; de quo §. præcedenti egimus. Fuerit hæc præcipua scribendi ratio. Prætereà peruulgatum est ex Clementis Alexandrini gymnasio, quod *qui solum quidem gustauere scripturas, sunt fideles: qui autem vlterius etiam processerunt in iis, quæ ad vitam pertinent, sunt perfecti gnomones veritatis.* Ergo ex Sacris Scripturis quæ ad informandam vitam pertinent, depromo: quo & studium scriptionis meum curarem, & legentium mores, vtut possem dirigerem. Ex Scripturis, inquam, vt à Patribus, & antiquis retrò Auctoribus exponuntur. *Nam quod ego eadem dicerem: ecquando mihi eadem vis, aut fides? Vt in vno aliquo telo, aut gladio multum interest, à qua manu veniat: sic in sententia vt penetret, valde facit robusta alicuius, & recepta auctoritatis pondus.* Et sanè quemadmodum

Tertul sup. S. Naz. orat. 1

Qui ad mores scribit, perfectus veritatis gnomon dicitur.

Auctor § præced n. 3 & 4. Clem Alex 7. Strom c. 9.

Ab Auctore opus nobilitatur. Iust Lips. in Præfat ad Polit

si quis in Ischomacho studium posuerit, eum faciunt agricolam, & si in Lampridio nautam, & Charidemo Imperatorem: vt in Simone equitandi gnarum, & si in Perdice cauponem, & si in Crobylo poëtam, & si in Pyrrhone contentiosum, & si in Demosthene oratorem, & si in Chrysippo dialecticum, & si in Aristotele physicum, & si in Platone philosophum. *Ita, qui per Deum datam sequitur Prophetiam* (idest, Sacram Scripturam) *efficitur ad Magistri imaginem, Deus qui in carne versatur*; exaggeratiùs dixit Strommatæus. Exinde omnes theses ad mores fabricatæ, ex aliquo depromuntur Bibliorum loco, iuxta sensum saltem moralem, ex Veterum præcipuè expositione. *Porro non amplius inueniri licet, quam quod à Deo discitur. Quod autem à Deo discitur, totum est.* Hinc animi votis augurari mihi liceat, quod fortè per me Concionator fiet *perfectus gnomon veritatis*, hoc est, in erudienda, & monstranda virtute profectus horologij radius. Et Christianus populus imitatione sequens datam per Deum scripturam, (cuius verba crebrò excipit auditu) ad cœlestis *Magistri imaginem* reducatur, efficiaturque velut quidam terrenus *Deus in carne versans* Deus ne qui minutum æs ab anili pietate lubens in gazophylacio acceptat; is erit, qui litteraria Scriptuarum donatiua repudiet? *Est autem gazophylacium* (inquit Origenes) *locus numismatum in honorem Dei oblatorum. Numisma autem sunt diuina verba, imaginem Regis magni impressam habentia. Vnusquisque autem conferat in ædificationem Ecclesiæ portans ad intellectuale gazophylacium quicquid potest ad honorem Dei, & communem vtilitatem.* Ex voto alienæ *vtilitatis*, velut ex officina hæ theses cuduntur quin & ex proprij profectus desiderio.

Qui Scripturis vacat, fit velut quidam Deus in carne versans.

Clem Alex. §. 7. Strom. c. 9.

Tertul. de Anim c. 2.

Scriptura est gazophylacium, vbi numismata Deo impressa seruantur.

Orig tom. 18 in c. 8. Ioan.

3. Semper enim verum est illud Clementis Alexandrini dogma: *Docens aliquis plus discit, & docens sæpè vna audit cum iis, qui ipsum audiunt. Vnus est enim Magister, & eius qui discit, & eius qui audit: qui & mentem irrigat, & rationem.* Egregium te oratorem puta, si tibi ipsi, quod alios doces, persuaseris. Fallor nisi idoneam scribendi materiam, & scribendi incentiuum præscribit Seneca, ita scribens: *Hæc aliis dic, vt dum dicis, audias ipse. Scribe, vt dum scripseris, legas: omnia ad mores, & ad sedandam rabiem affectuum referent. Stude, non vt plus aliis facias, sed vt melius* Disertissimè pariter, ac moralissimè! Ergo docens aliquis, à se etiam discat. *Non omnibus dictum* (ait Strommatæus) *Vos estis sal terræ. Sunt enim aliqui ex his, qui verbum audiunt, & tradunt, marinis piscibus similes, qui cum ab ipso ortu in salso nutriuntur, salibus tamen ad condiendum indigent.* O caue, ne tibi desit, quod à te exundat in alios! De quo alibi.

Clem. Alex. lib. 1. Strom. c. 1.

Docēs aliquis à seipso etiam ipse discat.

Seneca Epist. 90.

Strom. 1. c. 1. Matth. 5. v. 13

4. Pergit magnus hîc Doctor, & aliam nobis scribendi rationem offert: *Putei*, inquit, *qui exhauriuntur, emittunt aquam magis limpidam, ac perspicuam, corrumpuntur autem hi, quorum nullus particeps.* Viderint Doctores, ne corrumpant eruditionem, quam in se ipsis stagnantem squalidè detinent, auari sapientiæ dispensatores. Seruus qui pecuniam domini sui otiosam in sudario reponit, nec lucris intentiùs studet, furacitatis arguitur. Arguté Petrus Damianus: *Thesaurum Andreas reperit, gaudes aliis prodere, furtum reputat illum sine consortibus possidere.* Sublimissimè, opinor, Ennodius rem tetigit, dum mutas existimat voces, quæ Dei gloriam non loquuntur. *Parili*, inquit,

Clem. Alex. 1. Strom. c. 1.

Corrumpitur sapientia, cuius nullus est particeps.

Petr. Dam. Serm. 57. *Mutus est, qui quod loquitur Deo non reddit.*

Ennod in Bened cerei. 1.
Matth. 5. v. 14.
Baruch. 3 v. 35.

iudicio cenſendus eſt , & qui nunquam loquitur per naturam , & qui quod loquitur non reddit Auctori. Nempe Eccleſiæ Doctores , qui à Chriſto Deo audiunt: *Vos eſtis lux mundi*, ſiderea fulgorum lingua *luxerunt ei cum incunditate.*

Orat. ep 20.
Macrob. lib. 2. in Som. Scip
Seneca epiſt. 53.

5\. Hinc moralium theſium tractatoris vana gloria egregiè vapulat. Dicat quiſque ſibi : *Non ego ventoſæ plebis ſuffragia venor.* Porro ſcriptionis, ſicut, & *virtutis fructum ſapiens in conſcientia ponit, minus perfectus in gloria*, ait Macrobius, & Seneca : *Ad res auditores commoueantur, non ad verba compoſita: alioquin nocet illis eloquentia, ſi non rerum cupiditatem facit, ſed ſui.*

Eloquentia rerum cupiditatem faciat, non ſui.

Magnum planè ſudatæ diu ſcriptionis emolumentum, quod ingenij acumen, & facundiæ peritiam , gloriolæ inanis aura ſcriptor euentilet, & audientium admirationem ædificet! Argutè ille quicumque, *Malus eſt vocandus, qui ſua cauſa eſt bonus.* O time has ambitionis nugas! nam admiratio timori adfinis eſt, vt ol m noue dixit Alexandrinus Clemens: *Timor*, inquit, *eſt inſignis admiratio.* Timebis autem niſi rideas ad ridentem, & admirantem populum: nam ſtudia tua *ſi adeo placuerunt* , (ait Lactantius) *nihil amplius quam inanem fauorem, paucorumque dierum fabulas aſſequentur*: quas benè iuuenis Perſius aduncis naribus lacerat , Chriſtiano ſumptuoſiùs cothurno ſic pangens:

Publ. Mim.
Timor, eſt inſignis admiratio.
Clemens 2. Strom c 4.
Quam ſit futilis gloria inanis.
Lact. lib. 6. diuin. inſtit. c. 11.
Perſ Satyr 1.

At pulchrũ eſt digito mõſtrari, & dicier: Hic eſt.
(opinatiſſimus ſcriptor inquam)
—— an erit qui velle recuſet.
Os populi meruiſſe, & cedro digna locutus.
Linquere, nec ſcombros metuentia carmina , nec thus ?
Non ego cum ſcribo, ſi forte, quid aptius exit,
Quando hæc rara auis; ſi quid tamen aptius exit,
Laudari metuã, neq; enim mihi cornea fibra eſt:
Sed recti finemque extremum eſſe recuſo.
Euge tuum, & bellè, nam bellè hoc excute totum,
Quid non intùs habet?

Beda in Luc. c. 8. tom. 5

6\. Beda in cap. 8. Lucæ ita ſcribit : *Sæpe deſidioſus ingenium accipit , vt de negligentia iuſtiùs puniatur , quia quod ſine labore aſſequi potuit , ſcire contemnit , & nonnunquam ſtudioſus tarditate ingenij premitur.* Studioſus ingenio hebes, & truncus, his forſan lucubratiunculis dedolabitur , & deſidioſus ſubtilitate præſtans, bibliothecæ compendium fortè reperiet, ne de ſolo magnæ bibliothecæ ſuggeſtu ſibi blandiatur, & caſſam eruditionem inaniſſimè eructet. *Plurimos libros emiſti* (ait Iſidorus Peluſiota) *& opinione locuples es , eorum lectionem ignoras ...... librorum corruptor , aut librorum ſepulchrum , aut tinearum alter appellaris.* Siue ſtudioſos, & rudes, ſiue acutos , & deſidioſos clancularia mendicitate audimus compendiariam moralium theſium eruditionem ſubpoſtulantes: *Huius nobis teſſeras date* , linguato ſilentio aiunt. *Et accipientes murmurabant.* Quò latè ſparſa ſcriptoris dictio, quo contractior? aliquid hic deſidero acuminis; non vidit, non expreſſit ſubtilitatem plus intelligendum eſt , quàm legendum. Et his ſimilia ſexcenta conuitia, quo ſibi vendicent acumen , quod in alio inuenerunt , & inuentum acceperunt. *Et accipientes murmurabant* ambitioſa hoſtilitate. Penſiculatè admodum Strommatæus : *Sicut homo componitur ex contrariis , nempe ex calido, & frigido , humido, & ſicco : ita etiam ex iis qui dant , & ex iis qui accipiunt.* Arrogantiæ eſt , foris nauſeare ad id, quod animitùs hias. *Qui fugiebat rurſus præliabitur*, inquit ex Demoſthene Tertullianus.

Ingenioſus , deſidioſus eſt; tardus verò ſtudioſus.
S. Iſid Peluſ. lib. 1 ep. 127
Sapiens à magna duntaxat bibliotheca.
S. Naz orat 4
Matth. 20. v. 11.
Is qui dat, eſt cõtrarius eius, qui accipit.
3. Strom c. 5
Tertul de Fuga in perſ. c. 10.

Ennod lib. 1. epiſt. 1.
Quodcumque ſenſeris , ne putes eſſe rationem.
Tertul aduerſ. Prax c 5.
Cur timendum eſt , librum ſcribere.
Ennod ſup.

Ego noctem conſcientiæ meæ , etſi non fugio, noui tamen æſtimare. (Ennodius) *graues hiatus patitur aliena gratia commiſſa credulitas.* Dum quiſque de aliena eruditione , non tam mentis propoſito , quàm propoſiti libidine cenſet : dictumque ſibi putant illud Septimij: *Quodcumque cogitaueris, Sermo eſt ; quodcumque ſenſeris , Ratio eſt* , & aut ægrotabit , aut ſanus erit ſcriptor : *ad omnem ſenſus tui pulſum.* Exinde idem Ennodius ſuo Ioanni præmaturè ſcripturienti , & timorem excutere , & pudorem reſecare feſtinat , aiens: *Timere te ſcriptionem, quaſi fronte tener , inſinuas, dum declamationum pompam refuga laudis depoſcit aſſertio , & fit auara gloria , dum pudori parcere ſe oſtendit.* Nimirùm nouellus ſcriptor altum mare enauigare parat verbis in ſtatione compoſitis, & dum ſcriptionis cymbam eruditionis, & facundiæ mercibus onuſtam , inter aurium, & oculorum ſcopulos rector diligens frenat , & curſum artificem fabricatus trutinator expendit; irrequieta ſedulitate naufragium timet , dum *pelagus plebis* cum Nazianzeno videt, quo tot ſorbentur ingeniorum nauigia. Quin & ſciolus quiſque pro frequenti *plebe* eſt , cui dicere poſſis, quod Claudius Marius modulatè aliorsùm pangit : *Ne ſolus videare tibi : innumerabile vulgus tu mihi ſolus eris.* Appoſitè Sidonius Apollinaris ſuo Conſtantino obnixè poſtulanti lucubrationum ſuarum meritiſſimam euulgationem, ſic reſcribit : *Quamobrem nos nunc perquam heſitabundos in hoc deinceps famæ pelagus impellis.* Prudenter Apollinaris , tametſi amicos habebat fautores, & laudatores , in re ſcriptionis timet famæ pelagus , nec eorum beneuolentiam putat anchoram ſatis tutam. Nam arctiori amicitiæ ſatis eſt explere illud parœmiæ dogma : *de amico non loquaris malum, ſi cogites.* Porrò amicitia , ſicut ambitio , non loquitur quod eſt, ſed quod ſubeſt : exinde labat fides , non valdè ſolidis fulta ſuſtentaculis. Et ſanè bonitatis ſermo, qui ab ambitioſo amico dari potuit auferri poteſt. Vices cum beneuolentia , aut ambitione hæc officioſitas reciprocat. O *ex hominum quæſtu facta fortuna eſt Dea* : ſed quæſtu ceſſante numen deponit. Res ipſa citiùs , latiùs, & veriùs de opere loquitur , quàm quæſitus fauor. Dubiæ fidei eſt illud Plinianum : *Neque enim ait, cuipiam tam clarum ſtatim ingenium eſt , vt poſſit emergere , niſi illi Fautor , Commendatorque contingat.* Licet rei Auctor fautores, & commendatores egregios quærat, eos tamen res ipſa duntaxat inuenit. Oculis citius quàm auribus credimus. Hæ cauſæ , tot neglectis periculis , ad moralem ſcriptionem vrgent. *Quid enim tam malignum, quàm nolle prodeſſe cum poſſis?* inquit Tertullianus. Iam de theſium ſoliditate, aut ſubtilitate agendum ſupereſt , ne diſcurſus, aut infrugiferæ ſubtilitatis, aut ruſticantis ſimplicitatis reus videatur.

Quilibet eſt innumerabile vulgus?
S Naz orat. pro Baſil.
Claud Mar: lib 3 Poëm. in Geneſ.
Sid Apollin. lib 1 epiſt. 1.
Laus facit homines emergere.
Tertul. l. 1. contr. Marc. c. 22.

---

§. III.

In Concionatore , & moralium theſium ſcriptore , mera ſubtilitas vituperatur ; ea verò vtiliſſima eſt , quæ effectu apparet, habitu latet.

Tert. l. 1. cõtra Marc. c. 10

1\. TErtulliani pulchra vox eſt : *Fides Prædicantium quorundam vera , ideſt , ſimplex ; quorundam*

rundam nimis docta. Nimis docta quaſi antitheſis falſitatis ponitur, quando acumina ſterilibus argutiis negotiatur. Exſuccæ autem ſubtilitatis natales ſunt, aut bitioſè mentita Bibliorum,aut Patrum loca, luxatis compagibus aliorsùm deflexa,ſenſu ſæpè reluctante,ſæpiùs non adnuente,ad inanem acuminis oſtentationem. *Carnales mentis homines ſcandalum patiuntur, non ſtudio noſtenda, ſed fruſtranda veritatis*, ait S. Zeno, ſcilicet ſæpè concionatores, & moralium theſium ſcriptores; *Scripturas vndique percurrentes, dictiones captantes, vocculas inueſtigantes, nunc vbi quaſdam inueniunt ſyllabas*,quæ ſubtilitatem negotiari queant, eas vtcumque ad mores ſternunt, & ædificant, vt celſior fabrica ſumptuoſiùs faſtigietur. Forſan alicubi non verentes *adulterare veritatem* audaciori ſenſu.Quod & antiquis Philoſophis dixit Tertullianus: *Vera quaque, aut aliunde commendant, aut aliorſum ſubornant, cum maxima iniuria veritatis, quem efficiunt, aut adiuuari falſis, aut patrocinari.* Theophylactus exponens illud Marci 1. *Erat autem Ioannes veſtitus pilis cameli, & mel ſylueſtre edebat*, ita hunc locum myſticè commentatur: *Et melle quidem veſcebatur populus, quod erat ex apibus natum, ſcilicet ex Prophetis; non tamen domeſticum, ſed ſylueſtre. Habebant enim Scripturas Hebræi, ſicut mel quoddam, ſed non bene intelligebant.* Quiſquis ad ſubtile acumen totus,ſenſum nimis torquet; mel quidem Scripturarum propinat,nõ domeſticum, politum,& vrbanum;ſed rude,& ſylueſtre.Mel offert,propter melleam Scripturarum gratiam; ſed à ſenſu ad acumina diſtorto,mel ſane rude,& ſylueſtre. Nam qui non intelligens Scripturam,illam auditoribus exponit;mel ſylueſtre edendum proponit. Putat ſtillare fauos de ſubtili ingenio, & mellito eloquio; & merum mel ſylueſtre propinat.Niſi malis,eiuſmodi ſubtilitatis, quibus ſenſus Scripturæ torquentur, eſſe Scripturarum carnifices.Illud Matthæi 23. *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti*, &c. Sic allegoricè Origenes exponit: *Effuderunt etiam aliqui veritatem Scripturarum, quaſi ſanguinem earum: quia omnis Scriptura niſi ſecundùm veritatem intelligatur, mortua eſt.* Hæc inibi elegãter Origenes. Hæ ingeniorum argutiæ, aures demulcent, non excaudicant vitia; palato adulantur, non ſunt nutrimento ad virtutis ſaginam. Sicut *nemo vnquam animam mulſam aquam de eloquio Platonis infudit, aut micas de multiloquio Ariſtotelis infarſit*: ita arguta Tertulliani ſententia,ſubtilitatum grauida; aut electus Scripturæ locus, ad eructandam ſubtilioris ingenij facundiam,fabricatus, perperàm cadaueroſæ vitiis animæ propinatur: quæ macies virtutum eſt,& vanæ gloriæ electus cibus. Heu! *Vnde iſta tormenta crucianda ſimplicitatis, & ſuſpendenda veritatis?* inquit Septimius. Noſtræ ætatis putatur hoc vitium,ſed eodem næuo Senecæ ætas denenuſtatur. Diligens,& attentus expende huius diſertiſſimi Philoſophi verba, quibus rem hanc apprimè deſcribit: *Quare quibuſdam temporibus prouenerit corrupti generis oratio, quæris; & quomodo in quædam vitia inclinatio ingeniorum facta ſit, vt aliquando inflata explicatio vigeret?* (pergit ad rem opportuniùs) *Quare alias ſenſus audaces, & fidem egreſſi placuerunt, aliàs abrupta ſententia, & ſuſpicioſa; in quibus plus intelligendum eſt, quàm audiendum?* Fallor niſi concionatoria quorundam nunc acumina, & præproperè Seneca euulgat,& peritè damnat,adeò vt de concionatorio nunc acumine ferè dicere poſſis, quod de Hiſtoria dixit Polybius: *ab Hiſtoria* (à conceptu etiam morali) *ſi quis auferat: Quare, Quomodo, Quo fine quid ſit actum, & an ex ratione factis ceciderit; quicquid in ea reliqui, id magis ludicrum erit, quàm doctrina.* Et ſanè cùm de Deo eſt ſermo,mirum non eſt, orationem antitheſibus plenam eſſe: ſic enim Hermes definit Deum: *Ipſe eſt,& quæ ſunt,& quæ non ſunt.* Quo ſenſu? addit: *Nam & quæ ſunt aperuit, & quæ non ſunt, habet in ſeipſo.* Sophiſmatis adſimilibus res moralis hodie agitur. Adeò vt propè dicere poſſis,quod de Odouacre dixit Ennodius: *Succiſſa eſt Odouacris præſumptio, poſtquam eum contingit de fallacia non iuuari.* Heu Concionator hodie libripens verborum, & rerum factus eſt; ſed aliquando *trutina mendacij* (vt loquitur Saluianus) rem aut minuit, aut exaggerat, & ingenij nubilo obſcurè tenebrat. *De quorum ingeniis omnis hæreſis animatur*, ait Tertullianus, *& de ſecus ſuum ingenio obumbrant.* De quibus proculdubiò dixit Ennodius: *O homines omni artis lima compoſitos, & caminis fabrilibus ex octos, qui ad ſtipulationem dictorum deſudata inuenere teſtimonia!*

> S. Zeno de Concſ. ſer. 3.
> *Exſucca ſubtilitatis natales.*
> Baſil Seleuc. Orat. 32.
> Clement. 7. Strom. c. 10.
> Tertul lib. de Anim c. 2.
> *Veritas,quæ à falſis adiuuatur falſis patrocinatur.*
> Marc. 1. v. 6.
> Theoph ibi.
> *Tormenta ſuſpendenda veritatis.*
> Idem ſuprà c. 18.
> Seneca epiſt. 115.
> *Ambitioſior, & ſumptuoſior eloquentia: ſenſus audax,& fidem ſupergreſſus.*
> Polyb lib. 3. Pœmõd c. 5.
> *Subtilitatum nunc de fallacia iuuantur.*
> Herm. apud Lipſ in Polit. *Deus eſt, & quæ ſunt, & quæ nõ ſunt, dixit Hermes*
> Ennodius in Panegyri.
> Saluian lib. 4. de guber. Dei.
> Tertul. l. 1. aduer. Marc. c. 13.
> Ennod in libello, &c.

Idcircò S. Petrus de cœli ſchola eruditus, in 1. canonica agens de doctrina ſub idoneo lactis vocabulo, ſeriò nos admonet: *Rationabile ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis ad ſalutem.* Quem locum Hieronymus,& Auguſtinus ſic exſcribunt, & exponunt: *Logicum ſine dolo vel ſophiſmate lac concupiſcite.* Doctrinam ſine dolo aut ſophiſmate, ne argutis paralogiſmis illudamur. *Prouideri debet* (ait Seneca) *ne res nos, non verba decipiant ...... ſic iſta ſine noxa decipiunt, quomodo præſtigiatorum acetabula, & calculi, in quibus fallacia ipſa delectat.* Eruditè tradit Clemens Alexandrinus, quòd *Plato malam artem appellauit ſophiſticam, & eum ſequens Ariſtoteles, eam quandam furandi artem pronunciauit*: nam dum mentem ſubtilitate ludificant, rei ſententiam incautis ſuffurantur. Pulchrè S. Irenæus: *Error enim, inquit, ſecundum ſemetipſum non oſtenditur, ne denudatus fiat comprehenſibilis; ſuaſorio autem operimento ſubdolè adornatur, & ipſa veritate (ridiculum eſt dicere) veriorem ſemetipſum præſtat, vt decipiat exteriore phantaſmate rudiores. Quomodo lapidem pretioſum ſmaragdum magni pretij, apud quoſdam vitreum in eius contumeliam per artem aſſimilatum, quoadvſque non adeſt, qui poteſt arguere*, &c. Vnde dixit Chryſologus: *Philoſophiam fingunt, vt faciant plus neſcire homines plus quærendo.* Nimis verum eſt illud Comici: Næ intelligendo faciunt, vt nihil intelligant.

> 2.
> 1. Pet. c. 2. v. 2.
> S. Hieron in Zachar. 10.
> S Aug lib. 50 hom 2.
> Seneca epiſt. 45.
> *Sophiſtica ſubtilitas ſuffuratur veritatem.*
> Plato apud Clement 1. Strom c. 4.
> Ariſt. ibi.
> S Iren in Præfat. ad lib. 1.
> *Error ipſa veritate videtur credibilior.*
> S Chryſ. ſer. 16.

Verùm internoſcere oportet, quænam ſubtilitas damnanda ſit, & quæ reatu abſoluenda. Scitè enim admonet Seneca: *Nihil eſt iniquius his qui nuſquam putant eſſe ſubtilitatem, niſi vbi nihil eſt præter ſubtilitatem.* Nihil ſubtiliùs aranearum tela, ſed nihil inutilius. Pergit idem Philoſophus conſultiſſimè ad rem: *Neſcio an maximum ſubtilitatis vitium ſit, nimis ſe oſtendere (magis nocent inſidiæ, quæ latent) vtiliſſima eſt diſſimulata ſubtilitas, quæ effectu apparet, habitu latet.* Profectò etſi nihil tam futile, ac friuolum ſit, quàm morale aſſumptum,in quo *nihil eſt præter ſubtilitatem*: ita vbi ſubtilis ſpeculatio, quæ altè cogitando euaneſcere (vt bullæ) videbatur, protinùs coaptatur, vel concraſſatur ad mores;& moroſiùs aut

> 3.
> Seneca in Prol. decl.
> *Non eſt ſubtilitas, vbi nihil eſt præter ſubtilitatem.*
> *Subtilitas effectu appareat habitu lateat.*

aut informat bonos, aut reformat malos; hos tundit, illos mulcet; non idoneum censeri debet: nam iam *vtilissima est dissimulata subtilitas*, quæ concinnè in mores conuiscerata, *effectu apparet, habitu latet*. Neque enim Christiana Philosophia est obtusa, hebes, rusticana, agrestis; neque renunciauit ingenio. Lege Zenonem Veronensem, Carthaginensem Cyprianum, Mediolanensē Ambrosium, Gregorium Nazianzenum, Basilium Seleuciensem, Paulinum Nolanum, Ennodium Ticinensem, Emissenum Eusebium, Saluianum Massiliensem, Toronensem Hildebertum, Laurentium Nouariensem, Tauriensem Maximum, Rauennatem Chrysologum, vt interim Tertullianum, Arnobium, Minutium, Sidonium Apollinarem, & Cassiodorum omittamus cum aliis sexcentis, qui cultioris ingenij, & eloquij lima, mores Christianos cultiores reddidere. Horum quisque, hanc *accidentiam spiritus passus est*, vt morum substantiam reformaret.

Audientiam subtiloquētia plures ex optimis viris passi sunt.

Tertul. de Anima. c. 11

4. Clemens Alexandrinus de suo Magistro Panteno, eruditione, & sanctitate in paucis opinatissimo, sic fatur: *Sicula re vera apis, Prophetici, & Apostolici prati flores decerpens.* Biblicos flores, velut topiarias delicias, quibus legentium, audientiumve mores amœnaret, spirabat Pantenus. Et Eusebius Emissenus de symboli sententiis, ita scribit: *De magnis ergò eminentiora præsumpta sunt: quomodo si quis pictor egregius ex multarum pulchritudine personarum, ex plurimis speciebus speciosa deflorat, ac diuersas vultuum gratias in vnam faciem colligat, & de precipuis precipua eligat, vt vnam ex pluribus formam artificis dispositione componat.* Non enim damnatur pulchra amœnitas, sed sterilis, & ieiuna inutilitas. *Eleuatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuersa irrigabatur, sicut paradisus Domini, & sicut Ægyptus venientibus in Segor. Elegitque sibi Lot regionem circa Iordanem.* Peramœna Sodomorum arua Lot elegit, vtilioribus Abrahamo relictis, ad quæ verba sic fatur Ambrosius: *Diuersa hominum ingenia sunt alios vtilia, alios amœna delectant. Infirmior amœna eligit, vtiliora fastidit.* Peccat, peccat quidem qui solam amœnitatem sectatur; non qui amœnam subtilitatem pulchrè ad profectum destinat. Sapienter ad suum Lucilium Seneca: *Sicut illud probo, quòd omnia* (quantumuis subtilia) *ad aliquem profectum dirigis, & tunc tantùm offenderis vbi summa subtilitate nihil agitur.* Tunc concionator auditorum profectum, suæ famæ pretio nundinatur, nimis gloriæ auarus, cùm amœnitas subtiloquentiæ eligitur, vtilitas fastiditur; nondum subtilitas vtilitatem maritat. Concionatores tantùm habent superuacui, quantùm ab vtilitate recedentis.

Clem. Alex. 1. Strom. c. 1. *Ex Apostolicis pratis decerpendi sunt flores.* Eus eb. hom. 1. de symb. *Ex plurimis speciebus speciosa quæque Concionator & Scriptor deflores.*

Gen. 13 v. 10 & 11.

S. Ambr. lib. 1 de Abrah. *Infirmior Lot amœna eligit vtiliora fastidit.* Seneca epist. 115. *Summa subtilitate nihil agitur.*

5. Profectò olim & nunc concionatorum ingeniis ac linguis, compedes iniicere nemo eualuit: res enim parænetica licentiùs excurrit, & liberiùs quàm exegetica vagatur: *Siue hæc vera sint, siue falsa*, (ait Nazianzenus) *veritatem in figmentis obiter demonstrantia.* Et quò vniuersatim appareat quàm sit discincta, & laciniosa res concionatoria, peritè addit: *Atque hæc nobis ad vos breuiter dicta sint, non Aristotelico modo, sed piscatorio; non improbè, & veteratoriè, sed simpliciter; non circumforaneè, sed concionatoriè, & Ecclesiasticè; non ambitiosè, sed fructuosè.* Non adulterat veritatem, qui in morali thesi, non loquitur Aristotelice, sed *concionatoriè*. Nulla sensus literalis læsura, moralis sensus ad omnes pietates spatiosè vagatur, concionatorio priuilegio. Consule Chrysologum, Rupertum, Hugonem, Glossā vtramque, & quotquot laxatis doctrinæ habenis res morales vberiùs pertractant. Locorum struem possemus hic densè adaggerare. Eruditus quisque id probè noscit; ineruditus credat, & precariis mendicitatibus victitet. S. Augustinus disputans contra Faustum Manichæum, qui magna ex parte suspiciens, & suscipiens Euangelium, quædam repudiabat loca, quasi inidonea; quia erant à suo genio, sensuque aliena. Ergo eum Augustinus his verbis in angustum deducit: *Apertè dicite non vos credere Euangelio: nam quia in Euangelio non nisi quod vultis creditis, vobis potiùs, quam Euangelio creditis.* Ius illud quod hæretico priuilegio sibi Faustus vendicabat, æmulari videtur, quisquis expositionem litteralem, allegoricam, moralem, anagogicam, accommodatitiam, quæ illi non arridet; tāquam reiectaneam relegat, & culpat, quasi Scripturarum arbiter, Bibliorum exponendorum ius arrogat sibi; nec, nisi de eius nutu possit vllus locus ethicè adaptari, & morum reformationem augurari. Illud Geneseos 44. quod Iosephi œconomus dixit ad eius fratres: *Scyphus, quem furati estis, ipse est, in quo bibit dominus meus, & in quo augurari solet*, ita flectit Strabus Fuldensis, in re morali tractanda disertissimus: *Vos*, inquit, *detulistis scyphum Domini mei, in quo augurari solet. Scyphus est diuina scriptura, vbi est potus sapientiæ, in hac auguratur sapiens.* Et sanè si latinissimis credimus, *Augurium est auspicium siue auctoritas rei benè gerendæ.* Igitur si Scripturæ locus eum sensum capit, & idoneè mores ædificat, quid vetat inde ethicè velitari, & in *Scripturæ scypho*, & vitiorum ruinam, & virtutum profectum faustè augurari? est enim augurium, *auspicium siue auctoritas rei bene gerendæ*, addit Philo: *Quin & omnibus probis viris Sacra Scriptura prophetiam tribuit. Nam Propheta nihil ex se proloquitur, sed omnia submonente alio; malum autem virum non est fas esse interpretem numinis.* Et sanè, vt doctè definit Clemens Alexandrinus, *Hæresis est dogmatum inclinatio*, qua praua inclinatione Hæretici, fidei *veritatem adulterant, corrumpunt, vel potius defodiunt*, non subtili ad mores flexura, quæ pietatem acumine negotiatur, qua optimi quique Ecclesiastes olim & nunc strenuè ludunt.

S. Naz. Orat. 45. *Veritas in figmentis demonstratur.* Idem Orat. 10. *Cōcionatoriè agere licet.*

Qui in Euāgelio quod vult tantum credit, sibi potiùs credit.

S. Aug. lib. 19 cōtra Faust. c. 7.

Scriptura est scyphus, in quo Concionator mores auguratur. Gen 44. v. 5

Strab. in Matth. c 1.

Calep. verbo *Augurium.*

Philo in lib. *Quis rerum diuin. hær.* *Hæresis est dogmatum inclinatio.* Clem. Alex. 8. Strom c. 3. Idē 3. Strom. c. 3.

6. Ioannis 21. *Sunt & alia multa, quæ fecit* IESVS: *quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse, qui scribendi sunt libros*, ad quæ Euangelistæ verba ita scribit Augustinus: *Quamuis salua rerum fide, plerumque excedere videantur fidem.* Animosè quidem ecce tibi *quæ alias sensus audaces, & fidem egressi placuerunt, alias abrupta sententia, & suspiciosa; in quibus plus intelligendum est, quam audiendum*, quod nuper ex Seneca recitauimus. Porrò *salua rerum fide, plerumque verba excedere videntur fidem.* Hæc Augustinus. Sed cautè subdit Ennodius: *Me necesse est illos metuere, qui rancido respicientes cuncta neglectu, etiam edecumata condemnant.*

Ioan 21. v. 25.

S. Aug. tract. 124. in Ioan. *Concionatoria acumina salua fide fidem excedere videntur.* Seneca epist. 115. *Criticorum rancidus neglectus.* Ennod lib 3 epist 5.

7. Nollem tamen, vt concionator, aut rei moralis scriptor, thesim parum verosimilem, nec sibi ipsi satis cohærentem, adstruendam assumat; quæ semper audientium, legentiumve renutu excipitur. Quis (esto verùm fuerit) non rideat, dum audit Xerxis copias per Helespontí mare pedibus iter confecisse; & in Otho monte nauigasse, quasi solum foret salum? Qua super re ita scribit

Nulla inducatur thesis parum verosimilis.

Na

S. Nazian. Orat. pro Basil.

Nazianzenus: *Noua quædam terra, & nouum mare audiebatur nemi illius opificis, & exercitus in continenti nauigans, & rursum pedibus mare peragrans. Abrepta item insula, & male verberibus cæsum: cæteraque omnia, quæ vesani exercitus ducisque haud dubium argumentum erant. Ignauis quidem formidabilia, fortibus autem ac firmioris animo præditis, stulta & ridicula* Infortunata est veritas, quæ per ardua quasi per errorem incedere cogitur. Verum est illud Zenonis: *Spiritus sancti lima acuminatos constituit viros Apostolicos,* adæquè tamen verum: *Manifestissimum puto nimis acuto esse simplicem meliorem.* Porrò nimia subtilitas, & quæ pro ingenij libidine thesim moralem versat ambitioso flexu; rem seriam faciet ingeniosam, sed ridendam fabellam, quantumuis aliqua veritas specie tenus eam coloret. Hanc fabulam facetè concinnauit Tertullianus, verè narrationis flexuras moralissimè decachinnans: *Quid cessas*, inquit, *totum ordinem Christianæ concussionis ad superna transferre? Erit certe carcer in cælo carens sole, aut in ingratè luminosus, & vincula fortasse de zonis, & culeus axis ipse torquet: nū si lapidandus Christianus, grandine aderunt: si vrendus fulmina præ manu sunt: si trucidandus, orionis armati manus operabitur: si bestiis finiendus, vrsas Septentrio emittet, Zodiacus tauros & leones: Hac qui sustinuerit in finem, iste erit saluus.* De veritatis medulla ludit in perspicuè falsis. Et in lib. de carne Christi ita facetè scribit: *Sed nec circumcidatur infans* IESVS, *ne doleat: nec ad templum deferatur, ne parentes suos oneret sumptu oblationis: nec in manus tradatur Simeonis, ne senem moriturum exinde contristet. Taceat, ne anus illa fascinet puerum.* Quid tam subtile? sed quid tam ridicularié inutile? vrile tamen ad Ironiam.

S. Zeno ser. de Circumcis. Idem ser. de Fide.

S. Aug. lib. 19 cōtra Faust. c. 7.

Tertul. adu. Gnosticos cap. 1.

Idem lib. de Carne Christi, c. 2.

Sed heus tu, quis es, qui ita subtilitatem vendicas? an tanquam rem propriam? ecquis te in subtilium adlegit collegium? vltrò is genio ambitionis, non eò rogatus venis. Ego sanè meæ tenuitatis bene gnarus, nunquam studui in fœcundis subtilitatibus grandescere, (qui timor, non magnitudo foret) sed ruditatem infimissimam declinare; & inter summa & infima, mediam tenere viam in suadendæ virtutis itinerario. Nisi fortè hinc summis vicinari videar: nam vt argutè Philo. *Medius semper ad summitatem festinat.* Exindè forsan apud inuidos, aliorum est *Acerba mediocritas.*

Medius semper ad summitatem festinat.

Phil. lib. de Nomi. mut. Tertul. in Scorp. c. 1.

§. IV.

In Concionatore, & moralium thesium scriptore, requiritur ad suadelam elegantia morum, ne faciat solœcismum in opere.

1\. PRofectò quisquis verbo aut scripto morum tractat pædagogiam, rectè dici posset, *schola virtutum, vita morum, lingua fidei*, specimen Euangelij, *logotheta* diuinitatis, Ecclesiæ Argus, veritatis Magister: in quem apprimè quadrat illud Petri Damiani: *cuius schola est in terris, & cathedra in cælo*: è cuius ore *omnes vaporantis fidei feruore succensi*, ad omnes sanctitates inflammentur. O verborum hodie niues! Origenes ad illud Christi Dei: *Nudus eram, & cooperuistis me*, ita scribit: *Christo algenti teximus vestimentum, accipientes sapientiæ texturam.* Sed vereor ne cultioris sapientiæ vestibus magis algeat Christus amictus vestium nuditate. Quin & concionatorius sermo, imber aliquando est theatricæ garrulitatis, non gratiæ pluuia, & vitiorum diluuium. Quasi inuisum foret prodigium, de palustri Ægypto dixit Gregorius, *Ægyptum omnis locupletem reddit, è terra pluens.* O monstrum! Concionatoris lingua, non semper è cœlo, sed aliquando *e terra pluit*? Profectò nisi cœli viam tibi sternat, & monstret Concionator, propè *clausum est tibi totum itinerarium Dei*, quod Petrus Damianus aliorsùm monuit. Heu Concionatoris enormiter *peccat peccatum*, dum personale vnius delictum fere proscribit vniuersos! venundati sumus sub vnius *peccante peccato*, & sceptrum exactoris eius exaltatum, si desit qui exundaotia delicta serio redimat ore. O! quem audire debuissemus *gratiam spirantem Apostolicam*, theatricas argutias concionè modulantem aliquando audimus. Causam hìc paucis dabo.

Petr. Dam. ser. 1. & 28.

Idem ferm. 58. & 16. *Concionatoris schola est in terra, & cathedra in cælo.*

Math. 25 v. 36.

Orig. apud Caten. ibi.

S. Greg. Naz. Orat. 24

Concionator è cælo, non è terra perueniens plua.

P. Dam. ser. 61.

Hild ep. 56 *Si erret Concionator, clauditur totum Dei itinerarium.*

Seleuc. Orat. 23

Concionator gratiam spiret Apostolicam.

2\. Prouerbium apud Græcos est, inquit Seneca: *Talis hominibus fuit oratio, qualis vita. Quemadmodum enim vniuscuiusque actio dicenti similis est, sic genus dicendi aliquando imitatur publicos mores. Sed disciplina ciuitatis laborauit, & se in delicias dedit, argumentum est orationis lasciuia: si modo in vno aut altero fuit, sed approbata & recepta. Non potest alius esse ingenio, alius animo color. Si ille sanus est, compositus, grauis, temperans, ingenium quoque siccum ac sobrium est. Illo vitiato hoc quoque afflatur.* Sterilis est non bona Prædicantium vita, quæ verborum niues pluit, iuadalæ infœcundas. De quodam suæ ætatis Monacho ita S. Paulinus scribit: *Quem quidem primò, minime monachali caliga, & veste mirati: cum præterea facie non minus quam Armilausa rubere, parum spiritualibus buccis.* In Concionatore Christiano cultior vestium ornatus, strictior calceus, qui pedem vrit, & *parum spirituales buccæ*, non valde iuuant ad austeræ virtutis suadelam, qui non tam exteriori cultu, & concinna verborum subtilitate modulatis structa, *quam morum elegantia* (vt docet Nazianzenus) & vitia animitus excutere, & virtutes medullitus suadendo inserere debet. Sic *reor per rem multa, quæ profligatis moribus adhibentur.* Parum refert frondea verborum, & acuminum luxuriantium subtilitas, quæ *tanquam inanis spica vacantibus culmis absque dilectionis medulla follescat.* Nam sit absit florida *morum elegantia, solœcismum facit in spica operis*, agresti & infœcunda suadela. Eleganter Saluianus: *Per Christianos tantummodo blasphematur Deus, qui bona dicunt, & mala faciunt.* Quid exaggeratius? *Animus curetur* (ait Seneca) *ab illo sensus, ab illo verba exeunt, ab illo nobis est habitus, vultus, incessus. Illo sano ac valente, oratio quoque robusta, fortis, virilis est. Si ille procubuit, cætera sequuntur ruinam. Rege incolumi, mens omnibus vna est: amisso, rupere fidem.*

Seneca epist. 115 *Talis hominibus est oratio, qualis vita.*

Parum spirituales buccæ Concionatorem dedecent. S. Paul. ep. 13

Concionator sit moribus elegans, ne faciat solœcismum in opere.

S. Nazianz. Orat. 1.

Ennod. in Natal. Laurent.

P. Dam. ser. 19

Bene dicere, & male facere, genus blasphemia est.

Salu. lib. 3 de gubern. Dei

Seneca epist. 115

3\. Nemo aliis nascitur moriturus sibi. Resonet frequenter illud Nazianzeni dogma in Concionatoris mente, & ore: *Neque tibi magis, quam mihi ipse viuo.* Imò qui sibi non strenuè viuit, aliis non bene viuit. Exinde ante dixerat magnus hic Doctor: *Organum diuinum ipse sum, instrumentum ratione præditum, instrumentum, quod à præclaro artifice, hoc est, à Spiritu-sancto concinnatur.*

S. Nazianz. Orat. 26.

Idem Orat. *Anima Concionatoris Christi est*

Hildeb. *natur.* In verbi Dei præconem apprimè quadrat illud Hildeberti: *Ius Christi anima tua est* O quam multa paucis! Procliue est hæc loca emedullare; sed mihi nunc perstrictim agenti, superuacuum. Et infra hac super re plura sparsim. Sententiosè Chrysologus: *Inhonora est dictio, quæ Dei facta, humana tantum expositione depromit*, ex humani sensus cupidine. Sic optat Tertullianus vt eruditus quisque sit, *Diuinæ potius sapientiæ studiosus, quàm suæ libidinosus.* Maneat ergo inconcussum, quod vigor oris ab opere mutuatur. Vel garrula lingua verbigerando obmutescit, nisi linguatæ sint manus, muta operis voce, ad suadelam potentissima. *Magnum per diuina ridiculum* (ait Ennodius) *vos alienis febri curam quæritis, vos fatiscenti animæ medelam adhibere cupitis, & in lethi proximitate positi, vestri immemores, de alterius salute tractatis.* De alterius salute frustrà satagit, qui suam negligit. Pulchrè Iuuenalis:

Vltra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt.

(S. Chrysol. ser. 95. — Tertull. de Resurr. carn. c. 32 *Ab opere est oris vigor.* — Ennod. in libell. aduers. &c. — Iuuenal. Satyr. 2. *Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt.*)

---

§. V.

Deteriorum visus in re litteraria hoc præstat, vt meliora inuenire adnitamur.

1. Modulatè ille quicumque:

Tabida consumit ferrum, lapidemque vetustas;
Nullaque res maius tempore robur habet.

Omnis litteratura *vetustate nobilis est*, dum *annorum suffragio* commendatur, & *æui purpura* splendet sumptuosiùs. Non enim dùtaxat rationis magnipotentia, sed etiam canæ antiquitatis *omnipotens auctoritas* (vt ex Strommatæo inquit Emisenus) sapientiam nobilitat. *Propositi quidem nostri est*, (ait Cassiodorus) *noua construere, sed amplius vetusta seruare: quia non minorem laudem de inuentis, quàm de rebus possumus acquirere custoditis.* Nullus enim murus potior esse aduersus impugnationum arietem poterit, quam si eam antiquitatis tutela defenderit. Cariosa vetustate, quæ ruinam minitari videtur opinio, obstinatiùs fundatur. *Non clauda fides opinionis antiqua*, ait Ennodius. *Non tamen inde posteriores quæque doctrinæ hæreses præiudicabuntur*, subdit Tertullianus. Tempestiuè Plinius: *Sum ex his, qui mirer Antiquos, non tamen, vt quidam, temporum nostrorum ingenia despicio. Neque enim quasi lassa & effœta natura, nihil iam laudabile parit.* Nam etsi tanta sit antiquitatis reuerentia & auctoritas, tamen non sic homini vicinatur, quam *veritas, quæ est figura & coloris expers, & re vera non tactilis, & quæ verè est animæ essentia*, vt docet Clemens Alexandrinus. Quam ob rem bene dixit Democritus, *naturam & doctrinam rem esse similem.* Vnde quisquis *omnipotente auctoritate* vetustatis ductus, inuisam & intactilem veritatem inscius negat; se ipsum vna abnegat, & suam quodammodò *essentiam* dediscit, & in aliud quodvis nomen imperitè degenerat. Et quidem semper verum est illud Ambrosij apud S. Thomam: *Omne verum à quocumque dicatur, à Spiritu-sancto est.* O veritatis omnipotatior vetustate auctoritas, quam non ab hominum censu, sed à Spiritus-sancti afflatu fœneratur! Opinio in re Theologica, aut interpretatio in re Biblica, annorum suffragium debet antiquitati, quæ æui purpura pompaticè splendet. Veritas autem etsi nouè dicatur, à Spiritu sancto est, quæ generosa è cœlo origine, & augustiori auctoritate, piè quodammodò superbit. Notum est quod plures veteribus nutriti interpretationibus ad nouas fastidiosè nauseant. *Nemo bibens vinum vetus, statim vult nouum, dicit enim Vetus melius est*, ait summa Veritas, Christus Deus. Ad quę verba ita fatur Beda: *Quia illis vita veteris salina imbutis, noua gratiæ præcepta sordebant: quia maiorum traditionibus commaculati, dulcedinem spiritualium verborum percipere non valebant.* Ego sanè de ingenioli mei aguato genio veritatem solerter quærere, & amanter amplexari ambio, siue in vetusta, siue in noua litteratura. Fatuè vlteriùs quæritur anxiè, quod securè iam possidetur. Bellè Cassiodorus: *Translator esto, non conditor antiquitatis.* Si veritas ad meos Commentarios concinnādos affulgurat in Sanctio aut Serario, si in Lyra aut Dionysio, aut quovis alio è neotericis aut priscis; non sic eam coloro, vt animos legentium perstringam, & quasi nouum inuentum mihi arrogem: *Translator esto, non conditor antiquitatis.* Et alibi de eiusmodi hominibus ait, quod *gaudent vetustatis inuentis*, quasi rem nouam denuò reperissent. Non sum is, qui alienam sapientiam adulterante dictione dissimulem. Iam diu fastidio mihi est, *quod nouè quidem dicitur, est autem antiquissimum*, ait Clemens Alexandrinus. Subinfert Ennodius: *Et cœpit per augmenta luminis speciem sup rare nouitatis.* Bellè dictum: *Asflute crines dum celantur, ætas indicatur.* O! *Hic viuimus ambitiosa paupertate omnes.* Taceo. Ambitiosa sanè ingenij paupertas est in quibusdam recentioribus, qui nauseāt ad veritatem in Antiquorum libris probabilius apparentem. *Ideo dicitur*: (inquit Philo) *Comedetis vetera, & vetera veterum: sed & vetera ex persona iuuenum asseritis: quasi cana, propter tempus disciplina recusanda non sint, dum scripturis sapientum damus operam.* Iuuenes etiam vetera offerant, si illis veritatis insit medulla. Pulchrum sane elogium Seuerini Boëtij, *Cui inter vitæ exordia ludus est lectionis assiduitas, & deliciæ sudor alienus: in cuius manibus rutilat quæ veteres face fulserunt.*

(Ouid lib. 4. de Ponto ad Stull. — Tertul de Pallio c. 1. — Ennod. in Panegyr. — 4. Strom c. 1. — Cassiod lib. 3. epist. 9. — Emis homil. 1. de symb. *Non clauda fide opinionis antiqua.* — Ennod lib 9 epist. 17. — Tertul aduers Hermog c. 1 — Plin lib. 6 epist. — *Veritas est anima essentia.* — Clem. 5. Strom. c. 1. — Democritus apud Clem. 4. Strom c 5 *Natura, & doctrina, res est valde similis.* — S Ambros apud S Tho. in Caten ad Matth 11. *Omne verum à quocumque dicatur, à Spiritu sancto est.* — Luce 5. v. 39 — Beda ibi apud Caten. — *Translator esto, non conditor antiquitatis.* — Cassiod. lib. 11. epist. 21 *Nonne hodie dicitur, quod antiquissimum quidem est.* — Idem lib. 2. epist. 4 — Clemens 7. Stromm. c 9 — Ennod in vita Anton. — Publ Mim. — Iuuenal Satyr. 3 *Iuuenes vetera offerāt.* — Philo de Sacrif. Abel. — Leuit 26 v. 10 — Ennod lib. 7 epist. 13)

2. Quod si adhuc mens hæret in re, quæ opinionum non respuit dissidia; mentis titubatio sagacitatem curiosè exacuat, vt diu suspendo, absconsæ veritatis granum reperiamus. Periculosè est delicatus, qui ad ostentandi ingenij fastum, non solidæ veritatis, sed ambitiosæ nouitatis contentiosus riualis est. Male noua placent, nisi antiqua bene displiceāt. Argute admodum Isidorus Pelusiota: *Deteriorum*, inquit, *visus hoc præstat, vt meliora inueniamus.* Addit Cassiodorus: *Non sit nouitas molesta, quæ proba est.* Antiquitas hausit quidem, sed non exhausit peritiam; non cæcum obsequium exigit, sed rationalem assensum. Quę si extorqueat, bene est; sin aliter, sat erit gloriæ posteriorum ingenia prouocasse. Profectò priscis retrò sæculis arborum cortices præbuerunt mēbranulas, seu phyluras, quibus homines rudi illa ætate pro chartis ad scriptionē vtebantur. Peritè etiam nunc aliquis in herbaceis paginis adhuc scriberet? Disertè ad rem Cassiodorus: *Pulchrum plane opus Memphis ingeniosa concepit, vt vniuersa scrinia vestiret, quod vnius labor elegans texuisset. Surgit Nilotica silua sine ramis, nemus sine frondibus, aquarum seges, paludum pulchra cæsaries,*

(*Deteriorum visus præstat, vt meliora noui inuenire adnitamur.* — S Isid. Pelus. lib. 1. ep. 145 — Cassiod. lib. 3 epist 17 — *Rudes Papyri initium, prouocauit ingenia sequentium.* — Cassiod. lib. 11 var epist. 28)

cæsaries virgultis mollior, nescio qua vacuitate plenitudine vacua, bibula teneritudo, spongeum lignum (diligens & attentus pensita quam sub iit sententiam) *sed hoc primordiis consentaneum fuit, quoniam rude principium tale debuit habere commentum, quod prouocaret ingenia sequentium.* Quid eloquentius? quid verius & accommodatius? Ecce rude initium chartæ papyraceæ subtilius nunc fabricandæ, arguto planè ingenio, quod assidua iam sedulitas perfectiùs elimauit, rudi initio prouocata. Sæpè Antiquitas veritatis venã altè latentem effodit, aliquando verò petita ingeniosè sedulitate, duntaxat *initium dedit, quod prouocaret ingenia sequentium*, quæ excelsa laus est, (sed de hac re alias vbertim egimus vsque ad lectoris nauseam)

Lips. in Notis ad lib. 1. Polit. in c. 1. Tetigerunt hoc alij, (inquit Lipsius) *sed si nemine distinctè aut planè præceptis id amplexum dixerim, libera magis vox erit quam superba.* Sine antiqua

Nec ipse Deus omnibus placet. dixeris, siue recantia, siue mixtim, siue subtilia, siue salubria denuo recantare satagas; ne præsumas placere omnibus, quibus nec ipse Deus placet.

Salu. lib. 3. de Prouid. Apposite Saluianus: *Sine murmuratione & querela nos Deus noster esse præcepit. Quomodo hæc in humano genere non fuerunt? si æstus est, de ariditate causamur, si pluuia, de inundatione conquerimur, si*

Dei prouidentia ex contrariis accusatur. *infæcundior annus est, accusamus sterilitatem; si fæcundior vilitatem. Adipisci abundantiam cupimus, & eandem adepti accusamus. Quid dici hac re improbius, quid contumeliosius potest? Etiam in hoc misericordia Dei querimur, quia tribuat, quod rogamus.*

---

§. VI.

Ad rem moralem sumptuosiùs tractandam. Magister breuis in primis commendatur; inde morales theses addensatis probationibus non spissantur.

1. Magnus ille Hebrææ gentis Vates, cùm Dei

Deut. 32. v. 1. sermones largiùs proponit, his verbis orationem auspicatur: *Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Sed nota qua methodo prolixam de diuinis rebus tractationem inchoat: *Fluat*

Os Sapientis sapientiam stillat. *vt ros eloquium meum.....& quasi stilla super gramina*, ac si diuinum eloquium, non ad instar copiosi imbris, quo arua vbertim exundant; sed *roris* ac *stillæ* in modum corda ad omnes sanctitates fœcundet. Moysen imitatus Salomon, idem in Pro-

Prouerb. 10. v. 31. uerbiis consultè præscribit: *Os iusti*, ait, *parturiet sapientiam.* Quæ verba ita exscribunt Lxx. inter-

Lxx. Interp. Hebræus text. Caiet. ibi. pretes: *Os iusti stillat sapientiam.* Hebraïcè *propagabit*, vel *progerminabit sapiẽtiam* Caietanus soluit metaphoram: *Os iusti loquetur sapientiam.* Quasi qui *loquitur sapientiam*, illam *stillat*; & qui eam *stillat illam propagabit*, & inde *progerminabit*. Ergò cũ res Biblica ad mores tractatur, Bibliorũ disciplinæ obsecundare videbitur, qui theses prolixiores non instituit, quò dicere cũ Moyse queat: *Fluat vt ros eloquium meum*: nam os iustorum, non nimis largè pluit; sed potiùs sudat, *stillat*, & *rorat sapientiam.* Opportunè Hildebertus: *in valle humilitatis*, inquit, *diuinarum stillicidiis scripturarum, pudicitiæ*

Hildeb. ep. 98. *lilium ne marcescat, irrigare memineris.* Idem de reliquis virtutibus iudicium esto, omnes enim indigent cœli *stillicidiis irrorari.*

2 Profectò, vt tempestiuè disserit Ennodius: *Nullus remaneret imperitis locus veniæ, si plura loqueremur, sola breuitas commendat indoctos, supra errorem est prolixa narratio rusticantis.* Solent balbutientes affectare facundiam pudore finiendi: ergo pudore loquendi breuitatem affecto: quandoquidem *sola breuitas commendat indoctos.* Nec animus est spissare moralia loca, quæ eandem thesim densè comprobent, nec locupletem offerre thesaurum ad materiandas indè conciones, quod (per me) præstent alij magna eruditionis laude, dum vena prædiuite singula themata copioso promptuario opulenter opplenr. Nam subaudio ex Tertulliano, quòd *abundantia in se ipsa contumeliosa est*, quiduis plenum eructare solitat satietatem, & *mel quidem cùm sit dulcissimum, bilem generat*, si te fauis vsque ad satietatem ingurgites. Alij è diuerso, cùm probè sciant, quòd *nihil iucundum est, nisi quod reficit varietas*, succinctiùs themata pertractant; quo in genere maximè eminent P. Haye disertissimè eruditus, in Arbore vitæ; & noster Benedictus Fernandius in totam Genesim (vt Phrygiones, ait Lipsius *è variis coloribus vnum aliquid aulæum formant, sic è mille aliquot particulis, vniforme, & coherens corpus,*) quorum eloquium vt ros aureum fluit: & iucunda varietate supplent, quod prolixitati detrahunt. Perdonecè inquit Heraclitus: *Qui aurum quærunt, multum terræ fodiunt, & parum inueniunt, qui autem id quod verè aurei generis cognatum est, scrutantur, multum in pauco inueniũt.* Quod elegãter expressit Philo Iudæus his verbis: *Etenim bracteas auri concidit Legislator in fila ad contexenda quædam sua opera firmiùs. Ad eundem modum sermo quouis auro pretiosior, ex variegationibus, innumerisque ideis laudabiliter absoluitur.* Ego verò qui auri ramenta non offero, paulò vberiores theses concinno, tribus, quatuorue saltem Bibliorum locis copiosè expensis absolutas, ne, aut ex abundantia contumeliosæ sibi sint, & lectorum fastidio; aut inopiæ malo nimis steriles videantur. Porò cùm iucunda sit semper varietas, meo quidem iudicio, satis ex illis superit ad propositi assumpti probationem. Quod si alicui non sufficit; quærat alias eiusdem thematis probationes, ex Paragraphis aliis, qui eãdem thesim sparsim tractant, aut ex eiusdem argumenti scriptoribus aliis, qui rem moralem luculentiùs versãt: aut ipse de proprij ingenij officina aliquid conetur fabricare, quod magis à re concionatoris erit. *Aiunt gallinas quoque* (inquit Strommateus) *carnem habere suauissimam: quando eis non copiosè appositæ nutrimento, & ex pedibus fodicantes cum labore nutrimentum colligunt.* Verè pariter ac belle dixit Chrysologus: *Plus accepta sapiunt, quàm possessa: inuenta magis, quàm subiecta delectant.* Et sane qui habens vnum locum idoneum, alterum quærit, proculdubio inueniet. Sic obnixè solet homo peruestigare quod deest ad cõplementum. Quod facetè pariter & acute dixit Pindarus: *videlicet ab vnicum habente calceum, omnino cauere diligenter.* Qui duos habet calceos, de calceis quærendis nihil curat, & qui nullos habet, & nudipes diu incedit, non valde sollicitè calceos quærit. Qui autem vnicum habet calceũ, in altero quærendo totus est, adeò vt nihil tutum sit ab eius aut auiditate, aut furacitate, quo alterum sibi calceum acquirat. Sic est volupe, parum, quod deest, & solerter quærere, & feliciter inuenire! *Videlicet ab vnicum habente calceum, omnino cauere diligenter.*

Ennod. lib. 7. ep. ft. 12.
Sola breuitas commendat indoctos.
Tertul. de habit. mul. c. 7.
Clem. Alex. 1 Pædag. c. 9.
Publ. Mim.
Nil iucundum est, nisi quod reficit varietas.
Lips. in Prol. ad Polit.
Multum in pauco inuenitur
Heracl. apud Clement. 4. Strom. c. 1.
Philo lib. de Sacrif. Abel.
Sermo pretiosior, non longus, sed multis ideis absoluitur.
Clem. 5. Strom. c. 5.
Cur gallinæ carnes habeãt suauiores.
S. Chrysol. ser. 96.
Pindar. in Pyth. ode 4.
Ab vnum habente calceum cur diligenter cauere debemus.

Exindè

3\. Exindè iis occurritur, qui fastuoso quodam scrupulosæ vanæ gloriæ supercilio, aliena quæque in re morali fastidiunt;& tenera fronte recitare erubescunt quod de proprij ingenij lima non prodit excultum. *Plato autem non it inficias, se ea quæ sunt præstantissima in Philosophia mercatum esse ex barbaris.* Vellem vt Concionator dicat cum Lipsio: *Lapides & ligna ab aliis accipio, ædificij tamen extructio tota nostra. Architectus ego sum, sed & materiam varie vndique conduxi. Nec aranearum sane textus, ideò melior, quia ex se filagignunt, nec noster, vilior, quia ex alienis libamus, vt apes.* Et quidem araneæ telam inutilem & sordidam ex propriis texunt; apes ex alienis mella construũt, quod memini me legisse in Aristotele. Addit Bacchylides in Peonibus: *Alius autem ex alio sapiens olim & nunc.* Nimirùm Plato in re morali philosophus præstantissimus, alienam sapientiam sibi animitùs conuiscerauit, & ab excrementis defæcatam, peritiæ calore decoxit, atque velut in propria dogmata digestam, lauto sapientiæ epulo cunctis suauissimè propinauit. Quod eloquenter expressit Seneca, sic aiens: *Quidquid lectione collectum est stylus digerat in corpus..... Nos quoque apes debemus imitari, & quæcumque ex diuersa lectione congessimus separare; meliùs enim disiuncta seruantur. Deindè adhibita ingenij nostri cura & facultate, in vnum saporem varia libamenta confundere; vt etiamsi apparuerit vnde sumptum sit, aliud tamen esse, quam vnde sumptum est, appareat. Quod in corpore nostro videmus sine vlla opera nostra facere naturam. Alimenta quæ accepimus, quandiu in sua qualitate perdurant, & solida innatant stomacho, onera sunt, At cum ex eo quod erant mutata sunt, tunc demum in vires, & sanguinem transeunt.* Hæc naturæ in nutricatione furta, imitêre. Quin &, vt ex Eusebio refert S. Thomas, à fidelibus rogatus, sermones S. Petri Marcus scripsit, quod est Marci Euangelium. *Petrus verò, vt per Spiritum-Sanctum religiosè se comperit furto spoliatum, delectatus est,* &c. In re enim concionatoria alius ex alio sapiens est, etiam Spiritus sancti instinctu.

Apud Clem. 1. Strom. c. 6.

Iust. Lips. in Notis ad lib. 1. Polit. in c. 1.

Plato sapientiã mutuatus est à barbaris. Strom lib 1. c. 1.

Aristoteles.

Aliena sapientia in nostram digerenda est.

Seneca ep 71

S. Thom in Prologo ad Marci Euangelium.

4\. Caue ergo ne sapientiæ alimenta in sua qualitate perdurẽt cruda; non enim eam dices, sed ructabis. Assuta eruditio, attritam & paupertinam ingenij vestem arguit. Quod nitet in alio, si vt iacet à te assumitur, veriùs in te iacebit. Profectò eximia magni Basilij laus fuit, quòd in tanta vbertate doctrinæ, qua Ecclesiam erudiuit, *Neutra parte, vt plerique claudicaret*, ait Nazianzenus. Et Actorum 3. *Quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris suæ, baiulabatur.* Ad quæ verba ita Seleucus scribit: *Manus alienas de more mutuabatur claudus, iisque vt pedibus inceaens ægritudine præpeditus vno circumscribebatur loco.* Qui cognato pauperis naturæ vitio claudicat, alienas manus pro pedibus, adhuc claudus substituit; & nobile *manuum* ministerium, ad *pedum* ignobilem reptationem degenerare facit. *Manus alienas mutuabatur claudus, iisque vt pedibus incedebat.* Aliorum manus vix tibi pedes erunt, & alienæ nitulæ in tuo ore caligabunt. Idoneè Clemens Alexandrinus: *Non vesceris aquila, accipitre, miluo & coruo; non adhærebis*, inquit, *neque adsimilaberis his omnibus qui labore & sudore nesciunt sibi parare victum; sed in rapina viuunt, & iniquitate.* Nam vt habetur in Senecæ prouerbiis: *Mala est voluntas alienis assuescere.* Hucusque de re in Concionibus dicenda, iam de concionatoria dictione dicamus paucula, ne aut nimis niteat, aut sordescat nimis; aut nimium garrula sit, aut strictior nimiùm.

S. Naz Orat. pro Basil.

Act. 3. v. 2.

Basil. Seleuc. Orat. 21.

Claudus alienis manibus pro pedibus vtitur.

Clem Alex. lib. 5. Strom.

Publ. Mim.

---

§. VII.

Garrulitati imputatur, quando oris est quicquid lector stupet. Sit ergo dictio ambitiosè perspicua, & inambitiosè elegans.

DOctè Clemens Alexandrinus dixit: *Eos, qui hærent dictionibus, & in eis sunt occupati, res ipsa fugiunt.* Hinc rerum moralium Scriptor (& exinde Concionator) libra discretionis concionatoriam trutinabit dictionem, pro auditorum qualitate & captu. *Inter imperitorum exercitus, furor est, nolle rusticari, iuuat Sapientem id esse quod plurimos*, ait Ennodius. In quos idoneè quadrat illud Tertulliani: *Qui vel modico tempore viduant animam intellectu.* Hinc sapienter Salomon: *Transit ad contemplandam sapientiam, erroresque & stultitiam.* Grauat conscientiam facundorum, amor indocti. Sed cùm hæc desit peritè rusticandi occasio, quis *brutam litterarum peritiam* cum Gregorio non spernat? Verùm tametsi cum rusticantibus liceat Concionatori rusticari, at *simplicitate nimia, & cognata stultitia* agere, seriò prohibet Hildebertus. 1.

Clem. 2. Strom. c. 2.

Inter rusticantes sapienti liceat rusticari.

Ennod. lib. 9 epist. 1.

Tertul lib de Anim cap 19.

Eccl. 2. v. 12.

Simplicitas cognata stultitia est.

S Greg Naz. Orat 15.

Hildeb. epist. 38.

Profectò sicut *bruta litterarum peritia* vniuersam sapientes dedecet; sic nimis exculta dictio plerumque reprobatur. Friuolus multorum labor est, qui *figmentorum venustate, verborumque lenocinio, quasi præstigiis quibusdam aures animosque ludificantur*, ait Nazianzenus. Nec quicquam est, quod tanta naturæ & meritorum inopia laboret, quod diuite eloquentiæ vena, & facundiæ præstigiis non ditescat. *Non est* (ait Ennodius) *vnde ieiuna cautibus gleba desperet, nec vnde non respondentia cultiori arua subiaceant. Linguarum genio terris merita tribuuntur: & qualiter quis loqui potuerit, taliter rem, de qua fuerit locutus, attollit. Oris est quicquid in vobis lector stupet.* Sola autem verborum structura, caduca est & quia imbecillè rem fundat, ruinam minitatur. *O inanium verborum artifices, sueptequè nutu collabentium!* Indè præclarum illud Ennodij dogma: *Labora circa studia, lucem in colloquiis dilige, lectioni deuotus insiste, vt fructus eloquentiæ multiplicium auctorum ventilatione purgetur. Pulchra sunt quæ scribis, sed ego plus amo fortia, redimita sunt floribus, sed poma plus diligo.* Nam vt argutè docet Zeno Veronensis: *Misera est fides, quam verba concinnant.* Cuius egregiam rationem Felix Ticinensis eloquenter expressit: *Fallentes*, inquit, *decet vrbanitas, dum periculo fucata mendacij, peregrinum decorem laudanda verbo tenus, sumit elocutio.* Exinde querulus opplorat Saluianus, quod *Christi nomen non videtur iam sacramentum, sed sermo.* Pie dixit Chrysologus *Vos deprecor, vt me patiamini, non quadrare, sed linguare sermones.* Infortunata est veritas, quam aduersantis linguæ facundia castigat. *Vani quidem* (ait Basilius) *stultique adulterinæ sapientiæ amatores, quique sola lingua sapientiam excolunt, propria doctrina fallaciis colorata dictione deliram innexerunt insaniam.* Absit ergo à Christiano

2\.

S Naz. Orat. 1.

Ne oris sit quicquid in sapiente lector stupet.

Ennod. lib 1 epist. 6.

S. Naz Orat. 14

Ennod lib. epist. 10

Misera est fides, quam verba concinnant.

S Zeno ser. de Fide

Ennod dict. 11.

Salu lib 1 de gubern. Dei.

S. Chrysol. ser. 42.

Basil. Seleuc. Orat. 13.

stiano oratore lingua fabricatis sermonibus ambitiosè lasciuiens; sed potius infucate perspicuus sermo sit fidelis animi interpres.

3. Parum refert in animi latebris altè cogitasse, nisi eo ditionis genere prodas, quod audienres percipiant. Si non nouero vim vocis, & mihi loquens barbarus est, & ego illi. *Quemadmodum sphera ludere* (ait Stromatæus) *non solùm dependet ab eo, qui mittit spheram, sed etiam ab eo opus est, qui illam numerosè excipiat, vt ex sphera legibus peragatur ludi exercitatio: ita etiam vt sit doctrina fide digna accipit*, &c. Nam vt bene Theophrastus: *sensus est fidei principium*. Pulchrè enim docet Epicharmus: *Mens videt, mens audit; alia autem sunt surda, & cæca*. Ergo clarandus est sermo, vt illum auditores mente ad profectum excipiant, nam ad obscurè loquérem mens cœca est, surda est, insensilis est; præter communem difficultatem, qua quiuis profutura audit. Aperte enim dicit Heraclitus: *Eius quod oportet orationem homines semper minime intelligunt*. Vnde oportet vt Concionator lucem loquatur, & sermonis radios, vt vel inuitus auditor eum capiat. Ioannis 8. dixit ad Iudæos Christus: *Sermo meus non capit in vobis. Id est*, (vt inibi Augustinus exponit) *non capit in cor vestrum, quia non recipitur à corde vestro. Sic est enim sermo Dei fidelibus, tanquam pisci hamus: tunc capit, quando capitur.* Argutè quidem.

Clem. 2. Strom. c. 3. Sermo noster sit eximiè perspicuus.

Theophrast. apud eundem sup. c. 2.

Sermo sit velut hamus. Heracl. apud eundem 5. Strom. 7.

Ioan. 8 v. 37

S. Aug. tract. 42. in Ioan

4. Eaque ratione dicit Sophocles Poëta tragicus: *Eiusmodi que ego cognoui esse Deum. Diuina semper exhibet sapientibus. Prauis malus sed est, Magisterque breuis.* Breuis dicitur sceleratorum Magister, quia pressiùs, & succinctius illis loquitur. Vere dixit Tertullian. quod *sermo laciniosus, & onerosus, & varius est*: amputandæ ergo etiam sunt sinuosæ verborum laciniæ, ne longo syrmate sermo effluat. *Dictio enim* (ait Clemens) *est tanquam vestis in corpore: res autem sunt carnes nerui. Non oportet ergo maiorem vestis, quam salutis corporis curam agere.* Scio tamen esse verum illud Tertulliani: *Loquacitas in ædificatione, nulla turpis, si quando turpis.* Quasi dicat: *Non est turpis affluens oratio; tamen esto, sit aliquando, certe cum suadet turpia, in ædificatione nunquam.* Quæ sunt Commētatoris verba. Sed sanctum omnibus esse vellem illud Chrysologi dogma *Lingua tantum breuis est sua mentis interpres.*

Soph. apud Clem. 5 Strom. c. 2. Deus prauis est magister breuis. Tertul. lib. de velan. virg.

Dictio sit tanquam rei vestis. Strom. lib. 1 cap. 4. Tertul. de Patient. c. 5 P. Cerda ibi n. 71.

S. Chrysol. serm 57.

5. Igitur quandoquidem loquacitas in ædificatione, nulla turpis, si quando turpis; nemo iam profectò nostram damnet dictionē, si paulò vberiùs in thesibus ad mores effluat. Porrò, valde fallor, nisi eiusmodi apparatus requiritur, ne scriptor dicatur *Magister breuis*. Malo rem plenè eloqui omnibus quam paucis compendiose insinuare. Nisi dubium, quod in morali thesi proponitur, de antithesi vincicat, maligne fulgurat solutionis acumen: *La elocucion de alma al pesamiento.* Quin & in hoc ethicæ sapientiæ epulo, elocutio etiam escarilis est: & quia est portio moralis expensionis, & quia lectorum menti alia aliorsùm themata spirat, quibus *pane vita & intellectus* populos cibet, *Nec honestus est* (ait Stromatæus) *ille cibi apparatus, qui plura habet condimenta, quàm ea qua nutriunt.* Nutrire lectorem cupio, non tantum cibis appositis, sed ciborum condimentis, & plures sparsim ideas ingerere ad alia etiam moralia themata, quæ tunc non verso. Æmulari præsumens Lipsianum illud de suo Tacito: *In moribus quid est, quod non tangat? in affectibus quod non reuelet? qui seriò hoc ipsum agit, quod non agit.* Quid luculentius? itaque super themate, in ipsa Patagraphorum epigraphe proposito, non rerum inertem addensatorem agere exambio, sed *fabricatorem sensuum*; (vt inquit Ennodius) scriptorem, non exscriptorem; quod forsan ex ornatu transluceat. S. Ambrosius exponens illud Geneseos: *Terra autem erat inanis & vacua, (inuisibilis & incomposita legunt alij) & tenebræ erant super faciem abyssi*, & cæt. ita eloquenter fatur: *Ideò primum facit Deus terram, postea venustauit, vt eundem crederemus ornasse qui fecit, & fecisse qui ornauerit.* Quisquis dnntaxat plura loca ad thematum probationem spissat, velut rei alienæ struem congerit; qui verò congrua ad morale acumen elocutione digerit, *sensuum fabricator* censetur; & *eundem crederemus ornasse, qui fecit, & fecisse qui ornauit.* Et sanè quam si arduum, moralium thesium *sensus* mente *fabricatos* comptiùs & ornatius eloqui, *frustrà dixerim apud inexpertum. Si quis volet, per tentamentum pauca aliquot capita continuet*, & experietur quam sit expromptius totam chartam locis explere, quam paucula à multis seligere, & pro dignitate vberiùs exornare. Brutam imperire dictionem, & nimis concinne elucubratam nuper castigauimus. Aliquis autem in sermone ornatus, contemnendus non est, imò aduocandus.

Ipsa rei elocutio acumina, & noua themata afflet.

Eccli. 15. v. 3

2 Strom. c. 4

Condimētum etiam sit escatile. Lips. in Notis lib. 1 Polit. in c. 9

Elocutio seriò id agat, quod non agit.

Ennod. dict. 9

Genes. 1 v. 2. S. Ambros. in Hexaëm. ib.

Qui eloquentius adornat indicat se fecisse.

Lips. in Prol. ad Polit.

6. *Loqui nobis communiter datum est; solus ornatus est, qui discernit indoctes*, inquit Cassiodorus. Sæpe res ipsa prodit captiua sine sermonis lima. *Dictorum aliquoties amœna fugientes*, (ait Ticinensis Præsul) *materiam solidam suo ore celebremus; ne sentiat virilitas operis, eneruati damna sermonis*. Hæc est, opinor, eloquentiæ summa, solidam materiam suo ore celebrare; ne aut superbo verborum tumore immaniter grandescat, aut virilitate sermoni; viduata, imbecille macrescat. Alte concepisti animo? bene est. Sed adhuc electa sensa animitus, latentia, rudia sunt, incocta, cruda, quovsque calore sermonis ad saporem erudiantur. Docte Philo: *Nouum conatum tendentium ad maturitatem virtutis oportet potenti irrefragabilique sermone duratum solidumque reddere* (pensita quam subiicit rationem) *solet enim sermo in animæ speculationes ad maturitatem coquere, ne sint fluidæ*, &c. Subtilior speculatio, quæ scintillat in mente, tanquam flores ingenij sunt, qui felices spondent fructus; sed nisi in torrida linguæ officina, ad solidam maturitatem non excoquuntur. Quod arguens hic Doctor sub alia metaphora eloquenter exponit: *Quando mens*, inquit, *excitat in aliquid sibi familiare sumit impetum* (aut intùs commota à seipsa, aut receptis à rebus externis formis aliquibus eximiis) *concipit & parturit cogitationes: quas volens parere non potest, donec per linguam, cæteraque instrumenta sua vox eas excipiens obstetricis more producat in lucem. Hæc vox cogitationes elucidat.* Igitur nostra vox obstetricis more, animi speculationes edit in lucem, ne generosus mentis conceptus velut parrioni immaturus infelicem patiatur aborsum. Porrò incomptus & inurbanus sermo, infœcundus etiam suadelæ est, nam *ipse tædio laborat errabundus, tum auditoribus adeò non persuadet, vt molestus etiam sit auribus.*

Cassiodor. in Præf. ad lib. Variar. Ennod. in Paræn. didasc. Materia solida suo ore celebretur.

Philo lib. de Sacrif. Abel. Lingua speculationes animus ad maturitatē coquit

Idem in lib. Quod deter. &c.

Lingua conceptionum est obstetrix.

Idem sup.

7. Itaque præstantior elocutio est, quæ amputata grandiloquę dictionis ambitiosâ amœnitate, verborum sponte frondibus vernante, *solidam materiam suo ore celebrat.* Audi, quid Senecam in stylo

Eloquentia summa traditur.

lo delectet: *Habes verba in potestate, non effert te oratio, nec longiùs quàm destinasti, trahit. Multi sunt qui ad id quod non proposuerant scribere, alicuius verbi decore placentis vocentur: quod tibi non euenit, pressa sunt omnia, & rei aptata. Loqueris quantum vis, & plus significat quam loqueris. Hoc maioris rei indicium est, apparet animum quoque nil habere superuacui, nil tumidi. Inuenio tamen translationes verborum, vt non temerarias, ita nec indecoras, & quæ periculum sui fecerint. Inuenio imagines, quibus si quis nos vti vetat, & Poetis illa solis indicat esse concessas, neminem mihi videtur ex antiquis legisse apud quos nondum captabatur plausibilis oratio.* Non delectent verba nostra, sed prosint. Si tamen contingere eloquentia non sollicito potest; sit aut parata est aut paruo constat, adsit: & res pulcherrimas (elogia virtutum inquam) prosequamur. *Sit talis, vt res potiùs quam se ostendat. Aliæ artes ad ingenium tota pertinent, hîc animi negotium agitur.* O penticulatè hæc ruminet verba pius Christianè Concionator! Quisquis à Deo afflatus loquitur, limatulæ eloquentiæ renunciauit. *Quam ob rem Moyses fatetur,* (ait Philo) *se parum vocalem, & lingua tardum ex quo cœpit habere cum Deo colloquia.* Porrò comptior elocutio flores dat, fructus verò negat. *In hac lectione,* (ait Chrysologus) *quid spiritualis intelligentia lateat, si scire volumus, verborum flosculos non quæramus: qui maturitatis fructum quærit, despicit amœna camporum: viola, rosa, lilia, narcissus, grati flores; sed gratior panis.... Suspendenda est ergò eloquentiæ voluptas, quando scientia deposcitur fortitudo.*

Seneca epist. 60.

Concionatoris eloquentia animæ negotium agit.

Idem ep. 76.

Philo in lib. Quis sit rerũ diuinarum hæres.

S. Chrysol. serm. 18.

§. VIII.

Extemporalis dictio sæpè noctem studio elocutionis interserit, & quandam generat de ipsa explanatione cæcitatem.

1. CVm Lucilius nimis esset anxius circa verba, verborumque cõcinnam structuram, sic ad eum Seneca scribit: *Habeo maiora, quæ cures. Quære quid scribas, non quemadmodum, & hoc ipsum non vt scribas, sed vt sentias.* Hinc forsan apud quosdam negligentior styli cura, & tota ad rem ipsam sedulitas, venustatem ex venustatis neglectu exambiens: *Sæpe enim e diuerso thesaurus cordis irradiat in egestate verborum*, ait Felix Ticinensis: & subdit tempestiuè Gregorius: *Extremum sermonis erit, quod ab aliquo perito viro accepi de Aquila dicente, cum aues de regno disceptarent atque alia aliter se exornassent, Aquilam pulcherrimam fuisse, quod non putaretur esse pulchra. Hoc etiam in epistolis est obseruandum:* (idem de reliquis scriptis censẽ) *quod incomptum est, & proxime ad naturam accedit.* Exinde nonnulli elaboratæ scriptionis sedulitatem fastidioso damnant supercilio: & ad rem intentius toti extemporali mẽtis impetu, quæ pigræ scribunt æternitati, notario celerrimè dictant: hocque optant esse scriptorũ dogma, sed quod hactenus non præscribit. Audiendus est hac super re Ennodius Ticinensium, & eruditionis Antistes, Ita suo Firmino scribens: *Iucunda sunt commercia litterarum docto auctore concepta; illa in quibus ad vnguem politi sermonis splendor effulgurat, vbi oratio diues frenis peritiæ continetur. Quando abundantem loquelæ venam laboriosus in lucem scrutator adduxerit,* (arrige aures ad ea quæ opportunissimè subdit.) *At vbi scaber sermo angustiam pauperis designat ingenij, nec conceptum suum in ordinem dirigendo noctem studio elocutionis interserit, & nebulosæ narrationis ambiguo quandam generat de ipsa explanatione cæcitatem, quis non persona talis in eloquentiæ arce constitutus, spernat affectum?* O nimis verè! In hęc vada cœca impingit, aut defessScriptoris imperitia, aut fastidiosa arrogantia, aut elatus inde neglectus (*animus vereri qui scit, scit tutò ingredi*) nimium sui peramans sine riuali. Cruda adhuc est subtilior speculatio, quã elocutionis mora non coquit; dum scaber sermo conceptum non digerens, noctem obscuræ elocutionis interfit, & quandam generat de ipsa explanatione cæcitatem: haud effugiens, *Linquere, scombros metuentia carmina, & thus.* Et quidem ethicum acumen Latinis, & Hispanis sæpè in æquiuocis acutè ludit, quod magnam peritiam, & vltra extemporalem, vulgò requirit. De Tiberio scribit Tacitus: *Artem calluisse, qua verba expenderet, validum sensibus, aut consultò ambiguum.* Nõ raro subtili verborum ambiguitate lepor constat, qui in composita dictione nimis atteritur. Hic maximè in Chrysologo, verborũ eximio trutinatore, micãter effulgurat. Taceo alios. Verè omnibus dictum: *Mora omnis odio est, sed facit sapientiam:* nam deliberandum est diu, quod statuendum est semel. Nemo est iam Origenes Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, aut Gregorius, nemo. Ad Ambrosium, Ennodium, Chrysologum, Zenonem, Cassiodorum fit æmulationis prouocatio.

Seneca epist. 116.

Thesaurus cordis irradiat in egestate verborum.

Ennod. dict. 3.

S. Greg Naz. epist. 209

Pulchrum est aquila, pulchram non esse, idem esse de dictione.

Ennod. lib. 2 epist. 8.

Extemporalis elocutio, sæpe generando ipsa explanatione cæcitatem.

Publ. Mim.

Tacit. lib. 3. Annal.

Mora omnis odio est, sed facit sapientiam.

Cassiodorus Ennodij synchronos, nec eloquio, nec ingenio impar, in Præfatione Variar. ita procemiatur: *Dictio semper agrestis est, quæ sensibus electis per moram non comitur.* Etsi sensus electissimus sit (ô quam rarò id accidit! nemo Concionatorum, sicut nec Poëtarum in hac re sibi credat) nisi elucubrata dictio conceptum in ordinẽ digerat, cunctanter comat, & ore suo eloquatur; scaber euadit sensus, impeditus, crudus, agrestis, barbaricus, & per verborum neglectum, noctem illi offundens, *quandam generat de ipsa explanatione cæcitatem.* Hinc S. Ambrosius, & mẽtis acumine, & facundiæ laude opinatissimus, nõ tantum de re scribenda, sed de elocutione etiam sollicitus erat, ita hac super re scribens, imò tradens scribendi ideam. *Non dictamus omnia,* inquit, *quia ea quæ dictantur impetu quodam profluunt, & profluo cursu feruntur. Nobis autem aptius videtur propriam manum nostro affigere stylo, vt non tam deflare aliquid videamur, quam abscondere; neque alterum scribentem erubescimus; sed ipsi nobis conscij sine vllo arbitro, non solum auribus, sed etiam oculis ea ponderamus: velocior est enim lingua quam manus.* Quisquis eum damnat, qui mora dictiõnem comit; nec auribus duntaxat, sed oculis etiam emendat, elimat & expolit, quo rem suo ore eloquatur eodem pariter stylo Ambrosium, Ennodium, & Cassiodorum figit. Nõ de Auctoris otio, sed de labore rebus magnis adulamur. *Noli Deo adulari, vt velis illum solo visu tot ac tantas substantias protulisse &c. Maior est gloria eius si laborauit.* Hinc post sextidui opus, antropopatωs, *requieuisse* dicitur. 2.

Cassiod in Prolog Variat.

Dictio per moram comenda est.

S. Ambros. epist 45. apud Daz.

Cur Ambrosius sua scripta notario non dictauit.

Maior est gloria Dei, si laborauit producendo creaturas?

Tertul adu Herm c 35. Gen 1. v. 4.

Plutarchus in lib. de Puerorum educat, seriò prohibet ne extempore dicant, quod suadet exẽplo 3.

Plutarc. lib. de puerot. educat.

plo eloquentissimi Periclis, & eius discipuli Demosthenis, & aliorum laudatioris apud Graecos facundiae rationem reddit, aiens: *Quod enim inconsultò ac temerè dictum sit, id pulchrum esse nequit, vtque in prouerbio est: Difficilia quae honesta sunt. Impremeditati queque sermonis plurima leuitate incuriaue referti, neque vnde sumendum exordium, nec vbi terminandum, facile conspicantur. Praeter alia delicta, quibus extemporariè dicendum est, hi ad immoderatam quandam incidunt multiloquentiam, Considerata verò meditatio è congrua vagari mensura non sinit.* Ergo si quis non valde expertus, extêpore aut dicere aut scribere adstruit, nouitiae garrulitatis, obscurae, atque inconditae orationis causam instituit. Hocne erit peritae scriptionis dogma! scilicet *volunt homines ita praeceptum esse vt agunt; non ita agere vt praeceptum est.* Pergit idem Philosophus, idque faceto moralissimè exemplo confirmat: *Miser quidam pictor cùm suam Apelli ostenderet imaginem. Hanc modò pinxi, dixit. Cui Appelles: Etsi taceas, inquit, hanc subitò depictam esse intelligo: demiror autem quonam pacto non plures huiusmodi depinxeris.* Quisquis se iactat quam citò prolixam lucubrationem absoluisse, aut concionem adornasse, subaudiat peritos valde mirari, quomodo perbreui illa morâ non plures eiusmodi lucubrationes, aut conciones absoluerit. Diu pingit, qui aeternitati pingit atque subita omnia probantur incauta. Derepente scripturiens quid cupiat scit, quid sapiat nô videt. Iure Regulum laudat Plinius: *Habebat*, inquit, *studiis honorem, timebat, pallebat, scribebat.* Nam vt sentêtiosè ait Seneca: *Aspicere oportet quid possis perdere.* Itaque dictio Concionatoris per moram desecata & compta, materiâ solidam suo ore loquatur; taceat verò mutè ad conuitia, si qua illi aut inuidia, aut maleuolentia fabricauit, ne destruat quod adstruit.

Extemporalis dictio, aut dictatio culpatur à Philosophis.

Ex Publio Mim exigeo flexu.

Idē Plutarc. inibi.

Timor scribendi, habet studiis honorem.

Plin. lib. 6 epist.

Seneca ex Publ. Mim.

§. IX.

Res litteraria intentiùs litigiosa est: exinde discere oportet ab iis, qui quieta dogmata tradunt; & dum mente contentiosius certant, in affectu plus pacis habent.

1\. Vellei apud Politico-Christia in Prolog.

VErum semper illud Velleij est: *Familiare est hominibus omnia sibi ignoscere, nihil aliis remittere, & inuidiam rerum non ad causam, sed ad voluntates personasque dirigere.* In litteraria palaestrâ vbi masculus ingenij vigor eruditione armatus, intêriùs belligeratur, Velleij sententia praecipuû habet locû Multa sibi eruditus ignoscit, parû aut nihil aliis remittit. Exinde infaustae illae voces, quas Politico-Christianus eloquêter addêsat: *Lapsus est, non vidit. Quò lenocinia verborû, & luxurians dictio? Quo late sparsa, grandis, conquisita, frigida, languens, macra serpens, & nimis recêtis aui?* Et his similia sexcenta scomata quibus se vltrò, citróque Scriptores lacerât; & dû mutua vlciscûtur odia, litterario interim negotio otiosè supersedent. Idcirco Clemens Alexâdrinus opportunè discêtes admonês, ait: *Eundû est ad eos, qui quieta dogmata efficiût, & diuinis Scripturis eos incantant.* Marci 9. *Habete in vobis sal* (Sapientiae symbolum) *& pacem habete inter vos.* Quae verba exponês S. Gregorius apud Catenam inibi, ita scribit: *Qui loqui sapienter nititur, magnopere metuet, ne eius eloquio audientium vnitas confundatur, ne dum sapiens videri desiderat, vnitatis compagem insipienter abscindat.* Pergit idem Clemens Alexandrinus nuper laudatus: *Vna quidem mens humana quae est multiplex, & instabilis; cui quidem natura est insitum vt generet dissensionem.* Et Felix Ennodius ita ad dicacem Florum scribit. *Noui me duram coepisse prouinciam, qui sublimitatem tuam, quantum ad me, quietem, verborum stimulis excitaui. Sic minaces dente bestias inualida lacessit adolescentia, & dum maiora viribus prouocat, quod euenire optat, spectaculum putat esse, non praelium. Sic mens congressionis ignara certaminibus ante periculum debet affectum.* (diligens pondera, quae ad rem bellè subtexit) *Quae me praecipitauit inscitia? qui animi furor à cogitatione tui peregrinantem duxit indeuium, vt nescirem quid intentioni lacessitus deberet, qui semper contumelias primus incipit, qui iniuriarum gymnasiis nunquam meruit posthaberi?* O fuge iniuriarum *gymnasia*, & ad ea confuge, *vbi quieta dogmata traduntur!* De coeli schola est illud Christi Dei: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Non ait: Discite à me, quia summa sapientia sum, & veritatê coelitùs doceo, (tametsi verè, id dixisset) sed quia mitis sum, & *quieta dogmata* inde trado. Eleganter Bernardus: *Apostolicam illam beati Iacobi diffinitionem prae oculis habeamus, qui diuinam describens sapientiam, ait: Sapientia, quae à Deo est, primùm quidem pudica est, deinde pacifica.* Illud Psalmographi: *Narrauerunt, vt absconderent laqueos*, ita S. Paulinus exscribit & exponit: *Disputauerunt, vt absconderent laqueos.* Et quem disputationum sibi praefigunt scopum, contentiosis rei litterariae dissidiis collimant egregiè: *Quid de his dixeris* (Interrogat Nazianzenus) *qui per imperitiam, eiusque comitem temeritatem, aduersus omnem doctrinam suillo quodam affectu grassiuntur, pulchrasque veritatis margaritas conculcant?* (Malum!) *omnes hoc nomine pij sumus, quia alios impietatis damnamus.* Vel ineloquens & balbutiens ad alium erroris arguendum, inuidiae oestro excitus facundus est: *Vobis copiosus est sermo quoties error arguitur. Quod si maximè* (ait Tacitus) *continentia tua laudatur, non tamen sapienti viro decorum fuerit, vnde amico infamiam parit, vnde gloriam sibi recipere.* O nimis verè! Matthaei 13. *Et veniens IESVS in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita vt mirarentur.* Ad quae verba haec subdit Chrysologus: *Mirabantur indignatione, non gratia. Furabant, quia quod sapere non poterant superba subsellia; stans humilitas perdocebat.* Sapiens si inuidus sit, multa mentitur sibi: nam inuidus quod suspicatur, vigilans somniat. Hinc litigia tuendae veritatis specie colorantur. *Optimis exuimur*, ait Saluianus. Quidam enim, qui sapientiae nomen affectant, litibus velut ornamento vestiuntur. Heu non pauci vacant *studiis, quae omnibus tribunalibus facessunt negotium, rationem verò inaniloquam exacuunt ad impugnationem veritatis*, ait Philo. Inconsultae aliorum maledicentiae saepè debent litteralissimi quique, quod eorum infamia nomê praecurrerit, adeò vt verè possint cum S. Gregorio dicere: *Facti sumus vobis in satietatem, & nauseam, antequam gustum vllum nostri, speciminisque praebuissemus.* Ast bonum tametsi supprimitur, non extinguitur: nam *bona fama in tenebris proprium splendorem obtinet*, ait Publius Mimus.

Politico-Christ. sup.

Res litteraria fatè litigiosa est, & rixas excitat.

Clem. lib. 7. Strom. c. 9 & lib 8. c 4

S. Gregor. in Past.

Ennod. lib 1. epist. 2

Discendum ad his, qui quieta dogmata tradût.

Matth. 11 v. 29

S Ber. serm. de Mult. vtil. &c.

Iacob. 3 v. 17

Psal. 63 v. 6

S Paulin. epist. 10

S Nazianz. Orat. 1

Copiosus est sermo quoties alius arguitur.

Ennod. lib 7 epist. 6

In Orat ad Neron. in fin.

Oper. Senecae ex Tacito.

Matth. 13 v. 54

Chrysol. serm 48.

Sal. lib 3 de Gubern.

Philo in lib. *Quis rerum diuin. haeres.*

Greg. Naz. Orat. 1

In Prouerb. Senecae.

Tertullianus in lib. de Anima solerter examinans veterum retrò Philosophorum scholas, ita scribit: *Tamen plus diuersitatis inuenias inter* 2. Tertull. de Anim c. 2

Philosophia in ipsa concordia diuersitas inuenitur.

Philosophos, quàm societatis, cùm & in ipsa societate diuersitas sit. Quid tam seditiosum, quàm in ipsa etiam societate diuortium? Hæc quidem apud barbaram Gentilium Philosophiam. At apud Christianæ sapientiæ antistites, non solum vellem vt in mentis palæstra duntaxat perageretur lucta, quin ad voluntatem affectumque sese latè inferret; sed vt ex solius mentis luctamine, de cõsimilis eruditionis collegio, pax pulchra floreret Modulatè admodum Claudius Marius Victor, in Genesin ita pangit.

Claud. Mar. ante 1 lib in Genes.

—— Contraria nempe
Quæ putat humana sollers ignauia mentis,
Dum certat plus pacis habet.

Dum certant sapientes, plus pacis habebant.

1 Reg 11. v 1 Caietan ibi.

2. Regum. 11. *Quæsiuit* Dauid (ab Vria) *quàm rectè ageret Ioab, & populus, & quomodo administraretur bellum.* Quæ verba sic Hebræus apud Caietanum vertit: *Et interrogauit David de pace Ioab, & de pace populi, & de pace belli.* O nouam interrogationem! *de pace belli* Dauid moralissimè interrogat S. Gregorius Nazianzenus sic de se suo Basilio. (simile in re litteraria par nulla ætas tulit) fatur *Par spes doctrina, hoc est, rei omnium inuidiosissima, nos ducebat, & tamen aberat inuidia, emulatio autem studio erat. Hoc vtrique certamen, non vter primas ferret, sed vter alteri eas concederet. Vter enim alteris gloriam pro sua ducebat.* Cùm vterque rei Christianæ, & noscendę penitus veritati adæque militaret. Ast qui propriæ gloriæ intentius studet dum alterum offuscat, prælucere satagit. *Lunaris globi ministerium die recedente plus rutilat, & placet suo lumine dum fugat alienum.* O nimis sapientibus familiare illud Apulei prouerbium! *Quorum similitudinem desperant, eorundem affectant simultatem.*

S. Greg Naz. Orat pro Basil.

Quorum desperatur similitudo, affectatur simultas.

Ennod in Paran. Didasc.

Apul. in Florid.

4. Profectò *censura mero* (vt loquitur Sanct. Paulinus) vsque ad capitis vertiginem aliqui incalescunt, adeò vt Samson, (quod interpretatur, *Sol eius*, non suus) quia aliena, non sua videt, ab eodem Paulino sententiosè dicatur: *Visu suo vacuus, & operosus alieno.* Vellem (si fieri potuisset) vt Concionator, Vicarias Christi vices gerens, impleret quod de eo dixit S. Zeno: *Totum sua luce resplendens, corpus sine vmbra gestauit.* Tempestiuè incertus Chrysostomus: *Exindè cœpit IESVS prædicare, ex quo traditus est Ioannes: nam si prædicante Ioanne prædicare cœpisset, vilem reddidisset Ioannem ..... Sicut si in vno tempore Sol cum Lucifero oriatur, gloriam Luciferi celat.*

S. Paul. Epist. 4.

Idem inibi.

S. Zeno ser. 2 de Natiu.

Imperf homil. 6. in Matth.

§. X.

Scriptor, seu Concionator cauillatoribus vocem debet; sed decori suo, & aliena reuerentia taciturnitatem.

1. Ecclesiastici verissima vox est: *Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur eius.* Sententiosè dixit Publius: *Furor fit læsa sæpius sapientia*, & alibi: *Bonus animus læsus, grauius multò irascitur.* Magno enim sui, & erudiendi populi dispendio, eius nomen dehonestamentis infuscari sustineat. Arguté Cassiodorus: *Non decet Senatum corrigi, qui debet alios paterna exhortatione mederi. Nam ex quibus habebunt genium mores, si parentes publicos minores contigerit inueniri?* Porrò conuitiis in maledicum vulgus temerè sparsis magni viri *diluitur auctoritas, nec habet apud eos satis ponderis, quo possit minus*

Eccli. 7 v 6 Publ Mim in Prouerb. Senecæ.

Cassiod. lib. 10 epist. var. epist. 13

Cur Senatum corrigere non deceat.

Senec. Epi. 29.

obsolefacta corrigere. O quam difficile denigrata fama pristinum nitorem recuperat! *Fides vt anima, vnde abit, eo nunquam redit.* Saltem illud semper verum: *Etiam capillus vnus habet vmbram suam.* An non etiam verum illud Tertulliani? *Plus bonum floruisset sine mali afflatu.* Igitur maledico, & venenato *Scorpio pro fouea anathema inlidito*, nã eorum opinionem deprauare studet, qui *ita nati sunt, vt bona, malaque eorum ad rem publicam pertineant.* Exinde Marci 7. Christus Deus calumniæ de illotis Discipulorum manibus, confestim respondit: *Et Pharisæorum superfluum latratum furca rationis obtundit*, ait inibi Hieronymus.

Publ Mim.

Tertul adu. Herm c. 15.

Idẽ in Scor. c 1

Tacit. 4 Annal

S. Hieron. in Marc 7.

2. Ast illud Ethicum Philonis dogma altè omnibus impressum vellem, *Laudi, & vituperio non tam loquentes scribentesque fidem adstruunt, quam ipsa rei veritas. Itaque, nec laudare, nec vituperare videntur qui in alterutro aliquid admentiuntur de suo.* Imò sibi potiùs detrahit, vt eloquenter dixit Saluianus: *Dummodo enim vnusquisque hominum alium lacerare non desinat, tanti putat, vt etiam sibi ipsi non parcat: sed digna planè mali istius retributio est, quia solum prosequitur auctorem. Ille enim nihil nocet penitus cui detrahit, tantummodo illum punit, cuius ore procedit.* Licet à magnis etiam viris Scriptor Concionatorve impetatur magno famæ dispẽdio, dicat quod aliorsũ Ennodius: *Debeo equidem dolori meo vocem, sed reuerentia vestra taciturnitatem.* Sanè imperitorum *læsus animus vociferatione pascitur*, ait Cassiod. Porrò vel de experientię adminiculo compertum est quòd *auctorem repetunt tenebræ, quæ ad inuoluendum iubar aptantur, nitorem siderum nox infusa non obruit.* Verè Emissenus: *Non timet veritas falsitatis insidias* Moralissimè Nazianzenus: *Conuitiis lacerabitur? vicit conuitia non regerendo, nec malum malo curatur.* Malè se virtus vitio clypeabit. *Igitur* (qui bene de rebus iudicant) *venerantur hucvsque contemptum*, ait Sidonius Apollinaris. Nam vt pulchrè dixit Publius Mimus. *Contumeliam nec facere fortis potest, nec ingenuus pati. Hoc*, inquam, *cauillatoribus, & criticis responsum sit.* Neglectu, patientia, & silentio respondendum est, ne vlcus tractando recrudescat, nam *Honoris vulnus idem qui sanat facit.* Hoc age quisquis rem Dei agere satagis, *Vt ore pro diuina loquaris, & pollutam camina fœcundia linguam, Christi laudibus expies; quem potentem* (vt prædicat Apostolus) *faciebat infirmitas*, ait S. Paulinus. *Quin & sæpe conuitiator prodit gloriam, dum exercet inuidiam*, vt lynceis oculis Cæsarius vidit. Itaque gratiam pro conuitio debes regerere, *inuerso gratus officio*, quod Veronensis Zeno altè docet. Adsint ergo, adsint *pectines Solis*, qui vel fulgures ipsos emaculent: pensiculatè enim dixit idem Tertullianus, *Mala necessaria fuisse ad illuminationem bonorum.* Belle dictum: *Miserrima est fortuna, quæ inimico caret.*

Phi'o lib de Mig Abrah.

Nec laudat, nec vituperat, qui mentitur.

Salu lib. 3. de Gubern.

Læsus debet dolori suo vocem, sed alienæ reuerentia taciturnitatem.

Ennod l. 9. epist. 27 21 in Paran. didasc

Cassiod l 2 epist. 15

Emiss homil 1 in epiph.

S. Naz Orat. 27 & 28

Sidon lib. 1 epist.

Philo libr. de somn.

Silentium in opprobriis, sapienti suadetur.

Publ. Mim. exiguo flexu

Sanct. Paulin epist 1

1. Ad Cor 11. v 10

Cæsar homil. 5

S Zeno ser. 1 in Psalm 13

Tertull ad Valent c. 3 adu. Herm c. 15

Publ. Mim

3. Moralissime pariter, ac disertissime inquit Seneca: *Ergo ira abstinendum est, siue par est qui lacessendus est, siue superior, siue inferior. Nam cum pare contendere anceps est, cum superiore furiosum, cum inferiore sordidum. Pusilli hominis, & miseri est repetere mordentem. Imbecilla se lædi putant si tangantur, vt mures, & formicæ, quas si manu amoueris, ora conuertunt.* Hæc in clausula moneo: Muta in iniuriis patientia, diu multumque sufferendo, è peruerso coronas negotiatur: *Plus victoriarum est, quàm iniuriarum.* Citiùs conuitia præfocabis, ea sufferendo, quàm cõuitiorum causas

Senec lib 2 de Ira. c 34

Sapiens aduersus neminem irascitur.

Tertul. in Scorp c. 6

Seneca in Prouerb.

causas auferendo: nam vt argutè dixit Seneca: *Malè facere qui vult, nunquam non causam inuenit.* Qui timuit ne sua ignominia fieret superbi vituperonis gloria, malè acutus ait: *Bona turpitudo est, quæ periculum vindicat.* Planè inciuiliter: nam vt ipse ait: *Ingenuitas non patitur contumeliam.*

4 Aldhelm de laud. Virg. cap 30

Hactenus igitur (ait Aldhelmus) *formosæ moralitatis speciem, & venustum vultum componens diuersis virtutum coloribus, quasi fucorum floribus depinxi: quemadmodum solent nobiliũ artifices insignium, & regalium personarum pictores deauratis petallis teracidas ornare, & pulcherrima membrorum lineamenta fabricatis vultibus decorare; cùm tamen iidem opifices plerumque naturâ corporis deformes, & contemptibiles existant; magisque iconisma regale compto stemmate depictum laudatur, quàm despectabilis persona pictoris veneretur.* Hæc anteloqui fateor, pro hâc, & similibus lucubratiunculis, quas perdiù elaboramus.

PROLEGOMENON ALTERVM pro Commentario litterali.

§. XI.

Hic liber à seniore Tobiâ nomen habet traditur nominis Tobiæ significantia, & identitas cum filij nomine.

1 S.Athan. in Synop. apud P.Serar.

LIBELLVS hic verè aureus, *Tobiæ* nomen in fronte præfert, & *Tobias vocatur, propterea quod Tobiæ historiam habeat*, vt docet Athanasius. Sic liber Iosue, liber Iudicum, libri Regum, & Machabæorum, liber Iudith, liber Esther, & liber Iob, à narrationis materiâ epigraphen fœnerantur, tametsi alij à libri Auctore titulum habeant, vt libri Prophetarum. Eiusmodi tituli in Scripturis præscripti, Græcæ, & Latinæ sedulitatis negotium est: nam Hebræi à prima libri dictione eum titulare solitant, quod in Hebraico Pentateucho videre obuium est, vulgò notum, & aliàs notatum. Verùm cùm Tobias duplex sit, & pater, & filius, non existimauerim hoc Opus à Tobia filio, *Liber Tobiæ* nuncupari, sed potiùs à patre Tobia: cuius è vitæ, auspicio ad mortem vsque res gestę narrantur, largę eleemosynæ, varij casus, beatæ calamitates, & præpropera futurorum vaticinia, prophetico dictata spiritu, & antedicta præsaga mẽte. De Tobia autem filio post patris obitum paucula scribũtur, quòd si præcipua foret huius historiæ materies, lõgior eius vita non sic exinceps properanter versiculis paucis absolueretur. Neque ab vtroque Tobia, scilicet patre, & filio, vt putant quidam recentiores, nomen sortitur: nam cum præcipuè de Tobia seniore agatur, & de eiusdem vxore, filio, &c. incidenter; nemini dubium esse, opinor, quòd licet filius alium sortitus fuisset nomen, adhuc *Liber Tobiæ* appellaretur. Non tam dicendum, quàm non omittendum est, quod notant Serarius, & Iustinianus, alios Tobiæ etiam nomine nuncupatos passim in Bibliis reperiri. 2. Paralip. 17. Esdræ 2. Nehemiæ. 4. 6. 7. 13. Zachariæ 6. & 2. Machab. 3. apud Iosephum etiam lib. 14 cap 6. & S. Epiphànium hæresi 66. Græcorum Menologos, & nostros Martyrologos.

Hic liber à Tobia seniore nomen habet.

P. Serarius. Fab. Iustin 2 Paral. 17. Esdræ 2. Nehe 4 &c. Zachar 6 2. Macha 3. Iosephus S. Epiph

2 P Serar hic Pro. 1. Glossa ibi.

Hoc nomen Tobias, si illud interpreteris, Hebræis sonat, *Bonus Deus*, vel *Bonus Dei*, vel *Bonum*, seu *Bonitas Dei*, vt Serario placet. Vel *Bonus Domino*, ita Strabus Fuldensis in Glossa. Vel *Bonus*, seu *Bonitas Domini*, ita Iacobus Tirinus. Vel *Honos Domini*, ita Anselmus Laudunensis in Glossa interl. Vel *Conuersus*, ita Betthorius Pictauiensis.

P.Didac. de Celada in Tobiam.

P Tirin. hic. Ansel. Laudun. ibi. Berth. lib 7 Mora cap. 1.

3 P.Serar. Proleg 1. S. Aug. serm. 216. de temp.

Eruditè notat Nicol. Serarius, quòd sunt alia nomina quæ idem ac Tobias valeant, nempe Hebræum Tobi: Latinum Tobis apud Augustinum: Græcum τωβὶτ per ω apud Complutenses, & Suidam; & τωβὶθ per ι in Lxx. interpretum editione. Quin etiam & Tobeus apud aliquem scribitur. Addit, hæc nomina Tobiæ seniori tribui; cùm iunior, Tobias tantummodò soleat nominari. Obseruat etiam Iustinianus, quòd Tobias senior in cæteris versionibus præter Vulgatam semper nominatur Tobit, nempe in trãslatione Hebręa, Syriaca, & Græca; iunior verò in omnibus Tobias semper appellatur. Quod tametsi plerumque fiat, non adducar vt existimem id semper fieri. Porrò in exordio capitis decimi-quarti legit Hebræus textus (adductus ab ipsomet Iustiniano.) *In illo tempore scripsit Tobias vltima verba hæc cum gaudio.* Syrus verò & Lxx. *Scripsit Tobit hanc laudationem cum gaudio.* Rogo nunc, an de Tobia seniore, an de vtroque hæc verba intelligenda sint? si de vtróque, cur dicit *scripsit*, & non potiùs *scripserunt*? quorsùm superuacua hic Enallage? Si de Tobia seniore; (quod veriùs existimo: nam hæc verba referenda sunt ad laudationem continuatim scriptam capite decimo-tertio immediatè præcedenti; ergo Tobias senior in Hebræo textu non *Tobit*, sed *Tobias* nominatur. (Si de Tobia iuniore (vt aliqui volunt) præfata verba intelligantur: ergo Tobias iunior saltem à Syro textu, *Tobit* nuncupatur: ergo non semper Tobias senior nominatur *Tobit* à Græca, Hebraica, & Syriaca translatione; & Tobias iunior, semper *Tobias* nominatur. Nec valdè me mouet, quòd ait Iustinianus, Hebraicam, & Syriacam versionem id constanter scribere, quasi ex plurium versionũ numero plus concilięt auctoritatis. Nam, vt ipse Iustinianus fatetur, ex Syriaca versione manauit Græca, & Hebraica: nil ergo ponderis additur ex diuersis translationibus, præter originis veritatem. Idem in iterum esto, siue Syriaca, & Gręca ex Hebraica; siue Hebraica, & Syriaca ex Græca, quod adhuc ambiguum est, vt videbimus §. 13.

In aliis translationibus Tobias senior Tobit *plerumque scribitur, senior iunior Tobias.* Iustin. in Præf num 5.

4 *Translationes nomina mutant.*

P Cornel. Can. 19 in Pentat. P Tirin. Idiotis. 20.

Nemo nescit, qui in re Biblica aliquid scit, nomina propria Hebræa cum in aliam linguam transferuntur, tantisper saltem demutari, pro Hebræo *Iesua*, vel *Iehosua*, est *IESVS*; pro *Meschiach*, *Messias*; pro *Tsor*, *Tyrus*; pro *Chasdim*, *Chalde*; pro *Pesach*, *Pascha*. Qua super re legi potest P.Cornelius à Lapide, & P. Iacobus Tirinus. Exprompta hæc foret solutio, si vterque Tobias, in aliis exemptionibus *Tobit* nominaretur; nam exigua esset flexoria translationibus familiaris: at in Tobiæ senioris duntaxat nomine hæc variatio legitur, non in iunioris Tobiæ vocabulo. Vnde suspicari liceat mendum aliquod in has translationes irrepsisse (quod dùm inter se dissentiunt, agnouit Iustinianus, cùm ab eadem originaria idea discrepent) nam certum est, Tobiam filium idem cũ patre nomen habuisse, quod conuenit inter expositores, & negari nequit: sic enim scribitur cap. 1. *Cùm factus esset vir* (Tobias senior inquam) *accepit vxorem Annam de tribu suâ, genuitque ex eâ filium, nomen suum imponens ei.* Ergo senior Tobias, non diuersum, sed suum nomen filio imposuit: ergò Tobias iunior paternum nomen gestauit, non aliud; aliud autem gestasset nomen, si pater diceretur speciatim Tobit;

Iustin. sup n. 9.

Idem vtrique Tobiæ nomen, et si translationes dissentiant. Tob. 1. v 9

filius autem tanquam speciali vocabulo *Tobias* nuncupatim nominaretur. Nisi fortè velis idem prorsus esse *Tobit*, & *Tobias*. Quod si idem nomẽ est, eccur ergò non promiscuè patri, ac filio adæquè adscribitur: & si diuersum, quomodo Tobias pater *nomen suum imposuit* filio. Itaque doctè S. Hieronymus ex Chaldaicâ origine hanc historiam Hebraicè excipiens; idem ipsissimum *Tobiæ* nomen patri, & filio semper fecit: nec adhuc vocabuli syllabas variauit; tametsi ex eiusmodi syllabarum euariatione, eadem Tobiæ nominis significantia permaneret incolumis.

§. XII.

Ecquis huius libri scriptor, an alteruter, an vterque Tobias?

1. Ioan. Bened. Sixt. Sen. P. Bellarm. P. Salian. P. Serar. P. Sà. P. Tirinus. P. Menoch. P. Gordon. P. Euseb.

FVisse vtrumque Tobiam huius libri auctores, docent Ioannes Benedictus, Sixtus Senensis lib. 1. Biblioth. P. Robertus Bellarminus lib. de Scriptoribus Ecclesiast. *in Tobia*, P. Iacobus Salianus ad annum mund. 3315. num. 68. P. Nicolaus Serarius Proleg. 1. in Tobiam, P. Emmanuel Sà hîc, P. Tirinus, P. Menochius, P. Gordonus in Præfatiunculis ad Tobiã, & P. Eusebius Nierembergius de Orig. Sacræ Scripturæ, lib. 10. cap. 11. Qui existimant Tobiam seniorem vsque ad caput decimum-quartum exclusiuè scripsisse; filium autem ea solum, quæ à principio eiusdem capitis decimi-quarti vsque ad vers. 16. habentur: nam libri clausulam ab alio quopiam scriptam cõstat, quod accidit etiam in aliis Sacræ Scripturæ libris.

Iustinian. in Præfat. n. 1. Fabianus Iustinianus in eo conuenit cum præfatis Doctoribus, vt censeat, hanc historiã ab vtroque conscriptam; existimat autem non tantùm à Tobiâ iuniore scriptum caput decimum-quartũ, sed priora quoque tredecim capita simul cum patre scripsisse. Quod autem vterq; Tobias scripserit hanc historiam, probant; quia ab Angelo Raphaële vtrique Tobiæ mandatum videtur, vt eam litteris consignatam euulgarent. Sic enim cap. 12. Angelus ait: *Vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius.* Græci autem codices ita excribunt: *Scribite omnia, quæ consummata sunt, in libro.* Syrus: *Scribite hæc in libro.* Consonat, teste Serario, Hebræus textus. Ergò vterque Tobias Angelo obsequentes, hanc historiam non solum verbo, sed etiam scripto euulgauerunt. Accedit, quòd in Græcis, Hebraïcis, & Syris codicibus, scriptor de se in primâ personâ loquens, refert quod de seniore Tobiâ codex vulgatus enarrat: ergò idem videtur esse & scriptor, & qui huic historiæ præbuit argumentum.

Proponuntur rationes, quæ probant, vtrumque Tobiam scripsisse hanc historiam. Tobiæ 12. v. 20. Lxx. interp. Syrus. Hebræus. P. Serar. sup.

2. P. Salmer. P. Sanct. *Ambiguum est ecquis hanc historiam Chaldaicè scripserit.* Ps. 104. v. 2.

P. Alphonsus Salmeron tom. 1. Proleg. 9. Can. 3. & P. Gaspar Sanctius hîc Proleg. 1. seriò censent adhuc ambiguum esse, quisnam fuerit huius historiæ scriptor, quia adductæ rationes pro primâ sententiâ ad id asserendum non cogunt. Porrò illud Angeli: *Narrate omnia mirabilia eius*, necessitatem libri scribendi non inducit: sicut neque illud Psalmi: *Cantate ei, psallite ei narrate omnia mirabilia eius.* Reliquæ autem translationes è vulgato, aut intelligendæ, aut corrigendæ sunt, quod hîc luculenter Sanctius comprobat. Adhæc cùm constet hunc librum Chaldaïcè scriptum, è quâ linguâ illum Hieronymus Latinum fecit; nõ est verosimile Tobiam hominem Hebræũ Chaldaïco idiomate Hebræis scripsisse. Sic Daniel & Esdras, qui diù vixerunt in Chaldeâ, in libris suis pauca scripsere Chaldaïcè: illa nimirùm quæ de Chaldæis ad Chaldæos pertinerent: reliqua verò quæ ad Hebræos spectabant, Hebraïcè descripserunt. Hæ rationes P. Sanctij planè euincunt, indubiâ fide certum non esse, vtrumque, aut alterutrum Tobiam fuisse huius libri auctores; sed valdè probabili coniecturâ assensum, ad id censendum inclinare: nemo autem ambigat, id esse valde verosimile, etsi omninò certum non sit. Nam tametsi τὸ *Narrate omnia mirabilia eius,* (quod habetur in vulgato) non inducat scribendi necessitatem, nimis credibile fit, non solùm verbo in vrbe Niniue rem euulgasse; sed cùm Hebræi per captiuitatem dispersi essent in totâ Assyriâ, id conscriptis litteris latè publicasse, quò vberior Dei erga suos exules prouidentia cunctis innotesceret. Cuius non leue indicium est, quòd Hebræa, Syriaca, & Græca translatio, in primâ personâ agit, & quæ vulgatus de Tobiâ narrat, ipse Tobias senior de se scribit. Et sanè cùm ex Angeli præceptione id aliis notificare tenerentur, credibile est vtrumque Tobiã scripsisse rem hãc, non solùm ad fratres Hebræos, sed ad alios etiam sibi familiares, & notos apud quos exulabant, & quibus Tobias senior charus, & gratus fuisse perhibetur, quò Dei Israëlis in suos illustrior prouidentia, etiam exteris innotesceret, magnâ captiui & proculcati populi gloriâ. Vnde factum est, vt Chaldaïcè etiam hæc Tobiæ historia scriberetur. Quæ ratio nec Danielem, nec Esdrã perurgebat. Quod autem Chaldaicè scriptus sit hic liber, indubium facit S. Hier. vt constabit ex §. seq. Existimauerim tamẽ valdè credibile, alterutrũ Tobiam cum altero scriptionem communicasse, quò exactiùs quid cui accederet absente alio, narraretur.

3. *Infirmantur Sanctij rationes.* Tobiæ v. 13.

4. *Ex iunioris Tobiæ narratione per Epistolas, videtur hæc historia descripta, & quare.*

Itaque cùm Chaldaïca excriptio, cui respondet vulgata; & Arabica etiam, quæ huic consentit, agat in tertiâ personâ: Hebraïca, Græca, & Syriaca agat in primâ; valdè verosimile mihi est, Vulgatã editionem ex Epistolis, quas Tobias iunior ad suos Hebræos, & ad familiares Assyrios, siue Chaldæos descripsit, fuisse depromptam: reliquas verò (præter Arabicam) ex Epistolis seu narrationibus senioris Tobiæ: agũt enim in prima persona; Vulgata autem, in tertia, quasi de aliquo alio, non de se ipso. Porrò vtrique Tobiæ dictum est ab Angelo: *Narrate, Scribite*, ipsi narrarunt, & scripserunt; Tobias pater agens de se ipso in primâ persona; filius Tobias agens (vt par erat) de alio in tertiâ personâ: cumque Chaldaïca excriptio, & inde vulgata, agat similiter, verosimiliùs est e filij, quàm de patris narratione fuisse depromptam (legatur hâc super re Iustinianus sup. n. 6.) Hæc defæcata tunc erat, & ita hactenùs manet, (vt licet de Vulgato sentire) An verò senioris Tobiæ narratio, è qua reliquæ excriptiones fluxisse videntur, Hieronymi ætate pura seruaretur, an posteà mendum irrepserit; nunc ad nos nihil attinet. Hæc caussa cum aliis translationibus communis est. Et sanè Græcæ scriptiones huius libri, saltem in numerorum supputatione, minimè sinceræ videntur, de quo suo loco agemus.

Iustin.

5. *Probabile est ex vtriusque Tobiæ relationibus hanc historiam esse ab alio conflatam.*

Quòd si quis intentiùs contendat, Chaldaicam scriptionem conflatam fuisse ex vtriusque Tobiæ narrationibus, verbo, & scripto, famâ manante; & posteà ab Esdra, aut ab alio, qui diariis, aut annalibus conscribendis præerat, ea quæ ab vtroque Tobiâ notata erant, in ordinem redegerit; rem satis probabilem dixisset, quod saltem in postremis postremi capitis versiculis (sicut in aliis Scripturæ libris) fateri necesse est. Sed prior coniectura (coniectura tamen) magis adridet.

§. XIII.

§. XIII.

Quâ linguâ hic liber descriptus sit?

1 S. Hieron epist. 100.

Liber Tobiæ ex Chaldæo translatus.

LAtinam exscriptionem, qua in Vulgatis Bibliis vtimur, è Caldaïco exemplari conuersam esse à S. Hieronymo, haud dubium est; cùm ipse sic scribat ad Chromatium & Heliodorum: *Quia vicina est Hebræorum lingua sermoni Caldaico, vtriusque linguæ peritissimum loquacem reperiens, vnius diei laborem arripui, & quicquid ille mihi Hebraicis verbis expressit, hoc ego accito notario, sermonibus latinis exposui.* Ecce tibi historiam hanc è Caldaïco idiomate, Hebraïcè oretenus expressâ à viro illo Chaldææ, & Hebrææ linguæ loquace: & ex idiomate Hebræo latinè exscriptam à S. Hieronymo.

3 Iustin. sup. nu. 9.

Quot extent huius libri translationes.

Extat etiam duplex huius libri Hebræa trãslatio, vt ex Seratio docet Iustinianus; extat & Græca Sixtiana Complutẽsis, & Regia, & Vatabli perexigua discrepantia; extat & Syriaca in Romana bibliotheca Medicea. Hæ translationes etsi paulò fusiores sunt; valdè inter se consentiunt, & in eis Tobias senior αὐτοπρόσωπος, id est, in prima persona de se loquitur. Vt tradunt hi, quibus eas videre licuit, & ex segmentis quæ allegant, constat. Hebraïcam enim, & Syriacam nostra Hispania (quod sciam) hactenùs non vidit. Extat & Arabica apud D. Victorium Maronitam insignẽ linguarum in Romana Sapientia interpretem, vt testatur idem Iustinianus; quam & se legisse, & nostræ Vulgatæ consentire tradit. Quæ autem translatio ex qua fluxerit, diuinare citiùs licebit, quam aliquid verosimile affirmare. In re nimis ambigua & lubrica legat qui volet, coniecturas viri eruditissimi, Seratij inquam; (quibus nec ipse se credit) & Iustiniani vbi suprà num. 8.

P. Serar. Proleg. 2 in Tobiam. Iustin. sup. n. 8.

3. *Ambiguum est è quo prototypo cæteræ versiones exscripta sint.*

Verùm cum Arabica (vt perhibent) valde consentiat Vulgato, credibile est, ex Latina editione Vulgata in linguam Arabicam ab aliquo vtriusque linguæ perito translatam esse. Quo enim verosimili fundamento diceretur exscripta ex Chaldaïca origine, è qua Vulgatam editionem hausit, & expressit Hieronymus? Vnde verò translatæ sint editio Hebraïca, Græca, & Syriaca, quæ sibi valdè consentiunt, & in quibus Tobias senior de se in prima persona loquitur, ambiguum planè est. Nam tametsi Scripturas, quæ in Hebræorum censu habebantur canonicæ, constet, opera Lxx. Interpretum, ex Hebræa origine in Græcum idioma translatas adhuc sub iudice lis est, an Græca Tobiæ exscriptio, Lxx interpretum opera in lucem prodierit. Vnde hallucinari mihi videbitur quisquis affirmet ex Græca translatione Hebraïcam fuisse transcriptam, aut Græcam ex Hebraïca. Idem iudicium esto de Syriaca. Nisi fortè temporis tractu aliæ suppetant coniecturæ ad censẽdum non inidoneæ: aut noua lux oriatur, quæ lucernet hanc noctem. Illud mihi verosimillimũ est iuxta dicta §. præcedenti, quòd sicut vulgara editio, (& inde Arabica illi consentiens) exscripta est ex Tobiæ iunioris epistolica narratione: ita Hebræa, Græca, & Syriaca, ex narratione aliqua Tobiæ senioris descripta est; quandoquidem (vt sæpè notatum est) in prima persona semper de se loquatur. Notat Iustinianus nuper laudatus, quod si Græca, Hebraïca, & Syriaca variè sæpè inter se, diuersæque esse dignoscuntur, librariorum id vitio contigisse, quod nemini dubium esse debere affirmat. Fides auctorem appellet, neque ego id ausim asserere, cui neutram è duabus Hebraïcis translationibus, neque Syriacam videre licuit. Hanc putat præfatus Doctor à Tobia seniore conscriptam, & ex ea Græcam & Hebraïcam manasse. Sed cur non potiùs Syriaca ex Hebraïca ab Hebræo Auctore conscripta? Res planè ambigua.

Iustin. sup. n. 9.

§. XIV.

Quæ libri huius auctoritas.

1. Luther. in Sym. *Qui negant canonicam huius libri auctoritatem.*

PLerique Hæretici apocryphum esse putant hunc librum, ita Lutherus in Symposiacis cap. 29. Ionas Lutheri vmbra, & aliæ ex hoc cœno ranæ. Hi seriò censent Tobiæ historiam nil aliud esse quam drama, vel comœdiam, qua boni patris ac filij familias idea ethicè imitãda proponitur. Nec defuere ex Catholicis, qui putarent huius libri auctoritatem non esse canonicam, ita S. Hieronymus in prologo Galeato, & alibi sæpè, S. Athanasius in Synopsi, S. Gregor. Nazianzenus in Carmine de libris sacris, Origenes apud Eusebium lib. 6. cap. 25. Melito apud eundem lib. 4. cap 26 Ruffinus in exposit. Symb. Radulphus lib. 14. in Leuit. c. 1. Hugo Victorinus lib. de Sacramentis c. 7. Hugo Carensis in Iosuë Prolog. Richardus Victor lib. 2. Exception. c. 9. Petrus Comestor in Prolog Lyranus hîc & lib. 1. Reg. c. 16. Abulensis inibi, Caietanus in fine Commẽtariorum in historias veteris Testamenti. Et quod plus ponderis habere videtur, Concilium Laodicense can. 19. Quorum vna ratio est, quòd hic liber in Hebræorum Canone non censetur. Exinde legi posse dicunt ad morum ædificationem, non ad confirmanda fidei dogmata.

S. Hieron. S. Athanas. S. Nazianz. Orig. Melito. Ruffinus. Radulph. Hug. Vict. Hug. Card. Richard. Vict. Pet. Comest. Lyran. Abulens. Caietan. Concil. Laodic.

2.

Fuerunt tamen ex antiquis Patribus multò plures, qui huius libri fidem putant esse canonicam, quos seriatim recenset noster Cardinalis Robertus Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei c. 10. & 11. P. Nicolaus Serarius hîc Proleg. 5. Sixtus Senensis lib. 8. Biblioth. hæres. 11. Quod etiam docent Summi Pontifices, Innocentius I. in Epist. ad Exuperantium, Gelatius I. in decreto de libris sacris, Calixtus I. in Epistola 2. ad hæc Concilium Carthaginense 4. Can. 47. quod etiam tradit Concilium Florentinum, & & nouissimè Tridentina Synodus id apertè definit, sess. 4. adeò vt nullum exinceps relinquat ambigendi locũ. Aliqui autem ex antiquis Patribus oppositum tradiderunt, (quos nuper retulimus) quia eorum ætate id non clarè ab Ecclesia fuerat definitum. Nemo hodie nisi malè Christianus, aut bene hæreticus de canonica huius libri auctoritate ambiget. Certè S. Hieronymus Pharisæos vocat, qui quod non sit in canone Hebræorum descriptus, de catalogo illum diuinarum Scripturarum expungunt.

P. Bellarm. P. Serar. Sixt. Senens. *Canonica huius libri auctoritas.* Innocent. Gelasius. Calixtus. Cõc. Carth. Conc. Flor. Conc. Trid.

3. *Lutheri ratio in oppositum facilè diluitur.*

Arguit contrà nouus Aquilonis Apollo, Lutherus, inquam, quòd Tobias in prima persona de se ipso Græcè, Syriacè, & Hebraïcè loquatur. Plumbea hae machinula catholicam veritatem validè arietare præsumit. Hæc tamen ratio (si quid probat) duntaxat probabit, translationem Græcam, Syriacam, & Hebraïcam non esse admittendam in canone Scripturarum: Ecclesia autem has translationes non adprobante, & passim Doctores ex vulgata editione eas corrigunt. Vulgata autem editio, quam ex Chaldæo idiomate Latinam

nam facit Hieronymus, non in primâ, sed in tertiâ personâ loquitur. Imò nescio quid prohibet ad auctoritatem canonicam, quod Propheta de se in primâ personâ loquatur? Sic loquitur Nehemias, sic Isaias, sic Ezechiel. Expugnat ergo hos Prophetas cum Tobia: aut si hos non expungit, quæ est hæc inimicitiarum caussa cum Tobia?

2. Esd. 1. v. 1. Isai. 6. v. 1. Ezech. 1. v. 4.

§. XV.

Libri huius interpretes recensentur: & nonnullæ appendices notulæ præstrictim traduntur.

1. *Commentatores huius libri.*

IN omnem sacram Scripturam, atque adeò in Tobiæ librum, scripserunt Anselmus Laudunensis, qui Glossam interlinearem inseruit, Strabus Fuldensis in Glossâ ordinaria, totus de suo magistro Rabano Mauro institutus, Nicolaus de Lyra, Hugo Carensis, Dionysius Richel, P. Emmanuel Sà, P. Ioannes Mariana in postrema editione, quam P. Lampselius edidit, P. Iacobus Tirinus P. Stephanus Menochius, P. Iacobus Gordonus. Sed nuncupatim hunc Tobiæ librũ illustrauerunt S. Ambrosius in lucubratiuncula, quam S. Augustinus appellat, *Expositionem libri Tobiæ.* Venerabilis Beda expositionem scripsit allegoricam, & moralem Petrus Berchorius, P. Ludouicus Alcazar in cap. 8. v. 1. Apocalyp. Notat. 2. copiosè agit de mystico huius historiæ sensu. Federicus Nausea, & Marcellus aliqua ad mores & ad litteram propinant. P. Nicolaus Serarius, & P. Gaspar Sanctius; hic breui commentario litterali, ille eruditissimis quæstiunculis hunc librum exposuerunt, quibus addere licet P. Iacobum Salianũ, qui tom. 4 annal. multa de Tobia saltuatim perstringit. Demùm egregium commentarium litteralem & moralem ediderunt Dauid à Mauden Decanus Bredensis, & Fabianus Iustinianus Episcopus Adiacensis, qui ex Serario addit Bellatorem, Riccardum Labenhain Carmelitam, Matthæum Vindocinensem, Gerardum Lorinchium, Hadamarium, & Germanicè Hoffmeisterium, quorum scripta videre non licuit.

S. August. lib. 1 contra Iulian. Pelag. cap. 1. P. Alcazar.

2. P. Serarius. Mauden.

Huius verè aurei libelli multimodam ad instituendos mores vtilitatem, tradit P. Serarius hîc Proleg. 6. & Mauden in Prologo, qui ad rem morale n opportunissimus visus est, non tantùm sanctis Patribus, & Catholicis Scriptoribus; sed ab Hæreticis ipsis ad id præstandum apprimè commendatur. Id nos præstamus in Paragraphis ad informandos mores fabricatis; quos commentationi exegeticœ traditæ, pareneticœ vbertim de more inserimus.

Hic liber vel ab Hæreticis commendatur ad instruendos mores.

3. Non addesamus in hoc vestibulo plurima veterum Scriptorum loca, in varias virtutum classes tributa, quæ laudes Tobiæ deprædicet; (quod nimis foret exprompium) quia in multiiuga elogiorum congerie, non pauca nimis macra sunt, frigida languida. Si qua verò magis succulenta erunt, aut in eis nonnihil non vulgaris moralitatis scintillat, in theses morales suis in locis digeram. Quòd senior Tobias fuerit Propheta, solidè euincit Sanctius. De eius genere & patria, §. 16. tãquam in propriate se commodiùs agetur. Quo autem tempore res Tobiæ cõtigerint, signatè definire, arduum est. Sanctius proximè accedens ad computationem Eusebij, existimat natum sub

P. Sanctius. Proleg. 4.

P. Sanctius. Proleg. 5.

Olympiadum initium, & vixisse vsque ad Olympiadem 27. id est, ab anno mundi 4410. vsque ad annum 4522. nam vt constat ex c. 14. vixit centum & duos annos. Genebrardus anno mundi 3440. res Tobiæ indefinitè enarrat. P. Bellarminus lib. de Scriptoribus Eccles. *in Tobia*, censet captiuitatem decem tribuum contigisse anno ab orbe condito 3264. & hunc Tobiæ librum fuisse scriptum anno 3252. quod non valde sibi cohærere videtur: nam si Tobias abductus est in exilium Assyrium anno 3264 quomodo ea quæ etiam in ipso acciderunt exilio scribi potuerunt totos duodecim annos antequam accidere inciperent? P. Iacobus Salianus existimat natum anno mundi 32·6 & cùm ageret ætatis suæ annum 39. abductum in captiuitatem; atque adeò obiisse anno 33·8. in tanta Chronologiæ ambiguitate, ingenuè fatear cum Sanctio, quod nòn spero me assecuturum paucis, quod illi multis, studióque longo fortassè consecuti non sunt.

Quo tempore natus est Tobias.

Genebr. anno 3440. P. Bellarm.

P. Salian.

P. Sanct.

4. Sed nescio quem à tergo mussantem subaudio: Post Serarium & Sanctium quid in littera exponenda præsumis? post Mauden & Iustinianum frustra audes, etiam in re morali. Non detraham viris magnis, qui me ætate & eruditione longè præcesserunt, vt de eorum obscuritate splendere videar: magna exiguâ commendatio est, quæ de alterius exiguitate fulcitur. Sic autem me geram (sicut in Iuditha exponenda dudum me gessi) vt tenuis rudisque nostra sedulitas strenuos messores sequens, Ruthæ adinstar, humile spicilegium faciat, & spicarum manipulos colligat, non quibus lolei hi fratres inuideant, sed qui ad communem vtilitatem doctrinæ granula offerant. Et sanè veritatis adhuc perpetuus riualis sum; & sicubi illa m inuenio, peramanter amplexabor, siue in Serario, siue in Sanctio, siue in Iustiniano, siue in quovis alio aut veteri, aut recenti. Ne autem aut nauseam moueam rescribendo, aut omittendo lacunam faciam, in epitomem redigam: addamque aut notatiunculas, aut notas, siquid denuò addendum suppetat. Si verò quidpiam aut minùs in aliis placet, aut intermissum censuero, aut noua luce indignum; vberi & pleno commentario tradam. Nam (vt in Iudithæ Prologo, ex Del Rio præfati sumus) *non adducar vt faciam, quod multi, qui videntur copiosi, fecere, nimirum quicquid notatu dignum putauerint, aut sciuerint, id in vnum Commentarium, quasi in penum, condiderint, stipauerintque. Quod nemo mediocriter eruditus non potest facere, vel ad lectoris nauseam.* Animus non est, onerare loca, sed explicare; non ea superuacuâ eruditione infarcire, quò distenta appareat, (qui tumor esset, non magnitudo) sed quam possem faculam ad clarandum textum offerre. Non quam multa, sed qualia, & qualiter dixeris, iudicij libra pendere operæ pretium est. In re autem morali tractanda, si alicubi exundat Mauden, aut Iustinianus, thesim illam aliunde petitis expensionibus, succinctiùs verso: quam succinctiùs versant, copiosiùs adorno. Dicam audaciusculè: nihil quod illi ad mores propinant, nec primoribus labris degusto; nec actum agam. Et vt paucis multa stringam, in morum ethicè instruendorum via, illud mihi itinerarium est. Ne verò hoc volumen euadat prolixiùs, hanc lucubrationem in duos tomos distribuo. Posterior prioris premet vestigia: confestim Estherem dabo, quò meam fidem olim datam, non sera rei solutione liberem.

Cur Auctor post tot præstabiles commentatores hunc Tobiæ librum exponat.

Auctor in Prolog. super Iudith n. 12.

LIBER

LIBER TOBIÆ.

SYNOPSIS CAPITIS PRIMI.

Tobias ante captiuitatem adhuc iuuenis, nihil meditatur puerile. Reliquis Hebræis aureos vitulos adorantibus, ipse in auitâ religione persistit. Captiuus in Assyriam sub rege Salmanasare abductus, vitam Regis fauore nactus & liberam & honestam, per latissimam regionem discursans, alios verbo, alios necessario vitæ subsidio solatur. Decem argenti talenta cognato Gabelo dat mutua: cùmque Sennacherib quòd mortuos Hebræos piè sepeliret, impiè persequitur: sed amicis latebris inimicum Regis furorem deludit.

CAPVT PRIMVM.

1. TOBIAS ex tribu & ciuitate Nephtali (quæ est in superioribus Galilææ
supra Naasson, post viam quæ ducit ad Occidentem, in sinistro habens
ciuitatem Sephet.) 2. Cùm captus esset in diebus Salmanasar regis
Assyriorum, in captiuitate tamen positus, viam veritatis non deseruit.
3. ita vt omnia, quæ habere poterat, quotidie concaptiuis fratribus,
qui erant ex eius genere, impertiret. 4. Cumque esset iunior in tribu Neph-
tali, nihil tamen puerile gessit in opere. 5. Denique cùm irent omnes ad vi-
tulos aureos, quos Ieroboam fecerat rex Israël, hic solus fugiebat consortia
omnium, 6. sed pergebat in Ierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat
Dominum Deum Israël, omnia primitiua sua, & decimas suas fideliter offerens.
7. Ita vt tertio anno proselytis & aduenis ministraret omnem decimationem.
8. Hæc & his similia secundùm legem Dei puerulus obseruabat. 9. Cùm ve-
rò factus esset vir, accepit vxorem Annam de tribu sua, genuítque ex ea filium,
nomen suum imponens ei. 10. Quem ab infantia timere Deum docuit, &
abstinere ab omni peccato. 11. Igitur, cùm per captiuitatem deuenisset cum
vxore sua, & filio in ciuitatem Niniuen cum omni tribu sua: 12. & cùm om-
nes ederent ex cibis gentilium, ipse custodiuit animam suam, & nunquam con-
taminatus est in escis eorum. 13. Et quoniam memor fuit Domini in toto cor-
de suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar regis: 14. & dedit illi
potestatem quocumque vellet ire, habens libertatem quæcumque facere voluis-
set. 15. Pergebat ergo ad omnes qui erant in captiuitate, & monita salutis da-
bat eis. 16. Cùm autem venisset in Rages ciuitatem Medorum, & ex his qui-
bus honoratus fuerat à rege, habuisset decem talenta argenti: 17. & cum in
multa turba generis sui Gabelum egentem videret qui erat ex tribu eius, sub chi-
rographo dedit illi memoratum pondus argenti. 18. Post multum verò tem-
poris mortuo Salmanasar rege, cùm regnaret Sennacherib filius eius pro eo, &
filios Israël exosos haberet in conspectu suo, 19. Tobias quotidie pergebat
per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, diuidebátque vnicuique,

prout poterat, de facultatibus suis. 20. Esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, & mortuis atque occisis sepulturam solicitus exhibebat, 21. Denique cùm reuersus esset rex Sennacherib fugiens à Iudæa plagam, quam circa eum fecerat Deus propter blasphemiam suam, & iratus multos occideret ex filiis Israël, Tobias sepeliebat corpora eorum. 22. At vbi nunciatum est regi, iussit eum occidi, & tulit omnem substantiam eius 23. Tobias verò cum filio suo, & cum vxore fugiens nudus latuit, quia multi diligebant eum. 24. Post dies verò quadraginta quinque occiderunt regem filij ipsius, 25. & reuersus est Tobias in domum suam, omnisque facultas eius restituta est ei.

---

§. XVI.

Commentarius litteralis.

Vers. 1. Tobias ex tribu, & ciuitate Nephthali (quæ est in superioribus Galilææ supra Naasson post viam quæ ducit ad Occidentem, in sinistro habens ciuitatem Sephet)

1. TOBIAS.] Huius nominis significationem sup. à dedimus §. 11. n. 1. quod linguæ significantia Tobiæ elogia decantat. Eius genealogiam, quam Vulgatus omittit, contenti dixisse ex tribu Nephthalitica ortum ducere; Græcus, Syrus, & Hebraïcus textus copiosè tradit, qui progenitus dicitur patre Tobiel, auum recenset Ananiel, proauum Aduel, (in Hebræo Ariel) abauum Gabaël, tritauum Asiel: tritaui huius pater in Hebraïco textu habetur Nenathiel. Cùm autem Græcè, & Hebraïcè dicitur Tobias. *De semine Asiel, de tribu Nephthali*, fortè innuitur, (vt notat Iustinianus) hunc Asielem fuisse virum aliquem olim principem in tribu Nephthali, exindè tanquam Israëliticæ genti notum, honoris causa nominari. Itaque Tobiam accepit nobilem Israëlitica philosophia, & nobilem fecit. Et sanè verosimillimũ est fuisse virum nobilem; cũ ipse Tobias, etiam in captiuitate, à rege Salmanasar constitutus sit omnium, quæ ad Regem spectarent, emptor, & procurator: & Achiachatus Anaël filius fratris, à rege Sarchedono electus sit ab anulo signatorio, vt ex aliis trãslatoribus notat Iustinianus. Notum est, Nephthali, Nephthaliticæ tribus patriarcham, fuisse Iacobi filium, ex Bala Rachelis ancilla susceptum: & indè, si Nephthaliticæ gentis stirpem spectes postremæ inter reliquos Iacobæos nobilitatis fuit. Sed qui propria, & maiorum virtute plores è nobilioribus natiuitate tribubus anteiuit, rebúsque præclare gestis sese auctiùs nobilitauit. Quod de Bulgaris dixit ad Theodoricum Ennodius: *Hæc est natio in quâ titulos obtinuit, qui emit aduersariorum sanguine dignitatem, apud quam campus est vulgator natalium. Nam cuius plus rub erunt tela luctamine, ille putatus est sine ambage sublimior.* Si generis prosapiam spectes, omnis Nephthalitica tribus æquè honesta est. Sed res gestæ Asielis, sublimissimè posteros nobilitarunt.

Tobiæ prosapia recensetur.

Iustin. hic docum. 1.

Gen 30 v. 7.

Nephthalitica gens rebus etiam gestis nobilitatem emit.

Ennod. in Panegyr.

2. *Ex tribu, & ciuitate Nephthali.*] De Tobiæ patria nihil habemus à Vulgato, quàm fuisse è tribu & ciuitate Nephthali, quò edocemur, *Nephthali* nomen esse commune & tribui, & alicui ciuitati, in ea tribu sitæ, & quæ reliquarum videtur esse præstantior, quandoquidem commune totius Nephthaliticæ familiæ, aut tribus nomen, quasi sibi proprium vindicauit. Hæc vrbs, quæ à Vulgato dicitur *Nephthali*, in Græco, & Hebræo textu *Thisbe* nominatur, an binominis fuit? Quidam apud Sanctium lib. 3. Regum cap. 17. vers. 1. & Salianum ann. m. 3276. num. 3. putant ab hac vrbe Eliam Thesbitem dici; quod difficile est; cùm ciuitas hæc, quæ *Nephthali*, seu *Thisbe* nuncupatur, sita sit in sorte tribus Nephthaliticæ: Elias verò in nuper allegato Regum loco dicitur *de habitatoribus Galaad*: Galaad autem vltra Iordanem sita est: & in tribu Gad *Thisbe* alia ponitur à Tirino, & Adrichomio.

Nephthali, seu Thisbe nõ est Eliæ patria.

P. Sanct.
P. Salian.

3. Reg. 17. v. 1
Tirinu in Topogr
Adricho. n. 4.

3. *In superioribus Galilææ.*] In sacris libris persæpè auditur superior, inferiórque Galilæa illa *Galilæa gentium* Isaiæ 9. & passim apud Iosephum appellatur; aut quia sese infert Tyris, & Sidoniis, & inde Gentilibus confinis erat: aut quia in ea regione Tyrij aliquas incoluere vrbes, illas nimirùm quibus Salomon pro templi Ierosolymitani fabrica, Tyrij regis sumptus compensauit. 3 Reg. 9. vers. 11. etsi contra ster Masius: nobis ferè reliqui militant. Præterea Galilæa Gentium, *superior* etiam *Galilæa* nuncupatur, quia in editioribus Palæstinæ locis sita est: quippe ex eo terræ tractu Iordanis fluminis decurrit in cæteras Palæstinæ prouincias Ierosolymam versùs. Sicut ex Rheno Germania, alia superior, inferior alia, eandem ob caussam nominatur, vt hîc notant Carthusianus, Serarius, Sanctius, Tirinus, Iustinianus, & Menochius. Itaque *in superioribus Galilææ*, idem erit ac in Galilæa superiori: nam Galilæa, quæ in editioribus regionis partibus est, rectè superior Galilæa nuncupatur.

Isaiæ 9 v. 1.
Ioseph. l. 3. de bell Iud c. 2.
Quæ superior quæ inferior Galilæa.

Masius in Iosue 19.

Carthusian.
P. Serar.
P. Sanct.
P. Tirinus.
Iustinian.
P. Menoch.

4. Nota, quòd Galilæa superior seu Gentium, licèt cis Iordanem sit, tamen Isaiæ 9. dicitur *trans Iordanem*, quoniam adspectu ad Ierosolymam, est vltra mare Tiberiadis, quæ est præcipua Iordanis pars; secùs Galilæa inferior, quæ Ierosolymitanis citerior est. Ad hæc notant Serarius, & Tirinus, quòd licet Samaria iaceat inter Galilæam & Iudæam, (vt constat ex Ioannis 4. & Lucæ 9.) tamẽ in Hebraïco textu Galilæa appellatur Samaria; nam qui Galilææ tribubus regnabat, pro vrbe regia, & Israëlitici regni metropoli, vrbem Samariam habuit, 3. Reg. 16. Exinde quos Iosephus 18. Antiquitatum cap. 5. & Egesippus lib. 2. de Excid. cap. 5. Samaritanos vocat eosdem Christus Lucæ 3. Galilæos appellat.

Isai 9 v. 1.
Galilæa cis Iordanem sita, cur vltra Iordanem esse dicitur?
P. Serar.
P. Tirin.

Iosephus.
Egesippus.

5. *Supra Naasson.*] quod oppidum est eiusdem tribus, de quo Adrichomius in *Nephthali*, n. 71. & Tirinus in Topographia. Dicitur autem vrbs Nephthali sita supra oppidum Naasson, quia tribus ferè milliaribus vnius horæ, seu leucis Hispanicis, vrbs Nephthali orientalior est iuxta viam, vel post, quæ ad Occidentem seu mare Mediterraneum ducebat, vt exponit Serarius, quod in tabulis

Adrichom.
P. Tirinus.

P. Serar. in Comment.

bulis geographicis Adrichomij, & Tirini, oculis lustrare & explorare licet. In Græcis codicibus pro *Naasson* scribunt *Aser*, fortè eodem sensu: nam ciuitas Naasson confinis est tribui Aser, eâ parte quâ Naasson vergit ad occidentem, seu mare mediterraneum.

6. *In sinistro habens ciuitatem Sephet*] quia vrbs Nephthali versus Septentrionem (quæ sinistra mundi pars dicitur) vno milliario distantem habet ciuitatē Sephet Hebraïcè de vrbe Nephthali, seu Thisbe dicitur: *Quæ est à dextera Cades Nephthalim*, & recte quidem: nam vrbs Nephthali seu Thisbe, ortu Tobiæ nobilis, versus Austrum sita est respectu Cades (seu Cedes) Nephthalim, quinque milliaribus ab ea dissita; Australis autem mundi plaga, dextera appellatur; sicut Borealis dicitur sinistra. Consule Iustinianum hîc n 4 & 5. vel potiùs oculis lustra tabulas Brocardi, Adrichomij, & Tirini, & vno obtutu videbis bis clarè, quod multis etiam verbis inuisum obscure explicabis. Itaque vrbs Nephthali, quæ in Hebræo & Græco *Thisbe* nominatur, dicitur sita *à dexterâ Cades Nephthali*, quod in Bibliis Sixtianis exscribitur, *A dextris Cydios Nephthali*. Quid autem significet τὸ *Cydiosi*, se ignorare fatentur ingenuè Romani illi, qui notulas Bibliorum Sixti eruditè scripserunt. Biblia Complutensia, & inde Regia, non κυδίως Cyεος, sed κυρίως habent: & inde vertunt, *a dextris proprii Nephthali*, (non *à dextris Cydios Nephthali*) vt sensus sit, ait inibi Vatablus *à dextera propriè dicta vrbis Nephthalim* Sed fortè vrbs quæ appellatur, *Cades* aut *Cedes Nephthali*, dicitur etiam *Cydios Nephthali*: & pro κυδίως facilè mendum irrepserit, κυρίως. nempè δ in ρ mutatâ, obuio lapsu, nam τὸ *propriè* ibi prorsùs vacare videtur, quicquid dicat Vatablus.

Hebræus. Iustinian. Bibl. Sixt. *Forsan Cedes Nephthalim & Cydios Nephthalim, idem est.* Vatabl. ibi.

Vers. 2. Cùm captus esset in diebus Salmanasar regis Assyriorum, in captiuitate tamen positus, viam veritatis non deseruit.

7. Græci codices habent, *In diebus Enemessari regis Assyriorum.* Sed hic Enemessarus idem est ac Salmanasar. Sin aliter Græcus textus corrigendus est ex Vulgato: siquidem non Enemessarus, sed Salmanasar frequens reperitur in libris Reg. & Paralip. cùm de Israëlis expugnatione agitur; nusquam Enemessarus, nisi in Græcis codicibus, quos secutus est Athanasius in Synopsi. Cęterùm cùm exploratum sit, quatuor Assyrios reges expugnasse Israëlitarum regionem, aliquibus explicatu arduum visum est, sub Salmanasar, & non sub Theglathphalasar Tobiam abductum in captiuitatem. Primò Phul Assyriæ rex simul cum Theglathphalasar, regione vltra Iordanē occupatâ, tribum Ruben, & Gad, & dimidiam Manasse tribum, in Assyriam abduxere captiuas, 2. Paral. 5. vers. 26. Dein Theglathphalasar rex, Galilæam, & nominatim Nephthalitas in Assyriam deportasse dicitur, 4. Reg 15. vers. 29. Mox Salmanasar Samariâ triennio expugnatâ, quod è decem tribubus reliquum erat, in alienum transtulit solum. 4. Reg. 17. vers. 6. Denique Sennacherib rem Iudaïcam turbauit, sed ab Angelo perculsus ad patriam remeauit. 4. Reg. 19. vers. 35. Profectò si in comperto est, à Theglathphalasar primò Galileā, & nuncupatim tribum Nephthali depopulatam, & in exilium abductam; quomodo non à Theglathphalasar Tobias deportatus est cum suâ tribu? S. Thomas & Hugo secuti Hieronymum in cap. 10. Isaiæ, censent Salmanasarem fuisse binominem, & appellari etiam Theglathphalasar. Verùm tametsi in Bibliis persæpè legantur plures binomines, & nunc vno, nunc alio nomine nuncupentur; hic tamen nullâ necessitate vrgente asseritur. Non enim necessarium est ad extricandum difficultatis nodum: & quasi de diuersis Scriptura loquitur; & in Chronologiâ regum Assyriæ, tanquam diuersi recensentur.

Athanas. *Quatuor Assyrij reges expugnarunt Israëlitas.* 2 Paral. 4 Reg. 15. 4. Reg. 17. 4. Reg. 19. D. Thom. Hugo, Hieron.

Ingenuè itaque fatendum est, Theglathphalasar depopulatâ Galilæâ, tribum Nephthaliticam ad Assyrios deportasse: at quis sibi seriò persuadeat omnem omninò tribum Nephthali duxisse captiuam, neminemque relictum, sed omnes ad vnum abductos? Abduxit itaque diuites, proceres, bellatores; reliquit ceteros: quod post aliquot annos fecit rex Chaldæus in Ierosolymæ excidio. Ergò verosimile est, nunc parcitum Tobiæ, aut quia puer erat, & inde victori Assyrio inutilis; aut quia non erat de Summatibus, aut opulentis: & inde cum tenui plebe vltrò derelictus est. Porrò nusquam de Tobia legitur, in patrio solo, aut locuplete censu, aut illustri munere militiæ vel togæ fuisse conspicuum: sed honestis & ingenuis parentibus natum, vitam priuatam quasi è plebe aliquem, piè transegisse. Hunc discursum adducit, & erudite probat Salianus tom. 4. an. m. 3314. & Sanctius hîc. 8.

Cur Tobias parcitum est, antequam abduceretur in captiuitatem. Salian. Sanct.

In diebus Salmanasar.] Hoc est; viuente, & Assyriis imperante Salmanasare: *Dies* enim in Scripturâ sumi pro annis, probare pudet. Nempe Salmanasar primo regni sui anno fecit sibi tributarium Oseë regem Israël; octauo Samariam obsedit, decimo eam cepit, & decem tribus in Assyriam abduxit, ita Tirinus in Chronico sacro cap. 33. Quò autem hæ decem tribus deportatæ fuerint, latè tradunt commentatores in libris Regum, & Paralip. & legi potest Salianus ad annum 3314. num. 11. & 12. & 13. & Genebrardus ad annum 3440. Sat nobis esto, Tobiam à Rege Assyrio in Niniuen Assyriæ metropolim abductum.

Tirin. Salian. Genebrard.

Viam veritatis non deseruit.] Veritatis via dicitur, quę à Dei lege per Moysen promulgatâ, rectâ ratione hominibus insitâ & diuinâ voluntate nunquam exerrat. Τὸ *non deseruit*, plane indicat, à primis annis Tobiam in patria suscepisse pium ac religiosum viuendi institutum, illudque in captiuitate non deseruisse, sed perpetuò fuisse sectatum, adeò vt, nec atrocioris calamitatis malo, nec idololatrarum Assyriorum consuetudine, nec contribulium suorum (qui à patriâ religione defecerant) conuictu, exorbitarit ab agnatæ pietatis & piæ religionis proposito. Quod in sequentibus versiculis explicatiùs narratur. 9

Vers. 3. Ita vt omnia, quæ habere poterat, quotidie concaptiuis fratribus, qui erant ex eius genere, impertiret.

Græcus textus nempè Sixtianus, Complutensis, & regius & Vatablus; Hebræus, & Syriacus etiam, vt refert Iustinianus; hinc loqui incipiunt in prima personâ, quasi hic liber foret quædam Epistola aut narratio ipsius de se Tobię. Lxx. interpretes in Bibliis Sixtianis sic exscribūt hunc versiculum. *Ego Tobia viis veritatis ambulabam*, 10

Varia translationes huius versiculi.

Via veritatis est via integra.

labam, & iustitiæ, omnibus diebus vitæ meæ: & eleemosynas multas feci fratribus meis, & genti, profectis mecum in regionem Assyriorum in Niniuen. Biblia Complutensia & Regia ferè non dissident. Vatablus verò sic habet. *Ego Tobias omni tempore vitæ meæ itineribus integritatis incedebam*, &c. Vbi aduertere licet, pro eodem vsurpari, viam veritatis, & integritatis viam.

Biblia Sixt. Complut. Regia Vatabl.

Hic versiculus, quædam complexio est eorumque exul piè egit, & quę fusiùs & explicatiùs post eà narrantur à v. 15. Dicitur Tobias in pauperes erogasse [*Omnia quæ habere poterat*] Id est, omnia quæcūque è reculis & substantiolâ suâ vndequaque colligebat. Nam quę habemus, erogare possumus; nō quæ habere possumus, erogamus. *Quotidie.* Non singulis diebus; sed persæpe: multus & frequens erat in eleemosynis faciē is. [*Fratribus*] Non modò concapiuis contribulibus, id est, eiusdem Nephthaliticæ tribus; sed etiam reliquis, *qui erant ex eius genere*, nempe HebrϾ gentis ita Hugo, & Carthusianus ad hunc versiculum.

Tobias eleemosyna contribulibus suis erogat &.

Hugo. Carthus.

§. XVII.

commentarius litteralis.

Vers. 4. Cúmque esset iunior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile gessit in opere.

1 BIBLIA Sixti, Complutensia, Regia, Vatablus, *Cùm ego essem iunior*, vel *me iuniore existente*, exscribunt. Quæ translationes minùs facessunt interpretibus negotiū Porrò incredibile videtur in totâ regione Nephthali neminem reperiri Tobiā iuniorem: Sed durum est existimare Sanctio, & Mauden, post euersam Nephthaliticā tribum, & in Assyriam abductam à Theglathphalasar, adeò perpaucos fuisse relictos, vt potuerit Tobias esse omnibus iunior: Nempe inter eos qui tunc ætate erant iuuenili, nemo erat in illo ætatis ordine aut iunior, aut moratior Tobiâ. Verùm cùm diminuscula censeatur hęc commentatio, pręstabit sic locum interpretari, vt sensus sit: Adeò benemoratus à primis annis Tobias fuit vt etiam in primo iuuentutis flore, cùm ineunte adolescētia solet iunior ætas effusiùs lasciuire; cęteris contribulibus vtplurimùm iuuentutis vitia impotenter sectantibus, ipse adhuc in primæ iuuentæ effreni ætate, iuuentutis illecebras sectatus non fuit. Nempe Tobia in ineunte iuuentute, & in iuuenture etiam magis adultâ, præ omnibus suæ ætatis adolescentibus declinauit periculosa illius ætatis vitia. Itaque sic comparatio cùm reliquis intelligenda est, vt Tobia etiam cùm primam iuuentutem auspicatus est, seu cùm primò iuuenis esse cœpit, præ omnibus contribulibus suis, agnata iuuenibus vitia deuitarit. Huic commētationi fauet, quòd Scriptura has generales locutiones non adeò pressè, sed plerumque laxiùs accipere solitat; (quod peritè notauit S. Hieronymus Epist. 146. ad Damasum) tum etiam quòd reliquæ translationes non *iunior omnibus*, sed *iunior* duntaxat interpretantur. Ex translationibus autem non exigua lux Vulgato solet accendi. Et quidem Lyra, Hugo, Carthusianus, Tirinus, Menochius,

An Tobias tunc fuerit iunior omnibus contribulibus suis.

Sanct. Mauden.

Hieronym.

Lyra. Hug. Carthus. Tirinus. Menoch.

Emmanuel Sà, & Iustinianus, *iunior omnibus*, id est, ferè omnibus commentantur.

Sà Iustin.

Nihil tamē puerile gessit in opere.] Non crediderim hîc dici, Tobiam in puerili ætatulâ infantilibus abstinuisse iocis, qualibus delectari solet pueritia, & in quibus nulla apparet vituperanda leuitas animi, in eo quem vsus rationis non firmauit. Ecquis enim in puerulo vituperet pueriles nugas, puppas, nuces, crepundia, & his similia. 2

Fortè Tobias infantilibus delectabatur nugis.

Ædificare casas, plostello adiungere mures,

Ludere par, impar; equitare in arundine longa?

Neque his ludicris iocis prorsùs abstinuisse, magnâ laude dignum in puerulis reputatur. Sat erit puerulos non nimis effundi in his lusibus, neque huiusmodi nugis attonitos teneri. Sicut laudi datum est Basilio, Malachiæ, Thomæ Aquinati, & aliis in quibus pueritiæ videbatur præcucurrisse velut matura senectus, quia his infantilibus iocis moderatiùs indulsere adhuc in tenellâ ætate.

Verùm neque de his nugis, neque de hac ętate existimo hîc agi; sed de ætate iuuenili, quæ in alia solet effundi vitia; qualia sunt comessari, aliis petulanter insultare, aleæ dare operam, rixari, lasciuire, & alij eiusmodi agnati adolescentiæ nęui, quibus Tobias caruisse dicitur. Nam si attentè legatur contextus, non tam de pueritiâ, quàm de Tobiæ iuuentute agi videtur, dum dicitur in iuniori ætate nihil egisse puerile. *No se vio en Tobias vicios de moços*, Hispanè dicimus, *moçedades*. Sicque moribus ætatem transcendit, dum in adolescente vitia exulabant adolescentiæ. Hanc expositionem indicant Lyra, Hugo, Carthusianus, & disertè tradit Sanctius; etsi contrà stent Serarius, & Menochius.

Tobias in iuuentute iuuentutis ignorauit vitia.

Lyra. Hugo. Carthus. Sanctius. Serar.

Vers. 5. Denique cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat rex Israël, hic solus fugiebat consortia omnium.

Græca exscriptio paulò fusior est, ideò piget illam transcribere. Siquid verò affert, quod lucem Vulgato accendat, in commentatione intersèram, quod exinceps perpetuò præstabo. Neque enim animus est, inutili rerum & verborum sarcinâ textum commentando onerare, sed potiùs expedite, quò clareat explicatiùs, & expeditiùs fluat. 3

Cùm irent omnes.] Tò *omnes* complecti non solùm tribum Nephthaliticam, sed etiam reliquas, quæ sub Ieroboamo defecerunt à domo Dauid; & apertè tradunt cęteræ translationes, & signum vniuersale *omnes*, id videtur signatè demonstrare. Neque inde credibile est, *omnes* ad vnum homines qui sub decem apostaticis tribubus censebantur, veri Dei religionem deseruisse; sed popularitei defectam à ferè omnibus, vt liquido cōstat ex 2. Paral. 11. vers. 16. & infra in hoc libro cap 5. in translatione LXX. interpretum, vbi Ananiam & Ionathā filios Semei magni, laudat, quòd adhuc veri Dei cultores extiterint, nec Ierosolymitanum Israëlitici numinis sacrarium auersati sint. Itaque *omnes* idem est ac, propè omnes, ex maiori parte totum censendo; quia pauculi fuerint, qui aureos Ieroboami vitulos non adorarunt. Ita Lyranus, Hugo, Carthus. Serar. Iustinianus, Sanctius, Tirinus. Hæc expositio ex dicendis ad vers. sequentem, amplius roboratur.

Menoch. *In decē tribubus apostatis aliqui veri Dei cultores erant.*

2. Paral 11.

Lyra. Hugo. Carthus. Serarius. Iustinian. Sanct.

Vitulos aureos.] Vatablus, *Baali illi iuuencæ sacrificarent.* 4

Quare nunc vitulus, nunc vitula dicatur idolum Baal?

3. Reg.

sacrificarent. Lxx. *Ipsi Baal, ipsi vitulæ.* Biblia Complutensia, & Regia, *Baal peccati.* Scitum est ex 3. Reg. 12. Ieroboamum, cùm defecisset à Roboamo rege Iuda, ne decem tribus, quibus imperabat, religionis causa Ierosolymorum templum frequentarent, & inde regi Iuda adhærescerent; duplicem erexisse arã, vbi Israëlitæ Baali litarent, quos *vitulos aureos* hîc appellat Vulgatus Græcæ, & Hebraicæ exscriptiones, *vitulæ*, aut *iuuencæ*, quas *vaccas Bethauem* vocat Oseas cap. 10. quo loco, & sæpè alibi Lxx in fœminino genere δαμάλεις scribunt. Ratio quare nunc *iuuencæ*, nunc *vituli* nominentur, est quòd eam Exhodi 32. ad montem Sinaï, quàm 3. Reg. 12. non totum bouis corpus, sed bouinum duntaxat caput expressum fuit, vnde nulla in simulachro apparebat sexus nota: & inde *vituli* siue *vitula* nuncupatur bouinum simulachri caput. Ita Hieronymus super Osee 7. Augustinus in Psalm. 73. Ambrosius l. 1. de Pœnit. cap. 8. Hac super re consule Serarium ad caput 2. Iudicum, & Sanctium in Osee cap. 10.

Osee. Exhod. 3. Reg. Hieronym. August. Ambr. Serar. Sanct.

5\. Hinc clarescit præclarior Tobiæ laus, nimirùm quòd cùm Nephthalitæ, & reliquæ decem tribus verùm Israëlis Deum fuissent auersatæ, & aureos vitulos propulariter adorarent; Tobias solus, aut præ omnibus, contribulium idololatrarum piè consortium deuitaret. Singula illustro verba. *Cùm irent*, id est, cum iuissent; neque enim tunc cœpit defectio, sed ante ducentos retrò annos, quibus regnum Israël stetit. Itaque sensus est cùm olim iuissent, & adhuc irent. *Omnes*, ferè omnes, quià pauculi non ibant [*Ad vitulos aureos*] vel vaculas aureas (bouinum, inquam, caput quod idolum Baal præsentabarur) adorandos; *Hic solus*, id est præ omnibus: perpauci enim Israëlitarum non colebant idola Baal, quæ Ieroboamus erexerat.

Singula huius versiculi verba sigillatim explanantur.

Vers. 6. Sed pergebat in Ierusalem ad Templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israël, omnia primitiua sua, & decimas suas fideliter offerens.

6\. Sicut præcedenti versiculo de Tobia dicitur, quòd cùm irent *omnes*, hoc est propè omnes contribules sui ad aureos Baalim vitulos adorandos, ipse eorum consortia piè declinabat: ita nunc dicitur, solum Tobiam pergere solitum ad Ierosolymæ templum; non quòd puer adhuc solus semper iret; sed quia pauculi admodum ibant, sicut 4. Reg 17. v. 18. dicitur: *Non remansit nisi tribus Iuda tantummodò*, cùm etiam tribus Benjamin illi adhæserit: quod enim pauci faciunt, non factum vulgò perhibetur. Sic Magister solus dicitur esse in gymnasio: cùm pauculos habet auditores: sic Rex incomitatus dicitur, cũ paucos habet comites: sic malè pransus, dicitur ieiunus; & nudus, qui malè vestitus est. Sexcenta alia exempla adaggerant hîc interpretes ad fastidium vsque lectoris.

Quod pauculi faciunt, nemo fecisse dicitur.

4 Reg.

Pergebat in Ierusalem] Sæpè incomitatus, & solus sæpius pauculis comitibus adsociatus: semper clanculùm, vt contribulium apostatarum declinaret inuidiam, & minaces regum iras. [*Ibi adorabat Dominum.*] Idola vana semper auersatus, pius verum Deum in Ierosolymitano Sacrario frequens adorabat. Ibat autem ad Ierusalem diebus festis à lege statutis, in Pascha, inquam, Pentecoste, & Scenopegia, vt disertè habetur in Hebræo, & Græco textu.

Ter in anno ascendebat Tobias in Ierusalem.

Omnia primitiua sua, &c.] id est, primitias omnium quæ nascuntur animalium, frugum, & quæ totæ cedebãt Domino, id est Domini Sacerdotibus. Primitiæ autem nec erant plus quàm quadragesima fructuum pars, nec minùs quàm sexagesima; sed inter hos duos terminos eas quisque pro sua voluntate metiebatur, vt ex Hieronymo in Ezech. 45. docet Ribera l. 3. de temp. c. 2. ad finem. Consule Cornelium in cap. 17. Numer. v. 12. [*Et decimas suas.*] Triplices decimas Ismaëliticus populus pendebat. Primæ erant omnium frugum terræ, gregum, & armentorum, quæ totæ dabantur Leuitis. Secundæ decimæ erant illæ, quas singulis annis Hebræi separabant post primam decimationem, ex nouem residuis sibi partibus accipiendo decimam, vt ex ea, euntes ad tabernaculum, partim in itinere viuerent, partim offerrent hostias pacificas, de quibus comederent coram Domino vnà cum Leuitis, quos ad epulum inuitabant. Ita ex Iosepho, Theodoreto, Abulensi, Oleastro, Caietano dicat Cornelius in Deuter. 14. vers. 22. Tertiæ decimæ erant, quę singulis trienniis separabãtur ex eo quod superarat è duabus decimis, & paupertatibus, viduis, pupillis, & Leuitis eleemosynæ nomine erogabantur, (de quibus speciatim textus loquitur vers. sequenti) ex legis præcepto Deuter. 15. v. 28. Triplices hæ decimationes fusiùs, & explicatiùs traduntur in Hebræo, & Græco textu. Et ita fieri docet Iosephus libr. 4. Antiq. cap 8. Abulens. Dionys. Carthusianus, Caietanus, Serarius, Mariana, Sà, Cornelius, quos refert, & sequitur Sanctius. Adde Fascianum, Iustinianum hîc.

7\. *Quid sint primitiua, seu primitiæ, & quota pars pendebatur.*

Hieronym. Ribera Cornel.

Triplices decimæ pendebantur ab Hebræis.

Ioseph. Theodoret. Abulens. Oleaster. Caiet. Cornel.

Deuteron.

Iosephus. Abulens. Carthusian. Caiet. Serar. Mariana. Sà. Cornel. Sanct. Iustinian.

Cæterùm etsi Tobias à primis annis auersatus sit idola, & perrexit in Ierusalem ad colendum verum Israëlitarum numen, idque institutus ab auia sua paterna, quam Debboram hîc vocant Lxx. tamẽ has fecisse decimationes in puerili, aut iuuenili ætate, credibile non est; sed in adulta, & virili, in qua sua per ætatem iam administrabat bona, quod opportunè Sanctius adnotauit, & v. 8. iterùm inculcabimus.

Non in iuuenili, sed in virili ætate decimas offerebat.

Lxx. Sanct.

Vers. 7. Itavt in tertio anno proselytis, & aduenis ministraret omnem decimationem.

8\. Hæc tertia decimatio pro pauperum, peregrinorumque sustentatione, singulis trienniis fieri præcipitur Deuteronom. 14. vers. 28. quæ notata est versu præcedenti. Commendatur itaque Tobias eo quod omnes decimas lege sanctas piè exoluerit. Nuncupatim autem *proselytorum* meminit, quia tametsi proselytus nil aliud propriè quàm peregrinum significet; tamen communiter proselyti nomine designatur, qui aliena abiurata religione, religionem Iudaïcam recens profitebatur. Ne ergò nouus veri Dei cultor dira egestate instigatus, aut minùs piè censeret de Iudaïca pietate, aut ad patriam, gentilesque ritus cogeretur redire, ideò Tobiæ pietas hac decimatione vbertim persoluta, anteuertit periculum præpropera benignitate.

Quid proselytus significet.

Vers. 8. Hæc & his similia secundùm legem Dei puerulus obseruabat.

9\. Non videtur verosimile, quòd Tobias dum pue

Tobias in quolibet ætatis gradu, bona opera, quæ ætati cõgruebant, exequitur.

puerulus adhuc esset, primitias, & triplices bonorum decimationes Deo persolueret; quod infantili, aut puerili ætati minùs congruit; sed intelligendum est, vt hęc & his similia pietatis opera, Mosayca lege præcepta, aut piè à maioribus consulta; qualia sunt, maiores natu revereri, minores instruere, legem Dei memoriæ mandare, à voluptatum illecebris abstinere etiã à primis annis exactius obseruauerit, quæ cuivis ætati congruerent, piè exequendo. Nempè præfata verba per distributionem (vt aiunt) accommodam intelligenda sunt. Dum *puerulus* erat, non effusè in pueriles iocos ferebatur; dum iuuenis, idola Ieroboami aduersatus, ibat in Ierusalem, verum Deũ in Ierosolimitano templo adoratus: dum autem per ętatem ei licuit bona administrare sua, omnes primitias, & decimas fideliter offerebat. Scilicèt in omni ætate, & ætatis gradu, pius erat, & religiosus. Neque quicquam huic commentationi incommodat, quod vers. sequenti dicitur: *Cùm verò factus est vir*, &c. quasi eò vsque de Tobia puerulo, aut iuuene egerit; quod videtur innuere vocula *verò* exclusiua, seu aduersatiua. Porrò etiã cùm factus est vir, primitias, & decimationes pendebat. Itaque in hoc versiculo per prolepsim, sũmatim perstringit qualis semper fuerit Tobias erga Deum: & à vers. sequenti, qualis fuerit in coniugio, quàm piè susceptum filium instituerit. Quod dixit Ennodius: *In quo clarum est epitoma omnium virtutum*; in omni enim ætate virtutum omnium compendium factus est.

Tobias in omni ætate fuit virtutum epitome.

Ennod. de vita ep. ph.

10. Hæc pietatis opera Tobias fecisse dicitur, & indolis bonitate, diuina gratia permotæ, & Debboræ, quæ patris sui mater fuisse dicitur in textu Græco, consiliis instructus: *Sicut mandauerat Debbora mater patris mei: propterea, quod orphanus relictus sum à patre meo.* Orphanus dicitur Tobias, aut quia eius pater defunctus erat, aut quia captiuus est in Assyriam ductus in Galilææ excidio sub Theglathphalasar. Bona ergo auia pupilli nepotis tutelam suscepit, magno Tobiæ bono.

Tobias orphanus fuit sub auia tutela.

§. XVIII.

Commentarius Litteralis.

Vers. 9. Cùm verò factus est vir, accepit vxorem Annam de tribu sua, genuitque ex ea filium, nomen suum imponens ei.

1\. SALIANVS secutus Serarium, putat Tobiæ matrimonium celebratum anno mundi 3311. & anno sequenti natum Tobiam iuniorem. Quin & vigesimo ętatis suę anno vxorem duxisse, ex qua minorem Tobiam suscepit, censet Carthusianus, Tirinus in Chron. Sacra, trigesimo ætatis anno. Alij aliter sentiũt. Id saltem omnibus in cõfesso est, anno sexto Ezechiæ regis Iuda, qui fuit nonus, & vltimus Osee regis Israël, in quo contigit decem tribuum captiuitas, vxoratum fuisse Tobiam, & cum suscepto filio abductum in Niniuen, vt habetur hìc vers. 11. Quem vero tunc ætatis suæ ageret annum incertum est, & non firmis coniecturis vulgo definitur.

Salian. Serar.

Incertum est quo anno Tobias vxorem duxerit.

Carthus. Tirin.

De tribu sua.] An Hebræi ex lege lata Num. 36. tenerentur vxores ducere ex tribu, quin & ex familia sua; opportuniùs agemus infrà ad cap. 7. vers. 14 §. 394. Annam ergo ex Nephthalica tribu prognatam Tobias duxit. Addunt LXX. *Accepi Annam vxorem de semine patriæ meæ*; auiæ enim prudentiæ, & nutui se totum Tobias mancipauerat. *Genuitque ex ea filium.* Vulgo putant Chronologi anno proximè nuptias sequente, filium ex Anna vigore suscepisse. Non quod id certum credant; sed quia cùm assignare cogãtur Chronologiæ ductu iunioris Tobiæ ortum, qui proculdubio accidit non diù post nuptias, proximè sequentem assignant annum, rem incertam non valde solidis coniecturis definiendo.

Cum Anna contribuale sua matrimonium init.

2\. *Nomen suum imponens ei*] Hinc liquido constat falli eos qui existimant, minorem Tobiam appellari Tobiam, seniorem vero Tobit, aut Tobiam. Sanè signatè hìc dicitur, Tobiam seniorem suum imposuisse filio nomen, & Vulgatus in tota huius historiæ narratione constanter vtrumq; vocat Tobiam. Hinc refutatur Iustinianus in Præfatione ad Tobiam, num. 5. de quo egimus §. 1. numer. 3. & 4. Quod autem modo Tobias, aliquando Tobit, aut Tobi nominetur, in causa est, aut aliquod mendum, quod in exscriptiones irrepsit, aut forsan ad diuersa idiomata multiplex huius historiæ translatio, quod persæpe notes in Bibliorum nominibus. Nominum imponendorum munus, patri, aut matri Scriptura adscribit promiscuè, quod exemplis comprobare, pudor est, hic discrete patri adscribitur, plerumque matribus.

Idem habuit nomen Tobias iunior, & senior.

Iustinian.

Vers. 10. Quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato.

3\. Hæc cura primo, & maxime parentes decet, filios ad omnem probitatem à pueritia instituere, quo non tam eorum virtus peregrinetur in sobole, quàm insolita agnatáve esse videatur. *Ab infantia*, id est, à teneris annis. *Timere Deum* Timor Domini persæpe accipitur in Sacra pagina pro pietate, & religione: vt alibi latiùs expendebam. Qui Hebraismus irrepsit etiã in Hispanismum, sic hominem religiosum, & pium appellamus, *Temerosos de Dios*. Nempe à prima ætate Tobias minor pietate, ac religione imbutus est, boni parentis disciplina *Abstinere ab omni peccato.* Non tantum facere bonum, sed etiam malo declinare edoctus est à pio patre. Nec vacat, nec iuuat multis reiicere Carthusianum hic asserentem, peccatum leue non esse proprie peccatum, quia peccatum est legis transgressio. Quasi peccatum leue non sit transgressio legis; leuis quidem transgressio, & inde leue peccatum euadit. Porro peccati essentia in eo sita est, vt sit libera legis transgressio: magis autem, & minus essentiam physicam, aut moralem non euariant, sed indiuidua cudunt diuersa, maiori, aut minori perfectione distincta. Sed hoc aliùs scholæ negotium est.

Timor Domini pro pietate & religione.

Carthusian.

Vers. 11. Igitur, cùm per captiuitatem deuenisset cum vxore sua, & filio in ciuitatem Niniuen cum omni tribu sua.

4\. Decem tribuum captiuitas accidit anno 9. Osee regis Israël, qui incidit in annum 6. Ezechię regis Iuda

Bellarm.

Qua ætate Tobias iunior in captiuitatem abductus sit.

Iuda, anno mundi 3236. secundùm Bellarminum in Chronico. Alij aliter annos supputant, neque hic locus exactiorem exigit annorum rationem. Verosimile autem est non diu post celebratas nuptias, & susceptum filium fuisse Tobiam in Assyriam deportatum, quandoquidem post longum tempus, quod in captiuitate posuerat Tobias, illius filius eius erat ætatis, vt non auderet prudens pater illi graue negotium committere. Adeò vt virum quæsierit industrium, qui illum comitaretur in via, & in patriam reduceret, vt opportunè notauit Sanctius. Exinde vulgò septennis puer censetur à Chronologis; triennem alij. Quis hoc definiat?

Sanct.

5. *Niniuen.*] Niniue Hebraïcè idem sonat, ac pulchra, seu speciosa, à radice נוה *naue*, idest, *species* vel *pulchritudo*. Ita Hieronymus in interpr. nomin. Hebr. Vel idem est quod frequens habitata, aut plena habitatoribus, à radice נוה *naua*, hoc est, *habitauit*, ita Pagninus de interp nom. Hebr. Vel dicta est Niniue quasi Nini נוה *naue*, idest, Nini habitatio, vt tradit Cornelius in Ionæ cap. 1. v. 2. Fuit enim Nini regia, Nini ciuitas, vt docet Serar. quæst. 6. in Iudith cap. 1. Vnde quæ à Vulgato *Niniue* dicitur, à profanis scriptoribus Ninus etiam, & Nina nominatur. Profectò Niniue fuit vrbs olim potentissima, & metropolis Monarchiæ Assyriorum, quæ suprà mille annos in ea sedem fixit. Sita ad Tygrim fluuium, vt ex Ptolemæo libr. 6. cap. 5. Plinio libr. 6. cap. 13 Herodoto libr. 2. passim reliqui docent. De eius conditore multa diximus ad Genes. cap. 10. v. 11. De huius vrbis insana amplitudine grandia buccinant Ionæ interpretes ex eruditione profana. Consule Diodorum Siculum libr. 3. *Cum omni tribu sua.* Cum tribus suæ Nephthaliticæ reliquiis. Alioqui tribus Nephthali ante aliquot annos sub Theglathphalasar fuerat in Assyriam deportata. Ergo huius tribus spicilegium fecit nunc Salmanasar; & tandem transtulit in Niniuen, quos Theglathphalasar aut nuper neglexerat, aut quia pauperculis, & tenuibus, eius ita generosè pepercit. Neque adsentiar Sanctio, qui hîc putat, Tobiam nunc abductum in Niniuen *cum omni tribu sua*, idest, vbi priùs captiua detinebatur omnis eius tribus. Porrò disertè dicitur in hoc versiculo deuenisse in Niniuen *cum vxore sua, & filio, & cum omni tribu sua*. Ergo eodem modo omne id intelligendum est, cùm nulla inde exurgat difficultas, quæ non possit facilè vinci. Nam sicut inidoneè intelligeremus, nunc captiuum Tobiam, translatum esse in Niniuen, vbi iam anteà translata erat eius vxor, filius, & omnis Nephthalitica tribus; sic quod de tota tribu dicitur: eodem enim verborum tenore ea omnia iunctim, & seriatim narrantur. Et tota eius tribus rectè potest dici, quod de tota tribu superarat, & tunc inhabitabat Palæstinam.

Hieron. *Niniue interpretatio.* Pagninus. Cornel. Serar. Ptolom. Plinius. Herodot. Diodor. *Tobias abducitur cum omni tribu sua.* Sanct.

Vers. 12. (Cùm omnes ederent ex cibis Gentilium) iste custodiuit animam suam, & nunquam contaminatus est in escis eorum.

6. Τὸ *omnes* interpretari licet, vt illud vers. 5. *Cum omnes irent ad vitulos aureos*, &c. idest, ferè omnes, Israëlitæ populariter edebant ex cibis, quibus Gentiles vescebantur, etsi veriti forent Mosaïca lege, aut aliqua Hebræorum religione. Sic ingens calamitas ingentem creat pusillanimitatem! Captiuus, cùm omnibus soleat esse contemptui, illius exprimere mores satagit, cuius subest imperio, vt hero suo de suis etiam moribus aduletur. Vnius Tobiæ constantia adhuc in captiuitate, flecti-nescia stetit, inconcussæ pietatis robore armata, quæ neque contribulium suorum exemplo, neque dominorum lenocinio quatefieri potuit.

Captiui Hebræi populariter cibis vescebantur in Assyria.

Custodiuit animam suam.] Se, inquam, est synecdoche, qua pars sumitur pro toto, vt aliàs persæpè in Bibliis. Nempe abstinuit ab escis, quæ etsi adulentur comedentis palato, conscientiam polluunt transgressione præcepti. *Nunquam.* Nec semel & iterùm se continuit, sed perpetuò, vsque ad vltimum spiritum, ad annum vsque centesimum secundum. Cuius exemplum videntur sectati Daniel cap. 1. & Machabæi 2. Machab. cap. 6. Græci codices pro *escis*, habent *panibus*, Hebræa phrasi retenta, qua cibi omnes *panis* vocabulo designatur, quod obuium est in Scriptura.

Dan. 2. Machab.

Vers. 13. Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar Regis.

Non dicitur hîc Tobias Dei *memor*, quia illum in memoria assiduè versabat, & præsentem sibi contemplabatur, quod Hispanè dicimus, *Trae presencia de Dios*; etsi piè id de piissimo viro aliàs credi potest; sed de memoria practica (vt sic loquar) mandatorum Dei, vt nec latum vnguem ab eorum impletione aberraret. Iuxta illud Psalm. 102. *Et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea*, ita Tirinus ex Carthusiano. Fauet translatio Vatabli: *Quid religionem Dei animo meo toto colerem*, ac si synonyma sint, Dei memoria, & cultus religionis ex animo. Nempe Tobias ex animo, & toto corde ferebatur ad diuinæ legis adimpletionem exactam; & propterea *Dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar Regis.* Græci codices habent: *Dedit illi Deus gratiam, & pulchritudinem.* Non quòd illi Deus vel dederit, vel auxerit natiuam pulchritudinem, vt gratiam regis alliceret; (sicut de Iuditha legitur c. 10. v. 4.) Sed vel metaphoricòs intelligendum: vel est Hendyades, *Gratiam, & pulchritudinem*, idest, pulchram gratiam: vel dedit illi Deus non minorem gratiam, quàm pulchritudo, & venustas conciliare solet. Sic à Dauide Ionathas dicitur amabilis super amorem mulierum, non quia aliquid fœmininum appareret in Ionatha, sicut in Absalomo. Pia planè Tobiæ ambitio, quæ non falsata adulatione, & mentitis obsequiis, palatinorum ingenio fucatis; sed virtutis pretio, Regis beneuolentiam mercatur. O nimis verum: *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud*, Prouerb. 21. & capite sequenti: *Qui diligit cordis munditiam, amicum habebit regem.* Hoc virtutis lenocinio Regis gratiam Iosephus ambiuit, ambiuit, & Daniel. Sic Regis Theodorici gratiam Epiphanius emeruit: *Quem* (inquit Ennodius) *cùm Theodoricus cordis oculis inspexisset, & solita iudicij sui libra pensaret, inuenit in eo pondus omne constare virtutum: cuius integritatem velut fabrilibus lineis ad perpendiculum mentis emensus est.*

Psalm. Tirinus. Carthusian. Vatablus. Græcus. *Pulchritudo idem est, ac placendi gratia.* Judith. *Qua arte Regis familiaritatem sibi ambierit Tobias.* Prouerb. Ennod. in vita Epiph.

Vers. 14. Et dedit illi potestatem quocumque vellet ire, habens libertatem quæcumque facere voluisset.

8. *Tobia sublimis & opulenta dignitas apud regem.* Serar. Sanct.

Vatablus paulò pleniùs: *Gratiosum ergò me reddidit altissimus, & speciosum coram Salmanasare, adeo vt me obsonatore vteretur, dat que mihi potestatem*, &c. Lxx. *eius emptor.* Vatablus in notis, *eius dispensator* Et quidem vox ἀγοραστής, vt ex Serario obseruat Sanctius, significat eum, qui ea curat, quæ ad regium victum, & cultum, imò & quæ ad regium splendorem, & dignitatem spectant. Et Hebraïce apud eundem Serarium, Tobias dicitur, *Constitutus super omnia, quæ habebat Salmanasar.* Athanasius, referente Sanctio, asserit fuisse *Præfectum annonæ.* Scilicet hæc omnia indicant, Tobiam in sublimi dignitatis fastigio constitutum, & sic regia liberalitate opulentatum, vt & Gabelo decem argenti talenta commodare potuerit, & contribulibus captiuis copiosas eleemosynas impertire. Itaque saltem nō se gerebat quasi captiuus, cui facultas erat, sine interpellatore quocumque vellet ire, eaque facere, quæ sibi collibuissent, quæ omnia sibi per Regem licebant. Tam ampla enim in nuper captiuo facultas, & captiuitatis stigmata deleuisse, & sublimi atque opulento munere auctum demonstrant. Ecce Tobias virtutis merito, in misera captiuitatis calamitate id assecurus est, quod in patrio solo, & ingenua libertate vix posset ambire. Suspicienda est hic diuina prouidentia, mortalibus inuisa, sæculis arcana, omnibus adoranda.

Athanas.

Sublimior fuit Tobias, in captiuitate, quā erat in patria.

Vers. 15. Pergebat ergo ad omnes qui erant in captiuitate, & monita salutis dabat eis.

Tobias contribules nutantes erigit labantes firmat.

Prædiuite diuitiarum censu, & libera eundi quò vellet, facultate, neque abusus est Tobias, neque otiosam neglexit; sed cùm Hebræa gens per omnes Assyriæ regiones esset dispersa, singulas obibat ciuitates, & contribules suos, qui auitam religionem prodiderant, erigebat; labantes, & ad cadendum pronos, aut ad casum præcipites, in patria religione sustinebat; reliquos autem *monitis salutis* hortabatur, vt calamitatis atrocitatem æquanimiter tolerarent. Notat ex Historia scholastica Carthusianus Tobiam Hebræos qui ad Gentilium superstitionem defecerant, grauiter obiurgasse. Quod facere potuit impunè homo aulico splendore sublimis, & in omnes piè munificus.

Carthusian. Hist. schol.

---

§. XIX.

Commentarius litteralis.

Vers. 16. Cùm autem venisset ad Rages ciuitatem Medorum, & ex his quibus honoratus fuerat à rege, habuisset decem talenta argenti.

Vers. 17. Et cùm in multa turba generis sui Gabelum egentem videret, qui erat ex tribu eius, sub chirographo dedit illi memoratum pondus argenti.

1. *Vrbis Rages etymologia, & conditor.*

Tobias facultatem nactus à Rege, eundi quò vellet, ciuitates obibat omnes, vbi exules Hebræi sparsim morabantur: eorumque calamitatem, & piis sermonibus, & largitionum ope deliniebat. [*Ad Rages.*] Quam Mediæ vrbem præsani scriptores Rhaga, Rhagam, & Rhagas nominant. Et vt placet Diodoro l. 19. & Straboni l. 11. à ruptutis, & labibus, quas crebri terræ motus excitarunt, nomen habet Græcum enim ῥήγνυμι *frangere*, aut *scindere*, significat. Ex hoc loco constat, vrbem *Rages* non fuisse à Seleuco Nicanore conditam, vt putat Stephanus, cùm post multos annos regnarit Seleucus. Nisi fortè vrbem multis retrò annis conditam, amplificauit Seleucus, & inde vrbis Rages conditor nuncupatur. Quod de Ecbatanis adnotauimus in Iudith commentariis, ad cap. 1. An verò vrbs, *Rhages*, fuerit Ecbatana, Mediæ metropolis infrà dicetur.

Dio lot. Strabo.

Stephan.

2. *Ex Regis honorario munere Tobias ditatur.*

Ex his quibus honoratus fuerat à Rege.] Biblia Vatabli habent: *Decem argenti talenta, quæ ex honorario munere Regis habebam.* Ex honorario Regis munere se dicit habere ingentem pecuniarum copiam, qui alioqui expugnata, & direpta patria, nihil secum asportauerat. *Honorarium munus* appellari potest, vel quia munus quod obibat in Regis aula, quæstuosum erat, aut quia Tobiam sibi pergratum, Rex benefica liberalitate copiosè numerabat. Aut certè vtrumque diuinioris prouidentiæ nutu concurrisse, putat Sanctius, quo depauperatis, & afflictis contribulibus posset subuenire, & diræ captiuitatis ærumnas subleuare. Hìc nota, Regum munera non tantùm subsidio esse, sed etiam honori.

Sanct.

3. *Quantam pecuniam apud Gabelum deposuerit Tobias.*

Decem talenta argenti. Reliquæ exscriptiones Vulgato consentiunt. Hispanica translatio vertit, *vna carga de plata*, nempe magnum argenti pondus, quod mulus, aut equus asportare potest; quod vix attingit summam quatuor millium ducatorum argenti ex argento (vt vocant) quinque millia ducatorum ex decem argenti talentis conflari putat Cardanus l. de suis libris, qui vni talento ducatos dat quingentos. Cornelius verò in Exhod. cap. 38. vers. 25. & 26. suprà mille ducatos vni talento dat, nec valdè dissentit Tirinus in Proleg. agens de antiquis ponderibus & monetis Ingens planè pecuniarum summa vni contribulium egeno commodata. Fateor adeò variè loqui auctores de pondere, aut valore talentorum, vt nihil certi definiri possit. Præsertim cùm ignoretur an in hoc loco agatur de talento Persico, aut Chaldæo, an de Hebræo. Hinc meritò hæret Sanctius. Et quidem cùm infrà cap. 9. vers. 6. ab Angelo personam hominis gerente, tantummodo postulati sint duo cameli ad sui vectationem, & reportationem debiti; haut credibile videtur, decem duodecimve ducatorum millia reportanda. Vnde valdè est verosimilis Hispana translatio, quæ pro *decem talentis argenti*, vertit, *vna carga de plata*, quæ etsi camalo non equo portanda, vix quinque ducatorum millia excedere videtur.

Cardanus. Cornel. Tirinus.

Sanct.

In multa turba generis sui.] Turba generis sui videtur hìc accipi pro turba Hebrææ gentis, quæ ortum ducebat ex Iacobo, non tamen omnes erāt ex tribu Nephthali: nam statim subdit, inter eos, vidisse Gabelum ex tribu sua, id est, Nephthalitica, cui præ cæteris qui non tam arcta sanguinis necessitudine erant coniuncti, piè subuenit.

4. Vatabl. Lxx. *Pecunia non est deposita, sed concredita Gabelo.*

Sub chirographo dedit illi.] Quòd sub chirographo fiduciario hanc argenti summam dederit Gabelo, perspicuè euincit, non dono datam; sed *concreditam*, vt vertit Vatablus, aut *depositam*, vt Lxx. exscribunt. Hinc oritur difficultas, quòd argentum *depositum* egenti Gabelo non foret subsidio ad leuandam miseriam, sed onerosa alieni argenti

genti

genti custodia. Vnde nonnemo censet, extra decem talenta deposita aliquid liberaliter egēti Gabelo condonasse. At gratis id asseritur, & sine vllo fundamento aut in editione vulgata, aut aliis translationibus; neque in aliqua diuina siue profana historia, aut interpretum auctoritate. Et sane non leue est indigenti subsidium, illi *concredere*, aut *dare sub chirographo* magnam argenti copiam, cum vtendi facultate, mutui aut commodati nomine, quod non leuiter indicat verbum *concredere*, aut *dare sub chirographo*. Præsertim cùm hoc argentum cognato Gabelo datum dicatur, cùm dicitur egestate premi. Dicitur autem *depositum*, non vt expresse capitur ab his qui casus conscientiæ tractant; sed communi vocabulo, quo res quæ mutuò, aut commodatò datur, deponi dicitur apud eum, qui eam accipit; alioqui nulla egenti Gabelo facta esset gratia. Serarius respondet olim pecuniam ita deponi solitam, vt ea depositarius, si voluisset, vti posset. Quod probat ex §. *pecunia, ff. depositi.* Sed esto, ita fieret apud Romanos, vnde probatur idem accidere apud Hebræos? Et sanè si olim *depositum* nil differt à mutuo, aut commodato, id tantùm intendimus; sic indigenti Gabelo datum, vt vsui esse potuerit ad leuandam egestatem; (quod textus videtur exigere) poterat enim ad lucrum negotiari.

Serar.

Vers. 18. Post multum verò temporis mortuo Salmanasar rege, cùm regnaret Sennacherib filius eius pro eo, & filios Israël exosos haberet in conspectu suo:

Vers. 19. Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, diuidebátque vnicuique, prout poterat, de facultatibus suis.

Vers. 20. Esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, & mortuis atque occisis sepulturam solicitus exhibebat.

5 Omnes Græci codices hanc Tobiæ in suos benignitatem nominatim ad tempus Salmanasaris referunt; Vulgatus verò ad tempus Sennacherib. Dicendum videtur cum Saliano anno m. 3310. num. 10. vtroque tempore exercita fuisse à Tobia hæc opera misericordiæ, eóque maximè, quò maior vrgebat necessitas, tempore scilicet Sennacherib, qui præ Salmanasare exosos habuit Hebræos: Nempe regnante Salmanasere inchoata fuerunt hæc misericordiæ opera; & palam exercita, cùm valebat gratiâ apud Regem; postea verò sub Sennacherib obseruata etiam, sed clanculùm propter Regis metum, & Assyriorum inuidiam aduersus peregrinam gentem. Præfata beneficentiæ opera speciatim narrantur sub Sennacherib; quia eo regnante duriorem calamitatem Israëlitæ perpessi sunt. Sub Salmanasare autem *mon ta salutis* illis dedisse dicitur, tametsi agnatæ beneficentiæ non defuit. Percurram sigillatim singula verba, quæ aliquam interpretis operam expostulant.

Tobiæ beneficen: fuit in suos, & tempore Salmanasar, & Sennacherib. Salianus.

Post multum verò temporis.] Ab euerso videlicet regno Israël, quod tempus sex ferè annorum fuit, vt obseruat Salianus nuper laudatus. *Filios Israël exosos haberet.* Audicorum inuidiâ, & delationibus captiuos Israëlitas factos odiosos apud Sennacherib, suspicatur Salianus. Sed quis regalis odij, aut fauoris futiles sæpè caussas possit explorare? Id vnum certum, ab inchoato eius regno rem Israëliticam fuisse auersatum: post acceptam verò in Iudęa cladem, atrociùs deszuisse in Israëlitas inermes, immeritos, innoxios: quippe qui pacatè subiecti in Assyriâ, eius copiis minimè in Iudæa repugnarunt. Illud *in conspectu suo*, redundat Hebræo idiotismo. Hispanè, *Nolos podia ver de sus oios.*

Salianus. *Cur Sennacherib exosos habuerit Israëlitas.*

Quotidie. Non singulis ad vnum diebus, sed persæpè repetita benignitate erga calamitosos contribules; quos & verbis horrabatur ad patientiam, & opere (vt poterant) subleuabat à miseria. In Græcis codicibus paulò hæc pleniùs, & explicatiùs, sed eodem planè sensu; nisi quod ad tempus Salmanasar reiiciuntur hæc pietatis opera, quod nuper adnotabam, & expediebam. 6

6 *Quotidie. id est, persæpè.*

Vers. 21. Denique cùm reuersus esset rex Sennacherib fugiens à Iudæa plagam, quam circa eum fecerat Deus propter blasphemiam suam, & iratus multos occideret ex filiis Israël, Tobias sepeliebat corpora eorum.

Sennacherib olim alienus à gente Hebræa, multò magis in eos desæuit, postquam cœlitùs ingentem illam accepit cladem, quæ narratur 4. Reg. 19. Nempe egressus de Ægypto Sennacherib, & in Iudæam ingressus cum omnibus suis copiis, partem exercitus, quam ibi reliquerat, ad se aduocauit, vt maximæ vrbis obsidioni, maximus exercitus par esse posset. Appropinquabant ergò Ierosolymam Assyrij. *Et factum est in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Cumque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum, & recedens abiit.* Refertur etiam hæc Assyriorum clades 2. Paral. 32. & prædicta fuerat ab Isaia cap. 37. Hanc plagam fugisse dicitur Sennacherib; ideóque quàm maximis itineribus in regnum suum contendisse, vt persequentes Iudæos effugeret. Rabbi Salomon apud Genebrardum in Chron. decem tantùm fugæ comites habuisse memorat. Fides auctorem appellet. *Propter blasphemiam suam.* Quam Rapsacis ore in Deum iactauit, 4. Reg. 18. vers. 19.

7 *Clades Sennacheribi in Iudæa, cælitùs illata.* 4. Reg.

2. Paral. Isai.

Rabbi Sal. Genebrard.

Vers. 22. At vbi nunciatum est regi iussit eum occidi, & tulit omnem substantiam eius.

Ægrè tulit Rex crudelis, & barbarus, tunc ira percitus propter exercitum male concisum in Iudęa; quemquam esse pium in eos, quos ipse impiè trucidabat. Vnde Tobias ad mortem deposcitur, & omnia illius bona fisco addicuntur. Lxx. interpretes explicatiùs rem tradunt his verbis. *Et si quem de genere meo aspiciebam mortuum, & proiectum post murum Niniue, sepeliebam eum: & siquidem interfecerat Sennacherim rex, quando venit fugiens è Iudæa, sepeliebam, eos furatus: multos enim interfecit in furore suo. Et quæsita sunt à Rege corpora, & non sunt inuenta. Profectus autem vnus eorum, qui de Niniue, indicauit Regi de me, quia sepelio eos, & occultatus sum. Cognoscens autem quia quæror, vt morier, timore perculsus recessi. Et direpta sunt omnes substantia meæ.* Longiusculè, sed quæ non exiguam lucem Vulgato accendunt. 8

Lxx.

Verſ. 23. Tobias verò cum filio ſuo & cum vxore fugiens nudus latuit, quia multi diligebant eum.

9. Immites fugiens ferocientis Tyranni itas, Tobias latuit. *Nudus.* Ornamentis, bonis omnibus, & ſubſidiis, ad vitam neceſſariis. *Multi diligebant eum.* Videlicet de ipſis etiam Aſſyriis, vt vulgò cenſent commentatores. Eximia virtus hoſtibus etiam non ſolùm admirationi, ſed etiam amori eſt. Porrò cæteri Iſraëlitæ in tanto rerum diſcrimine, parùm ipſi tuti, aliis latebras præbere vix poterant; cùm ipſi, & omnia bona ſua, regiis miniſtris, prædonum more graſſantibus, obiecta, eſſent, in quo, & prædæ vtilitatem, & inſuper Regis ſui beneuolentiam ſibi conciliabant.

Tobias latuit Aſſyriorum beneficio.

Verſ. 24 Poſt dies verò quadraginta quinque occiderunt regem filij ipſius.

Verſ. 25. Et reuerſus eſt Tobias in domum ſuam, omniſque facultas eius reſtituta eſt ei.

10. *Poſt dies quadraginta quinque.*] Non conſtat vnde numerandi ſint hi quadraginta quinq; dies; an ab accepta in Iudæa clade, an à reditu Sennacheribi in Niniuen, an à proſcriptione Tobiæ. Crediderim, vulgatum interpretem dies numerare à reditu in Niniuem, & Græcos codices (qui habent quinquaginta, vel quinquaginta quinque) numeraſſe ab accepta clade; hi enim pauculi dies concedi poſſunt Sennacheribo, vt è Iudæa fugiens, maximis itineribus redire potuerit in Niniuen. Præſertim cùm in Hebraïco textu apud Salianum anno mundi 3324. dicatur Tobias nouemdecim tantùm dies latuiſſe.

Poſt dies 45. à reditu in Niniuem occiditur Sennacherib.

Salian.

Occiderunt Regem filij ipſius.] Eccur Sennacherib non periit cum centum octoginta quinque militibus ſuorum? *Idcirco ſeruatus eſt*, (ait Hieronymus in cap. 38. Iſaiæ) *vt ſciret potentiam Dei, & blaſphemantia ora comprimeret; fieretque teſtis illius maieſtatis, quam paulo ante contempſerat. Pharao quoque in decem Ægypti ſeruatur plagis, vt nouiſſimus periret: quod & iſte paſſus eſt.* Petes cauſſam quare filij impium ferrum paterno ſanguine fœdauerint. S Hieronymus in Traditionibus Hebr. ſic ex Hebræorum traditione refert: *Cùm in templo Dei ſui quæreretur.* (Sennacherib) *deprecans, cur ſe non adiuuiſſet, qui etiam filios ſuos Hadramelech & Saraſar ipſi offerret, ſi hoc ille ratum duceret; illi hoc audientes poſt tot clades, ruinas, & ignominias, timentes ab eo interfici, interfecerunt eum.* Idem refert Serarius ex Hebræo texto, nec Sanctio, nec Iuſtiniano diſplicet. Lyra verò in 4. Reg. & Abulenſis quæſt. 31. in cap. 19. lib. 4. Reg. referunt occiſum fuiſſe Regem à duobus filiis ſenioribus, quoniam pater eis poſthabitis, Aſaraddonem minorem natu eſſe vellet regni ſucceſſorem, quod etiam docet Hiſtoria Scholaſt. & in re lubrica videtur veriſimile. *Quoniam enim* (inquit Theodoretus in 4. Reg.) *aduerſus Deum qui ipſum fecerat, rabie fuerat percitus, ab iis qui ex ipſo procreati fuerant, fuit interfectus.*

Hieronym.

Quare Sennacherib ſit à filiis occiſus.

Hieronym.

Serar. Sanctius. Iuſtinian. Lyranus. Abulenſ.

Hiſt. Schol. Theodoret.

11. *Et reuerſus eſt Tobias.*] Cùm interfecto patre Sennacheribo, Aſaraddon in regno, pariter ac in odio aduerſus Iſraëlitas ſucceſſerit, vt conſtat ex cap. ſequenti, merito quæritur, quomodo Tobias in domum, & facultates priſtinas confeſtim reſtitutus ſit? Græci codices habent, Achiacharum quempiam Tobiæ cognatum, pergratumque nouo Regi, in cuius aula prænobile obibat munus, id à Rege precibus impetraſſe. *Omnis facultas eius reſtituta eſt ei.* Verùm ſi omnes facultates reſtitutæ ſunt Tobiæ, quo pacto poſtmodum ad tantam egeſtatem redactus eſt, vt Anna eius vxor vitam ſeruili labore toleraſſe dicatur? Salianus anno mundi 3332. num. 3. cenſet, Tobiam iterata bonorum ſpoliatione depauperatum ſub Aſaraddone. Serarius, & Sanctius putant, nunc Tobiam reſtitutum in priſtinas facultates, ſed magna ex parte à regiis miniſtris direptas, vnde reſiduas accepit, (ſed abſque priſtina dignitate) Hoc ſatis probabile eſt; illud etiam veroſimile: nam *omnis facultas eius reſtituta ei* dicitur. Porrò tametſi τὸ *omnis* non omninò omnes plerumque ſignificet; tamen, vt minimùm, ferè omnes ſignificare, omnibus in confeſſo eſt. Itaque ſi Tobias, & quæſtuoſo officio, & Regis honorario prædiues, ante viginti dies in *omnes* priſtinas facultates reſtitutus eſt; difficile credi poteſt, paulò poſt ad tantam egeſtatem fuiſſe redactum. Ego quidem cenſeo facultates eius proſcriptione imminutas, tandem non fuiſſe ſufficientes ad longas eleemoſynas, & familiæ ſuſtentationem: præſertim deficientibus cognati Achiacari ſubſidiis, & annuo Regis ſalario. Hac ſuper re iterum redibit ſermo ad cap. 2.

Cuius beneficio reductus ſit Tobias in vrbem.

Græcus.

Omnes eius facultates Tobiæ reſtitutæ ſunt.

Salian.

Serar. Sanctius.

Benè notat Serarius, veritus Grammaticorum ſupercilium, *facultatem* hîc accipi pro facultatibus, ſicut à Tullio eloquentiæ principe, & à Paulo Iuriſconſultorum diſertiſſimo *copia* pro copiis vſurpatur.

Facultas ſumitur pro facultatibus. Tullius. Paulus. Serar.

---

§. XX.

Viri eximiè ſancti, quodam humilitatis faſtu, de aliquo ſuæ virtutis næuo, ſuam ſibi virtutem credibilem faciunt.

1. INterrogatus Philoſophorũ diſertiſſimus: Quid illa tanto plauſu laudata, & omnibus præferenda artibus rebuſque Philoſophia, eius ſectatori præſtitiſſet, reſpondet: *Vt malis tibi placere, quàm populo. Quis enim placere poteſt populo, cui placet virtus?* Sed cui placet virtus, quomodo ſibi placere poteſt? Nemo ſatis doctus eſt, niſi ſciat, ſe plura neſcire: nec ſatis probus, niſi nouerit ſe multoties à virtutis ſcopo exerrare. Nemo cui virtus placet, ſibi admodum placet. Arrogantiæ hic faſtus eſt, & inſana vanæ gloriæ auaritia, quæ virtutes humilitate non fundat. Inanis ſui complacentia, non eſt pinguedo virtutis, tumor animi eſt. Quid aliud Philoſophus (id eſt, *gloriæ animal*) docere debuit, niſi vt quiſque de virtute placeat ſibi, ſibi plaudat, & de probitate ſibi gratuletur? Chriſtiana virtus, & cæcè perſpicax eſt, & perſpicaciter obliuioſa. Oculatiſſima eſt, vt benè omnia faciat; ſed cùm res virtutis in abditis animi penetralibus conſummetur, plerumque ignorat an omni ex parte opus ritè peragatur, ſibique ſæpè timere, vbi nulla ſubeſt timendi cauſa. Porrò peritus *Sagittarius non aliquando ferire debet, ſed aliquando deerrare*, quod humanum eſt: ſic in re virtutis accidit. Et cùm expromptiùs malitia hominibus irrepat, ſeptieſq; in die cadat Iuſtus; an cùm ſcopum collimarit, tunc etiam deerra

Senec. Epiſt. 19.

Sanctorum nemo in hac vita, ſibi de virtute gratulatur.

Tertull. alibi expenſus.

Seneca ſup.

deerrauerit, nescit Sat domitas habet humanas passiones, adhuc de lassâ appetentiâ timet, ne fortè insaniat immanium ferarum modo, quæ sæpè plus quam exigit fames, mordent. *Verebar omnia opera mea*, ait sanctus Iob, patientiæ columna, gratiæ nitor, & sanctitatis meta Non sibi de virtute gratulatur, qui in re virtutis sic timet.

Iob 9. v. 28.

2\. Matthæi 14. dum Christus benè iam saturas, dimittit turbas, Discipulos adhuc Magistro adhærere cupientes à se procul auellit, & cogit ire trãs fretum Difficile eorum obsequiũ confestim mare punit, & fluctuans scapha, schola parendi facta est; dum examinale elementum ad Christi nutum cõtinuò exasperatur, vt Apostolorum collegium, promptius parere è mari discat naufragij metu Obscura intempestæ noctis caligo timorem exaggerat, dum incertas etiam timendi caussas malignâ luce colorat Discipulorum periculo adest Magister, & per salum, quasi per solum ambulat. Sed de auxiliari ope magis timent, dum eum phantasma putant. Adhuc autem mari tumultuãte, turbatos Discipulorum animos ore serenat. Statimque IESVS locutus est eis, dicens: Habete fiduciam: Ego sum, nolite timere. Petrus verò plus sperans de incerto, quàm fuerat securus de proprio, respondens, ait: Domine, si es, iube me venire ad te super aquas. At ipse ait: Veni. *Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam, vt veniret ad* IESVM. *Vides verò ventum validum, timuit: & cùm cœpisset mergi, clamauit dicens; Domine, saluum me fac.* Mascula Petri fiducia, humanum fastigium supergressa, sicco vestigio vndas calcat, & per liquẽtes vortices securus viator Petrus incedit: æstuante pelago hiant passim naufragia, sed dũ erectior stat fiducia, nec semel impingit, fide pericula deuorante. Mare præ rei insolentiâ attonitum, spumosas minas vsque ad æthera tumens spargit? sed Petrum fide intrepidum adhuc liquente dorso sustinet, nec se non timentem vasto audet hiatu deglutire. Ast ô malum! fiduciæ titubatio periculo attenta, vna cum metu naufragium sorbet, & qui fide ambulabat, timore mergitur, sed restaurata statim fide, continuò sospes emergit. Grandis sanè fiduciæ fastus, nisi infaustè tantisper hæsitans titubasset! Ecquid sacramenti in hac titubatione fidei lateat, Zeno Veronẽsis his verbis ethicè pariter & acutè prodit. *Petrus*, inquit, *æstu marino fertur non naufragus, sed viator, timet profundum intercipere non timentem, nec tamen in toto dissimulat, ne per mare pedibus se ambulasse non credat.* Nempe vsque adeò demissè de se cogitat Petrus, (Petrus inquam, Apostolorum vertex, & sanctitatis apex) vt tametsi re ipsa fiduciæ pedibus per liquidas æstuantis pelagi vias, sicco vestigio intrepidus viator incesserit; vix magnanimam in se virtutẽ credidisset, etsi de experientia notam, nisi tãtisper in fide hæsitans, submergi cœpisset. Dum aliquam fidei titubationem de inchoato naufragio recognoscit, insimul sibi persuadeat necesse est, quòd supra marinos æstus, & liquẽtes pelagi irati vndas, securus viator incesserit. Ergo aliquantulum fiducia nutet, *ne per mare pedibus se ambulasse non credat.* Tam credibiles sunt sui defectus Petro, & suæ ipsius virtutes vsque eò incredibiles, vt de aliquo virturis næuo, sibi virtutem, næuo tantisper deuenustatam persuadeat: nec discredet virtuti, ne non credat vitio, qui est pius humilitatis fastus. *Incipiat mergi, ne per mare pedibus se ambulasse non credat.* Quid exaggeratiùs; Et quidem de Sa-

Matth 14 v. 29 & 30.

Petrus mergi incipit, ne per mare pedibus se ambulasse non credat.

Zeno ser. de timore.

ræ etiam oratorio hæc eruditio prodit: illa enim recitat vt in tanta calamitate opem diuinam extorqueat, proprias virtutes recitat, quas à sua alioqui *indignas ne* persuasibiles facit. Et Tobias hîc se dicit Nephthalitem, id est, ex tribu, quæ ex ancilla originem trahit.

Tobiæ 3. v. 19. Hic vers. 1.

3\. Matthæi 25. speciem finalis iudicij magnificè Christus Apostolis repræsentat. Cùm venerit, inquit, Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & sperabit eos ab inuicẽ, sicut pastor segregat oues ab hœdis. Sic confusanea permixtione congreges versantur iusti cum impiis; sic falsata virtus mortalium oculis coloratur penicillo hypocrisis, vt cum vera pietate vices reciprocare videatur? Tota Dei auctoritate, & finalis iudicij discretione opus, vt Bestiæ charactere deformes, ab eis discernantur, quos Christi Dei character insignit? Itaque tunc rex Christus hæc dicet Iustis, quos præcelsa merita ad ipsius dexteram collocarunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum: esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere, &c. *Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus te: sitientem, & dedimus tibi potum?* &c. Deprædicent hîc alij humanioris beneficẽtiæ elogia pie superba, quę velut intermissis aliarum etiam sublimiorum virtutum facinoribus, empyreæ beatitudinis sibi arrogat præmia. Admirẽtur alij felices iustorum calamitates gloriæ corona munerandas. Alij nunc gloriosiùs præconizent generosam diuini Numinis largitatem, quæ pro tantula ope pauperibus erogata, cœlestes æternùm coronas beneficentissimè dispensat. Mihi verò nunc demirari liceat, hanc velut insciam Iustorum sapientiam, omni admirabilitate maiorẽ. De Christi Dei ore audient, se has virtutes, operatos fuisse, & quasi ambigant, quando eas operati sint, id adhuc interrogant? Si post Christi assertionem perspicuã, adhuc dubietati locus est, suam quisque conscientiam interroget, quæ fideliter depositum reddet. Ecquis tam idoneus testis rei bene aut malè gestæ præ cõscientia propria poterit inueniri? Scrutentur fidæ semper conscientiæ penetralia, in qua sua quisque merita, stylo aut culpæ aut virtutis descripta reperiet, ad omnes æternitates. Quid ergo quasi ambigant, à Christo interrogant: *Quando te vidimus esurientem, & pauimus: sitientem, & dedimus potum?* Adhuc suæ meræ virtuti, de Christi Dei, & propriæ conscientiæ testimonio vix credunt? Tempestiuè quidem Origenes inibi, ***Humilitatis ergo caussa laude beneficiorum suorum indignos se proclamant, non obliti eorum, quæ fecerunt. Ipse autem Christus eis ostendit suam compassionem in suis.*** Nempe humilitatis caussâ, etsi bona opera sua sciunt, an sint tam prælustria merita, nesciunt. In conscientię charta facta sua legunt, & se id fecisse discunt: sed pre agnata Iustis humilitate, tam sublimes esse virtutes planè dediscunt, dum viuunt. Et quia eas nullius vitioli næuo vident sibi ad assensum verisimiles, illas *humilitate* colorant, vt de aliqua humilitatis vmbra sibi persuasibiles fiant. Et hoc quidem Iusti dicũt non diffidentes de domini verbis, sed de sua probitate: & dum stupent de tanta virtutis sublimatione, & de maiestatis suæ amplitudine, ob leuia, (ne dicam, suis oculis incerta) merita, olympio munerari præmio mirantur, quasi ignorarent, tam

Matth. 25 v. 37.

Iustus illustriora opera sua ignorare videtur.

Orig. tract. 34 in Matt.

illustria se opera perpetrasse. *Dom ne , quá do te vidimus esurientem, & panimus te*, &c. *Sed autem Christus eis ostendit suam compassionem in ius*, quasi Iusti illam adhuc ignorarent, dum cum sancto Iobo *omnia opera vera sua verebantur*. Virtutis splendor, qui vni Deo lucet, oculos perfectiùs operantis sæpè perstringit: præclaréque Iustus caligat ad bona quæ patrat opera, perspicacissimus ne patret mala, aut patrata corrigat.

4 Matthæi 9. præteriens IESVS, vidit hominem sedentem in telonio; Matthæū nomine; & vocatus, secutus est eum. Et discumbente eo in Matthæi domo, cum multis publicanis & peccatoribus, videntes Pharisæi, dicebant discipulis eius: *Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat Magister vester?* Quæ verba exponens, sic ad rem fatur Chrysologus: *Et quis est peccator, nisi qui se peccatorem negat? Magis ipse peccator est: & vt verius dicam, ipse iam peccatum est, qui se iam non intelligit peccatorem. Et quis iniustus, nisi qui se iudicat iustum? Non est opus sanis medicus, sed malè habentibus. Si vis curam, agnosce languorem. Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Sic humilis peccati conscientia, consummatæ adulatur iustitiæ? Sic arrogans iustitiæ factus conscientiam delictis implet? De humili delictorum conscientia, virtutis perfectio auspicatè venit. *Si vis curam, agnosce languorem.*

Chrysolog. serm. 30. *Si vis curam, agnosce languorem.*

5 Geneseos 1. post animales examinalésque creaturas sapienti opificio perfectas, hominis formationem his verbis Deus auspicatur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris*, &c. Augusta planè dignitas hominis, qui Dei consilio formandus decernitur; qui Dei imagine exprimitur; qui antequam creetur, principatui eligitur. Sed vndenam tantus támque illustris Adami honos apud homines credibilis fiet? Tempestiuè Basilius Seleucus præfata verba exponens: *Antiquiorem creatione sua honorem Adamus suscipit. Nondum fingitur lutum, & thronus apparatur.* Neque de futuri mox luti squalore sublimissima hominis excellentia, & prælustris principatus arguitè suadetur. Nam sicut Petrus mergi incipit, ne per mare pedibus se ambulasse non credat: ita Adamus de limi sui vtilitate, thronum sibi apparatum edisceet. Nam cognatum est magnis viris quodam humilitatis fastu, de aliquo suæ præstantiæ næuo, suam sibi excellentiam credibilem facere.

Gen. 1. v. 26.

Basil. orat. 1.

§. XXI.

Qui genus laudat suum, aliena laudat: tot enim sunt paternæ nobilitatis arreptiones, quot filij nobilium propagantur.

1 EGo (ait Politico Christianus) si quid votis assequi possum, malim lectorem meum cum magno Mario *nobilitatem peperisse, quam acceptam corrupisse.* malim, si delectus daretur, ab ouibus & funda, nullis maiorum imaginibus, cum Dauide in regnum vocari, & victorem omnium in circuitu gentium statui, quàm post tot longa serie Reges, cum ignauo Manasse ab Assyriis vinctum catenis & compedibus duci. Vera namque nobilitas, si rationem sequamur ducem non hæreditate, sed laboribus, periculis, virtute paratur. Ad hæc omnibus via patet, omnesque sumus ad illa nobiles. &, vt Stoïcus: *Animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione suprà fortunam licet surgere.* Satiùs est me meis rebus gestis florere, quam maiorum opinione niti; & ita viuere, vt ego sim posteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum. Benè ille: *Nemo in gloriam nostram vixit, neque quod ante nos fuit, nostrum est.* Suum est cuiusque quod illum aut bonum, aut strenuum, aut verè nobilem facit. Parentū sanè virtus nostra esse non potest, non magis quam promerita illorum. Virtus non seritur; ex inde nec vera nobilitas, illius appendix. A virtute nobilitas ab aliena, an propria? à propria. etiam ab aliena? non magis quam ab alieno robore & eruditione fortis & doctus, aut ab alienis opibus diues, ab aliena mensa & vestibus splendidus. Tobiam nostrum non accepit nobilem virtutis Philosophia, sed fecit: ancillæ filios in pietatis officina factus est Summarum vertex.

Politico-Christ. lib. 1. cap. 10.

Animus facit nobilem, non maiorum gloria, quæ aliena à nobis est.

Hic vers. 1.

2 Paulus ad Philippenses, homines Gentilium superstitionum dogmaticis fabulis eruditos, & de auita nobilitate philosophicè censentes, ita scribit: *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo IESV: qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Locus in paucis difficilis: & in quo exponendo valdè sudat expositorum sedulitas. Cui vnquam in mentem venit, *æqualitatem* cum Patre Deo rem esse *rapina*? Quis adeò temerariè audax, aut mentis inops, qui diuinitatem, seu æqualitatem cum Deo, *rapina* furacitate sibi vsurpare præsumat? Diuinitas non est res furti, sed naturæ. Imò ecquis tam ignauus Deus foret, qui sic oscitanter suam diuinitatem custodiret, vt illam humanæ *rapina* exponeret? Quin & Diuinitas furto vsurpata, adhuc post rapinam, aliena foret; nec temerarium Diuinitatis furem, Deum vllatenùs faceret: Deus enim de suo, non de alieno Deus est. Quid ergò est, quòd Paulus superbè superstitiosos Philippenses seriò adhortatur, vt hoc sentiant, quòd Christus, qui *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*; S. Isidorus Pelusiota hunc Pauli locum accuratè pertractans, censet hæc scripsisse Apostolum ab Philippenses adhuc superstitiosè idololatras, qui cùm audissent Christum esse Dei Patris Filium, veræ Diuinitatis negotium de fabularum eruditione & humana ethice Philosophia nobilitatis auara, metiebantur. *Quoniam enim*, inquit, *cum Philippenses gentiles essent, supremum Deum suum* (Iouem inquam) *patri suo eas partes, quæ ad gignendum destinata sunt, præcidisse didicerant, ne alij filij existerent, regnique socij & consortes, ac Diuinitatis arreptiones, ac dissidia de ea ac bella orirentur; addubitabant an Dei Filius relictis cœli sedibus, nec vllam regni atque imperij commutationem veritus, ad nos veniens carnem suscepisset.* Cætera Isidori verba ad alia themata enucleata sunt, nunc diligentiùs emedullandum superest, quod alto stylo dixit: ideò Iouem primi Dei filium, patrem euirasse suum, ne alij filij secum existerent, cœlestis imperij consortes, tanquam paternæ *Diuinitatis arreptiones*. Nimirum Philippenses ethica Philosophia opinatissimi, profundè dixerunt, tot fore *Diuinitatis arreptiones*, quot sui Dei filios. Nam filij, qui nullum aliud agnatum possunt afferre elogium ad probandum se esse Dei filios, præter meram Dei filiationem; *Diuinitatis arreptores* apprimè nuncupantur: quia aliena, (id est, paterna) non sua Diuinita

Ad Philip. 2. v. 5 & 6.

Filij Deorum, per arreptiones Diuinitatis, Dij à Gentilibus putabantur.

Pelus. lib. 1. Epist. 119.

Diuinitate gaudent, velut quadam deitatis *rapinâ*, qua filij parentum elogijs illustrantur. At Christus non sic est Dei Patris Filius; sed per generationem diuinam, eandem habet cum Patre deitatem, easdem cum Patre Deo attributa, *æqualemque* cum eo in hypostasi perfectionem. Itaque in suo idiomate Paulus Philippenses alloquitur, ne in Christo veri Dei Filio, quidquam putarent suis Diis adsimile, & Christi Dei filiationem, meram esse *Diui natus arreptionem* existimarent; profundè dixit de Christo veri Dei filio: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Non enim Deus est, diuinitate Genitoris tanquam re aliena; sed vt propria, & sua: est enim eadem ipsissima vtriusque personæ diuinitas: nec merus est Dei filius, diuinitatis expers, & aliena diuinitate contentus; sed sua, & propria, etsi eadem cum Patre Deo. Exinde Christus Deus, verus Dei Filius, in eadem substantia Deitatis, & in personæ elogio, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*: non enim habet diuinitatem per *Diuinitatis arreptiones*, quemadmodum haberent Iouis fratres, ex Philippensium moralissima opinione, apud quos humani patris nobilitas, perfectio, eruditio, & reliqua bonitatis elogia, per *arreptionem* esse putantur in filiis; nisi filij adsimilibus se prærogatiuis adornent. Furto, & rapina quis habet, quod non suum, sed alienum est. O quot paternæ nobilitatis *arreptiones* in ignauis filiis olim & nunc impunè licent!

5 Non fortuna homo æstimandus est, sed moribus: sibi quisque dat mores, conditionem casus assignat. Apud gentem Hebræam arroganter superbam, totius nobilitatis census Abrahamo deputatur. *Dixit Dominus ad Abraham: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi. Faciamque te in gentem magnam*, &c. Thare autem Abrahami pater, statuarius putatur, cui filius in lignaria officina operam nauasse perhibetur. Neque dum è patria peregrinus fugit in Charam, diues censetur: & tamen de morum nobilitate postmodum *Princeps Dei* à Palæstinis dicitur, & superbæ nobilitate gentis Patriarcha renunciatur. Audiendus est Philo in lib. de eodem Abrahamo: *Diuitiæ, generisque nobilitas etiam deterrimis obueniunt. Sed sic solis bonis hæc contingere. Maiorum & fortuna ista laus est, non ipsorum, qui habent.* Qui genus laudat suum, aliena laudat, tuum non est, quo tu insanè superbis, Fortunæ gratus esto, (ait Philo) maioribus gratulare: tu inde fac tibi æmulationis inuidiam: & erubesce generosis satum parentibus, ignobiliter degenerasse. Abrahamus statuario patre natus, prænobilis fuit: plures eius filij ignobilitate famosi perhibentur; quibus carnis nobilitas superbiæ fomes fuit, arrogantiæ incentiuum, ignauiæ illicium, & insolentiæ igniculus. O quoties hæreditaria nobilitas, quæ à bonis parentibus orta, in non bonis exulat filiis, ignobilium facinorum ius est, & impunitatis priuilegium! Verùm vt largiar, nominis aliquid venire à maioribus; illis potissimum venire optandum est, qui eos imitantur, & sua virtute sibi maritant alienam. Quod nos edocet Azarias, dum Ananiæ magni se filium exhibet, & ex magno genere nobilem auitæ virtutis imitationem spondet. Eloquenter importuno viro nobilissimo scripsit Aurelius Cassiodorus: *Inspice quanta tuorum laude præcipua decoreris. Culpa genus est, non te fecisse quod summum est.* Culpæ genus foret in Azaria, qui magno genere satus dicitur, summa quæque non præstitisse: præstitit quidem, & senior Tobias de Azariæ genere, id faustè ominatus est. Inspice nobilitatem summis facinoribus stipendiariam. *Culpa genus est, non te fecisse quod summum est.*

Gen 12. v. 1. & 2.

Nobilitas, maiorum, & fortuna laus est.

Philo lib de Abrahamo.

Tobiæ 5 v 18. & 19.

Culpa genus est Prænobilem non fecisse quod summum est.

Cassiod lib 3. Epist. 5.

Matthæi 6. humanæ orationis formulam his verbis Christus Deus discipulis tradidit: *Sic ergò vos orabitis: Pater noster, qui es in cœlis, &c.* Quare humanæ orationis initium à diuina paternitate inchoatur? Num Patrem in cœlis nominando, se nominat filium, & indè dicit hæredem? An Patrem appellando, summam largitoris beneficentiam auspicatò publicat? An fortè Patris nomine inuocato, verecundiam supplicandi excutit, & fiduciæ animositatem ingerit? S. Chrysologus eleganter ad thema præsens, ita scribit: *Pater noster, qui es in cœlis. Hoc cùm dicis, non sic habeas, quasi non sit in terris: sed intellige esse tibi genus è cœlo, cuius pater habetur in cœlo.* (Et nuper dixerat) *Pater noster, qui es in cœlis. Qui se Dei filium credit, actu, vita, moribus, honestate, tanto generi respondeat.* Qui patrem agnoscit in cœlis, terrenam nobilitatem erubescat, & de adoptionis ingenua gratia, diuinitatis participationem exambiat, ne in terrenos mores ignobiliter degeneret. Cœlum fragret, non squalidum terræ limum, qui generosam de cœlo prosapiam agnoscit. Qui se Dei filium credit, actu, vita, moribus, honestate, tanto generi respondeat; ne ignauè degener inueniatur. Filium Dei te quotidie nominas, nec erubescis non te fecisse quod summum est? Heu in Diuinitatis arreptionibus vesanam Gentilium arrogantiam æmularis!

4 Matt 6. v 9. *Qui se Dei filium credit, vita, & moribus tanto generi respondeat.*

Chrysolog. serm. 68.

Lucæ 3. *Ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham*, &c. Ad quæ verba ita scribit Cyrillus: *Quid enim confert carnalis generositas, nisi consimilibus studiis fulciatur?* Labascit nobilitas, quam adsimilis virtutis fulcra non fulciunt. Addit Basilius: *Turpe namque est alienis ornari decoribus, quem virtus propria non venustat.* Contumeliam suam iactat, quisquis dispar moribus, fumosas Maiorum imagines præclariùs buccinat. Loquens de Bulgaris sic ad Theodoricum fatur Ennodius: *Hæc est natio, cuius ante te fuit omne quod voluit: in qua titulos obtinuit, qui emit aduersariorum sanguine dignitatem: apud quam campus est vir gator natalium. Nam cuius plus rubuerunt tela luctamine, ille putatus est fine ambage sublimior.*

5 Luc. 3. v. 8. Cyrill. & Basil. in Cat.

Virtus auitam nobilitatem fulcit, ne turpiùs corruat.

Ennod. in Panegyr.

---

§. XXII.

Mundialis voluptas, de prauia molestia ingratiâ, gratiam placendi fœneratur.

1 MVndi gaudia, aut trepida, aut fastidiosa sunt; non enim solidis caussis innituntur; sic eadem qua oriuntur vanitate turbantur. Parùm sincera sunt, quæ non parùm delectare putantur. Alia felicitas ad tuendam felicitatem opus est, & pro ipsis quæ successerunt votis, vota facienda sunt. Omne enim quod fortuitò obuenit, instabile est: quò altiùs surrexerit, vergit protinùs in occasum. Neminè solidè casura delectant. Miserrimam ergo necesse est, non tantùm breuissimam vitam eorum esse, qui magno parant labore, quod maiore possideant. Operosè assequuntur quæ volunt, anxij tenent quæ assecuti sunt:

Fossa ore voluptatem libamus.

Senec Epist. 90 Quid voluptatis felicitatem sollicito angore persequeris? *Nullis animalibus, nisi ex fastidio pax est.* Quantum ex his deliciis, quas tanto labore comparatis, fesso voluptatis ore libatis? Quantùm ex fera periculose capta, dominus crudus, ac nauseans gustat? Desiisse in illa peruestiganda laborare, potior voluptatis pars est: quasi cessatio aut quies à præuio labore, sit præcipua placendi gratia, & deliciarum voluptas. Sic mundi voluptabilia, sunt deliciarum ieiuna!

2. Hic vers. 1. Genes. 49 v. Genesis 49. Iacobus morti proximus, duodecim filios, totidem tribuum futuros Patriarchas, accersit; atque fausta, infestáve, pro singulorum meritò, virtutem præsagit. Cùm autem ventum est ad Nephthalim, Nephthaliticę tribus, & inde nostri Tobię protoparentem, sic prophetat Iacobus: *Nephthali, ceruus emissus, & dans eloquia pulchritudinis.* Mitto varias huius loci translationes, quas sāctæ Ecclesiæ Patres passim tradūt, & vbertim commentantur. Duciùs & coactiùs Hebræi velocitatem ceruæ ad promptitudinem terræ, eius præcoces fructus referunt, ob quos in templum delatos Deo laudes canerentur. Et quidem facile non est diuinare, cur Nephthalim *ceruum emissum* appellarit. Quidnam est ceruus emissus? A quo emittitur? quò emissus festinat? quidnam hæc emissio significat, vt in Nephthaliticæ tribus Benedictione singulariter censeatur? P. Iacobus Salianus, polito vt ingenio, & eruditione magnus, ita hunc locum ad rem præsentem litteralissimè pariter ac moralissimè commentatur: *Nephthali, ceruus emissus*, id est, *Nephthalios in tuta, atque vbere collocatos regione, exultaturos suaui libertate, similiter atque cerua nullis indaginibus conclusa, sed in herbosis, amœnisque saltibus liberè versantes, pascentesque exultim ludunt.* Scilicet ferè conuenit inter expositores in præfata Iacobi benedictione exponi peramœnum Nephthaliticę sortis solum, pingui gleba in primis fertile, & luxuriante fœcunditate voluptuosum, vbi gratissimè Nephthalim habitabit. Exinde, vt soli fertilitatem, & habitatorum iucunditatem sumptuosiùs exponat, non comparat Nephthalios cum gregibus ceruorum, qui herbosa pascua toto carpunt vbertim; sed cum ceruis, qui ruptis feliciter retibus, aut casso venatorum vulnere sospitati, *nullis iam indaginibus inclusi, in herbosis, amœnisque saltibus liberè versantes, pascentesque exultim ludunt.* Quasi tota pascuorum amœnitas, de felicitate periculi grata sit; & de elusis indaginibus, quibus sagax canum, & venatorum astutia, eos auidè insequebatur, vberrima pascuorum amœnitas delectet. Inamœna ceruis videbatur voluptas, spontiuam carpere vbertim herbam in amœna regione, nisi de præuio periculo, & de indaginibus venatorum frustratis, placendi gratiam gratè mutuaret. Ingrata est voluptas, quam præuius labor, aut angor non mellit. Dulcescit de fatigatione quies; cibus, & potus fame, & siti condiuntur: vix vlla est humana voluptas, quæ de alicuius molestiæ depulsione, non ebibat placendi gratiam. Tolle mundiales labores, & humanam requiem sustulisti. O mundi delicias, voluptatis auras! ô voluptatis fraus, de absentia molestiarum dulcis! Altè itaque Iacobus, Nephthaliorum delicias exponens, eas comparat ceruis, qui *in tutā, atque vbere collocati regione exultant suaui libertate; similiter atque cerua nullis indaginibus inclusa, in herbosis amœnisque saltibus liberè versantes, pascentesque vbertim ludunt.*

De periculi euasione amœna libertas dulciùs placet.

Salian. ann. mū. 2341 n. 34 tom. 1. ex Masio.

3. Geneseos 2. homini recens creato, & naturæ, & gratiæ dotibus insigniter venustato, confestim præcipit Deus, vt ab vna paradisi arbuscula temperet, ne ab immortalitatis prærogatiua, in mortem præcipitet. Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede: *De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Homo creatus fuerat ex dono Dei, immortalis, & protinùs mortis fit mentio? Puto, infelicitabitur paradisea felicitas, infelici audito mortis nomine; & immortalitas propè inquietabitur. Quid properanter minas mortis immortali Adamo Deus ingerit? Intuder ne homini paradisi delicias, dum immortalitatem mortis mentione turbat: Imò mortis mentione angustam immortalitatem adipat, & benè dulcem reddit. Hac super re sic modulatè occinit Claudius Marius Victor in Sacro Geneseos poëmate (ad aliud quondam lema expensus) ad illa verba: *In quocumque die comederis ex eo morte morieris. Namque inde perire posse datum est cunctis, vt viuere dulcius esset.* Argutè quidem. Nempe tota paradisi voluptate Adamus fruatur, & ne vita tātis deliciis potiundis illis desit, edulibus, & sapidis arboris vitæ fructibus vescatur. Quid ergo homini deest ad cumulatiorem felicitatem? nempe vt vitæ immortalis donum dignè æstimet; quippe quod tantæ prosperitatis copiam perdiù porrigit. Ast vt immortalitatis priuilegium, quod est tot bonorum compendiū, condignè adpretiet, & gratiùs delectet, semel & iterùm mortis mentionem, omnium præbitor Deus beneficè inculcat: *In quocumque die comederis, morte morieris. Namque inde perire posse datum est, vt viuere dulciùs esses.* Scilicet quò dulciùs sapiat immortalitas, mortis mentione condiatur ad saporem. Arceat mortem, vt plenam immortalitatis voluptatem aduocet, quasi de molestę mortis remotione, placendi gratiam fœneret. *Tenga à vista lo acerbo de la muerte, paraque estime dignamente la immortalidad.* Ac si de morienci ærumnis, quas arcet, immortalitas dulciùs delectet. O mundiales delicias, voluptatis steriles! Dispendium mali, erit boni compendium? ô, quid tam auidè sitis non sitire! non tam expetis succulentum potionis refrigerium, quàm aridæ sitis absentiam, quæ poculentorum gratiam exaggerat. O egenas mundi iucunditates, quæ de mali ingratia, gratiam placendi precariò fœnerantur! Sic è contrario calamitatis acerbitas, de præuiæ felicitatis dulcedine exaggeratur. *Quantum ad fascem mœroris adiungit interrupta tribulatio, quando acriùs vrat aduersitas prosperorum mutatione blanditur*, dixit Ennodius.

Gen. 2. v. 17.

Mundi iucunditas de molestia ingratiā, gratiam placendi fœnerat.

Claud. Mar. inibi.

Ennod. lib. 7. Epist. 2.

4. Addam quod hac super re appositè scripsit Venantius: *Habet hoc insignitum natura præuaricatione parentis ad nos decursa, vt sæpè quod vix acquiritur, mox linquatur, & serpentis inueterati dente radicem sic perculit, vt nec arbor steterit, nisi in mortis stipite fixa viuat. Misit hoc posteris hereditas parentalis; vulnificauit cunctos infelicis arboris acquisita possessio, quæ blandientibus pomis, prolem priùs nocuit, quàm nutriuit.* Expende quòd hominis natura de præuaricationis malo malè saucia dicitur, vt quod ad voluptatis gratiam de nouo acquiritur, mox linquatur, vt de malo absentię ablegato, rursùs acquisita, placendi combibat gratiam. Sic venenato serpentis dente, voluptuosæ arboris radix perculsa est, vt vitæ gratior surculus, in mortis stipite fixus viuat, vt de relegat

Venant. in Epist. ad Mumul.

Quicquid voluptatis acquiritur, mox linquitur.

relegatæ mortis succo, voluptuosæ vitæ gratia adiparetur.

5. Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromm. ita hac super re fatur: *Epicurus autem, in non esuriendo, nec sitiendo, nec frigendo, ponens beatitudinem, vocem illam Deo patrem exclamauit, impiè dicens, se probis vel cum Ioue Patre esse pugnaturum tanquam porcorum stercoribus vescentium, & non ratione praditorum & Philosophorum, beatam decernens victoriam.* Nempe hic Philosophus in non esuriendo, nec sitiendo, nec frigendo, beatitudinem ponit. Pergit Clemens: *Ex his enim qui voluptati parent, constat esse Cyrenaicos & Epicurum. Eos enim aperte dicere, finem esse iucundè viuere, perfectum aut bonum, solam esse voluptatem. Epicurus autem doloris quoque amotionem dicit esse voluptatem:* Ecce tibi maximus voluptatis adpretiator Epicurus, totum illius censum & sensum ponit in *amotione doloris.* Et Aristoteles: *Canonizamus* (sic habetur Græcè, & recentiores exscribunt pro, *regulamus*, aut *indicamus*) *Canonizamus*, inquam, *actiones ipsas alij magis, alij minus, voluptate atque dolore.* Quod alibi copiosè examinabimus, non perstrictim attigisse sufficiat.

Clem. Alex. 2. Stromm.

Voluptas in amotione doloris ponitur ab Epicuro.

Arist. 2. lib. Ethic c. 3.

6. Geneseos 1. quarta mundi die dixit Deus: *Fiat luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem, & sint in signa & tempora, & dies & annos: vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram. Et factum est ita.* Hinc Sol & Luna vicissim mundi circumeunt metas, vt Sol geminata luce amplificet claritatem diei: & Luna lumine suppari, ex toto cæca noctis tempora non relinquat, Hinc stellæ suo cursu varios mutant ortus, vt noctibus & signent tempora, & viantibus dent ducatum, Hinc tempora eundo veniūt, esse incipiunt dum desistunt. Pergit ad rem Chrysologus: *Hinc est*, inquit, *quod diei ac noctis copula sic diuisa est, vt ex quiete labor, requies ex labore constaret.* Ecce tibi requies ex labore constat; quippè quæ ex præuia molestia placendi gratiam fœneratur; quasi præuius ærumnarum angor, sit iucunditatis census. O quam amara est voluptatis gratia, quę ex ingratæ molestiæ pręambulo fauore, placendi vim emendicat!

Gen. 1. v. 14

Grata requies ex præuio labore constat.

Chrysolog. serm. 103.

---

§. XXIII.

Viro perfecto nullum exilium graue est: quia omnis illi mundus patria est; imò exilium est.

1. SEntētiosè Seneca, chara exules patria, & propriis exactos laribus, his verbis consolatur: Exulabis? Erras, cùm omnia fecerim, patriam meam transire non possum, Omnium vna est: extra hanc nemo proiici potest. Non patria mihi terdicitur, sed locus. In quamcumque terram venio, in meam venio. nulla terra exilium est sed altera patria est. Nō eris in patria? Patria est vbicumque bene est. Illud autem per quod benè est. in homine, non in loco est. In ipsius, inquam, potestate est, quid sit illud fortunij. Si enim sapiens est, peregrinator: si stultus; exulat. Sapienter exul, alterius loci ciuitate donatur, & in quamuis vastè remotam terrarum oram, ducit coloniam. Tobias in Assyriam abductus, idem fuit, qui in terra Nephthalitica; se, inquam, bonum comitem, secum ducens. Non erat vni angulo natus, patria eius totus hic mundus fuit: nec perdidisse putauit patriam, sed mutasse. Patriam in terris negligit, qui cœlestis patriæ candidatus existit. Vbivis locorum illi benè est, cui benè secum est. Facilè contemnit patriam, qui se terræ inquilinum; domesticum verò Dei, & cœli futurum ciuem seriò putat, anhela æternitatis spe. *Henoch translatus est*, (ait Nazianzenus) *exigua pietatis præmium hac translatione consecutus, vitaque sequentis periculum effugit. Basilij autem* (Tobiæ etiam) *vita omnis nihil aliud quam translatio erat.*

Senec. de Remed. fortuit.

Remedia aduersus exilij calamitatē, omnibus ærumnosam.

Hic vers. 2.

2. Geneseos 12. quò Abrahami mores elimet Deus, & omnibus imbuat sanctitatibus, in ipso diuinæ vocationis auspicio, illi patriæ exilium indicit; vt futurus credentium pater, in alieno solo vberiùs ad virtutem proficiat. Dixit autem Dominus ad Abram: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi.* Familiarium vinculis exemptus adesto mihi, cognationes abrumpe, à natiuo solo secede, secede à patre, & patria, vince naturæ vires, ac retinacula, dum ad virtutem exerceris. Quasi de cœlo tesseram Abrahamus acciperet, non fuit exequendo segnior, quàm imperando Deus: sed cœlestia imperia, vt data, cum alacritate capessit. Pulchrè Hugo Victorinus, didascalicam hanc eruditionem stillans, ita fatur: *Omnis mundus philosophantibus exilium est. Quia tamen nescio qua natale solum dulcedine cunctos ducit: & immemores non sinit esse sui, magnum virtutis principium est, vt discat paulatim exercitatus animus visibilia hæc & transitoria primum commutare, vt postmodum possit etiam derelinquere. Delicatus ille est adhuc, cui patria dulcis est. Fortis autem iam, cui omne solum patria est. perfectus verò, cui mundus totus exilium est. Ille mundo amorem fixit, iste sparsit, hic extinxit.* Meritò delicatulus & molliculus virtutis athleta dicitur, cui adhuc patria dulcis est; qui in natali hæret solo, nec in eo tanquam aduena & peregrinus inhabitat. Secedat à terrena patria, quisquis in cœlum ducere coloniam piè præsumit. Transmigrationem ex hoc mūdo in cœlum feliciter auguratur, qui quasi mundo extorris, patrio solo facilè cedit. Vel in ipso virtutis tyrocinio, Abrahamo indicitur, vt secedat à patria, à patre secedat, cognationes abrumpat, vt omnis terræ generosus inquilinus, cœlesti donari ciuitate expetat. *Exi de terra tua*, &c. quia nescio qua natale solum dulcedine cunctos ducit, Sed magnum virtutis principium est, vt discat paulatim animus hæc transitoria primùm contemnere, vt postmodum possit etiam derelinquere. Delicatus est ille adhuc cui patria dulcis est. Fortis autem Abrahamus, fortis & Tobias, quibus *omne solum patria est.* Perfectus etiā Abrahamus, perfectus quoque & Tobias, quibus *mundus totus exilium est* Nam vir perfectus, qui spe viuida cœlum præmaturè inhabitat, in mundo exulat, & peregrinatur in patria. Profectò cui patriam extorsit fortuna, huic dedit, vt eam, quæ ipsi cordi sit, tenere possit: patriis ergo vinculis exemptus, cœlum elige, cœlum tene, cœlū votis posside, cœli spe colonus, & empyrei generosus ciuis.

Gen. 12. v. 1.

Hug. Vict. lib. 3 didasc. instit c. 10.

Fortis est, cui omne solum patria est; perfectus verò, cui mundus totus exilium est.

3. Matthæi 1: in secunda tesseradecada, in qua reges Iudæ seriatim Euangelista recenset; vbi ventum est ad Iosiā, sub quo res Iudaica nutare cœpit, & paulò post captiuitas Babylonica obtigit; ita Matthæus scribit: *Iosias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in transmigratione Babylonis.*

Matth. 1 v. 11. & 12.

Et

Et post transmigrationem Babylonis, Iechonias genuit Salathiel. Alibi disputabamus quare cùm post triginta annos à Iosiæ morte, transmigratio acciderit, hic insinuari videatur eius ætate accidisse. Nunc autem notare iuuat, quare *transmigratio* nominetur. Aliqui pro τὸ *in transmigratione Babylonica*, legunt, *in exilio Babylonico.* Alij, *in deportatione Babylonica.* Et tamen captiuitas fuit, ipsáque durissima, & inhumaniter barbarica, qua Hebræa gens atrociter diu oppressa est. Eccur non captiuitas, sed *transmigratio, exilium, deportatio* nominatur? An quia populo Dei sub Mosaica lege, sic erat patria dulcis, sic erat acerbum à patriis laribus eximi, & in exilium abigi, vt captiuitatis iugum leue esset præ exilio, nec commemoratione dignum? (de quo infrà redibit sermo) Scilicet Euangelio, Euangelicæque perfectioni hæc eximia laus seruabatur illibata, vt vbiuis Gentium patria solet viris perfectis; qui patriæ cœlestis candidati, nesciebant exilium; quippè quibus non vno terræ angulo natis, totus hic mundus patria erat. Vnum adducam Magnum Basilium, (vt alios viros Apostolicos interim omittam) cui cùm Imperatoris præfectus ita & potentia armatus, truci vultu & ore minitaretur bonorum proscriptionem, exilium cruciatus, mortem; hæc referente Nazianzeno, respondit tum Basilius: Siquid aliud habes, id nobis minitare. Horum enim quæ adhuc commemorasti, nihil ad nos attingit. Quoniam bonorū proscriptioni obnoxius non est, qui nihil habet: nisi fortè laceris & detritis hisce pannis indiges, ac paucis libellis, in quibus omnes mihi facultates & copiæ sunt. Iam tormenta quid accipere queant, cùm corpus desit? Nisi fortè primam plagam dixeris: huius enim solius penes te arbitrium & potestas est. Mors beneficij mihi loco erit, citiùs enim me ad Deum transmittet, cui viuo, & munere meo fungor, maximáque ex parte mortem obij (sed obserua attentiùs quæ de exilij minis ad rem præsenté Basilius respondet) *Exilium autem haud agnosco quia nullo loco circumscriptus sum.* Verba planè Basilio dignissima, & quæ dulcem patriæ amorem Christianè refutant, (non physicè, sed ethicè intelligenda) omnis mundus philosophantibus patria est. Profectò nemo est quin vbiuis, quàm ibi vbi est, esse malit. Basilius autem præmaturè conciuis cœlitum, ac domesticus Dei, patriam in terris ignorat, nullo loco circumscriptus est, totus mundus illi peregrinationis locus est; exilium nisi è cœlo non agnoscit: in natali loco est; sed vbiuis adsimilem inuenit patriam aut exilium, *quia nullo loco circumscriptus est*, arcana quadam diuinæ immensitatis æmulatione; qui enim nullo loco circumscriptus est, nusquam peregrinatur, nullibi exulat, vbicumque sit, extorris non est. Puto, quòd qui nullo loco circumscriptus est, & omnis ei mundus patria est; ea mundi penuria laborat, vt in mundo degens, mundi exul sit, & præmaturè cœli ciuis. Vide quam Mosaïcæ legi Euangelica perfectio antistet! Qui tamē virtutem nactus est, vt nullo loco circumscriptus sit, sibi viuit; & indè nullibi exul est. *Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi & mundus, & locus, & omnia*, dixit Tertullianus.

Nazianzen. orat. 20 aliàs 19

Vir Apostolicus nullo loco circumscriptus est

Tertull. aduers. Prax. c. 5.

4 Ioannis 15. Christus Deus aduersus mundi minas discipulos suos modulatè obarmat: Si mundus, inquit, vos odit, scitote quia me prioré vobis odio habuit. *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Qui extra mundum est, quid peregrina mundi loca timeat? Quid refert vbi sit in mundo, qui extra mundum est? qui est mundi exul, quid timore præcaueat, vbinam in mundo sit? Argutè Tertullianus ita ad Martyres in carcere detentos scribit: Habet carcer tenebras, sed lumen estis ipsi. Habet vincula, sed vos soluti Deo estis. Triste illic spirat, sed vos odor estis suauitatis. Iudex expectatur de iudicibus, sed vos estis de iudicibus iudicaturi. Contristetur illic qui fructum seculi (mundi inquam) suspirat. Christianus etiam extra carcerem seculo renunciauit, in carcere autem etiam carceri, libra attentiùs quæ subdit verba) *Nihil interest vbi situ in sæculo, qui extra sæculum estis.* Christianus, qui *de mundo non est*, quid de mundi exilio sollicitus est, & angitur vbi in mundo sit? Quid interest vbi in mundo sit, qui extra mundum est? *Nihil interest vbi sit in sæculo, qui extra sæculum est.* Altè de more Tertullianus.

Ioann. 15. v. 18.

Nihil interest vbi sit in mundo qui extra mundum est.

Tertull. ad Mart. cap. 2.

5. Addam, & finio, pulchra Eusebij Emiseni verba, quibus Maximum Episcopum & Abbatem mirè dilaudat, sic ad rem de eo scribens: *Diu ille sub habitu sæculari, Christi militem gessit: diu sancta vita, quæ sola deerat, professione negauit: diu in hunc mundum positus, extra mundum fuit: diu seductori imposturam fecit, diu mentientem fefellit: & cùm iam eum mundus animo non agnosceret suum, vel solo tamē corpore tenebat alienū: ac sic publica conuersatione suscepta, non tam cœpit esse quod non erat, quàm prodidit quod latebat*, (attentiori mente pensita verba quæ subdit) *Inter hæc stupebat in sinu suo patria ciuem suum peregrinari, & intra fines proprios noua conuersationis legibus exulare. Nondum quidem visibiliter exierat de terra sua, & cognatione sua, & de domo patris sui: sed iam spiritaliter reliquerat terram suam, quia nullis in linibatur concupiscentiis actibúsque terrenis*, &c. Eleganter quidem Eusebius.

Emiss. homi. de Max.

Maximus peregrinatur in patria.

Gen. 12. v. 1.

6. Geneseos 2. *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem:* Hominis caro è matrice puluere stetit: anima verò ex Dei spiratione ortum habet: inde & ipsa corporeæ concretionis exors, spiritualis est, Dei imaginem præfert; & Angelorum cognata, cœlum fragrat, dum os diuinum tanquam generosos sui natales agnoscit. Et tamē quando anima separata, à corporis collegio abstracta est, corporeæ molis expers, *Carnis exul*, sententiosè à Tertulliano nuncupatur! Addit infrà: *Caro, post exilium animæ, cadauer inscribitur.* Et sanè tunc quoad naturalia melius habet; nam carnis contagio exuta, Angelis in intellectione propiùs vicinatur. O bonum *exilium* animi, qui carnis inquilinus, dum velut reuolat ad cognatos Angelos, & ad cœlestem patriam, post longam in mundo peregrinationem, *exul carnis* nuncupatur. Vide egregium *exilij* censum, quem perfecto & spirituali homini animus spiritualis afficiat, de indiuidua diu coniunctione. Scilicet qui peregrinatur in corpore, & extra corpus exulat, vbique exul est, sed feliciter exul: quia *nihil interest vbi sit in sæculo, qui extra sæculum est.*

Gen. 2. v. 7.

Anima in carne peregrinatur, & separata, exul carnis dicitur.

Tertull. lib. de Resurr. car. cap. 17. & 40.

§. XXIV.

§. XXIV.

Misericordia in alios, de propriæ miseriæ schola, compassionis magisterio eruditur.

1\. Publ. Mim. apud Senecã in Prouerb. FAcetè pariter ac verè dixit ille quicumque: *Auarus nisi cum moritur, nil rectè facit.* Non modò, quia, etsi inuitus, auarum de medio tollit: id est, viuam opum sepulturam, inanem egenorum spem, & vile naturæ probrum. Sed fortè etiã quoniam quãtumuis auarus sit pecuniæ tenax, & immisericordiæ alumnus, de molesta tamen ægritudine, & ægritudinis calamitate eruditus, tandem aliquando *rectè facere* discit: & licet serò, calamitosis compati scit. Propria calamitas, arbitrium misericordiæ est, pietatis ingenium, & cõpassionis officina. O quoties repetita frequens ærumna, tenaciorem paulatim, elimat auaritiam, & misero misericordiam extorquet! Prosperitas malorum nescia, malo non tangitur alieno; neque scit compati, qui pati nescit. Experta vero in se ipso miseria, est promptissimum misericordiæ conceptaculum; & in gymnasio miseriæ, misericordia eruditur. Acerbo præceptore pietas discitur! ô præcurre facere bonum, ne malo acriter stimulatus, serò festines tarda pietate! ô quàm de propria miseria, misericordia in alios adipatur, & crescit; atque quadam velut pietatis libidine, ad beneficentiam viuidè concitatur! Idoneè Chrysologus: *Caussam suam facit, qui alterius vult cauere: qui non compatitur, amputare non potest passiones. Christus nos in se suscepit, vt se daret nobis: pertulit passiones nostras, vt nostras tolleret passiones.*

Quare auarus, nisi cum moritur, nil rectè faci?

Chrysolog. serm. 151.

2\. Paulus, Gentium doctor, & siderea Ecclesiæ facula de Solis orbita supernè accensa; super abstruso Incarnationis mysterio, & quàm conueniens & peridoneum fuerit ad naturæ humanæ medelam; ita scribit ad Hebræos cap. 2. Nusquam, inquit, Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. (Pergit propiùs ad rem) *Vnde debuit*, Christus inquam, *per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret.* Attentius enucleare oportet rationem, quam Paulus subdit, Paulo dignam. *In eo enim, in quo passus est ipse & tentatus, potens est, & eis, qui tentantur, auxiliari.* Quæ verba exponens Nazianzenus, ita scribit: *At fortasse illud quoque non incommode existimare queamus, Christum obedientiam nostram explorare, passionibusque suis omnia metiri arte quadam humanitatis beneuolentiæque erga genus nostrum: ita vt ex eius affectibus nostros æstimare queat, quantumque & à nobis exigi & condonari debeat, expensa nimirum ex passionibus virium nostrarum imbecillitate.* Pulchrè quidem Nazianzenus. Verùm adeò sublimissimè in re diuinæ corporationis, & in eius congruentiis humanitùs assignandis, Apostolus philosophatur, vt humanæ mentis aciem excellere videatur. Exploremus, si placet, Pauli rationem. Oportuit, inquit, quòd Deus homo fieret, vt exportunum hominibus remedium afferret: nam *in eo, in quo passus est ipse* (Christus) *& tentatus, potens est & eis, qui* patiuntur & *tentantur auxiliari.* In eo, in quo Christus Deus passus & tentatus est, *potest* hominibus dura patientibus, & acerbe tentatis auxiliari? ô angusta (quantùm apparet) Christi pote[...] non Christus, homo Deus, etsi pass[...]isset, posset miseris subuenire? Quid opus fuit, vt homo Deus patientibus assimilaretur per omnia, vt patientibus opem ferre *posset*? Poterat, poterat, inquam, Christus Deus calamitosis auxiliari, etsi ipse nullam vnquam calamitatem subiisset: non enim *potentiam* ærumnosis auxiliandi, è propriis ærumnis Christus mutuauit; sed ex Deitate ipsa hypostaticè indiuidua, qua homo Deus theandricas operabatur actiones, Deo infinite gratas. Quid ergo est, quod dicat Paulus, de schola cœli edoctus: In quo passus est Christus, & tentatus, *potens est* & eis, qui patiuntur, & tentantur auxiliari? ô quam videtur Paulus angustare Christi *potentiam*! Vidit Theophylactus, secutus Chrysostomum, quos alij sequuntur, hanc difficultatem, & illam expediens, sic arguitè de compassione fatur, commentans præfata Pauli verba: *In quo enim passus est ipse & tentatus, Potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.* (Theophylactum legis) Non veluti Deus tantum nouit, verùm etiam vt homo nouit per experientiam. Caro autem Christi haud pauca tolerauit, nouit quid sit afflictio, nouit quid sit tentatio. *Itaque potest auxiliari, hoc est, promptus est, & pronus vt manum porrigat, afflictis condolescens.* Planè eleganter! Quasi dicat: *Potentia* Dei, quando sola calamitatis cognitione ducitur ad miserandum afflictis mera omnipotentia est, omnia ad nutum *potens*; sed quæ arbitrij libertate, aut opem feret, aut ferre opem omittet. At quandò Deus ipse, hominibus assimilia passus est; illa, illa ipsa nuper mera *potentia*, postquam homo Deus experientia nouit quid sit afflictio, & dura perpeti, quasi transeat in procliuem inclinationem, & velut in auxiliandi appetitum iam Deus homo afflictus, & ærumnis æstuans, *potens est auxiliari, hoc est, promptus est, & pronus, vt manum porrigat, afflictis condolescens.* Ac si Deus homo per compassionem sic afflictis condolescat, vt quasi ferueat ad ferendum miseris auxilium: & quod erat *potentia*, in procliuem miserandi appetitum quodammodò per cõpassionem transeat. Consultissimè autem Paulus Christum Deum afflictum, & de experientia afflictis compatientem, appellat *potentem auxiliari*; quo *potentiam* Christi Dei, quæ à compassione induit promptissimam procliuitatem, seu velut appetitum viuidè excitatum ad opem ferendam miseris, ad totam iam Christi Dei omnipotentiam latissimè extendi publicet. Quasi post Christi Dei afflictiones, tota eius omnipotentia sit iam viuidè exprompta, & quodam velut appetitu ad miserendum prona. Ecce tibi subobscuram rationis Paulinæ energiam, Theophylacti commento claratam.

Ad Heb. 2. v 18.

Naz Orat 4. Theolog.

Christus Deus de propria afflictione potest afflictis compati.

Theophyl. inibi.

Ipsa ad miserendum potentia, de propria miseria, in subueniendi appetitum transit?

3\. Hic vers. 3. Tobias in Assyriam captiuus ducitur. Quantas autem Israëlitica gens sustinuerit ærumnas sub barbarica Assyrij regis captiuitate, ipse infrà exposuit, sic Deum alloquens: *Quoniam non obediuimus preceptis tuis, ideò traditi sumus in direptionem, & captiuitatem, & mortem, & in fabulam, & in improperium omnibus nationibus, in quibus dispersisti nos.* Cùm ergo Tobias patrio solo exul, bonis suis orbatus, tot probris & calamitatibus iactatus, suos contribules assimilia pati videret, sic animitus compassione condoluit, *Ita vt omnia, quæ habere poterat, quotidie concaptiuis fratribus impertiret.* Sciò verborum sensum,

Tob. 3. v. 4.

Hic v. 1.

sensu[illegible]erba ad mores concionatoriè premere li[illegible]d Latini Patres sæpè fecerant. Quid est concaptiuis omnia, quæ habere poterat, quotidie impertiebatur? Dionysius Carthusianus, sic locum commentatur: *Id est, filiis Israel secum captiuis condiuideret, & communicaret, omnia*, inquam, *quæ habere poterat*. Sed nondum Carthusianus exposuit, quid sit, non tantùm concaptiuis fratribus impertisse quod habebat, sed præ compassione, *omnia, quæ habere poterat impertisse*. Propiùs ad rem Strabus Fuldensis, peruestigans energiam illius verbi, *Poterat*, dum Tobias dicitur impertisse concaptiuis quidquid *habere poterat*; ita scribit: *Quidquid enim naturaliter boni habuit, quod hostis captiuans non abstulit, hoc suis in exemplum virtutis ostendebat*. Scilicet Assyrius hostis, quod habuit Tobias diripuit, & captiuauit; quod autem *habere poterat*, diripere, & captiuare tunc nō valuit. Parùm autem foret compatienti Tobiæ, si concaptiuis fratribus benefaceret de bonis, quæ auarum Dominum effugerunt, & illi pariter captiuo ad victum supererant: sic de compassione ad benefaciendum efferebatur, sic quadam velut beneficentiæ libidine ad largiorem benignitatem incitabatur, vt *potentia* ad habendum, pro ampla facultate computaretur; & copiosæ eleemosynæ, non tantùm bona, quæ ipse habebat, sed etiam omnia, quæ habere *poterat*, opulenta pietate vbertim exęquarent. Nempe furacissima Assyrij hostis auaritia, propè exhausit bona quæ habebat Tobias, & auidè cupiebat ipse concaptiuis largè impertire: at *potentiam* ad habendum, captiuare non potuit; ergò de thesauro huius opulentæ *potentiæ* largas eleemosynas compassio depromebat, prædiuite benignitatis auctario. Nō tam id, quod Tobias habet ad concaptiuis impertiendum, sit eius beneficentiæ census; sed *omnia, quæ habere poterat, quotidie concaptiuis fratribus impertiri* sit eius benignitatis sublimior mensura, & generosæ pietatis meta, piè de compassione audentior ad immetata beneficentiæ facinora. Porrò sicut de Christo Deo nuper dixit Paulus, adsimilia hominibus perpessum fuisse, vt in eo, in quo ipse passus est, *potens* esset patientibus auxiliari; auxilia de compassione quodammodò cum *potentia* metitus: similem ad modum, Tobiæ erga concaptiuos benignitatem, non tam cum facultatibus, quas habet, quam cum potentia *ad omnia, quæ habere poterat*, exaggeratiùs metitur. O qui egenis impertire renuis, quod tuæ necessitati superest, (ambitioni autem nihil satis est, sicut neque auaritiæ) disce Tobiæ exemplo, quasi parum foret donare indigentibus quod quis habet, pia benignitatis ambitione, cum *potentia* ad habendum, beneficentiam fore amplificandam: qui est pius quidam misericordiæ fastus, de compassionis generositate audentior.

Carthus. lib.

Tobias non tantum quod habet, sed etiam quod habere potest concaptiuis impertit.

Strabus in Glossa

4. Regius Vates psal. 113. sic de aquis fatur, *Quid est tibi mare quod fugisti: & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum?* Quem fugit? quare fugit? & quomodò exanimale elementum fugit? S. Cyrillus Ierosolymitanus putat, Mare fugisse Deum: tradens enim diuinæ corporationis causas, ita scribit: *Venit Christus, vt miracula operaretur, ambulans super aquas maris: quoniam ante carnis assumptionem Mare vidit illum, & fugit Iordanus est conuersus retrorsum, Assumpsit corpus Dominus, vt Mare videns sustineret, & Iordanus sine timore illum susciperet*. Scilicet Mare vidit merum Deū, & fugit, timens illi substerni, & ad nutum parere. At cùm Deum passibile corpus assumpsisse videt, & humanis passionibus esse obnoxium; lubenter super aquas ambulantem tolerat, & eius vestigiis spontiua dorso gratanter substernitur: nec putat graue subiici eis qui humanis passionibus, ærumnis, aduersitatibus subest: quandoquidem de propriæ aduersitatis acerbitate, discit alienam; & quam grauatè feratur; de experientia noscit. *Quoniam ante carnis assumptionem. Mare vidit, & fugit, assumpsit corpus Dominus, vt Mare videns sustineret, & Iordanus sine timore illum susciperet*. Quis laboribus obnoxius non timeat, labores non timentem? Profectò misericordia in alios, de propriæ calamitatis schola, compassionis magisterio eruditur.

Psal. 113. v. 5

Cyrill. Ierosol. Catech. 12

Corpus passibile assumpsit Deus, vt Mare eum sustineat super aquas ambulantem.

Exhodi 3. *Apparuit Moysi Deus in flamma ignis de medio rubi*, &c. Clemens Alex. putat Verbum tunc specie tenus corporatum, & mox verè corporandum pro hominum redemptione, illi apparuisse, sic ad rem scribens: *Verbum conuertit eos, qui habent aures, & alicubi quidem maledictis incessit, alicubi etiam minatur, & nonnullos deflet homines, nonnullis verò canit*. Postmodum singula munera singulis percommodè adaptans, ita subdit: *Multiplices habet Seruator voces, & modos ad salutem hominum. Maledicens conuertit, minans admonet, deflens miseretur, psallens per rubum loquitur*. Intermitto nunc quòd Saluator *maledicens conuertit* nonnullos, id est, asperis & duris ad melioris vitæ frugem reuocat. Nota verò ad rem, quandò dicatur, non *maledicens*, aut *minans*, aut *deflens*, quæ asperiora sunt verba; sed placidè *psallens*, & blande modulatus; nempe cum ex spinoso & exasperante rubo loquitur. *Psallens per rubum loquitur*. Nimirùm quandò qui loquitur asperitatem præsentit, tunc mitiùs agit. O nimis verum! De Verbo diuino antropopatiis Clemēs loquitur non enim tunc spinas Deus sentit, sentiet autem postmodum homo Deus spinis coronatus. Placidè erga alios *psallit*, qui in se pręsentit quam cruente exasperet spinositas: à spinis immunis asperiùs agere solitat. 5.

Exhod. 3. v. 2

Cle. adhort. ad Gentes.

§. XXV.

Tobias in annis puerilibus cana consilia meditatur, & senectutis stipendiis iuuentutem adornat.

Solon, cùm quidam ex eo quæreret, quid senectutem esse putaret; respondit: *Vita hyemem*. 1.
Inde puerilis iuuenilisue ętas ver seu æstatem esse putauit, quæ passionum calore vstulatur, & feruet ad vitia. Benè ergò *Socrates percontatus, quænam esset potissima iuuenum virtus. Vt, inquit, ne quid nimium, tentent. Calor enim ætatis vix finit illos seruare modum*. Ei, qui agitur ætatis feruore, sat est, quod nihil nimium intentet, nec consilia effręnis pręcipitet iuuenili temeritate aut puerili inconsiderantia. Felix Ticinensis ad Armenium quam optimo filiolo orbatum, cōsolatoriam mittit epistolam; & inter alias, quas spissat sententias, hanc interserit: *His addas*, inquit, *quod frugi sobolem, & quæ teneram ætatem vincere, morum modestia perdidisti: allegans iuuenem tuum immaturos annos, qui pręcatis amici sunt, glorioso fine clausisse, & in ætatis naufragio ab eo de portu animæ fuisse tractatum*. Sententiosè quidem pueritia

Apud Stob.

Laërt. in vita Socrat. lib. 2. cap. 5.

Senectus est ætatis hyems, pueritia verò & iuuentus, ver, siue æstas.

Felix Ticin. lib. 1. epist. x.

Iuuentus dicitur ætatis naufragium.

ritia, aut inuentus appellatur *ætatis naufragium*; exin de tanquam res mitissima prædicatur, quòd in ea naufragus animus portum salutis inuenerit, de naufragio inueniens sospitatem. Sic minor ætas periculosa censetur de iuuentutis ardore, quo vsque deferuescat in senium? Hinc quò difficilior & rarior virtus in puerili ætate, eò præstabilior, & sumptuosior reputatur, adeò vt augustissimum sit illud Maximi encomium, quod de eo gloriosè deprædicat Emissenus: *Qui cùm à prima ætate nouus virtutibus vsque ad finem quasi semper incæperis, inter ipsa primordia consummatus apparuit.* Hæc ne de suo Maximo, an potiùs de nostro Tobia prædicantur? Lucæ 18. *Quicumque non a ceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.* Ad quæ Christi verba, ita scribit Ambrosius: *Itaque in pueritia est quadam venerabilis morum senectus; & in senectute innocens pueritia.* Quid Tobiæ puero, & seni accommodatiùs?

Emiss. homil. de Max. Luc. 18. v. 17. Ambr. ibi

2. Sacer Historicus in hoc cap. 1. per omnes ætatum gradus, vel potiùs per omnes ętatum mores, Tobiæ vitam laudat. De prima autem eius ætate hoc verborum compendio multa paucis stringit: *Cùm esset iunior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile gessit in opere. Denique cùm irent, omnes,* &c. Rata planè Tobiæ laus, & qua lubricam ad vitia ætatem stitit, & fluxam annorum teneritudinem solidauit, excessit, vicit. Pulchrum Tobiæ parallelum, qua solet dictionis facundia describit Ennodius sic de Boëtio Seuerino eloquenter fatus: *Tu in me, emendatissime hominum, dignaris prædicare virtutes; quem in annis puerilibus sine ætatis præiudicio, industria fecit antiquum: qui per diligentiam imples omne quod cogitur: cui inter vita exordia ludus est lectionis assiduitas, & delicita sudor alienus: in cuius manibus rutilat qua veteres face fulserunt.* Nempè Tobias *cùm iunior esset omnibus, nihil tamen puerile gessit in opere.* Boëtium verò Tobiæ vmbram, *in annis puerilibus sine ætatis præiudicio, industria fecit antiquum.* Tobias in minori ætate fugiens impiorum consortium, pergebat in Ierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israël, omnia primitiua sua, & decimas suas fideliter offerens, itavt in tertio anno proselytis, & aduenis ministraret omnem decimationem. *Hec & his similia secundum legem Dei puerulus obseruabat.* Boëtius verò de Tobiæ imitamento, *in annis puerilibus per diligentiam imples omne quod cogitur.* Dum vltrò sollerter exequitur, quod exequi per leges cogitur. Tobiæ in pueritia ludus erat, legis diuinæ meditatio: Boëtio autem *inter vita exordia ludus erat lectionis assiduitas.* Quid accommodatiùs?

Hic v. 4.

Ennod lib. 7. Epist. 4.

Tobiam in annis puerilibus sine ætatis præiudicio, industria fecit antiquum.

Hic v. 8.

3. Pergit adhuc M. Felix Ennodius de suo laudatissimo Epiphanio Ticinensis Ecclesiæ Episcopo, ita scribens, ad rem præsentem opportunus: *Igitur processu temporis, ac laboris*, inquit, *ad sextum & decimum ætatis annum diuino fauore perductus, cana consilia in annis puerilibus meditabatur. Vernabat in illo præ cæteris mater bonorum operum verecundia. Ita famulabatur Antistiti libens;* (Tobias auiæ) *vt siquid operis gereretur ab altero, grauiter ferret subreptum sibi fuisse seruitium. Accipiebat senes grauiter, iuuenes comiter, & coërcebat iam tunc facinorosos audacter: erat primis subiectus, prioribus sancta iniungentibus obsecundans; æqualibus blandus atque officiosus, sequentibus mira charitate communis: nulli se præferens; cum religiosa cursu per cælestem itamitem omnibus anteiret: laudationis amore vacuus, cùm quotidie in eo laudanda adolesceret.* Pluscu lùm præter morem rescripsimus; sed quid intermitteremt ex verbis, quæ non tam Epiphanium Ticinensem, quàm Tobiam Nephthalitam ob oculos graphicè adumbratùm obuersant? Sed ne te prætereat illa sententia: *Cana consilia in annis puerilibus meditabatur*, quæ apprime quadrat in eum, qui *cùm iunior esset omnibus, nihil tamen puerile gessit in opere.*

Ennod in vita Epiph.

Cana consilia in annis puerilibus Tobias meditatur.

4. Danielis 13. cùm senectus Iudicum malè iuuenescit ad luxum, & in ætatis hyeme ad libidinem æstuat; puer Daniel in teneris annis ad cana consilia præmaturè senescit sine ætatulæ præiudicio. Itaque innocenter pulchra Susanna pudicitiæ rea, ad probrosam impudicitiæ pœnam falsato impurè testimonio rapitur. Cúmque duceretur ad mortem, *suscitauit Dominus Spiritum Sanctum pueri iunioris*, cuius nomen Daniel. Et exclamauit voce magna: Mundus ego sum à sanguine huius. Et conuersus omnis populus ad eum dixit: Quis est iste sermo, quem tu locutus es? Qui cùm starent in medio eorum, ait: Sic fatui filij Israël, non iudicantes, neque quod verum est cognoscentes, condemnastis filiam Israël? Reuertimini ad iudicium, quia falsum testimonium locuti sunt aduersus eam. Reuersus est ergò populus cum festinatione, & dixerunt ei senes: *Veni, & sede in medio nostrum, & indica nobis: quia tibi Deus dedit honorem senectutis.* Tunc Susanna adhuc lacrymans felicitatem periculi sui, mentem sublimiùs erigit, & spe votis non impare, in puerilibus Danielis annis, cana consilia expectat nec euentus fiduciam fefellit, dum *puero iuniori Deus dedit honorem senectutis.* Bellissimè (licèt aliorsum) S. Paulinus sic fatur: *Etsi adhuc flore annorum virebat, tamen morum senectute canuerat, & ætatem pueri, stipendiis senectutis ornabat.* Ecce tibi Daniel, ecce Tobias, qui etsi flore annorum virebant, tamen morum senectute canuerant, & puerilem ætatem, *stipendiis senectutis ornabant*, ô nimis opulenter prælustria senectutis in puero stipendia? *Ætatis naufragium*, factus est innocentiæ portus: & senilis lasciuiæ procella in Susannam innoxiam atrociter grandinans, canis pueri consiliis tranquillata est, & nymbus in malaciam de repente conuersus, quo naufraga innocentia de periculo inuenit salutem prospero errore.

Ætatem pueri, stipendiis senectutis Tobias ornabat.

Dan 13. v. 50

Paulinus epist. 35.

Ennod. lib. 2 epist 33.

5. Itaque *puero iuniori* (Danieli inquam) *Deus dedit honorem senectutis.* Et noster Tobias, *cùm iunior esset omnibus, nihil tamen puerile gessit in opere.* Nam etsi flore annorum virebant, tamen morum senectute canuerant. *Nunc in cano flore spem fructuum metitur agricola.* In puerilis ætatis flore, canos senectutis fructus videre licet? Adhuc loquitur idem Paulinus ad thema præsens peridoneus. *Dubitemus etiam nunc*, inquit, *an perfectus sis, qui de perfectione cœpisti? & si legitimè coronandus sis agone decurso, cùm currere cœperis à corona?* Quid Tobiæ accommodatiùs? De puerorum vitiis, quibus Tobias, & Sara caruerunt lege §. 215. & §. 31.

Ennod in Natal. Laur. Mediolan.

Paulin. epist. 26.

6. Geneseos 15. Abrahamo petenti signum, vnde scire posset, quòd eius numerosa progenies, Terram promissionis possessura esset, his verbis Deus respondet: *Sume*, inquit, *mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam.* Diligenter quærunt

Gen. 15. v

Desideria sunt ætatum mensura.

quærunt interpretes quare offerédorum animalium determinata exigitur ætas, *turturis* verò ac *columbæ* tempus non requiritur? Quid facit in animalibus ætas, quod auibus desit; Aut si in auibus id superuacuum est, cur intentiùs in animalibus requiritur? Vidit hanc difficultatem Eucherius, & sic eleganter respondet: *Turturis & columbæ ætas temporalis ideò tacetur, quia æterna meditantes, transgressi sunt desideria temporalia.* Quasi hominis desideria sit ætatum mensura. Exinde quisquis æterna quæ meditatur, desiderat, à re desiderata æternitatem æmulatur, quin & propè fœneratur: & qui terrenis inhiat, rebus caducis, & terrenis commensuratur. Non piget, nec pudet iterare cum Philone: *Votum caret tempore.* Ecce tibi quomodo Tobiam in annis puerilibus, virtutis industria fecit antiquum: quippe qui morum senectute canescat, & iuuenilem ætatem stipendiis senectutis ornabat. Desideria enim Tobiæ, & eius actuosa virtutis industriâ, tēporariæ ætatis vota trāscenderant: siquidē *cum iunior esset omnibus nihil tamen puerile gessit in opere.* Inde eius temporalis ætas non computatur; quia sicut turtur, & columba, æterna meditatus, transgressus est desideria temporalia. Neque id ita de suo principe Moyse dixit Philo, vt illud idem de nostro Tobia dici non posse videatur: *Nullis*, inquit, *educationem regiam* (liberalem inquam) *nequaquam infantium more delectabatur assentationibus, iocis, lusibusque, quamuis indulgenter haberetur ab educatoribus; sed iam tunc modestiam, grauitatemque præferens, malebat audire, spectareque vtilia.*

Eucher. ibi apud Lipom.

Temporalis Tobiæ ætas tacetur, quia transgressus est desideria temporalia.

Philo lib. 1. de vita Moysis

7. Sanctus Petrus Chrysologus cùm verba è suggestu faceret in Episcopi consecratione, pueri mores in cana Præsulum ætate requirit, ita fatus: David dixit: Audi filia, & vide Ego dicam. Audi mater Ecclesia, & vide: pro partibus tuis nati sunt tibi filij. *Sint prudentia senes, grauitate patres charitate filij, virtute iuuenes, dulcedine soboles, innocentia infantes, malitia paruuli, qui mundi sunt nescientes, totam regni Dei præsentiam possidentes: attestante Domino, cùm dicit: Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum.* Et confestim subnectit: *Tales generat perpetua virginitatis copula, tales generat cælestis vita coniugio, sexus nescia, conceptus conscia, gnara partus, corruptionis ignara, pudore integra, integritate clausa, casta pignoribus, fœcunditate diffusa.*

In cano Episcopo exiguntur puerorum mores.

Chrysolog serm. 130. Matth. 19.

6. Nimirùm in cano Antistite exiguntur puerorum mores, sed insolens & intempestiuum videtur, quod in iuuene Tobia seuerior senum ætas præcoqua maturuerit, nullis tempestiua iocis. *Nisi quis* (ait Nazianzenus respondens pro Basilio) *leonem etiam accusandum putet, quod non simiæ vultum, sed toruum quendam, & horrificum & regium præferat: cuius ipse quoque saltationes fortes, & generosa sunt, & cum admiratione iucunda.*

Naz. orat. pro Basil.

9. Regius Vates Psalm. 118. ita de se fatur: *Adolescentulum sum ego, & contemptus: iustificationes tuas non sum oblitus.* Magna planè Dauidis laus, quòd adolescentiam non adduceret ad delictorum defensionem. Quod eloquenter aliàs notauit Cassiodorus, ita fatus: *Gloriosa supplicatio est, quæ veniam quærit ætatis, quando grauitatem de moribus se confitetur accipere, quam maturitatem vitæ non contigit intulisse*, (pergit adhuc Cassiodorus Regis nomine) *Minor nascendo grandæuus esse cupit consilio. Ita quod in rebus humanis audacissimum est, ad auxilium erroris beneficium contemnis annorum. Caput igitur nostro beneficio potiorem annis ætatem, & quod petis ab oraculo moribus exhibeto: nam professio maturitatis acerba locum denegat actionis.* Capit igitur hic Tobias Dei beneficio *potiorem annis ætatem; qui cum esset iunior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile fuisset in opere*, &c.

Psalm. 118. v. 141.

Cassiod. lib. 7 variar Epist. 41.

---

§. XXVI.

Qui malè cœpit, velut abortiuus, vitiorum morti potiùs quàm virtutum vitæ nasci videtur.

PVerorum educatio, è qua reliquæ vitæ mores plerumque pendent, maximam diligentiam desiderat. Facilè est enim teneros adhuc animos fingere, & refingere, aut quoquo versùm flectere. Molles sunt, & dirigenti cedunt. *Difficulter resciduntur vitia, quæ nobiscum creuerunt.* Diligenti obseruatione res pædagogiæ indiget. Vtrumque enim & quod extollendum, & quod deprimendum est, similibus alitur. Crescit licentia spiritus, seruitute comminuitur. Assurgit, si laudetur, & in spem sui bonam adducitur. Sed eadem ista insolentiam, & iracundiam generant. Maximè pertinebit ad rem, præceptores pædagogósque omni virtute præstantes, nullo vitio deformes, pueris dare. *Proximis applicatur omne quod tenerum est, & in eorum similitudinem crescit.* Leue vitium, quod à pædagogi similitudine expressit, vel à prauitate naturæ hausit, sed vndecumque incautus arripuit, nimis per negligentiam adolescit, & cum ætate pertinaciter roboratur. In morum curriculo, paruus in principio error, ad singula momenta maior excurrit, & in præcipitium effrenis impellit. Malæ naturæ cedula, & exsomni pædagogia indigent. Ames pædagogum, si æquus es, si aliter, feras oportet. De auiæ suæ sollicita educatione, traxit Tobias elogium; quod hîc narratur; & virtutum exinceps constantiam, quæ in omni eius vita sparsim depingitur. 1.

Senec. lib. 2. de Ira c. 18.

Difficulter resciduntur vitia, quæ nobiscum creuerunt.

Idem ibi c. 22.

Hic v. 4.

Regius Vates quorumdam perditissimos, & penè deploratos mores vehementer incusat, & tantæ initia prauitatis ostendit. Si verè vtique, ait, iustitiam loquimini, recta iudicate filij hominum. Etenim in corde iniquitates operamini; in terra iniustitias manus vestræ concinnant. Vnde tanta morum peruersitas? *Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero: locuti sunt falsa.* (Pergit) Furor illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, &c. Quid est: *Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero?* ô festinatum errorem! Dum adhuc quis in vtero est, gressus non explicat; quomodò deuiare potest? Dum in matris vulua aliquis conditur, mente sic hebetatur, vt vel erroris capessendi sit impos; quo pacto tunc exarrare eualet? Nimis videtur David horum crimina exaggerare, dum vel naturæ ipsi conuicia repugnant. Strabus Fuldensis sic acutè præfata Psalmi verba inibi commentatur: *Alienati sunt peccatores à vulua. Hi autem*, inquit, *vel nolunt concipi, vel concepti, (quia per impatientiam antequam formentur quatiunt viscera) abortiui* 2.

Psal. 57. v. 4.

Qui errat ab vtero, seu à pueritia, abortiuus dicitur.

Strab. Fuld. ad ea verba.

excu

excutiuntur. Hi peccatores, qui alienati sunt à vuluâ, & errauerunt ab vtero; sicque obstinatè errauerunt, vt vsque ad vitæ terminum exorbitare non cessant; hi inquam, sunt, *qui nolunt concipi*, ô naturæ monstrum! quis vnquam concipi recusauit? Ille opinor, si saperet, *concipi* abnueret, de quo dixit Veritas: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Sed quid est, quòd addit: *Vel concepti, per impatientiam quatiunt viscera, & abortiui excutiuntur?* Nempè qui ab vtero errat, *abortiuus* nascitur. O infelices eorum aborsus, qui à vuluâ alienantur à Deo; & ab vtero à viâ virtutis exerrant! Qui aborsu è vuluâ editur, ab vtero cadauerascit: & morti, non vitæ egreditur, continuò tumulandus. Sic qui inauspicatò viam virtutis ingreditur, & in eius initiis impingit, *abortiuus* nascitur, & quasi viuum cadauer; viuidum inquam, ad vlteriùs, & vlteriùs exerrandum; cadauer ad certitudinem mortis. Qui ab vtero errat, & in ipsis viæ initiis offendit; morti nascitur, prodigiosè *abortiuus*: ad vlterà errandum viuus, ad se ab erroribus sistendum, velut emortuus, & ipsâ natiuitate enectus, ipsóque errore ortu infaustè tumulatus. *Alienati sunt peccatores à vuluâ, errauerunt ab vtero. Concepti quatiunt viscera, & abortiui excutiuntur.* Exitialis conniuentia est, quæ pueris multa per ætatem ignoscit; quæ ait: Iuuenis est, citò iuuentus despumabit. Vitia iuuentutis senibus adhuc hærent, & bis pueros reddunt. *Qui errauerunt ab vtero, abortiui nascuntur.* Virtutibus emortui, erroribus viuacissimi. Pueritiæ delicta, prodigiosi *aborsus* sunt. Ne parum putes, quod cum ætate adolescit, & incrementum eundo sumit. Qui malè cœpit, non benè vlterà procedere solitus, principij vitiis, ad frequentandos lapsus periculosè assiduus. Vnde postquam dixit Dauid: *Errauerunt ab vtero.* Protinùs addit: *Furor illis secundum similitudinem serpentis. Sicut aspidis surdæ*, &c.

3. *Psal. 1. vers. 1.* Psalmo 1. his verbis Propheta homines erudit, vt cautiùs per viam virtutis incedant: *Beatus vir*, inquit, *qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ, non sedit.* A præmio cœpit, vt pondus futuri certaminis eleuaret. Mercedem præmisit, vt vnusquisque præsentium rerum sollicitudines ac labores corde transiliens, ad emerendam beatitudinem futurorum auidâ festinatione contenderet. *Beatus* inquit, *vir.* Consideremus nunc qua ratione, *Beatus vir*, dixerit; & non magis: Beati homines? cùm vterque sexus vocetur ad gratiam. Numquid à consortio beatitudinis exclusit mulieres, quia *virum* solùm beatum nuncupauit? Absit. Quia nec à consortio rationalis naturæ exclusit Deus fœminas, quia priùs virum condidit. Paria igitur vtrique sunt virtutis studia, quia par prærogatiua est creaturæ. Quid autem sexum discutias, vbi non corporis à te, sed animæ certamina postulantur, quæ sexum non habet? Non ergò illic discernas honorem, mercedem diuidas, vbi non discernitur sexus. Sed adhuc pulchram reddit rationem Ambrosius, quare Psalmographus potiùs dixerit, *Beatus vir*, quàm Beata mulier, aut, Beatus homo, quo nomine sexus constaret vterque. *Beatus vir*, inquit. *Non incautè tamen, si prior vocetur ad exercitium, qui fuit posterior ad lapsum. Quæ malè cœpit, sequi debet, non præcedere: vt vel post experimentum sit verecundior. Astutè serpens à posteriore cœpit; ideò Propheta ad superiorem reuertitur; cum vtique qui lapsus non fuisset, nisi esset posteriorem secutus.* Aurea planè verba, & plurium conceptuum grauida. Omitto plura, vt vnum duntaxat ad rem expendam. Nimirùm consultissimè prior vocatur ad virtutis exercitium, qui posterior probatur ad lapsum, nec statim prior impegit. Mulier verò *quæ malè cœpit, sequi debet, non præcedere.* Ideóque à Beatitudinis vocabulo hîc omittitur, quia *malè cœpit. Beatus*, inquit, *vir*: & consultè fœmina negligitur. Mulier beatitudinem accipere potest, aspirare ad illam debet: at vt cognoscat quàm sit arduum ei, qui *malè cœpit*, beatitudinem assequi; dicitur, *Beatus vir*, non quòd fœmina omninò excludatur, (quæ quasi aliquid viri, aut alia quauis ratione continetur, sed vt agnoscat, se, quia *malè cœpit*, ab expresso beatitudinis vocabulo moralissimè excludi. O! sic est infaustum malè cœpisse.

Fœmina, quia malè cœpit, in negotio virtutis, sequi debet, non præcedere.

Ambros. in Psalm. 1. Cur ad beatitudinis negotium non inuitetur hic fœmina, sed vir.

4. Sic de Euâ malè incipiente philosophatur Ambrosius De Sara autem ab ineunte ætate sanctissimo Patriarchæ associata, & rem virtutis feliciter auspicante, ita scribit Moyses: *Visitauit Dominus Saram sicut promiserat: & impleuit quæ locutus est. Concepitque, & peperit filium in senectute sua.* Quæ Geneseos verba exponens Augustinus, ita scribit: *Ecce subito frigens vulua materna, non instinctu libidinis, sed fomite virtutis incaluit, rediuiuo successit flore iuuentutis.* Scilicet quæ à teneris annis non friguit rigore vitiorum, præ nimia senectute frigens vulua materna, *non instinctu libidinis, sed fomite virtutis incaluit*; & quæ in florida ætate vernabat virtus, *rediuiuo successit flore iuuentutis*; & pro instinctu libidinis, *virtutis fomite incalescit.* Arguté quidem Augustinus.

Gen. 21. v. 1. & 2. Sara non instinctu libidinis, sed virtutis fomite incaluit ad generandum Isaac. August. ser. 77. de temp. apud Catonam.

5. Qui malè cœpit, inauspicatò reliquatum actionum protelum ductat, & vitæ terminum infeliciter inuenit, magno æternæ damnationis periculo. Adeout dixerit Saluianus: *Nescio an in extremis aliquid tentare, medicina sit; certè nihil tentare, perditio .... Vt indulgentiam scilicet absolutionis æternæ, præsentis pœnæ ambitione mereatur. Sed fatiscente iam corpore, vbi exercebit districtionis officium censor animus?* Attentiùs enucleа singulas sententias moralis succi plenas. Illa præ reliquis scintillat, quòd in tanto damnationis discrimine, *indulgentiam absolutionis æternæ, præsentis pœnæ ambitio mereatur*, quasi quoddam *ambitionis* genus sit, vt qui toto vitæ curriculo malè vixit, æternam felicitatem assequi exoptet, & fatiscente iam corpore negotiari gestiat. Et lib. 1. exponens illud Danielis 4. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis*, ita eloquenter scribit: *Et hoc quod dicit, forsitan, spem indicat, non fiduciam pollicetur. Ex quo intelligi potest, quàm difficile iam in extremis positi peccatores qualibet munificentia ad perfectam indulgentiam peruenire possint: quando ipse Propheta, qui suadet propitiationem Dei inquirendam, promittere tamen non ausus est promerendam.*

Saluian. lib. 2. ad Eccles. Ambitioni imputabitur vt qui tota vita malè vixit, in mortis articulo ad Deum conuertatur? Ezech. 4. v. 24. Salu. sup. l. 1.

6. Exhodi 3. de splendidâ, & incombusta rubo Deus loquitur ad Moysen, vt inchoët liberationem Hebræi populi, quæ humanæ redemptionis negotium adumbrat: *Et ait: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob*, &c. Angelum fuisse, qui vicarias Dei

Exhod. 3. v. 6. Quid ab Angelo cœptum, à Deo consummatur.

Dei vices gerens, ad Moysen loquebatur, multis inibi nuper approbauimus. Consentit Hilarius sic percommode ad rem fatus: Dixit autem Dominus ad Moysen: *Ego sum qui sum. Et dixit: Sic dices filiis Israël: Qui est misit me ad vos.* (Attende ad verba quæ subtexit) *Cœptus ab Angelo Dei sermo est, vt Sacramentum intelligatur humanæ salutis in Filio.* Angelico cœpit ore hominum salus; præsagium ergò est Sacramenti dominicæ Incarnationis, & diuini verbi corporandi auspicium. Quia nisi Deus compleat, quod Angelus cœpit? Salus humana prosperè inchoëtur ab Angelo, vt perfectè consummetur à Deo, Sacramentum humanæ redemptionis initium feliciter sumat à verbo Angeli, vt à Verbo Dei complementum accipiat. Porrò sicut malè cœpta infaustum sortiuntur finem; sic quæ auspicatò incipiunt, & felix incrementum, & feliciorem exitum ominantur.

(Hilar. 5 de Trinit.)

§. XXVII.

Humana excusatio suum vitium in Deum latenter retorquet.

1 PEtrus de diuinitatis schola eruditus, Theologiæ apex, sapientiæ vertex, Ecclesiæ Magister, & lingua fidei, sic fatur de re Christi, id est, redēptionis œconomia in cruce peracta: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu.* Nempe via mortua est, vt nos mortui in illa viueremus: innocens Christus damnatur, vt nos insigniter nocentes absoluamur. Pœnalissimo crucis supplicio moritur *Iustus*, non pro se, sed *pro iniustis*; vt & illius charitas magis præniteat, & de nostra iniustitia pro qua innocens, & iustus patitur, eius innocentiæ, & institiæ elogium magis appareat. Nam si pro suis delictis mori posset, pro alienis emori, haud satis ad perfectam redemptionem eualeret. *Christus pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis.* Hinc, ô homo, edisce insolens excusationis sacrilegium, & dissimulatam velut blasphemiam, quam ad morum eruditionem hic proscribere, operæpretium est, quò præfata Petri verba ampliùs clarantur. Acerbus vitiorum reprehensor Saluianus, ita hac super re scribit: *A plurimis nostra iniquitates Deo adcensentur: & ne accusabiles ipsi esse videantur, Deum accusare presumunt. Cùm eum incuriosum, & negligentem, resque humanas aut non ex iudicio gubernare, aut etiam nec gubernare blasphement: quid aliud vtique Deum, quàm inertiæ, & absensionis, & iniquitatis accusant?*

(1. Pet 3 v. 18.)

(Emphaticè dicitur, quod Christus iniustus mortuus est pro iniustis.)

(Saluian. lib. 8. de Guber. Dei.)

2 Lucæ 23. pro omnium salute quasi noxius inter noxios crucifigitur Christus, vt vbi abundauit delictum, superabundet & gratia. Nonam vide iniuriam, honestatem damnari cum scelere; vt latronum scelus honestum videatur, aut Christi honestas scelerata putetur, & sic virtus cum vitio adulterina mixtione confundatur. Itaque vbi vētum est in Caluariæ locum, ibi crucifixerunt eum: & latrones, vnum à dextris, & alterum à sinistris. Vnus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum dicens: si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es. (Diligentiùs attende verbis, quæ subdit.) *Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit.* Si penitiùs exploremus verba boni Latronis, Latronem nequam increpantis, reperire licebit in huius blasphemia dissimulatam aliquam sui sceleris excusationem, vnde illum *iustè* eiusmodi supplicium pati, reuincitur à scelerum consorte, qui Christi simul innocentiam impensiùs inde adstruit. Quod non leuiter insinuat Chrysostomus ad præfata verba: *Increpabat eum, dicens: Et nos quidem iustè (damnamur) nam digna factis recipimus: hic autem nihil mali gessit.* Sic fatur ad rem laudatus Chrysostomus: *Hic (bonus Latro) fungitur vice iudicis condemnatus, & incepit de veritate censere.... sed & Christum pronunciat innocentem, cùm subdit: Hic verò nihil mali fecit. Quasi dicat: Nos viuentes occidimus, hic mortuos suscitauit: nos aliena sumus furati, hic & sua iubet tribuere.* Benè quidem disertissimus & felicissimus hic Latro dū sua, & consortis scelera damnat, nec vllam eius excusationem (saltem de venia, aut de expetita liberatione supplicij) admittit, *Christum pronunciat innocentem:* nam quisquis delicta sua excusare admititur, ea in Christum crucifixum quodammodo regerere videtur, quasi Christus non tam pro nostris, quàm pro suis delictis crucifixus sit. Porrò si quilibet nostrum, se inocentem tot excusationibus facis, vacare forsan videbitur Christi mors pro nostris delictis. Et tamen *Christus pro peccatis mortuus est, iustus pro iniustis;* non pro suis; nam peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Ergò, (vt bellissimè dixit Chrysologus) *Sit homo peccator, vt sit Deus iustus.* O dissimulatam in humana excusatione velut blasphemiam, diuinæ innocentiæ quodammodo accusatricem! nam peccatum quod à se quisque palàm reiicit, clanculùm coniicere videtur in Christum, & vt se liberet à reatu, reatum in Redemptorem reuerberare. Vnde dum bonus Latro se, & furacitatis consortem, patratorum scelerum accusat, nec excusationem ab impunitate, aut ab alia ratione ambit, (sicut latro nequam) *fungitur vice iudicis, & incipit de veritate censere*, dum *Christum pronunciat innocentem. Nos*, inquiens, *iustè damnamur, nam digna factis recipimus: hic autem nihil mali gessit.* O inuisum excusationis scelus! Dum te accusas, Christum ostendis innocentem: cùm te excusationibus innocentem facis, nocentem illum quodammodò efficere dissimulanter satagis, quasi non tam pro tuis, quàm pro suis delictis mortem in cruce subierit. Bonus latro, qui de suorum scelerum accusatione adstruit Christi innocentiam: *Nos digna factis recipimus; hic autem nihil mali gessit, mortuusque est iustus pro iniustis.*

(Lucæ 23. v. 41. Qui peccatum suum excusatione defendit, culpam regerit in Redemptorem.)

(Chrysost. in Cat. ibid.)

(Chrysolog. serm. 112.)

3 Geneseos 3. vnius arbusculæ gula Adamum ad præuaricationem illexit. Statim se nudum, & inuestem agnoscit, vbi vestibus gratiæ nudatur: nec deliquisse eum puduit, qui nuditatem sic erubescit. Fugitiuus pudor, frustrà Dei oculos vitare præsumit: quin & immensitas comprehenderet, si forsan perspicaciam posset latere. Adhuc calente delicto, delicti sistitur reus; & Deo sceleris vindici, *dixit Adam: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Ecce tibi homo post culpam audacior extitit: & qui per timorem se ipsum absconsurus fugerat, tamen requisitus innotuit? innotuit etiam quantùm timens tremebat. Cùm enim ex peccato præsens pœna metuitur,

(Excessus sui vitium in Deum Adamus latenter retorquet.)

(Gen. 3 v. 12.)

tuitur, & amissa Dei facies non timetur, timor ex tumore est, non ex humilitate: superbit quippe qui etiam dum sic timet, adhuc peccatum defendit. Adamus se deliquisse fatetur, & fortè delictum negaret, nisi nuditas flagitium proderet.
Chrys. ibid. Sed delictum quod inficiari nequit, excusationibus saltem extenuare festinat. *Mulier*, inquit, *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Videntur hæc quidem*, ait Chrysostomus, *defensionem quandam præ se ferre, sed prorsus venia carent.* Adæ peccatum, an eiusdem excusatio, *carere venia* dicitur? Ecquod grande scelus in hâc excusatione latet? Illud euulgauit Magnus Grego-
Greg. 4 lib. Moral. c. 23. rius, ita fatus: *Mulier, quam dedisti mihi sociam*, &c. *Excessus sui vitium in auctorem latenter Adamus retorquet, ac si diceret: Tu occasionem delinquendi præbuisti, qui mulierem dedisti. Hinc est quod huius erroris ramus in humano genere ex illâ nunc vsque radice protrahitur, vt quod male agitur, adhuc etiam defendatur.* O abstrusum impietatis virus in excusationibus publicatum! O friuolam excusationem de blasphemiæ reatu suspectam! *Prorsùs venia caret* hæc defensio? hæc excusatio blasphemiæ malitiam æmulatur? Scilicet *excessus sui vitium in auctorem* Deum *latenter Adamus retorquet*, & dum suam defendit innocentiam tali excusatione oppansâ, Deum facere nocentem latenter præsumit; & cùm se mundum ostendere excusationum lenocinio attentat, Deum sui delicti sordibus attaminare dissimulanter contendit. Deus bonus, malus erit, vt homo malus bonus videatur? ô friuolè impium superbiæ ingenium, in quo tanquam in officinâ, dissimulata excusationis blasphemia cuditur! Verùm S. Bernardus aliter hanc Adæ excusationem Deo iniuriosâ ostendit, quia dum ipse suam extenuat malitiam,
Bern. serm. 16. in Cant. Dei benignitatem extenuat. *Quo enim*, inquit, *minor reputatur culpa, eo minuitur gloria conditoris minus libenter beneficium datur quod minus gratum, minusve necessarium venire sentitur: veniam sibi abiudicat, qui munus largitoris extenuat.* Bella
Hic v. 5. quidem Bernardi meditatio. Hinc Israëlitæ impudenter Idololatræ, scissionem Israëlitici regni à Deo factâ Prophetę prędictione, & pallij scissione causâtur, vt à Ieroboamo erectos vitulos adorarêt. Procul hîc à Tobiæ pietate tã sacrilega impietas.
4. Matthæi 26. Christus cum Apostolorum collegio vltimam cœnam mœstissimè celebrans, proditoris Iudæ perfidiam mente tacitus versans, in hæc erupit verba: Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est. Et cõtristati valdè, cœ-
Matth. 26. v. 21. & 25. perunt singuli dicere: *Numquid ego sum Domine?* Iudas autem interrogationis stylum notanter enariat: *Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum Rabbi?* Ecur proditor vaferrimus stylum mutat, nec reliquis omnibus
Iudas ingenio excusationis, proditionis culpam impie regerit in Magistrum. Apostolis respondendo consentit? Quàre quèm cæteri appellant *Dominum*, cùm de proditione agitur (de quâ ipse tunc palam culpatur) non *Dominum* sicut reliqui, sed *Rabbi*, seu Magistrum appellat? Nunc clanculum præscitit nefarium scelus excusare? Audiendus est S. Hieronymus, qui & hanc quæstionem acutè proponit, & subtiliter his verbis extricat, exponens præfata Iudæ verba:
Hier. ibi. *Numquid ego sum Rabbi? Cæteri qui non erant prodituri, dicunt: Numquid ego sum Domine? Iste qui proditurus erat, non Dominum, sed Magistrum vocat, quasi excusationem habeat, si Domino denegato, saltem Magistrum prodiderit.* Vide excusationis ingenium; dum non *Dominum* sicut tunc reliqui, sed *Magistrum* appellat; *Dominum* esse dissimulanter diffitetur: & sic facinus proditionis extenuat: *Dominum* enim prodere, grande piaculum est; prodere autem *Magistrum* non est adeò graue flagitium: saltem de repetitâ frequentia, aliquo consuetudinis priuilegio, videri alicui posset veniabile. Ecce tibi impiâ blasphemia insidam Christi Dei proditionem Iudas excusat: siquidem illum non puduit abnegare *Dominum*, quem tunc appellauit *Magistrum*, quo infame proditionis flagitium quodammodo coloraret, & præmissâ latenter excusatione, sceleris dissimularet malitiam omnibus seclusis execrandam. *Numquid*, ait, *ego sum Rabbi? quasi excusationem habeat, si Domino denegato, saltem magistrum prodiderit.* Nisi forsan quis malit, ideò callidissimum malitiosè Iudam, malè animatum in Christum, Christique doctrinam; vaferrimè tunc singulariter appellasse non *Dominum*, sed *Magistrum*, vt versutum Discipuli scelus in Magistrum dissimulanter retorqueret, quasi de sui Magistri gymnasio malitiosam versutiam didicerit. Nam (vt ait Chrysologus) *Sicut Discipuli probitas, laus est Magistri: ita Magistri vituperatio, Discipulus nesciens disciplinam.* O vide scelerosè impium excusationis arbitrium! *Numquid ego sum Rabbi? Cæteri qui non erant prodituri, dicunt: Numquid ego sum Domine? Iste qui proditurus erat, non Dominum, sed Magistrum vocat, quasi excusationem habeat, si Domino denegato, saltem Magistrum prodiderit.* Chrysol. serm. 94.

Matthæi 13. dum noxia in medio tritici apparent zizania, excusationis ingenio, *Accedentes serui patris familias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergò habet zizania?* Quare serui, qui frumenta seminatunt, dum in segete apparent zizania, tunc non ipsos, sed Dominum, seminasse dicunt? Pulchrè Chrysologus: *Seminasti, non seminauimus. Nos quod per te facimus, tibi semper nostro assignauimus auctori. Et tu in iis, quæ nobis facienda præcipis, ipse operator assistis. Ergo si nos operis tui fatis esse pro tua dignatione consortes, non nobis solis, quod zizania nascuntur adscribas*, (aduerte ad sententiam, quam tempestiuè subscribit) *Domine, aut tecum nos muniit innocentia, aut nobiscum te reatus attingit.* Vide quàm subtili excusationis ingenio, in cœlestem patremfamilias regerant culpam. Sat esto Chrysologi acumen perstrinxisse. Matth. 13. 27. Chrysol. serm. 97.

§. XXVIII.

Ne Iudicum ardor pro tuenda iurisdictione totus feruecat.

Nunquam committet virtus, vt vitia dum compescit, imitetur ipsa: Nunquam vitium virtuti auxiliatur: nec vir prudens, adsciscit inimici auxilium, semper de hostilitate suspectum: Sed multos fefellit vitium, virtutis specie tectum. Nunquam vel apertum scelus scelere vindicandum, vel compescendum, vel arcendum est. Seuerissimè se gerunt iudices aduersus alios suam iurisdictionem quoquomodo inuadentes, nec putant vitium vitio trasei: æquum iudicant alienam cohibere imperandi ambitionem; sed an bitio ambitione curanda non est. Non ego meæ ambitioni studeo, aiunt; officij dignitatem tueor, 1. *Ne totus Iudicum ardor pro tuenda iurisdictione feruecat.*

ne transeat ad successores deterior, quàm à præcedentibus ipse accepi. Sed videris, ne tibi clàculũ de mẽtitæ virtutis latebris vana gloria insidietur. Videris, si eo ardore reliqua cohibes subditorũ flagitia: si dum inuasorem totus retũdis, in rempublicam pestilentior malitia serpat. Videris (si placet) an aliquo iure, iurisve prætextu id alter intenter. Sed sceleste quidem tuam iurisdictionem inuadit. Qui ad alia subiectorum scelera, pacatus es, & tranquillè ea vestigas, corripis, damnas; quid ad vnum inuasæ iurisdictionis flagitium, insanè furis? quid totus iustitiæ ardor in id vnum fertur? Vereor, ne speciosa tuendæ iustitiæ larua, sumptuosas lites iniustè subornet. Attende vt iurisdictionis caussam agas, non tuam. Nullus iudex propriæ caussæ rectus arbiter est.

2. Iosue, ro magnus hic Dux valida stipatus manu, manus cum Amorrhæis felicissimè cõfert; qui strenuum Israelitarum impetum ferre impotes, terga vertunt, euadendique fiduciam, quam manus desperant, in pedibus ignave collocãt. Fugiẽtes Amorrhæos Israelitica insequuntur phalanges, dum Sol ad occasum properat. Veritus autem Iosue, ne noctis tenebrosa obscuritas præbens hostibus latitandi locum, felicem victoriæ cursum inhibeat, piè ambitiosa mortalibus voce cœlitum cohorti imperare audet, sic fatus: *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. Stetitque Sol, & Luna, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis.* Arguta ex his verbis exurgit quæstiuncula, (ad alia aliorsùm themata à nobis descripta) cur Lunam etiam auxiliarem aduocet Iosue adstante Sole, adipiscendæ victoriæ superuacuam? Diem longiorem optat, sat illi Phœbus est, quid Phœben interpellat? Sol aderat auxiliaris, qui radiorum spiculis hostes malè conciderct; quorsùm imbellis, & maligna Lunæ lux ad auxilium aduocatur? Scilicet Sol, vt longiorem faceret diem, vltra suam ditionem, in ditionem Lunæ (in noctem inquam) debuit extendere sese, & noctis aliquod spatium Lunæ vsurpare. (Porrò diuina electione Sol constitutus est, *vt praesset diei*, & Luna *vt praesset nocti*,) ergò vt Luna non nimis grauatè ferat, in re iurisdictionis alij Præsidi cedere; illam quasi auxiliarem asciscit, & in gloriam victoriæ aduocat, quàm cum illa communicat: illique adulatur de victoriæ gloria, vt iurisdictionis suę iuri tantisper cedat. Participem illam facit gloriosioris triumphi, quò aliquantillùm iurisdictionis seruandæ ius negligat; vt quod iurisdictione detrahitur, prælustris triumphi gloria compensetur. Consultissimè ergò strenuus dux Iosue, cum Sole Lunam (etsi ad id superuacuam) ad victoriæ adsciscit gloriam, quò vsurpandæ iurisdictionis lites præmaturè componat, aiens: *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon, Stetitque Sol, & Luna.*

3. Sed adhuc perquirere licet, an eiusmodi ingeniosa industria hoc arduum litigium Iosue sedauerit. Ausus ne est Sol, Lunam noctis Præsidem, in re iurisdictionis prouocare? Pacatè tolerauit Luna, alterius ditionis Præsidem, suam ditionem inuadere? Hebræus textus, quem in sua translatione sequitur Aquila, (de quo multa Abulensis, & Serarius) sic habet; ad thema præsens opportunissimè: *Siluerunt Sol, & Luna.* Scio quid *silere* ad litteram significet hîc, & Psalm. 38 vers. 7. & Isaiæ 23. vers. 2 & Thren. 2. vers. 18. Scilicet Dei instinctu Iosue præcipit Soli diei Præsidi, vt in noctis (cui præsidet Luna) spatium se ingerat; *Silet* tunc Sol, pariter Luna *silet*. Tacet tunc Sol iussus in Lunæ territorium præsidendo intrare, quasi linguato silentio publicet, se id minimè ambiisse, nec verbulum super ea re vnquam habuisse, sed mera, & inopinata Dei iussione adactũ paruisse: *Siluit Luna* etiam, & mœsta taciturnitate indicat, quàm id grauatè tulerit. *Calla, y passa: no puede mas, aunque mas lo sienta* Itaque sub silentij metaphora insinuatur, & Solis modestia, & Lunę patientia.

Verùm quàm se gesserit vrbanè Sol, cùm iussus fuit in spatia noctis, seu Lunæ ditionem intrare; tradit cum alijs Rabbi Iosephus apud Serarium; qui inidoneè ad litteram, & valdè ad mores tempestiuè, censet, Lunam ipsam Solis iubare adscititio ornatam, diem tunc illum in suo spatio longiorem fecisse. Quasi Sol (vt concordiam cum Præside Luna seruaret) suos radios illi mutuarit, vt partem diei faceret; ratus mutuæ concordiæ seruandæ satiùs fore, se cognatis exuere splendoribus, illisque Pręsidem Lunam induere, quàm ob inuasam iurisdictionem, discordias immortales in cœlo mouere, vt immerata litigia. Perbenè quidem ethicè, sed non inidoneè ad litteram, Scriptura inibi refragante. 4.

Nondum tamen ad rem præsentem hæc statio, Solis, & Lunæ, sub duce Iosue, satis emedullata est. De ea enim sic loquitur Ecclesiasticus: *An non in iracundia eius* (Iosue inquam) *impeditus est Sol, & vna dies facta est quasi duo?* Nempe quod illo cap. 10. Iosue, dicitur: *Sol ne mouearis, & Stetit Sol*, hîc *Impeditus est Sol*, dicitur. Rectè Ecclesiasticus consentit cum verbis Iosue: sed eruditè notat Serarius, verbum Græcum *ἀνεπόδισεν*, pro quo Vulgatus transtulit, *impeditus* est, propriè significare, *retrocessit*. Vnde sic ipse è Græca origine exscribit: *Nonne in ipsius manu, retrocessit Sol?* Quid est quòd hîc Sol *retrocessisse* dicitur, cùm in lib. Iosue *stetisse* dicatur? Est ne idem *stare*, & *retrocedere*? (Hoc dubium litteralissimè dissoluemus in re morali § 45. num 2.) Nunc autem ad thema præsens obseruandam suspiciendam Solis vrbanitatem, qui iussus in Lunæ ditionem, noctem inquam, cui Luna præest, diem suum extendere, *retrocessisse* perhibetur; quò æmulæ Lunæ innotescat, se id non modò non ambiisse; imò sic velut coactè in Præsidis Lunæ spatia, & territorium intrare, vt ibi iussus *sta*, *retrocessisse* dicatur. Sic sublimior, & illustrior Præses se gerit vrbanè cum inferiori, & minùs illustri, & conspicuo? An prudens timet arduum super re iurisdictionis litigium? Quid si præmatura comitate Lunam, noctis Præsidem mitigare satagit? 5.

Denique Sol diei Præses, siue mœstè *silendo*, siue vrbanè *retrocedendo*, in Lunæ spatia, seu ditionem, tandem ingressus est. Sed nota, quòd non Sol perrexit ad Lunæ spatia, ne inurbanus alienæ ditionis aggressor videatur, sed immotus alienam iurisdictionem obiuit, *Sol*, ait Iosue, *contra Gabaon ne mouearis.... Stetitque Sol*, quasi aliena ditio inexpedita ad eum venerit; non ipse ambitiosus ad illam festinarit. O vtinam hîc v. 5. ex hac cœli schola didicisset Ieroboam, alienam Roboami ditionem non inuadere, edoctus è contribulis Iosue notissimo prodigio! 6.

Ioannis 18. stetit IESVS ante Præsidem, de regni ambitu ab Hebræis Pontificibus accusatus. Introiuit ergò in prætorium Pilatus, & vocauit IESVM & dixit ei: *Tu es rex Iudæorum?.... Respondit* 7.

Margin notes:

2. *Ad Iosuana victoria gloriam Luna aduocatur, vt iurisdictionis sua vltro cedat.*

Iosue 10 v. 12 & 13.

Gen 1 v. 16.

3. Abul. inibi q 13 & 14. Serar ibidem q 13. Hebr. Aquila. *Mœsta silet Luna, cum Sol in eius iurisdictionem intrat.*

4. Rab Ioseph. Serar. in c 10. Iosue q. 13. *Sed suo iubare Luna adornat, ne ipse dies Prases in Luna territorium intret.*

5. Eccli. 45 v. 5. *Vrbanè Sol in Iosuana statione retrocessisse, cur dicatur?* Serar. nuper allegatus.

6. Hic v 5.

7. Ioan 18. v 33 & 36.

Quare Christus Deus de regno suo ambiguè Pilato responderit.

spondit IESVS; *Regnum meum non est de hoc mundo*, &c Post quam Pilatus dixit, se interrogasse tanquam iudicem, & accusationes exquirentem, exposuit ei veritatem: interrogatus Dominus reponder, & interrogationi illius, an esset Rex Iudæorum satisfecit. Sed quàm prudenti consultissimè cautela responderit, noster Cardinalis Toletus peritè adnotauit, & commentans præfata verba: *Regnum meum non est de hoc mundo*, sic fatur ad rem præsentem opportunus: *Nec absolutè negat se Regem esse, ne veritatem occultasse videretur; erat enim Rex Regum: nec rursus affirmat omninò, vt Pilatum à formidine liberet, qui dignitatem Cæsaris in Iudæa tuebatur. Regnum, inquit, meum non est de hoc mundo, regnum habeo, sed non est de mundo hoc, id est, non est de hoc sæculo, quale est regnum Regum mundi.* Et mox ex Augustino subdit. *Audite Iudæi & Gentes, audi circumcisio & præputium, audite omnia regna terrena: non impedio dominationem vestram in hoc mundo; regnum enim meum non est de hoc mundo.* Scilicet Christus verè Rex mundi erat, & quà Deus & qua homo Deus; quam veritatem, vt interrogatus negaret, dedecebat. At quia Pilatus Cæsaris dignitatem tuebatur, se Regem esse, non affirmat omninò, ne Pilatum ad contentionem de regno acerbiùs extimulet. O! tanta, tamque cæca est Principum super regni æmulatione contentio, vt vel Christum Deum sic cautè agere oporteat, ne implacabiles lacessat iras, dissidia, tumultus, bella? Per Cæsarem non licet Christo Deo, se Regem palàm nominare? Regnum suum non esse de hoc mundo dicit, ne huius mundi Reges, Regis appellatione acerbiùs inquietet? Sic Principum ardor pro tuenda iurisdictione totus feruet? O è siderea cœli schola, præsidentiæ vibanistas edilcenda est.

Tolet. inibi, in comment.

Augustin. Tract. 115. in Ioann

§. XXIX.

Qui verecundiam abiecit, adeò impudenter peccat, ac si piè delinqueret.

1 Publ. Mim.

EX vitio alterius, sapiens emendat suum. Bonum est, fugienda aspicere in alieno malo: cauendumque est à vitio vitiorum fœcundo, & ex quo noua delinquendi libido multiplexque nascitur. Nec accedendum eò, vnde liber egressus non sit. Difficilis est vitiorum aditus, quàm peccandi verecundia præcludit: quæ si eliminetur, in omne scelus effræni licentia proruitur, dum amissus pudor virtutis comes & custos, impietati annuens, pietatem prodit, impudentiæ lenocinio. Porrò omni malitia (libido præsertim) in peccato, & à peccato inuerecundiam edocta, dum pudoris abiecit frenos, impotenter æquè ac impudenter ad omnem prauitatem effrenis proruit. Adeò vt non modo propudiosum impudicitiæ malum non erubescas, sed *glorietur in malitia, qui potens est in iniquitate*, quasi effusior Veneris iniquitas, sit vt malitiæ, sic & gloriæ census, & pietatis vsura. Nam qui verecundiam delinquendo excussit, sic prauitate obcæcatur, vt libidinis impietatem, piam impudenter quodammodò reputet, inuerecundiæ delusus blandimento. Tertullianus referens Gentilium aduersùs Christianos calumniam, de inuerecundia libidinis, quàm tenebræ pudoris nesciæ, negotiantur, ita fatur, non in exscriptione Pamelij, sed ex emacolata Heraldi correctione: Dicimur scelerati de sacramento infanticidij, & pabulo inde: & post conuiuium incesto, *quod euersores luminum canes, lenones scilicet tenebrarum, & libidinum piarum inuerecundia procurent.* Nempè dum canes lumina euertentes, extinguunt; tenebrarum lenocinio amissa verecundia, *pia libido* inuerecundè procuratur, ac si pietatem ab inuerecundia fœneraret. O pietatem execrandę impudenter impietatis planè ream!

Ps. 51. v. 3

Libido, quæ à tenebris verecundiam excussit, pia dicitur.

Tertull. in Apol. cap 7. Apud P... eundem ibi n. 143.

2. Geneseos 19. promiscua Sodomitarum libido petulanter effusa, linguato lasciuiæ opere, cœlum clamoribus tundit, & Deum vindicem exorat. Adsunt bini è cœlo Angeli, luxuriæ impudentis vltores, & iusto Lot è Sodomis educto, & in Segoris arce, Dei verbo munito, seueriores diuinæ iustitiæ rigores acerbè in Sodomitas protinùs exequuntur. *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo: & subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia.* O seuerissimam stragem, & cunctis retrò sæculis inuisam! Vel cœlum ipsum benefacere perpetuò adsuetum, in Sodomitas terris nubibus obarmatur, & flammeis è sulphure imbribus, intermicantibus globulis, vrbs nefaria vlulatur, cinerescit, & perit, in fumantem teterrimè fauilla miserè redacta. Gehennalis flamma è cœlo ruit, vt quos sulphureus è cœlo ignis excussit, infernalis pyra exinceps exurat, æternatura libidinis pœna. Ecquid tanti supplicij acerbitatem asciuit. Num profusior libido? an profusæ libidinis procax impudentia: Audiendus est Sanct. Augustinus ita super hac re eleganter fatus *Liberato de Sodomis Lot, & veniente igneo imbre de cœlo, tota illa regio impiæ ciuitatis in cinerem versa est, vbi stupra in tantum consuetudinem conualuerant, quantam leges solent aliorum factorum præbere licentiam.* O nullo æquè supplicio eluendum scelus, quod sic impudenter conualuit, sic de inuerecundia percrebuit! Eò deuenit libidinis insolentia, vt quasi lata foret lex de impudicitia sectanda, sic scortabantur impunè, ac si piè luxuriari liceret. Sic effusè ferebantur in stupra, quasi ad Venerem legibus adigerentur. Pudore deposito, sic licebat impunè lasciuire, quasi pia forent stupra, de legum obsequio. *Vbi stupra in tantam consuetudinem conualuerunt, quantam leges solent aliorum factorum præbere licentiam.* Huc, huc deuenit impietas quæ ablegauit pudorem: in hoc profundum impietatis barathrum effrons impudentia demergit. Heu vbi delinquendi pudor deest quasi *pias libidines inuerecundia procurat*, pium putans, & secundùm leges, quod inuerecundè percrebuit: & inde insolenter vulgo patratur. *Ruit Ierusalem, & Iudas concidit, & quia adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos maiestatis eius. Agnitio vultûs eorum respondit eis: & peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt: væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala.* Sic opportunè Isaias illacrymat Iudææ gentis impudentiam, quibus inde atrocissimum imminebat excidium. Quod similem ob caussam decem reliquæ tribus olim subierunt, quæ traditur hîc Vers. 5.

Gen. 19. v. 24 & 25.

Sodomitæ pudore deposito velut lege lata sectabantur libidini.

Aug. lib. 16. de Ciu Dei c. 30.

Isai 3 v. 8. & 9.

Hic vers. 5.

In eodem 19. Geneseos capite, postquam Moyses Sodomiticas flammas inuerecundæ libidinis

3. dinis vltrices denarrauit, fugam Loth cum filiabus, in montem describit. Timuit Lot manere in Segor, vrbecula Sodomis proxima: nam etsi Dei verbo sospitaretur, vix potuit adduci vt crederet, ciuitatem eiusdem cum Sodomis flagitij ream, eiusdem incendij exortem fore. Ergò Segorem vltrò deserit, & in ardua montis cum filiabus festinat: & vitæ effugium quærens pudicitiæ periculum inuenit: atque eius filias, quas nec semiustulauit Sodomitici incendij flamma, Sodomorum diu vicinia, impudentiam libidinis inuerecunde afflauit. Cùm enim in montis spelunca pater cum vtraque filia delitesceret, dixit maior ad minorem: Pater noster senex est, & nullus virorũ remansit in terra qui possit ingredi ad nos iuxta morem vniuersæ terræ. Veni, inebriemus eum vino, dormiamúsque cum eo, vt seruare possimus ex patre nostro semen. Malum consilium peius executæ sunt. Conceperunt ergo duæ filiæ Lot de patre suo. *Peperitque maior filium, & vocauit nomen eius Moab: ipse est pater Moabitarum vsque in præsentem diem.* Non admiror adultæ puellæ audaciam, aut libidinem, sine libidinis audaciam: quid non audeat nubilis puella nuptiis desperatis? Admiror autem propudiosi incestus gloriosam inuerecundiam, qua nefariæ libidinis nomen spurio filio impudenter indidit. *Moab* enim (teste Hieronymo) *interpretatur ex Patre*, quod Hebraïcum nomen *Moab* perspicuè ostendit. In occulti spelæi recessu, incestum patris ebrietate negotiatur, & temulentiæ insidiis paternum furatur concubitum. Sat erat occultum facinus partu publicare, quin illud scriberet in tenella infantis carne, nomen sceleris *Moabi* vocabulo inscribens; vt in filio, incestuosæ matris impudentia pariter cum flagitio legeretur. Quod sic inibi expendit Caietanus: *Inuerecunda autem satis fuit puella prima, publicans incestum in nomine filij: ex eo etiam insinuans, quàm audax fuerit, prius consulendo sibi & sorori incestum paternum.* O fœminæ impudentiam de Sodomorum vicinia afflatam! Ablegato pudore, sic impudenter audet libido, vt nefarium incestum honestare procuret, & gloriosè publicare exambiat? De Iosepho Patriarcha legimus, quod vbi post diras calamitates feliciter exantlatas, natus est ei primogenitus filius: *Vocauit nomen primogeniti Manasses, dicens. Obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei.* Et (vt ibi peritè notauit Lipomanus) *Posteros meminisse voluit Ioseph beneficiorum Dei, ideò nominum velut in propriam illorum carnem scripsit misericordias Domini.* At puella, hæc de Sodomiticæ inuerecundiæ halitu, pudendi incestus tacendum nomen velut in tenella infantis carne describit, vt in eius posteritate flagitium legatur, repetitâ sobolis exscriptione. O ne abiicias verecundiam, virtutum custodem, & tutum aduersus vitia præsidium! quam si excusseris libidinem putabis piam, & lasciuiæ velut lege lata obsequeris. Apud quem vitia habentur pia, peccat qui rectè facit. O time ab amissæ verecundiæ præstigiis, hunc præpostera morum censum!

Filia Lot, in tenella infantis carne scripsit sua impudentia nomen.

Genes. 19 v. 37.

S. Hieron.

Caietan ad eum locum.

Genes. 41 v. 54.
Lipomanus ibidem

4. Matthæi 15. secessit IESVS in partes Tyri & Sidonis *Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit dicens ei: Miserere mei Domine fili David: filia mea malè à Dæmonio vexatur.* Luctum miserabilem, & matri spectaculum morte acerbius. Pergit adhuc Seleucensis Basilius exponens matris lingua calamitatem filiæ: Dæmon, inquit, aduersarius cùm puella congreditur, & hostis inuisus contra puellam prodit in aciem. Quomodò rei grauitatem efferam? quomodò malum prædicabo? non ipsius aspectus difficultatem fero. Domo exiliens vrbem peruagatur, in altum manus extendit, oculos distorquet, comam nudat, ciet vlulatus canum latratibus haut absimiles, videt nec videt, cursu fertur, miserabile eius est silentium, & loquitur dolentiùs, supplicium nullas capit inducias, noctes etiam sine somno absumit, dies noctibus nocentiores experitur, cubili exilit, miseriam conserto clamore exaggerat. Dæmoni receptaculum filiam peperi. (nota quæ ad rem verba eleganter subtexit) *Verecundiam omnem calamitas excutit; & ingenitum à natura pudorem mali vis captiuum ducit.* Ecce tibi exaggeratiùs mali compendium: nam quæ verecundiam excussit, quid non patitur ærumnosum? quid non criminosum patrat? quid scelestè propudiosum non admittit? Porrò quisquis verecundiam abiecit, adeò impudenter delinquit, quasi ex licito delicta perpetraret. Quid tam impudenter ærumnosum, quàm pati filiam, cuius *verecundiam omnem calamitas excussit, & ingenitum, à natura pudorem mali vis captiuum duxit?* Omni feritur plaga, qui pudorem abiecit.

Matth. 15. v. 22.

Basil. Seleuc. Orat. 20.

Omni feritur plagâ, qui verecundiam excussit.

§. XXX.

De velut mendicitatibus Creatoris, beneficentior Dei largitas apprimè commendatur.

PRopè est à te Deus, tecum est, intùs est. Sacer intra nos Spiritus sedet, malorum obseruator & vindex, bonorum inspirator & custos. Bonus vir sine Deo nemo est. An potest aliquis suprà humanum fastigium, nisi ab illo adiutus exurgere? ille dat consilia magnifica: ab illo semina in mentibus humanis diuina sparsa sunt, quæ si bonus cultor excipit, similia origini prodeunt: & terrenus homo per Dei gratiam, diuinæ naturæ consors efficitur. Sic beneficentia diuina in homines velut effusè exundat præsertim in aliquos, in quibus opulentiores gloriæ suæ gazas ostentare cupit. Et licèt Deus sibi priùs abundè sufficiens, ex omnipotentiæ & bonitatis suæ superpleno thesauro, nec infinitis largitionibus vnquam exhauriendo, gratia vbertim expromat, & sancti Spiritus dona impertiat; tamen qui omnia in numero, pondere, & mensura fecit, *Spirituum ponderator* dicitur, quasi dona gratiæ ad bilancem libret; non vt eam auarè dispenset, sed ne in eius benefica dispensatione prodigus forsan alicui videatur. Et quod mitere magis, in largitionibus suis aliquandò humaniùs repræsentat, quòd ab aliquo aufert, id quod alteri erogat, non de auaritiæ ingenio, nec de inuidiæ genio; sed quò opulentioris donatiui pretium ad illius censum exaggeret. Eiusmodi velut mendicitatibus Creatoris; doni pretiositas taxanda est ab hominibus, qui nisi humano modo res Dei capere haut possunt. Subiectis exemplis elucidanda res est, & quidem Biblicis. 1.

Quare Deus dicatur Spirituum ponderator.

Prouerb. 16. vers. 2.

Lucæ 22. naufraga Discipulorum fides in procella Passionis iactabantur; cùm nequam diu latrò, qui naufragium fecerat, in fidei tabula sospes emergit. Omnium scelerum reus in cruce pendet, 2.

pendet, & suæ causæ meritum in sua priùs conscientia, quam in iudicis sententia legit. Alter verò cruciatuum æstum per linguam blasphemiis euaporat, dicens: Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es. *Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad* IESVM: *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi* IESVS: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.* Ecce tibi fidei merito, & gratiæ officiositate, pœna quæ cœpit in latrone, consummatur in martyre: & quod Apostoli clanculum confiteri formidant, in cruce palàm latro deprædicat. O felicem latronem Apostolicæ tunc fidei inopinatum supplementum! ô beatum latronem; imò non latronem, sed martyrem, & confessorem; dum necessitatem, gratiæ artificio vertit in voluntatem, & pœnam conuertit in gloriam, & crucem in triumphum! Pergit ad rem eleganter Drogo Hostiensis: *In te beatissime confessor & martyr, de totius mundi sterilitate* (Deiparam vt minimùm excipe) *fidei reliquias colligit Christus. Tu fugientibus Discipulis, & Petro negante comes & socius Passionis eius fieri gauisus es. Tu, Petrus in cruce fuisti; & Petrus in domo Caipha, latro. Tandiu hîc Petrus latro fuit, quandiu intus latitans, Christum foris negauit. Et ideò & Petrum præcessisti in paradisum.* Quid exaggeratiùs? An totus mundus tempore Dominicæ Passionis fidei infœcundus fuit, vt fidei vberior prouentus in Latrone existere videretur? totius mundi tunc sterilitas in re fidei, feracissima fidei vbertate in Latrone compensatur? *In te beatissime confessor & martyr, de totius mũdi sterilitate, fidei reliquias colligit Christus.* Sed adhuc Drogo loculentiùs pergit, dum subtiliùs meditatur, quod Latro in cruce se reciprocarit in Petrum; (aliàs dicentem, *Tu es Christus filius Dei viui*) & Petrus in atrio Pontificis Christum renegans, se digesserit in latronem: & dum Petrus negando assumpsit quod erat latronis; Latro in cruce confitendo, quod Petri erat assumpsit, reciproco pietatis & impietatis officio. Quasi dicat Drogo: Petrus breui tempore se desuescat, & desinat fide & meritis esse Petrus, & assumat latronem in atrio toties Christum negans, quò interim Latro in cruce possit latronem dediscere, & Petrum confessione assumere. *Tu, Petrus in cruce fuisti; & Petrus in domo Caiphæ, latro.* An non poterat Christus Deus Latronem parem meritis Petro facere, & de generosâ fide æqualem, nisi illo ipso tempore, Petrus, esse Petrus negando desiisset? De infinito diuinæ omnipotentiæ & beneficentiæ thesauro, tantum gratiæ impenditur in reformando recens Latrone, vt nisi Petrus tunc gratia euacuetur, Latro, merita tunc Petri non posset credendo coæquare? Poterat, poterat quidem id facere qui immediatè *diues est in misericordia*, sed vt humano more Drogo exprimat sublimissima Latronis merita, vberrimam fidei gratiam tanquam Petro ereptam meditatur, vt Latroni vberiùs erogaretur. *Tu, Petrus in cruce fuisti; & Petrus in domo Caipha, latro.* Assimiliter hîc dicitur de Tobiæ fide in omnium penè contribulium infidelitate, adeò vt de illo, ingeminare fas sit. *In te beatissime* Tobia *de totius mundi sterilitate, fidei reliquias colligit* Deus. Nam *cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat rex Israël, hic solus fugiebat consortia omnium.*

Lucæ 23. v. 40. 41. 42.
Latro in cruce fuit Petrus in domo Caipha fuit Latro.

Drogo de Sacramento Domi. Pass.

Hic vers. 5.

Numerorum 11. obmurmurantes populi linguis repetito vulnere immaniter lancinatur Moyses. Vel sanctior Potestas grauatè admodum ferre solet criminatricem subiectorum impudentiam, præsertim si ob expetitas palati delicias lingua exasperetur. *Non possum* (ait ad Dominum) *solus sustinere, omnem hunc populum, quia grauis est mihi.* Postulans in principatu consortem, satis (opinor) publicat, quàm ægrè tulerit detractionis molestias: nam communis Potentium ambitio solitudinem spectat; & vt exgrex esse cupit, sic fastidit in potestate consortem. Adnuit Deus Moysis precibus, & ad tabernaculi ostium senes Israël congregari iubet, vt delectio consultiùs fiat. Faciesque, ait, ibi stare tecum *Vt descendam & loquar tibi; & auferam de spiritu tuo, tradámque eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris.* Valdè sollicitus est hîc Augustin. nequis seriò putet per τὸ *spiritum*, in hoc loco animã significari: neq; enim pars animæ auferri potest à Moyse, & aliis donari cum quibus partitur præsidentiæ munus. Hoc in re physica perspicuè concludit Augustinus, (etsi hodie quidam malè eruditulì hanc veritatem inquietent) & in re etiam morali respectu Moysis, id à Deo enixè postulantis. In quibusdam autem nescio an quodammodo pars animæ cum parte potestatis in alios transferendæ, pariter auferatur. Lyranus per τὸ *Spiritum*, intelligi putat *curam* præsidentis: *El cuidado, es el alma del Superior.* (De quo alias vbertim) Sed quid est: *Auferam de spiritu tuo, tradámque eis*? an in thesauris omnipotentiæ & beneficentiæ diuinæ deerat spiritus, qui vbertim communicaretur his populi senibus, quin eiusmodi spiritus à Moyse *auferri* dicatur? Doctè Hugo Carensis præfata Dei verba commentatur: *Auferam*, inquit, *de spiritu tuo id est, de Spiritu sancto, qui est in te per gratiam summam; sine gratiæ tuæ diminutione, & dabo illis.* Scilicet vt significetur, quod *summa gratia* erat in Moyse, id est, perfectè plenissima; & quàm consummate perfecta senibus illis donanda sit, *auferri* dicitur de Moysis plenitudine. Itaque sine diminutione gratiæ Moysis, eius gratia *auferri* dicitur, vt sic exaggeretur quantus gratiæ cumulus in eiusmodi senes exuberet; quandoquidem non de nouo donari, sed aliunde *auferri* perhibeatur, vt humano more declaretur quam opulentus gratiarum cumulus eligendis subpræfectis erogetur. *Auferam de Spiritu tuo, id est, de Spiritu-sancto, qui est in te per gratiam summam.* Eleganter quidem Hugo!

De spiritu Moysis aufert Deus gratiam quam reliquis impertiat?

Numer. 11. vers. 17.

S. August. q. 18. in Num.

Lyra ibi.

Hugo ibi.

4.
Vsqueadeò parcè secum agit Christus, vt dum in crucis patibulo auida siti anhelat, paradisum quatuor fluminibus exundantem bono Latroni velut effusè impertiat, quasi de propriis mendicitatibus censum ad largitiones vberiùs exaggeret. *Scitis enim*, ait Paulus, *gratiam Domini nostri* IESV-CHRISTI, *quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis*, quasi aduersus se fuerit pauper, vt opulentè diues erga omnes foret. *Priuata parcitas liberalitates publicas enutriuit*, inquit Cassiodorus, Benè priuata parcitas liberalitates publicas nutrit, siquidem propter nos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia nos diuites essemus. O parcitatem liberaliter opulentam, quæ sibi velut auarè detrahit, quò aliis munificentiùs impendat! quæ est largioris beneficentiæ meta.

2. Corinth. 8. vers. 6.

Priuatas parcitas liberalitates publicas nutrit.

Cassiod. lib.

Exhodi

5. *Exhodi 6. vers. 3.* *Deus cùm liberalior ostendi ur prædans nominatur.* Exhodi 6. cùm Deus erga Israëlitas beneficentior ostenditur, sic Moysen alloquitur. *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente.* Hebraïcè *bel Schaddai*, quæ sunt duo Dei nomina, *el*, & saddai, quod Vulgatus expressit *in Deo omnipotente.* Cornelius pro *in Deo omnipotente*, exscribit, *In Deo largo seu liberali*, Ac si liberalitas sit omnipotentiæ Synonymon, Caietanus, *In Deo victore*, Quasi victor sit idem ac omnipotens. Sic victor de victoria insolescit? Bonfrerius, *In Deo sib sufficienti* transtulit: ille enim liberalior habetur, qui sibi sufficit, nec sibi indigus est muneris, quod aliis præbeat. Oleaster vertit, *In Deo sugente.* Alij *In Deo mammeo.* An puer Deus dum Deiparæ vbera virgineo tumentia lacte, auide sugit, tunc beneficentior dicitur? Idem Oleaster propriùs ad rem pro *in Deo omnipotente*, quod ad liberalitatem refertur singulariter vertit, *In Deo prædante.* Quare cùm Deus omnipotenter liberalis ostenditur, *prædans Deus* dicitur, Dei velut effusa liberalitas, furax, siue prædans nominetur? cùm nos muneret Dei pietas furari dicitur? ò Dei beneficentiam arcanè velut prædantem! An quia quod hominibus liberaliter largitur, pia velut præda sibi Deus acquirit? An quasi prædas capiat, quò liberaliùs donet? ô piam Dei quasi auaritiam, vt velut effusè homines munerare videatur! *Apparui in Deo omnipotente*, vel *liberbli*, idest, *in Deo prædante.*

Cornel ibi. Caietanus, Bonfrer Oleaster.

Deus sugens vel mammeus liberalior dicitur.

6. *Genes 20. vers. 18.* *De aliena etiam sterilitate Sara fœcundatur.* Geneseos 20. *Concluserat Dominus omnem vuluam Domus Abimeleh propter Sacram vxorem Abrahæ.* Tunc temporis, vt Chronologiæ procetes adstruunt, Isaacum Sara conceperat. Scilicet dum sterilis Sara fœcundatur, in eius gratiam, fœcundæ sterilescunt. O naturæ humanæ velut auaritiam! Aliena sterilitate fœcundatur sterilis. En Saram bis fœcundam, & propria iam fœcunditate & sterilitate aliena. Naturæ inopia aliis detrahit, quod alicui impendit, & alieno malo feliciùs sæpè beat, ad felicitatem longè opulentiorem.

---

§. XXXI.

Grauiorem ne irrogat iniuriam, qui coram aliquo, quàm qui contra aliquem peccat?

1. NOn dat natura virtutem: gratiæ officiositas est, bonum fieri. Virtus non contingit homini, (primæua præuaricatione inuitiato.) nisi cœlitùs indebita irroretur gratia, qua ad sanctitatem efflorescat. Ad hoc quidem, sed sine hoc nascimur; & in optimis quoque antequam Dei gratia erudiantur, virtutis materia, non virtus est. Viriata hominis natura sibi relicta, malitiæ fertilis est, & vitiorum vbertim feracissima; impudentiamque à delictis, & cum delictis combibit: & non contenta delinquendi secreto, in quo Deum cum proximo offendi, foras petulanter prodit, nec hominum oculos veretur, nec sensum: nec in Deum dumtaxat, sed homines etiam iniuriosa est. Deus flagitiis nostris offenditur; & spectatorum oculi, spectata coram malitia, grauiter læduntur. Itaque peccator, qui in publico Deum, aut homines offendit; non tantùm iniuriæ Deo aut homini illatæ, reus est; sed etiam publicitatis, qua spectatorum oculis impudenter nocuit, & offensa præstinxit. O! qui non times offendere aliquem, saltem time lædere spectatores omnes quorum auctoritatem videndo temerasti!

Spontiua vitia homo vbertim profert.

Lucæ 15. Contempserat patrem in primo recessu adolescentior filius, quasi seueriorem patris disciplinam accusans; opesque paternas petulanter profuderat. At vbi lapsu temporis est attritus laboribus, dum vilis mercenarius fieret, & eodem cum porcis pabulo pasceretur; reditum in domum paternam castigatus meditatur. Sed priùs quam rediret; ad se reuersus dicitur, cum ab eis quæ forinsecùs frustrà alliciunt & seducunt, in conscientiæ penetralia suam interionem, reduxit. Et qui meminit se esse filium, sæcularis mercedis, lucra non quærit, sed ius seruat hæredis. Reducem filium eminùs videt pater, & festinus occurrit, ne vllus de patris pietate possit ambigere, nec pœnitentiæ cunctationem prætexere. Tunc Prodigus adolescens pudore suffusus, pœnitentiæ exinceps idea, sic sua prior incusat delicta: *Dixitque ei filius: Pater, peccaui in cælum, & coram te.* Persæpè notabamus, quòd nemo non notat, estque notatione dignissimum; hunc adolescentem, aut paternæ præsentiæ pudore, aut confitendi sceleris confusione, turbatum, verba commutasse, & verborum sensum imperitè peruertisse. Non enim peccauit in cœlum, & coram patre, qui hominis tunc personam assumpserat; & à quo se longius absentarat; sed *in* patrem, & *coram* cœlo. Nam filius patrem offenderat, patriam domum contemptim deserens; patris opes luxuriando absumens, & vili suum pascendorum ministerio auitam nobilitatem propudiosè dehonestans. Coram cœlo autem peccauit, quia cœlum immenso ambitu spectat vniuersa. Num delicta sua Adolescens dissimulat, qui non audet dicere, se peccasse in patrem, à quo veniã expetit delictorum, sed *coram patre*? Imò suum aggrauat & exaggerat peccatum, dum patri dicit: *Peccaui in cælum, & coram te.* Quæ verba sic ad rem præsentem Hugo Carensis acutè commentatur. *Peccat in cælum, qui terrena præponit cœlestibus, & transitoria æternis. Et coram te: Aggrauat peccatum: maior enim contemptus videtur esse, &c.* Non dicit peccasse in patrem, sed coram patre; non vt delicti offensam extenuet; sed vt de præsentiæ contemptu aggrauet peccatum, quasi *grauior* sit quodammodo iniuria, coram aliquo peccare, quàm contra illum scelestè delinquere. Sic læduntur grauium spectatorum oculi, dum impudens delinquendi licentia, eorum præsentiam non veretur? Tantà ne iniuria afficiuntur spectatores, vt ad exaggerandam malitiam, non tam dicatur, illos iniuria læsisse, quàm coram illis impudens delictum, perpetrasse? Vnde consultissimè pœnitens filius, dum confessione veniam expo. scit, dicit Patri *Pater peccaui in cælum, & coram te. Peccat in cælum, qui terrena præponit cælestibus. Et coram te, aggrauat delictum.* Quasi temeratæ spectatorum grauitatis & probitatis reus sit, qui impudenter coram viro probo delinquere audet. 2.

Lucæ 15 v. 25 *Grauiorem irrogat iniuriam, qui coram aliquo, quàm qui contra aliquem peccat*

Hugo ibi.

Matthæi 18. postquã multa disputauerat Christus de fraterna charitate, & de mutua iniuriarum tolerantia; hæc subdit: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum, &c.* Corripiendus est enim seorsùm frater, ne si semel pudorem, & verecundiam amittat, pertinaciam correptione fœneret, & remedio periculosiùs ægrotet. Igitur consulte dicitur: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum* 7. *Matth 18. vers. 15.*

Oculi spectatorum ad se deriuant iniuriam, quã contra proximum fieri vident. Augusſt. de Verb. Domin. Ser. 16.

ipſum ſolum. Quare inter te, & ipſum ſolumquia in te peccauit, & tu ſolus ſcis quia peccauit in te. Sed ſubtiliter quærit adhuc Auguſtinus, *quid eſt, in te peccauit? Quia enim ſecretum fuit, quando in te peccauit; ſecretum quære, cum corrigis quod peccauit, nam ſi ſolus noſti quia peccauit in te, & eum vis coram omnibus arguere; non es correttor, ſed proditor*, (expende diligentiùs quæ ad thema præſens eleganter ſubdit) *Peccauit ergo in te frater tuus: ſed ſi tu ſolus noſti, tunc verè in te ſolum peccauit. Nam ſi multis audientibus tibi fecit iniuriam; & in illos peccauit, quos teſtes ſuæ iniquitatis effecit, ergo ipſa corripienda ſunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus: ipſa corripienda ſunt ſecretiùs, quæ peccantur ſecretiùs.* Scilicet ſi multis audientibus aliquis tibi fecit iniuriam, ne te ſolum offenſum putaueris; his etiam omnibus, qui præſentes aderant, vna nocuit; & communis iniuriæ reus eſt: & inde nõn ſeorsùm duntaxat, ſed coram omnibus dignè corripiendus. Vis noſſe, quando aliquis te vnum læſit, & in te ſolum peccauit, & iniuria affecit? Reſpondeo ex ſubtiliori Auguſtini ſchola: *Peccauit in te frater tuus: ſed ſi tu ſolus noſti, tunc verè in te ſolum peccauit.* Quid luculentiùs? quaſi de iniuriæ tibi illatæ publicatione, non ſolum tua euulgetur iniuria, ſed ad plures extendatur offenſá, aurita oculatáve notione iniuriam propagante. Contumelia in te vnum coram multis iactata, vna plures eſt, multiplicatione offenſæ, & probroſá iniuriæ fœcunditate. *Sed ſi tu ſolus* iniuriam tuam *noſti, tunc verè in te ſolum peccauit.* O ſi hæc Auguſtini eruditio impudentiam publicè delinquendi ſiſteret! O ſi ſpectatores ſeriò putarent, aliena iniuria ſe pariter lædi; ne Dei & proximi offenſas coram ſe patratas ſic negligerent! Tibi nocet, qui coram te, proximo ſuo nocere nõ veretur. Non putat te ſuæ nequitiæ exortem, qui oculos tuos ſui flagitij teſtes non formidat. O peruerſam quorundam patientiam! Non longè à ſcelere abeſt, qui ſe coram ſcelera patrari negligit.

Hic verſ. 5. Inde Tobias hîc verſ. 5. tam ſollerter publicè delinquentes fugit; & à ſe irremediabiles aliorum offenſas, exquiſito in Deum cultu repenſare ſatagit; cùm per ætatem corripere non valet, nec per dignitatem vlciſci.

4. Redeat iterùm Prodigus adoleſcens ingratus in patrem, impudens in homines, Deo iniurius, & ſibi exitialis. Hic voce pariter ac voto petulanti, dixit patri: Da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit. Sua vult ſibi tantum poſſidere, vt ſua poſſeſſione faciat aliena: perdit filius quæ non vult poſſidere cum patre: ſibi inuidet opes, quas ſibi ſoli gliſcit immaturè poſſidere. *Et congregatis omnibus, adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam, viue do luxurioſè.* Gratulor Prodigi adoleſcentis verecundiæ, quòd peregrè in regionem longinquam abierit, ne coram patre viuẽdo luxurioſè, & ſuam diſſipando ſubſtantiam, ſuum crimen ad malitiam exaggeraret. Verùm Chryſologus, qua pollebat ingenti perſpicacia, itum filij Prodigi explorans, ſic fatur: *Peregrè profectus eſt in regionem longinquam Ad longinquam Diaboli in regionem animo eſt peregrinatus, non loco.... Namque coram Patre ſine Patre erat; & cùm in ſe eſſet, non erat ſecum.* Nemo iam excuſet Prodigum adoleſcentem, quaſi abierit in regionẽ longinquam, vt dum peregrè abſentatur à patre, eius in delinquendo præſentiam reueritus ſit; nam ipſe

Lucæ 15. v. 13.

Prodigus adoleſcens, coram patre, ſine patre delinquit.

Chryſol. Ser. 5.

palam aduersùs ſe fatetur, quòd coram patre peccarit, aiens, *Pater peccaui in cœlum, & coram te.* Itaque filius Prodigus peregrè profectus in regionem longinquam, patrem perdidit, quin eius oculos declinaret: nam viuendo luxurioſè, ibi vbi erat, *coram patre, & ſine patre erat.* Erat ob delictum *ſine patre*, quem delinquendo amiſerat: ſed quoad impudentiam imputetur delictum, tametſi erat ſine parte, *coram patre erat*, ipſo palàm dicente, *Pater peccaui in cœlum & coram te.* Scilicet, ſicut ipſe Prodigus adoleſcens flagitioſè ſceleroſus, quando ſceleſtè luxuriatur *cùm in ſe eſſet, non erat ſecum*; à ſe enim recedit, enormiter qui deliquit: ſic ne impudentiæ eximatur reatu, cùm peregrè profectus in regionem longinquam, luxurioſè viuit, & ſceleroſè ſcortatur, *coram patre, & ſine patre erat*, ne impudentiæ crimine benigniùs eximatur. Argute quidem Chryſologus.

---

§. XXXII.

Auro & argento fides violari, religio mutari, & iuſtitia periclitari ſolitat.

Avrum etſi metallum ſit examinale, humanę cupiditatis auaro ingenio, non rarò ſcelera docet: ignorabat illa egeſtas; didicit ab opibus. Quid? an omnes, diuitiæ improbæ; imò nullæ, materiam tamen ſuggerunt omni improbitati: & flagitia non tam perpeterunt, quàm audere docuerunt. Latebant in paupertate; altè animo recondita: acceſſerunt opes, & cum opibus audacia; & proditor facta eſt pecunia ſcelerum Domini ſui. Eruit, & poſito pudore proſpectanda propoſuit, quæ verecunda paupertas tegebat. Profectò vbi cupido diuitiarum humanum pectus inuaſit, neque diſciplina, neque artes bonæ, neque vlla virtus, neque ingenium vllum ſatis pollet, quandò animus magis aut minùs maturè, poſtremò tamen ſuccumbit. Non dictum verè? Vbi diuitiæ claræ habentur, & inſana auri cupiditas dominatur; ibi bona omnia vilia ſunt, fides probitas, pudor, pudicitia, pietas, religio, ibi diuina atque humana promiſcua ſunt, nullóque diſcrimine ſacra ac profana tractantur, indifferenti cenſu. Nil auaritiæ inacceſſum, nil illæſum; non frater, ſoror, pater, mater, fides, & ſacroſancta Numinis religio. Ludit in cognato ſanguine, in vnius vteri ita nihil illi intactum, nihil ſacrũ, non thalamus, non vterus, non vbera non ſacra, non profana, non Deus ipſe in ſanctorum fœderum teſtem vocatus, aut in ſacro altari venerandus. Quid non poteſt aurum, quod religionem excuſſiſſe poteſt?

Sacroſancta Dei religio, vilis eſt auaritia.

1. Hic verſ. 5. ſacer Hiſtoricus deſcribit Tobiæ religionem antequã deportaretur è Palæſtina in Aſſyriam captiuitatem; *Denique cùm irent omnes*, inquit, *ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat rex Iſraël, hic ſolus fugiebat conſortia omnium; ſed pergebat in Ieruſalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Iſraël.* Scilicet Ieroboam, auctor defectionis decem tribuum, qui aduersùs regiam Dauidis familiam rebellarunt, *vitulos aureos* in Deos erexit, quos Hebræus populus deſerta auita religione diuino cultu adorabat, illiſque idololatrica ſacrificia recenter offerebat. Sed nunc vide mihi quo argumento Hic v. 5. & 6.

Zeno ser. in Psalm 49. mento S. Zeno Veronensis vtatur, quo Idololatris persuadeat, vt Idolorum cultum deserant: Quæ est ista dementia, inquit, sacrificium nescientibus procurare, lumen cæcis inferre, thura non spirantibus concremare, allegare preces surdis: ab his custodiam petere, quos fur non timet inuolare? Et quasi hæ validissimæ rationes ad arcendos ab idololatria homines non sufficerent, duas alias his verbis eleganter ingeminat, *Igitur Gentium*, ait, *Sacrificium quam execrabile est, tam inane est: colunt enim vani vana figmenta in quaslibet formas, vultus, sexus, ætates, auri argentique detrimento matris limæ moderato dente figurata.* Primum Zenonis argumentum, quo hic homines ab idololatria arcere intentat: sumitur ex vilitate parentum, quos aureæ Deorum statuæ recognoscunt. Nempe simulacrorum artifex, ex auro argentove Deos elaborans, dicitur eorum pater; & *matris limæ moderato dente* Idoli statua figuratur. Mechanicus opifex, & mechanicæ artis dentatum instrumentum, generosa Idolorum prosapia est. Sed expendere oportet alterum argumentum ad rem præsentem in paucis tempestiuum. *Colunt*, inquit, *vani vana figmenta, auri argentique detrimento* matris limæ moderato dente figurata. Nempe aurifex statuæ pater, matris limæ moderato dente, *auri argentique detrimento*, Idola perficit. Quasi dicat: Vbi est tãta in hominibus auri argentique cupiditas, quæ diuina ac profana promiscuè accipit, vt horum metallorum compendium sibi faciat? Ecquis vestrum aurei ponderis pretio leuem non habet religionem? an non diuitiæ, sanctiora idola hominum sunt? Cur ergò non incusatis, sed potiùs *Vitulos aureos* quasi Deos adoratis, *figmenta, auri argentique detrimento matris limæ moderato dente figurata*? Sic tunc apud vos vilis est auri argentique iactura? Quod vestri auri & argenti *detrimento* fit, tanquam Deos colitis? Auri, argentique detrimentum adoratis? Si rationi non creditis, vt Deorum religionem detestemini; saltem moueat vos auaritia: & auri argentique iactura, sit idololatricæ superstitionis titubatio: ne nunc insitam auaritiam dediscatis, vt veram Dei religionem ediscere possitis. Qui auri argentique compendium, tanquam numen colit; nunc sui irreligiosè oblitus, *auri argentique detrimentum*, matris limæ moderato dente confectum, reuerenter adorat? Quis est hic rerum census vsqueadeò apud vos insolens, vt vile sit aurum, & & preciosa religio? an non soletis religionem ex auaritia, & auri cupiditate metiri? Aut non debet esse aurum, tam pretiosum, vt de eius iactura religio vniuersatim vilis sit, aut si adeò pretiosa est Idolorum religio, vilis sit auri cupido. Tanta autem est hominum auaritia, vt *de auri argentique detrimento*, quod lima Idolorum mater facit, inde idololatricæ superstitionis contemptum persuadere præsumat? Profundè quidem Zeno insanam auri cupidinem prodit, & prodendo perstringit, dum ex auri detrimento detrimentum facere Gentium religioni intentat.

Lima est Idoli mater.

Auri detrimento spernitur Dei religio, præ auri cupidine.

3. Prouerb. 11. vers. 4. *Finalis diei iudices, cur eligantur.*

Prouerbiorum 11. proficuas moraliter sententias sparsim iactans Salomon, inter alias, quas densè adglomerat, hanc iactat; quæ valdè publicat, quàm sit potens auaritiæ vis, & auri cupiditas, ad quidnis ab homine impetrandum: *Non proderunt*, ait, *diuitiæ in die vltionis: iustitia autem liberabit à morte.* Diem vltionis appellat magnam illam postremi iudicij diem, orbi iudicando destinatam: in qua non proderunt opes ad munerandos iudices, & inde ad cupitam sententiam subornandos: ideò enim diuitiarum non côtemptores, electi sunt in iudices. Porrò discipulis dicentibus: *Ecce nos reliquimus omnia*, respondet Christus, in postremo mundi iudicio *sessuros super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* Cúmque voluntarij pauperes iudicaturi sint orbem, perspicua fit sententiæ Salomonis energia: *Non proderunt diuitiæ, in die vltionis*, id est, mundi Principes, & opulenti proceres ante iudices diuitiarum contemptores, & inde incorruptos, miserè palpitabunt. Audiendus est S. Thomas hac super re: *Non proderunt diuitiæ in die vltionis. Quia pauperes voluntarij soli Christo inhærent, ideoque nihil in eis est, quod iudicium à iustitia deflectat.* Annon Apostoli, & sanctitate præclustres, & in gratia confirmati erant; nunc sunt, & tunc erunt extra viatorum aleam, & empyrea beatitudine impeccabiles? quomodò igitur dicitur, quod non proderunt diuitiæ in die vltionis, quia pauperes voluntarij soli Christo inhærent, ideóque nihil in eis est, quod iudicium à iustitia deflectat? Numquid beati iam Apostoli in postremæ magna die vltionis iudices sedentes, iudiciũ à iustitia possent deflectere, nisi pauperes voluntarij forent? Tanta putatur esse in hominibus auri fames, & opum cupiditas? Nimirum Apostoli futuri mundi iudices, hoc etiam nomine immunes sunt ab euertendi iudicij humano vitio, quo auri cupiditas tribunalia subruit. Ecce tibi quanta sit vis auaritiæ, vt & religionem nundinari putetur, sordido auri commercio: postremæ diei iudices, pauperes voluntarij eliguntur, vt hoc etiam titulo immunes ab auri cupiditate censeantur, ne largis munerationibus subornati, diuinum iudicium adulterare putentur. Nam vt pulchrè dixit Eusebius: *Argento & auro appetitur veritas, expugnatur integritas, iustitia vincitur, innocentia proditur, pietas, fidesque violatur.* Auro & argento *fides* violari, & *iustitia* vicini *fides*, & religio prodi vniuersatim putantur, quod est huius paragraphi argumentum.

Pauperes voluntarij. Matth. 19. vers. 27. 28.

S. Thom. 1. 2. p. q. 89 art. 2.

Insana auaritiæ vis ad vitia.

Euseb. Homil. 4. in Epiph.

4. Matth. 6. v. 31. & 32.

Matthæi 6. his verbis Christus Deus è corde hominum auaritiam excutere intentat: *Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, quo operiemur? Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Noli ergò homo inquieta sollicitius auaritia opes prouidendo gemere, noli laborare caduca præparando, quia prãdij tui semper, & vbique Deus præparator assistit. Quis Rex deuotis militibus debitã non procurat annonam? Quis Dominus fidelibus seruis iusta cibaria non ministrat? Quis Pater non dat panem filiis? Si ergò nobis Deus, & Rex, & Dominus, & Pater est, quid negabit? (Pergit Chrysologus) *Stipendiis suis militans derogat miles Regi, suis sumptibus viuens dominum seruus accusat, pro se sollicitus filius culpat superstitem patrem. Noli ergo homo exponere Deum pro te taliter cogitando: qui & iustitia regnantis, & dominantis studio, & generantis affectu, in se totam tui recipit sollicitudinem, refudit & curam, dicendo: Nolite solliciti esse, dicentes, &c.* Aurea planè Chrysologi verba. Sed illa imprimis sententia ad rẽ expendenda est. *Noli ergò homo exponere Deum pro te*, dum sollicitiùs opibus acquirendis & augendis inuigilas, nequid tibi desit. Nempe miles de rebus ad victum necessariis sollicitus, Regi *derogat*, Seruus Dominum *accusat*, filius patrem *culpat*: igitur dum

Homo auarus Deum pro se exponit.

Chrysol. ser. 163.

dum tu tibi sollicitiùs prouides, *Deum pro te exponis*: quia illi, qui Rex, & Dominus, & Pater est, tua auaritia *derogat*, tua opum cupiditas *accusat*, & tua sollicitudo egregiè *culpat*: ac proinde *Deum pro te exponis* O execrabilis diuitiarum fames, cui licet Deo impie *derogare*, Deum *accusare*, *culpare* Deum! Quid sanctum erit ei, cui Deus vilis est? Ecce tibi de auaritiæ libidine, *pietas fidesque violatur. Noli ergo homo exponere Deum pro te.*

---

§. XXXIII.

Olim totus mundus Templum erat; nunc quidam cætera omnia faciliùs in Templo inueniunt, quàm ipsum Templum: quorum ibi oratio, rixa potiùs vitiorum est.

1. Marius Victor. lib. 2. & 3. CLaudius Marius Victor, inclytus retrò Vates & argutè pius; in Sacro de re Geneseos poëmate; cùm lib. 2. dixisset de Cain, & Abel Deo munera offerentibus: *Prima Sacerdotum species, mox hostia fratris impia*, hæc lib. 3. subtexit de Noëmi tempore:

Totus Mundus olim erat Deo templum.

Mox niueo sacra exurgunt altaria saxo.
Agnouitque hac prima recens altaria Mundus.
Antè totus enim conuexo tramite cœli.
Templum mundus erat.

Grande planè Templum, etsi diuinæ immensitati angustum; religioni etiam rude, ac impolitum. Longo post tempori tractu templa Deo ędificari cœperunt, plena religionis, plena numinis loca. Super qua re ita eloquenter scribit Ennodius Ticineusis: Ab vniuersis iure creditur *Ioannes Apostolus clauis esse verborum.* In huius comitatu Antoninus, vetusti heros sęculi, & beatissimi martyris Cassiani iuncta claritudo, *faciunt de Æde Sacramentum, de terrena habitatione cœleste collegium, de manufactis quod nulla possit senectute violari. Occasum enim Deo oblata non sentiunt: nec ad vetustatem tremulam pietate fulta mittuntur: stat soliditas machinæ, quum CHRISTVS ingreditur, & originaria oblata fragilitatis, adipiscitur de possessore virtutem. Tecta vilia de consecrantium nobilitate decorantur, dum rei caducæ pretium tribuitur habere de Domino.* Sed nota quid spectet de Sacræ Ædis Sacramento, & de cœlesti collegio in habitatione terrena, qui hoc Templum, aut sumptuosiùs dedicauit, aut in eo votiua supplicatione precatur: *Tu autem*, inquit, *huius oblator ædificij, de mercedis retributione gratulare. Nescit spes titubare, cui bona fructus promittitur actionis: ab exercitio descendit retributionum fiducia, nec vllo nutat incerto, qui laudanda molitatur* Bonus Tobias qui à prima ætate *pergebat in Ierusalem ad Templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel*; tantaque illum deuotione orabat, vt præmaturè posset de bonorum retributione sibi gratulari. Hæc pia Tobiæ religio sit ædis Sacræ frequentandæ idea, vt ea mente eamus in templum, qua decet Dei aulam, & cœleste in terrena habitatione collegium, vt *fiat de Æde Sacramentum*, non de adeuntium profanitate sacrilegium; fiat Dei sacrarium, profanitatis officina.

Ioannes Euang. clauis verborũ est. Ennod Dict. 4. in Dedicatione missa Maximo episcopo. *Fiat de Sacra Æde Sacramentum, & terrena habitatione cœleste collegium.*

Hic v. 6.

2. Ioannis 4. Propè erat Pascha Iudæorum, & ascendit IESVS Ierosolymam: & inuenit in Templo

P. Didac. de Celada in Tobiam.

vendentes boues, & oues, & columbas, & numularios sedentes. Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque, & boues, & numulariorum effudit æs, & mensas subuertit Et his qui columbas vendebant, dixit: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. Recordati sunt verò discipuli eius quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me.* Vide quanto CHRISTVS exarsit zelo, cùm domum Dei velut resecrari videt, & profanam negotiationis domum fieri, ibi nundinæ quasi in foro exercentur, ibi otiosorum circuli garriunt, & iocis atque facetiis indulgent: ibi politulі iuuenes pulchellis adnuunt, & nutibus impudenter verbigerant, & (quod Tertullianus opploarat) inter aras adulteria componunt. O malè piam quorundam religionem, qua Dei templa frequentant, & frequentatione profanant! *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*, ad quæ CHRISTI verba videtur alludere Chrysostomus, sic altè fatus: *Multi pergunt ad Templum Domini, non vt orent, sed vt negotientur, vt ciuilium domesticorumque negotiorum sermones faciant: vnde cætera omnia faciliùs in Ecclesia deprehendes, quam Ecclesiam ipsam.* De tua impudenter profanitate venit, vt dum Templum adis, nil tibi magis quàm Templum in Templo desit. Ad templum pergis quasi ad forum, vbi ciuilia, & domestica negotia tractes, vt ibi garrias cum effeminatorum grege; vt ibi oculi in alieni sexus comptam venustatem impingant, & animi voto rectiùs scorteris, & nutidus libidini adnuas: vt quæras, cui placeas; & quam tibi placeat, quæras. Negotiationis forum, libidinis lenocinium, vel semel Dei Templum fiet? CHRISTI iustas tunc iras; & plus nunc iratam patientiam! Quid æquè profanum, ac impium, quàm quòd *cætera omnia, faciliùs in Ecclesia deprehendas, quàm Ecclesiam ipsam*? Rudi olim religioni totus mundus Templum erat: nunc post comptam Templis pietatem, nec in ipsis Templis Templum deprehenditur; Domus orationis, spelunca vitiorum facta est; Sic in domo orationis à communi oratione impiè segregaris, & profanè exulas; *Nos (ait Saluianus) Ecclesias Dei indutra ante; onimus, nos ataria spernimus, & theatra honoramus; omnia denique amamus, omnia colimus; solus nobis in comparatione omnium Deus vilis est.* O time de infausto, si non times de iniusto! *Summum futuri iudicij præiudicium est, siquis ita deliquerit, vt à communione orationis, & conuentus, & omnis Sancti commercij relegetur.* Tu te ipsum sacro te anathemate inhumaniter feris, quando te in ipsa Templi congregatione facis exgregem; & *cætera omnia faciliùs in Ecclesia deprehendis, quàm Ecclesiam ipsam.*

Ioan. 2. v. 16. & 17.

Psal. 68. v. 10

Eò impietatis quorumdam irreligiositas deuenit, vt cætera omnia faciliùs in Ecclesia deprehendant, quàm ipsam Ecclesiam.

Chrysost. homil. 38. in epist. 1. Cor.

Excommunicatio futuri iudicij præiudicium dicitur.

Saluі. l. 6. de Gubern. Dei.

Tertull. in Apolog.

Lucæ 18. Duo homines ascenderunt in Templum vt orarent: vnus Pharisæus, & alter publicanus. *Pharisæus stans hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum: raptores, iniusti, adulteri velut etiam hic publicanus.* Per hoc quod dicit, *Stans* animum denotat arroganter elatum, ipso enim corporis habitu superbiam spirat. Dicit autem, *Apud se orauit*, quasi non apud Deum: quia per superbum elationis supercilium ad se ipsum redibat, tanquam vel Deum supplicare dedignatus quin, & impugnare videtur gratiam, quam non expetit. Imò se ipso plenus, charitatis vacuus inuenitur, & iniuriatum opulentus: dum lingua maledica, qua propria 3. Lucæ 18. v. 11.

Quorumdam in ipso templo oratio, rixa est vitiorum, & criminum meditatio.

debuisset incusare crimina, alios iniustitiæ, tacitatis alios, alios adulterij, sua oratione Pharisæus insimulat. O Pharisæe, idcirco in Templum ascendis, vt in eo, quasi in Religionis Sacrario, Deum ores; an vt oratione tua, tuæ vitiositatis sentinam orando exponas? Quæ est hæc tua in Templo oratio? an rixâ vitiorum, an impietatis officina? Non sine felle dixit ad hanc rem Saluianus Massiliensis: *Nouum monstri siquidem genus est, eadem penè homines iugiter faciunt, quæ fecisse se plangunt. Et qui intrant Ecclesiasticam domum,* (Dei templum) *vt mala antiqua defleant exeunt, & quid dico, exeunt? in ipsis penè hoc orationibus suis, ac supplicationibus moliuntur. Aliud quippe ora hominum, aliud corda agunt: & dum verbis præterita mala plangunt, sensu futura medicantur,* (Pensita quæ subdit verba) *Ac sic oratio eorum rixa est magis criminum, quàm exoratrix, vt verè in eis illa maledictio compleatur, vt de oratione ipsa exeant condemnati: & oratio eorum fiat in peccatum. Penè hoc orationibus uis moliuntur, vt euidenter appareat, hoc eos esse meditatos dum intra Templum sunt, quod postquam egressi fuerint exequuntur.* Sicut Pharisæus iste, sic *apud se* quidam in Dei Templo orant, vt eorum oratio penè fit velut scelerum meditatio, & tumultuans vitiorum rixa. Ibi sæcularia profanè tractant, tanta contentione quantùm forum est: ibi diebus festis quasi ad theatrum concurrunt, vt diuitæ, & operoso vestium ornatu rem libidinis, oculorum lenocinio procurent: ibi oculis constupranda comptior venustas prostituitur: ibi potioris sedis ambitio de primatu rixatur: ibi maledicæ linguæ frena laxantur: ibi Euangelici Pharisæi exorbitat æmulatio, & *dum intra Templum sunt, oratio eorum rixa est magis criminum, quàm exoratrix.* Bonus Tobias, qui *solus fugiebat consortia omnium, sed pergebat in Ierusalem ad Templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel.*

Saluian libr. 3. de Guber. Dei.

Psal. 108. v. 7.

4. Geneseos 28. Igitur egressus Iacob de Bersabeè, pergebat in Haram: & cum pernoctaret in quodam loco, vidit ibi in somnis scalam, & Angelos ascendentes, & descendentes, & Dominum innixum scalæ, felicissima quæque sibi pollicentem. Cúmque euigilasset Iacob de somno, ait: *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam, Pauensque: quam terribilis est*, inquit, *locus iste: non est hîc aliud nisi domus Dei, & porta cæli: Appellauitque nomen vrbis Bethel.* (quod Hebraïcum nomen sonat *domus Dei.*) Quid timet Iacob cùm cœli portam feliciter inuenit? cum per velut cœli rupturam cœlestia secreta rimari datur? Cùm in *domo Dei* est, quid tunc *pauet*? quare sacrosanctam *Dei domum* appellat *terribilem*? Respondet appositè Caietanus: *Timuit diuinum iudicium, quemadmodum cùm venimus primùm in conspectu maximi cuiuspiam, & sapientissimi Principis vehementer timemus, ne quid sibi displicens in nobis videat: sic Iacob timuit considerando seipsum cum respectu ad præsentiam Dei, & frequentiam Angelorum, metuens ne sua sibi peccata, & defectus imputarentur.* Nimirùm Iacob cùm derepentè animaduertit se esse in *domo Dei*, eiusq; sacrosancto templo, *pauens metuit, ne sua sibi peccata, & defectus imputentur.* O quàm mente, & corpore purus debet quis Dei templo adesse, *timens diuinum iudicium*, ne tunc, tunc quidem vel maximè, ex adspectu ad præsentiam Dei, & Angelorum frequentiam, *sua sibi peccata imputentur*? Tunc peccata præcipuè imputantur, cùm quis imparatus, & indoneus in templo Dei est? *Quàm terribilis est locus iste*: pauens tunc Iacobus pronunciat. Addit Sanctus Bernardus adludens ad præscripta verba: *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Verè profectò Dominus in hoc loco est, si tamen seruiamus ei.* Quid? si Deo non seruimus, sed illum in templo offendimus, Deus à templo absentatur? Si tibi non est Deus in templo quod profanas, nec Deus inibi aderit tibi opem diuinam postulanti. Heu irreligione nostra velut inania reddimus templa Dei, & quasi numine vacua!

Genes. 28. v. 17.

Cùm peccator ingreditur Dei templum, tunc illi dicuntur imputari delicta.

Caiet. ibi.

Dominus dicitur esse in templo, si illi seruiamus.

Bern Ser. 6. de Anniuers. dedicat. Eccles.

5. Addam, & finio, quò arcana reuerentia Dei templo exhibeatur; ex illis Apostoli verbis. 1. Corinth. 6. *En nescitis quoniam membra vestra, templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est?* Plures ex schola expositiua, & scholastica doctè Spiritus Sancti diuinitatem comprobare. (Legatur P. Molina 1. p. q. 27. cap. 1. artic. 1. disp. 4. §. 1. & P. Suarez lib. 2. de Trinitat. cap. 5. vt alios interim omittam) augustum sanè templi elogium! Illud Psalmi 92. *Domum tuam decet sanctitudo Domine*, quidam exscribunt: *Domui tuæ pulchrior sanctitas.* Quasi sanctitas, qua templum ornatur, colitur, adoratur, sit pulchrè venusta, & sumptuosiùs gratior. *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.*

1 Cor. 6. v. 19.

Molina. Suarez. Psal. 92. v. 5. *Templi sanctitas pulchrior est.*

Psal. 25. v. 8.

6. Ecclesiastæ 4. *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei*, templum inquam. Ad quæ verba, ita ex Gregorio Neocæsariensi fatur Titelmanus: *Porrò quantum ad Ecclesiam attinet, principio vitæ tuæ rationem habeto, vt ipse rectus ambulet.* Quasi qui, vt decet, reuerenter, domum Dei ingreditur, & à pueritia sic religiosè institutus sit, toto vitæ curriculo *rectus ambulabit*, & vsque ad Beatitudinis metam feliciter curret.

Eccles. 4. v. 17. Titelm. ibi.

---

§. XXXIV.

Qui CHRISTI *Sacerdotibus decimas fideliter non exoluit, & dubia esse in* CHRISTVM *fide, & in se impiè furax, censetur.*

1. PHilo Hebræorum disertissimus, Sacerdotibus perinde ac Regibus tributa esse pendenda, ex Dei iudicio, & aut*to* etiam Gentium more præscribit: vnde legis oraculo Sacerdotes honore, & maiestate æquiparari Regibus, imò præferri probat, quoniam subditi coactè, & inuitè Regibus tributa pendunt, *At Iudaica gens*, inquit, *debitam pecuniam lubens gaudensque depromit quasi non daret, sed acciperet, addens faustas ominationes, & gratiarum actiones.* Molestus est semper Principum census, à subiectis coacta exactione pendendus: nam vectigal, & est nota captiuitatis, & perpetua facultatum imminutio: at primitias, & decimas sic lubens, & gaudens Dei populus Sacerdotibus depromit, *quasi non daret, sed acciperet.* Nam tanta, tamque feliciter fausta inde sibi quisque ominatur, tot sibi è cœlo donatiua certò spondet; vt quasi donando acceperit, non tam accedat tanquam deuotus debitum soluens, sed velut præproperè gratus, pro accipiendis exinceps beneficiis, votiuè reddens gratiarum actiones. Populus Dei est, qui primitias, ac decimas sic Sacerdotibus *lubens gaudensque depromit, quasi non daret, sed acciperet, addens faustas ominationes*

Philo de præmiis Sacerd. & honoribus.

Decimas Sacerdotibus pendunt Hebræi cum faustis ominationibus, & gratiarum actionibus.

nationis & gratiarum actione. Quid non boni
Hic v. 6. sibi spondeat Tobias? quid non mali auertat à se, *omnia primitiua sua, & decimas suas fideliter offerens?*

2. Malachias cap. 1. ductus Hebræis Propheta exurgit, aiens: Onus verbi Domini ad Israël in manu Malachiæ. Et mox addit diuinæ iræ causas nempe sacrosanctum Dei nomen pollutum fuisse ab Hebræis Et vos, inquit, polluistis illud, in eo quod dicitis: *Mensa Domini contaminata est: & quod superponitur, contemptibile est cum igne, qui illud deuorat.* Et dixistis: Ecce de labore, & exufflastis illud, dicit Dominus exercituum, & intulistis de rapinis claudum, & languidum, & intulistis munus: numquid suscipiam illud de
Malach. 1. vers. 14. manu vestrâ, dicit Dominus; *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens, immolat debile Domino: quia rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in gentibus.* Quid refert, quòd populus offerat reiectaneas oblationes, & immolet claudum ac debile; imò etiam quod putet *contemptibile* quidquid Deo offertur; & inde sacerdotes decimis & primitiis auarè defraudet; vt Deus dicat, sacrosanctum eius nomen pollui? Grande quidem scelus istiusmodi defraudatores patrant; sed saluâ fidei reuerentiâ. Serotina, mutila, reiectanea (& sæpe nulla) in templo offeruntur; sed qualis, qualis sit oblatio, Deo offertur, & eâ quasi Deus, vt vt colitur. Numquid cum reiectaneis oblationibus Deus pariter reiicitur: vel saltem eorum nutat fides, qui debilia, vel nulla Deo in suis sacerdotibus offerunt? Benè notat S. Hieronymus primitias & decimas olim datas Leuitis, adumbrasse & prælusisse, quòd eædem d[e]inde forent Euãgelicæ legis sacerdotibus, vnde tempestiuè subdit Origenes: *Impium est, vt qui Deum colit, & scit eius ministros assistere altari & verbo Dei aut ministerio Ecclesiæ deseruire, de fructibus terræ quos dat Deus, Solem suum producendo, & pluuias suas ministrando, primitias sacerdotibus non offerat. Non enim videtur talis anima Dei habere memoriam, nec cogitare, nec credere, quia Deus dedit fructus, quos cepit. In impiorum* numero habendos esse censet Origenes, eos, qui aut mutilas, aut nullas decimas ad Sacerdotum sustentationem Deo immolant. Ambiguâ putatur nutare fide, & excussisse Dei memoriam, & dubiâ diuinæ prouidentiæ credulitate hærere, qui Deo debita tributa, in Sacerdotibus non pendit. Credis (aut saltem cogitas) vberes terræ fructus è diuinæ prouidentiæ nutu pendere? Nonne de prouidentiâ Dei Sol terris accenditur, alati amnes ab aëre suspenduntur, fluminum elices in aruis irriguis deriuantur; pruina mitior est, ne teneros fructus decoquat: æstus mitigatur, ne torrente Sole fruges exurat. Nonne à Deo est exundans vindemiæ mador, copiosa oliuitas, frugum vbertas, fructuum maturitas, quâ vberi prouentu arbores autumnat, amnes piscibus ebulliunt, saltus gregibus vbertim sobolescunt? Quid ergò humana in Sacerdotes auaritia, Dei in homines liberalitatem dissimulanter negat? Tobias *omnia primitiua sua, & decimas suas fideliter offerens*, suspectum non offerentium infidelitatem redarguit. *Non enim videtur talis anima Dei habere memoriam, nec cogitare, nec credere, quia Deus dedit fructus, quos cepit.* Diuino honori, & propriæ vtilitati nimis detrahit, qui primitiis ac decimis Dei sacerdotes defraudat.

Qui decimas sacerdotibus non reddit, non videtur credere, Deû dedisse terræ fructus.

Hieronym. in Malach. cap. 3.

Orig. hom. [illegible] in Num.

Forsan qui Dei honorem oscitanter negligit in
3. primitiis & decimis pendendis, propriæ vtilitati solerter inuigilat; & inde debitum Dei sacerdotibus tributum depromere, aut fraudulenter cunctatur, aut furacissimè recusat. Sed valde fallor, nisi, ne faciat facultatum dispendium, paupertatis compendium facit. Audiendus est Propheta decimarum pro Deo vindex, qui has Dei voces clarè promulgat: *Inferte, ait, omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem vsque ad abundantiam*; (Trutina verba, quæ facet Vates Dei nomine subiicit, attentiori ad rem expensione dignissima) *Et increpabo pro vobis deuorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ.* Quid est: *Increpabo pro vobis deuorantem?* Morosus ero, si quæ expositores hîc copiosè tradunt, vel leuiter perstringam. Omitto multa, vt citiùs rescribam Augustini verba, quibus ad *deuorantem*, adludere videtur, vt ad decimarum solutionem, Tobiæ exemplo, homines alliciat, & pertrahat: *Maiores, inquit, nostri ideò omnibus copiis abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant: modo autem quia discessit deuotio Dei, accessit indictio fisci. Nolumus cum Deo partiri decimas, modo autem totum tollitur: hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus.* Omni æuo molestus fuit Cæsaris census, à quo nec Christus Deus inter homines censûs, immunis fuit Diuinitatis titulo, quin illum reâpse penderet. Vnde putas, persæpè enasci, vt Deus consultissimè permittat, populos vectigalibus degrauari, & nimiùm sub exactoribus gemere? Quare Deus non *increpat pro vobis deuorantem*; sed bella permittit, in quibus maxima tributorum moles expendatur? Dormitat, & oscitat Dei erga populos prouidentia; an tunc maximè velut exsomnis vigilat? *Nolumus cum Deo partiri decimas; modo autem totum tollitur, hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus.* Quod recusas Christo in suis ministris vltrò reddere, multiplici auctario extorquet violentus exactor. Tua in Christum auaritia, citiùs quàm Principum politia, frequens vectigal exaggerat. De tuâ impietate, potiùs quàm de Regis potestate exactor armatur. Cum vsurâ reddes, quod Christo detrahis. Tibi inuides, quod Christi sacerdotibus denegas. Quid tot vectigalibus obæratus, aëra querelis toxicas? tua in Christum impia auaritia exactores æquissimè exasperat, vt fisco coactè reddatur, quod Christi sacerdotibus vltrò denegatur: *Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus.* O nimis verè!

Hoc tollit Principum fiscus, quod in sacerdotibus non accipit Christus.

Malach 3. vers. 11.

S. August. homil. 48. inter. 50.

Addam quod & idem addidit Augustinus: *Hæc*
4. *est, inquit, Domini iustissima consuetudo, vt si tu illi decimas non dederis, tu ad decimam reuoceris.* Videtinc qui sacerdotibus decimas furacissimè defraudant, ne vitam sui, aut charissimi pignoris, loco decimarum, cum morte pœnalissimè commutent; & reculam quam auarè vsurparunt, interitu infelicissimo redimant. Sic Tertullianus ad Scapulam Præsidem pro Carthaginensibus loquitur: quibus ego verbis Deum mundi Præsidem alloquor in causâ decimarum: *Quid ipsa Carthago passura est decimanda à te, cum propinquos, cum contubernales suos illic vnusquisque cognouerit, &c.* Aliam in quadragesimali ieiunio decimationem Gregorius agnouit, aiens: *Dum verò per ter centum sexaginta quinque dies annus ducitur: nos autem per triginta sex dies affligi-* mur,

August. Ser. 219. de Temp.

Qui non soluit decimas, in vitâ decimatur.

Tertull. ad Scapul. c. 5.

Gregor. homil. 16. in Euang.

P. Didac. de Celada in Tobiam.

Ieiunio decimas Deo exsoluimus. *mur, quasi anni nostri decimas Deo damus.* Pronum est hæc Gregorij verba ad mores enucleare. Sed nolo esse longior.

5. Exodi 22. *Decimas tuas & primitias tuas non tardabis reddere.* Non inquit, Decimas reddes; sed, Non tardabis reddere. Reddendas sacerdotibus supponit: quasi nemo sit adeò impius, qui tandem non reddat: exinde cunctationem remouet, aiens: *Non tardabis reddere.* Et nota quòd cùm decimas & primitias quisque reddit, tunc eas appellat reddentis: decimas, *tuas*, & primitias *tuas*, quasi cùm eas Deo in sacerdotibus reddit, tunc eas cum reliquis fructibus suas faciat; alioqui omnia perditurus. De quo latè Augustinus mox allegandus. Caietanus verò sic locum ex Hebræo scribit: *Plenitudinem tuam, & lacrymam tuam non differes. Sensus est: debitum ex frugibus tuis, & ex liquoribus tuis non differes Deo reddere. Fruges enim plenitudinem, & liquores vini ac olei, lacrymas à fluendo appellauit.* Pulchrè offerendæ decimę dicitur *plenitudo*. Nam quod Deo in sacerdotibus suis decimarum & primitiarum nomine redditur, non amittitur, sed pleno frugum cumulo ad vbertatem exaggeratur. *Decimas tuas*, id est, *plenitudinem tuam*, Deo offeres. Item *lacrymas* appellat, aut ob anni auaram sterilitatem; quia vinum & oleum non vbertim fluunt, sed velut lacrymæ guttatim stillantur. Aut *lacrymas* nominat, quia sudoribus, ærumnis, laboribus, & sumptibus maximis, terrę fructus comparantur. Aut fortè decimas & primitias vocat plenitudinem & lacrymas: quia *plenitudo* erunt, si Deo tempestiuè reddantur: *lacryma* verò si morosiùs differantur. (Hâc super re legi potest Augustinus serm. 219. de redd. decimis. S. Thomas 2. 2. quęst. 87. art. 1. Cassianus collat. 21. c. 25. & 26.) Quisquis decimas festinat soluere, fructuum *plenitudinem* sibi faustè auguratur. Qui soluere distulit, sterilitatem illacrymet. O, ne tibi ob exiguum lucellum, frugum vbertatem inuideas!

Exod. 22. vers. 29.

Decimæ & primitiæ cur dicantur, Plenitudo & Lacryma.

Caietan. ibi.

---

§. XXXV.

Magis timendum à prauâ consuetudine, quàm fidendum in Dei promissione, Lothus existimauit, exinde praua consuetudo proscribitur.

1. Qvemadmodum laus quosdam colores semel ducit: quosdam, nisi sæpiùs macerata, & recocta non perbibit: sic alias disciplinas ingenia cùm accepere, protinus præstant: at virtutis professio in diu malè morato, nisi altè descendit, & diu sedit, animum non colorauit, sed infecit: nihil ex his quæ pietatis tyro promiserat, pręstat: ô quàm malæ fidei est, qui diu vitiis inoleuit! Hîc de quo scribis (rescribit Seneca ad Luciliū) & mādas, non habet vires. Indulsit vitiis, simul & emarcuit, & indurnit. Non potest recipere rationem, non potest nuttire. At cupit ipse. Noli credere. Non dico illum mentiri tibi, putat se cupere. Stomachum illi fecit luxuria, citò tamen cum illa redibit ad gratiam. Sed dicit se offendi vitâ suâ. Non negauerim. Quis enim non offenditur? Homines vitam suam amant, & simul oderunt? ô caue ne aliquod tibi vitium altè inhæreat, prauâ consuetudine inueteratum! vix poteris audire rationem, & quamuis illā perceperis, malignè nutries. Difficillimè extirpari potest, quod profundas egit radices. Exinde præproperè Tobias peccata remouere satagit à filij corde, & vitiorum fibras præmaturè exscindere: ne vitium peccati soboles in filio paulatim adolescat, inolescat, & insolescat. Hîc vers. 10.

Seneca epist. 113.

Quanta sint praua consuetudinis vires.

2. Genesis 19. Sodomitici incendij sulphureas minas, festinus fugit Lot, Angelo eductore Iubetur in montem ascendere, vt mibi effugium inueniat. At ille pauido imminentium flammarum timore æstuans, proximiorem vrbeculam Segor in asylum exposcit. Dixitque ad eum Angelus: *Ecce in hoc suscepi preces tuas, vt non subuerterem vrbem pro qua locutus es.* Hoc Dei verbo protectus Lot, in Segorem festinat, ibi vicinas Sodomiticæ deflagrationis minas securus frustratur, Decinerescunt in momento cuncta, & Segor Dei verbo munita, stat incolumis, circumuolitantes ridens flammas. Verùm obseruatione dignissimum est, quòd vix detonuit tempestas, cùm *ascendit Lot de Segor, & mansit in monte ....timuerat enim manere in Segor.* Res planè solito mirot, & quæ curiosam interpretum sagacitatem acuit ad peruestigandum, quare Lot, qui nuper eundem montem designatum ad effugium obnixè refutauerat, & ciuitatulam Segor elegerat quasi tutam in periculo arcem; nunc derepentè mutato consilio, Segorem festinus deserat, & in dudum sibi suspectum montem confugiat. Esto patriarchalis constantiæ sit immemor; an non experientiâ notum sibi erat, inter errantes circumcirca ignium globulos, quibus Sodomæ vstulabantur, Segorem nec semiustulatam esse; An non sospitabatur amico & fideli omnipotentis Dei verbo, quod illi in Segor incolumitatē disertè spoponderat? Dum fide, & experientiâ tutus est, quid montis dubium quærit effugium, paulò antè suspectum, & reprobatum? Quid experientiam tutaminis inquierat? quid fidei soliditatem quatefacit, & labefactat; Hanc difficultatem & eruditè versat, & tempestiuè soluit Hieronymus: *Quaritur*, inquit, *quare cùm primum fuga montis Segor prætulerit, & eam in habitaculum suum voluerit liberari, nunc de Segor rursum ad montem migret? Respondebimus veram esse illam Hebræorum coniecturam de Segor, quòd frequenter terræmotu subruta, Bale primùm appellata sit. Timueritque Lot, dicens: Si cùm cætera adhuc vrbes starent, ista sæpè subuersa est, quantò magis nunc in communi ruina non poterit liberari?* Et postquam Lot infidelitatem culpauit Hieronymus subdit: *Qui enim cæteras viderat subrui ciuitates, & hanc stare, seque Dei auxilio erutum, vtique de eo quod sibi concessum audierat, ambigere non debent.* Nempe etsi Lot animaduertit se Dei auxilio fuisse à Sodomis erutum amicâ prouidentiâ, & palam audierat diuinam sibi factam promissionem, quam esse veram experimento comprobarat; at vbi primùm obseruat, quòd *Segor terræmotu subruta est*, pauidè timuit inueteratos loci mores, quantumuis Dei verbo firmetur in oppositum. Hinc expendit diuturnam loci consuetudinem: hinc incolumitatem expertam, & Dei verbo fundatam: & dum humanâ ratiunculâ examinat vtriusque momentum, satiùs credere putat Patriarcha, vrbeculam redituram ad pristinam consuetudinem, & loci genium, quā omnipotenti Dei verbo fore sistendam: ô culpata Lothi diffidentia, ob oculos proponat, quantas vires habeant inueterati diu mores, qui in

Magis timet Lot à praua consuetudine, quàm fidit in Dei promissione.

Genes. 19. v. 30.

Hieronym. de q.q. Hebr.

in consuetudinem conualuerunt! sic certum est, quod homo vitiis adsuetus redibit ad ingenium, vt hæc certitudo, certitudinem ex Dei promissione venientem quodammodo valeat æmulari? Saltem tunc Lot certior fuit de reditu Segoris ad pristinum loci genium, quàm de diuina promissione sibi per Angelum coram intimata, & quam experientia verissimam ostenderat. O Lothi diffidentia sit nobis schola metuendi, ne vnquam permittamus, vt vitium in nobis inolescat! Paulatim consuetudo vires sumit: at cùm altè radices agit, quis fibras extirpabit, quin ad pristinam malitiam sobolescat? ô magnum de modico malum!

3. Lucæ 16. diues ille epulo crudelissimæ immisericordiæ in alios, & voluptuosæ erga se indulgentiæ reus, gehennalibus addicitur cruciamentis. Inde Lazarum suspicit olympiis perpetuò gaudiis vbertim exundantem: & siue inuidiæ, siue ardoris æstu extimulatus, ad se Lazarum mitti supplicat Abrahamum, vt aquæ guttula linguam refrigeret suam. Renuit Abrahamus, & repulsæ rationem reddit. (Vel cũ damnato homini aliquid seuerè negatur, idonea repulsæ ratio reddẽda est:) Instat adhuc Diues: *Rogo ergo te pater vt mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Negat iterùm missionem Abrahamus, respondens: *Habent Moysen, & Prophetas: audiant illos.* Tam benignus est in inferno, qui vsqueadeò immisericors in terris fuit? Quomodo tanta nunc angitur sollicitudine de incerta fratrũ salute? Et cur piissimus Abraham vel speciem pietatis sic repellit? Respondet Chrysostomus ad ea verba: *Habent Moysen & Prophetas: audiant illos. Quasi dicat: Non sint tibi magis curæ fratres tui, quam Deo, qui eos creauit, statuitque eis doctores, qui eos commonerent & sollicitarent.* Verba quidem conceptuum grauida, & alias forsan expendenda. Sed ad thema præsens pulchrè obseruat Nyssenus, hunc Diuitis angorem anxium de rebus in sæculo relictis, sic luculenter fatur: *Rogo te pater vt mittas eum in domum patris mei, &c. Sed aliud quoddam docemur, quod Lazari quidem anima non est erga præsentia sollicita, nec retorquet se ad aliquid relictorum. At Diues quasi quodam visco etiam post mortem à vita detinetur carnali. Nam si quis omninò carnalis se undum mentem fiat, nec postquam corpus exuerit, remouetur à passionibus eius.* Dilucidè quidem Nyssenus! Homo carnis passionibus innutritus, illisque parere diu adsuetus, nec postquam corpus exuerit, remouetur à passionibus eius; Sic corporis praua diu consuetudo animitùs hæret, vt post corporis dissolutionem, passionibus eius animus tangatur; Friget in sepulcro exanime corpus, & eius passionibus æstuat animus; Exaggeratius videbatur Iob locus, aiens: *Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient.* Parùm est, quòd inueterata per longam consuetudinem corporis vitia, adhuc quodammodò in sepulcro permaneãt; nisi etiam Diues hic *quasi quondam visco etiam post mortem à vita detineatur carnali: nec postquam corpus exuerit, remoueatur à passionibus eius.* O caue ab inolita peccandi consuetudine, quæ sic medullitùs hæret!

Lucæ 16. vers. 27.

Animus post corporis dissolutionem, etiam pulsatur praua vitiorum corporis consuetudine?

Chrysostomus homil. 40 in Euangelia.

Greg. Nyssen. apud Catenam auream.

Iob. 26. v. 11.

4. Gentium doctor in epist. ad Romanos cap. 7. ita de se, suáque fragilitate querulus scribit: Inuenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis,* &c. Multa inibi tradunt Interpretes, exponentes quæ sit hæc peccati lex, quæ hominem sic captiuum ducit ad malum. S. Augustinus interpretatur prauam *consuetudinem*, qua velut raptamur ab omnem prauitatem. Audiendus est Chrysologus, qui hunc locum Pauli exponẽs, ita describit humanam fragilitatem ab inolita consuetudine ortam: Scio, inquit, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum: si non bonum, vtique malum: quod malum? *Fragilitas certe,* (secundum Pauli mentem, ex *consuetudine* orta) *quæ dum serpit in carne, in venis æstuat, intrat ossa, conditur in medullis, feruet in sanguine, in vitiorum phrenesim sic erumpit.* Nota singulas sententias, prauæ consuetudinis vires viuaciùs exprimentes. Pergit adhuc eloquenter Chrysologus: *Fragilitas febris natura, languorum mater, genitrix passionum: quæ nobis ius necessitatis imponit: & vbi necessitas, non voluntas: vbi extat de conditione captiuitas, iudicium de potestate non constat. Fragilitas per quam vadit homo, non quo inuitat voluntas, sed quo necessitas ducit. Audi Apostolum dicentem: Non quod volo, hoc ago.* Prolixum nimis foret omnes Chrysologi sententias singulatim ad rẽ præsentem enucleare. Illud imprimis adnota, quòd à praua consuetudine, malum *conditur in medullis, in venis æstuat*: quòd praua consuetudo est *febris natura, languorum mater, genitrix passionum*: Sic enim inolita ad malum passiones reddit efficaces, ac si illarum foret matrix, quo nihil exaggeratius dici potest. Illud autem quod addit de *necessitate*, eo sensu intelligendum est, quo Paulus loquitur capite illo 7. superallegato, à Vers. 15.

Ad Rom. 7. vers. 23 &c.

Augustinus Apud P. Iustin. ibid.

Chrysol. serm 41.

Praua consuetudo, febris natura, languorum mater, & genitrix passionum, cur appellatur.

5. Ioannis 1. In principio erat Verbum, & Verbũ erat apud Deum, & Deus erat Verbum..... *Et Verbum caro factum est.* Sanctorum & Interpretum proceres plures adaggerant rationes, quibus diuinam corporationem adstruant; & idoneam, vtilem, imò & necessariam comprobẽt ad humanarum ægritudinum medelam. Indéque Incarnationis sacramentum, quod humanæ mentis fastum excellit, verosimiliter persuasibile reddunt. S. Cyrillus Ierosolymitanus plurimas addensat rationes, inter quas hæc arguté opportuna traditur: *Relinquens homines Deum, fabricauerunt idola: Deo itaque in humana figura falsò adorato, Deus verè homo factus est, vt solueretur falsum.* Nempè homo à primæua mundi ætate, aut auito inueteratoque errore consueuit falsos Deos sub humana specie colere & adorare: ergò præstat, quòd Deus homo fiat, vt verus Deus sub humana forma colatur; & ita veritas soluat errorem. Porrò hæc vetus consuetudo sic medullitùs hominibus inoleuit, vt quodammodò faciliùs reputari possit. Verbum diuinum induere carnem, & Deum hominem fieri, quàm vt tam inueterata hominum consuetudo sistatur. Ergo Deus, homo verus fiat; vt perditi Idololatræ, falsos Deos sub humana specie adorare sueti, verum Deum sub humana forma religiosè adorent. *Deo itaque in humana figura falsò adorato, Deus verè homo factus est, vt solueretur falsum.* Quasi censeatur exprompriùs, quod Verbum diuinum carnem induat, quàm vt homo inueteratam consuetudinem exuat.

Ioann. 1 v. 14

Facilius ne est, Deum carnem induere, quam vt homo veterem consuetudinem exuat?

Cyrill. Ierosol. Catech 12.

§. XXXVI.

Familiare est hominibus, alienis defectibus proprios excusare.

1. OMitte delicti defensionem, quid tot excusationes aduocas, ingeniatis, addésas? omne vitium habet patrocinium suum. Sed mehercle Nemo peccat inuitus. Male dulces vitiorum voluptates, quia adhuc amamus, sollerter defendimus? inde malumus excusare vitia quàm excutere, vt in asylo existimatæ innocentiæ, verè nocentes diu simus. Appendicem vitij infamiam excusationes amoliri satagis, quò innocenter peccare, videaris, & generosam reddere prauitatem. Quædam falsa, veri speciem ferunt. Dandum semper est tempus: veritatem enim dies aperit. Tandem quis sis indubiè apparebit Ambitionis est genius, ingenio excusationis proprias noxas redimere. Frustrà aliena delicta in tuorum patrocinium accersis, malè vitium tuum alieno vitio curatur, grassanti pestilentiæ non medetur commune contagium. Imbecilla propriæ malitiæ defensio, aliena malitia est; imò inde perniciosior, quò latiùs serpit, quare timendum est, ne virtuti præualeat. Quid turpe tuum flagitium flagitio alieno colorare præsumis, ad malitiæ defensionem? Non benè nequitiam extenuat, quod illam magis dilatatione exaggerat. *Indecorum hoc sanctimoniæ est, vt bona sua crescere malis arbitretur alienis*, inquit Saluianus. Hoc superbiæ arbitrium hìc proscribimus

Ingenio excusationis, innocenter peccare præsumimus.

Saluian lib 2 ad Eccles

2. Geneseos 20. pestilentes Sodomæ halitus præposteram libidinem contagio cinerum afflantes, Abrahamus fuit: & sedulus pietatis sectator, celer vitij refuga existit, ne vel de sceleris punitione, scelus subeat memoriam, & de pœnali vitij antidoto, voluptatis lenocinamento conflетur venenum. Itaque profectus inde Abraham, peregrinatus est in Geraris. Dixitque de Sara vxore sua: Soror mea est. Misit ergo Abimelech rex Geraræ & tulit eam. Venit autem Deus Abimelech per somnium nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem quam tulisti, habet enim virũ. Abimelech verò non tetigerat eam, & ait, Domine, num gentem ignorantem & iustam interficies? Nonne ipse dixit mihi, soror mea est, & ipsa ait: Frater meus est; in simplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum feci hoc. Plena quidem apud Deum humani cordis inspectorem, fœdi delicti excusatio. Sed adhuc apud homines violentæ libidinis suspectus est, vnde delicti suspicioné eluere satagit. Primò Abrahamum accersit, & de ambiguis verbis seuerius coram regni primatibus expostulat, eúmque opulentis donatiuis onerat. Dein *Saræ dixit*: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, & quocumque perrexeris*. Variis expositionibus hunc locum commentatores expedire conantur, quas promptum est in obuiis interpretibus legere S Ioannes Chrysostomus his verbis verba Abimelechi dilucidè interpretatur: *Ea quæ dedi*, inquit, *fratri tuo, tua erunt in honorem vultus tui*. Quid est, quòd tũc præter oues & boues, seruos & ancillas, quibus Abrahamum ditauerat, quo resarciret contumeliam; mille argenteis Saram munerat ad *honorem vultus*, hoc est, ad comptiorem faciei ornatum, quo agnatam eius pulchritudinem cōptiùs venustet: & pretiosis monilibus sumptuosiùs exaggeret? Annon agnata Saræ venustas, quæ cruda & incompta sic Regis amorem allexerat sufficiens erat? Quare nunc natiuã Saræ pulchritudinem, pretiosi ornatus elegantiis exaggerare ambit? in Saræ infucata pulchritudine periculum ipse expertus, malus periculum aliis obiicit? O argutum excusationis ingenium! Mille drachamas Saræ tradit, quò eius vultum elegãtiùs adornet, & ornamentorum lenocinio exaggeratiùs venustet, vt certiùs ruinæ periculum aliis extruat. quo suum casum verosimiliùs excuset. Quasi dicat Abimelech: Male audio, quia hanc fœminam vnicè & ardẽter adamaui, pretiosis ergo ornamentis eius elegantiam velut auctario elegantiùs adornabo, si fortè alij auctæ pulchritudinis illicio attracti, similes mei riuales existant, & eam incipiãt deperire, in mei facti defensionem. Dulciorem escam in hamo venustatis apponam, vt in mei excusationem alij capiãtur: Cecidisse existimor; se i aliorum certiori casu famam erigam meam, & de aliena ruina prolapsionis meæ excusationem extruam. Inde *Saræ dixit*: *Ea quæ dedi fratri tuo, tua erunt in honorem vultus tui*, vt dum tu pretiosis exquisiti ornatus munditiis vultum tuum adiectione nouæ venustatis honoras; honoris mei detrimentum nouo excusationis ingenio reficiam, & nominis mei iacturam hac pulchra defensione restaurem, arguto defectuum excusandorum arbitrio O Regem barbaricum, qui de aliena malitia suam innocentiam struere molitur!

Abimelechus ingenio excusationis pretiosiùs Saram adornat.

Genes 20. vers 16.

Chrysost homil 45. in Genes.

3. Iobi 3. peracto septendiali silentio, quo taciturnitatis stupore Iobi calamitates exaggerarunt eius Amici; tandem aperuit Iob os suum. Os iusto aperiente, haud oscitanter iis, quæ dicuntur, mentem adhibere debemus; sed multò maximè ex ipsis verbis fructus est nobis aliquis decerpendus. Semper enim Sanctorum voces vtilitatem habent ainnatam, virtutes afflant, probitates inspirant. Toto autem corpore excruciatus, etsi querulam, (quod rarò accidit) non improbabilem format orationem, neque animi rationem lingua præcurrit, sed sapientibus vocibus moderatur. Post inquit, hoc, aperuit Iob os suum, & maledixit diei suo, dicens: Pereat dies, in qua natus sum; & nox in qua dixerunt Ecce masculus. *Nox illa sit tenebræ, & non requirat eam Dominus desuper . . . . Non sit in diebus anni, nec memoretur in diebus mensis.* Quid est, Nox illa sint tenebræ? Sat vituperij foret, quod nox illa esset illunis, obscura, cæca, & cymmerijs tenebris squalida. Quomodo nox illa, ipsæ *tenebræ* erunt, ad auctiorem illius noctis ignominiam, & propudij auctarium? Doctè Chrysostomus: *Sed quid ille dicit? Nox illa sint tenebræ, &c. id est nemo in notitia, neque in hominum versetur memoria, non illam tanquam suam sibi vendicet Dominus, neque in noctibus numeretur.* O grande illius noctis maledictum, quod postea ingeminat aiens: *Sit nox illa solitaria*, hoc est, neque vtrimque, neque altera parte noctem illam nox altera complectatur, cum qua possit numerari, & ex aliarum noctium caligine, caligais suæ squalorem excusare, & de inuidiosis aliarum noctium tenebris suas tenebras defendere, ad similium sordium obiectu. Porrò si *nox illa solitaria* foret, *neque in noctibus numeraretur*, licet eadem sorderet caligine, tamen exgrex ab aliarum noctium numero & consortio, non tamen tenebrosa, quàm ipsæ

Numerus delinquentium, delictum extenuat?

Iob 3 v 4. apud 70.

Chrysost. apud catenam. O ymp ibi.

ipsæ *tenebræ* diceretur Scilicet tametsi aliæ vtrinque noctes, quibus nox illa adnumeraretur, illam noua caligine minimè infuscarent, saltem non extenuarent tenebrarum inuidiam, de adsimilis obscuritatis consortio. *Gran discredito! quitarle la escura de que otros tienen semejante tacha*, quasi aliarum noctium obscuritas nescio quid claritatis in exosam Iobi noctem reuerberaret, excusationis ingenio Exinde magis hic scintillat Tobiæ pietas, quæ frequenti aliorum impietate, nec patrocinium quæsiuit, nec excusationem inuenit. Sed *cùm omnes ederent ex cibis Gentilium, iste custodiuit animam suam, & nunquam contaminatus est in escis eorum.*

Hic v. 12.

4. Geneseos 43 ingrauescit fames, & inediæ malo Iacobæa familia pereunte, a ihuc Iacob suum Beniaminum mittere in Ægyptum flecti nescius recusat Iudas ergo dixit patri suo: Mitte puerum mecum, vt proficiscamur, & possimus viuere: *ne moriamur nos, & paruuli nostri. Si non intercessisset dilatio, iam vice altera venissemus.* Pro τὸ, *si non intercessisset dilatio*, in Hebræo, Græco, & Chaldaïco scribitur: *Nisi traxissemus moras, iam vice altera venissemus.* Quam Iudæ sententiam sic expendit Salianus: *Ex quo intelligi potest filiorum modestia, & in patrem reuerentia; qui culpam tarditatis, & cunctationis, à parente sene, in quo vna residere videbatur, ad se ipsos transferunt.* O bonos filios, & vrbanè pios! defectum, quo parentem onerari necesse erat, ad se vltrò deriuant, vt de ipsorum reatu pater innoxius videatur. Malunt paterna culpa deturpari, quàm propria innocentia culpare parentem. Sibi videretur bonus filius, vel inculpatæ innocentiæ reus, si pater reatu aliquo culparetur. Solent frequenter homines suas noxas alienis excusare, non bono ab aliorum defectibus mutuato patrocinio: nunc autem Iacobæa gens, se innocenter innoxiam, noxij Iacobi reatu culpat, quò illum absoluat. Alij aliorum defectibus suos excusant, vt innocentes videantur: hi alienos defectus, vt in aliis excusent, sibi adtribuunt; & vt alius culpam desuescere videatur, vrbana velut fraude pietatis, sibi conuiscerant. *Culpam tarditatis, & cunctationis*, (qua se & suos filios perire dicunt) *à patre sene, in quo vno illa residere videbatur, ad se ipsos transferunt.* O bona medicina vitij in hoc paragrapho proscripti!

Genes. 43. v. 10.

Salian an. m. 2328 n. 11.

Boni filij, patris reatum ad se pia vrbanitate transferunt.

5. Accipe Saluiani verba ad themata præsens non inidonea: *In hanc, inquit, morum probrositatem penè omnis Ecclesiastica plebs redacta est; vt cuncto populo Christiano genus quoddam sanctitatis sit minus esse vitiosum.* O stulta aliquorum persuasio, qui de probrosa aliorum vitiositate, suæ sanctitatis decus colorate præsumunt!

Salu. l. 3 de Guber. Dei.

§. XXXVII.

Delicatulus Aulicorum grex, vbi videt Principis animum ab aliquo auersum, ingenio adulationis strages garrulus afflat.

1. INter aulica documenta non postremas tenet, exploratum habere Principis ingenium. Pronus in iram est? ne huic rupi illidat pedem. Ad contumelias, minas, & damna descendit? ignoret se iti passum qui patitur. Nolunt videri offendisse Principes: quod si iniuriam te passum ostenderis, vertuntur in odia, inde in sanguinem. Quòd si Principis in te sæuitiam declinare studes, ne eam aduersus alios accendas, aut ingenio adulationis, aut æmulationis arbitrio. Mirùm quàm sit hoc documentum, & aulicis, & Principibus necessarium. Incidisti in Principem crudelem, ne & tu quoque sæuias, & ligna igni admoueas, aut iracundiæ semiextinctas scintillas ore flabelles. Vt plurimùm enim crudelitatis auctores, ferrum passi sunt. O caue tibi ab hac blanda assentatione, quæ duram sæuitiam fouet, & palatinorum suffragio adolescit. Mollibus mitescunt dura, maximè in Principe. Dum Tobias inter regis Salmanasar aulicos censetur, nulla auditur sæuitia in Assyriorum regno. Cùm verò sub Sennacherib ab aula exulat; vbique strages

Ab aulicis moderanda est Principis sæuitia.

Hic v. 13.

2. 1. Regum 24. Dudùm Dauid metu Saülem liberauerat, & ipse Regis metum confestim experitur: victoriæ enim exitus fuit inuidia, periculum, & cædis meditatio. Porrò Saül cùm gaudet victoriæ fructu, victoris gloriam luget, & instigante inuidia, communem sui regni lætitiam cogitur deplorare. Ita Dauid aduersis vndequaque ingruentibus obruebatur, nec in fuga periculum uetit: non enim Dauidis fuga Saül satiatus est, neque præceps fuga inuidentiam minuit, quam Doeg Idumęus inter audicos non ignobilis, ore sufflammabat, & acriùs succendebat. Ideò regni cogens exercitum prædator iniustus Danielem protinùs occultatum requirit, ima vallium, & summa montium, saltusque omnes curiosa indagine lustrat. Sed inconsideratè in spelæum intrat, in quo Dauid cautè latebat. Eius socij eum ad necem aduersarij opportunè exacuunt: maluit tamen de se, quàm de hoste triumphum agere; & Regi donat vitam, qui à Rege ad mortem quærebatur. Hanc pietatis redundantiam, vt resciuit Saül, oris & lacrymarum voce miratur, & fœdera pactus. *Abiit Saul in domum suam: & Dauid, & viri eius ascenderunt ad tutiora loca.* Nimis torquet commentatorum ingenia, noua hæc Dauidis cautela. Stupenda eius beneuolentia. Saülis mitescit inuidia, & iracundia placatur, & quò arctiùs amico fœdere copulantur, eò Dauid magis timet, & cautiùs agit. Dum Saül eius iuratus hostis cum valido, & inimico exercitu eum per saltuum inaccessa, & inuia ad mortem persequitur, non sic eum metuit, ac quando (etsi iam placatus, & grandi beneficio deuictus) in domum suam cedit. Quid Dauid timet à regia Saülis domo, quod ab armato exercitu non veretur? Qui Regem in acie non metuit, eum in palatio sic formidat? *Abiit Saul in domum suam: & Dauid, & viri eius ascenderunt ad tutiora loca.* Ad quæ verba sic fatur Dionysius: *Abiit ergò Saül in domum suam, pœnitens se persecutum fuisse Dauid, ac inde cessare proponens. Et Dauid & viri eius ascenderunt ad tutiora loca, quia non crediderunt verbis Saülis, cuius infidelitatem, instabilitatem, & odium toties erant experti; propter quod probabiliter coniecerunt, quòd eos rursus in breui insequeretur, sicut & fecit.* Scilicet Dauid, (inito cum sociis consilio) quia exploratum habebat instabile Saülis ingenium, valde sibi infensum, & ad sui cædem auidè propensum, eius amico fœderi, & pœnitentiæ diffidit, dum in palatium reuertitur, & aures palatinis permittit, exindè tunc maximè ad tutiora loca confugit, plus timens ab aulicorum imbecilla garrulitate, de Regis adulatione armata, quàm à regio exercitu illum vndequaque atrociter perse-

1 Reg. 24 v. 23.

Dauid magis ab aulicis, quàm ab exercitu Saülis timet.

Dionysius Richel. ad ea verba.

quente. Hos aulicos in bello ceruos, & in pace leones, pauide Dauid vetetur, adulatricem Doëg Idumæi garrulitatem expertus. *Abiit ergo Saul in domum suam*, conuersaturus in ea aulicas palatij nugas: *& Dauid, & viri eius ascenderunt ad tutiora loca*. Si forsan locus aliquis satis inueniatur tutus, vbi Rex ad sæuitiam pronus, aulicorum adulationi aures præbet. Sic blanda assentatione duras strages palatini afflant, dum vident Regis animum ab aliquo inuidiosè auersum.

3. Matthæi 14. videns Baptista Ioannes, reginam Herodiadem illegitimo toro, libidinis potiùs, quàm connubij administram, contra dignitatis, & naturæ rationem debacchantem, & Herodis palatium in theatrum lasciuiæ versum; vocem emittebat, qua possent impuri illi affectus rescindi, vocem emittebat ęgram Herodiadis animam adurentem: Non licet tibi habere vxorem fratris tui: O dicendi libertas, quæ regiam iniuriam non meruit! Tandem aliquando natalium Herodis tempus instabat, splendidaque luxuriosi Regis erat mensa, & conuiuium regifici luxus notis insigne. Regni proceres, & aulæ summates ad epulum inuitantur. Herodias intereà saltationem adornans, habitu matris artes, exactum maternæ libidinis simulacrum, aspectu impudenter venusto suam turpitudinem publicabat. Puellæ tripudium omnium oculos pede trahit, & Herodes grata saltationis dexteritate sic tenetur, vt in spectaculi præmium, semiputatam regni partem inconsideratus spondeat, & imprudentiam iuramento obstringat. At illa præmonita à matre sua, Da mihi, inquit, hic in disco caput Ioannis Baptistæ. Et contristatus est Rex. (Mœrorem vultu simulat, medullitùs exultans gaudio; quod assidentes non latuit.) *Propter iusiurandum autem, & eos, qui pariter recumbebant, iussit dari.* O pulchrè excogitatam à Diabolo insaniam! Carnificem statuit in Ioannem regem ipsum. Papæ! prodigiosam tragediam! iurisiurandi religionem fingit. Nam quod perlubens, & admodum volens, non illubens, neque molestè ad cædem aggressus est, dilucidè dictis aperuit. Plures hic mirantur Herodis fraudem, aut stoliditatem, quod obtenderit, putaueritve inidoneo se obstringi iuramento. Ego quidem cum interpretum proceribus id non admiror in homine Hebræam religionem profitente; nam Iosuë non aptum iuramentum seruandum putauit, & Iephte inidoneum impleuit. Valde autem quis admirari posset, quòd *Principes, & Tribuni, & primi Galilææ*, qui mensæ assidebant, crudeli Regis edicto sic annuerint, & eum ita exacuerint ad sæuitiam, ad quam dissimulanter proclinem videbant, vt eorum causa egregium Baptistæ caput atrociter detruncatum sit. Quod opportunè notauit Carthusianus exponens præfata Matthæi verba: *Propter iusiurandum autem, & eos, qui pariter discumbebant, iussit dari. Fecit enim cœnam Principibus, & Tribunis, & primis Galilææ. Itaque propter istos, ne in tantorum virorum præsentia videretur mendax: vel ne ipsi turbarentur, quia fortassis consenserunt Herodiadi in mortem Ioannis.* Ecce tibi procerum aulicorum blandam adulationem, de impia crudelitate sæuientem. Tacitum Regis nutum sollerter coniectantur, & cùm animitùs pellici adnuere videant, *in mortem Ioannis Herodiadi consenserunt.* Scilicet libido Herodem fecit fraterni cubilis perfossorem, & subsessorem; aulicorum autem sæua adulatio, ex adulterij fossa ad Baptistæ cædem transilire fecit. Si Ioannes Prophetarum apex, legis perfectio, veteris simul ac noui Testamenti sequester, eremi ciuis, temperantiæ opifex, veritatis choriphæus; si inquam, Ioannes atrociter perimendus erat Regis imperio, dedecebat, vt maleuolentiæ flammam non flabellaret inconsultus aulicorum grex, ô palatinas vulpes! ô polypos adulatione versipelles! ô consilium ad nutum Principis versatile! Nil in veritatis, iustitiæ, aut sanctitatis asylo tutum est, quò adsensionis lenocinio captent Principis gratiam. Tantùm aulicorum assentationi licet! sic blandior adulatio ferocit!

[Marginal notes: Matth. 14. v. 9. Marci 6. v. 26. — *Dedecebat Baptistam nō occidi à Rege, nisi de aulicorum adulatione?* — Marci 6. v. 21. — Carthus. ibi.]

1. Regum 20. dum festum Calendarum peragitur, in Saülis mensa iterùm apparuit vacuus Dauidis locus. *Dixitque Saul ad Ionatham filium suum: Cur non venit filius Isaï nec heri, nec hodie ad vescendum.* Ad quæ verba argutam Caietanus quæstionem his verbis mouet: *Occurrit quæstio tam de Saüle, quàm de Dauide. Mirum siquidem est, & quòd Dauid postquam fugerat per fenestram, & postea fugerat de Naioth, inquirere voluerit per Ionatham, si Saul quærebat ipsum occidere. Et similiter mirum est, quòd Saul post hæc facta contra Dauidem, quæsierit, cur non venerit filius Isaï ad mensam?* An Dauid cognoscens palatinos mores, benè scius quòd persæpe Principum animus, de regalium apparitorum nutu flectitur, nimis præsumebat de amicissimi Ionathæ officio ad iras Regis humaniùs mitigandas? Porrò sicut nuper num. 1. de aulicorum suggestione putatur irritatus aduersus Dauidem: ita nunc de Ionathæ beneloquio fortè præsumpsit Dauid, sedatum esse ferox Regis ingenium. Ergò Dauidis præsumptio aulicorum mores instruat. O! nimis potest ad suadelam frequens propinquorum susurrus, præsertim dum in alienam perniciem armatur. Potuit irritare Regem, placare non potuit. 4.

[Marginal notes: 1. Reg. 20. v. 27. Caiet. ibi. — *Nimis præsumpsit Dauid de aulicorum beneloquio.*]

Exhodi 9. prædu am densè grandinem Pharaoni Moyses minitatur. *Qui timuit verbum Domini de seruis Pharaonis fecit confugere seruos suos, & iumenta in domos.* Ad quæ verba ita scribit Lipomanus: *In seruis Pharaonis erant timentes Deum. Nimirùm non omnes stupidi ad tam præclara portenta Dei, qui abominabantur Regis atrocissima imperia; aulicorum tamen more muti ad patrocinium pro afflictis, & blandiores ad Tyranni sæuitiam mitigandam.* Tanquam quid insolens notatur, non omnes aulicos esse ad res Dei stupidos: omnes tamen dicuntur, vt ad assentationem garruli, sic & muti ad patrocinium pro miseris, & blandiores ad Tyranni sæuitiam mitigandam, contenti forsan non sufflammasse Principis iram. 5.

[Marginal notes: Exhod. 9. v. 20. Lipoman. ibid.]

§. XXXVIII.

Comitas officiosa, obsequij artificio obstinatam aduersarij nequitiam mirè vincit.

VErum æquè, ac celebre est illud cuiuspiam disertissimi: *Regum Ducumque clementia, non in ipsorum modo, sed etiam in illorum qui parent, ingeniis, sita est, obsequio mitigantur imperia*, quasi Principum benignitas, beneficentia clementia, & lenitas, non de eorum duntaxat genio, & 1.

[Marginal notes: Curtius l. 8. — *Subditorum obsequio mitigantur imperia.*]

& principali indole veniat, sed de subiectorum ingenio, quod benignos adæque ac malignos Principis mores cudat. Immorigera enim subiectio Gubernatorem exasperat, & quos vi coëgerit, non amabit. At *obsequio mitigantur imperia*;

Tertull. de Patient. c. 4.

siquidem artificium promerendi, obsequium est, obsequij autem disciplina, morigera subiectio est, promptiori officiositate sedula. Procul à viro probo, Principum genio concinnatæ blanditiæ; procul blanda assentatio, pessimum veri affectus venenum: adulatio enim libentiùs cum fortunâ Principis, quàm cum Principe loquitur, quò aliquid inde sibi immerenti capiet. Ciuilitas autem Principem spectat, & aspera rigidáque sceptra, obsequio flectit & mitigat: & dum debitum honoris vectigal pendit, gratiam comitate promeretur, quasi Principum generositas sit stipendiaria subiectorum obsequio. Admirari in hoc loco licet, quantam gratiam captiuus Tobias apud regem Salmanasar obtinuerit obsequij artificio.

Hic v. 13.

2. 1. Regum 18. Post Goliath prostratum surgit in Dauidem hostis longè acerbior, Regis inuidentia victori inimica, grauior hic hostis, qui latet in insidiis, & hostilis cogitatio eius animo tegitur: cúmque maleuolentiæ plenus sit, amicitiæ laruâ loricatus absconditur, quò ex improuiso erumpens acerbiùs sauciet incautum. Scilicet Dauidica victoria puellas Hebræas mouit ad faustas acclamationes, & suis vocibus animi lætitiam euulgabant. Hæ voces Saülem verberabant. Exinde qui vicerat, veluti victus odio erat; & qui libertatem pepererat, tanquam libertatis proditor oculis notabatur. Iratus est autem Saül nimis, & displicuit in oculis eius sermo iste dixitque: Dederunt Dauid decem millia, & mihi mille dederunt: *quid ei superest, nisi solum regnum.* Non rectis ergo oculis Saül aspiciebat Dauid à die illâ, & deinceps: *Post diem autem alteram, inuasit Spiritus Dei malus Saül, & prophetabat in medio domus suæ: Dauid autem psallebat manu suâ, sicut per singulos dies, tenebátque Saül lanceam, & misit eam, putans quod configere posset Dauid cum pariete: & declinauit Dauid à facie eius secundò.* Hâc super re ita eloquenter philosophatur Basilius Seleucus: Dauid, inquit, adeptâ victoriâ, lenitatem immensam, quæque Prophetam deceat, ac morum facilitatem præ se fert. Iterùm enim rege Saüle furore percito, & mente alienato, Dauid lyram, quâ medicinam faceret, retractabat cantione vice medicaminis malum leniens. O Propheticam clementiam! non succenset inuidenti, non odia in memoriam reuocat, non punitus malè punitionem molitur.

1 Reg. 18 v. 1 .. & 11.

Alterum est quòd Saülis nequitiâ non superauit Dauidis comitas.

Basil Orat. 15.

Quid hoc loquor? ne quidem segniter lyram prehendis, sed tanquam benè merentem curaturus properabat, & contra Dæmonem Psalmum excitabat in auxilium: Verùm nequitiam non superabat comitas. Paullum enim à Dæmonis extu leuatus Saül, & aduersùm detersâ caligine in Dauidem, quem præsentem cognouerat, hastam etaculatus medicinæ pretium eadem obtulit. Scilicet Saül inuidiæ œstro exagitabatur in Dauidem, cui decem millia, illi mille tantùm publico cantu data sunt, quasi victoriale trophæum. Item à Dauide se de regno pellendum non leui metu, nec leuibus enutrito indiciis coniectabat: hinc in Dauidem Saül ferociebat, & tamen adhuc Basilius miratur, quòd Saülis *nequitiam non superabat* Dauidis *comitas*. Tanta ne vis inest, *comitati ad mitiganda imperia*, vt quantùm aduersarij præsentia inquietat, tantùm officiosa comitas delinire putetur? Nil præ inuidia arrogantes commouet: regnum conseruandum, Regnum velut numen est; & adhuc admiratur Basilius, quòd Saülis *nequitiam non superabat* Dauidis *comitas*? Quid exaggeratiùs de officiosa comitate, aut de comi vrbanóque obsequio dici excogitarive potest? Quasi aliena gratia sit comitatis peculium, vrbanitatis census, & obsequij stipendium. Artificium promerendi obsequium est.

Actorum 9. Saulus nuper vnus plures in Stephanum carnifex, adhuc spirans minarum ac cædis in Discipulos Domini, accessit ad principem Sacerdotum, & petijt ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas: vt si quos inuenisset huius viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem, præproperè in alienis vinculis è peruerso sua pro Christo vincula feliciter inaugurans. Et cùm iter faceret, suarum traditionum pertinacitet æmulator, contigit vt appropinquaret Damasco: & subitò circumfulsit eum lux de cælo. *Et cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris? Qui dixit: Quis es Domine? ait ille: Ego sum Iesus, quem tu persequeris .... Et tremens, ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere?* Sic rupeum è Iudaïsmo cor; sic Saulus, cui æs triplex circa pectus erat, vno verbulo mitigatur; Lupus dudum rapax, imbellis agnus iam est; Saulus nuper obstinatissimus, Paulus iam obsequentissimus fit; Quibusnã machinis Iudæorum arx labefactata & diruta est? Saulúsne iam Paulus? Rabbinorum ille peruicacissimus, factus est Euangelij alumnus, Doctor Gentium, & Ecclesiæ Magister? Quibus velut præstigiis facta hæc metamorphosis, fabulis propè simillima? O vera gratiæ facinora fabulas præ sublimitate æmulantia, sincerè infucatâ rei veritate, de Euangelistæ Lucæ indubiâ fide! Sed penitiùs scrutemur, quânam vi Sauli duritiam Christus fregerit, pertinaciam domuerit, & hanc synagogæ feram Euangelio cicurauerit. Ecquis neget id fuisse sublimioris gratiæ opus? Putásne acri, & violento Gratiæ impulsu humanum arbitrium adigente, aduncante, raptante, & ferè propellente; adeò vt vix, aut nec vix quidem (vt coaxat Caluinus, & aliæ de eodem cœno ranæ) libertas voluntatis seruetur integra? Bellissimè ad rem Hildebertus Turonensis, polito vir ingenio & eloquio, nec impari sanctitatis laude: *Officiosissima est hominibus Gratia Dei.* O quàm multa paucis compendio dedit Hildebertus! Non exertâ vi, non violento impetu. Gratia Dei ardua præstat facinora, quæ Ecclesia stupet, & vel Pagani admirantur: suauibus mulcet, blanditiis delectat, lenocinio trahit, arcanâ quâdam comitate permouet, & velut vrbanâ officiositate allectat, & vel obstinatorum mentes transuersum agit. *Officiosissima hominibus gratia.* Dudum mirabatur Basilius, quod Saulis *nequitiam non superabat* Dauidis *comitas*. cùm tãta sit comitatis, obsequij, & officiositatis vis, vt placidè mulcens Gratiæ officiositas Saulum mutarit in Paulum; & de obstinato Synagogæ Rabbino, Ecclesiæ Apostolum fecerit, Gentium Doctorem, & Christianæ sapientiæ & pietatis metam. Plura sibi inuidet bona, qui agrestes asperósque mores non mitigat, nec comitati & officiositati studet. *Officiosissima est hominibus Gratia Dei*; ne ergo illam transferas in mores planè inurbanos & incomptos. Multi enim (quos viros spirituales vocant) inconsultâ virtutis licentiâ, comitatem negligunt, & immodico pietatis zelo aduersus 3.

Actor. 9. v. 4. 5. & 6.

Gratia officiositate Sauli obstinatio vincitur.

Hildebertus Turo. Episc. epist. 33.

aduersus pietatem inurbanè delinquunt, *Isti ergo*, (ait Philo) *diuino quodam furore correpti, asperiores agrestioresque sunt effecti. Alij verò mitiorem ac leuiorem amplexati sunt sapientiam.* Hancamplexare de officiosissimæ gratiæ obsequio.

Philo de Nomin. mutat.

4. Geneseos 32. cis vadum Iacob, solus reman sit Iacob: & ecce vir luctabatur cum eo vsque mane. *Qui cùm videret quòd eum superare non posset, tetigit neruum fœmoris eius, & statim emarcuit. Dixitque ad eum: Dimitte me.... Respondit: Non dimittam te*, &c. Quę verba exponens Hebræus Philo, quo solet allegoriarum nubilo, victoriam (vt par est) tandem Iacobo tribuit, quà Deum vicisse in hâc luctâ repræsentatur. Verùm in hâc victoriâ omnibus seculis opinatissimâ, nescio quid inurbanum agnoscit Philo, Deo enim dicenti, *Dimitte me*, propè inciuiliter Iacobus respondit: *Non dimittam te*: quin & in fœmore percussus è luctâ euasit. *Atque adeò* (inquit Philo) *omninò congruit vrbanum & ciuilem Dei comitem esse.* Ecce illustris admodum victoria tantisper denenustatur, quia non valdè vrbanus & ciuilis in luctâ Iacobus exhibetur. Sic vel cum aduersario obluctante, tanquam cum *luctæ comite* luctator agere debet; Valido adnixu illum toto robore, & contentis viribus superare adnitatur; sed in reliquis vrbanus cum illo tanquam cùm amico comite ciuiliter agere militet; quò luctatorem suum non tantùm vi & robore, sed obsequio, & ciuili vrbanitate superasse videatur. *Atque adeò omninò congruit vrbanum & ciuilem* colluctatoris *Dei comitem esse* Nam comitas officiosa, obsequij artificio, pugnacem aduersarij hostilitatem mitissimè vincit.

Genes. 32. v. 25. & 26.

Omninò congruit vrbanū colluctatoris Dei comitem esse.

Philo lib. de Nomin. mutat.

§. XXXIX.

Præsentia candidati suspecta est ambitiosi lenocinij: absentia benemeriti consultiùs eligitur, & felicius præest.

1. Loco ignominiæ est apud indignum dignitas quæ & ipsum infamat, electorem culpat, & rempublicam euertit. Non eligant munera, sed merita: non adulationis obsequia, sed sapientiæ studia: non patrocinantis tempestiua sedulitas, sed benemerentis opportuna condignitas eligatur. Ambitio oculis officiosa, & obsequiorum matrix, non capit, sed rapit dignitates, & subiectos diripit. Sit Elector ad longinquos oculatior quos merita propinquos faciant, cæcus ad præsentes quos immerita ambitio frequens repræsentat. Persæpè consultiùs eligit memoria, quàm visus: hic negotiosâ diu ambitione propinquos; illa meritis suis contentos mauult. Parùm videt, qui nisi propinquos non videt. Perspicacia electoris longinquitates timeat, ne merita contemptu reprobet, & ambitionem dignitate sublimet, magno Reipublicæ malo. *Quede veces se heca mano para el puesto, del que esta mas cerca, no del que lo merece mas.*

Elector transeat præsentes, & rimetur absentes benemeritos.

2. Geneseos 1. cælo & elementis à Deo creatis, cùm vastum aquarum elementum terræ supernataret, præpropero terrenorum naufragio; Dei voce compulsæ, inhiatus terræ immensos aquæ vltrò recedunt, & in mari stagnant, & in omnibus discurrunt. Tunc ingens terrarum dorsum, limo suo detersum apparet: mox floribus vernat, amœnitate floret, herbaceo virore nitet, & lætis fructibus autumnat, & topiarias vbique delicias latè ostentat. *Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignúmque faciens fructum. Et vidit Deus quòd esset bonum.* Hæc tertiâ die. Et protinùs die quartâ cæli eousque rudes, sydereis astris adornantur; & Soli, & Lunæ, diei ac noctis præsidentia assignatur. Hærent hîc Interpretes, eccur ante cœlum terra adornetur? An non cælum naturæ præstantiâ terram excellit? An non creationis etiam suffragio, cælum terræ antistat? An non empyteo Deitatis solio propinquius est cælum? Quare sic festinat Deus, vt terram adornet, & tantâ dignitate sublimet? Bellè Anastasius Sinaita: *Congregetur aqua, quæ est sub cælo in congregationem vnam: & appareat arida, & vt ante cælum ornetur arida.* O consultissimam Dei prouidentiam, ab humano consilio longè peregrinantem! Scilicet ab empyreo augustæ Deitatis solio, longinquior est terra, cælum propius; nequis ergò imperitè censeat, Deum humano more mundi rempublicam gubernare; tametsi cælum & naturę præstantiâ, & creationis origine terram præcellat, priùs adornat, & congruâ dignitate remotiorem ab empyreo terram venustat: exinde propinquiores cælos, & siderum ornatu, & præsidentiæ dignitate sublimat. Itaque à mundi exordio præmaturè præcauet, nequis præsumat de Principis propinquitate sublimari, propinquos cælos præterit, & longinquam (antropopathôs loquimur) terram priùs adornare festinat, ne candidatorum præsentia, dignitates haurire videatur. Oculatior est Dei prouidentia, vt velut loco magis propinquos, priùs videat, potiùs eligat: remotiora eligantur, vt consultior Dei prouidentia vindicetur, quam humana æmuletur electorum prudentia. Exinde aquas, quæ sub cælo sunt, congregare festinat, & vt appareat Arida siccitate congruâ temperata, *vt ante cælum ornetur Arida.*

Genes. 1. v. 12.

Terra cælo velut remotior, priusquàm cælum, ornamenti dignitate sublimatur.

Anast. Sinaï. lib. 3 Hexaë.

3. De huius consultæ prouidentiæ gymnasio, Sol siderum rex, edoctus, similem ad modum cælestis regiminis politiam seruat: *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei: & luminare minus, vt præesset nocti: & stellas.* Vetus quæstio est, quare Sol dicatur *luminare maius* adspectu etiam ad Lunam? an quia eam ampliori lucis lampade longè superat? Aliam rationem ex communi interpretum, & astrologorum sententiâ, Iunilius assignat: *Luminare,* inquit, *maius est Sol, non solum formâ sui qualiscumque est corporis, sed & magnitudine luminis: quia & ipsum luminare minus, & stellas illuminare creditur.* Verè docet Iunilius, Lunam lucendi splendores & dignitatem à Sole fœnerari, vt noctis præsidentiâ fulgeat, sed ad alia festinus transiens, explicare omittit, quo modo Sol, astrorum Princeps, Lunę lucendi dignitatem communicet. Suppleat è prophanis quispiam, quod in re Philosophicâ Iunilius omisit, sic limatulè ad rem fatus: *Luna Solis æmula, noctis decus, seu corniculata, seu diuidua, seu pertumida, seu plena sit; varia ignium face, quantò longiùs abit à Sole, tantò largiùs illuminatur, pari incremento itineris, & luminis,* &c. O Solem, præclarum cæli decus, siderum Principem, & consultioris Dei prouidentiæ, in re politiæ æmulum! In se nunc exprimit, quod de diuiniori regimine nuper didicit: dum lunare sidus, non cùm adest sibi propinquum, sed

Genes. 1. v. 16.

Iunilius ibi.

Luna dum longius abest à Sole, eò præclarior redditur.

cùm

cum magis à se recedit, splendidè illustrat, pari incremento itineris, & luminis. Adeò vt *quantò Luna longius abit a Sole, tantò largius illuminetur.* Quasi propinquitas sit dissimulatæ ambitionis suspecta, Sol de Lunæ absentia eius condignitatem extimat; & de longinquitate dignitatem lucendi Luna negotiatur, quę præsens illuminari non meruit. Nemo putet, cœlestium siderum Principem, sibi propinquioribus prælucendi dignitatem impertire; de absentia taxantur dignitatum merita, isque dignior agnoscitur, qui remotior inuenitur. Inde Luna se absentat, vt gloria præsidentiæ fulgeat, pari incremento itineris quo recedit, & luminis quo illustratur; vt quod præsentia negat, absentia nullius lenocinij suspecta, negotiosiùs pertractet. O vtinam non iners, sed otiosa absentia in benemerito actuosa foret candidatorum ambitio, quæ neglectu dignitatem acciperet, quam præsens & sedula negotiatio capit. Cœli politia hæc est, terris æmulatione suspicienda. Quid intueris præsentem ambitionem, larua virtutis dissimulatam, & merita verè mentientē? Rimetur Electoris perspicacia, benemeritum de absentia inambitiosum, quem dignitatum fastigia exambiunt. Tobias hîc Vers. 6. frequens adeat Ierosolymitano templo, & summi Dei augusto solio. At captiuus indè abducitur, & in Assyriam procul deportatur, vt regio Assyrij Monarchæ munere sublimetur, quod traditur Vers. 13. & 14. in Vulgato, & explicatiùs in Græco textu, quasi velut absentia benemeriti, sit pia dignitatum ambitio, ad diuinæ prouidentiæ auctarium, & humani regiminis ideam: Sic terram priùs adornauit, quàm cœlum: & Sol quātò à Luna longiùs abest, tantò largiùs illuminatur, pari incremento itineris, & fulgoris.

Hic vers. 13.

4. Ruth 2. v. 20. P. Mariana ibi *Propinquus dicitur Hebraa phrasi, Redemptor.*

Ruth. 2. mulier alienigena vili spicilegio nobilis; satis liberaliter à Booz excipitur. Cui gratanter respondet socrus Noëmi: Benedictus sit Booz à Domino: quoniam eandem gratiam, quam præbuerat viuis, seruauit & mortuis. Rursumque ait: *Propinquus noster est homo*, loco *Propinqui*, P. Mariana ex Hebræo textu, *Redemptor* exscribit. Heu apud Homines, quisquis *Propinquus* est, *Redemptor* nominatur, & velut *Redemptoris* munia erga propinquos obit! ô quàm multa vno verbo Translator exscripsit!

5. *Dum Dauid procul abest in pascuis, Deus in cælo super regno consilia cogitat.* 1. Reg. 16. v. 12.

1. Regum 16. pertæsus Saülem Deus, de Israëlitici regni successore cogitat: & intermittens populi Summates aulæ & principatui adsuetos, Samuëlem mittit ad Isaï Bethlehemitem, hominem rusticanum ac tenuem, vt ex eius filiis Regem inungat. Adsunt Prophetæ septem ex ordine filij & omnes tanquam reiectaneos Deus respuit. Dixitque Samuël ad Isaï: Numquid iam completi sunt filij? Qui respondit: Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues. Et ait Samuël ad Isaï: Mitte, & adhuc eum. *Misit ergò & adduxit eū.. Et ait Dominus: Surge, vnge eum, ipse est enim.* O sapientiam immortalem! ô arcanam electorum ideam! Absentem Isaï familiam mauult Deus, & ex ea filiorum postremissimum eligit, à domo paterna, imò à patris memoria propè absentem in remoto pascuorum recessu. *O res mirabiles!* (inquit Basilius Seleuciensis) *Dauid cum ouibus subdiuò agit, & Deus in cælo super regno consilia agitat. Dauid gregem pasci sollicitus; Deus interim thronum apparat.* O bonam Dauidis ambitionem actuosè inertem! Aulæ abest, absentatur siluicola, in pascendis gregibus totus, in aula nemo: non fatigat electoris limina præsenti sedulitate; sed de fratrum minoritate, de rustico gregum commercio, de incogitata negotiatione, *Deus, interim thronum apparat.* & dum velut hominum exgrex, cum ouibus agit, *Deus in cælo super regno consilia cogitat.* O Dauidem exemplariter candidatum, qui negotiatione peruersa dignitates captat! ô piam Dauidis ambitionem, qui absenti desidia, & inerti sollicitudine, dum longiùs absentatur, propiùs ad regnum inuenitur. O sic ad dignitates festina, fugitiua dignitatum ambitione, & actuosa sollerter absentia! Porrò præsentia candidati suspecta est ambitiosi lenocinij: absentia benemeriti consultiùs eligitur, & feliciùs præest.

Basil. Seleu. Orat. 14.

---

§. XL.

Opulentia, egestatis subeunda arbitrium est, & egestas, opulentiæ stipendium.

1. Seneca lib 7 de Benef. c. 10.

SI diues quicquid habet, ei quod cupit comparet, pauper est. O te miserum quem delectant voluntaria mala, ex constitutione nostra prodeūtia; in quibus nihil est, quod subiici oculis, quod teneri manu possit, fugitiua sunt inanis auaritiæ somnia. Ille, ille quidem, ingentis animi est, qui diuitias circumfusas sibi, multum diuque miratus quòd ad se venerint, suas audit magis quàm sentit. *Magnus est ille, qui in diuitiis pauper est; securior qui caret diuitiis.* Quicquid nobis bono futurum erat, Deus & parens noster in proximo posuit. Non expectauit inquisitionem nostram, & vltrò dedit, dabitque: nocitura altissimè pressit, ne cum diuitiis sollicitam egestatem effodiamus. Nihil nisi de nobis queri possumus. Ea quibus perimus, & opulentè pauperes sumus, nolente rerū natura, & abscondente, protulimus. O quam diues est, qui cum nihil habeat, paternam Dei prouidentiam sibi velut vectigalem fecit! Diuitiarum egena inconstantia, inopiam augurat. Magnus census est inopia, de paterna Dei prouidentia diues. O quàm securus viuit, qui bona quæ Dei sunt, mauult non per se, sed dispensante sibi Deo, possidere.

Securior est, qui caret diuitiis, quàm qui copiosè abundat. Idem Epist. 20.

2. Lucæ 15. v. 12.

Lucæ 15. Homo quidam habuit duos filios: & dixit adolescentior ex illis patri: *Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et diuisit illis substantiam.* Quantum pius pater, tantùm hæres impatiens, qui patris fatigabatur ad opulētiam, ad proprios vsus eius nititur deriuare substantiam; & ea quæ patris erant, noluit possidere cum patre. Id proculdubiò filium rapuit ad hos ausus, & ad impudentem petitionem erexit. Sed cur tam indecoram, & petulantem petitionem, pater pius no refutauit abnutu? An, ne petitione offensus, aliquid offensori negaret? Quod innuere videtur Rauenatis Præsul, aiens: *Huius petitionis offensam, genitoris largitas comprobauit.* Nempe largitate acriùs punit iniuriam, quam negatione indulgentiùs negligere videretur. *Et diuisit*, inquit, *illis substantiam suam.* Sed quare petente vno, ambobus totam substantiam mox diuisit? *Nempe, vt scirent filij, quod ante tenebat pater, non fuisse auaritiæ, sed amoris: prouidentiæ, non inuidentiæ, non dedisse.* (Addit ad rem eleganter Chrysol.

Sua largitate aliquando homines punit Deus.

S. Chrysol. Ser. 1.

Chrysologus) *Tenebatur pater seruare substantiam filiis, non negare, & manere eius pignoribus cupiens, non perire.* Nimirùm pius pater seruabat apud se filiorum substantiam, ne illa donata filiis periret: retinebat filiorum hæreditatem, ne donatione exhæredaret, & diuitiis depauperarentur. Quid defuit Prodigo adolescenti, dum in paterna domo nihil habebat, totus pendulus à prouidentia patris? Annon prædiuite hæreditate accepta, postmodùm *cœpit egere*, squalidum porcorum cibum hiare, & fame perire? Dū nihil habebat, omnibus abundabat: dum omnibus abundare videbatur, nihil habuit, omnibus vacuus, fame macilentus, & dira oppressus mendicitate. Ergò pius pater, dum filiorum seruat substantiam cupit eam *manere filiis, non perire.* Sit totus opum census penes patrem, nequid filius deliti nihil habeant, ne aliquo indigeant, hæreditatem non capiant, ne acceptione hæreditatis exhæredari videantur. Vnde *petitionis offensam genitoris largitas comprobauit.* Depauperetur acceptis diuitiis, qui paupertate diuitem esse recusat.

Filius prodigus paterna accepta hæreditate quodāmodò exhæredatur.

3\. Matth. 6. v. 31

Matthæi 6. hanc solemnem orationis formulam Christus Deus Ecclesiæ præscribit: *Pater noster*, qui es in cœlis: sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra. Et addit, vt indigentiæ humanæ prouidenter indulgeat: *Panem nostrum supersubstantialem* (aliàs *quotidianum, præcipuum, egregium*) *da nobis hodie.* Fructuosus locus: agitur enim de pane nostro: sed & verborum obscuritate difficilis, & interpretationum varietate implicatus. Non enim aptè videtur cohærere: *Panem nostrum da nobis.* Nam vt pulchrè aduertit incertus Chrysostomus: *Illud petitur, quod interim non habetur: quod autem possidetur, vt quid adhuc requiritur?* Insolens enim est & superuacuum, vt roget quis interim habere, quod habet: negátque preces, dum precatur, quod etiamsi non deprecetur, ipse præhabet. Vbi tunc repulsæ, vbi gratiæ locus, si quis habet, quod postulat? Quomodò ergò non inidoneè dicere orando possumus: *Panem nostrum da nobis hodie?* Argutum hoc dubium vigit S. Gregorius, re & nomine magnus, & sic illud intentat extricare: *Ecce & nostrum dicimus, & tamen vt detur oramus: noster quippe fit, cùm accipitur, qui tamen Dei est, cùm ab illo datur.* Bellè quidem Gregorius, sed eius verba ad aliud thema enucleatiùs expendemus. Teneo interim ex Gregorio: *Ecce nostrum dicitur, & tamen vt detur oramus*, quasi foret alienum, nempe *patris*: quod dulce & beneficum verbum in auspicio huius orationis præmittitur. Quasi dicat. *Pater noster, panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Scilicet cùm filiorum substantia securior sit, tutiúsque seruetur in patris potestate, quàm in ipsorum possessione & manu; (quod filij Prodigi nuper experientia docuit) quotidianus victus, quem Deus iure *patris* mihi præbere quodammodò tenetur, meum appello; quia ius filiationis illud meum fecit: sed adhuc à *patre* illud peto, vt eiusmodi petitione tester, me quod alienum est petere. Vellem etiam cum datur, & victu insumitur, vt non tam meum, quàm patris reputetur. Non peto totam substantiam, vt Prodigus adolescens, qui hæreditate exhæredatus fuit; sed quotidianum panem, & ad vnam duntaxat dieculam peto: *Panem quotidianum da nobis hodie.* At cùm etiam tam parcè quod meum est, peto; tunc, tunc quoque testatum volo, quod illud quod accipio, *patris* est. Scio quod in manu filij depauperatur substantia, quæ in prouidentia patris opulentè seruatur: exinde precor in dies quotidianum victum, vt etiam dum quod meum est accipio, patris adhuc esse contester, dum petitione profiteor alienum: nam *quod possidetur, vt quid adhuc requiritur? Ecce* quo modo *& nostrum dicimus, & tamen vt detur oramus.* Porrò ei, qui nihil habet, paterna Dei prouidentia velut tributaria est, & indigentia quasi diuitiarum stipendium. Voluntaria paupertas, & inopia sponte coacta, de diuinæ prouidentiæ thesauris diues est, & omnipotentiæ diuitiis opulenta. Quod expertus est Tobias hîc vers. 13. &c. qui patriæ exul, bonis paternis expoliatus, & captiuus barbaricè ab luctus; de paternæ Dei prouidentiæ censu vberiùs ditatur, quàm si tu patrio solo, & auita domo inter suos moraretur. O, eme vili paupertate superbas diuitias!

Greg lib. 33. Moral. c. 5. Panem nostrum dum petimus, petitione profitemur esse alienum.

Imperf. homil. 15 in Matth.

Hîc v. 13.

4\. Iob. 22. v. 25.

Iob. 22. his verbis Eliphaz Themanites orationem suam amplificat: Si reuersus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis. Dabit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos. *Eritque omnipotens contra hostes & tuos, & argentum coaceruabitur tibi.* Magna in his verbis varietas translationum inuenitur, quas eruditè adducit & expendit noster Pineda: inibi Caietanus exscribit. *Erit Sadai in thesauros tuos*, Quid est, *In thesauros tuos?* An Omnipotentia erit erga *thesauros*; an potiùs aduersus *thesauros tuos?* Vatablus legit: *Aurum tuum erit Omnipotens.* O diuitiarum olim & nunc Omnipotentiam! Sed forsan ipsum aurum, aut opulentia dicitur *Omnipotens* vel in præmium opulentiæ benè acquisitæ & expensæ, vel in acerbam punitionem aduersus male parta, & peius coaceruata. Ipsa opulentia, *omnipotens* sui punitio est, & diræ egestatis arbitrium, quod Aurelius Cassiodorus limacè his verbis edisserit. *Auaritia tali sorte punita est, vt cùm multa rapiat semper egeat.* Tam deest auaro quod habet, quàm quod non habet. Opulentia sibi velut omnipotenter aduersa est, & aurum tuum aduersus te omnipotens, dum additione arcanè minoratur; dum plus reponis, minùs inuenis; dum sollicitius coaceruas, festinantiùs elabitur & intestino mulctatur supplicio, quandoquidem opulentis diuitiis egestatem accumulas. *Auaritia tali sorte punita est, vt cùm multa rapiat, semper egeat* & qui est vberioris opulentiæ thesaurus, fit pauperioris egestatis arbitrium. *Aurum tuum erit Sada* (id est, *Omnipotens*) *in thesauros tuos.* Porrò opulentia, egestatis subeundæ arbitrium est & egestas opulentiæ stipendium. O omnipotenter arcanam auaritiæ punitionem! ô paupertatem abundè opulentam!

Pineda ibi. Caietan. Vatablus.

Aurum auro omnipotente minuitur.

Cassiodorus l. 4. epist. 39.

5\. *Adeò est fructifera egestas, vt ex eo quod illi deest, largiùs donare possit.*

Lucæ 21. respiciens Iesvs vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophylacium, diuites: vidit & quandam viduam pauperculam mittentem duo æra minuta. Et dixit: Verè hæc vidua pauper, plusquam omnes misit: Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: *Hæc autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum, quem habuit misit.* Non facile expediunt Interpretes quomodo hæc paupercula vidua Deo donare potuerit *ex eo quod deest illi*; S. Cyrillus ita locum percommodè exponit: *Quæ quotidie per aliena poscit suffragia, Deo donat; ostendens ei suam paupertatem fructiferam.* Inopiæ superest, quod Deus offerat. Adeò *fructifera* est pauperior egestas, vt ex eo quod egeno deest, opulentiora, quā diuites,

Luc. 21 v. 4.

S. Cyrill. apud Catem. ibi.

munera

munera vel Deo ipsi largiri valeat; Aurum auro omnipotenter minuitur; paupertas verò opulenter diues est egestate sua. Itaque egestas opulentiæ stipendium est; & opulentia egestatis sequela: quippe quæ *ex eo quod dee.t illi*, opulenta præ diuitibus donatiua offerre eualet.

---

§. XLI.

Qui meretur Dignitatem, etiam Dignitate viduatus, Dignitatis possidet solium.

1. Senec. Epist. 74. *Ne laus sit suadela, sed sequela virtutis.* HAbet hoc vitium omnis ambitio, non respicit: nec ambitio tantùm instabilis est, verùm cupiditas omnis: quia incipit semper à fine. At virtus honestum, & laudabilem semper finem spectat, sed à meritis incipit, vt illum tandem assequatur: nec mouetur, si debitis ad merita laudibus frustretur, meruisse contentus. Laudes enim & præmia, non quasi operandi suadelam audit, sed tanquam operis sequelam videt. O quàm nesciunt homines, humanæ gloriæ riuales, quid illa sit, & quemadmodum comparanda. Vera gloria, non populari acclamatione, sed acclamationis merito constat. O quàm magnificum est, non laudari, & esse laudabilem! Sat tibi victoriatum est, si victoriæ gloriam meruisti: vera enim dissimulanter merita, condigna erigit in conscientia trophæa; eò opulentiora, quò sunt minùs obuiis spectatorum oculis exposita, neque enim tunc humanus plausus, virtutis furacissimus, merita laudibus arrodit, dum virtutis solidæ vanam gloriam prædicatione negotiatur. O semper illud verum: Meruisse satis. Hoc virtutis est, illud fortunę. Quod autem fortuna dedit, auferre potest.

2. 2. Regum 12. Dum Rex Dauid cum venusta Bethsabee luxuriatur egregiè, strenuè pugnat Ioabus aduersus Rabbath, regiam Ammonitarum vrbem, & Ammonitidis metropolim. Variis præliis feliciter hostes fatigauerat: nec modò debilitarat, ac penè dimicando fregerat; sed dura obsidione cinctis spem omnem importandi commeatus ademerat. Ipsi autem malè saucij, famè lassi, siti æstuantes, tantùm non penitùs deuicti erant. Igitur pugnabat Ioab contra Rabbath filiorum Ammon, & expugnabat vrbem regiam. *Misitque* 2 Reg. 12. v 27. & 28. *Ioab nuncios ad Dauid, dicens: Dimicaui aduersum Rabbath, & capienda est vrbs aquarum. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside ciuitatem, & cape eam: ne, cùm à me vastata fuerit vrbs, nomini meo adscribatur victoria.* Congregauit itaque Dauid omnem populum, &c. Sibine Ioabus victoriam inuidet post tot bellicas laudes? & tanta gloria ambit nobilitare Dauidem? Ioabi laboribus, Dauidis triumphabit otium, de aliena fidelitate coloratum. Sed trutinanda sunt Scripturę verba, ad rem pręsentem in paucis idonea: *Dimicaui*, inquit, *aduersum Rabbath*, id est, adeò debilitati sunt præsidiarij milites, à me crebris præliis malè concisi, quòd propè est, vt vrbs expugnetur. *Dimicaui*, inquam, *aduersum Rabbath, & capienda est vrbs aquarum.* Audiendus

Quomodo Ioab Dauidi suggerit, vt capiat vrbem quam ipse Ioabus iam cepisse dicitur.

Abulens. ibi. q. 27. est Abulensis sic peritè scribens: *In Hebræo dicitur: Cepi vrbem aquarum. Sed nunc obiicitur, quòd si capta erat, quomodo mittebat ad Dauid, vt caperet eam?* Faceta equidem fabella in re admodùm seria. Ita enim Ioabus ad Dauidem scribit: *Cepi vrbem aquarum. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside ciuitatem, & cape eam: ne, cùm à me vastata fuerit, nomini meo adscribatur victoria.* Nugatur-ne Ioabus? an Dauidi tunc voluptuosè otianti illudit egregiè? Si ipse *Vrbem cepit*, quomodò nuncios mittit ad Dauid, vt nouum faciat delectum, & ingentibus copiis denuò collectis, obsidioni præsens adsit; ne ipsi Ioabo, sed Dauidi ipsi victoria adscriberetur? Opinor, quòd si Dauid captam à Duce suo ciuitatem capit, actum aget. Nisi fortè dum Rex captam à Ducibus suis vrbem, vectigalibus grauat, & tributis nimis onerat, iterum capere, aut vastare vrbem putatur. Verùm enimuerò cùm militaris Ioabi sedulitas, peritior industria, & sudor bellicus, pertinaci obsidione ad eas vrbē redegit angustias, vt ad nudum eā capere, & expugnare posset, quantùmuis victoriam à se alienet, & Regi tribuat; attamen victoriæ gloria minimè fraudatur: Ioab tot præliorum merito *Vrbem cepit*; & adhuc eam Dauidi obsidendam, & capiendam relinquit. O pulchra synonyma! *Cepi vrbem, & capienda est Vrbs.* Obside ciuitatem (ait ad Dauidem) & cape eam, vt ruæ gloriæ eius excidium adscribatur: at quia eam iam capiendam obtuli, iam ego *Vrbem cepi.* Vrbs præliorum meritis à me capta, per me à te capiatur, & nomini tuo adscribatur victoria. Ego victoriæ gloriam meritis generosè delibaui, tibi popularem gloriam victoriæ propino. Vrbem, quæ à te capienda est, ego iam cepi. Tu erige in campis trophæa, quæ ego in conscientia sumptuosiùs erexi. Meruisse satis. Nemo ergo cum Abulensi *nunc obiiciat, quòd si capta erat, quomodo Ioab mittebat ad Dauid, vt caperet eam?*

Matthæi 24. de horrificis signis, quæ finale mundi iudicium præcedent, ita CHRISTVS fatur: 3. Matth 24. v. 29. *Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo.* Sol tunc atratus, luctuosis mundi funeribus inuisus aderit; aderit obscura tunc Luna, vt cæcis tenebris horror finalis iudicij exaggeretur. At quam ob rem quando Sol, & Luna, tametsi lumine suo viduati, cœlo adhuc hærebunt; stellæ e cœlo *cadere* dicuntur, An non satis foret, vt cum Sole, & Luna pariter infuscarentur? Quid est, quòd quando districtioris iudicij examine, cuiusque merita examinantur, Sol, & Luna, licet lumen suum dissimulent, adhuc in cœlo fixi manent: stellæ autem præcipiti lapsu ad terram vsque ruunt? Anastasius Sinaïta ad illa Geneseos verba: *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei: & luminare minus, vt præesset nocti: & stellas. Et posuit eas in firmamento cæli*, ita loquitur (an litteraliter, allegoricè, ant anagogicè, non discutio) *Per occultum*, inquit, *mysterium, stellas quidem per iussum Deus creauit in firmamento: Solem autem, & Lunam cùm per se super terram, tanquam Adam, & Euam esset fabricatus, posteà eos in altum sublatos posuit in firmamento.* Nempè Solem, & Lunam in terris, tanquam Adam, & Euam, acsi forent meriti capaces, (mysticè loqui videtur Anastasius) creauit Deus, inde eos in cœlum transtulit, velut eos cœlesti sede muneris. Ergò stellæ, quæ sine vllo in terris merito, in cœlis creatæ, cœlestes possident thronos; cùm tempus districtioris iudicij adest, protinùs è cœlo ruunt: *Stellæ cadent de cælo.* At mysticus Sol, & Luna, & qui merito suo cœlum possident etsi lucendi præsidentia viduati, adhuc tamen cœlesti potiuntur

Cadunt cælo stellæ, quæ sine merito cælum possident.

Gen 1. v 16. & 17. Anast Sina in Hexaëm, lib 4.

potiuntur solio. Cum luce præsident am amittunt, sed adhuc præsidenti sede sublimantur. E sublimi cœlo cadent stellæ, quæ absque vllo merito cœlum possidebant. At mysticus Sol, & Luna etsi præsidentiæ luce orbentur, manent tamen in sublimi præsidentiæ loco, (qui à meritis in æuum perennat) contenti meruisse. E cœlo cadet, qui quod non meretur, obtinet; Etsi priuetur lucendi dignitate, qui illam meretur, adhuc folium dignitatis moralissimè possidebit; In re mystica docet Anastasius, quod ethicè homines
Hic v. 13. perdiscant. Ecce tibi Tobiam hîc vers. 13. hominem captiuitate obscurum, apud Regem, prælustri dignitate sublimem: quam posteà etiam in communi æstimatione semper retinuit, meritis gerens dignitatem.

4. Hinc pulchra illa Theodorici apud Cassiodorum sententia cùm enim Quæstor eligeretur quispiam doctrina, integritate, & prudentia, tanto Muneri non impar, hæc verba ad illum scribit Rex: *Dignitas* (scilicet Quæstoris) *quæ nec diuitiis, nec solis natalibus inuenitur: sed tantùm eam doctrinæ cum coniuncta pote? impetrare prudentia. Nam licet in honoribus aliis beneficia conferamus, hinc semper accipimus.* Itaque quando Princeps Dignitatem præbet, aut prænobili, aut diuiti, illum Munere auget, & nobilitat, illustréque beneficium illi præstat. At quandò Dignitas tribuitur viro prudenti, & erudito, dum ille Dignitatem acceptat, Elector beneficium accipit: nec tam benemeritus augetur Munere, quàm Munus benemerito qui inde beneficium præstat, vnde credi poterat accepisse. *Nam licet in honoribus aliis beneficia conferamus, hinc semper accipimus.* Et mox addit Cassiodorus, qualis debeat esse Iudex: & quare Dignitatem acceptans, beneficium Principi donet. Vnicuique propria iuri custodiuit, Pecuniæ continens, æquitatis profusus, nesciens decipere, promptissimus subuenire: ingenio Principis seruit, qui vniuersa superat: *illius ore loqui cogitur, cui nullus similis inuenitur.* O quanta breui strinxit calamo Cassiodorus!

Cassiod. lib. 5. epist. 4.

Beneficium accipit, qui benemerito minus detulit.

§. XLII.

Nulli faciliùs efferuntur, nisi quos inopinati honoris culmen extollit.

1. AGricolis pergratum est cernere spicas deorsùm inclinatas, & benè nutantes (quæ enim ob leuitatem nimis sursùm excrescunt, inanes, & euanidæ censentur) ita vani quique homines nil habentes virtutis solidæ, & plenæ grauitatis, elatiori animo efferuntur, & in habitu, incessu, vultu, nictu, sermone, nutu, renutúve, nil nisi merum fastum, aliorumque præ se contemptum produnt, quasi de inanitatis suæ conscientia, pleni sint. Arrogantia, nuper humilium nota est, & nothus ignobilium character. Homo nouus auitam retrò vilitatem desuescere festinans, arrogantiùs effertur, & suprà retrò Procerum fastigium eminere gestit, cognato arrogantiæ fastu. Sicut diù nobilis, magnitudinis suæ securus, hasce vanæ gloriæ nugas contemnit; ita qui è vilitatis squalore recens emersit, spumosa arroganter elatione suprà reliquos gloriosiùs enatare præsumit, adeò vt elatior superbia, sit ignobilitatis appendix, & pristinæ dudum vtilitatis stipendium. De huiusmodi

Elatior arrogantia, vilitatis nuper inhonera appendix est.

hominibus nuper abiectis, iam opibus, aut Muneribus auctis, non sine felle dixit Saluianus: *Vides à quibusdam infelicissima vanitate inuestigari quosdam nouos, ac nobiles propinquos: videas incognitarum agnationum pudenda nomina, & recentum, ac prapotentium affinitatum ridicula commenta, cùm dicit quis de aliquo subitaneo propinquo,* &c. *Et hoc maximi, aut locupletes, aut nobiles, aut honoratos, & qui nisi potentes essent, parentes* (cognati inquam) *forsitan non fuissent.* Itaque omnis arrogantia sui proditrix est, dum antiquam vilitatem in se retrò inscriptam, obuiis spectatorum oculis sic potiùs legendam ostentat. Miraculum Gratiæ fuit, vt Tobias nuper captiuus egenus, & vilis, regia familiaritate auctus, & opulentis honoratis locuples, captiuos contribules suos agnoscat, agnoscatur ab eis, cum eis familiariter beneficus conuersetur; nec suprà hominis captiui fastigium arridentis sibi fortunæ fastu elatus, arroganter sapiat.

Saluia. Massil lib. 3 ad Eccles.

Hic v. 13.

2. Dauid filiorum Isaï postremissimus, cum ouibus sub diuo agit, & Deus in cœlo super regno consilia agitat. Dauid gregem pascit sollicitus; Deus interim agresti puero thronum solicitiùs apparat Eius enim mores Deus, vel in medio grege honorans, regiis ornat sceptris, & magno Samuele pueri confirmandi causa ministro constituto, oues adhuc sequentem regio chrismate inungit; & diademate coronat: peram purpura, virgam sceptro commutat, ac pro brutorum animantium grege, electas Israëlis turbas pascere iubet. Huic igitur, huic, inquam, doctrinæ vacemus, atq; humilitatem discamus inoffensè honoratam. Itaque Dauid rustici opilionis filius, pascendis gregibus à pueritia adsuetus, derepentè Rex proclamatus, dum veniam anxiè postulat innocentis sanguinis lasciuè effusi, cruenta adhuc scortandi libidine, quò Dei benignitatem alliciat, anteactæ vitæ merita consultissimè allegat. Et vide mihi, inter tot consummatæ olim virtutis elogia, quodnam in primis meritum placendo Numini ob oculos proponat? O quot, quantáque virtutum nuper facinora allegare obuium erat! *Domine*, inquit, *non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me.* Papæ! quam cæcè peccatorum oculi caligant! Nullum aliud Dauidicæ menti occurrit sublimiùs meritum, quā quòd eius cor nunquam pulsauit exaltationis ambitio, nec arrogantiæ superba elatio, eius perstrinxit oculos, aut animum ambitiosè titillauit. Fortè è memoria peccando exciderāt tot illustria retroactæ vitæ facinora, quibus diuinum olim amorem generosè sauciauit; Magna oblitus, hæc modica gloriosiùs allegat; Audiendus est ad rem præsentem Zeno Veronensis huius Dauidicæ sententiæ argutus interpres: *Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me. Et quo modo tanquam bonum opus de se Propheta profert, quòd in magnis, & in mirabilibus non ambulet? Sed cùm addit super me, in his non ambulat, quæ hominum mirabilia, & magna creduntur.* (Attentiùs trutinanda sunt verba, quæ subdit, vt claretur, & appareat energia illius sententiæ, *Super me,* in qua stat huius ratiocinationis acumen) *Dauid enim Propheta, & rex, humilis antè, & abiectus, neque conuiuio patris sui dignus, sed Deo complacuit. Vnctus in regem: aspiratus est in Prophetam: non insolescit in regno. At cum addidit, super me, ostendit nunquam se elatum fuisse, cum posset nullo enim*

Nuper abiectus, in mirabilibus super se ambulare præsumit.

Psalm 130. v. 1. & 2.

Zeno. ser. 2. in Psal 130.

enim facilius efferuntur, nisi quos inopinati honoris culmen extollit. Scilicet vulgare videtur & ordinarium, vt nemo ambulet in mirabilibus super se: quis enim quantumuis adsurgendo audeat, pedibus suis proculcare potest, quæ adhuc suprà se sunt, & quæ vix assurgendo eualet sūmo attingere vertice? Infima vestigiis terimus, & quæ intra nos sunt, pedibus conculcamus; non quæ adhuc supra nos sunt, & vltra caput nostrum excelsa. Verùm enim verò cùm Dauid *humilis ante, & abiectus* esset, opilionis filius minimus, neque cōuiuio patris sui dignus; ex inopinato dum *vnctus in regem, asciratus in Prophetam, non insolescit, nec in mirabilibus super se ambulare* præsumit; hic, hic, inquam, est gratiæ fastus, & prælustre virtutis miraculum, quod in re meritorum generosè peregrinatur. Insolēs, imò impossibile est, quòd quis in mirabilibus super se ambulet, & pedum vestigio conculcet quod supra caput est. At quod greges sequētem corona quærat, quòd opilionem diadema coronet, quòd rusticano tugurio regium palatium succedat, quòd pera in purpuram, virga in sceptrum commutetur; eos arrogantiæ spiritus afflare solet, vt miraculi adinstar sit, vt præ fastu insolescens, non *ambulauerit in mirabilibus super se*: & quod verticè vix attingere assurgendo eualet, sub pedibus habere, & arrogāter proculcare non præsumat. Sic nuperrimus honor de antiqua abiectione peruersè insolescit! O peregrinum Dauidis meritum, qui agrestē pastoris solocem in Regia purpura nunquam exuit! O bonam de humilitatis miraculo allegationem! *Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me, Ostendit nunquam se elatum fuisse, cum posset: nulli enim facilius efferuntur, nisi quos inopinati honoris culmen extollit*: quasi recens honor sit arrogantiæ ius, & superbiendi licentia.

3. Iob. 3. v. 6. Iobus cap. 3. quò calamitatis suæ acerbitatem explicatiùs euulgEt, ne si tacitus illam decoquat, insensibilis forsan haberetur in hasce funestas erupit voces, quibus natiuitatis suæ noctem incusitat: Pereat, inquit, dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est: Conceptus est homo. *Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus*, &c. Infausta Iobus huic nocti durè adprecatur, & dira quæque confertim addensat. Sit, inquit, nox illa *solitaria*, Græcè *sit dolor*, neque aliquid laude dignum in illa vnquam appareat, sed crebris hominum maledictis perpetim infametur; & continuis expectatæ, nec vnquam aduentantis, auroræ spebus discrucietur, tenebricosóque turbine æternùm cæcè caliget. Sed quid est, quod cū obscuram de se noctem tot exoptatis caliginibus densiùs obtenebrarit, velut inconsideratè hoc excidit verbum? *Non computetur in diebus anni.* Profectò nox non inter dies, sed inter noctes cōputari solitat. Ecquis obscuram Noctem in fulgentium dierū serie commemoret? Opinor, clara diei lux, obscuræ Noctis tenebras, de consortio etiam recensitionis fugabit: nec præcuntem, subsequentémve diem Nox pati poterit, quin eius caligo lapsu fugitiuo luci cedat. Quo ergo pacto hæc abiectissima Nox inter dies poterat supputari? Exinde (vt peritè notauit Pineda noster locuples Iobi interpres) cùm non nisi dies sit, qui in diebus anni cōputari possit, existimarūt aliqui hāc etiam sententiam ad diem pertinere, quem pro pter nubila Noctem appellet. Verùm S. Basilius, quem commentatorum Proceres sequuntur, de Nocte dictum putat, quòd non computetur in diebus anni. Et sanè Græca Olympiodori translatio nobis fauet egregiè: *Maledicta sit nox illa, asportent illam tenebræ: non sit in diem anni, nec memoretur inter dies mensis.* Scilicet nota erat à mundi cunabulis tenebrosæ Noctis elatio, & ineundæ societatis cū luce lubrica ambitio, adeò vt necesse fuerit, quòd Deus lucem à tenebris segregaret: *Et diuisit lucem à tenebris. Appellauitque lucem Diem, & tenebras Noctem*: quasi tenebricosus Noctis squalor, prælustrem Diei claritatem de eius consortio ambierit: Ergo Iobus arrogantiam Noctis percallens, & superbiam de vtilitate excrescentem; cùm illam ignobiliorem, & abiectiorem videt, tot dehonestamenti, & contumeliis obscuriorem, ne veteres phantasias adhuc patiatur, & de abiectione arrogantiam resumat; vel quod elatiori animo ambitiosiùs præsumeret, præmaturè retundit, & præpropero maledictio præcauet: *Maledicta sit nox illa, non sit in diem anni; nec memoretur inter dies mensis.* Nempe dē obscuri hominis ingenio obscuram Noctem cōsultissimè taxat. *Mientras mas obscura y deshechada veè la Noche, se recela mas que à de presumir passarse a ser dia claro.* Sic arroganter insolescit abiectio, de obscuritatis titulo superba; ô ventosissimum vilitatis fastum, vltra Excelsorum fastigium ambitiosè elatum! de maiori tenebrarum squalore, lucis gratiam votis præsumit; Quia Nox maligno siderum lumine tantisper claratur & non mera caligo est; dum plus obscuratur lucis confinium anhelat, & prælucere Diei nomen, vilitatis suæ fastu votis prægustat. Humilior abiectio, natales superbiæ sunt, & vanæ gloriæ matrix.

Sidonius Appollinaris his verbis pereleganter describit eorum mores, qui nuper inopes & abiecti, subitò diuitiis, & honoribus aucti, perniciosè superbiunt: Hi sunt, inquit, quos timent etiam qui timentur. Hi sunt quorum laudari audis in otio occupationes, in pace prædas, inter arma fugas, inter vina victorias. Hi sunt, qui causas morantur adhiberi, impediunt prætermissi, fastidiunt admoniti, obliuiscuntur, locupletati. Hi sunt, qui emunt lites, vendunt intercessiones, deputant arbitros, iudicanda dictant, dictata conuellunt. Hi sunt, quos si petas nullo aduersante beneficium, piget promittere, pudet negare, pœnitet præstitisse. Hi sunt, qui inuident vnicatis otia, stipendia paludatis, mercatoribus nundinas, munuscula legatis, reuerentiam clericis, *originem nobilibus, consessum prioribus, congressum æqualibus, cinctu inra, discinctis priuilegia*, scholas instituendis, mercedem instituentibus, litteras institutis. *Hi sunt, qui nouis opibus ebrij, per vtendi intemperantiam produnt imperitiam possidendi.* Nam libenter incedunt armati ad epulas, albati ad exequias, pelliti ad Ecclesias, pullati ad nuptias. Nullum illis genus hominum, ordinum, temporum cordi est. In foro Scythæ, in cubicule viperæ, in conuiuio scurræ, in exactionibus harpiæ, in collocutionibus statuæ, in quæstionibus bestiæ in tractatibus cocleæ, in contractibus trapezitę: ad intelligendum saxei, ad iudicandum ignei, ad succensendum flammei, ad ignoscendum ferrei, ad amicitias vrsi, ad fallendum vulpes, ad superbiendum tauri, ad consumendum minotauri. Spes firmas in rerum motibus habent, dubia temporā certiùs amant; & ignauia pariter ac conscientia

Margin notes:

Basil hom 2. in Hexaë. Olymp. in Catena ibi.

Gen. 1. v. 4. & 5.

4. Sidon Apol. in epist ad Aumastum.

Solitudo diuina, dolor.

Quò obscurior est nox, eò arrogantius in diem transfigurari præsumit.

Pineda ibi n. 1.

trepidātes; cùm sint in prætoriis leones, in castris lepores, amant fœdera, ne discutiantur, bella ne pugnent. Quorum si nares afflauerit vspiam rubiginosi aura marsupij, confestim videbis illic, & oculos Argi, & manus Briarei, & Sphingarum vngues, & periuria Laomedontis, & Vlyssis argutias, & Sinonis fallacias, & fidem Polinestoris, & pietatem Pigmaleonis adhiberi. Hactenùs Sidonius Apollinarius. Sic est insanè ebrius honor inopinatus, & repentina opulentia.

§. XLIII.

Non bonus est Princeps, qui dum expetitum accipit obsequium, immemor illius fit.

1. NVllum ingratitudine indignius in Principe, vitium est. Irremuneratum ergò nullum relinquet, nullum post merita indonatū, quin adeò aliquid semper supermerita confert, ne iusto suorum labores pretio emisse videatur; tantumque accepisse, quantum dedit. Parium hoc est, non Principum. Nam si ingratitudine suorum merita compēset Princeps, ex amicis hostes expectet & è propugnatoribus oppugnatores acerrimos. *Nil magis sauit, quam odium ingratitudine progenitum.* Et verò, vt ad perfidiam ingratitudo non cogat, animos adimit ad ardua pro Principe audenda; retuditque generosiores multorum animos; frangit industriam, auertit conatum. Iuuari vult virtus, à qua si præmia sustuleris, quid speres? etiam in Deo tolle promissa cœlo præmia, quis monentem inuitantemque sequetur? *aut quem sola virtus, ornatu suo, pramio, dico, nudata ad magna impellet?* Itaque Principis ingratitudo sibi inuidet oppidò maiora & à Deo, & ab hominibus, quàm ipse gratus præberet. Non boni Principis est simul cum obsequio, obsequij obliuionem, quasi de lethæo ebibere, quod aut de otiosa negligētia aut de superba arrogantia sæpe venit. Suspice hîc vel in Rege profano & barbaro munificam erga Tobiam gratitudinem.

1. Politico Christ lib 1. cap. 4. Ingratitudinis vitium, perniciosum Principi est.

Hic vers 13. & 14.

2. Exhodi 8. innocuè vidit Pharao prodigium virgæ in serpentem conuersæ: nec tam prodigiis, quàm plagis prodigiosis malè politica Regis pernicacia edomanda erat, si fortè eloquenti plagarum suadela debitum Deo præstaret obsequium. Ergò Moyses & Aaron manuum nutu de Nili viuis fluentis, & de lacunis fœtidè stagnantibus, molestè squalidam ranarum multitudinem euocant. Confestim Ægyptiæ aquæ ranis ebulliūt: & indè non modò priuatæ ædes, sed & Regis palatium, cubile, lectus, cibus ranis fœdè cuncta infestantibus, conspurcantur. Insolētem eousque plagam attonitus horret Pharao, & continuò vocat Moysen & Aaron, & dixit eis: Orate Dominum vt auferat ranas à me, & à populo meo: & dimittam populum vt sacrificet Domino. Dixitq; Moyses ad Pharaonem: Constitue mihi quando deprecer pro te, & pro seruis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ, & tantùm in flumine remaneant. *Qui respondit: Cras. At ille: Iuxta, inquit, verbum tuum faciam.* Benè addubitat ibi Lyranus, *Quare Pharao in crastinum distulit, cùm maxima necessitate vrgeretur?* quod Theodoretus etiam & Ambrosius diligenter perquirunt. An quia Pharao minus malum putauit toto illo biduo acerbiores plagas pati, quàm alieno fauore liberari? An sibi magis molestum fore censuit, infensum aduersarium sibi beneficum experiri, quàm acerbissimam ampliare calamitatem? ô nobile vindictæ genus, inimicum beneficiis opprimere! Fatigetur improbitas illius beneficentia nostra, dum ignis carbones super eius caput congerimus. Verùm ad rem S. Ambrosius, hanc quæstionem versans, ita luculenter respondet: *Qui respondit: Cras. cùm deberet in tanta positus necessitate rogare, vt iam oraret, nec differret; respondit: Crastina die. Otiosus & negligens; mora pœnam, Ægypti soluturus excidio* (notanter excipe verba, quæ subiicit) *Pharao vbi impetrabat, immemor fiebat gratiæ; & exaltatus mente carnis suæ, obliuiscebatur Deum.* Etiam quādo beneficium impetrat, gratiæ fit immemor! ô negligētiæ otiosæ, & barbaricæ ingratitudinis hyperbolen! Ore anxiè petit, & eorde iam negligit gratiam, quam saltem dum accipit, memoria non honorat. Proculdubio petit vt negligat, qui dum accipit obliuione contēnit, quod auide petēdo nuper honorauit. Obliuio beneficij dum impetratur, præceps & præpropera iniuria est, ingratitudinē probrosè anteuertens, siue præcoqua ingratitudo agrestis. *Pharao vbi impetrabat, immemor fiebat gratiæ.* Vide non boni Principis genium in Pharaone expressum; aut non bonos Principes de genio ingratitudinis Pharaoni impressos. Hianter è cœlo beneficia expetunt: impetriosè à terra obsequia sollicitant; quæ ante quàm plenè excipiant, iam negligūt, & cruda ingratitudine necdum maturescere beneficia sinūt, quin ea deuenustent festinata obliuione: vt quod dudùm votis honorabant, otioso iam neglectu contemnant. *Pharao vbi impetrabat, immemor fiebat gratiæ.*

Nobile vindicta genus est, hostem beneficiis fatigare. Exhod 8 v. 10. Lyra ibi.

Superbus grauatè fert alieno fauore liberari.

S Ambros. apud Lipo. ibi, nō bona fide allegatus.

Pharao vbi gratiam impetrabat, immemor fiebat gratiæ.

Estheris 6. non sine diuinioris prouidentiæ numine, noctem quandam Assuerus ducit exsomnē ne autem se oscitanter reuersaret in plumeo blāde lecto, in quem dura tot prouinciarum regendarum sollicitudo vnicè incumbebat; iussit sibi afferri historias & annales priorum temporum. 3.
Quæ cùm illo præsente legerentur vētum est ad illum locum vbi scriptum erat quo modo nunciasset Mardochæus insidias Bagathan & Thares eunuchorum regem Assuerum iugulare cupientium. *Quod cum audisset Rex,* ait: *Quid pro hac fide honoris ac præmij Mardochæus consecutus est? Dixerunt ei serui illius. Nihil omninò mercedis accepit.* Verùm cùm sciret Iosephus ex cap. 12. dictum esse Mardochæo, vt palatij foribus assideret, opulentius honorarium à Rege expectans; putat Regem interrogasse, an aliquid scriptum esset in annalibus, qui legebātur de remuneratione Mardochæo facta pro illustri perfidiæ proditæ merito. Quomodolibet res se habeat, mirissimum planè est, Regem, qui vel noctis vigilias regnandi curis sedulus impendit, obsequium adeò sibi proficuum tandiu irremuneratum neglexisse: *Nihil omninò mercedis accepit*, aiunt. Parùm hoc, nisi etiam dubitaret, an obsequium, cui vitam debebat, debito præmio honorasset; & honorarium regium in annalibus foret descriptum. Esto, obliuiosus sit Assuerus mercedis debitæ præstandæ pro tanto merito, quid nunc dubitat an mercedem præbuerit? Non modo obliuiosus non largitur præmium sed etiam obliuiscitur, an præmium largitus sit. In dubium iam vertatur. an generosum fidei obsequium, quo Regis caput seruatū à Mardochæo est; condignè remuneratum sit; cùm tamen *Nihil omninò*

Esther. 6. v. 1

Ioseph. li 11. Antiq c. 6.

Qui ingrato Principi seruit, soles ipsi laborat pro seruitio accipit.

omnino mercedis acceperit? Palatij foribus addictus est, vt ibi præmium expectet. Sed quid vltrà? Non iam Theodoricus suo Cassiodoro, dies noctesque illi impensiùs seruienti; sed Assuerus Mardochæo dicat: *Hac autem* (obsequia, seruitia) *facis nulla vendendo; ab Imperantibus accipis solos spei labores.* Planè degener est, qui debita Regi obsequia, illi vendit; & nisi præmio auctus, confestim cessat, & seruire negligit, & ad Regis obsequia querulus nauseat. Sed opinor, non benè Mardochæus pro seruatâ Principis vitâ, *nihil omninò mercedis accipit*, & palatij foribus assidere iussus, *ab Imperante accipit solos spei labores.* Generosè quidem seruitia non vendit, ne degener inueniatur; sed adhuc pro foribus spectat, ne suum Principem illiberalem & immunificum putet: sed *solos spei labores accipit*, de quo cùm nihil omninò mercedis acceperit, ambigit Princeps, an satis superque numeratus sit, & præmium in annalibus descriptum. *Itaque Assuerus vbi accipiebat immemor fiebat gratiæ, & exaltatus mente carnis suæ, obliuiscebatur Mardochæi.* Qui non tam Regi desidiosè oblito, & ingratè de remuneratione ambigenti, præmij gratiam debet; quàm Deo Regem dormientem excitanti, & ingratâ obliuione stertentem, gratitudinibus calcaribus perurgenti.

(Cassiod. in Præfat. Var.)

4. 1. Regum 17. infixo fronti lapide sternitur Goliath, sternitur alienigenarum arx, sternitur Israëlitarum terror. Hęc Dauidis victoria, fidei spolium est, trophæum gratiæ, auxilij cælestis iudicium, blasphemię coërctio, columna index extinctę audaciæ. Hic Dauidis triumphus populum seruitute exemit, Israëlem libertate donauit, labantem Saülis coronam firmauit, quassatum erexit sceptrum, atque effuso in terrâ Philisthęi sanguine, rex Saül denuò purpurascit. Quid igitur super his ingratus Rex? audi quid sacer textus denarret: *Eo tempore quo viderat Saül Dauid egredientem contra Philisthæum, ait ad Abner principem militiæ: de quâ stirpe descendit hic adolescens, Abner?* Quærit solerter Theodoretus, *quomodò Saül ignorauit Dauid?* Et sanè illum sæpè hactenus canentē audierat, cantuque exterminantem à se Dæmonas senserat. Sic nunc Rex ignorat cuius iterato obsequio, Dæmonibus exemptus est? Si verum esset, quod denarrant antiquitates Biblicæ Pseudophilonis; dum ferrum iugulo excepisset Goliath, mutatam esse formam Dauidis ab Angelo, ita vt à nullo posteà cognosceretur; mirandum non esset, si cùm rediret à palæstrâ, ab Abner duce, & à Saüle rege non agnosceretur. Sed antiquitates illę fallacæ fidei sunt. Ergò super re huius dubij legi potest inibi Theodoretus, & recentiores passim commentatores. Illud autem hîc ad rem præsentem peraccommodè, morali atque Christiano Philosopho P. Sanctius obseruandū proponit, quàm leuem gratiam pro suis benefactis sperare quis debeat ab humano & mortali Principe, quantumuis ille sit opulentâ dignitate potens, & obsequiorum generositate obstrictus. *Est enim*, inquit, *in Potentibus maximè infirma & futilis gratia, si tamen vlla est beneficiorum memoria; & si qua, quod per quam rarum est, aliquandiu durauit, illam vel tenuis offensiuncula obscurat, & delet. Sepiùs psallente Dauide, ab spiritu laxabatur malo, & ab ingentibus animi, & corporis angoribus Saül; & tamen ignorat à quo tam sepè magnum illud beneficium acceperit.* Quid accommodatiùs?

(*Apud terrenos Principes infirma est beneficiorum memoria, & futilis gratia.* — 1. Reg. 17. v. 55. — Theod. q. 42. — Pseudophilo apud Sanctium ibi. — Sanctius ibi n. 59.)

P. Didac. de Celada in Tobiam.

§. XLIV.

Miseria innocentis spectata, compassionis lenocinio: quos habet spectatores, tot matres fœcundè parturit.

1. PArcamus lacrymis nihil proficientibus. Faciliùs enim nos illis dolor adiiciet, quàm illas à nobis reducet. Qui si nos torquet, non adiuuat, primo quoque tempore deponendus est, & ab amatâ quâdā libidine dolendi animus recipiendus est. Nam lacrymis nostris nisi ratio finem fecerit, fortuna non faciet. Agedùm mortales omnes circumspicè, larga vbique dolendi, & assidua materia est. Lacrymæ nobis deerunt, non causa dolendi. Esto, nulla domi sit, (quod mirissimum & insolens foret) foris largè suppetet, dum pietas aliena mala, in propria per cōpassionem recudit: *nam misericordia non causam, sed fortunam spectat.* Imò qui vltrò alienæ miseriæ causam dedit, citiùs condolet de alienâ miseriâ. Tenerum hominibus cor natura figulauit, & ad misericordiam nimis pronum; adeò vt innocens aliorum miseria sic nostram compassionem extimulet, vt maternam benignitatem æmulemur. Innocentia iniustè vexata, materna in spectatoribus refingit viscera, blando compassionis lenocinio. O quàm est tenera matrum ergà charos filiolos compassio!

(*Lacrymæ nobis deerunt, non causa dolendi.* — Publ. Mim.)

2. Exodi 2. quo tempore ferale infanticidij edictum emulgauit Pharao, natus est Moyses: visus est puer præ se ferre haud vulgarem indolem, ideò eius parentes, contempto Tyranni edicto, elegantem puerulum tribus mensibus abscondunt, & nemine conscio, domi lacte nutriunt. Deinde cùm non deessent (vt fit sub Regibus) qui scrutarentur etiam recondita captando gratiam nouis delationibus; timentes ne dum vni consulunt, ipsi necis eius fierent accessio, deploratum puerum exponunt in ripa fluminis, atque ita gementes discedunt, miserantesq; tum suam necessitatem, quâ expressum sit infanticidium, filij, tum pueri necem iniquam & miserabilem. Erat Regi vnica dilecta filia; eam ferunt dudùm nuptam non potuisse matrem fieri, quantumuis liberorum cupidam, præsertim sexus potioris, vt esset qui in fortunatam auiti regni sortem succederet, migraturi alioquin in familiam aliam nepotum penuriâ. Quâ curâ pressam, & eâ die maximè anxiam, cùm hactenùs solita esset domi se continere, proripuisse cum puellis familiaribus ad fluuium, vbi puer fuerat expositus. Deinde lauantem aspergentémque se inter opaca condensâque stagnorum, conspicatum iussisse afferri puerum. Quæ cùm vidisset fiscellam in papyrione, misit vnā de famulabus suis: *& allatam aperiens, acernensque in eâ paruulum vagientem, miserta eius, ait*, &c. Quæ verba sic ad rem præsentem Philo Iudæus eleganter expandit: *Tum, inquit, à capite ad calcem contemplatam, miratámque formam & habitudinem, ploranti condoluisse, affectu iam ad maternam pietatem vergente, ac si ex ipsâ infans fuisset progenitus.* O blandæ compassionis vires robustas, quæ lenocinante calamitosi innocentiâ matris viscera per benignitatem cudit! Erat Regis filia, portio quædam Tyranni, in Hebræorum infantes atrociter ferocientis: ast vbi oculis videt

(*Miseria innocentis spectata, per compassionē, matres fœcundè parturit.* — Exod 2. v. 6. Philo lib. 1. de vita Moysis.)

puellum immeritò calamitosum, hausta à tyranno patre viscera desuescit, & ipsa improles & sterilis, compassionis blandimento velut fœcunda, incipit esse benignitate mater, genitrix pietate. *Ploranti condoluisse, affectu iam ad maternam pietatem vergente, ac si ex ipsâ infans fuisset progenitus.* O arcanam compassionis fœcunditatem! Natura debilitet degenerans, eas gignit quæ possint esse matres: at benignitas sic de pariens innocentiæ pio semine fœcundatur, vt femininè steriles, masculâ fortitudine blandiùs fœcundet in matres, cognatâ compassionis libidine. Saxea emollit viscera immerentis miseria, & pietatis calore cõfestim eliquat, & prædurum crudelioris tyranni pectus, in tenera matris viscera mirè reformat. Exindè innocentis miseria, tot matres quot spectatores, cõpassionis officiositate gignit. Fœcundæ matres numerosam è suis visceribus sobolem gignant: sed innocentiæ acerbiùs tractatæ, compassio, tot matres, quot spectatores gignit, naturali gratię miraculo. Hinc Pharaonis filia, patris portio non degener, sic calamitoso innocenter infantulo *ploranti condoluit, affectu iam ad maternam pietatem vergente, ac si ex ipsâ infans fuisset progenitus.* Hanc maternam compassionẽ, dum Tyrannus contra eos atrociùs sæuiret, vel in Assyriis barbaris, vtrerque Tobias reperit, innocentiâ vel saxeis cordibus pietatẽ delinquẽte. O! quis innoxium dura patientẽ, siccis oculis videat? Feminina matrum pietas masculum pietatis robur est, & misericordiæ meta. Ast matrum compassio, non est auxilij ferendi sterilis. Innocẽs miseria matres de misericordiâ genuit, misericordia ergò opem parturiat, vt opportunum misero auxilium generosè edat. Hæc pia erga omnes compassio Tobiam Deo & hominibus acceptum fecit, famâ gloriosè opinatissimâ adeò vt totam Regis gratiam ad id contentiùs impenderit.

Tobiæ I. v. 13.

Hic verſ. 14 &c.

3\. Matthæi 2. Herodes animaduertens, quòd illusus esset à Magis, dum per aliam viam monente Angelo, reuersi sunt in regionem suam; iratus valde occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infrà, secundum tempus quod exquisierat à Magis. Tunc adimpletum est, quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem: *Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.* Locus in paucis impeditus. Nam quomodo truculentam & barbaricam Innocentium cædem, non Bethlehẽ, sed Rachel & quidem mortua deplorat? Et quare dicitur Rachel plorasse *filios suos*, cum tribus Iudæ, cuius Bethlehem vrbecula erat, non de eâ, sed de sorore suâ Liâ fuerat orta? Memoria lapsus est Propheta, an Euangelista? alterutrum impudẽter piaculũ. Respondet Hugo Carensis, quòd *Tribus Beniamin, quæ de Rachel orta est, proxima fuit tribus Iuda.* An acerbiorem pœnam sentiunt, qui proximi sunt acerba patientibus, quàm hi, qui sæuè excruciantur? S. Augustin. aliter locum extricare tentat: *Tunc, inquit, Rachel cœpit filios suos plangere, quando filios sororis suæ in tali causâ vidit occisos, vt æternæ vitæ hæredes existerẽt: cui enim aliquid aduersũ euenerit ex felicitate alterius, infausta sua miserè luget.* Vetus feminarum æmulatio, post mortem adhuc perdurat, & in dolosis sepulcri cineribus latet inuidię scintilla, quam felicitas ęmulę flabellat; Bellè quidem, sed satis sit ad alia themata digitum intendisse. Sed adhuc difficultas vrget, quam ob rem non tantùm *ploratus*, qui ad rationales pertinet, sed etiam *vlulatus*, Racheli tribuatur; nã *vlulatus propriè est irrationabilium, in quo notatur dolor excessisse modum.* Dolor modum excedens, vel mortuæ Racheli adscribitur, quo ploret *filios suos*; & tamẽ infantes plorãdi, filij eius non erant, sed ęmulę sororis. Pergit Hugo, *Ploratus, & vlulatus multus: Rachel plorãs filios suos. Quasi dicat: Tantus fuit dolor & luctus, vt etiam mortui lugere & compati deberent.* Vide ad rem præsentem Euangelistę hyperbolen opportunam. Nempè parùm foret, si induceretur mater Lias suos innocentes martyres truculentâ tyrannide atrociter peremptos: inducatur ploratus, & *vlulatus* etiam, quo notetur dolor excessisse modum; & quidẽ mulieris, quæ irremediabilibus lacrymis effusiùs plorant: imò & ęmulę Rachelis nec muliebres duntaxat lacrymas ęmulę & inuidæ sororis, sed plorantis *filios suos*, cùm æmulæ Liæ filij essent: tale enim fuit occisorum infantium spectaculum, vt vel æmula & defuncta femina, eos quasi *filios suos* deploraret. Parùm est sterilem Pharaonis filiam, priùs per compassionem, quàm per adoptionem, fieri matrẽ; nisi Rachel diu sterilis, perdiu defuncta, non suos, sed ęmulę suę Innocentes filios, tanquam filios proprios flebiliter lugeat, quasi compassionis libidine eos genuisset. *Vox in Rama audita est, ploratus, & vlulatus multus: Rachel plorans filios suos.*

Matth 2. v. 18.

Qui proximi sunt acerba patientibus, acerbiora patiuntur.

Hugo ibi.

Aug. de qq. noui & vet. Testament. c. 62 tom. 4.

Feminarum æmulatio adhuc post mortem perdurat.

4\. Hugo sup. *Rachel per compassionem fit non filiorũ mater.*

5\. Matthæi 13. *Cùm consumm asset Iesus parabolas istas, transit inde. Et veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum.* Vnde transiit, & quò transiit, qui nullo continetur, nullo concluditur loco? ad quam patriam vadit, orbem qui fecit, & pôssidet vniuersum? Abiit ergò Iesus in patriam suam, non vt suam sibi, sed vt tuam tibi quam Adam perdiderat, patriam redonaret. Pergit ad rem eloquenter Chrysologus: *Abiit Iesus in patriam suam..... quia qui est, & qui erat ante sæcula Deus noster, parens noster, nouissima voluit esse per sæcula, vt quos potestate fecerat, pietate saluaret; & compatiendo reciperet, quos extorres arguendo fecerat, & iubendo.* Nimirùm Deus omnium parens & conditor, homines quos potestate fecerat *iubendo & arguendo extorres fecisse* notanter perhibetur. Hæc-ne iusio, & increpatio prętantr? Sic pręcepto, & correptione homo abutitur. Leuis præceptio, vt ab vnâ arbusculâ temperaret: & blanda increpatio, vt confessionem extorqueret; hominem paradiso *extorrem* fecisse dicitur. Quo igitur modo, quos Dei austeritas *iubẽdo, & arguendo* extorres fecit, ad paradisum reducet? Scilicet *Deus noster, parens noster, nouissima voluit esse per sæcula, vt quos potestate fecerat, pietate saluaret, & compatiendo reciperet, quos extorres arguendo fecerat, & iubendo.* Ecce tibi Deus, *parens noster* tunc nuncupatur, quando *quos potestate fecerat, pietate saluat; & compatiendo recipit, quos extorres arguendo fecerat, & iubendo.* Et sanè quos seueritas pręceptionis, & correptionis austeritas, (acceptâ, non datâ occasione) à paradiso fecit extorres, compassionis paterna pietas, feliciter paradiso restituit. O arcanum piæ compassionis sacramentum!

*

Matth. 13. v. 54.

Quos Deus iubendo, & arguendo fecit extorres, compatiendo restituit paradiso.

Chrysolog. serm. 49.

§. XLV.

Qui in ambitu dignitatum negligentiam accusat, præmium contulit.

1\. AMBROSIVS exponens illud Apostoli: *Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema.* &c. ita scribit: Fortassè moueat, quòd purgamentum se esse; dixit non enim est, sed hoc sæcularibus videtur, qui putant summam in diuitiis esse gloriam.(Sed diligenter pensitare oportet, quæ de Moysis exemplo verba subdit) Moyses noluit Rex esse cum posset, sed opprobrium Christi thesauris Ægypti arbitratus est præferendum. *Sed fugiendo potentiam, potentior factus est; factus enim in Deum regi Pharaoni. Rex erat Pharao, sed Deus non erat; Moyses factus est illi Deus. Et tu, si vis peccatoribus esse terrori, Regibus reuerentiæ, contemne quæ sæculi sunt.* Nempè Moyses filius filiæ Pharaonis factus, fugitiuâ repulsâ Ægypti sceptra contempsit: mox Hebræi populi inauguratus Princeps, constanter principatum recusat: *sed fugiendo potentiam, potentior factus est; factus est enim in Deum regi Pharaoni.* Et quod negotiosa ambitionis sedulitas assequi non valeret, negligentis fugę merito meritissimè assecutus est, quasi dignitatum neglectus, aut benemeritū inueniat, aut faciat benemeritum, & pigræ ambitionis præmium referat. Tobias hîc tametsi patriæ exul, & durâ oppressus seruitute, in Assyrij regis palatio inclytus factus est; opulento donatiuo, palatino munere, & regiâ familiaritate, inopinato & inquæsito fauore auctus. Sed illius conseruandi negligens, maluit egenis subleuandis, & humandis defunctorum corporibus se pium exhibere, quàm in adipiscendis honoribus proficere, aut iam adeptos conseruare. Exindè *fugiendo potentiam, potentior factus est:* factus est enim bonis admirationis malis terrori, omnibus reuerentiæ. Nil enim sublimius quàm sublimitatis neglectus. Eloquenter de suo Constantino dixit Eumenius: *Diceris, Imperator inuicte, ardorem te deposcentis imperij fugere conatus, equum calcaribus incitasse: At quis Cyllarus, aut Arion posset eripere, quem sequebatur imperium.*

1\. Cor. 4. v. 13.

Ambr. ad præfatum Pauli locum.

Moyses fugiendo potentiam, potentior factus est.

Hic v. 13. & 14.

Eumen. in Panegyr.

2\. Geneseos 27. Senuit Isaac, & caligans ad præsentia, perspicatiùs futura cernit prophetiæ oculis. Vocat ad se primogenitum Esaü, & ferina de venatione, largam illi Benedictionem dare spondet, voto irrito: Nam cùm hæc audisset Rebecca, Iacobi peramans, ac de oraculo dudùm admonita; & Esaü abiisset in agrum: dixit filio suo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem cum Esaü fratre tuo, & dicentem ei: Affer mihi de venatione tua, vt comedam, & benedicam tibi coram Domino antequam moriar. Nunc ergò fili mi, acquiesce consiliis meis: & pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur: *quas cùm intuleris, & comederit, benedicat tibi priusquàm moriatur.* Ad quæ verba ita scribit Chrysostomus: *Vidisti matris optimum consilium. Vide etiam Iacobi prudentiam,* sic enim Iacobus respōdet matri offerenti summam paternæ benedictionis dignitatem: *Nosti, inquit, quòd Esau frater meus homo pilosus sit, & ego lenis: si attrectauerit me pater meus, & senserit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducam super me maledictionem pro benedictione.* Hebraicè apud Lipomanum: *Et ero in oculis eius paruipendens.* Imò dum negligit matri obtemperare, quæ de oraculo Benedictionem paternam illi pollicetur; summam illam dignitatem, & Isaacidum principatum *paruipendere* putabitur. Quæ hæc Iacobi *prudentia,* quam sic Chrysostomus commendauit? Sic cunctabundus hæret ad summum familiæ decus capessendum? Peramans filij sui mater, oraculum illi euulgat de paterna Benedictione sibi impendenda, & sic eam cunctanter negligere videtur? An eiusmodi arcano velut neglectu, Benedictionem opulentiùs mereri apparet? Audiendus est Ennodius, qui suo auieno, Senatoria dignitate sublimissimo, & à quo quispiam dignitates ambire posset, spe non titubans; sic ipse ambitionis expers tempestiuè scribit: *Dum accusatis negligentiam, præmium contulistis.* Pulchrè huic thesi videntur adaptari verba aliorsùm scripta. O! actuosa nimis est ambitio, & operosè negotiatrix, exsomni sedulitate Potentiorum limina salutans, officiositate placendi. At dum accusatis me negligentiæ, me inquam, qui candidatus videri poteram; aut honorum, apud Auienum Senatorem affinitate coniunctum, aut apud Rebeccam, maternitatis gratia sollicitam eiusmodi inquam *negligentia,* quæ dignitates *paruipendere* videtur, dum præmia refutat, præmij expers non est: cùm ipsa adipiscendæ dignitatis negligentia, fasces quos depretiat, digniùs gerat. *Dum accusatis negligentiam, præmium contulistis.* O prudens negligentia in eo, qui idoneus est ad dignitates, iners videtur desidia: sed desidia honoris ambiendi, solers meritorum euulgatio est; & quæ augustiorem dignitatē desidioso dignitatum neglectu digniùs capessit. Eiusmodi negligentię accusatio, vice præmij est, & meritorum exaggeratio. *Dum accusatis negligentiam, præmium contulistis.* Minùs dignus inueniretur Iacob, si properantiùs ad prælustrem Benedictionis dignitatem cucurrisset. Negligendo, & cunctando, honorum curriculum celeriori cursu peragitur.

Chrys. ib.

Genes. 27. v. 11. 12.

Dum candidati negligentia accusatur, præmium confertur.

Lipom. ibi.

Ennod. lib. 3. epist. 8.

3\. Ioannis 6. pauculis panibus & pisciculis, quinque hominum millibus lautum apparat Christus epulum In deserto, vbi nullum panarium, legena nulla; sed subleuatis sursū oculis è cœlo accersit annonam. Manus Apostolorum inde panes parturiunt piscesque velut in piscoso amne copiosè ebulliunt. Escarili affatim dono expleti, largū beneficè præbitorem, grato murmure oborto, Hebrææ gentis Regem renunciare consultò moliūtur. *Iesus ergò cùm cognouisset quia venturi essent vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterùm in montem ipse solus.* Erat autem rex, qui tecusabat fieri rex: nec talis rex qui ab hominibus fieret, sed talis qui hominibus regnum daret. Sed cur Christus, qui verè Messias, & rex est, in regem eligi, & regē vniuersatim proclamari refutat? An paruipendit regnum, qui natus est rex? An nō sermonibus, & miraculis intentiùs negotiabatur, vt quis ipse esset certo euulgaretur? An eiusmodi contemptu sublimiores nos contenere dignitates edocebat? an regni neglectu, se regno esse dignum ostendere maluit? an recusat sceptrum à vulgo recens exquisitis dapibus muneratio, gratanter oblatum? Vide, ait Chrysostom. ibi quanta

Ioan. 6. v. 15

Quare Christus postquā tot hominum millia pauit, recusat se Regem proclamari.

Chrysost. hom. 41. in Ioan.

est gulæ virtus, non vltra eis sabbathi transgressionis cura, non vltrà zelant, sed omnia remota sunt ventre repleto: & propheta iam ita apud eos, *& regem eum intronisare volebant. Christus autem fugit, erudiens nos mundanas contemnere dignitates*: non enim de se aliquid redemptæ laudi, aut loquaci post munera famæ credendum putauit. Eloquenter de more Philo Hebræorum disertissimus: *Laus cùm à virtute proficiscitur, velut à fonte perenni, non moratur vulgi suffragia, animorum inconstantiam aperientis incertis vocibus: quas nonnunquam largitionibus corruptum, perfrictâ fronte venditat.* Nempe vera laus, honoris dignitas, aut dignitatis fastigium, non *moratur* aut expectat inconstantia electoris vulgi suffragia, largitionibus opulentis sæpè redempta. Diu pòst Christus in Hierosolymitanâ pompâ, se Regem proclamari permittit: nunc autem, quò postea dignior appareat, *mundanas contemnit dignitates*; regemque se dici post largam munerationem negligit, ne de se *aliquid redempta laudi credatur*. Regem se haberi posteà satagit, sed nunc neglectu refutat, vt quisquis exinceps *accusauerit negligentiam, premium conferat*: ne ambitæ & redemptæ dignitatis, vnquam patiatur iniuriam. Erat rex Christus, qui negligit, fugit, & refutat fieri regem; *nec moratur vulgi suffragia, animorum inconstantiã aperientis incertis vocibus, quas nonnunquam largitionibus corruptum venditat.* Vulgi electoris suffragia non *moratur*, id est, *negligit*, aut *paruipendit*. Verùm enimuerò non dimittam innotatum, quod vir alioqui magnus & de se ad sũma quæque peridoneus; si munere vacat & peritię corã exercendæ occasionibus viduatus, diu inertet otiatur; velut è vulgo quispiam sensim efficitur, nec maiori censu dignus habetur. *Metallorum quippe ambitus* (ait Cassiodorus) *solatia sunt hominum. Nam diuitiis auri vena similis est reliqua terra, si iaceat; vsu crescit ad pretium.* Egregiâ metaphorâ vir eximiè politicus rem expressit. *A vn hombre de talento, las occasiones le hacen grande.*

Philo lib. de Fortit.

Redempta laus culpatur.

Cassiod. lib. 5. variar. epist. 22.

Cassiod. lib 4. ep. st. 34.

Aurum vsu crescit ad pretium; sic viri solertiat.

4. 1. Regum 16. dixit Dominus ad Samuëlem: Vsquequò tu luges Saül, cùm ego proiecerim eum ne regnet super Israël? imple cornu tuum oleo & veni, vt mittam te ad Isaï Bethlehemitem: *Prouidi in filiis eius mihi regem.* Esto, postremissimum filiorum Deus elegerit, & rusticanum opilionem, in crudâ adhuc ætate ad regnandum inidoneũ; quare innominatum eligit? eccur ambiguã regis electionem Samueli mandat? Si reiectaneum Saülem nuncupatim despicit, quare electissimum Dauidem nominatim non designat; quam ob causam antequam Dauid in regem vngatur, in pascuis cum grege procul detinetur, electionis inscius? Pulchrè Seleuciensis Basilius: *Prouidi in filiis Isai mihi regem. Non clarè dixit: Vngatur mihi rex Dauid*: (nota rationem Basilio dignam) *ne gloriam adulteret regnantis notitia* Dignitatem adulterat præscia candidati notitia. Num timetur Dauidis notitia ante inaugurationem ritè factam, ne agnatâ mortalibus ambitione merita ad thronum corrumpat? Inopinatâ electio ambitionem anteuertens, illam præcludit, nec foras erumpere sinit: Imò putauerim, quòd non clarè dixit: Vngatur mihi rex Dauid, ne nouo ambitionis genere, præcelsam dignitatem negligat, & negligentiâ repudiet. *Non clarè dixit: Vngatur mihi rex Dauid: ne gloriam adulteret regnantis notitia.* Vngatur Dauid in regem, antequam sciat, se fore inaugurandum; ne de humilitatis genio dignitatem paruipendere videatur. Credetur coronâ dignus, si deiecerit coronam: Sed ne Israëlis coronam reiectione deuenuster, cuius merita de medio gregis mihi innotescunt, inscius eligatur in regem, *ne gloriam adulteret regnantis notitia.* Præfecturam, etiam si longè deguerit, exiget qui meretur; nunquam absconditur, quem prodiderit meritorum nitor: habetur coronâ dignus, de quo creditur abiecturum coronam. Mitto hunc locum, qui alibi aliorsùm emedullandus est.

1 Reg 16. v. 1.

Inscius eligitur Dauid, ne gloriam adulteret regnantis notitia.

Basil. Orat. 14.

§. XLVI.

Habe charitatem, & fac quicquid vis.

Spes sine timore, præsũptio est; timor sine spe, desperatio est. Sic sunt virtutes mutuò connexæ, ne si vnaquæque solidaria inueniatur, propè sit vt in confine vitium degeneret. Charitas verò, sicut est omnium virtutum fastigium & meta, ita earum siue complementum, siue compendium præcipuæque virtutes, & præuiæ charitati sunt, & charitatis consequentiæ. Sic longè lateq; expatiatur reginæ charitatis imperium, vt vel in eâ, quæ putari posset materia vitiorũ innoxiè & impunè versetur, & in rem virtutis excudat: indeque existat securitas, vndè periculum timeri poterat. Multis hactenus sacer Historicus tradiderat sublimes Tobiæ virtutes, frugalitatem & continentiam secum, pietatem erga egenos, correctionem aduersus errantes, religionem in Deum, & eximiam erga omnes charitatem. Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmannasar regis: *Et dedit illi potestatem quocunque vellet ire, habens libertatem quæcunque facere voluisset.* Peramplа sanè potestas. O quæ vix sine periculo homini concedatur. Quando tanta conniuentia, à peccato immunis extitit? Innoxiè & impunè Tobias *habet libertatem quæcumque facere voluisset*; nam vt doctè tradit Augustinus: *Habe charitatem, & fac quidquid vis.* Periculosa est propria voluntas, & quæ multos traxit ad errorum scopulos, ad voluptatis illecebras, & scelerum latebras: at quisquis altè in charitate fundatus est, ad hanc finem obuia quæque corrigit, & per obstantia it viâ rectâ: *Habe charitatem, & fac quidquid vis.* 1.

Habe charitatem & fac quicquid vis Hic v. 10.

August. de discip. Eccl. apud Hildeb. epist. 53.

Iudithæ 9. propè vsque ad deditionem Holofernianâ obsidione Betulia cingitur. Bethulienses annonæ penuriâ arescunt, exæstuant siti, quàm aquulæ vix gutturis rigare datur, faucibus sæuè hiantibus. Tunc Iuditha nobilis æque ac pia heroina, Oziam vrbis Præfectum cum reliquo Senatu accersit: & de spei iacturâ grauiter expostulans, meditatum ab se facinus cum eis pertractat. Ipsi vno ore itum in Assyria castra approbant, laudant, & piæ audaciæ felicem exitum adprecantur. *Vade*, inquiunt, *in pace, & Dominus sit tecum in vltionem inimicorum nostrorum.* Quibus abscedentibus, ingressa oratorium suum, rem totam Deo votiuè commendat, & felicem rei arduę exitum supplicat. Fac Domine, inquit, vt gladio proprio eius (Holofernis) superbia amputetur: *Capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percuties eum labiis charitatis meæ.* Non morabor hîc lectore, solerter disquirens, deliquerit ne Iuditha 2.

Iudith. 9. v. 13.

Qui charitatis instrumentu videtur ope-

in

rari redditur sæpè amabilior de reatu. in Holofernianæ cædis processu ; vel dum mentiri videtur, vel dum venustatem lenocinijs exaggerat, vt viro salacissimo placeat; vel cùm *labia charitatis* expetit, & elaborat, quò illum decipiat: *Holofernnis fraus* sententiosè nominatur. Tantæ Heroïnæ illustre facinus propriis in locis pro virili vindicauimus. Nunc expendere ad rem præsentem licèt, quòd *labiis charitatis* suæ Holofernem decipere, moræ impatiens festinat. An præsumit Inditha impigra audacissimæ *charitatis* sollertia, siquid fors peccatum fuisse videbitur,
Ennod·lib.7 Epist. 25. colorare, vel potiùs honestare. Eleganter Ennodius sic aliorsùm ad Symmacum Papam scribit: *Lex desiderijs scripta vix legitur. Impatiens rigidioris præcepti diligentia, non iugiter dignum facit reprehensione quod libera est. Redditur sæpè amabilior de reatu, cùm per effrenationem sortitur genium plus placendi : nam delictum suum quodam ipsius præsumptionis melle commendat.* Charitatis instinctu vltrò molitur, & exequitur Inditha, quod nec consultissimo Bethuliæ Senatu in mentem veniret; votiuis enim liberandæ religionis, & patriæ desideriis, lex scripta non est: vnde eius diligentia suasionis, aut præceptionis impatiens, non iugiter dignum facit reprehensione quòd libera est. *Habe charitatem, & fac quicquid vis.* Sed deuenustatum videtur facinus, tanquam variis culpis apparenter respersum. At dum charitatis instinctu illud Inditha adoritur, & *labiis charitatis* peragit, de ipsa delicti specie plus quodammodo commendatur ad placendi gratiam, dũ viuidam charitatem de audacia ostentat. *Redditur sæpè amabilior de reatu*, (putatitio inquam) *cùm per velut effrenationem sortitur genium plus placendi : nam delictum suum quodam ipsius præsumptionis melle commendat.* Instinctu charitatis in Deum, & patriam, pulchra *Holofernis fraus* in eius castra pergit; *labiis charitatis* suæ, illum piè decipit, inde obuiæ tanti facinoris vindiciæ. *Habe charitatem, & fac quicquid vis.* Et saltem delictum, quod à charitate videtur proficisci, cùm ad iudicium venit, interuenit. Inde strenuus quisque, Iudithæ, patriæ, & religionis vindicis, vindex & assertor existit. Et quidem si vel leuiter Inditha *labiis charitatis* deliquit, Hebræus populus *hoc ei plus debet, quia dilectionis nimietate peccauit.*

Si Inditha deliquit, populus hoc ei plus debet, quod dilectionis nimietate peccauit.

Salu.lib 5.de Gubern Dei.

3. Geneseos 4. altè mœret Cainus ob fratris Abeli gratiora Deo munera, vel probè placuisse Deo: apud improbos impunè nemo potest Fratris felicitatem gemit, & innocentiæ reum perimere
Genes.4.v.7. nocentissima procurat inuidia. Dixitque Dominus ad Cain: Quare iratus es; & cur concidit facies tua? *Nonne si bene egeris, recipies: sin autem*
Apud S.Hieronym. *male, statim in foribus peccatum tuum aderit?* Quæ verba sic exscribunt LXX. interpretes: *Nonne si rectè offeras, non autem rectè diuidas, peccasti.* In Hebræo autem multò alius est sensus, videlicet: *Nonne si benè egeris, dimittetur tibi; & si non benè egeris, ante fores peccatum tuum sedebit.* Theodotion apud Sanct. Hieronymum: *Nonne si benè egeris, acceptabile erit; quod si male egeris, illicò peccatum ante vestibulum tuum sedebit, & tali ianitore comitaberis.* Lipomanus ex Hebræo textu sic transtulit præfata verba: *Nonne si benè egeris, reportatio, vel eleuatio.* (Mitto hæc, ad alia themata non inidonea) S. Paulinus Nolanus, magno vir ingenio, sanctitate, eloquio, nobilitate inclytus, singulariter hunc extulit locum, sic illum excribens: *Si rectè diligas, non rectè diuidas, peccasti.*

Lipom.ibi. *Qui nimis aliquem laudat, de charitate in charitatem peccare dicitur.*

Sed exploremus quale sit hoc dilectionis, seu charitatis delictum. Nempè grauissimè expostulabat cum Seuero Sulpicio, & amicissimo, & sanctissimo; quia Sulpicius demissè admodum de se sentiebat, & loquebatur, & multa Paulini præconia, tanto viro dignissima, calamo, & lingua buccinabat; Sulpicij autem charitatem his verbis Paulinus inhibere, & castigare præsumit: *Expostulandi caussa est, quod te multa dilectio vsque ad mendacij peccatum trahit .... onera nostra iniustis laudibus cumulans: arguam te in charitatem de charitate peccare. Siquidem de nobis ita loqui* (honorificentissimè, inquam) *iustum existimas, vt de te inutile tibi indicas; iure audies: Si rectè diligas, non rectè diuidas, peccasti.* Piget, & pudet elegantissima Paulini verba, plena moralitatis, plena ingenij, enucleatiùs expendere, ne rudiori stylo atteram sententiarum venustatem. Paulinus Epist. 2.

Genesis 16. Saraï vxor Abraham non genuerat liberos: sed habens ancillam Ægyptiam nomine 4.
Agar, dixit marito suo: Ecce conclusit me Dominus, ne parerem: ingredere ad ancillam meam, si fortè ex illa suscipiam filios. *Cùmque ille acquiesceret deprecanti, tulit Agar Ægyptiam ancillam suam.... & dedit eam viro vxorem. Qui ingressus est ad eam.* Qui peregrinatur, dum audit Abrahamum iam senem secundas iniisse nuptias; diligenter attendere debet, non id spontiuè seu votiue fecisse, sed vt deprecanti Saræ *acquiesceret*: vir enim valde vxorius, vt Saræ suæ peramans, nisi vt Saræ conniueret, ipsique gratum faceret, eiusmodi cum Ægyptia ancilla connubium, nec mente moliretur. Audi S.Ambrosium, hac super re, sic ad rem præsentem opportunè Philosophantem: *Non abnuo*, inquit, *quod Abraham de ancilla susceperit filium, vt cognoscas quoniam non superioris cuiusdam naturæ, ac substantiæ fuit Abraham, sed vnus è numero, ac fragilitate vniuersorum hominum.* (Nota quæ postmodum subtexit verba) *Quod ergo putas esse peccatum, aduertis esse mysterium.* Vel quod imperfectionis arguitur in Abrahamo, altè eius elogium edificat. Tanta enim sublimitate eminet, vt propè necesse sit aliquid saltem specie tenus reprehensibile admittere, ne humanum fastigium excessisse putetur, dum sæpè in eius moribus nescio quid supra humanum fastum scintillare videatur. Puta ergò *mysterium*, quod vitium reputas. Ecquod autem *mysterium*, nisi coniugalis erga Saram amoris Sacramentum, & charæ beneuolentiæ arcanum; vt, inquam, Saræ *deprecanti acquiesceret. Hoc ei plus* Sara *debet, quia dilectionis nimietate peccasse*, à quibusdam fors reputabitur. Saltem à sublimissima hactenùs perfectione in hoc facto tantisper desciuisse, nisi *mysterium* intercederet, forsitan putaretur, *Habe charitatem, & fac quidquid vis.*

Genes.16.v.2.3.&4.

Quod in Abrahamo fors putabitur imperfectum, charitatis mysterium est.

Amb.lib.1. de Abrah.

De viris sanctis aliqua referuntur imperfectiones, vt homines putentur.

Abrahamo marito Sara coniux succedat, quæ 5.
audiens, se nonagenariam Isaacum pariturum, planè risisse perhibetur. Quæ *risit* occultè dicens: Postquam consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo. Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare risit Sara. *Negauit Sara, dicens, Non risi: timore perterrita.* Quæ verba ita exponit Ambrosius: *Negauit Sara*, &c. *Vel ideò negauit, quia ignorauit: vel ideò risit, quia prophetauit.* Risit Sara (in quo risu plures deliquisse censent) cur prædicitur iam annosa paritura Isaacum, id est, risum. O! vel ipsa Sanctorum delicta prophetant. Ambigua etiam Saræ
fides,

Genes 18. v. 15. Ambros apud Caten. Lipom ibi.

Vel Sara risus, forte peccato non vacans Isaaci, ortum prophetat.

fides, quæ aut conceptum impedire, aut abortum facere forsan merebatur; futurum Isaaci ortum feliciter prophetat. *Quod ergò putas esse peccatum, aduertis esse mysterium.* O nimis verè *Habe charitatem, & fac quidquid vis.*

Gen. 18. v. 15.

Lipom. ibi.

Neganti Saræ respondet Angelus, *Non ita est, sed risisti.* Quæ verba hac quæstiuncula expendit Lipomanus: *Sed quæritur, cur Deus Saram pro sua dubitatione, risu, & diffidentia non puniuit, quemadmodum Zachariam.* An quia veniale videtur in fœmina, quod in Sacerdote iram Dei ad vltionem accendit? An quod putas esse peccatum, aduertis esse mysterium.

§. XLVII.

Voluntas nostra appetitionis impetu, vel vilissimis rebus pretia facit opulenta, pro affecta voluntatis nutu.

1. INertes homines, degendæque vitæ ignari (instar morbosi corporis hominum, qui nec æstum ferunt, nec rigorem) vt in rebus quæ ex voto accidunt exporrecta fronte perfusi, seruare modum nequeunt: ita in his quæ præter voluntatem succedunt, obducta atque caperata fœdissimè contrahuntur. Votis suis inquietatur homo, & voluntatis suæ inconsiderato impetu plerumque exagitatur; aduersum aleæ iactum putans, non qui aduersus est, sed qui à se minimè expetebatur. Non re, sed opinione laborat, inerti voluntatis suæ impetu supra modum voluntario; & qui non rem duntaxat, sed rei habendæ modum scrupulosè taxet. Adeo vt, nisi quomodo, & quando rem fieri volumus, res fiat, non è votis rem cessisse putemus. Sic hianter in rem cupitam fertur humana voluntas appetendi libidine, sine modo, & supra modum intemperante. Felix duntaxat putabitur aleæ iactus, qui non tantùm rem cupitam, sed maximè modum etiam offert.

Supra modum voluntatis impetu homo fertur.

2. Matthæi 12. Mutum, & surdum dæmonem excantarat IESVS toto omnipotentiæ adnisu: candida turbæ deuotio, tantum prodigium admiratione celebrat; Pharisaïca autem inuidia supercilio temerarie impudenti, in familiare commercium cum diabolorum Principe, miraculum reiicit. Neque oculis credit inuidia, ne de æmulo aliquid magnum credat. Tunc responderunt Christo quidam de Scribis, & Pharisæis, dicentes: *Magister volumus à te signum videre. Qui respondens ait illis: Generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ.* Priùs quidem Scribæ, & Pharisæi conuitiabantur dæmoniacum eum dicentes; nunc autem adulantur, vocantes eum Magistrum: propter hoc & IESVS eos vehementer arguit, aiens: Generatio mala &c. Et quidem cùm ei conuitiabantur, blandè eis IESVS loquitur: cùm autem adulabantur, conuitiosè respondet. Demonstrans quòd vtraque passione erat superior, & neque conuitiis in iram deducitur, neque ab adulatione mollitur. Verùm (vt acute inibi Hugo notauit) quid est: *Signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ? Nonne signum fuit Lazari suscitatio? Vox de cœlo audita est quasi tonitruum, & Sol obscuratus est.* Quomodo igitur Pharisæis signum petentibus, respondet Christus, nullum illis signum exinceps dandum, præter signum Ionę prophetę? Hoc dubium proponit etiã Chrysostomus, & ita

Math 12. v. 38 & 39.

Hugo Cardin. ibi.

Quod in gratiam nostri non fit, fieri non putamus.

soluit: *Quid igitur inquies? Nonne data sunt ipsi signa petenti? Sed non vt eos induceret, verum vt alios alliceret, signa faciebat. Aut ita igitur respondere possumus, quia non habituri erant tale signum, quale illud erat.* Nempe Christus Deus plura deinceps facturus erat miracula in cœlo, & in terra, vt ex Euangelio liquidò constat: at quia Pharisæi *volunt*, vt illorum gratia aliquod miraculum tunc fiat: quia Christus Deus tunc illud non fecit, nec illorum causa adsimile miraculum posteà patrauit; inde verè dixit: Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Res planè mitissima! Aiunt Scribæ, & Pharisæi: *Volumus à te signum videre*, id est, volumus vt confestim miraculum aliquod facias, in nostri gratiam, vt te esse à Deo missum indubiè credamus. Renuit Christus miraculi modum, & rem miraculi illis adnuit: & tamen absolutè dicit: *Signum non dabitur ei.* Non quia Christus exoptatum signum exinceps non dederit; sed quia illud nec quando, nec quomodo Pharisæi postulabant, dedit. Si rei expetitæ modus desit, etsi res adsit, vix, aut nec vix quidem rei exoptatæ vocabulum adesse putatur. Plura suæ potestatis signa Pharisæis dedit posteà Christus: at quia illa non edidit quando, & quomodo ipsi postulabant, nullum à se deinceps signum dandum fore pronunciat. Luculéter planè Chrysostomus.

Chrysost. hom. 44 in Matth.

3. *Quod non fit quando, & quomodo volumus, infectum credimus*

Actorum 3. Petrus, & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam, vt languidi curatio foret orationis appendix. Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris suæ, baiulabatur. Sic in naturæ officina prouenerat. Vitium natiuitatem non expectauit, sed nixum anticipauit noxa, & falsam naturam formatio redarguit. Fallitur enim sæpè natura dum fingit, vt imperantis Dei ministra videatur, non etiam creatrix. Baiulabatur item claudus, qui alienas de more manus mutuabat, iisque vt pedibus incedens ægritudine præpeditus vno circumscribebatur loco, velut saxum aliquod in templi vestibulo proiectum. Claudum ibi collocabant, vt stipem peteret ab introeuntibus in templum. Is temporaria subsidia hiare adsuetus, cùm videret Petrum & Ioannem incipientes introire in templũ, rogabat vt eleemosynam ab eis acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Respice in nos. At ille intendebat in eos, sperabat enim se aliquid accepturum ab eis. *Petrus autem dixit: Argentum, & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Christi Nazareni surge, & ambula.* Scilicet cum naturæ paupertate pecuniarum inopia coniuncta erat, & miseri calamitates ita partitæ: natura enim male pedatum genuit; inopia verò rogatorem fecit. Sed quid est quòd Petrus dum suppliciter hianti stipem, integram sanitatẽ impertit, vt ad se priùs conuertat oculos, requirat, & se nec aurum, nec argentum habere præludat? Eccur hoc præludio vtitur, quasi se eiusmodi proœmiolo excuset, quòd stipem petenti, sanitatem donet? An non pretiosius, & sublimius quid dat, qui integram sanitatem languido donat, etsi eam non petat; quàm qui inopi postulanti eleemosynam dat? quare ergo pauperi ægro obolum petenti, quasi donatiuum excusans, ait: *Argentum, & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Christi Nazareni surge, & ambula?* Dilucidè Seleucianus Basilius præfata verba hoc pulchro glossemate ad rem illustrat: *Desidiosum claudum iubet nonnihil lucelli curam remittere. Ne, inquit, obolos modo quæsieris, gratia mendicus esto, non pecunia. Ne pecuniam quæsieris,* quam

4.

Act. 3 v. 6. *Satagit Petrus, vt vilem stipem optans & petens, sanitatem à se largitam æstimet.*

Basil. Seleu. orat. 21.

quam dare nō habeo Roga mali exolui, cuius rei gratia mecum communicata est. Tu vero cum differtis auro thesauris, quod a nobis accipis, compone. Pro obulo fer pedes, pro pane temporario naturæ supplementum accipe, pro amoris solatio vim vsumque membrorum. Hæ meæ diuitiæ, hoc aurum Petri, hoc Apostolorum munus. Scilicet tu panem temporarium, & precariam stipem hias, id vnum tibi modo in votis, & in pretio est: ego autem argentum & aurum, quod tibi erogem, non habeo; si autem ab optatissimæ stipis lucello oculos & appetentiam auerteris, forsan æstimabis integram membrorum sanitatem, quam pro expetito obolo tibi impertiam. *Todas estas saluas hace Pedro, para que el pobre estime la salud que le offrece, quād el pedia otra cosa.* Quid exaggeratiùs? ô, siquidē in expetita ferimur, licet illa sint vilia. & nec pili quidem æstimanda, vt Petrus sumptuosis vtatur præludiis, quo gratanter accipiantur magna, dum exigua expetuntur; ô nugacem humanæ voluntatis violentiam! Nihil Magnum in pretio est volenti parum; Voluntas rerum pretia facit. Regis gratia, prælustre in palatio munus, opulentum Principis donatiuum, vile erat Tobiæ, cuius vota pietatibus inhiabant. Vnde Regium fauorem eò deflectit, vt liberam nanciscatur facultatem *eundi quocumque vellet*, vt lustrando prouinciam, contribulibus egenis largàs posset eleemosynas facere, & spiritualibus monitis ad omnem sanctitatem instruere. O voluntatem tuam benè cum Tobia colloca!

Hic versu 14.

5. *Foedo vulneri occultam medicinam Christus fecit, quæ medum etiam sanitatis tribuit.*

Marci 5. v. 27. & 28.

Marci 5. Iairus ille Synagogæ princeps, etsi humili cernuatione demissus, principali tamen fastu elatus, non tantùm defunctæ filiæ sanitatem; sed quam naturam quoque festinat onem exposcit. Annuit Christus: & dum curiam cōtendit, multa hominum turba stipatus, fit obuius Hæmorrhoissæ, quæ diu fœdo languore morbida, nolebat salutem pudore mercari. *Hæc cum audisset de IESV, venit in turba retro, & tetigit vestimentum eius. Dicebat enim: Quia si vel vestimentum eius tetigero, salua ero. Et confestim siccatus est fons sanguinis eius.* Parùm foret Christi beneficentiæ, & mulieris voto, vt inopinatam salutem re humanitùs desperata, felix inueniret, nisi in fidei secreto, optatæ salutis modum sua verecundia reperiret. Quod appositè Chrysologus his verbis adnotauit: Domino, inquit, Archisynagogus occurrit, & totus prolabitur in terram, causam refert, imperat vt properet, & accedat ad curam. *E contra mulieri Dominus non quæsitus occurrit; præteriens occasionem salutis ingessit; tacens causam tacentis agnouit, occultum vulnus etiam celantis aspexit. Inter Dominum & mulierem furtiue salutis agitur tam grande commercium.* Quid accommodatiùs? Expende singula penè verba, quæ rem præsentem idoneè loquuntur.

Chrysol ser. 36.

§. XLVIII.

Quantò magis fugit Luna Solis fulgores, tantò eos sibi magis appropriat, & suos facit.

1. *Ambitio dum sequitur Potentem, Dignitates ra-*

SVmma Potentium felicitas putatur, quod numerosa hominum turba eos comitetur. Sed turba est, quæ felicem sequitur; virtus vel in infortunio sola, felix est. Ambitio aliorum, male te fortunatum reddet: nemo alieno vitio bonus est. Obsequentior comitatus, non tam sequitur Potentem, quam Dignitates ambitione persequitur. *Mel muscæ sequuntur, cadauera lupi, frumenta Formicæ. Prædam sequitur ista turba, non hominem.* Vide quibus elogiis deturpet Seneca, eos, qui sequela, adulatione, & obsequio, Dignitatibus furaciter insidiantur. Nemo aliena, nec de aliena magnitudine magnus est. Cuiusque statura nascitur, non fit. Pygmeus supra excelsum collocatus obeliscum adhuc pusillus est; gigas in puteo profundus, staturam suam seruat. De suo est, quicquid hominem facit paruum, siue magnum. Desine patronos quærere, qui te in fastigio collocare possunt magnum facere non possunt, imò & te adscititia ambitiosè sublimitate minorabunt. Exiguum est, quod aliunde excrescit; opacum est, quod de alieno splendet; infimum est, quod extraneo viget robore. O fuge quidquid votis suspirat ambitio! Arbustina & tenella vitis capreolis flagellisque vitiosiùs amat masculo tibicini adhærere; sed de adminiculi diuortio, arbor fit. Fuge ab alio accipiendam Dignitatem, vt de inambitioso recessu, eam facias tuam.

pacissimè persequitur. Seneca de Remed. fortui.

Geneseos i die quarta mundialis opificij, sydereas cœli faces condit Deus: *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei: & luminare minus, vt præesset nocti: & stellas, Et posuit eas in firmamento cœli, vt lucerent super terram.* De æqualitate olim luminis Solis & Lunæ, Iudæi apud Lyram, & Machometus in libello disputationis cum Abdia Iudæo, multa poëtantur, potius quam referunt. Sed receptissima Patrum & Astronomorum sententia est, Lunam de se parùm splendidam, potiorem luminis sui portionē à Sole mutuare. Quod & docet Iunilius hîc, & nos iuuenili calamo hac super re in Philosophicis olim ludebamus. Sed disquirere lubet, quam ob rem Luna dicitur *luminare magnum*, etiam dum simul cum Sole inducitur; & mox adiuectu ad eundem Solem *luminare minus* appellatur? Porrò cùm Luna lucendi dignitatem à Sole fœneretur, mirùm non est, quòd nuncupetur *luminare minus*: mirissimum autem est, quod aliquando comparatione etiam Solis, *luminare magnum* nominetur, æquali cum Sole elogio. Verùmenimuerò disquirere oportet quo pacto lucendi præsidentiam, & splendorum gratiam, à Sole Luna mutuetur. Num lucem ambitiosè à Sole emendicet? an generosè illam accipiat? Accipe arguta verba, ab Auctore inelegāti vita æquè ac elegāti calamo exarata *Luna, inquit, Solis æmula, noctis decus, seu corniculata, seu dimidiata, seu pertumida, seu plena sit, varia ignitā face, quantò longiùs abit à Sole, tantò largiùs illuminata pari incremento itineris, & luminis, mensē suis auctibus, ac paribus dispēdiis extimat.* Alibi ad alias theses expendimus, quàm angustè Phœbus suam Phœben muneret. Nunc autem adnotare iuuat, quam generosè Luna Solis æmula, Solis præstantiam æmuletur, quò parilitatis cum Sole elogium promerita est. Nempè non Luna ambitiosè Soli adulatur, Soli ancillatur, Soli adhæresscit, vt fulgores ab eo mutuet, quibus terrarū *præsidentiam* præclarè obeat. Sed quasi Solis potentiam fastidiat, ab eo discere festinat, at velut de discessus inambitiosi merito, *quanto longiùs abit à Sole, tantò largiùs illuminata, pari incremento itineris & luminis, mensem suis auctibus, ac paribus dispendiis extimat.* Generosè à Potentiori Dignitatem accipit, qui dum magis ab eo fugit, magisque recedit,

2. Genes 1. v. 16. & 17.

Lyra ibi. Machometus.

Iunilius ad ea verba.

Qui de alieno lucere fugit, cum æmulatur, qui de suo lucet.

Apuleius in lib. de Deo Socratis.

cedit, eò magis ad præfecturam quæritur. Fateor, ab alio habet Luna præsidentiæ decus, & lucendi Dignitatem: sed quia non sordide illam ambiuit, sed à generoso recessu mutuauit; pari præclaræ magnitudinis elogio sublimatur. Vnde dicitur: *Fecitque Deus duo luminaria magna*, quasi Luna à se etiam habeat lumen; quia non illud ambitiosè emendicando, sed generosè ab illo fugiendo, à Sole accipit. Alienis splẽdoribus Luna fulget, qui est degener lucendi modus: sed vsqueadeò nobiliter degenerat, quisquis alienam lucem fugiendo, largiùs illuminatur, vt prærogatiuam Solis, qui à se lucet, possit sic lucendo æmulari. *Fecit Deus duo luminaria magna. Luna Solis æmula, quantò longiùs abit à Sole, eò largiùs illuminatur.* Quid illustrius?

3 Matth. 24. v. 29. Matthæi 24. signa, & horrores finalis iudicij præsagit Christus, vt peccatores metu territans, auertat peccata: & terræ calamitatibus præstrictim recensitis, ad cœlorum prodigia gradum facit, *Statim*, inquit, *post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna, non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur.* Profectò Sole nigris tenebris obscurato, superuacaneè dici videtur, Lunam etiam obtenebrari. Apparatum horroris amplificat Euangelista, dum explicatiùs tradit, vel potiùs, quod prius dixerat, iterùm inculcat. Si Sol obscuratur, perspicuum est, Lunam pariter infuscari; Luna enim lumen suum à Sole fœnerat: vnde obtenebrato Sole, necesse est, Lunam pariter obscurari: (nam ex sicco fonte riuulus non emanat.) Imò miraculum foret, quod atrato Sole, non appareret Luna insimul obscurata. Quin & fortè videri posset alicui, non satis idoneè dictum, *Luna non dabit lumen suum*, quod Soli propriè conuenit, non Lunæ, quæ de Solis fulgoribus lucet. Vnde propriùs dicendum fore videretur: *Sol non dabit lumen suum, & inde Luna obscurabitur.* Nam lumen, elogium proprium Solis est, Lunæ alienum, & à Sole mutuatum. Cur ergo Lunæ quasi proprium adscribitur; Scilicet verum est, quòd Luna fulgores à Sole, tanquam à sidereæ lucis fonte vbertim fœneratur, ast quia illos non ambitioso negotiatur obsequio, sed eos fugiens nam *quantò longiùs abit à Sole, tantò largiùs illuminatur*, inde Luna vel alienos fulgores sic facit suos, vt Lunę potiùs adscribi videantur. Consultissimè ergò dixit Euangelista: *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum*, quasi sit lumen suum, quod sic generosè ab alio possidet. Alienum est, lucendi decus quia illud ab alio mutuat: at fulgorum Dignitatem non emendicat ambitione sordida, sed illustri fuga, & generoso recessu, quasi Dignitatis refuga Hinc vsqueadeò augustè sibi lucendi decus appropriat, vt alienum lumen, quasi Lunæ proprium & agnatum moralissimè dicatur: *Luna non dabit lumen suum.* Sordida ambitio furatur Dignitates, quæ sub alieno possessore semper squalent: qui autem eas sedulò fugit, ita quod ab alio accipit, appropiat sibi, vt suum potiùs, quàm alienum videatur. Tuum est, quod illud fugiendo adeptus es Bellè de suo Honorato dixit Hilarius: *Refugam suum sacerdotalis infula nectit, & qui a venire ad dignitatem detrectauerat ad ipsum dignitas venit.* Lumen Lunæ est, quod dum longius à Sole recedit, largiùs accipit, O bonum sibi appropiandæ dignitatis arbitrium, de cœli politia commendatum!

Luna à Sole fugiens, lumẽ Solis suum facit.

Idem ibid.

Hilar in vita Honorat apud Surium tom. 10.

4 Vnde hìc vers. 15. Tobias prælustrem in Regis palatio Dignitatis, virtutis merito, non negotiosa ambitione, quæsitum, dum feliciter obit; protinùs vers. 15. facultatem à Rege obtinet, longiùs à regno abeundi, & per alia regna peragrandi, quasi gloriosus Dignitatis refuga. Qui vulgò inopinatus recessus, benemeritum & inuenit, & fecit, altius sibi conuiscerans Dignitatem. Dignitatem, inquam, quam in Palatio adeptus est, non ambitione sollicita, seu velut inerti virtutis otio: Nam etsi facultas negotiosa eum in tanti honoris apparatu deseruit, virtus conscia non celauit. Ergò animati sint ad talia, qui de sua videbantur desperare fortuna. *Nam omnes* (ait Theodoricus apud Cassiodorum) *sub diuersitate prædicantur, quos huiusmodi nomen honoris amplectitur: & magis nescio quid amplius meriti extorsisse creditur, qui rem laborantium otiosus meruisse sentitur.* Bellè quidem, nisi postmodum de aulico ingenio addidisset. *Ita tamen, vt illi modis omnibus præferantur, qui sudore maximo nostris aspectibus affuerunt.* Ita terrenus Princeps, aliter sidereus Rex, Sol, inquam.

Hic v. 15.

Cassiodor. lib. 5. epist. 10.

5 Geneseos 1. in nascentis mundi auspicio, lux creatis rebus in cœlo accenditur, Sol inquam, non plena splendorum lampade exornatus. Dixitque Deus: *Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona*: (hoc est, læta, vtilis, benefica) *& diuisit lucem à tenebris.* Adeò est perspicuè notum; quòd lux est tenebrarum exgrex, vt negotium potiùs facessat interpretibus, quo pacto primæua illa lux potuerit à tenebris diuidi; quæ cognato naturæ suæ diuortio ita diuisa est, vt in vnum nequeant coalescere. Itaque lux, id est, Sol diuisus est à noctis tenebris, & loco, & tempore, & proprietatum elogio, vnde Deus diuisisse dicitur inter Solarem lucem, & nocturnas tenebras. Num exindè noctis tenebrę, Solis beneficẽtiam ignorant? Audiendus est Philo moralissimè nunc Astrologus. Post solstitium verò *Sol*, inquit, reuertens per eandem viam, nec celerius, nec tardiùs: sed eodem modo, per eadem spatia, pari ordine ad autumnale æquinoctium incedit, æquataque nocte diei, *noctem augere incipit.* Ecce tibi Sol, tametsi à noctis tenebris diuisus, & vasto segregatus spatio, *noctem augere incipit*; ne vel noctis sibi contrariæ, & longè dissitæ absentia, Solarem beneficentiam ignoret. Mirissimum quidem ethicè est; quòd vel obscuræ noctis incrementa clarissimo Soli debeantur. O sidereas luces de absentia quoque munificas!

Genes. 1 v. 3. & 4.

Nox sua incrementa Soli debet.

Philo in lib. Qui rerum. diuin. hæres.

---

§. XLIX.

Non bona Concionatoris vita, sermonum veritatem mentiri vulgò creditur.

NOn quantum vis, sed quantum capis, hauriendum est: bonum tantùm habe animum, capies quantum voles. Quò plus recipit animus, hoc se magis laxat. Plurimum autem recipiet, si non tantum auribus, sed etiam oculis Philosophiã virtutum haurit: ex Philosophia enim Socratis plus aspectu, quam auditu Plato ebibit ab homine. Qui in Solẽ venit, licet nõ in hoc venerit, colorabitur. Qui in vnguẽtaria taberna resederũt, & paulò diutius commorati sunt odorem secum loci ferunt. Et ita qui apud morum Magistrum fuerunt, 1.

Non tam ad loquentis orationẽ, quàm ad operantis similitudinẽ viuimus.

fuerunt, non tam de verborum, quàm de motum elegantia, multa in se ipsis exprimunt. Si vita verbis discordat, sermo ad aures venit in mores auditorum non descendit. Quidam veniunt, vt Dei verbum audiant, non vt discant: sicut in theatrum voluptatis causa, ad delectandas aures oratione ducuntur. Magnam hanc auditorum partem videbis, cui opinatissimi Prædicatoris concio, non tam schola virtutis, quàm diuersoriorum otij est; quia eum concinnè tonantem audiunt, non quæ docet, operantem vident. Exindè quod de ore discunt, dediscunt de motibus: & Dei verbum quod audiunt, velut quempiam tumusculum putant, qui circa aures resonat, non transit in mores, concordantis vitæ defectu. Magno adsensu recipiuntur, quæ oculis videmus exempla, nec tam ad orationem, quàm ad similitudinem viuimus. *Illa vox* (vt tradit Gregorius) *libentiùs auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat.* Tertullianus exponens illa Pauli verba: *Quis scit quæ sunt in Deo, nisi spiritus, qui in ipso est?* ita scribit profundo stylo: *Sermo autem spiritu instructus est, & (vt ita dixerim) Sermonis corpus est spiritus*: Et infrà emphaticè addit: *Nam & spiritus substantia est sermonis, & sermo operatio spiritus.* O quàm multa quàm paucis!

Greg. Pastoral. p. 2. c. 3. Tertul. adu Prax. c. 8. & 26.

2. Iobus cap. 6. tot tantisque plagis saucius, diram dolorum acerbitatem querelis incessanter demóstrat. Quis det, inquit, vt veniat petitio mea: & quod expecto, tribuat mihi Deus? Et qui cœpit, ipse me conterat: soluat manum suam, & succidat me. O quali angitur tristitudine, cui vita in fastidio est, & mors in voto! *Et hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcat, nec contradicam sermonibus Sancti.* Hæc vltima huius versiculi verba, ita exscribunt Græci codices, multa cum emphasi, adspectu ad Iobi innocentiam: *Non parcam*, ait, *non enim mentitus sum verba sancta Dei mei.* Locus difficilis, & intellectu in primis arduus. Et quidem præterquam quòd id non obiectauerat Eliphaz Themanites, & inde responsum otiatur; vix capit mens humana quomodo homo possit Dei verba mētiri. Porrò si verba Dei homo proferat, verum dicit: dicit enim quæ Deus verè dixit: & sic verè, & verum dicit: nam verba Dei falsa esse non possunt, cùm summa veritas mentiri nequeat. Si autem verba quæ Deus non dixit, pronunciat, non mentitur verba Dei, qui mentiri non potest; sed suis verbis, quasi verba Dei forent, egregiè mentitur. Quo ergo pacto, innocentia sua confisus, idoneè Iobus dicit, quòd *verba sancta Dei sui mentitus non est?* Vidit hanc difficultatem Olympiodorus in Catena Græcorum Patrum, & sic præfata verba enucleatè exponit: *Vos, inquit, ipsos refellendi studio minime parcam, nec remissa, sed libera vtar oratione, cùm præcepti alicuius violati nulla me conscientia arguat.... Quam Iobi mentem, libertatemque orationis minime mentientis, cùm commendaret Scriptura, dixit: Et erat homo ille verus, irreprehensibilis.* Vir innocens, sanctus, irreprehensibilis, & qui alicuius præcepti violati nulla conscientia tangitur; ille, ille inquam, verus homo dicitur, & qui dum sermones Dei vsurpat, & ad auditorum profectum ore versat, *non est mentitus verba sancta Dei sui*, ac si ille, qui violati præcepti malitia reprehensibilis, dum verissima Dei verba loquitur, illa quodammodo mentiatur, cùm neget opere, quod ore testatur. Nempe lingua verum sermonem loquitur, quippe qui verba Dei vsurpat: sed cùm vita à sermone discordet, quicquid ore dicit ab opere alienum, propè falsatum putatur, quasi operatio alloquia retractet, & operum stylo expungat, ac deleat, quod linguæ characteribus descripsit. Quid prodest, quòd Ecclesiastes lingua fidei, alta Christianismi Sacramenta eloquatur, & politis verbis audientium mores Christiana eruditione comere studeat; si verba opere viduentur, nec ille ipse sit, qui loquitur, & qui operatur; operi credunt, sermoni discredunt, & mundi lingua loqui censetur, & adulterata fide in verbis Dei scortari putatur, & verba sancta Dei egregiè mentiri vulgò creditur Rumusculus censetur sermo sine operationis suffragio: ille vera dicere existimatur, quem cum videas, & cùm audias, idem est. Dictio opere destituta, scenica putatur fabula, palpandis auribus, potiùs quàm comendis moribus fabricata. Ergò Sanctus Iob, *cùm præcepti alicuius diuini nulla conscientia arguatur, non mentitur verba sancta Dei, & erat homo ille verus, irreprehensibilis.*

Iob 6. v. 10.

Vita irreprehensibilis facit, ne Ecclesiastes Dei verba mentiatur?

Olympiod. in Catena.

Hic v. 15.

3. Isaiæ 50. Euangelicus hic Propheta, valde actuosum se tunc in opere exhibens, continuò ita de se scribit: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum, qui lassus est verbo*, aliàs, *qui lapsus est.* Quæ est hæc lingua erudita, sic eualens ad suadelam? & vndenam hanc suadendi felicitatem mutuauit? Opera quæ partat, longa relatione addensat, & linguam se tūc habere eruditam gloriatur? An ex actuoso opere eruditur Prophetæ lingua, vt sciat sustentare eum, qui lassus est verbo, dum quod ore docet, opere persuadet? Quæ est hæc erudita lingua, quæ suadelæ feliciate, sermonis veritatem comprobat? Eloquenter Gregorius Nazianzenus Orat. in Plagam grand. hæc ad rem præsentem scribit: *Is mihi sapiens videtur, qui pauca quidem de veritate verba facit; ceterùm actionibus ipsis permulta demonstrat: vitaque integritate orationi fidem auctoritatemque conciliat.* Non eloquens rhetor phaleratis verborum schematibus, sermonis fidem elaborata dictione mercatur, & calamistrata verborum pompa dictorum veritatem ostendit; sed qui, licet pauca de veritate verba faciat inelaborato sermone sermonis veritatem *actionibus ipsis demonstrat; vitaque integritate orationi fidem auctoritatemque conciliat.* Porrò quemadmodum qui vera bene dicit, male operando, oris testimonium opere retractat; & auditores quod de ore discunt, de actionibus dediscunt: ita morum eloquentia, & vitæ elegantia, eam fidem auctoritatemque dictis conciliat, vt quod ore vere docuit, actionibus ipsis eruditè *demonstret. Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum, qui lassus est verbo.* Vita irreprehensibilis, inculpata innocentia, & sanctitatis nitor, qui in operibus micat, nescio qua gratiæ officiositate eam fidem auctoritatemque dictis conciliat, vt eorum veritatem quodammodo *demonstret.*

Isaiæ 50. v. 4.

Vita probitas, veritatis verborum demonstratio est.

Nazianzen. Orat. 12.

4. Matthæi 9. ascendens IESVS in nauiculam trāsfretauit, & venit in ciuitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et vidēs IESVS fidem illorum, dixit paralytico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Hæc dicens, Deum se volebat intelligi, qui per hominem oculis adhuc latebat humanis: virtutibus autem, & signis comparabatur Prophetis, qui per ipsum fecerant, & ipsi virtutes, peccatis autem dare veniam, quia penes hominem non est, & est singulare Deitatis insigne

insigne, Deum illum pectoribus inserebat humanis. Probat hoc Pharisaïcus liuor, nisi de propriæ malitiæ genio, nimis suo detraheret suffragio, & minimè sibi coherens effecisset: nam cùm dixisset Dominus: (vt subtiliter philosophatur Chrysologus) *Remittuntur tibi peccata tua*, responderunt *Pharisæi: Hic blasphemat: quis enim potest peccata remittere, nisi solus Deus? Pharisæe, qui sciendo nescis, confitendo negas, cùm testaris impugnas: si Deus est qui remittit peccata, cur tibi Christus Deus non est, qui vnius indulgentiæ suæ munere, totius mundi probatur abstulisse peccata.* Pende verba, & nota Sacramenta. Nempè scribæ & Pharisæi erant diuini sermonis apud Iudæos ministri, qui de rebus Dei erudiendo populo peritè præesse putabantur: hi autem cùm prauis moribus culparentur; elatione, hypocrisi, auaritia, fastu, Dei verba tractabant, vndè quod ipsi tacitè asserunt, blasphemiæ, manifestè insimulant, secum palam pugnantes. Nam dum quispiam eorum, de ore Christi audit: *Remittuntur tibi peccata tua*, confestim dixit: *Hic blasphemat, quis enim potest peccata remittere, nisi solus Deus.* Porrò si nemo potest dimittere peccata, nisi solus Deus, quare qui peccata remittit, non tibi homo Deus est, sed impiè blasphemus. O quàm malè verba Dei administrat iniquitas, vitæ nequitia sermonem ambiguè adulterante! *Hic blasphemat*, inquit, *quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus; Pharisæe, qui sciendo nescis, confitendo negas, cùm testaris impugnas.* Vide quid Pharisæorum verbis afflet Pharisaïca malitia: verum dicendo, mentitur; adtestando diffitetur, suffragando aduersatur. O quàm est infortunata veritas in homine malis moribus prædito! *qui sciendo nescit, confitendo negat, testando impugnat.* Quòd grande sit Sancti Iobi elogium, quòd *verba sancta Dei sui mentitus non est: erat enim homo ille verus, & irreprehensibilis; & præcepti alicuius violati nulla eum conscientia arguebat.*

Matth. 9. v. 3. Chrysol. ser. 50.

Pharisæus sciendo nescit confitendo negat testando impugnat.

5. Geneseos 48. sic ad suum Iosephum moribundus Iacob fatur: *Mihi enim quando veniebam de Mesopotamia mortua est Rachel in terra Chanaan .... & sepeliui eam iuxta terram Ephratæ.* Importuna videtur hæc narratio sepultæ in via Rachelis, cùm rem aliam diuersissimam moribundus Iacob agit cum Iosepho. Vidit hanc difficultatem subtilis Caietanus: & ita inibi scribit: *Consentaneum rationi est, vt Iacob exacto à Ioseph iuramento quòd sepeliret eum in sepulcro patrum suorum, cognouerit, vel audierit rationem contra eum, quòd matrem ipsius Iosephi non sepelierit Iacob in sepulcro maiorum Abrahæ, & Isaac, Saræ, & Rebeccæ, tanquam minor cura fuerit Rachelis, & tam sollicitus sit de sepulcro suo.* Benè quidem & optimè notatum ad erudiendos Præfectorum, & Concionatorum mores, qui in se sollerter procurant, quod in aliis oscitanter negligunt. Præsulis sollicitudo de proprio honore, aut commoditate, reliquis, etsi voto ad id præstandum adstrictis, quasi facit præuaricationis ius. Quis sibi ab alio exigat, quod ipse erga alios negligit. Non satis fuit Iacobo iuramento extorquere à Iosepho, de se in sepulchro maiorum humando, nisi etiam se priùs excusaret, cur Iosephi matrem in eodem Maiorum sepulchro non impari honore condiderit. Verbis concordent facta: facile enim est perfecta quæque ab aliis exigere, quod facile non est, in nobis præstare.

Gen 48. v. 7. Caiet inibi.

Excusat Iacob non fecisse erga alios, quod erga se fieri iubet.

§. L.

Infausta sibi ominatur Princeps, qui sceptro deliciarum dulcedinem libat.

CÆsari cui omnia licent, multa non licent. Omnium enim domos illius vigilia defendit; omnium otium illius labor; omnium delicias, illius industria, omnium vacationem illius occupatio. Ex quo se Cæsar orbi terrarum dedit, sibi eripuit; & siderum modo (quæ irrequieta semper cursus suos explicant) nunquam illi licet, nec subsistere, nec quicquam suum facere. Non putat sibi populos viuere, sed se viuere populis. Augustior purpura, nobilis quædam seruitus est magno empta Sceptrum ingenuè vectigale est magnis curis, & incommodis, quæ sunt potestatis stipendia; non otiandi licentia, non lasciuiendi otium, non deliciarum priuilegium. Heu, qui totum se debet aliis, totum se propriis voluptatibus impendet? 1.

Seneca lib. de Consil. c. 26.

2. 1. Regum 14. in malè concisas Philisthinorum phalanges, Saül durè ferocit, & per saltuum ardua fugitiuas persequitur. Adiurauit autem Saül populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis. Et non manducauit vniuersus populus panem: omnéque terræ vulgus hostes persequendo, venit ad saltum, in quo erat mel super faciem agri. Ingressus est itaque populus saltum, & apparuit fluens mel, nullusque applicuit manum ad os suum, timebat enim populus iuramentum. Porrò Ionathas non audierat cùm adiuraret pater eius populum: *extenditque summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis: & conuertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius.* Quod vt resciuit rex Saül pater principis Ionathæ, ait: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, *quia morte morieris Ionatha.* Non discutiam hic cum interpretibus, an Saül malè adiurauerit populum, vt ieiunus ardui prælij labores tandiu sustineret? an populus diù præliando fessus, ad iuramenti obseruationem teneretur? *Aspice* (ait Chrysostomus) *qualis ex hoc iuramento laqueus exoritur. Siluam præteribat exercitus fauum habentem, & fauum ante faciem populi, & ingressus est populus ad fauum, & transibat loquens. Vidisti quanta vorago? Mensa extemporanea, ut accœnandi facultas, & nutrimenti suauitas, & latendi spes, in iuramenti præuaricationem ipsos allicerent .... Nec intra se dixerunt: Quid autem nobis cura est? Nunquid enim quisquam nostrum obiurauit? Ille inconsideratorum pœnas dabit iuramentorum.* Sed quicquid sit de populi obligatione ad inconsultum Regis iuramentum seruandum; in confesso omnibus est, Ionatham paterni iuramenti inscium, illo non teneri. Quin & paruitas violati præcepti materiæ, à graui præuaricatione potuit forsan Ionatham excusare. In quo igitur situs est tanti sceleris reatus, qui sit Principis morte plectendus? & sanè à patre Rege hæc durior mortis sententia in Principem fulminatur. Audiendus est Ionathas ad patrē suum loquētem: *Gustans gustaui in summitate virgæ, quæ erat in manu mea paulùlum mellis, & ecce ego morior. Et ait Saül: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha.* Præuaricatio principis Ionathæ culpa vacat, & à Deo per

1. Reg 14. v. 27.

Chrysost. homil. 14 ad populum.

Moritur Ionathas, quia sceptro dulcedinem gustauit.

per sortem, à patre per sententiam acerbissimæ addicitur morti, quando ipse cum suo armigero tantam victoriam reportarat? Putauerim, hîc non tam Ionatham, quàm Principem peccasse, & quidem exemplari Principum reatu. Peruestigemus quodnã fuit Ionathæ scelus. *Extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis, & conuertit manum suam ad os*

Sanct. ibi. n. 40. *suum.* Ad quæ verba opportunissimè Sanctius: *Porrò virga sceptrum est, quod vt dux exercitus de more ferebat in manu.* Ecce Ionatæ reatum, quo Principatum infaustè ominatur. Nempe *sceptro* fauum libat, mella prægustat, & melleâ dulcedine suauiter deliciatur. O eruditionem arcanè politicam! Qui sceptro dulcedinem gustat, etsi eiusmodi gustus male dulcis, crimine vacet, durâ morte in Principe mulctatur. Capite reus designatur à Deo, addicitur à patre, Princeps ille, qui etiã innoxiè, *sceptro* dulcedinem gustat. O malè ominatum Ionathæ principatum! ô salutarem Regibus, Iudicibus, & Superioribus eruditionẽ! *Sceptrum*, quod ad leuamen subditorũ datum est, ad proprias delicias ignobiliter degenerat, turpi Potestatis adulterio, *sceptri* priuatione, & præmatura exinceps morte, luendo. Qui sceptro auidè dulcedinem libat, in Dignitate scortatur deliciarum libidine. O quàm male laboriosi officij stemma, sit voluptatis officina, & iuge deliciarum promptuarium! Vnde moralissimè hic inducitur *Ierobo-*

Hic vers. 5. Infrà vers. 15. *boam*, qui ille ipse fuit, qui Salomonis delicias, quas *sceptro* vel vsque ad nauseam degustauit, seuerissimè castigauit in filio, & indecorâ regni scissione mulctauit. Satiùs Tobias fastigium reformat in irrequietas contribulium curas.

3. Isaias sui vaticinij cap. 9. futuri Messiæ indicia exultanter prædicens, ait: Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius, ita facile superatutum, vti Gedeon Madianitas detriumphauit. Addit ad rem: Paruulus

Isaiæ 9. v. 6. enim natus est nobis, & filius datus est nobis. *Et factus est principatus super humerum eius:* & vo-

Princeps est quasi humerus populi. cabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Sed quid est, quòd Christi principatus futurus dicitur super humerum eius? An quia principatus vel sceptrum portatur in humero, *vt significetur*

Cornel. ibi. *Principem debere esse quasi humerum populi, vt eum eiusque onera instar humeri ferat, sicut Atlas dicitur humeris suis sustentare cælum*? ita insigniter ad litteram & ad mores inibi Cornelius, de

Tertul. lib. contra Iudæos cap. 10. quo aliàs vbertim: Tertullianus verò in lib. contra Iudæos, adsimiliter locum illustrat: *Quis, ait, omninò Regum insigne potestatis suæ humero præfert, & non aut in capite diadema, aut in manu*

Ex spinâ imperiũ Christus obit. *sceptrum? sed solus Rex nouus nouorum sæculorum, Christus Iesus, nouam gloriam, potestatem & sublimitatem suam in humero extulit, crucem sci-*

Psal 95. v. 10. secundùm LXX interp. *licet, vt secundum Dauidis prophetiam exindè regnaret.* Alioqui per cabalam subtiliter hîc explicant vocem משרה *misra*, quasi per crasin idem sit quod *missir sara*, hoc est, *ex spina imperium*, vt

Christi regnum non fuit ad delicias, sed ad ærumnas. significetur, quòd Christus per spinas & cruces adeptus sit, atque feliciter obierit imperium. Denique Sanctius ad rem præsentem opportunissimè locum exponit his verbis: *Et factus est princi-*

Sanctius ibi. n. 20. Lucæ 1. v. 32. *patus super humerum eius. Neq; enim regnum Christi, sicut etiam neque regnum Dauid, cuius sedem obtinuit, ad voluptatem & delicias fuit, aut inertis otium; sed ad curam, laborem, & onus.* Nempè Ionathas infaustè ominatus est suum principatum,

· *P. Didac. de Celada in Tobiam.*

dum *sceptro* dulcedinem libat: at Christus, cuius *ex spina imperium*, cuius è cruce regnum? qui dum in patibulo titulatur Rex, non mella sceptro libat, sed felle, & aceto acerbiùs potatur, felicissimo augurio regnum auspicatur. *Et factus est principatus super humerum eius: & vocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* & alia sexcenta elogia è quibus eius coronam Propheta texit, O necessariam Principibus eruditionem!

Oseæ 13. v. 11. 1. Reg. 8. v. 11. 4. Oseæ 13 iratus Dominus Israëli, sic ait: *Dabo tibi Regem in furore meo* Nimirùm alludit ad ius regni, quod ipsis proposuit Samuel. 1. Reg. cap. 8. *Hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis.* Agros vestros, & vineas, & olíueta optima tollet, seruos etiam vestros, & ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo. Filias quoq; vestras faciet sibi vnguẽtarias, & focarias, & panificas: & (vt summatim dicam) sceptro potentiæ optima quæque delibabit, vel ad nutum exhauriet, quasi regio solio feliciter debita. Adeò, vt de Dauid rege, dum iniustè ferebatur in collibitas salaciter voluptates, & Nathani prophetæ verbo cohibitus est; dixerit Ambrosius: *Bonus ergò Dauid, & multò admirabilior, qui potestatem vicit, quàm qui amorem. Castitas enim corpori nonnunquam defertur, frequenter errori; potestas Deo subditur: & faciliùs reperies qui se in amore cohibeat, quàm qui potestate moderetur.* O! sic est cognatum Summatibus auidiùs ferri in optima quæque & aspectabilia, eaque *potentiæ* libidine degustare; Homo cupidinis fomite sufflammatus, impotenti naturæ impetu effrenis in venerem fertur, cæco humanitatis impetu. At citiùs luxuriæ autigatorem inuenias, quàm magnæ *potentiæ* moderatorem: nam *faciliùs reperies, qui se in amore cohibeat, quàm qui in potestate moderetur.* Quid tam Proceribus frequens? sed quid tam exitiale? Morte morieris Ionathas, qui excelsi principatus *sceptro* melleam dulcedinem libas.

Faciliùs inuenitur, qui libidinem cohibeat, quàm qui potentiam moderetur. Ambros. in Apol. pro Dauid.

5. Ennod. in Panegyr. Ennodius ne magno suo principi Theodorico adulari videatur, illi consultissimè intimat *Flosculum superuenientis imperij.* Flosculum, inquam, quippe qui exiguitate suâ, vel spei auatus sit, exiguosque huius sæculi fructus spondeat. *Non tibi ignotus est algos Scythiæ; non Meroum, aut anhelum æstibus cancrum, vt alterius possessor orbis, ignoras: didicisti vniuersa subigendo, quæ nobis vix auditu patuerunt.* Nempè strenuo Principi *superuenientis imperij flosculus*, malignos deliciarum fructus spondet, molestiarum verò fœcundos, & laborum fertiles: sceptro non libat voluptates, sed prægustat calamitates.

Imperij flosculus, quos fructus spondeat.

§. LI.

Incauta alieni delicti publicatio, emendationem fascinat, & impœnitentiæ perfectè adulatur.

1. Apud Plutarch lib. de Curios. O *Diua quàm sapis malorum obliuio!* Quod si non tam sapis, vt aliena mala nescias, saltem consultâ taciturnitate obsigna. Nil tam procliue est, quàm de alienis defectibus garrire. Sed ausim dicere, nil forsan æquè perniciosum. Nam qui delicta vel curiosâ addubitatione discutit, publicat; & publicatione prodit. Quin & dum publicat, non emendat; sed sæpe auget, & fundat;

Delicti publicatio, impœnitentiam procurat.

dum impœnitentiam publicatione negotiatur, maledicentiæ ingenio. Nihil pœnitenti tam arduum est, quàm retractare, quod consultò egit, & se errasse planè fateri. Hoc in mentis occultæ lateribus, non est adeò difficile, lenocinantibus tenebris. Quod si foràs delictum prodeat, & latè euulgetur, agnato quodam hominis fastu, illud ambit defendere, potiùs quàm retractare: & ne palam errasse videatur, delicti defensionem suscipit, qui latentis delicti pœnitentiam citiùs, quàm defensionem forsan suscepisset. Quisquis aliena euulgat delicta leui sui oblectamento, proximi obstinationem mercatur, & impœnitentiam publicatione procurat.

2. Matthæi 18. cùm suprà docuisset Christus Deus, inimicis ignoscendum esse, & iniurias durè nocenti, benignè condonandas; ne fortè patientiâ offensi abutatur offensor, & de pacatâ proximi tolerantiâ, nocentis furor peruersè nutriatur, (Quid est tam pronum improbis, quàm impunè nocere;) prouidet Christus inermi mansuetudini hominis læsi, vt offendentis emendationi consultissimè præcaueat: *Si peccauerit*, inquit, *in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum*, &c. Benè est, correptione sistit offensoris licentiam, & impunem lædendi temeritatem quandantenus frænat: at quare tam seriò præcipit vt correptio absque arbitris fiat; an non efficaciùs cohiberetur, si increpatione publica nocés mulctaretur. Sciant pluras eius flagitium, vt sibi præcaueant, vt flagitiosum notent, vt fortiùs inhibeatur offensor, publicati delicti pudore; quo si non effunditur sanguis, tamen suffunditur. Interpretes passim respondent, secretum delictum secretò corripiendum. Sed Augustinus, quo vigebat ingenio sagacissimo, & in re etiam morali perspicatissimo, subtiliter expendens illud, *inter te, & ipsum solum*, non vulgarem huius secreti causam eleganter tradit, ita fatus: *Quandò ergo in nos aliquis peccat, habeamus magnam curam non pro nobis: nam gloriosum est iniuriam obliuisci. Sed obliuiscere iniuriam tuam, non vulnus fratris tui.* (attentiùs nota verba quæ subiicit) *Ergò corripe eum inter te & ipsum solum, studens correptioni, parcens pudori. Fortè enim præ verecundiâ incipit defendere peccatum suum: & quem vis facere correctiorem, facis peiorem.* Scilicet probrosam audîsti contumeliam, quam frater aduersus te maledico ore iactauit, primò animitùs ei ignosce, dein ne præscribat malitia, secretò illum corripe, studens correptioni, parcens pudori lædentis. Ne fortè si in publico sceleris arguatur, eum pudeat coram multis suum damnare delictum, & vltrò commissum scelus retractare. *Fortè enim præ verecundia incipit defendere peccatum suum: & quem vis facere correctiorem, facis peiorem.* Sic hominem pudet sua facta publicè condemnare: Emendationem correctione intentas, & sæpè obdurationem publicitate procuras: emendatum cupis, & facis obduratum: satagis vt delictum correptione condemnet, & facis ob publicationem, vt damnandum delictum defendat: emendare cupis, & facis impœnitentem. Sic sceleris publicatior, clanculùm impœnitentiæ adulatur. O vide, quàm debes esse cautus in publicandis aliorum offensis! Verùm defectum dum publicè corripis, sæpè peccati defensorem fecisti. Ergò nocentis *parcens pudori*, secretò corripe, ne impœnitentiam publicatione procures.

Matth. 18. v. 15.

Sæpè publica correptio, non sui sceleris damnatorem, sed defensorem facit.

Aug. de Verb. Domi. ser. 16.

Lucæ 15. prodigus adolescens de calamitate edoctus, redux patri adest, sed vili & lacero indumento pannosus, an inuestis? Nempè vestimenti squalor; malitiæ squalorem, & gratiæ nuditatem ostentat: & ambitu refert vitam pascendis suibus propudiosè impensam. Cumque adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordiâ motus est, & accurrens cecidit super collum eius. Citò accurrit pater, vt seruis præcurrat: cecidit super collum eius, vt corporis amplexu, filij protegat nuditatem, ne squalidè amictus videatur à seruis; quibus confestim sic iubet: *Citò proferte stolam primam, & induite illum* &c. Eccur tam sollicitè procurat pius pater, vt quàm citissimè honesta deferantur vestimenta, quibus filium scelestum operiat? O quàm satagit, ne iustitiæ nuditas appareat, ne pennosæ & squalidæ vitiorum vestes ab vllo videantur, cùm redux à vitiis filius, pœnitentiam auspicatur! Bellissimè ad rem Chrysologus ad ea verba: *Citò proferte stolam primam, &c. Hinc est*, inquit, *quòd à seruis ante vestiri voluit filium, quàm videri, vt soli patri nota esset nuditas.* Scilicet Prodigus adolescens, quò suis inuisus, petulantiùs lasciuiret, se in regionem longinquam absentauit: libidine prodegit gratiæ censum, & sordidis peccati vestibus indecorè amicitur. Tunc pius pater videns illum pœnitentiâ motum adesse, ne illam delictorum publicatione impediat; confestim cõsultissimè iubet, vt citissimè, antequam eius nuditas (quæ flagitia publicatione denudat) ab vllo videatur, virtutis vestibus honestè induatur: ne si scelerum laceris & sordidis vestibus publicè appareat indutus, delictorũ publicatione fortè clàm inchoatam pœnitentiam impediat, & futuræ emendationi infaustè ominetur. Vnde vbi primùm vidit pannosum filium à longè venientem, ne vestium squalor delictorum publicet squalorẽ, *citò*, ait, *proferte stolam primã, &c. Hinc est quod à seruis antè vestiri voluit filiũ, quàm videri. Studens correptioni, parcens pudori: fortè enim præ verecundiâ inciperet defendere peccatum suum.* O præproperam gratiæ officiositatem! O argutam emendationis cautelam! Solerter pius pater satagit, ne vllus videat scelerum stigmata, ne scelus perniciosè euulgetur, & euulgatione, pœnitentiæ fascinet votũ. Parcit nocentis pudori, ne qui nota detestabatur errata, si fortè publicarentur incautè, eadem præ verecundiâ defendere incipiat: nam delicti secretum est pœnitentiæ lenocinium, & emendationis blandimentum. Delicta qui publicat, prodit; & publicatione impœnitentiæ adulatur. Exinde Tobias hîc vers. 15. patriæ legis desertores, non publicè arguebat, sed eosdem viritim conueniens, *monita salutis dabat eis*. Et cap. 2. vers. 17. cognatorum contra se maledicentiam, coram ipsis solis arguit, ne delicti publicationem impœnitentiam negotietur, neue faciat parari sceleris defensores, citiùs quã correctiores. Sic regere oportet proximi delicta, nisi delinquentis impudentia, aut alia ratio peridonea publicationem suadeat.

4. Matthæi 26. Vespere autem facto, discumbebat Iesus cum duodecim discipulis suis. Et edentibus illis, dixit: Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est. Scilicet Iudas proprij sceleris conscientiâ saucius, illud rectiùs dissimulare satagit; & ideò se reliquis Apostolis sollicitè ingerit, & Saluatoris lateri impudenter insinuat; eò attentiori cautelâ, quò infidæ proditionis conscientiâ animitùs fodicatur. *Omnia enim* (ait Hiero

3. Lucæ 15. v. 22.

Filij, pr digi nuditatem, quàm citissimè obtegit pater, ne fiat pœnitentiam.

Chrysol. ser. 3.

August. sup.

Hic vers. 15

Matth. 26. v. 20. & 21.

Conscientia sceleris, plus facit esse cautum, ne fortè transpareat.

Hieron. ibi. Hieronymus: *Si agit Iudas, vt tollatur suspicio proditoris.* (Et post pauca) *Temeritate, & impudentia, qua proditurus erat, etiam manum cum Magistro mittit in paropsidem, vt audacia bonam conscientiam mentiretur.* O nimis benè, & grandiori quidem cothurno Hieronymus! Sed miror sanè est perita lenitas Saluatoris, qui astutam Proditoris nequitiam agnouit, & patientiam non negauit, cùm Discipulum talia meditantem ad familiare contubernium proprius admitti; nec verbum intidum palam ablegauit, ne in Apostolorum collegio exinceps versaretur. *Vespere autem facto discumbebat IESVS cum duodecim discipulis suis.* Nempe Iudas adhuc reliquorum congrex aduertenter quasi negligitur. Sed nota verba, quæ subnectit: Et edentibus illis, dixit: *Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est.* O mitissima cœlestis Correctoris verba, quæ omnium aures generatim verberant, & penetrant vnius conscientiam, nemine vel leuiter denotato! An non præstaret inimicum proditorem amicè prodere, & acri (vt par erat) reprehensione denotare, palam corrigere, atque acerbiùs obiurgare, si fortè dura reprehensione mollescat ad emendationem; & meliora sapiens, à male cœptis pedem reuocet. Qui blanda contempsit, duriùs vapulet: dura enim ingenia, non allicienda, sed domanda sunt.

Cauendum est, ne asperior & aperta correptio impœnitentiam procuret.

Sic forsan Iudæ improbitas inhibebitur, Apostolicum collegium non deuenustabitur tam sceleroso infidè collega, & cruentè probrosum tunc deicidium fors arcebitur. Sed adhuc Christus ex sapientiæ, & prudentiæ adytis, generatim loquitur, aiens: *Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est.* Cuius bellissimam causam reddit S.

Leo ser 7. Leo re, & nomine Magnus: *In quo notam sibi esse conscientiam Proditoris demonstrauit: non aspera, & aperta impium increpatione confundens, sed leui, & tacita admonitione conueniens, vt faciliùs corrigeret pœnitudo, quem nulla deformasset abiectio.* O sic publicè asperior correptio inuerecundiam procurat! Sic inde serpens infamia impœnitentiam negotiatur, vt persæpè pœnitentiam fascinet; & scelestus emendationis indigus, non tam morbo, quàm morbi remediis periculosiùs ægrotet; Heu quàm est difficilis emendatio eius, qui aspera, & aperta increpatione confunditur! Inde cœlestis corrector *leui, & tacita admonitione* Iudam *conuenit, vt faciliùs corrigeret pœnitudo, quem nulla deformasset abiectio.* O peritissimam in re tanta correctionis ideam!

---

§. LII.

Tobias pietatis Sacramento, in materia vacans materia, in corpore incircumscriptus, & in opere vir immensus videbatur.

1. CVm hic attentiùs contemplor, quàm expromptus, & velox adsit cunctis Tobias, exemplo ope, doctrina; apud Palæstinos, Assyrios, Persas, Medos, vbique irrequieto motu motum pædagogus, errorum emendator, & eleemosynarum copiosè largitor; illud Nazianzeni de suo Basilio, protinus se in mentem ingerit: laudatur, inquit, apud Dauidem Solis pulchritudo, & magnitudo, & cursus, & celeritas, & vis ac facultas: quippe qui sponsum splendore, gigantem magnitudine

Naz. Orat pro Basilio

Tobias cum Sole comparatur, cùm nemo se abscondat à calore eius.

referat, ac longè latéque progrediendo tantam vim habeat, vt ab extremis extrema æquè collustret, nec locorum interuallis ipsius feruor vllo modo minuatur. Basilio autem (Tobiæ inquam) pulchritudo, virtus fuit; magnitudo, Theologia; *cursus, perpetua virtutis agitatio* per quotidianos ascensus ad Deum ferens; potentia, doctrinæ semen, ac distributio, facultatum etiam. *Exultauit vt gigas ad currendam viam, à summo cœlo egressio eius: & occursus eius vsque ad summum eius: neque est qui se abscondat à calore eius.* Psal. 18. v. 6. & 7. Explicatiùs tradam, quod vniuersatim perstrinximus: *Non est qui se abscondat à calore eius.*

2. Tobias hîc misericordiæ innutritus, & largis frequens eleemosynis in patrio solo assuetus; bonis spoliatus, & captiuus in Assyriam calamitosè abductus, *omnia quæ habere poterat*, quotidie concaptiuis fratribus erogabat. Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar regis. Atq; opulento in aula munere, & honorario auctus, non resedit in palatij, curiæve deliciis: *Et dedit illi Rex potestatem quocumque vellet ire, habens libertatem quæcumque facere voluisset. Pergebat autem ad omnes, qui erant in captiuitate, & monita salutis dabat eis.* Et lustrans vniuersas Salmanasaris prouincias, vbi Hebræa gēs dispersa squalebat, & egestate oppressa miserè affligtabatur; nemini deerat ope, consilio, benignitate. *Diuidebatque vnicuique prout poterat de facultatibus suis: esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, & mortuis atque occisis sepulturam sollicitus exhibebat.* Hic v. 19. & 20. Vbivis erat Tobias salutaribus monitis eos erudiens, ab erroribus ad amici Numinis cultum reuocans, & largis eleemosynis piè subueniens. *Non est qui se abscondat à calore eius*, cuius *cursus perpetua virtutis agitatio* fuit, in Palæstina, in Assyria, in Perside, in Media, & (vt summatim dicam) vbique omnibus pius, expromptus, beneficus.

Tobias in pietatis opere vir immensus fuit.

Ennodius ingenio, eloquio, & pietate notissimus, in vita S. Epiphanij Episcopi Ticinensis, virtutum illius encomiastes factus, benignitatem in pauperes egregiè commendat. *Intercessionum tantam sibi proposuit curam, vt ipsum se miseris inferre crederet molestiam, quam per negligentiam à quibuscumque permisisset inferri*, quasi parùm foret miseros propria largitionū ope subuenire, aliorum benignitatem intercessionib. extorquebat. Sed diligēter notanda sunt quę de Tobia citiùs quàm de Epiphanio Ennodius verba scripsit: *Præstrictis ergò his, quæ oportuit non omitti, vt cui innotesceret in opere vir immensus, præsentaretur, & vultu. Erat in eodem sermo ad doctrinam congruus, fabricatus ad blanditias, ad intercessiones iam tunc artifex, ad corripiendos singulos auctoritate plenus, ad exhortandos quosque necessario lepore dulcissimus.* Ennod in vita Epiph. Benè Tobias non tantùm erronibus *monita salutis* frequens dabat, sermone ad doctrinam congruo, ad blanditias fabricato, intercessionum artifice: qui ad corripiendum auctoritate plenus, ad exhortandum necessario lepore dulcissimus erat; sed omnibus miseris, & ope indigentibus, pia, & prompta Tobię sedulitas vbique aderat, immensitatis piè æmula, *vt innotesceret in opere vir immensus; cuius cursus perpetua virtutis agitatio* fuit, irrequieta vbivis benignitate. Quis in patrio solo? quis in Assyria, Media, Perside? quis in quantumvis vasto interuallo remotis locis, subsidio indigus fuit, cui non promptus adesset Tobias benignitate, ope, inter-

Tobia, & Sicli, omnis terra, & nulla terra patria est.

cessione consilio pia immensitatis æmulatione propè vbique præsentatus? quò Tobias cunctis *innotesceret in opere vir immensus*, cuius in vita *cursus perpetua virtutis agitatio* fuit; cœlestem Solem pia agilitate imitatus: *Non est quis se abscondat à calore eius.* Fateor, à patrio solo abducitur Tobias; sed qui Solem alicubi peregrinari putet, & Tobiam censebit exulem. *Exulem me vocabunt? est-ne enim certa, ac definita patria, cui omnis terra, cui nulla terra patria est?* O Paulum! ô Thomam! ô reliquos antiquos Apostolos! ô Apostolos etiam nouissimos, Xauerium inquam, virum in opere immensum! cuius cursus perpetua virtutis agitatio fuit: Non est qui se abscondat à patrio, & peregrino calore eius.

Nazianzen. Orat. 27.

Xauerij elogium de immensitatis pia æmulatione.

3. *Tobias in materia vacans materia in corpore incircumscriptus videbatur.*

Paulus 2. ad Corinthios 5. de pignore Spiritus hanc altiorem rerum cœlestium notitiam prouenire fatetur: *Audentes igitur semper*, inquit, quia ab auspicio suæ ad Deum conuersionis, nulla ei certa, ac definita patria fuit, cui omnis terra, cui nulla terra in terris patria erat; audacter vbivis mundi exul mortis, pericula subiens: *Scientes*, ait, *quoniam dum sumus in corpore peregrinamur à Domino: audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore.* Mundi exulem se putat, qui censet se à Deo peregrinari, & cupit peregrinari à corpore: vsurpans illud Basilij Magni: *Exilium haud agnosco, quia nullo loco circumscriptus sum.* Scilicet cuius cursus perpetua virtutis agitatio est, vbivis, aut nullibi potiùs in terris patriam agnoscit; quoniam Tobiæ, vel Pauli, vel Xauerij ad instar, dum peregrinatur à Domino, sic incipit à corpore votis peregrinari, vt *nullo loco circumscriptus sit.* Lustra Palæstinam, Mediam, Persidem, Assyriam, & vbivis, quasi ibi vbi Tobias est, pietatis eius vestigia inuenies, nulli calamitoso absens, nulli misero non opportunè præsens: quia ita patria exulat, vt magis peregrinetur à Domino: & inde perpetuò cunctis audenter beneficus, *nullo loco circumscriptus* videatur, quæ est arcana celsioris virtutis philosophia, quā stupet Nazianzenus, etsi altè Theologia imbutus, & diuinorum sapientia spatiosè exundans. Sic ergò fatur Nazianzenus: Duo hæc ægrè teneri queunt, Deus, & Angelus: *tertium est Philosophus; in materia vacans materia, in corpore incircumscriptus, in terra cœlestis, in passionibus impatibilis*, (locus alibi ad aliam thesim expensus; sed ad hanc peridoneus, & quo Tobiæ pia, & prompta vbique sedulitas graphicè describitur) ô sublimissimam Tobiæ Philosophiam, qua in terra degens, coloniam transmisit in cœlum, præmaturè cęlicola, & in humanis passionibus tolerantissimè impatibilis, & velut viuum cadauer. Tobiæ cursus ad rem naturæ propè nullos, ad negotium pietatis perpetua virtutis agitatio, sic viuidè extimulabat, vt ipse siue corporis expers, siue gloriæ dotibus corporatus videretur, *In materia vacans materia, in corpore incircumscriptus.* Qui à calamitosis vasto regionum interuallo absens erat, incredibili pietatis agilitate, subsidio, ope, benignitate pręstò cunctis aderat, quasi in corpore *incircumscriptus* foret, arcano pietatis sacramento quodammodo immetatus, *vt innotesceret in opere vir immensus. Non est qui se abscondat à calore eius.* Apposito ad rem Cassiodorus: *Ad colloquia, inquit, dignus, ad exceptiones aptissimus, frequenter, & in legationis honore electus; cuius multiplex meritum incertum apud nos reddebat officium. Non enim vnius loci vir debet dici, à quo multa videntur impleri.*

Apud Greg Naz. Orat. pro Basilio

Naz. Orat. 27.

Xauerius in corpore, incircumscriptus videtur.

Cassiod lib. 4. var. epist. 4.

Quod dixerat Nazianzenus: *In corpore incircumscriptus.*

In hac Tobiæ historia illum videre obuium est inter afflictarum captiuorum vulgus; sed fortunæ aleam, id est, Principis familiaritatem, & ferialia eius edicta pro pietate contemnentem: propè iam comprehensum à fuaciter crudelibus Tyrāni ministris, & quasi comprehendi non posset, ipsorum grata officiositate è manibus elapsum inopinato rerum euentu. Iam bonis omnibus spoliatum, iam derepentè insigniter locupletem; semper ridentē, siue arridentis fortunæ gratiam, siue aduersæ ingratum supercilium. Semper fuit idem, nunquam alius, Deo plenus, se contentus, mundo maior, vltra casuum aleam perpetuò sublimis. *Arguebant autem eum omnes proximi eius, dicentes; Iam huius rei causa interfici iussus es, & vix effugisti mortis imperium, & iterum sepelis mortuos; sed Tobias plus timens Deum, quam Regem*, &c. Vide an in Tobiam, ac Tobiæ similes quadret quod ad Iulianum de Martyribus scribit Nazianzenus: *Hos inter homines versantes, & rebus humanis superiores; hos vinculis pressos, & liberos, qui retenti sunt, & teneri non possunt: quorum nihil in mundo, & quorum omnia, quæ mundo superiora sunt: quorum duplex vita, altera contempta, altera studiosè culta*, &c. Ecce tibi Tobiam Nazianzeni calamo graphicè descriptum. Inter homines vulgò versabatur Tobias, sed rebus humanis superior erat, nec Principum gratia elatus, nec ingratia pusillanimus: pauper, reculis suis contentus; diues, nunquam faciendis eleemosynis satur: in aulæ fastigio, adæquè ac in fugæ latibulo semper æquanimus: exosæ ac diræ captiuitatis vinculis pressus, & ingenuè liber, & ad beneficentiam laxè vbiq; solutus: Assyria seruitute, & atrocibus Tyranni edictis retentus, & quasi corpore incircumscriptus esset, teneri non poterat, semper pietati præsens, nunquam impietatis non refuga. Nil habebat in mundo; & quæ apud illum omnia erant, mundo superiora erant. Qui ægram in afflicto corpore trahebat animam, gemina vita prodigiosè viuax erat; altera quæ mundialia, & caduca spectat, contemptim depretiata; altera, quæ beatæ immortalitati confinis est, studiosè culta ad omnes morum elegantias. Hęc pulchra Tobiæ facies, hic venustus animi ornatus, vtinam plures riuales imitatione inueniat.

4.

Tobiæ 1. v. 8.

Conglobata Tobiæ elogia.

Naz. Orat. 1. in Iulian.

§. LIII.

Pristinæ dignitatis augustiora insignia, indignum sumptuosius dehonestant.

HOnoris insignia Iustis ornamenta sunt, Iniustis probrum, & contumeliam concinnant. 1.
Magistratu indignus præeuntibus gloriose fascibus egregie vapulat, dignitatis felicitate infelix. Neque enim fieri potest vt malitia lateat in potestate. Verùm eos quidem qui morbo comitiali sunt obnoxij, si in frigus aliquod incidant, eóque corripiantur, continuò capitis occupat vertigo, atque vacillatio morbum arguens: sic ineruditos & improbos simul atque fortuna paulùm extulerit opibus, ac gloria, aut potentia subuectos in altum, protinùs ostendit caducos. *Imò potiùs quemadmodum in vasis inanibus, non queas dignoscere integra sint, an vitiosa, verùm vbi infuderis*

Clarior honor meritum honorati prodit.

Plutarchus lib. de Doct. Princip.

fuderis aliud, tunc apparet quam perſtilient. ſic animi putres non ferentes potentiam, effluunt cupiditatibus, nempe rancidia, faſtu, inſolentia; in quibus ipſi ſcortantes, Dignitatis, quam gerũt, inſignia conſtupiant: indeque ipſo felicitatis ſplendore obſcurantur, & honoris nota fit ignominiæ columna, & dehoneſtamenti titulus. Corona, diademate dignum coronat, indignum verò calceat, & decoris inſignibus infamat. Quid iuuat ſanctiſſima habere nomina, re vocabulorum vacua? An non hic Sennacheribus purpuræ ſplendore ſordidiùs ſqualet; & eius ignavia, ſceptri ſuffragio magis torpet?

Hic verſ. 10.

2. Quemadmodum qui eas regum aſpiciunt imagines, quæ a colorum ſplendore fulgores proiiciunt; purpuram, quæ marino colluceſcit flore; diadema, quod luminibus lapillorum fulgurat, & ambit verticem; dexteram quæ mundi orbem globi ſpecie digitis portare creditur; ſpectaculo illi quidē percelluntur admiratione correpti, & pulchritudinem ſibi repræſentant exemplaris, quod oculis non vident, ſed floreſcentium colorum adminiculo: Sic & eos, qui hominem in media rerum vniuerſitate tanquam animatum Dei ſignum ambitioſe decoratum intuentur, mirari quidem exiſtimo ſigni recenter effecti dignitatem; ſed creatoris magis obſtupeſcere dexteritate, qui cum omni ſapientia, parique beneuolentia hominem tot naturæ & gratiæ dotibus exornatum, in illo feliciſſimo innocentiæ ſtatu efformarit. Quanta fuerit hominis dignitas in hoc felici innocentiæ ſtatu, vt breui per peccatum amiſſa eſt, ſic longum foret eam particulam recenſere. Denique vxoris blanditiis delinitus peccat Adamus, nuditatem erubeſcit, fugit Dei vindicis conſpectum, & latebras ſollerter perquirit: & adeſſe ei, in cuius conſpectu omnia nuda ſunt, timet, quia nudus erat. Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: vbi es? *Qui ait: Vocem tuam audiui in paradiſo: & timui, eò quòd nudus eſſem, & abſcondi me.* Male compoſitæ mentis male cohærentia verba. Quare nunc timet quia nudus eſt, adæquè nudus Dei colloquiis nuper aſſuetus? Nō mirarer, quòd humanum iudicem reus nudus timeret: nam ſæpe innocentis rei paupertas, tanquam flagitioſior reatus condemnatur. At nuditas quid Deum timeat, cuius perſpicaciæ nuda ſunt omnia? Multa hac ſuper re tradunt interpretes, quorum, ſi recenſerem commenta, longum facerem. *Timui*, inquit, *eò quod nudus eſſem, & abſcondi me.* Nempe timore erubeſco, & pudore timeo: nam cum nuper in priſtina innocentiæ dignitate, inueſtis coram verſarer, & nuditate pro ornamento vterer; has felicis nuper ſtatus ſuperſtites reliquias, mei ſceleris malè cōſcius, erubeſco, & quaſi delicti accuſatrices timeo, & tanquam meæ retrò felicitatis inſignia occultare præcurro. Fallor, ſi huc non alludit Theodoretus, ſic ſubtiliter ad præfata verba ſcribens de Adamo & Eua: *Qui ſtatim vt formati ſunt nulla peccati macula polluti, non afficiebantur verecundia ſine amictu agentes.* (quæ erat illius ſtatus prærogatiua) *at periculo facto quaſdam partes corporis foliis occultauerunt.* Itaque Adam erubeſcit, & timet eò quòd nudus eſſet; & nuditatis nuper bonum pauidè erubeſcit, quaſi nuperrimę dignitatis inſigne, & dudum innocentiæ ſtatus notam. Non tam pudore ſuffundi videtur Adam, præuaricationis reatu, peccati ſqualores, & damnatæ poſteritatis contagio, quàm nuditatis nuper decoro; & iam

2. Seleucus. Orat. 2.

Geneſ. 3. v. 10.

Inſignia antiqua dignitatis erubeſcit Adam, tāquam ambitioſum tam vilitatis ſtigma.

Theodor. q. 28. in Geneſ.

poſt ſuam indignitatē, infamiſſimo probro. Exinde felici innocentiæ ſtatu indignus, & tanta dignitate meritò ſpoliatus, reliquias dignitatis in ſe male ſuperſtites horret, & honoris priſtinæ notas fœda ignominia reſperſas, timet, ac temerè compoſitis ſuccinctoriis tegere feſtinat. Sed aduertens male adhuc deletum nuperrimæ dignitatis characterem; non tam inſigne nobilitatis, quàm ſordidæ vilitatis inuſtum ſtigma reputans, antiqui honoris veſtigia erubeſcit, & timet, aiens: *Vocem tuam audiui in paradiſo, & timui eò quod nudus eſſem.* Eleganter quidem Theodoretus.

S. Iudas Thadæus in ſua perbreui epiſtola canonica, moralitatum grauida, altiſſimo ſtylo libidinem perſequitur eorum, qui *Dei noſtri gratiam transferunt in luxuriam*, & ſuaue caſtitatis otium in male dulces carnis voluptates permutant. Poſtquam verò graſſanti laſciuiæ, Sodomitico igne cauterem inurere tentauit, propudia voluptuoſæ libidinis deſcribit his verbis, quibus quaſi compendio multa abbreuiauit: *Fluctus feri maris deſpumantes ſuas confuſiones.* Non ſum neſcius plures ex interpretibus ad ſuperbiæ & arrogantiæ vitia, hæc Iudæ verba referre; ſed cum aliis præſtat ea accipere, vt *deſpumantes confuſiones ſuas*, idem ſit, ac velut ſpumam, algam, ſordes, & immunditiam, quæ ſunt maris excrementa, eiuſmodi homines concupiſcentiæ turpitudines excreare. Et ſane ſi Latiniſſimis credimus τὸ *deſpumare*, in rem Veneris apprimè quadrat. Ergò libidinis voluptas, quæ caſtitatis cœlum fragrantis, delicias interimit, *deſpumare ſuas confuſiones* eleganter dicitur. Quid enim tam obuium in ſacris Scripturis, & ſanctis Patribus, quam rem Veneris *confuſionis* elogio denotare? Ergò attentum lectorem exigunt verba Nazianzeni, ad thema præſens ſubtiliter tempeſtiua, quibus ad præfatam S. Iudæ ſententiam alludere videtur: *Omnis voluptas*, inquit, *quæ neque in Deo ſuſcipitur, voluptatis excrementum eſt.* Scilicet, cùm vera & ſolida voluptas vnicè in virtute ſit, (quod & multi Philoſophi rationes ductu aſſecuti ſunt) momentanea luxuries, & volatica, turpis, atque pœnitēda voluptas inde concepta, dum deſpumat confuſiones ſuas, non tam vera voluptas, quàm veræ *voluptatis excrementum eſt.* Porrò excrementum & ſcoria, ſpuria rei depuratæ & defœcatæ portio eſt, in aliud quid viliſſimum excretione degenerans: & inde qui Dei gratiam, id eſt, caſtitatem, *transferunt in luxuriam*, dicuntur ſuas *confuſiones* velut fæces deſpumare: nam omnis voluptas, quæ nec in virtute, nec de virtute ſuſcipitur, *voluptatis excrementum eſt*, & inde nimis vile ac propudioſum, quaſi ſpuria & reiectanea rei optimæ portio, quæ in excrementa excernitur. Quid enim tam vile, quàm ſcoria, pretioſi metalli nuper portio? Quid tam ſordidum quàm excrementa, quæ nobile alioqui viuens, per corporis cloacas egerit? Puto, ſcorias, fæces, & excrementa, de priſtina nuper præſtantia vtilitatem & *confuſionem* fœnerantur; & de dignitatis nuperrimæ notis, ignominiæ indecoro ſtigmate culpantur; eóque cenſentur abiectiora; quò clariora degeneris præſtantiæ documenta præferunt. Ergò voluptuoſa libido deſpumans *confuſionem* ſuam, erubeſcat: nam voluptas, quæ neque de Deo, neque de re Dei eſt; non vera & ſincera voluptas eſt, ſed *voluptatis excrementum eſt*; & inde voluptuando *deſpumat confuſiones ſuas.* Si nec Apoſtolo, nec Nazianzeno credis, crede experientiæ. O quanti

3.

Epiſt. Iudæ v. 13.

Voluptas, quæ in Deo nō eſt voluptatis excremētum eſt.

Nazianz. Orat. 38.

Luxurioſi dicuntur ſuilli homines.

emimus squalere, fastidire, degrauari, superbire, (compendio dicam) pœnitere! Luxuriæ dediti dicuntur à Clemente Alexandrino, *Suilli quidam homines, qui delectantur magis cœno, quàm aqua munda.*

Clem. Alex. in Adh. ad Gent.

4. Ezechielis 28. hæc dixit Dominus Angelorum principi Lucifero, vt adstruunt Tertullianus, Origenes, Gregorius, & alij: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore,* &c. Quibus verbis consummatio angelicæ perfectionis denotatur: signaculum enim est sigilli signaculum, seu figura impresso sigillo impressa. Quasi dicat: Tu fuisti signaculum perfectè incisum, planéque referens, & exprimens, tuum, tum exemplar, tum opificem, & expressorem. Tertullianus lib. 2. contra Marcionem aliter legit: *Tu resignaculum similitudinis,* quia videlicet Diabolus cor suum à Deo suo, ipsius sigillo obsignatum auertens, fraudulenter sibi per appetitionem propriæ excellentiæ resignauit. *Tu,* inquit, *es resignaculum similitudinis, qui scilicet integritatem imaginis & similitudinis resignaueris.* Resignauit quidem Diabolus *integritatem* imaginis, sed imaginem non penitùs expunxit: nam supernaturalem similitudinis perfectionem perdens sublimissimę naturæ spiritualis naturalia elogia non amisit. Vnde resignans, non omnem similitudinem, sed *integritatem imaginis resignans,* pristinæ perfectionis notamenta reliquit, ad probrosiorem contumeliam antiquæ perfectionis vestigia, seu insignia insculpta seu expressa reseruans, & ad suum probrum *resignans,* & palam gerens. *Tu signaculum,* seu *resignaculum similitudinis,* &c. Clemens Alex. denarrat, in more positum apud Gentiles fuisse, suorum Numinum illustriora facinora in annulis signatoriis incidere; ita scribens: *In annuli palla imprimunt picturam, vtentes signaculo conueniente Iouis impudicitia.* Nempè ethnicis exprobrat Clemens, quòd suorum Numinum augusta olim insignia sigillo expressa, probro illis sint, & vitiorum notacula: neque enim tam ex illis gloriam captant, quàm contumeliam: quandoquidem facinorum imago, cultorum suorum sigillo incisa & expressa, opprobrio iam sit & diffamiæ, non famæ & gloriæ: nec tam honoris gnaculum, quàm resignaculum, aut publicatio contumeliæ,

Ezech. 28. v. 12.

Cur Lucifer dicatur, perfectam Dei imaginem in se impressam resignasse.

Tertull. l. 2. contra Mar. c. 10.

Clem. Alex. in Adh. ad Gent.

§. LIV.

Potentia ad se vlciscendum, metuenda est, quasi vltioni confinis, siue inchoata vltio.

1. PRudenter sanè ille, qui conuicium audiens, non magis retulit, quàm si asini calces, passus esset, aut prætervolantium auium sordes; laudemque retulit & admirationem, & conuiciator pro asino habitus: maiusque conuicium conuiciator à contemptu, quàm à ferro retulit. Verùm enimuerò sic accepta offensa homines dementat, ad insaniam impellit, & velut furiis ad vindictam inquietat, ac si intestino agitaretur Dæmone, donec iniuriam vltione despumet. Homo enim offensus, offensæ calcare perpetim fodicante, sic fertur effræmis, & velut sui impotens ad vindictam, vt conceptum sistere furorem ægrè valeat; & posse vindictam sumere, propè idē sit, ac sumpsisse vindictam, tam exiguo interuallatur spatio res vltionis ab vltionis voto; & posse se vindicare, ab exerta vindicta. Nil furori sanctum est, nil inculpatum, intemeratum nihil, nihil in innocentiæ quoque arce tutum. Velut præceps nymbus omnia adæque in momento sternit. Ira enim nulla comit consilium mora: sed irrationabilium more belluarum, posse lædere, ferè læsisse est, læsiua furoris appendice. Quod hîc in Sennacheribo cernere licet; qui vix è Iudæa improsperè reuersus, in Israëlitas immeritos incunctanter deseuit, tota superbi sceptri potentia, & concepti furoris impotentia ad sæuitiam insanè armata.

Illata offensa contemptu vindicantur atrocius.

Hic v. 21.

1. Regum 24. electo stipatus milite rex Saül æmulum Dauidem per montium auia persequitur. Inquieta res est inuidia, & quæ proprio malo mercatur alienum, suæ incommoditatis prodiga, vt alienæ felicitatis sit auara. Venit itaque Saül ad caulas ouium, erátque ibi spelunca, quā ingressus est Saül, vt purgaret ventrem: porrò Dauid & viri eius in interiori parte speluncæ latebant. Et dixerunt serui Dauid ad eum: Ecce dies venit, de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei sicut placuerit in oculis tuis. *Surrexit ergo Dauid, & præcidit oram chlamydis Saul silenter. Post hæc percussit cor suum David, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul.* Quo animo surrexerit Dauid, incertum est, an vt securum & inermem occideret, an vt oram chlamydis præcideret hoc fecisse legitur, illud non inidonea coniectura fundat. Seriò id tractent alij, legatur Abulensis, qui ibi super hac re copiosè. Quomodolibet se res habeat, illud debet esse omnibus indubium, mitissimam & pacatissimam Dauidis pietatem hic maximè enituisse; cùm ex occasione cœlitus oblata, sęuum inhumanè aduersarium potuerit impunè perimere & Saülis cæde Israëlis sceptra redimere. Benè notat Sanctius, quod res ipsa loquitur, nempè quòd Dauid, *non tam voluit Regem occidere, quam ostendere se facile occidere potuisse; quod tunc abundè præstitit, cum frustum ex chlamyde defectum ostendit.* Verùm quare cor suum Dauidem reprehendit, quòd aduersario cruentissimo & potentissimo pepercisset? Imò si eum (poterat enim) confodisse, conscientiam potiùs mortificare vltio cruenta forsan potuisset. An peruersa pœnitentia lancinatur Dauíd, quòd veniam dederit inimico, & irato ignouerit hosti? Quid est, quòd *post hæc percussit cor suum Dauid, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul.* Lyranus appositè hūc locum ad thema præsens commentatur. *Miseratio Dauid apparet manifestè in duobus, scilicet Sauli parcendo cum posset eum occidere, & viros suos refrenando ab eius inuasione* (& post pauca) *Percussit cor suum Dauid, id est, conscientia sua eum reprehendit.* O piè teneram Dauidis conscientiam, & moralissimè delicatam in re veniæ inimicorum! Conscientia sua Dauidem reprehendit, quòd ita pepercerit inimico, vt oram vestimenti resecans, sic latenter prope illum accesserit, vt *posset eum occidere.* Vel potentia se vlciscendi, suspecta Dauidi est. Anxiè dolet Dauid, & cautissima pœnitentia angitur, quòd non metuerit vltionis faciendæ potentiam subiisse. Quandò ergò de speleo egrediens, propiùs accessit, *non tam voluit Regem occidere, quàm ostendere se facile occidere potuisse, quod tunc abundè præstitit, cùm frustum ex chlamyde defectum ostendit;* tunc, tunc quidem

1. Reg. 24. v. 5 & 6.

Potentia se vlciscendi, metuenda est, quasi inchoata vltio.

Sanct. ibi n. 13.

Lyranus ib.

percussit

percussit cor suum Dauidem, id est, conscientia sua eum reprehendit. Vel potentia se vlciscendi, etiam cum proposito veniæ, periculum vltionis est, & velut inchoata vindicta. Sic se vlciscendi potentia quasi impotenter ad vltionem inclinat, totâ vrgentis offensę mole; Potentia se vindicandi, nimis est vindictæ confinis. O time Potentium furorem de offensæ suspicione conceptum! Scilicet hæc laus Euangelio seruabatur, quæ Lucæ 22. tradi videtur. Sic enim in Passionis limine suos Discipulos Christus alloquitur: Nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram: *& qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Ad quæ verba ita scribit Ambrosius: *ô Domine, cur emere me iubes gladium, qui ferire me prohibes; Cur haberi præcipis, quem vetas promi; nisi fortè vt sit parata defensio, non vltio necessaria: & videar potuisse vindicari, sed noluisse.* Peridoneè quidem Ambrosius.

Lucæ 22. v. 36. Ambr. ibi.

3. Ecclesiastici 31. ita scribitur: Beatus diues, (id est, opulentus, potens, potentiâ & opibus auctus) qui inuentus est sine maculâ, nec sperauit in pecunia & thesauris. *Quis est hic, & laudabimus eum; fecit enim mirabilia in vitâ suâ.* Quænam sunt hæc gratiæ miracula gloriâ indè æternaturâ dignissimâ. *Qui potuit*, inquit, *transgredi, & non est transgressus: facere mala, & non fecit.* Cùm generalis ad trangressionem potentia suo actu viduata, hîc vniuersaliter commendetur; variè ab expositoribus accipitur: & vnusquisque generalia verba ad specialem trangressionem deriuat. Verùm cùm *Diuitis* nomen, sępè potentem, optimatem, pręcelsum, summatem, aut dynastam significet; Hugo Carensis sic locum hunc exponit: *Qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala, & non fecit. Sicut Dauid, qui potuit percutere percussorem suum Saül, & noluit.* Itaque beatus, perennaturâ gloriâ dignissimus, & quasi gratiæ miraculum pronunciatur, qui infenso inimico potuit facere mala, & tamen sic naturæ insanum impetum cohibuit, vt malum illi non fecerit. Sic est periculosa ad se vlciscendū potentia, vt miraculi adinstar sit, illam sistere, & ab vltione inhibere. O quàm timuit illam Nazianzenus vir mitissimus & pacatissimus, qui coram centum quinquaginta Episcopis, acerrimos passus inimicos, sic eleganter & sententiosè fatur: *Mihi*, ait, *aduersus eos, qui iniuriam intulerunt, satis grauis pœna est, referendæ iniuriæ potestas.* O generosas Christiani timoris voces, quas laudatior erga aduersarios beneuolentia expressit! Nempè (ait Nazianzenus) *referendæ iniuriæ potentia* sic vicinatur vltionis culpæ, vt mihi transeat in pœnam. In fastigio dignitatis sedeo, sede & opibus adhuc sublimis; ast sic me angit & excruciat referendæ iniuriæ *potestas*, vt quod grauem meis aduersariis pœnæ metum ingerit, quasi illatas vlturus essem iniurias, mihi *satis grauis pœna sit.* Sic timeo referendæ iniuriæ potestatem, de affinitate culpæ, & vltionis confinio, vt ipsæ vindictæ *potentia* aduersus eos, qui mihi iniuriam inimicè intulerunt, instar pœnæ mihi sit. *Mihi aduersus eos, qui iniuriam intulerunt, satis grauis pœna est referendæ iniuriæ potestas.* Fateor hæc verba alium etiam sensum posse recipere, quem aliàs forsan expendemus. Scilicet satis grauem pœnam offensoris esse, cùm est in offenso *referendæ iniuriæ potestas*: totâ enim offensi potestate incessanter feritur, qui perpetim ab offenso offendi potest: semper enim anxiè pendulus, timidè hæret nescius quandò conceptam de offensâ iram, seueriori vindictâ acerbiùs euaporet: exinde offensoris *satis grauis pœna est, referendæ iniuriæ potestas.*

Eccl. 31. v. 10.

Nimis timenda offensoris, referendæ iniuriæ potestas.

Hugo ibi.

Naz. Orat. 28.

Offensori satis grauis pœna est, referendæ iniuriæ in offenso potestas.

1. Regum 19. cùm Saül cædem aduersarij Dauidis molitetur, Dæmoni repentinum fit ipse domicilium; hostili morum peruersitate Dæmonem ad vltionem vocante. *Et factus est spiritus Domini malus in Saül. Sedebat autem in domo suâ, & tenebat lanceam: porrò Dauid psallebat manu suâ. Nisusque est Saül configere Dauid lanceâ in pariete; & declinauit Dauid à facie Saül.* Pulchellum aliàs versabamus dubium, an cùm aduersarius Saül lethalem hastam eiaculatus est in Dauidem, Dæmon eius lyrâ excantatus iam fuerit? an Saül adhuc malo Dæmone occupatus, illius suggestu & ductu atrocem vindictam intentarit? Dæmonis peruersitati, an Saülis hostilitati hoc iniurium ac crudele facinus adscribendū est? Basilius Seleucus exponens præscripta verba, ita ad lemma præsens eloquenter scribit: *Dauid psallebat manu suâ, nisusque est Saül configere Dauid lanceâ. O nouum, iniuriúmque facinus! Dæmon pellebatur, & Dæmone liberatus Saül arma capiebat: dæmon vincebatur, & hominis mores plus sumebant audaciæ.* Scilicet dum Saül intestino exagitabatur dæmone, non sic in aduersarium furit, ac quandò iam sui integrè compos, & sibi relictus, in aduersarium ferocit. *Dæmon vincebatur, & hominis mores plus sumebant audaciæ.* Nempe vsque adeò cognatus est homini appetitus vindictæ, & insanus contra suos aduersarios furor, vt malignus Dæmon non valde reluctetur ad tempus excutiab homine, ne interim homo vel à Dæmone occupatus, mitiùs fortè erga inimicos afficiatur. Quasi homo dæmone exemptus, & iam totus contra aduersarios, in eos immitiùs agat, & atrociùs ferociat. Heu, sic homo velut procliui humanitatis impetu fertur ad vltionem, & ad sæuam exagitatur vindictam. *Dæmon vincebatur, & hominis mores plus sumebant audaciæ.* Porrò Saül retro dęmonio possessus, lanceam non vibrat in aduersarium Dauidem, at dæmone excantato & deuicto, crudeliùs in eum agit: *Dæmon pellebatur, & dæmone liberatus Saül arma capiebat.* Argutè quidem Basilius! *Quando libre del Demonio, es todo suyo, entonces Saül se enfurece mas contra su enemigo.* Heu hominis potentia ad se vlciscendum, nimis timenda est quasi vltioni affinis, inchoataue vltio, quod de cognato hominibus ad vltionem impetu venit.

4.

1. Reg. 19. v. 9. & cap. 18. v. 10.

Excantato dæmone, plus furit Saül in aduersarium Dauidem, & quare.

Basil. Seleu. Orat. 16.

§. LV.

Vsqueadeo caligat ambitio, vt sub specie honoris suam ignominiam sedula procuret.

1. LVbricus inconsultę ambitionis affectus, dum ad se maiora gliscit, voti reus est: ac dum sublimissima, & quæ humanū excellunt fastigium, hiāte perpetim conatu, captare affectat; ad ea, quę gloriosè ambit, ingloriè caligat. Graues hiatus patitur leuis vanæ gloriæ credulitas: & çùm sat foret Potiorum ornamenta ęmulari: vincere posse, sicut nemo credit, ita nullus præter ipsū optauit. Qui cęcam ambitionis audaciam castigare nescit, tandem de experientiâ edifcet votorum summam

Quod ambitio expetit, inimicorum vota sunt.

ambiendo

ambiendo fatigare: dum aut in consummationem ambitæ dignitatis per mille indignitates irrepit, aut in merum sepulcri titulum diu laborasse pernoscit. Quin & persæpè sibi nocitura ambitiosi experiunt: & qui sub dolosis latentem cineribus gloriç scintillam quærunt, ignominiç fuliginem, & sui rerò honoris fauillam inueniunt. O quoties sedula ambitio, operosum dedecus inconsultè procurat! O quoties quicquid ambiendo percupis, inimicorum vota sunt! O quoties contumeliam magno emptam negotiaris! O fuge vanæ gloriç nundinas, vbi molestis gloriç spebus, ignominiam operosè mercaris! Vide hîc Sennacheribum, qui superbo ambitiosè exercitu, & funestam suorum cladem, & fugitiuam ignominiam sumptuosiùs emit, militaris arrogantiæ commercio. *Hîc vers. 21.*

2. Estheris 6. Aman ille honoris & opum censu inclytus, de regiæ familiaritatis gratiâ aduersarij sui in gratiam adornat, & piam Mardochæi inurbanitatem vlcisci cupit, dirâ & ipsius, & suæ gêtis strage. Itaque cùm Rex noctem cælitùs duxisset insomnem, & priorum temporum conscriptos annales sibi offerri legendos iussisset, ventum est ad illum locum, vbi sancti Mardochæi fides, insidias Eunuchorum contra Regem insidias, prodidisse narratur, prælustri adæquè ac immunerato seruitio. Regiam Assueri munificentiam sauciat impræmiata Mardochæi fides: & vix albicabat aurora, cùm rex debita donatiua parturiens: Quis est, inquit, in atrio. Aulici appatitores continuò respondent: Adesse Aman (peruigil ambitio est, exsomnis, sedula; nec ignauè stertit, aut oscitantet pandiculatur in plumeo lecto) Cúmque Aman esset ingressus, ait illi Rex: Quid debet fieri viro, quem rex honorare desiderat. *Cogitans autem in corde suo Aman, & reputans quòd nullum alium rex, nisi se, vellet honorare*, respondit: Homo, quem rex honorare cupit, debet indui vestibus regiis, & imponi super equum qui de sella regis est, & accipere regium diadema super caput suum, *& primus de regiis principibus, ac tyrannis teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens clamet, & dicat: Sic honorabitur, quemcumque voluerit rex honorare.* Vide mihi quàm parum sibi cohæreat ambitio. Amanus arroganter elatus, putabat se esse primũ è principibus Persici regni, & reputans quòd nullum alium rex, nisi se, vellet honorare, respondet, quòd *primus è regiis principibus* sic deducat eum, quem rex vellet gloriosiùs honorare. O amentem honoris amantem! Tu tibi vis sic honorari; & simul expetis, vt tu ipse qui es primus in principibus, teneas equum eius, qui sic honorandus est. Pugnantia planè exambis: nam vtrumque ex altero validè redargui potest, aut te nolle sic honorari, etsi eiusmodi honorem palam exoptes; aut si id exoptas, non te ipsum reputare è principibus primum; cùm alium primum expetas, qui sic deducat eum, quem rex voluerit honorare. Sic caligat ambitio, vt dum secum pugnantia affectat, deteriorem & probrosiorem partem sibi tectiùs negotietur. Dum sublimitatis modum non tenet arrogantia, contumeliæ sibi modum ignoranter præscribit. Quod his verbis Lyranus insinuat: *Cogitans*, inquit, *in corde suo Aman, quòd nullum alium rex, nisi se, vellet honorare. Quia modus superbi est æstimare, quòd nullus nisi ipse debeat honorari... Dixitque ei rex: Festina, & sumptâ stolâ & equo, fac, vt locutus es, Mardochæo, quia tu es primus inter principes regni mei; & sic patet exaltatio Mardochæi, & confutatio Aman.* Ecce tibi arrogantem ambitionis cæcitatem, quæ cum celsitudinis non tenet modum, sibi latenter è peruerso insidiatur: & dum pugnantia exoptat, nequid præcelsum, non optet; sui æmuli exaltationem, & suam dissimulanter depressionem negotiatur, diuinioris prouidentiæ ingenio. Non se amat, quisquis nimis ambitione effertur: dum quod sibi hianter expetit, inimicorum vota sunt. O caue à blandiente cæcæ ambitionis lenocinio! Sibi inuidet, qui ambitioni credit. Omnis ambitio fraus est, quæ honoris penicillo ignominiam colorat.

Aman cæcè ambitiosus, suam ruinã negotiatur.

Esther 5. v. 9.

Lyranus ad præfata verba.

Matthæi 20. Christus Deus discipulorum collegio stipatus, prope Ierusalem erat, & eius temporale regnum putabatur in ianuis. Cùm autem Iacobus & Ioannes seipsos viderent honoris sublimitate reliquis præter Petrum antistare, in promissis olim thronis primatum exoptant, negotioso matris suæ ore: Tunc, inquit, accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis adorans, & petens aliquid ab eo. *Qui dixit ei: Quid vis; ait illi: Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.* Vide ambitiosa mulieris vota, quæ vtrumque noui Regis latus præoccupare satagit geminato filiorum solio. Ante pugnam de victoriâ cogitat, & priùs quàm valida proles certamen ineat, iam triumphum adornat, & vanæ gloriæ trophæa erigit, properantis cognitionis iure. Primos reapse thronos in Christi regno ambitiosè optat; sed quid petat, aduerte: *Dic*, ait, *vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.* Inauspicatò sanè petit, qui in Christi regno *sinistram* postulat. O inconsideratum elationis fastum! ad sublimitates cupit præeligi, & reprobationem inscius negotiatur. Opportunè incertus Chrysostomus sic ad rem expendit seueram illam Christi sententiam, quâ illorum petitioni consultè respondit: *Nescitis quid petatis, quasi dicat: Ego vos vocaui ad partem dexteram de sinistrâ, & vos vestro consilio curritis ad sinistram: ideò forsitan & per mulierem res agebatur.* O insignem ambitionis inconsiderantiam! Votiuos exoptat thronos, & abiectionem negotiatur: ad geminatum solium ascendere hiat, & reproborum sedem cæcè expetit. Sic in ambito honore dissimulatur ignominia. Nescit quid optanter expetat, qui per electionem experit reprobari. Ad mentitos in *sinistrâ* thronos, vera currit ambitio; & in reprobationis contumeliâ, prælectionis mentitur honores. Profectò satiùs ambienda illis foret istiusmodi petitionis repulsa. O clancularias cæcæ ambitionis fraudes! fortunatas esse spes credulitate putas, & meræ insidiæ sunt, & reprobationis minæ. Vocantur ad *dexteræ* thronos, & ipsi currunt ad barathrum *sinistræ.* Quicquid ambiendo exoptas, vota inimicorum sunt. Sic mentitis spebus mentem perstringit, & subornat ambitio? 3.

Matth. 20. v. 21.

Cæca ambitio per electionem reprobari expetit.

Imperf. hom. 35.

Matthæi 13. vbi seruorum sedulitas zizania reperit tritico superseminata, herum interrogat de iniquo zizaniorum satore. *Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit.* Non conuenit inter expositores, quisnam sit hic inimicus homo. Multi multa tradunt super hâc quæstione. Hieronymus putat esse Dæmonem, & rationem reddit his verbis: *Diabolus propterea inimicus homo appellatur, qui Deus esse desiit.* Nempe Dæmonis superbia diuinitatem solerter ambiuit; & dum supra se esse ambitione affectauit, ac si Angelum desuesceret, 4.

Matth. 3. v. 28.

Hieronym. inibi.

homo

homo nuncupatur. Quin & homo diuinitatis superbe candidatus perhibetur, falsatis credens astuti serpentis promissionibus. Indè ridiculatius Deus dicitur: non enim sine sarchasmo ex Dei ore audit: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est.* Quid ergò euasit homo, ambitu diuinitatis hominem diffitendo. *Deus esse desiit*: hominé esse immodice superbiendo negat. Quid ergò post ambitum est? Opinor, quòd sicut Angelus apostata Dæmon inquam, in ambitionis officina, nominatione *homo* exuditur; similem ad modum, arcana aliqua velut metamorphosi, homo ambitionis præstigiis quodammodò in dæmonem transformatur. Hinc sententiosè ad rem dixit Clemens Alexandrinus; *Dæmones indigenæ, qui honores captant.* Nimirùm homines ambitionis negatione immodicum honorem captãtes, appellat Dæmonas terræ indigenas, ad differentiam infernalium Dæmonum, qui apud mortales in hoc aspectabili mundo peregrinantur. Multa hoc epithero *indigena* denotantur, quæ cuiuis enucleare pronum est. Sat esto ad lemma præsens adnotare, quòd tametsi ambitiosus negotiationis ingenio cupitos captet honores, & ambito sublimetur fastigio; non deuitat Dæmonis indigenæ appellationem, quam ambitionis merito negotiatur: sunt enim *Dæmones indigenæ, qui honores captant.* Heu! dignitatum candidatus, incertos honores se affectare putat, dubio euentu fallaces; & saltem indubiam *Dæmonis indigenæ* appellationem affectat, de immodicæ ambitionis merito certissimè adeptam. Vsqueadeò caligat hominum ambitio, vt sub specie honoris suam ignominiam sedula procuret!

Gen 3 v. 22.

Qui honores captant, dæmones indigenæ nominantur.

Clem. Alex. in Adhort. ad gent.

5. Matthæi 4. Assumpsit IESVM Diabolus in mõtem excelsum valde: & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Quæ verba Titus Bostrensis sic ad rem præsentem exponit: *Habet forensis gratia domesticum periculum, & vt dominetur aliis priùs seruit: curuatur ad obsequium, vt honore ditetur: & dum vult esse sublimior, simulata humilitate fit vtilior. Vnde subdit: Tu ergò si procidens adoraueris me, erunt tibi omnia subdita.* Ecce tibi contumeliosa improperia, ad quæ infelix hiat ambitio.

Matt 4. v. 9.

Titus Bostr apud Caten. Lucæ 4. *Falsata dignitas per mille indignitates obtinetur.*

§. LVI.

Sæpè Dei ira, vberioris beneficentiæ conceptaculum est.

1. REmora exiguus pisciculus est (qui Græco vocabulo *Echeneis* dicitur) spinis & crustis tectus: à remorando dictus, quòd nauem, cui annixus fuerit, remoretur. Ruant venti licet, & sæuiant procellæ, imperat furori, vicésque tantas compescit, & cogit stare nauigia, quod non vlla possunt vincula, non anchoræ irreuocabili pondere iactæ. *Stat pigra ratis* (ait Cassiodorus) *tumentibus alata velis, & cursum non habet, cui ventus arridet: sine anchoris figitur, sine rudentibus alligatur: & tam parua animalia plus resistunt, quam tot auxilia prosperitatis impellunt. Ita cùm subiecta vnda præcipitet cursum, supra maris tergum nauigiũ stare consistat infixum: miroque modo natantia inconcussè retinemur, dum innumeris motibus vnda rapiatur.* Verùm exigui pisciculi crustis contecti, & spinis asperi, impotens & præceps ira; impar corpusculo est: & Remora, rapido cursui remoram facit tamque rapida celeritate in iram exardescit, & prosilit in vltionem, vt eadem qua feritur offensa offensam acerrime vindicet, ne vltionem præcurrat iniuria. Pergit idem Cassiodorus: *Sed vt dicamus aliam piscis naturam, forte nautæ prædictarum nauium Torpedinis tactu segnissimè torpuerunt: à qua tantum infigentium dextera prægrauantur, vt per hastam qua fuerit vulnerata, ita manum percutientis inficiat, quatenus viua substantia pars sine sensu aliquo immobilis obstupescat.* Quò sunt magis ignobilia animalcula, eò se grauiùs lædi putant, si tanguntur: si verò læduntur, expromptissima sunt in iram, in odium, & vindictam. Generosi animi est iræ impetum cunctanter cohibere, & meritis offensam redimere. Ex quo detestabilior hic apparet, præceps Sennacheribi regis iracundia, quæ vix concepta, in Hebræos immeritos, diras strages inconsulta vltione despumat.

Remora vis describitur.

Cassiod lib. 1. variar. ep. 35.

Item inibi. *Remora exigua est bestiola, & quæ eodem quo feritur illud refe-rit.*

Hic vers. 21.

2. Regius Vates Psalm. 59. ad priora respiciens tempora, & sua ac populi peccata, generatim commemorat vetera supplicia, quæ pro iisdem reperiit Deus, hostibus permittens eum tanquam iratus: quamuis tandem commotus misericordia liberauerit. *Deus*, inquit, *repulisti nos, & destruxisti nos; iratus es, & misertus es nobis.* Benè est, quòd ob enormia Hebræi populi delicta, illum Deus fastidiosè repulerit, & durè olim euerterit. Sed quid est, quòd Deus dum irascitur in populũ suum, illius beneficè misertus est? Ita vibrare strages solet, non beneficia largiùs reponere. Sic piè irascitur Deus? Pulchrè Augustinus: *Iratus es, & misertus es nobis. Non misereris, nisi irascaris.* Ita ne ita euadit misericordiæ matrix? Nisi de irę furore, Dei misericordia non constat? Si est consulta Dei ira, vt austeritatem mitiget, & ad beneficentiam alliciat? Beneficentia aut nulla, aut notha est, nisi ab iracundia nascatur? *Non misereris, nisi irascaris.* Exinde tempestiuus exclamat Berengosius: *O ira misericors, & salubris indignatio, per quam fructuosa fit iam infructuosa conuersatio. O ira misericors, quæ sic irascitur, vt subueniat; sic minatur, vt parcat; sic aufert, vt restituat; sic tradit, vt eripiat; sic destruit, vt muniat; sic abiicit, vt recipiat. O quam salubris indignatio, quæ sic auertit, vt respiciat; sic claudit, vt aperiat; sic exigit, vt dimittat; sic deiicit, vt erigat; sic perdit, vt requirat; sic amittit, vt custodiat.* Plures, ipsásque pulcherrimas hìc spissat antitheses, quibus Berengosius comprobat, quàm sit beneficè munifica ira Dei, quasi foret omnis misericordiæ thesaurus, & gratiarum officina. *Iratus es, & misertus es nobis. Non misereris, nisi irascaris.* Nempe humana etiam ira, quam offensæ indignatio non præcipitat ad vltionem; sed quæ consilij mora infligendam pœnam comit, consiliosæ deliberationis ornatu; quasi vel seueritatis suæ bonum etiam erubescat, generosè in beneficentiam recuditur, ne pœnale opus ex iræ impotentia oriri videatur, quod in hominibus valdè generosum est, & ex iamdicendis clarabitur.

Psalm. 59. v. 3.

Aug inibi. *Non miseretur Deus nisi irascatur.*

Bereng ser. 1. de Martyr. apud Lorin. ibi.

3. Pergit idem Psalmographus sic modulatè pãgens: Numquid in æternum proiiciet Deus? aut non apponet vt complacitior sit adhuc? Aut in finẽ misericordiam suam abscindet à generatione in generationem? *Aut obliuiscetur misereri Deus?*

Psalm. 76. v. 10.

aut

aut continebit in ira sua misericordias? τὸ *continere*, vel vt alij exscribunt, *prohibere*, aliquem denotar velut impetum, quo Deus dum irascitur, ad misericordiam & beneficentiam propendet, quasi Deus cùm maximè irascitur, tum velut proclivior sit ad misericordiam. Vnde præscripta Psalmographi verba: *Aut continebit in ira sua misericordias suas?* ita exscribit, & exponit Hieronymus: *Aut complebit in furore misericordias suas?* quasi Deus cùm valdè irascitur, tunc se maximè liberalem ostentat, & miserationes cumulatiùs *compleat*. Quod de suo Theodosio augustè generoso Principe, argutè notauit Ambrosius, aiens: *Prærogatiua ignoscendi erat, indignatum fuisse; & optabatur in illo, quod timebatur in aliis, vt irasceretur: nam tunc pronior erat venia, cùm fuisset commotio maior iracundiæ.* Profectò tunc præcipuè eminet mansuetudinis laus, cùm iræ iustissima causa est: atque iracundia concitatior dū minas ardentiùs vibrat, quasi bonum senctioris iustitiæ erubescat refingitur in misericordiæ matrem, eò beneficentiæ fœcundior, quò ardentiùs ad rigores æstuabat, magno liberalitatis fœnore. Vnde magna cum epithasi de Deo perquirit Psalmographus: *Aut continebit (complebit potiùs) in ira sua misericordias suas?* Porrò quia Deus in ira sua *continere* quodammodò nequit misericordias suas, ideo iratus misericordias suas *complere* dicitur: nam *prærogatiua ignoscendi erat, indignatum fuisse; & optabatur in illo, quod timebatur in aliis, vt irasceretur: nam tunc propior erat venia, cùm fuisset commotio maior iracundia.* Secundum Augustini morale dogma: *Non miseretur, nisi irascatur.*

Hieron ibi.

Ambr orat. de obitu Theod. *Prærogatiua ignoscendi est in Deo, iratum fuisse.*

4. Iuditha cap. 8. in piè eloquente illa oratione, quam habuit ad obsessæ Bethuliæ proceres, ita fatur: *Non enim quasi homo sic Deus comminabitur,* (Biblia Gothica scribūt, *condemnabitur*: ac si *comminari*, ac *condemnari* synonyma sint, de quo alibi) *neque sicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur.* Quod est hoc discrimen quod inter iram humanam & diuinam Iuditha agnoscit? Nempe homo irascitur, vt offensorem furore perdat; Deus dum irascitur, ira fouet, & largiùs miseretur. Paullinus exponens illud Prophetæ: *Ego percutiam, & ego sanabo, dicit Dominus*, ita fatur: *Tanta est enim summi Patris pietas, vt etiam ira eius ex misericordia sit; & ideò castiget, vt parcat.* Et infrà: *Ea ipsa Dei ira, pietas est.*

Iudith.8.v.15.

Ipsa Dei ira pietas est.

Deuter 32. v.39. Paulin.ep. 10. & 26.

5. Dauid geminati sceleris reus, veniam supplicans, hanc nouam miserendi causam allegat: *Ego dixi, Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccaui tibi.* Aptène Dauid, peccata quæ iram Dei protitant, ad diuinæ pietatis incentiuum allegat? de Iræ merito misericordiam extorquere præsumit? O augustè sublimissimam Dei naturam, quā generosior Principum genius æmulari satagit! Sic Auieno Senatori Ennodius scribit: *Si offensa præstat, vt magnitudinis tuæ scripta geminentur, quā vellem sæpè illa sereni pectoris tui tranquilla turbari? & nisi aduersaretur proposito, causas indignationis ingererem: quando quod amor non meretur, obtinui per culpas. Ego tamen errore vacare me nunc in ea causa, in qua, dum accusatis negligentiam, præmium contulistis.* Quid elegantiùs?

Psal 40 v.5.

Offensa sæpè præstat, quod amor non obtinet.

Ennod lib 3. epist.8.

6. Propheta Habacuc cap.3 his verbis Deum alloquitur: Domine audiui auditionem tuam, & timui. In medio annorum notum facies: *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Hanc sententiam multis exemplis elucidat & amplificat Theophylactus ex Cyrillo, & notat noster Sanctius: *Optimè verò misericordiam cum indignatione coniungit, quia in Deo nunquam misericordia ab indignatione separatur.* Nempe vt diuinioris beneficentiæ prærogatiua micātiùs clarescat, dum offensus indignatione lacessitur, tunc maximè pietas exundat: *Vt intelligere possimus,* (ait Hieronymus) *quantum valeat præstare non læsus, qui tantum donaret iratus.*

Habacuc 3. v.2.

Sanct.ibi. *Quanta in donabit propitius, qui tantum donat iratus.* Hieron.tom. 4.in epist ad virum perf.

Matthæi 5. Christus Deus aduersus iram, quæ vltione dolorem iniuriæ euaporat, hæc consultissimè præcipit, pulchra Euangelij, & legis Mosaïcæ antithesi. Audistis, inquit, quia dictum est antiquis: Nō occides: qui autē occiderit, reus erit iudicio: *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Pergit cœli Magister eādem sententiā elucidans, & amplificans: *Audistis quia dictū est: Oculū pro oculo, & dentem pro dente: Ego autē dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Nequis autē legē veterē calūnietur, quæ oculū pro oculo, & dentē pro dente excusso repetebat, ait Augustinus disputans contra Faustum: *Qualem quisquis instituit iniuriam, tale supplicium rependat: quod non fomes, sed limes furoris est.* Necessarium duxit Augustinus præmonere, quod cōceptæ iracūdiæ conniuentia *fomes furoris* non est. (de quo forsan alias) Pergit ad rem magnus hic Doctor, & iram se vindicantis sic exponit, & vituperat: *Si quis percusserit in dexteram maxillam tuam, &c. Docet ergo Dominus, vt imbecillitates æquo animo tolerarent. Omnis improbitas ex imbecillitate animi venit.* Ecce tibi, quisquis iracundiæ œstro excitus potentior est ad læsionem *imbecillus* ab Augustino appellatur: nam audacior ad vltionem potentia, impotentis animi elogium est: *Siquidem* (verba sunt Hildeberti) *& apud Gentilium Philosophos, proximum ad innocentiam locum tenet, verecundior peccati confessio: & magnarum virium se perhibent lædentem negligere: maiusque vindictæ esse genus, ignoscere. Infirmi autem ac muliebris esse animi, quærere vltionem.* 7.

Matth 5.v. 38 & 39. *Aliqua iræ conniuentia, non est fomes furoris.*

Aug. lib. 19. cont Faust. c 25.

August de serm Dom. c 35.apud Cat. *Infirmi ac muliebris animi est, vltionem quærere.*

Hildeb ep. 80.

8. Geneseos 33 efferus Esaū ira incensus in Iacobum è Mesopotamia reducem, cum quadringentis viris ad vltionem armatis, obuiam fratri occurrit. Sed mitior cœlitùs factus, quasi iniuriæ oblitus, Iacobum amicè alloquitur. Cui Iacobus: *Sic*, inquit, *vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei.* Sublimissima planè sententia! ad quam fortè adlubens Hildebertus, ita scribit. *Magnum quid, atque diuinum sapit, offensus clemens.* Vt rumpantur illa barbarici Sennacheribi, qui specie offensę necdum læsus, ira percitus, in gente Hebræorum immerita, tot passim strages edit.

Gen 33.v.10 *Diuinum quid sapit, offensus clemens.* Hildeb.ep. 15. Hic vers 21.

§. LVII.

Insania Tyranni his clàm inuidet, quos palam sepultura priuat: & quibus cœlum acquirit, terram negat.

Asaradon regis Sēnacheribi filius, & in Assyrio regno successor, intestini etiam in Hebræos odij hæres; in gentem tunc religione sanctam, veri Dei cultu religiosam, atrociter ferocit: 1.
non modo passim Israëlitas iubens occidi, sed eorum corpora iacere insepulta, coruis canibusque laceranda

Tobiæ cœna mortis fuit misericordiæ pretium.

laceranda quod impium, inhumanum, & barbaricum est. Quorum corpora, licèt non dubium proponeretur vitæ periculum, sepeliebat Tobias: cuius constantiam, & inter tot discrimina inuictam audaciam admiratur, & commendat Ambrosius cap. 1. de Tobia: Cùm edictum, inquam, esset, ne quem ex captiuitatis filiis sepulturæ mādaret, *Interdicto non reuocabatur magis, quàm incitabatur, ne desereret officium pietatis mortis metu videretur: erat misericordia pretium mortis cœna.* O agrestem Assyriorum feritatem, post hominum ignominiosam cædem, furore barbaro contra ipsam decertant humanitatem! Sed in hac cadauerum tractandorum infami humanitùs vilitate, futuræ felicitatis æternæ tenere cautionem fortè licet, quod attentiùs hîc perscrutari operæpretium est.

Ambros. de Tobia c.1.

2. Hîc vers. 21. Cùm reuersus esset rex Sennacherib fugiens à Iudæa plagam, quam circa eum fecerat Deus propter blasphemiam suam, & iratus multos occideret ex filiis Israel, Tobias sepeliebat corpora eorum. At vbi nunciatum est Regi, iussit eum occidi. Hanc impiam Sennacherib crudelitatem explicatiùs tradunt LXX. interpretes his verbis: *Si quem de genere meo aspiciebam mortuum, & proiectum post murum Niniue, sepeliebam eum: & si quem interfecerat Sennacherim rex, quando venit fugiens à Iudæa, sepeliebam, eos furatus: multos enim interfecit in furore suo. Et quæsita sunt à Rege corpora, & non sunt inuenta.* &c. Ecce cruentæ feritatis immanitas, quæ Assyriis superstitionibus intenta, veræ tunc religionis non recipit sensum, de inhumana in cadauera occisorum crudelitate, excitat venerationis obsequium: & quæ discretionem rationis ignara non recipit, ad malorum tamen damnationem, quid honoris verę religionis cultoribus debeatur dissimulantet agnoscit. At sic immanioris supplicij in cadauera ministerium, miro modo meritorū efficitur testimonium: & dùm Tobias pietati reuerentiam præstat, profert tacitam de impietate sententiam. Audi Emissenum propè commentantem præfata Tobiæ verba: *Siquem aspiciebam mortuum, & proiectum post murum, &c. Sacra*, inquit, *corpora funeris honore priuantes ignibus dabant: & post hominum mortes contra ipsam pugnabant humanitatem. Et cùm iam caussa perisset furoris, finem non imponebant crudelitati*: (attentius libra, quæ subtiliter subdit) *sed tamen vellent nollent, beatitudinis eorum testes erant, quibus etiam mortuis inuidebant.* O! quo modo semper sæuior malitia cum stultitiæ fatuitate coniuncta est! Veneranda veræ religionis cultorum corpora, aut in plateis insepulta relinquebant, aut post murum proiecta contabescere sinebant, & à canibus alitibusque laceranda curabant; quasi verò possent merita cum corporibus squalere, & vera animi religio virtusque, auium rostro, & canum rictu vllatenùs lacerari. Nil ergò fecisti insolens sæuitia: incassum te eorum memoriam cadauerum tabe conspurcare credidisti, quorum gloriam vberiùs propagasti. Porò dum crudeles Assyrij, veræ fidei cultorum corpora funeris honore priuant, *vellent nollent, beatitudinis eorum testes erant, quibus etiam mortuis inuidebant.* Si cum religiosa occisorum vita periit caussa furoris tui, cur non imponis crudelitati finem? Dum sepulturę asylum mortuo inhumanè denegas, eorum gloriæ, quæ te adhuc torquet, suffragaris, cùm putri iam cadaueri adhuc *inuides*. Tot testes & feralis sæuitiæ

Hic v.21.

Qui mortuis inuident, beatitudinis eorum testes sunt.

Emiss. hom. de S Bland.

tuæ, & prosperæ defunctorum felicitatis aduocas, quot carnifices armas, quot cadauerum laceraudorum custodes solerter apponis. Quæ est hæc adhuc post capulum sæuiendi insania, quæ de crudelitate inuidiam tuam prodit, & eorum quibus ferò inuides, gloriam clariùs buccinat, & latiùs euulgat?

Regius vates Psalmo 78. flebiliter illacrymat Hebræi populi, Hierosolymitani templi, & ciuitatis ruinam, & ineluctabiles strages. Ex variis vrbis Ierusalem excidiis, & Iudæorum gentis calamitatibus; non omninò liquet de qua hîc potissimum agatur, an de illa quæ contigit sub Nabuchodonosor, & Assyriis, an quæ sub Antiocho Epiphane: an quæ sub Pompejo, quæ tributariam Ierosolymam fecit: an quæ sub Licinio, Crasso, vel Tito, & Vespasiano, vel Ælio Adriano. Hæ omnes Dauidis ætatem subsecutæ sunt, nec præteritæ commemorari potuerunt, sed prædici tanquam futuræ, præscribendo simul barbaram excidij crudelitatem. Sed de excidio, quod obtigit Machabæorum tempore, à Sanctis Patribus accipitur, quibus lubens subscribo. Deus, inquit, venerunt Gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum Sanctum tuum: posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam. *Posuerunt morticina seruorum tuorum, escas volatilibus cœli: carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Ierusalem: & non erat qui sepeliret.* Fortes Israëlis in ipso pulchræ iuuentæ robore malè concutiuntur ālvictrice hostium sæuitia. Senilis infirmitas per iniurias, & afflictiones sæuientium ministrorum ita celerem sortitur exitum, vt senes intelligeres ad tempus illud soli neci seruatos. Immatura pueritia, cui in ipso vitæ limine constitutæ, finem suum non tam naturæ contigit debere, quàm pœnæ. Corroboratur inhumani hostis crudelitas, nec cum occisorum vita, furor sæuientis deferbuit: *Posuerunt morticina seruorum tuorum escas volatilibus cœli: carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.* Eusebius aliorsùm fatus, sic præscripta verba ad rem præsentem locupletat: *Diuersa multimode crudelitatis ingenia, nouosque cruciatus in semet sanctorum pectora inuicta consumunt, intolerandum pondus malorum contemnendo vincunt; & sentiendo obtinent, vt sentire non possint.* Sed cùm gens Hebręa (quos Dei *seruos*, & *sanctos* hîc appellat) tempore Machabæorum, dura cruciamenta sentiendo obtinuerint, vt sentire non possent; non indè euaserunt sæuientis tyranni iras: nam *posuerunt morticina seruorum tuorum escas volatilibus cœli: & carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. Quàm confusa dementia! quibus cœlum acquirebant, his terram negabant.* Quid luculentiùs; Sacra occisorum corpora sepulchri honore priuantes in volucrum, & canum ingluuiem obiiciebant, & post innocentium hominum cædem, aduersus ipsam pugnabant humanitatem, insana quidem crudelitatis vecordia, & immani stoliditate furoris, dum *quibus cœlum acquirebant, his terram negabant.* Quicquid itaque ex humana substantia auis rapuerit, bestia deuorauerit, vnda sorbuerit, & inhumanum cadauer in tabum distillatit; etiamsi tumulo non clauditur, intra mundi gremium continetur: neque enim reparatio hominis in ratione matricis terræ, sed in legis natura, & in reparatoris virtute consistit. Hæc Reparatoris munia de diuinioris prouidentiæ adytis, piè Tobias anteuertere satagit, licèt *erat* *mise*

3.

Psal.78.v.2. & 3.

Tyranni quibus cœlum acquirebant, his terram negabant.

Euseb. hom. de S. Bland.

misericordiæ pretium mortis pœna. Diuinæ pietati pietas Tobiæ per tot periculorum obices præcurrere festinat.

4. Matthæi 18. tandem Iudas, auarè infidus Magistri proditor, sera, nec bona pœnitentia ductus, pretium, quo Deum æstimauit, & morti vitam tradidit, Pontificibus integrum retulit. Principes autem Sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam: quia pretium sanguinis est; *Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama, hoc est, ager sanguinis, vsque in hodiernum diem.* Ad quæ verba ita scribit Augustinus: *Vt iam exinde Christus, & viuos sanguinis sui passione redimat, & mortuos pretiosa passione suscipiat.* O Christi Passionem, & profusum beneficè sanguinem, omnibus proficuum, cunctis salutarem! Quasi parùm foret, viuentes Passione redimere, sui sanguinis pretio, mortuorum cadaueribus sepulchra parat. Sennacherib quibus acquirebat cœlum, terrā negabat, dum cadauera à sepulchris arcebat: Christus verò quibus cœlum sua Passione acquirebat, iisdem sepulturæ pretium suo sanguine offert, quò publicetur quàm sollerter procuret humani cadauera, qui proprio sāguine sepulturam peregrinis etiam prouidebat. Tobias hîc, & alibi sæpè, vitæ se exhibebat periculo, ne suorum cadauera iacerent inhumata; Christus Deus proprium sanguinem offert in sepulturæ peregrinorum pretium. *Vt iam exindè Christus, & viuos sanguinis sui passione redimat, & mortuos pretiosa passione suscipiat.* Consule hac de re § 100. vbi de sepultura mortuis piè procuranda, latè agitur.

Math 27 v. 7. & 8.

Aug. ser 118. de Cœna Domini.

CHRISTVS suo sanguine, & viuos redimit, & mortuis sepulturam parat.

5. Tertullianus in libro, quem ad Scapulam præsidem scripsit, ita fatur de Hilarino, qui illum in præfectura præcessit: *Sub Hilarino præside, cùm de areis sepulturarum nostrarum adclamassent, Areæ non sint, Areæ ipsorum non fuerunt.* Quæ Tertulliani verba sic exponit Commentator: *Hilarinus vnus fuit ex iis qui præcesserunt Scapulam: cùm autem aliquando negaretur area (locus est vbi triticum ventilatur) ad sepulturam Christianorum, nam ibi solebant sepeliri, audita est vox subtus terram, quæ acclamauit, Areæ non sint, & quidem non fuerunt, nam eo anno messes non egerunt, in fertilissima alioquin, & satis vbere regione.* Ecce tibi quàm inhumanè Hilarinus sepulturam Christianis denegauerit in areis; & quàm acerbè eius inhumanitatem Deus castigauerit messem areis denegans. Et sanè mysterio non vacat, quòd in areis in quibus frumenta colliguntur, sepulchra martyrum effodiantur.

Tertull. ad Scap c 3.

Cerda inibi n. 2.

In areis, in quibus frumenta colliguntur, Christiani sepeliuntur.

§. LVIII.

Propria malitia est clementiæ exilium, & crudelitatis officina.

1. Sicut cœlestia humanas manus effugiunt, & ab his qui templa dirunt, & simulacra conflant, nihil diuinitati nocetur: ita ferè quicquid fit in sapientem proteruè, petulanter, superbè, frustrà tentatur. Extra patientiam propè est, innocentiæ merito: & inde extra turbulentam vindictæ passionem, quæ est prauitatis sequela. Ego quidem nescio, an vnquam magis vires suas tranquillitas ostendat, & plus clementiæ virtus eniteat, quàm inter lacessentia, inter quę innocentia nō inquietatur: mitis est, placida est, & clementiæ nutrix. At prauitas, vt delicata est in propria; ita & dura, crudelis, inexpugnabilisque, & de inclementię confinio infamis. Adeò vt clementia sit. Innocentiæ generositas: crudelitas vero inter malitiæ consequentias censetur. Res planè mitissima, & quæ agrestem peccati barbariem valdè prodit; quòd qui ob proprium reatum, plus est alienæ clementiæ indigus, magis inde ad crudelitatem, sui imo emor, exasperetur: & qui de propria necessitate votiuam clementiam debet honorare, inclementiæ reatu magis sæuiat, magisque inhumanè ferociat: indéque crudelitatem discat, vnde discere clementiam debuit. Barbarum quidem peccatum est, dum de indigentia benignitatis, inhumanitatem fœnerat, quod in Sennacheribo hîc notare licet, qui de sui reatus conscientia magis furit.

Propria malitia, est clementia exilium, & crudelitatis officina.

Hic v. 21. & 22.

2. 1. Paralipomenon 21. Consurrexit autem Satan contra Israël: & concitauit Dauid vt numeraret Israël. Vrbanè Ioabus imperium numerandi populi recusat, Numinis causatus iras, arrogantiæ vltrices. Gratulor aulico diu ministro, quòd Principis imbonum nutum comi renutu fatigauerit. Præualet tamen Regis imperium, numeratur populus, mutila recensitionis summa Dauidi traditur; & iratus Deus Regi succenset. Vide facta Dauidis eius precibus conuenire. Offenderat Dominum, quia numerari iusserat populum. Confessione tamen præuenit Dei nuncium, peccasse se valdè, & nimis stultè fecisse commemorans: non quasi admoneret oblitum, sed quasi vrgeret morantem, ne diutiùs commotionem differret offensæ. Ergo incunctanter adest Gad propheta, dixitque Dauidi: Hęc dicit Dominus: Trium tibi optionem do, elige quod volueris: aut tribus annis famem: aut tribus mensibus te fugere hostes tuos: aut tribus diebus gladium Domini, & pestilentiam versari in terra. *Et dixit Dauid ad Gad: Ex omni parte me angustiæ premunt: sed meliùs mihi est, vt incidam in manus Domini, quia multæ sunt miserationes eius, quàm in manus hominum.* Numquid Dauid donari sibi pœnam poposcit erroris? Quod si fecisset, impudentiæ notaretur, quia moderationi diuinæ fuisset ingratus. Sed plurimùm suffragatur reo verecunda confessio, & pœnam quam defensione euitare non possumus, pudore subleuamus. Eligit itaque Dauid, non quòd à flagello esset immunis, sed quod moderatiùs iudicauit, vt Dei lenitati magis, qui nosset ignoscere, quàm hominum se committeret potestati, qui mensuram vltionis frequenter excederent. Audi huius rei rationem Ambrosij ingenio dignam, & ad thema præsens in paucis tempestiuam, quare Dauid incidere in manus Dei, quàm in hominum manus maluerit: *Miseretur itaque qui nescit errare; non miseretur, qui erroris est particeps,* quasi innocentiæ candor lenitatem nutriat, & clementiæ suffragetur: & adulterata criminibus impiorum conscientia, in crudelitatem efferata, misericordiam desuescat: & quia eodem consimilive reatu adstringitur, inde in crudelitatem inhumaniùs soluatur. *Meliùs mihi est, vt incidam in manus Domini, quàm in manus hominum. Miseretur itaque qui nescit errare; non miseretur, qui erroris est particeps.* Monstrum planè est, vt qui est flagitij *particeps,* sic in flagitiosos efferari dicatur, vt ipse misericordiæ pariter indigus, misereri nesciat quasi à delicto,

1. Paral. 21. v. 13.

Miseretur, qui nescit peccare; non miseretur, qui peccati est particeps.

Ambros. in Psalm 37. parum à principio.

licto, & cum delicto impudentiam inhumanitatis mutuetur. Bona innocentia, quæ vt ab extrorsùm infestantibus nescit offendi, sic aduersus temerarios sui infestatores, placida est, mitis est, tranquilla est, ab impeccantia lenitatem edocta.

Iuuenalis Satyr. 3. *Clemens erit Verri, qui Verrem tempore quo vult, accusare potest*: sed crudelis erit in Verrem, qui de eodem reatu cum Verre accusatur, ac si de sæuitia erga alios, aliquam sui innocentiam vindicare videatur: quam de lenitate efficaciùs comprobasset.

3. Matthæi 6. Christianæ orationis formula à Christo Deo traditur, ab auspicio nascentis Ecclesiæ solemni ritu à fidelibus in dies obseruata. Sic ergò orare debemus: *Pater noster*, &c. vt à Patre Deo, quibus miseri mortales egemus, fidenter

Matth 6 v. 12. impetremus: *Et dimitte nobis*, inquit, *debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Nouum sanè cuiquam videri posset, quòd cùm de præstanda hominibus benignitate agitur, Deus ipse, qui infinitus est clementiæ thesaurus humanam benignitatem tanquam suæ benignitatis mensuram constituat, & sibi imitandam proponat, quæ est

Nyssen. ibi. Chrysolog. serm. 71. sudata Nysseni adnotatio ad ea Christi verba: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Vt Deus nostra facta imitetur.* Et Chrysologus præfata verba exponens, ita scribit: *Homo tu tibi misericordiæ factus es ipse mensura: quantùm quæris misericordiæ, fac tantùm.* Deus immetatè benignus, is ne est, qui in re benignitatis humana facta sibi imitanda proponat? Humana clementia, exemplar erit clementiæ diuinæ?

Animaduersione dignum est, quod CHRISTVS, reus ignoscit, damnatus absoluit. Hominum venia, diuinæ indulgentiæ modum præscribet? Quid tam præclustre in humana benignitate elucet, vt tam augusta sublimitate decoretur? An quia in homine peccatis obnoxio, propè peregrinatur humanitas, & inde offensarum venia nescio quam præstantiæ generositatem combibit; Deus autem innocentiæ, & impeccabilitatis titulo, benignitatem propensiùs parturit?

Ambr. sup. *Miseretur itaque qui nescit errare; non miseretur, qui erroris est particeps*, quasi participatio in delictis, immisericordiam nutriat, & homo de consimili reatu lenitatem desuescat. Hinc procliue est energiam agnoscere verborum Emisseni, qui attentiùs considerans Christum in cruce, etsi non suorum, nostrorum tamen scelerum reum, & eo titulo ad mortem damnatum; inde benignitatis erga offensores præstantiam, & subtiliter agnoscit, & eloquenter edisserit, aiens:

Emiss. hom. 2. de Pascha Lucæ 23 v. 34. *Quale mysterium! apertè Christus aduersarios benedixit, quando, & pro interfectoribus supplicauit, dicens: Dimitte illis Domine, quia nesciunt quid faciunt. Benedixit victus, qui liberat passus: interuenit reus, absoluit damnatus: quia vt aduersarij resipiscant, redemptionem tribuit interemptus.* O grande homines Sacramentum! dum *reus* benignitatem exercet, dum *damnatus* veniam tribuit, & beneuolentiùs ignoscit; & dum est in eodem cum hominibus reatu, (siquidem nostrum reatum fecit suum) adhuc largiùs misereatur. Facile enim miseretur, qui nescit peccare; non miseretur, qui peccati est particeps. Ergò illustre Christi elogium est, quòd *reus* ignoscat, quòd *damnatus* absoluat: & hominis erga homines benignitas tanquam diuinæ benignitatis quodammodo exemplar imitandum proponatur, aiens: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Miseretur enim qui nescit errare; non miseretur, qui erroris est particeps.* O nimis benè!

P. Didac. de Celada in Tobiam.

4. Exhodi 9. Pharaonis dira inhumanitas maximè apparet; Israëlitas velut captiuos, & vilissima mancipia adhuc duriùs diuexans, & suos Ægyptios protelatis, & repetitis plagis funditus perdens, immitissima barbaricè crudelitate. Dimitte populum meum, ait illi Moyses Dei nomine. Quòd si adhuc renuis; ecce manus mea erit super agros, & super equos, & asinos, & camelos, & oues, & boues pestis valdè grauis. Et faciet Dominus mirabile super possessiones Israël, & possessiones Ægyptiorum, vt nihil omninò pereat ex his quę pertinent ad filios Israël: Fecit ergò Dominus verbum hoc: mortuáque sunt omnia animalia Ægyptiorum: de animalibus verò filiorum Israël nihil omninò periit. *Et misit Pharao ad videndum: nec erat quicquam mortuum de his quæ possidebat Israel. Ingrauatumque est cor Pharaonis, & non dimisit populum.* Quæ Exhodi verba exponens Augustinus, sic eleganter scribit:

Non bonus Pharao vel ex oppositis caussis in malitiæ officina crudelitatem excudit. Exhod. 9. v. 7. Aug. q. 30. in Exhod. *Quo modo ex contrariis caussis facta est hæc ingrauatio cordis Pharaonis? Si enim & pecora Israel tantum morerentur, tunc videretur caussa competens qua cor eius ingrauaretur ad contemnendum Deum, tanquam si & Magi eius, pecora Israelitarum fecissent mori. Nunc verò vnde debuit ad timendum, vel credendum moueri, videns nullum pecus mortuum ex pecoribus Hebræorum, hinc ingrauatus est.* Non bonus Pharao ex contrariis etiam caussis incitatur ad malum; Tam est inhumanus vt ex oppositis etiam rationibus, & Israëlitas opprimat, & Ægyptiorum strages negligat; Motiua contraria consimiles admouent ad sæuitiam obstinatiorem stimulos? Si alterum incentiuum calcat addit ad malum, proculdubio oppositum debuisset frenos iniicere, aut contrà. O! quis restinguat flammam, quæ contrario etiam nutritur fomite? Vtrumque ex alteruro redarguitur. At Pharaonis intestina diù malitia, inhumanitatem fouens, adhuc ex oppositis caussis sæuit, nec alteruetra placatur, quo in omnes crudeliter ferociat.

5. Insana autem Pharaonis crudelitas, præsertim aduersus innoxios Hebræorum infantes, his verbis graphicè ab August. describitur:

Aug. ser. 89. de Temp. *Needum natos occidit Pharaonis crudelitas.* *O prodiga furoris audacia! Necdum natis pœna mandatur, & ante principium vitæ periculum concitatur. Cohibe nefarie homo insaniam tuam, quos necdum vides insequeris? Quid scelestius? nondum natos occidis? seruet ordinem feritas tua, nascantur ante quos punias.* Planè disertissimè.

6. Geneseos 37. viso procùl Iosepho, sic mutuò colloquuntur fratres: *Ecce somniator venit: venite occidamus eum*, &c. Quæ verba sic ad rem exponit Chrysostomus?

Genes. 37. v. 19. Chrys. apud Catenam. Lipom. inibi. *O nefanda rabies iniquorum! Non licet Ioseph, non licet, inquam, impunitum esse, quoniam bonus est, non licet meliorem tutum esse cum malis. Et quasi inuidi aliquid perdant, aut dispendium alicuius rei incurrant, sic bonorum vita detrimentum est pessimorum. Zelant mansuetum inuidi, modestum superbi, probum improbi, mitem tumidi inimica æmulatione lacessunt. Patitur Joseph Sanctus innocentis vitæ inuidiam .... Cur innocentem zelas inimica fraternitas? Serua tibi, serua inimica fraternitas virum, quem sentias aliquando placatum. Serua incolumen, quem necessitatis tempore inuenies prouisorem.* Pulchras planè sententias hîc spissat Chrysostomus, quas particulatim enucleare, omnibus obuium est, mihi prolixum foret.

§. LIX.

Potentiorum arrogantia, merita, aut demerita ad honores, in aliis cudere ambitiosiùs præsumit.

1. Plutarchus in Polit. QVemadmodū hedera nascentis alicuius futuræ prænalidę arboris stipitē vndiq; complexa, vna consurgit, & adolescit: ita seniorem adolescens, & gloriosum inglorius subiens, paulatim sublatus, & sensum adductus, radicibus iam altè iactis subnixus, ad Rempublicam capessendam, & gubernandam sese idoneum prębet. Hi autem ciuiliter, & honestè ad finem vsque magistros obseruarunt, & cultu debito prosecuti sunt vt Soli subiecta corpora, quæ cùm inde splendorem accipiunt, vicissim, & reddunt. Prudenter quidem his verbis Plutarchus præscribit modum, quo Reipublicę Summates magnos viros creent, dum diù in paruulos sapientiam spirantes, illos à pusillitate sua subducunt, & verè excelsos de excelsorum consuetudine reddunt. Opinor, quòd opinatissimus hic Philosophus, in re politica versatissimus, dissimulanter præstringit quorundam Optimatum superbissimum fastum, qui suo censu singulorum merita taxant, & dignitatem, aut indignitatem de suo nutu cudunt? & pro suo affectu ęstimationem colorant, qua subiectorum staturas metiantur. Res ipsa grandis, aut exigna est, bona aut mala, splendida aut fusca, ex natura sui, non ex Potentiarum arbitrio, qui pretiū rebus dicere possunt, dare omninò non possunt, quantumuis ad id incumbant toto potentiæ adnixu. Quia de regis Salmanasaris gratia non pendebat Tobiæ bonitas, iratus arroganter Sennacheribi fastus nequiuit illum imbonum reddere. Cognata viro probitas falsarum ostēdit superbum iniqui Regis censum. Idem ille ipse semper pretium sui ipse sibi fecit, eludens mentitam Potentium ęstimationem flectinescia virtutis constantia, inde in omne æuum posthuma fama inclytus.

Imperiti, sicut hedera prænalida arbori, peritis adhæreseant.

Hic v.22. & 23.

2. Isaiæ 5. Hebræa gens suprà humanum fastigium tumens, nōn longè indè aberat, vt detumesceret, ingenti virorum principum ruina, insanæ sublimitatis appendice. Væ, inquit, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis. Et vide vecordem huius superbissimę vanitatis persuasionem, quam egregiè Propheta inculcat: *Væ*, ait, *qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Vocula *Væ* in Sacris Bibliis graude imminere supplicium denotat, terribilibus minis seueriùs fulminatum; & iam cadentem acerbioris pœnæ sententiam, quæ dignitatem culpæ pœnalissimè remetiatur. Sed curiosiùs examinare iuuat, quodnam sit hoc Principum Israëlis crimen, quod sic Dei oculos offendit, & eius lacessit iustitiam, vt seuerissimis minis è Propheta concutiantur. Quid diuinum sibi vsurpat hæc immanior Magnatum superbia? *Væ*, inquit, *qui dicitis malum bonum, & bonum malum*, &c. Tantum ne est hoc scelus, vt tantæ scelestos conficeret pœnæ Ignorantiæ potiùs documentum, quàm arrogantiæ videtur. Oculatissimus mortalium, ad plura cæcus est, ad multa luscus, & vniuersatim ad pleráque caligat, cognatæ cæcitatis vitio, quod trahit à nimia illa perspicacia, qua Protoparentes nostri ex arbore vetita inoculati sunt. Quid ergò mirùm si Hebræorum Proceres hac lippitudine laborent, & malum sub larua boni apparens, bonum censeant: & bonum de hypocrysis artificio, malum ęstimetur? An non sępè ipse lucis splendor, qui visum clarare putaretur, aciem oculorum repercutiens, obtutum perstringit, & perspicacissimos quosque obcæcat. De eodem ignorantiæ, & cæcitatis vtero nascimur omnes. Et certè si cæcitas in crimine foret, quotusquisque mortalium magna ex parte cæcus, vel luscus, vel lippus, aut nascitur, aut fit. Commune delictum, sic Deum specialiter ostendit? Quis autem adeò cæcus est, qui hic non videat, aliquod grande flagitium sub hoc communi apparenter delicto medullitùs delitescere, quod arrogantiā, potiùs quàm inscitiam redolet. Vidit illud Hieronymus perspicacissimus Bibliorum ænigmatum interpres, qui in quadam Epistola sic præfata verba velut commentario clarat: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* (Hieronymum legis) *Quasi virtus, & vitium non in rebus sit, sed cum auctore mutetur.* Sententiosè quidem Hieronymus. Nimirùm eò superbiæ aliquorum Potentium elatio vanæ gloriæ pennis effertur, vt quasi virtus, aut vitium nōn sit in rebus ipsis, sed in eorum æstimatione, & censu, velut *auctores* alieni boni, aut mali se esse præsumant; pro arbitratu merita excudant; & ad nutum fingant magnos, aut in exiguos refingant Non statuta, qua quisq; est, sed qua ipse velit, metiendos esse singulos ambiunt: sapientes vna diecula satos, & adultos (sicut de gigantibus poëtatur antiquitas) sublimant; multiiuga eruditione diù excultos, velut sapientiæ tyrones tractant: nuper improbus, & reo proximus, derepentè iudex est, & morum censor, & dignus veteranorum elogiis celebratur, & eiusmodi alia sexcenta prodigia indies edunt, *quasi virtus, & vitium non in rebus sit, sed cum auctoribus muteiur. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* O superbissimam eorum arrogantiam, quæ sua rebus elogia suffurari præsumit, & merita de suo censu impertiri exambit. Esto, dones vitio virtutis præmia; sed ne virum bonum depraues, quo appareat indignus: & malum commendes, ne indignus appareat. Suum est cuiusque, quod laudem meretur. Superbè vero omnipotente tuo censu præmiator diceris, *auctor* alienæ virtutis, aut vitij, quantumuis adnitaris, prorsùs non eris Qui sic arroganter præsumit, vitij, ac virtutis pretia deludit. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* &c.

Isaiæ 5.v.10.

Virtus, & vitium in rebus sunt, non cum auctore mutantur.

Hieron. Epist. 107.

Deuteronomij 17. iudiciorum formula præscribitur, dum res ancipiti probatione adhuc ambigua est. *Sed difficile, & ambiguum*, inquit, *apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, caussam, & caussam, lepram, & lepram: & iudicum intra portas tuas videris verba variari.... Venies ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem.* Et sanè mirabile est, & attenta expensione dignissimum quòd dum ambiguum est, an quis lepra, an vitiligine, alióve, aut nullo morbo laboret: iudicium fœdi morbi, aut sanitatis iudicium, non sit penes medicæ artis peritos, sed apud Sacerdotes, aut populi Principes. Quid Sacerdoti, aut Principi cum corporalis morbi exploratione, & discretione inter *lepram, & leprā.* Putauerim, animi ægritudines curare, citiùs ad Sacerdotes pertinere; publicis flagitiis pœnalia supplicia pronunciare, ad Principes 3.

Deuter. 17. v. 8. & 9.

cipes

Si Dux iusserit, leprosus eris, aut à leprâ mundus. cipes spectare; explorare autem corporis morbos,& inter lepram & vitiliginem discernere; & an sanus, an leprosus sit agnoscere, non ad iurisprudentiam aut rem politicam, sed ad rem prorsùs medicam attinet. Fortè nemo exinceps, aut iure sanguinis, aut electionis suffragio capesset sacerdotium aut principatum, nisi medicis disciplinis egregiam priùs operam nauarit. Theodoretus hunc Deuteronomij locum accuratè versans, rem tetigit,dum difficultatem exaggerat: *Si iudicando, non possit*,inquit,*inuestigare verum,aut probare sit ne corpus leprosum, neque discernere possis an vitiligo sit, an lepra: ne damnaueris, neque indices ex coniecturâ: sed sacerdoti rem expone, aut ei qui tum deducendi populi cura commissa fuerit: & quod ille iusserit, exequere.* Res planè mirissima,quòd si Sacerdos aut Dux populi *iusserit*, vt Titius sit leprosus, aut lepræ contagio immunis sit; aut vitiligine laboret, aut sit sanus omninò id prorsus ab omnibus censendum, & exequendum sit. Habere, vel non habere lepram, res est *iussionis* alienæ, an vitij proprij? Leprâ iniquitatum esse, aut à lepræ squalore prorsùs immunem, ex Potestatum *iussione* dependeat, Ducis vox declaratoria est, an operatoria Quòd Vulgatus dixit, *Iudicauit*, Theodoretus exposuit, *Iusserit*. Benè est, *iudicet*, suâ opinione esse leprosum, quod tolerabile esset. At *iubere*, quòd sit, aut non sit leprosus, valdè exaggerat Sacerdotum & Ducum potestatem. Quod in hoc casu Dei forsan fiebat instinctu; sæpe aliàs fit arroganti Potentiæ elatione, quæ superbè præsumit pretia rebus dare quasi virtus aut vitium non sit in rebus, sed in Potentioris arbitrio, & ipse alienæ virtutis ac vitij *auctor* sit, possitque *iubendo* merita cuiusque mutare, omnipotentiâ quâdam arrogantiæ insanè præsumptâ. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, quasi virtus & vitium non in rebus, sed cum auctore mutetur.* Aliam huius Hieronymi loci sensum, fors magis genuinum, aliàs dabimus.

Theodor. q. 17. in Deut.

4\. *Matth. 26. v. 53. Incredibile videtur Christum habere diuinam virtutem, quia infirmitatis humanæ documenta ostenderat? Chrys. ibi. homil. 85.* Matthæi 26. aduersus tartaream illam Pharisæorum cohortem, quæ auctorem vitæ ad mortem comprehendere audacter præsumit; Petrus gladiū animosè stringit, quo rudis discipulus mitissimi Magistri doctrinam diffitetur, atque patientiam Domini in Malcho vulnerauit. Tunc ait Iesus: Conuerte gladium tuum in locum suum. *An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum.* Ecce auxiliares Angelorum legiones precibus impetrandas pollicetur; erunt ne pugnaciores illi Angeli, qui precum interuentu nobis adsunt. Num Angeli humanâ oratione ad ferendam opem impetrati, robustiores de oratione vires mutuantur; Eleganter ad lemma præsens Chrysostomus his verbis hunc locum commentatur: *An putas, quia non possum rogare patrem meum*, &c. *Quia multa humanæ infirmitatis ostenderat, non videretur credibilia dicere, si dixisset, quòd eos perdere posset.* Nempè vulgò homines non ex re ipsâ, sed ex suâ opinione, cuiusque elogia metiri solitant, quasi censoris iudicium non tam ex ratione iudicet, quàm ex suo arbitrio *iubeat* rem esse talem. Inde de Christo Deo, quia multa infirmitatis humanæ ostenderat documenta, vix homines sibi persuaderent, quòd propriâ virtute eos perdere posset. Sic ex personæ æstimatione, non ex eiusdem virtute rem humano censu metitur, quasi virtus & vitium non in rebus sit, sed cum auctore, aut censore mutentur. O! *non videretur Christus credibilia dicere, si dixisset, quòd eos perdere posset.* Posset, posset quidem. Sed male inuidiosi homines, ex inconsultâ suâ opinione rem taxantes, de conceptâ leuiculè auctoris opinione, non de operandi potentiâ, aut operum merito, de re ipsâ vulgò censent; Christóque detrahunt diuinitatis potentiam, quia infirmitatis humanæ documenta ostenderat.

P. Didac. de Celada in Tobiam.

---

§. LX.

Pœnalissimum quibusdam videtur, accusatores pati correctores.

1\. Plutar. lib. de vtilit. cap. ab amicis.

RECtè dictum est à Plutarcho ex veterum tetrò Philosophorum oraculis, *ad salutem & incolumitatem tuendam opus esse aut amicis ingenuis, aut acribus inimicis: propterea quòd illi dum admonent peccantes, hi dum maledicunt, reuocant à vitiis. Sed quoniam his sanè temporibus, ad liberè loquendum penè vocem amisit amicitia, loquax est autem assentatio, admonitio muta; superest vt ab inimicis verum audiamus.* At quod grauatè ab amico auditur, quàm acerbè ab inimico audietur? Imò quisquis nos arguit, accusat, aut condemnat, etsi amicus sit, bonoque animo id præstet, confestim inimicus putatur, quasi beneuola etiam & iusta admonitio, delatio, correptio ve, sit hostilitatis titulus, & dissidiorum officina. Grauissimè enim acerbum putant homines his conniuere conuersarique, qui *Curiosi* (sic eos appellabant Romani) defectuum indagatores, si quid peccatum est, diligenter explorant, obseruant, & ad Correctores etiam fideliter deferunt ad morum medelam. Inde cùm Ioseph Patris deliciolum, & fratrum decus in pascendis gregibus puer moraretur, *erat cum filiis Balæ & Zelphæ vxorum patris sui: accusauitque fratres suos apud patrem crimine pessimo.* Vnde hi potissimùm ancillarum filij cum quibus versabatur Ioseph (Ruben siquidem & Iudas mitiùs agebant) acerbissimo odio exarserunt aduersus fratrem delatorem: indeque etiam tot tragœdias funestè excitarunt. Sic improbitas probo etiam accusatore sauciatur; Sic molestè contubernalem sustinet correctorem; O quàm sæuas hîc molestias Tobias subit, ob curiosas contubernalium delationes!

Ab ore duntaxat inimicorum vera audimus.

Genes. 37. v. 2.

Hierem. 22. & 23.

2\. Geneseos 4. impius Cain vt quiesceret admonitus, & auget insolentiam, & acerbat flagitium. Ergò atroci cruentus parricidio, immane scelus abscondere impudenter satagit. Et ait Dominus ad Cain: Vbi est Abel frater tuus? Qui respondit: Nescio: Num custos fratris mei sum ego? Etsi contumaciam prodat hic sermo, sonat tamen, quia si bonum fratrem considerasset, custos debuisset esse pietatis. Quem enim magis quam fratrem seruare debuerat? Sed quomodo germanitatis seruaret officium, qui necessitudinis non agnouisset affectum? Aut quomodo fieri posset, vt naturæ obedientiam deferret, qui Deo reuerentiam non exhibuit? Negat primum quasi apud ignorantem: recusat fraternæ munus custodiæ, quasi exors naturæ. Quid miraris si pietatem non agnouit, qui non agnouit auctorem? Dixitque ad eum Deus: *Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Itaque ferale parricidium & diuinâ omniscientiâ, & terræ comprobatum testimonio,

Cain damnatur, vt viuat cum terra, quæ eius scelus & arguit, & condemnat.

ſtimonio, pœnaliſſimo, opinor, ſupplicio mulctandum erat, in pœnam ſceleſtiſſimi flagitij, & in poſteritatis terrorem. Adeſt Deus celer parricidij vindex, & innocentiæ atrociter peremptæ ſeuerus aſſertor, audiamus ſententiam è diuino ore iam iam cadentem: Nunc ergò maledictus eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit

Geneſ. 4. v. 12. ſanguinem fratris tui de manu tuâ. Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos: *Vagus & profugus eris ſuper terram.* Quid eſt, quod tam mitii ſupplicio conceptum de tanto ſcelere furorem Deus euaporat? Et vbi eſt illud: Oculum pro oculo, dentem pro dente, ſanguinem pro ſanguine, vitam pro vita? Imò pœnaliſſimum aliud & acerbus ſupplicium excogitandum foret, quo innocentia vindicaretur ab impio, inſidioſo & exêplati parricidio, quò exinceps poſteritas à ſimili flagitio exterreretur. O mulcta tanto ſceleri impar, nec tam de iratâ iuſtitiâ, quàm de placatâ benignitate mitis & placida! Imò in paucis ſeuera, terribilis, & acerba. Cuius grauitatem vidit

Ambr. lib. 2. de Cain & Abel. cap. 9. Ambroſius adſpectu ad accuſatricem terram, ſic argutè fatus: *Eſt etiam terra teſtis, quæ cœpit ſanguinem. Et benè ait: Vox ſanguinis fratris tui clamat de terrâ: non dixit, de fratris clamat corpore, ſed de terra clamat. Et ſi frater parcit, terra non parcit. Si frater tacet, terra condemnat. Ipſa eſt in te & teſtis, & iudex. Teſtis acrior, quæ adhuc parricidij tui ſanguine madet. Iudex aſperior, quæ tanto ſcelere conquinata eſt.* (Perpende attentiùs quæ ſubdit verba ad rem opportuniſſima) *Nam quomodo abſoluitur puta illi caleſtique ſententia, quem nec terra potuerunt abſoluere? Et ideò gemens & tremens iubetur eſſe ſuper terram. Vagus & profugus eris ſuper terram.* Scilicet leue ſors videretur, ſi Cain ob ferale parricidij flagitium, calenti adhuc Dei iuſtitiâ vlciſcendum, ſæuis tormentis mancipatus, impiam vitam pro piiſſimâ Abelis vitâ ad non æquum talionem offerret. Vide ingenſum inflictæ pœnæ, quod ingenioſè prodit Ambroſius. Nimirùm, Terra te ſceleris arguit, terra te accuſat, terra tuum crimen defert, terra contra te ſuffragium defert, terra te ante iudicis ſententiam hianter condemnat. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Viuat ergò Cain in terra, & cum terra, qui terram velut acerbam accuſatricem paſſus eſt: *Et ideò gemens & tremens iubetur eſſe ſuper terram. Vagus & profugus eris ſuper terram.* Quantùm accreuit culpa, tantùm ſibi à Caino vindicat pœnæ rationabilis diſciplina; & quantùm ſtulta iniquitas geſſit, tantùm ſapiens pœna deſæuit. Mortem fratri Abelo intulit, non moriatur Cain ne vnam mortem citiùs ſubeat; ſed diu viuat ſuper terram, *gemens ac tremens* ipſe; quippe quam ſtudioſè accuſatricem paſſus eſt. Conuiuat terræ, conuerſetur diu cum terrâ quæ illum ſceleris arguit, & hiatibus verba conatur, vt illum condemnet. *Gemens & tremens* viuet, qui cum accuſatoribus conuerſatur. Aſt Caini malitiam refert, qui ſic grauatè correctionem patitur. Qui propriorum defectuum correctioni ſtudet, correptoribus de emendationis voto gratulatur. Malè nauſeat ad antidotum, qui hiauit ad venenum.

3. Iſaias cap. 33 aliàs perſæpè Vates fauſtus exiſtens, nunc acerba minatur. Et erunt, inquit, populi quaſi de incendio cinis, ſpinæ congregatæ igni comburentur. Audite qui longè eſtis quæ fecerim, & cognoſcite vicini fortitudinem meam.

Iſaiæ 33. v. 14. Contriti ſunt in Sion peccatores. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Pœnalis incendij dolores ſceleratæ animæ immortalitas auget, & arcani ignis non moritura pyrâ capitalium criminum punitur exceſſus. Sed expendere licet nouam Prophetæ metaphoram *habitandi,* aiens: *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* quaſi præter æternam flammæ exuſtionem, alia noua, nimiſque acerba moleſtia ex cohabitatione cum gehennali igne exoriatur. Opportunè pariter ac pulchrè Emiſenus: *Illa,* inquit, *non caſualis, ſed rationabilis ac pœnalis exuſtio, quia culpam iubetur inquirere, ſubſtantiam neſcit abſumere.* Ecce tibi quid habeat peculiare gehennalis ignis præter ſæuam aduſtionis moleſtiam, ob quod habeatur peracerbum cum illo æternum *habitare.* Scilicet quod rationabilis gehennæ exuſtio, *culpam iubetur inquirere,* culpam perueſtigat, culpam publicat, culpam perpetimortificatione carpit & adurit. Profectò cùm terra reprehenderit, accuſauerit que Caini parricidium, de tanti ſceleris reatu damnatur, vt gemens ac tremens habitet ſuper accuſatricem terram: ſic etiam damnatorum pœna exaggeratur, cùm dicitur, Damnatos habitaturos eſſe cum ardoribus ſempiternis: nam *illa non caſualis, ſed rationabilis ac pœnalis exuſtio, quæ culpam iubetur inquirere, ſubſtantiam neſcit abſumere.* Quaſi gehennalis pœnæ noua acerbitas, & velut alia æternitas, etiam ſit ob ignem culparum inquiſitorem. Vereor ne nimis ſubtilis ſit Emiſeni expenſio, cui Caſſianus concinit, aiens: *Ille ignis inextinguibilis, & inquiſitor meritorum omnium.*

Pœnaliſſimũ eſt habitare cum ardoribus ſempiternis, qui culpam perpetuò inquirunt.

Emiſ. hom. 1. ad Monach.

Caſſian. collat. 5. cap. 10

4. Apocalypſis 12. Factum eſt prælium magnum in cælo: Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius. Et proiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus, & ſatanas: & proiectus eſt in terram, & Angeli eius cum illo miſſi ſunt. *Et audiui vocem magnam de cælo dicentem: Nunc facta eſt ſalus, & virtus: & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius: quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte.* Ad quæ verba Arethas Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus ita fatur, exponens το *accuſator fratrum. Angeli,* inquit, *vocant homines fratres ad imitationem Domini ſui Accuſationem aduerſus fratres noſtros, inquit, continuè meditatur accuſator, oſtendens continuum & aſſiduum illius Maligni aduerſus nos inſultum.* Nimirùm cùm proiectus eſt in terram (id eſt, in *abyſſum,* vt commentatur Carthuſianus) accuſator fratrum, qui cum illis in terra verſans, *accuſationem continuè meditatur*; nec tam ex re ipſâ, quàm ex maleuolæ *meditationis* genio fratrum continuus & aſſiduus accuſato exiſtit; tunc miſerâ calamitate terrigenæ eximuntur, & læta de cælo vox auſpicatò reſonat: *Tunc facta eſt ſalus, & virtus: & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius: quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſationem continuè meditatur.* Sic cælum adgaudet tantæ felicitati!

Apocalyp. 12. v. 10.

Adgaudet cælum, cùm fratrum continuus accuſator eiicitur.

Arethas ibi.

Carthuſ. in ibi.

* * *

§. LXI.

§. LXI.

Inuidiæ morbus sic conuiscera tur inuido, vt propè immedicabilis putetur.

1\. NVnquam erit felix quem torquebit felicior. Minùs habeo, quàm sperauit: sed forsan plus speraui, quàm sperare debui. Nulli ad aliena respicienti sua valde placent. Inde sollicitior nos exedit cura corrosione perpeti, & nobis quoque fatuè irascimur, quod aliquis nos dignitate antecedat, aut litterariâ aut bellicâ gloriâ; obliti quot, quantique nos sequantur à tergo, & eodem nobiscum esse gradu mallent. Tanta tamen importunitas inuidiosæ ambitionis est, vt quamuis multùm acceperint, iniuriæ loco sit, quidquid alius habet, & ipsi habere potuissent. His friuolis & inanissimis causis sic inacrescit inuidia, sic altè hæret, sic pertinaciter torquet; vt homini inuido miserè conuiscerata videatur. Sic rabidus hic affectus inolescit, & insolescit, dum de bono alterius proprium fabricat malum, & alienâ felicitate perpetuò infelicitatur. Tobias bonis spoliatus & ad mortem quæsitus, *nudus latuit, quia multi diligebant eum.* Nudum pauperem, & proscriptum diligunt, cui Regis familiaritate, & opibus aucto, nuper inuidebant. Pauci sciunt diligere felicem; nam felicitas vel debitum compescit amorem, & de inuidiæ genio intestinam perpetuò maleuolentiam exsuscitat, immedicabili penè odio, quod est gloriæ comes, & felicitatis stipendium, cui semper pendendo sublimior fortuna excrescit vectigalis: inuidia enim alienæ virtutis appendix est, prosperitatis sequela, & felicium contumeliosè illustre nocumentum.

Inuidia. pertinax malum est.

Hic vers. 23

2\. 1. Regum 18. percusso strenuè Philistæos, trūco eius corpore squalidè abiecto, abscissum suo pugione caput, è mœniis Dauid ouans suspendit, quasi hostium anathema, & illustre victoriæ trophæum. Dauidis triumphus, hostium metum, quo madebat, Sauli excussit; sed simul inuidiam, sæuiorem hostem incussit. Porrò cùm Dauid reuerteretur percusso Philistæo, egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israël, cantantes chorosque ducentes in occursum Saul regis, in tympanis lætitiæ, & in sistris. Et præcinebant mulieres ludentes atque dicentes: Percusit Saul mille, & Dauid decem millia. Iratus est autem Saul nimis, & displicuit in oculis eius sermo iste. Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauid à die illâ, & deinceps. Ecce nuperrimam inuidiæ occasionem: quàm verò altè hæserit in Regis corde, protinùs sacer historicus publicat: *Post diem autem alteram, inuasit Spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ: Dauid autem psallebat manu suâ, sicut per singulos dies, tenebatque Saul lanceam, & misit eam, putans quòd configere posset Dauid cum pariete: & declinauit Dauid à facie eius.* Talis erat Saul, qui eiusmodi facinore, non tam Dauidis gloriæ, quàm suimet ipsis boni, & vtilitatibus inuidere videtur: qui beneficia Dauidis ad occasionem persecutionis eius, & impugnationis accepit; atque per spiritalem illam cithatam diuinitùs modulatam, & plectro sancti Spiritus pulsam, ab incursione dæmonis liberatus est. Verùm quid beneficij memor rependit? pro salutifero plectro dæmonem excantante, hastam mortiferam retorquet in Dauidem. O grande liuoris scelus! Dæmon cantu fugatur, & adhuc hæret inuidia. Acutè Theodoretus rem hanc sic ad rem præsentem expendit: *Et Saul quidem priuatus fuit diuina gratia; Dauid autem psaltes furorem quidem leniebat dæmonis: sed Saulis minimè sedauit inuidiam. Nam quò eum maiori afficiebat beneficio, eò magis properabat eum occidere.* O quàm inuidiæ malum inuido pertinaciter adhærescit! Saul & inuidiâ agitatur, & à dæmone exagitatur. Dauidis plectro dæmon cedit, & excantatus ab obsesso corpore confestim exiliit: sed adhuc obstinatè hæret inuidia, *Furorem leniebat dæmonis, sed Saulis minimè sedauit inuidiam* Sic liuor fuit; sic pertinaciter resistere ualet, vt qui cedit dæmon, adhuc resistat inuidia? Infernalis furor beneficio Dauidis plectro mitigatur; & Saul eius beneficio Dæmonibus exemptus, adhuc tabidè furit, & beneficentiam morte reponderes fatagit; Sic medullitùs hæret inuidia; Sic animitùs inuidi mentem liuor possidet, vt quod Diaboli iras mitigat, inuidiæ furorem accendat; *Furorem leniebat dæmonis, sed Saulis minimè sedauit inuidiam.* O agnosce hanc intestinam pestem visceribus insitam: Dæmonem quidem excantasse, non est adeò arduum, quàm adhuc recentem inuidiam è medullis inuidi Saulis excussisse.

1\. Reg. 18. v 10 & 11.

Dauid furorem leniebat Dæmonis, sed Saulis non sedauit inuidiam.

Theodoret. in lib. 1. Reg. q. 45.

Geneseos 4. impius Cain honorata aduertens Abeli munera, & suam repudiari à Deo victimam ægrè tulit: & *primus Diaboli discipulus*, ab ipso & inuidiæ vitium, & homicidij opus edoctus, socia sibi & cognata crimina, mœsti liuoris instinctu, tacitâ mente voluit. Occultam Caini mentem & in se ipsâ, & in eius vultu Deus perlegit. Dixitque Dominus ad Cain: *Quare iratus es? & car concidit facies tua? Nonne si benè egeris, recipies; sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus eius, & tu donaberis illius.* Quid, ô Cain, arbitrij habenas permittis inuidiæ, quę iam in mentis secreto, parricidij existit mater, quæ natura iura confundit, quæ ignorantiam cōsanguinitatis inuehit? Quid contristaris, ô homo, cùm nihil mali perpessus sis? quid impugnas eum, qui tibi videtur in bonis degere, cū te in nullo defraudauerit? Quòd si ad hæc non attendis, præ liuore inops mentis, cogita saltem virtutis mercedem, quam vberrimam Deus tibi spondet; cogita seuerissimas iustitiæ minas, quibus metum incutit, succidaneo supplicio: cogita, quòd etsi tabida inuidiæ passio te propè abducat à mente, arbitrium tamen non lædit: nā sub te est inuidię appetitus, & tu dominaberis illius. Ast animaduersione dignissimum est, quod post tot, tamque efficaces rationes, quas Caino Deus proposuit, vt eum à meditato flagitio auerteret: sic passione inuidiæ agitatus, confestim in parricidiū insurrexit, ac si occidendi fratris suscepisset imperium. Nec inuidiæ morbo, vel Dei verbum serio à scelere auertens, medicinam facere potuit? Pulchrè Zeno Veronensis hâc de re ita fatur: *Verùm quoniam erubescit confiteri, recondit, & celat intrinsecùs morbum ipsa eius interna viscera consumentem. Neque enim medicum langoris sui assumere; neque remedij aliquid inuenire potest, cùm præcipuè omnes Scripturæ repletæ sint verbi Dei medicamentorum, quibus possint ista curari; sed inde quidem remedium non requirit. Vnum autem solum sibi remedium putat, si fortè ei cui inuidet, infaustum aliquid accidat.* Nimirū inuidus, Dei verbo, in quo salutaris inuidię prostat 3.

Genes. 4 v. 6. & 7.

Num inuidia immedicabile vitium censeatur?

Zeno ser. de liuore & inuidia.

medicina, mentem obturat, & auditum pertinaciter obstruit: & inde *neque medicum langoris sui assumere, neque remedij aliquid inuenire potest*, adeò vt vnum putet remedium, felicis Abeli infaustam ruinam. O tetrum vitium, sic malitiæ tenax, & in proposito obstinatum, vt plectro cui cedit dæmon, minimè cedat; vt faustis pollicitationibus, & acerbioribus Dei minis, quæ à liuore deterrent, quasi blandâ & eloquenti suadelâ ad parricidium vrgeat! Sic medullitùs mentem possidet, sic animitùs totum occupat hominem, vt Dei vocibus surdum reddat, vt promissiones magnificas, & minas acerbiores, nec pili eas faciat; Sic inuidiæ morbus inuido inuisceratur, vt *neque remedij aliquid inueniri possit*, præter felicis ruinam. Inde in Abeli cædem sic præceps ruit Cainus, quasi super se foret inuidiæ appetitus, & ipse Caino dominetur: cùm tamen inuidiæ appetitus sub homine sit, & ipse dominetur illius.

4. Matthæi 13. Veniens Iesus in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita vt mirarentur, & dicerent: Vnde huic sapientia hæc, & virtutes? Nonne hic est fabri filius? *Nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon & Iudas: & sorores eius, nonne omnes apud nos sunt? vnde ergo huic omnia ista?* Non sic (ait Chrysologus) nubes cœlum, nox diem, Solem caligo, quomodo mentem cœcat, & tenebrat inuidia. Liuor hoc Iudaicus probat qui Christi sapientiam miratur; virtutes stupet, attollit opera, dicta suspicit; *& tamen ne in ipso videatur Diuinitas, Deitas, sentiatur*, carnalium parentum nomina commonet, & euulgat..... Callidè fratres ingeris, ostentas sorores, vt numeroso partu sanctæ Matris virginitas lateat, obscuretur integritas, & sentiatur de Filio totum quod humanum est, nil diuinum. Et post pauca ad rem subdit: *Inuidia omnibus malis peior: quos cœperit, liberari nequeunt: quos vulnerauerit, ad curam non veniunt. Inuidia delictorum venenum, criminum virus, peccatorum mater, origo vitiorum: hanc qui non viderit, bona videt: hanc qui nescierit, mala nescit: hanc qui fugerit, viuit. Inuidia vitari fugâ potest, non potest superari conflictu.* Longum facerem, si Chrysologi sententias singulas aduersus inuidiam, nunc vellem singulatim enucleare. Sat esto vniuersatim proponere. Nec te prætereat ad lemma præsens, quòd *Inuidia quos cœperit, liberari nequeunt, quos vulnerauit, ad curam non veniunt. Inuidia vitari fugâ potest, non potest superari conflictu*: Inuidiæ enim morbus sic medullitùs conuisceratur inuido, vt propè immedicabilis reputetur.

Matth. 13. v. 55. & 56.

Quos inuidia cœperit, liberari nequeunt.

Chrysolog. serm. 48.

5. Lucæ 15 dum Prodigus adolescens lætanter in paternâ domo recipitur concentu festæ symphoniæ, & vituli saginati odore, malè afficitur senior frater; qui ob cohæredis damnum querulus, quasi ignauam patris veniam incusat. *Erat autem filius eius senior in agro*, &c ait Euangelista. Ad quæ verba, hæc subdit eleganter Chrysologus: *Erat in agro terram percolens, se desertans; duritiam soluit cespitis, perdurat affectum; sentes eradicat, & gramina, stimulos inuidiæ non euellit.* O! sic pertinax inuidia perdurat effectum.

Luc. 15. v. 25

Chrysolog. serm 4.

Inuidia est pertinax vitium, dum perdurat affectum.

6. Chrysologo succedat Seleuciẽsis Basilius, quorum simile par ingenio & eloquio, nulla ætas tulit. Hic loquens de cruentâ inuidentiâ fratrum erga Iosephum, ita fatur: Fratres Iosephi *in speciem cædis vestem compositam, quasi sine sanguine inuidentiam nequeant extinguere, patriis offerunt manibus, morte mentita ad verum luctum fenem incitantes, & charitatis pœnas à genitore reposcentes.* O viuax inuidentiæ flamma, quæ sine sanguine non restinguitur! Quod inuidiæ affectus scribit, sanguinis duntaxat delebit? Alibi forsan emedullabitur Seleucinæ sententiæ arguta clausula.

Seleuc. orat. 8.

§. LXII.

Qui præsidio contumeliam fugit: illam dum fugit, citiùs inuenit.

Tertullianus seueriùs quàm par est, fugam in persecutione persequitur, quasi de timiditate indecorã, & de latebris Christiano heroi propudiosam. Porrò, ait, quis fugiat persecutionem, nisi qui timebit? *quis timebit, nisi qui non amabit? Publicaris, inquit, bonum tibi est: qui enim non publicatur in hominibus, publicatur in Domino* (Et sanè Tobias hîc & ad fugam compulsus est, & publicationem seu proscriptionem bonorum passus.) Pergit Tertullianus aiens, quòd qui fugam in persecutione honestare contendunt, malè illam suadent ex illo secularis sapientiæ Græco versiculo, 1.

Tertull. de fuga in persec. cap. 9. & 10.

Fugam in persecutione Tertullianus prodiciosam censet.

Qui fugiebat, rursus præliabitur,

vt rursus forsitan fugiat. Et quandò vincet, qui cùm fugerit, victus est? Bonum militem Christo imperatori suo præstat, qui tam plenè ab Apostolo armatus, tubâ persecutionis auditâ, diem deserit persecutionis. Respondebo & ego, inquit, *de seculo aliquid,*

Vsqueadeòne mori miserum est?

Moriatur quoquo modo, aut victus, aut victor. Nam etsi negando ceciderit, cum tormentis tamen præliatus. Malo miserandum, quàm erubescendum. Pulchrior est miles in pugna prælio amissus, quàm in fuga saluus. Fugitiuum cũ diabolo te reddidisti, & tandem hâc clausulâ caput absoluit: *Malo inuidiam Deo facere per voluntatem ipsius pereundo, quàm bilem, per meam*, fugâ *euadendo.* Nimis quidem seuerè; & Stoico potiùs supercilio, quàm Christiano documento. Ast prudens in persecutione fuga, etsi nihil impium deferat, nil tamen magnanimum plerumque ostentat: nam fugitiua virtus humilitari citiùs, quàm humanæ gloriæ militare videtur: & probus quisque etiam suæ fugæ bonum erubescere solet, de timiditatis permisso confinio, apud homines inglorio.

Mors Martyrum inuidiosa Deo dicitur.

Lucæ 2. diuinum Verbum in sacrâ Deiparæ aluo corporatum est, vt fugitiuos à se homines redimeret, & cœli virtutibus terram erudiret. Ergò Deipara virgo Deum vtero gestans, Cæsari vectigalis, cum sponso Iosepho in vrbeculam Bethlehem venit. Factum est autem cùm essent ibi, impleti sunt dies vt pareret. *Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diuersorio.* O grande seculis prodigium! Ecce tibi Dei verbum infans, immensitas fasciis stricta; Deus æternus, vnius diei homo, diuina Sapientia inter brutas animantes, Deitas in præsepio, maiestas in stabulo. O stabulum augustè vilissimum, sublimissimæ humilitatis gymnasium, vbi hominum vana gloria egregiè vapulat, dũ Dei immensitas in angusto latibulo delitescit! S. Augustinus in epiphaniâ contemplatus regalem Gentium fastum 2.

Lucæ 2. v. 7

Christi maiestas infinita inter obscuras latebras stabulat.

stum humili cernuatione infantem Deum in præsepio adorantem, arcanum demiratur mysterium, ita eloquenter fatur: *Inter obscuras cubiculi latebras & præsepis angustias, in quibus infinita maiestas membris contractioribus stabulabat.* Summus Christi Dei apud homines honor est, & gloria sumptuosior, quòd superba Gentilitas arrogāter retrò tumens, sic repentè detumescat vt è poplite infantem recens natum, reclinatumque in vili præsepio tanquam Deum adoret. Ast dùm puer IESVS inter obscuras cubiculi *latebras* delitescit, vt Herodianam fugiat inuidiam, etsi infinita Infantis maiestas inibi adoretur, planè *in obscuris latebris stabulare* dicitur. Summa Dei maiestas in sublimiori etiam gloria, dum in *latebris* absconditur, *stabulare* perhibetur. Qui in latibulo absconsus residet, quantumuis infinitam ibi maiestatem ostentet, de fugitiuo secessu, & *obscuris latebris* planè *stabulat.* Sic fuga putatur turpe, indignum, & seruile præsidium; Itaque *latebræ*, quamuis licitæ, honestæ, & virtutis genio electæ, de impotentiæ & pusillitatis argumento (sæpè inualido) nescio quid dedecoris apud homines importat: & vt inhonestatis probrum absit, magnanimitatis & potentiæ decus non affulgurat. *Tobias cum filio suo, & cum vxore fugiens, nudus latuit,* Christi Dei præmaturè æmulus; ne hoc apud homines opprobrium, illi ad humilitatis perfectionem deesset. Fuga enim de latibuli elogio, sibi contumeliosa est, & humanæ censuræ malè subdita.

Auguſt. ſer. 3 de epiph. apud Catenam aur.

Hic verſ. 23.

3. Ieremias, lugubris plerumque Vates, sic ex imis visceribus funestè vlulat, In lææ gentis tragœdiam prædicens: Ventrem meum, ventrem meum, doleo, sensus cordis mei turbati sunt in me: non tacebo, quoniam vocem buccinæ audiuit anima mea, clamorem prælij Contritio super contritionem vocata est, & vastata est omnis terra, repente vastata sunt tabernacula mea, subitò pelles meæ. *Vsquequo videbo fugientem, audiam vocem buccinæ?* Grandiora planè mœstitudinis indicia, & atrocioris calamitatis documenta singultibus edit: sed videamus, infaustum Hebræis omen, quid portendat. *Vsquequò,* inquit, *videbo fugientem?* Strages præterit, excidium omittit, & *fugam* duntaxat, ad calamitatis exaggerationem, opplorat? An iners fuga calamitosior excidio est? Qui periculum fugit, adhuc superstes est, & vita comite è prælio sospes elabitur: non ergò extremam populi ruinā tanto mœstitudinis apparatu funestus nimis Vates portendit. Verū enim verò *pulchrior est miles in pugna prælio amissus, quam in fuga saluus,* vt ex Tertulliano nuper dicebamus. Audiendus est hac super re Ticinensis Ennodius, qui hisce verbis, quam rex Theodoricus de gente pugnacissima reportauit victoriam, argutè prædicat: *Versa est in fugam natio, punita grauius quod euasit.* Ecce tibi euentus aduersos de vita per fugam seruata generari, & periculi euasionē fieri aduersorum matrem: nam turpior est miles in fuga saluus, quam in prælio amissus. In pugna prostratus, viuit gloriæ; in fuga saluus, opprobrio suo, & victoriæ gloriç militat. *Versa est in fugam natio, punita grauius quod euasit.* O vide hîc quale sit fugæ probrum! Alacer, cùm necesse est, occurre periculis, vt fugiendi contumeliam fugias, & periculum fugiendi magnanimo occursu bestiariorum exemplo deuincas. De his ergò qui in amphitheatro cum feris pugnabant, ita eleganter scribit Cassiodorus: *Sola est ergò in fallendo præsumptio,*

Ierem. 4 v. 21.

Grauior punitio, ipsa fuga est.

Tertull allegatus hic n. 2.

Ennod. in Panegyr.

Cassiod lib 5 epist. 42.

vnicum in deceptione solatium. Qui si feram non meretur effugere, interdum nec sepulturā poterit inuenire.... Pars in se cursu festinat & prædator & prædam: nec aliter tutus esse potest, ni huic, quem vitare cupit, accurrerit. Acutè quidem.

4. Geneseos 3. blandiente gula, ambitionis illecebris instigata, Eua vetitæ arboris poma esurit, & male-suada marito nimis vxorio, esculentas suadet delicias. Animaduersa nuditas, & turpis fuga, præuaricationis appēdices censentur. Fugitiuos statim præuaricatores sollerter Deus peruestigat. *Et cum audissent vocem Domini Dei ambulantis in paradiso, abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.* Male cōposita vtriusque mens, malè in fuga præsidium ponit; & culpæ probrum, turpiter in latebris excutere satagit In ligno sciētię boni & mali, simul cum delicto, turpissimi reatus contumeliam inuenerunt; & in medio eiusdem ligni, latibulum inuenire præsumūt; In ligno scientiæ boni & mali turpiter delinquunt, & ad illud idem fugiunt, vt latebras inibi inueniant; Tempestiuè Ambrosius ad præfata verba: *Abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi,* ita scribit, vtriusque Protoparentis factum ad filios moralissimè deriuans: *In peccatorum nostrorum positi cogitationibus, in medio ligni paradisi vbi peccauimus, deprehendimur latere cupientes.* An non vides hîc quàm sit infirmum fugæ præsidium, & quàm sit propudiosum latendi arbitrium? Turpitudo nostri delicti, fuga proditur, & latebris publicatur. Ibi *vbi peccauimus, deprehendimur latere cupientes:* & latibulum ipsum, contumeliosam, quam fugimus culpam, præclare loquitur; & sollicitum latendi studium destruit, quod molitur adstruere: nam obscuræ latebræ dum reum fugitiuum abscondunt, abscōsum reatum manifestè produnt, atque ipsa absconsio, publicationis negotiatio est. Nunquam enim virtus, fugitiua putatur: exinde fuga latebras quærens, fallax vitij solitudo censetur. *In medio ligni paradisi vbi peccauimus, deprehendimur latere cupientes.* Quid latendo fugis contumeliā, quam dum latendo fugis, in ipsis latebris citiùs inuenisti. *Adamus illius conscientia, fuga condemnationem firmabat,* tempestiuè dixit Seleuciensis Basilius.

Geneſ 3 v. 8.

Vbi peccauimus deprehēdimur latere cupientes.

Ambr ibi

Baſil. Seleu. Orat. 4.

5. Ionas cap. 1. durus Vates in Niniuem mittitur. Sed quia diu exploratam habebat Dei erga homines pietatem, veritus ne si pœnitētiæ bono comminatum auerterent malum, ipse inueniretur Vates falsidicus, *Surrexit Ionas, vt fugeret in Tharsis à facie Domini.* Verùm quasi serui fugitiui stigmate impressus foret, eius fuga diutiùs publicatur, ad probri exaggerationem. Qua de re ita scribit Tertullianus, hæc Ionæ verba emphatice his verbis elucidans: *Fugerat & quidem animosus Propheses Dominum, traiecerat ab Ioppe Tharsum, quasi & à Deo transfretaret; sed illum non dico in mari & terra, verùm in vtero etiam bestiæ inuenio, in quo nec mori per triduum potuit, ne vel sic Deum euaderet.* (Benè ex manuscriptis restituit Pamelius, *inuenio,* pro *inuenit,* ne Prophetæ fugitiui inuentio ad Deum duntaxat, sed ad homines etiam referatur) ô acerbissime arcanam fugientis Ionæ punitionem! Fuga ipsa, diuturnioris fugæ probro seueríssime castigatur. Sit fuga diuturnior, ne citò euadat fugiēdi, & latendi contumeliam. Exinde Ionas inuenitur in terra fugitiuus: fugitiuus etiam inuenitur in mari

(cognouerunt

Ionæ 1. v. 3.
Tertull lib. de Fuga in perſ. cap. 10.
Ionas per illud triduum mori non potuit, ne morte fugiendi contumeliam excuteret.

Pamel. ibi n. 75.

Ionæ 1. v. 10. (*cognouerunt enim viri quod à facie Domini fugeret.*) Quin & in bestiæ aluo *nec mori per triduum potuit*, ne morte effugeret fugæ probrum, & latendi dedecus. Diu viuat, ne morte euadat fugiendi propudium; viuet enim contumeliæ, dum fugæ viuit. Inde Ionæ in ventre ceti mori non datur, ne fugiendi & latendi dedecus morte euadat. O quale est malum, quod moriendo excussisse, satiùs foret!

6. Saluianus Episcopus Massiliensis, sic fatur eleganter de Dauide filium Absalom indecorè fugiente: *Iam & si addenda est & ipsius fugæ facies, quale illud fuit, cùm tantus Rex, tanti nominis, cunctis Regibus altior, mundo maior, omnes admodum suos cum paucissimis suis fugeret, & in comparatione dudum sui egestuosus, in comparatione sui solus: fugiens cum metu*, &c (Et post pauca) *Nudis pedibus incedens, super ista prioris status à se ipso exulans, penè iam post se viuens: deiectus vsque ad seruorum suorum, vel quod graue est contumeliam; vel quod grauius, misericordiam.* Singulæ fermè sententiæ, plenæ acuminis, ingenij plenæ plures offerūt huius thematis probationes, quæ miserabilitatem publicent, quas, quia pronum est enucleare, lectori interim omittimus.

Saluian lib. 2. de guber. Dauid. fuga sententiosè describitur.

7. Matthæi 2. per aliam viam Magis ad patriam redeuntibus, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Iosepho, dicens: *Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Christus fuit, vt cedat tempori, non Herodi: sed re vera illi intimatur vt fugiat. *Fuge in Ægyptum.* Reuerentiùs forsan diceret: Vade in Ægyptum, quò fugiendi contumeliam declinaret, vt esset profectio, non fuga: voluntas, non necessitas: indicium, non metus: humanum saltem, si non diuinum. Appositè Chrysologus: *Fuge in Ægyptum. Herodem Christus, non vt euaderet, sed ne videret, aufugit.* Planè eleganter.

Matth. 2. v. 13. *Christus fugit, non vt euadat, sed ne videat Herodem.*

Chrysolog. ser. 152.

§. LXIII.

Pater in damnatissimâ etiam filij causâ, est misericordiæ præses, & culpæ arbiter.

1. Blanda filiorum educatio, duros & agrestes mores nutrit, emollit ad libidinem, & ad iracundiam exasperat, longe ab assentatione, quæ aures mulcet, & rationem eneruat, pueritia remouenda est. Audiat verum, & timeat, interim vereatur, ne quid committat, quod maiores offendat. Nil per iracundiam exoret. Quod flenti negatum fuerat, quieto offeratur: & diuitias parentem in conspectu habeat, non in vsu. Exprobrentur illi perperam facta. Quod si crudum pueritiæ aut adolescentiæ ingenium his non eruditur; viderit pater, ne si fortè duris domare intentat, citiùs frangat. Nimia seueritas, infelix pædagogia sæpe fuit, & acerbior coërcitio, audacter impudentes, & desperatè peruolantes excudit mores. Filij etiam scelestissimi adhuc pater est; paterna viscera dissimulare pater potest, deluescere non potest. Quid non bonum, mite, & placidum, vel patris nomen filio spondet? Nil æquè iracundiam prorítat, ac propria iniuria: at patris affectus, velut iniuriæ nescius, propè demulcetur offensis, & memor se patrem esse, iudicis ignorat iura. O mite patris tribunal, cuius acerbitatem pietas exarmat!

Pater paterna viscera desinere nequit.

Lucæ 15. prodigus ille adolescens, de patris clementia, citiùs quam de propria nequitia famosus, censores patris oculos fugiens, egestatem libidine inuenit. Facta est autem in regione illa fames non tam epularum, quàm virtutum, quæ sunt miserabiliora ieiunia. Indigere ergò ideò cœpit, & famem pati, quia nihil prodigæ satis est voluntati. Abiit itaque & adhæsit vni ciuium, Qui enim adhæret, in laqueo est, & videtur ciuis ille princeps esse huius mundi. Denique ad villam eius mittitur, quam emit, qui se excusat à regno. Fame autem admonitus, ad se rediit. Benè in se redit, qui malè à se recessit: etenim qui ad Deum reuertitur, se sibi reddit: & qui recedit à Christo, se sibi abdicat. Denique reditum molitur ad patrem. Qua spe? qua fiducia? Post tot indecora crimina, patris oculos non veretur. O impudentiæ temeritatem! imò consultissimam fiduciam! An non ad patrem redit. Ipse quod filij erat delinquendo perdiderat; ille quod patris est, ob filij scelera non amisit. Omnium scelerum reus vltrò ad tribunal venit, cui etsi offensus præsidet pater. Audi prodigum adolescentem, qui se tribunali sistit, sic fatus: *Pater*, inquit, *peccaui in cœlum, & coram te.* Delicta sua ingenuè fatetur, & se in cœlum, id est, in Deum peccasse, non abnuit: *Tò coram te*, aut delinquendi denotat impudentiam, qui coram patre delinquere non erubuit: aut *coram te*, idem est, ac *contra te*, vt ex Hebrææ linguæ idiotismo, eruditè probat Maldonatus. Quænam testium inuidia aut maledicentia, potuit in illum sic acerbe testimonium ferre? *Peccaui*, inquit, *in cœlum, & coram te*, id est, contra te. Ad quæ verba, sic fatur eleganter Ambrosius: *Quam misericors qui offensus, nec paternum nomen dedignatur audire. Peccaui, hæc est prima confessio apud auctorem naturæ, præsulem misericordiæ, arbitrum culpæ.* Ad tribunal confessus reus accedit, nec tot fœda & execranda delicta fateri recusat, sed confiteri ambit. Imò & contra iudicē se deliquisse palàm confitetur. Vis scire, qua spe? qua fiducia? quia etsi acerbè offensus, dulce & beneficum patris nomen nō dedignatur audire. Porrò patris vocabulum, iudicem quodammodò deponit, & illum conuertit in *misericordiæ præsulem, & arbitrum culpæ.* Iurisperiti. *Arbitrum* vocant, virum consiliosum, quem litigantes proprio arbitrio eligunt, & vltrò sese illius sententiæ subdunt: qui non tenetur ad legum apices, sed ex æquo & bono rem componit, & litem dirimit O quam multa paucis compendiauit Ambrosius! Nempe si pater aliquando rei filij iudex sit, quātumuis filij sceleribus sit læsus, & grauiter offensus; ne eum tam repures iustitiæ præesse, (quod est iudicis munus) quàm esse *misericordiæ præsulem, & arbitrum culpæ.* O quàm in propriis exasperantur iudices! Sed ô quam mitescit pater, ne filium condemnet! Pater iudex, Præses misericordiæ est, & vt *Arbiter* ad legum præscriptos rigores non tenetur: quicquid misericordiam non sapit, quodammodò negligit, aut quasi neglectu transire videtur. De nutu, non de lege iudicat *Arbiter*, è cuius arbitrio stat causæ meritum. O quàm securius accedit reus ad misericordiæ Præsidem, & arbitrum culpæ! Sic accedere licet ad patris tribunal.

2. Ambrof. ibi. Lucæ 15. v. 21. *In hac pater, dicitur misericordiæ Præses, & Arbiter culpæ.* Maldon. lib. Ambrof. lib. 7. in Lucam.

2. Regum 18 execranda Absalonis in patrem scelera, qua vel aërē relatione toxicant, Scriptura sigillatim 3.

Chrysost. lib 3. de Prouid Dei.

sigillatim denarrat. Bellū instauratur, bellis omnibus, quæ vnquā contigerūt, peregrinius, *significationi quam veritati similius.* Eum enim qui caussa fuerat malorum omnium, & quo mortuo aduersa omnia finiebantur, hunc ducibus suis tota cura Dauid commendabat, ita illis ingeminans replicans: *Parcite filio meo Absalom* (ita pro, *Seruate mihi puerum Absalom*, plures ex Patribus transtulerunt) ô nimiam Dauidis pietatem, erga hominum scelestissimum! Sed pater est, qui indicat; & inde est, non tam iustitiæ vindex, quàm misericordiæ præses, & Arbiter culpæ. Sed cœlum & terra, execrantes immanissimum parricidalis filij scelus, blandam patris sententiam recusant, & damnatissimum filium, atrociter perire iubent. Disponitur properè bellum, acies dirigitur, pugna paratur, cognatæ phalanges in semet ardescunt. Inde parricida exercitum contra patrem inflammat; hinc Dauid, vt parcant filio, abeuntes duces exorat. Inde dementia contra genitorem exurgit: hinc clementia, vt parricidæ parcat, expostcit. Inde furor, hinc pietas concertaur. Parricida non læsus insanit, Dauid læditur, & mitescit. Parricida nec ratione frangitur, nec imminēti interitu deterretur. Obduratur in pœnam, in supplicium cogitur; nec salutem in aliquo meretur, qui patrem salute spoliare minatur. Respice, scelestissime, respice parricida, *in te cuncta conuerti, respice contra te ab ipsa natura repugnari.* Hæc ferè ex Chrysostomo; & addit, dum Absalom videt è quercu pendentem, & iaculis cor transfixum: ô nefandum meritum parricidæ! *Iniuriam patris vindicant ligna, arbor vlciscitur, rami defendunt.... Sed pereat, qui naturæ iura debellat. Solus concidat, qui pietatem patris impugnat.* An non vides hîc insensiles arbores, bruta animalia, Regis administros, & naturam totam, ab offensi patris miti sententia appellare, recusaréque patrem, quasi *misericordiæ præsidem, & arbitrum culpæ.* Vnde Absalomi cædem dux Chusai patri renuncians, consultissimè ait: *Iudicauit pro te Dominus hodie de manu omnium qui insurrexerunt contra te.* Quasi dicat: Scelestissimo filiorum tu pepercisti, eras enim pater, & inde misericordiæ præses, & culpę arbiter, sed ne tam nefandum scelus maneret impunitum, natura ipsa nimis piam patris sententiam recensuit, & ad Dei tribunal caussa deuoluta est; & cui tu paterno affectu pepercisti, Deus damnauit: *Iudicauit pro te Dominus hodie.* Huc, huc deduxit Absalomen blandior pàtris sentētia in filium, omnium scelerum reum. Vnde sententiosè dixit Chrysostomus: *Parcite filio meo Absalom. Quid ea miserationе miserabilius*; & quid pro paterna erga filios pietate, exaggeratius; Ecquis hîc vers. 24. non execratur parricidale filiorum Sennacheribi flagitium, Absalomiano suppar. Præses misericordiæ, & culpæ arbiter, dira filiorum crudelitate exanimus occumbit, impiè cruenta strage.

2. Reg. 18. v. 5.

Nil miserabilius pia miseratione Dauidis erga filium parricidam.

Chrysost. homil de Absal.

2. Reg. 18. v. 31.

Chrysost. lib 3. de Prouid. Dei.

Hic vers. 24.

4. Lucæ 15. te feliciter composita cum Prodigo adolescente, frugi filius de sanitate patris querulus insolescit. Inuidum fugat symphonia pietatis, beneuolentiæ concentus domo excludit: & quem venire ad fratrem, & appropinquare domui, vocat ratio naturæ, hunc peruenire zelus non sinit, liuor non patitur introire. Pater ergò illius egressus, cœpit rogare illum. *At ille respondens, dixit patri suo. Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquam dedisti mihi hœdum vt cum amicis meis epularer.* Fratri inuidus animus, gratus esse non potest patri; & paternæ largitatis memor non est, qui est fraternæ immemor charitatis. Hœdum sibi datum negat, qui substantiæ partem totam tempore diuisionis accepit. Sed inuidus simulat semper, mentitur inuidus semper. Examinare autem oportet priora verba: nam semel mendax, falsitatæ crebrò veritatis suspectus est, & opinatus mendacij reus: *Nunquam mandatum tuum præteriui* (qua super re subtiliter ad rem fatur Chrysologus) *Hoc tibi*, inquit, *non tua innocentia', sed patris venia dedit: quia multa charitate delicta filij maluit tegere, quàm nudare.* Num pij patris eximia charitas, impudentiam filij nutriuit; Conscientiam patris, filij etiam conscientiam appello. Delicta, quæ ipse patrauit, quæ pater patrasse nouit, (quia maluit tegere, quàm nudare) ad innocentiam quasi infecta computat; qui veniam pro supplicio accepit, innocentiam iactat dum innocentiam impudenter coram patre aduocas, scelerum conscius; aut eius ignorantiam asseris, aut veniæ nimietatem accusas. Imò de charitate paternæ pietatis *culpæ arbitrum* asseueras, erga filij delicta; quorum venia, pro innocentia computatur, quorum scientia putatur dedisci. Tuorum scelerum arbitrum, tuum patrem constituisti; & quia misericordiæ præsidem nosti, quasi flagitiorum nescium reputas, aut qui de factis infecta fecerit. Sic præsumis de paterna pietate; an citiùs de paterna pietate insolescis.

Lucæ 15. v. 29.

Mandatum patris non præteriisse, nō dedit innocentia, sed venia. Chrysol. ser. 4.

---

§. LXIV.

Quò benigniùs homo inimicis ignoscit, eò diuina vltio properantiùs, & acerbiùs in eos accersitur.

NVlli sanè non virtus sua, viuo, aut mortuo retulit gratiam, si modò illam bona conte-ctus est fide, si se non exornauit & pinxit: sed idem fuit, siue ex denunciato ac præmeditato, siue ex imperato & subito videretur: siue prosperis fortuna adrideat, siue inuidia & maleuolentia sannis irrideat, & iniuriis vexet. Quisquis ergò verum honorem amas, virtutem amplectere. Exinde falsati honoris nubeculas, & corporis iniuriolas, nemo prudens exhorruit, scis enim inuidiæ maleuolentiam, virtutis magnitudinis calcaneo inhærere. Hæc dehonestamenta, & incommoda neglige, contemne, ride pio quodam virtutis fastu. Porrò vel contemptu ipso satis iniuriam extersisti, & aduersarij improbam audaciam vexasti: vel Deus virtutis assertor, & iniuriatum vltor, te vindicabit, eò maturiùs & acerbiùs, quò tolerantiùs vltionem neglexeris, & illam illius prouidentiæ commiseris. Quin & tantò festinantiùs aderit è cœlo vindicta, quantò tu eam in terris beneuolentiùs neglexeris, quasi hominis patientior indulgentia, Dei furorem acriùs extimulet, & vinaciùs ad citissimā vltionem sufflaminet; ne sibi ipsi contumeliosus, iniuriosè improbis videatur fauere. Exinde adeò festinat Dei vindicta, vt ipsismet calamitatibus, quibus dirè vexatur martyr, persecutoris puniatur inuidia. *Crudelitas vestra, gloria est nostra*, ait Tertullianus ad Scapulam, immanissimū Christianorum persecutorem. 1.

Iniuria illata negligenda sunt, pio quodam virtutis fastu.

Tertull. ad Scapulam, cap 5.

Actorum 7. dum Stephanus Pharisaïcæ maleuolentiæ, & inde pietatis reus sistitur in Iudæorum 2.

rum concilio, duciturque ad atrocissimam necem, Martyri aperitur cœlũ, vbi Christũ Deum apertè videt. Sed Deum videre iam præmium est. Vide quantum agat in pectore serui sui diuinæ charitatis ardor, quod sperabatur desideriis, oculis demonstratur: & spes in re, spiritu adhuc intra carnem militante perficitur. Sed aduertamus in quantum à sancto Spiritu possidetur: *Positis*, inquit, *genibus clamauit voce magna, dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum*. Audierat Dominum pro Iudæis de patibulo supplicantem: Pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Non solùm per pietatis ac iustitiæ studium, per vitæ mortisque contemptum, sed etiam per orationis affectum, Christi se probat esse discipulum. Quid agit fidei magnitudo, quæ non vincitur à malo, sed vincit in bono malum? Dum pro impiis Deo plenus exorat, etiam de alieno peccato iustitiam suam cumulat, & coronam suam de pietatis redundantia multiplicat. Sed quid est, quòd dum Stephanus impiis persecutoribus piè ignoscit, & pro ipsis Deum beneuolè precatur, *intuentes eum, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli?* Quia mitissimus Leuita Christiana charitate exundans, iustæ supersedet vltioni; nec modo iniurias condonans, bonis mala supplicando rependit, eius inimici immaniter in eum sæuientes, & impuniti abibunt, & faciei Angelicæ de empyreo nitentis, grata visione fruentur? Quia Martyr vberiori charitate exundans & inimicis suis parcit, nec tantùm condonat offensas, sed gratiarum talionem exoptat; ideò sæui carnifices & supplicio immunes erunt, & cælicæ visionis fruitione potientur? Stephani redundantior pietas, tortorum impietatem nutriet? extimulabuntur enim ad eos atrociter lacerandos, quos & impune vexant, & in ipso vexationis articulo vberiùs de cœlo munerantur? O! vbi est illud, Mihi vindicta, & ego retribuam? Verũ enim verò Eusebiùs Episcopus Emisenus, polito vir ingenio & eloquio, qua solet subtilitate, celeriùs festinantem hic agnouit vindictam; tantò citiùs & acerbiùs inflictam, quantò Martyre patientiùs neglectam. *Viderunt*, inquit, *faciem eius tanquam faciem Angeli, quanquam non fuit hoc illis gratia meriti, sed pœna peccati: nam dum morientis proditur gloria, persequentis torquetur inuidia*. Scilicet parùm foret, quod mitissimi Martyris immites persecutores grauissimũ etiam postea maneret supplicium; nisi dum ipsi immaniter desæuiunt, indulgentia Martyris ad subitam vindictam, Dei furorem armaret. Pius Leuita saxorum imbre durè impetitur; & tunc malum sibi illatum & mitis condonat, & precum votis vbertim remunerat: ergo aperiuntur illi cœlorum portæ, & Christi Dei visione confestim beatur, vt Martyris felicitate aduersarij infelicitentur, dum impietatem suam in illius decore conspiciunt. Porrò aspectu Angeli facies impiorum cæditur, & dum iniustè patiẽtis de cœlo proditur gloria, persequentis in terra punitur inuidia, & quò præmaturè beatur Martyr, persecutor præproperè torquetur, ne is, qui piè vindictam negligit, diu maneat inultus. Vnde vidisse faciem eius tanquã faciem Angeli, *non fuit illis gratia meriti, sed pœna peccati, nam dum morientis proditur gloria, persequentis torquetur inuidia*. Et S. Chrysologus Emiseno cõcinit, exponens enim illa verba Symboli: *Carnis resurrectionem*, ita scribit: *Resurget caro, resurget, vt ipsi sumus, vt agnitio maneat personarum: vt & Martyr de persecutoris pœna lætitiam sumat, & persecutor sumat de Martyris honore supplicium*. Exinde etiam Assyrius Rex vix Tobiæ cædem intentat, cùm in filiorum suorum manibus suam cædem inuenit, Deo afflictatæ pietatis vindice, festinata consultissimè prouidentia.

Actor.7.v.59.

Dum morientis Stephani proditur gloria persequentis punitur inuidia.

Actor 6 v 15

Emis hom. de S Steph.

Chrysolog. serm 60. Hic vers.14.

3\. 1. Regum 24. improbitatis Saülicæ commemoratio, accurata est Dauidicæ mansuetudinis demonstratio: Siquidem ab eo, cui multis in casibus salutem dedisset, profligabatur, vitæ datæ præmium mortem referebat; ac per solitudinem, per viarum errores ad necem acquirebatur. Sed vide mihi rerum arcanam rectionem, quò Dauidis mansuetudo exemplaris, clarior appareret benignitatis idea. Iam inuesperascebat, & quòd periculorum nullus reperiebatur exitus, quodque Sol, vt solet, occiderat, cùm non occumberet pugnax Saülis inuidia, Dauid obiacens spelæum ingreditur & Saül cum summa inconsiderantia tempestate compulsus; ingressus autem somno deuincitur cum satellitio. Socij verò Dauidis fugitiui opportunam rati prædam aduersarium præsentem Dauidem ad vindictam exacuunt. Dauidis autem sociorum dexteras in cædem ruentes vna humanior sententia prohibuit, & iniuriis à Saüle appetitus, Saülis custos erat. Pepercit ergò dormienti, & hostiliter se gerenti, & inuidentis curam habuit, & osorem benignè conseruauit, & Mosaicæ legis tempore, quæ erant Euangelicæ gratiæ consecutus est. Magna erat humanitati cum improbitate, iuri cum iniuria, feritati cum mansuetudine concertatio. Verùm dum resciuit Saül benignitatis Dauidicæ præstantiam, & quòd sibi hostiliter persequenti humanius pepercisset; acerbiorem ominatur vindictam nec seram quidem. *Et eleuauit Saul vocem suam, & fleuit.* Quid tunc illacrymat Saül, cùm sibi exultanter de vita gratulari debuisset? Certum mortis periculum sospes euasit, & tunc flebiliter lamentatur? Iure equidem dolenter mœret Saül, cùm inimicissimi Dauidis benignitatem, videt, & de eius miti ignoscentia vitam fœneratur. Belle Tertullianus. *Verberanti te, inquit, in faciem, etiam alteram genam obuerte. Fatigetur improbitas patientia tua. Plus improbum illum cadis sustinendo. Ab eo enim vapulat, cuius gratia sustines*. O festinatam vltionem in ipsa tolerantis patientia medullitùs corporatam! Sciam aliam vindictam, qua iniuriosa inimici hostilitas tandem puniatur, metu integrò timere non cesset Saül: & tamen in ipsa patientiis tolerantia statim vexetur, quasi repercussæ iniuriæ præceleri vindicta. Porrò dum de benignitate Dauidis infensus Saül vitam accipit, & frustrata hostilitatis iniuria vitam pro intentata nece mutuatur; ita sæuè impius Saül excruciatur, vt præ dolore lacrymas cohibere nõ possit, videns in bono malum vinci. Et dum patientia Dauidis improbitas Saülis fatigatur, & offensi generosa benignitas, plùs improbum illum sustinendo sauciauit; *Eleuauit Saul vocem suam, & fleuit.* (O generosam de Schola Christi vindictã!) Neque impius immaniter Rex, putauit hanc solam fore iniuriarum vltionem, cùm se purpura certò exui exindè timeat, aiens: *Et nunc scio, quod certissimè regnaturus sis*. Cui sic ignoscit Dauid, Deus patientiæ nostræ assertor, multipliciter punit. Primò Dauidis patientia fatigatur Saül ne diu differatur supplicium. Dein regno spoliatur, quæ est acerbissima Regibus pœna. Demùm eius æmulus

Improbitas persequentis patientia tolerantis fatigatur.

1 Reg.24.v.17.

Tertull de Patient c.8.

1.Reg 24.v.21.

æmulus Dauid, ipsius throno & sceptro sublimatur: dum enim periclitantis proditur gloria, persequentis torquetur inuidia. O time patientiam blandè tolerantis, durè vexare!

4. Ad Ephesios 6 aduersus Dæmonum & Tyrannorum phalanges, Christianus prodit, totus de Apostolo armatus. Induite vos, inquit, armaturam Dei vt possitis stare, aduersus insidias Diaboli. *Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnē & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, & aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cælestibus.* Hinc percommodè quærit Theodoretus, *Cur Deus creauit Diabolum, quum sciret illum talem esse futurum?* Qui protinus in vesanam degenerauit malitiam, & hominum euersioni sic instat, eccur à Deo omnium præscio, creatus fuit? Respondet ipse sibi Theodoretus: Angelorum, inquit, alij beneuolētiam erga Creatorem conseruauerūt, reliqui verò declinauerunt in malitiam: *Quod & inter homines reperire licet, nam alij sunt virtutis amatores, alij verò nequitiam exercent*, (expende attentiùs verba, quæ subiicit) *Si quis igitur de improborum creatione conqueratur, priuat vtique virtutis athletas præmiis victoriæ.* Nimirùm homo in huius vitæ palæstra *colluctationem* exercet, & animùs contra Diabolum, & forinsecùs aduersus Tyrannos, eius ministros, & in malitia coadiutores. Ergò qui querulus contendit, cur Deus hos hominum, & virtutis hostes efformauerit, sibi strenuè obluctanti palmam inuidet, & ignauus triumpho cedit; *priuat vtique virtutis athletas præmiis victoriæ.* Porrò malitia eorum est nostræ gloriæ officina, spoliorum nomine vitam æternam rapimus; & dum nostra patientia, illorum fatigatur improbitas & illos sustinendo cædimus, & victoriæ nostræ cogimus militare. Ergò patiēter magnanimus *colluctationis* acerbam hostilitatem sustine, quò te cumules præmiis victoriç, qua illos acerbiùs excrucies: nam dum patientis *proditur gloria, persequentis punitur inuidia.* Qui ergò quæritur de persecutorum malitia, *priuat vtique virtutis athletas præmiis victoriæ.* (Sic iuuat leniter flectere Theodoreti verba, sensuum vbertim grauida:) quasi acerbiùs punita iniustè *colluctantium* malitia, sit nostræ victoriæ præmium.

Ad Ephes. 6. v. 12.
Ex hostilitate Dæmonum palmam arripiamus.
Theodor q 36 in Gen

SYNOPSIS CAPITIS SECVNDI.

In die solemni Tobias accumbebat mensæ, quam suis atque vicinis lautè instruxerat: quo tempore cùm comperisset è contribulibus suis quempiam in foro iacere occisum, impransus è conuiuio surrexit, & domum retulit cadauer, vt illud cum minori periculo noctu humaret. Cùm autem aliquandò mortuorum sepulturâ fatigatus dormiret, hirundinum stercore ad patientiæ probationem excæcatur: & vxori, amicisque illum irridentibus, opprobrio est. Pro quibus verbis impiis, atque procacibus salutaria monita mitissimè rependebat.

CAPVT SECVNDVM.

1. POST hæc verò, cum esset dies festus Domini, & factum
esset prandium bonum in domo Tobiæ, 2. Dixit filio suo:
Vade, & adduc aliquos de tribu nostra, timentes Deum vt
epulentur nobiscum. 3. Cumque abiisset, reuersus nunciauit
ei, vnum ex filiis Israël iugulatum iacere in platea: statimque
exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, ieiunus
peruenit ad corpus, 4. tollensque illud portauit ad domum
suam occultè, vt dum Sol occubuisset, cautè sepeliret
eum. 5. Cumque occultasset corpus, mãducauit panem cum
luctu & tremore, 6. memorans illum sermonem, quē dixit Dominus per Amos Prophetam: Amos 8. c. 10
Dies festi vestri conuertentur in lamentationem & luctum, 7. Cùm verò 1. Machab.
Sol occubuisset, abiit, & sepeliuit eum. 8. Arguebant autem eum omnes proximi eius, d. 4.
dicentes: Iam huius rei caussa interfici iussus es, & vix effugisti mortis imperium, & iterum
sepelis mortuos? 9. Sed Tobias plus timens Deum, quàm regem, rapiebat corpora
occisorum, & occultabat in domo sua, & mediis noctibus sepeliebat ea. 10. Contigit sup. t. d. 75.
autem vt quadam die fatigatus à sepultura, veniens in domum suam, iactasset se

iuxta parietem, & obdormisset. 11. & ex nido hirundinum dormienti illi calida ster-
cora inciderent super oculos eius; fieretque cæcus. 12. Hanc autem tentationem
ideò permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius,
sicut & sancti Iob. 13. Nam cùm ab infantia sua semper Deum timuerit, & manda-
ta eius custodierit, non est contristatus contra Deum quod plaga cæcitatis euenerit
ei, 14. sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus
vitæ suæ. 15. Nam sicut beato Iob insultabant Reges, ita isti parentes & cognati
eius irridebant vitam eius, dicentes: 16. Vbi est spes tua, pro qua eleemosynas,
& sepulturas faciebas? 17. Tobias verò increpabat eos, dicens: Nolite loqui:
18. Quoniam filij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus datu-
rus est his, qui fidem nunquam mutant ab eo. 19. Anna verò vxor eius ibat, ad
opus textrinum quotidie, & de labore manuum suarum victum, quem consequi po-
Deut. 11. a. i. terat, deferebat. 20. Vnde factum est vt hœdum caprarum accipiens detulisset
Iob. 1. c. 9. domi. 21. cuius cùm vocem balantis vir eius audisset, dixit: Videte, ne fortè fur-
tiuus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut
contingere. 22. Ad hæc vxor eius irata respondit: Manifestè vana est spes tua, &
eleemosynæ tuæ modò apparuerunt. 23. Atque his, & aliis huiuscemodi verbis ex-
probrabat ei.

---

§. LXV.

Commentarius Litteralis.

Vers. 1. Post hæc verò, cùm esse dies festus Domini, & factum esset prandium bonum in domo Tobiæ.

1. POst hæc.] Postquam in propriam domum, à qua profugus recesserat, & ad pristinas facultates restitutus fuit Tobias, rediit quoque ad pristinum communis beneficiæ institutum, tantisper temporis inuidia interruptum. *Hebræi Dies festos conuiuiis etiam celebrant.* *Cùm esset dies festus Domini.* Dies inquam, solemnis Pentecostes, vti Græcus & Hebræus textus admonet, disertè suggerens quod Vulgatus omisit *Prandium bonum.* Mirabitur fortassè quispiam, Tobiam, hominem frugi ac religiosum, quo tempore tam diræ edebantur suorum strages, splendidum in domo sua extruxisse conuiuium, festo & locuplete apparatu. *Magnum* enim *conuiuium* dicitur in textu Hebraïco, & in Græco *multa obsonia* parata ad epulum perhibentur. Nonne contra temperantiam, & ipsius, & rei Israëliticæ statum? Serarius. Serarius putat, ipso Tobia nesciente paratum fuisse ab vxore conuiuium, sumptuosius
2. quàm ipse vellet. Non existimauerim necessarium, hæc è propriocerebro meditari; quandò signatè extructum esse conuiuium dicitur solemni illo Pentecostes die. Porrò notum est, non modò apud Gentes, sed apud Hebræos enim solemne fuisse, dies festos lauto & oppipato celebrare conuiuio. 2. Mach. 2. Machab. 8. v. 10. *Comedite pinguia, & bibite mulsum, & mitte partes his, qui non præparauerunt sibi; quia sanctus dies Domini est.* Lege inibi interpretes, qui plura congerunt ex vtraque eruditione. Esther. Et Estheris 8. v. 17. mira Hebræorum exultatione, epulis atque conuiuiis festus dies celebratur. Iudith. Et Iudith. 6. v. 19. & 20. tametsi dira obsidione cingebatur Bethulia, & præ annonæ penuria se Holoferni tradere cogitaret, pius ille verbis Præfectus Ozias, Achiori *cœnam magnam* fecisse legitur, vt festo & splendido conuiuio, Israëlitici Dei prædicationem coram Assyriis ab Achiore dictam, patrio ritu celebraret. Et quidem à Tobia *bonum prandium*, paratum legitur; nec immoderatum quid in eo fuisse putandum est. Obsoniorum copia parata erat, vt contribulium pauperum plures piè posset ad epulum inuitare.

Vers. 2. Dixit filio suo: Vade, & adduc aliquos de tribu nostra, timentes Deum, vt epulentur nobiscum.

Ecce tibi obsoniorum copiam non ad paucu- 3. los suæ familiæ duntaxat, sed ad pauperes & cōcaptiuos etiam suæ tribus præparatam. *Dixit filio suo.* An filio suo id mandat, quia nullum iam illi suppetebat seruitium; An vt filius ab ineunte ætate consors foret paternæ benignitatis, & à iuuentute pietati adsuesceret? An vtraque caussa in hoc facto concurrit. *Tobias minor adsuescit paternæ benignitati.* *Adduc aliquos de tribu nostra.* LXX. Lxx. sic habent. *Vade, & quemcumque inueneris fratrum nostrorum egentem, qui meminerit Domini,* &c. Nota hîc indifferentem Tobiæ benignitatem; *quemcumque*, præsertim in cognatos, quos ipsa natura arctiori humanitatis vinculo nexuit; *fratrum nostrorum*,] dein non diuites, qui reinuitare possint inuitat, ne conuiuio emat spem retributionis; & remunerationis fiducia corrumpat beneficium: vnde ait, *egentem.* Quod præscribit Christus Lucæ 14. v. 12. Nec obuios quosque de tribu sua inuitat ad epulum, sed *qui meminerint Domini*, vel *Timentes Deum*, vt habet Vulgatus. Lucæ. *Quos è suis contribulibus, ad conuiuium inuitarit Tobias.* Iuxta illud Eccli. 9. *Viri iusti sint tibi conuiuiæ.* & Prouerb. 23. *Ne comedas cum homine inuido.* Notum est illud Senecæ: *Primùm vide cum quo comedas, quàm quid comedas.* Eccli. Prouerb. Seneca. Sed vnde iuuenis Tobiæ filius inter tot contribules dignosceret, quinam eorum *meminerint Domini*, aut *timerent Deum*; Verum cum Israëlitarum plurimi in Assyria captiuitate auitam religionem prodidissent, (dicitur enim cap. 1. v. 12. *Cùm omnes ederent ex cibis Gentilium*) Tobiæ. eos ad conuiuium inuitat, qui à patria fide non defecissent, nec Assyriis in religione communicassent. Quos internoscere expromptum erat, homini eiusdē tribus, & captiuitatis consorti. Quin & proculdubio peruulgatum erat apud Israëlitas, quinam eorum patria religione abiurata, ad Gentilium transirēt ritus;

tus, nec fortè sine infamiæ nota, & proborum supercilio.

Vers. 3. Cumque abiisset, reuersus nunciauit ei, vnum ex filiis Israël iugulatum iacere in platea. Statimque exiliens de accubitu suo relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus:

Vers. 4. Tollensque illud portauit ad domum suam occulte, vt dum Sol occubuisset, sepeliret cautè eum.

4. Assaraddon nuper intestini etiam in Hebræos odij hęres, in gentem immeritam atrociter ferocit, non modò Israëlitas iubens occidi, sed eorum corpora iacere insepulta, quod barbaricum est, & *Succincta ecphrasis tertiis textus.* inhumanum. Nempè cùm bonus boni patris filius, tales quærit conuiuas, quales Tobias accersiri iussit, cuiuspiam Israëlitæ cadauer in platea iacere proiectum, coruis canibusque lacerandum, patri renunciat: quod cùm audisset Tobias, exiliit statim è mensa, & ieiunus aduolat, quò proiectum cadauer audierat, & quàm potuit occultè asportatum, tandiù domi seruauit, quovsque beneficio noctis, & tutò, & secretò illud sepulturæ mandaret.

Mortuo nihil obest sepultura carere; quorsùm ergò tam manifesta vitæ discrimina Tobias subit, vt sepeliat defunctorum cadauera? Respondet Ti- *Tirinus Serar.* rinus ex Serario: Primò, propter affectum, & amo- *Cur defunctis sint cadauera sepultura mandanda.* rem quem in suum corpus habebat dum viueret, & adhuc mortuus retinet. Secundò, propter honorem, quem omnibus penè gentibus persuasum est, afferri defuncto per sepulturam. Tertiò propter infamiam, & iniuriam, quæ non mortuo tantùm, sed & communi hominum naturæ irrogari censetur, cùm pars altera hominis in omnium oculis computrescere, & à canibus, & alitibus dilacerari permittitur. Consule hac super re Alci- *Alcimus. August.* mum l. ad sororem, S. Augustinum l. de Cura pro mortuis, & l. 1. de Ciuit. Dei cap. 12.

5. *De accubitu suo.* Notum est ex sacra, & profana *Olim non assidentes, sed in lectis iacentes epulabantur.* eruditione, alios esse lectulos cubiculares ad quietem, & somnum; tricliniares alios ad capiendos cibos, in quibus accumbentes conuiuæ epulabantur. Exinde ipsæ mensæ vocantur *accubitus*; quoniam iacentes, & strati homines epulis dabant operam, non mensæ assidentes. De quo vbertim *Canticor. Ezech.* commentatores ad illud Cantic. 1. vers. 11. *Dum esset Rex in accubitu suo.* Et Ezech. 13. v. 41. *Sedisti in lecto pulcherrimo, & mensa ornata est ante te.* Lege ibi Prado, qui de more copiosè, & eruditè, *Prado.* subiectisque commentario imaginibus, rem oculis demonstrat. Heu quàm illustrem clarandis Scripturis faculam, mortis nebula prætmaturæ obscurat!

Vers. 5. Cumque occultasset corpus, manducauit panem cum luctu, & tremore,

Vers. 6. Memorans illum sermonem quem dixit Dominus per Amos Prophetam: Dies festi vestri conuertentur in lamentationem, & luctum.

6. *Quam ob caussam valdè mæret, & timet Tobias.* Tobias expleto pietatis officio, vt tunc per Tyrannum poterat, ingenti animi angore consumi incessedit. Augebat animum, & ciebat lacrymas, duri exilij ineluctabilis calamitas, & barbarica Tyranni crudelitas in Hebræam gentem. Timebat anxiè ne cadaueris furtum sibi, conuiuisque suis foret exitiale; & pietatis præmium, foret pœna capitalis. Cùm verò diem festum mœrore, & luctu perageret anxius, mentem subiit illud Amos *Amos.* 8. v. 10. vbi Deus pro conuiuiis, & canticis, quibus voluptuosiùs deliciabantur peccatores, mœstissimum planctum, & feralia, & lugubria carmina minitatur. *Panis* sumitur pro quovis cibo, vulgari Hebræorum phrasi. *Tremor* addit suprà timorem, corporis ex metu concussionem. Hispanè *Temblar de miedo.*

Vers. 7. Cùm verò Sol occubuisset, abiit, & sepeliuit eum.

Vers. 8. Arguebant autem eum omnes proximi eius, dicentes: Iam huius rei caussa interfici iussus es, & vix effugisti mortis imperium, & iterùm sepelis mortuos.

Vers. 9. Sed Tobias plus timens Deum, quàm Regem, rapiebat corpora occisorum, & occultabat in Domo sua, & mediis noctibus sepeliebat ea.

Adeò perspicua est huius textus sententia, vt 7. commentatoris opera non indigeat. Perstringam tamē siquid negotium facessere, vel imperito pos- *Hebræi defunctorum corpora extra vrbem sepeliebant.* sit. *Cùm Sol occubuisset.* Cautè enim agendum erat propter ferale Regis edictum, & Assyrios Hebræis infestos. *Abiit, & sepeliuit eum,* τὸ *abiit* fortassis indicat solemnem Hebræorum morem, mortuos suos sepeliendi extra vrbem, vt passim *Lucæ.* tradunt interpretes ad illud Lucę 7. vers. 12. *Efferabatur.* Nempè tametsi magis cautè posset domi defunctum Hebræum terræ mandare clanculario sepulchro; nil omisit ob Regis metum ex Hebręo ritu. Porrò qui media luce non verebatur deferre domum defunctorum corpora; multò minùs ea sepulchro condere media nocte veritus foret, ne quid de pietate, aut patriis ritibus negligeret. Fateor voculam *abiit*, id non disertè significare, & Sanctius ad vers. 10. censet Tobiam domi suæ defunctorum corpora sepelire solitum. Quod satis verosimile est, ne sine vrgenti necessitate Tyrannum irritaret. De quo sermo etiam incidet n. 8. *Arguebant eum.* L X X. *Et proximi irridebant, dicentes*, &c. Vatablus. *Tum vicini per ridiculum,* *Vatablus. Irridetur à suis Tobiæ pietas.* *non metus, &c.* Scilicet sic eum increpabant, vt illum irriderent, & risu insultarent, quòd tanto se exponeret periculo. *Omnes proximi.* Non omnes omninò, sed propè omnes. *Proximi*, Sanguine inquam, & vicinia proximi; præsertim Nephthalitæ, qui tunc ibi aderant conuiuæ: & non Tobiæ duntaxat, sed sibi etiam timebant, ne interdicta pietas Tyranni in se iras armaret. *Interfici iussus es*, vt habetur cap. 1. vers. 22.

Vers. 10. Contigit autem vt quadam die fatigatus à sepultura, veniens in domum suam, iactasset se iuxta parietem, & obdormisset.

L X X. quibus consentit Vatablus. *Et in ipsa* 8. *nocte redij, cum sepeliissem*, &c. quibus verbis as- *LXX. Vatabl.* sentitur, Tobiæ cœcitatem contigisse eadem ipsa

Tobias excæcatus non fuit ipsa nocte conuiuium proximè subsecuta.
Sanctius
S. Athanaſ.
Iuſtinianus.

nocte, in qua mandatus eſt ſepulturæ ille mortuus de quo proximè egerat, nocte inquam, quæ Pentecoſten conſecuta eſt. At vulgatus interpres manifeſtè inſinuat id non eadem nocte accidiſſe, quod seriò tuetur Sanctius, & docet Athanaſ. in Synopſi, & Iuſtinian hîc. Nam poſtquam retulit, illa Pẽtecoſtes nocte extractum interdiù cadauer ſepeliiſſe, confeſtim ſubdit: *Contigit autem quadam die*, &c. qui loquendi modus alium eſſe diem planè indicat neque valde proximum conuiuali illi Diei Pentecoſtes. Prætereà illa Pẽtecoſtes nocte, poſtquam fuerat epulatus cum contribulibus amicis, quorum opera vti potuit ad humandum, non plura, ſed vnum duntaxat cadauer; non adeò fatigatus eſſe poterat, vt præ laſſitudine ſe iuxta parietem iactaret. Præſertim ſi domi ſuæ mortuos ſepeliebat, quod veroſimile eſſe indicauimus ad verſiculum præcedentem, *Die.* Non artificialem, ſed naturalem deſignat diem, die ac nocte conflatum: nam conſtat, non interdiù, ſed noctu defunctorum corpora ſepulturæ mandaſſe. Cùm autem dicitur: *Fatigatus à ſepultura, veniens in domum ſuam*, non leuiter innui videtur, extra ſuam domum defunctorum cadauera condere ſolitum, de quo egimus ad verſ. præcedent. n. 7. Quod ſi magis oppoſitum arrideat, reſponderi poſſet, Tobiam cadauera humaſſe in parte domus ſuæ ſecretiori, & remotiori à familiæ conuictu; & poſt ſepulcralem laborem, rediiſſe *in domum ſuam*. id eſt, in eam domus ſuæ partem, in quâ frequẽns habitabat. Sic Iuditha c. 10. v. 1. quæ in domus ſuæ ſeceſſu oratorium adornarat, cùm ad ordinariam familiæ ſuæ habitationem deſcenderet, *Deſcendiſſe in domum ſuam* dicitur Hiſpanè, *Al quarto donde ſolia viuir.* De quo ibi.

Domi ſua corpora defunctorum humabat Tobias.

Iudith.

9. *Tobias pollui... cadaueris attactu.*

Græci codices.

Iactaſſet ſe iuxta parietem. Quare dum è ſepulchrali labore in Domum ſuam fatigatus rediiſſet Tobias, extra ſuum cubiculum in veſtibulo quopiam dormiuit? Cauſſam offerunt omnes Græci codices, eamque conſtanter affirmant, quòd ex humandi cadaueris contactu fuiſſet pollutus. *Et in ipſa nocte redij cùm ſepeliiſſem, & cubui pollutus iuxta murum atrij, & facies mea diſcooperta erat, & non vidi quia paſſeres*, &c. Nempe ſecundùm legem Numer. 19. v. 11. ex cadaueris attactu ſe immundum putauit, & ideò extra domum in porticu, vel propyleo iuxta parietem ſe abiiciens, ſupinus obdormiuit. Hæc cauſſa in omnibus Græcis codicibus expreſſa, placuit Serario, Saliano, Menochio, Tirino, nec mihi diſplicet, tametſi Sanctius eam labefactare tentet, non validis, vt opinor, machinis: ſanctior enim eſt apud me reliquarum omnium tranſlationum reuerenda auctoritas, in re non admodum expeditu difficili, vt ex dicendis perſpicuum erit.

Numer.

Serarius.
Salian.
Menoch.
Tirinus.
Sanctius.

10. *Cur Tobias hac ſecunda vice non ſe ſtatim purificauit, ſicut priori.*
Tirinus.

Obiicis. Quare; ſicut vice priori, cùm è platea ſuſtuliſſet cadauer; reuerſus lauit, & mundauit ſe, vt ſignatè dicitur in textu Græco, atque ita relictum reſumpſit prandium, vt habetur hîc verſ. 5. non etiam hac ſecunda vice ſimili lotione ſeſe emundauit, & ita domum, & lectum ſuum ingreſſus de more eſt? Reſpondeo cum Tirino, quòd laboris fatigatio, & ſomni appetitus (*mediis* enim *noctibus* mortuos ſepeliebat, vt habetur hîc v. 9.) non ferebant eiuſmodi moras. Quin & procliue erat nocturno tempore ſub medium, æſtatis in aperto aëre ſomnum capere, hominem minimè delicatum; ſed pietatis, & captiuitatis laboribus, & ærumnis adſuetum. Et quidem vel ex obiecto argumento conſtat, ſe prima vice purificaſſe aliqua luſtrali aqua, vt rediens poſt contactum cadaueris, cum ſuis epularetur: ergò ſe quaſi pollutum gerebat: igitur ſe aliquo lauacro purificabat.

Inſtat Sanctius numer. 6. quia tametſi ex hu- 11.
mandi cadaueris attactu Tobias pollutus erat, iuxta legem à Deo ſanctam numer. c. illo 9. v. 11. tamen expiari non poterat; ſiquidẽm in exilio carebant Hebræi luſtrali aqua, vitulę rufæ cineribus aſperſa, quod niſi à Hieroſolymitano Pontifice ritè peragi non poterat, à quo immolanda erat vitula. Quin niſi poſt ſeptem à pollutione dies purificari omninò non poterant, vt habetur in præfato Numerorum loco. Vnde ex quo tempore Iſraëlitæ à Hieroſolymis receſſerunt, habebantur immundi. Præuidit Serarius hanc Sanctij obiectiunculam, & præponere reſpondit, Tobiam ea aduerſus Deũ fuiſſe pietate, eo ſtudio obſeruaſſe pios ritus auitæ religionis, vt cùm per exilium illi aqua luſtralis non ſuppeteret, puram interdum aliam quamcumque ſumpſerit, qua minùs elui à contagione contracta querebatur, quod diſertè traditur in textu Hebræo his verbis. *Eadem nocte poſtquam ſepeliui mortuum, paraui lauacrum; ſed non potui purificare ſemetipſum in terra immunda, ſicut licuiſſet in terra Iſrael.*

Tobias ſe vt poterat à legali immunditia purgabat
Sanctius.
Numer.

Serar.

Hebræus.

§. LXVI.

Commentarius Litteralis.

Verſ. 11. Et ex nido hirundinum dormienti illi calida ſtercora inciderent in oculos eius, fieretque cœcus.

GRæcus textus paulò aliter rem accidiſſe enarrat. *Et in ipſa nocte redij, cùm ſepeliiſſem, & cubui pollutus iuxta murum atrij, & facies mea diſcooperta erat: & non vidi quia paſſeres in muro erant. Et oculis meis apertis immiſerunt paſſeres calidum in oculos meos, & facta ſunt albugines in oculis meis, & iui ad medicos, & non profuerunt mihi.* Hinc multæ oboriuntur quæſtiunculæ, quas expedire oportet.

Græcus.

Ex nido hirundinum.] Ecce Vulgatus *hirundines* vocat, quòd Græci codices, *paſſeres* vertunt. Porrò Græca vox στρουθίον, & Hebræa צפרים *hip-r-m*, aliquid generale ſignificat, nempe aues ſeu paſſeres, quibus vocibus volucrum omnium genus apud Latinos deſignatur. Et quidem Ambroſius de Tobia cap. 2. non *hirundines*, ſed *paſſeres* habet. Verùm cùm non extet Chaldæus codex, vnde Hieronymus Vulgatam tranſlationem expreſſit, vox originalis prorſùs ignoratur, quæ fortaſſis non communiter volucrem, vt Hebraicè, & Græcè hodie, ſed ſpeciatim *hirundinem* ſignificat, & alter Hebræus textus vocẽ habet, quæ ſignatè *hirundinem* deſignat, vt notauit Serarius, cui licuit illum videre. Hebræo conſentit Arabs apud Iuſtinianum. Cæterũ, cùm non auis in genere, ſed peculiaris aliqua, Tobiæ dormienti iuxta parietem, ſtercora è nido egeſſerit, potiùs hirundini, quàm domeſtico etiam paſſeri, (qui plerumque nidificat in domibus) potuit vniuerſale vocabulum ſpecialiùs adaptari. Porrò hirundines non in parietum foramine ſicut paſſeres ex quo difficiliùs ſtercora demittũtur; ſed ſub tectis nidulari ſolitant: ſicque nidum mira ſollertia ſuſpendunt, vt illius ſtercora in hominum oculos faciliùs incurrere

Hirundinis, non domeſtici paſſeris excrementa Tobiam excæcant.
S. Ambroſ.

Hebræus.
Arabs.

currere possint. Ad hæc, hirundines sollerter mundiciei student, & sic diu noctuque stercora excernunt, vt nulla pars intra nidum decidat, ne illum inficiat. Exinde loca quæ earum nido subsunt, fœdè conspurcantur. Quare dum sub porticu, aut sub vestibuli suggrundio iacet propè parietem Tobias, facilè in eius oculos hirundinum fimus decidere potuit,

2. *Naturali vi excæcatus est Tobias hirundinis stercoris contagio.*

Dormienti illi, &c.] In Græcis codicibus, facie discoopetta, apertisque oculis iacuisse Tobias dicitur, nihilque de dormitione asseritur. Contrà verò, Vulgatus dormientem inducit, de apertione oculorum nullam mentionem faciens. Hinc lis inter commentatores oborta, an stercora illa oculorum albugines naturaliter induxerint; Negant Lyranus, & Sanctius, quibus incredibile est, vt tanta vis stercoris ex vna auicula simul exciderit, quæ vtrumque compleuerit oculum, & nihil oppositis palpebris obstantibus, totam videndi facultatem ademerit: vel tam acrem, & pestilentem qualitatem inesse hirundinis fimo, vt cernendi vim totam confestim dissiparet. Verùm enimverò quanquam id arcana diuinioris prouidentiæ dispésatione acciderit, vt posteritati prælustre relinqueretur virtutis exemplar; (sicut accidit in Iobi calamitatibus) probabilius existimo, eiusmodi cœcitatem naturalibus causis adscribendam. Porrò hirundinis stercus vim habere excœcandi naturalem, docent Vallesius Sacræ Philosophiæ c. 21. Carthusianus, Serarius, Menochius, & Tirinus; siue id proueniat ex occulta excrementorum vi; siue ex manifesto calore, & vi adustiua in sordibus illis existente, quæ pupillas, & pertenues illas oculorum membranulas nimis calefacit, exiccat, & exurit, & ex fimo subitò membranula excrescente (qualis dicitur esse in talpis) oculi prorsùs excœcantur; siue ex vtroque quod videtur probabilius. Mitto hæc, quæ nimis pertinent ad scholas medicas, & venio ad rationem aduersariorum. Profectò ab ipsis etiam conceditur; aliquos homines oculis apertis dormire, quod docet Plinius libr. 11. cap. 37. & Sanctius affirmat se vidisse hominem, cui eiusmodi proprietas inerat à natura, & Athanasius id signatè asserit de Tobia, atque omnes Græci textus id manifestè insinuant, cùm dicant, *apertis oculis cubuisse*, obdormiisse inquam. Sed esto, clausis dormierit oculis, haut à vero abest, quòd hirundinis stercora in oculos è sublimi decidentia, Tobiam expergefacerent, & ille semisopitus (vt accidere solet in subito dormientibus casu) oculos aperuerit; & sic datus sit stercori ad nocendum aditus, quod vt liquatum & viscosum est, facilè sic potuit oculis adhærescere, vt vnius auiculæ non modica excrementa ambos oculos inficere valerent. Quid si duæ hirundines in nido cubantes, simul fimum egererent; Expromptiùs id concederem, quia absque miraculo euenire potest, (etsi perrarò contingat) quàm in re, quæ naturæ vires non excedit, ad miracula confugiam. Sed præstat dixisse apertis oculis Tobiam obdormiisse, cum Athanasio, & communi interpretum; aut subito casu oculos aperuisse. Verùm perplacet etiam Fauianus Iustinianus, qui hîc feriò censet hanc cœcitatem, seu potiùs albuginis lumen oculorum impedientis procreationem, haut Tobiæ contigisse statim ac stercus in ipsius oculos incidit: cùm naturaliter tantam vim adurendi minimè hirundinum stercus habeat, sed vel post multos dies à perniciosa ipsius stercoris qualitate, quæ in eius oculis remanserat: vel postquam diu sub hirundinum nidulo dormiens, permansisset, nec ob somni profunditatem stercus sibi in oculos incidens persensisset.

Lyranus. Sanctius. — *Vallesf. Carthusian. Serar. Menoch. Tirinus.* — *Plin. Sanct. S. Athanas. Græci codices.* — *Iustinian.*

P. Didac. de Celada in Tobiam.

Vers. 12. Hanc autem tentationem ideò permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & Sancti Iob.

Ne quis putaret casu quôdam hanc calamitatem accidisse immerito Tobiæ, sacer historiographus causam subdit, quam arcana Dei prouidentia spectauit, dum amicum suum tot modis exercet, & ærumnosè excruciat. Nempè sicut priscis retrò sæculis proposuerat Iobum, quem nulla tot calamitatum acerbitas fregit, quominus flectinescius staret in arrepto virtutis proposito, & quem postmodum copiosa rerum felicitate beauit: Sic etiam Tobiam inuictum proponit pietatis athletam, nunc durè certantem, confestim post exantlatos labores, corporis valetudine, pulchra nepotum prole, & affluenti bonorum copia coronatum. Quò homines, proposita post perfunctos labores, pietatis mercede, non sorbeantur calamitatum æstu; sed discant aduersæ reluctari fortunæ, exemplo Iobi, & Tobiæ; exinde vtrumque tanquam virtutis exemplar, & sanctitatis ideam nobis inspiciendam proponit. Plures alias causas congerit hîc Serarius, præsertim ex Chrysostomo homil. 1. ad populum. 3. *Quare Deus Tobiæ ærumnas permiserit.* — *Serar. S. Chrysost.*

Permisit] Multi existimant, iuxta argutum loquendi modum, scholis Theologicis familiarem, hic dici Deum, hanc cœcitatis tentationem Tobiæ *permisisse*, non immisisse. Verùm quia nunc agi videtur non tantùm de cœcitate (quæ vti malum, non culpæ, sed pœnæ, non modo à Deo permittitur, sed & intenditur, & immittitur,) sed etiam per Prolepsim (quò I veriùs existimo) agatur de reliquis etiam ærumnis hanc subsecutis, quæ sine delicto cognatorum irridentium, & obmurmurantium non contigerunt; notanter scribitur *Tò permisit*.

Vers. 13. Nam cùm ab infantia semper Deum timuerit, & mandata eius custodierit, non est contristatus contra Deum, quòd plaga cœcitatis euenerit ei.

Vers. 14 Sed immobilis in Dei timore permansit agens gratias Deo omnibus diebus vitę suę.

Ecce tibi, qua in re fuerit Tobias virtutis idea, omnibus hominibus à Deo proposita. Scilicet cum indignus hominum iudicio videretur, quem Deus tot calamitatibus penè obrueret; tamen homo sanctitatis moribus à tenera ætate nutritus, nihil ob acceptas plagas à seipso mutatus est, neque ab agendis gratiis cessauit vnquam, ac si quotidie nouis à Deo augeretur beneficiis. Non indoneè sic explicari potest vocula *Nam*, quasi à luctatiuè. Sed præstat cum Serario sic illam accipere, vt habeat causalis vim. Nempe, qui à ab incunabulis simul cum lacte pietatem suxit, ideò eam in calamitate non deseruit. Magna res est à tenera ætate probitati adsuescere! *Ab infantia.* Explica vt c. 1. v. 10. n. 3. 4. *Ferè nunquã deseritur pietas cui à teneris annis assuescimus.* — *Serar.*

Non est contristatus.] Non negatur his verbis,

Tobiam ob acceptas plagas contristatum, & in magno mœrore vitam diu exinceps egisse, quod ipse fatetur infrà cap. 5. v. 12. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* & cap. 3. inducitur cum lachrymis ingemiscens. Neque enim fieri potest, vt bonorum iactura, honoris naufragio, morbis, plagis, doloribus, & reliquis humanæ vitæ incommodis, inferior hominis pars, insensilis prorsùs & lapidea persistat; cùm

Tristitia sumitur pro iracundia.

ipse Christus Deus Passioni proximus, *cœpit pauere, & tædere, & mœstus esse.* Non enim Deus stoïco impatibiles stupore, suos exigit seruos; sed in ærumnis mites, & patiẽtes magnanima virtutis constantia. Vnde hîc, *Non est contristatus contra*

Sanct.

Deum (vt opportunè, & eruditè aduertit Sãctius) est, *Non est iratus contra Deum*, nam tristitia matrix esse solet iracundiæ, exinde Metonymicè iræ, & tristitiæ nomina vices aliquando reciprocant. Consule expositores Geneseos ad illud c. 4. v. 5. &

Genes. 4.

6. *Iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus eius*, idest, ægrè tulit, contristatus est valdè; & inde mœrore obsorptus, concidit vultus eius. Benè

Hugo.

notat Hugo Carensis, quod de Tobia hîc dicitur: *Non est contristatus contra Deum*, idem esse ac

Iob.

quod dicitur de Iobo, tot plagis perculso, *In omnibus his non peccauit Iob labiis suis, nec stultum quid contra Deum locutus est*, Iob. 1. v. 22. Quasi dicat: Tot calamitatibus afflictatus, non sic est contristatus, vt irasceretur in Deum, qui duriores Iobo non merenti immiserit plagas, dum fortuna blandè peccatoribus arridet.

Vers. 15. Nam sicut beato Iob insultabant reges, ita isti parentes, & cognati eius irridebant vitam eius dicentes:

Vers. 16. Vbi est spes tua, pro qua eleemosynas, & sepulturas faciebas?

5. In multis fuisse Tobiam Sancto Iobo similem, perspicuum est his, qui vtriusque historias lectitarunt. [*Beato Iob.*] Beatum appellat Iobum, non quia Deus illum ante, & post calamitatem, fortunæ bonis copiosè beauit; sed quia post mortem beata viri merita æterna beatitudine vbertim munerauit. Nempè eximia Iobi sanctitas congruo epitheto, & biblica apotheosi commendatur.

Rex olim dicebatur quisquis vni populo, tametsi exiguo dominabatur.

[*Reges*] Iobi amicos Reges appellat translatio LXX. interpretum, Iobi cap. 2. & vltimo. Non quidem quales hodie apud Europæos, sed quales apud Indos, & Iapones legimus, & quales illi, quorum vnum supra triginta reges occidit Iosuë, cap. 12. & alij multi deuicti sunt, Iudicum 1. post mortem Iosuë, & vnus Adonibezec septuaginta reges suæ mensæ alebat reliquiis, & in Pentapoli, vbi quinque duntaxat ciuitates erant, totidem reges legimus, Genes. 14. Scilicet olim Reges nominabantur, etsi in vno tantùm populo, neque admodum amplo, aut opulento dominarentur, cui ius dicebant, & tributa imponebant. Sic dicitur Rex Segor, & scimus Segor fuisse exiguum oppidulum. Consule Iobi commentatores, qui vbertim super hac thesi.

Iosuë
Iudicum.
Genes.

6. *Parentes, & cognati.*] Qui hîc dicuntur To-

Cognati dicuntur etiam parentes.

biæ *parentes*, non sunt illi à quibus genitus est; nam ipsum orphanum relictum, & auiæ Debboræ traditum, expressè dicitur in Græco textu, vt adnotauimus ad cap. 1. vers. 8. Inidoneè autem nunc inducerentur eius genitores bono filio insultantes, quorum aliàs nusquam mentio inuenitur. Quare concors est interpretum sententia *parentes* in hoc loco pro cognatis accipi. Sic Hispani cognatos *parientes* nominamus. Inde *parentelæ* nomine cognatio significatur, & *parentalia* cognatis etiam fidebant. Itaque vocula *&* non est copulatiua, sed exegetica, vt alias sæpè. Nempè *parentes*, idest, *cognati*. Grandis profectò calamitas, & ipsa cœcitate acerbior; ab iis contemni, & irrideri, qui naturæ legibus debuissent afflicto aliquod afferre solatium.

Quomodo tres eius amici Iob insultarint.

Insultabant.] Tres Iobi amici ei *insultasse* dicuntur; quia tametsi constet ex Iobi 2. v. 11. consolandi illius causa accessisse, & initio condoluisse cum dolente; tamen in colloquiorum decursu in illum acerbiùs debacchati sunt, adeò vt ipse Iob cap. 6. vers. 16. conquestus sit, ipsos *tantùm ad increpandum eloquia concinnasse, super pupillum irruisse, & amicum subuertere voluisse.* Iob.

Irridebant vitam eius, dicentes, &c.] Cùm Tobiæ propinqui calamitosum hominem per ridiculum subsannarent, dicterisque irriderent bona eius opera, dicentes: *Vbi est spes tua*, (idest, fructus seu vtilitas spei tuæ) *pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas?* verosimilius putauerim, (quicquid contrà sentiat Carthusianus) Tobiæ cognatos in fide nutasse, aut palam defecisse, putantes, bonorum operum fructum in hac duntaxat vita demeti, quod ad annum m. 3332. num. 1. his verbis eleganter indicat noster Salianus: Turpæ in terras animæ, & cœlestium inanes, quæ terrenam duntaxat mercedem, & felicitatem, spiritu Iudaïco, planèque profano appeterent, & commoda vitæ huius finem constituerent operum bonorum, quibus Deus in præmium constituit æternam felicitatem. Quod fiet manifestum, si attentiùs expendantur eorum verba, quibus futurorum spem, & bonorum operum in alia vita remunerationem, simulque diuinam prouidentiam conuellere student. Idque sentire volupe est, de gente Hebræa, de qua, adhuc in proprio solo degente, hic cap. 1. vers. 5. dicitur, omnes adorasse vitulos aureos, quos Rex Ieroboamus erexerat, & vers. 12. omnes Gentilium ritibus communicasse. Importunè hîc insereretur quæstio, an eadem censura Iobi amici feriendi sint. Sat est, pariter insultasse, neque enim similitudo in omnibus tenere cogitur. Non ambio meos commentarios eruditione aliunde quæsita distendere. Procliue est consulere Iobi expositores.

7. *Verba cognatorum Tobiæ indicant, se à fide defecisse*

Carthus.

Salian.

Tob.

Vers. 17. Tobias verò increpabat eos, dicens:

Vers. 18. Nolite ita loqui: quoniam filij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.

Stuporis arguebatur Tobias à cognatis, quòd cùm expertus esset, nullum se tantæ pietatis fructum percepisse, sed præmij loco acerbam plagam; adhuc stolidus speraret à Deo, vel ingrato, vel immemore, vel potiùs nullo, vberem pietatis mercedem. Tobias verò nec sannis, & irrisionibus fractus, nec calamitate pusillanimis; sed pietatis, & patientiæ fiducia adhuc robustior, [*Increpat eos*,] miti ac blando sermone. Potuit Tobias existimare sat esse virtuti, propinquorum opprobria muta 8.

Quare Tobias irrisionibus responderit.

muta patientia tolerare, & silentio eorum procacem impietatem contemnere: at qui enim sedulus dandi *monita salutis* occasionem captabat, pro contemptu monitionem, pro irrisione doctrinam pro impietate piam eruditionem rependit; scius hîc non suam duntaxat, sed Dei, & auitæ religionis causam agi. Duplicem adducit rationem Tobias, qua impiam cognatorum proteruiam piè emolliat, & euincat. Altera:

9. *Tobias dupliei, ratione satisfacit impiis cognatorum improperiis.*

Filij sanctorum sumus.] Abrahami, Isaaci; & Iacobi, quorum vitam multis intertextam ærumnis nouimus; quorum nulla aduersitas infirmauit animos, aut labefactauit constantiam. Vulgare est in diuinis & humanioribus litteris, maiorum virtutem, velut ideam posteris proponere, ne ab auitis moribus degenerent, sed ad ardua quæque strenuè peragenda animosè excitentur Patco eruditioni facilè parabili. Subdit rationem alteram. [*Et vitam illam expectamus*, &c.] His verbis respondet præfatæ irrisioni: *Vbi est spes tua*, &c. Quasi dicat: Etsi me in pietatis operibus à teneris annis enutritum, tot ærumnis in hac vita afflictatum cernatis; ne putetis virtutem esse præmij infœcundam: nam auita fiducia, me pro eleemosynis, & sepulcrali labore vbertim spero beandum perenni felicitate. Nempè mihi per ridiculum improperatis, dicentes: *Vbi est spes tua?* Spes inquam, mea quæ reposita est in sinu meo, maximè eo nititur fulcro, quia *Vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Puto cum communi interpretum sententia, (quamquam contrarium censeat Serarius q. 8. in cap. 2.) *fidem* in hoc loco pro fiducia seu spe accipi, vt aliàs persæpè: quod contextus videtur exigere: respondet enim dicentibus inanem fuisse spem eius, qua stimulatus, bonis operibus solerter insudabat.

Serarius.

§. LXVII.

Commentarius Litteralis.

Vers. 19. Anna verò vxor eius ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum suarum victum, quem consequi poterat, deferebat.

1. *Serar. Sanctius.*

EXistimat Serarius, & Sanctius in hoc quoque Tobiam fuisse Iobo similem, quòd vxor nuper Regina, sua postmodùm industria comparato, aut etiam emendicato cibo, virum suum, & pauperculam familiam vtcumque sustentabat. quod videntur insinuare LXX. interpretes, Iacobi 2. Sed de Tobiæ vxore neque insinuatũ video: hũc enim versiculum his verbis exscribunt LXX. interpretes: (neque vllibi precariæ mendicitatis vlla mentio de Tobiæ vxore inuenitur.) *Achiacharus autem nutriebat me, quoadvsque profectus sum in Elymaida. Et vxor mea Anna seruiebat in gynæcais, & mittebat dominis.* Vatablus in priori hemistichio consentit Græco textui: posterius sic transtulit, *Anna verò vxor mea opera muliebria facienda conduxerat, vnde victum parabat qua poterat industria: cumque dominis ea misisset*, &c. Ex his translationibus, tametsi vulgatum interpretẽ clarare videantur, nonnullæ tamen difficultates emergũt, necessariò extricãdę sequenti versiculo.

Iob.

Græca huius versiculi translatio. LXX. Vatablus.

Anna verò vxor eius ibat ad opus textrinum, &c.] Cùm expressè dicatur in reliquis translationibus, quòd Achiacharus Tobiæ cognatus eum alebat, quousque ipse Tobias in Elymaidem ciuitatem Medorum profectus est; vnde ad eam egestatem est redactus, vt Anna eius vxor ministerio ancillari seruire cogeretur, quo tenuem familiam vtcumque sustentaret; Serarius & Salianus putant, Tobiam iterùm bonis spoliatum alioqui, cui non ante multos annos, omnia bona sua restituta fuerant; c. 1. v. 25. non tantam pateretur rerum penuriam. Verùm cùm ipsimet Doctores fateantur, Tobiæ proscriptas facultates magna ex parte imminutas auara ministrorum rapacitate restitutas ei fuisse: & notum sit, largis eleemosynis contribulium inopiam subleuasse, mirùm non est, breui eas consumptas, repetita identidem largitione, potiùs quam repetita Tyranni persecutione. Quod perstrinximus ad cap. 1. vers. 25.

Non est depauperatus Tobias iterata bonorum proscriptione. Serar. Salian.

Cæterùm vbi Tobiæ vxor hoc textrinum opus obierit, exploratum non est. Si codices sequamur Græcos, quorum verba nuper excripsimus, in Elymaide Medorum ciuitate id accidisse videtur: indeque putat Sanctius non in Niniue, sed in Elymaide reliquum vitæ post cæcitatem peregisse. Verùm obstat, quod nulla in Vulgato reperiatur mentio alterius vrbis, in qua Tobias habitauerit, præter Niniuen. & cap. 1. v. 25. dicitur post fugam rediisse domum omnes interpretes aut tacitè supponunt, aut diserte exprimũt, rediisse in Niniuen. & c. 11. v. 1. Tobias iunior nuper vxoratus, & diues, in Niniuen rediit. & cap. 14. post prædictum Niniuæ excidium, in Niniue ipsa, in qua ægrotabat, iubet sepeliri: ergo signũ est, in hac vrbe frequens habitasse. Quin si post cæcitatẽ & egestatem, in Elymaide Medorum ciuitate degeret Tobias, expromptum erat inde conuenire Gabelum, qui depositam pecuniam redderet, qua inopiam subleuaret; & tamen certum est ex Niniue, non Mediæ, sed Assyriæ vrbe, atque adeò longissimè dissita, filium misisse. Non ibo inficias, Græcum textum signatè docere, Tobiam profectum in Elymaidem. Sed ego Græcis Tobiæ codicibus non me tuto credo; sicut nec in Iudithæ commentariis me credebam. Et sanè vir in paucis eruditus Nicolaus Serarius quæst. 8. & Iacobus Salianus ad annum mundi 3332. num. 3. seriò suspicantur in Græcos codices mendum irrepsisse: & vbi legimus ἐπορεύθην in prima persona, *perfectus sum*, legendum ἐπορεύθη in tertia. *profectus est*, Achiacharus, inquam, vt negotia, quæ obibat Regis, perageret, facili in vna litterula Græci scriptoris lapsu. 5.

Tobiæ habitatio nõ tam in Elymaide, quam in Niniue fuit. Sanctius.

Tobiæ.

Serar. Salian.

Quod Vulgatus dixit *Opus textrinum*, latiori vocabulo vertit Vatablus *Opera muliebria*, & LXX *Seruiebat in Gynecæis.* Porrò olim sicut pro viris erãt ergasteria, seu loca, in quibus viriles exercebant artes; sic pro fœminis erat Gynecæũ, seu locus à virorum commercio remotus, in quo mulieres conueniebant, siue vt ibi habitarẽt, siue vt inibi laborarẽt, & muliebria exercerent opera. Textrinæ Annam dedisse operam, haut dubium est, cùm id operis Vulgatus expresserit. An verò telas etiam confecerit rudi texendi arte; an subtili & arguta magis industria, (quod de muliere ingenua verosimiliùs putat Sanctius) exploratum non est; nescio vnde id explorari possit, nisi ex leui aliqua coniectura. Neque enim ex eo quòd Dido, *tenui telas discreuerat auro*; aut in Ierosolymitano templo Hebręę virgines multiplici argumento,

4. *Quid sit Gynecæum. Vatabl. LXX.*

Incertum est, an Anna rudi tela, an subtiliori operam darit.

mento, & versicolori filo telas perelegantèr elaboraret; euinci potest, ea prædictam industria vxorem Tobiæ. Illud certiùs putauerim, eo texendi argumento Annam in gynæcæis laborasse, vnde maiorem quæstum ad familiæ sustentationem se facturam sperasset.

Vers. 20. Vnde factum est, vt hœdum caprarum accipiens, detulisset domi.

Vers. 21. Cuius cum vocem balantis vir eius audisset, dixit: videte, ne fortè furtiuus sit, reddite eum dominis suis; quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.

5. *Vxori Tobiæ vltra mercedem gratuitò donatur hœdus, & quare.* Græci codices paulò explicatiùs rem tradunt his verbis: *Vxor mea Anna seruiebat in gynacæis, & mittebat dominis, & reddiderunt ei etiam ipsam mercedem addentes etiam hœdum, quem domi detulit.* Vnde liquidò constare videtur, Annam in gynæcæis dedisse operam textrinæ, & confectum textrinum opus dominis misisse per manus fortè filioli Tobiæ, vt assolent paupercuiæ mulieres. Constat etiam vltra debitam mercedem dominos dono & gratuitò addidisse hœdum, vel miseratos vicem locupletis nuper fœminæ, vel ob peritè aut citò confectum opus, ne quis miretur donum fuisse in mercedis auctarium, quod facere non solent exteri. *Hœdum caprarum* dicit, siue Hebrææ linguæ idiotismo, siue vt significet hœdum adhuc lactentem.

6. *An Tobias deliquerit sinistrè de vxore censendo.* Lyranus. Hinc oboritur non leuis quæstiuncula, an Tobias sinistrè de vxore censendo planè deliquerit: præsertim cùm eius vxor eiusmodi hœdum dono datum absq; delicto acceperit. Omnes interpretes iure Tobiam à peccato excusant. Lyranus Tobiam vindicat à suspicionis culpa, quia non putauit Tobias furto sublatum ab vxore, aut domesticorum aliquo; sed *furtiuum* esse, id est, à fure Annæ viliùs venditum, illamque muliebri inconsideratia hœdum furtiuum emisse, vt maritum & filiolum aleret. Sanctius. Sanctius aduertens Tobiam neminem accusare, sed cùm hœdum domi balantem audisset, tantùm dixisse: *Videte, ne fortè furtiuus sit*; nam cùm ille in ipsa paupertate hœdum non sperasset, putat, timuisse, ne aliquis ex domesticis furtiuum attulisset, aut ipse hœdus vxore nesciente, aut filio, irrupisset domum. Salian. Serar. Verùm, vt docet Salianus ad annum mun. 3332. num. 5. nec renuit Serarius q. 8. rectè potuit Tobias non sine causa suspicari furtum, qui sciret homines plerumque operariis pauperibus malignè potiùs mercedem persoluere, quàm auctarium gratis addere. Nec Tobias ignorabat malesuadam esse egestatem, & experiebatur vxorem non satis timentem Deum; vt sequentis versiculi verba planè testantur. Ipse erat paterfamilias, cui debebat esse curæ, nequid mali domi accideret; quod cùm cœcus esset, non poterat oculis explorare. Et quidem cùm auditis mariti verbis, confestim vxor stomachosius responderit, perspicuè insinuat, se à Tobia reprehensione illa furti insimulatam. Augustin. Quod autem Aug. ser. 18. de Verbis Domini secundùm Matthæum c. 15 asserit, Annam *furtum defendisse*, quo videtur innuere furatam fuisse hœdum, nescio vnde id adstrui possit, cùm Vulgatus tantùm referat, dixisse Tobiam, *Videte, ne forte furtiuus sit*; & Græci & Hebraïci codices disertè tradant vltra mercedem Annæ gratuitò donatū. Sed fortè vxor Tobiæ *furtum defendere* dicitur ab Augustino, non quia ipsa hœdum furata sit; sed quia maritum reprehendit quasi nimis solicitum in inquirendo, furtiuus ne sit hœdus, nec ne; non tamen propterea significat, se furto hœdum sustulisse, vt notauit Salianus. Salianus.

Aut contingere.] Edere ex furto non licet; at rem furtiuam *contingere*, illicitum non est. Est autem modus loquendi ex reuerentia præcepti *Esso esta vedado, no ay tocarlo.* Sic explicabam illud Genes. 3. v. 3. vbi serpenti respōdit Eua: *Præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud*, pomum, inquam, vetitum, quod mendaciter Eua non dixit ex tædio præcepti; sed religiosè ex mandati reuerentia, vt ibi adstruebamus. Quod si nemo hîc mendacium Tobiæ impingit, quare Euam similis locutio non defendet. *Contingere licet rem furtiuam.* Gen. 3.

Vers. 22. Ad hæc vxor eius irata respondit: Manifestè vana facta est spes tua, & eleemosynæ tuæ modò apparuerunt.

Vers. 23. Atque his & aliis huiuscemodi verbis exprobrabat ei.

Duplicem sensum habere possunt hæc vxoris Tobiæ verba, aientis, *Manifeste vana facta est spes tua*, &c. Alter, vt maritum duntaxat, feriat, dum simulatam eius clementiam aperto ore perstringit, qua non tam studuit miserorum subuenire miseriis, quam vanam apud homines aucupari clementię opinionem, ita Lyranus, cui etiam adsentit Sanctius. Alter sensus, quem Annæ verba magis indicant, non tam in viro simulatam denotat pietatem, quàm stultam de Deo fiduciam accusat, quasi vana fuerit Tobiæ spes in Deo locata, nullóque stabili fundamento fulcita: innuēs Deum tot bonorum operum immemorem, & nulla prouidentia remuneratorem; cùm pro eleemosynis, vita religiosa, & pia, inopiam, & diram calamitatem repēderit, addito etiam cœcitatis infortunio. Quasi dicat: quantumuis cœcus sis, videre tamen oculis potes, quam sis fraudatus fructu spei tuæ: tu à Deo sperabas pietatis retributionem vberem; at è contrariò experiris, te cœcum, pauperem, exulem, calamitosum, & vel charis domesticis morositate inuidiosum. O quandiu tandem animaduertes, cui te totum, & tua omnia tam solerter impenderis! Hæc Tobiæ vxoris verba absimilia non sunt his, quæ Iobi vxor in maritum iactauit, c. 2. v. 9. Neque fortassis aliquid fuit, quod vtriusque animum duriùs exasperaret. Neque hæc solum conuitia ab vxore audiuit Tobias, sed alia plura, quæ indicat Scriptura aiens: *Et aliis huiuscemodi.* 7. *Tobiæ vxor blasphemat in Deum, qui pro merito pietatis calamitates repēdit.* Lyranus. Sanctius. Iob.

Græcè scribitur Tobiæ nomine: *Et erubescebam aduersus ipsam*, hoc est, *ad ipsam*, vel *propter ipsam*. Hebraïcè, *Et fuimus vna litigantes super negotio hœdi.* Et quidem Vulgatus litigium quoddam tradit inter Tobiam & vxorem, datis & acceptis vltrò citroque responsis super hœdo, quod litigium Tobias erubuisse dicitur. Dicitur autem *erubuisse*, non ab effectu, vt putat Serarius; quia eorum qui rixantur vultus rubent, ardētque oculi, sed vel quia homo grauis & mitis *erubuit* cum vxore litigare; vel *erubuit* suam familiam furti suspectam, *nolens nomen furti audire in domo sua*, vt docet Augustinus nuper allegatus; vel 8. *Quare Tobias propter vxorem erubuit.* Græcus Hebræus. Serarius. S. Augustin.

erubuit

erubuit ex coniugis ore audire tot contumelias in Deum,& se impiè iactatas, quod non potuit bonus & pius vir non valdè erubescere.

§. LXVIII.

Nimia intemperanter edacitas, addensatis vituperiis reprobatur.

1. *Pretiosarum dapum ambitiosa voluptas damnatur.*

COrporis exigua desideria sunt: alimentis famem ac sitim extinguere vult: quicquid extrà concupiscitur,vitiis non vsibus laboratur:non est naturæ necessarium omne perscrutari profundum,nec strage animalium ventrem onerare,nec conchylia vltimi maris ex ignoto littore eruere. Vndique conuehunt omnia nota fastidienti gulę. Quod dissolutus deliciis stomachus vix admittit, ab vltimo portatur Oceano,ab Indis sumptuosè quæritur. Vomunt vt edant, edunt vt vomant epulas, quas toto orbe hians gula conquirit, nec concoquere dignatur. O miserabiles, quorum palatum, nisi ad pretiosos cibos non excitatur. Pretiosos autem,non sæpè eximius sapor,aut aliqua faucium dulcedo,sed raritas & difficultas parandi facit. Non vultis cogitare quàm parua vobis corpora sint. Nonne furori & vltimus mentium error est,cùm tam exiguum cibi capias, cupere multum? Multa opera multum conquiritur; & inde superuacuum esse probatur: nihil enim homini natura, quod necessarium sciebat, fecit operosum. Bonum prandium hîc apparat Tobias, sed escas facilè parabiles apponit. Grande conuiuium extruit;sed à quo exulant exoticæ ciborum deliciæ; sed cui pij quique ex egenis contribulibus assideant,& quod solenne festum solenni pariter epulatione concelebret. Tobiæ mensa, religioni,non palato adulatur;mentem saginat, non corpora; pietatem, non crudelitatem eructat. In Tobiæ etiam conuiuio Diabolus esurit, qui nostris semper saturatur ex epulis. *Diabolus cibum nostrum deducit in crapulam, potum nostrum in ebrietatem diffundit, vt mentem faciat amentem, carnem luteam reddat, corpus animæ domicilium, animæ vas, murum spiritus virtutum scholam, Dei templum, in scenam criminum, in vitiorum pompam, voluptatum redigit in theatrum. Capit ille satietatem, voluptatem percipit, expletur epulis, quando nos luxus soluit*, ait eleganter Chrysologus.

Hic v. 1.

Chrysol. ser. 124.

2. Matthæi 15. Pharisæis scrupulosè calumniantibus spicarum auulsionem in sabbato, respondet Christus: Non quod intrat in os hoc coinquinat hominem sed quod procedit ex ore. Rudes adhuc Discipulos huius sententiæ intelligentia latet;sed Christus sui interpres factus, sic ait: *Non intelligitis quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur?* Quæ Christi Dei verba sic Drogon Hostiensis elucidat: *Omne quod intrat in os, in ventrem vadit; & in secessum emittitur: talis est omnium voluptatum carnalium finis.* Cui eloquentiùs alludit Nazianzenus ita fatus: *Nec terra nec mare charum vobis ac pretiosum stercus offerant: hoc enim nomine delicias ornare soleo.* Quasi palati deliciæ,dum cibos in ventrem mittit, & in secessum emittit; non tantùm corporis,sed etiam voluptatis excrementum fit. Hoc elogio delicatos cibos ornare solitat Naziãzenus; cùm quod gula congerit,digerit,egerit,*pretiosum stercus* appellat. Idcircò Tertullianus magis propudioso vocabulo stomachum nominat, aiens: *Totum illud domicilium interioris hominis, escis stipatum, vinis inundatum, decoquendis iam stercoribus æstuans,præmeditatorium efficitur latrinarum, in quo planè nihil tam in proximo superfit quam ad lasciuiam sapere.* Quasi conuiuiorum fructus sit extruere pretiosi stercoris officinam, & præmeditatorium latrinarum.

Math 15. v. 17.

Drogo de sacr Dom. Pass

Nazian or. 27 quæ est de Christi natiuit

Conuiuiorum fructus est pretiosum stercus, & præmeditatorium latrinarum.

Tertul. adu. Psych cap 6.

3. Deuteronomij 32.agit Moyses de Chananitidis esculenta ac poculenta vbertate,aiens: Cõstituit Israëlē super excelsam terram: vt comederet fructus agrorum,vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Butyrum de armento, & lac de ouibus cum adipe agnorum, & arietum filiorum Basan: & hircos cum medulla tritici, & sanguinem vuæ biberet meracissimum. Quid ex tanta tamque vbere esculentorum abũdantia acciderit, protinùs subdit: *Incrassatus est dilectus,& recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo*, quasi desertio auitæ religionis & fidei,fit edacitatis sequela. *Specta corpus*, (inquit Tertullianus) *& vna regio est, denique pro dispositione membrorum ordo viscerum, prior venter & statim cæteræ sagina substructa lasciuia est, per edacitatem salacitas transit*, (libra attentiùs quæ subtexit verba) *Agnosco igitur animalem fidem studio carnis qua tota constat, multiuorantia pronam*, ac si edacitas de multiuorantiæ ruditate bestiali,fidem diuinam & intellectualem euomat,& *animalem fidem* hauriat,informet,exprimat,quod nuper laudatus Auctor graphicè his verbis exponit, epulonum *animalem fidem* emendare conatus,(bona fides aduersus epulones audienda sunt, quæ ille non bona pro Montanistis ructauit) *Deus enim tibi venter est, & pulmo templum, & aqualiculus altare, & sacerdos cocus, & Sanctus spiritus nidor, & condimenta charismata, & ructus Prophetia vetus est.* Ecce tibi numen & religionem *animalis fidei*,quæ de gulæ illecebris venit. Et adhuc sententiam suam vendicans,ait: *Vera si velimus dicere, tu qui tantum gula indulges, & merito te priorem iactas, semper agnosco sapere Esau venatorem ferarum, ita passim indagandis turdis studes, ita de campo laxissimæ disciplinæ tua venis, ita spiritu deficis: si tibi lenticulam defruto infusatam obtulero, statim totos primatus tuos vendis: apud te agape in caccabis feruet, fides in culinis calet*, (hanc vocat animalem fidem) *spes in ferculis iacet.... Quis sanctior inter vos,nisi conuiuandi frequentior,nisi obsonandi pollucibilior,nisi calicibus instructior?* Planè eleganter,si in belluones duntaxat ista dixisset.

Helluonum animales fides, & regio.

Deuter. 32. v. 15.

Tertul. adu. Psych c. 1.

Idem suprà c. 16. & 17.

Genes. 25. v. 30.

4. Geneseos 1. Sexta mundialis opificij die, quasi elegans creationis clausula, homo conditur: & cõfestim ei cum brutis animantibus pabulum assignatur: *Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent insemetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ*, &c. Quid quòd hactenùs,totis inquã, primis quinque diebus, nulla de cibis mentio facta est,quovsq; in hac sexta die bruta terræ animantia pariter cum homine creata sũt? Non cùm mundus felici auspicio accipit incrementa,sed dũ decrementa suscipit, pabulum ad alimoniam & saginam deputatur. Peregregiè S. Ambrosius agẽs de Elia & ieiunio ita de hac re philosophatur: *Primus vsus mundi à ieiunio cœpit. Sexto die bestiæ*

Gen. 1. v. 29.

Vbi animantibus assignatum est cibus, tunc cœpit mundus incrementa nescire.

Ambros de Elia & ieiun c 4.

stiæ sunt creata, & cum bestiis erta edend potestas, vbi cibus cœpit, ibi finis factus est mundi, vbi cœpit sua incrementa nescire, ibi cœperunt diuina circa eum opera feriari; quo iudicio declaratum est, quòd per cibos mundus haberet imminui, per quos desit augeri. Quid luculentiùs: Multa hic conceptuum fœcunda ingenio lectoris permitto, ne longum interim faciam.

5. Numer. 25. vers. 1. & 2. Numerorum 25. Moabitæ impares viribus, ad profligandum Israëlem, de Balaami consilio, fraude & lenocinio vaferrimè vtuntur. *Morabatur eo tempore Israël in Settim, & fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua* (id est, conuiuia) *At illi comederunt, & adorauerunt Deos earum.* Mirissimum planè est, quòd Hebræus populus verians in deserto, in quo tot Dei prodigia passim experiebatur, tam facili suasione & amicum Numen abiecerit, & effronti impudentia Moabitarum Deos adorauerit, auita religione contemptim proculcata. Gemina præstigiatrix illecebra hìc proponitur, & venusta puellarum forma ad libidinem prolectans, & lauta mensarum epulatio ad ingluuiem alliciens. Disce hìc quanta sit vis pulchritudinis. nam aduersus Hebræos milites nõ armatas turmas, sed pulchras feminas instrui præcepit rex, Balac, idque ex consilio Balaam, quem Origenes hìc ita ad Moabitas loquentem inducit: *Non virtute militum, sed mulierum decore pugnandum est, nec armatorum vigore, sed mollitie feminarum, procul amoue armatorum manum, & electam congrega speciem, puellarum forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captiuat: vincentur specie, qui non vincuntur prælio.* Nec minus eleganter Seleuciensis Basilius: *Cùm Israëlitæ Madianitas acie deuicissent, capti sunt amore muliebri velut in acie, cumque armis vincerent, oculis labebantur: hastilibus cum superiores essent, formarum iaculis vulnerabantur.* Verùm cum Principes Hebræi populi, non modo lasciuè, sed impudenter etiam, contempto arroganter Moysis imperio, tantum scelus perpetrarint; eiusmodi impudentia præstigiatricibus mẽsarum deliciis imputanda est. Bellissimè ad rem Nazianzenus: *Nec turgida, cibisque congesta mensa, stupidique ventris incantamentis efferimur.* Quos Balaã incantare non potuit ad ruinam, lauti epuli incantamentum impudenter sic extulit, vt coram scortari, & auitam religionem cum turpi idololatria commutare, non erubuerint. O escatiles stupidi ventris præstigias, & mensarum incantamenta! *Oneratus venter ad vitia cor deponit*, sententiosè dixit Chrysologus. Quasi helluo mentem & rationem deponat, vt interim ad vitia bruto impetu propensiùs feratur.

[Margin: *Forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captiuat.* — Origen ibi. — Basil. Seleuc. orat 6. — *Copiosum epulum stupidi ventris incantamentis effert.* — Naz. orat 11 quæ est ad Arian. — Chrysolog. ser. 1.]

6. Hier in ep. ad Furiam. S. Hieronymus in epist. ad Furiam ita fatur de gulæ vitio: *Non Æthnæi ignes, non Vulcania tellus, non Vesuuius, & Olympius tantis ardoribus æstuant, vt iuueniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ.* Hieronymo adnuit Basilius, apud quem gula appellatur: *Fons voluptatum, & impudentiæ fomes.* Ergò hos vitiorũ fontes è gulæ otio scaturientes, obstruat inedia, quæ velut fomites ingerit ad virtutes, estque earum vernans plantarium. Tacitè adlubens ad illud Prophetæ: *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* ita fatur Chrysologus: *Ieiunium est singulare sanctitatis aratrum, colit corda, eradicat crimina euellit delicta, vitia subruit, charitatem serit, copiam nutrit, parat innocentiæ messem.* Eloquenter Tertullianus de gulæ vitio, & palati deliciis ita scribit, quò edacitatem arceat, & damnet ventris ingluuiem: *Macies non displicet nobis; neque enim ad pondus Deus carnem tribuit, sicut nec spiritum ad mensuram. Facilius si fortè per angustam salutis ianuam introibit caro exilior, citiùs resuscitabitur caro leuior, diutiùs in sepultura durabit caro aridior. Saginentur pugiles, & pystæ Olympici: illis ambitio corporis competit, quibus & vires necessaria.* Nota, voluptuosam ventris saginam, appellari, *Corporis ambitionem.* Non tantùm animus ambitionis elatione effertur; & etiam est sua *corporis ambitio.* Sat esto ad pulchram metaphoram digitum signanter intendisse.

[Margin: *Gula est voluptatum fomes.* — Basil. de vera Virginit. — Ioël 2. v. 13. — Chrys. ser. 31. — Tertul adu. Psych. c 17. *Copiosus cibus est corporis ambitio.*]

7. Chrys. serm. 12. Matthæi 4. totus est diabolus in deserti palæstra, vt gulæ negotio, longam Christi inediam inquietet. Quod expendens Chrysologus, in ieiunij elogia, & gulæ vituperia his copiosè verbis exundat: Ieiunium, inquit, scimus esse Dei arcem, Christi castra, murum spiritus, vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis trophæum, Hoc Adam seruauit in paradiso, quem inde detraxit. Hoc in arca custodiuit Noë, mundum ebrietas cùm demersit. Per hoc Lot Sodomiticum restinxit incẽdium, qui per ebrietatem incesti est adustus incendio. Hoc Moysem diuini fermoris fecit lumine perducere, quando comessatio & ebrietas Israëliticum populum simulacrorum tenebrauit erroribus. Hoc Ioannem in natis mulierum fecit esse maiorem, quando temulentia Herodem principem imperio mulierum reddidit homicidã. Quadragesimæ ieiunium, vetustas Diaboli prodidit & patefecit insidias (nota attentius quæ ad rem subtexit verba) *Diabolus namque qui manducantem contempserat Christum, bibentem velut hominem computarat: vbi ieiunantem vidit, suspicatur Deum, Dei filium confitetur. Si filius Dei es, inquit, dic vt lapides isti panes fiant.* Ecce tibi Christus Deus qui dum humanitùs manducat & bibit, vilis apud Dæmonem habetur, & sicut hominum vulgus contemnitur; de ieiunij elogio sic sublimari censetur, vt Diabolus esse Deũ suspicetur, & Dei filium confiteatur. O, sic contumeliosè cibus depretiat, quem sic præcelsè ieiunium adpretiat! Deus manducans, inter ignobile hominum vulgus à Diabolo recensetur! *Diabolus, qui manducantem contempserat Christum; vbi ieiunantem vidit, suspicatur Deum, Dei filium confitetur. Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.*

[Margin: *Dæmon manducantẽ contemnit Christum; Dei filium putat ieiunantem.* — Chrysol. ibi. — Matth. 4. v. 3]

8. Tertullianus in lib. de Resurrectione carnis, ita aduersus carnis resurrectionem ex aduersariorum sententia arguit: *Quò enim iam, inquiunt, spelunca hæc oris, & dentium statio, & gulæ lapsus, & compitum stomachi, & alui gurges, & intestinorum perplexa proceritas, cùm esui & potui locus non erit? Quò huiusmodi membra admittunt, subigunt, deuoluunt, diuidunt, digerunt, egerunt? Quò manus ipsæ & pedes & operarij quique artus, cum victus etiam cura cessabit? Quò renes conscij seminum, & reliqua genitalium vtriusque sexus, & conceptuum stabula, & vberum fontes, secessuro concubitu, & fœtu, & educatu?*

[Margin: Tertull. de Resur. carn. c. 60. *Operosa gulæ propudia.*]

Vide operosa gulæ propudia:
& ventri appendices
voluptas.

§. LXIX.

§. LXIX.

Arcana affectuum metamorphosi sit verus amor per odium diligere.

1\. Seneca epist. 95.

QVasi ista inter se contraria sint, *bona fortuna & mens bona, ita melius in malis sapimus, secunda rectum auferunt.* Hinc amor operationes ænigmati similes repræsentat:nam dum in odium degenerare videtur, defœcatior, & purior sæpè amor est; & specie mali, bonum vberiùs ingerit. & exoptat. Cùm putaris dilectum auersari, ardentiùs diligis, & re odij amorem exaggeras. Felicitas prauitatem nutrit, & rerum affluentia, nouerca virtutis sæpè est. Duris alitur virtus, blandis dissoluitur, & diffluit. Bona fortuna dum concupiscentiam gratè palpat, vitiis blanditur Quis rei dilectæ vitia diligat? quis non amet virtutis lenocinium? Si aliquando secunda rectum auferunt, non amat, sed odit, qui secunda tunc exoptat. O nimis verum! cùm benè odisti, tunc rectè amasti, quasi odium cum amore vices arcanè reciprocet. O moralissima virtutis synonyma! Porrò semper amasse, aliquando odisse est. Sic res diuersissimę in vnum coëunt, & amori militat odium; Ita quidē; dum odium ab amore procedit. Quod forsan appellare posses cum Tertulliano: *Præcoquam, & acerbam dilectionē.* Acerbè diligit, qui odio amat.

Odium vices cum amore reciprocat.

Tertull. l. 4. contr. Marc. c. 17.

2\. Lucæ 14. v. 26.

Lucæ 14. post longiusculam concionem Christus à turbis discedit. Turbæ autem eius verbis cœlum fragrantibus, allectæ, illius auidè vestigia sequuntur. At Christus in piæ sequelæ stipendiū, hac illos sententia munerauit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem, & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Sed percontari libet, (ait Gregorius) quomodo parentes, & carnaliter propinquos pręcipimur odisse, cùm iubemur, & inimicos diligere? Et certè de vxore veritas dicit: Quod Deus coniunxit homo non separet. Et Paulus ait: Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam. Ecce discipulus vxorem diligendam prædicat, cùm magister dicat: Qui vxorem non odit, non potest meus esse discipulus. Numquid aliud index nunciat, aliud præco clamat? An simul & odisse possumus, & diligere? Sed si vim amoris medullitùs perpendimus, vtrumque simul agere per Christianam discretionem eualemus, vt eos qui nobis carnis cognatione coniuncti sunt, & quos proximos nouimus, diligamus: & quos aduersarios in via Dei patimur odiendo, & fugiendo nesciamus: (Attentiùs obseruanda sunt verba, quæ Gregorius eleganter subiungit) *Quasi enim per odium diligitur, qui carnaliter sapiens, dum prauu non ingerit, non oditur. Vt autem Dominus demonstraret hoc erga proximos odium, non de affectione procedere, sed de charitate, addidit protinus dicens: Adhunc autem & animam suam.* Ecce tibi odium, non tantùm appendix, sed portio quædam amoris est Idem affectus diuersissimo vocabulo sciditur, & res eadem perseuerat, dum *per odium diligitur*, quod sæpè per dilectionem oditur. O bonum odium, quod non de affectione, sed de charitate procedit! Odisse putas, quos pateris in via Dei aduersarios, & pietatis obices, & tamen per eiusmodi odium, arcana quadam affectuum metamorphosi, te potiùs, & illos odiendo diligis, quos si tunc diligeres, proculdubiò odisse. Non semper dilectio blāda constat beneuolentia, qui femininus amor sæpè est. Masculus amor viriliter robustus, tenerè dilectos, duriùs audet odisse, & in amoris conflatorio odium exciditur, dum *per odium diligitur*: quia eiusmodi, *odium, non de affectione, sed de charitate procedit.* Delicatus est amor, & amori matrum quam simillimus, qui blāda semper meditatur, & melimela velut infantibus propinat. Robustior dilectio vnici Isaaci cædes vibrat: nec parcit charissimis, ne virtuti parcat. O discant hinc parentes, discant præfecti, discant sui, & aliorum amasij, hoc amoris ænigma, dum sub odij specie verus amor latet! ô discant per odium diligere, qui aliquando per amorem oderunt! discant Tobiæ exemplo, qui contribulium apostatarum consortia fugiens, dum suos auersari videbatur, eosdem in auita religione dissimulanter instruebat. Et dum hîc vers. 2. à paschali conuiuio reiicit, non illos odio execratur, sed odij specie ad patrios mores peramanter glscit reuocare.

Per odium sæpè diligitur.

Gregor homil. 37. in Euang.

Marth 5. ad Ephes. 5.

Tobiæ 1. v. 5.

Hic v. 2.

3\. Ioannis 12. postquam Christus festo plausu, & triumphali pompa Ierosolymam ingressus est, frequenti stipatus populo, hanc sententiam ad Ecclesiæ eruditionem pronunciauit: *Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Nempe qui amat, perdet: ergò si amas, perde: nam etsi vitam vltrò perdendo, eam odisse videaris; per eiusmodi odium magis diligis vitam tuam. Non possum non recens hùc aduocare sudata aliorsùm Augustini verba, qui hoc pulchro glossemate præfatam Saluatoris sententiam edisserit: *Magna*, inquit, *& mira sententia, quemadmodum sit hominis in vitam suam amor vt pereat, odium ne pereat. Si malè amaueris, tunc odisti: si benè oderis, tunc amasti. Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.* An non vides, vitam nostram per amorem odio haberi, per odium diligi; Mira planè, & ænigmatica sententia, quemadmodum sit hominis in vitam suam amor vt pereat, odium ne pereat. O mirissimam affectuum reciprocationem! In officina duri odij blandus amor conflatur, qui martyres magnanimos cudit; Si malè (id est, blandè) vitam tuam in hoc mundo amaueris, tunc verè odisti: si benè oderis, tunc amasti. In piè subdolis odij cineribus, amoris scintilla prænitet. Odij insidiæ, inimicitiæ videntur minæ, imperitis formidabiles; sed merus amor est, & asylum vitæ nostræ tutissimum. Ne timeas odisse, quem cùm plus oderis, magis amas. Time potiùs amare, ne te odisse serò experiaris. Non amat æternam vitam sibi vitam, qui præsentem non odit. Odio tui, factus es immortalitatis candidatus, æternitatis alumnus, & beatæ perennitatis hęres. O mirum commercium, quo odio caducæ vitæ; vitam beatè æternam negotiaris: & mortem; quam amore mercaris, odio redimis! Ne credas Philosophorum argutiis, hominum affectibus vocabula imponentium? verba dant, te verborum ethicè vacua: ne credas mundi præstigiis, quibus voluptatis libido mentem ad vitæ amorem subornant. Crede Augustino; crede Christo: *Si male amaueris, tunc odisti; si benè oderis, tunc amasti.* Nam vt nuper aiebat Gregorius: *Per odium diligitur, dum odium, non de affectione, sed de charitate procedit.* Retrospice viros olim sanctitate inclytos, inspice eos, qui nunc eximia virtute florent; & cùm eos putas, de sui odio, vitæ suæ carnifices; fidei oculis planè comperies, esse sui

Ioan. 12. v. 25.

Si benè oderis, tunc amasti: si male amaueris, tunc odisti.

Aug. Tract. 51. in Ioan.

sui permanentes; dum virtutis riuales, seipsos & charissima quæque per odium exaggeratiùs diligunt. *Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.* De Sancta Felicitate, septem martyrum animosa matre, ita scribit Chrysologus: *Ecce mulier, ecce mater, quam vita filiorum fecit anxiam mors securam. Non est, non est vera mater, quæ nescit filios sic amare.*

Chrysol ser. 134.

4\. Matth. 2. v. 1. & 2. Matthæi 2. Cū natus esset IESVS in Bethlehem Iudæ in diebus Herodis Regis, *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam, dicentes: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum; vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Stella Magos perducens, ministra viæ fuit, non vitæ; comes Magorum, non cognata Christi, non dominantis domina, sed ancillula seruorum. Sed dicet aliquis: Quare stella. Et quare Magi per stellam ad Christum ductantur. Scilicet (respondet Chrysologus) vt per Christum ipsa materia erroris fieret salutis occasio: quemadmodum per Christum mortis caussa, caussa facta est vitæ: Hostem proprio mucrone turbare singulare est insigne virtutis. Apud Magos in culpa erat ignorantia, non voluntas: & erat in crimine non studium, sed error. Quærere Deum, & nescire quærere, insufficentia magis est, quàm reatus. Fuit ergò pium vt & Deus inuenire se quærentibus daret, & culpam deputaret errori. (Hæc omnia perstruximus cum Chrysologo, vt luculenta eius verba, ad rem peridonea exscriberemus) *Denique*, inquit, *Paulus iudicio tali de persecutore factus est prædicator: quia per zelum legis impugnabat legem, & in Deum Dei amore peccabat.* O Paule, arguam te de charitate in charitatem. Zelo diuinæ legis legem diuinam impugnas? Legis studium, euertendæ legi intentiùs militabit? Res plane insolenter mirissima, *in Deum Dei amore peccare!* Dei amor, quo in Deum Paulus peccare dicitur, vices reciprocat cum odio, & eius officia abusiuè substituit; cùm amando odit, arcana amoris in odium metamorphosi. *Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.* O nimis verè! *Si malè amaueris, tunc odisti: si benè oderis, tunc amasti.* Profectò sicut ex Gregorio, *per odium diligitur*, cùm *non de affectione, sed de charitate procedit*: sic Paulus *in Deum Dei amore peccabat.*

Paulus in Deum Dei amore peccabat.

Chrysol ser. 157.

5\. Lucæ 9. v. 23. Lucæ 9. IESVS autem dicebat ad omnes: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum.* Non vno modo exponunt interpretes τὸ *Abneget semetipsum.* Quid? seipsum debet quis diffiteri. Beda sic fatur ad præfata verba, *Abneget semetipsum. Nisi quis*, inquit, *à semetipso deficiat ad eum qui supra ipsum est non appropinquat. Vnde dicitur: Abneget semetipsum.* Nisi quis sui proditor, à se deficiens, se aduersus se inimicauerit; sibi verum bonum non amat. A se ergò deficiat, se prodat, vt se feliciter diligat.

Quiuis sui proditor sit, vt se verè diligat. Beda ibi.

6\. Tertull. l. de Resur. car. c. 12. Tertullianus disputans aduersus eos, qui carnis resurrectionem negabāt, sic acerbè pariter, ac facetè eos irridet: *Hucusque*, inquit, *de præconio carnis aduersus inimicos, & nihilominùs amicissimos eius. Nemo enim tam carnaliter viuit, quàm qui negat carnis resurrectionem. Negantes enim pœnam despiciunt, & disciplinam. Carnes sunt, & carnes oderunt.* Ecce tibi, quòd non bonus etiam amor per odium diligit.

§. LXX

Vana gloria humana fastus est, vel ambitam recusare dignitatem, si ab aliis fuisse reiectam, dignoscatur.

Hoc inhumanis rebus gerendis, aut æstimandis accidere videas licet: *Nemo sibi tantùm errat, sed alieni erroris caussa, & auctor est.* Nocet enim applicari antecedentibus, & dum vnusquisque mauult credere, quàm iudicare, nunquam de vita iudicatur, semper creditur. Versatque nos, & præcipitat traditus per manum error, alienisque perimus exemplis. Sanabimur à laciniosis vanæ gloriæ legibus, quæ sæculares mentes medullitùs occupant, & dissimulanter irrepunt in claustra; sanabimur, inquam, si modò à vulgi opinionibus separemur. Non tam benè cum rebus humanis, geritur, vt meliora pluribus placeant. Quæramus quid optimum factu sit, non quid vsitatissimum: & quid nos in possessione felicitatis æternæ constituat, non quid vulgo, veritatis pessimo interpreti, probatum sit. *Nondùm felix es, si nondùm te turba derideat.* Deridebit autem, si publicas ambitionis nugas deseris. Illæ in primis ridiculariæ, & inanissimæ sunt, si vnus ab alio recusatum acceptes, quasi ab aliorum repudio, fastigium deprimatur, & officij claritas infuscetur. Si tua, aut officij interest, vt illud administres; eccur ab aliorum repudio, potiùs squaleat, quàm citiùs à tuis meritis sublimetur. Acceptas, quod alius respuit; sed rem præclaram accepias, & quæ de improbi repulsa prænitet. Exue veritatem à vulgi opinione, & dignam virtutis personam indues. Non vulgarem rei censum, sed rem ipsam expecta; & tu potiùs vulgi ineptias ridebis, vltra populi opiniones sublimis. Quicquid secùs fecisti adhuc, mox infectum esse malles. 1. Seneca lib. de Vita beat. cap. 1.

Sapiens non sentit de vulgi sensu, qui à recto plerumque exerrat.

Publ Mim.

Lucæ 14. vt ostendat Christus à superbè diuitibus non esse inuitandos alios prædiuites, ad solemne, & sumptuosum conuiuium: sed piè pauperculos, & inualidos, (quod hìc vers. 2. Tobias præstitit) hanc coram iactauit parabolam: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Homo princeps principes homines ad magnam cœnam inuitauit. Et misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirēt, quia iam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare. Friuolas singulorum excusationes sigillatim Euangelista recenset. Quibus auditis, *Iratus paterfamilias, dixit seruo suo: Exi citò in plateas, & vicos ciuitatis; & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc hùc.* Denique peruestigant interpretes, quinam fuerint illi, qui primò inuitati fuerant, & inurbanè regalis conuiuij honorem respuerunt. Cyrillus putat fuisse *Iudæorum, Præsides, & Primates.* Satis enim est verosimile, virum principem, & prædiuitem, primates, & præsides ad lautum epulum inuitasse. Sed quid est, quòd cùm magnifici conuiuij delicias, & honores refutassent Magnates, non alios vrbis proceres, sed *pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos*, in illorum locum suffecerit? An non alij supererant è prima nobilitate, quos denuò inuitaret? fortè non omnes nobilitate præstantes, ea inurbanitate squalerent. Saltem posset aduocare quospiam ex honestis ciuibus, quos conuiuij sui honore sublimaret. *Pauperes, ac debiles, cæcos, & claudos* 2.

Hic v. 2.

Lucæ 14 v. 21.

Cyrillus in Cate...

Dignitatem quam alius respuit, vix pauper admittet.

claudos duntaxat inuitat. O sordidas viri principis conuiuias! Bellissimè Gregorius naturæ humanæ cognatum fastum hinc opportunè perstringit: Ad ea ergo verba: *Exi citò in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc*, sic fatur Gregorius: *Quia ergò venire superbi renuunt, pauperes eliguntur.* O quàm paucis multa ethicè strinxit! Quasi dicat: Exquisitæ proponuntur deliciæ in hoc diu præparato Principis viri conuiuio: magna est dignitas mensæ huic honoris caussa assidere. Quid tam expetēdum quàm deliciæ cum honore mixtæ? Ast quia deliciosa hęc dignitas semel ab aliquibus repudiata est, tantùm repulsa dehonestari creditur, vt nec honestos ciues ad eam inuitare præsumat. Inuitentur *pauperes ac debiles, cæci, & claudi*, si fortè velint hanc acceptare dignitatem turpi dehonestatam repulsa. *Quia superbi venire renuunt, pauperes eliguntur.* Sic aliorum reiectione dignitas constupratur, vilipenditur, & squalet; O vide hìc quàm ægrotet natura humana vulgatissimę ambitionis morbo! Fortè desipiunt delicatiores cibi, quia aliis oblati sunt: fortè dehonestatur honor, quia alius aut superbiæ typho elatus, aut occupationis prætextu inurbanè impeditus, illum recusauit. O humanæ ambitionis ineptias! Quis non rideat ridicularias ambitionis mundanæ leges? Sapiens vulgi sensu non sentit: quod non sapere, sed ineptire foret.

Greg hom. 36. in Euan.

3. Numer. 11. nauseat Hebræa gens ad cœlestem mannæ cibum, & rusticanè expetit cucumeres, & pepones: porrosque & cepe, & alia, Niloticos pisces, & Ægyptias carnes. Audiuit ergo Moyses flētem populū, & ait ad Dominum: Cur afflixisti seruum tuum? quare non inuenio gratiam coram te? & cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? ô quàm grauatur Moyses vnius populi principatu! Nec miror; nam vt sapiens quidam aiebat: *Rex bonus, seruus est publicus.* Et Pompeius dictitare solebat: *Magnam potentiam ambit inexpertus, odit expertus.* Ergo his verbis se principatu exonerare à Deo querulus exposcit. *Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis est mihi. Sin aliter tibi videtur, obsecro vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.* Cuius aures non peregrinentur, dum audiunt, Moysen perpetuò magnanimum, nunc imbecillè querulum, qui pusillanimitatis character est. Senes, mulierculæ, pueri, & quicquid infirmum est, querulum inde est. Quin & delicias carnium non à Moyse petierant, sed vtcumque expetierant, aiens: *Quis dabit nobis ad vescendum carnes*, &c. Et esto, eas à Moyse peterent: an non præstaret, vt populi petitionem ad Deum de more deferret, & quid facto opus sit, ab amico & familiari numine exposceret. Quid propter insanas populi querelas, munus principandi detrectat? An non tot annorum experientia cognouit, vulgi querelas esse fastigij appendices, & Dignitatis stipendium? Præterquam quòd non satis idoneè videtur disiungere, dum repudiat principatum? ait enim: Si gratiam inueni in oculis tuis, cùm vides me supra modum populi Præfectura grauatum; designa plures Subpræfectos, cum quibus partiar occupatissimi regiminis onus; sin aliter tibi videtur, obsecro vt interficias me. Profectò aliud diuisionis membrum Moyses omittit magis ordinarium, & expromptum magis, nec tam acerbum, quàm intempestiuè propriam cædem exposcere. Dixisset opinor, consultius: Aut concede mihi ad oneris leuamen, plures Subpræfectos. Sin aliter tibi videtur, obsecro vt alium ad summum principatum eligas, vt ego munere vacuus, tibi vni vacare possim, tanto regiminis pondere exoneratus. Hoc insinuat Carthusianus, aiens ibi: *Moyses a regimine populi petiit exonerari, aut mori.* Verùm Moyses non postulat prorsùs *exonerari*, *dum ait: Non possum solus sustinere omnem hunc populum.* Aut iuuamen petit, aut mortem: nec exposcit sic exonerari, vt alius eligatur ad Dignitatem, quam ipse detrectat & abiicit. Magis putat expromptum, quærere Subpræfectos, qui illum adiuuent in principandi munere, quàm inuenire, qui summum principatum a se refutatum, acceptet. Saltem cùm magis obuium esset, depositionem exposcere, id non sine moralissima caussa Moyses omisit. Illud saltem indubium est, vulgò homines pro agnato superbiæ fastu, superbissimè fastidire Dignitatem, quam alius abiecit, quod forsan hìc Moyses dissimulanter perstringit, quò has ambitionis nugas palam in aliis seriò rideamus, & detestemur egregiè. Sicut enim nuper ad delicias & honores regalis cōuiuij; *Quia superbi venire renuunt, pauperes eliguntur*, ne detrectēt acceptare munus, quod alius detrectauit. Sic videtur Moyses præcauere, ne ipso principatum reiiciente, quasi despectum Munus, alij illud vilipendio reiiciant, & acceptare recusent; & ad indignum & meritorum pauperem Munus deuoluatur. O vide, quàm sit Reipublicæ perniciosum has vanæ gloriæ nugas, ex vulgi inanissima opinione serpentes, inanissimè sectari!

Apud Corn. ibi.

Numer. 11. v. 14. & 15.

Timens Moyses ne principatum à se repudiatum alij indecorè reiiciant.

Carthus. ad ea verba.

Faciliùs inuenias qui vltrò velint, quam qui integrè possint Reipublicæ dignitates capessere. Sapientia est, quæ honores meretur, totum aliud extrinsecùs venit. Sola est enim prudētia, quæ rebus omnibus antefertur, quandò in homine feliciter inuenitur. Verùm non minor Reipublicæ calamitas est, si plures petitores Dignitas habeat, quàm si nullum. *Multos inuenimus*, inquit Cassiodorus, *excubias Palatij refugere, qui magis possunt laudabili conuersatione fulgere.* Et tempestiuè paulò pòst subdit: *Quid si reliqui fasces* (Dignitates inquā) *molestiarum tædio vitentur forte quam meritis? Nonne si à magnis viris talia fugiantur inuerecundia nostræ mansuetudinis, quandam repulsam suscipiunt dignitates.* Grande quidem Reipublicæ malum, Dignitatem repulsa dehonestari; & quæ communiter gloriosè ambitur, de vnius tædio exinceps fœdissimis exponi repulsis, qui est elationis superbiæ fastus. O homines arrogantes ridicularios, qui eiusmodi vanæ gloriæ nugas seriò adpretiant! Matthæi 21. homo ille pater-familias plantauit vineā, & sepem circumdedit ei, &c. & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est. Cùm autem per suos procuratores annuos redditus postularet, semel & iterùm eiecti extra vineam, alij atque alij procuratores à cōductoribus interfecti sunt. *Nouissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum.* Filius ne is est, qui in seruorum succedat officium? Opinor, dehonestabitur eius generositas. Opportunè Tertullianus præscripta Matthæi verba, sic ad rem exponit: *Nam & filius à Domino vineæ mittitur ad cultores, si ut famuli de fructibus petitum. Sed non propterea vnus ex famulis deputabitur filius, quia famulorum successit officio.* Imò filius securus dignitatis suæ, nil veretur in seruorum locum succedere: nec ipse seruorum officio dehonestatur, sed potius

4.

Cassiod lib. 6 epist. 10 *Æqua calamitas est, aut malos, aut neminem dignitates expetere.*

Matth. 21. v. 37.

Tertull. lib. de carn. Christi c. 14.

tiùs seruorum venustat officium.

5. *1 Reg. 16. v. 1. Basil Orat. 14.* 1. Reg. 16. Deus Saülem pertæsus, Samuëli mandat vt cornu impleat oleo, ac eat in Bethlehem: *Prouidi*, aiens, *in filiis Isai mihi regem.* Ecce Dauid inaugurandus non speciatim nominatur; Apte ad rem Seleuciensis Basilius: *Non clarè dixit: Vngatur mihi rex Dauid: ne gloriam adulteret regnantis notitia.* Scilicet vngatur Dauid in regem, antequam vllam habeat electionis notitiam, ne fortè de humilitatis & dignitatis genio, præcelsam repudians dignitatem, illum deuenustet, & augustam regni *gloriam adulteret regnantis notitia.* Sat esto leui calamo perstrinxisse Basilij sententiam, & ad eius acumen intendisse digitum.

---

§. LXXI.

Officiosior erga defunctorum corpora pietas à sanctis Patribus gloriosè prædicatur.

1. *Ambr. in lib. de Tobia c. 1.* S. Ambrosius, Tobiæ erga defuncta corpora pietatem, enucleatiùs ad imitationem expendens, ita scribit: Cùm à sepulturæ fessus reuerteretur munere (inquit) appositis sibi edendi subsidiis, misso filio quærebat consortem conuiuij. Dum conuiua accersitur, nunciatis insepulti corporis reliquiis, deserebat, nec putabat pium, vt ipse cibum sumeret, cùm in publico corpus iaceret exanime. Hoc illi quotidianum opus, & magnum quidem. *Nam si viuentes operire nudos lex præcipit, quantò magis debemus operire defunctorum corpora? Si viantes ad longiora deducere solemus quantò magis in illam æternam domũ profectos, vnde iam non reuertũtur? Nihil hoc officio præstantiùs, ei conferre, qui tibi iam non possit reddere; vindicare à volatilibus, vindicare à bestiis cõsortem naturæ. Feræ hanc humanitatem defunctis corporibus detulisse prodũtur homines denegabunt?* Multiplex his verbis ratio ab Ambrosio conglobatur, quòd Tobiæ erga defunctos pietas, supra reliqua pietatis opera præniteat. Illa præ reliquis scintillat, quòd humando defunctorũ corpora, sincerior & defæcatior beneficentia exercetur, nullis permista lucelli sordibus: datur enim beneficium, ei qui illud rependere nõ valebit: & inde gratia non deuenustatur vsurariis spei votis. *Nihil hoc officio præstantius, ei conferre, qui tibi iam non possit reddere.* Neque dũtaxat Tobias absque vlla humana spe in hac vita mortali id officij præstabat; sed etiam metu mortis: qui pientissimum virum non tam à munere pietatis absterrebat, quam extimulabat egregiè. Pergit idem Ambrosius affirmans, quòd Tobias eximiæ erga defunctos pietatis operibus, *meruit edictum nequem ex filiis captiuitatis mortuum sepulturæ daret. At ille interdicto non reuocabatur magis quam incitabatur, ne deserere officium pietatis mortis metu videretur. Erat misericordiæ pretium, mortis pœna.* Parùm foret Tobiæ ea erga defunctos pietatis præstare officia iis, qui gratiam in hac vita non possent reddere; nisi etiam cum mortis periculo eiusmodi pietatem deferret. *Erat misericordia pretium, mortis pœna*, qua *non reuocabatur magis quam incitabatur.*

Pietatis officia his præstat Tobias, qui non possunt reddere.

Misericordiæ erga defunctos pretium, erat mortis pœna.

Ambr. vbi supr.

2. 3. Regum 13. anonymus durusque Propheta à Deo mittitur ad Ieroboam Israëlis regem, esculentis ac poculentis in via interdictis. Ieiuno Prophetæ exanimalia parent elementa; qui dum prandet, præda leonis factus est. Hospitalis alter, & senior Propheta, qui illum reduxit ad prandium, re per rumorem nota, *Inuenit cadauer eius proiectum in via, & asinum & leonem stantes iuxta cadauer: non comedit leo de cadauere, nec læsit asinum.* *3. Reg. 13. v. 28.* Ferarum voracissima in custodiam cadaueris mortalissimè destinata est, & perdiu impransa hominum præstolatur humanitatem, quæ cadauer exanime sepulturæ mandet: atque leo feritatem dediscens, humanitatem induit, & (vt potest) pio funeri cooperatur. Porrò vt ex Ambrosio nuper tradidimus: *Feræ hanc humanitatem defunctis corporibus detulisse produntur, & homines denegabunt?* Hominem desuescit, & plusquam belluinos induit mores, qui in hominem extrema passum, humanus non est. *Igitur nihil mirum* (ait Augustinus) *si insit à natura humanis pectoribus singularis erga defunctos pietas & miseratio.* Cuius rei pulchram rationem paulò antè tradiderat: *Iacet, inquit, corpus exanime & gelidum, homo sine homine, cadauer sine spiritu, nemo suorum adiuuat, neque ipse auxilium postulare potest.* Ergò cùm Tobias videt vel audit iacere corpus exanime, extremam calamitatem miseratus, gelidum cadauer amplexu confouet; & cernens *hominem sine homine*, ad humanitatem animitùs excitatur: & quia nemo suorum adiuuat, surdus ad cognati sanguinis voces, (ne sanguis proprius sit humanitatis stipendium) Tobias animosior de periculo factus, mutè clamantes eius voces audit, qui auxilium postulare non potest. O quam est aurita Tobiæ erga defunctos pietas! ô quàm luctuoso mœrore angitur, *hominem sine homine* cernens! Ieiuno relictis dapibus festinat corpore, vt animi pietas ingluuie miserationis adipetur.

Cadauer, id est: homo sine homine, auxilium postulare non potest: sed calamitatis voces Tobias exaudit.

Ambr. lib. de Tobia, c. 1.

August. de Cura pro mort.

3. *Tobiæ 1. v. 21 & 22.* In huius historiæ capite 1. inhumanus Sennacherib fugiens à Iudæa plagam, quam circa eum fecerat Deus propter blasphemiam suam, iratus multos occidit ex Israël: *Tobias sepeliebat corpora eorum. At vbi nunciatum est Regi, iussit eum occidi, & tulit omnem substantiam eius.* Hinc lux affulgurat Lactantio, ita de pietatis operibus scribenti: Redimere ab hoste captiuos magnum misericordiæ opus est: item ægros pauperes visitare: atque fouere inopes & pauperes: *Si obierint, non patiamur insepultos iacere: hæc sunt opera, hæc officia misericordiæ; quæ siquis perfecerit, verum & acceptum Deo sacrificium immolabit.* *Lactan. in lib. Instit.* Et quo modo officium sepeliendi mortuos *verum & acceptum Deo sacrificium immolat*, cùm non nisi viuus illud pietatis munus exequi valeat, at sacrificium morte constat, & immolatione seu mactatione victimæ peragitur? Nisi fortè quis mortuos humando, viua sui celebrat funera. Scilicet Sennacheribi ferale interdictum vetuit sub capitali pœna, ne occisorum corpora Tobias sepeliret. Ergò dum eiusmodi cadauera sepulturæ piè Tobias mandat, mortem deuorat, eamque pietate emit: *Vbi nunciatum est Regi, iussit eum occidi.* Atque vti dixit Ambrosius: *Erat pietatis pretium, mortis pœna.* Ergò profundè ait Lactantius, forsan alludens ad hanc Tobiæ erga defunctos misericordiam: *Si obierint, non patiamur insepultos iacere: hæc sunt opera, hæc officia misericordiæ; quæ siquis perfecerit, verum & acceptum Deo sacrificium immolabit.*

Dum mortuos sepelimus, sacrificium Deo immolamus.

Ambr. supr. allegatus.

4. Matthæi 26. cùm esset IESVS in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier (Magdalena

gdalena inquam) habens alabastrum vnguenti pretiosi,& effudit super caput ipsius recumbētis. Videntes autem discipuli, indignati sunt dicentes: Vt quid perditio hæc? potuit enim istud venundari multò,& dari pauperibus. Sed attentiùs pensitemus, quid ad hasce obtrectatorias voces Christus responderit: nam ratio, quam Discipuli allegant, non parum roboris à pietate mutuatum, habere videtur. Quid molesti estis, inquit, huic mulieri? opus enim bonum operata est in me. *Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* S.Chrysostomus ita hac de re fatur: *Ideò autem Christus* (inquit) *non simpliciter dixit: Bonum opus operata est in me: sed prius posuit: Quid molesti estis huic mulieri? erudiens nos, quodcumque geritur bonum à quocumque & si non valde diligenter factum fuerit, suscipere, & augere, & fouere, & non ex principio omnem diligentiam expetere. Quisquis enim eum interrogasset; antequam fecisset hoc mulier, non mandasset hoc fieri: sed post effusum vnguentum non habet locum Discipulorum increpatio.* Prudenter sanè Chrysostomus,& in re morali aliàs valde obseruandum. Sic (vt vt potest) Magdalenam ex verbis Domini excusat Chrysostomus. Augustinus autem agens de hac pretiosioris vnguenti effusione aliter Philosophatur, inquiens: *Quisquis rebus sic vtitur, vt metas consuetudinis bonorum, inter quos versatur, excedat, aut aliquid signat, aut flagitiosus est. Itaque quod in aliis personis plerumque flagitium est, in diuina, vel prophetica persona magnum cuiusdam rei signum est.* Cuius autem rei magnum signum,& preclustre sacramētum fuerit hæc pretiosissimi vnguenti effusio, luculenter tradit Remigius, quo Magdalenæ opus egregiè ad rem præsentem commendat: *Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum: ad sepeliendum me fecit. Quia futurum erat, vt hæc mulier corpus Domini mortuum vellet perungere, & tamen non posset, quia resurrectione anticiparetur: idcircò diuina prouidentia actum est, vt viuum Domini corpus perungeret. Hoc est ergò quod dicit: Mittens hæc*,&c. Erubescant igitur aduersæ huic facto voces, quæ vnguenti pretiosioris effusioni largiorem eleemosynam præferunt: nam hæc pretiosioris vnguenti largior effusio, sepulchrale obsequium fuit erga defunctum Christi corpus præmaturè exhibitum. Non ait Christus Deus; Hoc obsequium exhibitum fuisse suo viuenti corpori quod reapse factum fuit,& re vera magnum erat; sed quia *magnum signum* fuit obsequij mox votis erga defunctum corpus exhibendum, quasi inde augustum fœneraret meritum,& idcircò ex communi æstimatione præferendum. Quasi dicat: Non tam taxetur de se hoc opus; quàm de vmbra quam gerit: adumbrat enim sepulchrale vnctionis officium, quod citò (etsi irrito euentu) hæc mulier conabitur facere. Ergò, *Quid molesti estis huic mulieri? Mittens enim hæc vnguentum hoc: ad sepeliendum me fecit. Quia futurum erat, vt corpus Domini mortuum vellet perungere, & tamen non posset, quia resurrectione anticiparetur.*

Pium opus quod quis suaderet, factum adprobet.

Matth 26 v. 12

Chrys. hom. 81. in Matth.

August. lib 3. de Doctr. Christ. c 12.

5.

Remig. apud Caten.

Laudatur effusio vnguenti, quia Christum in sepulturam vnxit.

6. In hac Tobiæ historia cap. 1. vers. 20. ita de eo scribitur: *Et mortuis atque occisis sepulturam sollicitus exhibebat.* Pro τὸ *sollicitus*, translatio Arabica exscribit, *cum angore.* Et in hoc capite vers. 5. *Cum occultasset corpus*, (mortuum, quod ad sepeliendum baiulauerat) *manducauit panem cum luctu*, &c. Scilicet funeris officium vultus sui mœstitudine præpropere Tobias celebrat: & facie

Tobiæ 1. v. 20

Arabs.

Hic v. 5.

Cognatorum vultus sit ebari defuncti sepultura

oculisque arcanè funerat. Geneseos 25. morienti Ismaëli adest numerosa fratrum suorum turba: *Coram cunctis fratribus suis obiit.* Quæ verba ita exscribit,& exponit Caietanus: *Iuxta Hebræum habetur: Super facies omnium fratrum suorum cecidit.* Scilicet moriens Ismaël cecidit, obiit, seu sepultus est super facies contribulium, & cognatorum suorum. Pium sanè,& honoratium præmaturè sepulchrum! Cognatorum vultus esto chari pignoris anticipata sepultura. Vultùs præferat pignus, quod animitùs condit.

Genes 25 v. 18.

Caiet. ibi.

Deuteronomij 34. *Mortuus ib* (in monte Nebo) *Moyses seruus Domini, in terra Moab, iubente Domino: & sepeliuit eum in valle terræ Moab.* Ad quæ verba ita scribit Petrus Damianus. *Sed quid est quod Moysi corpus ipse per se Dominus sepeliuit?* Ipse per seipsum Deus mortuos sepulturæ mandat? O Tobiæ pietatem ministeriali quondam Dei officio piè augustam! Esto per Michaelem id præstiterit Deus; (vt plures autumant) minor est, sed sublimissimus honor Tobiam Angeli munus de pietate erga mortuos æmulari. 7.

Deut 34. v. 5. & 6.

Petr Dam. ser. 2.

Deus sepulturæ mandat Moysen.

Isaiæ 26. *Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te.* Quæ verba ita Tertullianus exponit: *Populus meus, introite in cellas promas quantulum, donec ira mea prætereat. Sepulchra erunt cellæ promæ..... Quia in cellis promis carò salita, & vsui reposita seruatur depromenda illinc suo tempore. Proinde enim, & corpora medicata condimentis sepulturæ, mausoleis, & monumentis sequestrentur, donec ira pertranseat.* Scilicet parum foret, quòd sepulchrum esset mortis asylum; etiam iræ diuinæ asylum est. Tametsi *nec ipsa monumenta aliud quàm cadauerum stabula.* 8.

Isaiæ 26. v. 20.

Tertull. de Res. carn. c. 27. & 37.

§. LXXII.

Sicut legis,& legislatoris honor, adulatur obsequio: ita præceptionum contemptus, præuaricationem subornat.

NAturæ est, potentioribus deteriora submittere. Multis quidem gregibus, aut maxima corpora præsunt, aut vehementissima. Non præcedit armenta degener taurus, sed qui magnitudine, ac totis cæteros mares vicit. Elephantorum gregem excelsissimus ducit. Inter homines pro sūmo est optimus. Animo itaq; Rector olim eligebatur. Ideóq; summa felicitas erat gentiū in quibus non poterat potentior esse, nisi melior. *Tantū en in quantum vult potest, qui se nisi quod debet, non putat posse.* Perierunt omnia, vbi quantùm suadet luxus, ambitio, ira, sublimior Rectorum fortuna sibi permittit: nec diù potest, quæ multorum malo exercetur, potentia stare. Subditi optimum suspiciunt, despiciunt deteriorem. Præfecti imperita improbitas, refractarios facit, & inobedientiam subornat. Violenter summus mediano, aut infimo paret, probus improbo, sapiens ineruditō, fortis ignaro. Præmia Præfecti æstimatio, adulatur obsequio. Male subiectus erit subditus Superiori, quem sibi inferiorem iure censet. Æstiment vt illi subiiciantur, cui male subiicientur, nisi æstiment. Quasi æstimatio, sit obsequij census, & arcana regiminis politia. Facilis subiectio, de honore Superioris constat. 1.

Quantùm vult potest, qui nisi quod debet, non putat posse.

Seneca Epist. 91.

Matthæi 11. Christus Deus miseram hominum vicem miseratus, his verbis,& re verborū, eos re- 2.

 creare

creare studet: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos.* Peccatores proculdubiò allicit, quos sæculi sarcinis videt onustos. Asperum enim sæculare iugum, & durum seruitutis pondus est, subesse temporalibus ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus. Dum enim contra votum cuncta fugiunt, quæ priùs mentem ex desiderio adeptionis affixerāt, post ex pauore amissionis premunt. Sed quomodo legis difficultatibus laborantes, & peccati sæculi oneratos ad se CHRISTVS vocat, vt illos reficiat, & exoneret; si mox addit: *Tollite iugum meum super vos.* Tam leue est Euangelij iugum, tot præceptis, & cōsilijs pergraue, vt non tantùm non premat, sed & reliqua pondera pondere suo alleuet; Et quomodo tot mandatis, & consiliis parere, graue non erit. Homo peccati fomite instigatus, toto concupiscentiæ pondere in contrarium incumbit, & præceptionibus obluctatur, & Euangelij iugum *suaue* dicitur, & grande onus, *leue* nuncupatur; Ecquid graue onus, *leue* facit; ècquid asperum iugum reddit *suaue*; Bellissimè inibi Strabus Fulgendus: *Tollite iugum meum super vos id est, in honore habete, non subtùs, vt contemnatis.* Quasi dicat: Perspicuum est, quod Euangelij iugum, tot præceptis, & consiliis graue, humanam imbecillitatem in voluptabilia procliuem valde degrauet: ast si Euāgelij leges, & Legislatoris consilia *super vos tollitis, id est, in honore habetis; non subtùs, vt contemnatis, iugum suaue erit, & onus leue.* Qui Superiorem parui pendet, & eius præceptiones contemnit, valdè ad obsequium grauatur; nec ducitur, sed rapiatur, reluctante animo, depretiationis genio ad id instigante. Verùm si debitæ subiectionis onera, non ponitis *subtùs, vt contemnatis*; sed *super vos tollitis, & in honore habetis*, adeò erit procliue Rectori magno, & optimo subesse, & illius præceptionibus subiici; vt graue alioqui onus, onere vacuum sit, iugum suaue, & onus leue. Sic præuia æstimatio subornat ad obsequium! quasi facilis obedientia, sit æstimationis sequela, & subiectionis census. Qui super se præceptiones tollit, vt honoret; non subtùs, vt contemnat, facilè, & promptè totam subiectionis œconomiam implet. Sic Superioris æstimatio, parendi difficultates exornat; legem habere suprà caput, obedientiæ blandimentum est: sicut suprà caput habere legis violationem, acre supplicij proritamentum, & damnationis reatus.

[Matth. 11. v. 28. & 29.]

[*Legis honoraria æstimatio, facili obsequio blanditur.*]

[Strabus ibi.]

3. Geneseos 40. constantioris pudicitiæ reus, in tertium carcerem Iosephus detruditur: detruduntur etiam duo Pharaonis serui, alter Pistorum, alter Pincernarum magister; ob neglectas aulici muneris delicatas leges, suspicantur Hebræi. (Sed ingratiæ Principum quis caussas rimetur; quibus sæpè libido pro ratione est.) Dormit vterque, dū profundus mœror somnos conciliat; sed somnia inquietant sollicitos. Somnia futuri euentus præsaga, Iosepho referunt, qui in singulorum somniis interpretationem velut inscriptam, incunctanter legit, & sigillatim renunciat. Pincernarum magistro fausta prædicit; Pistorum verò Præfecto infesta præsagit. Ecce tibi infaustum somnium, & infelicem somnij interpretationem. *Et ego vidi somnium, quòd tria canistra farinæ* (*perforata* habetur in Hebræo) *haberem super caput meum: & in vno canistro, quod erat excelsius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, auesque comedere ex eo. Respondit Ioseph: Hæc est interpretatio somnij: Tria canistra, tres adhuc dies sunt, post quos auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.* In confesso omnibus est, quòd Ioseph cœlitùs afflatus, hæc sit somnia interpretatus; sed curiosiùs scrutari licet ad mores, quid ipsis somniis insit, vt Pincernarū magistro fausta, Pistorum præfecto infaustissima præsagierit. Scilicet vterque in re sui officij præuaricatus est, aulicas leges scelestè violans: at Pincernarum magister, suæ præuaricationis materiam *vidit in manu sua*, quod humanum est, (quis est tam perfectus, qui non aliquandò leges opere violet?) At Pistorum magister, non in manu, sed *super caput suum* videt suæ præuaricationis elogium, & aulicarum legum violationem. Qui autem non legem; sed legum contemptarum insigne gestat in capite, & violationem impudenter suspicit, & honorat, confestim reus mortis petitè renunciatur. Quod his verbis non obscurè innuit Lipomanus in mystico sensu sic aiens: *Tria canistra* (farinæ plena, & quidem *perforata*) *super caput eius, quid aliud significant, nisi diuina legis eloquia?* &c. Qui legem violatam gestat in capite, violationem, non legem suspicit, non legislatorem, sed præuaricationem honorat. Quis legis, & legislatoris contemptum portat in capite, quasi omnium præuaricationum reus, & legum omniū refractarius, dignè pœnalissimi supplicij sententiam audit: *Tria perforata canistra* (*super caput tuum*) *tres adhuc dies sunt, post quos auferet Pharao caput tuum, & suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.* Nempè venia dignus est, qui imbecillitate humana legem violat, & violatæ legis insignia gestat in manu. Atqui impudenter elatus, sic legislatorem contemnit, vt laceratæ legis insigne, sic honorat, vt illud supra caput contemptim portet, quasi omnium præuaricationum reus sistitur, & seueriori supplicio mulctatur. O bonam eruditionem, de consultissimi Iosephi gymnasio, & subditis, & Præfectis, & electoribus in primis necessariam!

[Gene s. 40. v. 16.]

[*Qui contemptum legis supra caput portat, omnium præuaricationum reus habetur.*]

[Suprà v. 11.]

[Lipomanus ibidem.]

4. Tobias hîc vers. 4. contemptum Tyranni edictum, habet in manu, & supra caput tollit: & cap. 1. vers. 6. legem Dei sui suprà caput portat, vel legis apices exactissimè adimplens, toto animi adnisu. *Nam leges* (vt definit Philo) *sunt appendices rationis rectæ à natura nobis insitæ, sicut & ciuilis vir auctarium est iuxta naturam viuentium.* De quo forsan alibi.

[Hic v. 4.]

[Philo in lib. de Ioseph.]

5. Ioannis 11. mortuo iam Lazaro, serus auxiliator CHRISTVS videbatur adesse. Gemunt tarditatem sorores, dum CHRISTVS illacrymans ad resurrectionē festinat. Omnes ergò pariter veniunt ad monumētum, erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei. *Tulerunt ergò lapidem: IESVS autem eleuatis sursum oculis, dixit: Pater gratias ago tibi quoniam audisti me.* Eleuat oculos *sursum*, vt obsequij deuotione honoret Deum, cuius imperio totus impenditur: & insimul vt nobis formam supplicandi tribuat, non sibi viam præparet impetrandi: namque sursùm respicit, qui semper est sursùm cum patre, semper pater cum ipso est, & ipse est semper in patre. Chrysologus elucidans præscripta verba; *IESVS autem eleuatis sursùm oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me*, sic argutè scribit: *De præstito agit gratias, & quod Pater audierit, hoc dicitur; quod filius petierit, hoc tacetur.* Quæ verba ad aliud forsan lemma expendentur, ea nūc perstrinxisse

[Ioan. 11 v. 41.]

[*Quando eleuatis sursùm oculis Superior auditur, ibi charitas consensus est, non asperis ac iussionis.*]

[Chrysol. ser. 65.]

xisse sufficiat, ne sequentia importunè demoremur. Ergò pergit Chrysologus ad rem: *Inter Patrem, & Filium audiendi est affectio, non est necessitas supplicandi. Charitas assensus est, non est austeritas iussionis: ibi amore geruntur omnia, vbi non indigetur obsequio.* Scilicet Christus voluntati paternæ totus impensus, *eleuatis sursum oculis*, operis faciendi facit auspicium, debitam Patri reuerentiam obsequenter exhibens: exindè etiam charitate opus exequitur: nam *charitas assensus est, non est austeritas iussionis.* Ecce tibi, vbi *eleuatio sursum oculis*, amoris, & reuerentiæ caussa, iubentis nutus attentè captatur, *assensus est, non austeritas iussionis.* Quare reuerentialis charitas, *assensus* dicitur præceptionis, non *austeritas iussionis.* Profectò *iussio* ipsa, quam *eleuatis sursùm oculis*, ad reuerentię, & honoris documentum, subditus excipit; planè *assensus* est, & indiuidua mentium consensio, non *austeritas iussionis*, de renutu obsequium auertens. O! si magni æstimas, & *eleuatis sursùm oculis* suspicis iubentem, vel molestior *iussionis austeritas*, charitatis *consensus* erit, concordiæ nexus, & pergratus iudiciorum concentus, quem nullus perimet inobedientiæ renutus. Exinde Christus obedientiæ typus, *eleuatis sursùm oculis*, Patris nutum expectat: nam eiusmodi charitas, etsi ad voluntatem spectet. *Assensus est, non austeritas iussionis.* Alto planè stylo de more Chrysologus!

6. Exhodi 8. ex aquis educit ranas Moyses, educunt, & Magi. Et extendit Aaron manum, percussitque puluerem terræ, & facti sunt sciniphes in terra Ægypti. Feceruntque similiter malefici incantationibus suis, vt educerent sciniphes, & non potuerunt. *Et dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus Dei est hic.* Hieronymus exponens hæc verba, sic doctè scribit: *Iste est digitus, quem confitentur, & Magi, dicentes: Digitus Dei est iste; quo tabulæ lapideæ scriptæ sunt in monte Sina.* Nempe eodem digito, quo Ægyptij seueriùs puniuntur, eodemmet digito Israëlitis leges scribuntur. Ille ipse *digitus*, qui viuam supplicij legem in Ægyptiorum corporibus impressit, posteà legem emortuam Hebræo populo in tabulis lapideis descripsit. Scilicet præambulo supplicio legis tabulę exarantur, vt idem *digitus*, & scelerum vindex, & legis scriptor mundo intimetur. Præeat legis scriptioni, flagitiorum inflicta pœna, sæculis pauore notissima; vt qui formidarunt *digitum* Ægyptios punientem, expauescant leges Israëlitis scribentem. Honoret supplicij acerbitas, quod humana transgressio contemnit.

Exhod 8. v. 19. Eodem digito punitur Ægyptus, & lex Israëli datur. Hieronym in Matth. c 12.

§. LXXIII.

Qui securus est, magis timeat: quia dum timet, magis securus est.

1. NEmo tam timere debet, quàm qui nihil timet, licet desit timendi caussa. Hinc decantatissimum illud: *Quisquis Regum pacem volet, arma paret.* Securitas sic ignauescit, vt strenuos vel ignauis hostibus animos ingerat. Quis timeat adoriri securum, & ipsa securitate inermem, imparatum, inertem? Time timeri: sed non timere, magis time. Scio verum semper illud: *Desines timere, si sperare desieris.* Sed qui sperare non desinit, cur deponit timorem, fidum bonorum comitem, & legitimam prouidentiæ sobolem. Feræ, pericula quæ vident, fugiunt: cum effugere, securæ sunt, sed mentita securitate capiuntur, quia visa tantùm pericula fugiunt, inuisa non præcauet. Homo verò cui oculatior mens, & attentior prouidentia inest; præterita ad cautelam retrospicit, præsentia peruidet, & futura cautè rimatur, ne improuisum opprimat inopinata calamitas. Nemo sine hoste feliciter viuit, quia inuidia felicitatis sequela est. Quis inter hostes versetur securus, nil ab hostilitate timens! O, time securitatem, quæ te cuiusvis arbitrio exponit! Huiusmodi ignaua securitas, nõ est tranquillitas, malacia est, quæ te periculis sistit. Qui nescit timere, præcauere nescit, quod timet. Qui hostilitatem non timet, timeat securitatem.

Scrib. 2 lib. Politico. Christ c. 37.

Seneca epist. 5.

Time non timere.

2. Geneseos 22. improles diù Abrahamus, senex pater esse iubetur; & deuotione citiùs quàm generatione, optimi filij pater appellatur. Nil non gratum in Isaaco adolescit: indiuiduus parentum amor, dulces in filiolo vices reciprocat. Crescit de naturæ inopia, diues opum hæres, fidei pignus, & promissionum obses. Puer gratiarum manibus factus, pietatis indole, & virtutis moribus, indiès magis parentum sauciabat amorem: cùm vnicus hic filius ad familiæ principatum à Deo datus, à Deo reposcitur ad victimam: cui si per humanam fragilitatem aliqua in corpore infirmitas nasceretur, aut humanus exitus contingeret, vix in eius casibus pater viuere potuisset, si annis teneris moreretur. Sed deuotio in Deum, prævalet erga naturam pietati; & Abrahamus gratiæ officiosus, leges naturæ nescit. Alacer imperium suscipit, & quantocyùs præcingitur ad obsequiũ, ne ab aliqua obsequendi mora hostia deuenustetur. Expromptior adest Isaacus, & vltronea victima præcurrit ad aram, ne trahi videatur inuitus. Tunc religiosus carnifex, charam hostiam priùs ligat, & ritè in altari reponit. *Cumque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum.* O superuacuam deuoti patris cautelam! Quid fune ligas, qui pietatis funiculis arctiùs religatur? Quid strictè vincis, qui piis obsequij vinculis stringi præcurrit? Immolandi filij vota piam patris diligentiam anteuertunt, & adhuc eum quasi inuitum cautè illigas? Puto, quantùm hæc vinctio largè adiicit obsequio patris, tantùm filij deuotioni auaræ detrahit. Abrahamus suum illigat Isaacum, quia filium refugam timet? Imò arctiùs vincit, quia securus est, quòd debito obsequio minimè reluctabitur. Audi Zenonem Veronensem, qui magnam sententiam breui sermone strinxit eleganter. *Cumque alligasset Isaac filium suum, &c. Securus enim pater optimus timuit.* Quid timeat, qui securus est, nisi ipsam securitatem? Scilicet securus erat Abraham de filij deuotione, & obsequio, nec cauendum putabat, ne spõtanea hostia refuga resiliret. At vsque adeò securus erat, vt de ipsa securitate timeret: tutior securitas, suspecta illi fuit, alligatque filium, ne videatur incauta: *Securus enim pater optimus timuit.* Quasi securitas timorem pariat, dum timendi caussam asciscit. O time securitatem, de qua periculum enasci solitat, quod illam inquietet! An non hìc vides Tobiæ cognatos magis sollicitos esse de Tobiæ securitate in humandis corporibus, quàm de eius periculo, dum ad necem sollicitiùs quærebatur?

Dum securus est Abraham magis timet.

Genes. 22. v. 9.

Zeno. ser. de Abraham.

Hic v. 8.

3. Desæuierat iam Noëticæ eluuionis diuturnior procella, mundo naufrago. Ast dum homines diluuio

luuio superstites, periculum memoria versant, pauidè timent tempestatis horrore, inertesque ab humanis operibus ignave cessant, ne non sibi, sed alij locupletando naufragio laborent. Sic adhuc hærebāt attoniti! Apparet Noëmo Deus, & ipsius filios cū tota posteritate, bono animo esse iubet, & non futuri exinceps diluuij, cœleste signum offert, quasi diuinæ promissionis obsidem, & opulentum serenitatis latæ fideiussorem. *Arcum* Genes 9. v. 13. 14. & 15. *meum*, inquit, *ponam in nubibus cœli, & erit signū fœderis inter me, & inter terram. Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus: & recordabor fœderis mei vobiscum .... & non erunt* *Signum non futuri diluuij in nubibus datum securitatem vindicat, dum illam humanitùs inquietat.* *vltra aqua diluuij.* Diuino fœdere anxius hominum tranquillatur metus, & diluuij vltra non futuri, læta succedit securitas. Sed timeo, ne securitas, timoris expultrix, timenda iam sit, & sibi homines cauere debeant ab ipsa securitate: plerumque enim certior periculi remotio lenocinatur periculo; nec satis tutus esse putatur, qui nimis tutus est. Verùm enimverò attentius explorari debet securitatis signum, quod Deus hominibus offert, quod (vt opinor) miràs spirat: *Arcum*, inquit, *meum ponam in nubibus cœli, & erit signum fœderis*, &c. Arcus ne signum erit perpetuæ pacis? bellico signo securitas designatur? Sed cur securitatis signum, in *cœli nubibus* Deus descripsit? (quod alibi aliorsùm expendebamus) Scilicet sic rem recentior interpres, antiquiori æuo dignus Iacobus Tirinus ibid. litteralissimè meditatur: *Arcum meum*, ait, *ponam in nubibus, &c. In nubibus; quia è nubibus aqua delapsæ fuerant, & inde rursùs metuendum erat diluuium.* Arguté quidem ad mores, sicut litteralissimè ad textum! Nimirum tranquillæ serenitatis signum Deus in nubibus cōsultissimè ponit, non futuri vltrà diluuij; quia *è nubibus* diluuij *aquæ delapsæ fuerant, & inde rursùs metuendum erat diluuium.* Videant homines, sed in nubibus videant, certum securitatis signum; & ne illis pacata securitas pericula suspecta sit, in securitatis signo descriptam legant, vnde nuper naufragium mundo venit, vnde *rursùs metuendum erat diluuium.* Scilicet saltem inquietetur certior securitas, transacti periculi memoria recenti ne nimia securitas, periculi suspecta sit: relegant periculum in periculi securitate, vt quantumvis securi, adhuc timeant periculi caussam, quam in signo securitatis inscriptam legant. Sic iners securitas suspecta est apud homines latentis periculi; ô, tranquillat periculi metum, quisquis quadantenùs securitatem inquietat! Securitas deses ad magna pericula inerter oscitat, sollers timor, vel leues timendi caussas præcauet, & diligenti cautela anteuertit. Vis non timere? time, quasi securitas, de periculi timore, securitatis elogium mutuetur.

4. Matth. 14. v. 29. & 30. Matthæi 14. Discipuli sæua tempestate iactati, spectato Christo super maria ambulante, quasi de viso spectro magis turbantur. Dixit autem Petrus: Domine, si tu es, iube me venire ad te super aquas. *At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam vt veniret ad IESVM. Videns autem ventum validum, timuit: & cum cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine saluum me fac.* Satis ad Deum trepida, satis ad diuinas virtutes hominis est imbecilla natura: nec talem se in caussa inuenit, qualem se æstimat ante caussam: & satis se ignorat antequam se rebus probet, & experiatur exemplis. Petit cœlum, petit alta, sublimiora scrutatur, confidit animosè dum suprà vires excelsè audet, ambit fidei subire verti- *Petrus per vndas incedens, ante de lapsu supplicat, quàm de incensu gaudeat.* cē, sed arduas in vias vbi incedere humanis gressibus inchoat, & cùm suam deorsum respicit ad naturā, non tantùm de animositate fidit, quantùm trepidat de ruina, eo magis de Deo secura, quò de sua imbecillitate magis timet. Limato ingenio & eloquio, sic ad præfata Matthæi verba scribit Chrysologus: *Sic Beatus Petrus cùm per æquora diuinos imitatur incessus, & nouus viator molle iter duris gressibus calcat, ante de lapsu supplicat, quam gaudeat de donato.* Petrus sui oblitus, Chrysol. ser. 90. & fide animosus, liquantes maris vndas vestigio firmo proculcat intrepidus, & alieno elemento quasi proprio fidenter abutitur. At sospitatem humano timore firmat: & dum *ante de lapsu supplicat, quam gaudeat de donato*, in naufragio portum inuenit, & de periculo suppliciter deprecato, periculi fabricauit asylum. O tuam imbecillitatem humanitùs time, vt fidei animositate piè audax suprà humanas vires cœlitus præsumas. Præuia tuæ infirmitatis cognitio, non est fidei titubatio, sed præambulum fiduciæ præsidium. Quantùm tibi detrahis vitium, tantùm adiicis diuinæ potentiæ. Time à te ruinam, vt vel de obtenta sublimi felicitatę securè gaudeas. Humanæ imbecillitati gratulandum foret de humano timore, qui arrogantem præsumptionem excutit, & agnatam humilitatem ingerit. *Sic Petrus cum per æquora diuinos imitatur incessus, & nouus viator molle iter duris gressibus calcat, ante de lapsu supplicat, quàm gaudeat de donato*, quasi præuius timor sit securitatis obses, & pignus sospitatis. Sic spes in diuina virtute, de imbecillitate humana robustiùs armatur. O te time, ne quid quod timere possis, tibi vnquam accidat. Ergò qui securus est, magis timeat, quia dum timet, magis securus est.

5. Bellissimè S. Cyprianus in re continentiæ, ita ad lemma præsens tempestiuus fatur: *Nec quisquam sibi proponat, habere volo quod vincam: hoc est dicere, volo viuere sub ruina. Quis tam stultus, vt arctari velit ad laborem, cui offertur delicatus triumphus?* Delicatè, & placidè triumphat, qui pugnæ timore armatur ad prælium, aut consultissima fuga, dum hostes frustratur, illos detriumphat. Cyprian. de singul. Cler. *Timor reportat delicatum triumphum.*

§. LXXIV.

Martyrium, exaggeratius gratitudinis, & perfectionis arbitrium censetur.

1. INgratus vnus miseris omnibus nocet: nam malignum, seu illiberalem fieri, maximè ingrati docent. Hæc autem beneficij inter duos lex est. Alter statim obliuisci debet dati, alter accepti nūquam. Profectò cùm fraus sit accipere, quod non possis vnquam reddere, nullo magis Cæsarem Augustum demeruit, & ad alia impetranda facilem sibi reddidit Furnius, quàm quòd cùm patri Antonianas partes secuto veniam impetrasset, dixit: *Hanc vnam Cæsar habeo iniuriam tuam: effecisti, vt viuerem, & morerer ingratus.* Nimirùm dum se fatetur oppressum, tanti beneficij mole, cui obæratus erat; gratus beneficij interpres euasit; indéque gratitudinis pensionem ferè soluit, vnde se soluendo non esse, ingenuè confessus est. Verùm tametsi Deus, deitatis titulo, quo infinitè beneficus erga homines est, hanc velut iniuriam generosam homini irrogare videatur Publ. Mim. *Grande beneficium, sæpè ingratos reddit, aut facit.* Seneca lib. 2. de Benef. c. 25.

tur, vt largiùs benefaciendo effecerit, vt *viuat & moriatur ingratus*: siquidem impar est homo omnis boni per se indigus, & quem plures etiam gratiæ identidem acceptæ effugiunt, impar, inquam, est tot beneficiorum gratitudini; curiosiùs tamen disquirere oportet, an tanta sit Martyrum prærogatiua, & martyrij excellentia, vt gratitudinis debito Deo exoluerint.

2. Regius Vates Psal. 115. cùm attentiùs animaduertit se translatum de pera ad purpuram, de virga ad sceptrum, de opilionis tugurio ad superbũ palatium, de postremissimo fratrum, ad natu maximi dignitatem: felici, & numerosa sobole auctum, tot victoriis triumphalem, tot spoliis opulentum, in tot etiam calamitatibus leniter patientem, & amica Dei familiaritate dignum; ardenti gratitudinis voto in hæc verba Propheticè

Psal. 115. v. 12, 13 & 15. erupit: *Quid*, inquit, *retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi.* (Diligens & attentus adnota quid ipse sibi confestim respondeat, quò non tantùm Synagogam, sed etiam Ecclesiam erudit) *Calicem salutaris* (alij *salutationum*) *accipiam: & nomen Domini inuocabo..... Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Non sum nescius multimodè hæc verba ab Interpretibus exponi. Hæreo Augustino, cui plures hærent,

August ibi. ac τὸ *pro omnibus, quæ retribuit mihi*, interpretatur de Christi Dei passione, & τὸ *calicem salutaris accipiam*, pro martyrum passione, de Christi imitatione suscepta: *Quia prior*, inquit, *passus est, dat imitari passiones suas: & ideo pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Verùm enim verò tametsi pretiosa sit in conspectu Domini mors Sanctorum eius & passionis calix vltrò à martyribus susceptus, & ad fæces vsque sææ tyrannidis exhaustus: dubitari adhuc potest

Martyr Christo debet quod ei debere desierit. an satis idoneè dixerit Propheta: *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi; calicem salutaris accipiam.* Num qui passionis seu martyrij calicem accipit, æquale Christo Deo retribuit, pro omnibus, quæ illi Christus passione sua illi tribuit. Quis augustissimum Dominicæ passionis beneficium, cui tota hominum natura soluendo non est, atrociori etiam passione persoluat. Tam opulentè pretiosa est martyrum passio, vt summo Dominicæ passionis beneficio satisfacere queat. O viderit Propheta, ne dum quantò martyrum sublimat merita, tantò Dominicæ passionis infinitum valorem extenuet! Quo igitur pacto non inidoneè dixit Psalmographus: *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi. Calicem salutaris accipiam..... Pretiosa in conspe-*

Tertull. l de Resur. car c. 8. *ctu Domini mors Sanctorum eius.* Valdè fallor, nisi hoc adludere videtur Tertullianus, de Martyrum carne ita alto stylo, & subtili ingenio fatus: *Supplicijs erogatur enixa reddere Christo vicem moriendo pro ipso; & quidem per eandem crucem sæpè, ne dum per atrociora quoque ingenia pœnarum*, (pergit adhuc propiùs ad rem) *Ne illa beatissima & gloriosissima, quæ potest apud Christum Dominum parere debito tanto, vt hoc solum debeat ei, quod ei debere desierit: hoc magis vincta, quò absoluta.* Quid illustrius; Profectò quamuis pœnalissima martyrum mors, ne longo quidem interuallo possit cum Christi morte conferri quod attinet ad rationem meriti: at certè quod grati animi officium ab ipsis videbatur exigere, scilicet vt vitam pro illo offerrent, qui pro ipsis mortem subiisset, id, qua ratione homo potest, Martyr persoluisse censetur, (etsi reapse nunquã integrè soluat, nec soluere possit) Cumque Tertullianus hìc agat cum Psalmista de gratitudinis debito; huic satisfecisse quodammodò videtur, qui vitam pro vita Christo reddidit; quid enim amplius potest? Sed cum ex Christi benefica gratia, debitum quo potuit modo soluat, nouum inde contrahit debitum, nempè quod à priori quodammodò liberatus sit: *Debet enim, ei, quod ei debere desierit*, (modo nuper dicto) inde nouum contrahens debitum, vnde credi poterat exolutum: exindéque ipsa solutione arctiùs vincitur, eóque magis astringitur, quò magis absoluitur; cùm hoc magis *debeat ei, quod ei debere desierit.* (quo sensu nuper exposuimus) Peregiegiè quidem Tertullianus. Non vnam duntaxat, sed plures mortes Tobias hìc Deo obtulit; cum toties mortis pericula pro pietate, & religione subijt, præproperè Christo venturo gratus. Hic vers. 8.

3. 1. Petri 3. quantùm debeamus Christo pro nobis in cruce atrociter patibulato, & diram passionem pro nobis vltrò subeunti, his verbis proponit Apostolus: *Christus semel pro peccatis no-* 1. Petri 3. v. 18.

stris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu. Non tantùm vt homines tanto exemplo extimulati, *sequamur vestigia eius*; sed etiam vt tanto benefactori grati, ambiamus vitam pro eo profundere, qui nobis mortem exoptauit, & in crucis patibulo vitam acerbissimè consummauit. Hinc Christiani nascentis Ecclesiæ ad atrociora martyria auidissimè hiabant, vt vitam, quam pro illis Christus obtulerat, pro illo morientes (vt vt possent) repensarẽt, & opulentã gratiam Christi morte illis acquisitam quodammodò compensarent. Opportunè Eusebius Emisenus, de Maximo, qui fuit sanctitate præclustris, spirans Ecclesiæ columna, patientiæ simulacrum, vitæ exul, & viuus martyr, sic de eius doctrina, & exemplis fatur, cuius potiùs verba in Christum cruci affixum adspectu ad martyres quadrant: *Et quicquid ab vno ad vniuersorum* martyrum *gratiam peruenisset, rursùm ab vniuersis ad vnius gloriam reuertebatur: & quasi nobilitas aquarum, ad fontis magnificentiam redundabat.* Quid vltrà potuit Martyris caro, *enixa reddere Christo vicem moriendo pro ipso*, nisi vt gratia morientis Christi, in Martyres repercussa, quæ ab vno ad vniuersos venit, rursùs ab vniuersis ad vnius gloriam vbertim rediret. *Ne illa beatissima & gloriosissima martyris caro, quæ potest quod Christum Dominum parere debito tanto, vt hoc solum debeat ei, quod ei debere desierit.* Dum quomodo potuit vicem reddit. Dicat ergo rex Christus Martyrum cuique, cui generosam martyrij dignitatem contulit; *At tu eo nos obligasti munere, quo tibi putabamus omnia reddidisse*, (*Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi.*) *Inde amplificando debitum, vnde forsan credi poterat absolutum.* O sumptuosior Martyrum gloria, quæ potuit parere debito tanto!

1. Petri 3. v. 18. *Gratia quæ ab vno Christo ad vniuersos martyres venit, rursum ab vniuersis ad vnius gloriã reuertitur.*

Emisen homil. de Maximo.

Cassiod lib. 1 var. epist. 3

4. Tertullianus in Apologetico aduersus Gentes, latè producit vtilitates, quas ex Tyrannorũ persecutionibus martyres demetunt, vberi sanctitatis, & beatitatis prouentu. Sed Christianis obiiciebãt Gentiles: *Ergo cur queritmini quòd vos insequamur, si pati vultis; cùm diligere debeatis per quos patimini quod vultis?* Respondet Tertullianus: Planè volumus pati, verùm eo more, quo & bellum miles? vincens in prælio gaudet, qui de prælio querebatur; quia & gloriam consequitur, &

Tertull. in Apolog c 50. *Deo, & Tyrannis gratus Martyr existit.*

& prædam. *Ea victoria habet & gloriam placendi Deo, & prædam viuendi in æternum.* Et postmodum subdit ad rem: Illa ipsa martyrum obstinatio, quam exprobratis, magistra est. Quis enim non contemplatione eius concutitur, ad inquirendum, quid intus in re sit? Quis non vbi requisiuit, accedit? *Vbi accessit, pati exoptat, vt totam Dei gratiam redimat? vt omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat? Inde est quòd ibidem sententiis vestris gratias agimus, vt est æmulatio diuinæ rei & humanæ: cum damnamur à vobis, à Deo absoluimur.* Plura grati animi in martyribus erga Tyrannos, exempla, enarrat Heraldus ad ea Tertulliani verba. Et Martyr in victoria, quam de sæuo carnifice reportat, *habet gloriam placendi Deo, & prædam viuendi in æternum.* Exinde Martyr gratus in Deum est, nam propè totam eius gratiam martyrio redimens; hoc ei debet, quòd ei quodammodò debere desierit. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? calicem salutaris accipiam*; & durè patiendo gratanter exhauriam. Quin & peruerso gratus officio, Tyranni *sententiis gratias agit*, per quem se intelligit æternis gaudiis feliciter consecrari.

Heraldus ibi.

5. Genesis 2. homo recens creatus hoc præceptū simul cum pœna transgressionis, de ore Dei audit: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Violat refractarius præceptionem, perdiu mortalis viuit: & Abel iustus mortalium primus moritur: *Consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Hinc peridoneè quærit Theodoretus, *Quare, cum Adam peccasset, Iustus Abel primus mortuus est?* Respondit ipse sibi, quo solet ingenij acumine: *Si Adam prior obiisset, firmiori fundamento mors niteretur, primum mortuum excipiens peccatorem. Quia verò primum recepit eum, qui iniustè occisus erat, dubium fundamentum habet.* Videre mihi videor pugnare vitij nequitiam cum probitate virtutis, vtra prior ponat pulchræ mortis fundamentum, illique cruentè felix Iustorum mors adscribatur. Vitium pro se allegat, prænaricatori dictum: In quacumque die comederis, *morte morieris* cum tota posteritate. Virtus autem considerans, quàm sit apud Deum *pretiosa mors Sanctorum eius*, pro virili contendit hanc prærogatiuam vitio eripere, & pia æmulatione satagit, vt *pretiosa mors iniustè occisorum* à tyrannis, iustitiæ adscribatur, ne hoc illustrissimo elogio viduetur. Exinde non prænaricator Adam, sed Abel iustus patricidali occumbit gladio, vt mors saltem *dubium fundamentum habeat.* Quò innotescat quàm sit pretiosa mors cruenta Sanctorum, & quàm sumptuosè Virtus æstimet martyrum calamitates, cruciatus, mortes. Ideò non Adā, sed *Abel iustus primus mortuus est.*

Genes. 2. v. 17. & c. 4. v. 8. *Quare dubium fundamentum habet mors.*

Theodor. q. 46. in Genes.

§. LXXV.

Nemo cautiùs malus est, quàm qui absconditur sub appellatione pietatis.

1. ACcipe aberruncatorium Nazianzeni votū, quo multa paucis ad compendium strinxit: *Liberemur, inquit, ab omni incarnatione carnis & spiritus.* Non benè, opinor, in re morali, incarnatio spiritus audit. Sincerus & defœcatus spiritus carnem desuescit, carnis gulosos, lasciuos, & ambitiosos æstus dediscit: & beatæ immortalitatis candidatus, carnis diuortium negotiatur. Aliquando verò (ô malum!) cùm quorundam spiritus, non planè impudens, erubescat negotia carnis, de cuius confinio morum contagionem ebibit; obtentu spiritus, carnalia dissimulat, & speciosè colorat. ô *liberemur ab omni incarnatione carnis & spiritus!* Periculosiùs malus est, quisquis bonitatis prætextu deprauatur. Securè sæuit, qui ex arce iustitiæ furit. Quid impietatē pietate clypeas? Excellentius crimen est, quo virtus cogitur ad vitij lenocinium. Vt nocentior esset improbitas, consilij viam à probitate mutuauit. Virtus præstitit, vt fortior hostis contra virtutem foret, & glorioso pietatis nomine vitiis infidè militaret. Scelestissimè ad rem vitij virtus aduocatur auxiliaris. O captiosam probitatis beneuolentiam, qua velut claue improbitatis callem astutè reserauit! O malè pios Tobiæ cognatos, qui dum erga ipsum pietatem obtendunt, impietatem callidè negotiantur! ô agnoscamus iustitiam iniustam. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Illa verò iustitia* (ait Chrysologus) *iustitia non est, mentitur oculis, fallit adspectum, videntibus illudit, decipit audientes, famam vendit, emit clamorem, fit sæculo, Deo non fit, cæcat oculos; cæca ipsa non videns vult videri.* Malè impietas pietate coloratur.

Naz. Orat. 3.

Ab omni incarnatione carnis & spiritus, abstinendum est.

Matth. 6. v. 1. Chrys. ser. 9. Hic vers. 8.

2. 1 Machabæorum 7. ad regem Demetrium Seleuci filiū venerunt viri iniqui, & impij ex Israël: & Alcimus dux eorum, qui volebat fieri sacerdos. (Sic vel sacras infulas inquinat insomnis ambitionis sedulitas) Speciem pietatis & beneuolentiæ Alcimus erga suos obtendens, Bacchidem militiæ Principem, cum valido in Iudæam exercitu, à Rege impetrat. Et venerunt in terram Iuda: & miserunt nuncios, & locuti sunt ad Iudam, & ad fratres eius verbis pacificis in dolo. Et non intenderunt sermonibus eorum: & conuenerunt ad Alcimum & Bacchidem congregatio scribarum requirere quæ iusta sunt. *Dixerunt enim: Homo sacerdos de semine Aaron venit: non decipiet nos.* At Alcimus infidus patriæ proditor, sacro religionis nomine, & pio sacerdotij titulo, sæua ambitione obumbrans, atroci postmodum strage edita, dignitatis pretio, patriam alienigenis vendidit; de venerabilis & piæ personæ latebris, incautos atrociter opprimens. Acutè in re simili Ennodius scribit: *Quid, inquit, accusationi meæ pro innocentia nomen opponis! insequentem posses effugere, si esses mitius quod vocaris. Nemo cautius malus est, quàm qui absconditur sub appellatione pietatis: tutum est iniquitatis exercitium, quod honestatis tegitur indumento. Facessat propositum prestigiis potius quàm mente constare.* ô Alcime, sub pietatis obtentu, impiissime; vt nocentior contra religiosam patriam existere, viam tibi votiua patriæ consilia pepererunt: sacrosanctum sacerdotij nomen egit, vt fortior hostis, dum te propugnatorem quærunt, appareres: non tam sentiret profligata patria, quæ patriæ irrogasti inimicitiarum pondera, nisi sumpsissent ab amicitiarum religione principium. *Homo sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos.* Externis aduersariis pro sacrosancto Dei templo, sine labore congrederentur Iudæi; inerme autem pectus inuenit, qui de gratiæ in fronte affectū prorupit amici, & in venerabile Aaroniani sacerdotis nomen. O enorme piaculum! sub pio nomine sacerdotij summi

1 Machab. 7. v. 14. *Nemo cautius malus est, quàm qui absconditur sub appellatione pietatis.* Ennod. Concion. 1.

summi Dei,& ambitionis tecnas, & templi profanationem impiè abscondis? *Nemo cautius malus est, quàm qui absconditur sub appellatione pietatis.* Turrita honestatis arce præmunitus furit, quisquis prætextu honestatis ferit! O quàm sæuum infligit vulnus, sycophantæ maledici, aut infensi iudicis furor, quem aut religionis zelus, aut iustitiæ rigor, honestatis penicillo colorat! Impiè pietas aduersus pietatem armatur; criminosius est vitium, quod exambit virtutis stipendia. Ast hæc Reipublicæ pestis impunè serpit, & sine periculo grassatur: *Tutum est in quitatis exercitium, quod honestatis tegitur indumento.* Tutum quidem ab hominibus; sed hæc dolosa virtutum offensa, Deum vindicem timeat, hæc virtutis stupra seuerius vlturum.

3\. 1. Regum 24. furit adhuc in Dauidem Saül, œstro inuidiæ acerrimè stimulatus. Assumens ergò Saül tria millia electorum virorum ex omni Israël, perrexit ad inuestigandum Dauid & viros eius, etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus perviæ sunt. Et venit ad caulas ouium, quæ se offerebant vianti, eratque ibi spelunca, quam ingressus est Saül, vt purgaret ventrem. (Erant illa tempora magis simplicia, quàm quæ deinde secuta sunt; aut certè Regis furor omnem perdidit maiestatis curam.) Porrò Dauid & viri eius in interiori parte speluncæ latebant. *Et dixerunt serui Dauid ad eum: Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei sicut placuerit in oculis tuis.* Verba sunt illorum, qui in penitiori speluncę recessu latebant cum Dauide, qui id, quod à Saüle fieret ad ipsum spelæi aditum illustratum à sole, intuebantur: qui acriter instimulabant Dauidem, vt negotium illud molestum ac periculosum vno ictu transfigeret, & Saülis morte propriam vitam redimeret. Quod non esset tantùm vtile, sed etiā honestum, & cum religione coniunctum; quandoquidem conatus ille, siquid contra Regem audacius aut inhumanius tentaret, auctorem Deum habuit. Illum enim diem, & articulum esse interpretabantur, quem Dominus antè promiserat, cùm dixerat traditum se Saülem in Dauidis manus quasi constrictum, ita vt de illius capite suo arbitratu, liberè, ac sine vllo periculo statueret. Verùm Dauid mauult semper cum periculo viuere, quàm obtentu religionis inimicum perimere. Porrò ipse postmodum confessus est, se *cogitasse Saulem occidere:* at quando vltioni religio obtenditur, & in caussa Regis perimendi, prætextus diuini obsequij obtendebatur, animum confestim mutauit, ne Prophetia vltionem abumbrasse videretur. Apposite S. Zeno Veronensis de hac re ita scribit: *Dauid placuit Deo vnctus in regem, spiratus in vatem, non insolescit in regno: obumbrat neminem Propheta terrore: iniuriasfuas non exequitur regia potestate,.... persecutorem suum, & quod magis est, Regem aliquoties à Deo in manus traditum sibi, maluit semper timere, quàm occidere.* Parum est, quòd Dauid proprias iniurias regia potestate cœlitùs accepta, non exequitur; ne faciat vltioni seruire iustitiam. Sed, quod mirere magis, spiratus in Vatem non insolescit, *obumbratque neminem Propheta terrore*; constanter æquè ac reuerenter recusans pio Prophetię terrore vltionem obumbrare. Esto, dixerit illi aut Samuel, aut Gad Propheta, aut Deus ipse, postquam fuit inspiratus in Vatem: *Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei sicut placuerit in oculis tuis.* Nempè fore vt ei tradatur, ait Deus; non mandat, vt perimatur. Pia ergò cautela Dauid noluit concupiscentiam vltionis, prætextu religionis obumbrare, & Dei obsequium audaciori vindictæ prætexere. *Obumbrat neminem Propheta terrore: persecutorem suum, & quod magis est, Regem aliquoties à Deo in manus traditum sibi, maluit semper timere, quàm occidere,* occidere inquam, diuini obsequij prætextu, aut metum illi insolentiùs incutere, ambiguæ Prophetiæ terrore, ô quā piè & cautè rem virtutis tractat Dauid! timet enim illud: *Nemo cautiùs malus est, quàm qui absconditur sub appellatione pietatis.*

4\. Regius Psaltes sic Deo modulatè canere incipit in Psalmorum auspicio: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestillentiæ non sedit.* Iniquitatem probat, qui amat, qui amat facit, qui facit, non potest non docere. Opera loquuntur, quod lingua tacet, manus etiam ad malum vocales sunt, hinc est, quod docens iniquitatem pestilentiæ residet in cathedra, laureatus malitiæ Magister. Verùm tametsi antiqui retrò Philosophi melleo sermone, & limato ingenio doctrinæ suæ dogmata auditoribus propinarunt, docentes Deos multos; & eum qui est, aut non esse, aut inueniri non posse; dum ipsam creaturam sic naturæ dederunt, vt naturæ negarent auctorem; iam diu inquam, hi Philosophi cum suis sophismatibus euanuerunt. Perierunt & Pharisæi, qui traditiones humanas decretis cœlestibus præponētes, vastam malignè lucem fuderunt populo Iudæorum: Abiit, abiit iam hæc doctrina, euersa est eius cathedra quæ palam veritati aduersabatur. Vis nosse quis *in cathedra pestilentia* nūc sedeat? audi Chrysologum, qui ad præfata Psalmographi verba, ita ad rem peridoneè fatur: *In cathedra pestilentia Hæreticus sedit, qui sub specie fidei scindit, rumpit, distrahit vnitatem.* Hæc, hæc inquam, est propriè *pestilentia cathedra*, quæ hæretico astu, & maligno stratagemate bella gerit; quæ sub dolosis cineribus, gehennæ scintillam alit; quæ *sub specie fidei* fidem perimit, scindit religionem, rumpit Ecclesiam, & credentium vnitatē perniciosè distrahit. Has timet veritas falsitatis insidias, & hæreticæ fraudis vafiamenta. Fidem prætendit, vt prætensa fides ex hæretico latibulo fidei insidietur. Ouinā tegitur pelle cruentus lupus, vt dominici gregis canes deludens, tutius dilaniet, perdat, occidat, & mactet. Illa, illa quidem est pestis exitialis, quæ ineluctabiles edit strages, dum subdolè pestilentiam afflat, vix vllo, semper fero pharmaco remediabilem. *In cathedra pestilentia Hæreticus sedet, qui sub specie fidei scindit, rumpit, distrahit vnitatem. Tutum est iniquitatis exercitium, quod honestatis tegitur indumento. Nemo cautiùs malus est, quàm qui absconditur sub appellatione pietatis.* O caue à falsata Hæreticorum astutia, quæ vel ipsam mentitur veritatem!

5\. Ennodius Ticiuensis in aureo illo Libello aduersùs eos, qui contra Synodum scribere præsumpserunt; quia prætextu pietatis dolosis argutiis impietatem colorabant, sic fatur: *Quid illam, quæ ex viperina scientia descendit ignorantiam fingitis? quid adhibetis mira latrocinandi arte prestigia, simplicitatem fronte monstrando?* Simulata pietas, pietatis latrocinium est, & vafertina veritatis furacitas: dolosæ scientiæ fraudulentò

Margin notes: 1 Reg. 24. v. 3. — *Dauid Propheta terrore neminem obumbrat.* — Zeno serm. in Psal 130. — *Dauid suum inimicum maluit sēper timere, quàm occidere.* — Psalm 1. v. 1. — *Hæreticus sub specie fidei fidem perimit.* — Chrys. serm. 44. — Ennod in libello, &c. *Malitiosus de viperina scientia ignorantiam ostentat.*

lento abusu ignorantiam simulant, vt viperino dente morsum exacient. Nemo cautiùs & perniciosiùs malus est, quàm qui malitiam sub fronte bonitatis abscondit.

---

§. LXXVI.

Quem Dei oculi approbant, humani sæpè reprobant, de humana malitia cæca perspicacia.

1. INuidia cogitat & loquitur, non quod est, sed quod subest, aut quod subesse malitiosè cogitat, aut inuidiosè vellet. Qui ex affectu videt, plane cæcutit, & cum errante affectu pariter errat? quia mauult affectui credere, quàm ratione iudicare: inde rarò de aliena vita iudicatur, ferè semper affectui creditur, & quidem in sinistram partem strenua suspicio, & credibilitas est. Versátque nos & præcipitat traditus per inuidiam error, & æmulationis genio de aliis censemus, non bono alienæ vitæ arbitrio. Sanabimur à tetrioris censuræ scabie, si modo separemur ab affectu, malo semper censore; & à vulgi opinione, quæ nil sincerum videt, & iudicat. Num verò stat contra rationem defensor mali sui affectus, & vulgus. O quoties sera cogitatio deprehendit, priorem nimis festinatè præcuttisse, prauæ censuræ instinctu ad malum semper prono. Itaque idem euenit, quòd in comitiis, in quibus eos factos Prætores, iidem qui fecere, mirantur, cùm se mobilis fauor circumegit. Eadem probamus, eadem reprobamus. Hic exitus est omnis iudicij, in quo lis secundum affectum, aut populum datur. Tandem aliquandò (si sapis) cogeris, cogente veritate approbare, quod primo & inconsiderato aspectu reprobasti, quid leuis iudicij pœnitentiam, aut in cœco errore obstinationem, inconsulta alieni vitij censura, allucinando subornas. O quoties quem munda conscientia excusat, tui oculi duntaxat accusant: illéque fit, non criminosæ culpæ, sed malitiosæ tuæ cæcitatis reus! Omnes ad alienam prauitatem nimis oculati sumus. Bonus Tobias benè ad rem alienam vitij cæcus, ad virtutis verò negotium piè perspicax.

Ad videndum proximi malum, perspicacissimi sumus.

Hic v. 11.

2. Lucæ 15. Homo quidam habuit duos filios, adolescētior ætatis licētiæ peregrè profectus, boni patris bona luxuriando malè consumit. Misera egestate coactus, qui opulenti patris conuiuia fastidiuit, de squalida porcorum custodia malignum victum quærit, & vix inuenit. Tandem macilentæ famis magisterio meliora sapit, & ad se reuersus, ad patrem reuerti cogitat. Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, *& accurrens cecidit super collum eius*, & osculatus est eum. Ad quæ verba sic fatur Ambrosius: *Et cùm adhuc longè sis, videt & accurrit. Videt in pectore tuo: accurrit ne quis impendiat, complectitur quoque in occursu præscientia est, in complexu clementia.* Quid est, quòd in hoc patris amico occursu, cōplexu, & osculo, *præscientia* elucet. An quia dum se occursu illabitur, & amplexu inuisceratt in filij pectus, eius, quæ videt crimina, tegit toto cōplexionis ambitu? Audi Euangelistam, sic adhuc narrantem: Dixitque ei filius: Pater peccaui in cœlum, & coram te; iam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad seruos suos: *Citò proferte stolam primam, & induite illum*, &c. Ecce sic filium vestibus tegere festinat, qui paternis Dei oculis aspectabilis erat? diuino aspectui placuit vt venerat; quare tunc hominibus sic displiceat, vt eum sic festinanter tegi opus sit? Qui oculos diuinæ scientiæ & *præscientiæ* in occursu, amplexu, & osculo non offendit, sed eis iam post pœnitentiam placuit; opinor, hominis oculos non offendet, imò gratè placebit, ni fortè perspicacior est humanus oculus, quàm diuinus: Ita quidem perspicacior est, non in bonum, sed in malum. Tempestiuè Chrysologus: *Citò proferte stolam primam, & induite illum, à seruis antè vestiri voluit, quàm videri.* Nimirùm adolescens hic de pœnitentiæ lauacro nitens; dignus fuit, cui Dei *præscientia* occurrat; (vt aiebat Ambrosius) dignus Dei amplexu, quo in eum inuisceratione quadam velut illabitur; dignus qui Dei osculo ad honorem signaretur; qui, inquam, dignus fuit Dei osculis, tota deitatis *præscientiâ* intentius perspicacibus, minimè exponi debuit mortalium oculorum aspectibus, nisi priùs pretiosis indumentis extrinsecùs nitens, amictùs tectus. *Citò proferte stolam primam, à seruis antè vestiri voluit, quàm videri.* Quod in Dei oculis mundum est, sincerum est, candidum & splendidum est, cur mortali oculo sic squaleat? Quod diuino aspectui sic placet, humanis oculis cur displiceat? Quod Deus approbat, cur homo culpet? Puriori innocentia opus est, ne quis hominum oculos, quàm ne diuinos offendat? Deus enim quod est, videt; homo quod inuidia mallet, quod odium optat, quod malitia suspicatur, quod ignorantia fingit, quod affectus pro nutu colorat. O quam cæcè perspicax, seu perspicaciter cæcus est hominum aspectus, cùm alienæ innocentiæ caussa gerit nt! Cui Dei *præscientia* occurrit, Dei beneuolentia amplectitur, Dei amor exosculatur; adhuc homo oculis inuitare præsumit; puto malitiæ fascino. *Citò proferte stolam primam, à seruis antè vestiri voluit, quàm videri.*

Amb lib. 7. in Lucam.

Quem Dei oculi approbant, humani reprobant, de humana malitia cæca perspicacia.

Lucæ 15 v. 22.

Chrys. ser. 3.

3. Regius Psaltes in psal. 31. cui titulus est, *Ipsi Dauid intellectus*, qua epigraphe aliquid altiori mente dignum, & in sapientiæ adytis absconsum denotatur, ita pangit: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Scio ex Augustino, Basilio, Theodoreto (quicquid oganiant Hæretici) idem esse remissas iniquitates, & tecta esse peccata, significarique veram peccatorum oblitterationem. Quòd cùm inter Catholicos indubium sit, ambiguum tamen inter eos est, quid energiæ addat verbum *tegere* supra *remitti*. Porrò si peccata verè per gratiam *remissa* sunt, quorsùm posteà *tecta* dicuntur? Quid tam tectum, & inuisum est, quàm quod re vera iam non est: ergò si peccata per veram illorum *remissionem*, iam non sint, quare *tecta* dicuntur? Tertullianus pulchrè hæc verba accommodat ad martyres, nuper idololatras, aut peccatores, ita scribens: *Posuit igitur Deus secunda solatia, & extrema præsidia dimicationem martyrij, & lauacrum sanguinis exinde secutum. De cuius felicitate Dauid: Beati quorum dimissa sicut delicta, & quorum operta sunt iniquitates..... Sic dilectio operit multitudinem delictorum.* Nempè martyrium quod est lauacrum sanguinis, non modò verè sanctificat, & exinde peccata remittit in conspectu Dei; sed etiam eiusmodi magnanima & cruenta decertatione, eam famæ claritudinem sibi iure apud

Psal. 31. v. 1.

Quid addat, tegi peccata supra veram eorum remissionem, quæ per iustificationem fit.

Tertull in Scorp c 6.

apud homines vendicat;vt quantumvis enormissima retrò delicta,ab humanis oculis tegat,& cooperiat. Non enim homines solent computare, quis,qualisve fuerit homo ante martyrium; sed quis, qualisve fuerit in martyrio. Porrò post quamlibet remissionem peccatorum, peccata remissa non videt Deus,quia iam non sunt. At homo,qui in alienis defectibus peruidendis, nimis perspicax est, computareque solet ad probrum, non tantùm malum quod est;sed etiam quod, etiam non est, olim fuit, vt hoc sit martyrum singulare elogium,quòd delicta,quæ per martyrium remissa sunt,adhuc homines non videant,sed eorum maleuolis etiam oculis tecta,cooperta,& inuisa sint. *Dilectio* enim quæ in martyrio elucet, *operit multitudinem peccatorum*. Verùm Innocentius id ad alios etiam extendit.Scilicet remissa iam peccata,& quæ apud Deum non sunt,apud humanos oculos *tegi* dicuntur, *Vt non ostendantur iusti per illa deformes*. Itaque felix ac *beatus* est ille,qui olim peccator,etiam post verè *remissa* peccata,adhuc illa *tecta* sunt,id est, sic cooperta, & inuisa,vt apud humanos oculos,alienorum defectuum nimis perspicaces, *non ostendatur iustus per illa deformis*. Hanc felicitatem impendit pius Pater filio Prodigo, dum confestim iubet: *Citò proferte stolam primam*, vt ille cuius apud se remissæ erant iniquitates,remissę iniquitates forent tectæ, & inuisæ, nec adhuc per illa ostenderetur deformis. O cæcam humanæ malitiæ perspicaciam!

Innoc. ibi.

4. Ioannis 8.cùm esset IESVS docens in templo, adducunt Scribæ,& Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam:& statuunt eam in medio,& dixerunt ei. Magister: hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergò quid dicis?IESVS autem inclinans se deorsùm digito scribebat in terra,fortè sic prodens acres accusatores,quorum nomina in terra scripta erant, non in cœli albo.Denique cùm vnus post alium sæui illi accusatores abscessissent;mulier quasi de calumniatorum absentia, innocentiæ meritum mutuasset, aut de stupri pudore pœnitentiæ remedium procurarit;cùm inquam,remaneret IESVS solus & illa in medio stans,dixit ei IESVS:Mulier vbi sunt,qui te accusabant.Nemo te condemnauit; Quæ dixit: Nemo, Domine. *Dixit autem IESVS:Nec ego te condemnabo:Vade, & iam amplius noli peccare.* Ad quę Ioannis verba tacitè adludens Chrysologus,subtiliter notat,quàm sagaci ingenio,& pertinaci inquisitione CHRISTI dicta,& facta discutiebant Iudæi:*Sed indicatur*, inquit, *hic solus,qui solus indicare noluit, ne puniret: improba seueritate discutitur, qui vt largiretur veniam,nil quæsiuit:cùm solus innocens inuenerit omnes reos,ad iudicium pietatis immensa suscipere maluit,quàm rogare sententiam.* Damnatissima ab humanis oculis sistitur CHRISTO fœmina, impudicitiæ rea:non discutit IESVS reatum, non euulgat infamiam,testes non examinat, reum de crimine non interrogat,non ambit reatum inuenire, *qui solus iudicare noluit,ne puniret*,aiens: *Nec ego te condemnabo*.Et cùm ipsius CHRISTI vita *improba seueritate discutitur*, & sinistrè damnatur, *ipse vt* vel adulteræ *largiretur veniam*, *nil quæsiuit*, sed impunè fœminam abire permisit: quæ si non effudit corpore sanguinem, in facie tamen pudore suffudit: quæ etsi extrinsecus deliquerat, animitus forsan pœnitentia iam errorem expunxerat Saltem CHRISTVS Deus, ne ab humanis oculis damnatissimam, & ipse damnaret; sed *vt largiretur veniam, nil quæsiuit*,non quasi ignorare vellet,sed quasi optaret humanam oculorum censuram cohibere.

Vt veniam CHRISTVS largiatur,nil quæsiuit.

Ioan 8.v.11.

Chrysol. ser 49.

5. Lucæ 15.Senior ille filius, de fratre Prodigo lætanter excepto,nimirùm querulus, sic fatur ad patrem: *Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præterini*, &c. Verosimile non videtur,in tam prolixo annorum spatio nunquam vllum patris præterisse mandatum.Audiendus est Chrysologus: *Nunquam mandatum tuum præterini.Hoc tibi non tua innocentia; sed patris venia dedit: quia multa charitate delicta filij maluit tegere, quàm nudare.* Quid est,quòd senior hîc filius,& scelerum,& veniæ conscius,cœlestis patris conscientiam sistit suę innocentię testem dum illi adseuerantet affirmat, se nunquam eius præteriisse mandatum. Fallere vult conscientiam patris? an potiùs delictorum abolitionem post veniam, exaggerare? Sic non appatent iusti post pœnitentiam deformes.Sat est intendisse digitum ad Chrysologi acumen.

Lucæ 15.v. 29.

Chrys. ser.4.

Delicta post veniam, non apparent, innocentia amulatione.

§. LXXVII.

Subditus ad perfectius obsequium, cæcitate inoculatur.

1. SEruus est,sed fortasè liber animo.Seruus est: hoc illi non nocebit. Ostende quis non sit. Alius libidini seruit, alius auaritiæ, alius ambitioni,omnes timori.Dabo consularem vnius anni seruitutem. *Nulla seruitus turpior est, quàm voluntaria*.Sed viderit homo, ne dum sibi paret,& proprio consilio obsequentiùs obtemperat, turpiorem dominum sibi delegerit.Iucundius est sibi parere,tutius alteri. Ad aliena consultè oculatissimus, ad propria luscus est. Qui cœco parendi impetu se tradit Superiorum nutui, cœcè perspicacissimus est; dum in rebus propriis perspicaciam non in sagaci mente, sed in actuosis manibus collocat. O homo, esto benè cœcus, ne sis malè obsequens: vide aliena mente., ne exerces propria. Laudatissimum hominis obsequium in asylo cœcitatis tutum est, & in oculatiori perspicacia periclitatur.An non Tobias,qui de propria conscientia filio edixit: *Caue ne aliquando prætermittas præcepta Domini Dei nostri* (quod & præstitisse denarratur cap. 1. vers.6.) nunc diuino consilio factum est,vt *cœcus fieret*? quò eius obsequium de cœcitate exaggeratiùs commendaret?

Seneca epist. 47.

Turpiùs quit sibi, quàm aliis paret.

Tobiæ 4.v. 6.

Hic v. 11.

2. Isaiæ 6. Deus in sublimiori majestatis throno augustè sedet, quasi vniuersi summus Rex regens vniuersa; cuius solium gloriosum, empyrei Proceres,quasi regij stipatores,circumstant. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum,& eleuatum: & ea,quæ sub ipso erant,replebant templum. *Seraphim stabant super illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri:duabus velabant faciem eius: duabus velabant pedes eius, & duabus volabant*: Receptior sententia est,hos Seraphinos,cœlestis curię summares, binis alis pedes suos velasse, & binis velasse,faciem suam,dum Deo adstâtes,binis alis volant,hoc est;volaturiunt. Alibi ad alia themata, varias huius loci expensiones sparsim dedimus;nunc curiosiùs vestigare oportet,quare beati

Isaiæ 6.

Seraphini, vt Dei sub humana specie obediant, facies suas velant. Angeli dum Deo adstant, facies suas velent. Esto, pedes suos suis alis abscondant, quasi alatos pudeat, pedes, vel ad cursum habere. Esto, dum *stant*, volare dicantur, quia ad diuina obsequia promptissimè volaturiunt, quæ est communis interpretum commentatio. At quare faciem suam velant, dum expectant diuina præcepta? Imò dum volaturiunt, cùm auidè Dei nutum præstolantur, oculatissimi erant inducendi; vt perspicaciùs obtutum in Deo figerent, quò ante oris verbum, in nutu præcipientis præproperè mandatum legerent, ad promptiùs obsequium. Cum oia de facie Dei debuissent tenere suspensa, ad celeriùs parendum, faciem suam velant. Moras fortè prætendunt, & obsequium cũctari, non maturare obsequium. Cæterùm ex receptissima commentatorum opinione peritè notat Cornelius, quòd hi Seraphini, qui Deo sedenti super regium augustæ maiestatis solium adstant, & adstando ad diuina obsequia agiles volaturiunt, *erant schema religiosa, & perfectæ obedientiæ, hæc enim quasi velatis oculis cæca, præceptum non discutit.* Nimirùm Seraphini tunc clara Dei visione beantur, & ita facie ad faciem Deum, Deique perfectiones beatè contemplantur, & in Deo clarè viso, eius nutum descriptum legunt. Ast dum hîmet Seraphini sub humana specie apparent, & Deus sub hominis forma humanis oculis præsentatur; quò perfectioris obedientiæ typus hominibus adumbretur; non tam describuntur Dei faciem beatè intueri, quàm humanos apparenter oculos, ad Dei obsequium velare. *Et duabus velabant faciem eius*, id est, suam. Quod bellissimè ad thema præsens aduertit Carthusianus, aiens: *Apparuit autem Dominus Isaiæ in humana effigie.* Scilicet hi Seraphini etsi Deum beatè contemplantur, dum promptiores trahuntur ad obsequium Dei in humana effigie apparentis, moralissimè oculos suos velant, vt velatis oculis expromptiùs obediant. Vel in Deo humana forma apparente, nil hominis videre cupiunt; vt ad hominis vocem cæci, & ad merum Deum humana voce præcipientem, obsequia generosiùs ferantur. Itaque cæci ad verum Deum, sed apparenter tunc hominem; merum Deum oculatissimè ad obsequium spectant. *Los mas obedientes Seraphines, quando Dios manda en figura humana apparente, se tapan los ojos, para ver à solo Dios en la apparencia de hombre, à quien solo en el hombre se obedece.* O moralissimam Angelorum cautelam! ô absolutissimam obsequij ideam! ô, auerte oculos ab homine, vt in homine præcipiente nil hominis videas, sed in solum Deum, cæcè oculatissimum feratur obsequium!

Cornel. ibid.

Carthus. ad ea verba

3. Actorum 9. Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in Discipulos Domini, accessit ad principẽ Sacerdotum, & petiit ab eo Epistolas in Damascum ad Synagogas: vt si quos inuenisset huius viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem. Et cùm iter faceret, contigit vt appropinquaret Damascò: *Et subitò circumfulsit eum lux de cœlo*: & audita CHRISTI voce, *Tremens, ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere.* Bernardus quo solet ingenij acumine, consummatum obedientiæ typum in hisce Pauli verbis agnoscit. Quàm pauci, inquit, inueniuntur in hac *perfectæ obedientiæ forma*, qui suam ita abiecerint voluntatem, vt ne ipsum quidem cor proprium habeant; vt non quid ipsi, sed quid Dominus velit, omni hora requirant, dicentes: Domine, quid me vis facere. Verùm quis non mittetur, dum Paulus *perfectæ obedientiæ forma* fit, vberiori de cœlo luce fuisse splendidè circumfusum. Nuper apud Isaiam Seraphini, facies suas velant coram summæ Dei maiestatis fulgoribus, dum promptioris obsequij typum repræsentant; & Paulus cœlesti luce circumfusus, fit *perfectioris obedientiæ forma.* Aut Seraphini non velent oculos, nec faciem extensis alis obumbrent, ad promptiùs obsequium; aut Paulus præclarissimè non illuminetur, ad perfectę obedientię formam: nam si obscura faciei velatio adulatur obedientiæ, splendidior lux infuscabit obsequium. Verùm enim verò postquam sacer Historiographus narrauit Paulum cœlesti luce splendidè circumfusum dum præfatis verbis, *perfectioris obedientiæ formam* expressit; notanter subdit, quò hanc in re morali difficultatem dissoluat. *Surrexit autem Paulus de terra, apertisque oculis nihil videbat.* Ad quæ Pauli verba sic opportunè exclamat Bernardus: *Felix cæcitas, qua male quondam illuminati in præuaricatione, tandem in conuersione salubriter excæcantur!* Nuper male in præuaricatione illuminabatur Paulus, dum zelo Mosaicæ legis in Discipulos exardescebat: quin & dum in eius conuersione vberiore de cœlo luce pręclariùs illuminatur, ad *perfectioris obedientiæ formam*, consultissimè excæcatur, vt vel luce ipsa feliciter cæcus fiat, qui fieri debebat promptioris obsequij typus. Exinde tunc Paulus luce de cœlo circumfusus, apertis oculis nihil videbat, perfectæ obedientiæ forma expressus. O felix cæcitas, quæ perfectam obedientiam claratiò mirissima de cœlo lux, quæ cæcam voluntatem ad amorem illuminat, & perspicaces mẽtis oculos ad obsequium offuscat, quò in se exprimat Paulus perfectioris obedientiæ ideam. Vnde Apostolus, dum cœlesti lumine circumfusus ait: *Domine, quid me vis facere*; apertis oculis nihil videbat: nam consummatum obsequium cæcitate inoculatur illustriùs; & in re obedientiæ magis videt, quò excæcatur magis. O felix cæcitas, quæ sic ad obsequium illuminat!

Actor 9. v 6.

Bern. infrà allegandus.

Paulus ad perfectius obsequium, vel luce excæcatur.

Suprà v. 8.

Bern. ser. 1. in conu. S. Pauli.

4\. Ezechielis 1. & 10. quatuor illa animalia (Cherubini inquam) currum gloriæ Dei subuehere dicuntur. Ezechieli adsentit Ioannes, Apocalypsis 4. Similitudo autem vultus eorum: facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor: facies autem bouis, à sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor. Hæc autem robustissima animalia ad vehendum currum deseruiebant. *Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter, & rotæ iuxta ea: & cùm eleuarentur animalia, de terra, eleuabantur simul, & rotæ.* (Sed nota quod immediatè subdit Propheta) *Quocumque ibat Spiritus, illuc eunte spiritu, & rotæ pariter eleuabantur sequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis.* Verùm si hæc robustissima animalia videbant currum gloriæ Dei, quid opus fuit, vt spiritus vitæ esset in rotis. Vtrumque ex alterutro redarguitur, aut supernacanea fuisse ad vectationem tã robusta animalia, si spiritus vitæ erat in rotis; aut munere suo vacare rotarum vitam, si præualida hæc animalia currum vehebant. Doctè Lyranus: *Spiritus enim vitæ erat in rotis. Quasi diceret: Non mouebantur per exteriorem impulsum, seu tactum, sed per spiritum intrinsecum viuificantem.* Et tamen peridoneè hæc quatuor animalia inducuntur: nam cùm in huius currus vectatione præmonstretur obedientiæ typus, rotæ illæ oculis plenæ etsi animatæ

Ezech. 1. & 10

Apocal 4. v. 8.

Ezech 1. v. 20

Oculatior rotarum vita, parum idoneum offert obedientiæ symbolum.

Lyranus ibi.

Ezech. 10 v. 12.

matæ, quasi vectationis munere vacant, & propemodum otiari videntur, & totum currum à quatuor illis animalibus trahi. Nam *omne corpus rotarum.... & circuli plena erant oculis.* Exinde, tametsi spiritus vitæ erat in rotis, animalia inducuntur, quorum ductu, & tactu quoquoversùm vehatur currus. Siquidem oculatior rotatum vita parùm idoneè offerret perfectioris obsequij symbolum: nam obedientia cæcitate inoculatur.

5. Paulinus Epist. 8. Genes. 3. v. 6. Addam, & finio, Paulinum ita scribentem: *Vidisse primos humani generis parentes, & non vidisse, Scriptura declarat. Genesis 3. Vidit mulier arborem quòd bona ad manducandum, & grata erat oculis ad videndum. Vidit*, inquit, *ergo habebat oculos. Et quid deinde subtexit: Cùm manducassent, aperti sunt oculi eorum. Ergo cæci fuerant. Certè est quiddam cæcum in nobis etiam videntibus.*

---

§. LXXVIII.

Exsomnes Principes Respublica exoptat, dormiturientes, & oscitantes irreuerenter contemnit.

1. Publ. Mim. ARcum intensio frangit, animum remissio. Sed adhuc sine quietis remissione animus frangitur, nec diù vigil munera sua obit, dum collegio carnis mancipatur. Cum sensuum sopore cessat animus inerti otio; dum homo cedit somno, qui eruditæ sapientiæ, & eruditionis peritiæ, interim mors est, & hominis viui sepultura, in qua rediuiuus cadauerascit, de repetita successiuè morte, rursùs homo: interim nemo sibi, iterum sibi, & reliquis totus; quoties expergiscens, toties renascens, de somni funere viuacior, alter ipse. Sed benè est, quòd somnus frater mortis sit: quare autem filius Astreæ, id est, iustitiæ dicitur? *Volucer matris genius Astreæ, Frater duræ languide mortis.*

Somnus Astreæ, id est, Iustitiæ filius dicitur.

Seneca in Tragœd. de Hercule.

An iustitiæ res geritur, cùm breuissimæ vitæ languidus comes, potiorem vitæ partem repetito sensim furto eripit, rapit, harpagat, impunè; & vigilantibus claudit sopore oculos, vt in frusta vitam concidat, & quas velit partes sibi vsurpet? An iustitiæ res geritur, cùm homo eruditus, & disertus, ratione viduatus, interim stultescit? cùm strenuus in bello dux, sopore ignauus, velut iners truncus interim iacet? Nec purpura, nec sceptra, nec tiara, tuta sunt ab hoc insonti vitæ latrone, & humanitatis naturali contumelia, à qua nemo mortalium immunis nascitur, sed tributarius natiuitatis censu. Hanc naturæ humanæ agnatam è somno contumeliam, vt carnis ordinem impleret, quò se verum hominem probaret, Christus non exhorruit. Et qui sub Diabolo (vt loquitur Tertullianus) in deserto esuriit, sub Samaritide sitiit, sub defatigatione æstuauit; sub naturali somno, velut exanimus iacuit; ne quod esset naturæ humanæ congenitum probrum (præter peccatum) quod homo Deus propter homines non subiret, quò se verum hominem palam indicaret. Sed cæteras naturæ contumelias identidem subijsse legitur, hanc autem somni, semel; vt Vniuersi Princeps, exemplum Principibus exhiberet, quàm rarò, & quàm parcè, & quanto cum periculo indulgeant somno. Porrò sollers principandi cura, & Principis auctoritas, aut exsomnes inuenire, aut facere debet exsomnes.

P. Didac. de Celada in Tobiam.

Marci 4. IESVS dimissis turbis, cum discipulis ascendit in nauiculam: & facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, itavt impleretur nauis. *Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens: & excitant eum, & dicunt illi: Magister non ad te pertinet, quia perimus?* O rusticanum, & agreste maris ingenium, fluctuum tumida ambitione arroganter elatum! An non mare olim Moysen fugit, & Moysis Dominū venerabatur? An non ad ipsius præsentiam, & vocem, Petro vasta vndarum dorsa supposuit, & tumentes fluctus saxea soliditate humanis vestigiis strauit? An non persæpè modica voce ingens elementum frenabatur? O immanis belluæ rusticam inurbanitatem, & efferam impudenter audaciam! Tametsi cùm Christus in scapham ascendit, procella atrociter sæuiret, debuisset tunc coercere vndas, ventos cogere, sedare tempestatem, & suum auctorem fluctibus pacatè compositis, fluxæ naturæ solidatione revereri: & tunc vel maximè vndas inquietat, fluctus exasperat, vortices attollit, & sæua naufragia atrociter minitatur? An non debuit recognoscere creatorem suum, & recordari antiqui olim legislatoris? Vnde tanta impudenter temeritas, qua Creatori suo periculum creare audet? Seleucia Præsul, quo solet subtili ingenio & venusto eloquio, dum exponit querulas Discipulorum voces, quibus opem à Christo dormiente expostulant, ita fatur; *Magister non ad te pertinet, quia perimus? Tu solus nobis salutis spes. Omnis nostra exhausta est industria, manus ad opem ferendam comperiuntur inutiles, artis imbecillitatem arguit vis tempestatis*, (attentiùs nota quæ addit verba, ad rem eleganter idonea,) *Ostende te vigilantem, & pelagus te reuerebitur.* Quasi dicat: Non potest mare, te non cognoscere sui auctorem, creatorem, legislatorem; sed cùm te, & Deum & vniuersi Principem videt dormientem, irreuerenter quodammodo tecum agit, dum procellam contra te attollit, & aduersus discipulos tuos, fluctus suos exasperat, & vortices sæuos obarmat, naufragijque minas temerariè intentat. O quàtociùs expergiscere, somnum excute, & detumescet tempestas, quæ atrox, naufragium, tibi, tuisque irreuerenter minitatur. *Ostende te vigilantem, & pelagus te reuerebitur.* Quid luculentiùs. Videat te vigilantem, & confestim tumultuare desinet. Serò forsan illi tranquillitatem imperabis, cùm exsomnis vigilia, præceptionem anteuertens, tumultuanti pelago frenos iniiciat. O de *somni gymnasio* (vt loquitur Alexandrinus Clemens) præclaram Principibus eruditionem! Principem, quē somno indulgentem, velut contemnunt subditi, exsomnem principaliter reuerentur. Vel in Christum Deum, fluctuum Dominum, aquarum Legislatorem, & totius elementi Principem, subiectum mare procellam excitat, dum illum dormientem videt; Ergò, ô Princeps, quicumque sis, de prudentia celebris, de rebus gestis inclytus, de subiectorum reuerentia sublimis, *Ostende te vigilantem, & pelagus te reuerebitur*, qui aliàs oquiuorticibus tumultuat, & petulanter insultat. Exsomnes Principes Respublica exoptat; & oscitantes, & dormiturientes irreuerenter contemnit. Tobias nuper Assyriæ Præfectus, & Hebrææ gentis vnus è Primoribus, dum languidus dormit, vel ab inertibus auiculis squalidè impetitur ingenti calamitate. Vigilans ipse Tyranni deludit minas, & dormienti pauidæ etiam auiculæ irreuerenter insultant.

Marci 4. v. 38. Seleucus Orat. 21. 5. *Somni gymnasium.* Clem. Alex. in lib. Pædag. aliàs enucleatus. Hic v. 11. 2.

L Hic

4. Hic idem Christi ſomnus moralitatum fœcundus, aliam ad mores obſeruationem vltrò nobis offert. Pergit inibi Euangeliſta Marcus: Facta eſt procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis.

Marci 4 v. 38 & 39. *Et erat ipſe in puppi ſuper ceruical dormiens: & excitant eum, & dicunt illi: Magiſter non ad te pertinet, quia perimus? Et exurgens comminatus eſt vento, & dixit mari: Tace, obmuteſce. Et ceſſauit ventus, & facta eſt tranquillitas magna.* Ecquid eſt, quòd vbi Chriſtus Deus à ſomno excitatur, confeſtim cum mari turbato loquitur. Forſan auritum putatur mare? planè ſurdum elementum eſt, & quantumuis clamorem extrinſecus attollat, non ideò exaudiet. Non percipit mare exteriorem humanitatis vocem, ſed occultam omnipotentiæ vim. Illam vel mutus exerat, & protinus mare tranquillabitur. Sed eſto, Chriſti vocem excipiat ſurdum mare, quid eſt quòd ac ſi vocale foret, illi ſilentium indicitur? *Tace*, inquit, *obmuteſce*. An idoneè muto aquarum elemento taciturnitas imperatur, ac ſi linguatum foret? Quomodo poteſt non tacere, quod de ſe mutum eſt? Forſan alicui, non benè erga Chriſtum animato, inconcinna videbuntur hæc verba; & licèt non à dormiente, ſaltem à dormitutiente, & vix plenè expergefacto, inidoneè prolata, cùm muto elemento ſilentium imponat. Quod fortè apud imperitos, ita percrebuit, vt idem Baſilius calumniam excuſſerit, idonea eloquenter apologia.

CHRISTVS Deus, etiam poſt ſomnum, ſomniculosè agere à quibuſdam putatur.

Baſil. Orat. 22. *Salua nos, perimus. Quid tandem Dominus? ſomno quiete excuſſo, & per tam feſtinatam expergiſcendi rationem nihil, vt aſſolent qui dormiunt, ſomniculosè gerens, priùs diſcipulos increpans..... transfert increpationem in mare, dicens: Tace, obmuteſce.* Chriſtus Deus, Dei ſapientia, peritiç idea, & eruditionis ſcientiæ meta; quia poſt ſomnum verbum aliquod arcanum dixit, quod humanum captum excellit, neceſſe fuit vt ab oſcitantia vindicaretur; Poſt nuper excuſſum quiete ſomnum, adhuc ſemiſopitus loqui fors putatur; Opus eſt, vt de Chriſto Deo iam exſomni, & vigilante, quia paulò anteà dormierat; seriò admoneat Baſilius, quòd *per tam feſtinatam expergiſcendi rationem nihil, vt aſſolent qui dormiunt, ſomniculosè gerens, transfert increpationem in mare, dicens: Tace, obmuteſce*; Sic ſapientiſſimum, & diſertiſſimum quemque hominum Rectorem, ſomnus deuenuſtat, vt adhuc poſt ſomnum velut oſcitare putetur; Illa ipſa verba, ſi neſciretur dormiſſe, ſublimior peritia à vulgò putaretur; & quia poſt ſomnum loquitur, illa reprehendere impudenter forſan auderent, quaſi per tam feſtinatam expergiſcendi rationem, adhuc ſomniculosè agat, mari dicens: *Tace, obmuteſce?* Sic hominum vulgus contra dormientes Præfectos inſultare audet? Sic contra oſcitanter dormiturientes exurgit?

5. Tertull. l. 2. cont. Marc. c. 27. Tertullianus ſcribens contra Marcionem, qui videns Chriſtum tot humilitatibus deſpicatiſſimum, ad eius diuinitatem nauſeabat; ita de Deo Patre ironicè ſcribit: *Igitur quæcumque exigitis Deo digna, habebuntur in Patre inuiſibili, incongreſſibili que, & placido, & (vt ita dixerim) Philoſophorum Deo* Non conuenit inter Scholiaſtes, quorum nam Philoſophorum inducatur Deus, ſic placidus, inuiſibilis, & incongreſſibilis. Doctè contra Rhenanum Pamelius, Epicureorum Deum hic innui putat, ſic aiens:

Epicurei oſcitantem, & otioſum, & inertē Deum fingunt.

Pamel. ibid. p. 191. *Deum aſſeuerabant Epicurei otioſum, & inexercitum, & vt ita dixerim, neminem humanis rebus, & (ſicut non ſemel adnotauimus) hebetem.* Nempè inuiſibilis, & incongreſſibilis Epicureorum Deus, dum circà res mundanas ſibi Deitatis iure ſubiectas, oſcitanter, & ignave ſe gerit; *hebes* dicitur, & *nemo rebus humanis*, id eſt, non verus Chriſtianorum, ſed mentitus Epicureorum Deus. Nimirùm Epicurei deliciis mancipati, non inidoneè talem ſibi Deum nutu fabricarunt? Deum inquam, ignauum, oſcitantem, inexercitum, otioſum, hebetem, & (vt ita dixerim) neminem humanis rebus.

---

§. LXXIX.

Rem malè amandam, aut non benè odiendam, adulterato penicillo humanus affectus colorat.

MAgno animo de rebus magnis iudicandum eſt; alioqui videbitur illarum vitium eſſe, quod noſtrum eſt. Sic quædam rectiſſima, cùm in aquam demiſſa ſunt, ſpeciem curui præfractique viſentibus reddunt. Non tantùm quid videas, ſed quemadmodum, refert. Animus noſter ad vera perſpicienda caligat; & amoris, odijve cœcitatibus obſcuratur. Valde diligi hominem? mediana quæque, & infima, ad faſtigij celſitudinem incrementantur, & amoris magnitudo, rei amatę menſura ſæpè eſt. Faſtidioſius hominem odiſti? etiam ſi ſumma quæque in eo emineant, nil ſublime, quod verè in eo eſt, vides; videbis autem odij oculis, infima, infirma, & ſordida, quæ in eo forſan vix ſunt. Porro voluntas humana, affectuum penicillo ferè ad libitum obiecta colorat; & aut obſcura vitiorum caligine, aut ſplendida virtutis luce depingit. Quàm ſit neceſſarium, quòd beneuolentiam præeat oculatior mens, altè nos erudit Alexandrinus Clemens ſic fatus: *Deus curam gerit hominis, & de eo eſt ſollicitus. Id autem re ipſa oſtendit cum Verbo eum erudiat, qui eſt verus ac germanus coadiutor Dei in homines beneuolentiæ.* Scilicet quò Deus ſummam erga homines *beneuolentiam* exhibeat, & oſtendat, non dicitur hîc aſciuiſſe Spiritum Sanctum, etſi ex genuina proprietate ſit amor: ſed Verbum, quod ex proprio charactere eſt ratio, & ſapientia. Igitur *logos*, qui eſt Verbum, & ratio Dei, *eſt verus, ac germanus coadiutor Dei in homines beneuolentia*: optimus enim ad beneuolentiam coadiutor, ratio eſt; non humanus affectus, quem ratio iure recuſat. Sed heu homo qui amat, aut odit, non tantùm cœcus eſt ad obiecta, ſed etiam ad videndum ſe cœcum eſſe. Affectum ſentit, affectuum tyrannidem non aduertit: videt affectum, ſe autem affectuum faſcino excœcari non videt: & inde iudicat rerum vitium eſſe, quod ſuum eſt. *Non tantùm quid videas, ſed quemadmodum refert.* O abſtrahamus mentis perſpicaciam ab affectuum collegio, ne *animus noſter ad vera perſpicienda caliget!* Ad rem ipſam diligenter attende, & oculos interim deflecte à perſona, quæ illa re afficitur, & quæ rem illam patrat, vt defæcato iudicio cenſeas; ne cœcus erga perſonam affectus, in rem ipſam reuerberet cœcitatem. Benè hîc vtroque lumine orbatur Tobias, vt eius viſus ad perſonas corporaliter cœcus, ad res ipſas foret mente oculatiſſimus; de cœcitate ad hominum eruditionem perſpicacior.

1. Seneca Epiſt. 71.

Non tam quid videas, ſed quemadmodum, refert: ne putes vitium eſſe rerum, quod eſt tuum.

Clem. Alex. lib. 1. Pædag. c. 8.

Ratio eſt germanus ad beneuolentiam coadiutor.

Hic v. 11.

Ioannis 15. in vltima, quam Chriſtus ad diſcipulos, concionem habuit; iam morti proximus, 2.

multa de cœli schola ad erudiendos humanos affectus, eloquenter suggessit: & de reciproco amore præsertim, ita fatur: *Hoc est preceptum meum, vt diligatis inuicem.* Non morabor lectorem disquirendo, an hîc Christus de mutua dilectione imponat præceptum, an consilium suggerat? & si consilium est, quare intimetur præcepti vocabulo? Illud autem curiosiùs peruestigare oportet, quare cùm perfectum amorem erga proximos nunc informet, non exprimat, quem reciproco amore diligere debeamus? Diligite inuicem, ait, nec explicat, quosnam ad inuicem diligere debeamus? An non proprius, & explicatius dixisset: *Hoc est preceptum meum, vt vos metipsos inuicem diligatis?* Verbo absoluto, respectiuam amoris actionem denotat? O discamus, Scriptoram dum tacet, andire; & dum loquitur, erudiri! S. Augustinus sic præfata Christi verba subtiliter exponit: *Hoc est preceptum meum vt diligatis inuicem. Discernitur autem ista dilectio ab ea qua se inuicem diligunt homines, sicut homines* Plura Augustinus significat, quàm dicit, qua pollebat ingenij profunditate. Nempe huius sæculi homines amant homines, vt homines, dum præit notitia personæ, quam amant. Vos autem, non spectetis personam diligendam, nec hominem quem amare debetis; sed bonitatem, quam amoris affectu prosequamini. Bonum ipsum, quod est amoris obiectum, nudè diligite; nec attendatis ad personam, in qua eiusmodi bonitas eminere videtur: ne fortè affectus ipse vos decipiant, dum mentis aciem personæ beneuolentia, aut tædium perstringit, & deludit. Spectate, & pensate hominis actionem, illam abstrahendo ab homine: nam forsan affectionis præstigio inducti, eadem actio, quę in Caio videbitur egregia, erudita, prudens, strenua, sapiens, pia, & siquod aliud est virtutis elogium: & illa ipsa in Titio, mediocris, segnis, sordida, vilis, scelesta, etsi aliud est vitij vocabulum, fortè videbitur. Sic mentem deludit affectus! Ergò cùm amandum vobis est, maximè attendite, ne diligatis homines, vt homines: sed *diligite inuicem*; nec exprimo, quamnam personam diligatis; vt vester amor, à persona diligenda abstractus, in bonum feratur: ne forte si personam spectetis, rem odio dignam, amore aliquandò prosequamini; & rem amabilem, de affectionis lenocinio, fastidiosè auersemini. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Igitur Christus instruens Discipulos, & in eis fideles omnes, amoris disciplinam, hanc nō metaphysicam, sed practicè moralissimam, amoris abstractionem edocet; quò non à persona, sed à re ipsa, consultiùs fiat amoris census. Sic liceat ex hoc loco ad mores velitari. Litteralissimum sensum in commentariis super Ioanne, olim tradebamus.

Ioan 15 v. 12

Amor feratur in bonum, à persona abstractum, ne nos affectus deludat.

August. Tract. 83. in Ioann.

Isaiæ 5. v. 20

3. Christus Deus cœlestis doctrinæ Magister, & peritus humanarum affectionum medicus; nuper traditam doctrinam iteratò inculcat, quò altiùs auditorum animis infigatur, nec vlla affectuum violentia refigatur, sic aiens: *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Si mundus vos odit: scitote quia me priorem vobis odio habuit. *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret: quia verò de mundo non estis, propterea odit vos mundus.* Geminata sententia hîc nos erudit Christus: altera mandat, vt *diligamus inuicem*, nec exprimit personas, quas diligere debeamus, vt defœcatior & sincerior nostra dilectio feratur. Altera sententia est, quòd mundus Discipulos amore dignissimos, ideò prosequetur odio, quia malè affectus est in eos, quia de mundo non sunt, & ob eam caussam vnicè diligendos, peruersissimè odit. Quò alludere videtur Minutius Felix polito vir ingenio, & eloquio, dum Cæcilium ethnicum sic inducit cum Octauio Catholico argutàtem, & pios Christianorum cœtus spurco ore fœdantem: *Occultis*, inquit, *se notis, & insignibus noscunt Christiani, & amant mutuo penè antequàm nouerint; passim etiam inter eos, velut quadam libidinis religio miscetur, ac se promiscuè appellant fratres, & sorores, vt etiam non insolens stuprum intercessione sacri nominis fiat incestum. Ita eorum vana, & demens superstitio sceleribus gloriatur.* Vide hîc quàm vana, & stulta dementia pios cœtus Christianorum, qui olim fratres nominabantur, mundus culpet, adeò vt charum fraternitatis nomen, incestuosæ libidinis reus sit, dum Sacra Christianorum religio, vel ex pietate incestatur, odij libidine. Sed nota mihi, quàm exactè Christiani impleuerint prædictum Christi mandatū: *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem*, neque exprimit, quasnam personas diligere debeāt, quasi mente abstrahendus sit amor, & velut incognita persona in personæ bonitatem ferri. *Et amant*, inquit, *mutuò penè antequam nouerint.* Et quem amant? subticet Christi imitamento: *amant* enim *mutuò penè antequam nouerint.* Quid illustriùs ad hanc rem? ô ama nudam proximi bonitatem, penè antequā personā noueris, ne te decipiat affectus, aut præuij odij tædio, aut beneuolentiæ blandimento! Sit hæc saltem nostra admonitiuncula, velut collyrium, quo humani oculi ab affectu cœci, inunguntur, si fortè aut aspectum illuminent, aut minùs cæcutiant, cognata affectuum cœcitate. *Sicut omnia ingrata videntur obscura, sic generaliter dilecta præclara sunt*, sententiosè dixit Aurelius Cassiodorus, quasi res, aut claritatem, aut obscuritatem à nostro affectu arcanè fœneretur. O nimis verè! Exindè impudens illa Iosephi Domina, quæ derepentè amorem in iram conuertit, & ex blanda beneuolentia dura procudit arma, & ex grato nuper eloquio linguam accusatricem suscitauit; à Seleuciensi Basilio sententiosè dicitur, *Affectibus diuendita*. O affectuum nundinas! Heu quàm vili pretio nos affectibus vendimus! Heu affectiones, vel mentis dominatrices!

Ioan. 15. v. 17 & 19.

Christianorum pudica sacra, mundus quia odit, incestat.

Minutius in Octauio.

Libidinis religio.

Christiani amant mutuò penè antequā nouerint.

Cassiod. lib. 3. Epist. 5.

Basil. Orat. 8.

4. Lucæ 15. Prodigus ille adolescens ad se reuersus, cogitat de reditu ad patrem. Surgam, inquit, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum, & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenariis tuis. Indignum se dicit amore paterno, qui spe veniæ alacer surgit, & voto remissionis ante remissionem præcurrit. Et surgens venit ad patrem suum. *Cùm autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Venit Filius spe veniæ erectus, non veniæ gratia potitus; & videns illum Pater, in oscula, & amplexus vltrò ruit; Benè dicitur à longè vidisse, qui malè squalidum, ad amplexus, & oscula vidit. Sic Patris oculi, Filij amore tenebrantur; Humano affectu videt, Dei perspicacia non videt, qui Filium à longè videns, sordidas peccatorum tenebras nō aspexit. Bellissimè ad præfata verba, sic ad rem Philosophatur Chrysologus, diuinæ perspicaciæ opportunus vindex: *Cùm adhuc longè esset, vidit* illum

Lucæ 15. v. 20.

Aspectus Patris non videt culpas, fugat crimina, expellit noxam.

Chrys. ser. 3

illum pater ipsius. Pater vidit illum, vt ille patrem posset attendere: patris visus illustrauit filij venientis aspectum, vt tota fugaretur obscuritas, quę circumfusa fuerat de reatu ..... Aspectus patris fugat crimina, expellit noxam, cunctam nequitiam, & tentamenta propellit. Paternus Dei aspectus, de pięuia amorosi affectus vi, omnes à filij conscientia obscuritates fugat, extergit criminum sordes, noxarum expellit enormitatem, & totam nequitiam, & tentamenta propellit. Humana vitiositas falsatam bonitatem humano aspectui obiicit, affectionis præstigiis; non obtutui diuino; qui de beneuolæ affectionis vi, sic fugat peccatorum tenebras, sic gratiæ officiositate, velut innocentiam venia resculpit, *vt tota fugetur obscuritas, quæ circumfusa fuerat de reatu.* Humanus affectus oculos deludit humanos, non diuinos: nam Dei aspectus, qui cœpit in peccatore, consummatur in iusto, dum iustum facit ex peccatore. Porrò cœlestis *patris aspectus fugat crimina, expellit noxam, cunctam nequitiam, & tentamenta propellit*: & de beneuolo eius visu, *tota fugatur obscuritas, quæ circumfusa fuerat de reatu.*

§. LXXX.

Qui conscientiæ defectus in alio iudicat, diuinam perspicaciam malè suffuratur, & cæcè videt, hu cæcus.

1. NEscit mederi morborum ignarus. Hinc Reipublicæ Præses, communitatis Præsul, iuuenum pędagogus, & vniuersatim omnis morum instructor, sedulò perscrutari, & dignoscere satagit subiectorum ingenia, & coniecturis suspari, quæ in cordis secessu, & mentis penetralibus geruntur. Res sanè ardua, & quam obnij errores de temeritate castigant. Nam tametsi ea, quæ in fronte, nutu, & voce versantur, signa sint affectuum, qui in animo latent, nec res alia magis prænunciand quidem in homine simplici, & candido, qui semel videtur totus, plurimum valet: sed alia ferè oratio, & frons candidi pectoris, alia simulati, & fraudulenti est, hæc sæpè inceptum sistit cursum, & dum prodi metuit, variè interscinditur; cumque insidias, quas instruit, veretur, omnia tuta timet, nusquam proindè certò pedem figit, sed tanquam per subiectas prunas spinasve graditur, nulli fidens, quià nulli fidus. Lentè procedit, & latentis animi signa velut è profundo educta potiùs premit, quàm explicat, quin & persæpè diuersissima simulat, vt mentem dissimulet. Quis ergò erit tā sagaciter perspicax, qui in cœcis indiciorum litteris, quod in animo abstrusè latet, se perspicaciter legisse credat? Sic temerè de aliis iudicare, socordia est, non sagacitas. Fingit quod vult, sed ficta damna correptione emendat, sæpe grauiori damno. Apud prudentiæ Tribunal, fallax iudicium suspicionem ingerit, non fidem extorquet. Oculatior prudentia videt quovsque habet oculos. Non videre, quæ nusquam apparent, perspicaciæ pars est, quia cœcitatis est portio, quod putes videre, quod videri non potest. Diuinitatis elogium est, secreta cordis pœnitiùs intueri. Ne vt iustus apud homines videaris, iniuste vsurpes quod diuiniori scientiæ solummodo reseruatur.

Nimis arduum est, hominem medullitùs cognoscere.

2. S. Iobus c. 19. dum calamitas temporis mora, & amicorum consolatione adolesceret, magis querulus compassionem exposcit, cum epithasi ingeminans commiserationis experitæ vocabulum, aiēs: Miserimini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Quid nunc magnanimum tolerantia virum, sic insolenter excruciat, vt commiserationem exposcat? Audi nouam dolēdi caussam, quæ eius flecti-nesciam perperuò tolerantiam valentiùs concutit: *Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini?* Meritó-ne Iobus conqueritur, quia homines illum, sicut Deus persequantur? Quid non bonum in Dei operibus? Quid homini honestius, & Deo gratius (imò & adulantius) quàm Deum, vt vt homo potest, æmulari? Strabus Fuldensis, vidit hanc difficultatem, & sic respondens locum extricare contendit: *Quare persequimini me sicut Deus? Tanto Deus instius aliena vitia percutit, quantò in se nihil habet vitiorum. Et est sensus: Ita me ex infirmitatibus meis affligitis, ac si ipsi more Dei de infirmitatibus nihil habeatis. Sicut Deus, idem cum Deo agunt.* Verùm cùm hæc Iobi persecutio, sit sinistra, & audax persuasio, qua illius amici inimicissimi, Iobi conscientiam scrutati, & de eius intentione temerario iudicio censere audebant; ideò suum damnum, & Dei iniuriam hîc querulus incusat, aiens: *Quare persequimini me sicut Deus?* Bellissime Tertullianus, ita etsi aliorsùm fatur: *Æmulantur diuinitatem, dum furantur diuinationem.* Quasi dicat: Vnius Dei elogium est, abscōnsa humanis oculis scrutari, & inuisa perspicacius intueri: ergò vos dum penetral a meæ conscientiæ, vestris coniecturis vidisse præsumitis, insanè Dei æmuli estis, dū eius iurisdictionem, nemini cōcessam, temerariè vsurpatis. *Quare persequimini me sicut Deus; æmulantur diuinationem, dum furantur diuinationem.* Vos inanium suspicionum fallaci ductu, in conscientiæ meæ secessum, soli Deo peruium, intratis & leuiculis coniecturis quicquid lubet, vobis licere putatis. Ego cuius sacrilegi furti, & temerariæ rapacitatis iustiùs vos arguam: nam impudenter æmulamini diuinitatem, dum furamini diuinationem. Impij aduersus Deum estis, dum absconsæ conscientiæ, affectuum abditorum, & intentionis meæ in cordis latibulo absconsæ, furto iudicium vsurpatis: mihi estis acerbè iniuriosi, quia in vestris coniecturis, defectus, quos non commisi, perlegitis: vobis etiam contumeliosi estis, nam specie perspicacioris sagacitatis, allucinamini, cœcutitis, erratis. Ecquis tot in vno vestro temerario censu damna ferat? *Quid persequimini me sicut Deus? Æmulantur diuinitatem, dum furantur diuinationem.* Subtiliter sane Tertullianus. O nimis superbum illud Theodori regis, de tacita Dei æmulatione! *Mens tua, & oculis nostris patebit, & auribus.*

Iob. 19. v. 22.

Peruersè æmulatur diuinitatem, qui suspicionibus furatur diuinationē.

Strabus ibi.

Tertull. in Apologet. 22.

Cassiod. lib. 6. Epist. 9.

3. Itaque plerumque non ex alienæ conscientiæ malignitate, sed ex nostri aspectus cœcitate venit quod ex leuiculis suspicionibus alienos defectus diuinemus, & videre nobis videamur. Iacobus in primo suæ epistolæ canonicæ capite ita homines insanos, & temerarios diuinitatis arbitros, alloquitur. *Nolite itaque errare* fratres mei dilectissimi. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, *descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Quis est hic error, quo homines eximere tā studiosè Apostolus satagit? Opinor, non tantùm Dei liberalitatem, sed ipsius quoque innocentiam, & inculpatum candorem vindicare studet

Iacobi 1. v. 17.

Iudicium temerarium venit à nostra considerationē vmbra, in alis videmus.

det, à caligante mortalium malitia, & malitiosa censura. Hinc Deum appellat, *Luminũ Patrem*, id est, auctorẽ. Et addit: *Apud quem non est vicissitudinis obumbratio*, id est, *vicissitudo obumbrationis*. (per Histeronproteron) Quasi dicat: Ne erretis. Deus enim ita est luminis auctor, & totus splendidus, vt in eo nulla sit vicissitudo obumbrationis: malè ergo materiati Solis coniecturis, diẽ ac noctem, lucem ac tenebras perpetuò reciprocantis, de increata luce adsimiliter iudicatis. Deus enim ita est pater & auctor lucis, vt nulla apud eum sit *vicissitudo obumbrationis*. Ex hac vmbræ carentia, Dei innocentiam Apostolus vindicat, quò alludere videtur Gregorius Nyssenus sic doctè fatus: *Vitium dicimus considerari in priuatione, veluti quandam vmbram, quæ accidit transitui radii*. Opinor, quod Nyssenus plura significat, quàm dicit (Sed quis nos existimare prohibeat, Sanctorum verba plus ethicè dicere, quàm aliquibus videntur significare? (Nimirùm quid sit *vitium* Nyssenus explorat; illudque dicit *considerari* in priuatione, sicut vmbra, quam prævius radius transeundo reliquit. Hinc Deus à vitiis asseritur: est enim Pater luminum, apud quem non est *vicissitudo obumbrationis*. Indè etiam multorum conscientia à malitiæ suspicionibus, cæcis coniecturis; & peruersa diuinatione vindicatur. Quodnam est vitium, quo alium culpas, & in conscientiæ penetralibus, & cœco cordis latibulo videre præsumis. *Vitium dicimus considerari in priuatione, veluti quandam vmbram, quæ accidit transitui radij*. Scilicet de consideratione tua venit, quòd in obscura vmbra videas, vt quod reprehendis. Quod in obscura vmbra videtur, falsata *consideratione*, non oculorum luce videtur. O fœdas noctuas, ad virtutum meridiem cæcas, & ad cœcam vitiorum *vmbram* peruersè perspicaces! ô bis cæcos! Cæcus est, qui quod est, non videt: nec minùs cæcus est, qui videre sibi videtur, quod non est. Omnes homines cæci ad tenebras nascimur, quid præsumis tenebras videre, quod diuinæ perspicaciæ negotium est. Quare me iudicatis sicut Deus? Sapiens, nisi quousque habet oculos, non videt. Esto benè cæcus, (vt Tobias) ne sis male videns, alienos defectus cæcè explorando.

Nyssen. Orat. catech. 6.

Hic vers. 11.

4. Geneseos 41. Iosephus annonæ & regni in Ægypto Præpositus, cùm fratres suos agnouisset, quasi ad alienos duriùs loquebatur. Recordatusque somniorum, quæ aliquandò viderat, ait ad eos. *Exploratores estis: vt videatis infirmiora terræ venistis*. Tò *infirmiora*, quidam ex Hebræo textu transtulerunt, *turpitudinem*, vel *ignominiam*, alij *deformitatem*. Moralissimè Caietanus exposuit, quænam esset hæc infirmitas, turpitudo, ignominia, & deformitas terræ, aiens: *Vt videatis infirmiora vel iuxta Hebræum, detectionem terræ, venistis*. Scilicet *detectio terræ*, idest, rei terrenæ manifestatio, illius infirmitas, turpitudo, ignominia, & deformitas est. Occultatione splendebat in Ægypto, quod *detectione* sordescit vsque ad ignominiam, & deformitatem. Heu qualia sunt terræ bona, quæ absconsa fulgẽt, *detecta* ignominiosè squalent! In secreto oculis inuiso, aspectabile, præcelsum, & augustum videtur, quod in publico infirmum, turpe, ignominiosum, & deforme est, quasi à recessu & absconsione bonitatem fœneretur, humanæ æstimationis abusu. Vel aliter propiùs ad rem: *Exploratores estis, vt videatis infirmiora, vel iuxta Hebræum, detectionem terræ, venistis*. Nimirùm qui aliorum occulta liuidis oculis explorat, vltra quam habet oculos intuetur, & censuræ sinisteritate, alienos defectus cæcè videt. Multa erant in Ægypto aspectabilia, & sumptuoso censu dignissima: at qui eam explorat, dum curiosa malitiosè mente *detectionem* inuenit, *infirmiora, turpitudinem, ignominiam, & deformitatem* reperit. Sic malitiosa humani iudicij exploratio, in malum cæcè videt! Bona præterit inuisa; & ad bonitatem male cæcus, deformitates malitiosè oculatus intuetur.

Genes. 41. v. 9.

Qui res mundi detegit, deformitatem inuenit.

Caietan. ibi.

5.

Qui res malitiosè in aliis detegit, illius deformitatẽ duntaxat videt.

6. Lucæ 5. non inuenientes qua parte inferrent paralyticum præ turba, ascenderũt supra tectum, & per tegulas submiserũt eum cum lecto in medium ante IESVM. Quorum fidem vt vidit, dixit paralytico: Homo remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt cogitare Scribæ & Pharisæi, dicentes: Quis est hic, qui loquitur blasphemias? *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Vt cognouit autem Iesus cogitationes eorum, respondens dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus vestris?* &c. Ad quæ verba sic fatur Cyrillus: *Quasi dicat: ô Pharisæi quia dicitis: Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? respondeo vobis: Quis potest secreta cordis scrutari, nisi solus Deus, qui per Prophetam dicit: Ego Dominus scrutans corda, & probans renes?* Igitur si tacitam vestri cordis malitiam in vestra conscientia agnosco, me Deum esse, manifestè probo: & indè me posse peccata dimittere. Vtrũque solius Dei elogium est: ergò alterutrum ex altero redarguitur. Et tamẽ adhuc Scribæ & Pharisæi non credunt Christum esse Deum, tametsi latentem in suo corde malitiam probet, quasi hoc elogium peruidendi alienã malitiam in conscientia absconsam, non sit solius Dei elogium. Nam audax hominum malitia *æmulatur diuinitatem, dũ furatur diuinationem*; temerariorio quidem, sed verosæpè iudicio: quippe *in sinistrum pattem strenua suspicio est*: & quius alieni sceleris quantumuis absconsi, ordinarius Propheta.

Num diuinatio alienorum defectuum probet diuinitatem

Lucæ 5. v. 21. & 22.

Cyrill. apud Caten. ibi.

a

§. LXXXI.

Iustus, qui persecutoribus benefacit, etiam de alieno peccato iustitiam suam perseueranter cumulat.

1. Disertissimi pariter ac moralissimi Philosophi celebris sententia est: *Societas nostra lapidum fornici simillima est; quæ casura nisi inuicem obstarent, hoc ipso sustinentur*. Saxum scilicet tota grauitatis mole decumbit in vicinum saxum, illudque vinctum & captiuum tenet occulta ponderis sui catena. Et vice versa aliud sic comprimit aliud, quod nisi cõprimeret, planè omnia corruerent. Ergo dum inuicem obstant, & mutuò sustinentur, perbellum fornicis opus stat, alioqui casurum. Ad eũdum modum humanitas tota in virtutis etiam politia, se habet. Nequit quisquam in hac communi hominũ societate feliciter viuere, qui se duntaxat intuetur, qui ad vtilitatem suam omnia deriuat. Si vis tibi viuere, alteri viuas necesse est. Ne dicas, molestus mihi ille est, durus, grauis, his incommodis stat humanæ virtutis compago, fornici adinstar compacta, alioqui ruitura. Quò grauiora fortiùs sustinet, firmiùs stat, & de sibi adhærescente molestia fulcitur. O felicissi-

Seneca epist. 96.

Societas humana quare lapidum fornici simillima dicitur.

mum illum, qui illatis à conuictore molestiis, & iniuriis extruit etiam perfectæ virtutis fabricam, adeò vt non tantùm de virtute propria, sed de aliena quoque malitia bonus sit quod est argutum amplificandæ virtutis ingenium, prælustri Tobiæ exemplo.

Hic à v. 13. vsque ad 18.

2. Actorum 7. Leuita Stephanus ingrato Iudaïsmo crudus, & gratiæ officiositate maturus cœlo, Dominicæ passion s proximo pedissequus interuallo, reliquias furoris, quem Iudæa ebria eructauit in Christum, in se excipere feliciter meruit. Et cùm totus mundus eius interempti coronam celebret, necessè haber interemptor propriam lugere victoriam. Itaque in piũ Leuitam impia Synagoga ferocit. In Pharisæorum Concilio reus sistitur, falsorum testium criminationibus impetitur; (sed non timet veritas falsitatis insidias) blasphemiæ à sacrilegis damnatur, saxorum crepitantium turbine quatitur, & luridis vibicibus ante mortem cadauerascit. Et lapidabant Stephanum inuocantem & dicentem: Domine Iesvs suscipe, spiritum meum. *Positis autem genibus, clamauit voce magna, dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Ecce etiam nunc multò latiùs, multoque pretiosiùs dum charitatis suæ præconio, magnanimitatis trophæa, & decorata passionis insignia Stephanus præfert; atque malis debitum odium, generosi cordis benignitate in amorem suũ conuertit, de persecutorũ malignitate merita cumulatiùs adauget. Quod acutè notauit Emisenus, sic ad rem præsentem eloquẽter philosophatus: *Quid agit fidei magnitudo, quæ non vincitur, à malo, sed vincit in bono malum? Dum Stephanus pro impiis Deo plenus exorat, etiam de alieno peccato iustitiam suam cumulat.* Parùm foret Stephano vernantis gratiæ flore venustari, Leuitici ordinis ministerio præclariùs fungi; Scripturarum eruditione, & Euangelij prædicatione clarescere, adeò vt lingua fidei putaretur, & infidelitatis naufragiũ. Parùm foret sacri martyrij purpura indui, & passionis suæ pretiosis lapidibus, velut gemmis meritorum coronam exornare; nisi vincẽs in bono malum, bonitatem suam de aliena amplificaret malitia. Itaque in ipso martyrij sui agone, dum piè meritorum auarus, pro impiis persecutoribus Deo plenus exorat, *etiam de alieno peccato iustitiam suam cumulat*, & generosæ beneuolentiæ arbitrio sanctitatibus superplenus exundat. O piam Martyris auaritiam! nuper Christianæ gazæ largus dispensator, nunc rem virtutis sic auarè tractat, vt opulentis meritorum suorum diuitiis non contẽtus, de aliena malitia bonitatem suam opulentare, artificio charitatis ingenietur; ô arcanam beneuolentiæ virtutem, quæ ingeniosa pietatis metamorphosi, aliena vitia in propriam virtutem quodammodò excudit; & in beneuolæ pietatis officina, ex aliorum malitia propriam bonitatem gloriosè fabricat, ad meritorum auctarium! Vide quàm incrementẽtur Stephani merita charitatis ingenio, quò nequior, inhumanior, sæuior, atrocior fuit persecutorum impietas, eò ipse de pietatis ingenio, virtutes elaborat, sanctitates extruit; merita architectatur, vt quod seruit inimicorum sæuitiæ, suæ militet pietati Nã *dum Stephanus pro impiis Deo plenus exorat, etiam de alieno peccato iustitiam suam cumulat.* Quid illustrius ad hãc rẽ? ô gratus etiam esto inimicis, qui hãc tibi inopinatæ felicitatis occasionẽ offerũt! Quid Deo adulantiùs, & quid tibi vtiliùs, quã iniurias non exequi, sed pia charitate & gratitudine compensare?

Actor. 7. v. 59.

Amor inimicorum, de alieno peccato iustitiam suam cumulat.

Emis. hom. de S. Steph.

Nil vltrà videtur dici, excogitariue posse sublimius, quo beneuolẽtia erga inimicos cumulatiùs prædicetur, quàm quòd Iustus Deo per propriam sanctitatem iam plenus, de alieno etiam peccato iustitiam suam amplificet, lucrosissima meritorum vsura. Sed adhuc propè vltra metam excurrere iuuat. Apud Matthæum cap. 5. ita scribitur: Audistis quia dictum est: Odio habebis inimicum tuum. Nam olim & oculum pro oculo, & dentem pro dente reprobant, *& malum malo fænerabant*, quasi mutuis malis. (Das mihi malum, tantundem capies; imò & plus, de fœnoris vsura.) Nec id mirum, nondum enim integra patientia in terris; quia nec fidei auctor, nec patientiæ integrator è cœlo venerat. Interim impatientia occasionibus legis fruebatur Exprompium id erat, absente Domino ac magistro patientiæ. Qui postquam superuenit, & gratiam fidei cum patientia composuit; iam nec verbo quidem inimicum lacessère, nec fatue quidem dicere, sine iudicij periculo licet. *Probibita lingua, restricti animi, compressa petulentia manus, exemptum linguæ venenum; plus lex quàm amisit, inuenit*, dicente Christo: Diligite inimicos vestros benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos: *Vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est.* Nemo interpretum in huius sententię vestibulo non offendit. Quid est, Benefacite inimicis vestris, vt sitis filij patris vestri? ô impeditam tautologiam! quasi quis possit non esse sui patris filius. Estò, aliquis non integræ patientiæ, suis persecutoribus, & calumniatoribus minimè benefaciat, si cœlestem habet Patrẽ, Patris cœlestis filius erit. Nisi quis putet, non filium habere posse patrem. Quid ergo est: *Vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est?* Tertullianus hæc Matthæi verba referens, ita concludit: *Vides, quem nobis Patrem patientia acquirat?* Quasi dicat: Vt sitis filij Patris vestri cœlestis, ac proinde fratres Christi, qui pro se persequentibus exorauit. Τὸ *acquirat*, verbum lucri est: & quid lucrosius tanto Patre? Verùm si alicubi Discipulus est super magistrum, nunc maximè Cyprianus, exponens præfata Matthæi verba: *Vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est*, ita scribit: *Patientia efficit, vt perseueremus Filij Dei, dum patientiam Patris imitamur*, quasi dilectio inimicorum efficiat, vt Filij Dei *perseueremus*. Nimirum vnusquisque per fidem, inchoatam auspicatur Dei filiationem, quam per gratiam & charitatem perficit; quilibet enim iustus est filius Dei adoptiuus: At cùm tam obuium & frequens sit, calumniatorum, & persecutorum iniuriis patientiam concuti, & charitatem excuti; hoc familiare periculum deuitauit, qui inimicos diligit, & aduersariis benefacit, adeò vt de *perseuerantia* in Dei filiatione quodammodò gratulari sibi possit. (Quemadmodum qui adhuc nauigans, syrtes, aut vada cæca sospes traiecit, iam portum legisse sibi præmaturè plaudit) *Patientia* erga inimicos *efficit, vt perseueremus Filij Dei.* O! quid tam iustis expetendum, quàm in accepta gratia vsque ad finem vitæ *perseuerare*, inter tot inimici insidias, & intestinas corporis pugnas, & mortis æternæ sæuas minas? ô quàm magnum est in periculo, periculi securitatem nancisci! Ergò, *Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos, vt sitis Filij Patris vestri, qui in cœlis est. Patientia efficit, vt perseueremus Filij Dei.* Itaque Iustus per propriam sanctitatem sanctus est: per dilectionem inimicorum, & de aliena malitia iustitiam

Tertull. de Patient. c. 6.

Perseuerantia, dilectionis inimicorum quodammodo appendix est.

Idem sup.

Matth. 5. v. 45.

Tertull. sup.

Cyprian apud Cerda ibi.

stitiam suam cumulat; eamque certa quodammodo *perseuerantia* amplificat, vsque ad mortalis vitæ finem, & immortalitatis confinia, quasi degens in terris, colonıam in cœlos iam transmiserit.

4. Lucæ 22. in atrio Pontificis ignis accenditur, & Petri fides plus friget ad ignem. *Quem cùm vidisset ancilla quadam sedentem ad lumen, dixit: Et hic cum illo erat. At ille negauit eum, dicens: Mulier non noui illum.* Super quibus verbis aptè addubitat Ambrosius, & ad rem tempestiuè respondet: *Quid sibi vult*, inquit, *quod primo eum prodit ancilla, cum viri vtique magis eum potuerint recognoscere: nisi vt & iste sexus peccasse in necem Domini videretur, vt & iste sexus redimeretur per Domini passionem?* Augusta sanè CHRISTI Dei gloria est, humani generis copiosa redemptio & licet perspicuum sit, quòd tametsi in necem Domini minimè fœmineus sexus peccasset, nihilominùs per illam redimeretur: tamen nescio quà specialis. gloriæ prærogatiua venustatur redemptio erga eos, qui in necem Domini peccauerunt. Magnum planè redemptionis elogium est, quòd eos vberem reuerberet gratiam, à quibus atrocem passionem ingratè patitur. Vnde (ait Ambrosius) fœminæus sexus peccasse in necem Domini videtur, *vt & iste sexus redimeretur per Domini passionem* Quasi CHRISTVS de alieno tortorum aduersus se in passione sua peccato, redemptionis suæ glorias sumptuosiùs cumulet.

Lucæ 22. v. 56. *Fœmineus sexus peccat in necem Domini, vt magis resplendeat passionis gloria*

Ambr. l. 10 in Lucam ad ea verba

§. LXXXII.

Imbecilla non est Christianismi virtus, cuius vinci victoria est.

1. MAgnam fortunam magnus animus decet: qui nisi se ad illam extulit, & altior stetit, illam quoque infrà terram deducit. Magni autem animi est proprium, placidum esse tranquillumque etiam dum offenditur, & offensiones sæpè dissimulare, semper despicere. Te prius vince, vt alios possis generosiùs vincere. Qui se vincere nescit, seipso inferior est, ipsaque victoria vincitur infelici felicitate. Profectò vt otium Magnanimi proprium est, (quia cùm magna rarò occurrant, & parua neglectu transeat, sæpè otiatur) ita etiam, & cedere scit, cùm oportet; & detriumphari se patitur, cùm præualere posset, (quod est generosum victoriæ genus.) Quin & aliquandò de imbecillitate victoriam parat, trophæa erigit, triumphos adornat, qui est augustior vincendi fastus. Parùm foret magnanimæ virtuti, si sola potentia victoriam reportaret; impotentia, & infirmitate potentem vicisse concertatorem, & velut è peruerso auxilia sumere generosior victoria est, & piè quasi superbum Christianismi elogium, ad sæcularis Philosophiæ inuidiam. *Putes Theodoricum, & in calculis arma tractare*, (in tesserarum ludo) *Sola est illi cura vincendi. In huius iactibus tacet, in malis ridet, in neutris irascitur, in vtrisque Philosophatur.* Qui in bonis iactibus vincit; tunc quasi victus, tacet: & dum malis iactibus vincitur; tunc quasi victor, ridet, exultat, triumphat: & de affectata politiæ æquanimitate, veram virtutem æmulatur. *Propter quod*, ait Paulus, *placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis, pro CHRISTO: cùm enim infirmor, tunc potens sum.* Quid tam sublime quàm aduersarij potentiam impotentia exarmare, & imbecillitate fortitudinem vincere? An non cùm propemodum animo cadit Tobias, infirmitate potens est, & aduersarias potestates *immobilis* detriumphauit? Hic v. 14.

Sæpè imbecillitas dum fortiter cedere scit, vincere nescit.

Sidonius Appoll. in Epistol. ad Agricolam

1. Cor. 12. v. 10.

2. Geneseos 32. Iacobus è Mosopotamia opulentè redux, de conscientia fraudis, barbarè agrestem Esaü valido satellitio armatum, anxie timet: & qui pauper, & profugus vbiuis securè versabatur, numerosa prole, & magnis opibus auctus, vel vmbras metuit, quasi felicitas sit solliciti timoris mater, & tranquillæ securitatis nouerca. Placando fratri dona præmittit, si fortè præreptum olim maioratum, nunc munusculis redimat. Sic Iacobus de obsequio præsumit; Ergò traductis omnibus, quæ ad se pertinebant, *Mansit solus: & ecce vir luctabatur cum eo vsque mane. Qui cùm videret quòd eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit. Dixitque ad eum: Dimitte me*, &c. Nemo hîc non miratur, quòd Iacobus vir pacatus, & minimè pugnax, nec palæstris adsuetus, sic cum Angelo decertarit, vt eum planè vicerit, & luctando superarit: vnde luctator Angelus inducias postulat, & se ab hostili brachiorum nexu dimitti supplicat. An non Angelus viribus præpollet homini? an non sæpè valido adnisu Iacobum ad terram allidere potuit? Si robur robori comparemus, robustior est Angelus: sed fortè in hac lucta non ex roboris potentia, sed ex impotentia imbecillitatis, auspicium victoriæ est. Eruditè pariter, & argutè hac super re Philosophatur Emissenus, ad præsentem thesim tempestiuus: *Refert*, inquit, *& traditio sæcularium litterarum, habuisse quendam in exercitio vsque certaminis hoc genus virtutis, ac roboris: vt quoties in luctamine succumbens virium suarum amicam, & nutricem terram impulsu aduersarij contigisset, toties de solo surgens magis, ac magis in aduersarium præualeret: ac sic deiectio prostrati, occasio fiebat triumphi, dabat enim quodammodo infirmitas fortitudinem, lapsus palmam, ruina victoriam. Puto hac illi cœlesti athletæ, qui contra Iacob legitur fuisse luctatus, iustius aptari posse.* Nempè Iacob, & agresti fratri, & cœlesti Angelo viribus longè impar; non vi, non astu, sed imbecillitate ad humilem terram potentiùs allisa, potentior fit, & victoriam infirmitate reportat. Deiectio prostrati, occasio fiebat triumphi, & trophæa è peruerso excitat, dum infirmitas adipat fortitudinem, lapsus præripit palmam, & ruina erigit victoriam. O quoties aduersario submissè cedendo, aduersarium vincimus; & dum illi victoriam concedimus, nobis victoriatum est: ipso persæpè aduersario eiusmodi triumphis postmodum applaudente, & se sua victoria victum proclamante. Qui deiectione prostratus, sublimiùs erigitur, infirmitate fortitudinem solidat, & dicere potest cum Paulo: *Cum infirmor, tunc potens sum.* Hæc doctrina de Crucis gymnasio eruditur. CHRISTVS enim ad hoc cessit, vt gloriosus resurgeret: ad hoc cecidit: vt secum omnes eleuaret: quia aduersarium effusus obruit, prostratus elisit: iacentemque hominē deiectus erexit, mortemque eius dum succumberet, percussit; ac mortuum dum resurgeret, suscitauit. Sic de Iacobi typo CHRISTVS vincit, sic vincit Christianus, si vt Christianus vincit, reliqua victoriæ fides, pagana est.

Genes. 32. v. 24 & 25. *Datas Iacobo infirmitas fortitudinem lapsus palmam, ruina victoriam.*

Emiss. hom. 8. de Pascha.

3. Ad Romanos 8. magnanimam Pauli virtutem *infirmitate potentem* loco vis nulla detorquet.

non labor, non fames, non nuditas, non persecutio, non potestas, non ambitio, non felicitas, non metus, non periculum, non mors, non tormenta morte ipsa grauiora: nam vt omnia non magnopere deuincat, se primò vincit, & imbecillitate robustior est: *Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos.* Quæ verba sic exponit Anselmus Laudunensis: *Sed in his omnibus tribulationibus, & tormentis positi, superamus, id est, superiores efficimur.* Ecce tibi Pauli natura ad omnem perturbationem timoris obnoxia erat, & ad omnem vim doloris infirma: horribilia tormenta, & immanes calamitates ante oculos exposita, virili pectore, & mascula magnanimitate iam despicit, & illa tanquam oblatam nouæ victoriæ occasionem, velut immortalitatis pignus inuadit: & quod corpore accipit, mente non sentit: *foris cedit, intùs triumphat: quem cruciat manifesta pœna, pascit docta victoria:* & inconcussa patientia sæui hostis detriumphat victoriam, dum illius potentiã infirmitate vincit, liceat nunc de Paulo dicere, quod de patientia Zeno Veronensis olim dixit: *Incertum est, vtrum impassibilis iudicetur, cùm aliquid passus, quasi nihil passus sit, inuenitur. Impossibile est eius æstimare virtutem, cuius vinci victoria est.* Vides Paulum quasi abiectum peripsema tractari, contumeliis impeti, tormentis excruciari, naufragiis obrui, persecutionibus vrgeri, carceribus stringi, & quasi mortis destinam vbivis trahentem; propè incertum est, vtrum in passibili corpore impassibilis sit, cùm tam dura passus, quasi nihil passus sit, inueniatur: & cùm foris cedit, intùs triumphat, & quem cruciat manifesta pœna, trophæa erigit abscondita victoria. O nimis verè! *Impossibile est eius æstimare virtutem, cuius vnius vinci victoria est: ac si de iectio prostrati, occasio fiebat triumphi: dabat enim quodammodo infirmitas fortitudinem, lapsus palmam, ruina victoriam.* O beatè felices Sanctorum passiones! ô feliciter triumphales patientiæ calamitates! Quis dignè æstimet virtutem, cuius vinci victoria est?

Ad Romanos 8. v. 37.

Anselm ibi.

Quis æstimet virtutem Pauli, cuius vinci victoria est.

Euseb. hom 4 de epiph.

Zeno ser. de Patient.

4\. Lucæ 12. sic Christus Deus pauculos tunc discipulos, & in eis totam Ecclesiam alloquitur: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Benè inibi notat Theophylactus, quòd pusillum gregem Dominus vocat volentes Discipulos eius fieri, & in Ecclesiæ aluo consignari. Verùm enimverò cùm tam copiosiùs futurus sit fidelium numerus, per vastas totius mundi regiones vbertim propagandus; quare *pusillum* appellat? *Pusillum gregem Dominus nominat*, (ait inibi Beda) *ob humilitatis deuotionem.* Addit Cyrillus Alexandrinus: *Quamuis hic grex paruus sit, & natura, & numero, & gloria bonitas tamen Patris concessit, & huic pusillo gregi cœlestium spirituum sortem, scilicet regnum cœlorum.* Mirum sanè est, & valdè mirum, quòd cùm metum ab Ecclesia arcet eamque empyreo regno donat, tunc illam appellat *pusillum gregem ob humilitatem*: quando *hic grex paruus est, & natura, & numero, & gloria*, tūc sic quasi de exiguitate exaltatur, & de pusillitate excelsius sublimatur. Opportunè Saluianus Ecclesiam alloquens, ita scribit: *Facta es profectu tua fœcunditatis infirmior, atque accessu relabens, & quasi viribus minus valida*, ac si pusillitas præbeat robur, infirmitas fortitudinem, humilitas sublimitatem, lapsus palmam, ruina victoriam: sic Ecclesia dum pusilla est, ad maiorem gloriam ampliatur. Quandò verò deuictis proprio sanguine Tyrannis, per vasta terrarum spatia numero immensè propagatur; tunc *facta est profectu sua fœcunditatis infirmior, atque accessu relabens, & quasi viribus minus valida.* Ergo nec pusilla, nec imbecilla est Christianorum virtus, cuius pusillitas amplitudo est, imbecillitas robur, ruina fastigium.

Lucæ 12. v. 32.

Ecclesia facta est accessu relabens, & viribus minus valida.

Beda ibi. Cyrillus apud Caten.

Salu. lib. 1. ad Eccles.

1\. Corinthiorum 1. dum Dæmonem Paulus exarmat, & mundum detriumphat, Deóque victoriarum est de perillustri trophæo, quod pia Apostolorum imbecillitas erigebat; ita fatur: *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.... Et infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret.* Porrò pia infirmitas Apostolorum, quæ pati scia, vindictam facere nesciebat, mundum deuicit. *Parum cauta est simplicitas,* (ait Nazianzenus:) *clementiæque adiuncta est imbecillitas.* Multa paucis complexus est Nazianzenus. Nam contra eum, qui clementiæ blandimento lædentibus facile ignoscit, quivis impunè crudeliter armatur absque retaliatûs periculo. Inde expromptius clemens, quasi imbecillus tractatur. *Clementiæ adiuncta est imbecillitas.* Sed hæc imbecillitas infirmitate, roboratur, & è contrario fortius inualescit. Nam *infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.* Dabat enim Apostolis infirmitas fortitudinem, lapsus palmam, ruina victoriam. 5.

1\. Cor. 1. v. 25. 27. & 28.

Clementiæ adiuncta putatur imbecillitas.

Naz. Orat. 1. in Iulian.

---

§. LXXXIII.

Contemptu, & ioco immissa plaga, acerbissimè patientiam sauciat.

Sanctus Irenæus futilē, ac friuolā Valentini hæresim, id est, Valentinianorum Æonas irridet egregiè, eosque appellat cucumeres, pepones, & cucurbitas; festiua potiùs irrisione, quàm seria congressione eos confutans: iactata improperia risu exaggerans ad dehonestamenti hyperbolem. Idem argumentum tractans Tertullianus in libro, quem aduersus Valentinianos scripsit, ita ad rem præsentem sententiosè fatur: *Quanquam*, inquit, *distulerim congressionem, solum interim professus narrationem, sicubi tamen indignitas meruit sugillari, non erit de liberatione transfunctoria expugnatio. Congressionis lusionem deputa Lector ante pugnam: ostendam, sed non imprimam vulnera. Si & ridebitur alicubi, materiis ipsis satisfiet. Multa sunt sic digna reuinci, ne grauitate adorentur. Vanitati propriè festiuitas cedit. Congruit & veritati ridere, quia lætans: de æmulis suis ludere, quia secura est. Curandum planè, ne risus eius rideatur, si fuerit indignus. Cæterùm vbicumque dignus risus, officium est.* Scilicet parum foret, Valentinianam impudentiam seria pugna detriūphare, & deliberatis proculcare scommatibus; nisi plerumque lusione, & risu acriùs sugilletur. Porrò cui vel à concertatione laus, vel grauitate qua feritur, non parùm commendatur: exindè victoria, qua seriò profligatur, nobiliter degenerat. Stet ergò imbecillus hostis dextera tua afferente prostratus: nec extinctus, ne periret monimentis, nec seria congressione deuictus, ne viueret arrogantiæ. Plus enim contemptu, & lusione, quàm victoria ipsa detriumphatur, dehonestatur, proculcatur. *Adhuc manent* (ait Theodorico Ennodius) *in soliditate*

1\. Irenæus lib. 1. c. 5.

Tertull. aduers. Valent. c. 6.

Deridendi sunt aliqui hostes, ne vel victrice grauitate honorati videantur.

Actio fortium sæpè iocis impletur.

Ennod. in Panegyr.

liditate virium victricia agmina, & alia iam creuerunt: durantur lacerti mysilibus, & implent actionem fortium, hinc vocantur.

2\. Exhodi 10. Pharao tot plagarum eloquenti suasioni adhuc obstinate surdus: indè durior, vndè cre i poterat emolliri; egressum Hebrææ gētis pertinaciter recusat. Et dixit Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem: ego enim induraui cor eius, vt faciam signa mea hæc in eo, *Et narres in auribus filij tui, & nepotum tuorum quoties co triuerim Ægyptios, & signa mea fecerim in eis: vt sciatis quia ego Dominus.* Omnipotentiam exerit Deus, vt ex plagarum calamitate se Deum probet. Magnum planè Diuinitati momētum, & in quod intentius incumbat plagarum acerbitate. Sed inuestigādum est, quid significare voluerit per verbum, *contriuerim*, pro qua voce Hebraïcè scribitur עלל *Halal*, quod significat *conterere, vastare, vindemiare, illudere.* Vnde Cardinalis Caietanus adspectu ad Hebræum textum, ita & peritè exscribit, & acutè hūc locum exponit: *Quoties contriuerim Ægyptios, &c. Ad similitudinem igitur illudentis manifestat Deus se facere hæc signa, hoc est, tanquam iocoso contemptu Pharaonis feci hæc in Ægypto.* Nempè vltio quæ fit aduersariis illudendo, seu iocoso eorum contemptu; ea, ea inquam, propriè dicitur, aduersarium *conterere, vastare, & vindemiare.* Porrò qui affectato quodam neglectu, & iocoso contemptu cū aduersario agit, illum acerbiùs sauciat. Multi sunt sic digni reuinci, ne grauitate adorentur. Seria pugna sæpè hostem honorat; quem neglectu, ioco & contemptu contriuisti, deuastasti, vindemiasti, & velut in torculari oppressisti, emedullasti, & exuccum reddidisti. Hinc Deus certat cùm Pharaone, sordidis è cœno ranis, pusillis muscarum plebecula; pediculorum, & sciniphum turba, & exilioribus ad pugnam animalculis, ne grauiorum plagarum acerbiori molestia, serio cum Pharaone congredi putetur. *Ad similitudinem igitur illudentis manifestat Deus se facere hæc signa, hoc est, tanquam iocoso contemptu Pharaonis feci hæc in Ægypto; vt sciatis quia ego Dominus.* Profectò inflictam plagam vir fortis ferre potest: at quando ipsi plagæ irrisio miscetur, sæpè ei vel magnanimus succumbit.

Exhod. 10. v. 2.

Ioco & contemptu contentur aduersarius; grauitate honoratur esse acerbius sauciatur.

Caiet. ibi.

3\. Matthæi 27. Cæsaris iniectus metus, titubatio iustitiæ in Pilato fuit; & quem æquitas incorruptum seruabat, Cæsareę gratię amittendę menitus rumor, ad iniquitatem impotēter subornauit. Et IESVM flagellatū tradidit eis vt crucifigeretur. Tūc milites Præsidis suscipientes IESVM in prætorium, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem, *& exuentes eum*, clamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis posuerūt super caput eius. Et genuflexo ante eum, *illudebant ei*, dicentes: Aue rex Iudæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. *Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis eius, & duxerunt eum vt crucifigerent.* Quàm fuerit acerbè cōtumeliosa hæc Christi irrisio, qua velut per iocum illi dura patiēti, risu & contemptu insultabant, peregregiè tradit Hieronymus præscripta verba his verbis elucidans; *Quandò flagellatur IESVS & conspuitur & irridetur, non habet propria vestimenta, sed ea quæ propter nostra peccata sumpserat. Dum autem crucifigitur, & illusionis atque irrisionis pompa præterierit, tunc pristinas vestes recipit, & proprium assumit ornatum; statimque elementa turbantur, & creatori testimonium dat creatura.* Exploranda sunt primò verba, mox rei nucleus, qui sub verborum cortice latet, emedullandus. Scilicet dum Christus crucifigitur, *illusionis atque irrisionis pompa præterit.* Quid est quòd dum Christus in acerbissima Passione contemptim tractatur, eiusmodi contemptus dicitur, *illusionis atque irrisionis pompa*? Profectò *pompa*, culmen honoris, & triumphalis gloriæ summam denotat; & in grauioribus pœnis *irrisio*, contumeliæ dedecus probrosè exaggerat. Verùm S. Hieronymus æquus Dominicæ *irrisionis* in eius Passione arbiter; quasi parùm foret acerbissimam *illusionis* in tormentis pœnam proprio explicasse vocabulo, à summo *pompa* honore nomen mutuatur, quò acerbitatem contumeliæ sumptuosiùs exponeret. Nam sicut *pompa*, compēdium & summa est triumphalis gloriæ; sic in tormentis, *illusionis atque irrisionis pompa*, acerbioris ignominiæ dedecus viuaciùs exponit; dum summum vocabuli splendorem, in obscuriorem contumeliam trahit, & exaggeratior vocabuli significātia è peruerso auxiliatur. Addit profundè Hieronymus, quòd cùm Christus in Passione *conspuitur & irridetur, non habet propria vestimenta, sed ea quæ propter nostra peccata sumpserat. Dum autem crucifigitur, & illusionis atque irrisionis pompa præteriit, tunc pristinas vestes recipit, & proprium assumit ornatum, statimque elementa turbantur, & creatori testimonium dat creatura.* Renuit Christus in propria veste sic in suis tormentis contemptim tractari, & ridiculariè contemni, & nostrorum peccatorum interim vestes assumit, vt probrosissimam illusionis atque irrisionis pompam declinet, & ad homines deriuet; Qui contumeliosum, & seriò peracerbum patibuli cruciamentum in propria veste assumit, eam ad pœnalissimam irrisionis pompā deponit; Magnum sanè irrisionis sacramentum, postmodum creaturarum insolens concussio pandit. Porrò dum Christus aliena veste pœnalissime illuditur & irridetur, quasi creatura suum creatorem dedisceret, nullum præbet compassionis sensum: at vbi cessat irrisionis pompa, & proprio vestimento indutus ad crucifigēdum perducitur, postmodum quasi suum recognouerint Dominum, *elementa turbantur, & creatori testimonium dat creatura.* Profundè quidem Hieronymus! 4.

Cùm Christus contemptim tractatur, illusionis atque irrisionis pompa dicitur.

Matth. 27. v. 31.

Hieron ib.

Quare post irrisionis pompam, Creatori testimonium dat creatura.

Sub aliena veste cur Christus illuditur.

Exhodi 1. impius immaniter Pharao immeritam tunc Hebræorum gentem astutè opprimere satagit, & ad operosè vilissima luti & lateris opera, ingenuos homines barbaricè cogit. Quantòque opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur, & crescebant: *Oderantque filios Israël Ægyptij, & affligebant illudentes eis: atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur.* Biblia antiqua apud Hugonem & Lyranum, ita hunc locū exscribunt (vt alias aliorsùm notabamus) *Et affligebat illudentes, & inuidentes eis.* Hinc *illusionem*, & inuidiam, qua Ægyptij Hebræos affligebant, exponit Dionysius, *Verbis, signis, & factis.* Quid est, quod agrestes Ægyptij, Israëlitis innoxiis, quos durè affligunt, quos contemptim illudunt, inuidisse dicantur? Dura afflictio, & illusoria irrisio, ab eorum odio veniens, non est res inuidiæ; sed barbaræ maleuolentiæ. Quid ergo sibi vult: *Oderant filios Israel Ægyptij, illudentes atque inuidentes eis.* An sicut nuper Hieronymus, *Illusionis atque* 5.

Exhod. 1. v. 14.

Hugo & Lyra ibid.

Dionys. Carth. inibi.

Quo pacto Ægyptij Hebræos affligebant, illudentes, & inuidentes eis.

atque irrisionis pompam dixit, summi honoris vocabulo probrosiorem contumeliam viuaciùs exponens: ita hîc *inuidiam*, quæ est magnæ felicitatis appendix, cum *illusione* iungit ad contumeliosioris probri significantiam exaggerandam; An potiùs contumeliam *illusionis* in summa calamitate & oppressione, ad dedecus increnerat, quasi quæ oritur non tantùm ab intestino *odio*, sed à rabiosa *inuidiæ* passione? Ecquis tam atrociter sęuus quàm qui geminato *odij* & *inuidiæ* calcare, ad probrum de nutu ferendum pervrgetur? Non tam immaniter sæuit *odium*, vt calamitatem immittens, calamitoso irridet: hæc agrestior inhumanitas ab auxiliari *inuidia* nascitur. *Odium* & *inuidia*, dum vires ad feriendum conflant, quem persequi intentant, non modo calamitate opprimunt, sed eidem in calamitate contemptim irrident, quò calamitatem exaggerent, *Illusionis atque irrisionis pompa* Exinde bellè dicitur: *Oderant filios Israel Ægyptij, illudentes atque inuidentes eis: atque ad amaritudinem perducentes vitam eorum operibus duris*, &c. Neque Tobias virtutis idea, & patientiæ cum Iobo meta, ab hac irrisionis plaga immunis extitit. *Nam sicut beato Iob insultabant reges, ita isti parentes & cognati eius irridebant vitam eius.* — Hic vers. 15.

6\. Matthæi 4 Christum in eremo diu ieiunum, sic Diabolus adoritur: *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Nimis videtur friuola hæc Diaboli fraudulentior tentatio. Estò, illi Christus adnueret, quid ergò inde? Solemne iam quadragesimale ieiunium expleuerat: quid igitur sibi aut indecorum aut noxium, si miraculum patret, & de miraculi pane famem pellat? Verùm S. Ambrosius ad præfata verba, ita ad rem fatur: *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Aliud est explorantis, aliud tentantis: ideò Dæmon profitetur se credere, & homini conatur illudere.* Vide grandem Christi Dei contumeliam, à Diabolo contemptim *illudi*, si lapideo pane, quò ieiunium violet, se cibari permitteret. Quantò magis friuola videtur tentatio, tanto erit Diaboli cachinnis dignior, quia famelicum ieiunantem oblatis ad cibationē lapidibus quasi per iocum decipit. Ideò Dæmon profitetur se credere, Deum esse qui ieiunat, *& homini conatur illudere.* Quid tam indecorum, quàm se Dæmoni cachinnabilem exhibere?

Matt. 4. v. 3.

Dæmon dum lapides offert, Christo conatur illudere.

Amb. in c. 4. Lucæ.

§. LXXXIV.

Ad sinceram rei enarrationem, memoria virgo requiritur; ne ab Ingenio aut Affectu, tanquam à riualibus constupretur.

1\. PRincipale simul ac vilissimum humani generis crimen, frequens sæculi reatus, princeps caussa iudicij, vitiorum matrix, & nouerca virtutum Mendacium est. Nam etsi suam speciem tenet vnumquodque delictum, & si suo quodque nomine iudicio destinatur, in Mendacij tamen crimine consummatur. Omitte titulos, operas recognosce; Mendax idem interfector est. Quæris quem occiderit; Si quid ad elogij ambitionem facit, non extraneum, neque inimicum; sed se ipsū, dum veritatem perimit. Quibus insidiis? erroris sui. Quo telo? offensa Dei, & hominis fraude. Quot plagis? quotquot Mendaciis. Proinde adulterium & stuprum in eodem recognoscas. Nam qui Mendacio seruit, sine dubio non solum interfector, sed & adulter & Veritatis: *quia omne falsum, adulterium est*, (inquit Tertullianus) *sic & in stupro mergitur.* Atque adeò stupri vocabulo vti licet in Mēdacij exprobratione. Cātic. 5. Cœlestis sponsa sponsi sui peramans, ita fatur: *Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea, columba mea, immaculata mea.* Eruditè notat Ioannes Mariana, quòd Hebraïcū verbum *Dapak*, quod subest pro *Tò pulsantis, significat ad modum pulsus, & arteriæ pulsare.* Quod etiam docet Elias in Thisbi. Itaque *vox* dilecti spōsi, cum charam sponsam verè alloquitur, *ad modum pulsus & arteriæ pulsare* dicitur. Profectò *pulsus* seu *arteriæ* motus semper concordat cum valetudine, eiusque certissimum indicium est. Sic vox sponsi mei (inquit sponsa) nunquam me fallit; semper cum re concordat, cordisque ac mentis certissimum indicium est. *Vox dilecti mei pulsantis, ad modum pulsus & arteriæ.* quò verus & castus sponsi amor denotatur. Sed disquirere curiosiùs iuuat, vndè pruriat mentiendi libido, totque extent in narrationibus Veritatis stupra.

Omne falsum, adulterium est.

Sic vox, pulsus seu arteria cordis, quæ cum illo concordat.

Tertull. lib. de idolol. c. 1.

Cant. 5. v. 2.

Mari. ibi.

Elias in Thisbi.

2\. Geneseos 2. hac breui clausula sacer Historicus claudit mundi opificium: *Igitur perfecti sunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum. Compleuitque Deus die septimo opus suū quod fecerat.* Vnum Deus dedit imperium, & terra nullis fulcimentis infernè perueniemtibus ad summas partes, inconcussa stat, herbaceo virore, & animantium varietate conspicua: natatilibus abyssus exundat, aërque volatilibus frequentatur, & de primæua luce cœlorum faces reluminantur: ac mundus iam cōsummatus præ miraculo exclamabat: *Quam magnificata sunt opera tua Domine! Omnia in sapientia fecisti.* Verùm vt quispiam priscus Theologus apud Philonem poëtatur, cùm totum mundum summus opifex sic absolueret, interrogasse quempiam è suis Prophetis, num aliquid nōdum creatum desideraretur siue in terra & aqua, siue in aëre aut æthere, siue in cœli extremo ambitu? Respondit ille, esse quidē perfecta & plena vbique omnia, vnum tamen se requirere, videlicet laudatorem horum sermonem, qui in rebus omnibus vel quod minimum, medianum, aut maximum est, non tam laudet, quam enarret: veritas enim æque anflatio, ac detractione læditur; infucata autem rarò in narratoribus inuenitur. Placuit hoc responsum summo rerum opifici, & ad veritatis denarrandæ munus Mnemosynen destinat, ait Pilo, *ex vna diuinarum potentiarum virgine memoria.* Cuius aures non peregrinentur in vocabuli nouitate? Ad sinceram rei narrationem *memoria virgo* requiritur; Quæ est hæc *memoria virgo*, sic ad veritatem historię necessaria? Et quinam sunt Memoriæ amasij, qui sinceræ narrationis stupra sollicitant? Ego putauerim, esse Ingenium, & Affectum. O quoties ab intellectu multa sagaciter ingeniante in narrationibus, & ab Affectu aut in malum detorto, aut in bonum nimis propenso, *memoria virgo* incestatur! Omnium est æstimare, quanta ambitione sermonis, Ingenium, etiam cùm veri aliquid affert, non sine mendacij vitio denarret. Sæpè nonnihil adijcit, sæpiùs aliquid detrahit, nec semel demutat. Dum suspiciones suas, aut alienas, de subtilis Ingenij otio profectas, in partem narrationis diffundit. Porrò narratoris primùm os mendacium seminat (quod per traduces linguarum & aurium exinceps latè scribit,

Genes. 2. v. 1. & 2.

Psalm. 103.

Ad sinceram rei enarratio. nē memoria virgo requiritur.

Philo lib. de Plant. Noë.

ferpit) aut genio æmulationis, aut effectionis lenocinio, aut suspicionis ingenio, aut ingenij arbitrio. Ecce *virginis memoriæ* riuales, qui illam constuprant, & sinceram veritatem perimūt. *Omne falsum, adulterium est.* Corruit ab Ingenio, corruit ab Affectu veritas, dum cum his amatoribus *virgo memoria* scortatur. Exinde iam tradux proficit incesti. Viderit ergò historici calamus, & enarratoris lingua, ne aut de suspicionis Ingenio, aut de æmulationis seu beneuolétiæ Affectu, virginem memoriam constupret, frequenti veritatis adulterio. Viderint, auditores, quorum auribus tutò se credant. O calamos, ô linguas, falsatæ veritatis nundinas! Fateor quibusdam ingenita mentiendi libidinem, & cum falsitate scortario diuturna: sed perniciosiùs in narrationibus luxuriatur, qui aliàs veritatis studiosus, aut Affectuum genio, aut suspicionis Ingenio, *memoriam virginem* incestans, cum falsitate lasciuit. Ille mentiendi consuetudine, fidem arcet: hic de veridici fama, vel cautos decipit. Quod ne Abrahamo accideret, audi quod Seleuciensis Basilius de eo adnotet, exponens illa verba: *Dominus prouidebit sibi victimam holocausti. Imprudens, quod futurum, antedicit, ac dum eludit filium, vera loquitur.*

Abrahamus dum eludit filium, vera loquitur.

Basil. orat. 7.

3. Genesis 21. Abrahamus pietatis ac prudentiæ exemplar, quique apud exteros admirationi erat præ virtutis excellentia, non benè audit apud domesticos. Porrò querula Sara olim de Agaris insolentia, nunc de filij Ismaëlis petulantia, Abrahamum cogit, vt è propria domo & vxorem Agar, & Ismaël filium suum, extorres dimittat. *Surrexit itaque Abraham mane, & tollens panem & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius, tradiditque puerum, & dimisit eam.* Egregium quidem viaticum & suo filio, & vxori propriæ! An non satis molestum exulibus erat, carere propria & opulenta domo, & quouis gentium dimitti; nisi etiam auaro in paucis subsidio, vel rerum potiùs penuria donarentur? Liceat coniectare spectatorum vulgus non benè censuisse de hac Abrahami austeritate, quam & inhumanitatem, & auaritiam fortè aliquis appellaret. Vulgi rumusculum cum interpretibus subaudio: Liberalis in pauperes & peregrinos, sic in proprium filium & vxorem illiberalis & durus est? Ecquis Patriarcharum tam perfectè consummatus fuit in omni virtutum genere, qui aut à suspiciosi Ingenij aliena malitia, aut ab aliorum inconsulta æmulatione, non multa passus sit à vero aliena, siue de audacia suspicionis, siue de oris aut calami impudentia, falsa pro veris enarrante? Hinc opinor ille ipse Philo, qui nuper *virginem memoriā* ad rei sinceram narrationem requirit, nunc agens de eximiis Abrahæ virtutibus, ita sententiose fatur: *Meritò quis dicere possit, leges scriptas nihil aliud esse, quàm vitarum Patrum commentarios, in quibus eorum dicta factaque narrantur.* Nimirùm dum Abrahamus, dum Tobias, dum Iobus, &c. egregia virtutis facinora patrant, non ita apparent præclara in quorundam censu & relatione: sed ea infuscat aut æmulationis ingenium, aut suspicionis arbitrium, aut inuidiæ genius, aut rei penitiùs noscendæ desidia, aut cognata mentiendi libido. Ergò vt eiusmodi eximia facta perspicuè appareant, ne ambiguo vituperonū censui relinquātur obscura, *commētario* indigēt, qui illa explicatiùs exponat. Hic vitarū Patrū *commentarius*, sunt *leges scriptæ*, quę præcipiunt eadem opera, quæ ipsi patrarunt. Scilicet Patriarcharum virtutes, quas dum viuebant ipsi, nobis

Genes. 21. v. 14.

Cur leges scriptæ dicantur, vita Patriarcharum commentarij.

Philo in lib. de Abrahamo.

Hic vers. 16.

exhibuerunt; præillustria quidem erant, sed ab Ingenio, aut Affectu spectatorū in deteriorem partem sæpè torquebantur, & falsatis obtrectatorum narrationibus infuscabantur. Ast dum idem Deus præcipit, quod ipsi patrarunt, eiusmodi *leges scriptæ* pro *commentario* sunt: dum remota malitiosæ suspicionis sinisteritate, & vitiosæ affectionis malitia, à censorum Ingenio & Affectu secernūtur: & dum Patriarcharum facta in leges abierunt, spectatorum censum exuerunt, & indubiam induunt bonitatem. Exinde postquam eorum virtutes in sancitas leges transcribuntur, ex tanquam perspicua glossa, aut præclara expositione sic clarantur, vt sinistræ narrationi locus non pateat, neminique exinceps iam liceat ore aut calamo *virginem memoriam* narrationis adulterio constuprare. Sic Patriarcharum facta dum in scriptas leges transcribuntur, eiusmodi perspicuo *cōmentario*, ita clarantur & nitent, vt prauæ narrationis depulsa caligine, ipsius Solis radio descriptæ videantur. Acutè, & moralissimè Philo. O caue, ne aut sagacius ingenium, aut affectionis libido, aut maleuolentiæ genius virginem veritatem in relationibus incestet!

Matthæi 27. sub mortem Christi è cruce pendentis, Sol funestè atratus Creatoris sui viuas exequias celebrat, orbe prodigium admirante. *Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magna, dicens: Eli, Eli, lamma sabathani: hoc est; Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes, & audientes dicebant: Eliam vocat iste.* Puduit fortè Euangelistam disertè nominare quinam fuerint huius subdolæ & malitiosæ commentationis auctores. S. Hieronymus pręfata verba exponens, ita doctè de hac re ad rem præsentem philosophatur: *Non omnes, sed quidam, quos arbitror milites fuisse Romanos, non intelligentes Hebraici sermonis proprietatem: sed ex eo quod dixit: Eli, Eli, putant Eliam ab eo inuocatum.* (Pergit Hieronymus) *Sin autem Iudæos, qui hoc dixerunt intelligere voluerimus, hoc more solito fecisse, vt Dominum imbecillitatis infament, qui Eliæ auxilium deprecatur.* Vide nunc virginem veritatem fœdè constupratam malitiosa odij libidine. Nam Romani verborum vim nō intelligentes, malitiosè illa in sinistram partem deriuant. O adulterinos ignoratæ veritatis interpretes! Et (quod mirere magis) malitiosi Iudæi notitiam dissimulant, & ignorantiam simulant, vt falsato commentatio quem animitùs oderūt, cōtumeliosiùs infament. Diffitentur quæ probe intelligunt, vt improbè veritatem adulterent: malunt sibi turpem ignorantiæ notam, quam Christum non inuenire mentitæ imbecillitatis notā. *Darse por desentendidos de lo que entienden, para acreditar su mentira con los que no lo entienden.* O malitiosè subdolam incestandæ veritatis libidinē 4.

Matth. 27. v. 46. & 47.

Ignorantia, & malitia nimis errant in veritatis censu

Hieron. ibi.

§. LXXXV.

Felicissimus ille est, qui reliquias inimici furoris contra Christum concepti, in corpore suo sustinere meruit.

QVamuis sollerter id agas, vt nequis merito tuo te oderit, erunt tamen semper, qui te oderunt, aut quia illis, etsi iustè, nocumentum attulisti; aut quia nocuisse, quamuis falsò, censeris; 1.

Nemo ab alieno odio immunis est.

ris; & de officina suspiciosæ opinionis offensa cuditur: aut quoniam amicus es eius, quem alij tanquam inimicum auersantur. O quàm iniquum est, quia oderis lædere! quantò iniquiùs odisse, quia læseris? Sed oppidò iniquissimum est, innoxium hominem odisse, & lædere; quia eius amicum & odisti, & læsisti. Barbarè agrestis est ira, quæ hostilitatem à suo inimico repercussam, in amicos eius reuerberat: & quia non ualet inimico nocere, in eius innoxiè amicos furorem exequitur. O caue ab hac sæuitia, Pharisaïco furori non absimili, & inconsultæ hostilitatis æmula!

2\. Actorum 7. insania Iudaïca in Stephanum inuidiosè ferocit: & dum pietatis reus, in impietum concilio sistitur, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli: abundantia enim cordis transiit in decus corporis, & absconsa pectoris ornamenta in speculo frontis irradiant: habensque intra se Spiritum sanctum, os præ se gestat Angelicum. Beatus qui in ipsa colluctatione pugnantis, iam profert speciem resurgentis Splendore Angeli Deus sanctificatum circumfundit aspectum. Qui sic magnificat moriturum, putas quo modo decorabit æternum? Nimirùm tali eum vultu internos habitator induerat, qualem empyteæ sedis iam in habitandæ indicat pulchritudo: & ideò ineffabili repletus exultatione testatur: Ecce video cœlos apertos. Iustè incunctanter offert sanguinem suum, qui præ oculis habet Regem suum, simul & brauium suum, & filium hominis à dextris stantem Dei. Vides quòd expectantis intuitus armat constantiam triumphantis? digne parentibus cœli portis comparatur cœlum, bella desudant: ac sic dum occupatur in stupore & amore cœlestium, meritò ingruentium non turbatur duro imbre saxorum. *Et eiicientes eum extra ciuitatem lapidabant.* &c. Quid est, quòd sic insanit Iudaïca malitia, vt eum, quem vultu Angelico nitentem videt, & cœli ruptura prope iam feliciter beatum, sic atrociter ferocit? Quid adhuc Stephani vibices, plagas, neces, strages Iudæi suspirant? Audi singulare Martyris encomium, quod Emissenus concinne prædicat, ad rem præsentem eloquenter tempestiuus: *Iudæi ergò*, inquit, *illo spiritu ebrij, quo dudùm clamabant, Crucifige, crucifige, in necem sacri testis incumbunt. Beatus qui cœlestis illius agonis proximo pedissequus interuallo, reliquias excipere furoris illius emeruit, quo paulò antè sæuiente mundo Saluator occubuit. Beatus qui fumantem adhuc Dominici victimam sanguinis, primus honorauit recenti sacrificio passionis.* Ecce tibi quo pacto Pharisaïci furoris aduersus Christum insania, Stephani triumpho gloriosò militauit. Parùm foret prælustri Protomartyris gloriæ, si priuata in illum exercerent odia Iudæi, & vel ob aliquam duntaxat virtutem, vel ob defensionem fidei, vel propter Euangelij prædicationem, vel propter aliam caussam, quæ martyres cudit, Stephanus passionem subiret, & cum vita sanguinem funderet; nisi ipsius *reliquias* furoris, quem contra Christum nuper conceperant, in sacrum martyrem eructarent. Nec dominica passione & cruce exhaustus erat inimicus furor, quo Iudæi in Christum Deum hostiliter desæuierant, Illata atrociter mors, doloris & persecutoris sensum cum vita eripuit: sed concepti furoris residuum, quod in Christum iam mortuũ non possunt spargere, in eius familiarem Stephanum immaniter effundunt: vt idem Iudæorum furor, qui fuit officina passionis in Christo, fieret huius martyrij conflatorium, & Martyris lanicna ad sublimius gloriæ auctarium Nam *Iudæi illo spiritu ebrij, quo dudùm clamabant, Crucifige, crucifige, in necem sacri testis incumbunt. Beatus quo cœlestis illius agonis proximo pedissequus interuallo, reliquias excipere furoris illius emeruit, quo paulò antè sæuiente mundo Saluator occubuit.* O felix, qui fumantẽ adhuc Dominicæ victimam passionis, recenti sacrificio martyrij primus honorauit. O felix, qui illum ipsum furorem contra Christum à Iudæis conceptum, in se despumari vidit, & excipere gloriosiùs ambiuit. O felix, qui eã prærogatiuam emeruit, vt sic Dominicæ passionis subrogaretur vicarius, & ceu alter Vicechristus, vt *reliquias furoris illius* in se exciperet, quo paulò ante Saluator occubuit. *El furor que los Iudios concibieron contra Christo, y aun no quedo satisfecho con ponerle en vna Cruz, desbrauo aun en Esteuan.* Luculenter planè de more Emissenus!

Ad Colossenses 1. Paulus non modo non succumbit diris persecutionibus, quas Euangelij caussa magnanimus subiit; sed & in illis exultanter gloriatur: & quasi contumeliis & cruciatibus foret insensilis, beatis pro Christo calamitatibus deliciatur. Ecquid est, quod Apostoli cruciamenta mellit, rerum penuriam adipat, probra honestat, contumelias honorat; & vitam, quam mundus putaret infelicem, gratiæ officiositas feliciter beat? *Qui nunc*, inquit, *gaudeo in passionibus pro vobis.* Audienda est ratio & Paulo digna, & ad rem præsentem in paucis idonea. *Et* (hoc est, *quia*, vt politiores interpretum exponunt) *adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Morosus ero, si Patrum, & expositorum commentationes hîc addensueriam, vt opportunam præsenti themati expositionem, aut præstruam, aut adstruam. In medium duntaxat adducam Ambrosij verba, quibus præfatum Pauli locum vertit, & exponit, (quam nollem vt Theodoro Bezæ vllatenùs placuidet, aliò tamen eam Hæreticus flectit. Ambrosij, idest, mea, alia mens est) Ambrosium audis: *Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & suppleo reliquias pressurarum* (passionum inquam) *Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Ecce tibi cur Paulus sic lætanter exultet. sic exultanter in suis passionibus, & calamitatibus gaudeat, pia quadam velut arrogantia virtutis. Nempe Paulus non modo non cadit animo in suis pressuris, sed pie quodammodò superbit in *passionibus*; quia illis *supplet reliquias passionum Christi in carne sua.* Porrò Iudæi illo adhuc spiritu ebrij, quo dudùm clamabant, Crucifige, crucifige, Paulum persequebantur, & in necem illius atrociter incumbebant, Beatus Apostolus, qui Dominicæ Passionis non longo pedissequus interuallo, *reliquias* excipere furoris illius emeruit, quò paulò ante Saluator occubuit. Inde gaudet Paulus in *passionibus* suis, quia *supplet reliquias passionum Christi in carne sua.* O! sic est magnificum, & auguste generosum, hostium furorem aduersus Christum insane conceptum, & nondum exhaustum, in se tolerantèr æque ac libenter excipere; ô quàm deliciatur Paulus, dum passionis Christi *reliquias*, in corpore suo subit, & vicem eius patiendo generosiùs supplet, opulenta gloriæ vsura! ô quam magnifice, & toleranter in se Tobias excipit iniurias

Stephanus reliquias furoris in Christum concepti, excipere meruit.

Act. 7. v. 57.

Emiss. hom. de S. Stephano.

3\.

Ad Coloss. 1. v. 24.

Paulus supplet reliquias Passionis in carne sua.

Ambr. inibi Beza apud Cornel. ad eum Pauli locum.

Hic vers. 16.

rias, in diuinam prouidentiam aduersus Deum impiè concertas!

4. Matthæi 26. Christus ab oratione Passionis suæ auspicium fecit: & assumpto Petro, & duobus filij Zebedæi, cœpit contristari & mœstus esse. Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans, & dicens: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Morosus ero, si hic per censere vellem varios modos huius sententiæ extricandæ, quæ expositiuos & scholasticos doctores diu multumque torsit. Quid est, *Transeat à me calix iste*? An Christus vltrò admissam ex præcepto Passionem deprecatur? an Dei efficacē voluntatem rogando frustrari satagit? Sic expauescit horrore Passionis, qui tota diuinitate obarmatur? In cuius apribus non peregrinatur hæc vox: *Transeat à me calix iste*? Quis est hic calix? Et sanè ab ipso Christo debet pertransire, sed ad quem transeat, non faciè diuinatur. Tempestiuus ad præsentem thesim Hilarius (non examino an in sensu litterali, quod olim inibi disquirebamus.) Si possibile est, inquit, *Transeat à me calix iste: quia pati nisi eius passione non possumus.* Nempe transeat à me meæ passionis calix, etiam in Martyres; qui pati nisi ex CHRISTI passione non possunt, quasi Martyrum passio aliqua Dominicæ passionis portio sit, & ipsiusmet quædam ampliatio, quam Paulus in carne sua quodammodò adimplere dicitur, & Martyres istiusmodi passionem (vt vt possunt) adimplent, quò ex concepto in Christi nomen, & rem Christianam furore, atrociùs torquerentur. Velut altera ipsa Christi passio est quam patiuntur martyres, aut saltem quasi aliqua illius portio: *Transeat à me calix iste: quia pati nisi ex eius passione non possunt.* Vnde Saulo fideles persequenti, dici è cœlo Christus: *Quid me persequeris*? ô iam beatos omnes Martyres, qui nuper reliquias excipere furoris illius meruerunt, quo olim sæuiente mundo Saluator occubuit! ô quam est egregia Martyrū laus, quòd eorum martyrium, est aliqua Dominicæ passionis ampliatio. *Transeat à me calix iste: quia* Martyres *pati nisi ex Christi passione non possunt.*

Matth. 26. v. 39.

Martyrum passio, ampliatio est Dominicæ passionis.

Hilar ibi.

---

§. LXXXVI.

Blandis dura domare & frangere, politiæ laus est; & gloriosus regiminis fastus.

1. SApiens Gubernator multa quasi inscius prætetiens, & tanquam ignauus remittens, multos parùm sani, sed sanabilis ingenij seruabit. Coërcendus est qui peccat, & admonitione, & vi, & molliter, & durè; meliorque iam sibi quam aliis faciendus, non sine castigatione, sed sine impetu. Curandum ne prauitas impunitate insolescat: nam subditi (vt amici) vitia, si feras, facis tua: sed correptioni maximè moderatio est adhibenda, quæ sanabilia ingenia distinguere à deploratis sciat. Correctioni semper aliquid blādi admisceæ: res enim optima est, non scelestos extirpare, sed scelera. In hoc cardine consultior politia vertitur. Trutina attentus, non quid possis, sed debeas facere. Iustitia non impetu, sed arte constat. Tuum priùs impetum frange, vt alieni vitij vires frangas. Desperatus est morbus, cui vltima remedia adhibentur, hæc laniena sæpe est, non medicina Serpentem subditorum malitiam, & toto prauitatis impetu incumbentem, sistere, inhibere, repercutere, laudatior politia est. Id autem præstare non exerta Præfecturæ vi, sed blanda corripientis arte, est Præfecti elogium, & regiminis meta Dura ingenia duris exasperantur, & mollibus mitescunt. Muralia tormenta, ferri & ignis minas spirantia, frangunt prædura quæque obuiantia, sed mollibus vltrò cedunt. Blandis dura frangere, politiæ laus est, & sumptuosior regiminis fastus.

Blandis dura frangere, politiæ laus est.

2. 3. Regum 4. Salomon ætate immaturus, Israëliticum capessit regnum, & in Dauidis solio sedet sceptris impar. Nescit regere Dei populum sed Deum populi rogare scit. Petit à Deo pius gubernandi peritiam, eamque vbertim dē salario paternæ pietatis exorat. *Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis.... quasi arenam, quæ est in littore maris.* Tritum est, & vel ineruditis peruulgatum, quàm sublimi sapientiā præditus fuerit rex Salomon, quātâque prudentiā floruerit supra omnium ætatum consultissimos viros; adeò vt fuerit omni æuo politiæ exemplar. Verùm commentatorum sagacitas rimari satagit, in quonam vis huius comparationis sita sit: quæ nec valdè opportuna videtur, & præscriptam sententiam non tam clarat, quam obscurat egregè. Qui commune habet consultior ad regendos populos peritia cum arenâ, quæ non in maris profundo altè iacet, sed quæ vndis littoralibus blandè mobilis adiacet. Mitto reliquos, vt cuò excribam Philonis verba, hâc super re, & ad rem præsentem in paucis arguta: *Progenies, inquit, sapientia cum arenâ confertur, quia marinas vndas littoralis arena obiecta repercutit.* Dilucidè quidem Philo consultioris ad gubernandum prudentiæ exemplar, in littorali arenâ proponit: nam cùm maior regiminis difficultas, & laudatior Superiorum politia, sita non sit in distribuendis præmiis (quo quid gratius?) neque in regundis mediocribus ingeniis? (quo quid expromptius?) neque in dominando probi, (quo quid otiosum?) sed in scelestis & deprauatis audacter moribus coërcendis; opportunissimam politiæ ideam in arenâ littorali Scriptura sacra descripsit. *Qui fit*, (ait Nazianzenus) *vt tantum elementum* (mare inquam) *arenam pro termino habeat*? Nempe blanda littoris arena mare concludit, & quasi habena formidabili tra suos terminos continet, terram liberam seruans à pelagi eluuione, etsi ventorum impetu ad terram mare propellatur. Ferit mare quidem fluctibus alte elatum; vbi verò arenam attigerit, curuatis fluctibus reuertit, velut arcanè *repercussum.* Cumque iterum terram violenter ferire minitetur, quasi ipsum referiretur, refertur in fugam. Quare placidè purpurascens, blandæ arenæ adulatur, quasi mollibus vlnis terram amplecti occupet. Scilicet tumens vnda præduros & turritos ripæ scopulos atrociter ferit, & referit spumante verbere; quasi illos subruere furiosè intentet, dum constanter & inconcussè resistunt: at dum flecti sciam arenam tangit, frangit vnda furorem, & blandienti lenitati blanditur, & quasi arenæ blanditie *repercussa*, impetum cohibet, & leniter fracta, tumorem adulanter despumat Rectè ergò sublimior sapiētia, & consultior prudētia, *cum arena confertur, quia marinas vndas littoralis arena obiecta repercutit*, præstatque lenitate

3 Reg 4. v. 29

Laudatior prudentia, apprimè comparatur arenæ littorali.

Philo lib. de somn.

Naz Orat. 3. Theolog.

P. Didac. de Celada in Tobiam.

cedere scia, quod saxea scopulorum durities durè obsistendo, non præstat. Blandis dura frangere, laudatior politia est, & sumptuosus regiminis fastus.

Clem. Alex. li. 1. Pædag. c. 8. Sub alia metaphora idem exponit Clemens Alex. *Quemadmodum*, inquit, *Gubernator nauis clauum regit, volens seruare vectores, ita etiam pædagogus ducit pueros.* Et addit: *Clauum pueri, aures inquam, fortiter teneat.* Non ait, verber manu teneat ad incutiendum metum; non vi agat, potestatem fastuosè exercens; sed subditorum gubernaculum, idest, *aures* teneat, quo facilè totam rempublicam regere possit. O quam multa paucis complexus est.

3. Marci 4. Christus cum discipulis in nauim ascendit, & nouus vector, ridens maris vndas, securè nauigat, dum tranquillè dormit. Cum verò scapha mediis esset in fluctibus, & ipse experientiæ locum cedens, obdormiret; inusitata tempestas confestim cum fragore consurgit, & recurrentes inuicem ventorum turbines ferebantur in scapham: sublatissimæ etiam vndæ in cœlum iaculabantur, & fluctus insurgens mersurum se scapham minabatur. Aduersus Discipulos cum talis procella deprædiaretur, Dominus dormiebat. Elati venti remugiunt, sonus reciprocantium vndarum terrorem incutit, nauigium contorquebatur, rudentes cum velo collapsi contendebantur, discipuli concursitabant, adhortabantur mutuò ad clauum, ad transtra, ad pondera; & dormiebat interim Dominus. O somnum, quo si sem dormientem ex media maris tempestate Dominus excire cupiebat! Excitatus IESVS, & discipulorum metu ad fiduciam erudito, in temerarium maris impetum transfert increpationem. O qualem! *Et exurgens comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessauit ventus: & facta est tranquillitas magna.* Quasi dicat: Voce esto contentum, ne flagellorum expectes experientiam. Aquarum ingenium blandam increpationem horruit, & vocis terrores stabant, & stupebant vnde fugiebant venti, coërcebatur tempestas, sopiebatur pelagus, & fluctuum suorum ceruicem incuruabat. Quod egregiè adnotauit Seleuciæ Basilius, sic ad rem fatus: *Comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce..... Et facta est tranquillitas magna. Modica voce ingens elementum frænabatur.... coërcet vndas, ventos cogit, tempestatem sedat. O Domini sapientiam! ô Magistri edictum!* Non virga verberat mare, quod fecit Moyses; sed *modica voce*, & blando sermone maria obsecundat, procellæ impetum sistit, furentes cohibet vndas, & minaciter tumidum coërcet elementum. *Et facta est tranquillitas magna.* O idealem Rectoribus prudentiam! Discant è scaphæ gymnasio, qua arte dura quæque, aspera, & furentia, edomanda & coërcenda sunt. Mollis arena maris impetum *repercutit*: & ingens elementum *modica voce* frænatur: & *modica voce* etiā hîc Tobias insanum cognatorum frangit impetum, præmaturè Christianus, aiens: *Nolite ita loqui*, quo vno pacto verbulo turbatos suorum animos peritè tranquillat.

Modica Christi voce, ingens maris elementum confestò frenatur.

Marci 4. v. 39.

Basil Seleu. Orat. 22.

Hic vers. 17.

4. 3. Regum 3. in tenera nimis ætate Salomon regnum nactus, sic Deum orat, regendi peritiam exposcens: *Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit.* Mirabile sanè est, quòd Deus hanc Salomonis precem magnificè adprobarit, quæ inidonea videtur Rectori. Cor enim *docile*, non est Præfecti, sed subiectorum elogium.

3 Reg. 3. v. 9. Sanct. ibi.

Idcircò noster Sanctius, *cor docile* perinde putat esse doctum, quasi eadem sit hæc precatio, ac illa quæ habetur 2. Paralipomenon: *Da mihi sapientiam & intelligentiam, vt ingrediar, & egrediar coram populo tuo.* Ast ipsa vtriusque petitionis verba sensum diuidere videntur. Nisi fortè velis in populorum Gubernatore, idem esse, *Cor docile*, morigerum, pro occasione & necessitate flexile, & cedere scium; ac cor *sapiens* & gubernandi politiam peritè *intelligens*. Quod tradere videtur Hebræus Philo exponens pactum illud, quod Geneseos 30. Laban ille, illiberalis & seruilis ingenij homo, iniuit cum Iacobo, iam exindè inaugurato Hebræorum Principe. *Obtigerunt*, inquit, *non signata pecora Labani, signata Iacobo. nam anima ceræ (vt quidam prudens ait) more, si durata sit, formas respuit, nec sibi sinit imprimi, & rudis permanet. Sin autem sit obsequens, aut saltem mediocriter facilis, (tantùm non dixit, docilis) profundè sigilla recipit, & amato signaculo, fideliter seruat impressas species.* Non seruilis ingenii Laban; sed princeps Iacob, habeat animam, quæ *ceræ more*, si durata sit, formas respuit, & ingratam & asperantem duritiam offert; & *rudis permanet*, cùm non sinit ibi imprimi rationes subiectorum, aut illis pertinaci & temerario ingenio præditis, nescit pro occasionis opportunitate tantisper flecti, & vel leuiter cedere. Cor *docile* exposcit Salomon ad regendos populos, benè scius, quòd gentis Patriarcha Iacob, dum typum sui principatus gerit, de animo ceræ ad instar mediocriter *facili*, egregiè commendatur. O malè flecti nesciam quorundam Magistratuum duritiem, ad quam velut ad scopulos, Subiectorum agrestiū imprudentia impellitur, velut ad spectatum naufragium! Peritus in tempestate Rector Christus, modica voce vastum frænat elementum & facili arena laudatior Salomoniani regiminis politia apprimè comparatur, exemplari eruditione.

1. Paral. c. 1. v. 10.

Præfecti animus sit velut cera, saltem mediocriter facilis.

Genes. 30.

Philo in lib. Quis rerum diuin. hæres.

Danielis 10. Propheta non ferebat visionem præsidentis sibi Angeli: Gabriel enim apparuit, & cecidit Daniel. Et qualis erat ille qui apparebat, & quæ illius forma? Corpus eius quasi chrysolitus & facies eius velut species fulguris, & oculi eius vt lāpas ardens, & brachia eius quasi species æris candentis. Et non remansit in Daniele fortitudo, sed eius species immutata est, & emarcuit, nec remansit in eo quicquam virium. Sed videamus quandò, & quomodo roboratus est Daniel ab Angelo præsidente? *Et ecce quasi similitudo hominis tetigit labia mea..... Rursum ergò tetigit me quasi visio hominis. Et antè dixerat: Et ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea.* Quæ verba ad rem præsentē exponens Cyrillus, ita scribit: Tunc dixit Daniel: Et quid, inquit, Domine in visione tua, dissolutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium, sed & halitus meus intercluditur? *Si Angelus apparens abstulit vocem Prophetæ, & vires; Deum ne videndo retineret spiritum? Et donec dicit Scriptura: Tetigit me tanquam manus hominis, non potuit recreari Daniel.* Ecce tibi dū præses Angelus in sublimi maiestate sumptuosior apparet, terrorem incutit, & ad obsequia inidoneum reddit Prophetam, visionibus etiam similibus ad nerum. At cùm blando & miti vultu atque eloquio agit, & *similitudo hominis* obuersatur, & *visio hominis* apparet, & *manus hominis* eum tangit; tunc quidem, mens restauratur ad perceptionis intelligētiam, cor

5.

Manus hominis erigit ad obsequium.

Dan. 10.

Cyrill Catech. 10.

cor à consternatione erigitur, & ad obsequium Propheta recreatur, *Et donec dicit Scriptura: Tetigit me tanquam manus hominis, non potuit recreari Daniel.*

§. LXXXVII.

Parum est nocenti parcere, nisi nocentis etiam parcas pudori.

1. Publ Mim. a.ud Senec. *Odio nocentis malè perditur innocentia.*

RIdiculum est, odio nocentis, perdere innocentiam. Sed quid faciam (ais) qui inimicos graues habeo? Quomodo aduersus feras, munimenta conquiris, quomodo aduersus serpentes, sic aduersus inimicos auxilia circumspice, quibus illos, aut cautè arceas, aut ritè cōpescas, aut quod optimum est, places. Magni quidem animi est, negligere lędentem; Christiani, iniurias non exequi, sed offensori benignè parcere. Verùm adhuc ad benignitatis Christianæ redundantiam, nō solùm lædenti parcendum est, sed pudori lædentis; vt vnicæ iniuriæ geminata venia, perfectionis Christianæ faciat auctarium, benignitatis vsura. Subobscurum hoc thema probationibus clarabitur.

2. Matthæi 18. postquam in præhabitis concionibus semel, & iterum docuerat Christus, largā iniuriarum veniam inimicis non negandam, aiens: Diligite inimicos vestros, &c. & alibi: Et dimitte nobis debita nostra, &c. nunc denuò inquit (vide an satis ad prædicta consectariè) *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum*, &c. Ecquis non miretur hanc præceptionem, quæ supra traditæ doctrinæ minimè cohærere videtur, imò apertè pugnare? Si inimicè lædenti parcendum est, illi benefaciendum, & ad Deum pro eo orandum; quid est, quòd nūc Christus Deus præcipiat, vt offensus offensorem quærat, & illum sceleris arguat? An non præstaret muto silentio offensam in pectore decoquere, & iniuriatum obliuisci? Offensus quòd in se erat, fecit, dum læsionem patienter tolerauit; aliùs muneris sit offensorem *corripere*. Adest Potestas publica, adest conscientia propria, nec sæpè abest delatorum zelus, qui lædentis cohibeat audaciā. Imò & res est periculis plena, vt qui læsione exacerbatus est, lædentem alloquitur, quin asperum aliquod verbulum incautè excidat. An non satiùs foret, os muta patientia obturare, quàm *correptione* dolorem quadantenus euaporare? Eccur tam seriò præcipit Christus Deus, vt læsus quamprimùm *vadat*, & lædentem *corripiat*? O abstrusam de pia cœli schola doctrinam! Audiendus est hac super re Augustinus, ad aliam thesim alibi expensus: *Si peccauerit in te frater tuus; vade, & corripe eū*, &c. His verbis hoc glossema subnectit Augustinus: *Quando ergo in nos aliquis peccat, habeamus magnam curam, non pro nobis, nam gloriosum est, iniuriam obliuisci. Sed obliuiscere iniuriam tuam, non vulnus fratris tui*, (attentius excipe verba, quæ subiicit) *Ergo corripe eum inter te, & ipsum solum, studens correptioni, parcens pudori. Fortè enim præ verecundia incipit defendere peccatum suum* Scilicet, ait Christus, sæpè vobis præcepi, vt nocentibus offensas condonetis, quod est illustre Christianitatis insigne: sic *gloriosum est, iniuriam obliuisci*! At cùm adhortor, vt offensus offensorem conueniat, illumque blandè alloquatur, & clanculum procul arbitris beneuolè corripiat; nil veniæ detraho, sed geminatam veniam præcipio: nam sæpè offensor præ verecundia offensæ audacter commissæ, illam defendere incipit, & pudore quodam detinetur, ne offensum alloqui audeat: ergò offensus offensorem adeat, illumque pacatè alloquatur, & blandè corripiat, nō tantùm offensæ ignoscens, sed offendentis *pudori parcens*. O arcanum parcendi genus, quò geminata benignitas gloriosè eminet! Parùm est Christianæ perfectioni, iniuriis ignoscere, nisi etiam lædentis pudori, (illatæ offensæ appendici) beneficè parcas. Sic veniam geminas, & vnam plures facis, & benignitatem pia merendi ambitione, gloriosè incrementas. Igitur *si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum*, non tantùm benignitate studens veniæ, sed blanda increpatione, & alloquio, *parcens pudori*. Altè quidem rem meditatur Augustinus!

Math. 18. v. 15.

Non tantùm lædenti parcendum est, sed & lædentis pudori.

S. August. de Verb Dom. ser. 26.

Excusatio est correptionis appendix.

3. S. Lucas cap. 16. inhumani diuitis, & Lazari pauperis stupendas vices, pauendas successiones, conditiones admodum lamentandas, in medium producit: quia diues qui participem pauperem in bonis contempsit, in futuris malis compatientem pauperem non meruit inuenire; nec ardens aquę refrigerium percepit æstuanti pauperi fame panis refrigeriū qui negauit. Diues enim iste qui vlcerato pauperi mensæ suæ minuta dare noluit, in inferno positus, vsque ad minima quærenda peruenit; nam guttam aquæ petiuit, qui micas panis negauit. Itaque factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem, & diues, & sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius: & ipse clamans, dixit: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Addubitant hîc interpretes, cur potiùs ad ignotum Abrahamum, quàm ad notissimum Lazarum, sermonem direxerit? An non sciebat, negati alimenti iniuriam, muto silentio Lazarum patientissime tolerasse, & offensæ beneuolenter ignouisse? Adhuc in cœlo condonatæ iniurię putat esse memoriam ad vltionem? an dubitat verum offensam in terris plene Lazarus condonauerit? Indubium est damnato diuiti, mitissimum pauperem suę offensę pepercisse; sed alloqui veretur offensum, qui post tot iniurias ora taciturnitate signauit, semperque erga se nocētem mutus fuit An timet, ne, qui iniuriæ pepercit, non pepercerit pudori? Perbelle Theophylactus sic exponit præfata verba: *Pater Abraham, mitte Lazarum*, &c. *Non tamen dirigit sermonem ad Lazarum, sed ad Abraham, quia forsitan erubescebat, & putabat Lazarum reminisci malorum.* Preme verbum illud, quod ex ore subtilissimi Doctoris non casu excidit, *Forsitan erubescebat.* Nam Diues bene scius, quòd Lazarus pepercisset iniuriæ, ambigebat an *parceret pudori*, cùm elinguis, & mutus iniurias tolerasset Nempe pauperculus, & inualid is Lazarus, diuitis purpuratam sublimitatem veritus, aut de correctione insolentis plane desperans, aut quia Christi doctrinam needùm exceperat; contentus offensam offensori condonasse, nusquam legitur, nec leue verbulum ad illum habuisse: exinde diues ille læsor forte suspicatur, iniuriam non plenarie remissam, & scius quòd alloquio non pepercerit pudori, *forsan erubescebat* id à Lazaro erigere: & ideò non ad Lazarum, sed ad Abraham sermonem direxit,

Lucæ 16. v. 24.

Diues à Lazaro misericordiam petere erubescit, veritus-ne non pepercerit offendentis pudori.

Theophi- lact. ad ea Lucæ verba.

rexit, aiens: *Pater Abraham, mitte Lazarum,* &c. Qui colloquium cum offensore miscere recusat, etsi ex pleno corde iniuriis ignouerit; quia tamen inimicorum non *pepercit pudori*, propè suspectus est, quasi non plenariè iniurias remiserit: nam blandus cum offensore sermo, veniam geminat, & aliquis beneuolentiæ fastus, & Christianæ benignitatis meta. O, de Christi schola discamus hanc eruditionem; qua imbutus est hic Tobias, benignitate præmaturè Christianus, in tanta odij erga offensores licentia!

Hic v. 17.

4. Lucæ 9. audiens Herodes Christi prodigia, quę celebri fama euulgabantur, putabat Ioannem nuper occisum, à mortuis surrexisse: & instigatus Pharisæorum, & Scribarum liuore, & inuidiosa curiositate; anxiè illum videre cupiebat. IESVS autem impendentis mali minas præcauens, asſūptis discipulis suis, *Secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaida.* Benè notat S. Isidorus, quòd Dominus viros sanguinum abominatus, & commorantes cum eis, *post occisionem Baptistæ deserens occisores, discessit.* Addit ad rem Beda, quo solet polito ingenio: *Secessit seorsùm in locum desertum. Non timore mortis hoc egit, vt quidam arbitrantur, sed parcens inimicis suis.* Benè est, quòd Christus deserens occisores, qui in Ioannē cruento gladio deſæuierant, in Bethsaïdæ desertum abscesserit: quid est, quòd eiusmodi discessu inimicis suis pepercisse dicitur? Inimicorum declinare sæuitiam præpropera venia est? Peregrinum quidem veniæ genus; sed peridoneum! Porrò qui sæuum hostem maturato abscessu declinat, præcoqua indulgentia parcit violento sceleri; & simul flagitium abscessu anteuertens, hostis nocituri præmaturè ignoscit pudori. Ergò *IESVS secessit seorsùm in desertum locum, parcens inimicis suis.* Pulchra sanè inimicorum venia, quę hostilitatem præsentiens, & patrandum alioqui scelus discessu condonat inimico, & vnà sceleris ignoscit pudori. Non pudet Christum Deum velut fugæ pudor, vt non tantùm inimicis, sed inimicorum etiam pudori parcat.

Quare IESVS secedens in desertum, inimicis parcere dicatur.

Luc. 9. v. 10.

Beda ibi.

5. Lucæ 15. Prodigus ille adolescens in bonum patrem malè iniurius; eius beneuolentiam neglexit, paternam curam dehonestauit, infamauit genus, prodegit & censum. Demùm de vili pascendorum suum ministerio squalidus, ad Patrem redit. Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, (vide idealem veniæ hyperbolen.) *Et accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum...... Dixit autem pater ad seruos suos: Citò proferte stolam primam, & induite illum.* Adolescens peccatorum ruina ceciderat, (nuper dicens, *Surgam*, & ibo, &c.) nunc pius pater adsimilem etiam casum repręsentat: nam (vt ait inibi Ambrosius) quodam paternis amoris affectu *suprà collum cadit, vt iacentem erigat.* Parcit pudori iniurij sibi adolescentis, qui turpiter ceciderat, dum adsimilem se cadenti præbet. Quin & confestim *ad seruos suos*, id est, ad Angelos dixit: *Citò proferte stolam primam, & induite illum. Pater* (ait Chrysostomus) *ad filium sermonem non dirigit, sed ministris loquitur: quia qui pœnitet, orat, sed responsum verbo verè non accipit, misericordiam verò efficaciter in effectu intuetur.* Præcauet offensus pater, ne si ad offensorem dirigat sermonem, de offensionis conscientia nimis verecundetur. Videat effectu misericordiam, non audiat veniam, quæ offensam importat. Denique *citò* proferatur *stola prima*, quæ pudendæ nuditatis pudorem arceat. *Stola prima* (ait Augustinus) *est dignitas, quam perdidit in Adam*, illam (vt vt fieri potest) quamplurimùm recuperet, ne verecunda nuditas ostensam præfera. Quasi parum foret nocenti parcere, nisi nocentis etiam pepercisset pudori.

Lucæ 15. v. 20 & 21.

Prodigi adolescentis etiā pudori, multipliciter parcitum est.

Chrysost. ibi.

August de qq. Euang. lib. 2. c 33.

---

§. LXXXVIII.

Antiqua etiam iniuria recens memoria, vel mitissimum ingenium periculosè inquietat.

1. QVam magnarum virium est, negligere lædentem! Parùm sanè est ei non nocere, cui etiam debes prodesse. Sed hodie magna laus est, si homo mansuetus homini est. Omne hoc quod vides, vnum est, membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cùm ex eisdem, & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit. Illa ęquum, iustumque composuit. *Ex illius constitutione miserius est nocere, quàm lædi.* Imò qui alterum lædit, sibi nocet: nam humana societas lapidum fornici simillima est, quæ casura nisi inuicem obstarent, hoc ipso sustentantur. Eodem ictu, & te, & aduersarium lędis. Si inimico ignoscere non vis, saltem tibi parce, & aduersario pepercisti. Te ipsum lædere, vt inimico noceas, furor est. O inhumanas hominum iras aduersus offensorem! Accepta iniuria rationem exarmat, vt ad vindictam impotenter armet furorem. Si vel mentis vestigium manet in offenso, saltem altè consideret, quòd *miserrima est fortuna, quæ inimico caret.* At licet hoc verissimum sit, & ratione, & experientia notissimum, vel offensæ acceptæ recordatio, pacatissimum quemque periculosè inquietat. Zachariæ 7. *Malum vir fratri suo non cogitet in corde suo.* Ad quæ verba alludens Tertullianus, ita scribit: *Multò magis patientiam indixit iniuria, qui indixit obliuionem.* Porrò dum iniuriæ memoriam foues, vltionis fomitem in sinu gestas.

Publ. Mim.

Miserius est lædere, quàm lædi.

Senec Epist. 96.

Misera est fortuna, quæ inimico caret.

Publ. Mim.

Zachar. 7. v. 10

Tertul. lib. 4. contr Mar. c. 16.

2. Lucæ 15. Prodigus adolescens, sicut mentis inops, ita virtutum prodigus, luxuriæ faculis pabulum quærit, diuitias inquam; ne alter libidinis fomes desit. Peregrè proficiscitur, Patris oculos, scelerum testes, & accusatores pudenter fugiens, vt impudenter lasciuiat. Opulentum scortando absumit censum, & prouidentiæ pauper, citò paupertate premitur. Fames libidinis induxit obliuionem, & auaram quærendi alimenti memoriam; & auitam oblitus nobilitatem, inopiæ vectigalis, vili ministerio addicitur. Porcos pascit, qui porcorum esurit cibum. O delinquendi famem in prodigo iuuene, prodigè delinquentium symbolo! Sed de egestatis schola edoctus, reditum molitur ad Patrem, quem sibi spondet benignum: nam si ipse quod filij erat, perdiderat; ille quod patris est, non amisit. Filium adhuc venientem longè prospectat pius pater, accurrit celer, & quodam velut lapsu viscerum, ruit in amplexus, & grata oscula figit. Quis non miretur quasi nimiam patris benignitatem? Sed audi reducem, & pœnitentem filium: *Dixitque ei filius: Pater peccaui in cœlum, & coram te.* Inidoneè videtur hæc verba dixisse: non enim peccauit coram patre, sed longè ab illo, in regione longinqua: nec in cœlum peccauit, sed coram cœlo, quod aspectibili ambitu concludit

Lucæ 15. v. 21.

Filius prodigus non dicit se peccasse in Patrem, ne Patris pietatē irritet.

concludit vniuersa. An non veriùs,& congruentiùs dixisset: Pater,peccaui coram cœlo,& in te? Nam vt opportunè ait Gregorius Nyssenus. *Contempserat patrem in primo recessu adolescentior filius , & paternas opes profuderat.* Adde etiam propudioso suum pascendorum ministerio, ingenuum & diuitem patrem dehonestasse. Eccur ergò fateri renuit patri, se aduersus illum deliquisse? Alij aliter sentiāt;mihi verò valdè arridet,quod insinuat Nyssenus,nempe recessu patrem *contempserat* , & illum scelerum fœditate graui iniuria sauciarat; noluit ergò iniuriæ in Patrem illatæ mentionem facere,& offensæ memoriam refricare,ne fortè vel pij parentis furorem irritet,& optatam veniam impediat. Videt filius patrem,apris viscera intuetur , & amplexu & osculo iniuriam tacitè agnoscit condonasse : attamen se illum contempsisse, & impudenter offendisse quadantenùs dissimulat, aiens : *Peccaui in cœlum, & coram te* ; non, *Peccaui in te,& coram cœlo* , quod fortè veriùs dixisset.Scilicet cōsultissimè abstinet à verbo, quod iniuriæ illatæ memoriam reducat, ne offensæ commemoratione vel patris pietatē inquietet , & procliuem clemeniam (in amplexus veniæ indices, iam ruentem)iniuriæ commemoratione sistat , & auertat. O sic exulcerat vel antiquæ offensæ recens memoria!Hoc impetrandæ veniæ artificio redux filius vtitur, ne vel memoria offensæ, pij patris misericordiam inhibeat, clementiam irritet,& optatam scelerum veniam, in scelerum vindictam conuertat ; Adolescens prodigus offendere bene gnarus, non est ignarus quàm irritet offensum,vel illatæ offensæ memoria;exinde veniæ cupidus,alieno vocabulo offensam dissimulat,aiens: *Pater peccaui in cœlum , & coram te.* O. discamus ex humanæ malitiæ & sagacitatis schola,quàm acerbè offensa fuerit offensum !

Nyssen in Catena.

3. Matthæi 18. quo modo in illatis offensis nos gerere debeamus , Christus præscribit , sic fatus: *Si peccauerit in te frater tuus , vade , & corripe eum inter te , & ipsum solum. Si te audierit* , &c. Ex hac Christi Dei sententia contentiosum inter commentatores litigium oboritur , cur non dixerit, *si peccauerit in te frater tuus*, dimitte illi, sicut aliis locis dicere solet? An non consectariè magis traditæ hucusque doctrinæ, hîc doceret veniam, potius quàm increpationem suaderet? Vel vindictæ accipiendæ rimulas præcludere debuisset, ne vltionis sumendæ furor,increpationis specie, aliqualem rimetur vindictam. vidit hoc dubium Augustinus,quo pollebat ingenij acumine, & sic eleganter respondet : *Quando ergo in nos aliquis peccat , habeamus magnam curam , non pro nobis, nam gloriosum est iniuriam obliuisci , sed obliuiscere iniuriam tuam,non vulnus fratris tui: ergò corripe eum inter te & ipsum solum , studens correptioni , parcens pudori. Fortè enim præ verecundia incipit defendere peccatum suum : & quem vis facere correctiorem , facis peiorem.* Eleganter quidem. Sed adhuc audiendus est Rabanus Maurus, qui ita ad nostram thesim opportunùs fatur : *Si peccauerit in te.... Corripe eum , &c. Non passim iubet peccanti dimittere , sed audienti , idest , obedienti , & pœnitentiam agenti ; ne vel difficilis sit venia , vel remissa indulgentia.* Scilicet ex mente Augustini & Rabani, *gloriosum est iniuriam obliuisci*, nec satis est offensam ignoscere, nisi etiam offensoris *pudori parcas.* Sed ne offensor *incipiat defendere peccatum suum , vel sit indulgentia remissa , non passim iubet peccanti dimittere.* Impudens offensor correptionem saltem ab offenso patiatur , ne offendendi libido impunitate insolescat. Timet saltem corripi , qui offendere non timuit. Homo offensus offensori tenetur ignoscere,sed offendendi audaciam frenare iubetur,ne indulgentia remissa iniuriarum lenocinetur,& scelestas subornet iniurias.Liceat aliquid dolori ex accepta iniuria concepto ,sed ad pietatem , non ad vltionem. Offensæ memoria , ad offensoris emendationem duntaxat conceditur , ne alioqui in vltionem degeneret. Id fortè filius Prodigus veretur in pio etiam patre ; Saltem non aude dicere : Peccaui coram cœlo, & in te; sed, *Peccaui in cœlum,& coram te.* Et Tobias hîc vers. 17. grauem iniuriam passus , etsi mitissimus , opportunè offensores increpat , ne *indulgentia remissa* offensoribus blandiatur. Sed ad id solùm admittit recordationem offensæ. Ibi v. 17.

Matth 18.v. 15.

Matth.1.v. 23.& 24.& c.6.v 14.

August. de Verb. Dom. serm.16.

Gloriosum est iniuriam obliuisci.

Rabanus ibidem.

Aliquid licet doloris iniuriarum.

4. Geneseos 26. valdè laborat Isaaci patiētia sustinendo iniurias,quas ei Abimelech rex,regijq; ministri,auarè & impudenter intulerant. Fugitiuo consilio inimici Regis viciniam declinauit. Sed auctum magnis opibus,ineundi fœderis gratia,Rex inuisit,Procerum stipatus satellitio Quibus, dixit Isaac : *Quid venistis ad me hominem quem odistis , & expulistis à vobis ? Fecit ergò eis conuiuium, & post cibum & potum*, &c. Hostilem offensam Isaacus publicat , & amico conuiuio illos humanissimè excipit ; Adhuc hæret iniuriæ memoria,& beneuolentiæ non obliuiscitur ; Eccur lautum conuiuium offensori apparat ? an vt iniuriæ memoriam oblitteret? Tempestiuè Chrysostomus ad præfata verba. *Fecit eis conuiuium*, ita scribit : *Vide Iusti benignitatem, quomodo cum eis absque vindicandi cupiditate loquitur ; & non solùm obliuiscitur eorum quæ in se facta sunt , sed magna hospitalitate illos excipit.* (Pensita attentiùs quæ subscribit verba) *Conuiuio satis certa dat argumenta se non fore memorem eorum quæ in se commiserant.* Videlicet conuiuium est *certum argumentum* vindictæ non expetendæ. O pulchrum Eucharistici conuiuij typum! Inest homini à vitiata natura velut ingeneratus iniuriæ vlciscendæ fomes,qui instigante offensæ memoria,ad vltionem quasi impotenter instigat:adsit ergò Eucharistiæ typus , hoc *conuiuio* adumbratus, qui iniuriæ memoriam deleat , & offensæ recordationem inhibeat. Vnde Isaacus hoc *conuiuio satis certa dat argumenta se non fore memorem eorum quæ in se commiserant.* Scilicet Eucharistiæ vmbram profert velut antidotum aduersus offensæ recordationem; vt Deus per Eucharistiam commiseratus , iniuriæ memoriam,quæ est vindictæ fomes, sopiat, mitiget , & oblitteret , arcano velut fomite veniam. *Todo Dios incorporado es menester para apaciguar la memoria de vn offendido.* Bellè ergò Isaacus offensus offensores excipiens, *conuiuio satis certa dat argumenta se non fore memorem eorum quæ in se commiserant.*

Genes. 26 v. 28.& 30.

Eucharistia, iniuriarum obliuia procurat.

Chrysost. apud Catenam ibi.

5. Geneseos 4. Abelo atrociter perempto , iusti impiam iugulationem non negligit Deus ; sed confestim adest inhumani parricidij seuerus vindex. Ac primùm quæstione facta cor de cœlum honorat. *Et dixit Dominus ad Cain : Vbi est Abel frater tuus?* Naturæ recordationem excitat, quò sensum animi permoueat. Sed impius Cain, qui se putabat à fratre offensum , ingesta fratris memoria ad recordationem pietatis , imaginatæ iniuriæ recordatione magis efferatur,& immaniùs furit.

Gen 4 v 9.

Ingesta Abeli memoria, maeret Cain, quò deinceps ... nequitias.

Basil. Seleuc. furit. Percommodè ad rem Seleucienſis Baſilius ita ſcribit ad ea verba: *Numquid cuſtos fratris mei ſum ego? ô vocem ipſa cæde magis execrabilem! Nec verò cæde ipſa conſopiuit inuidiam, odia etiam nunc renouat, cumque exoſum Abelum non videat, contra fratris animum ſtomachatur: fortè mœret, quòd emortui iugulũ repetere nequeat.* Itaque quæſtio facta de Abelis cœde, dum exoſum fratrẽ (quem inuidia finxerat aduerſarium) ad memoriam reuocat; tametſi Cainus tunc ad præſentiam iudicis æſtuabat præ ſupplicij metu; ſic ira glíſcit, ſic tumet inuidia, ſic furor inſanus ferocit, vt furenter mœreat, *quòd emortui iugulum repetere nequeat.* Quid exaggeratius?

§. LXXXIX.

Silentium non opportunum, audaciæ orationis ſimile eſt: & quod habet vituperium os futile, hoc habet per negligentiam tacens.

1. Decantatiſſima magni Baſilij ſententia eſt, quæ taciturnitatem in opprobriis ſententioſè omnibus ſuadet: *Noli*, inquit, *tuo aduerſario pro magiſtro vti, nec quem odio proſequeris, hunc æmulari.* Quid tu ipſe in alium facis, quod contra te ab alio factum, deteſtaris? Odiſti aduerſarij tui maledicentiam: & male acutus diſcipulus, illius magiſterio erudiris ad vibranda in eum probra non abſimili procacitate? Aut ne deteſteris, quod conuitiator male fecit; aut ne male factum quod deteſtaris, imitere. Vtrumque ex alterutro redarguitur: aut te malè odiſſe quod imitaris, aut male imitari quod odiſti: in te enim diſſimulanter damnas, quod in alio acerbè abominaris. Ergò *noli tuo aduerſario pro magiſtro vti, nec quem odio proſequeris, hunc æmulari.* Matthæi 21. videntes principes ſacerdotum, & ſcribæ mirabilia, quæ Iesvs faciebat, & pueros clamãtes in templo, & dicentes: Hoſanna filio Dauid: indignati ſunt, & dixerunt ei: *Audis quid iſti dicunt? IESVS autem dixit eis: Vtique, nunquam legiſtis: Quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem? Et relictis illis, abiit foras extra Ciuitatem.* Quæ verba ita exponit incertus Chryſoſtomus: *Malum hominem melius locum dando poteſt aliquis vincere, quàm reſpondendo: quia malitia non inſtruitur ſermonibus, ſed excitatur, & ideò Dominus recedendo compeſcere ſtuduit, quos reſpondendo non compeſcuit, vnde dicitur: Et relictis illis, abiit foras,* &c. Verùm tametſi impudens Phariſæorum audacia, dando locum, citiùs quàm reſponſando compeſcitur; Chriſtus tamẽ ne eorum error inſoleſceret, reſpondere non omiſit: nam, quia res Dei pariter agebatur, tametſi perpaucis verbis, ſapientiſſimè, pacatiſſimè, & vrbaniſſimè calumniatoribus reſpondit. *Moderatio propè omnium pulcherrima eſt, quæ ne ipſos quidem, quos damnat, offendit.* Fatigetur calũniatoris improbitas modeſtia tua, moderatione miteſcat, docta reſponſione erudiatur; ne error veritati inſultet, & vires de ſilentio ſumat, magno virtutis detrimento. In lingua prudenter expedita ad loquendum, (ait Philo) *ſunt admirandæ virtutes, vel fiducia, vel ſermonis libertas aduerſus præſtantiores, quando res eam poſtulat: vt illa etiam ſententia vera potiùs quàm iudicata videatur: Si ſeruus ſemper conſueſcat ſilentio, Fiet nequam dediſcens loqui libere.*

[Margin: Baſil. homil. 10. de Ira — Noli calumniatore tuo pro magiſtro vti ad iactanda conuitia. — Math. 21. v. 16 & 17. — Imperf. homil. 38 in Math. — Chriſtus locum dando, potiùs quàm reſpondendo, calumnias refutat, & tamẽ reſpõdet. — Ambr. lib. 1. de Pœnit. c. 1. — Philo in lib. Quis rerum diuin. hæres ſit.]

2. Matthæi 27. Iesvs à Iudæis prædamnatus, Romanorum præſidi damnandus ſiſtitur. *IESVS autem ſtetit ante Præſidem, & interrogauit eum Præſes, dicens: Tu es Rex Iudæorum? Dicit illi IESVS: Tu dicis. Et cùm accuſaretur à principibus Sacerdotum, & ſenioribus, nihil reſpondit.* Iudex totius creaturæ conſtitutus à Patre Deo, vide quatùm ſe humiliauerit, vt acquieſcat ſtare ante hominem iudicem, qui ipſum forſan deridens, de regno interrogat. Cui reſpondit Christvs breui ſermone, quem Phariſæis conſtanter calumniantibus denegauit. Quod ſcitè his verbis expendit S. Chryſoſtomus: Quia enim, inquit, Phariſæi multas habentes demonſtrationes ex ipſis rebus virtutis, & manſuetudinis eius & humilitatis, *tamen in ipſum malignabantur, & peruerſo iudicio agebantur contra ipſum; propter hoc nihil reſpondet; & ſi aliquando reſpondet, breuia quidem dicit, ne continua taciturnitate pertinaciæ opinio de ipſo accipiatur.* Scilicet Chriſtus Deus, morum idea, perſæpè ad vituperonum conuitia taciturnitate muta conticeſcit, quò aut ſilẽtio calumnias compeſcat, aut neglectu eludat, aut manſuetudine calumniatores frangat: verùm continua taciturnitas, etſi de modeſtiæ inſtinctu, & concordiæ ſtudio veniat; dum obiectis criminationibus non medetur rationis pharmaco, ſuſpecta eſt de *pertinaciæ* reatu. Porrò cùm procliue omnibus ſit, calumnias ore arcere, eaſque in calumniatores reiidere: & idcircò obiectis criminibus criminoſiùs reſponſare; qui muta patientia os taciturnitate ſignat, carere videtur ratione, quam pro ſe allegare poſſit: & cùm adhuc in reprehenſo opere factitando flecti neſcius perſeueret; non mentis oculato ductu, ſed cœco paſſionis impetu agi putatur: imputaturque *pertinaciæ*, quod de patientiæ, modeſtiæ, & concordiæ ſtudio venit. Exinde corporatæ Dei ſapientiæ humanis calumniis obnoxiç, æquum viſum fuit, abiectis criminationibus *aliquando reſpondere, ne continua taciturnitate pertinaciæ opinio de ipſo accipiatur.*

[Margin: Math. 27. v. 11. & 12. — Continua in calumniis taciturnitas, contumaciæ ſæpè imputatur. — Chryſoſt. hom. 87. in Math.]

3. In hoc cap. 2. poſt feralẽ Regis edictum, nihilo ſegniùs cum vitæ etiam diſcrimine humandis occiſorum corporibus laudabili ſedulitate Tobias inuigilat: ſæpéque mortis aleam ſubit, ne humanitatis teſſeram amittat; & inopinatam cœcitatis moleſtiam, velut pietatis mercedem acceptat, plus dolens exercendæ miſericordiæ obicem, quàm facinatam, & oculorum iacturam. Verùm (ô magis cœcas amicorum, & affinium mentes!) ſicut Beato Iob inſultabant Reges, ita iſti parẽtes, & cognati eius irridebant vitam eius dicentes: Vbi eſt ſpes tua, pro qua eleemoſynas & ſepulturas faciebas? *Tobias verò increpabat eos, Dicens: Nolite ita loqui: quoniam filij ſanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo.* Tobias ne hactenùs patientiæ ſimulacrum, is eſt, qui opprobriis reſpondeat? qui opprobratores increpet? Huc uſq; ad calamitates, & contumelias mutus, nunc taciturnitatem reſignato ore ſoluit, & pro ſe reſpondens, vituperonibus maledicentiam exprobrat? Ita ſanè, & quidem conſultiſſimè. Ibi enim ſimul cum ſua ipſius cauſa, res etiam Dei pariter agebatur: vnde propriæ cauſæ modeſtam defenſionem ſuſcipit, ne res Dei adæquè periclitetur. Audacter Tobias loquitur, qui audaciùs forſan tacere putaretur. Luculenter dixit

[Margin: Hic verſ. 17. & 18. — Quod habet vituperium os futile, hoc habet per negligentiam tacens.]

Leontius

Leontius in Bibliothec. Photij.

Leontius apud Photium in eius Bibliotheca: *Silentium non opportunum audaciæ orationis simile est; & quod habet vituperium os futile, hoc habet per negligentiam tacens.* Quid tam audacter temerarium, quàm lingua offensione probrosè acerbiùs lacessita ita silentium, vbi vox rebus debetur, *audaciæ orationis simile est.* Os garrulum, & in vituperia expromptum, communi vituperio obnoxium est (nam liberè loqui, cuilibet etiã è vulgo licet) huic etiam vituperio obærata est lingua, quæ in propria causa, cui res Dei commixta est, *per negligentiam tacet.* Debetur quidem modestiæ silentium; sed veritati, & religioni magis loquela debetur, vt veritas, quæ taciturnitate sorderet, de modestæ linguæ rationali officina micantiùs niteat, ad abigendam maledici erroris nubeculã; ne pertinax silentium infuscet, quod modestæ linguæ facula posset manifestè clarare. Hinc oris officium veritas exposcit, ne taciturnitas virtuti insidietur. *Quod habet vituperium os futile, hoc habet per negligentiam tacens.* Pulchrè docet Seuerinus Boëtius, qualis debet esse peritus Magister in re litteraria: *Doctor debet esse eruditus, debet esse mansuetus, prout opportunum est: debet esse rigidus, vt lites dissoluat, oblatrantes remordeat, proteruientes castiget.*

Boëtius lib. de schol. discipl.

4. Matthæi 16. Vespere autem facto discumbebat IESVS cum vndecim discipulis suis. Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia vnus vestrûm me traditurus est. Et contristati valdè cœperunt singuli dicere: Numquid ego sũ Domine? *At ipse respondens,* ait: *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo,* &c. In quibus verbis peritè dissimulatam Proditoris increpationem Sanctus Leo agnouit, sic fatus: *In quo notam sibi esse Proditoris sui conscientiam IESVS demonstrauit, non aspera, ac aperta impium increpatione confundens, sed leui, & tacita admonitione conueniens, vt faciliùs corrigeret pœnitendo, quem nulla deformasset abiectio.* Benè est correctionis norma hîc ad amussim tradatur; sed quare CHRISTVS Deus ad alia opprobria mutus, hanc non præterit tacitus, nec mutæ in iniuriis tolerantiæ se nũc ostentat exemplar? An non præstaret, vel ad Iudæ conscientiam tacere; ne vel præscientia defenderet, quod Proditor hactenùs in eum deliquisset? Sapienter Hieronymus, & ad litteram eruditus, & tempestiuus ad mores, ad præfata Matthæi verba, ita scribit: *Iudas autem nec primò, nec secundò correctus, à proditione retrahit pedem; sed patientia Domini nutrit impudentiam suam.* Occultum Proditoris facinus, & probrosè inuerecunda in Magistrum proditio, verbis ad emendationem arguatur, ne CHRISTVS Deus sua sibi patientia detrahat; & quod os benè taceret, malæ conscientię peius imputetur. Congruit patientiæ taciturnitas in opprobriis; sed suæ auctoritati, & probitati sermonem CHRISTVS debet, ne *patientia Domini nutriat Iuda impudentiam.* Heu quoties mutum in opprobriis silentium (quod modestia, & patientia suadet) alit maledicorum impudentiam! de aliena bonitate tuam malitiam nutris, & incrementas; Nil est tam improbis volupe, quàm referire eum, qui inflictum vulnus insensili patientia mutus sustinuit. Ergo conuitiator, quod non timet de impudenti, aliquando timeat de infausto. Neque pacati mores eius, qui iniuriis lacessendus est, nutriant maledicorum impudentiam: nam vt sententiosè dixit Tacitus: *Fortissimus in ipso discrimine exercitus est, qui ante discrimen quietissimus.* Diuturna patientia crebrò exasperata, iras alit atrociores.

Math. 16. v. 23. & 24. *Occultum peccatum dissimulanter corrigendum.* Leo ser. 7. de Passione.

Hieron. ibi.

Corn. Tacit. lib. 1. Hist.

Malus Iudas, qui patientia Domini nutrit impudentiam suam. Iudæ peruersitatem æmulantur, & ab eo discunt malitiam, qui de aliena mititate immites iras mutuantur. Eleganter ad rem Hildebertus sic ad rem fatur aduersus istusmodi Iudę discipulos, & nequitiæ magistros: *Scio quidem, scio te abusum patientia mea, & lenitatem meam male te multa docuisse.* Bona lenitas, male fit temeritatis magistra. Verùm qui silentio hostilem garrulitatem armat, sæpè exarmat congruo sermone. De quo ita scribit Philo Iudæus: *Primùm pro telo esse potest aduersus insidiatores: nam sicut cæteræ animantes suas quæque vires habent à natura datas ad arcendos impetus lædere volentium: sic eadem natura homini dedit maximum propugnaculum, & arcem munitissimam sermonem, quo tanquam armatura tegitur vndique domestico aptissimoque protectus satellite, & hostem insultantem lacessentemque ipse illæsus submoueat.* Itaque sapiens procacibus aduersariis respondeat, si respõdere oportet, (ô quàm rarò id expedit!) sed sine bile, sine felle, sine aculeo; etsi ei, qui respondet aliàs aculeus non desit. *Veritas,* (inquit Alexandrinus Clemens) *Sicut apis, nulli ex his, quæ sunt detrimentum afferens, propter solam salutem hominum exultat.* Apis gemmantes leni murmure campos lustrans flores legens, & relegens; nulli plantarum detrimentum afferens, fauos suos condit, & mella sollicitè fabricat. Sic Veritas, etsi aculeo non careat, ad peritię opificium incumbit, quieta, lenis, placida, flores legens, non fella ructans, non aculeos mordacitate figens, quæ grauior vltio refigat aut Sapientior prudentia taciturnitate negligat.

5. *Bona lenitas, malè fit temeritatis magistra.*

Hildeb. Epistol 74.

Philo lib. de Somn.

Sit veritas sicut apis.

Clem. Alex. in Adhort. ad Gentes.

M. Felix Ennodius in libello aduersus eos, qui contra Synodum scribere præsumpserunt, ita eleganter scribit: *Qui fluxum, & lacessentem hostem videat, & præliorum causis aduersarium debilem expauescat? Inuideat sibi victoriam, qui conscientia vulneratum aggredi cessat inimicum. Ad lucrum hostis sui procedit, qui in conflictibus non priùs causas, quàm aliud expendit. Dat vires iaculis innocentia, & mucrone acuunt ex æquo venientia vota bellandi, percutiendi impetum plus iustum dolorem scimus dedisse, quàm brachia. Inde paucorum telis multitudo non subsistit.* Eloquenter quidem Ennodius.

6. Ennod. ibi. *Inimicum conscientia vulneratum aggredi licet.*

§. XC.

Correptio, quæ sanabile ingenium sceleris arguit, blanda duris, asperis lenia consultissimè miscet.

1. IMmorigerum subditum, meliorem sæpè facies ferendo, & dissimulando, vtique sæpè peiorem curiosiùs explorando. Beneuolè illum admone: incredibile est, quàm sit salutare hoc admonitionis pharmacum, si ritè sanabilibus ingeniis adhibeatur. Admonitio, lenis est, beneuola, blanda, dulcis, sine bile, aceti expers, & à contumeliosa exprobratione prorsùs aliena. Correctio culpam non exprobrat, cui mederi satagit. Non est ista increpatio, imò conuicium est. Non est cur peccantis frontem obiurgatione indures: siquid est

Breuis laus in correptione opportunè miscetur.

pudoris residui, adhuc per te seruet. Sæpè dubiam verecundiam vox conuiciãtis clarior rupit. Nemo id esse, quod etiam videtur, timet. Deprehensus pudor amittitur; & reo iam vicinus est, qui malus apud Superiorem putatur; quia tunc aliquid persuadetur animo, cùm intrauerit pectus acta suspicio reprehensione publicata. Ne exprobratione delicti (sæpè dubij) infames, quem ab infamia delicti auertere studes. Vitia emendare, citiùs quàm frangere poteris, mellea admonitione ad emendationem allicies; at dum dura obiurgatione illius arietare vitia obnixè contendis, dum frontem pudore exuis, illum ad obstinationẽ erudies. Mallem successum tibi, quàm peritiam admonitionis deesse. Duris blanda, & asperis lenia misce. Excusa tuas, aut aliorum velut sinistras coniecturas, & apparentiam culpæ, potiùs quàm culpam te incusare, blandiùs suggere. Siquid etiam boni aliàs gestum est, aut in ipso delicto elucens, placidè commenda: vt quantùm delicti non patrandi admonitio exasperat, tantùm blanda laudum audientia demulceat. Morum pædagogia non tam vi, & armis, quàm sagaci prudentiæ arte, & pia (vt sic loquar) fraude perficitur. An non audis hic Tobiam dum suos contribules reprehendit, sanctam eorum prosapiam, generosam in Deum fidem, & spem de confinio æternitatis præcelsam, consultissimè dilaudare? Nimirùm obiurgationem laudatione mellit.

Mic 7.17. & 18.

Lucæ 7. habes Pharisæum, habes meretricem: Pharisæum censorio supercilio notum, meretricem de luxuriæ elogio notham: & criminum præsules facti sunt diuinæ misericordiæ indices. Pharisaïca animitùs murmuratio, reprehensione laudibus mixta cohibetur. Meretrix accedit importuna conuiuio, & opportuna pietati; ac peccatis degrauata ruit ad pedes Domini, vt libidinis vestigia corrigat: accedit retrò ne adhuc pudorem inuerecundè culpet. Cor suum supra pedes eius mistum cum fletibus fundit; capillis etiam mollibus, lachrymis perfusos pedes, quasi linteo quodam detergit, & flebilia fletu diluit, ad illam Christo adhuc tacente; quousque fœmina à Pharisaïco supercilio multis defensa, de Christi ore audit: *Remittuntur tibi peccata..... Fides tua te saluam fecit: vade in pace.* Et vbi est, saltem publica illa corrigendorum clausula: *Noli ampliùs peccare?* Famosam tota vrbe peccatricem, nec reprehensione corripit, nec adhortatione instruit; sed generosam eius fidem coram commendat, & gloriosiùs prædicat; An non præstaret, aliqua reprehensione eius olim impudentiam corripere, & ad meliorem vitæ frugem exinceps, blãdè adhortari, Quæ inuerecundè deliquit, saltem obiurgatione ad medelam confundatur. Quid si commentatione suffunditur, & laudibus cõfunditur? Perbellè aliorsùm Tertullianus, ad rem opportunissimè: *Magis laudando, quàm vituperando confundas quia delicti durior frons est, ab ipso, & in ipso debito impudentiam edocta.* O consultissimam corrigendi peritiam, omnibus morum magistris exemplarem! Adstantes peccatricem mulierem reprehendunt, & Christus reprehẽsionem defensione mitigat, & eius obsequia, & fidei elogia commendat: quippe quam *magis laudando, quàm vituperando confundat.* Recognosce arcanum emendationis ingenium: nam *delicti durior frons est, ab ipso, & in ipso delicto impudentiam edocta.* Qui benè conscius sui delicti est, dum audit suas laudes, egregiè confunditur, & de existimata bona sui opinione, animo non despondet dubiam saltem famam restaurare: sæpè enim dubiam verecundiam vox reprehendentis clarior rupit; nemo id esse, quod etiam videtur timet: præstat vt siquid est pudoris residui corrigendus seruet: non est quòd frontem eius exerta conuitiatione indures: *delicti enim durior frons est, ab ipso, & in ipso delicto impudentiam edocta.* O bonam pædagogiæ ideam! Veniam dat Christus, illam petenti, aliorum obiurgationes lenit, obiurgati pia obsequia commemorat, & fidei generositatem commendat, quò & magis delinquentem animitùs confundat, & meliora sperare discat. Mulcet laudando, vt proficiat emendando; ne obdurationem obiurgationi procuret, & perdat dum corripit.

Lucæ 7.v.48 & 50.

Delicti durior frons est ab ipso, & in ipso delicto impudentiam edoctam.

Tertull. de veland. Virg. cap. 14.

3. 1 Regum 24. Saül persequens Dauidem; electis militibus stipatus, per impudentiam ingreditur in spelæum, in cuius penetralibus Dauid cum suis abditè delitescebat. Vitam quam exprompté eripere poterat, Saüli donat; nec vult alieno periculo suum redimere. Partem tamen regiæ chlamydis præcidit, in amicæ veniæ documentum. Et egresso Rege de spelunca, egreditur mox Dauid, & clamauit post tergum Saülis, dicens: Domine mi rex. Et respexit Saül post se, & inclinans se Dauid pronus in terram, adorauit, dixitque ad Saül: *Quare audis verba hominum loquentium, Dauid quærit malum aduersum te?* Deindéque multa subdit, vt ab innocente atrociter persequendo animum auertat, & exinceps saniori mente cohibeat. Sed quid est, quòd tam feçe persecutionis culpam non relicit in Saülis inuidiam, & inuidiosam triumphi, & regni æmulationem; sed in malignas populi suggestiones? *Quare*, inquis, *audis verba hominum dicentium, Dauid quærit malum aduersum te?* Et sanè perspicuè constat, Dauidem gratissimum fuisse omni populo: dicitur enim suprà: *Et Dauid acceptus erat in oculis vniuersi populi, maximéque in conspectu famulorũ Regis.* Non effugit hoc dubium Chrysostomi eruditionem, in eruendis Biblicis difficultatibus sagacissimam, ita hac de re Chrysostomus fatur: *Quam igitur ob causam Dauid crimen transtulit in alios, nisi vt Saül præberet occasionem excutiendi malitiam? Hoc nimirùm, & parentes sæpenumero faciunt erga filios*, &c. Scilicet dum Dauid sollicitiùs satagit animũ Saülis à crudeli flagitio auertere, non eum incusat quasi sceleris auctorem; sed ab aliis se excitari denotat, & in populum malitiam repercutit, quò Saülis culpam extenuet; indéque *Sauli præberet occasionem excutiendi malitiam.* Faciliùs admonitio, ab eo malitiam excutit, qui non arguitur quasi totius malitiæ reus; sed pars malitiæ, ipsáque extenuata, & magna ex parte de aliena prauitate colorata, illi adscribitur. Emendatio conuiciis non peragitur, sed persæpè malitia pudoris iam nescia, obstinatè consummatur. Perita correptio, aspera mitigat, dura emollit, & fella dulcibus temperat, ne obdurationem effronti desperatione procuret. Subiectorum emendationi inuidet, qui secùs faxit.

1.Reg.24.v.10.

Culpam in populum reijcit Dauid, vt Sauli præberet occasionem excutiendi malitiam, correptionis pharmaco.

1.Reg.18.v.5.

Chrysost. homil. de Dauid, & Saul.

4. Marci 5. mulier, quæ erat in profluuio sanguinis annis duodecim, *& fuerat multa perpessa à compluribus medicis: & erogauerat omnia sua, nec quicquam profecerat, sed magis deterius habebat:* cùm audisset de IESV, venit in turba retrò, & tetigit vestimentum eius: & confestim siccatus est fons sanguinis eius, &c. Quæ est ista, quam sic genuinus sanguis, naturalis debilitas, originalis morbus,

Marci 5.v. 26.

morbus, ad causas mortis, ad lethale vulnus, ad fœdi languoris adduxit angustias; & quam sic sordidauit vitiis, fœdauit criminibus, secretis vulneribus sauciauit, vt desperata artis medicina, quę igne & ferro aduersus miseros ægrotos armatur, ad cœlestem remediatorem, sibi vltrò occurrentē festinauerit? Inter Dominum morbi remediatorem, & mulierem valetudine emendandam, inopinatæ salutis agitur tam grande commercium.

Humani correctores horrere magis, quam curare vulnera consueuerunt.

Chrysolog. serm. 36.

Fœlix mulier, (ait ibi Chrysologus) *quæ in tanta multitudine est sola cum Christo*: vt sola sit conscia & salutis redditæ, & virtutis excelsæ. *Beata quæ tali via ad sinum prorupit, irrepsit auctorem, quæ antequam de suo vulnere confunderetur ab homine, careret ipsius vulneris fœditate: sciens sibi apud homines, & per homines interclusum totius aditum sanitatis: qui horrere magis, quam curare vulnera consueuerunt.* Eleganter æquè ac moralissimè Chrysologus. Nimirum Christus vt emendaret hanc feminam, & inueteratum corrigeret morbum, illi vltrò occurrit, ac transiens, & quasi aliud agens emendationem solerter procurat; & quidem secreto correctioni lenocinante, pudori parcens, ne in tanta hominum frequentia fœdum publicaretur vitium, *quæ antequam de suo vulnere confunderetur ab homine, careret ipsius vulneris fœditate.* Præterea blandis verbis, & ore placido mulierem emendandam affatur: peritus enim vitiorum emendator, abstergit vulnera humana, non despicit: neque horret languores hominum, sed depellit: nec detestatur immunditias humani corporis, sed emendat. Heu sæpè videmus interclusum totius aditum sanitatis, apud homines, & per homines; *qui horrere magis, quam curare vulnera consueuerunt.* Remediatoris inconsulto horrore vlcus sanandum recrudescit, & asperis sæuit magis: admisce linimenta, quę vulnera blandè etiam mulceant, & sanabile ingenium emendasti. O bonam correctoribus eruditionem!

§. XCI.

Num Superior magis honestetur de Subiectorum virtute, quàm de bonitate propria?

1. SVperiori id expedit, quod subito conuenit: non est Superior, nisi quicquid agitur ad subditum pertinens, suum etiam esse cēseat. Consortium rerum omnium inter eos fecit Præfectura; nec secundi quicquam singulis est, nec aduersi. In commune viuitur: alterutri alter viuere oportet, si vult sibi viuere. Omnia cum subdito communia habebit, qui multa cum homine. Discat ergo Antistes quid subdito debeat præstare, quid homini, quid homini subdito, cui etiam ex munere viuit. Homo vniuersatim aliis non nascitur, qui sibi tantùm moriturus est. Superior verò vni sibi moriturus, aliis quoque ex muneris genio nascitur, aliis viuit, rationem pro subiectis omnibus redditurus. Præpositus qui soli sibi bonus est, bonus non est: nam quemadmodum de subiectorum reatu imbonitatem fœnerat, ita de illorum virtutibus bonitatem mutuatur. Num Superior magis venustatur de subiectorum virtute, quam de propria bonitate? Pulchrum sanè ad mores sophisma! Profectò Superior qui non bonus aliis est, nec sibi bonus est.

Superior subditis viuit, moriturus sibi

Quin & subiectorū facienda probitas, multiplex est, sua verò bonitas, vna & singularis est. O vide quam solerter Tobias hîc ad suæ familiæ probitatem inuigilet! Mauult morosæ importunitatis, quam oscitantis inertiæ insimulari; ne in se singulariter bonus, in tota familia multipliciter malus inueniatur. Exindè de subiectorum virtutibus eximiè venustatur, pia quadam ambitione studiosiùs inuigilat. Hic vers. 1.

2. Matthæi 21. Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam, & sepem circundedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim. *Et locauit eam agricolis, & peregrè profectus est. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus illius.* Vinea hæc, quam Dominus manu sua plantauit, illa ipsa est, de qua Isaias loquitur: Vinea Domini Sabaoth, domus Israël est. Agricolæ autem Sacerdotes & Leuitæ, & reliqui omnes, qui Hebræi populi regundi munus à Deo susceperunt. His itaque Deus vineam suam locauit, non gratis dedit: nec pensionis nomine pecuniam pactus est, sed eiusdem vineæ fructus, cuius causam incertus Chrysostomus luculentè tradit, sic ibi fatus: *Et locauit eam agricolis*, &c. *Quandò scilicet per legem constituti sunt Sacerdotes & Leuitæ, & procurationem regendi populum susceperunt.* (obserua diligentiùs verba quæ subdit) *Sicut autem colonus, quamuis de suo munere obtulerit Domino, non sic eum placat, sicut si de vinea eius redditus ei obtulerit: sic & Sacerdos non tantùm propter suam iustitiam placet Deo, quo modo si populum Dei sanctitate docuerit: quoniam ipsius iustitia vna est, populi autem multiplex.* Nempè sicut colonus quandò de suo censu aut fundo annuos redditus pro locata vinea pendit, non tam grati sunt Domino, quam cùm suæ vineæ fructus ipsissimos illi offert: quoniam nescio quid gratiæ subest propriæ hæreditatis fructibus; & vineti aut arboreti quod plantasti, opimos percipere prouentus ad maturitatis saporem eruditos: sic, sic inquam, dum Sacerdos, aut populorum Rector suam iustitiam aut sanctitatem Deo præsentat, grata illi est; (nec aliter potest) ast cùm suæ vineæ, quam manibus suis plantauit, idest, commissi sibi populi, maturos virtutis fructus Deo offert, eiusmodi sāctitatis prouentus gratiùs satori Domino perplacent, atque in illis iucundiùs deliciatur. O bonam Sacerdotibus, Præpositis, & Prædicatoribus eruditionem! Tua ipsius iustitia Deum placat, Deoque placet; (non enim potest humana bonitas bono Deo non placere) sed cùm iustitiæ fructus, & saporatus hæreditatis suæ prouentus Deo obuenit, Deo offertur, penditur Deo, id est, quandò commissi tibi populi sanctimoniā Deo pręsentas, præter cognatum sanctitatis valorem aut saporē, nescio quid gratiæ habent eiusmodi fructus, qui Deo perplacent. O tua iustitia Deo grata est, iustitia verò populi tibi commissi, quem solertiùs excolis, eximiè gratior, & Domino placentior: sui enim fundi fructus agnoscit, & sibi de plantatione gratulatur. Non tam ambit Deus stipendium quod pendit colonus, quam sui fundi prouentus. O felicissimus ille animarum colonus, qui non tantùm de sui agelli fructu, sed etiam de locatæ vineæ prouentu fructus Domino exoluit! Exindè vineæ suæ fructus à colonis exigit Deus. *Sicut autem colonus, quamvis de suo munere obtulerit Domino, nec sic eum placat, sicut si de vinea eius redditus*

Matth. 21. v. 33. & 34.

Propria vineæ fructus, quam aliunde partus, Domino perplacet.

Imperf homil 40 in Matth.

redditus ei obtulerit: sic & Sacerdos, non tantum propter suam iustitiam placet Deo, quomodò si populum Dei in sanctitate docuerit.

5. Matth. 17. v. 1. Matthæi 17. assumpsit IESVS Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum: *Et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut Sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* Augustas gloriæ vestes Dominus induit, iuxta opinatissimũ regij Psaltes vaticinium: Dominus regnauit, *decorem indutus est.* Nec gloriæ Thaboris testes desunt locupletes. Adest Moyses Legis vertex, adest Elias Prophetarum apex, adest & Apostolici collegij trinum fastigium; nequis ambigat de Transfigurationis præcelsa gloria: Verumenim verò si Thaboris gloriosum decus attentiùs exploretur, non adeò forsan magnificè in illo Christi tunc beata gloria scintillare videtur. Vsqueadeò magnum, præcelsum, & augustum censeri debet, CHRISTI Dei faciem instar Solis micanter fulgere? An non istiusmodi prærogatiua cum reliquis Beatorum corporibus communis est? Vidit hoc dubium Ansbertus, illudque pulchrè adauget, & ad rem præsentem acutè soluit, ita scribens: *Et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut Sol.* (Ansbertum legis) *Absit autem vt tantam faciei Christi tribuamus claritatem, quantam habere Solem istum visibilem cernimus: præsertim cùm & de membris suis ipse dicat: Fulgebunt iusti sicut Sol in regno Patris eorum. Et quidem erunt electi æquales Angelis Dei, non tamen Filij Dei,* (attende ad dubij solutionem Ansberto dignam) *Nam quod in Monte coram tribus discipulis transfiguratus, faciem suam in Solis claritatem commutauit futura membra sua iam tunc in se ipso ostendit.* Nempè quantùm distat gloria seruorum à Domini gloria, tantũ gloria debita Christo Deo (qui hîc Patris Dei vnigenitus renunciatur) antistat gloriæ, quam beata cœlicolarum corpora habebunt in beatitudinis gloria. Ast Christus in Thabore, dum dicitur *decorem induisse*, & faciem eius splenduisse Solis adinstar; gloriam beatorum corporum induit, de quibus scribitur, quòd *Fulgebunt iusti sicut Sol.* Scilicet non tam induit in Thabore totam augustissimam gloriam debitam Patris Dei vnigenito Filio, quàm adsimilem Beatis corporibus gloriam, quã illis ipse Christus sua Passione & meritis acquisiuit, augustè gloriosum ducens induere Thabore gloriam, quam suis ipse Prędestinatis promeruit. Hunc Christus Deus *decorem induit*, quasi quodammodò sumptuosiùs præfulgeat in gloria, quam suis acquisiuit, quam in augustiùs sublimiori, quam de suo habet: Ideò quoniam *Fulgebunt iusti sicut Sol*, quandò Christus Deus in Thabore *decorem induit, resplenduit facies eius sicut Sol.* Quid accommodatius? *Ostenta en su persona Christo, no tanto sus glorias, como las que merecio à los suyos.*

In Thabore Christus, non tam sua, quà suorum gratia decoratur.

Ansbert in Apocal l. 5.

4. Hinc lux aliqua forsan accenditur loco illi, etiam post tot commentationes, semper obscuro, quo Exhodi 7. Moysi dicitur: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Putabit fortè aliquis, hoc datæ diuinitatis elogium, humanum Moysis fastigium excellere, vel de vocabuli arrogãtia immodicum. Sed aduertere oportet cum Augustino ibidem: *Notandum, inquit, quod cum ad populum mittitur Moyses, non ei dictum est: Ecce dedi te Deum populi.* Nam tantùm ei dictum est: *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, idest, *relatiuè ad Pharaonem*, vt subtilis notauit inibi Caietanus. Ecce tibi imminutã Moysis velut diuinitatem, nec fast giũ puri hominis supergressam. Dicitur enim Deus; non plurium, sed vnius duntaxat: Deus autem non plurium, sed vnius tantùm, quia relatiuè ad vnum solum Deus dicitur, quasi Deus reliquorum non sit, verus Deus non est. Deus qui vni soli Deus est, & relquiis (vt sic loquar) nemo, integer Deus non est: quoniam indifferenti ad omnes deitate verus Deus constat, non relatiua ad vnum. Non multum de diuinitate participat Antistes, qui vni tantùm aut puniendo, aut augendo totus est, & cęteris nemo. Prætereà ex verbis Augustini notare oportet ad rem, quòd qui non dicitur Deus erecti populi, sed vnius Pharaonis, Pharaonis inquam, hominis minimè boni, superbi, furiosi, arrogantis, sæui, proterui; à non bono subdito, non parum deuenustatur; quia bonitatem quam sedulò serit, Auctori non metit. Quid refert Deum dici, si non additur: *Ecce dedi te Deum populi* Israëlitici, idest, electi; sed, *Dedi te in Deum Pharaonis, relatiuè ad Pharaonis?* ex quo nullus Datori fructus obuenit. Porrò contumax & nequam subditus, & ex quo virtutis fructum Superior non demetit, dignitatis detrimentum est, principalis præfecturę dispendium, & honoris iactura. Vniùs tantùm, ipsiusque Pharaonis Deus, verus Deus non est, cassa deitate, & fructuum infœcunda; Moyses est, homo est: homo inquam, curis exsomnis, difficultatibus perplexus, oppressione afflictatus, & calamitosis affinis. Vnicus non bonus subditus Pharao, vnicum sibi vindicat Deum ad sui gubernationem; Quin & ipse virtutum sterilis, & malitiæ fertilis, Deum suum Moysen egregiè deuenustat, adeò vt data sit Moysi Dei nuncupatio, vt tam augustum nomẽ, propter scelerosum obstinatè subditum, & probitatis malignè infœcundum; nullum, aut saltem exiguum sentiat detrimentum.

Exhod 7. v. 1.

Aug q. 17. in Exhod.

Caietan ibi. Indifferens erga omnes bonitas, verum Deum probat.

Subditus virtutum sterilis, & malitiæ fœcundus, tanti Moysi diuinitatem deuenustat.

5. Gentium doctor ita scribit ad Philippenses: Itaque fratres mei charissimi, & desideratissimi, *gaudium meum, & corona mea: sic state*, &c. Nempe Paulus tot laboribus & ærumnis Christi fidem in Philippensibus plantauerat, & ad præcelsum fastigium feliciter deduxerat. Indè auidiùs exoptat, vt in accepta à se fide & virtute constanter perseuerent; illos appellans *gaudium* suum, & *coronam*. Ambiguum autem est apud Expositores, ad quosnam referenda sit hæc *corona*. an ad Philippenses, qui ab Apostolo fidem edocti, sic bonis operibus proficiebant, vt æternæ gloriæ *coronam* consequi certò mereantur? an potiùs Pauli *corona* sunt ipsi Philippenses? Ambrosius censet, fore vt Philippenses sint Pauli *corona* sic enim præfatum locum commentatur: *Gaudium enim Pauli, constantia illorum ad præsens est, & ad futurum corona*, Ambrosio accinit Anselmus, ita præscripta verba exponens: *Gaudium meum, idest, de quorum fide, & opere gaudeo. Et corona mea in futuro, quia propter vos coronam gloriæ percipiam.* Verùm quasi parùm foret in præsenti Paulum tanto perfrui gaudio, & pro ærumnosæ prædicationis pretio spebus coronari, addit Vazquez (in re scholastica & expositiua sibi par) Pauli sententiam exponens: *Corona hoc loco intelligi posset, quod Philippensium fidem & profectum Paulus pro corona sui laboris diceret.* Nempe Philippensium fides, quam Paulus plantauerat, dum spe vernaret, & charitatis fructibus vbertim autumaret, optatissimo profectu; non modo dicitur

Ad Philipp. 4 v. 1.

Philippẽsium fides & profectus, Pauli labores coronat.

Ambr. ibi. Anselm. ib.

Vazquez inibi.

tur Apostolum iucundius exhilarare, quasi desideratissimos sui laboris fructus sapientissimos carperet, sed illorum fide, & profectu sumptuosiùs *coronari*: Nam (vt inibi notat Caietanus) *adiungit tanquam insigne triumphi coronam.* Quasi Christiana fides, ablegata idololatria; & Philippensium in Christianismo profectus, sit triumphalis Pauli *corona*, quæ non spe duntaxat præsumitur, sed quæ præmaturè *coronatur*. Sic est gratus, sic gloriosus est, proprij laboris cumulatius vbertim fructus? *Philippensium fidem, & profectum Paulus pro corona sui laboris dicit.* O quàm exhilarat, & honorat, proprios labores *coronatos* videre! Non propriis duntaxat meritis, sed etiam alienis Paulus *coronatur*.

Caiet. ibi.

---

§. XCII.

Delicta quantumvis fœda, diræ egestatis penicillo, ad vitij dissimulationem homines colorare, aut excusare solitant.

1\. Querula miserè egenorum vox est: Paupertas mihi grauis est. Imò tu grauior es paupertati, cùm querimoniis illam tuis dehonestas. *Non in paupertate vitium est, sed in paupere.* Illa expedita est, hilaris, tuta. Adhuc gemis: Pauper sũ. Nescis te opinione, non re laborare. Pauper es, quia videris. Nihil deest auibus: pecora in diẽ viuũt: feris ad alimẽta solitudo sua sufficit. Opploras adhuc: Pecuniam perdidi. Fortasse te illa perdidisset. Pecuniã perdidi. Sed habuisti. Pecuniã perdidi? Sed habebis inde periculi minus. Pecuniam perdidi. O te felicem, si cum illa auaritiam perdidisti! Sed si manet illa apud te, es tamen vtcumque felicior: quòd tanto malo materia subducta est. Perdidi pecuniam: & illa quidem multos. Eris nunc in via expeditior, domi tutior. Exonerauit te fortuna, si intelligis, & tutiore loco posuit. *Damnum putas, remedium est.* Defles, gemis, miserum te clamitas, quòd opibus excussus es. Tuo vitio ista tibi iactura tam tristis est: non tam molestè ferres, si tanquam perditurus habuisses. Sed has tragœdias paupertas excitat, quia non naturæ, sed ambitioni viuimus. Natura paruo contenta est, ambitioni autem nihil sufficit. Sit ergò egenus, flagitiorum reus; non culpetur egestas, quasi impulstrix ad omnia scelera. Cognata mortalium ambitio scelerosam facit egestatem, & suspectam de flagitiorum lenocinio. Quæ opinio sic apud homines increbuit, vt quantumvis fœdum delictum, penicillo egestatis, ad vitij dissimulationem colorent. *Vbi est necessitas, fures deesse non possunt*, (ait Chrysologus) *Sicut de vestimento tinea, rubigo de metallo, de necessitate fures nascuntur.* Sic necessitas vitiis cognata putatur.

Seneca de Remed fortui.

Maliti<æ> ex paupertatis vtilitas, ex Seneca densè conglobatur.

Chrys. ser. 7.

2\. Ioannis 12. morituro iam Christo, cui cœlum Passionis calicem propinat, lautum Terra epulum apparat, Maria ergò accepit libram vnguenti nardi pistici, pretiosi, & vnxit pedes Iesv, & extersit pedes eius capillis suis: & domus repleta est odore vnguenti. *Dixit ergò vnus ex discipulis eius, Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc vnguentum non veniit trecentis denariis, & datum est egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat.* Vt ergò audiuit Iesvs furacem Iudæ maledicentiam, opus excusat, & laudat, & detractorem coërcet. Sed quæret aliquis, quam ob rem Christus Deus, cùm sciret Iudam auaritiæ cupiditate agitari, & clancularium esse furem, illum in dispensatorem elegit, aut electum à munere non remouit? An non reliqui vndecim Apostoli rem nummariam fideliùs administrarent? quin & non absimili fidelitate septuaginta Discipuli præditi erant. Vnum duntaxat auarum ad habendos loculos eligit, & cæteros ab hoc vitio immunes, reiicit; Qui furi suos credit nummos, furta subornare videtur. Quid ergò est, quòd Christus Deus loculos Iudæ præ reliquis habere maluit? Fortè quod humanam fugit prudentiam, diuinioris prouidentiæ charactere insignitur. Audiendus est hac super re Chrysostomus, qui sic altè fatur: *Quod si quis*, inquit, *inquireret, quid tandem cùm fur esset Iudas, loculi ei pauperum committebantur? Et cur auarum fecisset dispensatorem? Illud sane dicemus, Deum arcanam intelligere rationem.* Nota quàm ipse suggerit, Chrysostomo dignam. *Quod si quid & à nobis est coniectandum; vt omnem tolleret proditionis materiam: neque enim poterat dicere, pecuniarum id cupiditate fecisse, (sufficientes enim loculi esse debebant, qui eius satisfacerent cupiditati) sed sola malitia, quam Christus cohibere volebat multa illi permittendo.* Mira quidem subtilitate Chrysostomus! Nimirùm Christus furacissimè auaro Iudæ loculos consultissimè permittit, ne si pecuniarum auidè cupidus, dura egestate laboraret, occasionem aliquam insidę proditionis haberet. Vnde Christus loculos furi credit, *vt omnem tolleret proditionis materiam.* Sic vel ad propudiosa, & nefaria flagitia instigat egestas, vt eorum committendorum *materia* dicatur? Ergò permittantur ei loculi, quibus ipse malitia sua suæ *satisfaceret cupiditati*; ne vllatenus, aut honestari, aut excusari possit eius auarissima, & scelestissima proditio; quò non de egestate, sed de cupiditate execrabilior Iudæ malitia prodeat. Igitur homini furacissimè auaro, qui futurus erat eius infidus proditor, consultò Christus loculos permittit, *vt omnem tolleret proditoris materiam.* Percommodè opplorat Saluianus: *Ea est labes præsentium mirum atque perditio, vt cùm iam non habeat paupertas quod possit perdere, adhuc tamen vitiositas plus perire*, habet inquam. Sic ex nostra malitia est egestas vltra quàm potest facinorosa; Sic vitia, ad quæ instigat, colorare præsumit; Non ergò est mirum, si Tobias hîc vers. 21. de vxore sua diù egestate laborante, furatam fuisse hœdum, absque temeritatis vitio suspicari potuisset, quasi dira necessitas sit scelerum fomes: & rapacis malitiæ officina pariter ac excusatio.

Ioan. 12. v. 4. 5. & 6.

Christus furacissimo Iudæ loculos permittit, vt omnem tolleret proditionis occasionem.

Chrysost. in Ioan cap. 12. hom. 65.

Saluia. 6 de Gubér. Dei.

Hic v. 21.

3\. Matthæi 12. abiit Iesvs per sata sabbato: *Discipuli autem eius esurientes cœperunt vellere spicas, & manducare. Pharisæi autem videntes, dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere sabbatis. At ille dixit eis: Non legistis quod fecerit David, quando esuriit, & qui cum eo erant*, &c. Non disquirimus nunc, qua mente Christus Deus Discipulos suos per sata duxerit die sabbati. De quo vbertim commentatores (& nos alibi nonnihil ethicè dicemus) an vt Discipulos vtcumque aleret: an quia sensim volebat sabbatum soluere. Hoc indubium, quòd non sine causa id fecerit: neque enim Deus casu quicquam operatur. Chrysostomus ingenio, & eloquio illustris, ita fatur: *Esurientium naturalis necessitas ad excusationem adhibere*

Matth. 12. v. 1. 2. & 3.

1 Reg. 21. v. 4

Nil tam delicta colorat quàm famis necessitas.

Chrys. hom. 40 in Matth. S. Thom. ibi.

adhibetur. In his autem quæ peccata omnino sunt (quæ manifesta sunt, scribit S. Thomas in Catena) nulla certè vnquam excusatio inueniri potest. Nam neque homicida, si per iracundiam se fecisse dicet: neque adulter, si per cupiditatem commisisse asseuerabit: nec alia vlla excogitari causa poterit, vt hæc quæ peccata sunt, non esse peccata videantur. Hic autem cùm famis necessitatem ad satisfactionem attulerit, ab omni crimine illos vindicauit. Scilicet neque amens iracundiæ furor, neque impotens concupiscentiæ libido, (quæ amantes, vel citius amentes facit) neque *alia vlla excogitari causa potest*, quæ sic peccata excuset, vt non esse peccata videantur: at *cùm famis necessitatem ad satisfactionem attulit Christus, ab omni crimine Discipulos vindicauit.* Profectò adnotatione dignissimum est, quòd nulla alia *excogitari* causa possit, quæ sic homines à manifesto scelere vindicare videatur, ac famis necessitas. Hac necessitatis excusatione, à sabbati transgressione vindicantur Apostoli: hac vindicatur Dauid à Sacrorum panum illicito alioquin esu; hac asseritur Iacob à
Genes. 43. v. 11. sui Benjamini periculosa in Ægyptum missione, aiens reliquis filiis: *Si sic necesse est*, (ad famem leuandam) *facite quod vultis.* Sic est famis necessitas, durus exactor; Sic necessitatis priuilegio cuncta licere videntur; At examinare oportet, quid necessitati liceat; sed prius ipsa necessitas examinanda est.

4. Psal. 28. v. 1. Regius Vates Psal. 28. sic occinit: *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum.* Videamus quid sit illud, quod nos Deo nostro, hîc Propheta commonet, & hortatur afferre. *Filios arietum* inquam. Hoc est totū quod expetit, quod requirit, paupertinos ouium fœtus, vile terreni pecoris germen, stratos per viam partus, semina effusa per aruorum inuia, Deo vt diuina soboles
Chrys. ser. 10 offerat, admonetur. Sed quid admoneat vox diuina planiùs iam loquitur Chrysologus: *Afferte Domino filios arietum.* Afferte quos fides concipiat, non caro: afferte quos Dei gratia generet, non mundana natura: afferte quos agnos præstet innocentia, non habeat pecoris habetudo: *Afferte, afferte quos spontè venire, aut necessitas vetat, aut ætas impedit, aut ignorantia retardat, aut tenent vitia, aut delicta remorantur, aut spectatio decipit, aut fallit confusione paupertas: adducite volentes, attrahite volentes, facite vobis de aliena necessitate mercedem.* Hic Chrysologus adglomerat causas, quæ officere solitant, ne quis ad Deum accedat, & in virtute proficiat, nempè aut ætas *impedit*; siue matura, & flaccida nimis, seu necdum virtuti matura: aut ignorantia *retardat*, aut vitia *tenent*, aut delicta *remorantur*, aut spectatio *decipit*. Hæc inquam, impedimenta obiicere dicuntur: at *necessitas vetare* perhibetur, & *fallere confusione paupertas*. Heu! sic dira egestas propudiosa confusione fallit, sic dura necessitas peccata excusat, ac delicta colorat, vt quasi ex licito peccare præsumat egestatis priuilegio; & accessum ad Deum, & aditum ad virtutes, *vetare* dicatur? Sic *fallit confusione paupertas*; Vndè Christus Deus inopinata mortalibus prouidentia, loculos Iudæ permittit, vt omnem tolleret proditionis materiam: & famis necessitas ad satisfactionem affertur, vt ab omni crimine Discipuli vindicentur. O, ne te fallat confusione paupertas!

Sic fallit confusione paupertas, vt ad Deum accedere necessitas vetet.

5. Ioan. 4. v. 34. Basil. Seleu. Orat. 16. Basilius Seleucus exponens illud Ioannis 4. *Meus cibus est vt faciam voluntatem eius, qui misit me*, ita peridoneè scribit: Propterea Israëlitis per solitudinem corporalem cibum per aërem māna sufficit; spiritualem verò mensam per Moysis doctrinam apposuit. *Nam ne, quod in natura deterius est, laboret inopia; ne-ve animæ pars melior oppressa fame obbrutescat, percommodè partitur alimentum conditor, dum vtramque nutrit. Corpori quidem res cognatas, quibus ali consueuit; animæ verò; eius ingenio commentarios congruentes.* Nota, congruentes ingenio *commentarios* esse electiorem mentis alimoniam; secùs oppressa fame obbrutescit. Corpori etiam Conditor idoneos cibos sufficit, ne homo, *quod in natura deterius est, laboret inopia.* Sic dira egestas instigat ad vitia, vt nihil in natura deterius sit, quàm *inopia*? ô exaggeratior hyperbole!

Nihil est in natura deterius, quàm dira inopia.

6. Bernard. in Psal. Qui habitat. S. Bernardus in Psalm. *Qui habitat*, &c. ita ad rem fatur: *Consideremus*, inquit, *ne forte illa tentatio, quæ corporalis Necessitatis occasione animum turbat, Aspidi debeat comparari; monstruosius cæteris solo visu hominem inficere, & interfici tre perhibetur.* Parùm nempe foret, quòd dum subimus *Necessitatem*, illius perpessione ad malitiam acrius instigaremur: at instar Aspidis, & Basilisci, procul etiam visa, aspectu suo hominem sæpè veneno inficit, & atrocius interficit.

---

§. XCIII.

Nemo probus, quæ coram se improbus patrat delicta, negligit, ne illis suffragari videatur.

AB Epicuro est: *Aliquis vir bonus nobis eligendus, ac semper ante oculos habendus, vt sic tanquam illo spectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus.* Magna vox ab Epicureâ cathedrâ. O! vbi sumus Christiani? ab Epicuro voluptatum magistro vincimur. Addo Senecam Stoicum: *Omnia nobis mala solitudo persuadet.* nam in publico quis peccabit? qui mulierem aut aliena tanget, teste præsente? Secretum vitia poscunt, perpauci palàm mali sunt, fugiunt conspectum scelera, secreto gaudent. Et non pleraque scelera cadunt in oculis spectatoris? Heu! cadunt equidem multa, quæ publicè patrata publicos mores initiant. At nemo propè est, saltem nemo esse debet, qui spectatorum oculos, tanquam sui sceleris accusatores non timeat. Profectò alienæ malitiæ vicinus spectator, vt illā protinùs oculis figat, renutu damnet, & vultu execretur, necesse est: sin aliter, adsentit, & mali exempli toxico sensim venenatur. Qui non renuit, annuit: qui non reprobat, approbat. Non sufficit fugitiua quorundam politia, quæ aliorum delicta negligit consultâ oscitantiâ; nam secum in animo deferunt pestilitatē: abnutu & detestatione opus est, vt alienæ malitiæ scintillam confestim excutias, ne & tu pariter eodem flagres incendio. Qui aliam malitiam videt, nisi dicto factove illam abiuret, visæ malitiæ reus erit; O deuita alienum reatum, tibi sensim videndo impressum! An non ab eo regius Psaltes veniam deprecatur, sic pangens: *Et ab alienis parce seruo tuo?* Vnde Tobias hîc dum hœdum domi balantem audit, eum sollicitiùs (& fortè scrupulosiùs) arcet, & suspectum etiam delictum incusat, ne eidem vllatenùs adnuere videatur.

1. Politico-Christ. lib. 2. c. 17.

Spectator alieni sceleris, illius etiam reus est.

Psal. 18. v. 14. Hic v. 21.

Genescos 19. adsunt Angeli Sodomorum euersores, 2.

sores, non qui faces regioni supponant, sed qui sulphureos ignium globulos de cęlo vibrent. Educitur è Sodomis Lot, piger incendij refuga, & in ciuitatulâ Segor, velut in arce, promissionis diuinæ præsidio munitâ, sospes collocatur. Sol egressus est super terram, & Lot ingressus est Segor. *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cælo: & subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia.* Præstrictim adnotabo, ne innotatum dimittam, quod de Sodomorum infantibus obseruat Alcuinus: quare innoxij infantes pariter exarserunt. *Pluit Dominus*, inquit Alcuinus, *sulphur & ignem super omnes habitatores terræ, & infantes quoque cum parentibus cremati sunt, ne de eorum origine aliquod mane et vestigium.* Nec vestigium Sodomitarum vult Deus vt maneat, quod dum incolume manet, Sodomiticum scelus supplicio non publicet: nullaque ad posteros emanet scelestissimæ gentis notitia, quæ nisi de supplicio, scelus agnoscat: vt quantùm scelus cognitum ad malitiæ imitationem inuitat, tantùm absterreat de horrore supplicij. Exinde Philo appellauit *luxuriæ ineffabilem pestem.* De re libidinis lingua obmutescat; ne vel ore contagium serpat. Mitto hęc, vt sagaciùs peruestigemus, cur terram etiam absumpsit? quid tellus peccauit? & quare flammeus sulphureusque ignis è cælo venit? an non sulphureum ignem gehenna commodiùs euomeret, vt tunc, vstulare inciperet, quos de gehennæ igniculo sufflammatos, æterna combureret gehenna? Cur ergo innoxia tellus punitur? & cur cælum punit? Argutè quidem Hugo Carensis, multa breui compendio subtiliter strinxit. Ad præfata verba: *Dominus pluit super Sodomam sulphur & ignem de celo: & subuertit ciuitates has.... & cuncta terra virentia*, ita fatur: *Flamma gehennalis execrabilem venit istam tollere nationem, necnon etiam tellurem, vt potè conscium tantæ confusionis, absumpsit ignis..... De cælo, quia clamor peccatorum ascenderat in cœlum.* Nimirùm Sodomitica tellus conscia erat tanti sceleris, vt potè scelestorùm palæstra, neque vnquam vel leuiter eorum malitiam coërcuit, sed solitos agrorum fructus de more præbuit: ergo *tellurem etiam, vt potè conscium tantæ confusionis, absumpsit ignis.* Ast Cęlum consultiùs sapit, & sulphureum ignem, qui Sodomiticam regionem deuastet, acerbè mittit *de cælo, quia clamor peccatorum ascenderat in cælum.* Nempe Terra videt Sodomorum peccata, & ea oscitanter præterit, & velut inscia dissimulat: ergò idem cum Sodomis incendium subeat. Cęlum verò, quia peccatorum clamor ad eius aures ascenderat, ne Sodomitis assentire videretur, insolentem sibi sulphureum imbrem acerbiùs demittit, vt de pœnæ seueritate euulget, quàm grauatè eiusmodi notitiam tulerit. *Si el echo de las maldades de Sodoma, llego hasta el cielo, con tan seuero castigo, de el Cielo à entender, que le desplacen.* O erudiamur de Cæli gymnasio, ne improbitas audeat palam insultare; totque censores & reprehensores, quot oculos & aures patiatur. Quod si non renuis, adnuis; saltem non bono exemplo fœcundiùs serpente, tandem adnues. Nam qui non reprobat, parùm abest vt approbet.

Supplicium dumtaxat publicet Sodomorum peccatum; ne de imitatione, in plures propagetur malitia.

Alcuib. ibi.

Luxuria est ineffabilis pestis.

Philo lib. *Quod Deus sit imm.*

Cælũ punit Sodomitas, ne eorũ flagitiis adsentire videatur clamor enim Sodomorum in cælum ascēderat.

Hugo. Car. ibi.

3. Numerorum 11. Hebręa gens dapum cęlestium fastidio, sordidas Ægypti dapes hianter suspirat; & insan' in castris excitatur indè tumultus. Moyses autem peruicacem populum sustinendo defessus, ait ad Dominum: Cur afflixisti seruum tuum? & cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Vnde mihi carnes, vt dem tantæ multitudini? *Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis est mihi.* Et dixit Dominus ad Moysen: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quòd senes sint, & magistri..... vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris.* Grauissima inde oritur inter commentatores disceptatio, quomodò Moyses dicat se solum sustinere regundi populi onus, exposcatque à Deo plures in prælatione Subpręfectos; cùm de soceri consilio id olim ipse Moyses præstiterit, quos regundo secum populo pariter constituit. Solus-ne præest, qui plures præfecturæ administros iam diu habet? Quòd si Subpræfectos magno numero habet, quam ob rem quærulus dicit se solum sustinere onus iudicandi populi; & ideò alios præfecturę participes postular, quorum subsidio exoneretur? Omitto innumeras expositiones, quibus hunc locum vexant interpretes. Et sanè Dionysius Carthusianus, postquam refutauit eos omnes, qui censent, Moysen à Deo postulasse administros, qui siue in spiritualibus, siue in temporalibus, verè iudices forent, iudiciariamue potestatem haberent; sic fatur de his, qui communiter ab Hebræis & Latinis interpretibus, iudices reputantur: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris. Ideò*, inquit, *dici potest, quòd Moyses præter præfatos officiarios* (nempe eos, quos de consilio Iethro Moyses in Subpræfectos elegerat) *quærebat opem maiorem, vt ei in auditorium donarentur viri sapientes, & iusti, qui per totam illam plebem diffusi, dirigerent eam tanquam consiliarij generales.* Nimirùm Moyses sufficientes habebat administros, qui iuri dicendo præsiderent; nunc autem à Deo petiit, vt ipse eligat septuaginta viros, qui per totam illam plebem sparsim diffusi, si quærimonias audiant, illis pacatè respondeant: si obmurmurationes, (vt in hoc loco) illas cohibeant: si alia quæuis delicta videant audiantve, illa compescant, non potestate iudiciali, sed probitatis auctoritate. Itaque electissimi quique, sapientiâ & probitate præstantes, ad cohibenda prudenter scelera, quæ coram se admittuntur, iudiciariâ ad id potestate non indigent, sed genio probitatis, pro rei occasione, id consultissimè præstant: ad quod præstandum serò adesset præfecturæ ius, quod probitatis auctoritas antevertit. Alios iudices putatur Moyses postulare, vt impudentem populi in deliquendo audaciam compescant: dum tantùm exposcit, *vt ei in adiutorium donentur viri sapientes & iusti, qui per totam illam plebem diffusi, dirigerent eam tanquam consiliarij generales.* Dum peccatorum impudentiam (si fortè auderet coram ipsis delinquere) tenuitu, consilio, admonitione, & minis, protinùs refrænarent. Nemo enim, cùm tunc obmurmurarunt, in eo castrorum tractu inuentus est, qui probitatis iure obtrectationem compesceret. O quàm reipublicæ interest, vt inter improbos probissimi quique sparsim diffundantur, qui exemplo, abnutu, tempestiuo silentio aut sermone, delictorum impudentiam consiliosè inhibeant! Salutaris planè communitatibus eruditio!

Numer. 11, v.16. & 17.

Exod. 18.

Probissimi quique inter multitudinē improborum sparsim diffundēdi sūt qui delicta compescant.

Carthus. inibi.

Saluianus Massiliensis acri vir ingenio, suæ ætatis vitiositatem in paucis scelerosam grauissimè opplorans, ita ad lemma præsens scribit: *In hoc scelus res deuoluta est, vt nisi quis malus fuerit,* 4.

Saluian. l.5. de guber. Dei.

ſaluus eſſe non poſſit. In ueteratæ malitiæ error, aut cæca ambitionis politia, ſic exiſtimet. Pergit ad rem: *Quis enim vexatis atque laborantibus opem tribuat, cui improborum hominum violentia etiam Sacerdotes Domini non reſiſtunt? Nam aut tacent plurimi eorum, aut ſimiles ſunt tacentibus, etiam ſi loquantur; & hoc multi non inconſtantiâ, ſed conſilio, vt putant, atque ratione. Exertam enim veritatem proferre nolunt, quia eam aures improborum hominum ſuſtinere non poſſunt; nec ſolùm effugiunt, ſed etiam oderunt, & execrantur.* Ergo nemo probus, quæ palàm improbus patrat delicta, negligat, ne illis vel ſilentio ſuffragari videatur. O quàm ſunt Reipublicæ proficui hi conſiliatores vel increpatores generales, ſi conſultâ prudentię cautelâ id præſtent! O ſaltem vel occurſu, vel renutu vitia ſuffundamus!

§. XCIV.

Iudex de ſubditorum dubio reatu ſolerter inquirat, non vt inueniat peccata, quæ puniat: ſed vt ſciat an peccatum ſit.

1. AB omni faſtu remotiſſimus Iudex erit; ac ſi quem ſenſerit, exuet ſe illo, ſeponérque perſonam amici, & quicquid fors animo odiorum latet, quicquid perturbationis, & æmulationis à quâcumque causâ natum. A quâcumque inquam causâ natum. Sunt enim aliqui (heu pauculi!) qui hos affectus humanos exuere valuerunt; ſed nimis contendunt pro Iudicis, id eſt, ſuâ tunc auctoritate: & cum aut ritè, aut temerè, inconſulto ſæpè iudicio, cœperint de reatu inquirere, ne aut leuitatis, aut iniquitatis arguantur, in reo innocente reatum inuenire obnixè negotiantur; & quem criminoſitatis reum putauerunt, ſolerter culpare nituntur. Quaſi ſiniſtra Iudicis ſuſpicio, aut malitioſa cogitatio, ſit ſubditi innocentis flagitioſus reatus: *Nonne iudicatis apud vos metipſos; & facti eſtis iudices cogitationum iniquarum?* Procul hæc mens à Iudicibus, imò in ſcelerum inquiſitione, rei innocentiam inuenire cupiet, aduerſus accuſatoris inuidiam: Æquum tribunalium dogma eſto: Reo potiùs aliquid largietur ac indulgebit Iudex, cuius ſemper partes potiores accuſatoris eſſe debent; cùm accuſator ferè in ſæuitiam, in clementiam reus trahat: huic deinde pœna incumbat, illi præmium magis quàm pœna. Rei innocentia eluit aduerſus ſe indicia, ſuſpiciones eluſit; eluat & pœnam. O bona Iudicis leuitas, quæ innocentiæ fauet, quæ iuſtitiæ militat! O non bona conſtantia, quæ mentitâ innocentis flagitioſitate, Iudicis auctoritatem redimit! O time illud: *Ego iuſtitias iudicabo!* Iuſtitia criminoſum faciat, an iniuſtitia? Reſpublica per Iudicem defæcata eſto; non ſqualidè fæculenta: iuſtitiæ ſplendor niteat, non obſcuritas infernalis tenebreſcat, Præſidis, & Pontificis miniſtris dixit Chriſtus. *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Ad quę verba ita ſcribit Cyrillus: *Dicit autem quòd hæc poteſtas eſt tenebris data, id eſt, Diabolo.* Poteſtas quæ re malè diſcuſsâ verſatur in tenebris infernalis eſt, diabolica eſt. Ergò idoneâ inquiſitione negotium claretur.

Quo animo debeat Iudex delicta inquirere.

Iacob. 2. v. 4.

Pſ. 74. v. 3.

Lucæ 22. v. 53. Cyrill. ibi apud Cate.

2. Geneſeos 18. cælites terræ inquilinos hoſpitio Abrahamus excipit; & in epuli ſtipendium, Iſaaci naſcituri optatiſſimum audit nuncium. Ecquid boni ſibi hoſpitalitas non ſpondeat? Hoſpites ſuos verſus Sodomam incedentes, Patriarcha vrbanè deduxit. Dixitque Dominus: Num celare potero Abraham quæ geſturus ſum; cùm futurus ſit in gentem magnam, ac robuſtiſſimam? Scio enim quòd præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini, *& faciant iudicium, & iuſtitiam*: vt adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus eſt ad eum. Quid eſt, quòd Deus reuelat Abrahamo, quò ipſe inſtructus, erudiat poſteros, vt faciant *iudicium atque iuſtitiam*? Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis. *Deſcendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint: an non eſt ita, vt ſciam.* Quid eſt, *Vt ſciam*: vt ſciat deſcendit Deus, qui omniſcius eſt? Habemus ergo neſcientem Deum, quod tamen non neſciat: nam cùm peccata magna valde ſciat eſſe; & rurſùs deſcendit vt videat an conſummata ſint, & ſi nondùm conſummata ſint, *vt ſciat*; intelligimus eum non ea tunc ſcire, quia priùs neſciat; ſed ea tunc ſcire, quia tempus ad agendum ſit. Verùm τὸ *vt ſciam*, negotium ſemper expoſitoribus faceſſit. Caietanus ſubtilis in paucis doctor, ſic & ad litteram & ad mores hunc locum commentatur, ad rem præſentem opportuniſſimus: *An non eſt ita vt ſciam. Humano*, inquit, *more loquitur Deus. Hic enim debet eſſe fructus inquiſitionis, hæc inquiſitoris intentio, vt ſi non inuenerit ita eſſe, ſufficiat ei ſcire: & non velit honoris gratiâ, ad monſtrandum, quòd non fruſtrà inquiſierit, ad quaſi tuendam auctoritatem vexare ſubditos.* Quid accommodatiùs? Nempè Abrahamus futurus erat multarum gentium pater, & fidelium Patriarcha; edocturuſque poſteros, è quibus multi Reges, Principes, Duces, Dynaſtæ exiſtent, doctutus inquam erat eos, *facere iudicium & iuſtitiam*. Vnde illum erudit, quo animo in Sodomam deſcenderit, ſcilicet ad inueſtiganda Sodomæorum ſcelera; non, vt inueniat quod puniat; ſed vt quid fecerint, *ſciat*. (loquitur de ſe antropopathῶs, vt humanos iudices inſtruat.) Hic debet eſſe inquiſitionis fructus, hæc inquiſitoris intentio, hoc debet animo perueſtigare crimina, vt ſi non inuenerit ita eſſe, vt ipſe ſuſpicatus eſt, aut tacitis auribus alij inſtillauerunt; ſufficiat ei ſcire; non quaſi ad tuendam Iudicis auctoritatem ſubditos diuexare. Planè moraliſſimè Caietanus! Inſontis innocentia damnabitur, vt abſoluatur Iudicis malitia, armata Præfecturæ potentiâ; Hei quot edit famæ ſtrages, Iudicum ambitioſa auctoritas! Iniuſta ſubditorum ruina ædificabit Iudicum maieſtatem? Imò Iudicum maieſtas & auctoritas, equitatis conſequentiæ ſunt non iniuſtitiæ fructus. O peruerſitatem! venerabilis Iudicum auctoritas, erit ignominioſæ iniuſtitiæ ſtipendium; Ergo Iudex delicta perquirat, *vt ſciat*, non vt puniat; contentus duntaxat ſcire, ſi non, quod puniat, inuenerit. 3
Bonus Tobias vxorem de futuro non arguit; ſed in pauperculâ domo hœdum audit balantem, tantùm admonet: *Videte, ne fortè furtiuus ſit.* Non perquirit; vt furtum inueniat; imò perquirendo dubitat, *vt ſciat*.

Geneſ. 18. v. 21.

Index inquirat delicta, non vt quod puniat, inueniat, ſed vt ſciat an peccatum ſit.

Caiet. ibid.

Malè Iudex ſuam tuetur auctoritatem miſerio ſubditorū reatu.

Hic verſ. 21

1. Corinthiorum 4. Gentium Doctor his verbis aut erudire, aut compeſcere conatur hominum iudicia; præſertim *de ſecretis ac dubiis*, vt inibi aduertit Carthuſianus. *Itaque nolite ante tempus* 3.

Carth. ibi.

1. Cor. 4. 5. *tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Valdè miratur inibi Chrysostomus, quòd Apostolus vel specie tenus inhibere videatur publica Rectorum iudicia de dubiis subiectorum flagitiis. *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus. Quid igitur, nonne & Magistros hoc facere oportet?* (Magistros appellat Præsules: qui ad fidem, & ad mores plebem erudiebant) *Oportet quidem, verùm in manifestis criminibus & confessis.* Et cur in secretis & dubiis criminibus, Præfectorum iudicia aut recusare aut sistere Paulus videtur? An defectu iurisdictionis? an bonæ intentionis defectu? *Oportet quidem, verùm in manifestis criminibus & confessis. Et hoc ipsum vt doleamus, non vt inuehamur: & quemadmodum illi tunc ob inanem gloriam & arrogantiam* (alias *stultitiam*) *faciebant.* Nempe Iudicum inquisitionem de secretis ac dubiis criminibus sistit Paulus, quandò Iudices non vt doleant, sed vt inuehantur, inquirunt; & hoc ipsum ob inanem sui gloriam, & dignitatis suæ arrogantiam, quam *stultitiam* appellat, quia *ad quasi tuendam auctoritatem subditos vexant.* Vnde Paulus eiusmodi iudices ob non bonam in peruestigandis flagitiis intensionem, recusans; prouocat ad tribunal Christi, de cuius dulci ingenio, misericordi indole, & beneficâ benignitate, sic piè præsumit, vt audeat dicere: *Quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum: & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Esto, Christus Deus, non inanis gloriæ & arrogantiæ intentione, secretas & dubias causas iudicet, vt illi Iudices, quos nuper Apostolus recusat: quid autem est, quod ait: *Et tunc laus erit vnicuique à Deo?* An non inuenientur plures flagitiosi, vituperio & supplicio dignissimi: sic confidendum est de iudice, qui *de secretis & dubiis criminibus*, non ad tuendam suam auctoritatem, sed bona rei noscendæ intentione, de reatu solerter inquirit? *Tunc laus erit vnicuiq; à Deo.* Nota Theophil. commentationem: *Consequens erat vel pœna: vel laus: cæterùm ad præstabilius sermonem transtulit.* O quàm multa paucis Theophylactus strinxit! quæ ex dictis efferre, pronum est. Piè præsumendum est de Iudice, qui *vt sciat*, non vt puniat, de dubiis flagitiis inquirit.

Chrysost. ibi hom. 11.

Piè præsumendum est de Iudice, qui vt sciat, vt non puniat, de flagitiis dubiis inquirit.

Arrogantia appellatur stultitia.

Theoph. ibid.

5. Matth 13. v. 54. Matthæi 13. *Et veniens* IESVS *in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita vt mirarentur, & dicerent: Vndè huic sapientia hac, & virtutes*, &c. Vide quantâ cum solertiâ, & malitiosâ curiositate, Synagogæ Antistites, & Iudæorum Sûmates perquitant vel de Christi virtute, & genus, doctrinam, miracula, dicta ac facta diligenter discutiant. Eloquenter Chrysologus ad præscripta Matthæi verba his verbis philosophatur: Infelix, inquit, Iudaicæ mentis & detestanda nequitia, ad discutiendum semper promptior, quàm credendum: diuinis virtutibus non ad fidem, sed ad calumniam sollicitè commouentur, vel quia meruit audire sapientiam tantam: sed vndè fit malitiosè curiosa, vel querela, in bonis suspicax, ad noxia satis facilis, *doctrinam despicit, quam miratur; quæ probat præcepta contemnit.* Rogo, cui cautum quòd cæcus videt? cui sollicitum quòd mortuus resurgit? cui dubium quòd loquitur mutus? certè quis nesciat esse Deum, cuius sola curatur omnis debilitas iussione? Moyses signa fecerat multa. Elias maxima monstrauerat documenta virtutum, nec dissimilia opera fecerat Elisæus; cur nemo personam discutit? cur nemo status commouet quæstionem? *Cur nemo vnde essent, quiue essent, vnde ista, & per quem fierent curiositate sic requisiuit ingratus.* (Pergit bellissimè Chrysologus) *Sed iudicatur hic solus, qui solus iudicare noluit ne puniret: improbâ seueritate discutitur, qui vt largiretur veniam, nil quæsiuit: & cùm solus innocens inuenerit omnes reos, ad iudicium pietatis immensæ suscipere maluit, quàm rogare sententiam.* Ecce tibi quàm solerti sagacitate infelix Iudæa vel de virtutibus curiosiùs inquirat; vt doctrinam despiciat, quam miratur: vt quæ probat miracula, contemnat; vt eius vitam dum discutit, damnet. Sic *iudicatur hic solus, qui solus iudicare noluit, ne puniret: improba seueritate discutitur, qui vt largiretur veniam, nil quæsiuit.*

Chrysol. serm 49. Christus solus à Iudæis iudicatur, qui iudicare noluit, ne puniret.

Ioan. 8. v. 11.

6. Lucæ 21. v. 34. Lucæ 21 interrogatus Iesus à Discipulis suis de signis aduentus sui, dixit illis: *Attendite a͡tẽ vobis*, &c. vt dignoscere possitis, qui sint prophetæ viri, aut Pseudoprophetæ: quisnam Christus, & quis Antichristus: imò & quales vos ipsi sitis in eo calamitatis articulo. Basil. in serm. super, *Attende tibi*, ita fatur: *Eadem admonitio ægrotantes sanat, sanos perficit: Non aliorum censores, sed suorum scrutatores.* O salutarem omnibus aphorismum! Aliorum superciliosus est censor qui se ac sua scrutari negligit. Quid censores, antequam penitiùs scruteris, qui scrutateris candidè, quid sinistre censeas, minimè reperires; ô si explorares propria, sicut scrutatis aliena.

Non aliorum censores, sed suorum scrutatores. Basil. serm. super *Attende tibi.*

---

§. XCV.

Adeò nouum videtur, illustri virtute virum potuisse peccare, vt penè vitium credatur rem esse virtutis.

1. CVIuspiam moralissimè eruditi sententiosa vox est: *Fidem nemo vnquam perdit, nisi qui non habet.* Sic altè hæret bona de alio diu concepta probitatis opinio, vt faciliùs credamus, visum auditumque nostrum falli, quàm opinatissimum virum æstimemus improbum; Et sanè cùm homo non tanti censeatur ex opibus, ex nobilitate, sapiẽtia ve, quàm ex bonâ apud homines fide: arcano ipsius naturæ sacramento fit, ne homo alienæ fidei gazam, quam in opinione sua seruat, ex vulgi rumusculis facilè prodigus dissipet: benè sciens, quòd *fides vt anima, vnde abiit, eò nunquam redit.* Bonæ enim opinionis amissa fides, propè irrecuperabilis iactura est. Et quidèm fidem qui perdidit, in rebus humanis perdere vltrà nihil potest. Ebrietas Catoni obiecta fuit, Seneca autem citiùs putaret, ebrietatem esse virtutem, quàm Catonem fuisse vitiosũ. Profectò tametsi erga eos, quos minimè nouimus, nec celebres opinione sunt, sed dubiæ vulgò fidei; *graues hiatus patiatur aliena gratia commissa credulitas*; Tamen apud quos bona diu opinio altè radices egit, etiam in misero probitatis naufragio, fides emergit sospes, cæcâ famæ olim felicitate; & nisi primum peccatum altero denuncietur, incredibile adhuc apparet. Grauc forsan non videretur incommodum, si Tobias aliquantulùm nunc scrupulosè morosus, leuis alicuius noxæ reus putaretur: (neque enim sancti quique viri peccabilitati renunciarunt) sed interpretes,

Publ. Mim. apud Senecam.

Fidem nemo perdit, nisi qui non habet.

Grauis hiatus patitur aliena gratia commissa credulitas. Ennod l. 1. epist. 2.

pretes, viri alioqui sanctitatem sæpiùs demirati, Tobiam vel à leuiculo, defectu certatim vindicant, ne quid de magno viro aduersus opinionem
Hic ver. 21. insolitam sinistrè concipiant: & quod de exaggeratione præcepti (*non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere*) in Euâ damnant, absoluunt in Tobiâ.

2. Matthæi 26. dum reus mortis à Iudaico concilio Christus denunciatur, atrociter in eum à ministris sæuitum est. Neque mitiùs in Petri conscientiâ, quàm in atrio Pontificis Magister tractatur. Et quidem benè à longè Christum sequebatur, iam proximus negaturo: neque enim negare potuisset, si Christo proximus adhæsisset. Sed fortassè & in hoc nobis maximè reuerendus, quòd Dominum non reliquit etiam cùm timeret. Fugitiuâ charitate armat, qui timet: & quod sequelæ pietas concedit, timor negat. Inde Petrus negat Deum, quia homines timet. Petrus inquit, sedebat foris in atrio: & accessit ad eum vna ancilla, dicens: Et tu cum Iesu Galilæo eras. *At ille negauit coram omnibus, dicens: Nescio quid dicis*, &c. Et pergit Matthæus trinam Petri negationem sigillatim referens; referunt etiam explicatiùs reliqui Euangelistæ: sed mirum est quàm diuersimodè à singulis denarretur: quod non leue negotium facessit commentatoribus. Quid causæ est, vt vna eademque res diuersis specie tenus modis, Euangelistarum calamo describatur? *Sed videamus negandi tenorem*, (ait sanctus Ambrosius) *quem inter Euangelistas video esse diuersum.* (Audi rationem Ambrosio dignam, & ad thema præsens in paucis tempestiuam) *Ita nouum fuit Petrum potuisse peccare, vt peccatum eius nec ab Euangelistis potuerit comprehendi.* Nempe vniuersum Discipulorum collegium, tam altam imbiberat de Petro mentem, tantus erat communis æstimationis census, quo eius virtus putabatur inconcussa, & amor erga Christum velut pie obstinatus; vt tametsi ex Christi ore nuper audierant, se à Petro nocte illa non semel negatum iri, & prædictio reapse fuerit confirmata: an ita notum fuit Discipulis *Petrum potuisse peccare, vt peccatum eius nec ab Euangelistis potuerit comprehendi*; inde narrationis tenor inter Euangelistas videtur esse diuersus. Non quia diuersus sit, (vt Matthæi Euangelium exponendo, multis euicimus) procùl à veritate mendacium, & à linguâ fidei falsitatis suspicio; sed id ipsum multis modis, etsi verissimis, consultò denarratur, vt apparente narrationis diuersitate innuatur, quàm nouum fuerit Euangelistis serio sibi persuadere, *Petrũ potuisse peccare*. Quid exaggeratiùs? Sic altè animo hæret, aut animitus corporatur, diu inolitas sanctitatis opinio, vt post ruinæ euidentiam, ruinæ fides quodammodò peregrinari videatur. Sciunt Euangelistæ veram esse trinæ negationis narrationem: sed illam diuersimodè narrant, quò omnibus denuncient, quàm longè à Discipulis abesset opinio, quod Petrus potuerit peccare, quasi hęc persuasio fuerit diuturnæ probitatis stipendium.

3. Genes. 27. tandem senescit Isaac, & benè oculatus ad futura, ad præsentia egregiè caligat: nec agnoscit simulatum Esaü, & verum Iacobum, tactu mentiente primogenitum, voce tamen prodente veritatem. Itaque Isaac plus credit tactui falsato, quàm veræ voci, (sæpè enim verosimilius est veritate mendacium) artifice fraude decipitur, & vera mysteria mendacio peragit, & per quandam imposturam meracissimæ veritati ignoranter militat. *Venit*, inquit Isaac, *germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.* Cui Esaü respondit: *Primogenita mea antè tulit, & nunc secundò surripuit benedictionem meam.* Interpretum Proceres Iacobi sanctitatem tanto in pretio habent, vt quod Isaac & Esau, fraudem, & furtum nominant, ipsi virtutem nuncupare consentiant, ne seriò sibi persuadeant, Iacobum aut furacem, aut fraudulentum, aut mendacem. Sed quæ sunt hæ hominis simplicis piæ fraudes? *Furto Iacob primogeniti fratris vicit ætatem: cuius beneficio principatum obtinuit, quem natura non dederat*; & adhuc eâ in re religiosus, iustus, veridicus, candidus, & simplex Iacobus reputatur; Bellissimè in re simili pergit Ennodius: *Penè vitium credidi rem esse virtutis.* Nolo venerandum Iacobi nomen incessere, neque etiam secundum conscientiam accusantis subire personam; sufficit pudorem eius in statione constitui, & *fraudis* vocabulum ab Isaaco vsurpatum; & *furti* nomen ab Esau & Ennodio descriptum, & fugâ conscientiam prodi. Ast in sanctissimo alioqui viro, mendacium falsitate vacuum putatur, fraus nominatur simplicitas, & furtum appellatur sacramentum. Ita nouum fuit Iacobum potuisse peccare, vt peccatum eius nec à magnis Doctoribus potuerit comprehendi: adeò vt *penè vitium crediderint rem esse virtutis.* Porrò etsi graues patiatur hiatus alienæ gratiæ commissa credulitas, cùm dubia fides in assensu fluctuat titubatione credendi; diuturna tamen auctoritas vitæ probitate diu sancta, vsque adeò inconcussa stat, vt aliena persona de fraude composita, (cui caligans Patris aspectus copiam imitandi imaginem veritatis indulget,) proprietatis simulachrum mentitis lenociniis apprimè conciliet.

Ioannis 11. erat quidam languens Lazarus à Bethaniâ, de castello Mariæ, & Marthæ sororis eius. Miserunt ergò sorores eius ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur. *Audiens autem Iesus dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloriâ Dei.* Et quo modo si Lazari infirmitas non est ad mortem, Lazarus mortuus est? an non mox animam egit Lazarus, conditur ad sepulchrum, in sepulchro conditur, & quatriduanus fœtet? Vbi est Christi fides sororibus oppignerata de fratris vitâ? Quandò Christi nuncio audito, sibi de fratris salute sorores gratulantur, subnixæ haud dubio Christi verbo; tunc expirantem vident, mortuum lugent, & lugubri planctu funestè tumulant, eò mœstitudine maiori, quò certior salutis spes dudũ affulserat. Præfata Euangelistæ verba illustrans Seleuciensis Basilius, ita ad rem eleganter scribit: *Quare sorores illas admirari est, quòd vbi inaudissent ægrotationem non esse lethalem, ipsumque vidissent emortuum, contrario rei euentu non sunt offensa, & sine mendacij suspicione ad Dominum adierint.* Res sanè mirissima, eam de Christo mentem alte imbibisse, sic augustè præcelsam habuisse de eo existimationẽ, vt disertè audientes, morbum non esse lethalem, etsi eundem iam mortuum videbant, & lugebant emortuum, tamen velut contrario rei euentu, nec offensæ sint, nec leuem *mendacij suspicionem* conceperint. Immodica tristitia nimis suspiciosa esse solitat, & in sinistram partem strenua mœstorum suspicio est. Ast vsque adeò insuspicabile illis fuit, Christum falli aut fallere potuisse, vt faciliùs censerent mendacium esse verum, quã Christum mentiri

Margin notes:
Nouum visũ fuit Euangelistis, Petrum potuisse peccare.
Matth. 26. v. 70.
Ambr. l. 10. in Lucam.
Gen. 27. v. 35. & 36.
In magno viro penè vitium creditur res esse virtutis.
Ennod. l. 1. epist. 4.
Quòd Iacob mentitus sit, in Tomo de Benedict. Patriarch. 4. cũ multis adstruebamus.
4.
Ioan. 11. v. 4
Nec velut contrarius rei euentus, mendacij suspicionem ingessit.
Basil. Sel. Orat. 40.

mentiri potuisset. *Inaudiunt ægrotationem non esse lethalem, & contrario rei euentu ipsum vident emortuum, & sine mendacij suspicione ad Dominum adierunt.* Nec contrarius euentus, conceptæ fidei titubatio fuit; O quàm est fortunata veritas in Christi ore apud has mulieres, apud quas nec contrarius tristissimè euentus fidem earum quatefecit quæ velut è peruerso robustior, flecti-nescia inconcussè stetit, iuitque per obstantia securior.

5. Psal. 111. v. 3. Regius Vates Psalm. 111. *Gloria, & diuitiæ in domo eius; & iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Pulchram expositionem Augustini alibi dedimus; cui accinere videtur Tertullianus, tacitè ad hunc locum tropologicè, aut accommodatitiè alludens: *Ergo Christus*, inquit, *non est Diuitibus offensus, & ratas habet diuitum causas, superbiam dico, & gloriam, & sæculi studia, & Dei iniuriam.* Porrò cui gloria, & opulentia in sæculo suppetit, *iustitia eius in sæculum manere* putatur, quasi gloriæ, & opulentiæ præcelsior claritudo, augustæ nobilitatis vitia desuescere videatur. Sic non sæpe bonas Procerum causas, Deus ratas habere existimatur? Sic sæculi studia in aliquibus honestari videntur? ô quorumdam vitiositas, felix vulgi suffragio! Sic opulentiæ fastus, & retrò gestorum gloria, subornant humana iudicia; Sed diuinam censuram non effugient, ipso seuerius minitante: *Ego iustitias iudicabo.*

Tertul. lib. 4. cont. Marc. c. 15.

Nobilis gloriosè opulentos vitatum desuescere putatur.

§. XCVII.

Apud quem sunt austera virtutis consequentia, apud eum est etiam gratior animi salus.

1. CElebratissima Philonis sententia est: *Vitij ac virtutis tanquam domicilium videtur mens & ratio; in quibus commodè inhabitent.* Notum est, quod virtus incola sit rationis: vitium autem velut inquilinus habitat in ratione, in ea peregrinatur, imò & insolescit. Scilicet sæpe ratio voluptabilibus inescata, falsato pietatis obtentu, fertur in vitia. Ergo fallaces eius ratiocinationes paullatim à vero degenerãtes, castigandæ sunt, vt dum mater criminum tollitur, peccandi ambitus auferatur. Quicquid sensibus voluptuosè placet, rectè rationi suspectum sit, facilè enim imposturam facit, quod delectat. Nam voluptatis præstigiæ dum mentem infuscant, vitia subornant: & dum à veritate euidenti per multas consequentias paulatim abscedit; cùm ad voluptabilia fertur plerumque exerrat; & quod cœpit in ratione, finitur in errore, cœco voluptatis ductu. Ergò inchoatæ rationis discursus declinabit sapiens, non aliter quàm in nauigando procellam, nec voluptabilia quæ virtus permittit, nimis ampliabit, nec res lege vetitas valde stringet, & pro sui metûs arbitrio iudicij sui claustris audacter concludet, suspecta ratiocinationum libidine. Subiecta exempla thesim elucident ad morum eruditionem.

Philo de mundi, opif.

Vitij domicilium, mens & ratio dicitur.

2. Geneseos 2. summus rerum opifex Deus, velut parturiens magnificentiæ suæ munera, non contentus prioribus donis Adamum cumulasse, neque rebus ante dilargitis munificentiam suam circumscribens; extructum manu sua paradisum, deliciosam sedem delicto concessit. Necesse non est paradisi pulchritudinem denarrare, cuius cultor, rerum omnium conditor est, agrique eximia cultione donum excolens, sedem exim à m homini recens formato dedit. Itaque Deus extra paradisum hominem fabricatus, introduxit intrò, vt possessionem adiret, cuius pars non erat, ne cognationi naturæ donum adscriberet, quin gratuitæ potiùs munificentiæ. Cæterum quo donorum præbitorem agnosceret, è tot sapidissimis edulium arborum fructibus, ab vna duntaxat arbuscula temperare iussit, quam interim importunam noluit. Omnia concedens, vt vnum demeret. *Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede: De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas.* Græci codices, quos nonnulli è Sanctis Patribus, & plures ex antiquis interpretibus sequuntur, hãc posteriorẽ hemestichij partem, in qua prohibitio intimatur, pluratiuo verbo scribunt, *Ne comedatis.* Hinc subtilis oritur quæstio, eceur cum Deus cùm topiarias paradisi delicias, edulesque arborum fructus concedit, in singulari dicat *comede*; cùm autem vnum arborem prohibet, pluratiuum verbum vsurpet, aiens: *Ne comedatis?* Philo Hebræus de hac re ita eloquenter scribit: *Deinceps illud quoque perquirendum esse videtur, Cum hortatur, vt ex omni arbore paradisi comedat, vnicum hortatur. Dum vero interdicit vsum arboris eius, quæ boni malique causa dicitur, vt plures alloquitur. Illic enim*, inquit: *Ex omni comedes: hic ne comedatis: & quocumque die comederitis, non comederis: & moriemini, non morieris.* Scilicet cùm rem iucundam, & delectabilem vni permittit, omnibus permissa putatur per ratiocinationem omnibus facile parabilem; qua ad voluptabilia promptè ferimur: exinde iucunditas vni permissa, protracta ratiocinatione, omnibus concessa putatur. Secus verò austerior rei voluptuosæ prohibitio, quæ vni prohibita, illi duntaxat vetita censeretur, nec ratio consequẽtias ampliaret, sicut ad rem delectabilem; sed potiùs auaré restringeret; & quadam mentis paupertate, non se vltrà diuitè ratiocinationis vena protenderet. Vnde cum paradisæas delicias vni singillatim Deus permittit, per propriæ commoditatis protractas consequentias, omnibus vniuersatim eas concessisse putabitur. Præuidens autem quòd in austeritate virtutis non sic laxatur humanus discursus, sed multò strictiùs contrahitur; quod homo non ampliabit, exertè lex amplificat, & esus arboris scientiæ boni, ac mali, pluratiuo verbo palam interdicitur, cùm iucundus reliquarum arborum vsus, vni duntaxat concessus scribatur: *Ex omni ligno paradisi comede: De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedatis.* O quàm prodige humana ratio in re delectabili discurrit, & in re voluptatis consequentias adglomerat, quò ad se commoda detinet! in re autem virtutis nimis illationum auara est, in quo rationis habenas laxiùs permittere debuisset, & rationaliùs audere. Quod ex iam dicendis explicatiùs clarabitur.

Genes. 2. v. 16 & 17.

Cur paradisea delicia vni conceditur, & vna arbor multis negari dicitur?

Philo Heb.

Tobiæ conuersatio, animata lex est, pietatis norma, & virtutis typus. Tyrãni regis auaritia, & eleemosynarum velut effosior largitas, nuper prædiuitem Tobiam, bonis omnibus adæquè spoliarunt. Senio grauis, cæcitate inutilis, captiuitate vilis, paupertate contemptibilis, calamitosam transigit vitam. Adeò vt eius ingenua olim vxor, sedulam operam textrino operi impendere cogeretur, vt exiguam familiam vt vt sustentaret. Vnde factum est, vt hœdum capraum accipiens detulisset domi: *Cuius cum vocem balantis vir eius audisset* 3.

Hic v. 21.

audiſſet, dixit: Videte, ne fortè furtiuus ſit, reddite eum dominis ſuis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere. Si ſpecie tenus vibretur cenſura, & Theologia moralis noſtri æui politice cultior, & ad interrogantium nutum plus fortaſſis æquo flexilis, conſuleretur, forſan reſpondiſſet Tobiam quamuis totius familiæ patrem, & probitatis ſtudioſum, ſic èt potuiſſe rem diſſimulare, & ſibi perſuadere, delicatos hœdinę cibos non eſſe alienos, ſed propria pecunia emptos: neque enim patrisfamiliæ ſollertia nimis eſſe debet curioſa, ne domeſticos plus æquo moroſiùs exaſperet. Nec forſan deforet, qui exiſtimaret probabili coniectura, Tobiam tunc ad extremam neceſſitatem redactum, impunè poſſe rem alienam clanculum vſurpare, quantò magis eius rei diſquiſitionem diſſimulare. Sed vide mihi quã ſeriò his diſcurſibus, quibus ſæpè inuitiata ratio exerrat, Tobias occurrat: *Videte, ne fortè furtiuus ſit, quia non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Præceptum exertè vetat furtum: hinc eſum è re furtiua interdictum putat; imò & rei furtiuè contractum quodammodo prohiberi dicit: ne ratio rem auſteram virtutis contrahat, ſed inſtar rei delicioſæ, laxet, & amplificet protractis piè ratiocinationibus. Huc videtur adludere Alexandrinus Clemens, dum alior ſum agens ita fatur: *Apud quem ſunt virtutum conſequentiæ, apud eum eſt etiam ſalus, quæ eſt eius quod rectè habet conſeruatio.* Scilicet apud quem ſunt hæ *virtutum conſequentiæ, (Videte, ne fortè furtiuus ſit, reddite eum dominis ſuis, quia non licet nobis ex furto edere aliquid, aut contingere) apud eum eſt etiam ſalus.* Vnde Tobias apud quem ſunt hæ virtutis conſequentiæ, mox audit ex Angelo ore, *Forti animo eſto, in proximo eſt, vt à Deo cureris.* Ergo exemplo Tobiæ, non debet noſtra mẽs eſſe tardè pigra in virtutis conſequentiis, quæ in re voluptatis adeò eſt agilis, & prodigè effuſior. Auara erit ratio in re pietatis diſcurſus inhibens, quę ſic prodiga eſt in re voluptatis ratiocinationes laxans, commoditatis licentia, & vitij priuilegio? *No ſe eſtrechi el diſcurſo para la incommodidad de la virtud: pues para el deleite del vicio ſe le da tantas enſanchas.* Verè dictum: *Apud quem ſunt virtutum conſequentiæ, apud eum eſt etiam ſalus.* Sibi ſalutem inuidet qui quadam rationis auaritia, virtutum *conſequentias* non amplificat.

Apud quem ſunt virtutum conſequentiæ, apud eum eſt ſalus.

Clem. Alex. 2. Strom c. 7.

Tobię 5. v. 13

4. Matthæi 22. quiſpiam legis peritus à ſaluatore quærit, quodnam ſit magnum mandatum in lege, Reſpondit illi Iesvs: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc eſt maximum, & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum.* Addubitant interpretes an reſponſum idoneè interrogationi reſpondeat. Porrò legiſperitus de primo, & maximo præcepto interrogat, non de ſecundo: ergò inidoneum forſan videri poſſet alicui, quod ſecundum etiam ſaluator tradat, cum de primo, & maximo legiſperitus duntaxat interroget. Percõmodè Auguſtinus ſic dubio reſpondet: *Cum enim procuratur dilectio Dei, ſequitur dilectio proximi, vt eum ſicut teipſum diligas, ſimul & tui abs te dilectio prætermiſſa non eſt.* Scilicet nouus in terris de cœli ſchola Magiſter, conſultiſſimè captat occaſiones: quò hanc perneceſſariam ethicè eruditionem tradat: & *virtutum conſequentias* eliciendas erudiat. Vndè interrogatus, quod ſit mandatum maximum, non duntaxat reſpondet de dilectione Dei, quod eſt primum, & maximum mandatum: ſed addit ſecundum: quia exinde *ſequitur dilectio proximi.* Nec omittit, vt proximum diligas ſicut te ipſum, vt quo gradu te debeas diligere, ſimul erudiaris. O bonas, & eximiè ſalutares *virtutum conſequentias!* Aliam rationem adducit Baſilius, ob quam Deum ſimul, & proximum diligere debeamus: *Deum, inquit, etſi per bonitatem minimè nouiſſemus, ex hoc ipſo tamen quòd ab ipſo proceſſimus, tenemur ipſum vltra modum amare, tanquam ſcilicet nobis cognatum.* Et de proximi dilectione ſubdit: *Nihil tam proprium eſt noſtra naturæ ſicut ad inuicem communicare, & mutuo indigere, & cognatum diligere.* A creatione habet homo *cognationem* cum Deo: inde igitur habet cum reliquis hominibus *cognationem*; ſiquidem ab eodem auctore naturam participat: participet ergo prærogatiuam amoris.

Matth. 22. v. 38. & 39.

Cur Chriſtus interrogatus de primo mãdato, de ſecundo etiam reſpondet?

Auguſt. l. 3. de doctrin Chriſt. c. 26.

Cognatio hominis cum Deo & inde cum proximo.

Baſil. apud Caten. in c. 10. Lucæ.

---

§. XCVII.

Inopinatus aliorum ornatus, & opulentia, noſtram maledicentiam curioſè malitioſam inſtigat, vt eius perquirat promptuarium.

SI vis verè eſſe felix, Deum ora, nequid tibi ex his, quæ vulgus ſibi optat, eueniat. Ea, ad quæ ſuſpirant homines, inimicorum eſſe vota poſſent Magna felicitas, fortunæ tributaria eminet. *Huc ergo cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc apta, vt contentus ſis temetipſo, & ex te naſcentibus bonis.* Quæ poteſt eſſe felicitas proprior? Redige te ad parua, ex quibus non poſſis cadere. Magnis carere potes, ſed indigere nõ potes. Nullo fortunæ bono indiget, qui temetipſo, & ex ſe naſcẽtibus bonis contentus eſt Quiſquis his cõtentus eſt, aliena non quærit, quæ citra inuidiam, aut propudium aut detractionem aut ſcelus, vix poſſidentur. Viderit pauper, qui honeſtus & inculpatus ſemper audiebat, ne nuper diues inhoneſtè audiat. Malè curioſa inuidia ſubitæ & inopinatæ fortunæ cauſas malitioſè interrogando rimatur, & ſiquas inuenit, maledicentiæ committit publicandas. Argutè Chryſologus; *Qui interrogas, fidem denegas quam fateris.* Thematis probatio thema clarabit. 1.

Senec. Epiſt. 20.

Sibi ipſo, & bonis ex ſe naſcentibus, quiſque debet eſſe contentus.

Chryſolog. ſerm. 62.

Zacharias cap. 4. ſuæ prophetiæ, Angelum ſe ſuſcitantem inducit, & ſibi ſic loquentem: Et dixit ad me: quid tu vides? *Et dixi? Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius ſuper caput ipſius, & ſeptem lucernæ eius ſuper illud: & ſeptem infuſoria lucernis, quæ erant ſuper caput eius. Et duæ oliuæ ſuper illud: vna à dextris lampadis, & vna à ſiniſtris eius.* Viſio planè ænigmati ſimilis; in quo extricando diu laborat peritiorũ induſtria Propheta perſpicuè hæc videt, ſed quid ſignificent, nec obſcurè rimatur! Mauultq; ignorantiam fateri ſuam, quàm rem ſibi è cœlo monſtratam ignorare, mente ambiguâ. Vnde ſubdit Propheta. Et reſpondi, & aio ad Angelum, qui loquebatur in me, dicens: Quid ſunt hæc Domine mi? Et reſpondit Angelus qui loquebatur in me, & dixit ad me: *Numquid neſcis quid ſunt hæc?* P. Franciſcus de Ribera eximiè pius & doctus, exponens inibi hæc Angeli verba, ita ſcribit: *Cùmque huiuſmodi interrogatio: Numquid neſcis quid ſunt hæc, fieri non ſoleat, niſi cum res perſpicua eſt,* 2.

Zachar. 4. v. 2. & 3.

Ribera ad eũ Zachariæ locum.

est, tam non intelligi miramur: possumus dicere Angelum, cui aperta erat visio, mirari Prophetæ tarditatem. Bellissimè quidem, si rem moralem spectes, non litteralem: nam adhuc post Angeli declarationem visio obscurissima manet. Scilicet vides oculis aureum candelabrũ affabrè elaboratum, & plures lampades in eo splendidè collucentes, ornatu, & nitore eximio. Vides etiam totidem *infusoria lucernis*: sine oleo enim infuso lampades lucere non possunt. Quid superest ad luminis fomitem? an non oleum, quo per infundibula lampades foueantur, & earum nutriatur splendor? *Ecce duæ oliuæ super candelabrum: vna à dextris, & vna à sinistris.* Quid ergò expetit ad fulgores? Ergò Angelus miratur hominis tarditatem. Quasi dicat: Agnatum & familiare est hominibus, dum vident fulgores in alio, non ex eo nascentes; curiosè sciscitari, & perquirere: Vnde huic tantus splendor, honor gloria, opulentia? Igitur tu videns præinstre *candelabrum* septẽplici præfulgens *lampade*; videns etiam *infusoria*, quibus oleum lãpadibus infundatur; tantũ restabat nosse, vndenã compararetur oleũ ad tot fulgores copiosè alendos; sed vidisti etiam duas *oliuas* propè lampades consultissimè locatas, quæ vberrimè oleum subministrent. Quid ergo adhuc superest? *Numquid nescis quid sunt hæc*? ô moralissimam eruditionem, qua hominum curiosa maledicentia insinuatur! O formidabilis maledicentiæ ignoratio, vel ipsa dubitatione affirmans infamiam, nec sæpè aberrans! Vides fœminam pauperem pauperi viro maritatam, sed peruenustam; dum animaduertis ipsam pretiosis & ambitiosis ornamentis fulgentem, & domum nitida supellectili ornatam; statim auet animus sciscitari: Vnde huic pulchellæ sumptuosior ornatus? Vides Iurisperitum qui dudùm familiam aduocatione ægrè sustẽtabat; dum inter Prætores, aut Senatores cooptatus est, ambitioso famulatu, & censu splendere, ad Procerum inuidiam: confestim vulgò disquiritur: Vnde huic nuper tenui, tam superbæ opes, & opulenta familia? Hos, & adsimiles rumusculos frequenter non sincera curiositas iactat, quos latè serpere videmus. Quos moralissimè hæc Zachariæ visio auertit. Vides aureum & pulchrum candelabrum in templo præfulgens septemplici lampade: vides infundibula, quibus oleum alendis lampadibus infundatur: vide etiam prope lampades, binas *oliuas*, vnde ad alendos lampadum fulgores largè suppetat oleum. Et sane oliuetum in templi atrio peregrinatur: sed inibi peregrinentur oliuæ, ne ibidem maledica curiositas debacchetur, ne fortè si spectetur præclarus lampadum fulgor, & olei appareant infusoria; si absint oliuæ, ex quibus abundè oleum eliquatur; curiosa maledicentia vulgò insusurret: Fulgor lampadum præclarè nitet; sed vnde oleum ad alendos fulgores? Ergò cũ nil horum in eiusmodi visione absit, Angelus *miratur Prophetæ ruditatem, & dixit: Numquid nescis quid sunt hæc? Cùm res perspicua est, eam non intelligi miratur.* Hæc de sensu morali: nam literalis chartam expetit longiorem.

Maledictia vel curiosa interrogatione, quæ dubie sciscitatur, indubiè damnat.

3. Geneseos 24. Abrahamus Chananitides feminas pertæsus, œconomum mittit, qui suo Isaaco cognatam quærat vxorem. Pergit sollicitus, vt rem totius familiæ, & posteritatis peragat, prope vrbem Haram ad puteum subsistit, in ciuitatis suburbio effossum: & votis priùs ad Deum nuncupatis, ecce Rebecca compta, nobilis, & nobilis puella, ex Abrahami gente progenita. Auspicio de liberalitate sumpto: *Protulit vir inaures aureas, appendentes siclos duos: & armillas totidem pondo siclorum decem*, & hisce monilibus, quæ ditiora spondebant, Rebeccam ornauit. *Cucurrit* itaque puella, & nunciauit in domum matris suæ omnia quæ audierat. Quam ob causam, monilibus onerata, tam concito gradu rem totam matri aperire festinat? Lætanter hæc excipit mater, sed audi quod facer textus statim subdit: *Habebat autẽ Rebecca fratrem nomine Laban, qui festinus egressus est ad hominem, vbi erat fons. Cumque vidisset inaures & armillas, in manibus sororis suæ, & audisset cũcta verba referentis, venit ad virum qui stabat iuxta camelos* Magna ex his verbis oritur inter commentatores disceptatio, quo pacto postquã Laban *festinus egressus est* ad Abrahæ seruum, dicatur vidisse *inaures & armillas* in sororis suæ manibus. Porrò Rebecca, quæ id denunciauerat, domi iam manebat, nec iterũ ad fontẽ rediit; quo igitur modo Laban postquam festinus egressus est ad hominẽ illum, adhuc stantem iuxta fontem; sororem vidit pretiosis monilibus adornatam? itaque præpostere res videtur à Scriptura narrata, quod ex Caietano notauit Lipomanus, aiens: *Laban igitur prior festinus exiisse describitur, deinde vidisse iocalia. Sic quoque ornamenta prius dedisse describitur seruus, & postea inquisisse*, &c. *cùm id in posterioribus alio narretur ordine.* Scilicet moralissimè ordo narrationis inuertitur, vt innuatur, quàm celeriter perquisierit Laban, ecquis puellæ pretiosa dederit monilia. Priùs Abrahami seruus inaures & armillas Rebeccæ donauit: illa confestim festinauit ad matrem, & quis exquisitum illi ornatum dederit, renunciauit, monilia gestans in manibus. Vt autem curiosa Labani celeritas denotetur in inquirendo, vndenam habuerit venusta puella, eiusmodi pretiosum ornatum prius dicitur, quòd *festinus egressus est ad hominem, vbi erat fons*, quàm quod *vidisset inaures, & armillas in manibus sororis suæ* Tanta ne est curiosa maledicentiæ libido obloquendi de lenocinio ornamentorum, quorum causa nescitur; Quasi parum foret inaures & armillas quorum præbitor ignoratur, in formosæ puellæ manibus videre; & posteà largitorem inuestigare: priùs hæc ornamenta puellæ donata narrantur; mox Labanum festinè egressum, vt indagaret largitorem; tandẽ inaures & armillas in puellæ manibus vidisse. Nempe morali hoc sensu mores hominum perstringuntur, qui cognatã maledicentiæ curiositate, ad inquirendum noui ornatus, aut census præbitorem impotenter præcurrunt. O vtinam sic inquirendi causas auerrantiô pudeat gloriosè gestare, cuius largitorem pudeat designare! Quid tam satagit occultare causam, quàm prodit effectus; Si splendidè lampade fulgent, propè collocantur *oliuæ*, vnde oleum exprimitur ad nutrimentum, ne hominum maledicentia disquisitione nutriatur.

Genes. 24. v. 29. & 30.

Cur tam festinus perquirat Laban quis puellæ monilia donarit?

Lipomanus ibi.

Ecce tibi Tobias hîc vers. 21. cùm in sua paupere ac tenui domo, quæ manuum labore vt vt sustentabatur; teneretum hœdum balantem audit, (exquisitas pauperi delicias) querulus & anxius causam sciscitatur. Vxoris ætas & probitas, zelotypiæ suspiciones præclusit: sed paupertas rapinæ suspecta fuit. Id curiosè disquirit pius senex, in quem cum familiæ incumbebat, similia peruestigant alij, non obligationis, sed oblocutionis genio instigati. Hic v. 21

§. XCIII.

In quorundam prauitate, magis quam in aliorum probitate, occultæ virtutis scintilla transducet.

1. Eccli. 42. v. 14. Strab. ibi. SApientis vox est: *Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens.* Pulchram huius sententiæ rationem, Strabus Fuldensis inibi tradit: *Sæpè enim*, inquit, *culpa Fortium fit occasio virtutis, & virtus Infirmorum occasio peccati.* Felix culpa, quæ ipso cadendi lapsu ruinam confestim demolitur, & diuturnam erectionem è peruerso bene ædificat, relabendi metu. Quin & *præstantiam in delictis* quispiam è viris omni æuo magnis agnouit: non quia vnqua in deliquisse bonum sit; sed fortè quia aliquando in quibusdam delictis fulgentior magnanimæ virtutis, & piæ animositatis scintilla transfluce: non enim semper res ipsa delicti, tota rea est: & inde qua cum aliqua pietate venit, interuenit, & quemdam occultæ virtutis vigorem generosæ prodit. Augustinus exponens illud Exhodi 2. cùm Moyses *percussum Ægyptiū abscondit in sabulo*, in hoc facinore ingenuè fatetur homicidij reatum, sed ingenuum, & vel ex vitio virtutis indolem in Moyse recognoscit. *Verùntamen*, inquit, *animæ virtutis capaces ac fertiles, præmittunt sæpè vitia, quibus hoc ipsum indicent, cui virtuti sint potissimum accommodatæ, si fuerint præceptis exculta.* Sæpe vel ipsa vitia indolem virtutum fertilem indicant: sunt enim aliqui defectus probitatis indices, & virtuti confines, quibus homo nobiliter degenerat. Ergo hac ex parte melior sæpè est, fortis & magnanimi viri iniquitas, quā mulier infirmè, enerniter, & fœmininè benefaciens, nam hæc imbecillè benefacit; ille verò etiam in delictis, occultæ virtutis *præstantiam*, etsi non operatur, saltē viuidè ostentat. Versans Chrysologus illud Lucæ 16. *Et laudauit Dominus villicū iniquitatis, quia prudenter fecisset*, ita apposite scribit: *Qui bona credita dissipando iniquitatis vocamur villici, in nouissimis pia fraude, ipsius laudem iudicis consequamur.* Et post pauca, sic de eo villico fatur: *Qui reus de multis vnam legitur placuisse per fraudem.* Aliqua feracitatis præstantia, in hac villici fraudulentia dignoscitur, & callidè mascula capacitatis eminentia. Nam vt scitè dixit Nazianzenus: *Infirmæ & imbecilles animæ tam ad virtutem quam ad vitium languescunt.* Eequis nō nauseat ad quosdā nec vitiis fides nec tutos virtutibus, in omnibus ignauè remissos; Vix paucos contigit degenerare nobiliter. Et Tobias hîc generoso virtutis zelo forsan virtutis metam transilit.

[margin: Tertul. alibi expensus. — In ipsis delictis aliquando scintilla virtutis generosè elucet. — Exhod. 2. v. 12. — Aug. lib. 22. contr. Faust. — Lucæ. 16. 8. — Chrysolog. serm. 125. — Nazianz. Orat. 22. — Hic v. 21.]

2. Matthæi 14. absente Christo naufraga Discipulorum scapha periculosè fluctuat, & vētis atrociter reflantibus periclitatur. Cæca noctis caligo timorem amplificat; & in vna timendi causa, plures periculorum insidias, male suspicax metus subodorat. Quin & in certa incolumitatis officina, certius discrimen conflari pertimescunt: nam dum in maligna multæ noctis obscuritate vident IESVM ad eos venientem super aquas, putantes phantasma esse, expallescunt, expauescunt, & reclamantes quiritant. Statimque IESVS turbatos Discipulorum animos nota voce tranquillat; atque metum excutiēs, fiduciam ingerit. Inopinatæ felicitati vix credit Petrus; & maiori periculo minoris sospitatem redimere festinat. Respondens autem Petrus dixit: Domine, si tu es, iube me venire ad te super aquas. *At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam, vt veniret ad IESVM. Videns verò ventum validum, timuit: & cum cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine, saluum me fac.* Videtis-ne hanc timiditatem magnanimitatis sequelam? Reliquis citiùs Discipulis, quàm Petro trepidatio est. Illi adhuc in nauicula vix excusso timore, adhuc trepidi sunt: nemóque id animaduertit, quia nihil animaduersione dignum tunc gesserūt, sed in scapha quiescunt, nec metu exempti, nec fiducia animosi. Petrus autem diu alacri fide magnanimus, sen el titubat, & de titubatione fiduciam exacuit, dum Christi opem fidentiùs implorat, & feliciùs extorquet. Felix magis est Petrus in naufragij timore, quàm reliqui in nauis ignaua securitate, illi timent timere, continua trepidatione quieti; hic per multam magnanimitatem it ad breuem metum, quem restaurata fiducia mox excutit. Percutè Zeno Veronensis hac de re ita fatur: *Petrus æstu marino fertur non naufragus, sed viator, timet profundum intercipere non timentem! nec tamen in toto dissimulat, ne per mare pedibus se ambulasse non credat.* O bonam timiditatis in magnanimo interpretationem! Scilicet dum reliqui Discipuli in scapha securè versātur, vnus Petrus pie audax, bona impatientia citiùs complexandi Magistrum, in lubricis turbati maris fluctibus solido vestigio pedes figit, & per marinos vortices non naufragus, sed viator securus incedit: tantaque fiducia vndas calcat, vt vastā maris profunditas noues incessus demirata, intercipere nō audeat se non timentem, & elatos fluctus animose calcantem: nec tamen mare in toto stuporem dissimulat, sed atrociores vortices armat in Apostolum, non vt illius exarmet fidem; sed vt quædam humana trepidatio, & aliqua à tanto fiduciæ fastu titubatio, generosam Petri fidem euidentiùs testetur; & Petri timor audaciæ militet: *Ne*, inquam, *Petrus per mare pedibus ambulasse non credat.* Credet Petrus, credent reliqui ardentiori fiduciæ animositati, ne trepidationi non credant, trepidet tantisper Apostolus, ad illustriorem magnanimitatis probationem; & dum nobiliter degenerat, velut degener tantisper fides nobiliori fiduciæ adstipuletur. Sæuiores ponti æstus spem Apostoli concutiant, & humanum quid trepidatione patiatur, ne tanta hominis fiducia humanū fastigium supergressa videatur. Vix credet ipse Petrus se sicco vestigio maria fidenter pedibus proculcasse, hiantis naufragij periculo intrepidus, nisi aliqua trepidatione audaciam comprobasset. Quid: tu malles cum reliquis vectoribus in scaphæ securitate ignaue otiari; an magnanimi Petri æmulus, citiùs amplexandi Magistri festinantia maria solido vestigio fidenter calcare; etsi aliqua tantisper trepidatio, fiduciæ animositatem denenasset? Pulchrior de castris veteranus præliator venit, vulnerū suorum cicatricibus nonnihil deformis; quàm politulus quisque vrbes formosus obambulat, de ignaua polituræ cura, fœminine sine næuo formosus. Huius venustas fœmineam ignauiam subolet: illius obductæ cicatrices masculam virtutem ostentant. *Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens.*

[margin: Matth. 14. v. 29. & 30. — Petri titubatio, animosior est, quā aliorum fiducia. — Zeno serm. de Timore.]

3. Geneseos 20. Post septennij seruitium, Liam inuitus ducit Iacob, ducit & Rachelem suam, totidem

tidem exinceps annis pro eâ aggresti socero seruiturus. Magna magno constent necesse est. Liam lippis oculis deformem maritus fastidit, & venustam Rachelem sinu suo peramanter fouet. Sed naturæ inopia huic partum negabat; illius opulentior vulua, masculam prolem abundè procreabat, sic gratia & ingratia viri, paupere sterilitate & diuite fœcunditate ex æquo compensatur. Luget sterilis deamata, exultat fœcunda fastidita. Itaque Lia primo Rubenũ peperit, dein Simeonem, mox Leui, exinde Iudam. *Quartò*, inquit, *concepit, & peperit filium, & ait: Modò confitebor Domino, & ob hoc vocauit eum Iudam, cessauitque parere.* Tunc Rachel & propriæ sterilitatis probro, & æmulę suæ prosperâ fœcunditate acerbè sauciata, mariti nuptias cum eius ancillâ nomine Bala, sollicitiùs procurat, vt ancillæ suæ è suo marito filios, quasi proprios adoptione faceret. Dan Danitarum patriarcham primò peperit Bala. Rursùmque Bala concipiens, peperit alterum, *pro quo ait Rachel: Comparauit me Deus cum sorore meâ, & inualui: vocauitque eum Nepthali.* Ecce tibi feminæ sterilis decantatissimam virtutem, fecundissimæ Liæ velut probrosam à gigendis filiis *cessationem*. Quâ super re ita scribit Hugò Carensis: *Comparauit me Deus cum sorore meâ, & inualui. Sed quo modo comparauit? Nondum enim æquata fuit sorori, quia Lia plures habebat.* Mirabile quidem est hoc Rachelis iudicium! Comparari se posse inquit cum Liâ sorore, quia duos filios alienos adoptione peperit, imò & prçualuisse asserit. Lia autem quatuor omninò pepererat; & Iudas) Iudas inquam, regium Hebræorum decus, cuius soboles fuit Christus Deus) finis tunc pariendi fuit, quasi exhausta & effœta ad tempus mansetit vulua, quæ tam augustè generosum coaluit fœtum. *Quarto concepit & peperit filium, & vocauit eum Iudam cessauitque parere.* Vel *cessatio* fœcundissimæ Liæ, longè excellit sterilis tunc Rachelis assutas ex ancillâ soboles. Ignauè fœcũda est, iners tepidorum virtus, bona virtutis opera tepidè patrans, quâ præsumunt Sanctorum facta æmulari; imò illis præualere, quia in eorum piè audacibus virtutum facinoribus, exiguos aliquandò defectus cernunt, qui humanam potiùs imbecillitatem comprobant, dum nobiliter degenerant. At fœcundior est Lia etiam dum *cessat parere*, quàm Rachel dum felici ignauiâ se pepetisse putat. Obuium est, per Rachel diu sterilem, tepidos in re virtutis adumbrari; per fœcundissimam verò Liam, masculam Sanctorum virtutem intelligi, ad omnium virtutũ facinora magnanimam. *Melior* itaque *est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens.*

Genes. 29. v. 35.

Lia parere cessans, fœcundior est Rachele parturiente.

Gen. 30. v. 8.

Hugo ibi.

Consule Laurentium Ceruar. verbo. *Lia.*

4. Geneseos 19. de filiis Lot ita Sacer Historiographus denarrat: *Dederunt itaque patri suo bibere vinum nocte illâ: & ingressa est maior, dormiuitque cum patre*, &c. Quæ verba sic exponit Origenes: *Singulis ingressę noctibus, singulę suscipiunt ab ignorante conceptum. Vltrà non repetunt, non requirunt...... Vbi hic libidinis culpa? vbi incesti crimen arguitur? Quomodo dabitur vitio, quod non iteratur in facto?* (Nota quæ subrexit verba) *Vereor proloqui quod sentio, vereor inquam, castior fuerit harum incestus, quàm pudicitia multarum.* Itaque ex sententiâ Origenis, (quam non approbamus quoad filiarum innocens flagitium) plus castitas rutilat in harum incestu, quàm in aliarum pudicitia. (Dimitto inexpensa pulchra verba, quæ aliàs aliorsùm expendimus. Sat est intendisse digitum, ad thesim, quam nunc versamus. Mittitur in fluuium infans Moyses, *stante procul sorore eius, & considerante euentum rei.* Scilicet infantis sororcula Maria opportunè opitulatum submittitur: nam *affectus carnales, quales hìc in sorore, piorum seruiunt saluti, & non rarò quoque religioni*, vt pulchrè Lipomanus obseruat. Vel carnales affectus virtuti militant.

Gen. 19. v. 33.

Origen. ibi.

Plus transfulcet castitas in quarundã incestu, quã in multarum pudicitiã.

Exod. 2. v. 4.

Lipom. ibi.

5. Matthæi 26. illam nocturnam cohortem Pharisaicâ inuidiâ in suam perniciem armatam, animoso ardore Petrus audacter exarmare festinat *Et ecce vnus ex his, qui erant cum IESV, extendens manum, exemit gladium suum, & percutiens seruum principis Sacerdotum amputauit auriculã eius.* O Petre, vno ictu & hostem percussisti, & Magistri patientiam vulnerasti. Dedecet sicarium esse mitissimi Magistri discipulum, & destinatum Ecclesiæ Præsidentem. *Quid ergò indignum* (ait Augustinus) *Si Petrus post hoc peccatum factus est Pastor Ecclesiæ: sicut Moyses post percussũ Ægyptiũ factus est Rector Synagogæ?* Mirùm sanè est: quòd cruentos audacter percussores, ad Ecclesiæ & Synagogæ principatum Deus elegerit. Scilicet in vtriusque pugnaci scelere, pugnax pro pietate futurus ardor translucebat. Agnoscamus etiam in Moysis & Petri delictis aspectabilem de auspicio *præstantiam*.

Matth. 26. v. 51.

Moyses & Petrus cruenti percussores eliguntur in Ecclesiæ, & Synagogæ Principes.

August. lib. 22. contra Faustum, c. 70.

---

§. XCIX.

Sinisteritas suspicionis, aut garrulitas oblocutionis, dùm alienam conscientiam falsò culpant, suam vere culpatam citiùs produnt.

1. POst Euangelium (ait Tertullianus) *nusquam inuenias aut Sophistas, aut Chaldæos, aut Coniectores, nisi planè punitos. Vbi sapiens, vbi litterator, vbi cõquisitor huius æui? Nõne infatuauit Deus sapientiam huius sæculi?* Quid est, quòd post Euangelij legem prouulgatam, nusquam curiosus *Coniector*, nisi planè punitus inuenitur? Mirissimum planè est, quòd ne vnus quidem à malitiosâ sinistrarum suspicionum coniecturâ impunis, post Euangelium euadat? Ecquis est tam diligens *Coniectorum* inquisitor, cuius pœnalissimam sententiam nemo vnquam effugerit? Aut quod est post Euangelij edictum, quod damnat *Coniectores? Post Euangelium nusquam inuenias Coniectores, nisi planè punitos.* Putauerim (etsi non sum nescius, quò tendat Tertullianus) eiusmodi suspicaces alienorum defectuum *Coniectores*, suo se priùs iudicio condemnare, & de propriâ conscientiâ alienam censere, magno sui, & aliorum probro. Audi legem *post Euangelium* ab Apostolo latam: *Propter quod inexcusabilis es, ô homo omnis, qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, te ipsũ condemnas: eadẽ enim agis quæ iudicas.* Porrò scelus, quod quis non potest facere, nec suspicari de alio scit, & iudicare nescit. De proprio reatu alienum censet, & suis criminibus eruditus, alios criminari discit, ac in suâ conscientiâ sibi videtur alienam perlegisse, & maliloquio. Ergo in quo iudicas alterum, te ipsum condemnas: proculdubiò enim eadem ipse agis, quæ in alio temerè iudicas. Vnde *post Euangelium nusquam inuenias Coniectores, nisi planè punitos*, & præproperâ sui sententiâ probrosè damnatos.

Tertull. de Idolol. c. 9.

Post Euangelium nusquam inuenias alienorum defectuum coniectores, nisi planè damnatos.

Ad Rom. 2. v. 1.

Dauid

2. Dauid Psalm. 118. suorum defectuum medelã à Deo exposcit, salutari humanarum ęgritudinum medico. *Da mihi intellectum*, inquit, vt legem tuam, citiùs quàm alienam vitam scrutetur. *Auerte oculos meos ne videam vanitatem*, quæ suspicax imaginatio, ex leuibus coniecturis in aliorum vitâ vanè reperit, malitiæ ingenio ad malum nimis perspicaci. Attentiori mente rumina, quæ subdit verba: *Amputa opprobrium meum; quod suspicatus sum: quia iudicia tua iucunda.* Multa multi ad hanc Prophetæ sententiam, moralitatum grauidam. Et sanè alibi censebamus hîc Psalmographum agere de propriis opprobriis, quę quis reapse non patitur, sed imaginatione suâ fabricat, & propriâ opinione fingit: indeque ipse imprudens suæ famæ lanius, se rumpit vanis suspicionibus, quod malum à Deo præscindi exoptat, aiens: *Amputa, opprobrium meum, quod suspicatus sum.* Sæpè enim non tam re infamiæ, quàm nostra infamiæ opinione laboramus. Verùm enimverò S. Augustinus aliter hunc Dauidis locum ad rem pręsentem luculenter versat. *Amputa*, inquit, *opprobrium meum, quod suspicatus sum. Suum opprobrium dicit, quod de aliis suspicatur; quia facilius in alio putat, quod in se sentit: precatur ergò auferri opprobrium, quod in se sentit, & in aliis suspicatur.* Nimirùm sui opprobrium, & probrosam sui contumeliam vocat, non inhonestos rumusculos, quos siue inuidia, siue æmulatio, siue odium, contra se spargit, garrulà vituperonum licentiâ & ex legis maledicentiæ priuilegio; à quo nihil tutum est vel in sacro innocentiæ asylo. Nemo enim prudens facilè cum fide aures his maledicis rumoribus extendit. Imò persępè hæc iactata vituperia parùm differũt à laudibus: malis enim displicere, laudis exaggeratio est. *Suum* ergo verùm *opprobrium dicit, quod de aliis suspicatur: quia facilius in alio putat, quod in se sentit*: & de proprij conscientiâ delicti, in malitiæ gymnasio discit de alienis sinistrè censere. Absconsam suæ conscientiæ malitiam prodit, qui alienam malitiam coniecturis suspicatur. Quod stylo culpæ descriptum in conscientię suę chartâ videt, caligantium suspicionum oculis, in aliis clarè legere præsumit; & sic in eo quod alios iudicat, aliisque detrahit, se ipsum prodit, & proditione condemnat, & in se suum ipse iudicium repercutit; dum ex iudicio, quos alios temerè damnat, perspicuum suæ damnationis prębet indiciũ: quæ enim quis non potest facere, non solet credere, nec audet obiicere. Hinc fortasan dixit Strommatæus, *Cæterum ad occultandas cogitationis profunditates, bona est incredulitas ex sententiâ Heracleti.* Quasi qui potuit credere, potuit & facere. Exinde regius Vates *opprobrium suum* appellat, non tam malitiosos de se rumores, qui diffamiam serpendo de proximo procurant: sed *opprobrium suum* moralissimè nominat, *quod de aliis suspicatur: quia facilius in alio putat, quod in se sentit.* An fortè hinc *erubuisse* ad suam vxorem Tobias dicitur, cùm sinistras de illâ suspiciones publicat? Sic habetur in Græco textu.

Imaginatio opprobria fingit suspicionum ingenio.

Psalm. 118. v. 39.

Dauid, opprobrium, quod de aliis suspicatur, suũ esse dicit: & quare.

Aug. apud Gloss ibi.

Clem. Alex. 5. Stromm. cap. 6.

Hic v. 22. & 23. apud text Græcũ.

3. Dauid Dauidi suppetias ferat, & ipse in Psalm. 30. sit suæ sententiæ luculentus vindex, & egregius assertor. Grauatè Propheta admodum sustinebat vituperonum aduersus se suspiciones, & linguas impudenter maledicas; quorum impudentiam his verbis modulatè incusat: *Erubescant impij, & deducantur in infernum: muta fiant labia dolosa. Quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem, in superbia, & in abusione.* (Alij codices) *in contemptu.* Quid est, quòd disertissimus Dauid, gregarij vulgi insanis moribus assiduus, nunc miretur, quòd impij maledicè bonorum detractores, otiosiùs detrahendo minimè *erubescant*? Imò impudētiâ effronti cœtus omnes maliloquiis opplent, aut detrahendi libidine, aut odij arbitrio, aut æmulationis ingenio, ad oblocutiones vbiuis exprompto. Ecquis est hic *impiorum* vituperonum *dolus*, quem Dauid taciturnitatis freno inhibere contendit? *Muta fiant labia dolosa*, inquit. Nota verba, quæ consultissimè his subrexit: *Quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem, in superbia, & in abusione.* Vide oculis impiè obtrectatorum superbiam, quæ *in abusione* ostenditur. Nimirùm iniquus iniquitatem suã aduersus iustum *in abusione* loquitur. Quod his verbis insinuat inibi Cassiodorus: *Quæ loquuntur aduersus iustũ iniquitatem, in superbiâ, & in abusione. Aptè opponit iusto iniquitatem.* Ecce tibi superbiam, quæ in hâc oblocutione elucet, & quam impij obmurmuratores minimè præ impudentiâ *erubescunt, abusione* malitiæ. Nempè iniqui iusto opponunt iniquitatem labiis dolosis, dum iniquitatis suæ conscientiâ *abutentes*, iniquitates suas in iustos superbè egerunt, & de propriis sordibus alios fœdare dolosis fraudulenter labiis contendunt. O maligna iniquorum obloquentium *abusio*! Et quomodo impij non *erubescunt* sic abuti suæ iniquitatis conscientiâ, vt ex illa vituperent alienam? Impiorum cognata *superbia*, sua scelera sibi notissima, muto ore tacet: sed *in abusione*, dum eadem flagitia iustis maledicè obiicit, ea *abusiuè* publicat: *quia facilius in alio putat, quod in se sentit.* Itaque semper maledicis probrosum est, de iustis obloqui; nam in superbiâ, & *in abusione*, de se produnt, quod iustis obiectant. Ergò si iniquus non *erubescit* suam iniquitatem iusto exprobare; *erubescat de abusione*; abutitur enim suæ iniquitatis conscientiâ, dum suspicione, aut de ore culpat alienam, quia de se alios censet.

Psalm. 30. v 18 & 19. Glossa ibi.

Erubescat iniustus in iusto detrahere: quia obmurmurationis abusu, sibi potius detrahit.

Cassiod. ibi.

4. Paulus ad Romanos 2. hâc super re ita fatur: *Inexcusabilis es ô homo, qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas.* Benè dicitur homo ille inexcusabilis, qui quod ipse prauè agit, in aliis temerariè iudicat, & iudicij laxiori licentiâ audacter condemnat. Verùm non probat Gentium Doctor quo pacto quiuis eadem agat, quæ in alio liberiùs iudicat. Potest enim quis temerè de alio iudicare in eo genere vitij, à quo immunis est, & omninò innoxius. Nisi fortè qui temerè alium iudicat, omnium scelerum reus habeatur, quod valdè rigidum foret. Quo modo igitur affirmat Apostolus, quòd eadem agit, qui temerè alium iudicat? *Eadem enim*, inquit, *agis, quæ iudicas*: inde *inexcusabilis es ô homo, qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas*; quòd sapienter docuit Paulus: nam vt pereleganter dixit Nazianzenus: *Parùm cauta est simplicitas, clementiæque adiuncta est imbecillitas.* (quam sententiam alibi enucleatiùs expendemus) *Minimeque is malitiam fraudemque suspicatur, cuius animus à malitiâ liber est.* Quasi propriæ malitiæ conscientia, sit conceptaculum sinistræ suspicionis, & iudicij temerarij officina audacter temeraria, quæ adsimiles culpas falsatâ suspicione excudit. Nam qui scit facere, potest & credere; & de suo scelere sinistræ censuræ penicillo alios colorat. *Nimirum*, (pergit Nazianzenus suæ sententiæ tenax) *callidi ac versuti homines facile adducuntur, vt vitia ea, quibus*

Ad Rom. 2. v. 1.

Animus à malitia immunis, malitiam in aliis minimè suspicatur.

Clemen: iæ adiuncta est imbecillitas.

Naz. orat. 1. in Iulian.

Idem orat. 17. *quibus tenentur, de aliis partim suspicentur partim loquantur.*

5\. Matthæi 4. malus Dæmon semel & iterum ignauè prostratus, adhuc audet Christum tentare. *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valdè: & ostendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Dudùm ambigebat Dæmon an Christus esset Dei filius, aiens: *Si filius Dei es:* sublimiùs forsan mox de Christo Diabolus opinatur, post iteratum de ipso triumphum. Quid ergò quantumuis velut interpolator mundi, gloriam eius amplificet, serio sibi persuadet, ambitionis mundanæ illicio, Christo blandiri, vt eum de genu adoret? Tantas esse ambitionis vires putat, vt Christum Deum gloriæ ambitu transuersum agere præsumat? Vnde hunc ambitionis sensum Dæmon ebibit? Perbenè Rabanus aliàs aliorsum expensus: *Ostendit autem*, inquit, *Diabolus Domino omnia regna mundi, & gloriam eorum. Non quod ipse visum eius amplificare potuit, aliquid ignotum demonstrare; sed vanitatem pompæ mundanæ, quam ipse diligebat, quasi speciosam & desiderabilem verbis ostendens, in amorem Christo suggerens, venire volebat.* Scilicet quia ipse summoperè affectus erat erga mundanam pompam, eam vel de Christo Deo imbibit mentem; vt seriò censeret, procliue illi fore, vt adsimili ambitione pulsaretur; in conscientiâ suâ legens, quod de alienâ præsumpsit. Itaque vel in eo, quem suspicabatur esse Deum, vitium sibi insolitum esse censuit, in suâ conscientiâ male prælegens alienâ, propriam malitiam vel in Deum ausu temerario reuerberans. Ergò sinisteritas suspicionis, cum alienam conscientiam temeratiè culpat, suam verè culpatam citiùs prodit, dum Diabolus suam *mundanæ pompæ* ambitionem, vel in Christum Deum impudenter regerit.

Matth. 4. v. 8. & 9.

Malè damō in suâ conscientiâ, conscientiam prælegit Christi Dei.

Raban. in Caten. ibi.

---

§. C

Virtutis proposito propè inexpugnabili à vitiis, humanam imbecillitatem Sanctorum Proceres obarmarunt.

1\. VNus est huius vitæ fluctuantis & turbidæ portus, euentura contemnere: stare fidenter, apertè tela fortunæ aduerso pectore, non latitantem, non tergiuersantem. Multa per noctem habita terrori, dies vertit ad risum. Quid est obsecro cur sic timeat calamitatem vir, mortem homo, voluntas tentationem, quam nolendo frustratur? Validæ sunt constantis propositi vires; velle non cogitur: Velis, & resistes, qui nolendo satis restitisti. Fluxa, caduca, & imbecilla audit humana natura, primæuo inuitiata delicto; sed fortis, flecti-nescia, & penè *obstinata* virtus dicitur. Quoties tantam naturæ nostræ imbecillitatem, hominum fama inuulgauit, toties mihi occurrunt isti, qui non putant fieri posse, quicquid ipsi non faciunt: & aiunt, Christianam philosophiam loqui maiora, quàm quæ natura humana sustineat. *At quanto ego de illis meliùs existimo! Ipsi quoque hæc possunt facere, sed nolunt. Quem vnquam ista destituere tentantem? cui non faciliora apparuerunt in actu? Non quia difficiliora sunt, non audemus; sed quia non audimus, difficilia sunt.* Velis, & poteris: sed quia impius non vis, putas imbecillus te non posse. Si tamen exemplum desideras masculæ constantiæ in virtutis proposito, accipe Tobiam perpetitiium senem, per omnia aspera iactatum, inuictum cœcitate, fame, & inopiâ, quam grauiorem illi domestica onera faciebant: quibus ille domi exercitus, vxorē pertulit moribus insuauem, linguâ in maritum procacissimè petulantem. A cognatis impiè opprobratus, ab exteris ad necem quæsitus: erga omnes munificè beneficus, omnium ingratitudinem æquo animo tolerauit; nec virtutis proposito potuit quatefieri, supra humanum fastigium sapiens, quodàm constantiæ fastu.

Virtuti opera non quia difficilia sūt, non audemus; sed quia nō audemus, difficilia sūt.

Tertull. in Apolog.

Senec. epist. 105.

Hic v. 12. & 13.

2\. *Definimus*, inquit Tertullianus, *à Dæmonibus plurimùm incuti somnia, etsi interdum vera & gratiosa, (sed de qua industria diximus) affectantia atque captantia; quanto magis vana & frustratoria, & turbida, & ludibriosa, & immunda.* Philo autem exponens soporem aut ecstasim Adami, ita fatur: *Somnus mentis est vigilia sensuum: nam & vigilia mentis est sensuum otium.* Scilicet *immundum somnium*, de gehennæ fornace, libidinis ardorem afflans, Dæmon ingerit Indiarum Apostolo, supplemento mundi, gratiæ complemento, S. Xauerio inquam. Insidiatur dormienti, qui exsomnem adoriri timet. O malè astutum, vel potiùs inertem Xauerij Tentatorem! Vel in somnis citiùs ore despumabit resistendo sanguinem, quã conceptæ clanculùm libidinis æstum despumet. Quid satagis vel dormientem inuadere, quem propè obstinatum nosti in virtutis proposito? Nil vitiis extorquebis: Sed siquid à dormiente extorqueas, casso extorquebis peccati vulnere, quod oscitanti sagacitate præsumis: nam in somno cessat arbitrium, quo adimitur delinquendi facultas. Vbi peccatum esse non potest, frustrà peccatum negotiaris. Nam, vt altè dixit Tertullianus. *Et bona facta gratuita sunt in somnis, & delicta secura: non magis enim ob stupri visionem damnabimur, quàm ob martyrij coronabimur.* Si delicta sunt *secura* in somni asylo, quid delinquere impotem, ad delictum ignauè instigas? Inuade Xauerium vigilantem & attentum, si fortè tantisper propositi constantia subruatur tentaméri machinis. Verùm enim verò valdè fallor, si alicubi aut Xauerij constantia, aut Dæmonis astutia magis apparet. Nempè sciebat Dæmon callidissimus, quàm validum & inconcussum sanctissimo viro inesset non delinquendi propositum: sciebat quod vigilans delinquere poterat, sed firmissimè nolebat: sciebat quod dormiens, rationis & arbitrij inops, peccare non poterat; ergò dormientem, & à somno impotem; suggestione immundâ versutè adoritur; forsan ratus faciliùs fore à non potente Xauerio, paruum extorquere consensum, quàm à firmiter nolente. *Menos difficultoso le parecio al demonio recabar de Xauier consentimiento libre à la tentation, quandò no le puede haber, que quandò no le quiere tener?* Itaque dormienti Xauerio, quamtumuis ad libidinem vrgeatur, *delicta secura sunt: nec magis ob stupri visionem damnabitur, quàm ob martyrij coronabitur.* At vafer Tentator dum attentiùs explorat flecti-nescium resistendi propositum in vigilante, (etsi sui arbitrij compote) fortassis minùs difficilè ferè reputat, à somno impotem ad malitiam, ad malitiam allicere: quàm vigilantem, & sui arbitrij compotem prauâ suggestione inuitiare, & pertrahere ad delictum Nimirùm in somno, *secura delicta* sunt, in impotentiæ

Tertull. lib. de Anima, c. 47.

Philo in lib. *Qui rerum diuin. hær.*

Horatius Turselinus lib. 4. c. 8.

Faciliùs foret à dormiente, quã à nolēte Xauerio, liberũ extorquere delinquendi consensum.

Tertull. supra c. 45.

Delicta in somno secura sunt.

tentiæ arce: at quasi securiora forent in Xauerij proposito; dormienti insidiatur, & vigilantem inuadere non præsumit. (Cessat ne in sanctissimo Xauerio illud Hieronymianum, de vulgo hominum pronunciatum : *Tutius est perire non posse, quàm iuxta periculum non periisse?*) Nisi malis, virginitatis priuilegio, etiam in somno insomnē, esse Xauerium. Quâ super re ita fatur Nazianzenus : *Deus puratum animarum solus sponsus est: atque insomnes animas, si modo cum claris lampadibus, & copiosa olei alimonia, obuiam ipsi prodierimus*, &c. Insomnes animas vocat virgines : quia etiam in somno virgo Xauerius vigilat, ne quid impurum dormiturienti subrepat. Sic firmum, & inconcussum castitatis propositum imbecillos homines armat; sic Dæmonum robur, & malitiam exarmat?

Hieron. epist. 47. — Naz. orat. pro Basil. Matth. 25. v. 1.

3\. Geneseos 22. puer Isaac desperatus parentibus, sed Deo promittente susceptus; non tam ex genitoribus, quàm diuinâ præceptione meruit procreari. Sub hac igitur spectationis natiuitate, & admiratione prognatus, in primis infātiæ rudimētis iubenti ac deposcenti Deo inocens martyr offerri paratur. Heu ad hanc stragem tardi partus vbertas; & fœcunditas desperata profertur! Ergò in montis secessu, remotis procul arbitris, ædificato priùs altari, vel ex obuio cæspite, vel è rudi lapide, vltroneam victimam de more ligat: *Extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum.* O spectaculum cœlo dignū, vbi filius est piè victima, & pater religiosè carnifex! Abraham intrepidus ad ministerium mactationis armatur, rimatur ad ictum vulneris filij iugulum: *Securus animus, sed securior manus*, profundè dixit Zeno Veronensis. Non armiro Isaacum tunc esse securum à patris *animo*; erat enim pater, quo nomine omnis securitas robustè firmatur: sed cur *securior manus* dicitur? Non tam timebat Isaacus à patris *manu* strictum vibrante gladium, & tantum non demersum in filij iugulum, quàm à patris *animo*? Quid tam timet ab *animo*, quo non magis à *manu* metuat? Scilicet patris *animus* diuinum præceptum exceperat, & firmo parendi proposito ad necem armatur; *manus* verò ministeriale duntaxat obit officium: ergo magis timeat Isaacus infligendum vulnus ab *animo* patris, quàm à patris *manu*: *Securus animus, sed senior manus.* Nam animus pio obsequendi proposito, certiùs ruet in filij vulnus, quàm manus, vt præcepti ignata, sic & propositi expers. Moralissimè quidem minùs securus est Isaac ab animo patris obarmato parendi proposito, quàm à manu iam iam duro ictu iugulum filij cruentante. O Abrahami, & Xauerij in virtute constantiam, quæ sic imbecillæ humanitatis excusationes excludens, vires vendicas gratiæ, velut obstinato pietatis proposito!

Cur dicatur Isaac securior à patris manu, quàm ab animo patris. Genes. 22. v. 10. — Zeno serm. 2 de Abraham.

4\. Matth. 26. Eucharisticâ cœnâ peractâ, & hymno solemniter dicto, Christus cum discipulis in Oliueti Montem exiuit. Mœstus ipse tres mœstissimas aliâ mente versabat. Tunc dixit illis Iesus *Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte.* Ne verò aliquis arroganter animosus de eiusmodi ambigat prædictione, eam Zachariæ prophetæ oraculo disertissimè obfirmat: Percutiam, inquit pastorem, & dispergentur oues gregis. Respondens autem Petrus, ait illi: *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Ait illi IESVS: *Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam Gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus: Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* O alacrem constantiæ animositatem! ô validissimum Discipuli propositum, Prophetarum etiam oculis animosiùs obnitens! Citiùs putat Petrus Christi & Prophetarum oracula posse frustrari, quàm se à chari Magistri latere diuelli, & Saluatorem fide notissimum, infidè abnegare; Peridoneè ad rem Chrisostomus, exponens præscripta verba: *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor*, sic eleganter fatur: *Quid ais, ô Petre? Quando dixit, vnus ex vobis me tradet, timebas ne tu esses traditor, quamuis nihil tibi tale conscius eras; nunc autem manifestè eo dicente, Quia omnes scandalizamini, contradicis.* O tunc validissimè robustum Discipuli propositum, qui pericula lacessit, mortem non timet, strages contemnit, per obstantia Christi & Prophetarum oracula audacter animosum, & magnanimâ alacritate intrepidum. *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Cum audit Petrus: *Vnus ex vobis me tradet*, pauidè timet, quia cùm nec in mentem venerit eiusmodi impium scelus, proditionis ignarus, fidâ cautelâ propositi nondum se armauerat. At nunc alacri sequelæ voto animosè robustus, sic audenter de illo præsidit, vt etiam cùm manifestè de Christi ore audit, quia omnes scandalizabimini, palam contradicat, vltra humanum fastum audax, & propositi vigore robustus, etsi illud tandem humanitùs nutauit, ne quis plusquam par est, humanæ imbecillitati præsidat. Securus sit animus valido obarmatus proposito; sed de gratiæ officiositate habet, ne confestim imbecillè nutet, humanâ infirmitate subnixum. Animosè quidem Nazianzenus inquit; *Quorum in numerum vtinam ipse adscribar, & si qui mecum pietatem laudabili audaciâ palā profiteri audent.* O quàm est aspectabile *laudabili audacia* vel vltra vires ad pietatem animosiùs audere!

Animosum Petri propositū, Christi verbis [illegible]. Matth. 26. v. 34. & 35. — Chrysost. hom. 83. in Matth. — Nazianz. orat. 28.

§. CI.

Detractor, atrocior procella, arbor mortis est, & temerarius diuinitatis censor.

A Detractoribus nemo liber est: aut in medium profer aliquem medianum, infimū, & præcipuè supremum, qui vllo seculo non proximus aliquando steterit huic igni, & quem non combusserit hæc flamma: quæ subditi fere fulminis more validisimū opprimit, cæteris semiustulatis metum incutit, paremque passo tristitiam facit, pati potuisse, & posse. Et imitatur detractio fulmen, quod improuidum & imparatum antè perimit, quàm periculum denunciet: quodque firmissima quæque impetit, vilissima & humi serpentia ferè negligit: quod non contentum vulnere, ipsa emedullat ossa: & quicquid erat sanguinis boni, improbo æstu suo decoquit, cumque in bonos omnes magnosque detractio feratur, tum in optimos quosque sæuit magis, crescente cum magnitudine veneno. vt propè signum viri sit aut magni, aut ad magna nati, pati detrahentium linguas. O! quem maledicentia vituperonum, improuidâ densaque linguæ grandine, tanquam saxeo imbre, non diuerberat atrociter, & sæua vulnera, aut fœdos vibices famæ non infligit: ô, quis compescet obtrectatricis linguæ procellam, de 1.

Lingua maledica optimos quosque præcipuè, fulminis instar ferit.

de inuidia armatam, & maledicentiæ libidine furiosam.

2. Matthæi 8.& Marci 4.ascendente Iesu in nauiculam secuti sunt eum discipuli eius:(nam turbæ in reliquas scaphas conscenderunt) & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat. Et accesserunt ad eum Discipuli eius.& suscitauerunt eum, dicentes: Domine, salua nos, perimus. *Et exurgens comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessauit ventus: & facta est tranquillitas magna.* Nempe mare paullatim vndis terrorem attollebat, ventus horrẽdum remugiens, scapham iaculabatur; scapha crebro vndarum verbere concussa fluctuabat. Strident rudentes, gubernaculum exerrat, rumpuntur vela, transtra euertuntur, malus gemit, tantum de repentè malum vectores miserabiliter gemunt, & per disiectas compages nauicula hianter sorbet naufragium. Verùm cùm tempestatis sæuitia, arti præualet, ad Christi opẽ velut ad anchoram, Discipuli accurrunt, conclamantes: *Salua, nos perimus.* Omnis nostra exhausta est industria, manus nostræ ad ferendam opem inueniuntur inutiles, artis imbecillitatem vis tẽpestatis longè superat. Quid tandem Dominus; excusso iam somno, sic commotum sæuè mare increpat: *Tace obmutesce.* Pelago ne, vt taceat imperat, mari linguam taciturnitate obsignat? Forsan putabit aliquis, quòd somnum Christus non plenè excusserit, sed per tam festinatam expergiscendi rationem adhuc aliquid somniculosè gerat. Ecquis nisi semisopitus, intimet mari silentium? Sæui maris optatur tranquillitas, & taciturnitas imperatur! Audiendus est Seleucianus Basilius hâc super re eloquẽter opportunus: *In vos* (ô vituperones) *profectò conuenit à Domino contra mare profecta increpatio: Tace, obmutesce. Cuius enim procellam linguis imitamini, eiusdem increpationem admittite.* Nempe dum mare furẽter æstuat, dum venti pertinaciter perflant, dum vortices arroganter turgent, dum fluctus minaciter sæuiunt, dum sæuior tempestas atrociter ferocit, dum scapha illa, quæ Christi duntaxat Discipulos vehit, vaga fluctuat, iam hiante naufragio, & cùm tanto suorum periculo Christus dormit: tunc, tunc quidem, non tam atrox sæui maris procella, quàm maledicæ linguæ procellosus turbo, repræsentari videtur. Vnde Christus cum maris loquens, potiùs optimorum vituperones ethicè alloquitur, aiens: *Tace, obmutesce. Cuius enim procellam linguis imitantur, eiusdem increpationem admittant.* Profectò nullum æquè idoneum maledicæ linguæ symbolum inueniri potest, quàm mare atroci tempestate furiosum, quod Ecclesiæ, & probitatis proceres immaniter submergere adnititur & sanè Christo, qui solus opem ferre posset, obdormiente. Dormire videtur Christus Deus, cùm electissimus quisque linguæ procellâ, & maledicentiæ turbine patitur, quasi opẽ suis ferre, ad illum minimè spectaret. Exinde Discipuli ad Christum aiunt: *Magister non ad te pertinet, quia perimus?* Sed confestim exurgens, non somniculosus de excusso nuper sopore, sed de cœli sapiẽtiâ vigilanter eruditus, non tam mare, quàm maledicentiam ethicè increpat. Nam *in vos* (ô detractores) *profectò conuenit à Domino contra mare profecta increpatio: Tace, obmutesce. Cuius enim procellam linguis imitamini, eiusdem increpationem admittite.* O furiosam obtrectatricis linguæ procellam, quæ sic in optimos quosque desæuit, ac si interim Deus dormiret! O, exurge quare obdormis Domine? Sed gratulor electis, quia non dormitabit, neque dormiet, qui electum Israëlem custodiet, vt maledicorum linguas faciat obmutescere. Vnde impudenter maledica vxor, quę hîc tot contumelias in Tobiam iactauit immeritum, quas infra flebiliter querula restaurauit; tandem ad Tobiæ vocem de cœlo afflatam, *cessauit flere, & tacuit.* cap.5.v.28.

Marci 4.v. 39.

Maris procella, dormiente Christo exorta, maledicorum linguas imitatur.

Seleu. Orat. 21.

Hîc vers. 23.

3 Prouerbiorum 15. de probâ & improbâ linguâ sic fatur Salomon: Lingua sapientum ornat sciẽtiam; os fatuorum ebullit stultitiam. *Lingua placabilis, lignum vitæ: quæ autem immoderata est, conteret spiritum.* Prior hemistichij pars ita Hebraicè vertitur: *Medicina linguæ, lignum vitarum.* Lxx *Sanitas linguæ.* alij, *lingua sana lignum vitæ.* Id est, lingua, quæ in se sana est, & alio sanat, similis est arbori vitæ. Sicut enim arboris vitæ & fructus, & *folia* omnia *ad sanitatem* erant: ita etiam omnia placidæ ac mitis linguæ verba, ea etiam quæ temerè & inconsideratè excidunt verba, ad sanandos, & deliniendos animos vim habent. *Quæ autem immoderata est,* aspera, immitis, effera, *cõteret spiritũ*, nempè, *suum & aliorum*, vt commentatur Anselmus. Verùm cũ vocula *autem*, vim habeat aduersatiuæ, Ferdinandus de Salazar alios secutus, censet hîc esse antithesim, & *linguæ immoderatæ* seu maledicæ nomine, quasi *arborem mortis* posse intelligi, quæ oppositos præstet effectu, ac vitæ arbor. Cardinalis Caietanus hanc antithesim his verbis recognoscit: *Lingua*, inquit, *sana ab ægritudinibus vitiorũ linguæ, est velut arbor vitæ alijs, vtpotè viuificans aliorũ animos. Quò cõtrà lingua tortuosa, sermo non intelligibilis, torquẽs quod dicitur huc & illuc, frangit non corpus, sed spiritum auditorum.* Nimirùm lingua maledica est quasi *arbor mortis*, & antithesis *arboris vitæ.* Porrò sicut vitæ fructus, vitam edentium in æuum perpetuare eualet, & *folia eius* sunt *ad sanitatem Gentium*: ita lingua beneloqua. Ad eundem ergò modum lingua maledica, *arbor mortis* dicitur, & assimiles peruersè effectus operatur. Mortes audientium perpetuat, dum palam maledicentiam suam exercet, & dum huc & illuc torquet, quod dicitur. Quin & eius *folia*, id est, verba quæ temerè & inconsideratè à detractore decidunt, ægritudines afferunt. Quod eleganter complexus est Chrysostomus, ad ea Psalmi verba: *Pone Domine custodiam ori meo,* ita scribens: *Quemadmodum enim, ait, est aër pestilens, qui morbos procreat, ita etiam verba: quod autem facit ille in corpore, id verba in anima.* Rursus, vt benè notat idem Ferdinandus Salazar, verba Lxx. interpretum, quæ sic locum reddunt, *Linguæ sanitas arbor vitæ, qui autem custodit*, &c. suadent, vt de custodiâ linguæ eadem accipiamus. Fortassè enim sapientum illorum ea mens fuit, vt ad custodiam linguæ exemplo arboris vitæ excitarent: ad quam ad seruandam pulso ex paradiso homine, Cherubinum versatilem ignis gladiũ vibrantem præfecit Deus. Inde enim ad custodiam linguæ optima similitudo ducitur, quòd nuper laudatus Chrysostomus his verbis adnotauit: *Quæ nam autem fuerit hæc custodia, nisi ratio, & cogitatio, quæ vrget terribiliter, habens præ manibus ignem eos vsturum, qui ore suo temerè vsi fuerint.* Multa densè in hanc sententiam inibi Chrysostomus subdit. Ergo Cherubini, id est, *ratio & cogitatio*, versatilem gehen-

Prouerb. 15. v. 4.

Apocal. 22. v. 2.

Ansel. Laud. ibi.

Salazar ibi.

Caietanus ad ea verba.

Lingua maledica, arbor mortis sententiosè nominatur.

4. Chrysost. in Psal. 140. v. 3

Salazar ibi.

Linguam custodiant Cherubini, id est, Ratio & Cogitatio.

Genes. 3.

Chrysost. supra.

næ flammam præferentes, custodiant linguam, id est, *arborem vitæ*, si fuerit benedica; etsi maledica fuerit, *mortis arborem*. Moralissimè quidem. Ecquis non facilè videat, quot bona in statu innocentiæ *arbor vitæ* donaret, cùm tot donis durationem præberet, &c. Ita de lingua immoderata, idest, *mortis arbore* philosophati, procliue est. Ergò ad eius custodiam præficiantur Cherubini, idest, *Ratio, & Cogitatio*, quæ has fœcundissimas mortes diligenter arceant.

5. Ad Roman. 11. v. 33. A i Romanos 11. sic exclamat Apostolus: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.* Et tamen tenuis hominum *ratio*, & maligna *cogitatio*, quasi Deum pœnitiùs agnouerit, sinistrè cogitare, & audacter obloqui præsumit; atque in cœlum ponere os suum impudenter audet. Qua de re sic fatur Tertullianus præfata Apostoli verba, sic excribens, & exponēs: *O profundum diuitiarum sophiæ Dei et ininuestigabilia iudicia eius, vtique Dei iudicis: ita ininuestigabiles viæ eius, vtique intellectus, & scientiæ; quas ei nemo monstrauit, nisi fortè isti censores diuinitatis, dicentes: Sic non debuit Deus: & sic magis debuit.* O insanus diuinitatis *censor*! tu per ignorantiæ auia cœcus exerras, & Dei vias homini non peruias, Deo monstrare impudenter præsumis; Sic audet detractor, os suum ponere in cœlum, & blasphemo garrire ore, audenter aiens: *Sic non debuit Deus: & sic magis debuit*; O saltem detractor videat quovsque habet oculos! Verùm oculorum & aurium cœcus, (vtinam ore mutus) esse diuinitatis censorem ausu temerario præsumit. *O canes, quos foras Apostolus expellit, latrantes in Deum veritatis; hæc sunt argumentorum ossa, quæ abroditis.* Dixit idem Tertullianus.

Detractor dicitur diuinitatis censor.

Tertull. l. 2. contr. Marc. c. 2. & 5.

Apocal. 22.

SYNOPSIS CAPITIS TERTII.

Duas hoc caput continet precationes: alteram Tobiæ in principio, in quâ postquam sua, & suorum parentum delicta fatetur: ideóque nullum supplicium, quo se, aut parentes suos Deus mulctauerit, iniustum videri; mortem, Deo annuente, expetit, tanquam tot calamitatum asylum. Alteram Saræ Raguelis filiæ, quæ probrosis procacis ancillæ verbis grauiter exulcerata, quasi septem maritorum homicidia perpetrarit: post triduanum ieiunium, quod ad orationem cum lacrymis adhibuit, à se illius septem vitiorum cædis remouet culpam. Precatur autem idem ferè quod Tobias, scilicet vt ab ipsa Deus probrum illud, & sinistram patratæ necis suspicionem depellat; aut immatura licet morte, tot opprobria, & ærumnas secum funeret. Exaudita est simul vtriusque oratio; & decretum est, vt Raphaëlis Angeli ministerio liberetur vterque: hæc à cædis infamia, ille à cæcitatis molestia, & paupertatis angustiis.

CAPVT TERTIVM.

1. TVNC Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis, 2. dicens: Iustus
es Domine, & omnia iudicia tua iusta sunt, & omnes viæ tuæ misericordia,
& veritas, & iudicium. 3. Et nunc Domine memor esto mei, & ne
vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel
Deut. 28. 6. 15. parentum meorum. 4. Quoniam non obediuimus præceptis tuis, ideò
traditi sumus in direptionem, & captiuitatem, & mortem, & in fabulam, & in improperium
omnibus nationibus in quibus dispersisti nos. 5. Et nunc Domine magna iudicia
tua, quia non egimus secundùm præcepta tua, & non ambulauimus sinceriter coram
te. 6. Et nunc Domine secundùm voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in
pace recipi spiritum meum. Expedit enim mihi mori magis quàm viuere. 7. Eadem
itaque die contigit vt Sara filia Raguelis in Rages ciuitate Medorum, & ipsa audiret
improperium ab vna ex ancillis patris sui, 8. Quoniam tradita fuerat septem viris, &
Dæmonium nomine Asmodæus occiderat eos, mox vt ingressi fuissent ad eam. 9. Ergo
cùm

cùm pro culpa sua increparet puellam,respondit ei dicens: Ampliùs ex te non videamus filium,aut filiam super terram,interfectrix virorum tuorum. 10. Numquid & occidere me vis, sicut iam occidisti septem viros? Ad hanc vocem perrexit in superius cubiculum domus suæ:& tribus diebus,& tribus noctibus non manducauit,neque bibit: 11. sed in oratione persistens, cum lachrymis deprecabatur Deum, vt ab isto improperio liberaret eam. 12. Factum est autem die tertia,dum compleret orationem,benedicens Dominum, 13. dixit: Benedictum est nomen tuum Deus patrum nostrorum qui cum iratus fueris,misericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis his qui inuocant te. 14. Ad te Domine faciem meam conuerto,ad te oculos meos dirigo. 15. Peto Domine vt de vinculo improperij huius absoluas me,aut certè desuper terram eripias me. 16. Tu scis Domine quia nunquam concupiui virum,& mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia. 17. Nunquam cum ludentibus miscui me:neque cum his qui in leuitate ambulant,participem me præbui. 18. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere. 19. Et aut ego indigna fui illis, aut illi forsitan me non fuerunt digni: quia forsitan viro alij conseruasti me. 20. Non est enim in hominis potestate consilium tuum. 21. Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit,quod vita eius,si in probatione fuerit, coronabitur:si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in corruptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. 22. Non enim delectaris in perditionibus nostris:quia post tempestatem tranquillum facis,& post lacrymationem, & fletum, exultationem infundis. 23. Sit nomen tuum Deus Israël benedictum in sæcula. 24. In illo tempore exauditæ sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei: 25. & missus est Angelus Domini Sanctus Raphaël, vt curaret eos ambos quorum vno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ.

---

§. CII.

Commentarius Litteralis.

Verf. 1. Tunc Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis.

1\. TVnc,] inquam, quando vndequaque angustiis,& calamitatibus oppressus,nullum aliud præsidium ad declinanda malignantis coniugis,& insana cognatorum machinamenta supererat.Nō putauit Sanctissimus Patriarcha reciproca conuicia conuiciis acceptis opponenda esse; sed totus ad Deum conuersus,in spem eius erigitur,pro cuius gloria tot acerba patitur.

Execranda coniugis verba exacerbarunt Tobiam. Græcus. Arabs. Hebræus.

Ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis.] Lxx. interpretes exscribunt:*Tristatus plorauι,& deprecatus sum cum dolore.* Arabs:*Contristatus est Tobias & indoluit*,&c.Hebræus: *Cum suscepto dolore magno,ac etiam quadam corporis ægritudine* Non muliebriter illacrymat fortissimus virtutis athleta, qui malorum Illiadem flecti-nescia constantia sustinuit intrepidus.Tunc autem è præcordiis ingemuit,& dolenter opplorat,(quod nunquam antè fecisse legitur)cùm diuino nomini,rectæ fidei,& auitæ religioni à propria vxore procacissimè sensit iniuriam irrogari.

Verf. 2. Dicens: Iustus es Domine, & omnia iudicia tua iusta sunt, & omnes viæ tuæ misericordia,& veritas, & iudicium.

2\. *Eluit Tobias execrabile vxoris conuitium contra Dei prouidentiam. Sanctius.*

Iustus es Domine,&c.] Hoc esse solet in Sanctorum precibus exordium,vt cōstat ex Danielis 2.& 3.ex 1.lib.Esdræ cap.9. & 2. lib cap. etiam 9. vbi plura hac super re Sanctius. Nunc magis opportunè eo Tobias vtitur: nam cùm eius coniux diuinam prouidentiam impudenter accusauerit,aiens: *Manifestè vana est spes tua, & eleemosynæ tuæ modo apparuerunt*; maximè necessarium sanctissimo viro visum fuit, tunc, tunc quidem Dei veritatem,& fidem,& recta eius iudicia commendare,vt præclarè confitendo, insigniter clararet, quod vesana mulier blasphemis,& procacissimis verbis infuscare nitebatur. In eo igitur laudat Deum,in quo impudens vxor vituperauerat: vt sic bonus paterfamilias eluat vxoris execrabile conuicium contra Deum. *Hic cap. 2. v. 22.*

3\. *Omnes viæ tuæ:misericordia*, &c.] Viæ Domini dupliciter dicuntur,(vt in commentario Serarius obseruat.)Primò eæ quas non ambulare vult, idest,eius præcepta,monita,& consilia Psalm.17. v.22.& Psalm.36.v.5.Aliæ sunt eæ,quas ipse ambulat,nempe ipsamet opera,quibus ad sibi propositum finem tēdit Dominus,Prouerb.19.v.4.Vel sunt modi,quibus res ipsas efficit, Hæ sunt,*misericordia*,quoniam ad intelligentis naturæ vtilitatem agit.Sunt,*veritas*,quia nunquam diffidet à se ipso, qui summa veritas est, semperque in suis promissionibus certissimus. Sunt, *iudicium*, quia id cuique impertit,quod illi debetur; siue adspectu ad præmium, siue respectu ad supplicium. Elegantér Hilarius in Psalm.118. *Meminerimus primum, quia Deus vniuersorum Dominus est, iustum esse, & iudicia eius recta esse. Cur enim in suos iniquus sit? Cur in eos quos ipse genuit, iniustus sit? Bonitatis suæ immensitas non sinit illud de eo existimare. Genuit nos non ad iniuriam; genuit nos non ad originis nostræ, & naturæ dolorem. Siquid est quod patimur,ex iudicio suæ bonitatis accidit.*

Serarius. Quæ & quales sint viæ Domini. Psalm. Prouerb. Hilari.

Verf. 3. Et nunc Domine memor esto mei, & ne vindictam sumas de peccatis meis neque reminiscaris delicta mea,vel parentum meorum.

Memor esto mei, &c.] Manifestè in hoc loco 4.

Quo pacto Deus, memor aut immemor dicatur. Scriptura (sicut persæpè alibi) de Deo loquitur antropopatôs, more humano inquam. Nam in Deum (qui vno simplicissimô mentis obtutu omnia perfectissimè cognoscit) vt non cadit obliuio, ita nec recordatio. Tunc tamen recordari, aut obliuisci alicuius rei dicitur, quando recordationis, aut obliuij exhibet documenta. Nempe cùm punit flagitium, aut meritum præmiat, tunc eorum recordari dicitur: cùm verò vtrumque, aut negligere, aut non curare videtur; tunc immemor nominatur. Itaquè Tobias tot calamitatibus iactatus, & suorum defectuum benè conscius; non postulat nunc pro benefactis mercedem, sed beneuolam pro delictis indulgentiam. *Domine*, inquit, *memor esto mei* idest, manum porrige misero, & penè lapsanti; mihi captiuo, cœco, afflicto, & calamitoso benignè faue; ne vlciscaris delicta, quæ conscientia metuit, vt mihi indulgenter ignoscas, precibus ambio.

5. *Neque reminiscaris delicta mea.*] Repetit quod dixerat, *Ne vindictam sumas de peccatis meis*, nam punitio signum est recordationis, iniuriæ, aut offensæ illatæ. *Vel parentum meorum.* *Alter pro altero, qua ratione puniatur à Deo.* Rogat etiam, vt obliuiscatur non modo delicti sui, propter quod tot calamitates promeretur; sed etiam parentum suorum, probè noscens illud Exhodi 20. v. 5. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem.* (Exhod.) Sic ob peccatum Cham, eius filius Chanaam dura maledictione feritur: & ob Dauidis delictum filiolus ex Bersabea susceptus, immaturè moritur: & ob Salomonis scelus, filius Roboam regni scissione punitur. Porrò licèt perpetuò verum sit illud Ezechielis 18. v. 20. (Ezech.) *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur, & filius non portabit iniquitatem patris*; tamen si consideretur, & aliquid illius, siue necessitudinis titulo, siue charitatis nexu, persæpè alterum pro altero corporales, & temporarias pœnas luere, perspicuum est. Sic vxor punitur pro viro, vt vxores Dauidis; maritus pro vxore, vt Vrias; pater pro filio, vt Heli. Consule Augustinum lib. 6. contra Iulianum cap. 18. (Augustin.) De quo etiam vulgò Theologi.

6. Itaque cùm inquit Tobias: *Neque reminiscaris delicta.....parentum meorum*, minimè tunc orat pro mortuis; sed duntaxat rogat, ne maiorum iam vita functorum flagitia, viuis posteris officiant, & in eis adhuc puniantur, vt obseruant Serarius, & Menochius. (Serarius. Menoch.) Porrò vt non negat hîc, ita nec innuit Tobias, futuram orationem posse esse meritum, vt ante multa retrò sæcula aliis gratiæ donentur, quod subtile Theologorum acumen nuper ingeniatur.

Vers. 4. Quoniam non obediuimus præceptis tuis, ideò traditi sumus in direptionem, in captiuitatem, & mortem, & in fabulam, & improperium omnibus nationibus, in quibus dispersisti nos.

7. *Quoniam non obediuimus præceptis tuis, ideò,* &c.] Ingenuè fatetur Tobias tam à se, quàm à maioribus suis, leges esse contemptas, & ideò se quoque nunc vbique contemni. Quod Deus olim suo populo, si quando à se recederet, apertè comminatus fuerat, Deuter. 28. v. 37. aiens: (Deuter.) *Et eris perditus in Prouerbium, & fabulam omnibus populis ad quos te introduxerit Dominus.* De quo agit copiosè Sanctius in comment. ad Isaiæ cap. 65. v. 15. (Sanct.) *In direptionem.* Itavt direpti sint nobis agri, & greges; & nos bonis nostris hostiliter expoliati, & ad omnem inimicorum rapinam expositi. *Et captiuitatem.* Quæ quàm sit toleratu dura, amor patriæ, & violentia inimicis seruitus manifestant. Nolo hunc locum onerare vulgari, & facilè parabili eruditione, de seruitutis incommodis. *Et mortem* Arabs: *Mancipia facti sumus, & occisi.* Dum inhumata etiam, in plateis iacebant Hebræorum cadauera. *Et in fabulam.* (*Quid sit esse in fabulam, & prouerbium.*) Eò miseriæ deuenimus, vt omnium sermonibus laceremur, proprio, prouerbialique conuicio. Ita vnidè Sanctius, & Gordonus; (Sanctius. Gordonus.) qui secùs, frigidè. Nam *τὸ in fabulam*, non tantùm verbalem, sed etiam prouerbialem contumeliam denotat. Vnde sæpè iungitur in Scriptura, *In fabulam, & prouerbium*, idest, prouerbialem fabulam, itavt vocula, *&* sit exegetica, aut sit hendyades. Arabs vertit: (Arabs.) *Fecisti nos fabulam inter homines.* Et improperium, idest; Malè vbique audimus; dicteriis, probris, & improperiis nos vndique onerant, & iugiter impetunt. Syrus transtulit: (Syrus.) *In parabolam exprobrationis omnibus populis, inter quos dispergimur.*

Vers. 5. Et nunc Domine magna iudicia tua, quia non egimus secundum præcepta, & non ambulauimus sinceriter coram te.

8. *Magna iudicia tua*] Iudicia magna sumit hîc pro actibus iustitiæ vindicatiuæ, quibus Deus offensus debitam ab offensoribus pœnam exigit, & quatenùs iudex seuerè infligit. (*Iudicium pro punitione vsurpatur.*) Ita sumitur 4. Reg. 25. v. 6. & Ezech. 5. v. 7. & 8. & Sapientiæ 6. v. 6. (4 Regum. Ezech. Sapient.) & aliàs persæpè in veteri, & nouo Testamento. Hæc Dei iudicia, seu inflicta supplicia, *magna* appellat; quia licet parua sint semper respectu ad culpam, (punit enim Deus citra condignum) *magna* tamen sunt in se considerata, & aspectu ad humanam debilitatem, & ad ordinarium puniendi morem in hac vita. Traditi enim erant Hebræi *in direptionem, & captiuitatem, & mortem; & in fabulam, & in improperium omnibus nationibus*, in quibus dispersi erant.

9. *Et non ambulauimus sinceriter coram te.*] Sincerum, teste S. Thoma illud est, quod est sine corruptione: (S.Th. in epist. ad Cor. lec. 2.) docet ergo Tobias Hebræos ambulasse non sine corruptione peccati, & inde dura, quæ patiebantur mala, satis meruisse. Scilicet non adeò cœcus erat Tobias, vt posset negare, nuper in se, & olim in parentibus, plurima esse quæ speciem haberent honestatis, & humanis oculis (quin etiam diuinis) pia viderentur, dignaque vt in illa intenderet Deus, quò placatior redderetur. (*Multa quæ videntur bona opera, bona non sunt.*) Ait ergo Tobias, diuinam iustitiam vindicans; plura illorum opera specie tenus apparuisse sincera; non esse tamen ab omni prorsus concretione pura, ab ambitione omnino vacua, & ab alia humana cupiditate perpurgata, & vndequaque compensatione digna. Quod eleganter, & eruditè probat in hoc loco Sanctius, secutus Lyranum. (Sanctius. Lyranus.)

* * *

CIII.

§. CIII.

Commentarius Litteralis.

Verſ. 6. Et nunc Domine ſecundum voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi ſpiritum meum: expedit enim mihi mori magis, quam viuere.

1. Græcus. ET *nunc Domine, ſecundum voluntatem tuam.* &c.] Græcus textus cauſam reddit, cur Tobias mortem expetierit: *Quoniam improperia falſa audiui, & triſtitia multa eſt in me.* Nempe ob improperia, quæ à coniuge, & à propinquis audiuit, adeò ſupra naturalem virtutem ſe graua-tum ſenſit Tobias, vt tædio vitæ, mortem terribilium omnium terribiliſſimum, optauerit, tãquam tot calamitatum leuamentum. Nam Deus (canit Seneca) *mortem miſericors ſæpè pro vita dedit.* Et Cornelius Gallus: *Dulce mori miſeris, ſed mors optata recedit: Eſt omni peius funere, velle mori, Et non poſſe tamen.* Non tantùm Tobias, ſed Iobus etiam, Elias, & Mathatias, & Paulus, ſic ægram aliquandò trahebant vitam, vt magni beneficij loco ponerent, ſi mori contingeret. Hoc ſuum deſiderium ſic Tobias diuinæ ſubiicit voluntati, vt malit calamitoſam vitam agre lubente Deo, quàm illo reluctante, ærumnas cum vita finire. Vnde ait: *Secundum voluntatem tuam fac mecum.* Lege Serarium in ſingulari quæſtiuncula, hac ſuper re.

Sancti etiam viri mortem auidè optarunt.

Seneca in Troade. Cornelius Gall. eleg. 1

Serar.

2. *In pace recipi ſpiritum meum.*] Hebræum nomen שלום *ſcialom*, qui in ſua radice nomen *pacis* reſpondet, Hebræis latiùs patet, quam Latinis, quod vulgare eſt in ſacris litteris, in quibus *pax* ſignificat, quod optabile, fortunatum, & proſperum eſt. Vnde dupliciter poteſt hic locus accipi. Primò vt *in pace recipi ſpiritum*, ſeu mori, ſit, quòd Tobias præteritæ vitæ ſpatio contentus, ex hac vita migrare, cùm magna quiete, & animo tranquillo, & libero exoptat. Quaſi dicat: Si vis, libenter, pacatè, & placidè ex hac vita diſcedam, ita Iuſtinianus ad hunc verſ. num. 3. Sed præſtat exponere cum Carthuſiano, Mauden, & Sãctio, (nec Iuſtiniano reſtagante) recipi ſpiritum alicuius in pace, idem eſſe, quòd eam poſt mortem, ſpiritum noſtrum ſortiti conditionem, & ſtatum, qualis manet iuſtos, & qualis piis & prudẽtibus eſſe debet in votis. Nempè optat Tobias eius *ſpiritum, in pace recipi*, id eſt, in ſecretiori illa quietis ſede, quæ à Theologis Limbus SS Patrũ, aut ſinus Abrahæ appellatur; vt in eo ab humanis periculis, & ærumnis liber, cum SS. Patribus Chriſtum expectaret. Hoc optare, & à Deo petere, præſertim ſe ſubiiciendo diuinæ voluntati, quod fecit Tobias, honeſtum eſt, & à ſanctis viris vſitatum. Exinde in hoc deſiderio nimis ſcrupuloſè Lyranus veniale delictum immeritò reperit.

Quid ſit, ſpiritum in pace recipi.

Iuſtinian. Carthuſian. Mauden. Sanctius.

Lyranus.

Verſ. 7. Eadem itaque die contigit, vt Sara filia Raguelis in Rages ciuitate Medorum, & ipſa audiret improperium ab vna ex ancillis patris ſui.

3. *In Rages ciuitate Medorum.* Magnum apud expoſitores litigium, quænam ſit hæc *Rages* Medorum ciuitas. Nam ex hoc loco conſtat Gabelum (de quo frequens in hoc libro ſermo) in *Rages* ciuitate etiam Medorum habitare. Neque affirmari poteſt eſſe eandem vrbem cum *Rages*, in qua habitat Gabelus; quia cap. 9. v. 3. ex vrbe hac *Rages* proficiſcitur Angelus Raphaël ad *Rages* ciuitatem Medorum; (quam bidui iter abfuiſſe tradit Hebræus textus) vt pecuniam ibi à Gabelo reciperet, cuius gratia miſſi fuerant; videtur ergò non vna, ſed duæ eiuſdem nominis vrbes fuiſſe in Medorum regno. Hac ſuper re commodius agetur infra ad cap. 9. v 3. ne eadem cogamur repetere.

Plures verò ſimilius putant, Rages diuerſam eſſe ab Ecbatanis.

Itaque *eadem die*, qua Tobias tanta perpeſſus improperia, mœrore pene confectus, apud Deum preces ſuas fuderat; *contigit in Rages ciuitate Medorum*, vt Sara Raguelis filia *audiret improperium, ab vna ex ancillis patris ſui.* Lxx. *ab adcilla*, Græcus alter *ab ancillis*, ita etiam Syrus, & Arabs. Quod vna ex ancillis petulãter effutiit, ancillis vniuerſatim tribuitur ſicut Iudę obmurmuratio Diſcipulis adtribuitur. Neque neceſsè eſt cum Iuſtiniano aſſerere, quòd vna cęteris inſolẽtior, eiuſmodi improperia aliarum nomine in Saram iactauerit. 4.

Lxx. Græcus, Syrus. Arabs.

Iuſtinian.

Verſ. 8. Quoniam tradita fuerat ſeptem viris, & dœmonium nomine Aſmodæus occiderat eos, mox vt ingreſſi fuiſſent ad eam.

Quoniam tradita fuerat, &c.] His verbis cauſa proponitur mœroris Saræ. Nempe perſpicuum erat nubilem Saram ſeptem ſucceſſiuè viris matrimonio coniunctam: & illos prima nuptiarum nocte occiſos: incertum tamen erat vndenam infauſtus & inopinatus ille interitus prouenirer. Nonnulli caſum illum inſolentem & terribilem, Saræ inſidiis, aut maleficiis ſuſpicabantur adſcribendum. Hęc etiam cogitatio petulantis ancillæ ſubit mentem; quæ cùm à domina fuiſſet ſeuerius reprehẽſa, vt dolorem faceret ei, à qua doloris cauſam acceperat, eiuſmodi improperium inuerecũdè & petulanter retorſit in Saram; temerariè exprobrans illi, quòd ſeptem viros per inſidias, & beneficia in illos ſua, clanculum occidiſſet: cùm tamen ipſa & neſcia, & inuita, malus Dæmon eiuſmodi tragœdiæ auctor eſſet, qui infauſtas nuptias lamentabili virorum funere cruẽtabat. Quod improperium malitioſum & mendax, etſi de ſe grauiſſimum, eò grauius fuit, quò à ſeruili muliercula fuerat iactatum: ſicque innocentis & ingenuæ puellę ſauciauit mœrore animum, vt eam ad ſuſpendium (vt habet Græcus textus) fruſtra inſtigarit. 5.

Cauſa mœroris Saræ

Græcus.

Dæmonum nomine Aſmodæus. Super his verbis, multis, vtriuſque quæſtionibus vberior noſtri Serarij eruditio plenè exundat. Seligam, & præſtringam quod ſatis eſt ad clarandum locum; reliqua ad materiam de Angelis reiiciam. In cõfeſſo eſt apud Theologos cũ S. Thoma varios ſpiritus variis nationibus præfectos à ſuperiore aliqua poteſtate deputari: alios bonos & tutelares à Deo, vt cuſtodiant, tueantur, & curent: alios nequam à principe Dęmone diabolorum præfecto, vt noceant, diſperdant, & ad omnem malitiam inſtigent. Quod autem aliqui Dæmones à ſuperiore poteſtate deſtinati ſint, vt ad aliqua ſpeciatim vitia extimulent, docet Origenes homil. 15. in Ioſuë, Caſſianus collat. 7. cap. 17. & 32. & Hierony 6.

Serarius.

S. Th. 1. p. q. 114 art. 1.

Varia Dæmonum miniſteria.

Origenes. Caſſianus.

Hieronymus in cap. 3. Abacuc, è quibus id mutuarunt interpretes. Scilicet alium Dæmonem destinat, qui homines ambitione, superbia, & arrogantia inflet, & distendat; alios qui iram accendant, alios qui stimulent ad inuidiam; alios qui mœstitudinem, desperationis parentem, mœrendique causas exaggerent, alios concupiscentiæ, & libidinis fomiti faces admoueant, & luxuriæ scintillas conflabellent, vsque ad miserabile incendium.

7. Itaque hic Asmodæus, quem Hebræus textus Regem dœmonum vocat, videtur princeps esse in Media eorum spirituum, qui concupiscentiam exacuunt, & flammas ad libidinem afflant. Nam Asmodæus (vt peritè Sanctius hîc num. 19.) significat eum, qui ignem metitur, ac dispensat; vel ignis Mediæ: nam admotis ex instituto facibus, libidinis igne homines sufflammat. Quod autem libido in Bibliis, ignis nomine significetur, traditur Iobi 31. vers. 12. & Eccli. 9. vers. 9. Aliam etiam nominis Asmodæi etymologiam adducit Serarius, secutus Lyranum, & quem sequuntur Iustinianus, & Sanctius, quòd Asmodæus idem sonat, ac dissipator, vastator, aut prædator. Ergò Asmodæus excitabat stimulatiùs ad libidinem septem illos Saræ maritos, (nam vt infrà Angelus narrat, *accedebant ad illam sicut equus & mulus, quibus non est intellectus*) & dissipator seu vastator illos perimebat, aut suffocabat, vt habet Græcus codex. Quo autem pacto illos, permittente Deo, Asmodæus occiderit, seu præfocarit, curiosè tractat Iustinianus; sed frustrà labor: cùm perspicuum sit, quàm robustis Dæmones polleant viribus. Verùm cùm hic Asmodæus non modò ad libidinem instiget, sed crudeles edat strages; nō facile his Auctoribus adsentiam, qui singulos Dæmonas vitiis singulis præficiunt, quin data opportunitate ad alia etiam extimulent. Qua super re agemus infrà, ad cap. 11. vers. 15 §....n.

Sanctius. Asmodæus præpositus sufflammandæ libidini est. *Iob. Eccli. Lyra in lib differentiarum ad hunc locum. Lyranus. Serarius. Iustinian. Sanctius. Tobi æ cap. 6. v. 17. Græcus. Iustinian.*

8. *Dæmonium.*] Cùm hic Asmodæus, princeps excitandæ luxuriæ fuerit apud Medos, inidoneè videtur nuncupari nomine diminutiuo *Dæmonium*; & non potiùs magnus Dęmon, aut princeps Dęmon, vt est in Hebræo textu. Fortè adspectu ad maiores, ampliorique potestate fungentes Dæmonas, *Dæmonium* nominatur; Sed præstat cum Serario quæst. 1. asserere, quòd licet plerúmque diminutiua nomina rem significatam extenuent & minorent, vt puellula, ciuitatula, vrbecula, tunicella, &c tamen Diminutiuorum non pauca, plenam significationem diminutiuo nomine retinent, vt flagellum, scutella, curriculum. Vnde *Dæmonium* indifferenter pro Dæmone vulgò accipitur.

Diminutiua aliquando significationem non diminuunt. Hebræus Serarius.

9. Cæterùm Asmodæus, *Dæmonium* appellatur, etsi hoc nomen sit communis & ambiguæ significationis, quod aliquandò felicem & bonum genium, aliquandò nequam, & miserum designet, iam tamen in deteriorem partem semper vsurpatur, ex quo animaduersum est, hoc alioqui honestum nomen, rei non honestæ, Diabolo inquam, etiam competere. Sic nobile *Iudæ* nomen, sic *Tyranni*, appellatio, sic *hostis* vocabulum, iam male audit, ex quo cæpit in improbissimis reperiri; cū olim rem bonam & honestam significaret, quod opportunè notauit Sanctius n. 20. Addit textus ab Asmodæo interfectos fuisse nouos Saræ maritos, *Mox vt ingressi fuissent ad eam.* Quod de copula coniugali intelligendum non est: nā perspicuè dicitur in Græco codice; *Antequam illi fuissent cùm ea, vt in vxoribus.* Nempe in ipso libidinis ante coïtum, ardore suffocati sunt, & infrà *virgo* nominatur Sara. cap. 6. vers. 21.

Iam Dæmonium sumitur in malam partem: & quare. *Sanctius.*

Vers. 9. Ergo cum pro culpa sua increparet puellam, respondit ei, dicens; amplius non videamus ex te filium, aut filiam, interfectrix virorum tuorum.

Pro culpa sua increparet.] Et officio cōpetit Dominus seruorum reprehendere, & obiurgare defectus; id Sara iure suo præstitit erga ancillam. Addunt Græci codices ad reprehensionis verba, verbera etiam, seu fustem addidisse. Quod ancilla sic grauiter tulit, sic obiurgatione intumuit acerbè, viperina rabie percita, vt iracundiæ extimulata œstro, insana & falsata improperia in Dominam iactaret impudenter. Et primum, quod euomit conuicium, fuit, ab illa septem viros, (quos coniugali potiùs amore amplecti debuisset) immanissimè peremptos. Quod facinus supra fœminā audax, longè erat à Sara; quippe quod Dæmon ipsè atrocissimè perpetrarat. An verò hi septem viri, qui successiuè Saram duxerant, fuerint Gentiles, an Israëlitæ, non constat. Verosimile tamen est, non fuisse Nephthalitas; & certum fuisse homines salacissimos. Et sanè plurimos, aut penè omnes Israëlitas cultui idololatrico infectos in captiuitate, vulgò notant interpretes. Græci codices sic exscribunt: *Ecce septem habuisti, & vnius eorum non es nominata.* Ex quibus verbis eruditè tradit P. Sanctius, num. 22. &c. vxores consummato matrimonio, mutuare solitas mariti nomen, molliori flexu accommodatum. Sic vxores Caij, Lucij, Publij, Nœrei, nominabantur *Caia, Lucia, Publia, Nœrea.* Id in more positum apud Romanos, euincitur, & fortè apud Medos:

10. *Græcus.* *Valer. lib.*

Amplius ex te non videamus filium.] Notius est, quàm egeat probatione, quàm fuerit apud Iudęos probrosa sterilitas. Vocula autem *amplius* opera interpretis indiget; nam videtur innuere, Saram antea prolem habuisse; & tamen certum est, virginē fuisse, cùm hoc improperium audiuit, dicente Angelo ad Tobiam: *Accipies virginem cum timore Domini.* Ante Sanctium nemo aduertit ad hunc nodum, nemo forsan expeditiùs extricabit. Scilicet Biblica phrasi, *non amplius, non vltrà*, & his similia, aliquandò sine vllo adspectu ad præteritum tempus negant aliquid esse futurū; exinde necessarium non est, vt quod futurū negatur, aliquandò extiterit. Sic de Sellum filio Iosiæ, qui non antea captus fuerat, & in patriam reuersus, dicitur Ieremiæ 22. vers. 11. *Non reuertetur huc amplius.* Idem confirmat vir eruditissimus ex Actor. 13. vers. 34. Ita in hoc loco, tametsi Sara nullum eousque habuisset filium, sed improles & virgo tunc esset; rectè de ea dici potuit: *Amplius ex te non videamus filium.*

11. *Tobiæ 6. v. 22. Sanctius. Vocula amplius non affirmat præteritum, dum negat futurum. Ieremiæ. Actorum.*

§. CIV

§. CIV.

Commentarius Litteralis.

Verſ. 10. Numquid occidere me vis, ſicut occidiſti ſeptem viros? Ad hanc vocem perrexit in ſuperius cubiculum domus ſuæ, & tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit, neque bibit.

1\. NVmquid occidere me vis? &c.] Inuerecunda Saræ ancilla præ iracundia inſaniens, non modò dominæ ſuæ imprecatur ſterilitatis probrum, tunc grauiſſimum; ſed ei exprobat, quod non ſolùm ſeptem viros immeritos occiderit, ſed ipſam quoque perimere intentarit. Quid petulantiùs? Aliam addit contumeliam Hebræus textus. Nempe dominam ſuam non appellaſſe *Saram*, id eſt, principẽ, ſed *Tſaram*, hoc eſt, miſerã. Nec mireris ſãctiſſimæ, & in cœleſti ſapientia eruditiſſimæ Saræ, improbiſſimas famulas contigiſſe, quia, vt monet Sapiens: *Filius eruditus, ſapiens erit, impudente autem miniſtro vtetur.* Et Herodotus apud Fauianum Iuſtinianum hîc introducit quendam talibus loquentem ad Regem: *Præterea, ô Rex, & iſtud conſiderabis, quod bonis hominibus mali ſerui obtingere ſolent; malis vero boni.* Ad hæc procax ancilla aliud malum dominæ imprecatur, mortem inquam. Sic enim habent Græci codices: *Non intelligis, ſuffocans tu viros? Ecce ſeptem habuiſti, & vnius eorum non es nominata, quid nos flagellas? ſi mortui ſunt, vade cum eis.*

Bonis hominibus mali ſerui contingunt; malis verò boni.

Prouerb. 10. v. 4.

Herodotus.

Græc. codices

2\. *Ad hanc vocem perrexit in ſuperius cubiculum domus.*] Tantam opprobriorum congeriem ſic grauiter, & acerbè tulit, vt Sãcta mulier mœrore confecta de ſuſpendio cogitarit. Sic enim habet Græcus codex: *Hæc audiens triſtata eſt valde, vt ſuffocaretur.* Cui conſonat noua Vatabli tranſlatio: *His auditis vehementer contriſtata eſt, vt præfocare ſe cogitaret.* Leuiùs reputans quodcumque mortis genus, quàm talia pati. Sed irrita inſtigatione Sara pulſatur: reſtitit enim, hæc animo verſans, vt tradunt L x x interpretes: *Vna quidem ſum patri meo, ſi fecero hoc, opprobrium erit ei, & ſenectutem eius deducam cum dolore ad infernum.* Id eſt, tanta triſtitia ſenem patrem funeſtus hic caſus, quem animo verſo, afficiet, vt illi mortem accerſat. An verò Hebræa vox שאול *ſeol*, Græcè ᾅδης, Latinè *infernus*, in Bibliis ſumatur pro ſepulchro, an pro ſubterraneis regionibus infrà nos poſitis, vbi defunctorum animæ conquieſcebant, copioſè tractat P. Martinus del Rio, Adag. 197. & P. Pererius in Geneſ. cap. 37. & P. Pineda in Iob cap. 7. num. 2 Noſtro inſtituto ſatis eſt pro morte accipi.

Saram triſtitia ad ſuſpendium inſtigabat.

Græcus.

Vatablus.

Lxx.

Rio.

Pererius.

Pineda.

3\. *In ſuperius cubiculum domus ſuæ.*] Quia ſuperius cubiculum, (vel *cœnaculum*, vt exſcribit Vatablus) vtpotè à domus ſtrepitu, & turba remotum, magis ad fundendas Deo preces videbatur idoneum. Sic Dauid audiens Abſalomi cædem, aſcendit in cœnaculum portæ, & fleuit 2. Reg. 18. v. 33. ſic Elias tulit filium hoſpitis mortuum in ſuperiorem domus partem, vbi eius precibus mortuus ad vitã rediit 3. Reg. 17. v. 19. ſic Daniel cœnaculum elegit ad orãdum tribus temporibus, cap. 6. v. 10. ſic Iudith in ſuperioribus domus ſuæ ſecretum ſibi cubiculum ad orandum extruxit. cap. 8. v. 9. ſic Apoſtoli in cœnaculo orarunt, cùm ſuper eos Spiritus-ſanctus deſcendit, Actor. 1. v. 13. ſic Petrus ad ſuperiora domus aſcẽdit, vt oraret, Actor. 10. v. 9. Ita aſcendit Sara in cœnaculũ, vt oraret, memor verborum Salomonis, 3. Reg. 8. v. 48. quibus à Deo petierat, vt orationem eorum, qui ab Ieroſolymis exularent, audiret, ſi verſus templum Ieroſolymitanum ſe conuerterẽt dum orarent. Et quod Daniel feciſſe legimus, cap. 6. v. 10. priùs præſtitit Sara, quæ in ſuperius cubiculũ aſcendit, & ibi orauit, *apertis feneſtris*, vt habent Lxx. & Syrus; *Orauit ad feneſtrã* Hac ſuper re conſule Sanctium in 2. lib. Eſdræ c. 1. v. 4.

Vatablus.

Locus ſublimis orationi idoneus.

2\. Regum.

3\. Regum.

Daniel.

Iudith.

Actor.

3\. Regum

Ad feneſtrã orat Sara.

Lxx.

Syrus.

Sanctius

4\. *Et tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit, neque bibit.*] Non adducar vt credam, quod aliqui ſuſpicari videntur, adeò fuiſſe Saram ſæua triſtitudine abſorptã, vt cũ ob patris charitatem, inidoneum putaret, ſe laqueo præfocare, inedia maluerit, mortem accerſere. Porrò tridui propoſito in hac ſcelerata mente perſiſtere, tam piam dedecet fœminam: & ſupparem mœrorem id patri afferret, cùm vnicam amitteret filiam, in qua ſita erat ſolatij, & poſteritatis ſpes. Dein hæc cogitatio textui non congruit; nam vbi primùm aſcendit in ſuperius cubiculum, *in oratione perſiſtens cum lacrymis deprecabatur Deum*, &c. Cæterùm ad Scripturæ veritatem, non eſt neceſſario aſſerendum, in tribus omninò diebus nil prorsùs manducaſſe, aut bibiſſe; nam qui parùm comedit, aut bibit, nihil bibiſſe, aut comediſſe dicitur. Sicut qui malè veſtitus, nudus; & qui parùm eſt doctus, illitteratus appellatur, vt mihi aduertit Sanctius num. 27. Quod apprimè euincit & Matthæi 11. & ex Actorum 17. vbi Ioannes dicitur veniſſe, neque manducans, neque bibens, & tamen locuſtis, & ſilueſtri melle paſcebatur: & qui ſimul cum Paulo nauigabant, ieiunos perſtitiſſe quatuordecim dies traduntur. Veroſimilius tamen eſt, etſi ad id aſſerendum cogant Scripturæ verba, Saram acerbitate mœroris eò adactam, vt tribus illis diebus nil omninò guſtarit, vt orationem ieiunio aleret. Et quidem triduo tolerari famem, inſolens non eſt. Qua ſuper re conſule hîc Iuſtinianum, & Martinum del Rio, diſquiſ. Magic. lib. 2. quæſt. 21. & non pauca ita diximus in Exodi cap. 7. v. 25. ad illud: *Impletique ſunt dies ſeptem poſtquam percuſſit Dominus fluuium*, lege ibi Bonfrerium.

Tridui inediam Sara ſuſtinet.

Sanctius.

Matthæi.

Actor.

Iuſtinian.

Rio

Bonfrer.

Verſ. 11. Sed in oratione perſiſtens, cum lacrymis deprecabatur Deum, vt ab improperio liberaret eam.

Cùm prorsùs ignoraretur, ecquis foret ſeptem virorum clancularius interemptor, veroſimile eſt populari ſermone circumferri, à Sara occiſos fuiſſe, quod vberem detrahendi materiam ſuggerebat; & quod nuper ei exprobrarat ancilla. Ergò pia fœmina calamitatis calcare extimulata, piè ambitioſo luctus ſqualore Deum obnixè deprecatur, vt hoc improperium cum ſterilitate coniunctum, procul auertat. Orat cum lacrymis, ad rem expetitam feliciùs extorquendam, nam vt monet Nilus: *Vtere lacrymis ad rectè orandum, antequam quicquam petas: oratione enim lacrymantis magnoperè Deus delectatur.* Triduo in oratione perſiſtit: nam qui ad cupita peruenire volunt, reflectere mentem à ſtudio orationis non debent; 5.

Nilus & Orat. cap 5.

Oratio perſeuerans, & cum lacrymis cõmendatur.

Hieron in Lament.le-men.c.3. *sed magis perseuerare in intentione cœpta illos*, ait Hieronymus. Orat ieiuna: quia hoc genus Dœmoniorum non exit, nisi in oratione, & ieiunio. Quàm magnum fuerit sterilitatis probrum apud Hebræas fœminas, & quare, vbertim hic tractat Iustinianus numer. 2. eruditio quidem facile patabilis; nec, opinor, huic loco esse valdè necessariam: cùm primario Sara expetat auertere terras & cruentas de viris à se interfectis suspiciones, ingenuæ, & piæ puellæ valdè indecoras, probrosas, propudiosas: non enim tam sterilitatis malum, quàm coniugicidij diffamia Saram ad tantam compulit tristitudinem.

Vers. 12. Factum est autem die tertia, dum compleret orationem, benedicens Dominum, dixit:

6. Sanct. Iustinianus. Arabs. Sara toto triduo orationi vacauit cum lacrymis; quod autem modo subiungit, videtur in supplicatione postremum, vt Sanctius, & Iustinianus adnotarunt. Fauet Arabica translatio: *Factum est in ipsa die tertia.* Ita hæc precatio fuit triduani ieiunij, & orationis clausula. *Benedicens Dominum.* Aliter nos Deo benedicimus, & aliter Deus benedicit nobis. Nam Dei benedicere, est bona facere, aut saltem facienda polliceri: quare quodnis Dei donum nobis collatum, est Dei benedictio Homo autem Deo benedicit, cùm eum laudat, & gloriam ab hominibus optat. Psalm. 15. vers. 7. & Psalm. 33. vers. 2. & Danielis 2. vers. 19. De quo latè egimus in procemio voluminis de *Benedictionibus Patriarcharum*, quod nuper edidimus.

Aliter Deus homini, & aliter Deo homo benedicit.

Psalm. Daniel.

Vers. 13. Benedictum est nomen tuum Deus patrum nostrorum qui cum iratus fueris, misericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui inuocant te.

7. Sanctius. In hac Saræ oratione peritè agnoscit Sanctius oratorum ad flectendos audientium animos peritiam, & argutum Rhetorum artificium. Quod mirum non est scienti, quòd Deo, & calamitate velut magistris Sara ad eloquentiam vtitur: *Benedictum est nomen tuum Deus.* Decem Dei nomina, quibus apud Hebræos designatur, tradit Hieronymus tom. 3. Epist. 136. Sed certum est hîc non agi de vllo ex Dei nominibus: neque enim in hoc loco Sara Deum laudat ex præluftri, & augusto aliquo nomine, quo à creaturis nuncupatur. Fabianus Iustinianus ad hunc vers. num. 5. censet Dei nomen pro ipsius gloria hic vsurpari. Sic dicere solemus: Caïus fuit vir magni nominis, idest, gloriosus, & inclytus. Sic dicitur Eccli. 7. vers. 2. & Prouerb 22 vers. 1. *Melius est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ.* Et Cantic. 1. vers. 2. *Oleum effusum nomen tuum.* Non abnuimus nomen aliquando sumi pro gloria: sed id pensandum est ex epitheto, aut subiecta materia, quod in vocibus ambiguis, aut æquiuocis accidere solitat. Sed nescio an satis idoneè hic nomen pro illustri fama vsurpetur. præstat dicere cum Carthusiano, & Sanctio, nomen Dei pro Deo sumi, quod est valde frequens in Scriptura, quare idem est: *Benedictum est nomen tuum Deus*, ac Benedictus es tu Deus.

S.Hieron.

Iustinianus.

Eccli Prouerb. Cantic. *Dei nomen pro Deo vsurpatur.*

Carthusianus Sanctius.

8. Serarius. Salian. anno m. 3315. n. 6. Menoch. Benè aduertunt Serarius, Salianus, & Menochius, quòd non planè eadem est Saræ oratio in textu Latino, Græco, & Hebræo, sed nonnulla est non verborum duntaxat sed etiam sententiarum diuersitas. Cùm enim longiuscula foret, alias ex ea particulas excerpsit Chaldæus, Latinus Græcus, & Hebræus S. Hieron. ita ex Chaldæo transtulit:

Deus Patrum nostrorum.] Vocat hîc Sara Deū, Deum patrum suorum, quo singularem Dei erga ipsos beneuolentiam, & beneficentiam ostendat; & illorum erga Deum eximiam pietatem, obediētiam, & religionem; & sic eius misericordiam extorqueat grata vocabuli cognatione. *Qui cum iratus fueris.* Ita, furor, tristitia pœnitudo, & his similia Deo adscribuntur in Bibliis, non quatenus naturæ vitium aliquod præ se ferunt; sed quatenus vim, & actionem designant, tribuuntur ergò Deo, non secundum affectum, sed secundum effectum. Itaque cùm iratus fueris Deus, *Misericordiam facies.* Nempè inflictas temporales pœnas mitigando, & verè pœnitentibus ignoscēdo pœnam cum delicto indulgenter remittens. Quod accidit semel Niniuitis sub Iona, & vbivis non semel Iudæis. Addit Iustinianus, quòd Deus etiam in ira misericordiam facit, qua scelera nostra citra condignum punit. Verè quidem, sed nescio an satis ad rem de qua agebat Sara; quæ etiā citra condignum castigata, vix acerbitatem supplicij sustinere poterat. Ergo postulat vt pœna mitigetur, aut remittatur: sin minus, vt è viuis à Deo tollatur. 9.

Quomodo ira Deo adscribatur.

Iustinianus.

Et in tribulatione peccata dimittis, &c.] Et quo pacto in tribulatione peccatum remittitur? Quia pœna (ait Lyra) est quædam peccati medicina. Ita sanè. Sed suspicari licet in hoc loco peccatum pro peccati pœna accipi, scilicet pro calamitatibus à Deo inflictis in peccati punitionem, quod & frequens est in Scriptura. Zach. vlt. v. 9. Mala. h. 1. vers. 16. Thren. 4. vers. 12. & persæpè aliàs: & Saræ proposito maximè congruebat; quæ exilio, infœcunditate, & opprobriis oppido afflictata, ait, quòd Deus etiam dum irascens calamitates immittit, non est agnatæ misericordiæ immemor: sed hominibus dura tribulatione in suorum scelerum pœnam afflictis, & verè pœnitentibus solet peccati pœnam indulgenter remittere, perpessa eòvsque tribulatione contentus. Hanc diuinæ naturæ bonitatem nunc buccinat Sara. Quod præstas (pia puella inquit) *His qui inuocant te.* Nam tametsi multa Deus ex propria liberalitate concedat, humanam orationem beneficiè anteuertens; plerumque tamen quicquid nostra interest, solet media oratione præstare. Quod docuit S. Chrysostomus de orand. Deum lib. 1. *Nequaquam*, inquit, *aberrabit à vero siquis affirmet deprecationem esse causam omnis virtutis, & iustitiæ; neque quicquam eorum, quæ conferunt ad pietatem, venire posse in animum cui non adsit deprecatio, & obsecratio.* 10.

Lyranus. *Quid sit tribulationem peccata dimittere.* Zach. Malachias. Threnor.

Oratio est causa omnis virtutis.

S.Chrysost.

§. CV.

Commentarius Litteralis.

Vers. 14. Ad te Domine faciem meam conuerto, ad te oculos meos dirigo.

Vers. 15. Peto Domine, vt de vinculo improperij huius absoluas me, aut certè desuper terram eripias me.

SAra tanta, tamque acerba calamitate penè prostrata, in Deum suum, tanquam in sui doloris 11.

loris, & diffamiæ vnicum leuamen, oculos, & animum conuertit; obnixéque obsecat, vt aut medicinam faciat suæ existimationi, ægræ & laceræ, saltatis vituperonum (& ancillæ præsertim) dicteriis: aut saltem, si id ab irato Deo extorquere non valeat, eam è medio tollat, quo tanti opprobrii calamitatem vel immaturâ redimat morte. Quod futurus socer Tobias experitur in hoc cap. vers. 7. hoc ante precatur Sara, nòn absimili procella iactata. Qua super re legi potest Sãctius in Iob. 3. vers. 10 & Ieremiæ 20. vers. 17 & 3. Reg. 19. vers. 4 Faciem conuertere, aut oculos leuare ad aliquem, & fiducialiter & amanter ab illo auxilium in calamitate sperare. Sic etiam Hispanè dicere ærumnosus solet: *No tengo à quien voluer los ojos, sino a sulo.*

Sanctius. *Quid sit faciem conuertere ad aliquem.*

De vinculo improperij huius.] Improperium sterilitatis putat Iustinianus. Sed Sara non angitur nunc ob sterilitatis probrum, sed ob improperium ab ancilla procacissimè iactatum, quasi ipsa septẽ omninò viros funestè peremerit; quod non ipsa, sed ipse Diabolus perpetraret. Fateor huic infesto casui, & famæ tanti flagitij, annexũ esse sterilitatis improperium. Quis enim cum tanto vitæ periculo nuptias contraheret cum fœmina, quæ aut nouos maritos occidit, aut ab alio eius causâ occiduntur?

Iustinian.

Vers. 16. Tu scis Domine quia nunquam concupiui virum, & mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia.

Vers. 17. Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum his, qui in leuitate ambulant, participem me præbuit.

2. Moris est Sanctorum suã merita Deo proponere, vt diuinam alliciant misericordiam, quod in Scriptura sacra frequens est. Sacra autem opportunissimè eam priùs à se malitiam remouet, quã Deus in septem eius viris sic acerbè puniuit. Neque Sara Deum suæ continentiæ adhibuisset testem, si eius conscientiam intemperantiæ scrupulus fodicaret. Nunquam, ait, concupiisse virum, scilicet concupiscentia immoderata, & quæ continentiæ honestos terminos excederet. Addit animam suam seruasse mundam *ab omni concupiscẽtia*, carnis inquam, & quæ sensum libidinis voluptate titillat. Non probo sententiam Iustiniani, qui τὸ *concupiscentiam* hîc extendit ad mensales delicias. Quasi dicat: non modò tactum à libidine amoui; sed & gustum etiam ab exquisita ciborum voluptate. Profectò hîc tantùm agit de temperantiâ concupiscentiæ in re libidinis, quo se exortem ostendit à septem virorum libidine, ob quã occisi sunt; & quorũ ipsa adhuc probrosâ infamiâ pœnas luit. Quare Lxx. interpretes sic legunt: *Tu scis Domine, quia munda sum ab omni peccato viri, neque pollui nomen meum, neque nomen patris mei in terra captiuitatis meæ.* Nempè ersi captiuæ mulieres virorum ludibrio expositæ sunt: & ego eâ sim ætate, & formâ quæ adamari possit; solerti tamen continentiæ curâ mũdam me perpetuò seruaui.

Iustinianus *Lxx.*

3. *Nunquam cum ludentibus miscui me.*] Ludere in Scripturis ambiguæ significationis est, & plura, ipsaque diuersissima significat, quod eruditè tradit Tirinus in Idiotismis n. 11. sed hîc apertè pro ludo inhonesto capitur: non speciatim pro choreis, sed vniuersatim pro omni ludo inhonesto, quo solent iuuenes ætatis licentiâ liberiùs lasciuire. Ait ergò Sacra, quòd non modo ab adolescentium turba virginale suum corpus iniuriam non accepit, neque animus labẽ ab immoderata sensuum libertate; sed quòd à choreis, locis, & eiusmodi ludis abstinuerit: nam hæc iuuenilis licentia solet esse proditrix continentiæ, & lena libidinis, ita Carthusianus, Mauden, Sanctius, Iustinianus, Tirinus, & Menochius. In hac acceptione capitur Ieremiç 15 vers. 17. *Non sedi in concilio ludentium.* Ad quæ verba ita scribit Hieronymus: *Dominus præstet nobis non sedere in concilio ludentium, & eorum qui futura non cogitant.* Futura non cogitat, qui ludis impudicis liberiùs indulget; Non reprehendit hoc loco Sara honestos ludos, & moderatam animi recreationem laxando animo à grauioribus curis opportunam. De quo vbertim Sanctius nu. 54. & 55. *In leuitate ambulare*, aliquid minus graue, leuiculum, & inhonestum sonat: sic fœminam impudicam honestiori vocabulo Hispanè appellant, *Liuiana*, & libidinis mores, *Liuiandad.*

Tirinus *Licentia in ludo inhonesto, est libidinis lena* *Carthusian. Mauden. Sanctius Iustinian. Tirinus Menoch. Ieremiæ.* *Hieronym. Qui luxuria indulget, futura non cogitat.* *Ibidem, leuitas appellatur.* *Sanct.*

Vers. 18. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere.

Vers. 19. Et aut ego indigna fui illis, aut illi forsan me non fuerunt digni, quia forsan viro alij conseruasti me.

Vers. 20. Non est enim in hominis potestate consilium tuum.

Virum autem, &c.] Suam continentiam Sara apud Deum eximiè commendauerat; sed incontinentiæ forsan subire poterat suspicionem, quòd adeò impotenter virum desiderasset, vt horribili tot maritorum casu minimè territa, alios, atque alios non exhorruerit, sed auidè expetierit. Sinistram hîc Sara suspicionem submouet, dum honestam sibi nubendi causam exponit, aiens. *Virũ autem cum timore tuo suscipere consensi.* Τὸ *consensi* denotat, non tam ipsam vltro expetiisse nuptias, quas infaustas experta erat; quam parentibus, qui penè ad id eam adigebant, obtemperasse: erat enim Israëlitarum genti suprà reliquas, propagatio sobolis felicissima, vt in illis benedictio Abrahæ à Deo dicta adimpleretur: *Benedicã tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli.* Contrà verò infaustum & maledictum putabant improlem decedere. Illud autem. *Cum timore tuo*, non significat, timuisse Dei offensam, si abstinuisset ab infaustis etiam nuptiis, vt perperàm ibi censet Iustinianus. Quæ enim esset Dei offensa, repudiare nuptias præsertim tot maritorum cædibus infeliciter cruentatas? Ergo *cum timore tuo*, nihil aliud significat, quàm sic nuptiis contrahendis *consensi*, quò illis ita vterer, vt nil admitterem, quod Deo non placeret, aut quod animum macularet, polluto corpore. Quod non præstitere Saræ mariti, qui libidinis œstro agitati, in illam ardentiùs æstuabant. Lyra sic locum exponit: *Cum timore tuo idest, amore prolis ad cultum educandæ.* Non placet.

4. *Cur Sara infaustas tot nuptias non exhorruit.* *Genes. 22. 17.* *Iustinian.* *Lyra ibi.*

Aut ego indigna fui illis, &c.] Abstrusam causam tot maritorum stragis, vrbanissimè Sara coniectat, eam reiiciens aut in suam indignitatẽ; (sic Sancti de se sentiunt, sic loquuntur!) aut quia viri Gentiles, salaces, & nequam, fœminam Israëlitidem 5.

Israëlitidem ducere forsan non merebantur: aut quia aliæ ipsi parabantur nuptiæ, quibus illam diuina prouidentia illibatā conseruabat. Porrò sic sunt arcana Dei consilia, vt quantũuis homo mẽtis aciem exacuat, ea non eualeat cogitando assequi. Nec errabat prudens fœmina à Deo afflata: iam enim Angelus Raphaël destinabatur è cœlo pronubus, qui digno coniugi illam feliciter desponsaret. Hebræa vox סוד, quæ ponitur pro *consilio*, secretum seu arcanum etiam significat, eò quòd in consiliis arcana tractentur, & consilia non nisi secretò capi soleant, & debeant.

Vers. 21. Hoc enim pro certo habet omnis, qui te colit quod vita eius si in probatione fuerit, coronabitur; si autem in tribulatione fuerit, liberabitur; & si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit.

6. *Pro certo habet*, &c. id est, auita maiorum traditione, Scripturarum oraculis, & attentiori experientia compertum est, nec relinquitur ambigendi locus, quod qui te verum Deum agnoscit, & ex animo colit, si exerceatur tribulationibus & angustiis ad probationem; felicem habebit exitũ, (Iacob. 1. v. 12) iuxta illud Iacobi: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* (*Sæuior calamitas citiùs desæuit.*) Et quò grauior fuerit vexatio, siue calamitas, tantò citiùs melior illi fortuna affluet. Sicut eò citiùs res absoluitur, quò plures admouentur manus, & feruet opus vehementiùs, ita hoc habet commodi ærumnosior vexatio, vt quò acerbior, eò sit breuior, ita Sanctius, & Mauden in hoc loco, etsi (Sanctius. Mauden. Iustinian.) contrà sentiat Iustinianus. Quod si Deus non tãtùm exerceat hominem, vt blandus pater, sed etiã vt seuerus iudex, & humanorum scelerum vindex, duriùs corripiat peccatorem, eũdem Deus ex proprio ingenio ad miserendum prono, de præteritis dolentem flagitiis, ad suam gratiam & beneuolẽtiam libenter admittit; neque vllum qui correptionem vera pœnitentia recipit, vnquam respuit. Itaque *Probatio*, *Tribulatio*, *& Correptio*, ærumnas seu labores, & calamitates adspectu ad diuersa significant. *Probatio* est aduersitas in ordine ad examinationem, qua Deus homines pertentat, & probat: *Tribulatio*, prout acerbè patientiam calamitatibus exercet: *Correptio* quatenus Deus per incommoda & aduersa hominem erudit, vt meliora sapiat, & peccandi licentiam cohibeat, & frænet.

Vers. 22. Non enim delectaris in perditionibus nostris; quia post tempestatem tranquillum facis, & post lacrymationem & fletum, exultationem infundis.

Vers. 23. Sit nomen tuum Deus Israël benedictum in sæcula.

7. *Non enim*, &c.] Reddit hîc rationem Sara eorum quæ præcedente versiculo dixerat, quòd idcircò Deus nos probet, tribulet, & corripiat, vt scilicet coronet, liberet, & tandem nobis indulgeat. (*Tribulationis exitus.*) Nempe quia Deus est hominum parens & cõditor, in eorum perditione minimè delectatur: neque enim ferit quasi hostis, vt occidat; sed tanquam pius pater, vt corrigat; & velut medicus, vt sanet. Ita Dauid, Mauden & Sanctius, qui ad id (Mauden. Sanctius.) comprobandum plura adducit Scripturæ loca, n. 41. Sæuos excitat vortices, sed turbatum mare ante naufragium tranquillat. Denique animum tristitudine penè obrutum, insperata Deus perfũdit lætitia, velut prospero errore, & cœca felicitate, & quasi è peruerso auxilians, dum de mœsta tribulatione afflat hilaritatem. τὸ Perditio, Hebraïcè אבדון *abadon*, idem est, ac interitus, mors, consumptio, barathrum, præcipitium. Planè *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.* (Sapientiæ 1. v. 13.) τὸ *Exultatio*, est lætitia, quæ non duntaxat interiora perfundit, sed in exteriora quoque profluit exuberanti gaudio.

Sit nomen tuum,] Deus, &c. Scilicet diuinam beneuolentiam, quam in orationis optauit exordio, eandem exoptat in fine. Inchoaui, ô Deus, à diuina laude, in eadem orationem finio. (Iustinianus.) *Nomen Dei* pro Deo sumi, probauimus contra Iustinianum suprà §. 160. n. 7. Quasi dicat: *Sis ô Deus benedictus.*

Vers. 24. In illo tempore exauditæ sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei.

In illo tempore] Id est, eæ fuerunt Tobiæ & Saræ preces, tantumque ad Deum pondus habuerunt, vt quod eodem tempore orarunt, simul impetrarint. (Iustinian.) 8. Non probauerim Iustiniani commẽtationem, qui putat, *In illo tempore*, idem esse, ac postquã cessauit Sara ab oratione sua. Deus enim non exaudit preces dum à precando cessant, sed dum preces fundunt. *In conspectu gloriæ* summi Dei. (*Quid sit, in conspectu gloriæ summi Dei.*) Sed quid est Tobiæ, & Saræ preces exauditas fuisse in conspectu gloriæ summi Dei? Quidam interpretantur, Ante omnium cœlestiũ spirituum conspectum; vel quia eorum gloria est Deus, vel quia ipsi gloriã Dei deprædicant. Huic expositioni fauet exscriptio Lxx. interpretum, quàm paulò post exscribam. Alij censent. *In conspectu gloriæ summi Dei*, idem esse ac ad maiorem summi Dei gloriam, quæ quidem illustrissimè apparuit ex liberatione Tobiæ à cæcitate, & Saræ ab Asmodæi infestatione. Sed præstat dicere, *In conspectu gloriæ summi Dei*, idem esse, ac ante conspectũ Dei summè gloriosi. Sic Actor. 7. v. 2. (Actor. Arabs. Lxx.) dicitur *Deus gloriæ*, id est, gloriosus, Arabica translatio Vulgatę consentit: dissentiunt Lxx. qui sic locum vertunt: *Exaudita est oratio amborum in conspectu gloriæ magni Raphaelis*, id est, coram Deo, qui gloria est Raphaëlis, id est, Angelorum, (*Raphaël est etiam Dei nomen.*) quos Deus gloriosos facit. Et accipitur singularis pro plurali, vnus inquam, Angelus pro vniuersis Angelorum ordinibus, litteralior tamen & simplicior sensus est, quòd *Raphael* sit nomẽ Dei: significat enim Raphaël Deũ medicum, aut Dei medicinam, aut Deum in quo est medicina. Ergò sicut Deus, Saluator noster, aut nostra salus in Bibliis persæpè nũcupatur, sic etiam sub eadem metaphora, medicus, aut medicina potest appellari, ita Iustinianus, & Sanctius. (Iustinian. Sanct.)

Vers. 25. Et missus est Angelus Domini sanctus Raphaël, vt curaret eos ambos, quorum vno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ.

De Angelo Raphaële copiosè disputabimus infrà 9.

frà ad cap. 12. v. 15. vbi se esse Angelum manifestat. Hic tamen notandum est, cœlestes spiritus vniuersatim vocari ἀγγέλους idest, nuncios, quia Dei mādata deferunt: generale autem Angeli, seu nuncij nomē determinari speciatim singulari vocabulo ex peculiari quod obeunt munere, aut ex aliqua illustri prærogatiua. Sic Michaël à præliastri illa, & obsequentissima voce: *Quis sicut Deus*, Michaël nuncupatur. Sic Gabriel, qui de Deo homine apud Danielem agit cap. 9. v. 21. & apud Lucam cap. 1. v. 26. cum Virgine Deipara. *Deus vir*, aut *Deus homo* nominatur, quod sonat Gabrielis nomen. Sic & Raphaël, qui Tobiæ cœco, & calamitosæ Saræ medicinam attulit, nomen habet à medicina. *Recitate*, & quidem ab ipso Raphaële: nam vt ipse habet infrà cap. 12. v. 12. *Quando orabas cum lacrymis ego obtuli orationem tuam*, vbi Græcus exscribit: *Ego obtuli memoriam orationis vestra coram Sancto*. Scilicet orationes, quas vterque tutelaris Angelus Raphaëli detulit; ipse, quia vnus erat è septem spiritibus, qui ante Dei thronum sunt, in conspectu Dei palam recitauit.

Angelorum nomina ab officio. — Daniel. Lucas. — Græcus.

10. Addit Græcus, quòd finita oratione, *reuersus Tobias, introiuit in domum suam*. Hinc putat Sanctius, Tobiam *reuersum* in Niniuen è loco, in quem declinandæ persecutionis causa aufugerat. Iustinianus verò censet, *reuersum* è loco extra domum, in qua orauerat. Sed fortè dum dicitur, *reuersus Tobias, introiuit in domum suam*, non inuenitur extra domum orasse; sed in aliqua domus suæ remotiori parte, è qua post orationem reuersus, intrauit in eam partem domus suæ, quæ frequens habitabatur. Sic Iudith, quæ in secretiori domus suæ extruxerat oratorium, cum ab illo descendit, vt iret ad Assyriorum castra, dicitur: *Vocauit Abrā suam, descendens in domum suam*, domum suam appellans, eam domus suæ partem, quam frequens familia inhabitabat. Recognosce, quæ ibi adnotabamus, & suprà ad cap. 2. Tobiæ v. 10.

Græcus. Sanct. Iustinian. Iudith. 9. v. 1.

§. CVI.

Humana oratio, eius à quo aliquid rogat, dignitatem, valde laudat, exaltat, & exaggerat, & supplicatione coronat

1. MAgnus Felix Ennodius ita scribit suo Auieno, Senatoria dignitate, & summis Romanæ Reipublicæ honoribus sublimissimo: Miror fauis magnitudinis tuæ iniucunda copulari, & serenitatem conscientiæ verborum austeritate maculatam, dū scribis imperare me potius paginas, quàm diligentia exactrice promereri: *putans vllum genus dominandi esse sublimius, quàm illud, quod amori nos subiicit. Nulla sunt, domne Auiene, culmina à iugo charitatis immunia: quicquid in orbe libertatis est*, (id est, angustioris potentiæ) *tali non subtrahitur seruituti. Ecce ego loco humilis, ignotus honoribus, vestris fascibus sic iubrbo, pari contentus ordine subiacere. Nunc vale, & quantùm tribui tibi senseris, tantum mihi, sicut fidelis restitutor affectionis impende.* Multa his verbis magnus hic Doctor accurata obseruatione dignissima, sparsim interserit: illud maximè ad rem, quòd excelsiora culmina dignitatis, à iugo exhibendæ charitatis, & munificentię impendendæ, immunia non sunt: nam quisquis in orbe potentiæ sublimitate eminet, & purpuræ nitore micantiùs splendet, exhibendæ rogantibus beneficentiæ *non subtrahitur seruituti*. Hęc miseris supplicibus seruitus, ingenuè nobilis potētia est: quę eò est liberior & augustior, quò magis est rogatoribus vectigalis. Sed enim agri tributo onusti, viliores: hominū capita stipendio censa, ignobiliora sunt: nam hæc seruitutis notacula reputantur: *Dy verò qui magis tributary, magis sancti; imò qui magis sancti, magis tributary*, vel de diis Gentium profūdè Tertullianus dixit. Porrò nulla sunt culmina à iugo beneficentiæ immunia: quicquid in orbe augustæ nobilitatis & potentiæ est, *tali non subtrahitur seruituti*. quin rogantibus tributarius existat. Sed vnde credi poterat vilior, & effici pauperior; inde præcelsior, & opulentior existit: illud enim assueto more clamat examinis, nobiliorem, & *ditiorem esse quodammodò à quo aliquid poscitur*.

Ennod. lib. 5. epist. 30. — *Dignitatum culmen supplicibus miseris vectigale est.* — *Tertull. Apolog. c. 13. Ditior est, à quo aliquid poscitur.* — *Ennod. controu. 8.*

2. Exhodi 11. Pharao adhuc pertinaciter flectinescius, & tot plagarum calamitatibus obstinatè surdus, Hebræumq; populum dimittere renuit. Et dixit Dominus ad Moysen: Adhuc vna plaga tangam Pharaonem & Ægyptum, & post hæc dimittet vos, & exire compellet. Media nocte egrediar in Ægyptum, & morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, a primogenito Pharaonis, qui sedet in solio eius, vsque ad primogenitum ancillæ, quæ sedet ad molam. *Descendentque omnes serui tui isti ad me, & adorabunt me, dicentes: Egredere tu, & omnis populus qui subiectus est tibi*, &c. Quid est, quòd Ægypti Proceres, & aulæ Summates (ambiguum est an etiam Pharao) Moysen adoraturi perhibentur? Quando Ægypti Primores Moysen *adorauerunt*? Quæ est hæc adoratio, qua sic Moyses sublimatur? Præfata verba, *Et adorabunt me*, Chaldæus Paraphrastes ita exscribit, & exponit: *Et rogabunt me*, quasi idem sit *rogare* aliquem, & illum *adorare*. Ne parum putes te rogari ab aliquo, nam quisquis te rogat, *adorare* dicitur. Hinc tam est quibusdam arduum alios rogare. Nunquam sic Moyses in Ægypto splenduit, ac quando regni Principes habuit *rogatores, adoratores* inquam, *Et adorabunt me*, ait Moyses, idest. *Et rogabunt me*. Cassiodorus Senatoria dignitate, & opulento Maiorum suorum censu pręlustris, & regia Theodorici familiaritate inclytus, in Præfatione variar. serò à scriptione se excusat, assiduas regiæ familiaritatis occupationes causatus. Nonus annus, inquit, ad scribendum relaxatur auctoribus; mihi nec horarum momenta præstantur, mox vt cœpero, clamoribus imminetur: & festinatione nimia ingeritur, ne cautiùs cœpta peragantur. *Alter nos frequentia inuidiosa interpellationis exaggerat: alter miseriarum mole castigat: alter furiosa contentionum seditione circundat.* Scilicet regius familiaris (quem Priuatum appellant) in quem totius regni negotia incumbunt, miserorum mole circundatus, crebris petitorum supplicationibus penè opprimitur, & constantior eius patientia tot postulatis fatigatur; & tamen Cassiodorus Priuatorum disertissimus, etiam dum queritur de molestissima rogantium frequentia, se suamque sublimissimā dignitatem ea *exaggerari*, sententiosè dicit: *Alter nos frequentia interpellationis exaggerat, alter miseriarum mole castigat.* Quasi dicat: Nihil tam miserum videtur, quàm frequentes miserorum voces audire, ad calamitatis remedium;

Rogare & adorare, synonima sunt. — *Exhod. 11. v. 8.* — *Paraphrast. Chaldai.* — *Qui rogat, dignitatem eius quem rogat valde exaggerat.* — *Cassiod. in Præfat. var.*

dium; at supplex tot rogatorum miseria, etsi patientiam nostram tot miseriarum mole castigat: at nos, nostramque etiam sublimissima in dignitatem mirè extollit incrementat, *exaggerat*, sic enim rogatorum frequentia leuamentum à miseriis deposcentium, nos commendat, vt supplicationes audiendi molestiam, honoris sublimitate compē-set, adeò vt quantum audientia frequens ingrata occupatione fatigat, tantùm dignitatem nostram *exaggerat*, dum quod detrahit quieti, de honore *exaggeratiùs* compenset, synonyma enim sunt, *Rogabunt me. & Adorabunt me*: nam qui rogat rogatione adorat, & qui petit, eum à quo petit, honorificentius *exaggerat*.

3. Matthæi 18. hanc parabolam Christus proponit: Assimilatum est regnum cœlorum homini *Regi*, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Et cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta. Cùm autem nō haberet vnde redderet, iussit eum Do-

Math. 18. v. 26. & 27. minus eius venundari, &c. *Procidens autem seruus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus serui illius dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Quare hic Euangelicus *Rex*, qui exemplum indulgentię

Rex miserorum supplicationibus sumptuosius coronatur. & liberalitatis aduocatur, videns seruum tanta æris alieni mole oppressum, cui soluēdo non erat; non statim debitum ante supplicationem dimittit? Si tandem omne debitum dimittendum erat, liberalitati potiùs militaret, si inrogatus debitum dimisisset. S. Ioannes Chrysostomus hac super re

Chrys. hom. 62. in Matt. ita ad rem præsentem acutè Philosophatur: *Vide autem, inquit, diuini amoris superabundantiam: petit seruus solius temporis dilationem, ipse autem maius eo quod petit, dedit: & dimissionem, & concessionem totius mutui*, Quasi parum foret donare quod postulat, appendices etiam gratias, & liberalitatis consequentias roganti tribuit. Pergit Chrysostomus: *Volebat autem* Rex *à principio dare sed nolebat solum suum esse donum, sed & supplicationis illius, vt nō incoronatus abscedat*, Perbellè quidem Chrysostomus! Scilicet nouit hic *Rex* regiam dignitatem meliùs miserorum supplicatione, quàm regali corona splendere. Rogari vult antequam largiùs donet, ne quod munificentiæ inrogatus donaret, regiæ dignitati detraheret. Vnde hic *Rex* volebat à principio dare, sed nolebat solum suum esse donum, sed & supplicationis illius, *vt non incoronatus abscedat*. Porrò tametsi gratiora sunt beneficia, quæ non supplicantium interuentu, sed affectu spontaneo proueniunt; tamen quod liberalitati impenditur, largitoris dignitati quodammodò detrahitur, dum alienæ supplicationis gloria fraudatur. Rex, quem non adorat miserorum supplicantium frequentia, *incoronatus abscedit*; Miserorum preces, quibus Rex beneficè adnuit, eum augustè *coronant*; egenorum supplicatio, *corona*. Potentium est; ô eorum aures petitionibus *coronentur*, & donatiui rogati coronamēto manus beneficæ decorentur. Noscat Rex regiam manum magis rogato donatiuo splendere, quàm sceptro.

4. Isaiæ 7. v. 12. Isaiæ 7. Et adiecit Dominus loqui ad Achaz Isaiæ ore dicēs: Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra *Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum.* Recusat rex Achaz signum à Deo spontè oblatum, petere recusat? non enim Deum tentat, qui ab eo vltrò oblatum expetit signum. S. Hie-

Hieronym. inibi. ronymus ad præfata Isaiæ verba ita scribit: *Non petam, & non tentabo Dominum. Non humilitatis est, sed superbiæ, quòd non vult signum à Domino postulare.... Quanquam iuxta Hebrai sermonis ambiguitatem, in quo scriptum est: Non tentabo* *Qui petit, eum à quo petit, sublimissimè exaltat.*
Dominum, posset legi: Non exaltabo Dominum. Vnde alij transtulerunt: *Non petam, & non laudabo Dominum.* Nempe rex impius, & veræ tunc religionis refuga, quippe qui idola Gentium adorabat, oblatum sibi signum *petere* à Domino refutat; ne eiusmodi supplici petitione Deum *laudet*, eumque gloriosiùs *exaltet*. *Non humilitatis est, sed superbiæ, quòd non vult signum à Domino postulare. Non petam, & non laudabo Dominum. Non petam, & non exaltabo Dominum*, quasi supplicatio, eius à quo aliquid supplicat, gloriosa *exaltatio* sit, & magnifica *laudatio*, eius dignitatem (vt nuper diximus ex Cassiodoro) luculenter *exaggerans*. Serò, opinor, Tobias & Sara hic orationis auspicium, à diuinis laudibus sumunt: nam Hic v. 1. & 13.
ipsa oratio, etsi meram rem supplicantis agat, eius à quo quidpiam postulat, præpropera *exaltatio*, & *laudatio* est, eius potentiam & dignitatem *exaggerans*; dum humili prece, donatiui præbitorem *coronat*.

5. Itaque cùm Rex erga subditos immunificus, rex esse desinat, & incoronatus ingloriè abscedat; ideò Theodoricus rex, ita ad subiectum Romæ Senatum munificè scribit: *Fœcunda indulgentia nostra,* (id est, liberalitas) *vobis altera est natura.* Cassiod. lib. 5. epist. 41.
Argutè quidem. Nempe adeò cognata est Principi liberalitas munerum iugiter fœcunda, vt crebrò à Principe beneficia recipere, velut altera subiectorum natura sit, cui naturale & agnatum est iugibus à Principe beneficiis augeri. Exinde sententiosè dixit Cassiodorus, quòd fœcunda Principum beneficētia, altera subiectorum natura est. Sic est liberalitas regij ingenij sequela naturalis; Rex illiberalis sceptra diffitetur. *Fœcunda Principum beneficentia, altera subiectorum natura est.*

6. Lucæ 9. Ecce vir de turba exclamauit, dicens: Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia vnicus est mihi: & ecce spiritus apprehendit eū, & elidit, & dissipat, & vix discedit dilaniās eum: & rogaui discipulos tuos vt eiicerent illum & nō potuerunt. *Respondens autem IESVS, dixit: ô generatio infidelis, & peruersa, vsquequò ero apud vos, & patiar vos?* In quo nam deliquit bonus hic pater, filij sui perorās? Ineluctabiles filij vnici ærumnas proponit Christo, & quidem humili vrbanissime cernuatione. Cur ergò Christus eum asperioribus verbis tractat, quasi valde sibi offensum, & in se contumeliosum? Pulchrè ad rem Titus Bostrenus præscripta verba elucidans: *Et rogaui discipulos tuos*, &c. *Quasi dicat: Non putes quod leniter ad te peruenerim, stupenda est dignitas tua, nec statim te molestaui, ad discipulos tuos accessi primò; nunc quia non curauerunt, cogor proficisci ad te.* Ecce tibi huius hominis crimen acri reprehensione dignissimum. Nempe accessisse petitum ab aliis, quod ipse Christus largiri, percupit: & sibi persuasisse, petitionem molestam illi fore, eiusque *stupendam dignitatem* humanis precibus dedecorari; cùm potius venustetur egregiè. Nam qui Christum rogat, non eum fastidiosus *molestat*, sed religiosus *adorat*.

Molestatur Christus, dum precibus non honoratur.

Lucæ 6. v. 41.

Titus Bostr. inibi.

§. CVII.

§. CVII.

Paterfamilias de sua probitate securus, adhuc timeat; ne pro subiectæ familiæ delictis pœnitentiam agere cogatur.

1. VT salutaria (quæ citra gustum tactumque odore proficiunt) ita virtus, vtilitatem etiã ex longinquo latens fundit; siue expatiatur & vtitur suo iure, siue precarios habet accessus, cogiturque vela contrahere; siue otiosa mutaque est, & angusto circumscripta, siue adaperta; in quocumque habitu est, prodest. Quid tu parùm vtile putas exemplum benè quiescentis: de latebris etiam suis virtus virtutes spirat, afflat, ingenerat. Non adfuit spectator, sed ne desit piè curiosus explorator; non datur videre, sed rimari non negatur. Ergo solerter exploremus quid in absconso domus suæ successu Tobias agat, corde tacito, sed linguaro opere ad eruditionem pietatis in familiæ Rectore.

Virtus quātumuis occulta, virtutes exemplo spirat.

2. Senior Tobias bonorum præscriptione mulctatus, ad eam redactus est inopiam, vt ingenua eius vxor mercenario opere vt vt poterat, tenuem tenui victu familiã sustentare, cogeretur. Vltra textilis operis mercedem, hœdum accepit. Furto vsurpatum suspicatur maritus, benè sciens, quòd pro labore pauperum non solitant diuites auctarium addidisse. Et sanè cùm esset paterfamilias, in eúmque incumberet domestica cura; vbi hœdum audiuit balantem, & delicatior cibus iam diu peregrinaretur à domo pauperis; suis dominis hœdum restitui serió iubet. Quo verbo exasperata vxor, insanas in pium virum contumelias effutiit, nec Deo pepercit irata fœminæ lingua, quin eius prouidentiam suggillaret. Tunc Tobias in domus suæ penetralia secessit, & infusus lachrymis, ex imis præcordiis mœstissima exhausit suspiria. *Tūc* (ait sacer textus) *Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lachrymis, dicens*, &c. Mirantur interpretes, masculam Tobiæ constantiam, sic fœmininis opprobriis concuti, vt in luctuosos gemitus, & in lachrymosa suspiria imbecillè degenerasse videatur. An non magis aspera, & truculenta sæpè fortiter exanilauit? Leuicula mulieris verba, sic virum exasperent, vt conceptum dolorem lacrymis & gemitibus euaporet? Gaspar Sanctius vir in recenti æuo, stipēdiis vestutæ antiquitatis ornatus, sanctitate, & eruditione venerabilis, lachrymarũ Tobiæ aliam peracutè rimatur causam: *Tunc*, inquit, *Tobias gemuit, vt eluat, atque dissoluat vxoris illud execrabile conuicium, quo dixerat vanam esse spem collocatam in Deo.* Nẽpe non nutat Tobiæ constantia, in oppidò grauioribus semper inconcussa, ob in se iactatas ab iratã fœminã contumelias; sed propter subiectæ sibi fœminæ impietatẽ, dolet, opplorat, ingemiscit, vt subditæ vxoris delictum, ipse familiæ parens & rector, suis lacrimis *eluat*, & velut pœnitentiæ gemitibus *dissoluat*. Profundè quidem rem Sanctius meditatus est. Sanè Tobias erat paterfamilias, ad quem vt Superiorem spectabat domus suæ religiosa & politica œconomia; subdita coniux grauiter delinquit nec eam delicti pœnitet; sed adhuc procaci linguà, & Deo, & marito petulanter insultat. Quid faciat familiæ Rector, subdito enormiùs delinquente? *Tunc Tobias gemuit, vt eluat, atque dissoluat vxoris illud execrabile conuicium*. Sic ne spectant ad familiæ Rectorem subditorum delicta, vt ea propriis lachrymis *eluere*, & suâ velut pœnitentiâ *dissoluere* intenter; Familiæ Præpositus pro commissis familiæ delictis pœnitentiam aget? An non pœnitentia propria duntaxat peccata *eluere*, & *dissoluere* potest? Ecquis pro alio ritè pœniteat? Sic cum regiminis honore, aut onere, alienorum defectuum onera suscipiuntur; Sic, quod attinet ad delinquendum, subditi ac Superioris velut indiuidua persona censetur, vt pro subditorum delictis, familiæ Præpositus quasi pœnitentiam agere dicatur? *Inferior horret, quicquid peccat superior*; sed superior luit, quicquid inferior peccat. Edis cãt ergò Superiores de Tobiæ, & Pauli gymnasio, solerter pro subditis vigilate tanquam pro animabus eorum rationẽ districtè reddituri. Quicquid delirant subditi, plectuntur Rectores.

Hic verſ. 1.

Agit ne Tobias pœnitẽtiam pro vxoris delictis.

Gaspar. Sanctius inibi.

P. Didac. de Celada in Tobiam.

Publ. Mim.

3. Geneseos 22. Abrahamus, ierus cùm esset pater, vnicum & dilectum filium festinè iugulare iubetur: & vnà præcidere spei fructum, senectutis deliciosum, spem posteritatis, & promissionum hæredem. Diuinæ præceptioni pius pater obedit intrepidus; nec pius filius, paternæ virtutis æmulus, minori alacritate iugulum ictui præbere paratus, de expromptitudine cum patre decertat. Ara ritè extruitur, in ea iacet vltronea victima, votis vulnera anteuertens. Sed quid est, quòd pater fortè nimis cautus, spontaneam victimam artè vincit? *Cùmque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum.* Quid pius filij carnifex arctè ligat, quem diuini, & paterni obsequij reuerentia, arctiùs religauerat? O sera vincula, & quibus victimæ deuotio præcucurrit! An timet Abrahamus, ne chara victima infligendum declinet vulnus, & sic sacrificium incestet? Sed intrepida noti iam filij deuotio metum adimit. Sciebat enim priùs Patri defuturam iugulandi alacritatem, quàm intrepidam Filio iugulum prębendi deuotionem. Quorsum ergo tam solers cautela? O bonam Rectoribus eruditionem, quibus securitas etiam debet esse suspecta: quod Zeno Veronensis acutè obseruauit, sic enim hâc super re fatur: *Cùmque alligasset Isaac filium, suũ, &c. Securus enim pater optimus timuit ne dololi aliquid liceret in mortẽ*. Expende priora Zenonis verba, plena eruditionis, plena ingenij. Scilicet Abrahamus erat paterfamilias, illiq; Deus subiecti filij immolationẽ præceperat: nouerat promptam Isaci deuotionem, spontaneum filij obsequium nouerat: nil non patris animum reddebat securum. Ast tam solerter satagit. ne sibi subditus duræ obedientiæ tantisper reluctetur, vt adhuc securus cautè timeat, spontaneam victimam arctè religando: *Securus enim pater optimus timuit, ne dolori aliquid liceret in mortem.* Diligens victimæ ligandæ cautela, non tam deuenustat Isaaci subiecti deuotionem, quàm prodit Rectoris familiæ obligationem. Non tam Abrahamus suum Isaacum arctè ligat, quàm manifestat quàm arctè paterfamilias pro familiæ subiectæ pietate religetur: Exinde etiam *securus pater optimus timet:* ne vel rei à suis exequendæ securitas, timoris sit expers. Timeat adhuc securus, nequid per Rectoris securitatẽ subdito liceat. O quoties Superiorum securitas, subiectorũ licentiam subornat! Sub Rectore securo secura delicta perpetrantur. Qui in securitatis asylo, adhuc timet, vt Abrahamus: cautè securus est, & securè timet.

Gen. 22. v. 9.

Etsi securus erat Abrahamus de filij deuotione, adhuc securus timet: & ideò eum ligat.

Zeno ser. 1. de Abraham.

Nil subdito licet contra Rectoris obsequium.

 Securus

Securus etiam Abrahamus cautè timet, ideóque eum strictiùs religat; nequid filius putet sibi *licere* contra patris obsequium, & Dei præceptum? O quanta subditi *licere* sibi putant, quæ securus familiæ Rector, timere, & noscere, & præcauere debuisset! *Securus enim pater optimus timuit, ne dolori aliquid liceret.* O procùl sit laxarum opinationum licentia, quæ à Præpositi patris obsequio, & diuino præcepto tantisper degeneret!

4. Regius Vates Psalm. 6. modulatâ hâc voce ad Deum clamat, diuinam misericordiam obnixè deposcens: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tua corripias me..... *Conuertere Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.* Quid supplicat Dauid, cùm inquit, *Conuertere Domine*? Homo Deo, reus iudici, addictus sic loquitur cognitori? *Conuertere Domine.* Vnde? vbi? De Deo in hominem, de Domino in seruum, de iudicio in patrem: vt pium conuersio te demonstret, quem potestas terribilem comminatur. Adhuc Chrysologus præfata verba subtiliùs emedullans, ita ad rem præsentem scribit: *Conuertere Domine. Homo peccat, & Deus conuertitur: Ita fratres, qui iuxta Prophetam: Iste peccata nostra portat, & pro nobis dolet. Suscepit peccatum, vt peccatum tolleret, non haberet.* Nempe Deus homines potestate condidit, prouidentiâ gubernat: vnde totus mundus illi est tanquam perampla & spatiosa domus, quam velut opulentus & prouidus Paterfamilias alit, fouet, gubernat: Sed heu, suo arbitrio relictus homo immaniter deliquit, & diu in scelere perstat saxeo corde peruicaciter flecti-nescius. Cùm ergò homo lapsus passim impingens, resurgere à delictis, & pœnitentiam assumere cunctanter negligat: regius Psaltes plorando, non sperando defessus, Deum orat, vt ipse citiùs conuertatur. *Conuertere Domine. Homo peccat, & Deus conuertitur?* Ita quidem, (eo sensu quo dicitur à Tertulliano, quòd Deus primùm *pœnitentiam dedicauit*; nam propria pœnitentia procùl abest à Deo) *ita fratres, qui iuxta Prophetam, Iste peccata nostra portat, & pro nobis dolet.* Bonus paterfamilias Deus, qui *suscipit peccatum, vt peccatum tolleret; non haberet: qui peccata nostra portat, & pro nobis dolet.* Ergo humanus paterfamilias, de suâ adhuc probitate securus, adhuc timeat, ne pro subiectæ familiæ delictis pœnitentiam agere cogatur: quam Tobias quodammodò fecisse legitur: & Abrahamus securus adhuc timet: & Christus Deus peccata nostra portat, & pro nobis dolet.

Psal. 6. v. 5.

Chrysost. serm. 45. Isaiæ 53. iuxta. Lxx. *Homo peccat, & Deus conuertitur; Deus etiam pro peccatis nostris dolet.*

§. CVIII.

Tobias, sicut & sanctus Iob, lugubribus querimoniis dissimulauit in pœna sui corporis, iustum.

1. Sanctus Petrus in 1. Epist. Can. ita ait: *Prænuncians eas quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias.* Multa multi de his posterioribus Christi gloriis, quæ obuia sunt apud Expositores. Celebris est Epiphanij expositio, qui Dominicæ Resurrectionis fulgores, glorias posteriores appellat, ad discrimen priorum, quæ sunt Passionis opprobria & cruciamenta. *Propterea*, inquit, *primum moritur Christus, vt mortis testamentum confirmet: deinde à mortuis resurgit, vt à gloriâ ad gloriam transeat.* id est, à gloriâ Passionis ad Resurrectionis gloriam. Ecce tibi acerba, probrosa, & cruenta Passio, prior patientis Christi gloria nominatur. Quod ad reliquos homines meritò Elias Cretensis amplificat, ita scribens: *Qui pro Deo patitur, futuræ Deificationis pignora iam accepit: tum etiam cùm patitur, cùm inuictus, atque omni cruciatu sublimior reperiatur.* Tanta est tolerantissimè patiendi gloria! Hinc Sanctorum Proceres, vt primas & sublimissimas aduersa sustinendi glorias occultarent, solertiùs, de humilitatis ingenio, hoc prælustre virtutis decus, & futuræ Deificationis pignus dissimulabant. Imò Tobias, de quo verè *multa bona loquitur* Raguel: & qui in tot calamitatibus non est *contristatus contra Deum, sed immobilis in eius timore permansit*: tamen cap. 3. *ingemuisse* dicitur, & mortem exoptasse. An luctuosus hic Tobiæ gemitus, dum quodammodò immodicum doloris sensum specie tenus ostentat, excelsioris virtutis artificiū est, quo non valde honesto velamine, prælustrior virtus dissimulatur?

1. Petr. 1. v. 11. *Christus à mortuis resurgit, vt à gloriâ in gloriam trãseat.* Epiph. hæres. 66.

Elias Cretens. in orat. 23. Nazianz. *Qui pro Deo patitur, futuræ deificationis pignora accipit.* Hic vers. 1.

2. Iob 1. beatus hic pietatis athleta, beatâ olim vitâ fruebatur. Namq; erat illi splendida domus, diues census, diuesque numerus, & (quod est parentibus gratum) vtriusque sexus, & inuicem se amantium: quorum pro numero Deo diurnas hostias offerebat. Tanto autem puritatis ac fidei erat muro munitus, vt non auderet eum attingere Diabolus, nisi à Deo velut iussus. Iam hîc considerare oportet, quemadmodum quasi incitatus sæuierit, qui ferri non potest blandus. Itaque malus Dæmon nihil aliàs profecisse cognoscens, omnem impietatis suæ rabiem in charissimos eius filios effudit: nam cùm solito more vnanimes vnà epularentur in primogeniti domo, derepentè concussis toto nixu quatuor angulis eius, in confusam molem ædificio collabente, piissimos fratres sepelit priusquam perimat. Talemque commentus sæuitiæ stragem, vt in illâ vnius funeris turbâ paternus cuiusque dolor vix sufficeret orbitati. Verùm tametsi Iobus in tam atroci calamitate *immobilis* (Tobiæ ad instar) permanserit; *Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram,* &c. Nempe lugubri tot funerum accepto nuncio, Dei seruus scidit vestimenta sua, quò crudi filiorum funeris iusta, vt vt poterat, solueret, & acerbi doloris signa ederet: in quo illustrior Iobi pietas, & aspectabilis virtus mirifsimè scintillant, tanto angustior, quanto grauissimi doloris ostentatione tectiùs latet. Quod S. Chrysostomus lynceis oculis vidit, ita fatus: *Quod vestem disciderit, comamque totonderit, haud mireris. Pater enim erat, ac pater liberorum amans; naturæ condolescentis, sensus ostendendus erat, animique philosophia minimè occultanda. Nisi enim illud fecisset, suspicatus forsitan quispiam esset, eius philosophiam à communi sensu humanitatis abhorrere.* Nempe in filiorum strage peracerbum doloris sensum, vestium scissione Iobus publicat, vt dum mœstum angorem ostendit, arcanam virtutis philosophiam minimè occultaret. À communi sensu humanitatis non abhorret, vt etiam animi tranquillitatem obuelet; & dum doloris sensum acerbius ostendit, animi *immobilitatem* tectiùs dissimulet. Stat Iobus inconcussâ mente animitùs *immobilis*, *sed* grauissimi angoris documenta foris exhibet, & vestimenta lugubri gemitu scidit, ne humano fastigio sublimior appareat

Iob. 1. v. 20. *Iobus mœsto doloris sensu, animi philosophiã ostendit.*

Chrysost. in Cat. Olymp. ibi.

reat. O celandæ virtutis ingenium! naturæ condolescentis sensus ostendendus erat, vt dum à communi sensu humanitatis non abhorret, & dum angoris signa foris demonstrat, angustiorem animi philosophiam minimè occultat; sed magis pendit, dum in mente tranquillâ, concussionis signa in corpore obstentat. Itaque perspicaciter attentis, dum acerbior doloris sensus à Iobo ostenditur; qui mentem quodammodo concussam subinsinuat, *animi philosophia minimè occultatur.* Eleganter sanè Chrysostomus!

3\. Tobiæ 2. v. 14.

Tobiæ 2. perpetititius hic vir, & exemplaris patientiæ columna, captiuitate ærumnosus, facultatum expoliatione depauperatus, domesticorum iurgiis mœstus, oculorum lumine viduatus; quasi spirans patientiæ columna, *immobilis in Dei timore permansit.* Et tamen qui mente erectus constanter stabat, ad secessum mœstissimè querulus, confugiens, *Tunc Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis.* (Hic v. 1.) Qui quasi vir magnanimus stat *immobilis*, & flecti-nescius, imbecillus illacrymat, & miserabili eiulatu gemit? vbi est mascula Tobiæ constantia, & inconcussum magnanimiter robur? De nostro Tobia citiùs quàm de suo Iobo dixit Veronensis Zeno: *Contempsit in perditis facultatibus diuitem, dissimulauit in pœna sui corporis iustum.* Nempè cùm Tobias, post tot calamitates, vxoris iurgio, & cœcitatis plagâ malè saucius, op-plorat, & lacrymabili eiulatu ingemiscit, immobilem constantiam viro iusto dignam ingeniosè dissimulat. *Dissimulauit in pœna sui corporis iustum.* Sicut Iob scindens vestimenta sua in crudâ filiorum orbitate, dum doloris sensum ostendit, *animi philosophiam minimè occultauit.* Quid enim tam sublime, quàm in constantia animitùs *immobili*, lacrymis & gemitibus *iustum dissimulare?* O arcanam virtutis philosophiam! ô excelsum humilitatis ingenium!

Tobias gemitu & lacrymis, dissimulauit in pœnâ sui corporis iustum.
Zeno ser. de Iob.

4\. Gentium doctor, pro quodam humilitatis fastu, ita de se loquitur in posteriori epistola, quam ad Corinthios scripsit: In quo quis audet (in insipientia dico) audeo & ego. Hebræi sunt, & ego; Israëlitæ sunt, & ego: semen Abrahæ sunt, & ego: *Ministri Christi sunt, (vt minus sapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter..... In labore & ærumnâ, in vigiliis multis, in fame, & siti, in ieiuniis multis, in frigore, & nuditate,* &c. Audis qualiter piâ velut arrogantiâ Paulus de sui corporis maceratione loquatur; Eleganter de more Eusebius Emisenorum Episcopus, ad hæc verba forsan adludens, ita fatur: *Ideò anima fidelis & sapiens ita humilitatem diligat, vt & se à Christo per humilitatis virtutem redemptam esse cognoscat, & in hoc tantùm hominem factura sua nobilitas extollat, non vt per elationem ac superbiam vitiosus existat, sed vt contra vitia sua superbus appareat. In hoc solum videatur esse elatio, vt dedignetur subiacere peccato. In hoc solo se erigat, vt passionum vilia blandimenta calcet & conterat, vt delectationes concupiscentiæ carnalis exhorreat, vt contra lasciuam mollitiem male suadentis carnis toto affectu conscientiæ generositatis adsurgat.* Prosapiæ generositatem recenset Paulus, vt toto conscientiæ affectu adsurgat generosus in vitia, in ieiuniis, in frigore, in nuditate, in fame, in siti, in laboribus, in ærumnis. Non extollitur Paulus generis ac virtutis nobilitate; sed *vt contra vitia sua superbus appareat.* Superbiè indicia ostentat Apostolus, sed contra vitia piè superbit; quibus arrogantiæ noriculis humilitatem generosiùs custodiat; quò rectiùs humilitatem abscondit, *Contra vitia sua superbus apparet.* In huius piæ superbiæ officinâ, humilitatis generositatem excudit, magno virtutis fœnore, ad omnes sanctitates opulento.

2\. Cor. 11. v. 21. & 22. &c.

Paulus contra vitia sua superbus apparet.

Emis. in ser. exhort. contra diuers. vitia.

P. Didac. de Celada in Tobiam.

Genesis 9. post vniuersale mundi naufragium, *Cœpit Noe vir agricola exercere terram. Bibensque vinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo.* 5. Genes. 9. v. 20. & 21.
Quâ super re ita philosophatur Ambrosius adludens ad iusti Lot ebrietatem: *Noe iustus deceptus est, quia vini vis adhuc ignorabatur; sed in illos instructus es, ne tu ignorares. Lot filiabus se credidit, & per senectutem madidam vino solutus, commisit incestum ignorans; tu sic bibe, ne capiaris. Instruant Patriarchæ non solum docentes, sed etiam errantes. Ideò iteratum est exemplum ebrietatis, vt confirmetur magisterium cautionis.* Vel errores Iustorum erunt schola probitatis, & virtutis magisterium: Multa paucis Ambrosius edocet.

Gen. 19: v. 32. Ambr. ibi.

Sancti viri, non solum docentes, sed etiam errantes, probitatem edocet.

6\. Ionæ 1. Ionas Prophetiæ refuga, Deum fugitans maris fluctibus impeditus est, cùm fugæ administram nauiculam circumplexum mare conseruum quærebat latentem, & occultam fugam procellę ortu mare accusabat, & quid occulti consilij coqueret Propheta tempestas publicauit; fuitque ipsi nauigium audaciæ theatrum, & tribunal in naui cōstituebatur, nec non sortitio reum redarguebat, & Prophetam Dei barbarus nauta iudicio condemnabat. Et dixerunt ad Ionā: Quod est opus tuum? quæ terra tua? & quò vadis? vel ex quo populo es tu? *Et dixit ad eos: Hebræus ego sum, & Dominum Deum cœli ego timeo, qui fecit mare & aridam. Et timuerunt viri timore magno.* (Ionæ 1. v. 9.) Quæ Prophetæ verba sic ad lemma præsens peraccommodè illustrat Basilius Seleuciensis: *Profuga respondens, euasit Dei cognoscendi præco, & religionis scholam nauem fecit. Dominum Deum cœli ego timeo. Est Deus, ò nauta, continentis Dominus, & maris opifex.... Et miserunt in mare. & stetit mare, &c. & timuerunt viri timore magno Dominū, & immolauerunt hostias Domino, & vouerunt vota: & Ionas fugiens salutem hominum mercatum obibat.* Dum à Dei præceptionibus immorigerus exerrat Propheta, & se à Deo absentare infidus festinat, profanam Idololatrarum nauim præstigiis adsuetam, *fecit religionis scholam, & profuga respondens, euasit Dei cognoscendi præco: & Ionas fugiens salutem hominum mercatum obibat.* Pereleganter ad rem Basilius!

Vel Deum fugiens Ionas, hominū salutem mercatū obibat.

Basil. orat. 13.

---

§. CIX.

Humanus Iudex malè negligit iudicialem ritum, & ex congruentiis iudicat.

1\. NVnquam committet æquissima Iustitiæ virtus, vt vitia dum persequitur, imitetur ipsa. Iniustitiam castigandā habet, sed sine iniustitiâ, Male vitium vitio curatur. Virtutis hæc res est, non malitiæ negotium. Ratio id iudicari vult, quod æquum est; passio id æqum videri vult, quod iudicauit. Exlex est iniustitia; Iudex verò rigidus legis exactor est, non tutor, legem quasi pupillam tractans: non legis pædagogus; neque enim à Iudice erudienda est lex, sed à lege Iudex: non est legis interpres, ne Iudicū quisque de pro-

Non est idem homo, ac iudex, etsi idem ambo.

priâ inuidiâ, odio, ęmulatione, inertiâ, legem quò velit, flectat, & ęgregium sui cerebri commentum pro lege suggerat. O viderit Iudex, ne legum maiestatem lædat. Iniquissimum enim foret, vt dum non admodum graue delictum corrigit, & supplicio reum afficit, ipse læsæ maiestatis reus impunè fiat, vsurpatæ ad nutum iurisdictionis priuilegio. Sacrosanctas Principum leges potiùs castigat, qui reum non ritè punit. Audiat attentè accusatorem, testes sagaciùs examinet, reum humaniùs interroget, eius exceptiones exploret, & meritum causæ solerter perquirat; ne dum iustitiam vindicat, eam grauiter lædat, & atrociùs sauciet. O quoties amore iustitię virgo iustitia constupratur! O non bonos pulchræ iustitiæ riuales! Absque judiciali ritu sententiam dicere vnius Dei licentię seruatur, creationis, & omniscientiæ iure. An benè homo Dei iurisdictionem vsurpet? Interrogatus in concilio Christus, verum de se respondit. *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemauit: quid adhuc egemus testibus; ecce nunc audistis blasphemiam? quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis.* Ad quæ verba ita scribit Chrysostomus. *Ipsi accusantes, ipsi discutientes, ipsi sententiam proferentes.* Quid tam iniquè iniustum.

Hic v. 2. Matth. 26. v. 65. Chrysost. ibi.

2. Geneseos 4. inuidiæ œstro male exagitatus Cain, fratris religiosè innocẽtis cędem, tacitus in corde teuersat, mœstitudinis profunditate atrociter sæuus. Blandè meditati sceleris admonetur, seuerè fulminatis vindictæ minis terretur ab eo, qui in occultâ conscientię chartâ descriptam stylo culpæ, & inuidiæ atramento malitiam legit. Sed impius Cain pertinaciter crudelis, secessus latebras quærẽs, incautum de innocentiâ fratrem inhumanus trucidat; fatuè persuasus solitudinis suffragio scelus excusari. Sed qui conscientiæ secreta videt, subdiò gesta minimè ignorat. Sic stultescit impietas! Adest confestim Deus inhumani parricidij seuerus vindex, dixitque ad Cain: Vbi est Abel frater tuus? Qui respondit: Nescio: Num custos fratris mei sum ego? *Dixitque ad eum: Quid fecisti; vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ operuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tuâ.* Verùm Ambrosius hæc verba paulò attentiùs explorans, doctè animaduertit, quòd non priùs sententiam Deus fulminasse dicitur, quàm terræ ore accusationem audierit. Bene ait: (verba sunt Ambrosij.) Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ. Nunc igitur maledictus eris, &c. Non accusat frater, non accusat vox ipsius, non anima eius; sed vox sanguinis accusat, quem ipse fudisti. Simul querela criminosa admittitur: est tamen etiam terra testis, quæ cepit sanguinem. Et benè ait: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ: non dixit de fratris clamat corpore, sed de terrâ clamat. *Etsi frater parcit, terra non parcit. Si frater tacet, terra condemnat. Ipsa est in reo & testis, & index. Testis acrior, quæ adhuc parricidij tui sanguine madet. Iudex asperior, quæ tanto scelere coinquinata est.* Sed benè est, non priùs Deus sententiam aduersus Cainum pronunciet, ob scelus occultè patratum, quousque vox sanguinis reum accusaret: at vbi sunt testes; terra etiam testis est, terra iudex est, & quidem coinquinata innocentis sanguine. O iudicium non ritè peractum! Esto, terra sanguinosi rei scelere violata, accusatoris partes agat; quomodò eadem terra accusatrix, &

In Caini causâ, Terra testimonium recusatur.

Genes. 4. v. 10. & 11.

Amb. lib. 2. de Cain & Abel c. 9.

parricidio fœdata, in testem sisti, & tanquam iudex reum damnare potest? Opinor, quòd reus Cain, qui facinus negauit, etsi admittat terræ accusationem, (nec aliter potest) recusabit accusatricis testimonium, & duram Maledictionis sententiam annullabit. Verumenimverò ne iniudicio quidem impiissimi atrociter Caini, idem sit accusator & testis, aut testis sit aliquâ quasi iniuriâ à reo violatus, & inde hostilitatem causetur; opportunè inquit Theodoretus agens de hoc Caini iudicio, & duro Maledictionis pœnalissimæ supplicio: *Deus accusatoribus, aut testibus minimè indiget quando iudicat: sic enim Cain condemnauit, tanquam sceleris inspector.* Nimirùm insanam scelerum puniendorum auiditatem notanter retundit. Theodoretus, & iuridicinam ritè instruit. Terra accusatoris partes agat; sed accusatoris delatio auditur, testimonium recusatur; nec admittenda in testem terra est, quæ coinquinata est parricidij sanguine, & inde de hostilitate suspecta. Vide quàm cautè præcauet Deus, ne hinc humanus Iudex sumat exercendorum rigorum vllam ansam, quasi hæc forma iudicij, reliquorum exinceps typus sit. Quod diuinæ licentiæ seruatur, ne homo temerarius diuinæ iurisdictionis inuasor vsurpet. Quod in homine, vt iustitia nõ foret, ita & sæuitia foret, obuiumque esset iniustæ lanienæ periculum. Præstat vt verè reus aliquandò indemnis euadat, quàm vt sæpè nutus Iudicis innocentem condemnet.

Theodor. q. 20. in Genes.

Exodi 6. adest iam Ægypto Moyses, Hebræi populi inauguratus eductor; dixitque Dominus ad Moysen: Nunc videbis quæ facturus sum Pharaoni: per manum enim fortem dimittet eos, & in manu robustâ eiiciet illos de terrâ suâ. Scilicet iam iam vibrat Deus decem nihilominùs plagas pœnalissimas, quibus Pharaonem rebellem cum totâ Ægypto castiget. Vnde subdit: *Ego Dominus qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & eruam de seruitute; ac redimam in brachio excelso, & iudiciis magnis* per iudicia magna nuper memoratas plagas intelligens, quibus brachio præforti, & manu robustâ Ægyptios puniuit. Quod regius Vates Psalm. 67. pulchrè hoc compendio expressit: *Qui educit vinctos in fortitudine*, manum fortem & robustam, quâ in *iudiciis magnis* tot pœnalissimas plagas contorsit, *fortitudinem*, quâ eduxit vinctos Israëlitas ex Ægyptio ergastulo exponens. Sed explorare oportet quid hîc significet *το fortitudine*, quo verba dura & *magna iudicia* compendio denotat. Caietanus singulariter vertit, & tempestiuè præfata Psalmi verba: *Educens vinctos in congruentiis, hoc est, filios Israel vinctos vinculis imperij Pharaonis eduxit.* Scilicet quod in Exodo dixerat, *Iudicia magna*, nunc vocat *Congruentias.* O noua in foro iudiciali synomina! Idem-ne est *congruentia*, ac *iudicia magna*, dura, & acerba? Peregrina planè videtur Caietani commentatio. Sed valdè fallor nisi rem tetigit, ad spectu ad iudiciũ humanum, ex quo antropopathôs intelligi vult diuinum, cùm acerbiori supplicio castigat. Porrò cùm humanus iudex non ritè procedit: sed, cùm indubiè apud se existimet, exosum sibi reum perpetrasse obiectum crimen, iudicij formulam euertere solitus, & ex accusatore testem facit, nec de exceptionibus testium valdè curat, reumque perfunctoriè examinat: nec tam ex legum formula, quàm ex *congruentiis* negotium tractat: atque ex indicijs sæpè non solidis, & ex coniecturis plerumque ambiguis, sententię meritum

3. Iudex, qui ex congruentiis sententiã fert, seuerissimè rigidus est.

Exod. 6. v. 6.

Ps. 67. v. 7.

Caiet. ibi.

tum

rum concinnat; tunc quidem acerbissimè rigidus esse solet, & de confinio crudelitatis propè suspectus. Exinde Dauid, vt exponat *iudicia magna*, quibus Deus decem seuerissimis plagis puniuit Ægyptios, iudicij acerbitatem more humano exaggerat aspectu ad humanum iudicium; in quo Iudex præscriptam ritè iudicandi formulam negligens, ex suspicionibus, aut iudiciis, aut *congruentiis*, meritum causæ suo arbitratu conflat, & ex legis processu acerbiorē sententiam fulminat. *Educens vinctos in fortitudine*, quâ decem illas Ægypto plagas seuerius immisit: *Educens vinctos in congruentiis*.

4. Malachiæ 3. his verbis loquitur Propheta de Deo, & more quidem humano dura supplicia scelerosis minitante: *Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & periuris*, &c. Quid est, quòd dum finalis *iudicij* seueritatem inducit testem vnum, & nullum iudicem inducit? Vnus duntaxat testis ritè faciat fidem? Quin & eiusmodi testis, quia *velox* dicitur, humanitùs forsan recusari posset, non inidoneâ exceptione de velocitate, ac si non valde attentus, & morosus rei scrutator adfuerit; sed quasi in transitu veloci rem velut per transennam exceperit, quam deponit. Præfata Malachiæ verba ita exponit Hugo. *Accedam in die iudicij, Et ero testis, & iudex. Ieremiæ 29. Ego sum iudex, & testis. Velox, qui modo tardus videor, dum pœnitentiam expecto.* Nimirum ad ostentandos supremi iudicij rigores (loquitur Deus de illo antropopathôs) id est, iudicasse homines, non seruato humani iudicij ritu, quasi neglexerit iuris apices. Nempe vnus tantùm testis sistitur, & is *velox*: (O quàm multa hoc vno verbulo ad mores compendiauit!) idemmet inducitur testis, & iudex: quod in humano iudicio ritè faciendo, insolens est, & ab humanis subselliis peregrinatur. Scilicet Deus non eget his legum dogmatibus, quibus eget humanus iudex, vt ritè sententiam ferat: quippe qui conscientiâ, & summâ æquitate præpolleat. At quandò ostentat summos finalis iudicij rigores, iudicium inducit, quo ritus iudiciales, & iuris apices negliguntur. *Et ero testis velox, iudex, & testis.*

Malach. 3. v. 5.

Ad ostentandos rigores finalis iudicij, inducitur Deus quasi velox testis, & iudex.

Hugo Carensi. ibi. Ierem. 29.

---

§. CX.

Sat grande impiorum supplicium est, quod desideriis suis non fraudentur.

1. NOn satis dicitur, quod nō satis discitur. Caue tibi à te, caue à desideriis tuis. Quod hianter suspiras, sæpè inimicorum vota sunt. Ad quod fastidiosus nauseas, illud cupidè desiderare debuisses. Affectus proprius viro sapienti semper erroris suspectus est, vt potè non rationis, sed concupiscentiæ soboles. Penitiùs introspice desideria, quæ affectus gignit; & agnosces, quod cōsilium non accepit, & parere nescit. Quemadmodum rationi nullum animal obtemperat, non ferum, non domesticum & mite: (natura enim illorum est surda suadenti) sic non sequuntur, non audiunt affectus, liberè exertant quà illos libido ducit. O tecum, non cum affectu, sed cum ratione, attentius delibera, quid desideres, quid oderis; ne pœnitenda odia, aut desidia animitùs nutrias! *P. Didac. de Celada in Tobiam.*

Desideria nostra examinanda à nobis sunt, ne fortè inimicorum vota sint.

O quoties supplicij loco ponendum est, tandem complexari, quod auidè concupisti? Vnde vel honestissima virgo Sara hîc vers. 5. septies desideratas nubili puellæ nuptias, contrahens, toties & maritorum stragem, & sui probrum, & parentum acerbum luctum inuenit. Hic vers. 5.

Lucæ 14. hanc parabolam Discipulis suis Christus proponit: Homo quidem fecit cœnam magnam, & vocauit multos: Et misit seruum suum horâ cœnæ dicere inuitatis vt venirent, quia iam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare. Vsque adeò fuerunt friuolæ omnium excusationes, vt potiùs se nolle, quam non posse ad conuiuium ire, palam ostenderent. Et reuersus seruus nunciauit hęc domino suo. *Tunc iratus pater familias*, dixit seruo suo: Exi citò in plateas, & vicos ciuitatis: quem mox in vias & sepes mittit, vt accersat obuios quosque, qui lauto conuiuio gloriosè adipentur. Sed attentâ indiget expensione, quo supplicio *iratus paterfamilias* eos mulctet, qui inurbanè neglexerunt suæ assidere mensæ; & *cœnam magnam* sibi oppiparè præparatam gustare, noluerunt. Non omisit Euangelista pœnam, quâ illos seuerissimè punit: *Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Putaret aliquis hanc pœnam fore leuissimam, aut certè nullam, aut fortè ridiculariam: imò & non tam supplicij, quā præmij loco assignandam. An non ipsimet ire negligunt, abesse desirant, & gustare nolunt, quomodo igitur loco supplicij ponitur, dum illis impenditur, vt quod auidè desiderant, eo pacatè potiantur? Verùm enim vero sagaciori subtilitate vidit Gregorius quàm sit acre huius sententiæ fulmen, quo hominum desideria acerbiùs castigantur. Sic enim ait ad præfata Lucæ verba: *Sed valde est tremenda sententia, quæ protinùs subinfertur. Intentâ hanc ore percipite, vt tantò eam minùs sentiatis in examine, quantò nunc auditis formidolosiùs in prædicatione. Ait enim: Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam...... Quid inter hæc fratres charissimi, nisi relinquere omnia debemus, curas mundi postponere, solis desideriis æternis inhiare?* Vide quàm sit tremenda sententia, quòd non gustent, quòd gustare nolunt; quòd nunquam delibent, quòd fastidiunt, quòd obtineant, quòd terrenis inhiant desideriis. Quid tam tibi acerbū in votis inimicorum est, quàm quod *tremenda sententia* seuerioris iudicis fulminat? Examina diligenter, quid desideres, quid oderis; ne fortè dum quod cupis obtines, eiusmodi obtentione duriùs puniaris. O cœca hominum desideria! ô errantia mortalium vota! cum inconsultè desideras, tibi insidiaris desiderij voto: & dum magnifici conuiuij delicias & honores vltrò refutas, & gustare nō vis; rei fastiditæ priuatione mulctari, acerbioris supplicij loco ponitur, quò mortalibus innotescat, quàm debeant esse suspecta illorum vota, desideria, odia. Hei, quid est, quod cœco impetu desideria nostra vagari permittimus? inconsulta desideria & odia, puta acerbioris supplicij minas. O time absconsū in desiderij possessione suppliciū!

21.

Lucæ 14. v. 24.

Sat grande supplicium est, vt quod desiderasti, tibi eueniat.

Greg. hom. 36. in Euāg.

3. Prouerb. 12. inter alia multa, quæ Salomon ibi ad ethicam eruditionem sparsim iactat, hanc sententiam legere iuuat: *Desiderium impij munimentum est pessimorum: radix autem iustorum proficiet.* Id est impius desideriis suis se, & suos turritâ arce muniri putat. Ast tam longè abest, quòd muniatur desideriis suis, vt aliqui ex Hebræo

Prouerb. 12. v. 12.

Salazar ibi.

 vertant;

vertant: *Impius desiderat rete deficiens malorum* quasi non tam præmunitatem arcem, quàm ruinosam & caducam *deficientiam* desiderando ædificet. Caietanus excribit: *Desideriū impij laqueus malorum*, ac si quod sibi tanquam proficuum desiderat impius, sit subdolum rete, quo ipse cum reliquis præpeditus illaqueetur. Nē pe sic imperitè desiderat, vt sibi desideriis suis insidiari videatur. Alij autem sic vertunt: *Desiderium impij monimentum est pessimorum.* id est, memoria & recordatio, quasi adeò sit prauum impij desiderium, vt pessimi quique illud tanquam exemplar imitandum & moribus exprimendum sibi proponant, ac si desiderium impij, sit omnium scelerum scelestissima idea, quā pessimi ad malitiæ exaggerationem imitantur. Verùm Hugo Carensis sic præfata verba scribit, & exponit: *Desiderium impij monumentum est pessimorum id est, deducit ad monumentum pessimorum.* Quod intelligit de sepulchro, & inde multis modis hunc locum ad mores deriuat. Itaque Salomon ait: *Desiderium impij monimentum*, seu *monumentum est pessimorum.* Nempe impius sic desiderando exerrat, vt dum putat sibi ac sibi similibus desiderio suo arcem seu *munimentum* moliri, in quo tutus versetur; non tam *munimentum*, quàm *monumentum* extruat, quo miserè tumuletur. Non tantùm desideriis suis perit impius, dùm satagit se incolumen seruare quasi in *munimento*; sed in suo desiderio velut in sepulchro aut *monumento* exanimus iacet, cadauerascit, computrescit, & in matricem puluerem decinerescit. Cogitabat se in desiderio suo munimentum habere; & spe frustratus, sepulturā inuenit: asylum expectatione, sed possessione sepulchrum. O quot desideriorum cadauera in ipsis desideriis tumulantur! O felicem praui desiderij abortum, quod non parturit pietas. Ante adeptionis partum moritum desiderium possessione frustratum, in ipso desiderio, qui diu frustrà desiderauerat, miserè conditur. Ergo discamus desiderare, ne desideria nostra inimicorum sint vota ne in supplicium deputetur ipsa desideriorum obtentio. Discamus desiderare, ne desideria nostra sint alienæ prauitatis scelestior idea; ne desideriis nostris, non *munimentum*, sed *monimentum* ad æternaturam mortem vesanè extruamus.

Caietan. ibi.

Impij desiderium, quod putat fore eius munimentū erit.

Hugo Car. ibid.

4. Ioannis 13. Christus Deus morti iam proximus, sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: & cùm accepisset linteum, præcinxit se. *Deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.* Manus, in quas omnes cæli gazas dedit pater, Discipulorum pedibus arcanè supponit. Res impaucis mirissima, & quæ semper est, eritque mysterium. Multa multi hinc ethicè promunt, vt mores ad virtutem erudiant. Verùm Chrysologus hunc Euangelistæ locum obiter perstringens, sic eloquenter æquè ac subtiliter fatur: Veniant huc, inquit, veniant, qui discutiunt potestatem Christi, & tunc de eius æquitate contendant, cùm potuerint tantam capere, loqui, æstimare pietatē: nec iam calumnientur, si se in nostro corpore Patre minorem dicat, qui non dicto, sed facto, cùm pedes lauat seruorum, se subdidit, & subiecit pedibus seruulorum. *Homo iam tibi parce, quia vt tibi parcas, tuos Deus lauit, tuos tenuit, tuos amplexus est pedes.* Scilicet solet reus sceleris conscius, & supplicij pauidus, ad pedes personæ offensæ supplex prouolui, vt obsequij submissione, illatæ iniuriæ veniam extorqueat; cùm ergo homo toties in se ipsum peccet, tot iniurias sibi irroget, quot delicta committit; tot perniciosa sibi cupiat, & noxia aduersus se moliatur, quot noxas admittit: nec vllam sui misericordiam habens, intestinæ hostilitatis vota moueet; Christus Deus, vt homo ipse sibi indulgentet parcat, ad eius genua supplex aduoluitur, & pedes eius votiuè amplexatur, si votiuè ab homine impetret, vt ipse sibi parcat. O Christi bonitas velut effusa! O pertinaciter bruta hominis malitia! ne tibi noxia cupias, perniciosa inferas, supplex tibi Christus, tuos votiuè pedes amplexatur; *Homo iam tibi parce, quia vt tibi parcas, tuos Deus lauit, tuos tenuit, tuos amplexatus est pedes.* Exorabilis esto Christo Deo, tibi pro te supplici tibi pro te ad pedes prouoluto tuos, vt exorabilis tibi existas.

Ioan. 13. v. 5

Chrysol. serm. 23.

Vt sibi homo parcat, ad eius pedes suppl x prouoluitur Christus.

§ CXI.

Ad inopinati & impropitiati Iudicis tribunal sisti, animosior reus timet, horret, palpitat.

Ab omni affectu remotissimus Iudex erit, ac si quem senserit, exuet se illo, seponetque personam amici, etiam cum de re suâ, suorumue agitur. *Elegisti te per cuncta iudicem totius erroris expertem, nec inuidiâ quemquam deprimens, nec gratia blandiente sublimans. Quod cum vbique sit arduum, tamen fit in patria gloriosum, vbi necesse est, aut gratiam parentela prouecet, aut odium longa contentiones exasperent.* ait Cassiodorus, boni iudicis proponens ideam. O quanta exurgunt Iudicum commenta! Ingeniosus amor, & auaritia est: hic affinitate aut sanguine iunctus; ille veteri aut nouâ amicitiâ: ille magnis sponsionibus, magis etiam, si donis; illi secularibus aut Ecclesiasticis dignitatibus fugent, quorum manibus quæcumque purpura nitentia sperari filio munia possunt, aut maritus filiæ. Quid? quod muliebres, non dico formæ, sed accedant preces, & doctæ mentiri lacrymæ, doctæ fallere, etiam coniugis nocturnæ: quæ donis quàm virtute maior, quibus non blanditiis dubitum aut amantem mariū flectit? etiam ab ancilla & filia itur ad dominam & & matrem, inde in maritum: & quod grauius est, *coniugi non paruisse, non amasse est.* Nec desunt exin Iudici rationes, (cùm non desint auctores) quas tam facile est amanti inuenire, quàm amare, Iam si effectus, & pronior à quacumque causâ animus, pondere suo, vnam vnùs quàm alteram partem premat. deesse rationes non possunt: nam, vt cætera desint, amor inueniet. His artibus reus edoctus, plus satagit de beneuolentia Iudicis vndecumque conciliata, quam de causæ merito: & in amico Iudice amicam sententiam securus prælegit negotiationis characteribus scriptam.

1. Cassiod. lib. 2. var. epist. 3.

Politico-Christ. lib. 1. cap. 9.

Varij modi, quibus iudices à vero & iusto abducuntur.

Ioannis 5. Christus Deus vniuersalis omnium iudex denunciatur: *Neque enim Pater iudicat quemquam: sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem.* Dedit vtique generando, non largiendo. Vide quàm te noluerit Filio suo derogare, vt tibi ipsū iudicem daret, ait Ambrosius. Nimirum vt de conscientiæ reatu humana indeuotio etiam obsequia Christo exhibeat, qui in supremo finalis iudicij die, omnes homines iudicabit. Ecquis est tā mentis

2. Ioan. 5. v. 22. & 23.

Ambr. lib. 2. de Fide c. 4.

Tertull. lib. de Spect. c. 30.

mentis inops, vt tot flagitiorum reus, iudicem suum propitiare negligat? Audi Tertullianum, qui altissimo stilo sic fatur in lib. de Spectaculis: Quale autem, inquit spectaculum in proximo est aduentus Domini *iam indubitati: iam superbi,* iam triumphantis? Quæ tum spectaculi latitudo? quid admirer? quid rideam? vbi gaudeā? vbi exultem? spectans tot tantos reges, qui in cęlum recepti nunciabantur, cum ipso Ioue, & ipsis suis testibus, in imis tenebris congemiscentes? Item Pręsides, persecutores Dominici nominis, sæuioribus quàm ipsi flammis sæuierunt, insultantibus contrà Christianis, liquescentes? Quos prætereà sapientes illos Philosophos coram discipulis suis vnà conflagrantibus erubescentes, quibus nihil ad Deum pertinere suadebant, quibus animas aut nullas, aut non in pristina corpora redituras affirmabant? (Et tandem rei iudicialis vltimò spectaculi, sic dilucidè ad rem præsentem concludit) *Etiam poëtas non ad Rhadamanti, nec ad Minoïs, sed ad inopinati Christi tribunal palpitantes?* Mirissimum planè est, & expensione dignissimum, quòd in eo vltimi iudicij spectaculo, vbi tot tantæque adsunt pauendi causæ sceleratorum Summatibus, hi *palpitare* dicantur ad *inopinati* iudicis tribunal; quem delinire neglexerunt, quia nunquam putarunt, fore vt aliquando omne mortalium genus iudicaret. *Ad inopinati Christi tribunal palpitantes.* Scilicet adest Christus Deus pręcelso sublimis solio, stipatus valido Angelorum satellitio, Tartareâ cohorte in carnifices Dæmonas tributâ, ad suppliciorum obsequelam; adest seuerus Iudex rigido supercilio timendus, exertâ diuinitate pauescendus. Ibi acerbioris iustitiæ furor totâ omnipotentiâ armatus, æternaturæ gehennæ minas fulgurat; & reorum quisque scelestissimum reatum in propriæ conscientiæ chartâ legit, stilo culpæ, & prauitatis attramento descriptum. O potentissimas metuendi causas! O quàm est horrendum in Dei viuentis manus incidere! Et tamen his pauoris causis velut omissis, hanc vnam apud homines potentissimam ad incutiendum timorem. Tertullianus suggerit, quòd Pagani ante tribunal incogitati, *inopinati,* & impropitiati Iudicis, horrore iam iam cadentis sententiæ *palpitabunt. Non ad Rhadamanthi, nec ad Minoïs, sed ad inopinati Christi tribunal palpitantes.* Quid exaggeratiùs? An non potiùs conscientiæ merito

Pagani ad inopinati Christi iudicis tribunal palpitabant.

Hieremiæ 5. *palpitarent?* Quia *magna Dei iudicia* Tobias pauide timet, ideò diuinæ iustitiæ rigores tot bonis operibus mitigare festinat, & iudicem suum pietis obsequio delinire.

3\. Exodi 7. Dixit Dominus ad Moysen: *Ecce constitui te Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* Hebraïcè, Constitui te *Eloim* id est, *Deos,* aut *Iudices* Pharaonis. Nam quamuis sit vnus solus Deus substantialiter, (ait Carthusianus) tamen participatiuè sunt plures Dij, in quantùm aliquid diuinarum proprietatum, excellētiarum, aut potestatum participant in iudiciariâ potestate, sapientiâ, præsidentia, signis, virtutibus, atque miraculis, quæ hîc data fuerunt Moysi, vt *iudiciis magnis* Pharaonem puniret. Itaque dum Moyses Iudex Pharaonis constituitur, Aaron eius Prophera designatur, vt ad Pharaonem verba habeat. Eccur Moyses renuit loqui ad Pharaonem, & vel sermonis commercium cum eo habere? Putaret aliquis, recusasse Moysen cum Pharaone colloquium, quia ipse de se dixerit, quòd *incircumcisus erat labiis. Sed incircumcisus labiis propriè*

Exod. 7. v. 1. Carthus. ibi *Cùm Deus Pharaoni, Moyses constituitur, iubetur ne cū eo verba protelet.*

Exod. 6. v. 12. Lyran. ibi.

dicitur, qui verbis superfluis vtitur, ait Lyra. Quicquid de hoc sit, (de quo nunc vbertim in expositione Exodi) saltem Moyses, *Dij*, vel *Iudices* Pharaonis constitutus, vt *magnis iudiciis*, id est, plagis acerbissimis illum puniat, eius consuetudinem constanter tenuit, & colloquia cum eo recusat; & Dei iussu eius *Propheta*, Aaron designatur, hoc est, qui pro eo ad Pharaonem loquatur. Quasi dicat Deus (ait tempestiuè Rupertus) *Noli cum Pharaone verba procleare.* Nempè cùm Moyses, (Moyses inquam, fidelissimus Dei minister, & eius pręceptionum exactus ad nutum obseruator) constituitur *Deus,* seu *Iudex* Pharaonis, vt in *iudiciis magnis* illum tot plagis acerbissimè puniat, à consuetudine, commercio, & colloquio cum reo Pharaone consultissimè arcetur, (*Noli cum Pharaone verba protelare*) ne fortè vel de eius alloquio, iustitiæ rigor, nonnihil mitescat, & reo seueriùs castigando tantisper conniueat. Sic Iudicis cum reo consuetudo, commercium, alloquium, Iustitiam fascinare solitat, verborum præstigiis? Incognitus, inuisus, & *inopinatus* Iudex, rem iustitię integriùs tractet. Vel qui rei Pharaonis *Iudex Deus* dicitur, ipsius colloquio interdicitur? *Ecce constitui te Deum (Iudicem) Pharaonis, noli cum Pharaone verba protelare.* Rupertus.

4\. Matthæi 25. loquens de finali iudicio Christus Deus, ita fatur: *Cùm autem venerit Filius hominis in maiestate suâ, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.* Id est, ostendens maiestatem suam, quam tunc, cùm hæc diceret, non ostendebat. Hugo Carensis τὸ *in maiestate sua*, interpretatur, *in diuinitate sua:* quia tunc palàm oculis videbitur, & mente cognoscetur Deus exerta diuinitate. Sed quid est: *Et omnes Angeli cum eo?* Omnes Angelos cum eo venturos dicit, &, vt declaret, omnes illius esse, & vt futuram aduentus sui maiestatem ante oculos ponat. *Venient etiam omnes Angeli,* (vt ex Chrysostomo notat Maldonatus) *vt testes sint actionum eorum, qui iudicandi sunt, quia omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Vide quàm idonei & numerosi testes in causâ hominum sistantur. Verùm S. Augustinus ad thema pręsens opportunus per τὸ *omnes Angelos,* homines interpretatur, qui iudiciariam tunc potestatem cum Christo exercebunt. *Et omnes Angeli cum eo,* inquit, *Angelorum nomine significauit homines, qui cum Christo iudicabunt.* O! qui homines iudicat, tam debet desuescere omnes familiaritates, cognationes, necessitudines, amicitias, odia, æmulationes, & reliquas affectiones humanitatis velut appendices, vt de natur exgrege diuortio *Angelos* æmuletur. An non satis erat, difficile, eligendos in iudices fore sanctitate pręlustres, æqualitate cōspicuos, beatitate impeccabiles; nisi, quò omnes simul abrumperet cognationes, *Angelos* nominasset? Homines erunt qui cum Christo Deo iudicaturi sunt; sed ne aliquid de hominum vitiis traxisse videantur, vel hominum vocabulum diffiteantur, & *Angeli* nuncupantur. Sic vel nomen hominum suspectū in Iudice est, vt illud priùs desuescat, & *Angelico* vocabulo dissimulet, quò omnia corruptelæ suspicio, & integritatis elogiū adstruatur; Indè *Angelorum nomine significauit homines, qui cum Christo iudicabunt.* Sic beatos etiam homines, appellat *Angelos*, vt omnes suspicionis fibras eximat, ne vel de nominis cognatione suspecti videantur.

Matth. 25. v. 31.

Hugo ibi.

Homo iudicaturus consultissimè Angelus nominatur.

Maldonat. ibi. ad Heb. 1. v. 14.

Augustin. apud Caren. ib.

§. CXII.

Homines in Dei iniuriis benigni sumus: in nostris verò implacabiles.

1. ALiena vitia in oculis habemus, à tergo nostra sunt. Videmus quidèm aliena, & curiosè notamus, & in illa persepè irascimur inutili Zelo: sed facilè illis ignoscimus, nisi fortè nos læserint. Quod si vel leui tangamur offensâ, implacabiles sumus. Nemo benè irascitur, vbi vitium natura defendit: sed propriam offensam vix defendi posse putamus, aliena verò facilem semper habet excusationem, & venialem apud nos offensionem. In Dei etiam offensi benignus est homo qui in suis inhumanus & immitis est. Auarus quisque de re non suâ liberalis est, & alienæ sæpè prodigus. Friget diuinæ gloriæ zelus, vbi gloriæ propriæ nimis audet. Facile impetratur venia de eo, quod ad nos non attinet.

Alienas offensas facilè remittimus.

2. Matthæi 18. valde commendauerat Christus Deꝰ humiles & pauperculos, pusillitate ipsâ inermes & inualidos. Cúmque hi maximè expositi sint potentiorum iniuriis; quasi iniuria impunita, sit potentiorum stipendium: & aliena imbecillitas, ius ad inferendam licenter iniuriam: hæc præcipit Christus: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe illum inter te, & ipsum solum*, &c. Ardua hinc oritur lis inter antiquos & recentes commentatores, quare dixerit: *Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum*; & non idem dixerit, si peccauerit in Deum? An magis sollicitus est Christus de peccatis in hominem, quàm de iniuriis Deo illatis? Solerter præcauet, & correptione frænat offensas in hominem iactatas, & iniurias in Deum patratas hîc negligit? Diuina posthabentur humanis? Hęc difficultas non effugit solertem Patrum sagacitatem in extricãdis Scripturis, adeò vt existimauerit Origenes, de peccatis, etiam in Deum commissis, hæc Christi verba fore intelligenda. Verùm S. Hilarius, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, quos passim recentiores sequuntur: cùm audiant è Christi ore, *Si peccauerit in te*, de offensâ graui contra hominem illatâ, hæc verba genuino sensu interpretantur. Quid ergò est in causâ, vt Christus tam sollicitè prouideat, vt homo offensus suum offensorem reprehensione cõpescat: & offensas in solum Deum iactatas, irreprehensas dimittat? Tanta-ne cura, ne homo hominem offendat! an negligit Christus Deo illatas iniurias? Verùm serio putauerim, hîc pro maiori honore & diuinæ offensæ exaggeratione, nil nunc agere Christum Deum de diuinæ iniuriæ ab homine increpatione. Scilicet homo offensus, offensori suo post reprehensionem ignoscat: Dei autem iniurias nõ sic permittit Christus humano arbitrio: benè scius, quod homo propriis offensis difficile parcere solet, alienis autem iniuriis facile ignoscit: Quod eleganter ad ea Christi verba, notauit Hieronymus, ita fatus, *Sciendum tamen quòd si peccauerit in vos frater vester, & in qualibet causa vos læserit, dimittendi habetis potestatem, imò necessitatem; quia præcipitur, vt debitoribus nostris debita dimittamus* (Nota ad rem verba quæ subiicit, eruditionis plena) *Propter quod & hic dicitur: Si peccauerit in te frater tuus: Si autem in Deum quis peccauerit non est nostri arbitrij: Nos è contrario in Dei iniuria benigni sumus, in nostris contumeliis exercemus odia.* Nempe homo, etsi potestatem, imò necessitatem habet dimittendi iniurias, illas priùs reprehendat, & iniuriantem correptione aut delatione compescat: nam acceptę iniuriæ vulnus, congruè reprehensionem exacerbabit: nec exteriùs ignoscet, nisi reprehensione, aut delatione correcto. Et auersus iniurias, non in se, sed in Deum commissas, arbitrium non est penes merum hominem: nam *in Dei iniuriâ benigni sumus, in nostris contumeliis exercemus odia.* O quàm facilè condonat homo offensas Deo illatas! quàm difficile iniurias in se commissas! In noxis aduersus Deum patratis, vel diuinę liberalitati vult homo præcurrere, & offensori de benignitate præpoperè gratulari: & nimis iniuriæ suę condonandæ auarus, diuinam offensam prodigè condonabit. Sit ergo homo suæ iniurię sequester, non Diuinæ arbiter. Non ergò sit merè *humani arbitrij* diuinas condonare offensas, nam *in Dei iniuriâ benigni sumus, in nostris contumeliis exercemus odia.*

Matth. 18. vers. 15.

Orig. tract. 6. in Matth.

Homo in Dei iniuriâ benignus est, in suis contumeliis inexorabilis.

Hieronymus ibi.

3. Lucę 15. Luxuriosum filium, filium patris piissimi desertorem, quem adeò pertulerunt mala, vt fame tabidum porcorum dederint seruituti, Euangelista describit: eius etiam reditum meliore iam voto, verbis lætioribus prosequitur. In se, inquit, reuersus dixit: ibo ad patrem meum. In se antè redit, vt rediret ad patrem, qui à se antè recesserat, eam recessit à patre. Sed attendamus ad verba, quæ diu adolescens præmeditatur, quibus patrem ad benignitatem alliciat, & optatam veniam fidenter extorqueat: Dicam, inquit, ad patrem meũ: *Pater, peccaui in cælum, & coram te.* Hæc ne verba diu præmeditata recitat; Valde fallor, nisi rem inuertit: neque enim coram patre, sed procul à patre deliquit, neque contra cœlum, sed coram cœlo, quod aspectabili ambitu amplectitur vniuersa. Satiùs ergò dixisset: *Pater, peccaui coram cælo, & in te.* Cúmque rem peruertit, aut animo perturbato hæc dixit, aut abstrusum aliquod ibi latere mysterium, piè censendum est. Innumeris expositionibus hunc locum onerant commentatores, quas nunc sciens omitto. Scilicet vt à patre (qui personam hominis gerit) veniam adolescens impetret: consultissimè dixit, quòd peccauerit in cælum, & coram ipso: non expressè contra ipsum patrem, à quo veniam impetrare negotiatur. Nam vt peritè notauit Maldonatus inibi, cùm dixit adolescens: *Peccaui in cælum, perinde est atque si dixisset: Pater peccaui contra Deum.* Vide iuuenis sagacitatem. Pernoscit hominum ingenium propriis iniuriis valde exasperari, & delictis in Deum commissis facilè ignoscere? ait ergo: O pater, etsi coram te peccaui, contra Deum tamen peccatum commisi: hominem geris, hominum mores indue: *Nos in Dei iniuria benigni sumus, in nostris contumeliis exercemus odia.* Inde quâdam impetrandæ veniæ sagacitate, dissimulat contra patrem peccasse, & *peccasse in cælum*, id est, *contra Deum*, ingenuè fatetur, quando, vt sibi benigniùs ignoscat, maximè percupit. O nimis verum! Ecquis iam Dauid, qui videns in Deum peccantes, tabescebat? ecquis Elias, qui zelum Dei acerrimè zelauit? ecquis Ignatius, qui vel in inferno plus se torqueri putabat blasphemiis aduersus Deum iactatis, quàm gehennalis incendij perennaturo ardore? ecquis Tobias, tot calamitatum, & iniuriarum contra se benignè patiens? qui

Prodigus adolescens, ælumo se offendisse dicit, vt ei homo facile remittat offensam.

Lucæ 15. vers. 21.

Maldonat. ibidem.

Hieron. in Matth. 18.

Ignatij elogium.

Hic verſ. 6. qui vbi Dei honorem à ſuis incuſari audiit; tum *ingemiſcens* ait: *Expedit mihi magis mori, quàm viuere?* O, qui tabeſcit ad Dei offenſas, negligit proprias iniurias: qui negligit Dei iniurias, ad proprias cõtabeſcit? *Elque es mas resentido en ſus iniurias, ſiente menos, y pardona mas facilmente las de Dios.* Qui nos tangit, oculorum Dei tangit pupillam:& qui Deum grauiter ferit, nec leuiter nos tangit; O inſenſibilem impiè ſocordiam!

4. Ioannis 2. cùm in ſacroſancto Dei templo, quaſi in profano vrbis foro, commercia exercerentur, rerum venalium nundinatione lucroſâ; Dei Filius Patris Dei Zelo extimulatus, ad aſperiora verba, verbera addit: Cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque & boues, & numulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit. Er his qui columbas vendebant, dixit: *Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.... Reſponderunt ergò Iudæi, & dixerunt ei: Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?* Duo in hoc facto præcipuè adparent, quæ Iudæorum animos exaſperare poſſent; & quòd Patrem ſuum appellauerit Deum, quod grauatè nimis audire ſolebant; & quòd eos flagris durè cederet. Aſt dum de verberum acerbitate, & de proprij lucri iacturâ dolent, *Ecce Patrem vocat, & non iraſcuntur*, aduertit inibi tempeſtiuè Chryſoſtomus. O! vbi eſt illud: *Propterea ergo magis quærebant* IESVM *Iudæi interficere, quia Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo?* Ob vile lucellum, & leuem dolorem ſic exaſperantur, & quam ſacrilegam putabant blaſphemiã aduerſus Deum, ſic oſcitanter negligunt; Imò eandem ob cauſam; ſic res habet. Homines enim in propriis offenſis implacabiles, in Dei iniuriis nimis benigni ſunt.

Iudæi de proprio detrimẽto, Dei iniurias non ſentiunt.

Ioan. 2. v. 16. & 18.

Chryſoſt. hom. 22. in Ioan.

Ioan. 5. v. 18.

5. Geneſeos 15. Abrahæ reuelat Deus, eius poſteros poſt quadringentos annos Terram promiſſionis tandem poſſeſſuros. *Generatione autem quartâ reuertentur huc: necdùm enim completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum vſque ad præſens tempus.* Et quæ hæ ſunt Amorrhæorum iniquitates, quas compleri expectat Deus ad externam grauiſſimè punitionem? Non ne quoduis graue flagitium id condignè promeretur? Doctè Caietanus: Hîc ait, *Docemur quare Deus differat iniquorum punitionẽ in hâc vitâ: & quòd Deus non penſat merita pœnarum ſecundum grauitatem peccatorum quatenus ſunt offenſæ Dei: nam ſic quodlibet peccatum mortale meretur exterminationem.* Diſcant hinc humani Præpoſiti, quod ſummus omnium Iudex non dicitur punire in hâc vitâ delicta, quatenus ſunt ſui offenſa. O ſæuas Iudicum humanorum iras ſui vltrices! leue habetur graue alioqui delictum, quòd iudicem non offendit: quaſi ſola Iudicis offenſa ſit acerbioris pœnæ reatus. Deus ſic ſeuerè punit in hâc vitâ offenſas aduerſus homines commiſſas; & homo ſic negligit offenſas Deo factas; O diſcat homo implacabilẽ eſſe in Dei iniuriis, in ſuis verò mitiſſimum, & velut inſenſibilẽ.

Geneſ. 15. v. 16.

Deus non pẽſat in hâc vitâ merita pœnarum ſecundum grauitatem peccatorũ, quatenus ſunt offenſa Dei.

Caiet. ibi.

§. CXIII.

Cunctationem in tormentis, in ſolatium ſuum martyres reputabant, fruendæ interim torquentium malignitati de pœna morâ.

1. VIr ſapiẽs, & virtutis perfectè ſtudioſus, valdè ſatagit demere rebus tumultũ, & incertum gregarij vulgi ſtrepitum, ac videre quid in quâque re ſit, tunc per ſæpè noſcit, in maximè terribilibus, nihil, eſſe terribile, niſi ipſum timorem. Quod vides accidere pueris, hoc nobis quoque maiuſculis pueris euenit. Illi quos amant, quib. aſſueuerunt, cum quibus ludunt, ſi personatos vident, expaueſcunt. Nõ hominibus tantùm, ſed & rebus perſona demenda eſt, & reddenda facies ſua. Quid mihi gladios & ignes oſtendis & turbam carnificum circa me fremẽntium? Quid tu rurſus mihi flagella & aculeos magno apparatu explicas? Quid ſingulis articulis ſingula machinamenta, quibus torquéantur minaris, & mille alia inſtrumenta excarnificandi particulatim hominis? Pone iſta quæ nos præuio metu obſtupefaciunt, iube cõticeſcere gemitus & exclamationes, & vocum inter lacerationem eliſarũ acerbitatem. Nempe dolor eſt, quem podagrus ille contemnit, quem ſtomachicus ille in ipſis deliciis præfert, quem in puerperio puella perpetitur. Leuis eſt, ſi ferre poſſum, breuis eſt, ſi ferre non poſſum. Hæc in animo voluta, quæ ſæpè audiſti; ſed an verè audieris, effectu proba. Saltem ſpirãtia exempla à Chriſtianiſmi auſpicio relege; vbi agnoſces, vitis Chriſtianã ſanctitate inclytis, voluptates in tormenta verti, tormentis voluptates excudi. Adeò vt vel præuium pœnarum horrorem, qui inſanâ pompâ nos pœnaliſſimè territat, protendi exambierint, quò diutiùs tormenta præſumant, & in iam præſumptis, euadendi deſperatione pœnis, iucundiùs delicientur. Sic fidei ſpe timorem exarmant, dum communis horror priuatam voluptatem ſtillat, melleo ſucco dulciorem.

Ferè ex Seneca, epiſt. 24

Humana calamitates, perſonata ſunt.

2. Gentium doctor hoc prœmiolo poſteriorem ad Corinthios epiſtolam auſpicatur: Benedictus Deus & Pater Domini IESV-CHRISTI, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtrâ. Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis: ita & per Chriſtum *abundat conſolatio noſtra.* Vnde tanta Paulo conſolatio, quæ in eius modeſtiſſimo ore ſe exundat? Nolumus, inquit, vos ignorare fratres de tribulatione noſtrâ, quæ facta eſt in Aſiâ, quoniã ſupramodum grauati ſumus. *Sed ipſi in nobis ipſis reſponſum mortis habuimus.* *τὸ reſponſum*, negotium faceſſit commentatoribus. Inde Gloſſa, *ſententiam mortis* exſcribit Anſelmus: *Certitudinem omnimodam diſſolutionis.* Strabus Fuldẽſis expendit illud. *In nobiſmet ipſis*, ſic præfatum locum exponens: *Non ſolùm alij de nobis, ſed ipſi in nobis ipſis reſponſum (ſententiam) mortis habuimus. Quia natura noſtra nil niſi mortem promittebat. Tantam inſolentiam iniquitatis ſignificat inſurrexiſſe*, &c. In tantã iniquitatis inſolentiã, quã Paulus in ſe ipſo, & in aliis certam mortis ſententiam præmaturè legerat; tantã ſe diuinæ *conſolationis abundantiâ* delibutum denunciat? In ditã mortis diu productæ expectatione, (quotidie morimur) ſic cælitùs conſolatus, lætanter exultat? Non valdè admiraret, quod qui cupiebat diſſolui, & eſſe cũ Chriſto, ſemel moriens exultanter gauderet. At qui reſponſum mortis à ſe, & ab illis accipit, qui quotidie moritur, qui vnam mortem longâ expectatione frequentat, *(in mortibus frequenter)* ſic de cunctatione gaudio abundat; Audi de hâc re Tertullianus, qui potiùs de naſcentis Eccleſiæ Chriſtianis, (quos appellat *expeditum morti genus*) quàm de ſpiritibus nequam, ita eloquenter ſcribit: *Præterquam & deſperata conditio eorum*) Chriſtianorum iam, qui martyria

2. Cor. 1. v. 9.

Gloſſ. ibi. Anſelm. Laud inibi. Strab. ad eum locum.

Martyr ex prædamnatione ſolatiũ captat fruenda interim malignitati de pœna moris.

Tertull. Apolog. cap. 27.

martyria hiantes expectant ab iniquo & barbaro Præside (*ex prædamnatione solatium reputat, fruendæ interim malignitati de pœna mora*. Scilicet humanæ mentis inopia, calamitatum fœcunda, tormenta pauore anticipat, metu accersit; & cùm præsentia mala duntaxat excrucient, nemo tantùm præsentibus miser est. Paulus verò non tantùm recordatione antiquas tribulationes reuersat, & futura mala expectatione anticipat; sed futuram *frequenter* mortem prægustat, ac voto instantis diu calamitatis fruitur, & in eius diuturnâ productione iucundiùs deliciatur: nec tantū cruciatus subeundus, sed eius opinio cruciatibus ipsis acerbior, illi benè dulcis est. Dum *responsum mortis accepit, ex prædamnatione solatium reputat, fruendæ interim malignitati de pœna mora*. Quasi vt momentaneum & leue, tribulationis tempus incusat; & inde illud satagit expectationis artificio, & opinionis ingenio ad molestiam protelare, fruendæ interim malignitati de pœnæ mora, sibi de diuturnitate tormēti gratul. tus. O patiendi auaritiam meritorum prodigam, & gloriæ opulentam! Et sanè de bono martyrij aspectu ad sui æui Martyres, aptiùs id dici posse, constat ex ipso Tertulliano, qui in eodem libro de martyrio scripserat: *Quid hoc mali est, cuius reus gaudet? cuius accusatio votum est, & pœna felicitas?*

Martyrij olim censu.

Apolog. c. 1.

3. Antiquorum Patrum virtus, etsi magnâ ex parte sublimissima sit, aliquando tamen cruda videtur, etiam quæ in leue vitium non degenerauit: quovsque Euangelium ad comptioris sanctitatis saporem, mores eruditet. Itaque Iobus tot plagis male saucius, cùm non tantùm doloris sensu, sed iugi ac viuido plagarum censu, & aliarum denuò infligendarum opinione acerbiùs angeretur, hæc lugubri ore fatur: *Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentium rideat*. Quæ Iobi verba his Hugo Cardinalis elucidat: *Occidat semel: id est, finem flagellis eorum imponat, simpla morte corporis interueniente. Et ita innuit pœnam iustorum terminabilem. Et non de pœnis innocentium rideat: sicut ridebis de pœnis impiorum*. Iobus, Iobus inquam, vir in paucis perpetitius, qui patienter acceptas plagas tolerat, sic futurarum opinione angitur; ô nimis verum! *Plura sunt quæ nos terrent, quàm quæ premunt; & sæpiùs opinione, quàm re laboramus. Illud tibi præcipio, ne sis miser ante tempus, cùm illa quæ velut imminentia expauisti, fortaßè nunquam ventura sunt: certè nondùm venerunt. Quædam enim nos magis torquent, quàm debent: quædam antè torquent quàm debeant, quædam autem torquent, cum omninò non debeant*. Pio videntur dicta cothurno, sed nondū Christiano. Vis nosse vlterioris perfectionis metam, ad quam Christianismus decurrit? Vel in futurarum opinione pœnarum iucundiùs deliciatur, adeò vt non tantùm in tormentis, sed in ipsa tormentorum longâ expectatione lætitiam captet, dum ex prædamnatione solatiū reputat, fruendæ interim malignitati torquentium de pœnæ morâ. Audiendus est etiam Eusebius alibi aliotsū expensus, sic dē Lugdunensium martyrum magnanimâ virtute fatus: *At si per tormentorum plagas, & torquentium moras, prius consecrati sunt, quā perempti*. Felix qui diu cruciari sic exoptat, vt mortem, quæ in votis est, quodammodò inhibere cupiat, vt per longas torquentium moras diutiùs excrucietur. Felix, qui patientiæ velut prodigus, & quasi pœnarum auarus, *moras torquentium* expetit, vt vel imminentis diu supplicij expectatione diu cruentetur. Felix, qui sic deliciatur in pœnarum impendentium opinione, vt desiderium mortis pœnali cruciamento tum morâ dissimulet. Perpessa iam mors, martyres facit; at *torquentium mora*, fruendæ diu carnificum malignitati exoptata, ante mortem martyres *consecrat*. Iobi ergo & Tobiæ virtus, Euangelicæ cedat, de animositatis præstantiâ. Hic vers. 6.

Iob 9. v. 23.
Hugo ibi.

Senec. epist. 13.

Torquentium mora martyres consecrant, prius quam periment.

Eus. hom. de S. Bland.

4. Gentium Doctor, qui in fidelium calamitatibus præ compassione perpetuò afflictabatur; in suis vsque adeò frequentibus, velut impatibilis, flecti-nescius constāter perdurabat. In omnibus, inquit, tribulationē patimur, sed non angustiamur: apponimur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deiicimur, sed non perimus: *Semper mortificationem* IESV *in corpore nostro circunferentes....... Semper enim nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum*. Nuper dixerat Paulus: *In mortibus frequenter*; nunc ait, mortificationem Iesu, id est, eius mortem & crucem in suo corpore *semper* circumferre, lætitiâ inenarrabili & glorificata, aiens: Sed & gloriamur in tribulationibus, & beatis calamitatibus semper gaudemus. Per idoneè Saluianus: *Semper in cruce positi, beati; qui cùm omnium misereantur, sibi nunquam penitùs ignoscunt*. Bonus Paulus, qui nec de commiseratione quam in alios habet tantisper ergarse miserationem edīscit, sibi nunquam penitùs ignoscens; sed in mortibus freqēnter, *semper, semper* inquam, *mortificationem Iesu-Christi in corpore suo circunferens, semper in mortem traditus, semper in cruce positus*, quādam pœnarum ambitione *beatus*: quippe qui dixerit, Gloriamur in tribulationibus, quas tota vitæ spatia longius ad patientiam protelant, & ad meritum prolixiùs adampliant: per tribulationum moras, priùs consecratus, quàm peremptus. Felix qui in vitæ termino semel gladio iugulum præbuit; *Semper in cruce positus beatus*. O de diuturnitate beatas Pauli calamitates!

Ad Cor. 2. c. 4. v. 10. & 11. *Paulus semper in cruce positus, beatus.*

Saluian. l. 4. ad Eccles.

§. CXIV.

Diabolus prudens in malitiâ dicitur, cum virtutis specie lenocinatur, vt ad vitia trahat incautos.

1. SEntentiosa Athanasij vox est: *Diabolus prudens in malitia*. Excellens astutia, & ingeniosa in tentando vafrities, quâ pietatis obtentu ad impietatem homines allectat, *prudentiæ* elogium Diabolo fecit: *Alioquin* (ait Tertullianus) *in modico consisteret & Diaboli ingenium de malitia, & Dei Domini de Disciplina, quæ nos aduersus Diaboli altitudines munit*. Acutè sagacissimum est ad tentandum *ingenium*, & arcanis profundæ astutiæ *altitudinibus*, humanæ perspicaciæ absconsum; dum putrem vitij malitiam, bonitatis nitore depingit, & infame nequitiæ dedecus honoro, pietatis titulo illustrat. Malitiam voto concipit, & honestatem parturire videtur, sed infelici virtutis abortu, vitium nascitur, pietatis obuolutum fasciis. Diabolus prudens est in malitiâ, cuius in tentando *ingenium* præ *altitudine* peruium plerumque est. Pietatis prætextu impietates ructat. Benignitatis colore sæuitiam celat; & dum specie tenus ambit virtutis decus, cautiùs impietatis perstillat ignominiam, & tectiùs malitiæ

Athanas. l. de Virgin.

Tertul. de Idololatr. c. 2.

Diaboli ingenium prudens, in malicia dicitur.

tiæ virtus incautis propinat. Blandè allicit, vt durè allidat: benignum se præber, vt sæuiùs ferociatr pietatem honestè præfert, vt ad impietatem honestiùs deducat, dum benigni captat eloqium. An non hîc dæmon quasi Saræ amasius, & illius vindex, impuros arcet amatores, vlciscens salacitatis offensam? Sub benignitatis specie inhumanus est, & glorioso pietatis titulo, nequiorem callidè malitiam exercet. O caue, ne in hâc diabolicæ calliditatis *altitudine* naufragium facias! *Diabolus prudens est in malitia. τὸ prudens*, ancipitis est, significantiæ, procul calumnia.)

Hic vers. 8. apud text. Græcum.

2. Matthæi 4. Diabolus malitiæ princeps, & tentationum præses, inde cœpit tentare in deserto, vnde iam in paradiso vicerat. Cognouerat Dei Filium esse venturum, sed venisse per infirmitatem corporis non putabat. Aliud explorantis, aliud tentantis est: & Deo se profitetur credere, & hominem conatur decipere. Eam ergo in tentando conditionem operis proposuit, per quam in Deo ex mutatione lapidum in panes virtute agnosceret, & in homine oblectamento cibi patientiam esurientis illuderet, & in se præclarum benignitatis specimen exhiberet. Agnosce Diaboli ingenium altitudinibus profundum: specie pietatis, impietatis technas obumbrat. Itaque cum ieiunasset Iesus quadraginta diebus & quadraginta noctibus, posteà esuriit. Nota Diaboli compassionem, & Christi cibandi sedulitatem. *Et accedens tentator dixit ei, Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Quæ est hæc Diaboli benignitas, vt diu esurientis calamitatem, ciborum oblatione depellat? Vnde Diabolo tam opportunè festinata pietas; è virtutis olim conceptaculo, an de astutæ exinceps malitiæ promptuario? Nimium in Diabolo peregrinaretur misericordia, cuius gratior cibus est humana perditio; quorsùm ego cibos diu ieiuno & esurienti vltrò offert? Eloquenter Gregorius Nazianzenus ita scribit: *Expleri non potest Diabolus, per omnia grassatur: benignitatis quidem specie lenocinatur. Hæc est illius pugnandi ratio.* Nempe Diabolus in sui primordiis citò sanctitatis satur, virtutem æternùm fastidit, & humana vitia ventre esurie inexplebili, atque acri perenniter esurie hiat: inde per omnia solerter grassatur, & dolosis malitiæ callibus simulatam pietatem spargit, vt incautis illudat. Pietatem fronte ostendit, vt ad impietates certiùs pertrahat; & specioso *benignitatis* titulo tentationes vaferrimè occultat, vt ipse se glorioso *benignitatis* nomine cohonestet, & sub aspectabili pietatis cibo hamum tentationis ad conscientiæ læsuram abscondat. O profundas Diaboli *altitudines*! O versutissima tentationum ingenia! Dum ad vitij dedecus homines astutus Dæmon pertrahit, illustre benignitatis elogium ambit; Sic in terris est augustum *benignitatis* nomen, & latè serpens beneficentiæ fama, vt malus Dęmon, qui benignitatem fastidit, & dirè execratur, beneficentiæ titulo se cohonestare & illustrare peruersâ ambitione negotietur; O timendum infernalium ministrorum stratagema! Pietatis armis se tartarea modulatè armat impietas, quò faciliùs humanam exarmet; *Benignitatis quidem specie lenocinatur, hæc est illius pugnandi ratio.* Ecquis de benignitate timeat? quis pietatem suspectam habeat? Nec pia beneficentia est tuta à pestifero Diabolorum afflatu? *Diabolus prudens est in malitiâ.*

Matth. 4. v. 3. *Diabolus benignitatis specie ad impietates lenocinatur.*

Nazianz. orat. 38.

Diabolus benignitatis nomẽ exâbit.

3. Profectò magis peccat peccatum, quod sacrilego criminosè incestu pietatem constuprat, & de Diaboli ingenio obtinet, vt cum vitiis scortetur meritoriâ prauitatis libidine. De Christi Dei scholâ, & ore est illud Matthæi 5. *Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te..... Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proiice abs te.* &c. Dexter oculus, si fortè præuaricatus sit, eruẽdus est, & à nobis proiiciendus, (idem de manu dexterâ iudicium esto) & nihil simile de sinistro oculo auditur? Veniam, quã meretur dexter oculus, vnde sinister impetrauit? Quod arguté incertus Chrysost. addubitat; *Si enim*, inquit, *dexter oculus scandalizat, sinister quid facit? nunquid contradicit dextero, vt quasi innocens reseruetur?* An non sicut dexteritate virtus censetur, ita sinisteritate vitiositas designatur? Numquid exteris vitiis ignoscitur, & pietati laruâ virtutis obtectæ, ac præferentis pietatis frontem, venia denegatur? Si oculus dexter scandalizat, sinister quid facit? ergò aut vterque, aut neuter eruendus est: quid culpauit dexterum, à quo sinister immunis sit? Sinister oculus vitiorum sinisteritatibus coalitus, in quo vitij prauitas te consuescit, vel potiùs tanquam indita hæret; eruendus non dicitur: & dexter oculus virtutibus perdiu adsuetus, in quo de humanâ imbecillitate ad bonum titubante, & Diaboli astutiâ ad malum instigante, vitium peregrinatur, prorsus eruendus erit? Quid in oculo dextro tam scelestè criminosum apparet, quod tanti supplicij reum efficiat? Pulchrè Laurentius Nouatiensis: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, &c. Ingemisce pro anima, quam cupiditas violauit, & oculus dexter fecit degenerem.* Nimirum tunc ex imis præcordiis ingemiscendum est, & præ nimio dolore tabescendum, cùm astutia dæmonis sic carnis, aut auaritiæ, aut vindictæ, aut ambitionis cupiditatem inquietat, vt *dextrum oculum* virtutis de se administrum, cogat impietati seruire, & sub probitatis specie vitiis militare. Tunc, tunc quidem, rationalis anima, dum per *dextrum oculum* tectiùs delinquit, ignominiosiùs *degenerat*, quandoquidem virtutem facit vitij auctoramentum, & malitiæ asylum. Eruatur, eruatur dexter oculus dexteritatis tefuga, pietatis proditor, & vitij proxeneta; eò criminosiùs, quò impietatem pietatis penicillo colorat, aut de materiâ virtutis vitium exstruit, aut dexteram facultatem probitati adsuetam, proditrice malitiâ degeneri prauitati adsuefacit. Ingemisce pro animâ, quam vaferrimo instigante Diabolo, obtentu pietatis, dissimulata violauit cupiditas, & *oculus dexter fecit degenerem.* Malè astutus Dęmon, & benè tentãdi gnarus, *benignitatis quidem specie lenocinatur. Hæc est illius pugnandi ratio*, bonitatem propinat, vt in bonitate homines inebriet quò vitiorum crapulam æternùm dormiant. Leuiùs delinquit, qui bellum virtuti aperto Marte indicit, quàm qui virtutis armis virtutem oppugnat. *Diabolus prudens est in malitiâ.*

Matth. 5. v. 29.

Imperf. hom. 12.

Oculus dexter criminosius in vitiâ degenerat.

Laur. Nou. homil. de Pœnit.

4. Ioannis 9. versutè callidi Hebrææ gentis Pontifices, de sagaci Scribarum & Pharisæorum consilio, religione aduersus religionem armatur; conspiratione factâ, *Vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret*: quò ipsi astutè Synagogam, id est, Dei tunc Ecclesiam occupantes, indè Christo eiusque Ecclesię, sub specie religionis periculosius bellũ inferrent. Quod de Basilij inimicis percommodè his verbis notauit Nazianzenus: *Ipsi autem*, inquit, *cum Eccle-*

Ioann. 9. v. 22.

Ne fiat Ecclesia errorum propugnaculum, quod intentabant Basilij hostes.

siam

Naz. orat. pro Basil. *siam occuparent, eamque sceleris sui propugnaculum efficerent: atque hinc inde velut ex arce quâdam id omne quod reliquum erat popularentur*, &c. O versutam Diaboli astutiam! Per suos administros non audet aperto Marte contra Ecclesiam bellum gerere: igitur subdolè pietatis specie Ecclesias occupat: & inde religionis obtentu, quasi *arce quâdam* munitus, errorum iacula velut è pietatis *propugnaculo* contorquet.

5. Matthæi 13. Simile est regnum cœlorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo: cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici. Interrogatus autem à seruis: *Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Ait illis; Inimicus homo hoc fecit.* Hieronymus, quem ferè Commentatores sequuntur, in eâ est sententiâ, vt seriò existimet, quòd Dæmon dicitur *inimicus homo.* Hinc politiores huius loci Interpretes solerter inquirunt, quare Diabolus, qui homo non est, sed purus spiritus ab Euangelista *inimicus homo* dicatur? Putaret forsan aliquis, quòd ad Diaboli hostilitatem exaggerandam, non appellatur diaboli vocabulo, sed *hominis* nomine nuncupatur. O! sic homo hominis infestus nimis inimicus est; Sic atrociter homo aduersus hominem ferocit; Verùm Hugo Catensis sic difficultatem ad rem præsentem extricat: *Inimicus homo hoc fecit. Id est, Diabolus..... Vel quia primas inimicitias voce significatiuâ, quæ solius hominis naturaliter est, exercuit: ideò dicitur, Inimicus homo. Vel quia sub similitudine rationis humanæ decepit.* Prior ratio subtilior est; & quæ valde exaggerat quā perniciosas inimicitias vox humana gerat. (de quo alibi.) Hæc autem posterior Hugonis ratio peridonea est. Nempe, ideo Diabolus ad nequitiæ hyperbolem dicitur. *Inimicus homo, quia sub similitudine rationis humanę decepit.* Porrò tentatio, quæ ad *rationem* humanam componitur; & illi obtemperare, rationi consonum verosimili deceptione apparet; illa, illa inquam, perniciosior est, stragésque irremediabiles in conscientiâ edit, dum rectæ rationis falsato prætextu securè decipit, & sub antidoti titulo venena propinat. Vnde ad diabolicæ hostilitatis exaggerationem, Diabolus dicitur, *Inimicus homo, quia sub similitudine rationis humana decipit.* Ecce tibi, Diabolus prudens in malitiâ appellatur, cum virtutis specie lenocinatur, vt ad vitia trahat incautos.

Matth. 13. v. 27.

Diabolus, Inimicus homo dicitur, quia sub similitudine rationis humana decipit.

Hugo ibi.

§. CXV.

Homo perfectæ virtutis studiosus, esto maledicè calumniatoribus inuerso gratus officio.

1. VIr bonus, & virtutis sedulò studiosus, contentus rectis magis placere, quàm plurimis, sortitur de innocenti actione testimonium. Si loquentem audias, illum velut morum institutorem suspicis: si tacentem spectas, in illo apparet magistra taciturnitas, & eruditi forma silentij: si illi occurras, de occursu suo vitia suffundit, illumque vidisse, eruditi est. Sed hic quantumuis à probis probatus, dum à generalitate nescitur, maledicorum obtrectationes non fugit: nam vel de inuidiâ, vel de generatione, vel de libidine, communis maledicentia in illum armatur; imò dum quisque à maledicentiâ eruditulum & disertum haberi cupit, dente venenato, eius, morsicat famam, atque rerum ac personarum censum de suo censu & ore facere studet.

Si niueo constet merito quis, teste senatu,
Cogimus hunc omnes dicere nocte satum.
Et reus, & sanctus de nostro nascitur ore:
Dum loquimur, captum ducimus arbitrium.
Qui nostris seruit studiis, mox imperat orbi, &c.

Sic ipsi putant Sed frustra linguæ labor. Non prouocat innocentia h.s vituperonum iniurias, sed nec valdè timet; prudenter autem negligit quippe vulnere cassas. Ægrè Tobias vxoris conuicia tulit; grauarè Sara petulantis mulierculæ opprobria audiuit: sed vterque absque famæ detrimento conticuit, dum conuiciator vterque in se potiùs reuerberauit offensam, Tobiæ & Saræ famâ & patientiâ prorsus inuulneratâ. Ecquis vtriusque vituperatoris impudentiam non incusat? Apud quem Tobiæ & Saræ probitas, hisce maledictis tantillùm deuenustatur? quod in personam offensam non cadit, protinus in offensorem iustè resilit.

Et reus, & sanctus de nostro nascitur ore *maledicorum hac vox est.* Ennod. in Paræn. Didasc. ad Ambros.

Hic v. 9.

2. Geneseos 1. in mundialis opificij exordio, rebus adhuc infectis, & abysso tenebrarum squalore obsitâ, lux accenditur mundo. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux. *Et vidit Deus lucem quod esset bona: & diuisit lucem à tenebris.* Bona lux, quæ gratiam meretur Auctoris; quæ qualis fuerat in ideâ, in opere apparuit: quæ non linguam, sed oculos meruit habere laudatores; & quæ diuinæ laudationis dedicauit auspicium. Sed quid est, quòd delicta & dilaudata à Deo lux, mox à tenebris segregatur? *Et diuisit lucem à tenebris.* Clara lux longâ spatiosè interuallatur à tenebris distantiâ: an quia obscuritatem de tenebrarum viciniâ timet? An non de propriâ naturâ potentissimâ tenebrarum expultrice; & de laudatione diuinâ meritum rebus excudente, aduersus tenebrarum insidias potenter armatur? & vbi est contra tenebras victrix semper lucis hostilitas? O tenebrarum aduersus lucem, pertinacem frustrà insolentiam! O de lucis gymnasio ediscant, qui vitæ splendore micant, tenebrarum insidias non timere. Perbellè Ennodius ita hâc de re scribit. Pensita verba profundo ingenio concepta, & facundo calamo adæquè compta: *Nec bonorum*, inquit, *faciem meritorum maledicentis credendum est extingui posse conflatu: quomodo & si dente tangatur inuidi splendor vitæ, vmbram venenata oblocutionis excludit. Auctorem repetunt tenebræ, quæ ad inuoluendum iubar aptantur: nitorem siderum nox infusa non obruit: ad genium claritatis proficit cum obscuritate conflictus.* Quid eloquentius, & opportunius? In vasto aëris spatio tanquam in propriâ luctaminis palæstrâ, seniores tenebræ cum iuniore luce confligunt: loco cedūt tenebræ, vt validiore impetu aduersam lucem inuadant: sed *auctorem repetunt tenebræ, quæ ad inuoluendum iubar aptantur*: & inde sicut ipsæ ex huiusmodi conflictu obscuriores redduntur, ita lux semper victrix, de nigris tenebrarum spoliis, splendidiùs coruscat: nam *ad genium claritatis proficit cum obscuritate conflictus.* Porrò lux de tenebris splendescens *in tenebris lucet*, & vmbris debet, quòd clariùs præniteat, & prælucendi trophæa erigit de iugi victoriâ: & de fugatis, maléque concisis tenebris, triumphi claritatem adornat: *Ad geniū claritatis proficit cum obscuritate conflictus.* Fatuo licet dente obscura vituperonum maledicentia armetur &

Genes. 1. v. 4.

Auctorem repetunt tenebræ, quæ ad inuoluendum iubar aptantur.

Ennod. in Præc. quando iussi sūt, &c.

Ad genium claritatis proficit cum obscuritate conflictus.

& tetro semper rictu mordere præsumat: lucem non abrodunt tenebræ, earumque irritum morsum lux impunè ridet: *Quomodo si dente tangatur inuidi splendor vitæ, vmbram venenatæ oblocutionis excludit.* Quid ob insolescentis conuiciatoris impudentiam Tobias angitur, angitur hîc Sara? profectò *nec bonorum faciem meritorum maledicentis credendum est extingui posse constatur: nitorem siderum nox infusa non obruit.* Auctorem conuicia repetunt, quibus iniquus oblocutor plus infuscatur. Laus est improbis displicere: pati obtrectatorum tenebras, genius claritatis est, lucis sibi glorias, inuidet, qui sibi de obscurâ iniquorum aduersiloquentiâ minimè gratulatur.

3. Eccl.7.v.8. Ecclesiastes cap. 7. ita frequenti experientiâ edoctus, ethicè scribit: *Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius.* Nempè calumniæ, quas venenatum obloquentium os, probrosè vibrat maledicendi libidine, *sapientem*, id est, virtutis studiosum, valdè inquietant, & tumultuante inde animo, bonæ vitæ tenorem interturbant. Sed bene notat Hugo Carensis, quod Salomon ibi loquitur *de imperfectis*, & quos obuia quæque fascinant. Nam perfectus virtutis sectator, & æquus rerum æstimator, calumnias non prouocat, sed nec anxiè timet, propè sciens probitatis prouentum indè vberrimè extare. Exinde calumnias pacatâ constantiæ æquanimitate tolerat: sicut Dauid, qui cùm regni infidus insidiator, à Saüle diceretur; à Semeï, violentus inuasor; à filio Absalon, reipublicæ otiosus neglector; has calumnias, si neglectu non vicit, miri citiùs patientiâ superauit; nullo famæ detrimento, sed multâ honoris è peruerso vsurâ. Ergo perfectè sapientem calumnia non conturbat: nec perdit robur cordis illius. Audi hàc super re Zenonem Veronensem mitissimè philosophantẽ: *Dauid, inquit, vnctus in regem spiratus in vatem, non insolescit in regno: obumbrat neminem prophetæ terrore: iniurias suas non exequitur regiâ potestate: odientes se diligit; inimicis parcit: parricidalibus filiis ignoscit: persecutorem suum (& quod magis est, regem) aliquoties à Deo in manus traditum sibi, mauult semper timere, quàm occidere: inuerso gratus officio, Deo Dei munus retinendo placiturus.... totum potest; à toto dissimulat.* In facili erat Dauidi has calumnias vltione retundere, & maledicentiæ morsus auertere prophetico terrore: sed qui totum potest, gloriosè è toto dissimulat, & calumniatorem Semeï, Deo placiturus, quasi *Dei munus retinet*, cunctis immaniter aduersariis, & impudenter obtrectatoribus, *inuerso gratus officio.* Nam qui sibi de tolerantiâ gratulatur, erga calumniatores *gratus* extitit, quasi è peruerso sibi auxiliantes, & obscuris calumniarum vmbris, ipsius famę præclarè militantes: sicut tenebrarũ hostilitas luci militat, & lucis gloriam exaggerant. *Auctorem repetunt tenebræ, quæ ad inuoluendum iubar aptantur: ad geniũ claritatis proficit eum obscuritate conflictus.* Ergò Dauid calumnias obloquentium negligit, & iniurias suas non exequitur regiâ potestate; sed cùm de conuiciorũ obscuritate, claritatis speret profectum; suos calumniatores, quasi *Dei munus retinet, inuerso gratus officio.* Apposite Nazianzenus: *Conuiciis lacerabitur? vincet conuicia non regerendo.* Hanc victoriæ gloriam maledicentiæ conuitiatorum debes.

Hugo ibi. *Dauid suis cõuiciatoribus, peruerso officio gratus est.*

Zeno ser. 1. in Ps.32.

Nazianz. Orat. 27.

4. Exod.1. v.11. Lipom. ibi. Exod. 1. Pharao quò filios Israël duriùs opprimeret. *Præposuit eis magistros operum, vt affligerent eos oneribus.* Qui sunt isti operum *Magistri?* & quæ sunt hæc *opera?* Lipomanus inibi putat hos operum Magistros esse *Principes tributa exigentes*: & addit: *Tributis igitur onerabant Ægyptij Israëlem, & insuper laboribus assiduis conficiebant, ad enervandum vires populi, & extenuandam vim generandi proles; omnibus modis adnitendo, vt neque numero, neque diuitiis augerentur.* Tributorum immensa onera elumbant homines, & generandi facultate viduant; Vectigalium fœcunditas, est populorum sterilitas. Viuaciùs eandem rem expressit Rupertus: *Præposuit eis Magistros operum, vt affligeret eos oneribus. Subauditur, vt non liberet eis coniugales amplexus inire, filiosque procreare, labore vel iniuriâ, voluptatis obliuionem afferente.* Labor & iniuria est salutare libidinis pharmacum, salaces sistens luxuriandi voluptates; O bonam *iniuriam*, quæ non bonæ medetur cupiditati! Ærumnosior contumeliosè *iniuria*, propè immedicabilis luxuriæ, & præstigiatricis voluptatis remedium est. A medicâ cæli scholâ, hæc voluptatis medicina suggeritur, quæ serpenti libidinis morbo cauterem inurat. Deses otium, & opulentus honor sunt voluptatis conceptaculum: igitur cum laboris & *iniuriæ* poculo, tibi aduersarius propinat pudicitiam, & voluptatis repudium. Natura humana de intestino vitiositatis fomite, ad voluptates auidè exæstuat: ergo gratanter ab aduersario *iniuriam*, accipe, qua inducat deliciarum obliuia. Carnis blandimenta, ieiuniorum macie & cilicinis aspetitatibus vix domantur, & dura perdiu corporis maceratio ægrè non diu durabilem continentiam mercatur. Esto igitur aduersariis tuis *peruerso gratus officio*; neque enim tam iniuriam inferunt, quàm cùm *iniuria voluptatis obliuionem afferunt.* Profectò iniuria iniuriantem repetit; & illius improbitas, iniuriati patientiâ citiùs fatigatur: qui autem patienter iniuriam tolerat, (quasi foret toleratæ iniuriæ priuilegium) à voluptatum molesto perpetim lenocinio continentiam redimit. O exiguo malo grande bonum mercari ne graueris: & iniuriam accipe, velut libidinis amuletum; *iniuriâ voluptatis obliuionem afferente.*

Tributorum immensa onera, generandi facultate viduat.

Rupert. ibi.

Iniuria est, salutare voluntatis pharmacum.

5. Ennod. in Paneg. M. Felix Ennodius in Panegyri Theodorico dictâ, ita fatur: *Si bella Regis mei numerem, tot inuenio quot triumphos: congressui tuo nullus hostium, nisi qui laudibus adderetur, occurrit: militauit trophæis, qui restitit voluntati.* Quisquis Theodorico hostiliter occurrebat, eius laudibus de hostilitate addebatur; quique illum armis profligare moliebatur, eius trophæis inscius militabat; inde peruersè gratiam promeritus, vnde credi poterat eam perdidisse.

---

§. CXVI.

Maior bonitas, & splendidior claritas, vituperonum maledicentiæ magis vectigalis est.

1. NVnquam erit felix quem torquebit felicior. Minùs habeo quàm speraui: sed fortasse, plus speraui, quàm debui. Nulli ad aliena respiciẽti, sua placent. Inde quoque irascimur, quod aliquis nos antecedat, obliti quantùm sequatur à tergo ingentis inuidiæ. Tanta tamen importunitas hominum est, vt quamuis multùm acceperint, iniuriæ loco sit, plus accipere potuisse, aut alium plus accepisse.

Inde exurgit lenta & dissimulata quædam ira, inuidiæ cognata, quæ maledicentiam excitat, & exacuit. Muscæ mella, vultures cadauera, detractio felicitatem sequitur; alieno bono irritatur, pessimis quasi inferioribus ignoscit. Nec ipsa virtus tuta erit à detrahentiũ linguis in suæ bonitatis arce. Lippientes luce offenduntur, detractor alienos fulgores fastidit, inuitiat, & obscurare satagit, nequis præ se luceat. Adeò vt nil tam calumniæ pateat quàm sincera bonitas; inuidia sublimitates tundit, vitium virtutes sugillat, prauitas probitatem culpat, & cæca obscuritas fulgores obtenebrat. Vitium alicubi securum est à vituperonum maledictis; virtus nullibi à maledicâ linguâ tuta est, quã inuidia exacuit, sufflammat, venenat. O vtinam sic foret vectigalis prauitas, ac est probitas, maledicẽtiæ obtrectatorum! quasi aliena maledicentia foret virtutis stipendiũ, & acerbioris oblocutionis illicium. O vide quo in loco habenda sit tenebrionum detractio.

Probitas citius, quàm prauitas, est detractionis illicium.

2\. S. Iobus perpetitius sanè vir, fortunæ pila, cõstantiæ assertio, & patientiæ meta; tot simul calamitatum procellis iactatus, peracerbos dolores lugubri lenit ore, hæc tristia factus: Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est: Conceptus est homo.... Sit nox illa solitaria, nec laude digna (attende ad verba, quæ subdit) *Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leuiathan.* (Locus in paucis difficilis, & à nobis ad alia themata aliàs tentatus) Quid est, quòd dum Iobus suæ natiuitatis noctem, nimis exectabilem haberi percupit, peregrinos vituperatores aduocat? Eccur eorum maledicentiam asciscit, qui in diẽ potiùs maledicta iactãt. Fortè qui exosũ habẽt diem, charam habebunt noctem, nec inde eius teterram caliginem dignis contumeliis vituperabunt. An non præstaret, quòd noctis lacesserer hostes, vt inimico maledicentiæ liuore exciti, atrociùs debaccharentur in obscuræ noctis vitia? Inimico ore publicentur noctis lenocinia, quibus Veneri blanditur, & matrem subornat: prodatur tristis & infamis noctis obscuritas, qua inuidiosè clarũ diem obtenebrat, eius perimit splendores, & solem clanculùm tumulat, ferali in dies officio. Quorsùm Iobus claræ diei vituperones aduocat, vt noctis probra, & petulantiùs prodant, & altiùs buccinent, ad ignominiæ exaggerationem? *Maledicant ei qui maledicunt diei.* Hæc ne dixit Iobus calamitate obrutus, & mentis inops? An experientiâ edoctus, & consilij, atque eruditionis diues? Scilicet parùm se putauit Iobus in noctem illam desæuire, si eos ad maledicentiam aduocaret, qui obscura quæque vituperant: horum enim lingua non est nimis audacter temeraria: illa verò lingua, quæ alienâ offenditur luce, & virtutis nitore ad maledicentiam concitatur; quæ bonum culpat, quæ pietatem inquietat, quæ probitatem fatigat, quæ bonos mores persequitur, quæ vel claram Diei lucem, obscuris contumeliis obnubilare satagit maledicentiæ ingenio; illa, illa inquam, lingua opportuniùs conducitur, vt noctem illam acerbiùs execretur, eâ maledicendi licentiâ, quâ vel lucem ipsam solet execrari. Argutè quidem Iobus! *Maledicant ei* (nocti inquam, natiuitatis meæ) *qui maledicunt diei.* O stellas cælestes, *dignitatis splendore infelices!* (quod aliorsùm dixit Nazianzenus.) Maledicentiæ infelicitas claræ felicitatis appẽdix est, ac virtutis sequela & pari maledicorum linguas, stipendium bonitatis. Solis fulgores appetentiùs maledicentia constuprat, & iucundiùs cum bonitate scortatur. O inuidiæ caupones & lucis tenebriones, virtutis vituperones!

Iob 3. v. 8.

Diei vituperatores cur aduocantur, vt acerbiùs nocti maledicant.

Naziánz.

Regius psaltes, querulus illacrymat, & mœstus contabescit, attẽtiùs animo versans impiorum ingenium, quasi initio fœdere aduersus bonitatem maledicentiæ toxico venenatum: Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum; transierunt in effectum cordis. Sed videamus in quosnam adipata obtrectatorum iniquitas, primum impetum fecerit, & in quem contumeliarum venenum eructet. Puto terrigenas, sui æmulos, terrigenas alios linguarum spiculis inuadere. Sed audi Psalmographum: *Cogitauerunt, & locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelso locuti sunt.* (alij in *Excelsum*, Deum inquã) *Posuerunt in cælum os suum; & lingua eorum transiuit in terrã.* Nec Deus ipse in celsitudinis suæ arce, & agnatæ omnipotentiæ minis, satis tutus est ab iniquorum linguis! *Calumniam de Excelso loquentes*, ait inibi Hieronymus (*Excelsi* autem vocabulo, Deum intelligit Euthymius, quod tritum est in Scripturis) scilicet quem primò maledica hominum lingua impetit, Deus est; Deique summa bonitas, prima omnium culpatur impudenti obtrectatorum audaciâ. Exindè sidereos astrorum fulgores calumniarum maledictis denigrare præsumunt. Demùm terrigenas adsimili secum squalore concreros, & de eodem limo sordidos, perfunctoriè, & quasi quodam *transitu* obmurmurationibus perstringunt. Vnde eruditi quidam apud nostrum Lorinum, sic peritè vertunt. *Cogitauerunt & locuti sunt nequitiam: imò in excelsum locuti sunt. Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transiuit super terram.* An non maledicæ linguæ temeritas, præclariorum bonitatem contumeliis inuitiare satagit? *Imo in excelsum* primò maledicenter inuehitur, summámque bonitatem culpare ante reliqua præsumit: mox siderum fulgores infuscare audet: denique tanquam aliud agens, & *transitu* quodam squalidos terrigenas ore perstringit. *Posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum transiit super terram.* Nimitùm primò, & quasi ex proprio instituto, cœli fulgores vituperant: deinde leuiùs in squalidam terram inuehuntur. Profundè ergò Iobus dum acerbiùs ferire cupit suæ natiuitatis noctem, dixit: *Maledicant ei qui maledicunt diei.* Non erat ignota (hic vers. 9.) petulanti ancillæ, Saræ probitas: imò inde audaci & temerario ore eam contumeliis infuscat, & maledictis proscindit. Opinor, malitiæ ignosceret lingua, quæ inculpatam Saræ bonitatem sic persequitur.

3\.

Ps. 72. v. 8.

Detractoris lingua, primò calũ inuitiat, inde leuiùs transit in terram.

Hieron. Eutym.

Lorinus in Psalm. 72.

Hic v. 9.

4\. Ioannis 9. fatuè, opinor, Pharisæorum inuidia & maleuolentia infuscare obloquendo satagit opinatissimi prodigij claritudinem, quo oculos cœci nati cunctis stupentibus Christus accendit. Inficiari nulla possunt tergiuersatione miraculũ, & violati sabbati arguunt eius patratorem. *Dicebant ergò ex Pharisæis quidam: Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit.* quasi patratum miraculum sabbati religionem vllatenùs violet: aut sabbati auctor in sabbato nequeat operari. An non dum violatorem sabbati dicunt, violatum publicant illustrissimi miraculi patratione? Christũ cœlesti doctrinâ, celebri virtute, & prodigiosis miraculis clarum, frustrà inanissimæ maledicentiæ dente arrodere tentat. Cui honoratior debebatur reuerentia, animosius obloquendo detrahunt; Ita quidem, vt sic credibilitatem inueniant, de claritudine facti quod prædicant, peruersâ

Ioan. 9. v. 16.

Premit oblocutio potiores & quare.

Cassiod. l. 4. epist. 44.

uersâ fraude architectantur patrocinium, vt argure in re non absimili obseruat Cassiodorus: *Inuidiosa est*, inquit, *contra eum querela, cui sunt reuerentia iura seruanda: quia nescio quid admissum graue creditur, vbi contra tales silentium non tenetur.* Scilicet antiqua & nuperrima bonitas celebri famâ enulgata, dum præl ustrem opinionem, & inde reuerentiam conciliat, detractionis credibilitati militat: quia nescio quid admissum graue creditur, quandò contra viros reuerentiâ dignos, & bonitatis famâ illustres, rupto silentij sigillo aliquid obmurmuratur. *Credulitas subleuat humiles, premit inuidia potiores*, nuper idem dixerat Cassiodorus. Nempe potiorem esse, cui detrahitur, credibilitatem oblocutionis sæpe subornati *quia nescio quid admissum graue creditur, vbi contra tales silentium non tenetur.* Sed hoc quidem apud incertum & imperitum vulgus, qui ex rumusculis temerè censet; nō apud peritè sapientes, qui iudicij librâ trutinant mentis & oris suffragium. Gregorius Nazianzenus postquam condignis elogiis Basilium cumulauit, & obloquentium fugauerat nebulas luce veritatis; continuò addit: *Neque verò hac eò à me commemorata sunt, vt illius existimationem oratione mea defenderem: præstantior enim est, quàm vt accusatoribus (siqui tamen sunt) in ipsius famam quicquam liceat.* Nam obscuro dente lucem maledicentia non lacerat, ergò frustrà maior bonitas, & splendidior claritas, viruperonum maledicentiæ obnoxia est: olympia virtus palustribus terræ nebulis non obscuratur.

Idem sup. epist. 40

Naz. orat. pro Basil.

§. CXVII.

Seuerior etiam subditi increpatio, ob excelsam Superioris auctoritatem, vrbanè tranquillam rei accusati audientiam negotietur.

SVbditi vitia si feras, facis tua. Ergò ne Superior alieno ipse ęgrotet morbo, sibi subiectos solerter curare oportet. O quàm est arduum animi ægritudinibus mederi! Itaque legum præsidem, ciuitatisque rectorem decet (quandiu potest) verbis & his mollibus ingenia curare, vt facienda suadeat, cupiditatemque æqui & honesti conciliet animis, faciatque vitiorum odium, pretium virtutis: *transeat deinde ad tristiorem curationem, qua moneat adhuc & exprobret.* Triste quidem remedium, & ei qui cogitur aliorum mores coram reprehendere, & ei, cui necesse est reprehensionis probrum palàm audire. Quantumuis exprobratione indigeas, exprobrationis etiam iustissimæ aculeatis verbis, plerumque exasperaris. Fulmina etiam iustissima, nemo percussus colit. Ergò seuerissimæ etiam obiurgationi aliquid blandi admiscere oportet, vt quod acerbitate exasperat, blanditie leniat. Subditus autem semper admonendus est, vt non solùm pacate, sed & reuerenter obiurgationem audiat. Infirmus enim, etsi nunquam grate, semper tamen libenter medicorum curationes excipit. *Horrorem operis fructus excusat.* (ait Tertullianus) *vlulans ille, & gemens, & mugiens inter manus Medici, postmodum easdem mercede cumulabit, & artifices optimas prædicabit, & sanas iam negabit.* Porrò nulla remedia, quæ vulneribus adhibentur, tam sunt salutaria, quàm quę faciunt dolorem. Medicam Superioris linguam, vrbane patiatur, & reuerenter admittat: nec bilem moueat, quod vitiorum pestilitatem curat. Ingenuæ & sanabilis naturæ indicium est, Superioris obiurgationem pacate & reuerenter audire. Omnis subditus reprehēsioni vectigalis est, quod est subiectionis stipendium. Hæc correptori reuerentia, & Superioris celsitudini, & virtutis auctoritati debetur. Sat beneficus tibi est, quæ voce contentus, supplicij molestias non infligit.

Seneca lib. de Ira c. 4.

Superiorem corripientem beneuolè, & reuerenter subditus audiat.

Tertul. in Scorp. c. 5.

23 Marci 4. dimissis turbis, ascendit IESVS in nauiculam, vt qui verbis multa hactenùs docuerat, tempestatis magisterio ad virtutis suadelam vteretur. Idcircò facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis. Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens: & excitant, & dicunt illi: Magister, non ad te pertinet, quia perimus? *Et exurgens comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessauit ventus: & facta est tranquillitas magna.* Multa ad alias theses, exasperatum procelloso turbine mare, suggessit; nunc de decumanis quietum, trāquillum, probum, probam subditorum audiētiam informet. Nimirùm quieto pelago procellam Christus imperat, & elato iam mari dormit. Dormiente Christo, Discipulorum fides naufraga, per laceræ fiduciæ hiatus, fluctuum naufragia sorbet. Attoniti accurrunt ad Christum, qui dum dormiebat, procellæ substituit magisterium, ne vnquam à docendo cessaret. Qui vbi primùm euigilat, Discipulos infidelitatis arguit: & fluctus etiam alte tumentes asperius reprehendit. Super hac maris reprehensione bellissime Basilius his verbis philosophatur: *Transfert increpationem in mare, dicens: Tace, obmutesce, voce esto contentum, ne flagellorum expectes experientiam.* An non mare nuper tranquillum, Christi iussu fluctus attollit, & naufragij minas intentat? Obsequium sibi exhibitum, Christus seuere culpat, & acerbe reprehendit? An non nisi mare obtemperasset, nec procellam tunc cieret, flagellorum experientiam dignius timuisset? (Rectè ergò mari iubet, vt *taceat, & obmutescat*; ne vel mutum elementum in eas voces erumpat, quæ dum suum obsequium publicant, excitatæ tempestatis excusationem loquantur.) Sed diligens & attentus obserua, quo modo vel elatum mare increpationem excipit: *Transfero* (inquit Basilius) *increpationem in mare dicens: Tace, obmutesce. Aquarum ingenium increpationem horruit, & vocis terrore stabat: fugiebant venti, coercebantur vndæ: sopiebatur pelagus, fluctuum suorum ceruicem curuabat.* Nempe Christus Deus, ob excitatam tempestatem, mare *increpat*, & illi seueriùs præcipit, vt procellam coërceat. Profectò Christi imperium de omnipotentiâ armatum, mare cogeret, vt vortices sistat; increpatio verò vrbanè subiectum mare obligat, vt se sistat, dum reprehenditur, nec fugaci vndarū lapsu increpationem rusticanè fugiat, sed reuerenter obaudiat. Itaque adstant duæ potentissimæ causæ, vt mare suos fluctus sistat, *increpatio* inquam, & Præceptio: Ergò dum Christus Deus *transfert increpationem in mare, dicens: Tace, obmutesce*: & quasi interim mare præcepti obliuisceretur, *aquarum ingenium increpationem horruit, & vocis terrore stabat, & fluctuum suorum ceruicem curuabat.* Quasi tacitè Mare diceret: Quandoquidem me reprehendis, reuerentia increpanti Superiori debita, vrbanè me cogit, vt immotum stem

Marc 4. v. 35

Increpatio mare tranquillè sistit, an Christi Dei imperium.

Basil. Sel. Orat. 22.

Jem, & fluctuum meorum ceruicem curuem. Nemo me sic putet agrestē vt dum ego corripior aut tumens exasperer, aut inurbano lapsu diffugiam. Vndas iam sisto, & fluctuum meorum ceruicem incuruo; serò fortassis vndarum stitio, & pacatior fluctuum tranquillitas imperatur. *Tarde le pare e al mar, que lle go el precepto deque se quietasse, y se decubrese humilde, viendo que primero le reprehendian con asperez a*, quasi increpatio priúsquam imperium, quietam stitionem, & tranquillum obsequium apud benè subiectos negotietur. O quàm multa ediscenda sunt de vrbanè subdito aquarum gymnasio! Quæ procax Saræ ancilla petulanter negligit, dum in Dominæ contumelias de iusta reprehensione exasperatur.

Hic vers. 9.

3 1. Regum 1. David clanculum in Regem inauguratus, redit ad pascendas oues: interim Goliath, Philistinorum strategus, & Hebræorum terror, fortissimum quemque ad singulare certamen arroganter prouocat. Tres Dauidis fratres natu maiores, Saüli militabant. Isaï autem filiorum sollicitus, Dauidem mittit in castra, vt esculenta deferens munuscula, recognoscat qualiter se eius fratres gerant, & domum rediens sibi renunciet. Vbi autem Dauid peruenit ad Saülis castra, vidit Goliathum benè cataphractum & malè Israëlitas territantem. Tunc Dauid, vt erat acri ingenio iuuenis, à militibus obuiis sciscitatur, quodnam præmium rex promiserit ei qui Philisthæum trucidaret. *Quod cùm audisset Eliab frater eius maior, loquente eo cum aliis, iratus est contra Dauid & ait: Quare venisti, & quare dereliquisti paucula oues illas in deserto? Ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui: quia vt videres prælium descendisti. Et dixit Dauid, Quid feci? numquid non verbum est?* Profectò Eliab etsi primogenij iure posset Dauidem fratrem natu minimum increpare, si fortè iuuenili audacia, aut animi leuitate, aut roboris iactantia deliquisset; tamen inter expositores conuenit, quòd hìc Eliab reprehensionis modum excessit. Nam iratus est nimis, & Dauidi exprobrat animi superbiam, nequitiam cordis, & mentis inopiam. Dein illum arguit quasi paterni gregis desertorem; quippè qui inscio parente ob curiosam videndi prælii leuitatem, ad castra intempestiuus venerit. Quæ omnia quàm longè à veritate abessent, ex ipso Scripturæ contextu perspicuè constat. Sed quàm patienter, & vrbanè immeritam Eliabi increpationem Dauid tulerit, & scriptura refert, & nemo non laudat. Verùm Lyra sublimiùs rem meditatus, & supplicium iniustæ increpationis; & præmium pacatè, & vrbanè, & patienter toleratæ à Dauide reprehensionis, dilucidè tradidit; dum exponit, quare Deus paulò antè Dauidem natu minimum elegisset in Regem, & Eliabum natu maximum, quem Samuël cupiebat inungere, à regno indecorè abiecerit. Sic enim Lyranus fatur interpretans illa verba: *Dixit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum eius, (Eliabi) neque altitudinem staturæ eius, quoniam abieci eum, nolens eum regnare. Cuius rationem assignant Hebræi, quia Eliab erat superbus corde, & iracundus, quòd patet ex hoc quod dicitur: Iratus fuit contra Dauid: & eum valdè durè increpauit sine causa: cùm tamen iam vidisset eum vngi in Regem per Samuelem.* Ecce tibi sublimissimam causam, quare Deus Eliabum natu maximum à regno abiecerit, & Dauidem ad Israëlis sceptrum sublimarit. Nempe quia Eliab Dauidem iniustè reprehendit, abiectus est. Dauid autem cùm præuideretur iam Rex à Samuële vnctus, pacatissimè sustinens peracerbam maioris fratris increpationem, sceptro dignus inuenitur. Sic est augustum, iniustè vibratam reprehensionem, tranquilla mente, & magnanima patientia comiter tolerare; Sic aures exasperat, & animum exacerbat, acrioris reprehensionis molestior audientia; Sic de Deo, quandò iuit argutum Adami culpam, dixit Tertullianus: *Sed Dominus sustentato feruore delicti, donec tempore medicina temperaretur paulatim remedia composuit.* Ne repentina facinoris exprob- atione, nausea correctionis in accresceret: & exasperatæ aures linguam forsan invrbaniùs exasperarent.

1. Reg. 17. v. 26. & 29.

Vrbanè tolerata reprehēsio, Dauidem ad regni solium euexit.

4.

1. Reg 16 v. 7.

Lyran. ibi.

Qui seueriùs subditum reprehendit, Præsidentia depositione mulctatur.

Tertul. in Scorp. c 5.

5. Quàm verò sit toleratu difficilis, aspera & iniusta reprehensio exaggeratiùs traditur ab eodem Tertulliano, ita scribēte: Profitemur, inquit, Christum egisse in Dei patris nomine, ipsum ab initio mundi conuersatum, *ipsum congressum cū Patriarchis & Prophetis*... Et diminutione citra Angelos, in hæc quoq; dispositus est à Patre, *quæ vt humana reprehenditis, ediscens iam inde à primordio, iam inde hominem, quod erat futurus in fine.* Nimirū ex sententia Tertulliani, (cui aliqui ex patribus subscripserunt) Verbū diuinum specie tenus corporatum olim Patriarchis & Prophetis apparuit, quasi *ediscens iam inde à primordio, iam inde hominem, quod erat futurus in fine*; velut ediscens inquā, patientiam erga Scribas & Pharisæos, & postmodū erga Hereticos, qui in ipso *humana reprehendunt.* O quàm præmaturè ediscenda hominibus patientia est, & præproperè comparanda, vt acerbam iniusti reprehensionem æquanimiter possint tolerare.

Tertul. l. 2. cont. Marc. c. 27

Quare Christus hominem à primordio ediscere dicatur.

§. CXVIII.

Est-ne aliquando seuerior delictorum increpatio, delinquendi augurium.

1. *Vide si adhuc malus es, similibus parce. Verùm si esse desisti, quare aliis locum emendationis abscindis.* Populorum rector agricolas bonos imitabitur, qui non tantùm rectas procerasque arbores colant; sed illis quoque quas aliqua deprauauit causa, adminicula quibus regantur, applicant: alias circumcidunt, ne proceritatem rami premant: quasdam infirmas vitio loci, nutriunt: quibusdam in aliena vmbra laborantibus, cœlum aperiunt. Videbit ergò Præpositus quod ingenium qua ratione tractandum sit: quomodo in rectum praua flectantur, nam si subditorum vitia ferat, facit sua. Arguat, obsecret, increpet, antequam ad supplicia veniat. Sed cùm omni rei moderatio sit adhibenda, maximè in increpationibus, quæ sanabilia ingenia distinguere à deploratis solent. Porrò reprehensio ordinaria & optima sæpe morum medicina est, si tempestiuè, si beneuolè, si placidè fiat. Sed nemo prudens sibi persuadeat, vna aut altera admonitione vitia radicitùs extirpari. Altiùs animo hærent, profundas radices egerunt, & amputata obiurgationis scalpello, luxuriosiùs pullulant. Magnanimâ patientiâ opus est: nam sicut morbi non semel medicamentis recrudescunt, ita aliquando mores obiurgationibus languent, & acris vel opportunè correptio, prolapsionis aliquandò omen

Publ. Mim.

Reprehensioni modus est adhibendus.

omen est, nostræ prauitatis vitio.

2 Matthæi 26. Christus Deus morti proximus Passionis dehonestamētis & cruciatibus augetur. Et exeuntes in Montem oliueti, vt proditori discipulo occurrerent, reliquorum imbecillam fidem, & fugitiuam charitatem illis prænunciat. Omnes vos? ait, scandalum patiemini in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. *Respondens autem Petrus, ait illi: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi IESVS: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam Gallus cantet, ter me negabis.* Post tam manifestam Christi admonitionem, & infidelitatis increpationem, iam constantes sibi videbantur Discipuli in fidei proposito, vt Petrus responderit: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.* Admonitionem audit Petrus, increpationem pacatè excipit; & sic animatur ad fidem, vt vitam pro illa spondeat; cuius propositum reliqui Discipuli alacres imitantur. Sed vide admonitionis fructum, in Petro etiam, qui flecti-nescius sibi videbatur ad casum, quod eloquenter S. Maximus his verbis edisserit: *Denique fidem Petrus nec admonitus potuit custodire; toties lapsus est, quoties ne laberetur admonitus. Et nisi modum quendam tertiò denegandi ei Dominus statuisset, forsitan sæpius interrogatus, sæpius abnegasset.* Nimirum Petrus (qui in negando gerit peccatorum typum, sicut in detestando peccato, pœnitentium formam) præproperè admonitus est, vt culpam sollicitudo anteuerteret, & diligentia infidelitatem frustraret: trinæ item negationis palam increpatur, & increpatio animosum fidelitatis propositum extorsit, quo fidem morte redimeret. Ast ea est hominum imbecillitas, & ad lapsum pronitas, vt quasi de proposito non labendi inuitarentur ad lapsum; & de admonitione fidei, excitaretur ad infidelitatem, *Toties lapsus est, quoties ne laberetur admonitus. Et nisi modum quemdam tertiò denegandi ei Dominus statuisset, forsitan sæpius interrogatus, sæpius abnegasset.* Quid illustriùs ad hanc rem? Ergò subditos beneuolè admone, vt cautiùs agant; eosdem argue, increpa in omni patientia, illis ad sufferendam obiurgationem, & tibi ad illam sæpiùs vibrandam, necessaria. Sed ne putes te iam rem perfecisse: nam adeò velut lapsui nati sumus, vt *admonitio* non semel (ex humana imbecillitate) fit cadendi omen, & increpatio lapsum auguretur. Medicina salubrior semel applicata, non semper sanitatem facit: blandè itera obstinato animo remedium, quod tertiandum, & sæpiùs inculcandum est, si opus fuerit. Nunc Discipuli admonentur, & increpantur, & postmodum ob incredulitatem obiurgati, fidei Patriarchæ constituuntur, credulitatis norma. Nec tam fidas huic telo de prudentiæ pharetrâ excusso, vt illi semel totam emendationem credas; nec molestiùs inculca, ne subditorum animos exasperes, & auertas; nec diu si opus est, intermitte, ne absque increpationis cultura mores siluescant. O quoties ethica salus remediis languescit! Petrus peccatorum tunc typus, *totiès lapsus est, quoties ne laberetur admonitus.*

Matth. 26. v. 33. & 34.

Petrus toties lapsus est, quoties ne laberetur admonitus.

Maxim. homil. 1 de Latrone & Petro, &c.

3 Lucæ 8. Factum est in vna dierum, (ne cæteris adnumeretur diebus, in qua Christus procellę magisterio, augustiorem cœli doctrinam Discipulos edocet) IESVS ascendit in nauiculam, & discipuli eius. Et nauigantibus illis, obdormiuit, & descēdit procella venti, & complebantur, & periclitabantur. Accedentes autem suscitauerunt eum, dicentes: *Præceptor perimus. At ille surgens, increpauit ventum, & tempestatem aquæ, & cessauit. Dixit autem illis: Vbi est fides vestra? Qui timentes, mirati sunt ad inuicem, dicentes: Quis putas hic est?* &c. Si specie tenus vibranda foret censura, per tam festinatam expergiscendi rationem excitatus à somno, adhuc videretur somniculosè agere, cum obuia quæque increpationibus feriat. Ventos ille ante somnum, omnipotenti præceptione excitauit, tranquillum alioqui mare iussione exasperauit, & ad vtrumque elementum nunc obiurgationibus, dum pacatum reddit, magis exasperat; nisi fortè de exprompto arguantur obsequio. Verùm cùm à pelago ad Discipulos increpationem Christus transfert, illos arguit modicæ, vel nullæ fidei. Imò forsan nunquam sic in Discipulis fides prænituit. Dormiente Christo immanis turbo nauiculam sæpè quatit fluctus arroganter turgent, & naufragij minas atrociter iactant: procellæ vis nauticam exhaurit artem, haurit vndas scapha, & ventorum concussione hians, naufragium sorbet. Tunc festinato cursu accurrunt ad Christum, quem in nauicula vehebant portum, aut tempestatis anchoram, & supplices aiunt: *Salua nos, perimus.* Profectò hæ Discipulorum voces, non diffidentiam, sed fiduciam arguere videntur: neque enim confugissent ad Christum: nisi crederent posse opem ferre, & auxilium in atroci periculo opportunè laturum. Ergò quicquid sit de obligationis merito, (fortaſsè in viris perfectis, serò funduntur in periculo preces, cùm animosior fiducia, supplicationem anteuertens, auertat calamitatis periculum) nunc explorare iuuat, quem emendationis fructum fuerit increpatio sortita. Tempestate immaniter oborta, Discipuli festinant ad Christum, tanquam ad scaphæ anchoram; ille exsurgit è somno, voce sedat ventos: tranquillat mare: corripit Discipulos aiens: *Vbi est fides vestra? Qui timentes, mirati sunt ad inuicem, dicentes, Quis putas hic est?* Cùm sæuiret tempestas, nusquam expressè dicuntur *timere*, sed accessisse ad Christum, vt opem ferret ne perirent: post sedatam verò tempestatē, & diffidentiæ increpationem, tunc maximè *timent*: tunc *mirantur* tranquillasse mare, qui ad illum, vt mare tranquillaret, fidenter accurrerent ad Christum dormientem ipsi vigilantes confugiunt, cognoscentes in eo arcanam omnipotentiæ vim: & postquam eam miraculo experti sūt, quasi nunc dediscant, quod ante sciebant, velut ambigentes, se mutuò interrogant: *Quis putas hic est?* & apud Matthæum: *Qualis est hic?* Quod Seleucus vertit, & exponit? *Quis est hic?* O vide hìc quem sæpè fructum opportunior increpatio sortiatur!, præsertim cùm reprehensus aliquam, etsi non veram, saltem apparentem increpatæ culpæ defensionem habere sibi videatur; Bona hìc Sara non bonam puellam obiurgans, non extorsit emendationem, sed culpam maiori dignam increpatione. Sæpè remediis periculosiùs ægrotat infirmus, aut morbi insana pestilitate, aut non tempestiua medicinæ applicatione. Aut fortaſsè reprehensionis medicamentum, quod agnata mordacitate, dum applicatur exasperat; post moram, animo iam sedato, morbū animi mitigat. Ægrè fert ægrotus cauteriū, & vi doloris assurgit in medicum, sed postmodum eius manus donis cumulat, & mordacitati asperioris medij gratulatur.

Lucæ 8. v. 25. & 26.

Post obiurgationem, Discipuli Magistrum dediscunt.

Matth. 8. v. 27

Seleu. Orat. 22.

Hic vers. 9.

4 Genes. 42. v. 16. Ansel. Laud ibi.

Geneseos 42. Iosephus cognoscens fratres suos, & incognitus ab eis, quasi cum exploratoribus durè agit: *Per salutem Pharaonis*, inquit, *exploratores estis*. Quæ verba elucidans Anselmus Laudunensis, ita scribit: *Multa erat in verbis seueritas, multa in corde tranquillitas: vt hic doceamur, quanta his beneuolentia debeatur, quos fortè plus æquo corripimus*. Quasi asperior correptio, ius sit amplioris & blandioris beneuolentiç. Gratiç debitor est, qui plus æquo correptor fuit. Ne ergò quærat seuerior increpator nouas criminationis causas, quò seueriorem suam correptionem aut punitionem excuset: sed nouas fauoris captet occasiones, vt nimiæ correctionis debito satisfaciat: Ecce *hic docemur, quanta his beneuolentia debeatur, quos fortè plus æquo corripimus*. Itaque animi ægritudo, quam acerbior reprehensio pestilenter afflauit, largioris beneuolentiæ & beneficentiæ officio curanda est; ne duriùs reprehensus aut pusillanimitate animo cadat, & ad facinora virtutis langueat; aut plus æquo exasperatus, ad vitiorum facinora impudentiùs audeat, temerariæ desperationis priuilegio. O quàm attenta requiritur cautela in reprehensionis aut punitionis censura!

Ei, qui plus æquo corripitur, beneuolentia debetur.

§. CXIX.

Acerba inaniter sperandi molestia, vel felicitatem ipsam infelicitat, & gehennæ cruciamenta exaggerat.

1. AD calamitatem quilibet rumor valet: sed calamitoso animo nihil oportet credere; sperare plurima licet, vt obluctetur erectus spe; quæ acerrima virtus est, & quam solùm vltima calamitas excutit! Plurimum mali diffidentia facit: sed in graui calamitate nescio an molestius sit, spe decipi, quam diffidere. Quid tam acerbum, quàm suspensum detinere animum expectatione pendula; & ad id quo indubiè cares, & dubiè speras, totis animi votis, spe cassâ ardenter hiare? Dum leuamen, aut solatium spe suspiras, sub calamitate suspiras, & suspensæ expectationis vanis sæpè spebus acerbè excruciaris. O duras præsumptæ spei molestias! Quid non timeas de friuola inaniter spe, quandò vera etiam peracerbè excruciat? Genesis 4. de Enos Sethi filio dicitur: *Iste cœpit inuocare nomen Domini*. Lxx. Interpretes ita exscribunt: *Iste cœpit sperare in nomine Domini*. Quid inde? *Martyr spei Enos, qui primus adductus est, vt Domini nomen inuocaret*, ait Nazianzenus. Quasi etiam spes martyres excudat in diuturnæ cunctationis officinâ. Vnde appositè dixit Diodochus: *Oportet vt testimonium, id est, martyrium conscientia nostra totò & toleranter operemur. Expectans, inquit expectaui Dominum.*

Cassæ spei molestia.

Genes. 4. v. 26 Lxx inter Naz Orat. 16

Diodoc c. 94

2. Patientissimus Iob cap. 3. tolerando defessus, his verbis maledicit nocti, in qua conceptus, aut natus fuerat: Noctem illam tenebrosus turbo possideat, ac si posset nox constare sine tenebris. Sit nox illa solitaria. Fortè geminatam esse cupit, vnâ, eandemque noctem. Addit ad rem *Expectet lucem & non videat, nec ortum surgentis auroræ*. Nescio an satis idoneè hæc dixerit Iobus; & calamitate turbato hæc verba minùs consultè exciderint. Porrò cum nox tenebris constet, & eius essentia (qualis qualis illa sit) de tenebris subsistat, nil tam noxium & exitiale erit nocti, quam albicantis auroræ lux, quæ eius interitum prænunciat; & nitidus fulgentis Solis exortus, cuius splendoribus nox occidit, perit, & tumulatur. Ergò felicitatem illi nocti adprecatur, non dirè maledicit, dum exoptat, vt nox illa Solem non videat, nec ortum surgentis auroræ? (aut *auroræ palpebras* vt est in Hebræo) Sic enim diuturniorem in suo esse durationem exoptat, & esse illius noctis altiùs fundat. Hæc ne execratio dira? an beneuola benedictio, & boni imprecatio? Nisi fortè aliquorum esse adeò est vile & contemptũ, vt nil adprecari illi possis æquè infestum ac dirum: Verùm valde fallor, nisi spei molestias luculenter hîc Iobus exaggerat. Scilicet nil æquè felix aut faustum illi nocti euenire poterat, quam *auroræ palpebras* (quibus Sol, cœli oculus, terras peruidet) non videre; nec orientem Solem, cuius exortu splendidè tumulatur, intueri. At dira maledictio est, qua exosam illam noctem ferit, cùm Iobus *Æternam optat esse noctem, cui nulla succedat dies*. Vt inibi peritè Sanctius adnotauit. Quasi dicat Iobus, noctem illam diuè execratus illa mihi infesta & execrabilis, Diem (id est suum interitum, & tumulum) expectet, nec illum vnquam videat. Nam etsi in primis esset faustum nocti illi, lucem non videre; at tanta est suspensæ & vanæ spei molestia, tamque est ærumnosum diu expectare quod nunquam veniet; vt tametsi illud non aduenire magna felicitas sit, acerbè tamen infelicitatur diuturnâ expectatione Nempè diu duret felix, illa nox execranda, dum tamẽ suæ speratæ felicitatis spebus torqueatur: plus enim molestiæ habebit sperando, quam gaudij suam felicitatem diu possidendo. *Expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis auroræ*. Æternam optat esse noctem, cui nulla succedat dies, quod esset nocti feliciter exoptandum; sed hæc diuturnior felicitas, pœnalissimè spei molestiis infelicitatur. Ecce tibi diram Iobi execrationem aduersus illã noctem: Diu duret in felicitate, dum in euanida spe diu duret: plus molestiæ ingeret eiusmodi spes, quàm ingeret gaudij diuturna felicitas.

Sperandi inaniter molestiæ vel felicitatem ipsã infelicitat.

Iob. 3. v. 9.

Auroræ palpebra: Sol cœli oculus.

3. *Inimicorum vota aliquando sunt, vt quis diu sit, quod est.*

Sanctius ibi.

4. Lucæ 15. homo quidam erat diues, & induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. Induebatur diues purpura, pauper Lazarus liuore: diues bysso, pauper squalore. Diues ructabat epulas, famе pauper anhelabat: fundebat vina diues, pauper lachrymas. Factum est autẽ vt moreretur pauper, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno. Miser accepit ante animæ, quam corporis sepulturam: nec ante quieti corporis, quàm pœnali traditus est sepulcro; vt viuat pœnæ semper, cùm sit semel mortuus vitæ. Eleuans autem oculos suos, cùm esset in tormentis vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius: & ipse clamans dixit: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*. Stultè petit à patre misericordiam; quam negauerat fratri. Sed quid est quod hic damnatissimus diues, cuius exemplatem pœnam ad hominum terrorem Euangelium proponit, adhuc vel leue refrigerium expectat? An non qui sacris & pœnalissimis gehennalis incendij pœnis addicitur, simul cum damnatione desperationem combibit? Cùm flammeis æstuat globulis vstulatus, laxamentum in inferno sperat? Quæ est hæc damnati *diuitis vana præsumptio, cùm*

Lucæ 16. v. 24.

Vana spei molestia gehennæ cruciamenta exaggerat.

Hugo ibi.

cum dicit Pater Abraham miserere mei ? ait inibi Hugo. Audiẽdus est Chrysost. hac super re ita eleganter fatus: *Non dicit: Cum esset in tormento, sed in tormentis, totus enim in tormentis erat, oculos solos liberos habebat, vt alterius lætitiam possit aspicere, vt magis torqueatur.* Sed quomodo totus est in tormentis, qui oculos liberos habet? Habet inquam, liberos, sed vt videat lætum Lazarum, vnde auxilium dum petit, aut vanè speret, aut inaniter præsumat, *magis torqueatur*. Quasi non foret satis ad diuitem Diuitis malitiam dignè castigandam, in acri gehennæ pyra acerbissimè æternum torqueri, tametsi spes peregrinetur in inferno; aliqua saltem expectationis species (quam Hugo *præsumptionem* appellauit) damnato diuiti affulgeat, non qua tantillum leuetur, sed qua *magis torqueatur.* Scilicet eleuet oculos ad inanem aliquam refrigerij velut spem, quo vel pœnalissimi gehennæ cruciatus exaggerentur? Quid enim apud homines tam pœnale habetur, quam expectatione cassa, leuamento inhiare? Hiet ad refrigerium, vt præsumptione adaugeat tormentum. Sit in loco desperationis aliqua spei vmbra, vt illa Damnati magis ac *magis torqueantur*. Nota hic vers. 9. stultam, & procacem Saræ ancillam, quæ sobolis desperatione, Dominam sauciare intendit: quasi ipsa Sara expectatione dubia, post septem ab Asmodæo viros occisos, non satis angeretur. Quid molestiùs optatissimam prolem desperare, an ancipiti spe diù, trahere desideria, fructu suo frustrata?

Chrysost. homil. de Diuite.

Hic vers. 9.

5. Geneseos 21. *Visitauit Dominus Saram sicut promiserat; & impleuit quæ locutus est. Concepitque, & peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei Deus. Vocauitque Abraham nomen filij sui, quem genuit ei Sara, Isaac.* Isaac inquam, id est *risus*, vt innuatur quanta cum lætitia parens vterque seram licet sobolem, & perdiù speratam acceperit. Multa admirabilitate nimis digna, in Isaachi natiuitate elucent; multa, in quibus aspectabilis Patriarchæ virtus clarè emicat, & scintillat splendidius. Sed diligenter nota quid Sanct. Zeno imprimis notarit. *Sic meruit fides, inquit, quod ademerat tempus: extorsit credulitas, quod natura denegauerat. Abraham Patriarcha noster exploratus à Deo in senectute suscepit vnicum filium, nihil tamen sollicitum patrem, cuius ætas in annis vergentibus in occasus sui terminum versabatur, & educationis tempus angustum, & senectuti exitus iam vicinus* (attende ad verba, quæ ad rem eleganter Zeno subscribit) *Ecce prima deuotio, libenter excipere, quod serò datur.* Prima ne Abrahami deuotio fuit, vt Isaac, Gratiarum manibus factus puer, libenter exceptus sit? & non alia Abrahami elogia plus rutilant? O in prolixa ætate, prolixæ expectationis molestias! Vbi tot tantæque effusioris gaudij (quod Isaaci nomen præfert) causæ suppetebant, propemodum miratur Zeno, quòd longioris spei mora: locum gaudio reliquerit, nec diù sperandi fastidio hilaritatem infuscarit? *Ecce prima deuotio, libenter excipere, quod serò datur*, sic solet esse acerba, perdiù sperandi molestia! Et Sanct. Chrysologus exponens illud Christi Dei: *Vbi sum ego, illic, & minister meus erit*: ita scribit *Vbi? vtique super cælos, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens. Homo non te turbet fides, spes te longior non fatiget: quia certa tibi res, quæ in ipso tibi rerum seruatur auctore.*

Genes. 21. v. 1. & 3.

Zeno serm. 1. de Abraham.

Prima Abrahami deuotio fuit, Isaacum serò datum, libenter excepisse.

Ioan. 12 v. 26 Chrys. ser. 4.

6. Philo Hebræorum disertissimus, de spei molestiis ita scribit: *Incipiente voluptate fastus inflatur* (quasi voluptas non tantùm sit ambitio corporis, sed elatio animi) *ac erigitur, elatus inani leuitate; sed crescente concupiscentia nascitur absentium rerum desiderium, pendentem ab incerta spe relinquens animam. Sitit enim semper nec vnquam potest bibere, Tantalium luens supplicium.* Ac si inanis spes foret quidam voluptatis fastus, quoad absens voluptabile ventosissimè distenditur, & vltra prudentiæ captum erigitur: & inde vel dubia incertitudine animus suspenditur, vel mentita præsumptione torquetur: agoniam protelans longiori Tantalij supplicij mora, qua nec voluptatem excussit, nec re voluptabili vnquam potitur. Idcircò crescente rei absentis concupiscentiâ, eam non modò sitit, sed & totam sitim ore æstuante bibit. Sic acriùs spes inaccrescit, hiante semper gutture, quod nec breuiculâ possessione rigari permittitur, nec minutulâ fruitionis guttâ. O molesta spes, id est, incipientis voluptatis fastus.

Philo in lib. Quis rerum diuin. hær.

Inanis spes est quidam voluptatis fastus.

7. S. Iob cap. 7. patiendo defessus, his verbis spem erigit, eiusque molestias exaggerat: *Quam ob rem suspendium elegit anima mea.* Ad quam Iobi sententiam videtur alludere S. Gregorius Nyssenus, ita fatus: *Vita nostra spe suspensa est.* Quid tam molestum, quàm vitam habere spebus pendulam? Hiantes sperantium vita suspensa trahitur sub ancipiti euentu.

Iob. 7. v. 15.

Nyssen. Orat. 3. de Beatitud.

---

§. CXX.

Virtus, quæ tanquam criminum rea, ad Tribunalia defertur, à perfectione virtutis non raro degenerat, infamiæ fascino.

1. Literatissimi retrò æui opinatissima vox est: *Se contentus est sapiens.* Hanc tamen sententiam plerique malè interpretantur, dum sapientem, seu virtutis studiosum, vndique submouent, & intra cutem suam cogunt; à Republicæ muneris arcent, ab hominibus remouent, & tanquam quid inutile culpant. Distinguendum est autem quid vox ista promittat: Se contentus est eximiæ sanctitatis vir, ad benè viuendum; nam ad viuendum multis illi rebus opus est: ad illud tantùm animo sano, & erecto, & despiciente fortunam, etsi hæc aliquando virtuti militet: neque enim virtus humanæ felicitati prorsùs renunciauit, quasi naturæ exors. Bona enim fama sæpè ad virtutem non parùm iuuat, dum delicti infamiam refutat. Honestus rumor, alterum virtutis patrimonium est, quò non rarò pietas alitur. Licet quis sis maximè referat, qualis tamen habearis, non parùm sæpè interest. O quoties quorundam virtus, pariter cum bonâ famâ tumulatur! nec pudet exinceps patrare, quod patrasse aliquando putatur! Qui viro bono bonam famam detrahit, hominum naturæ lubricæ adsuetos frænos aufert. Virtus ambitiosa non est; sed neque est honestæ famæ prodiga; ne vitia, quæ opinio non erubescit, manus admittere audeat. An non graue periculum putas publicam infamiam: Vide hìc quàm grauatè ferat Sara virtute illustris inhonestos rumusculos per ancillares aures immodicè serpentes, probroso bonæ opinionis dispendio. Improbi reatus fama, non rarò, aut reum inuenit, aut facit: in aliáve delicta validè impellit. Persæpè innocentiæ accusatio, impietatis officina est, in eo quem studet ab impietate reuocare.

Senec. Epist. 9.

Virtus non renunciauit honori, quo sæpè vitia coercentur.

Hic v. 9. 10.

2. Matthæi 19. postquam Christus Deus cuipiam interroganti quod facere oporteret, vt vitam consequeretur æternam, ipse respondisset per obseruationem mandatorum, viam in cœlos extrui. Dicit ei rursùs adolescens: Omnia hæc custodiui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest? *Ait illi IESVS. Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni, sequere me.* Ex hac Christi doctrina omnibus in confesso est, per voluntariam opum abdicationem, regiam in cœlos viam fidelibus parari: quod & Sanctorum proceres facto præstiterunt, & abdicatis vltrò diuitiis, & pauperibus largè erogatis, culmen inde perfectionis tenuerunt; atque penuriæ commercio empyream opulentiam coëmerunt. Sed adhuc piâ curiositate suscitari lubet, quare voluntaria paupertas præ aliis virtutibus, tametsi longè præstabilioribus perfectæ sanctitati viam sternat, & ad illam rectâ perducat? An non id potius præstaret animosa fides, generosa spes, nobilis constantia, magnanima patientia, & flebilis pœnitentia, ambitiosi squaloris vilitate sublimis? Quid voluntariæ paupertati inest, vt hoc singulariter priuilegio donetur? Subtiliter Augustinus, & rem tetigit, & rhema præsens comprobauit: *Qui iudicabunt*, inquit, *cum CHRISTO perfecti sunt. Talibus dixit: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia tua, & da pauperibus. Quid est: Si vis esse perfectus? vis mecum iudicare, & non iudicari.* Nota attentiùs singulare Augustini acumen, quo sagaciori mente perspicax vidit quonam pacto voluntaria Sanctorum paupertas, viam sternat ad perfectionem. Nempè voluntarius pauper spontaneæ abdicationis priuilegio, obtinet, vt *iudicet*, & non *iudicetur*? vt ex officij dignitate habeat, vt aliorum crimina, & errata, tanquam fidus iustitiæ administer disquirat, & dignè pro arbitrio puniat. Inde qui fidelis putatur, fidelis factus est, & pro tuendæ dignitatis decoro, pauca licent, quia omnia licent. *Quid est: si vis esse perfectus? vis iudicare, & non iudicari.* Porrò qui ab humano iudice iudicatur, & scelerum reus sistitur: & eius innocentia saltem anceps est, & ambiguitatis licentia, in tristiorem partem strenua suspicio est. In publicatum reum cuivis quidvis licet. Quod extra iudicium foret accusatio, aduersus reum factum, iam testimonium est; & de inuidiæ, aut æmulationis, aut odij, aut suspicionis priuilegio, nec ipsa innocentia à maliloquij sinisteritate tuta censetur. O quam laceratur fama turpis reatus obiectu, quo omnium licentiæ reus exponitur? Rara, aut propè rara virtus est, quæ sic diffamata, terminos patientiæ non aliquando exiliens, in vitia non degeneret. O quoties inconsiderata Tribunalia dum occultè improbum, aut verè probum, iniustè reum faciunt; prætextu virtutis, vitia docent, & impudentiam malitiæ persuadent! O quoties vir perfectus, dum reus fit, etsi in vitia non effrænis inde feratur, saltem à pristinâ perfectione descíscit! Moralissimè ergò Augustinus ait: *Quid est: si vis esse perfectus? vis iudicare, & non iudicari.* O nimis verè!

Matth 19. v. 21.

Iudicare, non iudicari sapè virtuti militat.

Augustin. in Psalm. 19.

3. Lucæ 23. Christus Deus, & Iudæi senatus, & consulti Romanorum Præsidis sententiâ damnatus, inter duos latrones ducitur ad supplicij locum, exultante, & insultante Pharisæorum malitiâ, cùm innocentiam, æmulam suam vident nuper ream factam, & iam sententiæ suffragio pœnalissimè damnatam. An tot accusationibus sperabant Iudæi, si fortè Christi virtus, turbatum acclamationibus adsueta, vt dum rea fit, & tandem damnatur, in vitium degeneret? quæ plausibus florere putabatur, probrosi reatus, & contumeliosæ damnationis calamitate, fore vt marcesceret, præsumebant, infamiæ fascino deflorata? Vix Christus clauis manus pedesque terebrantibus, contumelioso stipiti dirè affigitur, & inter duos sceleſtissimè nequam, tanquam reorum nequissimus eminet, & apparet; cum suæ flectinesciæ, & magnanimæ virtutis acerrimus vindex, & generosus assertor, ait: *Pater dimitte illis non enim sciunt quid faciunt.* Eccur difficillimam, & sublimissimam omnium virtutum protinus exerit, cùm in damnationis supplicio à cunctis prosperatur? Hactenus propè mutus, ad tot accusationes, dehonestamenta, & cruciamenta silet, & vbi primum in pœnalissimo supplicio eminet, tam generosas consummatæ virtutis notas edit? Peregregiè Emissenus ad thesim præsentem opportunus: *Dimitte illis Domine, quia nesciunt quid faciunt. Benedixit victus, qui liberat passus: interuenit reus, absoluitque damnatus: quia & vt aduersaru respiciant, vt redemptionem tribuit interemptus.* Grande planè virtutis prodigium, & quo Christianæ perfectionis meta figitur; vt ab æmulis *victus*, illis largiter benedicat; vt *reus*, pro accusatoribus amicè interueniat; vt *passus*, passionum artifices liberet; vt *damnatus*, damnationis ministros absoluat. Quasi dicat: Tametsi mirissima fuerunt Christi opera, quibus virtutes omnes exemplo docuit; non tam admiror plaudentibus turbis, cœli doctrinam prædicasse; & acclamantibus populis, & pauculis aduersariis præ liuore frendentibus, tot miracula palam edidisse; ac solemni pompâ, tanquam triumphalis Messias exceptus, opera Christo digna palam exhibuisse. Quod præ reliquis admirari licet in hominum censu est, quod homo, qui quasi omnium criminum *reus* sub iudice sistitur, adhuc pœnalissimis suppliciis *damnatus*, maiora documenta virtutis edat. Hoc, hoc inquam, sublimissimum, & augustissimum est, atque humano fastigio excelsius habetur, quòd *liberat passus, interuenit reus, absoluit damnatus.* Hinc vel maximè, ô Iudæi, Christum Deum cognoscere debuistis: eiusmodi enim sanctitatis notas nemo hominum edidisset. Ex hoc Christi exemplo hanc roborandæ virtutis doctrinam Christianitas tota didicit. Ne ergo probrosi reatus falsa accusatio, nec ipsa contumeliosa damnatio, sinceræ innocentiæ puram conscientiam exinceps inquietet, & probitatem excutiat. Quòd virtutem hostiliter arietare solet, virtuti iam militet. Esto perfectus non tantùm si vt probus *iudices*, sed etiam si tanquam improbus ab alio improbè *iudiceris*.

Grande Christi elogium est quod interuenit reus, & absoluit damnatus.

Lucæ 23. v. 34.

Emiss. homil. 3. in Pascha.

4. Tertullianus prolixum recenset eorum catalogum, qui in Gentilismo charam omnibus vitam magnanimâ constantiâ profuderunt, quibus Christianos martyres, sicut in virtute saltem adæquat, sic etiam in virtutis gloriâ adæquari satagit. Mutius, inquit, dextram suam libens in ara reliquit, ô sublimitas animi. Empedocles totum se Catanensium Ætnæis incendiis donauit, ô vigor mentis! Aliqua Carthaginis conditrix rogo se secundum matrimonium dedit: ô præconium castitatis! Regulus ne vnus pro multis hostibus viueret, toto corpore cruces patitur, *ô virum fortem, & in captiuitate victorem!* Anaxarchus cùm in exitium ptisanæ pilo contunderetur, tunde, tũde, aiebat, Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non tundis,

Tertullian. in Apolog. c. 50.

Grande Martyrum supplicium est, probari ad tribunalia.

ô Philo

ô Philosophi magnanimitatem, qui tali de suo exitu etiam iocabatur! Attica meretrix carnifice iam fatigato, postremo linguam suam comesam in faciem Tyranni sæuientis expuit, vt expueret, & vocem, ne coniuratos confiteri posset, si etiam vita voluisset. Hæc Gentes de suorum magnanimitate sũptuosius garriunt; quibus posset Tertullianus his similia, & oppidò maiora de nostris Martyribus obiicere. Sed vide mihi quid illis opponat de Martyrum prælijs: *Prælium est nobis quod prouocamur ad Tribunalia, vt illic sub discrimine capitis pro veritate certemus.* Sic est arduum, virtutem veritatis ream ad Tribunalia duci; Magnum sanè præconium, quod Martyr sanctitatis custos, & veritatis vindex, quasi virtutis reus, & religionis proditor *prouocetur ad tribunalia*, & inter egregie sontes computetur.

§. CXXI.

Quisquis malus est, non benè secum est.

1. OMnia improbis vitia solitudo persuadet; quippe quæ censoribus, aut pædagogis conuictorum oculis destituta est. Cùm iam profeceris tantùm, vt sit tibi etiam tui reuerentia, tecum solitariè agere tibi impunè licebit; te enim effecisti eum cum quo peccare non audeas. Cùm hæc effeceris, & aliqua cœperit apud te tui esse dignatio, tunc præcipuè in te ipse recede, etiam dùm esse cogeris in turbâ. Dissimilé te fieri multis oportet, dum tibi tutum non sit à te recedere. Circunspice singulos. Nemo est cui non satiùs sit cum aliquo esse, quàm secum. Tunc præcipuè in te ipse recede, cùm esse cogeris in turbâ, si bonus vir, si quietus, si temperatus vis esse; alioquin in turbam tibi à te recedendum est. Ergò caue tibi à turba, caue ab vno; imò nisi probus valdè sis, caue tibi à te. Quisquis malus est, male secum est. Nemo enim est ex imprudentibus, qui relinqui sibi debeat. Tunc mala consilia cogitant; tunc aut aliis, aut ipsis futura pericula struunt; tunc cupiditates improbas ordinant; tunc quicquid aut metu, aut pudore animus celabat, expromit; tunc libidinem irritat, iracundiam instigat, audaciam exacuit. An non vides hîc Saram honestissimam puellam, & virtutis moribus enutritam, dum petulantis ancillulæ improperiis male sauciá, triduanam solitudinem sibi indixit, mœstitudinis malesuadæ instinctu de suspendio cogitasse?

Periculosè quis secum est.

Hic v. 10. vt habetur in Græco text.

2. Regius Vates Psalmo 30. diuinæ erga homines prouidentiæ laudes modulatè occinens, eorum tuendorum sollicitam, beneuolam, & tutam protectionem illustri præconio decantat, aiens: *Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.* Et protinùs subdit, in quonam situm sit hoc perfectũ hominum tutamen, quod hominibus coram exhibuit: *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum.* Non facile exponunt interpretes, quid per τὸ *conturbatio hominum*, Propheta significet. Non miraret quosdam hunc locum sic vertisse, & simul exposuisse: *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à congregatione virorum*, itavt *conturbatio* idem sit ac *congregatio hominum*; nil enim est quòd tam mores etiam compositos turbet, & lenem virtutis pacem inquietet, quàm hominum congrex turba. Valdè autem peregrinantur aures in singulari expositione quorundam eruditione illustrium, qui præfata Psalmi verba sic commentantur: *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à congregationib. viri.* Porrò Dauidis sententia minimè cohærere videtur: neque enim apparet quomodo constare possit, quòd detur congregatio, nedum *congregationes* vnius hominis: nam congregatio pluralitatem hominum importat, & absque illa minimè subsistit, siquidem vnius duntaxat præsentia, singularitas est; congregatio non est: vnus enim exgrex à reliquis, reliquorum congrex non est. Quid ergò sibi vult: *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à congregationibus viri*? Esto, *congregatio* hominum, morum *conturbatio* sit: sed mens non capit quo pacto vnius duntaxat aliqua congregatio sit, quæ benè compositos mores malè conturbet, & obstrepente multitudine inquieret. Quæ est hæc turbida *congregatio*, siue seditiosa morum *conturbatio*, quæ vno velut pluribus perficitur? An cùm vnus non bonus secum est, dicitur *congregatio viri, seu conturbatio hominum*? Audiendus nunc est Laurentius Iustinianus, qui versans ea Threnorum verba, *Sedebit solitarius, & tacebit*, sic de solitariis non benè moratis pulchrè fatur: *Cogitationum tumultus patiuntur in corde, & intùs absque cessatione loquuntur, atque nullo respondente rixas agunt, clamores ingeminant, iudicia versant, interrogant, opprobria inferunt, & ampliùs quàm vociferantes in foro, silentij censuram dilaniant.* Ecce tibi solitarium in secessu versantem, tantâ contentione quantùm forum est, secum linguatâ taciturnitate tumultuantem. Secum mutus loquitur: sed viderit ne cum malo homine loquatur. Secum de rebus consulit: sed puto, non bono consiliario vtitur. Dum se non desuescit, etiam dum cessat, à se tumultuari discit, & garrire adsuetus, etiam cùm tacet, silentij censuram voto loquacitatis dilaniat. Quisquis malus est, malè secum est. Ergò consultissimè ait Propheta, quòd Deus, quos beneuolentiùs diligit, & diuiniori prouidentia à vitiorum periculis exemptos vult, abscõdit in abscondito faciei suæ, non solùm à *conturbatione hominum*, idest, à congregationibus hominum nequam, & pessimorum turbâ, quæ probos etiam mores conturbat, sed etiam à *congregationibus viri*, idest, à conuictu, & conuersatione, quâ quisque secum intimius agit. Nam quisquis malus est, non benè secum est.

Psalm. 30. v. 21.

Homo à congregationibus hominis, idest, sui ipsius abscondendus est.

Laur. Iust. de Disc & perf. Monas. c. 15. Thren 3. v. 28.

3. 2. Corinth. 11. Paulus in his, quæ perpessus est, Iustorum labores, & pericula adumbrauit: *Periculis*, inquit, *fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in ciuitate, periculis in Solitudine.* Nullus mundi locus periculo feriatur: nec tantùm in ciuitatibus, & inter medias turbas, vbi vitia, aut cum virtutibus, aut cum vitiis mutuò rixantur, serpentis conuersatione malitiæ: sed etiam in *solitudine* pericula sunt. Imò plures etiam sunt, qui tutiùs cum aliis, quàm secum viuant, de quibus sic eleganter scribit Bernardus, quasi præfata verba commentaretur, *Periculis in ciuitate, periculis in solitudine*; & ad nostram eruditionem deriuaret; *Sollicitè*, inquit, *& prudenter perpendendum est, quis admittatur ad habitandum secum: qui enim habitat secum, non nisi seipsum qualis est, habet secũ. Malus autem homo nunquam tutè secũ habitat, quia cum malo homine habitat, & nemo molestior est ei, quàm ipse sibi.* Prudenter. Nimirum Bernard. quæ ingeminat *pericula in solitudine* improbis hominibus ob

§. 2. Cor. 11. v. 26.

Nunquam tutò secum habitat, qui cum malo homine habitat.

Bern. ad fratres de Monte Dei.

ob oculos ponit, ne quis, quia hominum rebus deseruit, sibi de virtute gratuletur. Sic est, non mutat Bernardus sententiam: Fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam vnum. Non habeo cum quo te communicatum velim, & vide quo iudicium meum abeat. Nec audeo tibi credere. Lugentem timentemque custodire solemus, ne solitudine male vtatur, nec benè ipse sibi relinquatur; seipsum prodit, & non bonus sui comes est. Sunt & *pericula in solitudine*, quisque sibi periculo est, nec à se quisque satis tutus est. *Nunquam tutè secum habitat, quia cum malo homine habitat.* Ne te tibi credas, recede à te, vt tecum possis viuere hæc præsens absentia initium emendationis est. Vel vitia antiqua, & iam diù obsoleta tibi communicabis, noua suadebis, insolentia ingeniaberis solitudinis arbitrio. Porrò quisquis non bonus est, malè secum est. Ergò fuge pericula ciuitatis, & pericula etiam solitudinis fuge.

4. Lucæ 12.v.17. Lucæ 12. hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit. *Et cogitabat intra se, dicens: Quid faciam*, &c. O miserum, quẽ vbertas sterilẽ, abundantia anxium, inhumanum copia, diuitiæ fecere mendicum! *Et cogitabat intra se*: sed intra se iste cogitabat, qui in corde suo impietatis consilio recepto, nil pietatis sibi, misericordiæ nil reliquit. Notanter ad rem Chrysologus præfata verba commentatur: *Et cogitabat intra se, dicens. Digno consiliario se vsus, qui mali animi non poterat habere collegam.* Mens impia cum pietate certabat, patiebatur intestinum bellum, qui misericordiæ pacem perdiderat, & quietem. Hoc negotium animitus geritur, inde nullus adest collega, qui inhumanam pietatem exemplo afficeret, suggestione ingerat, consilio afflet. Ipse sibi soli relictus est. Sed qui eximiè bonus non est, non benè secum est. Rem apud se tacitus in corde versat, hominum voluntarius exgrex. Ipse seipsum consulit. *Et cogitabat intra se. Digno consiliario se vsus, qui mali animi non poterat habere collegam.* Dignus sibi quisque consiliarius in malum est. Sed vlterius disquirere ad rem oportet cum eodem Chrysologo, quemnam hic diues, qui solus secum est, mente dubius interroget. *Et cogitabat intra se dicens: Quid faciam*, &c. *Interrogantis vox est: & quem putas interrogabat iste? Erat in illo alter, quia ad eius penetralia iam Diabolus possessor insederat; & qui intrauerat in cor Iudæ, mentis eius tenebat arcanum.* O vide cum quo sit, qui cùm bonus non sit, secum solus est, collegæ expers, exors contubernalium, & bonorum exgrex. Ad tam impie barbaram inhumanitatem, *digno consiliario se vsus* est. Væ soli.

Chrysol. ser. 104. *Pessimus est qui sui sibi consiliarius.*

Idem inibi.

5. Exhod. 32.v.4. Exhodi 32. Dei populus Ægyptiis superstitionibus diù fuetus, in vastâ Horebi solitudine adorandum vitulum conflat. Cùm enim Aaron accepisset inaures, *formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem, dixeruntque: Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Ad quæ verba ita scribit Seleuciensis Basilius: *Neque Hebræorum gens ab hac* Idololatriæ *ægritudine deduci potuit; ipsa solitudo ægritudinem notificauit. Vitulum enim in Ægypto factum, in deserto loco adorabant.* Nimirùm Israëlitæ viderant in Ægypto vitulos pro numine adorari, quod occulto consilio eorum cordibus studiosè adhærebat; nec in vrbibus hic idololatricus morbus propalatus fuit, idololatriæ pudore inuerecundiam coërcente. At in eremo impudentius audent, atque *ipsa solitudo ægritudinem notificauit.* O quot animi ægritudines, & affectuum pestes, quas publicitas occultabat, *solitudo notificat!* Heu quoties solitudo impudentiam de proximo negotiatur!

Basil. Orat 6.

Solitudo ægritudinem notificat.

---

§. CXXII.

Vnicum à maledica lingua asylum, patientia est, & contumeliarum neglectus.

Graue crimen, etiam cùm dictum est leuiter grauiter nocere putatur, dum obscuris verbis præclarior fama obnubiletur. Sed quis coërceat effrenes vituperonum linguas? quis oppilet curiosas vulgi aures, quas obmurmurationis libido malè dulci voluptate titillat? Ecquis sistat serpentem hanc humanæ malitiæ pestilentiam latè grassantem, & proborum etiam famam atrociter depopulantem? Præter vota, & preces, quæ auertant pestem hanc malitiosam, vnicum superest remedium, nempe illius contemptus. Nullam mihi iniuriam facitis (ait Seneca) cùm mihi detrahitis; sed ne Diis quidem hi qui aras euertunt; sed malum propositum apparet, malumque consilium, etiam vbi nocere nõ potuit. Sic vestras hallucinationes fero, quemadmodum Iupiter optimus maximus ineptias Poëtarũ, quorum alius illi alas imposuit, alius cornua, alius adulterum illum induxit, & obnoctãtem, alius sæuum in Deos, alius iniquum in homines, alius ingenuorum corruptorem, & cognatorum quidem. Alius parricidã, & regni alieni paterniq; expugnatorem. Quibus nihil aliud actum est, quàm vt pudor hominibus peccandi demeretur, si talem credidissent. Ingeniũ malitiæ est, in malos pariter, ac bonos, obtrectatorum linguas exacuere, vt confusanea indifferenter malitia, malitiæ pudore homines eximeret. Nec Deus ipse in suæ diuinitatis solio tutus est ab his, qui posuerunt in cœlum os suum: & indè lingua eorum transiuit in terram: Tobiæ etiam, & Saræ innocentiam culpans, impudenti obmurmurandi licentia. 1.

Nec Deus ipse in diuinitatis asylo, tutus est à poëtarum linguis. Seneca lib. de vita beat. c. 26.

Hic v. 10.

Iobi 5. Eliphaz vnus è Sapientibus Idumææ, crudam de diuina prouidẽtia eruditionem aduersus Iobum ructat, ostendens quàm solertem curam de iustis hominibus Deus habeat, vt eorum arceat ærumnas: Saluum, inquit, faciet de manu violenti pauperem: & erit egeno spes. In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malũ. In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladij. Itaque cùm ab ingruentibus vndecumque malis, amicam Dei erga iustos protectionem agnoscat: videndum est quonam remedio alienæ maledicentiæ damnum auertat: *A flagello*, inquit, *lingua absconderis, & non timebis calamitatem cùm venerit.* Flagellum linguæ hoc in loco appellat, linguam nequam, calumniãtem, vituperantem, obtrectantem, maledicentię aculeo venenatam; à qua vel innocentia ipsa acerbiùs vapulat. *Haut leue est*, (ait ibi Chrysostomus) *imo vero magnum, eum posse iuuante Deo hominem effugere, qui nihil boni vnquam loquatur, lingua enim nihil improbiùs; quibuslibet insidiis, quolibet ense immanior est atque intolerabilior.* Magnum est, etiam *iuuante Deo*, aliquem *effugere* sæuam obtrectatorum maledicentiam: Valdè maledicæ linguæ 2.

Iob. 5. v. 21. *Patientia est vnicum detractionis asylum.*

Chrysost. ibi In Cat.

linguæ plagis Chrysostomus exaggerat. Sed attentiùs nota mihi, quomodo *Deo* etiam *iuuante*, hoc malum propellatur, vt quis à vituperonum ore immunis sit. Enucleatè rem tetigit Polychronius in Olympiodori Catenâ, præfata verba sic exscribens, & exponens: *A flagello linguæ te abscondet Deus, id est, perficiet vt contumelias facile vincas.* Nimiùm à flagello maledicæ linguæ eximi, non est linguam maledicorum compesci. *Effugium* tibi suadet, quo ab illâ abscondaris; non arcem, è quâ illam expugnes. Ecquod est hoc *effugium*, quo velut in latibulo, ab eâ *Deo* te *adiuuante absconderis*? Audi Polychronium: *A flagello linguæ te abscondet Deus, idest, perficiet vt contumelias facilè vincas.* Nempe ope diuinâ obtinebis, vt patientiam obdures, vt constantiam armes, vt magnanimitatem exeras, quò fit, vt vituperantium contumelias mutâ tolerantiâ, & consulto neglectu facile superes. O! sic impotenter maledicorum lingua in bonos grassatur, probos quosque proscindit & lacerat, vt etiam *iuuante Deo*, præstabilius remedium sit, fuga, & latebræ; Imò quia ibi satis tutus non eris à maledicæ linguæ insidiis; totus patientiæ armis obdurandus es, & prudenti neglectu roborandus, vt eius minas negligas, vt eius ictibus rupeâ patientiâ obsistas; Fatigetur improbitas illius patientiâ nostrâ, nostróque neglectu sentiat aduersarius casso vulnere è maledicentiæ pharetrâ perperam tela vibrasse. *Haud leue est, imò verò magnum, eum posse iuuante Deo hominem effugere, qui nihil boni vnquam loquatur. A flagello linguæ te abscondet, idest, perficiet, vt contumelias facile euincas.* Venenata obloquentium tela patientiâ auertes, neglectu eludes: etiam *iuuante Deo*, hoc effugio à maledicentiæ pernicie absconderis. *No ay otro sagrado para defenderse de la murmuracion, sino la paciencia.*

Polychron. apud Cat. Olymp.

3. Regius Vates Psalm. 30. nimis angitur dum se lacerari videt inhonestis rumoribus, quos vituperonum linguæ maledicè spargunt. Erubescant impij, ait, & deducantur in infernum: muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur aduersus Iustum iniquitatem, in superbiâ, & abusione. Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum. Sed videre oportet, quidnam perfecerit Deus, vt à maledicâ linguâ Iustos liberet: *Absconde eos*, inquit, *eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione* aliàs *à contentione*) *hominum: proteges in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.* A contentiosâ linguarum maledicentiâ dicit abscondendos in diuinæ faciei abscondito, vt, si vel diuina facies satis tutum asylum non sit, cui non parcat sacrilega vituperonum temeritas; saltem latebras offerat, quibus à maliloquio Iusti interim abscondantur. Verùm quasi hoc effugio minùs tuti essent, protinùs addit Propheta: *Proteges in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.* Ecquod hoc Dei *tabernaculum*, in quo à contradictione linguarum Iusti proteguntur? Multa multi, quæ sciens intermitto, vt citiùs exscribam tempestiuissima Hugonis verba. *Proteges eos in tabernaculo tuo, idest, in contemplatione humanitatis, & passionis tuæ, à contradictione linguarum: vt detrahentes, & contradicentes patienter feramus, exemplo illius, qui in factis habuit obseruatores, in dictis contradictores.* Ecce tibi vnicum à maliloquiis asylum. Porrò nec in diuinæ faciei abscondito satis tutus quis est à contradictione linguarum: nam qui posuit in cælum os suum, nec sacratissimo Dei solio parcit. Itaque quasi nullus locus satis sit tutus etiam in cœlo, nullúmque effugium idoneas latebras offerat à maledicâ linguarum abusione; nec garrula obtrectatorum maliloquentia obstrui possit, Iusti vnicè protegendi sunt *in tabernaculo tuo, idest, in contemplatione Passionis tuæ, vt detrahentes, & contradicentes patienter feramus, exemplo illius, qui in factis habuit obseruatores, in dictis contradictores.* Vnicum à detractoribus præsidium, patientia est: hæc est singulare scutum, quo à contradictione linguarum clypeatur Iustus. Maledicentiæ neglectus, obmurmurantium linguas exarmat, contumelias patientia frustratur, tolerantia obtrectationes eludit, & obtrectatores mutâ taciturnitate fatigat. Verùm *Habes* (inquit Cassiodorus) *qui & benè loqui de te debeant, & derogare præsumant. Quia nulla potestas est, quæ qualitatem famæ suæ de ore hominum possit auferre.* Heu nulla potestas est, quæ qualitatem famæ de ore hominum possit auferre, & in hominum famam sic licenter ore grassamur cognatæ maledicentiæ priuilegio.

Psalm. 30. v. 21.

Patientia de Christi exemplo, vnicè à maliloquiis clypeat.

Hugo Car. ibi.

Nulla est potestas, quæ qualitatem famæ de ore hominum possit auferre.

Cassiod. l. 7. epist.

Exodi 9. dixit Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem, & loquere ad eum: Hæc dicit Dominus Deus: Dimitte populum meum vt sacrificet mihi. Quòd si adhuc renuis: *Ecce manus mea erit super agros tuos: & super equos, & asinos, & boues, & oues, pestis valdè grauis.* Caietanus exponens præfata Exodi verba, hæret in verbo *pestis*, sic dilucidè fatus: *Pestis autem grauis: comminatur perditio, & mortalitas, idest, pestilentia, quam tam anxiè homines expauescũt, vt vix nominare in aliquo idiomate audeant. Vnde & Hebrais à re & ente nominatur, ac verbo, hoc est,* דבר *deber.* Non tantùm à re, id est, ipso morbo: sed etiam à *pestilentia* vocabulo contagium timetur: sic vel pestilentiæ nomen contagionis bibulum est. Et quidem moralissimè in linguâ sanctâ mysteriorum vbertim grauidâ, nullo alio vocabulo immedicabilis pestis significatur, quàm nomine *deber*, quod *verbum* significat, vt cunctis innotescat, nullam aliam rem esse pesti magis affinem, aut synonymam, quàm *verba*. O time *pestilentiam* ore tuo factam, & immedicabilem verborum pestilitatem, quam putridum os exhalat & eructat, & præcordiorum pestem affricat sermonum prurigine, pestilenti audientium mortalitate. Heu! quis sistat serpens pestilentiæ contagium, quod medicam ridet artem? O quot rixarum fomenta, quot hominum strages, quot honorum cadauera, quot regnorum excidia, pestilenta edidit lingua, damno irremediabili! Vnicum à linguâ remedium, vota sunt, & preces, quæ pestem hanc malitiosam auertant. *Pestem* nemo nominare audet, & nominatione serpit.

4. Exod. 9. v. 3.

Caiet. ibid.

Quare pestis in Hebraâ linguâ Verbũ dicatur.

§. CXXIII.

Subtilior patientis intellectus, acerbioris calamitatis officina est. Esto bene rudis, ne sis male patiens.

1. Alia tormentorum genera spei mixta sunt Desinit morbus, incendiũ extinguitur, ruina quos videbatur oppressisse, deponit: mare quos hauserat, eâdem vi quâ sorbebat, eiicit incolumes: gladium miles ab ipsâ perituri ceruice reuocauit. Nil habet quod speret, qui imaginationis suæ viuacitate,

Intellectus patientis, dolores ad acerbitatem incrementat.

uacitate, calamitatis acerbitatem fouet, & incrementat: & cogitando molestum ærumnæ iaculum altiùs figit, quod consultiùs refigeret. His nulla spes, nisi in morte, aut calamitatis fine. Imò & post transactam calamitatem necdum præteriti doloris imaginatio pertinax laxamentum permittit, quin dolendi causas acerbiùs refricet. O felix quorundam genus, qui ob stupidæ naturæ, aut mentis torporem, nil calamitati de ingenio adiiciunt: sed agnato stupore detrahunt, quodam stupidæ impatibilitatis priuilegio! Heu subtile & viuidum patientis ingenium, altera calamitatis calamitas est! O, esto benè stupidus, ne sis malè patiens, ingenio dolores incrementante!

Iobi 2. sanctus vir, character formaque constantiæ cunctis sæculis proponitur. Sed quid est, quòd ipse querulus dicat amicis, quòd *manus Domini* eum tetigit, & duriùs sauciauit; cùm Ægypriacæ plagæ, quæ videtur diuinæ seueritatis meta, *digitus Dei*, vel ab ipsis Ægyptiis nominentur? Est ne acerbior Iobi, quàm Ægypti multiplex plaga? Imò tot plagas malus Dæmon Iobo atrocissimè inflixit, versutissimè & inimicissimè copiam à Deo ferociendi nactus. Tu autem (inquit Deus) commouisti me aduersus eum, vt affligerem eum frustrà. Cui respondens Satan, ait: Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro animâ suâ: alioqui mitte manum tuam, & tange os eius & carnem, & tunc videbis quòd in faciem benedicat tibi. Sed nota quæ Deus verba subiunxit, in quibus calamitatum Iobi compendium videtur describi: *Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce in manu tua est, veruntamen animam illius serua.* Multas ex his verbis morales deriuare theses, procliue foret: sed ad rem præsentem exponere oportet, quid nomine *anima* significetur. S. Gregorius, Origenes, & Olympiodorus, de spirituali morte sermonem esse putant; quod sanè videtur durum. *Nam* (vt notat inibi Sanctius) *Deus non prohiberet Dæmoni, quod in ipsius potestate non esset.* (Nisi fortè ea est Satanæ audacia, vt vltra sibi possibilia contra homines temerariè intentet.) Alij existimant Deum his verbis vetuisse, ne Dæmon Iobi *animam* sic doloribus dementaret, vt obscuraretur debilitaretúrque mentis facultas, adeò vt pro eo statu foret meriti incapax; ne patientiæ bono fraudaretur: aut dementatus, in Dei blasphemias prosiliret. (sic vel materiale peccati in viro sancto præcauet Deus;) Verùm Olympiodorus *anima* vocabulo intellectum seu mentem interpretatur, sic aiens: *Veruntamen animam illius serua, &c. Aut igitur hoc dicit: Principem animi partem ne attinge, verùm in corporis cruciatibus animi pugnam experire.* Eleganter quidem. Nempe sic eum durè vexa, vt eius intellectum non debilites, nec mentis viuacitatem obscures. Orbare eum filiis tibi datur, ingentibus diuitiis viduare, oppugnare per amicos, per vxorem ad impietatem instigare; fœdis & peracerbis ægritudinibus eundem torquere; *attamen principem animi partem*, mentem inquam, incolumen serua: nam acris viuacioris intellectus energia, doloris sensum de imaginationis officinâ, exasperabit dum hærentem cordi lethalem arundinem cogitando refigit. Quasi dicat: Meum Iobum vndequaque corporis cruciamentis exagita: sed si penitùs explorare cupis inclytum pietatis athletam, ne eius debilites mentem, aut viuacitatem intellectus obtundas, sed satage, vt eius intellectum potiùs exacuas, (*principem animi partem serua*) quò ipse acutiori mentis acumine vulnera refricet dolores adaugeat, dum dolendi causas subtiliùs exaggerat. *Siempre es mayor la calamidad, que padeçe vn entendido.* Vnde Iobus animaduertens. Satanam Dei permissu in eius corpus deseuiisse, Dei autem suasione, mentis viuacitatem cruciamentis querulè inquietam, sibi asseruatam, de sæuitiâ Dæmonis, & de cogitatorij sui officinâ sauciatus; non *Digito Dei*, vt Ægyptij, sed tota robustè *Domini manu*, se percussum tragicè lamentatur. (Sic iuuat ex his Iobi verbis ad mores concionatoriè velitari) Non absimili calamitate fermè oppressam Saram hîc vers. 10. spectare licet, dum viuacissimæ mentis sensu, auditis procacibus petulantis ancillæ verbis, sic altè iniuriam cogitando visceribus infixit, vt propè ad suspendium impelleretur, vt in Græco textu disertè narratur. Sic ærumnas viuacior intellectus ad dolorem exacuit.

Iob. 2. v. 6.

Dæmon vltra possibilia contra homines audet.

Sanct. ibid.

Viuacitas mentis, Iobo ad maiora cruciamenta asseruatur.

Olymp in Cat. ad ea verba.

Hic vers. 10.

Ecclesiastæ 1. tandem Salomon meliora sapiens, ita de se fatur: Dedi cor meum vt scirem prudentiam, atque doctrinam, erroresque, & stultitiam: & agnoui quòd in his quoque esset labor, & afflictio spiritus: *Eò quòd in multa sapientia multa sit indignatio: & qui addit ad scientiam, addit ad laborem.* Multas Patrum, & interpretum expositiones, noster hîc Lorinus addensat, & spissat, quæ ad alia diuitanda themata non indonеè peti possunt. Sed curiosiùs peruestigare libet, quo pacto sapientia de se pacatè tranquilla, sit *indignationis* conceptaculum? quid tam alienum à Sapiente, quàm indignationis rixæ? Et quo modo scientia qui est placidus humanæ mentis partus, dolores addat, & labores accersat? Græcus textus præfata Salomonis verba sic edisserit: *Eò quòd in multitudine Sapientiæ multitudo cogitationis: & qui addit cognitionem, addet dolorem.* Et iuxta Aquilam: *addet tormentum.* Nempe vir multâ sapientiâ, & mentis acumine præditus, dum ærumnas (præsertim innoxius) patitur, ad *indignationem* impotenter lacessitur, *eò quòd in multitudine Sapientiæ multitudo cogitationis* inuenitur, quæ patientem acerbè lancinant, & duriùs excruciant: nam qui *addit ad cognitionem, addet ad dolorem, addet ad tormentum.* Non quia oculatior mentis cognitio semper mentiatur dolendi causas; sed quia eas penitiùs explorat, & medulliùs callet. Præstaret, præstaret inquam, dolentem fore stupidum, & rudi torpere intellectu, ne mentis acumine acerbitatem doloris sentiens, & dolendi sæpe causas subtiliùs explorans, quò plus mentis viuacitate *addit ad cognitionem, addet ad dolorem, addet ad tormentum.* O minùs patibilem de inconsideratione ruditatem! O malè acutum patientis intellectum Sic inimico labori subtilis peritia militat. Ad obuias tolerandum ærumnas, satiùs foret obtusum esse, quò mentis hebetudine dolores vtcumque falleret, & diuersissimas dolendi causas, ruditatis ingenio sibi mentiretur. Profectò subtilioris intellectus acumen, & calamitatis exaggeratio est, & patientiæ meta. O, esto benè rudis, & ingenio hebes, ne in graui calamitate sis malè subtilis. Intellectus dolentis. acerbior dolendi officina est, & quæ patientiæ martyres cudit. Cessabit extrinsecus dolor, & adhuc perdurabit offensæ mentis laniena.

3. *Eccl. 1. v. 18.* *Lorinus ib.* *Qui addit ad cognitionem, addit ad tormentum.* *Græca translat. Aquila.*

4\. Ecclesiastici 51. IESVS Sirach in gratiarū actionem totus gratanter effusus, ita Deum suum alloquitur: Confitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deum saluatorem meum: quoniam adiutor & pro

& protector factus es mihi. Et liberasti me secũdum multitudinem misericordiæ nominis tui à rugientibus, præparatis ad escã, de manibus quærentium animam meam, *Et de portis tribulationũ quæ circumdederunt me* Non facile se expediunt interpretes, vt locum expediant, & nobis ostendant, quænam sint *tribulationum portæ*, quæ homines sic molestè circumdant, angustant, torquẽt, discruciant. Intermitto multa, quæ hîc cõmentatores adaggerant, vt citò dicam, per has *portas* ethicè denotari humanam rationẽ, seu intellectũ; per has enim portas tribulatio sæpè intrat, cùm per eas potiùs exire debuisset. O quoties vinacior intellectus tribulationum aculeos cogitando exacuit: adeò vt cogitatorium ipsum fiat excruciationis officina, & peruia tribulationis porta. Plerumque mens humana humanis rationibus nimiùm tribuens, tribulationis aculeum altiùs figit; cùm potiùs prudenter cogitando quæ tribulationem extenuent aut auertant illum refigere debuisset. Profũda ob acceptam iniuriam tristitudo, non benè se credit humanæ rationi, quæ portas tribulationi pandit, quas potiùs meliora cogitando, obseruare debuisset. Perbellè Clemẽs Alexandrinus alto stylo ita hac super re fatur: *Sunt enim*, inquit, *rationales rationis portæ, quæ aperiuntur claue fidei*. Quasi dicat: Homo profundè cogitando humana ratione, (sępè ad rem diuinam propè irrationali) iniuriæ contumeliam, aut detrimenti magnitudinem, aut honoris iacturam, altâ mente diu animitùs versat, & reuersat, & sic peruiam tribulationi portam humana ratione pãdit. Quærat ergò rationes diuinas, quæ dum humanam rationem eluunt, aut auertunt, tribulationis malum extenuant, aut eliminant: quin & sæpè quodam virtutis blandimẽto gratam reddat calamitatem. Claue fidei diuinæ, quæ æternas rationes animo obuersat, rationales portas aperiat, per quas exeat tribulationum angor, & calamitatum fugiat, criminosa molestia. *Sunt enim rationales rationis portæ, quæ aperiuntur claue fidei*. Ne dum iniuriã aut detrimẽtum, aut molestum quiduis accipis, humanæ rationi tutò te credas, æterna cogita, vt temporalia, & caduca euanescant. Super hac thesi consule §. 443.

Eccl 51. v. 5.

Rationales rationis portæ aperiantur claue fidei, per quas exeat tribulationis angor.

Clem. Alex. in Adhort. ad Gent.

5\. Geneseos 37. scelerosi Iacobi filij, cruentam Iosephi vestem ad patrem deferunt. Quam cùm agnouisset pater, ait: Tunica filij mei est, Fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph. *Scissisque vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suũ multo tempore*. Totis viginti tribus annis Iacobus in luctu charissimi Iosephi, ineluctabili angore perseuerat, quin doloris sensum aut amica charorum consolatio, aut prolixa temporum diuturnitas eluisse potuerint. *Artem obliuionis præ arte memoriæ discere cupiebat Themistocles*, vt eruditè tradit Cornelius. Est aliqua ars, quæ memoriam elimet, & exacuat. At nulla inuenitur, quæ calamitatis altiùs repostæ, & crebrò rationem fodicantis, obliuionem inducat. Memoria vrentis mali, quam ratio, aut tempus non curat, immedicabilis languor est. Prudentia dolorem lenit, vulnus non sanat. Sic est tenax calamitatis memoria, cui sola medetur officiosior gratia. Sed adhuc admittendum est, vt rationis ingenio inolitus doloris sensus mitigetur: & hebetanda rationis acies, ne vulnus ingenio exulceret.

Genes. 37. v. 34.

Corn. ibid.

P. Didac. de Celada in Tobiam

§. CXXIV.

Apud vulgus hominum, secura sunt vitia, in excusationis effugio.

1\. OMitte *excusationem: nemo peccat inuitus*. Quia cognata nobis vitia nimis amamus, argutè defendimus: & malumus excusare illa, quàm ne admittamus, priùs excutere Colligamus vires nostras, ac totas pro nobis, saltem ne contra nos concitemus, sat roboris natura & gratia homini dederunt. *Nolle, in causa est; non posse, prætenditur*. Nullum est vitium sine patrocinio: nulli non initium est verecundum & exorabile, sed ob hoc latiùs funditur. Non obtinebis vt desinat, si incipere permiseris. Imbecillis est primò omnis affectus, deinde ipse se concitat, & vires dum procedit parat, excluditur faciliùs, quàm expellitur. Æquè facilitas amoris, quàm difficultas nocet Facilitate capimur, cum difficultate certamus, (idem adsimiliter de reliquis affectibus, ac vitiis puta) Cùm autem excludendi vitij difficultatem, aut vincere nolumus, aut facilè superare non possumus; conscij nostræ imbecillitatis, quiescimus: & vitium, cui ignauè succumbimus, si clanculùm dissimulare non possumus, quæsitâ excusatione colorare affectamus; aut reluctantis animi obtentu, aut pietatis specie, aut impotenti necessitatis impulsu: specioso prætextu, turpem malitiæ notam vaferrimè deludamus. Sicque vulgo percrebuit hæc excusationis opinio, ad delendum vitij infantis characterem, vt qui apparentem defert excusationem, innocentiam deferre videatur, ac si quod quæsita excusatio apparenter ostentat, culpam aut omninò defendat, aut nimium extenuet ingenio excusationis quam suæ innocentiæ benè conscia, consultissimè hîc vers. 10. Sara negligit.

Publ. Mim.

Senec epist. 117. Nolle in causa est, nõ posse, excusatio obtenditur.

Hic vers. 10.

2\. Ioannis 12. IESVS ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit IESVS. Fecerũt autẽ ei cœnã ibi: & Martha ministrabat Lazarus verò vnus erat ex discũbentibus cũ eo. Maria ergò accepit librã vnguẽti nardi pistici, pretiosi, & vnxit pedes IESV, & extersit pedes eius capillis suis *Dixit ergo vnus ex discipulis eius, Iudas Iscariotes, qui erat eũ traditurus: Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs, & datum est egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat*. Verùm auari Discipuli mal edicentiam protinùs compescit Magister, ne latiùs in reliquos serperet per aurium traduces. Sed vetus quæstiuncula, diuini oris prouidentiæ adyta, piè audet scrutari, eccur non bonum Iudam ad Apostolorum collegium adsciri voluit? Et esto, id decreuerit abstruso prouidentiæ suæ iudicio; quare loculos homini furacissimo committit? An non præstaret, quempiam ex reliquis vndecim Apostolis, aut septuaginta Discipulis, qui & fidelitate, & pietate prælustris erat, Dispensatoris præbere munus? Quare, alijs omissis, ad eiusmodi officium peridoneis, quem humana prudentia vnicè inidoneum putaret, potiùs eligit? Fidelem adseruatorem quærit, & rapacem erogatorem scius eligit? Aut nõ debuit seligere, quem furem sciebat, aut voluit vsurpari, quod furi commisit. Qui suas latroni facultates credit, furta negotiatur. Sic humana tenuitas de profundi-

Ioann. 12. v. 4. 5 & 6.

Furacissimo Iudæ Christus permittit loculos, vt excusationem proditionis auferat.

profundiori Christi consilio arguatur. Sed consulendus est Chrysostomus, dudum aliquoties expensus: *Quod siquis*, ait, *inquireret*, *quia tandem cùm fur esset Iudas, loculi ei pauperum committebantur? Et cur auarum fecisset dispensatorem? Illud sanè dicemus, Deum arcanam intelligere rationem.* Sed attentiùs audienda est, quam ipse & sapienter excogitauit, & eloquenter edisserit: *Quod siquid & à nobis est coniectandum; vt omnem tolleret proditionis materiam: neque enim poterat dicere, pecuniarum id cupiditate fecisse, (sufficientes enim loculi esse debebant, qui eius satisfacerent cupiditati) sed sola malitia, quam CHRISTVS cohibere volebat, multa illi permittendo.* Nota verba, quæ adhuc magis tempestiuè subiicit: *Ideò furem non arguit, quamuis non ignoraret, & malam eius obstruit cupiditatem, & omnem abstulit excusationem.* Nempe sciebat CHRISTVS, (quid Deum lateret?) sciebat inquam, Iudam esse furem; sed sciebat etiam suum fore auarum proditorem: vnde & loculos ei permittit, nec insinuatæ tunc furacitatis illum arguit, nec reprehensione publicâ aut priuatâ, malam eius obstruit cupiditatem, quò nefandissimi sceleris, & infidæ proditionis, *omnem abstulit excusationem.* Fortè enim post Magistri proditi scelus, posset Iudas effutire, se dira egestate oppressum, aut suæ alendæ familiæ necessitate extimulatum, id fecisse. Quæ aliqualis foret auaræ proditionis excusatio. Ergò vel friuolam hanc atrocioris delicti excusationē obstruere in Iuda festinat Christus Deus, ne vlla etiam leuicula excusatio, suæ proditionis flagitium vllo modo defendat. Quò notum omnibus sit, quod Iudas suum Magistrum vendidit, non subsidij necessitate, sed sola auaritiæ cupiditate. Sic vulgo apud homines valere solet malitiæ excusatio, vt vel hæc leuicula præcludenda foret!

Chrysost. hom. 65 in Ioann.

3. Matthæi 12. abiit IESVS per sata sabbato: *Discipuli autem eius esurientes cœperunt vellere spicas, & manducare. Pharisæi autem videntes, dixerunt ei. Ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere sabbatis. At ille dixit eis! Non legistis quod fecerit Dauid, quando esuriit, & qui cùm eo erant?* &c. Non putauerim, Christi Discipulos per campos exerrasse, & à Magistro diuertisse, vt spicas vellerent. Sed non facile quis diuinare poterit, quonam consilio Discipulos suos Christus per sata duxerit. An non Discipulorum, & turbarum vestigiis sata proculcarentur, magno dominorum detrimento? An non etiam dies sabbati eiusmodi labore coram Pharisæis violaretur? Tanti ne erat esurientes Discipulos malignè granis alere, vt frugum dispendio, & perspicua sabbati violatione, vilis & auarus cibus foret emendus? Ecquod hîc sacramentum latet? Ioannes Chrysostomus mira subtilitate, ad litteram, & ad mores hac super re philosophatus, ad præscripta Matthæi verba, sic fatus: *Cur nam per ea loca illos Christus ducebat, cùm sciret omnia, nisi soluere quietem sabbati vellet? Et volebat quidem, sed non absque causa soluere. quapropter nunquam nisi data occasione soluit, vt & legem cessare faciat, & obtrectatores non offendat.* Scilicet CHRISTVS Deus, qua pollebat auctoritate, sabbatum sensim abrogare intendebat, & Euangelij legem auspicari; sed vt Moysis legem cessare faciat, & suos obtrectatores non offendat, dáta occasione, sabbati legem soluit: quò simul & sabbati inquieret otium, & dum famis necessitatem excusat, maledicam vituperonum linguam frenet. Sic enim apud hominum vulgus inualuit, verosimilem admittere excusationem, (quò possit quisque sua etiam delicta tuto defendere, excusationis clypeo) vt vel inuidi obtrectatores, & ipsi Pharisæi æmulationes æstuantes, non imputent ad culpam, quod verosimili excusatione tueri audiunt. Itaque consultissimè Christus Deus sabbati otium labore fatigat, quia oportebat antiquatam legem abrogare. Neque id nisi data occasione facit, vt excusationis lenocinio obtrectatores non offendat. Sic, apud homines eualet excusatio! Se pariter excusat, qui aliorum excusationes admittit. Suam excusationem admitti ambit, qui aliorum excusationes repudiare negligit. Christi Discipuli vellēdo in sabbato spicas, minimè tunc deliquerūt; sed perpetrati delicti opinio, etiā apud Pharisæos excusatione frustratur. Adsimile thema ex his ipsis locis ditauimus ad c. 2. v. 21. Sed si attentiùs legantur, dissimilem moralitatem versauimus.

Math. 12. v. 1. 2. & 3.

1. Reg. 21. v. 4.

Verosimilis excusatio, vel Pharisæorum maledicentiā cohibet.

Chrysost. homil. 40. in Matth.

4. Lucæ 14 cū facis prādium, noli vocare amicos tuos, neque cognatos, neq; vicinos diuites: ne fortè te & ipsi reinuitent. *Sed cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos.* Gregorius Nyssenus aliam etiam egregiam reddit rationem, quare cùm quispiam diues conuiuium opiparum extruit, miserè egenos debeat inuitare. *Voca pauperes. Non ergo negligas iacentes quasi nullo sint digni, cogita qui sint, & pretiositatem eorum inuenies. Induerunt Saluatoris imaginem, futurorum bonorum hæredes, regni claujgeri.* Grande est hoc pauperum elogium. Sed attende ad verba, quæ mox percommodè Nyssenus subdit: *Accusatores, & excusatores idonei, non loquentes, sed inspecti à Christo.* Nimirùm pauperculus, miser, debilis, & inualidus, negligendus non est, ne eius pauperies & miseria, Dominici aspectus voce te inhumanitatis *accuset.* Ergò eius famem tuis epulis exple, vt te, ac tua delicta apud Deum clementiùs *excuset.* Nempè quòd Scriptura passim clamat: *Peccata tua eleemosynis redime*, alio stylo expressit Nyssenus, aiens, quòd pauperes diuitum ope adiuti, sunt *excusatores idonei, non loquentes, sed inspecti à Christo.* Sic potens apud homines putatur *excusationis* vis, vt *excusatio* peccati, & eius *redemptio*, habeantur velut synonima? ô quā tuta sunt delicta diuitum in hoc arcanæ excusationis asylo! *Excusationem nescit natura*, ait Isidorus: sed gratia has excusationes officiosa accepiat. Bona *excusatio*, quæ non arguta loquela, sed benignitatis opere, oculis loquens, delicta precatie excutit, scelera abolet, & peccata expungit.

Lucæ 14 v. 13

Eleemosyna eleemosynarij delicta excusat.

Greg. Nyss. apud Caten.

Excusationē ne cit natura, sed scit gratia.

Isidor Pelus. l. 1. epist. 87.

---

§. CXXV.

Pudor, alioqui virtutis index, ne fiat commissi sceleris fidus custos, verecundia impœnitentiæ lenocinante.

1. ABsconsio, vmbra, fuga, latibulum, cognatus malitiæ character est, & prauitatis notaculum. *Neque enim quisquam tam malus, vt malus videri velit.* Hinc Tertullianus Christianorum innocentiam vindicat, cùm nemo Christianismi reus, latere cupiat, quasi bonum Euangelicæ legis erubescat. Reliqui, inquit, qui scelerum accusātur condemnati mœrent, deonerant semetipsos, mentis malæ impetus vel fato, vel astris imputant. *nolunt enim suum esse, quia malum agnoscunt:* Christianus

Quintil. l. 3. Orat. instit. c. 8.

Pudor, congenitus malitia est.

Christianus verò quid simile? Neminem pudet, neminem pœnitet, nisi planè retro non fuisse. Si denotetur, gloriatur, si accusatur, non defendit interrogatus vel vltrò confitetur; damnatus, gratias agit. *Quid hic mali est, quod naturalia mali non habet? timorem, pudorem tergiuersationem, pœnitentiam, deplorationem.* Ecce tibi pudor, malitiæ comes est, & sceleris index: nemo enim tam impudenter malus est, vt malus videri non erubescat, & cognato sceleris pudore, virtutis vindice, præpropero malitiæ lanio. Hinc Sara vbi criminosam contumeliam de petulantis ancillæ ore audiuit, confestim in secessum festinat, congenere vel falsi de se maliloquij pudore, vt vel ob præsumptum mendacissime scelus inuisa lateat, ne vel domesticorum patiatur oculos. Nudam conscientiam, suæ innocentiæ benè sciam, diuinæ perspicaciæ pandit: suum se fœdi criminis mendaciter suspectam, abscondit: pudor enim vel præsumpti vitij comes est.

(Tertull Apolog. c.1.) (Hic, v.10.)

2 Isaiæ 10. Dei nomine minas funestè seuerissimas Propheta sceleratis Hebræis interminat: *Væ*, inquit, *qui condunt leges iniquas: & scribentes, iniustitias scripserunt: vt opprimerent*, &c. vbi sigillatim recenset enormissima Iudæorum scelera. Et sanè valdè dubium est apud Interpretes, quænam sint hæ siue leges, siue iniustitiæ, quas Hebræus populus scribebat, & vbinam eas scripserit. Basilius Magnus aliter hæc Prophetæ verba e[illegible]ibit, & suæ exscriptioni commentarium adaptat, sic aiens: *Væ scribentibus iniquitatem: scribentes enim iniquitatem scribunt, declinantes iudicium pauperum*, &c. Inde exponit Basilius quid scelératorum quisque scribat, & in qua charta id scribit. Ex quo, inquit, singuli quoque nostrum per huius vitæ curriculum quodammodò chirographa nostra scribimus, formas rerum à nobis gestarum consignantes in memoratiuâ facultate, fortè etiam tales prædicat Scriptura miseros, quasi qui suam scribant malitiam: (Addit appositè ad rem Basilius) *Cor quidem iustorum descriptum est, non atramento, sed spiritu Dei viui: cor autem iniquorum non spiritu Dei viuentis, sed atramento quod congener est & affine tenebris, lucisque inimico.* Scilicet virtus descripta est in hominis iusti corde velut in charta: descripta autem est non atramento, sed ipso spiritu Dei, sanctitatis characteres dilucidè exprimente adeò vt ipsius Solis radiis scripta videatur. Sed cor inquorum sceleribus eorum impressum, non est descriptum spiritu Dei; *sed atramento, quod congener est & affine tenebris, lucisque inimico.* Parùm foret, quòd malitia in humani cordis penetralibus occulta lateret, (ô! quis timetur, quod in cordis latebris absconditur?) nisi etiam nigro attamento, tenebris adsimili, & lucis inimico, descripta foret. Itaque malitia quodam pudore videndi, non solùm in cordis recessu abdita latet; sed quò magis delitescat nigerrimo atramento velut tenebris describitur, perpetuas inimicitias cum luce gerés, ne de publicatione aut suspicione sceleris, rubore suffundatur. *Cor iniquorum non spiritu Dei, sed atramento, quod congener est & affine tenebris, lucisque inimico.* Virtutem spiritu Dei in corde descriptam, inopinatus aliquandò nutus, aut aliqua occasio non prouisa, aut benè operandi vigens opportunitas, prodere solitat: at fœdi sceleris pudor, sic fidus secreti custos est, vt malitiam imprimat attamenti nigrore, tenebris de obscuritate cognato. O fallacem iniquorum malitiam,

(Isaiæ 10 v.1.) (Basil. in c.10. Isaiæ.) (*Malitia in corde scribitur atramento, quod affine est tenebris.*)

pudoris ipso delicto furacem!, quem postea cum fœnore restituit, oraque verecundissimè obsignat, ne ad medelam prodatur! O quoties impudenter delinquimus, & impudentiore verecundiâ delicta describimus *atramento, quod congener est & affine tenebris, lucisque inimico*, ne ad salutem publicentur! Heu in tremendo illo finalis iudicij spectaculo, quicquid in conscientiâ latet, serò apparebit! *Væ scribentibus iniquitatem atramento, quod congener & affine tenebris, lucisque inimico!*

3 Alitur vitium, viuitque tegendo. Hinc pulchrè Heliodorus: *Morborum alimentum silentium est.* Et regius vates psalm. 31. appositè accinit: *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die.* Scio in huius versiculi expositione Latinos Patres à Græcis valdè dissidere. Verùm Isidorus illum ad literâ & ad mores velut compendio exposuit, aiens: *Quia tacuisse se pœnitet, nisi confessionem peccatorum?* Nempe Dauid sero perpetrati delicti pudore, illud occultare impensiùs studuit, dum, Vriam accersit, & tandem cædi obiecit, quò putabat facinus celasse, & nigro attamento, quod est congener & affine tenebris, lucisque inimico, tectiùs occultasse. Sed dum occultiùs malitia tegitur, conscientia sceleris atteritur, exulceratur, & tabescit. *His qui peccauerunt*, ait Chrysostomus, *confusum est os, peccato linguam auertente, & conscientia ipsam cohibente: manentque stupidi, silentio tanquam quodam vinculo coercit.* Chrysostomo accinit Nazianzenus sic eloquenter de more fatus: *Et quantum studium a nobis adhiberi conueniebat, vt morbum medicis detegeremus, tantum ad medicinam fugiendam adhibemus; atque in nostram perniciem fortes sumus, & aduersus sanitatem nostram periti.* Hanc suæ tegendæ conscientiæ peritiam incusa in hoc loco Propheta, dum pudori potiùs consulens, quam saluti; quibus potuit artibus decem menses, minimùm, suum scelus abscondit. *Quoniam tacui*, inquit, *inueterauerunt ossa mea*, &c. Et quidem hac super re alto stylo sic fatur Tertullianus: *Intolerandum scilicet pudori, Domino offenso satisfacere, saluti productæ reformari. Næ tu verecundia bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum verò subducens. Ego rubori locum non facio, cùm plus de detrimento eius acquiro, cùm ipse hominem quodammodo exhortatur: Ne me respexeris, dicens, pro te mihi meliùs est perire.* Quid illustrius? Bonus alioqui pudor probitatis magister, & roseus virtutum flos; ne fiat delictorum custos: iacturâ pudoris facis sanctitatis compendium. Suffundatur pudore frons, vt conscientiæ sordes effundantur. Ipse pudor perire cupit, ne tu pereas: morte suâ tuam vitam redimere satagit: *Ne me respexeris, dicens, pro te mihi melius est perire.* In se impius est, vt sit in te pius. Alitur vitium, viuitque pudore.

(Heliod. l.4. Hist. Æth.) (Psal 31 v.3.) (Isid 2. Sent. c.14.) (*Alitur vitium, viuitque pudore.*) (Chrysost. hom. 7 ad Populum.) (Nazianz. Orat 10.) (Tertull l. de Pœnit c.10.)

4 Matthæi 25. *Simile est regnum cœlorum decem virginibus quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso, & sponsæ.* Quis non miretur, quòd virginitas, cuius nitor est verecundia, accensis faculis ad nuptionem clarescat? Quid verecundiæ, quæ ad alterius sexus occursum rubore suffunditur, cum lampadum luce, quæ absconsa publicat, abstrusa prodit? Pudor obscuras amat latebras velut non obscuros pudicitiæ custodes; & virginitas accito lampadum iubare præfulgere iubetur? Clemés Alexandrinus profundo vir ingenio, ita hac super re fatur: *Simile est regnum cœle-*

(Matth 25. v. 1.) (*In densis tenebris castitatis, necessaria est lampas, quæ conscientiam confessione clarat.*) (Clem. Alex. 3. Strom.)

P. Didac. de Celada in Tobim.

rum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, &c. Hac ratione sunt etiam prudentium virginum lampades, quæ nocte sunt accensa in densis tenebris castitatis, (locus præclaris, & ad aliud aliorsùm lemma versatus.) Nimirùm densæ sunt castitatis tenebræ: nam illustrior continentia de verecundiæ bono lucifuga est, secessum amat, oculos hominum fugit, latibula quærit, ne pudicitiam cumfacie prostituat obuiæ spectatorum libidini. Ast ne sacer hic pudor pudicitiæ custos, *in densis tenebris castitatis* perpetuò versetur, magno sæpè detrimento conscientiæ, quæ aliquandò leuium noxarũ labecula deuenustata, confessionis;& pœnitentiæ bonum erubescit; lampadem gestare iubetur, cuius nitore conscientia ad confessionem claretur, & ad noxas prodendas referetur. *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate!* nam licet pudicitia de verecũdiæ bono lucem fugiat, & latere ambiat; tamen lampadum claritate opus habet, vt à claratâ conscientiâ, quæ labe aliquâ deuenustatur, venustatem confessione fœneretur, & de conscientiæ propalatæ luce claritatem mutuet pulchritudine rediuinâ. Vnde pudicitia, quæ ob verecundiam latet *in densis tenebris castitatis*; siquando labem conuersatione humana contraxit, lampades assumit, quibus conscientiæ ad confessionem præfulgeat, quò pristinam pulchritudinẽ restituat & incrementet. *O quàm pulchra est casta generatio cũ claritate: immortalis est enim memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines.* Ergò pudor alioqui virtutis index, ne fiat commissi sceleris fidus custos, verecundiâ impœnitentiæ lenocinante.

Sapient. 4. v. 1

5. Lucæ 16. v. 24. *Vstulata conscientia febris ore sanatur.*

Lucæ 16 Diues ille inclemẽtiâ citiùs, quàm nomine notus, dudùm sepultus in inferno, feralium pœnarum impatiens, serò remedium quærit *Pater Abraham*, inquit, *miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma* Totum corpus medullitùs ardet, & breue linguæ laxamentum sic anxiè optat! An præsumit per linguam totum hominis incendium extinguere? Apposité Chrysologus: *Erras diues, hæc flamma non tam linguæ, quàm mentis est: non tam linguæ, quàm cordis est; & adhuc iste conscientiæ calor est.* Bene quidem hic Diues vstulatæ conscientiæ remedium per linguam quæreret, nisi illud serò quæsiisset: nam conscientiæ febris linguæ ministerio sanatur; & ne totus homo æternũ pereat, confitentis linguę adhibenda est medicina. O, ne oris pudor, conscientiæ medicamentum præcludat!

Chrys'ol. ser. 122.

---

§. CXXVI.

Sollicitior vindictæ ardor, vltionem frustratur.

1. MOrosos difficiléſque aliorum mores fuge, & quibus ingenium Brontesque Steropesque in Ætneâ incude è chalybe mallearunt. Et horum colloquio, & contubernio, nil nisi rixas mutuabis, & cum iniuriis vindictæ fomitem, nisi cautè cum illis agas. Si verò cùm illis conuersari necesse est, tu benignissimo vultu, oculis, fronte, verbis, aut occurras veniẽtibus, aut in illorum te consuetudinem immitte. Obliuiscitur aliquis tui, aut ad similem iniuriolam pateris? (rara in initiis magna: ex minimis maxima exurgunt) tu tecum habita, & audisse aut vidisse dissimula, aut risu te vindica & contemptu, & (quod satiùs est) in mitiorem partem interpretare. Nam si silicem silici, & ferrum ferro incusseris, quid spectes præter ignem. Inhonorum tibi & inglorium videtur: sed honori tuo magis consulis, dum grauem iniuriam anteuerris, & antequam veniat, excutis præmaturè. Nam si ad te venerit, altè figitur; adeò vt quantumuis admitaris, vix possis excutere. Quid tam è votis, quàm contumeliam vltione curare? Sed quamvis curaueris, vulneris cicatricem reliquisti, ad constuprati honoris monimentum, & dedecoris indicium. Vulnus honoris, idem qui sanat, facit. Quin & quò validiùs ad vltionem arma is, eò magis te ad vindictam exarmas. Nemo se imbecillius vindicat, quàm qui sollicitiùs vindictam procurat: aut cautelâ inimici minas cautiùs frustrante, aut attentiore Dei prouidentia inimicorum ignoscendorum legem vindicante, ad sumendæ vindictæ inuidiam incutiendam. Vnde hîc Sara à petulanti ancillâ grauissimis contumeliis dehonestata, difficiles eius mores, & vituperia toleratu difficiliora, prudenter fugit, nec malo malum reponit de vindictæ concupiscentiâ: sed muta ad probrum, rem totam Deo permittit; ne dum vltionem sollicitiùs ipsa procurat illatæ iniuriæ satisfactionem sibi necessariam, de vindictę sedulitate frustretur.

Prudens iniuriola dissimulatio, grauem inimiã inferendam præproperè excutit.

Hic v. 10.

Matthæi 23. nunquam, opinor, acriùs & acerbiùs Christus Deus Pharisæorum mores sauciauit, dum abstrusa eorum publicauit scelera, & publicata seueriùs increpauit. Nec verbis tantùm asperis res Pharisaïca peragitur; ruinas addit iam iam imminenti supplicio insculptas, quibus diuinæ iustitiæ diu repressum in eos furorem, inuulgat; quò templi demolitione, patriæ ruinâ, suo excidio, & suorum strages eos terrret. Et addit Christus, vt vindictæ rigores exaggeret: Ideo ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequimini de ciuitate in ciuitatem, *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ, filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.* Non tracto litteralissimè quæstionem illam in paucis celebrem, quomodo iusti Abeli sanguis iniustè effusus, non in Cainitis, sed in Iudęâ gente sit vindicandus; cui post eruditas multorum lucubrationes ægrè satisfacitur. Quæstionem autem ad litteram pariter & ad mores propinabo, quare ad ostentandos diuinæ iustitiæ rigores, Abeli & Zachariæ duntaxat cædes vlciscendas in Iudæis Christus commemorat? Et cum reciprocatam per Isaiæ corpus serram non refert? quare non proponit tot Prophetarum, & Sacerdotum strages, & ærumnas ipsâ morte atrociores? Quid habet peculiare Abeli & Zachariæ cædes, ad exaggeranda supplicia Iudæi infligenda? Cardinalis Caietanus postquam multa tentauit, qua assolet ingenij subtilitate, in hac propositi dubij solutione tandem quiescit, ad præfata Matthæi verba ita scribens: *Vel (quod potiùs crediderim) ideo hi soli inducuntur, quia in his tantùm Scriptura petitionem vindictæ explicat. In Abel: Ecce sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. In Zacharia: Videat Dominus & requirat. Quia ergò de vindicta sanguinis iusti*

2.

Matth. 23. v. 35 & 36. *Vbi nulla humanitus expetitur vindicta, acerbior de cælo venit.*

M. Basilius Legion p. t. variarq 5.

Caiet. ibi.

Genes. 4. v. 10

2. Paral 24. v 22.

IESVS

Iesus loquebatur, par fuit vt illorum iustorum sanguinem commemoraret, quorum vindicta petita traditur in sacrâ Scripturâ. Nempe vt Christus diuinæ iustitiæ furorem exaggeret, in Hebræis acerbiùs puniendis, eos duntaxat iustos commemorat, qui iniustè occisi, sumendam ab occisoribus vltionem, è cælo postularunt. Quasi dicat: Non magnum argueret Dei furorem, si pœnalior sumeretur vindicta de illis iustis, qui interfectoribus ignoscentes, sui vindictam neglexerunt: in eos enim Dei furorem acerbiùs ad punitionem armari, ordinarium est. Ast cùm mitiùs agere soleat contra eos, quorum vindicta à læsis exposcitur; sic nunc diuinus exasperabitur furor, vt vel sanguis Abeli & Zachariæ, qui vindictam expetiuerunt, peracerbè pœnalissimo in vobis supplicio castigandus sit. *Ideò hi soli inducuntur: quia in his tantum Scriptura petitionem vindictæ explicat. Quia enim de vindicta sanguinis iusti Iesus loquebatur, par fuit vt illorum iustorum sanguinem commemoraret, quorum vindicta petita traditur in Sacra Scriptura.* Quid exaggeratius? Vel pius iustæ vltionis affectus, aliquid de infligendo cælitùs supplicio detrahere videtur? O, fatigetur improbitas lædentis, mutâ læsi patientiâ! O seuerioris supplicij sumendi pium ingenium! Mihi vindictam, & ego retribuam, ait Deus, puto, acerbiorem, quò minùs expetitam ab eo, qui iniuriam passus est.

5 Iudith 1. deuicto Arphaxado Mediæ rege, sic Nabuchodonosor intumuit, vt legatos mitteret in plures circumcirca prouincias, vt se illi vltrò subderent. Quæ iugum recusantes, legatos re infecta, ingloriè ad Regem vno consensu remiserunt. *Tunc indignatus Nabuchodonosor Rex aduersus omnem terram illam, iurauit per thronum & regnum suum, quod defenderet se de omnibus regionibus his.* Nimirum iniuriam sibi irrogari putat homines potentes, si quispiam neget quod ipsi ambiunt, licet iniustè: quasi debeant alij quicquid ipsis lubet, tametsi lex, & ratio, & ipsa rerum natura reclamet. Tulit itaque homo furiosus, & impotens sui, perquammolestè illarum prouinciarum tam liberum, & vt ipse interpretabatur, tam liberale responsum. Quare Nabuchodonosor inflammatus furore, omnia sæua innocuis populis minitatur; sibique ea præstandi, quæ minatus fuerat, grauissimam iurisiurandi necessitatem imponit. *Iurauit per thronum suum, quod defenderet se de omnibus regionibus his.* Valde sudat interpretum industria in exponendo quid significet *defenderet se*, cùm Nabuchodonosor nullâ sit lacessitus iniuriâ. Porrò quo pacto potest quis se *defendere* ab eo, qui illum non tentat inuadere? ergo vacat verbi *defendere* significatio. Verùm conuenit inter expositores vocem *defendere* idem significare ac *vlcisci*, quod ad eum locum copiosè adstruebamus. Sed quare atrociorem meditatur vltionem in populos, qui nullâ eum prouocarunt iniuriâ? Sententiosè Plato: *Elatioris lasciuia filia, iniuria est.* Esto, superbiæ typho arrogan-
4 ter elatus, putet se iniuria affici, ast quare iniuriæ vltionem, *defensionis* vocabulo appellat? An homo superbissimus refugit *vltionis* nomen, ne illo deuotet, iniuriam se passum fuisse? An se palam vlcisci pudet, & vltionis probrum, pulchro *defensionis* vocabulo honestare præsumit? Verùm Lyranus ad præfata verba: *Iurauit per thronum suum, quòd defenderet se de omnibus nationibus his*, ita scribit: *Minus dicendo, plus significat.* Nempe dum irâ percitus, in vltionem iniuriæ contra illas regiones nimis ferocit, mittitque cum valido exercitu Holofernem, pari crudelitate furiosum, dicit *se defendere:* Sed minus dicendo, plus significat, significat enim sæuam, quam meditatur vltionem, sæuam inquam, vltionem molitur, mandat, apparat; sed eam minimè exequitur. Scilicet dum atrociorem intendit vindictam, non vltionem, sed *defensionem* appellat. Sat erit si quis se *defendat* ab alio, quem se vlciscendo offendere cupit. *Minus dicit*, qui vltionem vocat *defensionem:* sed *plus significat*, cùm *defensionem* dicit; quia necdum defensionem assecutus est: nam validæ eius phalanges, trucidato Holoferne, malè concisæ sunt. Vnde qui vindictam appellauit *defensionem*; *minus significando, plus significauit:* significauit enim, & velut prophetauit, dum intentabat vltionem, vix, aut ne vix quidem, *defensionem* assecutum (sic liceat ad mores velitari in Lyræ verbis.) Quasi crudelioris vindictæ furor, sit sospitatis intercessio. Vix defenditur ab eo, quem quis offendere satagit.

Geneseos 42. nimio olim ardore Iosephi fratres, ad eum interficiendum armati, dirâ fratris seruitute necem redimunt. Et dum mortuum putabant, quem præcipitato furore perdere festinabât, non agnoscunt Ægypti Dinastam: Iosephus autem probe eos agnoscens duriùs cum eis quasi cum exploratoribus agit. Illi verò vt reatum excusant, genus suum, patriam, & cognationem, publicant. *At illi: Duodecim, inquiunt, serui tui, fratres sumus, filij viri vnius in terrâ Chanaan: minimus cum patre nostro est, alius non est super.* Quid est, quòd dicunt: Duodecim fratres sumus? Si mortuum iam putant Iosephum, aientes: *Alius non est super:* & alibi: *En sanguis eius exquiritur;* quo pacto inquiunt, se adhuc *duodecim* fratres esse? Hanc bellam quæstiunculam his verbis ibi mouet Lipoman. *Duodecim fratres sumus. Etiã eum quem negotiatoribus vendiderunt, in numero suo recensent. Et non dicunt, duodecim sumus, sed duodecim sumus fratres.* An mortuũ esse Iosephũ fratres censebant, & quasi viuum computant ad gratiam fraternitatis? Qui præmittitur frater, non amittitur. Adhuc fratrem appellant, quem necare intentabant, & hostili odio Barbaris vendiderant; scientes boni fratris beneuolentiam ab illatâ iniuriâ imminutam non fore. Libertatem Iosephi inhumanè vendiderunt, ipsius piam fraternitatẽ non putarunt abalienasse; sed adhuc viuere ad gratiam. Vnde *non dicunt: duodecim sumus, sed duodecim sumus fratres.* Nisi fortè malis, inuidiæ œstro, & delationis iniuriâ sic fuisse percitos, vt adhuc post sæua funera, viuum reputent ad odium. Sic animitùs maleuolentia hæserat! Sicut alibi notabamus ex Seleuciensi Basilio, quòd impius Cain dolebat de fratris Abeli obitu; quia eius iugulum repetere iam nequibat. Ita Iosephi fratres, in votis viuum fingunt ad odium, ad iniuriam, ad iterandam (si fieri posset) cædem. O sic altè descendit odium, quod ab inuidiâ nascitur! Idcircò *non dicunt, duodecim sumus, sed duodecim sumus fratres.* Vel aliter ad thema præsens. Fratres nimis solliciti de eius cæde, mutuò sese hortabantur, dicentes: *Ecce somniator venit, venite, occidamus eum.* Vnde eorum inimicam solertiam, necis fructu frustratam timebant: nec postquam perdiderant, periisse putabant. Ideò *non dicunt, duodecim sumus, sed duodecim sumus fratres.* 51

Marginalia: Iudith. 1. v. 12. — *Iniuria est elatioris lasciuia filia.* — Plato lib. 3. de legibus. — Lyra ibi. — *Vix defenditur, qui alii* — *offenderi attentat.* — Genes. 42. v. 13. — *Quare Iosephi fratres, eum inter viuos computat, quem periisse putabant.* — Lip. ibid.

§. CXXVII.

Ob augustum ieiunij meritum, homo ieiunans vitam exprimit Angelorum, & diuinitatem æmulatur.

1. SAnctus Ambrosius subtili vir ingenio & polito in paucis eloquio, ita de ieiunio scribit: Canamus tubâ, vt annunciemus solemnitatis diem: simul nobis & certamen imminet, & victoria repromittitur. *Victoria nostra crux Christi est, trophæum nostrum Pascha Domini Iesu.* Sed ille antè est præliatus, vt vinceret, non quod ipse egeret certaminie, sed vt nobis formam debellandi antè præscriberet, & posteà daret gratiam triumphandi. Certamen nostrum ieiunium est. Denique ieiunauit Saluator: & sic tentator ad eum accessit. Et primum gulæ direxit spiculum, dicens: Si Filius Dei es, dic lapidi huic vt panis fiat. Ille cibum velut escam laquei prætendit, vt sic illaquearet appetentiam corporalem. Dominus ieiunium prætulit, vt laqueos tentatoris sui & vincula dissolueret (& post pauca addit) *Quid est enim ieiunium nisi substantia & imago cælestis? Ieiunium refectio animæ, cibus mentis est. Ieiunium vita est Angelorum, ieiunium culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis.* Hoc ad Deum gradu citiùs peruenitur: hoc gradu Elias ascendit, antequã curru, hanc hæreditatem sobrietatis & abstinentiæ ad cælum abiens discipulo dereliquit. In hâc virtute & spiritu Eliæ venit Ioannes. *Denique in deserto ille vacauit ieiuniis: & ideò quia vita humana possibilitatem continentiâ supergressus fuerat, non homo, sed Angelus æstimatus est.* Consultissimè ergo Sara, dimidiâ sui parte ab Asmodæo dæmone succisa, (maritis, inquam persæpè occisis) & incontinentiæ probro ab impudenti ancillula dehonestata, ieiunium assumit, tanquam *remedium salutis*, Diaboli excidium, *imaginem cælestem, & Angelorum vitam*: nam qui *vacat ieiuniis, vita humanæ possibilitatem continentiâ transgreditur.* Magnum sanè ieiunij elogium, quod homo ieiuniis marcidus, de macilento ieiunij vigore *vitæ humanæ possibilitatem transgrediatur!* O quàm multa paucis Ambrosius complexus est!

S. Ambr. de Elia & ieiunio, c. 1. & 3. *Victoria nostra crux est: trophæũ nostrum Christi resurrectio est.*

Addensata ieiunij elogia.

Ieiunans vitæ humanæ possibilitatẽ transgreditur.

Hic v. 10.

2. Matthæi 4. in eremi incopiosæ palestrâ Christus Deus nouus luctator, cum Diabolo conflicturus descendit: *Et cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*, posteà esuriit. *Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Vnde Diabolo tam inopinata subiit cogitatio, vt ambiguâ opinione suspicaretur fore Dei filium, quem inter vastæ eremi belluas diu versantem videbat? quem prolixo ieiunio macilentum, & longa alimoniæ penuriâ esurientem aduerterat? Imò si dudùm de Christi diuinitate Dæmon ambigeret, è ieiunij indicio dubietatem deponere potuisset: quid enim tam peregrinum Deo quàm fames? quid tam Deo insolens, quàm è ieiunio esuriens, & hians ciborum appetentia? Imò (vt subtili profunditate vidit Chrysologus) inde Diabolorum astutissimus, qui affectus humanos velut per anotomiam internoscit, dubium auxit, & diuinę filiationis opinionem ebibit, sic fatur Chrysologus: *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Videtis quia iam non hominem, sed Dei filium credit, quem liberum à ventris conspexerat seruitute: Sensit, sensit Diabolus ieiunium cunctis virtutibus anteferri. Ioannem viderat vrbium delicias squalentis eremi habitatione mutasse, mollitiem carnis pestis asperitate calcasse, agresti cibo mundi totam frenasse luxuriam. Et quod solum Deitatis insigne est, hominibus dimisisse peccata. Et tamen non ei dixit: Si filius Dei es. At vbi Dominum videt iugiter ieiunantem, proclamat, Si filius Dei es,* Nimirum tametsi Dæmon videt Ioannem à cunis vltrò siluicolam abdicatis vrbium deliciis, cilicij ambitioso squalore exasperatum, velut mundi exulem, & viuum cadauer; & (quod magis ad stuporem faceret) peccata hominib. dimittentem, vt loquitur Chrysol. qui indiuiduus est Deitatis character; nunquam tamen Diabolo in mentem venit ambigere, an Ioannes foret Dei filius: (Ioannes inquam, *Virtutum schola, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma iustitiæ, virginitatis speculum, pudicitię titulus, peccatorum venia, fidei disciplina, gratiæ magister*, addit Seleucus) *At vbi Dominum videt iugiter ieiunantem, proclamat, si filius Dei es*, quasi inedia foret velut diuinitatis insigne, & prælustris Deitatis titulus, quod iam iam explicatiùs declaratur.

Matth. 4. v. 3.

Cur de Christo ieiunante ambigat Diabolus, an Deus sit.

Chrysol. serm. 13.

Idem serm. 127.

Basil. Seleu. orat. 34.

3. Matthæi 17. in Thaboris arduo vertice, coram Petro, Iacobo, & Ioanne Apostolorum Summatibus, Christus Deus transfiguratur. Et resplenduit facies eius sicut Sol; vestimenta autem eius facta sicut nix. *Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes.* Seriò disputant interpretes; quare ex toto Prophetarum choro Moysen & Eliam nuncupatim elegerit, qui suppari secum gloriâ fulgerent: adeò vt Petrus non modò Christo, sed illis etiam thronos extruere festinarit? In quonam præ reliquis Moyses & Elias præfulserunt? Tempestiuus respondet Tertullianus: *Meritò igitur etiam in carne se Dominus Moysi ostendit collega ieiuniorum suorum, non minùs & Eliæ.* (& post pauca) *Tanta est circumscripti victus prærogatiua, vt Deum præstet homini contubernalem, parem reuerà pari. Si enim Deus æternus non esuriet, hoc erit tempus quo homo Deo adæquetur, cùm sine pabulo viuit.* Scilicet elogium Dei est, nec cibo nec potu viuere, & nunquam esurire, Cùm ergò videt Diabolus, quod Christus inpransus & incœnatus quadraginta omninò dies transigit, cæcas diuinitatis litteras in ieiunio legit, ambigitque ex ieiunij indicio, an Deus sit. Inde etiam Moysen & Eliam *collegas ieiuniorum* suorum, ad gloriæ suæ æmulationem adlegit: nam *tanta est circumscripti victus prærogatiua, vt Deum præstet homini contubernalem, parem reuerà pari. Si enim Deus æternus non esuriet, hoc erit tempus quo homo Deo adæquetur, cùm sine pabulo viuit.* Exaggeratiùs dicit *æquari*, pro æqualitatem æmulari.

Matth. 17. v. 3.

Ieiunans Dei æmulus fit.

Tertull. de ieiun. adu. Psyc. c. 16.

4. Redeat iterùm atque iterùm Christi ieiunium, hominibus exemplare, Dæmonibus formidabile. Iesus ductus est à Spiritu in desertum, vt tentaretur à Diabolo. *Et cùm ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus*, posteà esuriit. *Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Quæ est ita tam impudens Diaboli temeritas, vt quem suspicabatur Deum, quasi hominem imbecillum tẽret, & deiicere audacter præsumat? An non dudùm apud Iordanem viderat aspectabilem cæli rupturam? an non è cælo vocẽ Patris audierat, quâ filius eius coràm renunciatur? Hinc forsan Diabolus temeritatis arguitur,

Matth. 4. v. 3.

guitur, dum tentat Christum, an potiùs quia perdiu ieiunantem tentatione adoritur? Eleganter Hilarius hâc super re ita scribit, præfata Matthæi verba commentans: *Erat igitur*, inquit, *in Diabolo de metu suspicio, non de suspicione cognitio: mouebatur enim quadraginta dierum ieiunio...... Igitur istius temporis metu, in tentando eum quem hominem contuebatur, sumpsit temeritatem.* Magna Diaboli audacia fuit, quem suspicabatur Deũ, tentando aggredi? Insuspicabilis fuit audacia, tentando adoriri eum quem Dei Filium è cælis proclamatũ audierat. Verùm de ieiunij metu, in tentando eum quem hominem cõtuebatur, & suspicabatur Deum, *sumpsit temeritatem*. O impudentem audacter temeritatem! tandiu ieiunantem vides, & tentando aggredi audes; Longâ inediâ clypeatum cernis, ieiunij scuto ad hominum exemplum assumpto, & temerarius pugnator eum deiicere tentas; Vnde digno timore exhorruisti, inde sumis temeritatem; O! Tartareus hostis temerarius ieiunantium tentator est: nam qui tamdiu sine esurie ieiunat, aut gestat, aut æmulatur diuinitatem. *Si enim Deus æternus non esuriet, hoc erit tempus quo homo Deo adæquetur, cum sine pabulo viuit.*

Hilar. can. 3. in Matth.

E longi ieiunij metu, assũpsit Diabolus tentandi temeritatem.

5. Vel aliter. cùm nuper ex Hilario scripsimus, quòd tentator Diabolus ex ieiunij metu, Christi tentandi *temeritatem* sumpserit; peruestigandum est quo pacto ex ciborum oblatione diuinitatem Christi explorare præsumpserit? Hoc dubium & acutè proponit, & argutè soluit, nuper laudatus Chrysologus: *Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Quid est quòd ieiunante Christo deitatis signa tota in solâ panis promissione perquirit? Et quem Dei filium continuâ ieiunij significatione præsentit, esse Dei filium de prouisione panis, de curâ ventris desiderat approbari? Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Quare non dixit: Si filius Dei es, dic vt homines, aut Angeli, aut aliquid aliud fiant; sed dic vt lapides isti panes fiant?* Bellum sanè dubium, cui bellissimè his verbis respondet Chrysologus. Scilicet *signum panis petit, qui signum ieiunij pertimescit. Signum panis petit, vt ieiunij tremendum sibi refugiat signum.* Nempe leuia petit, vt magna exploret: escas offert, vt deitatem in Christo latentem rimari queat. *Et quem Dei filium continuâ ieiunij significatione præsentit*, de cibi oblatione tremendum sibi ediæ signum abolere satagit. Exinde non expetit dæmon ex lapidibus homines aut Angelos fieri, siue lapides in astra conuerti; sed violandi ieiunij vel occasiunculam astutè offert, vt diuinitatem in eo dediscat, *quem Dei filium continuâ ieiunij significatione præsentit*. O sublimissimè arcanam ieiunij significationem! Consultissimè ergo dixit Ambrosius, quòd *qui vacat ieiuniis vitæ humanæ possibilitatem continentia transgreditur.*

Matth. 4. v. 3.
Chrysolog. serm. 13.

Dæmon Dei filium continuâ ieiunij significatione præsentit.

6. Denique idem Rauennatum Præsul, agens de Ieiunio, cui oratio, & misericordia annectitur, cõtinuatâ pietatis catena (qualis reperitur in Sarâ toto triduo ieiunante, preces fundente, & lassos peregrinos alacri beneuolentiâ excipiente) ita ad rem fatur: Hæc cùm teneant in cælestibus principatum, in terris rerum summam moderantur; hæc tegunt prospera, hæc aduersa propellunt, vitia extinguunt ista, virtutes ista succendũt; hæc reddũt casta corpora, corda pura, hæc pacem membris, mentibus dant quietem. *Humanos ista sensus, scholam faciunt disciplinæ, per hæc in templum Dei corpora humana consurgunt, hæc hominem præstant Angelum, homini deitatis deferunt hunc honorem.* Ecce tibi de ieiunij merito homo in dignitatem Angeli reformatur, eique deitatis honor quodammodò defertur. Et cursim nota, ob ieiunij prærogatiuam, humanos sensus, qui esse solent incentiua vitiorum, fieri *scholam disciplinæ*, probitatis gymnasium, & prælustre virtutum magisterium, de cæli scholâ ad omnes sanctitates eruditum. O gratiæ miraculum! *humani sensus* de virtute ieiunij, virtutum schola fiunt?

Chrysolog. serm. 43.

Homini ieiunanti Deitatis defertur honor.

Ieiunium est schola disciplinæ.

§. CXXVIII.

Ieiunij famem vltrò velut antidotum esurire debemus: per quam purgemus mortis à primordio causam, & originale delictum quodammodo eliminemus.

EVsebius Emisenorum Antistes, homiliâ de initio Quadragesimæ, ita scribit: Si requiritis, quid commodi, quid vtilitatis, hoc exercitium ieiunandi affert? Scire debemus quia primùm *per gulæ & incontinentiæ vitium mors intrauit in terram: ieiunij beneficium quid conferre possit aduerte. Cùm cibi appetitum primo homini nimium nocuisse cognoscas.* Christum ipso ab aduersario esse tentatum cibi sollicitudine perspicias, ab illo saltem require, abstinere quid prosit, qui se contra Diabolum pugnaturus, ad informationem tui, abstinentiæ se virtute præcinxit.... Ex hoc quantùm in abstinentia sit vtilitatis intellige. Ecce extrinsecùs virtus augetur, corpus affligitur, & diabolus effugatur. Hactenùs ille. Itaque per gulæ incontinentiam deliquit primus homo, ergò per ieiunij abstinentiã quodammodò recuperet, quod comedendo amiserat. *Vt primordiale delictum* (ait Tertullianus) *expiaretur maioris abstinentiæ operatione. Nam & primus populus primi hominis presculpserat crimen, pronior ventri quam Deo deprehensus.* Et post pauca *Eadem ventris prælatione deploraturus erat eosdem duces suos & Dei arbitros, quos desiderio carnis & recordatu Ægyptiarum copiarum exacerbabat. Quis nos vescet carne?* &c. Nempè gula primordiale induxit delictum: & Hebræus populus adsimili edacis ventris prælatione, primi hominis *resculpserat* crimen: ergo ieiunium & inedia *expiant* (vt vt possunt) originale scelus & pœnas tanti sceleris appendices. (qui huius Paragraphi labor erit) Ergò *vltrò cibum pro veneno deputarem; & antidotum famem sumerem, per quam purgarem mortis à primordio causam.* 1

Euseb. hom. 1. de init. Quadrag.

Ieiunium quodammodo expiat primordiale delictum; quod gula resculpsit.

Tertul adu. Psych. c. 4. & 5.

Num. 11. v. 4.

Mortis causa ieiunio purgatur.

Idem ibi c. 3.

Geneseos 1. primus homo ad similitudinem Dei creatus est: *creauit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creauit illum.* At post peccatum, interiori gratiæ ornatu confestim amisso, hanc ad Deum similitudinẽ vnà perdidit. Vnde protinùs Dei sarcasmum audit: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est.* Num hanc per gratiam, ad Deum similitudinem, restaurabit ieiuniũ; Appositè Tertullianus: *Tanta est circumscripti victus prærogatiua, vt Deum præstet homini contubernalem, parem reuera pari. Si enim Deus æternus non esuriet, vt testatur per Isaiam, hoc erit tempus, quo homo Deo adæquetur, cùm sine pabulo viuit.* Quid exaggeratiùs? Ecce tibi Dei imaginem, quam aboleuit delictum, ieiunium quodammodò resculpit. 2.

Gen. 1. v. 27.

Gen. 3. v. 22.

Homo per ieiunium resculpit Dei imaginem.

Tertul adu. Psych. c. 6.

3. Genes. 3. v. 5. Item primus homo maiorem humano fastigio scientiam quæ rens, ignorantiam inuenit. *Eritis sicut dij, scientes bonum & malum.* Hanc sapientiæ celsitudinem homo arroganter esuriuit, quasi sapientia foret res cibi, & non ieiunij. Vnde ex ore Prophetico audit: *homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Nam crudo dapibus ventre, cruda adhuc sapientia est, quod idem Tertullianus apprimè eloquitur: *Nunc,* inquit, *Si temerè rationes castigati à Deo victus, & castigandi propter Deum à nobis, ad primordiarum experimenta reuocauimus, conscientiam communem consulamus, ipsa natura ennunciabit, quales nos ante pabulum & potum in virgine adhuc saliuâ exibere consuerit rebus duntaxat sensus agendis quo diuina tractantur, si multò pollentioris mentis, si multò viuacioris cordis, quàm cùm totum illud domicilium interioris hominis, escis stipatum, vinis inundatum, decoquendis, iam stercoribus æstuans, præmeditatorium efficitur latrinarum, in quo planè nihil tam in proximo supersit quàm ad lasciuiam sapere.* Itaque sapientiæ studium dediscat saginam, vt de inediâ discat scientiæ disciplinam: nam quod ingluuies hebetat, ieiunium exacuit. Perge nuper laudatus Auctor, sic fatus de sapientiâ Moysis ieiunantis: *Cæterùm cui cor enectum potius inueniebatur quàm impinguatū; quadraginta diebus totidemque noctibus supra humanæ naturæ facultatem ieiunium perennauit spiritali fide virtutem subministrante; & vidit oculis Dei gloriam, & audiuit auribus Dei vocem. & corde conie cit Dei legem.... Cùm quidem nec ipsum Moysen Deo pastum inediamque eius nomine saginatam constanter contemplari valeret pinguior populus.* Ecce tibi sapientia de ieiunij gymnasio eruditur. Et cursim nota, ieiunantem Moysen, *Deo pastum* dici, & eiusdem *inediam Dei nomine saginatam,* quod alibi forsan copiosè enucleabitur.

Psalm. 48. v. 21. — *In ieiunij gymnasio verè sapientia discitur, quæ in gula dediscitur.* — *Tertull. aduers. Psych. cap. 6.* — *Ieiunio Moyses Deo pastus dicitur: & eius inedia Dei nomine saginata.*

4. Matth. 6. v. 17. Matthæi 6. Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. *Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans.* Sic te longè facere debes ab ostentatione ieiunij tui, vt, si potest fieri, quod non decet etiam ea facias, quæ ex diuerso luxuriæ & epulationis videntur esse indicia, vt quâdam vitiorum specie virtutem ornatiùs colores Eccur tam circumspectâ cautelâ, tamque occultè res ieiunij peragenda est? Scilicet ne quid detrimenti patiatur virtus, quę originali delicto detrimentum facere de inediæ bono medullitùs negotiatur: *Cum ob hoc* (ait S. Leo) *castigatio ita sumatur, vt carnalium desideriorum fomites subtrahantur.* An non fomes peccati, inter præcipuas originalis culpæ sequelas numeratur? Ita quidem; nam primordiale delictum æstuantis in carne fomitis conceptaculum est: ergò fomes quem sufflammauit gula, interstingatur ab inediâ; & quem epulatio inuexit, ieiunium cohibeat, vt de ieiunij gratiâ, *carnalium desideriorum fomites subtrahantur*, peccati fomitem inediâ perpetim corrodente.

Ieiunium carnalium desideriorum fomitem subtrahit. — *Leo ser. de Ieiun.*

5. Genes. 3. v. 9. Genesis 3. Adamum gulæ illecebris ad præuaricationem adductum, solerter requirit Deus: *Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es?* Quis se à Deo abscondere potest, quin à diuinâ immensitate pręclusus, illicò comprehendatur? Sic gula absentes à Deo facit? Verùm quos gula velut absentat à Deo, ieiunium protinùs præsentat. Eleganter Emisenus: *Sed & beatum Moysen,* inquit, *per quadragenarium continuatæ abstinentiæ sacrificium, cælestis colloquij legimus acquisisse commercium. Hoc ideò legimus, vt intelligamus hominibus purificatione ieiunij, viciniam Dei præsentiamque conferri.* Ecce tibi inedia, Dei viciniam cōfert. Peridoneè Tertullianus vtrumque complexus est, & Dei absentiam per gulam, & præsentiam per ieiunium. *Dehinc minatam Iezabel fugiens Elias, post vnicum pabulum & potum, ab Angelo expergefactus inuenerat, & ipse quadraginta diebus & noctibus vacuo ventre, arido ore peruenit in montem Choreb, vbi cùm in speluncâ diuertisset, quàm familiari congressu Dei exceptus est. Quid tu Elia hîc? multo amicior ista vox, quàm, Adam vbi es? illa enim pasto homini minabatur ista ieiunio blandiebatur.*

Vicinia Dei homini ieiunio confertur. — *Eusebius Emis. hom. in ieiun. Quadrag.* — *Tertull. aduers. Psych. cap. 6.* — *3. Reg. 19. vers. 9.*

6. Genes. 3. v. 7. Adhæc Geneseos 3. primi parentes post delictum intemperanter commissum, cōfestim gratiâ expoliati, *cum cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata*: quasi Adam inuestis euaserit à delicto, in cuius officinâ nuditatem texuerit. Sed male in eduli frutice vestem quærit, qui in pomi esu nuditatem inuenit. Consultiùs Dauid: *Et operui in ieiunio animam meam.* Ad quæ verba ita S. Paulinus scribit: *Induebat se cilicio, & operiebat in ieiunio animam suam, vt eam spiritali saturitate contegeret. Vnde discimus vestimentum animæ illud esse ieiunium, quo ab omnibus, lege diuina vetitis abstinemus.*

Ieiunium est animæ vestimentum. — *Psalm. 68. v. 11.* — *Paul epist. 10.*

7. Daniel. 1. v. 8. Danielis 1. *Proposuit Daniel* (cum sociis) *in corde suo ne pollueretur de mensa Regis, neque de vino potus eius: & rogauit eunuchorum Præpositum ne contaminaretur:* & leguminibus contenti, ieiunio nobiliter epulabantur. Quæ verba sic Theophylus Alexandrinus expendit: *Præceperat Nabuchodonosor eunuchorum principi, vt de filiis captiuitatis Israël, & regio semine pueros.... introduceret ad palatium, & de reliquiis mensæ eius viuerent.* Rogant eunuchorum Præpositum ne cibis contaminarentur. *Impetrant quod desiderant, & in terra captiuitatis seruant generis nobilitatem.* Ecce tibi nobilitatem, quam regia epulatio perderet, ieiunium recuperat. O! per ieiunium, primordialis delicti diluatur infamia, & celsior nobilitas instauretur.

Per ieiuniū seruatur generis nobilitas. — *Theophyl. Alex. epist. 3 Pasch.*

8. Matth. 23. vers. 25. Matthæi 23. Scribarum & Pharisæorum fucata merita his verbis Christus Deus acerbiùs insectatur. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis est calicis: intus autem pleni estis rapinâ, & immunditiâ.* Ad quæ verba sic fatur Origenes: *In conuersatione nostra quadam sunt necessaria ad iustificationem, vt iudicium, misericordia, & fides. Alia sunt quasi condientia actus nostros, & suauiores eos facientia, vt abstinentia risus, ieiunium, &c.* Quasi Ieiunium sit virtutum condimentum, quo bona hominum opera condiuntur. Nunc crudæ, immaturę, & incondite sunt virtutes, quas Ieiunium ad saporem & maturitatem non erudit? Profectò post Adami lapsum actus humani rudes erant & inconditi, ructantes pomi vetiti gulam, quousque per ieiunium, ad suauitatem & ad mansuetudinem saporis condirentur. Ac si virtutes essent escatiles, earum *condimentum* inedia dicitur.

Ieiunium est virtutum condimentū. — *Orig. apud Catenam.*

9. Matth. 4. vers. 2. Et sanè primus homo per gulæ scelus, non tantùm nudus, sed inermis etiam relictus est; igitur ieiunio aduersus Diabolum modulatè armetur. In deserti stadio cum Diabolo pugnaturus Christus,

ad

Ieiunium implet de castigatione militiam. ad hominum exemplum se ieiuniis obarmat: *Cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator*, &c. Chryſ. hom. 13. Nam vt inibi docet Chryſoſtomus: *Ieiunium scutum est aduersus diabolum.* Pergit Auguſtinus August. ſerm. de Quadrag. ſuper eodem ieiunij argumento, ita fatus: *Quando acriori certamine cum tentatore confligitur, ieiunandum est, vt corpus impleat de castigatione malitiam, & animus impetret de humiliatione victoriam.* Hinc Sara Diaboli Aſmodæi conflictu Hie v. 10 malè ſauciata triduo ieiunium velut ſcutum aduerſus eum aſſumit, & implens de caſtigatione militiam, animus imperat de humiliatione victoriam: Tertul. ſup c. 8. *quid enim mirum si eadem operatione spiritus iniquus educitur, qua sanctus inducitur?*

10. Denique gula hominem fecit morti obnoxium: Geneſ. 2. v. 17 *De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas: in quo umque enim die comederis ex eo, morte morieris*: ieiunium autem mortalitatem *Ieiunium est immortalitatis candidatum.* quodammodo minuit. *Macies non displicet nobis;* (ait Tertullianus) *neque enim ad pondus Deus carnem tribuit, sicut nec spiritum ad mensuram*, Tert aduerſ. Pſych. c. 17. *facilius si fortè per angustam salutis ianuam introibit caro ex lior, citius resuscitabitur caro leuior, diutius in sepultura durabit caro aridior. Saginentur pugiles, & pyltæ Olympici: illis ambitio corporis competit quibus, & vires necessariæ, & tamen illi quoque xerophagiis inualescunt: sed nostra alia robora aliaque vires, sicut & alia certamina.* *Ieiunium delicta climat.* Itaque ieiunium quodammodo primordiale ſcelus diluit, ſpeciem quandam feliciſſimi innocentiæ ſtatus reſculpens: nam vt idem Auctor Idem inibi c. 12. ſententioſè dixit: *Delicta ieiuniis elimantur.* Igitur *vltrò cibum pro veneno deputarem, & antidotum famem sumerem, per quam purgarem mortis à primordio causam.*

§. CXXIX.

Infamiam non facit probrosa pœna, sed causa.

1. OPinionem quidem, & famā eo loco habeamus, tāquam quæ non ducere, ſed ſequi debeat, ſequatur vel mala, dum benè merearis. Non tamen ſequetur, quia diffamia peccati ſequela eſt, & flagitiorum appendix. Ergò conſcientiæ ſatiſfaciamus, & nil in famā impenſius laborare opus eſt: nam ſolus reatus, eſt infamiæ vigor. Honeſta conſcientia inhoneſtum rumorem diſſipat, ſaltem citò diſſipabit: tantiſper bonam famam obnubilabit, obſcurabit nunquam. Contumelioſus enim rumuſculus honoris titubatio eſt, non euerſio: manet enim in bona conſcientia bonæ famæ fulcrum; & cui abeſt culpa, vitæ præmium manebit etiam in mortis ſupplicio. De Iona Chriſti vmbra ſic eloquenter Euſebius fatur: Ionam, inquit, cetus piſcis excipit immerſum, ſed non contigit deuo- Euſeb. hom. de Paſch 2. ratum: *& quem malitia hominum perdidit, bestia esuriens custodiuit: plenis visceribus famen patitur, & in prædam quam adsorbuit nil sibi licere* *Contumeliam non facit pœna, sed pœnæ causa.* *miratur.* Quis eſt iſte qui intra auidos rictus aſſumi poteſt, conſumi non poteſt? Cibus eſt, corruptio non eſt: traditur perditionis profundo, & ſeruatur ipſius mortis obſequio. Quis eſt iſte qui vaſtiſſimos ſinus periculorum tutus ingreditur, & ſub altitudine concluſus immenſa atque mortifera, vitali aëre paſcitur, *& demissus in alienam rerum naturam, in vita exilio cum vita peregrinatur*, & mortis ſuæ ſuperſtes, adnūtiat venturam mundi ſalutem? Puto quod hic eſt Dominus noſter IESVS-CHRISTVS, quem ſæua mors inexplebilis bellua in eſcam ſuam rapuit, & prædam ſuā captiua contremuit. Contremuit inquam: nam etſi nouerat Crucifixum, tamen quem non meminerat reum, non poterat tenere damnatum: *Quia culpā non facit pœna, sed causa.* Vbi vacat probroſæ pœnæ cauſa, & pœnale probrum vacare neceſſe eſt, qui eſt huius paragraphi ſcopus.

Danielis 3. proceram illam ex auro ſtatuam in 2. Babylonis area altè erigit Nabuchodonoſoris ſuperbia, ſuprà humanum faſtigium arroganter turgens. Et quam regni Summates è genu reuerenter adorant, tres illi Hebræorum iuuenes probitate, & religione opinatiſſimi, piè venerari recuſant. Inde nimis ardet Regis ira, & nimium ardorem in *Prudens Babylonica fornacis ardor, tribus pueris, quos scit innoxios, inferre nescit iniuriam.* accenſam fornacem euapotat Fornax autem ſuccenſa erat nimis, & Nabuchodonoſor repletus furore, viris fortiſſimis de exercitu ſuo iuſſit, vt ligatis pedibus Sidrach, Miſach, & Abdenago mitterent eos in caminum ignis ardentis. Et confeſtim viri illi vincti cum braccis ſuis, & tiaris, & calceamentis, & veſtibus miſſi ſunt in medium fornacis ignis ardentis, nam iuſſio Regis vrgebat. Daniel. 3. v. 23. & 24. *Viri autem hi tres, id est, Sidrach, Misach, & Abdenago, ceciderunt in medio camino ignis ardentis, colligati. Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino.* Quin & impios crudelitatis adminiſtros, fornacis ſuæ flāma confeſtim abſumpſit. Hac ſuper re ſic ad rem præſentem argutè Philoſophatur Emiſſenus: *Illic* Emiſſen de Epiph. hom. 3. (*in fornace*) *Iusti velut per amœnos gurgites incendiis naturam suam mutantibus transmutabunt, intacta ignibus corpora ipsis honorificanda pœnis, quia non sunt onerata peccatis. In illos enim sæuis æstibus nil licebit, quos antè libidinum flamma non attigit: & quibus puritas contulit reuerentiam, inferre nescit rationabilis ardor iniuriam: alioquin iram fugiens vaporibus viam faciet: & quia non inueniet vbi necesse habeat exercere iudicium, spontè præbebit obsequium. Sic trium puerorum fides atque iustitia tenebrosos non sensit ignes, sed stupenda refrigeria in medio camini æstuantis inuenit*, &c. Longiuſculè præter morem, ſed ſcelus foret quicquam auarè omiſiſſe. Expendere autem licet præluſtrem illam ſententiam: *Quibus puritas contulit reuerentiam, inferre nescit rationabilis ardor iniuriam.* Nempe peracerbus, & pœnalis ille fornacis ignis, de Regis ſententia contumelioſus, qui Iuſtos exurere debuit, tanquam regiæ majeſtatis, & ſuperſtitioſæ impietatis reos, *rationabilis ardor* ſententioſè nominatur, quippe qui ſolertiùs perſcrutans Iuſtorum conſcientiam, potiùs quàm pœnalem Regis ſententiam, *ferre nescit iniuriam, & sponte præbet obsequium.* Examinalis flammarum natura, pœnæ meritum curioſius examinat, & innocenter Iuſtos nocenter damnatos, nec ſemiuſtulare audet iniurioſo flammatum vapore; ſed potiùs intacta eorum corpora per amœnos incendiorum gurgites, ipſis honorat pœnis: atque nihil ſæuis æſtibus licet, vbi pœnæ cauſam inuenire non licet. Itaque *rationabilis ardor*, ſæuæ, & iniurioſæ pœnæ arbiter, extra fornacem cōtra iniuſtos miniſtros iuſtè iraſcitur; & Iuſtorum conſcientiam explorans, & innocentiam demiratus, grato obſequio ingeſta ſibi iniuſtè pabula circumfuſus allambit; dimittitque *intacta ignibus corpora ipsis honorificanda pœnis, quia non sunt* one-

onerata peccatis; & quos scit culpæ innoxios, *inferre nescit iniuriam*, iniuriam infamiæ non infert pœna, sed causa, bonitatis conscientia nescit iniuriam, infamiam ignorat innocentiæ merito.

3. Iobi 3. tot tamque acerbis calamitatibus eius patientia concussa fuit, non excussa. Amicorũ obsequium intolerabiles Iobi ærumnas taciturnitate loquitur, & sermone garrulo tacitè exaggerat. Post hæc tolerando fessus, aperuit Iob os suum, &
Iob. 3 v. 3. maledixit diei suo, & locutus est: *Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est: Conceptus est homo*. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine. Obscurent eum tenebræ, & vmbra mortis, occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non cõputetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus. Sit nox illa solitaria, nec laude digna. Obtenebrentur stellæ caligine eius: expectet lumen, & non veniat, nec ortum surgentis auroræ. Eccur tot probra, & maledicta in natiuitatis suæ noctem
Iob 3 v. 10. Iobus contumeliosè congessit? *Quia*, inquit, *non conclusit ostia ventris, qui portauit me, nec abstulit mala ab oculis meis*. Esto, tot patientissimi Iobi querelæ probro non dentur, quasi nõ fuerint impatientiæ nota, sed calamitatum indicium, quo eius ærumnosus dolor taxetur, ne putaretur stolidè insensibilis; quid tot contumeliosis probris ortus sui noctem impetit, inuitiat, & obscurat? Imò nox illa, fluxi temporis portio, iam præteriit; quorsum ergò tot iniurias illi imprecatur, & tot exinceps contumeliis onerat? O funestam frustrà expostulationem! ô inconsultas hominis calamitosi querelas, de impatientiæ confinio propè culpandas! Imò inculpatas, & pias. Audiendus est
Chrysost. apud Caten. Olymp. ibi. Chrysostomus sic acutè fatus: *Pereat dies in qua natus*, &c. *Ac vide*, inquit, *hominis pietatem, vt iracundiam omnem in diem effundat, nec lineam hanc transilire audeat, semperque diem, ac noctem inculcet. Quia non conclusit ostia ventris, qui portauit me*. Scilicet tot tragœdias Iobus querulus excitat, ne saxea impassione insensibilis fortè videretur, sed querelarum magnitudine magnitudinem dolorum metiretur. Sed notanda, suspiciẽdaque est viri pietas, & innoxia moralissimè iracundia, quæ in diem, & noctem duntaxat maledictorum iniurias effundit, *neque lineam hanc transilire audeat*, ne creaturam aliquam iniuriæ capacem iniuriis feriat. Imò neque has exanimales, & insensiles creaturas iactatis contumeliis vllatenùs dehonestat; dum friuolam iactatorum scommatum causam consultissimè subdat: *Pereat*, inquam, *dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est: Conceptus est homo ..... quia non conclusit ostia ventris, qui portauit me*. Nempe dum inanem esse probrorum causam ostendit, contumelias fore cassas, & irrito effectu nullas, declarat: nam iniuriæ causa, est optimus illius æstimandæ interpres: infamiam enim non facit probrosa pœna, sed culpabilis causa. Exinde ac si rationabilis foret iactata contumelia, quia reatum in Nocte non inuenit vbi posset exercere infamiæ Iudicium; nõ modo rei iniuriatæ non infuscat famam, sed illi spontè præbet obsequium; & illæsus contumeliis honor, ipsis honoratur opprobriis, indéque Sospes enatat, vnde credi poterat fecisse naufragium. Itaque iactatæ contumeliæ causa, expultrix contumeliæ est, & bonæ famæ vindex. Ergò conscientiæ satisfaciamus, & nil in famã laboremus Psel-
Hic v. 10. lari hic inconsiderantia nimis angitur bona Sara, ob Asmodæi perniciosè iniuriosam inuidiam, & procacis ancillulæ audacem scõmatibus petulantiam: nam sub bona conscientia probrosus rumusculus facile dissipatur, & euanescit, quod euentus continuò subsecutus feliciter comprobauit.

Tertullianus in Apologetico ita fatur de probrosa pœna, qua à Tyrãnis Christiani mulctabãtur: *Licet nunc nos sarmentitios, & semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidij axis deuincti sarmentorum ambitu exurimur; hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triumphamus*. Ouat, triumphat reus, qui sibi benè conscius mala atrociter patitur: nam infamiam non facit probrosa pœna, sed causa. Inde in libr. ad Præsidem Scapulam Christianis infensissimum, inquit: *Cum omni sæuitia vestra concertamus, etiam vltrò erumpentes, magisque damnati, quam absoluti gaudemus*. 4. Tert. in Apolog. c. 50 Ad Scapulam c. 10.

---

§. CXXX.

Agnatum est Potentioribus, se non timentes, ignavè timere.

Generosus Princeps, (quo Tyranni deuitet elogia) timet timeri, & de tuto beneuolentiæ commercio ingenuam sibi subiectorum obsequelam negotiatur. Sed qui timeri timet, timeat etiam non timeri. Hos geminatos regiminis scopulos fugere, ne ex altervtro in alterum incurrat, consultior politia solertius studet. Timor odium parit, securitas contemptum. Timere debet, quem omnes populariter timent: nam audacia citiùs de timore, quàm de fortitudine ad temeritatem arn atur. Ast quem subiecti populi non timẽt, propè contemnunt, & de Principum contemptu impunem securitatem vendicant sibi, audaciæ priuilegio. Inde subiectorum securitas timoris expers, etsi Principem non deponat, saltem eius auctoritatem diluit, & potentiam elumbat. Persæpè subiectus audacter intrepidus, perstringit animos Præfectorum, & eorum torporem temeritate negotiatur: atque dum Præfectus subiectorum audaciam stupet, interim subsannatur, Serò vindictam venit, postquam virgo Principis auctoritas, securitatis libidine constuprata est. Viderint Principes, ne mitior gubernandi ratio, dum communem beneuolentiam procurat, intrepidam quorundam securitatem subornet: & cùm timet timeri, serò non timeri, timeat. Tardè opinor, Sara ancillam petulantem castigat, sed dum eius intrepidam impudẽtiam audit, quasi inducto indè stupore, à pœnali animaduersione desistit. 1. Securitas subiectorum Principum irreuerentiam, & torporem procreat. Hic v. 10.

2. Matthæi 14. postquam Christus Deus multa hominum millia in ieiuna eremo vsque ad satietatis fastidium saginauit; vt humilitatis auarus, sic & gloriæ prodigus, debitæ turbarum gratulationi proripuit sese. Ipse turbis absens, ab se Discipulos absentat, eosque compulit ascendere in nauiculam, seque trans fretum præcedere. Absente scaphæ gubernatore, insidiosus ignavè pontus, in scapham vndas obarmat, tenebris periculo lenocinantibus. Sæuos vortices atrociter despumat, & fluctus densè adglomerati succidaneo perpetim verbere labefactatas quatiũt nauiculæ costas, atque repetitæ naufragij minæ animos Discipulorũ subruunt. Horrendo compagum fragore, vel ipsa scapha periculum gemit, & per rimarum

Quare Iobus noctem natiuitatis suæ, tot iniuriis minimè dehonestat.

rum patulos vndique hiatus periculum, cum vndis sorbet, nec iam eualens naufragium dirigere, irremediabiliter fatiscit. Atrę tunc nubis tetra caligo, noctis tenebras addentat, vel potius geminam reddit noctem, de periculo infamem, de periculi sospitate famosam Periclitantibus Discipulis vocatus clamosè Magister adest: sed dum ambulantem super aquas vident sub luce malignâ, turbatâ mente *phantasma* putant, & auxiliarem sibi opem, quasi nouum periculum exhorrescunt. Pauidus sæpe animus periculo turbatus, opportunũ auxilium, meras insidias reputat, & inopinatam remedij felicitatem malè timet. IESVS autem notâ Discipulis voce eorum animos tranquillat, & velut ancora nauiculam fundat. Respondens autem Petrus dixit: Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas, (quò suâ indubiâ fide, aliorum dubietatem excutiat) *At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de nauiculâ, ambulabat super aquam, vt veniret ad IESVM. Videns verò ventum validum timuit: & cùm cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine, saluum me fac.* Cùm videmus Petrum sicco vestigio liquentes pelagi vndas intrepidè proculcantur, quid potiùs admiremur, an omnipotentem CHRISTI virtutem? an felicem Apostoli fiduciam? an calcati maris patientiam? Opportunissimè ad rem Zeno Veronẽsis ita cultiori calamo scribit. *Petrus æstu marino fertur non naufragus, sed viator: timet Profundum intercipere non timentem: nec tamen in toto dissimulat, ne per mare pedibus se ambulasse non credat.* Hæc vltima Zenonis verba ad alias theses enucleatius expendimus. Nunc verò nota mihi, quòd dum Petrus æstu marino fertur viator intrepidus, *timet Profundum* mare *intercipere non timentem*: tandiúque timuit eius intercipere, seu impedire gressus, quandiu non timuit: nam cùm *timere* incipit, cœpit *mergi*. O mirissimam ethicè sententiam! *Timet Profundum intercipere non timentem.* Scilicet tumet pontus profunditate immensus, & liquentes vndas arroganter in æthera tollit, atque spumosas naufragij minas quoquouersum eructat; dum autem videt in se, hominem se non timentem, intrepido viatori tumentia sternit dorsa, & peregrinam soliditatem fluxis liquoribus permittit. Cognatum corpori pondus deorsum ferri satagit, grauitatis mole; sed liquentes vltrò hiatus Mare negat, *timens intercipere non timentem.* Stat pontus rei admirabilitate attonitus, & dum videt Petrum intrepido ausu per vortices incedere conantem, & in periculo audacter securum, arrogantes vndarum minas cohibet, & liquidas ceruices humano vestigio curuat, nec intrepidum viatorem, se non timentem, intercipere passim audet: Verùm cùm tantisper trepidum viatorem aduertit, quasi de alieno metu animos resumat; pauore deposito, torporem excutit, & timentis iam gressus intercludere audet. *Videns* enim Petrus *ventum validum, timuit: & cùm cœpisset mergi, clamauit*, &c. quasi vastum pelagus de hominis pauore pristinam animositatem restauret: & qui non timentem se, timuit; in se iam timentem, intrepidè audeat. Perbellè quidem Veronensis Præsul!

Pontus non timentem se intercipere non audet, quousque timentem videat.

Matth 14. v. 29. & 30.

Zeno ser. de Timore.

3. Lucæ 4. Nazaræorum Proceres, & inuidiæ œstro exciti, & reprehensionis grauitate impotenter exasperati, eiecerunt IESVM extra ciuitatẽ, vt eum occiderent. Nec mirum si perdiderunt salutem, qui eiecerunt de suis finibus Saluatorem. Non mediocriter autem conciuium suorum inuidia proditur, quæ charitatis oblita, in acerba odia causas amoris inflectit. Cùm enim ipse Dominus per populos beneficia diffunderet, illi beneficia iniuriis peruersè repensabant. Itaq; Synagogæ Summates cum populo, *Surrexerunt, & eiecerunt IESVM extra ciuitatem, & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, vt præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat.* Quid est quòd Iudæi inuidiâ agitati, & odio perciti, cùm vsque ad montis supercilium deduxissent IESVM, vt illum præcipitarent, repentè sic re infectâ, etsi adhuc rabie acti, minis, & contumeliis feroces, illum vltrò abire dimiserint? Necdùm atrox eorum iracundia deferbuit, & facilem & impauidum itum per ipsorum medium illi permittunt? In ipso iracundiæ furore, iracundiam non exequi rarum, & insolens est. Dubium non est, voluisse Euangelistam declarare, & Christum non vi, non arte, sed miraculo insanas Nazaræorum iras declinasse, dum ait, *transiens per medium illorum ibat.* Quale autem miraculum fuerit incertum est. Aliqui Nazaræorum manus existimant vi occulta tenuisse. Alij inuisibilem reddidisse sese Ambrosius, & Beda, in eo miraculum fuisse putant, quod Christus eorum repentè mutauerit voluntates. An aliquod naturale miraculum inuenire licet, quod cum viderẽt IESVM impauidè ascendisse cum illis atrocia quæque minitantibus, & è montis elato supercilio illum præcipitare conantibus, adhuc IESVS sine vllâ fugâ, sine vllâ festinatione, per medios hostes graui, lentóque gradu processerit? Tempestiuè Ioannes Maldonatus omni æuo magnus, ita scribit ad ea verba, post diligenter exploratam Græcam originem: *Ipse autem transiens per medium illorum, ibat, idest, procedebat, & securus gradiebatur.* Scilicet sicut Zeno Veronensis nuper expensus, cùm videt Petrum securè deambulantem per elatos maris vortices; tacet indubium Christi miraculum, & excogitat aliud ad mores, aiens: *Timet Profundum intercipere non timentem*, quasi Petri securitas horrifico Mari timorem iniecerit: ad eum modum licet excogitare, quòd dum vident Nazaræi Christum vltrò euntem ad præcipitij locum, & cùm iam iam insano impetu illum immaniter præcipitare accurrerent, quòd ipse metu vacuus, sine vllâ fugâ, sine festinatione vllâ, per medios hostes vesanè ferocientes, & potentia, & numero formidabiles, mente tranquillâ graui lentóque incessu, *ibat, idest, procedebat, & securus gradiebatur*, velut deposita hostilitate, ipsi potiùs *timuerint intercipere se non timentem*, in tam atroci præcipitij discrimine. Qui inter medios hostes inuidiâ, & odio feroces, sic intrepidè *securus graditur*, tantam sui reuerentiam, & metum inijcere solet, vt Potentium iras frænet, & furorem arcanè cohibeat. Quod in sæuis Sanctæ Agnetis tortoribus notauit Ambrosius: Tandem Agnes, inquit, *stetit, orauit, ceruicem inflexit. Cerneres trepidare carnificem, quasi ipse addictus fuisset, tremere percussoris dexteram, pallere ora alieno timentis periculo, cùm puella non timeret suo.*

Lucæ 4. v. 29 & 30.

Ambros. Beda ibi.

Iudæi timent CHRISTVM se non timentem.

Maldon. ibi.

Ambr. lib. 2. de Virginibus.

§. CXXXI.

§. CXXXI.

Homo dum aduersariis benefacit, aut pro inimicis orat, sibi felicitatem exorat.

1. Plutarchus in Problem. PEtitè quærit Plutarchus, *Cur ex omnibus, quæ Diis immortalibus offeruntur, sola spolia negliguntur, nec vetustate consumpta resarciunt, ac reficiente? An idcircò hoc faciunt, quòd cùm signa inimicitiæ aduersus hostes tempore obscurentur, ipsos ea renouare inuidiosum, & acerbum esse censent?* Profectò cum Deus summè beneficus erga omnes sit, hostilitatis monumenta, quæ, vt beneficẽtiam accens, ita nocentiam procurant; vetustate saltem abolere procurat. Scilicet homines magno sui dispendio hostilitatem exercent, & dum priuata odia persequuntur, diuinam cohibent benignitatem, quæ de inimicorum odio, erga ipsos etiam sistitur. *Orate* (ait Christus Deus) *pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Potrò quicquid boni nostris inimicis optamus, in nos etiam augutamur. Erga eos, qui dura odia contra aduersarios exercent, durum etiam est suis precibus cœlum. Cupis à Deo impetrare, quod sedulus rogator exposcis? depone inimicitias, & bona quæ aduersariis exoptas, tibi impetras, quin & appendices gratias exorasti. Oratio pro inimicis, orationis pro nobis factæ vota implet, felici impetrationis prognostico. Qui pro suis inimicis orat, optatissima quæque sibi impetrat. O exprompium humanæ felicitatis arbitrium! Tibi inuides bona, quæ aduersariis non exoptas; & gratiarum inde consequentias negligis.

Hostium spolia cur negligit Deus?

Matth 5. v. 44.

2. Iobus ille spirans patientiæ columna, sanctitatisque norma, tanto puritatis, ac fidei erat muro munitus, vt non auderet eum attentare Diabolus, nisi à Deo iussus. Iam hinc cõsiderare liceat, quẽadmodum sæuierit incitatus, qui ferri non potest blandus. Igitur atrocissimum committitur prælium, Illinc Diabolus horrendum totis intonans armis, ministrisque insuper suis in auxilium concitatis, terribili increpans turbâ, prædonum corda face furiali succensa; impetibus crebris passim totas hominis Dei facultates inuadit: subitò rapina, igne, ferroq; vniuersa vno momento disperdit. Hinc Iob alta fidei radice robustus, tot nunciis lugubribus tunditur, nec mouetur; etiam cùm audit, quod Diabolus electissimam filiorum cohortem sepeliuit antè quàm iugulet. Dein à summo capitis vertice vsque ad imos vngues pedum plaga inimici percussus, populosis vlceribus non distinctus est, sed totus vnum vulnus est factus. Vulnus autem insultantium amicorum petulantior proteruia nimis exulcerauit; quos sub tragœdiæ finem acri Deus reprehẽsione mulctat: & pro pertinaci in Iobum hostilitate eluenda, plures mactare Deo victimas iubentur. Nunc expende mihi Sacri Historici verba: *Dominus quoque conuersus est ad pœnitentiam Iob, cùm oraret ille pro amicis suis: & addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Iob, duplicia.* Multa hîc conuoluuntur explicatu difficilia. Benè est, oret Iob pro verè inimicantibus amicis, vt illis tribuatur hostilitatis venia: eccur verò Iobi oratio *pœnitentia* dicatur? Quin & esto, *pœnitentia* nominetur, quare oratio pro inimicorum venia, Iobo tot à Deo munera, ipsaque opulentissima impetrasse perhibetur? Luculenter Anselmus Laudunensis, *Cum oraret ille pro amicis* (inimicis inquam) *suis addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Iob, duplicia. Orando, vel pro aliis, sibi ipsi prosunt.* Nempè dum Iobus pro suis inimicis orat, eius oratio, velut acceptatur ad propriç pœnitentiç elogium, & amicis, sibique veniam imperat: & orando pro inimicorum impetranda venia, amissa diu mundalia bona, cum auctario recuperat. Oratio pro inimicis sic Iobo profuit, vt & à tot calamitatibus assertio & pristinæ felicitatis auctior restitutio, illi adscribatur ab Anselmo. Cum oraret ille pro inimicis suis, *addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Iob, duplicia. Orando, vel pro aliis,* (inimicis inquam) *sibi ipsi prosunt.* O piè auaras Sanctorum pro inimicis preces; quæ & quod exoptant, acquirunt; & appendices gratias, seu plurimum gratiarum consequentias impetrant! Quænam oratio vno dutaxat precatu, tam numerosum munerum cumulum obtinere præsumeret? Vel humana vota excellit oratio, quæ Deum beneficè inimicis propitium exorat. *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Qui nihil boni inimicis exoptat, plura sibi bona inuidet, hostilitatis genio. O mauult homo malus esse sibi, ne non malus sit inimicis. Bona Sara, quæ à contumeliæ loco, ad oratorium festinè properat.

Orando pro inimicis, felicitatem sibi impetrat.

Iob 42. v. 10.

Anselm. ibi.

Hic v. 11.

3. Actorum 7. dum cũ Synagogæ Magistris acerrimè pro Christo Stephanus disputat, interioris gloriæ candor in exteriores vultus gloriosè exundat. Aspectu Angeli facies Stephani micanter irradiat, cuius radiis velut spiculis, & carnificum facies cæduntur, & disputantiũ mentes obscuræ caligant. Quasi blasphemiæ reus, extra ciuitatẽ eiicitur, qui mundi exul, coloniam in cœlos transduxerat. Et lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem: Domine IESV suscipe spiritum meum. *Positis autem genibus, clamauit voce magna, dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Iraque Iudæi illo adhuc spiritu ebrij, quo dudum clamabant, Crucifige, Crucifige in necem sacri testis incumbunt. Sed qui à Crucifixo audierant: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, tanquam Dominicæ vocis echum in Stephani ore resonãtem exaudiunt: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Beatus qui fumantem adhuc Dominicæ passionis & charitatis victimam, primus honorauit recenti passionis sacrificio, & charitatis exemplo! Beatus Leuita, qui dum pro impiis persecutoribus Deo plenus exorat, eiusmodi precibus, de alieno etiam peccato iustitiam suam cumulat, & coronam suã perfecta Christi imitatione multiplicat. Sed vide quàm sibi, & aliis fuerit istiusmodi oratio proficua: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* O admirabilem etiam circa impios charitatem! exclamat Eusebius. *Excusat supplicatione Synagogam, passione confirmat, & honorat Ecclesiam.* Hoc aliis eiusmodi oratione pro inimicis obtinet, quid autem sibi impetrarit, pergit idem Eusebius explicare: *Qui pro inimicis, inquit, sub ipso tempore consummatæ persecutionis orauit, Beatitudinis suæ causa persecutorem dilexit. Nec mirum si eis nescit irasci, per quos sibi videt aulam regni cœlestis aperiri, per quos se æternis sæculis intelligit consecrari: Domine ne statuas eis hoc ad peccatum.* O Sacrum Leuitam, piè auarum gratiæ nundinatorem, qui arbitrio Sacrarum pro inimicis precum, & aduersariæ Synagogæ excusationẽ obtẽdit, & Ecclesiã passione honorat, exemplo confirmat; & tot sibi mune-

Actor 7. v. 59.

Qui pro inimicis orat, plura in se bona feliciter augurantur.

Euseb. homil. de S. Steph.

munerum appendices gratias exorat, dum beatitudinis coronam passione texit, oratione pro inimicis consummat. O! quid mirùm si inimicis nesciat irasci, qui precum pro ipsis fundendarum artificio, noscit, vota sua cumulatiùs adimplenda fore. Porrò qui aliquid boni inimicis exoptat, summa opulentiùs bona in se feliciter auguratur.

4. Matth. 6 v. 12. Matthæi 6. Christus Deus, nouus è cœlo magister, sic Discipulos suos, & in eis totam Ecclesiam orare edocet: Pater noster, qui es in cœlis: Sanctificetur nomen tuum..... *Et dimitte nobis debita nostra, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Tu tibi factus es misericordię mensura, & indulgentiæ lex: quantum benignitatis voto expetis, tantùm aliis præsta, & vota erga te expleuisti tua.

Chrysol. ser. 67. *Remittendo aliis, tu tibi veniam dedisti.* Malè sibi precibus extorquebit veniam, qui eam aliis negare scit, indulgere nescit. Appositè Chrysologus Dominicam orationem exponēs, ita scribit: *Homo si sine pecato esse non potes, & vis semper dimitti tibi totum, dimitte semper: quantùm vis dimitti tibi, dimitte tantum: quoties vis dimitti tibi, toties tu dimitte: imò quia vis totum dimitti tibi, totum dimitte.* (nota verba, quæ subdit) *Homo intellige, quia remittendo aliis, tu tibi veniam dedisti.* O arcanum impetrandi genus, & dignum Dominica oratione Sacramentum! Homo veniam, quam inimicis benignus dedisti, tibi liberaliter prædonasti. Quis ambiget, impetraturum à se esse, quod à se ipse obnixè postulat: Tu tibi es indulgentiæ norma, & exemplaris veniæ auctor, veniam à te alius impetret, & tu tui sceleris à te veniam impetrasti. *Homo intellige, quia remittendo aliis, tu tibi veniam dedisti.* Esto exorabilis inimico tuo, & si vota eius benignus imples, precum tuarum vota cumulatiùs implesti. Qui inexorabilem se præbet inimico, ipse sibi dum rogat Deū, inexorabilis est: indulgentiam quam aliis largiri, tibi cōcedis: malum quod inimicis indulges, in tuum recuditur bonum; & optatam felicitatem quàm à Deo rogas, tibi feliciter indulges. Ergo si sine peccato esse non potes, & vis semper dimitti tibi totum, totum semper aliis dimitte. O homo mentis aciem intentiùs exacue, & fidei oculis perspicaciter intelliges, *quia remittendo aliis, tu tibi veniam dedisti.* & quod aliis indulseris tibi feliciter exorasti.

5. Isaiæ 53 v. 12. *Christi gratia repensat offensorum iniurias.* Tertul. 3. contr. Mar. c. 19. Isaiæ 53. toto capite, Christi Dei multiplex gloria, quæ illi, & nobis per Passionem obuenit, dilucidè prædicatur. Ideò, ait, dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, *& pro trangressoribus rogauit.* Quæ Isaiæ verba ita exscribit, & exponit Tertullianus: *Propterea*, inquit, *ipse multos hæreditati habebit, & multorum diuidet spolia, pro eo quod tradita est anima eius in mortem. Ostensa est enim causa gratiæ huius, pro iniuria scilicet mortis repensanda.* Ecce Christus Passionis iniuriam patitur ab iis, pro quibus *rogat*, quos cœlesti *hæreditate* donat, dum gratiæ *spolia* illis diuidit: *Ostensa est enim causa gratiæ huius, pro iniuria scilicet mortis repensanda*, quasi acerbæ mortis iniuriam repensare, sit causa suæ gratiæ largiùs impertiendæ. Quid tam generosum, quàm atrocioris mortis iniurias, felici tot gratiarum vita *repensare*? Sic est Christus erga offensores peruerso gratus officio.

P. Didac. de Celada in Tobiam

§. CXXXII.

Hominis ad Deum, & Dei ad hominem cognitio, synonyma sunt, an vices reciprocant?

Virgines illæ de stultitiæ titulo, potiùs quàm de vocabuli elogio notæ; quę expetitam solerter spem ad sponsi aduentum attentè exsomnem, cum inerti commutant somno: & dum lampades semiextinctas ferunt, fatuam sui desidiam, tenebrarum lenocinio abscondere præsumunt. Stolidè nimis, quæ diu Sponsum in domo expectauerant, extra domum tunc exeunt, cùm iam aduenietem, eum domi excipere debuissent. Ergò illis extrà vagātibus tarda iam solertia, venit sponsus; & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, *& clausa est ianua.* Nouissimè verò veniunt fatuæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: *Amen dico vobis, nescio vos.* Non tam admirari licet acerbam repulsæ anueritatem, quàm verbi *nescio* nouitatem. Deus ne is est, qui reprobos nesciat? qui damnandos ignoret? Si nescit, iniustè opinor, damnat quos ignorat: si benè scit, vt iustè damnet, quo pacto verè dicere potuit: *Nescio vos?* Eloquenter Eusebius in simili de damnatis, sic ait: Ideò autem dixit: Neque vrgeat super me puteus os suum, quia cùm susceperit reos clauditur sursùm, & aperitur deorsùm, claustris desuper vrgentibus relinquetur: *Detrudentur illuc valedicentes rerum naturæ, vltrà nescientur à Deo, qui Deum scire noluerunt.* Nempe qui male operando Deum scire noluit, & Deus ipse tametsi omniscius, eum nescire perhibetur Biblico idiomate, & eo sensu quo hunc loquendi modum Scripturis familiarē, interpretes vniuersatim intelligunt. Quasi cognito, qua homo Deum cognoscit, velut vices reciprocet cum ea, qua vicissim à Deo cognoscitur, id est, si quis obsequenter, amanter, reuerenter ad Deum conuertitur; ipse etiam Deus (quo potest modo) adsimiles affectus repræsentat. Vnde Sara acerba tribulatione iactata, oratione incandescens, anhelo precum voto ait: *Ad te Domine faciem meam conuerto, ad te oculos meos dirigo*, vt qua menteDeo præsentatur, mente adsimili eam Deus vicissim aspiciat. Nam sicut *vltrà nescientur à Deo, qui Deum scire noluerunt*: ita quo animo quis Deum respicit, adsimili quoque respicitur à Deo, quod huius paragraphi thema esto.

Exhodi 2 Hebræa gens auita retrò nobilitate superba, barbaris Ægyptiis diu seruire cogitur in lutoso laterum efformandorum obsequio. Post multum verò temporis mortuus est rex Ægypti, (tempus enim est potentiorum etiā Regum subsistentia) & ingemiscētes filij Israël propter opera vociferati sunt. Sub immanissimo Tyranno, nec adhuc gemere impunè licebat. Et audiuit Dominus gemitum eorū, ac recordatus est fœderis, quod pepigit cum Abraham, Isaac, & Iacob. *Et respexit Dominus filios Israel, & cognouit eos.* Quid est, *Cognouit eos*? Forte priùs cùm erāt sublimitate illustres, & opibus potentes, non dedignabatur Deus eos habere velut proprium suum populum; posteà autem cùm viles & calamitosos videt, miserè obiectum, & lutosè squalidum populum

Margin notes (right column): 1. — *Vltra nescientur à Deo, qui Deum scire noluerunt.* Matth. 25. v. 12. — Euseb. hom. 3. de epiph. — Hic v. 14. — 2. *Humana & diuina cognitio vices arcanè reciprocant?* — Exhod. 2. v. 25.

populum

pulum, quasi suum populum agnoscere erubuerit; tandem nunc clamoribus delinitus eos quasi proprium peculium cognoscere dignatur. Hoc humanum est, non diuinum: humanæ arrogantiæ vana gloria, nō diuinæ bonitatis generositas, quæ humilia respicit, & alta à longe cognoscit. Quid ergò est: *Et respexit Dominus ad filios Israel, & cognouit eos.* Lxx. interpretes consultissimè ad thema præsens, ita præsentem locum exponunt: *Et respexit Dominus filios Israel, & cognitus est ab eis.* Idemne est, Israëlitas Deum cognouisse, & ipsos à Deo cognitos fuisse? Notione qua homo Deum, Deus hominem cognoscit. O noua quodammodò Synonyma, scilicet humana & diuina cognitio! Oh homo, si in tribulatione oppressus, & calamitate iactatus. (Sicut Israel in Ægypto, Sara in Media, & Tobias in Assyria) ad Deum faciem tuam dirigis, & mentis oculos ad eum amorosè conuertis, cognoscens Deum, ab eo cognosceris. Quibus oculis Deum respexeris à Deo vicissim respicieris. Quasi synonyma ponuntur, *Deus cognitus est ab eis*, ac, *Deus cognouit eos.* Ac si velut eadem cognitione, & consimili affectione Deus conuersos ad se videat, ac illi, qui ad eū conuertuntur. Elogia tuæ conuersionis ad Deum, Dei ad te conuersio, quo potest modo, reciprocat, & ad similem repræsentat. Diuinam erga se cognitionem humana cognitio exprimit; hominis ad Deum conuersio, diuinam ad se conuersionem excudit; O Dei bonitatem generosè beneficam! *Deus cognitus est ab eis*, ait. Vide synonymam sequelam: *Deus cognouit eos.* Vel si mauis è contrariò.

Lxx interp.

3\. Psal. 134. Diuina beneficia Hebræo populo à mundi primordiis opulēter exhibita, regius Psaltes modulatè pangit: *Domine*, inquit, *nomen tuum, in æternum: Domine memoriale tuum in generatione & generationem.* Benè est, quòd gloriosum Dei nomen ad omnem æternitatem perennet, quid autem significet, quòd eius *memoriale* in generatione & generationē æternet, non satis inter expositores conuenit. Ecquod est hoc *memoriale*? an recordatio, qua nos Dei meminimus? an memoria, qua Deus nostri recordatur? S. Ioãnes Chrysostomus refert aliquos ita hunc locum exposuisse: *Memoriale tuum*, id est, *Recordatio tui, aut tua*, Concinunt alij sic præfata verba exscribentes: *Memoriale tuū* hoc est, *Memoria tui* vel *tua. Quæ de ipso habebitur ab aliis, aut quam ipse de aliis*, vt doctè ibi Lorinus noster exponit. Scilicet eodem *Memorialis* vocabulo Propheta explicat, & memoriam qua Deus hominum recordatur, & recordationem, qua homines Dei meminerūt quasi idem quodammodò sit, *recordatio tui, aut tua*; & memoria quę de Deo habetur ab homine, & quā homo de Deo habet. *Memoriale tuum*, id est, *recordatio tui, aut tua, in generatione & generationem.* O velut synonyma arcanè benefica! Porrò quemadmodum de Damnatis dicitur: *Vltrà nescientur à Deo, qui Deum scire noluerunt.* Et sicut de Deo adspectu ad suos Israëlitas, scribitur, *Et Deus cognouit eos*, hoc est, *Cognitus est ab eis*, similem ad modum ait Dauid ad Dominum: *Memoriale tuum*, id est, *memoria* tui, vel *tua, in generatione & generationem.* Quasi eadem quodammodò sit memoria nostra de Deo, ac memoria Dei aduersus nos: mens nostra erga Deum, ac mens Dei aduersus nos: obliuio nostra de Deo, ac obliuio Dei aduersus nos, (loquimur cum Scriptura & Patribus de Deo antropopathos; neque enim in Deo propriè est memoria, neque in Deum cadit obliuio.) Itaque cùm Sara infusa lacrymis, mentis oculos piè ad Deum cōuertit, vicissim Deus piissimos oculos conuertit ad Saram, velut eandem mentem cum ipsā reciprocans. O bonam calamitosis eruditionem, de Saræ oratorio, velut de pietatis gymnasio edißcendam! Nostræ deuotionis erga Deum affectus, adsimilem eius erga nos affectionem, in Deo excudit? Inde Tobias Saræ thalamum nouus sponsus ingressus, sic illam affatur: Sara, exurge, & deprecemur Deum; *quia his tribus noctibus Deo iungimur.* Quid est, *Deo iungimur?* per *orationem*, ait Menochius. Quasi oratio sit velut nuptialis cum Deo iunctio, qua affectus reciproco nexu copulatur.

Psal. 134. v. 13. Eadem memoria Dei erga nos, & nostra erga Deum.

Chrys. ibi.

Lorinus ibi.

Oratio est velut nuptialis cum Deo coniunctio.

Tobiæ 8 v 4 Menoch. ibi.

4\. *Et respexit Dominus ad filios Israel, & cognouit eos.* Quare tanti æstimat Moyses, & Sara scriptione dignum censet, vt filios Israël Deus cognouerit? An inde excusserunt squalorem in quo ignominiosè iacebant? Quid inde honoris filij Israël consecuti sunt? Magnum quidem per omnem modum. *Nam* (vt eloquenter dixit Cassiodorus) *pene similis est mortuo, qui à suo Dominante nescitur; nec sub aliquo honore viuit, quem Regis sui notitia non defendit.* O! Principis sui notitia honorat, fouet, nobilitat, & defendit subiectos? Qui nescitur à Principe desiit in Republica esse, & Principis obliuione tumulatur? Heu! cognitum esse à sęculi Proceribus, idonea defensio erit?

Qui nescitur à Principe, eius ignoratione tumulatur.

Cassiodor. lib. 5. epist. 16.

5\. Lucæ 11. Ego dico vobis (ait Christus Deus) *Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit accipit*, &c. Vide quàm certa & indubia promissione humanis precibus diuinā audientiam, vel potiùs obaudientiam Christus Deus beneficè spondeat. Sed quid opus est, vt homo orando cogitet de impetrando beneficio, quo eget; cùm Deus humanam indigentiam prænoscat? quod acutè his verbis Basilius addubitat: *Sæpius autem*, ait, *quidam obuiant, dicentes: Quare oramus? an ignorat Deus quibus opus est nobis?* Quid ergo opus est, vt nos orando de indigentia nostra cogitemus, vt Deus vicissim cogitet de remedio nostrę indigēnię cœlitùs adhibendo? Gręcus ille auctor apud S. Thomæ Catenam nobilis, exponens quid sit hîc apud Lucam, petere, quærere, & pulsare, ita ad rem scribit: Hæc tria, inquit, possunt aliter distingui, virtutis enim initium est *petere* notam fieri viā veritatis. Secundus verò gradus est, *quærere* qualiter oporteat transire per viam. *Tertius gradus est, vt cum virtutes attigeris, pulses ad ostium, vt intres spatiosam cognitionem, qua omnia orando aliquis acquirit.* Nempe tametsi Deus humanam indigentiam prænoscit, nec ignorat quid hominibus opus sit; tamen adhuc exigit, vt homo petendo habeat, *Spatiosam cognitionem, qua omnia orando acquirat.* O quam *spatiosa* est, hominis orātis *cognitio*, cum Deum ipsum attingat, & quodammodò reciproca *cognitio* sit, qua Deus nos, nostrasq; necessitates ad remedium cognoscat! Sic est cognata hominis orantis cognitio, cognitioni Dei nostras necessitates benignè remediantis; Hoc sensu nuper diximus: *Et respexit Dominus ad filios Israel, & cognouit eos*, pro quibus verbis Lxx. Interpretes substituunt: *Et respexit Dominus filios Israel, & cognitus est ab eis.* Ecce tibi quam sit *spatiosa* orantis *cognitio*.

Lucæ 11 v. 9. Spatiosa cognitio est qua omnia orando aliquis acquirit.

S. Basil. ibi. apud Cat. græcus.

apud S. Th. in Caten.

6\. Quam verò sit hominibus ad vitam necessaria Dei cognitio, exaggeratius tradit Tertullianus, aiens

Tertul. lib. de Resur. carn. c. 19.

aiens: *Non enim* (vt aliquibus placebat) *mortem esse in vero, qua fit in medio, dissidium carnis, & animæ; sed ignorantiam Dei, per quam homo mortuus Deo, non minus in errore iacuerit, quàm in sepulcro. Itaque, & resurrectionem eam vindicandam, qua quis adita veritate redanimatus, & reuiuificatus Deo ignorantiæ morte discussa, velut de sepulcro veteris hominis erupetit.*

§.CXXXIII.

Fœmineus sexus grauiori malo, bonum excusationis vltrò emit.

1. OMne infirmum, tum querulum est, ac molestiarum impatiens; tum etiam ad concinnandam pro se apologiam, nimis pronum, vt fabricatis excusationibus, vel culpæ suspicionem eluat; & de cognatæ imbecillitatis genio, impositum flagitij pondus incunctanter excutiat. Fœminea imbecillitas nimis grauatè sustinet suspectum criminis reatum, cuius impatiens, ad glomerandas excusationes quammaturè festinat. Deo ricè Euam interroganti: *Quare hoc fecisti?* friuola excusatione respondit: *Serpens decepit me, & comedi.* Nec ista confitetur peccatum, ait, sed in alterum refert, impari sexu, pari fastu, & maiori se excusandi impatientia. An non tam futilis excusatio, species imposturæ dicenda esset; nam plus serpenti, quàm Deo credidisse, criminis exaggeratio est. Bonus Deus, qui vltra non procedit inquirendo, ne fœmina vltra se excusando procedat, *ad excusandas excusationes in peccatis*. Sic fœmina velut sui impotens est, de propriæ imbecillitatis ingenio, quò suspectum reatum quàm sollerter excutiat, adeò vt vel bonum opus, & iure laudabile, cæcis etiam excusationum litteris descriptum sit. Attentiùs aduerte hìc ad hanc probissimæ puellæ orationem, plenam pietatis, & fiduciæ plenam, & in ea recognosces, quàm sollerter se excuset à geminata criminatione, quam illi petulans ancillula impudéter impegit. Nemo hanc Saræ precationem damnabit, nemo non piam fatetur: sed nemo non videbit etiam, quàm se apud Deum solerter excuset, & iactatas in se contumelias piè declinet.

Fœmineus sexus nimis procliuus est ad excusationem.

Gen. 3 v. 13

Psalm 140 v. 4

Hic v. 16.

2. Geneseos 16. naturæ inopia parum Saræ negabat, fluebant anni, & senio appetente, prolis spes cum corpore frigescebat. Cùm iam propè auia dici poterat, nec mater esse Sara merebatur. Angitur diù improles, & seriò timet, ne ieiuna natura tot Dei promissiones, mariti posteris factas, sterilitate frustretur. Igitur Saraï, vxor Abraham, non genuerat liberos: sed habebat ancillam Ægyptiam nomine Agar, *Dixitque marito suo: Ecce conclusit me Dominus, ne parerem: ingredere ad ancillam meam, si fortè saltem ex illa suscipiam filios.* Ecquis non miretur, pulchram fœminam, & mariti sui peramantem, nouas nuptias conciliare marito? Sara ne ea est, quæ suum Abrahamum ad amorem non incomptæ puellæ solerter alliciat? Vel agrestis Laban, socer Iacobi, illum sub religione adiurat, ne præter suas filias, vxorem aliam sibi adsociet, & ipsa vxor, quasi sui oblita, ad nouas nuptias maritum pellicit? Rideo Hæreticos, qui hoc nomine Matronam honestissimam inhonesti lenocinij insimulant; sed non possum non mirari, quid Saram ex-

Genes. 16 v. 2

Sara, vt se quodammodo excuset, zelotypia cedit.

simulatit, ad rem vsque adeò insolitam, & à muliebri ingenio sic peregrinantem. Chrysostomus rem hanc altè meditatus, ita ad thema præsens tempestiuus respondet: *Ingredere ad ancillam meam*, &c. *Hic fortassis suspicabatur Sara, sterilitatem illam non à se sola esse, sed etiam à Patriarcha: ideo volens re ipsa illum certis coniecturis docere, ancillæ cedit.* Vide oculis quàm sit potens in fœminis se excusandi solers affectus, cùm zelotypiæ quasi insaniam vincat. Non ignorabat Sara se esse infœcundam; vnde ingenuè confessa est, eius vuluam à Deo conclusam sterilitatis malo. Sed adhuc ancipiti hærebat mente, an Patriarcha etiam consimili naturæ inopia laboraret. Grauatè ferebat in se vnam cōiici sterilitatis probrum: exinde (ex Chrysostomi mente) mariti nuptias conciliat, si fortè sub secundis nuptiis videns maritum improlem, de infœcunditate mariti suam consoletur, & Patriarchæ sterilitate defectum prolis excuset. Rem licitam, & illo æuo ritè permissam, à marito exigit: sed in re bona ingenium excusationis mirè etiam translucet, & quàm sit hic affectus in fœmina acer: siquidem diu certans cum zelotypiæ quasi furore, illud tandem palam euicit, dum maiult, dilectum maritum, ipsa nuptias conciliante, in alterius fœminæ sinu cernere, quàm excusationibus cedere. Certat in Saræ pectore, velut in quadam affectuum palestrâ, zelotypiæ impatientia, cum expetitæ excusationis desiderio: diu vtrinque certatum est duello nimis contentioso: sed vbi aliqua affulsit spes, suæ quodammodo excusandæ sterilitatis, de infœcunditate mariti, vincit hic affectus in fœmina, & de superatâ zelotypiâ trophæa erigit dum noui coniugij permissum extorquet lenocinium; alterumque dilecto marito thalamum sternit, ne spes omnes excusationis excutiat. Vel per zelotypiæ neglectum, it Sara ad excusationis arbitrium! Quid exaggeratiùs; Sed quid fœminarum genio conformiùs?

Chrys. ibi.

3. Iacobi 1. ad ærumnarum tentationumque sufferentiam, magnâ propositâ tolerantiæ mercede, his verbis omnes inuitat Apostolus: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Omnes ad vnum interpretes, *viri* nomine (vndecumque illud probent) mulieres etiam indubie intelligi, verissime adstruunt, vnde illis etiam muta in calamitatibus patientia, & magnanimitas in tentationibus constantia, Apostolico ore palam intimatur. Illæ verò confugiunt ad sexum, de quo, quasi excusationum promptuario, rationes expromunt apparentes, quibus hanc obligationem excutiant, submurmurantes, *viri* nomine, non muliebrem, sed masculum sexum denotari. Verùm Ambrosius, qua vigebat ingenij sagacitate, has tacitas fœminarum excusationes subaudit, & his verbis eludit, ad illud Psalmi 1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum*, &c. sic mulieres affatus: *Quid sexum discutias, vbi non corporis à te, sed animæ certamina postulantur, quæ sexum non habent?* Argute quidem Ambrosius friuolas muliebrium excusationum frustratur argutias. Malunt fœminæ vtrobique promissæ Beatitudini palam renunciare, quàm occasiunculam se excusandi non auide arripere: dum dispendio proposita Beatitudinis, excusationum compendium redimunt. Vno ore Propheta, & Apostolus aiunt: *Beatus vir*, &c. sed fœminæ sexum discutiunt, ne excusationis occasionem

Iacobi 1. v. 12

Beatitudini renunciat fœmina, ne non arripiat occasiunculam excusationis.

Psalm. 1. v. 1. Ambr. ibi.

fionem excutiant. *Quid sexum discutias, ubi non corporis à te, sed animæ certamina postulantur, quæ sexum non habet?* O quàm garrulè fœminæus sexus excusationes effutit. Imò aliquando etiam piè; ne vel mulierum pietas ab excusationibus exors sit.

4. Danielis 13. honestissima pulchrè Susanna, castitatis, & innocentiæ res sistitur, apud fontes æquè ac falaces iudices pariter, ac testes. Sententiam iam iam cadentem intrepida expectat: erat enim cor eius fiduciam habens in Deo, innocentiæ præsidio fultum contra senum maledicentiam. Cùm autem coram audit se ad turpissimam damnati mortem. *Exclamauit voce magna Susanna, & dixit: Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me: & ecce morior, cùm nihil horum fecerim.* Non litigabo cum expositoribus an elata voce hæc excusatoria protulerit verba, an clamore cordis ore muto: porrò in ipso Susannæ silentio, excusationem descriptam plures ex Patribus dissertè legunt. Hieronymus ex Origene ita scribit: *Cordis affectus, & mentis pura confessio, & bonum conscientiæ, vocem eius fecerunt clariorem. Vnde magna erat exclamatio eius Deo: quæ ab hominibus non audiebatur.* Hieronymo Ambrosius concinit, sic fatus: Quid de Domino omnium virtutum loquor; cùm mulier Susanna, nec sexus infirmitate turbata, cùm se ad periculum mortis agnouit addictam, vocem emiserit? Accusabatur, & tacebat. *Ducebatur ad mortem, & silentiose tegebat, ne nudaret pudorem.* Intra se tamen loquebatur Deo, qui eam magis audiuit tacentem. Quæ si voluisset loqui, forsitan non esset audita. Et alibi idem Ambrosius: *Plus egit tacendo, quam si esset locuta: neque vllum maius indicium suæ castitatis inuenit, quàm silentium.* Pergit in Exhort. ad Virg. *Bonus est pudor, quem commendant silentia. Susanna periclitabatur, & tacebat, vt meliùs tacito pudore loqueretur.* Ecce tibi vel Susannæ silentium, ad se excusandam est piè linguatum. Fœminæ etiam taciturnitas ore muto, ad excusationes vocalis est. *Neque vllum maius indicium suo castitatis inuenit, quàm silentium. Periclitabatur, & tacebat, vt melius tacito pudore loqueretur.*

Daniel 13. v. 42. & 43.
Vel silentium mulieris, linguatum est ad se excusandam.
Hieron ibi Silentium est præclarum pudoris indicium.
S Ambros. in Psalm. 37. & serm. 49.
Lib. 1. Offic. c 3.

5. Geneseos 3. serpens ille Diabolus postquam de Protoparentum gula venenatum vulnus exatiauit; ouat, triumphat, linguato præuaricatorum pudore victoriam publicãs. Confestim adest Deus flagitij seuerus vindex, adest vterque reus sceleris benè conscius, & male excusator. Adam verò de crimine ritè interrogatus, inconsultè respondit. *Dixitque Adam: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Percommodè quærit Bernardus quare Adam delictum suum palam confessus, veniam non meruit, sed à paradiso exilium. *Iam, inquit, primi hominis debetur exemplum, nec culpam siquidem diffitentis, nec tamen consequentis veniam*, (aduerte ad rationem quam subdit) *non dubium quin ob reatus mulieris admistionem.* Nempè mitissimum foret, vt in prima mundi excusatione, dum se vir excusat, non præproperè mulier admisceretur, quò prima mundi excusatio, etsi non dedicaretur à muliere, non sine mulcere, hactenùs interrogata perageretur. Proh! sic præcoquo excusationis sapore, se mulier excusationi miscet! Needum se præuaricatrix mulier excusat; sed viro se excusanti præmaturè admiscetur, ne primæ excusationi mulier etiam interrogata deesset; nescio an acriori excusationum libidine, quàm pomi vetiti ambitiosa gula. Verùm dum primæ adest excusationi suum audit reatum, quem propria etiam excusatione confestim exaggerat.

Gen 3. v. 12.
Bern. serm. 16 in Cant satis post mediũ.
Mulier primæ mundi excusationi, in interrogata præmaturè admiscetur.

§. CXXXIV.

Nubilis puella auidissimè nuptias expetit: & libidinis fabulosus spiritus, plus sæpè desiderando delinquit, satietatis ignarus, & fastidij nescius.

PVellæ iam nubili adeò procliue est nuptias audiùs appetere, vt Sara virtutum moribus facta puella, quasi rem infrequentem, & à puellarum ingenio valde peregrinantem, Deo sinceriter dixerit: *Tu scis Domine quia nunquam concupiui virum, & mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia. Nunquam cum ludentibus miscui me: neque cum his qui in leuitate ambulabant, participem me præbui. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere.* Sic mulier nupturit, O puellas sexu ipso infirmiores! Appositè Petrus Damianus his verborum spiculis earum ingenia præstringit: *Vbi sunt illæ quæ dicunt, Ego sum virgo, ego sum virgo? verbosæ, contentiosæ, suspectuosæ, superfluosæ, veste compositæ.... Quid enim prodest solius carnis integritatem, & malignorum spirituum stupris, mentis interiora corrumpere?* Sara, cui malus Dœmon foris obstrepit, medullitus à viri concupiscentia immunis est, silente nuptiarum appetitu. Sic aurigante ratione immodicam viri in annis puellaribus concupiscentiam, Sara compescuit. 1.

Hic v. 16. &c.
Ne virgo malignorum spirituum stupris, mente interiora corrumpat.
Petr. Dam. ser. 45.

Geneseos 19. decreta ab Angelis Sodomorum strage, qua immisso cœlitus igne, ignem nefariæ libidinis expiarent; dixerunt ad Lot: Habes hîc quempiam tuorum generum, aut filios, aut filias omnes, qui tui sunt, educ de vrbe hac: delebimus enim locum istum, eo quòd increuerit clamor eorum coram Domino, qui misit nos vt perdamus illos. *Egressus itaque Lot, locutus est ad generos suos qui accepturi erant filias eius, & dixit: Surgite, egredimini de loco isto: quia delebit Dominus ciuitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui.* An non sciebant Angeli, indubiè fore, vt Loti generi egredi renuerent? Et cur intempesta nocte generos consilij sui inertes derisores Lotus adit, quibus visus est delirare? Profectò satiùs foret, domi manere, & quæ ad domesticorum egressum necessaria erant festinanter præparare, quo maturius exirent, ne eodem cum Sodomæis inuoluerentur incendio. Sententiosè pariter, ac tepestiuè hac super re Ambrosius Philosophatur: *Egressus Lot, locutus est ad generos suos, ne deserendo eos, erroris filiarum causa ipsi assignaretur, quæ destitutæ virili consortio, concubitum inebriati expetissent parentis.* Nempè exsomni cura debent parentes nubilium procurare connubia, cautè verentes libidinis monstra in innupta puella nuptiis iam matura. O puellarum audaciam, cupidinis, & temeritatis appendicem! Quid tam insolenter fœdum, quàm vt filiæ senem & sanctum patrem largiori meri potatione inebrient, vt cum eo ignorante lasciuiant? O irrationale, & barbaricum libidinis ingeniũ, & agreste 2.

Gen 19. v 14
Nubiles filiæ studiose maritandæ sunt, ne libidinis monstra pulluleut.
Ambr. apud Lipom ibi.

ste luxuriæ facinus, vel ipsis Gentibus detestabile! Quid excusationis virgines ingenuæ obtendere possent, quo fœdum scelus vtcumque colorarent? Nempe, per patrem stetisse, dum generos deseruit, quominus in ætate iam nubili viris de more collocarentur. Inde prudens Lot, velut sui oblitus, in multâ intempestiuè nocte, generos adit, & illis incolumem suadet egressum, *ne deserendo eos, erroris filiarum causa iis assignaretur, quæ destitutæ virili consortio, concubitum inebriati expetiissent parentis.* Quid exaggeratiùs?

3. Saluianus acri vir ingenio & ardenti virtutum zelo opinatissimus, in libro 2. quem ad Ecclesias scripsit, ita fatur: *Si enim viris in plebe positis, & mulieribus ipso sexu infirmioribus*, &c. Eiusmodi mulierculas ipso imbecilliores sexu nominat. O quam multa breui sermone compendiauit! Hanc nobilium puellarum imbecillitatem ipso sexu infirmiorum, in illis ipsis Loti filiabus, Versiculo proximè sequenti sacer Historicus, vel potiùs Angeli, sic Lotum morosiùs cunctantem alloquuntur: *Cumque esset mane cogebant eum Angeli, dicentes: Surge tolle uxorem tuam, & duas filias, quas habes, ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis.* Pro τὸ *duas filias, quas habes*, Hebraïce habetur: הַנִּמְצָאֹת *Hanimzaoth. quod aliqui inuentas, vel quæ inueniuntur? vel quæ inuentæ sunt, alij præsentes vertunt*, vt idoneè inibi in Catena notauit Lipomanus Idem ne est, *filiæ*, nubiles, ac *inuentæ, vel quæ inueniuntur?* O noua synonima, in quibus aures insolenter peregrinantur! Opinor, nisi quod perditum est, inueniri nequit. Nubiles Loti *filiæ*, erant ne perditæ, cùm *inuentæ* dicuntur? Quia *præsentes* coram apparent, *inuentæ* perhibentur? Quò nã abierant, antequam nuptui traderentur? *Vbi sunt illæ quæ dicunt, Ego sum virgo, Ego sum virgo?* Eas Petrus Damianus nusquam reperit: & nunc ab Angelo *inuentæ* dicuntur, quasi res noua & peregrina foret, quòd puellæ diu nuptiis maturæ in paterna adhuc domo ab Angelo inuenirentur. Porrò virgò quæ nùpturit, & diu innupta seruatur, de obluctatione cum affectibus, iam vidua reputatur, (quod est grandius mulierum infortunium.) *Est autem vidua*, (inquit Philo) *non vt vulgò vocamus marito destitutam, sed quæ viduatur affectibus lædentibus & corrumpentibus.* Pulchra tropicè meditatio!

4. Baruch. 6. de Chaldæis puellis prope Veneris ædem prostitutis, ita scribit: *Mulieres autem circumdatæ funibus in viis sedent. Cùm autem aliqua ex ipsis attracta ab aliquo transeunte dormierit cũ eo, proximæ suæ exprobrat quòd ea non sit digna habita, sicut ipsa, neque funis eius disruptus sit.* Tradit Herodotus Babylonias & Cyprias virgines ante matrimonium sic coluisse. Venerem, vt ad templum eius desiderent, suamque pudicitiam exponerent, vt qui primò obuius vellet, eis abuteretur. O insigne in viris & fœminis luxuriæ ingenium, & rationalis naturæ propudium! Strabo agens de sacris persarum, Medorum, & Armenorum, sic scribit de Anatride. *Hac est Venus in Oriente culta. Armenorum idolum. Illustrissimi eius nationis filias suas virgine ei dedicant, ac lex est vt longo tempore apud Deam custuprata, deinde nuptui dentur, nemine talis mulieris coniugium dedignante. Tale quippe etiam Herodotus de Lydiis mulieribus scribit: omnes enim eæ meretrices sunt.*

Margin notes (left column): Saluian. lib. 2. ad Eccles. — Genes. 19. v. 15. — Lipom ibi. — Filia nubilis, idem est, ac inuenta. & quare. — Petr. Damiser 46. — Vidua quæ tropicè dicatur. — Philo l. Quod Deus sit immutab. — Baruch 6. v. 42 & 43. — Herod l. 1. — Virgines stupru Venerem colebant. — Strabo lib 11

Idem de Phœnissis mulieribus refert Athanasius Orat. contra idola; vbi originem idololatriæ inuestigans, eam institutam esse ait, *Desiderio eorum, qui stupris & propudiis pleni, figmentis repræsentantur.* Vide hîc quàm futili nomine propudiosa hianter stupra nubiles puellæ colorent. Hinc forsan *Barbaras libidines sacrauerunt Romani*, inquit Paulinus. Quid tam insolens, agreste, barbaricum?

5. Cæterum cùm hæc virginum vltro prostituendarum consuetudo, in Media viguerit, in qua habitabat virgo Sara, laudabilior est eius continentia, quæ verè dicere potuit; *Tu scis Domine, quia numquam concupiui virũ, & mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia*, tametsi dæmon Asmodeus luxuriæ præses forinsecùs perstrepebat. Luculenter Petrus Damianus ita fatur: *Si fabulosi spiritus, & incantatores motus carnis, circa te obstrepuerint, confide, & dic: Discedite à me maligni*, &c. Et suprà pensiculatè admodũ dixerat: *Exinde paulisper sensus carnis, & irruentia corporearum phantasmata voluptatum* Cui accinit Drogo Hostiensis: *Vbi sunt reptilia*, inquit, *quorum non est numerus, quæ somniorum suorum phantasiis internam ludificant animam, & trahunt in cor mariũ?* Nec libidinis phantasia, nec irruentia corporearum phantasmata voluptatum, nec incantatores motûs carnis, nec Asmodæi *fabulosus spiritus*, libidinis igniculos sufflabellans, libidinis in Sara ignem vllatenùs succendere valuerunt. Quod autem libido *fabulosus spiritus* dicitur, subtili emphasi plenum est, quam sententiam alibi forsan enucleabimus. Et Nazianzenus hanc execratur, *Non corporum, sed animarum scortationem. O virilem Saræ animam in muliebri corpore!*

6. Lucæ 15. Prodigus adolescens iuuentutis ardore exæstuans, peregrè proficiscitur in regionẽ longinquam, vt paternos declinãs oculos, impudentiùs posset luxuriari. Sed iuuenis immaturè opulentus, libidinis & opum prodigus, cito decoxit; & necessitatis suadela admonitus, adhæsit vni ciuium regionis illius. *Et misit illum in villam suam vt pasceret porcos.* Id iure inuenit, qui se negat patri, qui se committit extraneo: affectionis desertor, pietatis refuga deputatur porcis, porcis addicitur, porcorum traditur seruituti, porcorum pascua lutulentâ percurrit, inquieti gregis territur & maculatur excursu. *Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat.* Quàm vile, & crudeliter auarum ministerium, quia neque conuiuit porcis, qui viuit porcis. Miser, qui porcorum deficit, & esurit in sagina. Miser qui squallentis cibi cupit, nec impetrat qualitatem. Petrus Chrysologus præscripta verba illustrans, ita ad rem præsentem adhuc fatur: Diabolus mittit nos in villam suam: hoc est, ad huius sæculi illecebrosas conualles: mittit ad pascendos porcos, eos videlicet qui proni semper in terra viuunt ventri, & æstus carnis in volutabro luti temperant, in cœno premunt, refrigerant in gurgite vitiorum. Quod autem mercenarios mittat ad porcos, facit hoc insatiata crudelitas, quæ contenta non est homines criminosos fieri; nisi eos vitiorum duces, criminum faciat & magistros. *Cùm eos tales fecerit, non sinit eos ex ipso porcorum cibo pastuque saturari: vt esurientes vitia plus delinquant: luxuriosos satietas capere non potest, voluptas nescit expleri.* Peridoneè quidem hic

Margin notes (right column): Barbara libido. — Athan. orat. contra ido'a. — Paul. epist. 11 — Hic vers. 16 — Petr. Damia. ser 36. — Liuido est, Fabulosus spiritus, & phantasma voluptatis. — Idem ser. 47 — Drogo de Sacr. Dom. Passion. — Naz. Orat. 19 — Lucæ 15. v. 16 — Meditata libido satietatẽ non capit, hæc voluptas nescit expleri. — Chrysol. ser. 2.

hic Prodigus adolescēs salacitate famosus, inducitur ardenter esuriens suillas escas, & brutas porcorum siliquas *& cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, vt esuriens vitia plus delinquat*, quia malignorum spirituum stupris perpetuò ocians, expletæ libidinis satietatem non sentit. Homo quippe nauseat ad facilia, ad exprompta; & ardentiùs cupita, in fastidium satietas vertit. At libido desideriis calens, & opere negata, luxuriæ phantasiis sufflammata, nisi virtutis freno inhibeatur; salaciùs æstuat immetatā libidine. *Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci mãducabant.* Hic libidinis *fabulosius spiritus*, quo animitùs scortantur inexplera semper libidine *non finit eos ex ipso porcorum cibo pastuque saturari, vt esurientes vitia plus delinquant: luxuriosos satietas capere non potest, voluptas nescit expleri.* Heu nimis verè!

Tertull. de Pœnit. c. 3. *Rem vetitā animus periculosè sibi repræsentat.* Tertullianus in lib. de Pœnit. ita scribit: *Ipsa enim* (voluptas) *sibi imputatur, nec excusari poterit per illam perficiendi infelicitatem.... Quod prohibetur administrare, satis periculosè animus sibi repræsentat, & temerè per voluntatem expungit effectum. Cuius voluntatis cùm vis tanta sit, cur non solatium sui saturans, pro facto cedat?* Pulchrè quidem.

---

§. CXXXV.

Lubrica nimis est fœminei pudoris fama, & tenera honestatis valetudo.

1\. Psal. 44. 4. Hieronym. epist. 190. Sanctus Hieronymus ad illud Psalmi 44. *Accingere gladio tuo super fœmur tuum potentissimè*, ita de pudicitiæ custodia scribit: *Istum arbitrer te locum optimè intelligere, & accinctam CHRISTI Dei gladio militare. Vt autem scias semper virginitatem gladium habere pudicitiæ, per quem truncat opera carnis, & superat voluptates, gentilis quoque error Deas virgines finxit armatas.* Benè pudicitia gladio armatur, nō quo pro se tuēda belligeretur, sed quo affecti ones, iugulet, & succindat passiones. Honesta fœmina induat armaturam pudoris, studio temperantiæ clypeetur, circumducatur vallo verecūdiæ, murum sexui suo struat; qui nec permittat suo emittere oculos, nec admittere alienos, vt bonum honestatis suæ protegat aduersus ictus tētationum. Et sane perfecta castitas, voluptatum est triumphus: ergò à primis pugnæ præludiis cum libidine debet decertare, illamque mascola virtute edomare. Hinc sumptuosior de blando hoste victoria, vel tanquam victoriæ trophæum, virgo castitatis fama erigitur. Itaque durè à Hieronymo armatur pudicitia contra blandos eius hostes; non vt se à sinistris hominū suspicionibus, & linguis suū tueatur nitorem. Diserta pro se defensanda apologia, in re pudoris solœcismus est, nam iisdem, quibus à se defenditur armis, impugnatur: quod morū non persuadet eloquentia eloquentior defensio extorquet. Tenera est castitatis valetudo, & vel idoneis excusationibus fascinatur: neglectu defēditur, quod defēsione periclitatur. Omnis violati pudoris defensio, quędam pudicitiæ proditio est. Potuit vulnerari, qui vulnera timet, & ictus auertere festinat. Exinde procacis ancillæ impudica opprobria cōsultissimè tacet Sara, & clāculario secessu diu muta, in cordis penetralibus, sic infusa lacrymis Deum alloquitur: *Tu scis Domine, quia nunquam concupiui virum, & mundam seruaui animam meam ac omni concupiscentia. Nunquam cum ludentibus miscui me,* &c. ne si fortè apud homines de obiecta libidine se excusaret, se citius eiusmodi excusatione accusaret.

Castitas debet esse armata, sed non vt famam pudoris defendat.

Hic v. 16. &c.

Danielis 13. Susanna illa venustate & castitate nobilis, in viri sui pomario & topiarias captat delicias, & lautitias balnei; quod in regionibus illis maximè calidis frequens erat æstatis leuamētum. Ex opacis autem arborum insidiis, in frigido senum corpore, æstuans salacissimè libido erupit: blandimento alliciens, aut nimis Susannam territans. Maluit autem castissima, atque honestissima fœmina falsò iudicari adulterj rea eoque nomine in manus hominum incidere, vtique lapidanda, quàm nefario opere Domini oculos, quem præsentem nouerat, offendere, plus sperās de ope diuinā, quam timens de malitia humana. De quo Chrysostomus homil. de Susanna: *Angustiæ*, inquit, *sunt mihi vndique, sed expectabas eum, qui saluam faceret à pusillanimi tempestate falsorum testium, tanquam ventorum malorum. In illis tamen ventris, & fluctibus, naufragium castitas non fecit, quia Dominus gubernauit; adfuit precanti, exaudiuit quam nouerat; nec deseruit, ne moreretur, cui subuenit, ne adulteraretur.* Præstrictim aduertere iuuat falsum testimonium emphaticè dici, *Pusillanimem tempestatem.* (Verùm sciscitari lubet, quid causæ fuerit, cur Susanna libidinis falsò accusata, & iniustè damnata, nec verbulum apud homines dixerit, (ex plurium Patrum sententia) quo impudicū facinus defenderet? An nō, tentare Deum putatur, qui ordinariam & obuiam iuris defensionem negligens, dum se periclitari videt, totum suæ innocentiæ negotium, Deo otiosè permittit? Audit se adulterij damnari, honestæ vitæ, aut inhonestæ mortis causam agi turpi totius familiæ propudio; & cōtumeliosum libidinis facinus nec defensione auersatur, nec ore excusat; Ecquid rei! Scilicet castitas plus silentio, quàm ore defēditur. Pulchrè S. Ambrosius (alibi aliorsum expensus) *Susanna accusabatur, & tacebat: ducebatur ad mortem, & silentio se tegebat, ne nudaret pudorem.* Mutum oris silentium, eloquentior pro castitate apologia est, & arguta pudoris defensio. Plus egit tacendo quàm si esset locuta, neque vllum maius indicium suæ castitatis inuenit, quam silentium; ne oris defensione suspectā faceret castitatem: & dum se defendit, militet aduersariis Bonus est pudor, quem taciturnitas commendat. Susannæ fama, & inde vita periclitabatur, sed plus timens suam defensionem, quàm iudicum sententiā, meliùs tacito & indefenso pudore pro se locuta est. *Accusabatur, & tacebat: ducebatur ad mortem, & silentio se tegebat, ne nudaret pudorem.* Sic est delicata pudicitiæ valetudo, vt vel defensione violari poterur; Excusatio in re libidinis, nón tam veritatem clarat, quàm pudoris famam infuscat: indeq; male audit, vnde benè audire exinceps putaretur. Pudicitiæ clypeus, silentium est, & indefensa castitas suspicionum triumphus. 2.

Pusillanimis tempestas, emphaticè dicitur falsum testimonium.

Chrysost. hom. de Susan.

Castitas est indefensa, de sinistris aliorum suspicionibus triumphum agit.

Ambr. ser. 47

Matthæi 1. Post recensionem progenitorum Christi Dei, in tres tesseradecades idoneè distributam, ita scribit Euangelista: Christi autem generatio sic erat, *Cùm esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Ioseph autem vir eius cùm esset iustus, & nollet eam traducere: voluit occultè dimittere eam.* Videbat Iosephus 3.

vteri

vteri tumorem, & Sacramenti non scius. Spinosā vndique mente versabat curam. Cōtentiosè certabat virgo sponsæ opinio, cum vteri turgentis indiciis: affirmabant oculi, quod proba de vxore opinio constanter negabat. Ancipiti hærebat animo, & zelotypiæ fluctibus æstuabat. Tametsi in cordis penetralibus cogitationum turbine quateretur, non potuit intestinus angor non apparere in vultu Molestior chari sponsi cura, anxiam spōsæ virgini curam ingerit, & Iosephi molestia relinditur in Mariam. Discruciatur sponsus suspicionū spinositate, & tacet sponsa obsignata taciturnitate? Eccur Virgo grauida turbatum Iosephi cor non serenat opportuno mysterij eloquio. Putauerim, quòd Iosepho sic altam de Mariæ pudicitia mentem imbiberat, vt vel simplici sermone fidē inuenitet. Imò si Deus adfuisset sponsæ loquenti, sicut Angelo adfuit in somnis sermocinanti, procuidubio suspicionum sinisteritatem excuteret. Tacet Virgo mater, & Angelus pudoris vindex, loquitur. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Scilicet tametsi Iosephus non minus crederet Deiparæ, quàm Angelo; tamen ea puritate, & castimoniæ laude debuit mater præfulgere, vt nec leui vnquam verbulo suam ipsa virginitatem defenderet. S. Ambrosius adsimilem tractans quæstionem, cur non de simplici, sed de maritata virgine Christus Deus nasci maluerit, ita fatur: *Maluit autem Dominus aliquos de suo ortu, quam de Matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram esse Virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris: nec putauit ortus sui fidem Matris iniuriis adstruendam.* Teneo Ambrosij sensum, sed cum eodem Ambrosio aliò leuiter flecto Non excuset Virgo vterum, quem de Spiritu Sancto grauidata gerit; nam tenera est Virginis verecundia, & *lubrica fama pudoris.* Vnde dum propè accusabatur suspicionibus mariti, qui est vxoriæ castitatis exactor; muto ore Sacramentum Dominicæ corporationis tacebat; atque *silentio se tegebat, ne nudaret pudorem.* Adeò enim est tenera virginitatis verecundia, & lubrica fama pudoris, vt vel excusatio propria, castitatis nitorem deuenustet; & vnde clarari poterat, offuscari videatur. Excusatio pudoris, aut impudicam famam inuenit, aut facit. Non verborum eloquentia, sed morum elegantia, prælustre castitatis nomen constat.

Adeo est lubrica pudoris fama, vt vel excusationibus egregiè deuenustetur.

Matth. 1. v. 20.

Amb. lib. 2. in Lucam.

4. Geneseos 20. ob raptam in gynæceum Saram Rex Abimelech diris minis intempesta nocte à Deo terretur. Confestim Abrahamum accersit, & de simulata sororis appellatione conquestus, regiis muneribus illum cumulat. *Sara autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt.* Ad quæ verba ita scribit Procopius: *Illud verò mirabile est, quod illa summa non Saræ, sed marito dependitur.* Suspecta sunt munera, quæ vel præsente marito vxor accipit; Accipiat maritus quod vxori donatur. O bonam eruditionem, quo donorum exulent lenocinia. Quin & aduerte, quòd cùm munera donanda vxori, marito dantur, non maritum tūc, sed fratrem appellat, ne munerum acceptione dehonestetur mariti vocabulum. *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo.* Pergit sacer Historicus adhuc aptius ad rē: *In velamen oculorum.* S. Chrysostomus inibi: *Alia littera habet: Et qua dedi fratri tuo, tua erunt in honorem vultus tui.* Scilicet fœminei vultus velamen, earum faciem *honorat.* Inhonesta erit pulchra facies non velata; Faciei honor à velaminis pudore est; Velamen decenter honorat, quod nuditas inuestis prostituit; Vel nuda facies prostituti decoris suspecta est; Verùm adhuc magis opportunè ad lēma præsens, ita ibidem scribit Hugo Carensis præfata verba exponens: *In velamen oculorum id est, in exhibitione funeris.* Quasi oppansum faciei velamen sit absconsæ pulchritudinis funus, & venustatis sepulchrum. Quid funestatam pulchritudinē iā emortuam, & humatam, detegendo resuscitas? Vel aliter. Velamen oculorum, seu *exhibitio funeris* peridoneè offertur, vel honestissimæ fœminæ tantisper dehonestatæ. Tenera admodum est muliebris famæ valetudo, & vel sinistris suspicionibus tumulatur. *In velamen oculorum, id est, in exhibitione funeris.* Quasi dicat Abimelech: Salax spectator perij in tua forma: ergo accipe hoc *velamen in exhibitione funeris* mei; imò & famæ tuæ non bonis suspicionibus fortè apud aliquos malè peremptæ, & funeste tumulatæ. *In velamen oculorum; id est, in exhibitione funeris.*

Gen 20. v. 16. *Suspecta sunt dona, quæ præsente etiam marito, vxor accipit.*

Procop. ibi. *Velamen honorat, quod faciei nuditas prostituit.*

Chrys. ibi.

Hugo inibi.

Pudoris fama suspicionibus funeste tumulatur.

5. Ruth. 3. à socru edocta, ad propinqui Boozi pedes it cubitum, non leui forsan incontinentiæ periculo, & famæ iactura. *Et venit ad socrum suam. Quæ dixit ei: Quid egisti filia?* Quæ verba sic ex Hebræa origine vertit Mariana: *Quæ es tu filia mea?* Quid est, quod iam Noëmi familiarissimam nurum suam dedidicere videtur, & quasi ignotam interrogat: *Quæ es tu filia mea?* Increbuit iam fama clandestinæ iuxtim cubationis? Quæ iuxta propinqui pedes, nuptiarum ambitu cubuit, iam ipsa altera apparet, *Quæ es tu filia mea?*

Ruth 3. v. 16 Marian ibi. *Periculum incontinentiæ citò diffamiā spargit.*

§. CXXXVI.

Dominante gratia, sic humani sensus ad voluptabilia hebetantur, vt præsentia tanquam inania atque transacta, absentante spiritu non videant.

Nulla sapientiæ, aut virtutis solertia, naturalia corporis, aut animi vitia omninò ponuntur, quicquid infixum, & ingenitum est, lenitur arte, non vincitur. Quibusdam etiam constantissimis in conspectu populi sudor erumpit, non aliter quàm fatigatis, & æstuantibus solet: quibusdam tremunt genua dicturis: quorundam dentes colliduntur, lingua titubat, labra concurrunt. Hæc nec disciplina, nec vsus, nec virtus vnquam excutit: Sed natura vim suam exercet, & illos vitij sui etiam robustissimos admonet. Quæcumque attribuit conditio nascendi, & corporis temperatura, cum multum se diuque animus composuerit, hærebunt: nihil horum vitari potest, non magis, quàm accersiri. Quo magis admireris quorundam eximiè Sanctorum virtutem, quæ dum diuturnā consuetudine in mores abit, appetitum ipsum, & omnium voluptabilium familiam, leni rationis fræno ad nutum cōtinet, quasi delectabilibus minimè tangatur, nec cognatas adulantium blandientium que vitiorum assentationes audiat. In penuria mundi sic vitam transigunt, vt plures vitæ exules, aut viua cadauera; nec terrarum adhuc incolas, cùm meliore sui parte, animo inquam,

1. *Quadam naturalia vitia ineluctabilia sunt.*

cœlos habitent, præproperè empyteæ patriæ inquilinos; virtutibus attentè viuidi, vitiis segniter surdi Sic se continere, & tradere se sibi, diuinioris gratiæ quidam fastus est, & assiduæ diu virtutis merces. Quod videre hic licet in Sara, honestissima æque, ac venustissima puella.

Hic v.16. & 17.

2. Regius Psaltes Psalm. 118. mētis perspicaciam obnixe à Deo postulat: Da mihi intellectum, ait, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo. Verum cum male ad vitia propēsam, cordis concupiscētiam aduerteret, cordis inclinationem ad bonum, & ad malum, oculorum cœcitatem anxiè etiam rogat: *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam. Auerte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua viuifica me.* Magna petit Dauid, & supra humanitatis fastum, ac ordinariam gratiæ legem, Nam vt ex Augustino notat glossa, *Precatur, quod non hic, sed in futuro implebitur, cùm liberabitur creatura à seruitute corruptionis, & ipsi veritati adhæserit, veniens in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Scilicet oculatissimus est homo cognata concupiscentiæ perspicacia ad libidinis blanditias, ad auaritiæ lucra, ad ambitionem honorum, & ad voluptabilia omnia, quæ blanditiei lenocinio, & concupiscentiæ fomite velut impotenter alliciūt. O quàm est difficile has sensuum illecebras cōpescere, & oculos à voluptabilibus auertere, ne præsente, & blādiente sensuum voluptate homo tangatur. Vel desideriis tantam perfectionem vouere, & eiusmodi pia vota Deo Sacrare, quasi rem magnā Propheta reputat, aiens, *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.* Verùm enimverò antiquæ legis vota vbertim Euangelium impleuit; & quod olim illuxit desideriis, Euangelicæ gratiæ obsequiis abundè præstatur. Diligens, & attentus nota quid de Maximo Eusebius scribat in eleganti eiusdem panegyri: Quid dicam (ait) eius voluptatem, vt fierent ei lacrymę panes die, ac nocte, & pro cibo, ac potu hæc secum incessabiliter ruminaret, Quādo veniam, & apparebo ante faciem Dei? *Vt præter æternam vitam nihil esuriret, præter iustitiam nihil sitiret, vt præsentia tanquam inania atque transacta absentante spiritu non videret; & in futuro reposita tanquam oculis subdita conspiceret: vt fastidio essent quæ se aspectibus offerebant, desiderio autem illa quæ se sensibus inserebant.* Itaque quod Dauid animi votis intētiùs expetebat, aiēs: *Auerte oculos meos ne videant vanitatem,* maximus hic, sanctitate vir cumulatè adeptus est, dum *præsentia tanquam inania atque transacta absentante spiritu non videret.* Vide validioris gratiæ vim, & arcanū masculi spiritus vigorem; voluptabilia præsentia, quæ aspectu blandiuntur, quasi *transacta* videt, & velut iam diu præterita retrospicit: Spiritus enim stupenda gratiæ officiositate illa *absentaret*; indéque fastidio citiùs, quam blandimento erāt. Nempe futura cœli bona, ad quæ ardenter æstuabat, tanquam si oculis essent subdita, concupiscens; præsentia tanquam transacta absentante spiritu non videbat, & tanquam ad inuisa fastidiosè nauseabat. Quicquid humanus sensus, sagax præsentium voluptatum venator offerebat, quasi inane, & transactum tædio erat; desiderio autem æstuabat ad cœlestia, quæ etsi absentia, & peregrina, se se blandè sensibus ipsis ingerebant. Futura cœli bona, peregrina desiderij præsumptione, spe sic disponente, & in imaginatione pingente velut pręsentia intuebatur: at voluptabilia *præsentia tanquam inania atque transacta absentante spiritu non* videbat, compos votorum Dauidis: *Auerte oculos meos ne videant vanitatem: inclina cor meum in testimonia tua.* Hanc sensuum absentiam, & velut mortem diuinior gratia operatur.

Psalm. 118. v.36 & 37.

Glossa ibi.

Sanctissimus vir voluptabilia præsentia tanquam transacta, absentante spiritu non videt.

Euseb. hom. de Maxim.

3 Meritò Dauid dum intentiùs virtuti studet, ardenter expetit vt eius cor ad vitia procliue, inclinetur in testimonia Dei, id est, ad rem virtutis & vt oculi eius cœci sint ad sensuum voluptatem; de experientia edoctus quàm verè dixerit Deus ad Noëmum: *Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Nimirum hæc sensuum peruersitas, ad malum ardenter procliuis, cognata hominibus est, à primæua enim præuaricatione homo euasit nimis potens ad vitia, & nimis ad virtutē imbecillus; bonitatis sterilis, nō minus quā malitiæ fœcundus. Ecquid ergò erit iam potens, vt humani cordis agellum, sensuum malitia deprauatum, & reddat malitię sterilem, iusta ac bonitatis fœcundum? Tempestinè Diadochus in lib. de Perfectione ita fatur: *Ignis Sanctæ Gratiæ sensus etiam corporis depascit, zizania humanæ terræ planè exurendo.* Scilicet cum *sensus humani cordis in malum proni sint ab adolescentia sua*, virtutum steriles, & vitiorum fertiles *igne Sanctæ Gratiæ*, qui *sensus corporis depascat*, opus est. Quid est: Gratiæ ignis sensus humanos *depascit*, & spontiuam vitiorum herbam *exurit*? An non quæcumque attribuit conditio nascendi, & corporis temperatura, hæc semper medullitus hærebunt, nulla arte curanda? Quis sensuum ingenia ad voluptates sagacissima, & ad malum vbertim prona, sanare præsumat? *Ignis Sanctæ Gratiæ sensus etiam corporis depascit, zizania humanæ terræ planè exurendo*, quo humani cordis ager sterilescat ad vitia, & ad virtutes vbertim fœcundetur. *accenditur in nobis ignis*, (ait Clemens Papa) *qui velut agro sterili immissus, consumptis, & decoctis radicibus pessimæ voluntatis, bono semini verbi Dei fœcundiorem cordis præparet glebam.* Ecce tibi sensus humani cordis in malum pronos, & vitiorum feraces; Sanctæ Gratiæ igne *depastos*, herbacea humanæ terræ luxuria planè exusta; hic ignis sterili agro immissus, *consumptis, & decoctis radicibus pessimæ voluntatis*, quæ sensuum opera reddebatur malitiæ fertilis, æquè, ac bonitatis infœcunda; fœcundiorem humani cordis præparat glebam, omnium iam sanctitatum feracissimam. Sic diuinioris gratiæ officiositate, naturam suam humani sensus desuefecerunt, dum illos ignis Sanctę Gratiæ depascit, & exurit; Sensus S. Maximi hoc igne depasti, sic *consumptis, & decoctis radicibus pessimæ voluntatis*, fœcundiorem cordis ad omnes sanctitates præparauit glebam, quò adeo vt sic ad voluptabilia sterilescerent, *vt præsentia tanquam inania atque transacta absentante spiritu non videret, & in futura reposita, tanquam oculis subdita conspiceret.* An non vides hîc humanos sensus in malum pronos ab adolescentia sua, sic pia ignauia ad voluptates torpescere, & delicias fastidire; vt easdem etiam præsentes, & ad manum paratas, tanquam futiles, inuisas, præteritas, absentante illas spiritu, & eorum virorem depascente, nec videant, nec æstiment, nec agnoscant. Parum foret illas omisisse; magnum, illas neglectu quodam præteriisse; maximum, ex intentione ad futura, illas præsentes, absentante illas spiritu, non vidisse. Hunc gratiæ ignem, qui humanos sensus *depascat*, & eorum malitiam *exurat*, venit Christus Deus in terram mittere, *& quid vult nisi vt accendatur*? Hic sensuum ad præsentia languor, salus

Gen 8.v.21

Ignis gratiæ, sensus corporis depascit.

Diadoch de Perf c.85.

Clemēs Papa ep 4.

Luc.12.v 49.

salus animæ est,& vitæ æternùm futuræ obscs. O piorum hominum sensus ad delicias obtusos! O sensus impiorum erga voluptabilia vltra possibilitatem sagaces!

4. *Ethnici quos sentire negant, voluptabilia desiderare præsumunt.*

Tertullianus antiquus & locuples auctor, in lib. de Resurrectione carnis, sapienter ridet auitū Gētilium morem, qui ipsos defunctos quos atrocissime exurit, postmodum gulosissimè nutrit, ipsorum temporum propria gula. Vulgus, inquit, ethnicorum nos mortuorum resurrectionem indubiè adseuerantes, cachinnis irridet, existimans nihil superesse post mortem. *Et tamen defunctis parentant, & quidem impiissimo officio pro moribus eorum, pro temporibus esculentorum; vt quos negant sentire quicquam, etiam desiderare præsumant.* Altè quidem sensuū ingenia, & auidam ad voluptabilia appetentiam expressit Tertullianus! Videlicet defunctorum corpora subiectis flammis in vagos soluuntur cineres, prorsùs statu per omnia insensili, vel experientiæ suffragio; & tamen post funera eadem mortuorum insensilia corpora appositis cibis, pro temporibus esculentorum gulosissimè nutriūt adeò *vt quos negant sentire quicquam, etiam desiderare præsumant.* Bene impiorum corpora post mortem insēsibilia, adhuc voluptabilibus inhiare putantur; quandoquidem vir Christianè perfectus, etiam dum adhuc viuit, præsentes voluptates tanquam transactas nō videt, & quasi inanes absentante spiritu non sentit. Minus est quod fabulosa antiquitas finxit, quam quod Christiana virtus gessit; maiorque ambitioso mendacio simplex veritatis fides.

Tertul. de Resur. carn. c. 1.

§. CXXXVII.

Vel leue olim in Matronis incontinentiæ periculum, anathemate obliuionis oblitterandum est, opportuna pudicitiæ cautela

1. QVemadmodum fœdior næuus habetur, qui faciem occupauit, quàm qui aliam corporis partem; ita grauius fœdiusque viri aut fœminæ principis, quæ Reipublicæ facies quædam est, quam aliorum peccatum est. Igitur seriò cogitet vir aut fœmina princeps, non vnam suam esse incontinentiam, neque in vno capite stare, abit ad plures: & ferè quot exempla, tot crimina: cùm tota frequenter vrbe aut prouincia, propè omnis incontinentiæ causa, vna sit Procerum incontinentia, nec vllus est, qui sequi erubescat, quod in Primoribus vident, & decus etiam putant, & gloriæ suæ partem, si Principem factis referant. Hinc in plebe eousque pudicitia sæpè exolescit, vt viri gloriosum putent, Summates imitari; & vulgares fœminę, principes matronas sequi, generosum censeant. Nimirùm quærit ambitiosę libido turpis luxuriæ autoramentum, & ingenio voluptatis expromptum reperit in procerum exemplo. Pudor! quàm de exemplo Sublimium sine pudore lasciuitur! Quin & leuis lasciuiæ rimusculus spatiose serpit, ac per linguarum & auriū traduces, de famæ genio, & libidinis honestandæ lenocio, fœcundè propagatur. O si saltem absconsa foret Matronarum incontinentia, & quæ suspicionum sinisteritatem effugeret: ne vel sinistra suspicio, dum reliquarum pudorem excussit, incontinentiæ legem faceret, magno honestatis dispendio. Quis erubescat facere, quod potiores fecisse, vel incerta fama enulgat? O caue cum Sara hîc has pudicitiæ insidias!

Viri aut fœmina principis, non vna sua est incontinentia.

Hic v. 16 & 17

2. Iudith. 16. cum Bethulienses resistendo non essent Assyriæ potentiæ: Iudith princeps & venusta fœmina, nec impari continentiæ laude cōspicua, Dei planè instinctu, ad artem confugit: & exuto cilicij squalore, & lugubri lōgæ viduitatis veste, sūptuoso se compsit & expoliuit ornatu, vt ornamentorum lenocinia, vestium pretiosus fucus, & fulgurantium gemmarum splendor natiuam venustatem exaggeret. Sic pulchra Holofernis fraus, ad eius castra pergit. Stupent salaces Persæ mulieris peregrinę venustatem, ęstuat libidine Holofernes, ad cœnam inuitat, leno Vagao fores claudit, & cum solo solam relinquit, (sed cœlesti custodia septam) in lecto sub conopœo amasium stertentem Iuditha videt, acinacē stringit, & geminato ictu caput abscidit, ac truncum dimittit corpus; & capite in pera abscondito, redit ad suos: qui de acephalis iam hostibus præclarè triumphant, tanto Heroinæ facinore glorioli Et factum est post hæc, omnis populus post victoriam venit in Ierusalem adorare Dominum, & obtulerūt omnes holocausta, & vota, & repromissiones suas. *Porrò Iudith vniuersa vasa bellica Holofernis, & conopæum quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema obliuionis.* Benè est è tholo Ierosolymitani templi suspendit Iuditha conopœum auro, gemmis que contextū, quod ipsa ex Holofernis lecto sustulerat, quid est quod *in anathema obliuionis* illud obtulit? Imò ad tanti beneficij memoriam suspendendum erat. Quid *obliuioni* cum donario ad memoriam suspenso? Erudirè hîc notat Hugo, quòd erat duplex anathema. *Vnum quod totum destruebatur, ne deinceps repararetur, vt anathema Hierico. Aliud quod à communi vsu separabatur, & in templo vel tabernaculo suspendebatur, vt tale factū sēper in memoria haberetur, vt gladius Goliæ.* Verùm etsi gladius Goliæ suspensus sit è tēplo tanquam anathema huic simile; sed non fuit suspensus *in anathema obliuionis*; sed potius in anathema recordationis, quo in omne æuū exinceps recordarētur Hebræi huius illustrissimæ victoriæ, qua Dauid percusso Philisthæo, populū suum Dei auspicio, à diro exitio, & dura seruitute liberauit. Quare Hugo Goliæ gladium à Dauide in Dei tabernaculo suspensum, appellat *anathema*: & Holofernis conopœum, adsimiliter in Dei templo suspensum, non modo appellatur anathema, sed *obliuionis anathema* nominatur? Quid obliuioni, & non potiùs æternæ memoriæ cum tam memorabili Iudithæ facinore? Litteralissimam rationem inibi multis tradidimus, nunc moralem, quam ipse sacer Historicus insinuat, subiicimus: *Porro Iudith*, ait, *conopæum quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema obliuionis* Nempe Iudith venustissima & ornatissima, dū à salacissimo Holoferne inuitatur ad cœnam, & in conclaui sola cum solo manet, (specie tenus vibretur censura, nec occulta Angeli spectetur custodia) grande pudicitiæ periculum menti obuersatur, quod princeps fœmina vltrò subit. *Ergò conopæum quod ipsa sustulerat de cubili Holofernis*, (qui cupitis Iudithæ amplexibus ibi frui præsumebat) *obtulit in anathema obliuionis.* Moralissimè ergò Hugo Carensis Goliæ gladium à Dauide in tabernaculo suspensum, non appellat anathema obliuionis, quia nullum pudicitiæ periculum Dauid subiit: & Helia

Moralissimè Iudith, spolia qua de lecto Holofernis sustulit, in anathema obliuionis obtulit

Iudith. 16 v. 23.

Hugo ibi.
Iosue 6.

1. Reg. 17. v. 54.

Heliachimus conopæũ Holoferniani lecti vocat *anathema obliuionis*. Itaque eiusmodi spolia truculentissimi hostis æternent in Dei templo, ipsi religiosè dicata, quò tantæ liberationis per manus fœminæ, memoria perennet, & gratitudinem excitet. At Inditha, dum *obliuionis* vocabulum apposuit, quodammodò optasse videtur, vt periculi pudicitiæ, quod vtcumque subit, non sic expromptè recordentur. Vnde *conopæum quod ipsa sustulerat de cubili Holofernis obtulit in anathema obliuionis*. Sic ad mores hunc locum flectere iuuat: etsi alius sit litteralis sensus, vt inibi vbertim tradidimus.

3. *Sara factis velamine, deprehensa fugitat pudorem.*

Geneseos 20. Abrahamus Chaldææ exul, peregrinatur in Geraris. Dixitque de Sara vxore sua: Soror mea est. Misit ergò Abimelech rex Geraræ, & tulit eam. Sed per noctem diris à Deo terretur minis, nisi protinus eam Abrahamo restituat. Quo accersito, regia illi munera tribuit, postquam de ambiguo expostulauit sermone, qui excitatæ tragœdiæ occasionem præbuit. *Sara autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sum.* Itaque quia Sara in Regis palatio etsi inuita pernoctauit, quamvis prorsùs à Rege intacta, & ipsa, & Abrahamus vir eius largis vbertim muneribus diuitantur, quasi aliqua honoris iactura pecuniis compensetur. Sed cur rex Abimelech pulchræ Saræ apud se breui mora commorantí, mille tribuit argenteos in faciei velamen? Chrysostomus exscribit & exponit, *In honorem vultus tui*. Honoratur ne deprehensæ Saræ facies, si velamine contegatur? Si nil in honestum Sara gessit, quid opus est illius oculos faciémque velari? quid erubescat, vt faciei rubor velamine occultandus sit? Appositè Rupertus: *Ecce mille argenteos, dedi fratri tuo: ac deinceps reprehensa fugitans pudorem.* Hoc, inquit, *erat tibi in velamentum oculorum ad omnes qui tecum sunt.* Quasi dicat: Tametsi indubium sit, quòd illibato pudore in aula commorata sis; tamen quia aliquod incontinētiæ periculum subiisti, & inde facta es sinistris vulgi maledici rumoribus obnoxia, faciem velamento absconde, *deprehensa fugitans pudorem.* In honorem vultus tui feciem obuela, ne de tuo occursu memoriam periculi spectatoribus refrices, quod tibi indecorum erit, & quod faciem tuam rubore suffundat; & Palæstinæ matronis de principis fœminæ exemplo, valdè in re pudicitiæ nociuum: nam tuo periculo sua excusabunt stupra, & libidinem colorabūt. Ergò opportuno faciei velamine *deprehēsa fugita pudorem*, & *obliuionem* periculi suspicionibus indicito, ne & tu de periculi memoria erubescas, & aliarum incontinentia petulanter præscribat.

Genes. 20. v. 16.

Chrysost. ibi.

Rupertus inibi.

4. Sap. 4 v. 1

Sapientiæ 4. sententioso epiphonemate pulchræ castitatis laudes Salomō auspicatur: *O quam pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines.* Plures è Græcis & Latinis patribus pro *τ* *ὸ claritate, virtute* legunt. Bernardus & Blesensis, cum *charitate* exscribunt. Sed cū *claritate* Vulgatus legit. Quò adludere videtur (vt innuit Lorinus) parabola illa decem Virginum, quæ lampadum *claritate* illas adornat, quò claræ pudicitiæ memoria apud Deū & homines nota, egregiè claresc at. Verùm cū *claritas* sit opinatissimum castitatis elogium; mirum est, quod illud Clemēs Alexandrinus forsan infuscarit, sic fatus: *Hac ratione sunt etiam prudentium Virginum lampades, quæ noctu sūt accēsæ in densis tenebris castitatis.* Quid claræ castitati cū obscuris tenebris? Nō mirarer si de imprudētibus virginibus id dixisset. At prudentium Virginū splendidior castitas, quo pacto de tenebrarum confinio obscuratur? Nimiùm prudentium Virginum pudicitia cū *claritate* lucet, accensis enim lampadibus adornatur, sed *in densis tenebris castitatis* fulgere dicitur, de tenebrarum vicinia: *quoniam & apud Deū nota est, & apud homines.* Apud Deū autem vel leuiculæ cogitationis labecula castitas infuscatur: apud homines verò ex leui aut nulla occasione, de temerarij iudicij licētia, suspicionū sinisteritate fœdatur, polluitur, tenebratur. Ergò vt pudicitia cum *claritate* fulgeat, accensas semper lampades manu gestet; & vt immortalis sit memoria illius, apud Deum, & apud homines nota, exsomni diligentia præcaueat in huius vitæ nocte, & obscuritatis tetro frequenter periculo, ne vmbra aut propriæ cogitationis, aut alienæ suspicionis vnquam tenebretur, ne castitas de se fulgenter clara & lucida, agnatum splendorem adsuescens, de obscuritatis vicinia vicissitudinis obūbrationem subeat *in densis tenebris castitatis*. Vide nunc quā solerter prudentes Virgines lucere studeant, & tenebrarum squalorem lampadum claritate arceant, quò apud Deum & homines immortalis sit illarū memoria, nulla impudicitiæ labe tenebrata. Sic Iuditha aliquale incontinentiæ periculum anathemate obliuionis oblitterat: sic vltrò Sara accipit oculorum velamen, vt deprehensæ pudorem celet:

Lorin. ibi. Matth. 25 v. 1 *Prudentes virgines lampades accendunt in densis tenebris castitatis.*

Clemens Alexandr. 5 Stromm. cap 2.

5. Luc. 2 v. 19 Beda inibi. *Castitatis elogium est, secretum tenacius seruare.*

Nisi fortè malis, (hoc obiter dixerim) ideo dici *densas tenebras castitatis*, quia castitas concredito sibi secreto velut tenebras silentij offundit, illiúsque seruandi tenacissima est. Quod obseruauit Beda ad ea Lucæ verba: *Maria autem conseruabat omnia verba hæc*, sic fatus: *Virginalis enim pudicitiæ iura custodiens, secreta Christi, quæ nouerat, nemini diuulgare volebat.* Nimirùm cœli secreta tectius Deipara celat *in densis tenebris castitatis*. Sicut libido rimosa est, & seruandi secreti impos.

§. CXXXVIII.

Nonnulli nobilitatis priuilegio impudentius se posse luxuriari præsumunt.

1. PAres morimur, licet non pares nascimus. Quod si ad primam originem reuocemus, Deo sumus, nobilissimo, inquam, patre adæquè progeniti: si ad primum hominem, à ligonibus, aratro, & colo sumus, ex splendidis deinde sordidisque alterna ferè serie profluximus. Nemo non mallet cum magno Mario nobilitatem peperisse quam acceptā corrupisse. Animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione supra fortunam licet assurgere. Nemo in gloriam nostram vixit, neque quod ante nos est, nostrum est. Et profectò ita se res habet. Maiorum gloria posteris quasi lumen est, neque bona eorum, neque malè in occulto patitur. Quin & sæpè generoso retrò nobilitas cum honorum & opum amplitudine manās quibusdam licentia est delinquendi, & luxuriādi priuilegium, idque putāt ritè facere, quod impunè

Ne sit Nobilitas, priuilegium ad lasciuiam.

nè fieri poteſt, indéque fit vt ſtrenua maiorum virtus, vitiis poſterorum peruerſè militet; atque de auorum fumoſis ſtatuis ad generis claritudinem erectis, vecors poſteritas notis turpitudinibus obſcurè infuſcetur. Ita planè eſt, delicati victûs lenocinio, opulentia vitiorum promptuario, ignauia felicitatis ſequela, impunitate impudentiæ conciliatrice, luxum procurantibus. Heu ſæpè quot nobilitatis titulos numerat, tot illecebras voluptatum exaggerat! Inde pudicitia in Nobilibus, de difficultate rarior, ita de nobilitate generoſior eſt.

2. Danielis 13. Erat in Babylone vir quidam princeps, *honorabilior omnium*, opulentia, & dignitate prælustris; nomine Ioachim; & accepit vxorem pari nobilitate inclytam, pulchritudine, & virtute conſpicuam, vocabulo Suſannam. Duo illi nequam ſenes, ſub doloſis reuerendæ canitiei cineribus, concupiſcentiæ ignem occultantes, inteſtino incendio exarſerant, caduca impudenter concupiſcentia. Nacti verò opportunitatem balnei, ſenilis libido iuueneſcens, expugnans ſanguinis, familiæ, ac dignitatis fidem, generis contumeliam è frondium inſidiis adoriuntur, procaci ore, & auſu petulante. Ecce oſtia pomarij aiunt, clauſa ſunt, & nemo nos videt, & nos in concupiſcentia tui ſumus: quamobrem aſſentire nobis, & commiſcere nobiſcum: quod ſi nolueris dicemus contra te teſtimonium, quòd fuerit tecum iuuenis, & ob hanc cauſam emiſeris puellas à te. Ingemuit Suſanna, & ait: Anguſtiæ ſunt mihi vndique: Si enim hoc egero, mors mihi eſt: Si autem non egero non effugiam manus veſtras. *Sed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini.* O maſculam in fœmina conſtantiam, quæ ſui corporis dedecore, honoris notaculum redimere recuſauit! S. Cyprianus Suſannæ, & Ioſephi pudicitiam valde admiratur, eamque quaſi quoddam virtutis prodigium eloquenter prædicat: ſed nouam gloriæ cauſam in pari vtriuſque caſtitate inuenit, ſic aiens ad præſentem theſim tempeſtiuus orator: *Non illos* (Ioſephum; & Suſannam, addere etiam, & Sarā licet) *emollire potuit auita generoſi ſanguinis memoria, quæ in quoſdam licentia laſciuiæ eſt miniſtra.* Scilicet tametſi auita generoſi ſanguinis memoria, obſcurandæ maiorum gloriæ antidotus fit, indeque turpitudinibus infamiā præcauere, & arcere ſollicita, ne generis claritudinem obſcœnitate conſtupret, culpet, iniuriet: at ſic non rarò nobilitas inſoleſcit, vt auitæ gloriæ nimis ſecura, nobilitatem putet licentiam luxuriæ, & nobile laſciuiendi priuilegium; & de generoſo maiorū ſplendore libidinis obſcuritatem, aut diſſimulare, aut clarare præſumat, quaſi nobilibus plura honeſtè liceant, quæ gregario vulgo niſi inhoneſtè nō liceant. Ignobile vulgus infamiam ex turpitudine fœnerat; at nobili proſapia inclytus auitæ gloriæ licentia, nobiliter etiam degenerat. Grande planè virtutis elogium de Suſanna, & Sara prædicatur, quòd *non illas emollire potuit auita generoſi ſanguinis memoria, quæ in quoſdam licentia laſciuiæ eſt miniſtra.* Et ſanè vt quibuſdam ipſa nobilitas, fides generis eſt, ſanguinis integritas, & pudicitiæ obſes; ita aliis haberi videtur, tanquam honorarium laſciuiendi priuilegium, quo quicquid lubet, liceat. Sic enim fidunt hæreditariæ maiorum gloriæ, vt nullis turpitudinibus ſe in contemptum venire præſumant. Carnis concupiſcentia his diſciplinis nobilitatem erudit. Sic de maiorum virtute, ad propudioſa vitæ ſæpe inſoleſcit! O! etſi non pares naſcimur, pares tamen morimur. Licet dum viuimus, impares dignitatibus, & opibus ſimus, impares poſt mortem præmiis, & pœnis erimus. Saltem admonitos vellem maiorum ſuorum honoribus inclytos, ne interim memoria excidat, magnum hoc nobilitatis priuilegium, vt in horrendo finalis iudicij Tribunali, apud ſeueriſſimum iudicem, & Virginis filium, ſub quo reges palpitabunt, turpitudinum ſuarum procacem inſolentiam nobilitatis titulo colorent. O! impares naſcimur, pares morimur. Suum eſt cuiuſque, quod tunc nobilem facit; aut ignobilem. Puto nobile ſcortum, ſcortationis contumeliam contra nobilitatem exaggerat.

Auita generis nobilitas, Suſannam nō emolliuit ad luxum.

Daniel 13. v. 23.

Cyprian. l. de Bono pudic. Hic v. 16. & 17.

Marci 6. Herodes purpuræ licentia, & libidinis arrogantia, Herodiadis venuſtate captus, cum ea palam ſcortabatur. Idcircò ipſe Herodes miſit, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem vxorem Philippi fratris ſui. Sed quā ob cauſam hæc leuicula, & impudens mulier, ſic impotenter in Ioannem irafcitur, vt eius atrociſſimam cædem moliretur? *Dicebat enim Ioannes Herodi*: (ait Euangeliſta) *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Vide hic acerrimi alioqui concionatoris temperātiam in verbis, & modeſtiam, qua Principum libidinem obiurgabat. Quid Herodias inſanit? quid Herodes contra Ioannem furit? Tacet Ioannes obſcœni vitij propudium, impudentiſſimæ ſcortationis infamiam ſilet; & tantùm ait, Principibus illicitum eſſe ſcortari. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Quid inde Herodias inſanis, muliercularum procaciſſima? Potuiſſet dicere, te non thalamo, ſed proſtibulo vti: te eſſe regiæ libidinis infamiſſimam victimam, & quæſtuoſas luxuriæ nundinas: cogitatam meretriculam, propudioſum ſcortum, & putidas laſciuiæ cloacas, ad duorum fratrum libidinis excrementa, te potuit nominare. Nil horum dixit, ſed vt banè admonuit, licitum non eſſe nobili fœminæ cum alieno viro palam ſcortari. At id tu exiſtimabas licitum? Crediderim, generoſæ nobilitatis priuilegio, id tibi licere cenſebas. An putas, quod pudicitia in principe fœmina inſoleſcit? Heu non tantū Hieroſolymis, ſed etiam Romæ, id propè perinaſum fuit! Audiendus eſt hac ſuper re Hieronymus qui de virgine Euſtochio ita ſcribit: *Quia Euſtochio fortius, quæ nobilitatis portas, & arrogantiam generis conſularis, virginali propoſito fregerit, & in Vrbe prima primum genus ſubiugauerit pudicitiæ?* quaſi ante Euſtochium virginem, Romanis matronis principe nobilitate conſpicuis, eſſe virgines propè non licuerit. Sic velut lata lege, cupiditatis permiſſæ, aut vetitæ eouſque conſuetudo inoleuit, vt prima omnium, arrogantiam generis Cōſularis virginali propoſito Euſtochium fregerit, & Romæ *primum genus ſubiugauerit pudicitiæ.* Hactenus honos corporis, fœminæ principi non licebat? generis integritas, generi Conſulari illicita, aut indecora cenſebatur? Arrogans? primæ nobilitatis faſtus, exlex putabatur generoſitatis priuilegio, quouſque Euſtochium nobilitatis arrogantiam fregit, & primum genus pudicitiæ ſubiugauit? Dilucidè quidem Hieronymus. Porrò Euſtochium *emollire non potuit auita generoſi ſanguinis memoria, quæ in quoſdam licentia laſciuiæ eſt miniſtra.* Adeò vt Herodias inſanierit in Ioannem, qui dixit, ſibi non *licere* cum duobus fratribus laſciuire. Delirat quorumdam potentium laſciua arrogantia, dum putat, quòd quicquid lubet

3.

Marc. 6. v. 18

Prima omnium Euſtochium Conſulare genus pudicitiæ ſubiugauit.

Hieron. de Euſtoch. virg.

lubet, licet. Imò cui omnia licent, pauca decent.

4. Gen 41.v.41. *Libidinis fuga regio stemmate insignitur.* Geneseos 41. Iosephus diu in carcere miser, in somnij interpretandi gymnasio inopinatam felicitatem didicit. Dixitque Pharao ad Ioseph: Ecce constitui te super vniuersam terram Ægypti; *Tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius: vestiuitque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit. Fecitque eum ascendere super currum suum*, &c. In hac nuperrima felicitate miram cum infelicitate pristina harmoniam subtiliter Rupertus meditatur, sic fatus: *Pro compedibus ergo in quibus humiliauerunt pedes eius, torquem auream suscepit; pro pallio quo in manu adultera relicto, nudus effugit, stola byssina; Deo iudice indutus est, pro seruili nomine, regium gestat annulum; & pro carceris humilitate, supra altum sedet imperij currum.* Pulchrè recens nunc Iosephi gloria, beatis olim calamitatibus respondet. Sed aduerte, quòd *pro pallio in manu adultera relicto, stola byssina, Deo iudice indutus est.* Libidinis fuga splendenti purpura, & regio stemmate insignitur; Scilicet excelsior principatus pudicitiæ præmium est. Heu hodie luxuriandi licentia habetur principali priuilegio! Ruperto accinit Gregorius, qui loquens de Iosepho pallium in salacis Dominæ manu relinquente, ita scribit: *Ioseph ad memoriam rideat, qui tentante se Domina studuit carnis continentiam etiam cum vitæ periculo custodire. Vnde factum est, vt quia membra sua benè nouerat regere, regendæ quoque omni Ægypto præesset.* Ecce sublimior præfectura fit præmium castitatis: & fastigium sublimitatis, quod improbis est luxuriandi licentia; probis est congrua pudicitiæ muneratio.

Rupert ibi.

Greg hom 5 in Ezech.

§. CXXXIX.

Pudor est generosæ rationalitatis vindex, qui mentis statum in fronte demonstrat.

1. COgnatus virtuti pudor est; & impudentia, malitiæ matrix, & vitiorum nundinæ. Bonum in adolescente, & fœmina signum est, cùm illi ex alto rubor suffunditur. Imò virilem, & senilem etiam ætatem verecundia adornat. *Duo sunt*, ait Plato, *quæ per omnem vitam ducere debent adolescẽtem, in rebus turpibus verecundia, in honestis studium.* Verecundia in turpibus, hominem per omnem vitam ducit, & rectà ad fastidium virtutis ducit, dum à vitiorum barathro amouet, quo impudentia quammaximis itineribus festinat, abiecto pudoris retinaculo. *Quid amabilibus* (inquit Sanct. Bernardus) *verecundo adolescente? quam pulchra, & quã splendida gemma est morum verecundia in vita, & vultu! quam vera, & minimè dubia bonæ spei nuncia!* Quid boni pudor non spondet; magister vitæ est, pietatis custos, morum pædagogus, virtutum arx, fuga vitiorum, probitatis index, & bonæ mentis facies aspectabilis. Verecundia in turpibus, indicium rationis publicat, & hominem à brutis discriminat, apud quæ nihil turpe, aut honestum est, sed duce appetitu, in obuia quæque palam feruntur, quibus quicquid libet, adæquè licet. Vide quàm hîc eluceat Saræ verecundia, pudicitiæ custos, probitatis nuncia, virtutum præsidium, & regnantis animitùs rationis index fronte conspicuus.

Politico-Christ. Li c. 5 *Verecundiæ multiplex elogium.*

Hic v.17.

2. Geneseos 3. Eua, antequam genitrix, filiorum peremptrix: aliqua diuinitatis ambitione, multa experiendæ nouitatis curiositate, voluptuosa gulæ cupidine, muliebriter allecta, præcepti diuini impatiens, malesuadæ serpentis suadelæ nimium adsensit. Vidit igitur mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo, qui comedit. Et confestim oculos, quos innocentia clauserat, malitia aperuit, obcæcata peccato ratione, non extincta, irrationabilis delicti præstigio turpissimo. Sed nota quid protinus viderint, quibus de pomi esu apertio oculorum promissa fuit! *Aperti sunt oculi amborum: cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Quid est, quòd post præuaricationem aperti sunt oculi amborum? an nuper in felici innocentiæ statu, oculos habebant clausos? (O quàm cæca foret innocentiæ felicitas!) Minimè quidem. Sed quo magis nuper oculati erant, eo perspicacius turpitudinem non videbant, ne brutos concupiscentiæ subsultus de carnis rebellione sentiebant. Itaque ante præuaricationem, *erat vterque nudus Adam scilicet, & vxor eius: & non erubescebant*: at post delictum adest alter alterutri inneste nuditate, & concupiscentiæ turpitudine verecundæ suffusi campestria, aut succinctoria è latis ficulneæ foliis plectere festinant, vt tectius pudori consulant. Qua super re, sic ad rem præsentem appositè Augustinus philosophatur: *Cumque cognouissent se esse nudos, &c. Etiam in ipsa pœna sua generositatis vindex anima rationalis, bestialem motum in membris suæ carnis erubuit, eique incussit pudorem.* Luculenter Pudor dicitur, animæ rationalis generosus vindex, & mentis assertio. Qui effronti impudentia cum corpore verecundiam prostituit, vnde generositatem rationalis animi vindicabit? Nempe, tametsi omne delictum irrationale est, quippe quod rationi aduersatur, (in quo stat ratio delicti) tamen qui pudenda delicta impudenter audet, & audacia innere, vndiam negligit, & quasi equus & mulus irreuerecundè lasciuit, & omnem pudorem libidine abiecit, dum *bestialem* in membris suæ carnis motum non erubescit, nec ratio incussit pudorem, metas pecudes, & bruta animalia operando æmulatur. At dum homo sibi pudorem incutit, & libidinis fœditatem erubescit; anima rationalis, quæ Dei afflatu constitit, & non limi, sed diuini spiraculi præclaros natales agnoscit, dum pudoris indicia adhuc in bestiali libidinis motu exhibet, suæ generositatis vindex est; & erubescẽs verecunda, generosæ rationalitatis cõspicua assertio quasi incussus à ratione pudor in turpibus, etsi cæcis litteris, generosam tamen rationalitatem legendam exhibeat. Vnde qui pudorem in turpibus impudenter abiecit, cùm similis factus sit bestiis, quas bestiali concupiscentia exprimit; vnde se non abiecisse cum pudore mentem, comprobabit? *Etiam in ipsa pœna sua generositatis vindex anima rationalis, bestialem motum in membris suæ carnis erubuit, eique incussio pudorem.* Quasi propè emortuas, aut semisonnes rationis litteras, pudor exuscitet; & in irrationali delicto, rationis indicia de pudoris bono resculpat; ne peccator mentem, quam peccando auersatur, præ inuerecundia dissimulet, impudente delinquendi audacia, & effrontæ inuerecũdiæ temeritate. Pulchrè Chrysologus: *Virtutes comitatur gloria, hæret vitiis cognata confusio.*

Gen. 3 v.7.

Gen. 2. v 25. *Pudor est generosæ rationalitatis vindex.*

August lib. 11 de Genesi ad litt.

Chysol ser. 39.

Frons

Isaiæ 3. v. 3. — Mentis statum in fronte consistit. — Tertull. apud Politico Christ. lib. 1. c. 5. — Aperta desperationis indicium est si verecundia non sequatur peccatum.

3. Frons ruboris, & timoris studium est, in quo affectus palam confligunt. Qui nec erubescere scit, nec metuere, ille primas vniuersæ tenet impudentiæ. Idcircò cum Hebræa gente impudenter peccatrice, Deus sic per Prophetam expostulat: *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Porrò insipienti nequitiæ potissimùm impudentia videtur esse comes, quæ ad omnem turpitudinem maxima dux est. Impudentia autem præcipuè apparet in fronte, quæ speculum mentis est; sicut etiam pudor, qui rubore faciem suffundit, & eiusmodi suffusione rationem quodammodo inuitiari, & conscientiam delinquendo abrodi generosè restatur. Ergò qui turpiter peccare non erubescit, sed effrontè meretricis impudentia cum vitiis palàm luxuriatur, non modò agrestem se, & barbarum, sed etiam propè irrationalem, & amentem ostendit: barbarum enim, & irrationale, omne peccatum impudenter factum est, anima enim rationalis dum pudore frontem suffundit, suæ generositatis est vindex. Sic effrons impudentia, bruta, & irrationalis est. Rem, opinor, profundo stylo Tertullianus compendiauit, hac breui sententia, moralitatum grauida, aiens, *Mentis statum in fronte consistere.* O quàm multa paucis magnus hic Doctor strinxit! Scilicet Mentis statum in fronte consistit; quia frons siue verecunda, siue inuerecunda, quis, qualisue sit status mentis insinuat, valdè probabili coniectura: in fronte enim velut in charta verecundiæ rubricato descripta, legitur, quantùm mentis, & rationis in homine animitùs lateat. Porrò verecundia, assertio rationis est, & rationalitatis vindex: quippe quæ *mentis statum fronte* demonstret. Quando autem per impudentiam (ô malum!) frons mulieris meretricis obducta homini est, quia erubescere nescit; inopiam rationis, & mentis paupertatem ostendit; dum bestiales delinquendo imitatus mores, nec pudenda erubescens, semiomnem, aut penè sopitam ostendat meliorem sui partem, rationem inquam; animalem verò, & brutam nimis expeditam, exsomnem, expromptam, & menti dominantem, quasi pars bestialis habenas teneat, non bona operum auriga, quæ mentem subiugat, & voluptatis calcari stimulatam, pro nutu ad voluptabilia inuerecundè ducit. Perquàmbellè ergò Tertullianus dixit, *Mentis statum in fronte consistere.* O quanti pudor hinc æstimandus est, quasi rationis sequester, mentis index, & generosæ rationalitatis assertor. O caue illud Magni Gregorij: *Illud verum est aperta desperationis iudicium, si verecundia non sequatur peccatum.*

Eccli. 24. v. 23. — Egregius verecundia flos fructus est omnium honestatum. — Naz. Orat. 30. quæ est, Ad Virg. exhort.

4. Ecclesiastici 24. Sapientia de se loquens, ita fatur: *Flores mei fructus honoris, & honestatis.* In flore pulchra spes fructuum est, non maturus iam fructus ad saporem eruditus, qui sunt isti Sapientiæ flores, qui fructus non tam spondent, quàm exhibent? S. Gregorius Nazianzenus forsan ad hæc verba alludens, dixit: *Egregius flos verecundia.* Porrò verecundia Sapientiæ egregius flos est, omnes rationalis naturæ pios fructus largè præbens, non tam florida spe, quàm maturo prematurè prouentu. Sic est rationalium fructuum fertilis *egregius verecundia flos! Flores mei*, inquit Sapientia, *fructus honoris, & honestatis.*

Luc. 15. v. 13.

5. Lucæ 15. Homo quidam habuit duos filios: & dixit adolescentior ex illis patri: *Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit.* Et diuisit illis substantiam. Et non post multos dies congregatis omnibus, adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam: *Et ibi dissipauit substantiam suam.* O frontem illâ viuente patre hæreditatem impudens iuuentus exigit; satiùs reputans, censum à se dissipari, quàm à bono patre seruari. Mox inuerecundè, & inurbanè insalutato patre, peregrè profectus est in regionem lóginquã. Quid enim longinquiùs est, quàm à se recedere, nec regionibus, sed moribus separari? Sed ibi excussa verecundia impudentiùs luxuriatur. Vndè Prodigo adolescenti tam profligata impudentia? Putauerim, quòd perditos mores induens, rationalitatem inuerecundius diffitetur. Theophylactus perquirens quid à patre postulauerit, aiens: *Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit;* respondet; *Hominis substantia, rationalitas est.* Sed mox legimus, quòd viuendo luxuriosè *dissipauit substantiam suam. Vnde* (ait Titus Bostrensis) *denominatus est Prodigus, dissipans substantiam suam, idest, intellectum.* Profectò cùm pudor sit generosæ rationalitatis vindex, qui mentis statum in fronte demonstrat; mirissimum foret, quòd in tam inuerecunda Prodigi adolescentis impudentia, nulla subesset rationalitatis iactura, eo sensu, quo Angelus de inuerecundè salacibus Saræ maritis dixit, quòd *libidini vacabant* (idest, vacare moliebantur) *Sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.* Porrò qui pudorem luxuriando abiecit, mentis seu rationis detrimento, inuerecundæ libidinis pœnas luit. Itaque cùm hominis substantia, rationalitas sit, impudenti libidine luxurians, dicitur *dissipasse substantiam suam, idest, intellectum.* Sic lasciuiæ tenebris lumen hominis intellectus obscuratur?

Inuerecunda libido substantiam, id est, intellectum dissipat. — Theophyl. ibi. — Titus Bostr. apud Cat. — Tobiæ 6. v. 17

§. CXL.

Pueritiæ mores nimis periculosos; Tobias, & Sara singulariter desuescunt.

Matth. 18. v. 3 — Basil. Seleu. Orat. 18. — Puerorum mores graphicè describuntur. — Pueri sunt velut numisma impressum. Ibem Basil. sup.

1. BAsilius Seleuciæ Antistes, qua solet ingenij lima, sic rudes pueritiæ mores eleganter expolit, exponens ea Christi Dei apud Matthæum verba: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, &c.* Vultis (inquit Basilius) esse pueri? puerorum mores imitamini, morum simplicitatem allubescite. Illis nulla de dignitate vox, illi primus non ambiunt, hac ægritudine non laborant, non norunt efflorescentem nobilitatem, non super diuitiis elatione vana gloriantur, non ob patriarum gloriarum multitudinem. Insuper consuescunt cum iis, qui vna secum sunt ætate: videbis dominum simul, & famulum in omnibus conuersantes; videbis pauperem puerum, & opulentum ignaros discriminis, quo distant inter se, sedis celsioris ignaros, ignaros diuersæ educationis: Verùm manent eorum ingenia ab affectibus pura, mens impermista malitiæ, voluntas à versutia libera, ratio à malitia aliena, animus ad malitiam inexercitus; nondum enim per ætatem ratio fastu intumuit, nondum pecuniarum sensum generauit, nondum nobilitatis flore delectari didicerunt, nondum aures auitis facinoribus perculsæ sunt, nondum dignitatis affectibus iniquinati, nódum creatis à rebus magnum quidquam esse rentur, nondum honoribus exultat natura, nondum mores bonorum cupiditate capiuntur: (Huc vsque Seleuciensis Basilius, & addit appositè ad rem) *sed ipsum natura numisma remanet adulte-*

ris notis imperculsum. Ita quidem, at quod ab obuio typo facilè imprimatur, & per teneræ ætatis

Idem Orat.8

pellaciam ad vitia, iis facillime excudatur. *Luctator adolescentulus Ioseph, ætas eiusmodi quæ temperantiam prodat, quæque voluptatis violentia facile capiatur.* Verùm quia minor ætas voluptatis violentia temperantiam prodit, cautius remotis periculis amouendæ sunt, vel leues delinquendi occasiunculæ; ne puer, qui est tanquam *numisma imperculsum*, adulterinis vitiorum notis quasi per ludum imprimatur. Hinc grande illud Tobiæ elogium: *Cumque esset iunior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile gessit in opere..... Hic solus fugiebat consortia omnium.* Et Sara: *Nunquam cum ludentibus miscui me,* &c.

Tobiæ 1.v 4
Hic v.17.

2. Geneseos 21. tandem Isaacus nascitur, & cum eo Abrahæ felicitas optatissima. *Creuit igitur puer,* (& cum eo cuncta quæ parentum sanciarent amorem,) *& ablactatus est: fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.* Quæ verba ita Glossa Græca exponit ad mores: De *Isaac*, inquit, *dictum est: Et ablactatus est, quod quia de Ismaele scriptum non est, ideò cùm adhuc viginti annorum esset, puer dici meruit.* Quantumuis senex, adhuc puer est, quisquis à mundialis voluptatis vbere ablactatus, & auulsus non est. Malè senex est, qui cum mundi deliciis adhuc sugit pueritiæ mores. Non multus annorum numerus, sed à voluptate diuortium, infantiã excludit, & viros, ac senes facit. (Hæc cursim notanda erant, redeo ad rem.) Itaque creuit puer Isaac, & ablactatus est.

Genes.21.v.8
Glossa Græca ibi.

Nō annorum numerus, sed à voluptate diuortium, excludit infantiam.

3. *Cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Eiice ancillam hanc, & filium eius,* &c. Pensiculatè admodum notat Origenes: *Quid læserat, quid nocuerat, si ludebat? Quasi non hoc in ætate illa etiam gratum esse debuerit quod luserit filius ancillæ cum filio liberæ? Tum deinde, & Apostolum miror, qui ludum hunc persecutionem pronunciauit.* Verùm doctè obseruant Hebrææ linguæ peritiores, quod Hebraïcũ verbum מצחק. *Mezack*, id est, *ludentem*, significat, *ridere, iocari.* Scilicet ægrè admodum tulit Sara, filium suum Isaacum à puero *ridentem*, & *iocantem*. Ecquid magni speres ex puero, aut iuuene *iocante*? Pueri immoderatus *risus, iocus,* & *ludus*, ridicularios prophetant mores. Hinc eximiè commendatur Tobias, quòd *cùm esset iunior omnibus, nihil tamen puerile gessit in opere.* Et Sara de se ait: *Nunquam cum ludentibus miscui me: neque cum his, qui in leuitate ambulabant, participem me præbui.* Nisi malis cum Iosepho ad præfatum Geneseos locum, *hunc lusum interpretari familiarem conuersationem* cum Ismaële. Nimirum familiaris pueri conuersatio cum alio non benè morato, *ludendi* vocabulo exprimitur, quod alij *iocum*, alij *irrisionem*, alij *lasciuiam*, *idololatriam* alij. Paulus *persecutionem* interpretatur. Cui grauissimo malo vix occurres sufficienti remedio, nisi eos quàm longissimè absentes, quod hîc Sara exposcit. Porrò tenera puerorum ætas altè hæc vitia arripit. O caue cum vtraque Sara, & Tobia hanc non bonæ familiaritatis pestem, vel filij exilio remediandam. Præstat alterutrum perdere, quàm vtrumque deprauare.

Genes.21.v 9
Origen apud Catenam.
Lip ad Galat. 4. v. 29.

Qui à pueritia iocatur, ridicularios prophetat mores.

Hic v 17.
Iosephus.

Puerilis familiaritas cum impio, grauium malorum matrix est.

Ad Gal 4. v. 29.

4. Necdum præfata Geneseos verba, ad rem præsentem plenè enedullata sunt. *Cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Eiice ancillam, & filium eius.* Quam sententiam sic expendit, & elucidat Lipomanus: *Tantùm de Ismaele relatum est, quod luserit, vel riserit: ideoque hereditate pulsus est.* O vide quantulam specie tenus noxam puerilem inquam, *lusum*, aut *risum*, quàm acerbè Ismaël luit: ipse enim prior *ludum* inauspicatò cœpit. *Cùm vidisset filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac* Ismaël domo truditur, paterno censu exhæredatur, & velut profugus quoquoversùs dimittitur; & quidem à patre optimo: quia *ludit*, quia *ridet*, quia *irridet*, quia *iocatur*. Et sanè delicti velut complicem in domo firmat, hæreditate auget, & familię principem constituit; puero Ismaële exhæredato, & in durum exilium pulso. *Tantùm de Ismaele relatum est, quod luserit, ideoque hereditate pulsus est.*

Genes 21 v 9
Lipomanus ibi.

Ismaël ob ludum puerilẽ exhæredatur.

5. Pergit sacer Historicus, & cap. 25. sic denarrat: Deprecatus est Isaac Dominum pro vxore sua, eò quòd esset sterilis, qui exaudiuit eam, & dedit cõceptum Rebeccæ. *Sed collidebantur in vtero eius paruuli; quæ ait: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Pro τὸ *collidebantur*, efferunt Origenes, & Ambrosius in Catena, *Exultabant*, alij *Ludebant*. Sic acerbè Rebecca angitur, quia filioli adhuc in vtero existentes *exultent*, & *ludant*; Et sanè qui ante natiuitatem *exultant*, & *ludunt*, vix nati opplorabunt tenellis lacrymulis, tot ærumnas, & mutuas inter se rixas, quibus dãnati nascuntur, præmaturè prophetantibus. Ad hæc, vt refert S. Hieronymus, pro τὸ *collidebantur*, aut *ludebant*, sic habet *Symmachus* ἐπίπλεον, *id est, in similitudinem nauis in superficie ferebantur.* Infantuli adhuc in matris vtero *ludentes*, & *exultantes*, velut nauis in vasto mari feruntur; Ab eiusmodi ludo est, quod alibi ex Ennodio retulimus, *Ætatis naufragium*: Nisi fortè Iacobus in ætate adhuc infantili virtutis triumphos feliciter auspicatur, ne tenera infantiæ ætas inidonea sanctitati videatur. S. Chrysologus exponens illud Matthæi 6. quo in solemni oratione docemur dicere: *Pater noster*, hæc scribit perpulchra verba acuminum grauida: *Pater noster. Quod nondum natus patrem vocat, nemo miretur, Deo nata sunt nascitura..... Hinc est quod in vtero suum Ioannes sentit auctorem: & extat nuncius matri, qui erat suæ nescius vitæ. Hinc est quod Iacob antè legitur bellare, quàm nasci, ante triumphare, quàm viuere. Hinc est quod sunt iam Deo, qui sibi adhuc non sunt.*

Gen.25.v.22

Rebecca angitur, quia filioli in vtero ludunt.

Origenes.
Ambros.

Pueritia lusibus indulgẽs naufragã in vasto mari fertur,

Hieron in qq. Hebr.
Ennod. lib 2. Epist 1.
Chrysol. ser. 70.

6. Exhodi 2 ferali Regis edicto, ex Hebræis recens natus confestim puniebatur, & generatum esse crimen erat, quodque matrice processerat, pœnam ferebat, & lex Ægyptiaca cum naturę lege pugnabat: intrò autem versabatur Moyses eorũ inter vlnas, à quibus erat iste terror, & legi de infanticidio vitam ostentat repugnantem, Pharaonisque tyrannidem calcans, ab iis qui calcabãtur, amabatur. Cùm verò creuisset Moyses, ad suos rediit, & regiæ dignitatis spes excutiẽs, Abrahami cognationem affectauit, impiisque diuitiis piam paupertatem duxit potiorem: *Quem illa* (filia Pharaonis inquam) *adoptauit in locum filij vocauitque nomen eius Moyses, dicens: Quando de aqua tuli eum. In diebus illis postquam creuerat Moyses, egressus est ad fratres suos.* Ad quæ verba ita scribit Seleuciensis Basilius: *Cùm verò succreuisset infans, ad suos transfugit..... Neque verò ex viuendi institutione animi vitium traxit vllum, aut per tempus mores alienos: sed amans erat diuini cultus,* &c. Res sanè in paucis mirissima, quòd infans Moyses in aula Regis educatus, & puer in

Exhod.2 v. 10 & 11.

Basil. Seleuc. Orat.9.

Moyses puer ætatis non traxit mores.

ado

adolefcentiam & iuuentutem fuccrefcens, ex viuendi inftitutione, in tenera ætate, animi vitium traxerit nullum, aut *per tempus mores alienos*, quafi *tempus*, feu ætas, vitia fua afficet, & mores fuos allinat, & puero fuccrefcente, fimul adolefcant, præfertim fi malè moratis conuictoribus affuefcat. Quod Moyfi in palatio Ægyptij regis enutrito; quod Tobiæ, cum contribulibus & Niniuæis idololatris conuerfanti; quod Saræ, in voluptuofæ Mediç vrbe degenti, per captiuitatem accidere neceffe erat. Grande quidem gratiæ miraculum, quòd ex his nemo *per tempus mores traxerit*, *à* virtute alienos, in tanta præfertim conuictorum corruptelâ. Vel tenera pueritia, quæ eft velut *impercuffum remifma*, adulterinas ætatis notas non admifit; & in *ætatis naufragio*, virtutis portum

Idem. Bafil. Orat. 14

tenuerunt. *Vide* (ait de Dauide Bafilius) *tota virtutum prata eius in anima confita, qui adolefcentior cùm adhuc effet, bona rerum copia auctus erat: imperfectus quidem per adolefcentiæ tempus, ad fummam tamen diuini cultus arcem euectus eft.* Quid Tobiæ noftro accommodatius?

7\. Genefeos 2. Adam recens formatus, & virtutum omnium floribus pulchrè vernans, in floride vernantē voluptatis paradisū transfertur *Tulit ergo* inquit, *Dominus Deus hominem, & pofuit eum in paradifo voluptatis, vt operaretur, & cuftodiret illum.* Ad quæ verba tacitè adludens Clemens Alexandrinus, ita fcribit: *Primus homo quando in paradifo erat, ludebat folutus, quoniam erat* Dei *puer. Quando autem fubiecit fe voluptati, vir effectus per inobedientiam, homo qui erat folutus per fimplicitatem, inuentus eft alligatus peccatis.* Nimirùm Adā in iuftitiæ originalis, & innocentæ gratiâ feliciter creatus, & virtutum feminarium & floriarium effectus, exultim ludebat in fanctitatem, & deliciarum pratis; erat enim tunc *Dei puer*, quo vno verbo femel expofuit Clemens vniuerfas gratias, quæ felicem innocentiæ ftatum adornabāt. Sicut confeftim addens, quod per originale peccatum Adamus in vna diecula defiuit effe puer, factus malititia vir; compendio etiam infinuauit ærumnas, miferias, & calamitates vniuerfas delicti originalis appendices. *Primus homo quando in paradifo erat, ludebat folutus; quoniam erat Dei puer.* Verùm tunc Adam pueri non diffitetur ingeniū, fed in gulæ a negotio, aut otio pueriliter ludit. Vel in fimplici innocentiæ ftatu, pueritia erat periculo confinis.

Genef. 2. v. 15

Clem. Alex. in Adh. ad Gent.

Dum Adam dicitur Dei puer, felix in fio innocentia ftatus denotatur.

8\. Regius Vates pfalm. 118. ita de fe pangit: *Præueni in maturitate, & clamaui.* Quæ verba ficinibi exfcribit, & exponit Ambrofius: *Preuem in maturitate ante horam. Præcurrit ætatis maturitatem quifquis in adolefcentia pofitus fenilem grauitatem induit, & iuueniles annos veterana continentia regit, feruoremque virentis corporis, in cana morum maturitate componit. In hora eft fenex, fi munia fobria maturitatis exerceat: ante horam præcurrens iuuenis, fi fenili pondere feruentes illecebras cupiditatis extinguat.*

Pfalm. 118. v. 147.

Ambrof. ibi.

§. CXLI.

Quifquis aliorum defectus procurat, vt fuos excufet, fuam malitiam, non tam tectiùs abfcondit, quàm explicatiùs prodit.

Mercede te vitia follicitant, at in virtutis curriculo gratis viuendum eft illi, qui immortalitatis candidatur eft. Libido voluptates fpondet, gula palati delicias, auaritia opes, defidia quietem, furor vindictæ folatium; ambitio potentiam, & quicquid potentia poteft. Detractio arcanè delectar, nefcio qua maliloquij libidine; inuidiæ militat, dum de maliloquio æmulus minoratur, quin & maledicētia excufandis delictis obfequium præftat, & alienis defectibus proprios extenuat, ac de aliena malitia propria ferè colorat, quafi ipfe faciat, fi non quod faciendum eft, faltem quod alij faciunt; & quod vniuerfarim fit, priuatè facit. Heu quàm fqualidè alienis fordibus propriæ fordes abftergūtur, & procurata aut publicatâ aliorum malitia propria abfconditur! O non bonum vitij auctoramentum! exile patrocinium eft, quod de aliorum improbitate quæritur. Bonam confcientiam qui perdit, alias exindè perdere feftinat; & velut de fpecula explorat quid mali in alienâ confcientiâ lateat, quid maleuolentia fufpicari præfumat, quid amicitia nofcere potuit, quid fufpicax hoftilitas rufpari valuit. Quin & aliquando ad fimile peccatum alios inftigat, callidæ excufationis arbitrio. Idealis Saræ virtus, has nequam excufationes procul amouet, ne diu inueterata malitia exinceps præfcribat, & de excufationis genio ad fe culpam efficaciùs reuerberet. 1

Excufandorum criminum ingenium.

Hic v. 17

Genefeos 3. callidus ferpēs fœminā imbecilliorem viri portionem, vaferrimè adoritur: blāditijs rationem, mendaciis timorem compefcit. Auget curam, dum excitat gulam. Acuit curiofitatem, dum ingerit cupiditatem, & mentem implet, dum ambitionem fuggerit. Offert prohibitum, & aufert conceffum: vnum porrigit pomum; & totum furripit paradifum. Vidit igitur mulier quòd bonum effet lignum ad vefcendum, & pulchrū oculis, afpectuque delectabile: *Et tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro fuo, qui comedit.* Non ergò fatis fuit mulieri, quòd comedit ipfa, fed infuper & viro fuo dedit. Quomodo autem dedit, nifi iam abufiuo imperio, vel importunitate muliebri? Sed quid eft quòd Eua prior diuinum præuaricata præceptum, etiam virum fuum traxit in errorem, & incentiuum eius extitit? An non in breui longaue illa mora, quæ intercepta eft, antequam Adamus illuc fuperueniret, & illū importuna fuadela ad efum prolectaret; aliquod amiffæ originalis gratiæ veftigium in fe experta eft? An non priùs vel leuiter erubuit fe effe nudam, & ante oculos fuperuenientis viri apparere inueftem, & pariter inueftem videre virum? An non faltem ambigebat de culpâ inobfequenter commiffa, & de mortalitatis pœnâ, culpæ fequelâ? quare ad periculum fimile charum maritum incitat? Appofitè admodum Bernardus rem præfentem ad thema præfens meditatur: *Et tulit*, inquit, *de fructu illius, & comedit: deditque viro fuo* 2

Genef. 3. v. 6.

Excufationis ambitio aliena probitati clanculum infidiatur.

Bernard in Serm paru. Serm. 17.

fuo

suo, qui comedit. Debuit quidem Eua peccatum suum deflere, nec addere peccatum peccato. Sed in hoc se putauit habere consolationem, si virum faceret peccati sui participem. Maluit Eua charissimum virum suum, & cum eo totam sui profligare posteritatem quam non habere culpæ consortem, vt alieno delicto aut extenuet, aut excuset propriũ. Propriæ excusationis ambitio, alienę probitati clanculum insidiatur ad ruinam, vt aliorum infamiâ suam rectiùs dissimulet. Quid tam Euæ charum, quàm Adamus, cuius nuper portio erat, & nunc chara coniux est, & membrum de membro, & duo in carne vna? Imò nil aliud mundiale supetebat, ad quod fœmineum amorem deriuare possit. Quid dein tam parentibus amabile, quàm chara soboles, viscerum pignora, & aliqua cordis portio? Ast sic à mundi primordiis æstimatur solatium, quod peccator peccantium consortio capit ad proprij reatûs excusationẽ, vt malit Eua dilectum maritum perdere, & cum eo totã sobolem profligare, & originali fœdare delicto, quàm se hoc priuare excusationis solatio. *Debuit quidem Eua peccatum suum deflere, nec addere peccatum peccato. Sed in hoc se putauit habere consolationem, si virum faceret peccati sui participem.* O stultitiam insipienter malitiosam! Nouo peccato antiquum extenuare præsumit; Malitiæ incremento malitiam minorare intẽtat; ad malitiam addit, vt malitiam excuset? Nec tantùm eiusmodi suadela, qua maritum ad præuaricationem traxit, propriam incrementauit malitiam; sed cùm per Adami delictum felix status innocentiæ funditus euersus sit; tota posterorum ruina, in Euam, non vt in ruinæ autricem, sed vt in ruinæ suasione impulsricem, iure deriuatur, ipsique & Adami, & totius posteritatis reatus iure adscribitur, insigni malitiæ augmento: & vnde putauit delictum excusasse, incrementauit egregiè.

3 Genesis 4. probrosè iniuriari se putat Caïnus, quòd Deo honoratum fuit Abeli votum, dum eius victima reprobatur: atque in eius animum altè descendit pietatis offensâ. Nil nisi truculentum in mente voluit. Salutaria Dei monita iratus negligit, & impius auersatur. Incautum fratrem de repentè in campo inuadit: & qui prior partionis ostium aperuit ad vitam, prior mortis ianuam aperuit. Impij sceleris confestim adest Deus seuerus vindex, & innocentiæ assertor. *Et ait Dominus ad Cain: Vbi est Abel frater tuus? Qui respondit: Nescio: Num custos fratris mei sum ego?* &c. O egregiam Caïni excusationem, qua dum parricidij suspicionem à se amouere præsumit, ad se cumulatiùs regerit. Audiendus est Ambrosius, qui hac super re ita subtiliter æquè ac eloquẽter philosophatur, ad rem præsẽtem tempestiuus interpres: Recusat Caïn (ait Ambrosius) fraternæ munus custodiæ, quasi exors naturæ. Declinat iudicem quasi liber arbitrij. Quid miraris si pietatem non agnouit, qui non agnouit Auctorem? Congruè igitur respondit Dominus tã impudenter neganti, dicens: Vox sanguinis fratris tui ad me clamat. hoc est: Cur nescis vbi est frater tuus? *Soli eratis cum duobus parentibus, inter paucos frater latere non debuit. An quia parentes tui accusatores esse non possunt? Nolo enim vt ea necessitudo quæ est auctor salutis, fiat auctor periculi. In te solo leges suas natura amiserit. Ideò ergò putas crimen latere, quia parentes accusare non debent? Sed eo maior est condemnatio tua. Nam si chara necessitudinis nomina accusare non debent, multo magis non debem occidere. Soli eratis. Quis eum potuit alter occidere? Si accusas parentes, parricidam probas. Potuit fratrem occidere, qui non parcit parentibus. Potuit parricida esse, qui de parricidis se ortum probare desiderat.* Multa hìc Ambrosij eloquio & ingenio digna perlucent. Sed ad rem expendendum est, quam impiè & friuolè se Caïnus negatione excuset. Nam cũ parricidium à se patratum pertinaciter negat, illud in parentes necessariò reiicit; quod neque verum nec verosimile est. Imò de excusatione, qua suum flagitium tacitè in parentes regerit, quò illud à se auertat, indicium aduersus se magis verosimile adstruit. Nam qui parricidij parentes accusat, parricidam se manifestè probat. Videnam? *Quia potuit fratrem occidere, qui non parcit parentibus. Potuit parricida esse, qui de parricidis se ortum probare desiderat.* Ergò culpam, quam, vt se exoneret, excusatione, parentes onerat, manifestius, à se patratam comprobat, & sua excusatione seueriùs accusatur. Ecce quam non erubescat Caïn parricidium tacitè in parentes suos deriuare, quò se rectiùs excuset: & quàm in se reuerberet, quod in alios reiicit. Scilicet Caïn matrizat, Euam matrem æmulatus, quæ in excusationis solatium, habere maritum suæ culpæ consortem solerter procurat, quò fit, vt Adæ præuaricatio eius suadelæ probrosiùs adscribitur.

Impios Cain propria excusatione parricidium publicat.

Genes. 4. v. 9

Ambr. lib. 2. de Cain &c. c. 9.

Auctor salutis non fit auctor periculi.

Tobiæ 2. vir æquè pius in Deum, ac benignus in homines, solemne festum solemni etiam conuiuio celebrat, accersitis ad epulas contribulibus, qui auitam non abiurarunt religionem. Sed audiens quod in platea insepultum iaceret cadauer, intrepidus subuolat, & succollans defunctum corpus, domi piè sepulturæ mandat. *Arguebant autem eum omnes proximi eius, dicentes: Iam huius rei causa interfici iussus es, & vix effugisti mortis imperium, & iterùm sepelis mortuos?* Nemo mirabitur, quòd nemo eorum, quorum potissima laus est, non deseruisse religionem veri Dei, non se exhibuerit Tobiæ socium in periculoso sepeliendorum cadauerum officio, quisque enim ferale barbari Regis edictum pauidè metuebat. Notatione autem dignissimum est, quòd piè audacem, & strenuè magnanimam Tobiæ benignitatem arguerent; ipsi potiùs arguendi inertiæ, timiditatis, & ingratiæ. Putauerim, quòd hi zelotypi admonitores negotiabantur verbis ad ingerendum timorem compositis, Tobiæ incusso metu suã segniter timiditatem colorare; & de alieno timore, propriæ pusillanimitatis defensionem extruere. Appositè ait Hebræus Philo: *Reuera omnis luxuriosus, aut iniustus, aut timidus, cum videt aliquem tetricum, aut laborem fugere, aut victum à lucri cupiditate, aut captum voluptatis amatorio, lætatur & gaudet; in honorem suum reputans: & efferens se apud vulgum iuueniliter ac gestiens, incipit philosophari de suis vitiis tanquam necessariis ac vtilibus: dicens quod alioquin ille vel ille vir laudatus nõ sustinuisset his implicari.* Nimirùm homo segniter bonus, aut negotiosę malus, cùm debuisset peccatum suum deflere, & emendatione corrigere, atque sua vitia radicitùs extirpare; ex aliorum vitiis *consolationem habet*; eaque instanter procurat, *lætatur & gaudet, id honorem suum reputans*; mauultque sua sic defendere vitia, quàm excutere. O propudiosè infamem *honorem*, quem ex alieni vitij dedecore ambitiosus procuras! O mentem! O frontem! desinet esse vitium, quia

4

Tobiæ 2. v. 8

Homo scelerosus aliena scelera honorem suum reputas excusationis arbitrio.

Philo in lib. Quod Deus sit immutab.

iteratur

iteratur in facto, ex ampliata flagitiorum infamia, honorem captas? aliena malitia desuescet tuâ, & tu bonus eris, quia alius malus est? *honorem* tuum reputas, quod probrum cōtumeliosè exaggerat. Ergò quisquis aliorum defectus procurat, vt suos excuset, suam malitiam non tam tectiùs abscondit, quàm explicatiùs prodit; nec sua vitia defendit, sed prostituit sub impudenti alienæ malitiæ patrocinio, seu potiùs lenocinio.

5. Lucæ 18 v. 11 Chrysost. ib. *Exultat homo, criminis inuento collega.* Lucæ 18. Pharisæi orationem his verbis Euāgelista proponit: *Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum: raptores, iniusti, adulteri: velut etiam hic publicanus.* Ad quæ verba ita scribit Chrysostomus: *Qui aliis conuitiatur, multa mala facit. Primò audientem reddit peiorem; quia si sit peccator, fit lætior, criminis inuento collega.* Sic peccator exultat, ad sui excusationem criminis inuento collega.

---

§. CXLII.

Absconditæ pectoris ornamenta, in exteriori vultu artifex Modestia, & verecundia describit.

1. Tertul. de velan. virg. c. 17. QVò quorundam è Christianismo immodestia acriùs vapulet, magisque erubescat, è profanâ Gētium schola Tertullianus Modestiam erudit. *Iudicabunt,* inquit, *vos Arabicæ fœminæ Ethnicæ, quæ non caput, sed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo liberato, contentæ sint dimidiam frui lucem, quàm totam faciem prostituere.* Quasi pulchra mulieris facies, quæ tota videnda offertur, obuiæ oculorum libidini *prostituatur. Et Ethnicæ quidem disciplina meracior, & (vt ita dixerim) barbarior Modestia.* In vultu & cultu *barbara* Modestia, sincerior modestia est: nā vrbana & cultior, quippe quæ specie ciuilitatis ornatior ac politior est, non parùm sæpè à modestia in immodestiam degenerat, vrbanitatis lenocinio. Et sanè *Modestia* si barbara sit, rectè dicitur *Meracior*, idest, purior, constantior, sincerior, metaphora sumitur à vino, cùm merum est, id est, purum. Si verò *Modestia* barbara nō sit, sed culta & vrbana, *meracior* adhuc est; sed in contrario sēsu. *Meracior* inquā, id est, minus sobria, habensque plusculum meri & lasciuiæ: nam intemperantia est, vrbanitatis & ciuilitatis prætextu lasciuis vestibus, & oris compti blanditiis *faciem prostituere.* Sic liceat in Tertulliani verbis ad mores ludere.

Modestia barbarior, meracior, seu mæratior laudatur.

Hic vers. 17. Et quidē in hoc loco Saræ Modestia *barbarior*, & *meracior*, id est, sincerior traditur, (vel vt alij volunt, *mœratior*, id est, *muracior*, metaphorâ à muris ad mores traducta multo cum lepore) Modestia enim est occultatum virtutū facies. Porro in exteriori modestiâ interior animi virtus velut scripta, spectatorum oculis legenda obiicitur: cor enim

3. translucet in facie; & vultus lingua animi est.

Prouerb. 11. v. 4. Prouerbiorum 21. inter plures sententias, quas Salomon densè spissat, & sparsim iactat, hæc tēpestiue auditur: *Finis Modestiæ, timor Domini diuitiæ & gloria, & vita.* Valdè sudant interpretes vt hæc verba exponāt, & mirè diffident in explicando quid Modestiæ nomine designetur. In hoc tamen omnes conueniunt, vt grāde aliquod Modestiæ elogium hîc descriptum agnoscant. Anselmus putat *Constantiam bonorum operum*, Modestiæ vocabulo designari; cuius finis est timor Dei

Anselm. Laudun. Lyranus Strabus ibi.

P. Didac. de Celada in Tobiam

filialis, & beatæ gloriæ viuax opulentia. Lyranus censet per Modestiam intelligi *quamlibet virtutem moralem*, quasi Modestia, vna plures virtutes sit. Imò *perfectio virtutum* exponitur à Strabo Fuldensi: ne vlla sit *virtutum perfectio*, quæ non sit Modestiæ impressa. Quod eloquenter tradit Eusebius agens de S. Maximo Episcopo & Abbate: *O virum,* inquit, *per omnia Deo dignum! Eminebat (vt sic dixerim) in ipso hab tu animi fortitudo, in specie exterioris ipsam putares expressam imaginem sanctitatis: terribilis incessu, reuerendus aspectu. Crederes quod semper inuisibilem illum hostem ipsa vultus sui virtute terreret. Metuendus seueritate, benignitate venerandus, authoritatis censuram, humilitatis mansuetudine temperabat. Minabatur quidem frontis asperitas, sed cordis serenitas blandiebatur. At sic conueniente in vno diuersitate gratiarum, Paulus apparebat in vultu, Petrus in spiritu. Illius districtionis, huius erat pietatis æmulatur, ita vt cùm præsentiam eius vix sustineres, absentiam ferre non posses.* Plusculum præter morem rescripsimus, sed quid omitterem. Longum non est, cui nihil est quod demere possis. Rectè ergo Modestia exterioris vultus diciter interiorum etiam *virtutum perfectio*: siquidem in ipso huius magni Viri habitu, animi virtus eminebat, & *in specie exterioris ipsam putares expressam imaginem sanctitatis.* Quodlibet egregium Sanctorum facinus, peculiarem virtutem refert, quam velùt parentem agnoscit, at Modestia exterior ipsam sanctitatis imaginem expressam refert; sic conueniente in vno diuersitate gratiarum, vt virtutes reapsa diuersissimas vna Modestia oculis repræsentet, adeò vt Pauli austeram districtionem, & blandam Petri pietatem, artificio Modestiæ vultus semel delcribat. De occursu suo vitia suffundat peccatores, territans æternitatis minis, simulque bonos ad pietatem alliciat bene dulci virtutum blandimento, *ita vt cum præsentiam eius vix sustineres, absentiam ferre non posses.* O! tot tamque diuersas virtutes vna in se ipsa Modestia colorat, exprimit, spirat, *Finis Modestiæ timor* (filialis, id est, amor) *diuitia, gloria & vita.* Virtutum enim perfectio Modestiæ imprimitur, & virtutum perfectionem Modestia exprimit.

Modestia est imago expressa sanctitatis.

Eusebius hom. de Maxim.

Cuius præsentiam ferrè non sustines, eius absentiam ferre non potes.

3. Actorum 6. magnus gratiæ minister, & Euangelij Doctor Stephanus, strenuè disputat cum peritioribus synagogæ, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum, qui erant à Cilicia & Asia; quos omnipotenti Scripturarum authoritate, & validis rationum momentis feliciter detriumphauit. Furit Rabbinorum cōfusa eruditio: & falsos testes subornat, qui coram Senatorum consilio illum de blasphemiæ reatu impudenter arguant. Verùm modestissimus Leuita nec disputationis feruore, nec falsatæ ac sacrilegæ contumeliæ pudore, nec atrociter temerario ad concilium raptatu, vel tātisper commotus est; sed placido animo, ac sereno vultu stat inconcussè pro veritate flecti-nescius. *Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* Beatus qui in ipsâ colluctatione pugnantis, iam profert speciem resurgentis Splendore Angeli Deus sanctificatam eius circumfundit aspectum, qui angelificatam conscientiam deferebat. Qua super re sic ad rem præsentem Philosophatur Emissenus: *Viderunt,* inquit, *faciem eius tanquam faciem Angeli. Abundantia cordis transit in decus corporis: in exterioris glo-*

In Stephano abundantia cordis transit in decus corporis.

Actor 6. v. 15.

Emiss. hom. de S. Steph.

via candor interioris exundat: & abscondita pectoris ornamenta, speculum frontis irradiant: habens intra se Spiritum sanctum, os præ se gestat angelicum. Nimirum tali eum vultu internus habitator induerat, qualem regni in templo templi indicat pulchritudo. Nempe angelizatæ mentis candor transflucet in facie, cordisque ornamenta transeunt in decus corporis, & qui Angeli puritatem in anima æmulatur, prælustria Angeli insignia in frontis speculo gestat impressa; quique Spiritum sanctum in interiori pectore inquilinũ habet, in specie exteriori ipsam habere putares expressam imaginem sanctitatis. *Viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* Internus animi nitor exteriorem micanter circumfundit aspectum, & de cordis abundantia vultus exuberat. Nec tam apparet: Stephanus aliter ipse, quàm aliter ipse: nunquam enim magis ipse est, quàm cùm Angelicum decus, quod latet in pectore, transflucet in vultu. *Viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.*

Iobi 31. tres illi amici velut hostili impetu patientiam illius acerbè arietare persistunt, dũ Philosophiæ argutiis illum egregiè peccatorẽ ostendere præsumunt, quandoquidem duris plagis afflictatur. Ipse autem sic validè suam vindicauit innocentiam, vt illis silentium in hoc cap. imposuerit. Inter aliqua autem quæ pro se dixit Iobus, quo suam adstrueret innocentiam aduersus pertinaces calumniatores, in vers. 33. sub dura imprecatione, si aliter hactenùs à se factum sit, ita loquitur: *Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam*, &c. Quasi dicat: eius rei (ait Olympiodorus) *quæ non esset ad rectæ rationis legem expressa, confessionem non reformidabat.* Quo igitur pacto S. Iob se probat iustũ, quia non abscondit quasi homo peccatum suum, & *confessionem non reformidauit*? Porrò peccatorum confessio nõ probat hominem fuisse iustum, sed facit. Verùm S. Gregorius Nyssenus reliqua sacramentariæ confessionis elogia intermittens, eximius verecundiæ encomiastes, sic fatur: *Proprium est Ecclesiæ documentum se per peccatorum confessionem rectè gerere; per hoc enim licet suam animam armare armis pudoris..... Qui per occultorum enunciationem seipsum veluti proscripserit, memoriam pudoris habet pro pædagogo ad vitam deinceps agendam.* Scilicet parùm foret peccatorum confessioni, si præterita duntaxat aboleret peccata; (quod occulta etiam animi contritio citra confessionem præstare eualet) futura etiam solertiùs præcauet, dum præterita verecundè *proscribit*. Vis nosse quo antidoto futura peccata præcaueat? *Pudoris* pharmaco inquam; nam pudor de *proscripta* conscientia, hominis imbecillitatem obarmat armis verecundiæ: & robor in facie suffusus de scelerum confessione optimus *pædagogus est ad vitam deinceps agendam*. Itaque sacramẽtalis confessio, & retroacta abolet delicta, & de modesti pudoris officiositate, opportunus exinceps pædagogus suggeritur, qui quam recuperauit gratiam, amittere non sinat, pulchra verecundiæ pædagogia. Inde S. Iob quo se probet perseueranter diu iustum, pudoris pędagogiam in confessione prædicat: dum non *abscondens quasi homo peccatum suum, memoriam pudoris habet pro pædagogo ad vitam deinceps agendam*. Ergo describatur in vultu modestia, tanquam obses latentis in pectore gratiæ: rubeat in facie verecundia, quæ futura delicta præcauens, gratiæ perseuerantiam faustè ominetur. Modestia & verecundia, geminata Gratiæ sodalitas, altera quæ probitatem vultu præfert, altera quæ vultu prauitatem aufert.

Iob 31. v. 33.

Olymp. in Catena ibi.

Pudor confessionis, est optimus ad reliquam vitã pædagogus.

Nyssen homil. 3 in Eccle.

---

§. CXLIII.

Malignus comes malitiam conuictoribus inhalat de non boni exempli contagio.

1. Seneca in Præfat. lib 4. Natur quæst.

TVrbam rerum hominumque desiderent, qui se pati nesciunt. Tibi tecum optimè conuenit, ex quo à te in te ipsum quantùm potes, recessisti? Non est mirum paucis istud contingere: imperiosi nobis ipsi molestique sumus: modo amore nostri, modo tædio laboramus; infelicem animum nunc superbia inflamus, nunc cupiditate distendimus, alias voluptate laxamus, alias sollicitudine exurimus. *Quod est miserrimum, nunquam sumus singuli.* Nam vnius malum exemplum, multiplex aliorum vitium est. Sic malitia serpit; & delicta videndo propagat! Vnum exemplum luxuriæ, ambitionis, iracundiæ, elationis, auaritiæ, multum mali facit, illud solerter deuita, ne similis malis sensim efficiaris. Visa in aliis malitia, malitiam exhalat, & malos imprimit mores; dum spectator innoxius, fieri posse putat, quod ab alio fieri videt, & ad quod hominis genius impotenter instigat. Ne concupiscamus efficiet, qui ne spectauerimus effecerit. Fuge omnes, fuge paucos, fuge vnum, ne te suis moribus imprimat. *Solitudinem quærit, qui vult cum innocentibus viuere.* Vel vnus malè moratus, vnus plures protinus est, serpentis malitiæ contagio.

Mali, nunquam erunt singuli. Sic exemplo propagatur malitia.

Publ. Mim.

2. Ioannis 12. lautum in terris apparatur Christo conuiuium, cùm iam iã è cœlis Passionis calix illi largiùs propinatur. Martha ministrabat, Lazarus verò vnus erat ex discumbentibus. Maria ergò accepit libram vnguẽti nardi pistici, & vnxit pedes IESVS, & extersit pedes eius capilis suis: & domus impleta est ex odore vnguenti. *Dixit ergò vnus ex discipulis eius, Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denariis, & datum est egenis.* Dixit ergò IESVS: *Sinite illam vt in diem sepulturæ meæ seruet illud. Pauperes enim semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Non ait Iuda, propter furta tua hoc dicis. Furem nouerat, nec prodebat, sed potiùs tolerabat, & ad perferendos malos in Ecclesia exemplum patientiæ demonstrabat. Sed quid est, quòd cùm Christus cum solo obmurmurante Iuda loquatur, pluratiuo vtitur verbo: *Sinite illam..... Pauperes habebitis... Me non semper habebitis?* Quod peracute his verbis edisserit Augustinus: *Me autem non semper habebitis, quid sibi vult? Quo modo intelligendum est, me autem non semper habebitis? Nolite expauescere, Iudæ dictum est. Quare ergo nõ dixit. Habebis, sed habebitis? Quia non vnus est Iudas.* Pulchre quidem Augustinus. Scilicet videt Christus Discipulum furto infamem, boni operis malè vituperonem, & licet Iudas solus fur esset, & boni operis detractor; & reliqui Discipuli, Christique sectatores, ab hoc Iudæ scelere prorsùs alieni, tamen sic vnius scelerati vitio, plures inuitiari præsagit, vt cum illo singulatim loquens, cum multis iam pluratiuè loquatur. Sic vnius

Ioann 12. v. 8

S. August. Tract. 50. in Ioann.

Vnus Iudas, malo exemplo, confestim vnus plures est.

vnius malitia, exempli fascino latè serpit? Sic pestilentiarium vnius delicti scelus, plures videndo scelerat; Sic spectata vnius malitia, malitiæ fœcunda est, per oculorum, & aurium traduces vitiosius seminata; Vnus Iudas auare detractor, vnus plures est, serpente malitiæ propagine; Ideo ergo *Iudæ dictum est. Non habebu, sed habeb tu: quia non vnus est Iudas.* Quid ad hanc rem illustrius? *Si ay vn Iudas en la mas sancta communidad, no sera el solo.* Sic malitia, malitiæ fœcunda est! Moralissimè ergo Christus Deus, interprete Augustino, sciens Iudæ furacitatem, & eiusdem audiens detractionem, ad illum non in singulari verba facit; sed quo denotet vnius malitiam, mali exemplis præstigiis, protinus in multos vberrimè propagandam, plurariuo verbo ter ad illum loquitur: *Sinite illum: Pauperes habebitis: Me non semper habebitis*: quia ex quo tempore publicitus Iudas deliquit, iam *non vnus est Iudas.* Sic malitiosus conuictor reliquis malitiam affricat, & consuetudinis affrictu contubernales pestilenter venenat; O exgrex protinus fiat, qui sic gregales protinus culpari videt! dum Christus vni duntaxat Iudæ abest, *Me autem non semper habebitis*, disertè pronunciat: nam vbi vnus Iudas est, mox *non vnus est Iudas.* O caue tibi, caue reliquis, à pestilentiario improborum conuictu! vnius pecudis scabie, totus inficitur grex, si tantisper dimortium Pastor negligat.

3\. Lucæ 22. Christus Deus Passioni proximus, & mortis suæ peracerbo cruciatu, & Discipulorum infidelitatis reatu, præpopere angitur, sicque Petrum alloquitur: Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum: *Ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Non autem dixit: Ego permisi, sed, Oraui: *humiliter enim loquitur tendens ad Passionem*, vt humanitatem demonstret. Nam qui non deprecatione, sed imperio dixerat: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &, Tibi dabo claues regni cœlorum, quomodo opus habet oratione, vt concitatam vnius animam coërceret? Hactenus Chrysostomus. Addit Cyrillus: Admirare igitur exuberantiam diuinæ patientiæ, ne diffidere Discipulum faceret, *nondum patrato crimine largitus est veniam, ac iterum ipsum in Apostolico gradu restituit, dicens: Confirma fratres tuos.* Luculenter sanè ad litteram, & ad mores, præfata Lucæ verba Chrysostomus, & Cyrillus, exposuerunt. Sed ad præsens thema peruestigare oportet, eccur Christus casuro Petro, casum non disertè denunciauit, sed conuersionem prædixit, aiens: *Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*? Conuersionem prædicit, nec prolapsionem denunciat; An timet, ne vnius vel ore tenus denũciatum delictum, cognata malitiæ contagione, Discipulorum collegium deprauet, non boni exempli pestilitate? Sed adhuc curiosius enucleare iuuat, quare cùm Petro Christus conuersionem prædicit, tacens eius delictum, confestim ab eo petit, vt fratres suos confirmet in fide, in qua illis fore periclitandum, hactenus minimè denunciarat? Christus pro Petro rogat, non vt non cadat, sed vt post casum statim resurgat: & lapsu Discipulorum nusquam hactenus enunciato, Petrum hortatur, vt prolapsos pariter fratres, in fide confirmet; Subtiliter Chrysostomus: *Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Quare igitur ita dixit? Propter infirmitatem Discipulorum.* Vnde vni negaturo dicit, quod aliquando conuersus, reliquos in fide confirmet, quasi vnius lapsu, reliquos ob *infirmitatem* lapsuros insinuet. Pro omnibus Christus petit, sed Petri duntaxat lapsum edicit: exinde ac si iam denunciasset fore vt reliqui in fide laberentur, Petro iam conuerso suadet, vt cæteros confirmet in fide, quos suo lapsu velut impulit ad ruinam. Vel Discipuli vnius lapsu cadunt? Vno turpiter labente, superuacaneum videtur, si diceret, fore vt reliqui laberentur. Itaque quasi id iam denunciasset, mandat Petro, vt ipse iam conuersus, & reliquos erigat, & in fide confirmet. Sic vnius lapsus, casum reliquorum velut prophetat? Vnde Sata hîc vers. 17. vt se immunem à malitia prædicet, se procul à malorum contubernio dicit: aiens: *Nunquam cum ludentibus misc me: neque cum his, qui in leuitate ambulabant, participem me prabui.* Sic non bonus comes malitiam allinit!

4\. Regius Vates Psalmorum auspicium ab his verbis facit: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Abiit, abiit à se, à Deo impius cùm recessit: nec stat in consilio, qui stultis iniquè cogitationibus inconsultè vagatur: Et quæ est hæc cathedra pestilentiæ, in qua impietatis incola, & beatitudinis exul, sedere dicitur? Eloquenter Chrysologus sic fatur exponens præfata verba: *Et in cathedra pestilentia non sedit. Impietatem probat, qui facit amat, non potest non docere: hinc est, quod docens impietatem, pestilentia residet in cathedra: & sermone mellito virus doctrina lethalis audientibus sic infundit.* Ille, ille inquam impietatem probat, qui eam amat, & facit: qui autem iniquitatem amat, & eam faciendo probat, *pestilentia residet in cathedra*, & mellea operis lingua, illam spectatoribus afflat, & altè mentibus infundit. O quot iniquitatis collegas erudit iniqui operis gymnasium! Iniquitas in aliis frequens spectata, primùm quasi de præscriptionis priuilegio *probatur*; mox de voluptatis illecebris *amatur*; dein crebro opere impunè frequentatur: exinde magisterium mutuat erudito malitiæ fœnore, serpente iniquitatis eruditione, quæ *pestilentiæ cathedra* nominatur. Nam *impietatem probat, qui facit amat, non potest non docere: hinc est, quod docens impietatem, pestilentia residet in cathedra.* Sic malignus comes malitiam conuictoribus inhalat, non boni exempli malè erudito contagio; O quàm facilè spectatæ malitiæ pestilentem doctrinam oculi hauriunt; & vnus iniquus, vnus plures inuenitur de exprompta malitiæ propagatione! Porrò iniquitatem probat qui amat; & qui facit, non potest non docere.

5\. Lucæ 5. ascendens Christus in vnam nauim, quæ erat Petri, sedens indè docebat turbas in littore stantes; & existens in mari piscatur in terra existentes. Postmodum in altum ducunt, & Christi iussu retia ad capturam laxant. Et cum hoc fecissent concluserunt multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt sociis qui erant in alia naui, vt adiuuaret eos. *Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt pene mergerentur.* O naufragam felicitatem! Vnde turbantur naues? an à felicitate inopinatæ vberum capturæ, & toto pondere incumbente? Ambrosius aliter ad rem philosophatur, sic præfata

Marginalia: Lucæ 22. v. 32. — Chrysostom. hom 83. in Matth. — *Petrus lapsus reliquorum casum, de non bono exemplo prophetat.* — Cyrillus in Catena. — *Nondum patrato crimine, Christus largitur veniam.* — Chrys. hom. 83. in Matt. — Hic v. 17. — Psalm 1. v. 1 — *Qui malitiam amat, facit, & faciendo docet.* — Chrysol ser. 44. — *Iuda periculo reliqui propè periclitantur.* — Lucæ 5. v. 7 — Ambros ibi.

fata verba exponens: *Non turbatur illa nauis, quæ Petrum habet, turbatur illa, quæ Iudam habet: in vtraque Petrus: sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis.* Quasi non satis Iudæ foret, malitiam contubernalibus affricare, periculum etiam afflat, & reliqui vnius Iudæ periculo, propè naufragium faciunt. O fuge improborum contubernium!

§. CXLIV.

Anima mollis, vitij characteribus facile imprimitur; aliquam ad virtutes quasi obstinationem Christianismus efformat.

1. NEmo perfectè bonus fit, nisi cupiditatis fomitem, voluptatem inquam, non fictè damnauerit. Voluptatis autem hæc notio communiter traditur: *Lenis, & blandus motus cum aliquo sensu.* Blandum sanè est vitium, & illecebris gaudij blandientis gaudet: ac blanditie sua duram sæpè virtutem: & aliquando saxeam, & rupeam blandius emollit. Cupita voluptas animo adblandiens, & mentem teneritudinibus toxicans, firmum virtutis ludificatur propositum, atque mentem mascula virtute diu obfirmatam, blādè effœminat. Ergò obfirmanda est virtus, & animus ad saxeam soliditatem obdurandus, ne mollibus cedat, & blandis mollescat. Fugite delicias, fugite eneruatam felicitatem, qua animi marcescunt, & languent. Voluptas homini blandè adridens, animi constantiam, & virtutis flecti-nescium propositum explorat. Adlidatur voluptas ad obduratam virtute animam, & nisi se frangat, frangetur. O quorūdam animos infeliciter molles, & enerues, vel potius dixerim, ridicularias deliciarum nugas! Quis hostis in quemquā tam contumeliosus fuit, quam in quosdam fluxæ suę voluptates sunt: quorum emollitæ impotentiæ, & blandæ teneritudini ob hoc vnum possis ignoscere, quòd quæ fecere, patiuntur? Ipsa animorum voluptuosa blandities sui probrum, & pœna est. Ergo quisquis solidæ pietati militat, animum generosè obfirmet, & obduratione obarmet, vt blandum voluptatis impetum feliciter exarmet.

Voluptas est Lenis, & blandus motus animo adlubens cum aliquo sensu.

2. Ieremiæ 51. in Babylone Dei populus diu versabatur captiuus, qui regionis amœnitate, & Babyloniorum deliciis nihilo melior factus est, assiduo improborum affrictū. Tunc Ieremias dura Babyloniis minatur, nec pœnam Deus, sicut Niniuæis, commutauit terrore, exosam enim habebat ciuitatem impiorum, sedes lasciuientium execratur, ciuitatem criminum officinam, populum luxus opificem, à temperantia alienum, cupiditati obsequentem demoliri festinat. Ne autem eadem strage sui Israëlitæ cum Chaldæis pereant, sic admonet Propheta: *Egredimini de medio eius populus meus: vt saluet vnusquisque animam suam ab ira furoris Domini. Et ne fortè mollescat cor vestrum,* &c. Non est explicatu facile quid nunc significet τὸ *mollescat.* Alij exponūt, Ne *turbetur* cor vestrum, alij, Ne *timore soluatur*: alij, Ne *stupefiat.* Hugo, & Anselmus: *Ne mollescat carnalibus desideriis.* Scilicet Ieremias sollicitè præcauet ne Dei populus stupeat ad rem pietatis, & concupiscentiæ desideriis mollescat, instar ceræ facilis

Vitia sunt, Impressiones mollis, & cedentis animæ.
Ierem. 51. v. 45. & 46.

Hugo & Ansel. Laud. ibi.

ad omnem voluptabilium impressionem, quod acutè pariter ac ethicè exposuit Clemens Alexandrinus, sic aiens: *Simplex ergo ratio nostræ philosophiæ, dicit omnes animi perturbationes, & vitia, esse impressiones mollis, & cedentis animæ, & velut obsignationes potestatum spiritualium, aduersus quas nobis est colluctatio.* Insolescat licet vetus philosophia dogmatis peregrinantibus, & Græciam suam buccinantibus superstitioso sententiarum ambitu, ad ingenij ostentationem operosè elaborato; simplex autem ratio Christianæ philosophiæ, humanæ concupiscentiæ vitia sic definit: *Impressiones mollis, & cedentis animæ*, & velut obsignationes Dœmonum. Improborū anima nimis mollis, & blanda ethicè est, ac friuolæ voluptati adludens, illi facilè cedit; ceræque adinstar imprimi, ac obsignari se finit vitiorum signaculo. Obdurāda ergo est anima soliditate virtutis, *ne fortè mollescat.* Virtutis proposito durius solidanda est, ne facilè voluptatibus cedens, lasciuè diffluat, & in obuia dissoluatur vitia. Spiritualis, immortalis, & ingenua anima, propudioso vitiorum stigmate inuri se sinet, blandæ teneritudinis lenocinio? O peruersam vrbanitatem, qua nobilis ratio irrationali vitiorum voluptati propè cedit! Putauerim, quod anima, quæ *mollis* est ad vitiorum characteres, prædura erit ad virtutis impressiones: nam blandior teneritudo ad rem voluptatis, flecti-nescia obduratio est ad negotiū virtutis. O time, quisquis virtutem amas, ne voluptatibus assuetus, blandè *mollescas*, & teneritudine *mollis, ac cedentis animæ*, vitiis imprimatis, blādis voluptatibus impressus, opinor, non bono Diabolorum typo excussus. In molli anima, quæ se voluptatibus imprimi facile sinit, reprobationis characteres, culparum stylo descripti leguntur, infauspicato damnationis prognostico.

Clem. Alex. lib. 2. Strom. c. 9.

3. Exhodi 7. & aliàs persæpè, Pharaonis peruicaciam, & obdurationem legimus: *Induratumque est cor Pharaonis, & non audiuit eos, sicut præceperat Dominus.* Exinde Pharao quasi obduratorum exemplar, vulgò malè audit, vt hinc admirari liceat, quòd Laurentius Ceruarensis ex Anselmo Laudunensi putauerit, Pharaonem fuisse typum Gentilis populi, è quo Christiana cōstat Ecclesia: *Pharao significare potest Gentilem populum, a quo orta est Ecclesia, quæ suscepit legem Dei.* Profectò mirissimum est, quòd Christi Dei Ecclesia, in qua tot floruere, florentque viri cōsummata perfectione cōspicui, & ad omnes sanctitates formati, per durum Pharaonem aptè adumbrētur. Apostolorum operosa toto orbe prædicatio, Doctorū erudita sapientia, Martyrum inuicta constantia, Confessorum beatę calamitates, Virginum illibata puritas, viduarum continentia virginitatis æmula, potuerunt-ne aptè per Pharaonem adumbrari? O malum rei bonæ symbolum! Reproborum de obduratione typus, idoneè Christianas virtutes exprimet. Pacata, & placida virtutum officiositas, Pharaoniana obduratione denotetur. Profectò non tam symbolum, quàm ænigma erit: sed ænigma quidem opportunissimum, dum bonam virtutis velut obdurationem, per nō bonam Pharaonis peruicaciam adumbrat, de eminētia vitiorum, virtutum eminentias erudiens. Obstinationis infamatur Pharao: sed audiamus quid de nascētis Ecclesiæ Christianis Tertullianus denarret: *Sunt*, inquit, *qui existiment Christianum (expeditum morti genus) ad hanc obstinationem abdicatione voluptatum erudiri, qua facilius vitam contemnant*

Exhod. 7. v. 13.

Laurentius verbo *Pharao.*

Aliqua ad rē virtutis velut obstinatio Christianismi elogium est.

Tertull. de Spect. c. 1.

temnant amputatis quasi retinaculis eius, ne desiderent quam iam supervacuam sibi fecerint. Nempè Christiani abdicatione voluptatum, animam alioqui mollem, & concupiscentiæ facile cedentem obdurant, & sic piam in virtute velut obstinationem elaborant. Itaque anima boni viri, sicut est ad rem pietatis mollis, blanda, & facile cedẽs; ita ad rem vitij, & voluptatis tenerè blandientis, austera est, obdurata, & quasi *obstinata.* Quemadmodum enim reprobissimus Pharao, mollis ad vitia, ad virtutem obstinatus erat, itá vir Christiana perfectione consummatus mollis, & facilis est ad obsequia pietatis; durus in arcendis vitiis, & ad non admittendas concupiscentiæ voluptates, ac concupiscentię delicias abdicãdas, piè obstinatus. Sic Ioseph Patriarcha, facilis officiositate, promptus alimoniæ suppeditator, blãdo

Gen. 49 v. 24 cunctis obsequio; prædurus *lapis Israel* dicitur, dum blandientis Dominæ voluptates, in virtute velut obstinatus reiecit. Sic & Sara mollis ad parentum obsequelam, & ad rem virtutum própè facilis; libidinis refuga, à tenera ætate præduram, austeram, & quasi obstinatam ad puellares adhuc

Hic v. 17 voluptatulas se exhibuit. O pia obstinatio, quæ mollem, fluxam, & facile cedentem animam damnat!

4. Exhodi 3. Moyses pascebat oues Iethro soceri sui: cumque minasset gregem ad interiora deserti,

Exhod. 3 v. 2 venit ad montem Dei Horeb. *Apparuitque illi Dominus in flamma ignis de medio rubi. & videbat quod rubus arderet, & non combureretur.* Sic

Non nutriebatur rubo ignis, qui erat pabulum rubi.

tenera arbuscula concepto iam igne, flammæ cõstanter resistit, & velut obstinata contentione de cœlo tacta non decinerescit. Hac super re audiendus est Hebræus Philo sic eloquenter fatus: *Erat*

Philo apud Caten. Lipom.

ibi rubus, plantula videlicet spinosa, ac debilissima, quam cùm ignis radicitùs occupasset, & ingenti flamma omnes ramos, ac cacumen teneret, ea tamen perindè manebat illæsa, ac si supernè fons delaberetur, incendiumque reprimeret; & quasi materia incorruptibilis esset, & non ea esset igni pabulum, sed contra ea nutriretur ab igne. Non foret valdè mirùm, quòd si rubi materia foret incorrũptibilis, etsi debilis plantula, à radice ad cacumen vsque igne occupata, adhuc illæsa subsisteret: mirissimũ autem est, quòd tenuis arbuscula sic pertinaciter ardori tãdiù resistat. An acrior ignis tribulationis à Deo cœlitùs immissæ, eximiè pios non absumit, sed quasi incorruptibiles facit, & in passionibus impatibiles? O arcanum ærumnarum, ac tribulationum ignem, quo non consumimur; sed fouemur, reparamur, nutrimur! Profectò constantior virtus caret tempore, & longiori æuo iuuenescit ad vigorem: annos recusat, & hostili impugnatione reparatur. Debilis rubus diu ardet, nec aduersarij ignis ardore depascitur, *& non ea est igni pabulum, sed contrà ea nutritur ab igne.* Acris tribulationum, & tentationum flamma, non viuidè consumit: sed incolumem seruat, quem ignis nutrit, flamma alit, & ardor è peruerso reparat.

O pia virtutis obstinatio aduersus incendiorum voracitatem! Inde enim vires sumit, & robur, vnde credi poterat iam absumpta.

§. CXLV.

Verecundia, & virgo est, & fœcunda virtutum mater, persuasionis pharmacum, rationis lumen, & morum fides.

NOn est quòd nocentis frontem explorando aut obiurgando indures: meliorẽ sæpè illum 1.
facies dissimulando, vtique peiorẽ conuiciando. Si quid hactenùs est residui pudoris adhuc seruet. Plerumque dubiam verecundiam vox exprobrantis clarior rupit, nemo id esse, quod etiam videtur, timet. Deprehensus pudor amittitur: amisso autem pudore, omnis spes bona simul perit. Porrò adhuc superstes verecũdia, morum felicitatem vbertim spondet; est enim fertile virtutum conceptaculum. *Vernabat in illo* (Epiphanio Ticinensi) *præ cæteris, mater bonorum operum verecundia.* In ætatis verè floridus pudor vernat, spe fructuum opima, è verecundiæ flore. *Rosam pudoris, & corporis floriarium,* Zeno Veronensis agnouit. Agnoscimusque hîc in pulchra Sara corporis floriarium, in quo rosa pudoris vernat, vberes spondens morum fructus, quos percipere plena manu licet, dum cœpit per augmenta verecundiæ, & ætatis speciem superare, & matronam virtutibus implere: quippe in qua vernabat mater bonorum operum verecundia, à qua census hominis est, & æqua illius æstimatio. Tertullianus Reipublicæ Magistratus Tribunalibus præsidentes, ita instruit: *Neque iudicet de capite alicuius, vel pudore, neque damnet, neque prædamnet.* Quid est, iudicare *de pudore*? Iunius explicat *de honore*, vt dicat: Neque iudicet de capite alicuius, nec de honore: *quia apud Iurisconsultos pudor est existimatio hominis, dignitas, opinio, reputatio, vt explicat Brissonius.*

Pudor, corporis floriarium est, & hominis census.

Ennod in vita Epiph.

Zeno ser. de Lazaro.

Hic v. 17.

Tertull de Idolol c 17 Apud Cerdã ibi n 5

Lucæ 1. Gabriel Angelus è cœlo missus, diuinæ corporationis paranymphus adest, & sub humana specie aspectabilis, secretum Marię cubiculum suo noctem ingressus, sic eam reuerenter affatur: Aue gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Verùm quid est, quòd dum Incarnationis Sacramẽtum annunciatur, turbatur Maria? 2.
Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Non disceptabo cum Ambrosio, an turbata sit ex Angeli introitu, & eius visu; an ex Angelico sermone, quo futura Messiæ mater significabatur. Id vnum exploratum mihi est, ex Angeli visu apparentis sub iuuenis specie; aut ex eiusdem sermone prolem Virgini denũciante, & corporis commotione turbatam fuisse, & faciei siue pallore, siue rubore, virginalem verecundiam publicasse. Illud autem curiosius sciscitari lubet, quare verecundia huius mysterij pręambula antecedit? Nempe Maria ambigit, quomodo fieri potest, vt virgo simul, & mater esse possit; præmittatur ergò verecundia, in qua quoddam huius mysterij hieroglyphicum recognoscat, videns quo pacto virginitas fœcunditati copuletur, quod arcanè Verecundia præmonstrat, vt Ennodius in Parænesi Didascalica profundè pariter, ac tempestiuè notauit: *Matrem,* inquit, *bonorum operum amate Verecundiam, quæ ita ex se species virtutum fœcũda, & virgo parturit,* vt

Luc 1, v. 29.

Verecundia, fœcunda virtutum est, & simul virgo.

Ennod. in Paræn. Didasc.

vt in pudentia procax, & corrupta vitiorum. Nimirùm addubitat Maria, quomodo possit esse mater, quæ virum non cognoscit, & virginitate ad partum fœcundari? Rubeat ergò eius facies verecundiæ pudore, in quo velut in speculo fœcundam virginitatem aspiciat. Porrò Verecundia, virginitatis elogium est, eius appendix, obses, custos, index: & simul virtutum fœcunda, & bonorum operum mater. Ecce tibi Verecundia tanti mysterij præambula, & tanquam eius hieroglyphicum præmittitur, vt ad matrem Virginem, futuræ iamiam Incarnationis luces reuerberent, & in Verecundia splendidè adumbratum videat, quod in se sumptuosius videbit. *Mater bonorum operum Verecundia, ex se species virtutum fœcunda & virgo parturit* Profectò vt impudentia, procax & corrupta vitiorum mater est; ita Verecundia, alto pudicitiæ sacramento, fœcundæ virtutum maternitati virginitatem arcane maritat.

3\. Ieremiæ 8 extremam calamitatem Iudææ genti Propheta minitatur, & sententiam iamiam cadentem duriùs interminat, cùm de peccandi impudentia spem emendationis abiecit. Animaduertens enim scelerum pudore nō suffundi, vitiorum fœcunditatem, sterilitatemque virtutum, infaustè ominatur. Verbum, inquit, Domini proiecerunt, & sapientia nulla in eis est, à Propheta vsque ad Sacerdotem cuncti faciunt mendacium. (Nota quam subdat sententiam) *Confusi sunt quia abominationem fecerunt?* (cum interrogatione legit Hieronymus) *quin imo confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt: idcircò cadent inter corruentes, dicit Dominus.* Quasi remedium in ipsis malorum minis benignè subinsinuet. Si tot, inquam, commissis abominationibus, saltem *erubescere* scirent; cùm Verecundia sit bonorum mater, & virtutum fœcunda virgo, spes afforet emendationis: & dum *erubescere nesciunt*, quid boni eius mores spondeant? Qui abiecto pudore sic impudenter delinquunt, quid mirum si ad voces Prophetarum surdi sint, & Dei præceptionibus procaciter inobsequentes? *Erubescere nescierunt, idcircò cadent inter corruentes.* Ad quæ verba fortè adludens Nazianzenus, ait: *Dissoluto pudore, quod persuasionis pharmacum est, ad quoduis facinus audaciores redduntur.* O! sic languet, vel ex Prophetæ ore suadela, vbi abest rubor, qui persuasionis pharmacum est? ad omnes sanctitates, persuasionis medicina, rubor est? O quàm ad virtutis suadelam eloquentior ægrotat facundia, quæ medicam verecundiæ vim non asciscit! Omnipotens loquentis auctoritas, & experta Prophetæ veracitas, obduratam populi peruicaciam ad credulitatem, nec emolliunt, nec flectūt, dissoluto pudore? Spem virtutis excussit, qui *erubescere nescit*? Sic est impersuasibilis veritas animo vitiis malè affectæ, si absit verecundia, persuasionis pharmacum? Quomodo autem sit pudor persuasionis pharmacum, paucis verbis Clemens Alexandrinus tradit, aiens: *Verecundia tanquam lux rationis in animo est includenda.* Ægrit anima, mens languet, obscuratur ratio caligine, (quæ eius periculosior ægritudo est) si pudor absit, qui cognata luce oppansas vitiorum tenebras depellens, rationem claret, illuminet, & ad omnem pietatem illustret. O quàm multa his paucis verbis Clemens conclusit! *Verecundia lux rationis est.*

Idem 8 v 12. *Pudor est persuasionum pharmacum.*

Naz. Orat. 1. Apolog.

Verecundia lux rationis est. Clem. Alex. 2. Pædag. c. 10.

4\. Lucæ 7. meritoria diu fœmina, impudicitia, & nobilitate famosa, deposito vestium nitore, & ambitioso pœnitentiæ squalore assumpto, pia importunè impudentia, in locum conuiuij vbi Christus accumbebat, intrepida irrepit: *Et stans retro secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Pharisaïcum tunc supercilium attentiùs obseruans pœnitentiæ notas, & male plerumque sanum luxuriæ morbum suspicatus, ait intra se dicens: *Hic si esset propheta, sciret vtique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum; quia peccatrix est.* Imò quia est Propheta, scit vtique *quæ* est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est: & *qualis* exinceps futura sit, etiam pernoscit. Et sanè concedamus Pharisæo Christum non esse Deum, sed quempiā è Prophetis; rectè ex verecundia, qua non palam à fronte, sed à tergò accessit, augurari, vel prophetare potuit, & veram esse huius peccatricis pœnitentiam, & libidinis emendationem feliciter exinceps spondere. *Accessit retrè* (ait Gregorius) *quia se grauiter erubescebat intus.* Ex hac autem mulieris verecundia auspicatò augurari poterat, anteactæ vitæ sordes lacrymis eluisse, & nouos ad pietatis normam mores recudisse. Perbellè Ennodius hac super re ita pangit, concinnius verecundiæ encomiastes:

Lucæ 7 v 38.

Verecundia in facie facit morum fidē.

Greg. in homil.

Ennod in Paræn.didasc.

Tingite candentes roseo de murice vultus,
Atque fidem morum pandite de facie.
In niueo spargens maculas sis pulchrior ore,
Cum sudans tenerum roscida colla feras.
Nil tibi plus lingua tribuas, quàm schemate frontis:
Quicquid amare libet, hinc tibi concilia.

Modulatè quidem oculatior Ecclesiæ Orpheus! Mitto tot sententiarum pro pudore schemata, vt ad rem expendam illum duntaxat versiculum: *Atque fidem morum pandite de facie*, dum mulier hactenus impudenter peccatrix candentem vultum roseo verecūdiæ murice tingit. Alto stylo faciei ruborē appellat morum fidem, qua auctoratissime latentes iam in animo virtutes adrestatur? & *quicquid amare libet*, dum præ verecundia *retro* accessit, inde sibi pulchrè conciliauit. O faustum de pudore augurium! O bonam de verecundia prophetiam! Peritus virtutum magister, qui rem morum quasi per anotomiam agnoscit, & de verosimilibus indiciis prudenter coniecturam facit; de pudoris schemate *fidem morum* consultissimè pandit; iuxta Ennodij dogma: *Atque fidem morum pandite de facie.*

Quicquid amare libet, ex pudore conciliatur.

5\. Magna quidē fœminæ laus, quòd in ea vernet *mater bonorum operum verecundia*; quæ etiam sterilitatis verecundum olim probrum absentat. Geneseos 18. cùm apud Abrahamum prandissent Angeli, *Dixerunt ad eum: Vbi est Sara vxor tua? Ille respondit: Ecce in tabernaculo est.* Nempe Sara tametsi vetula, in penitiori domo latebat, & tunc habituram filium optatissimum, Angeli indubiè pollicentur. Pulchrè inibi Ambrosius: *Quia prouectior ætate iam Sara iuuenilem custodiebat verecundiam, ideò Dominus spopondit ei filium.* Quasi fœmineus pudor, & verecundia sit plusquam vulua, fœcundior posteritatis matrix. Verecundia, quem sterilitas, & annositas negat fœtum, piè concipit, & feliciter parturit. Effœta senectus verecundia quasi masculo semine fœcundata, iuuenescit ad partum, & vernat ad sobolem.

Genes. 18 v. 9. Ambr. apud Caten. ibi.

§. CXLVI.

§. CXLVI.

Gratulandum homini erat de Correptione: nam cuius emendationi Dominus instat, admonendi dissimulatione non decipit.

1. NEmo nescit, quantò aliter patres, aliter matres filiis indulgeant. Illi exercitari iubent libros ad studia obeunda maturè, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, & sudorem illis, & interdùm lacrymas excutiunt; acri admonitione vel leues defectus præfocant, ne cùm ipsis adolescant: crimina seueriùs obiurgant, grauiùs culpant, acriùs castigant. At matres fouere in sinu, continere in vmbra volunt: nunquam flere, nūquam admonitione contristari, nunquam obiurgatione, aut castigatione exasperari. Paternum Deus habet aduersus bonos viros animum, & illos fortiùs amat, & ærumnis, reprehensionibus, ac damnis exagitat, vt verum colligant robur. Marcet sine correctore virtus, nec fert vllum ictum illæsa felicitas. Indutanda incommodis est, & asperioribus exercenda, ne sibi de præteritis blandiatur, ad præsentia mollescat, & sibi de futuris votiuè aduletur. Dentato obiurgationis & castigationis ferro, cognata omnibus vitia elimanda sunt, vt malitia detrimentum sentiat, ne paulatim insolescens, frenum emendationis excutiat. Materna indulgentia aut insolentes inuenit, aut facit. Patris rigor, cauterem subor ientibus vitiis cautè dicit, & committendorum criminum præpropetam veniam facit. Blandè ignoscit committendis, qui commissa duriùs obiurgat. *Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit,* (ait ad Deum Sara) *quòd vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: si in Correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris.*

Marcet virtus, quam opportunus obiurgator non studit.

Hic vers. 21.

2. Apocalypsis 3. Laodiceæ Ecclesiæ antistes acri reprehensione ferituro Deo, conscientiæ teste, & iudice: Scio, inquit opera tua: quia neque frigidus es, neque calidus, sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo, quia dicis: quòd diues sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cœcus, & nudus. Suadeo tibi emere à me aurum, &c. & non appareat confusio nuditatis tuę, *& collyrio inunge oculos tuos vt videas.* Bonum quidem correptionis collyrium, quo emendanda peruideat. *Ego,* inquit, *quos amo, arguo, & castigo. Æmulare ergò, & pœnitentiam age.* Hunc Apocalypsis locum, quem obuia moralitas, & vel imperitis exprompta, vulgarem fecit, non vulgariter in lib. de Patientia Tertullianus exposuit, ita enucleatè scribens: *Ego,* inquit, *quos diligo, arguo, & castigo. O seruum illum beatum, cuius emendationi Dominus instat! cui dignatur irasci, quem admonendi dissimulatione non decipit.* Nimirū de beneuola Dei dilectione venit, quòd nos nostri sceleris arguat, & malefacta duriùs obiurget. Exindè obiurgationem gaudēter pati debemus, pro tanta emendationis occasione, quæ ex eius dignatione feliciter nobis obuenit. Itaque cùm Deus nostræ correptioni intentiùs instat; & illi de nostra obiurgatione, & nobis de emendatione nostrâ gratulari debemus. Vnde ergò tam inopinata felicitas correptioni inest? Audi rationem Tertulliani ingenio dignam: Nam *cuius emendationi Dominus instat, admonendi dissimulatione non decipit.* Nimirùm homo, qui graui damno iniuriaue lacessitus, atrociorem vindictam meditatur, læsionem subdolè dissimulat, vt sæuæ vltionis opportunitatem captet; & ita incautum aduersarium vaferrimè *decipit,* quasi diuturnior dissimulatio, sit immaniùs sæuiendi officia, & crudelioris arbitrium laniena. Procùl à Deo *deceptio,* sæuitiæ matrix. Sed comparatione ad humana, diuinorum sublimissima vtcumque concipiuntur, Nempe quisque sibi gratulari debet, cùm illum Dominus per suos administros, commissi sceleris *arguit,* & *emendationi* intentiùs instat: nam quem diligit, arguit, & castigat, quasi correptio sit emendationis argumentum, & prædestinationis augurium. Porrò exerta admonitio, quæ offensam non dissimulat, veniam faustè ominatur: nam *admonendi dissimulatione non decipit.* O! vel de irato Deo audebit quis dicere, quòd ius emendationi non instat, admonendi dissimulatione *decipit?* Propriè non decipit Deus, (sicut nec pœnitet, nec irascitur) ea tamen in rebus extra se operatur, quæ homines, qui decipiūt, exhibere solitant. O cœcos homines, qui diuturnam correptionis dissimulationem, velut delictorum veniam putant! O viderint humani Antistites, ne dum blandè delinquentes subditos, ad emendationem corripere negligunt; cui non dignantur irasci, *admonendi dissimulatione decipiant.* O quam multa, ipsáque moralitatum grauida, vno verbo strinxit Tertullianus!

Apocalyp. 3 v. 19

Tertull. de Patient. c. 11 *Cuius emendationi Dominus instat, admonendi dissimulatione non decipit.*

Prouerbiorum 3. postquam plures addensauerat sententias, ad erudiendos mores peridoneè opportunas, quomodo accipienda sit defectuum nostrorum salubris correptio, his verbis Salomō tradit: *Disciplinam Domini, fili mi, ne abiicias: nec deficias, cùm ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus, corripit: & quasi pater in filio complacet sibi. Beatus homo, qui inuenit sapientiam.* Anselmus Laudunensis peritus Bibliorum interpres, ita præfata Salomonis verba, ad præsentem thesim dilucidè commentatur: *Disciplinam Domini, id est, correctionem, ne abiicias sub honore; nec deficias (tedio afficiaris) cùm ab eo corriperis; quem enim diligit Dominus, corripit: & quasi pater in filio complacet sibi. Beatus homo,* &c. Quid est, *Ne correctionem abiicias sub honore:* ideft, ne abiicias correctionem, honoris prætextu, quasi magno dedecore deuenusteris ipsâ correptione: (quæ castiganda crimina dum emendat, contumeliosè culpat) quia ea sic correctionis beneficio emendas, & emendatione aboles, vt ad dignitatem *filii* Dei sublimeris, & præmaturè *beatus* dicaris. Ergò *Dei correctionem ne abiicias sub honore,* hoc est, falsato rerum censu putans, esse honoris detrimentum, dignitatis damnum, & gloriæ dispendium; cùm potiùs sit faustum felicitatis insigne. Pulchrè Septimius sic ad rem fatur: *Quod si à Domino nonnulla damna credimus incuti, cui magis patientiam quàm Domino prabeamus? Quin insuper gratulari & gaudere nos decet, dignatione diuinæ castigationis. Ego, inquit, quos diligo, arguo, & castigo.* Quasi dicat: Tam longè quis abest ab honoris læsurâ, & felicitatis iacturâ, cùm à Deo sceleris arguitur, & ad emendationem castigatur; vt gaudēter *gratulandum*

3.

Prouerb. 3 v. 11. & 12.

Anselm ibi.

Correctionem ne abiicias, sub honore, de qua gratulandum sibi erat.

Septim. lib. de patient. c. 11.

landum Deo sit de noua in recenti filio complacentia; & insuper gratulandum homini sit de fausto supernæ beatitudinis præsagio. *Quin gratulari & gaudere nos decet, dignatione diuina castigationis. Quem enim diligit Dominus, corripit: & quasi pater in filio complacet. Beatus homo qui inuenit sapientiam.* Frustrà consolari festinas, cui potiùs ire gratulatum decet, de dignatione diuinæ correctionis, quæ emendationem correptione procurat. Ergò *correctionem ne abiicias sub honore.* O! ad correptionem emendationis matrem, votiuè hiare debuissemus! *O servum illum beatum, cuius emendationi Dominus instat! cui dignatur irasci, quem admonendi dissimulatione non decipit.*

4. Exhodi 39. vides in talari summi Sacerdotis veste *gemmas duodecim, pariter senas dextras ac sinistras, quibus insculpta fuerunt duodecim Patriarcharum nomina,* notata diuinis litteris, supercœlestium attributorum monumenta. His propè verbis, & eodem prorsùs sensu hunc Exhodi locum exponit Hebræus Philo. Verùm animaduersione dignissimum est, nimis honorari sex tribus, quarum nomina gemmis descripta, dextrum Sacerdotis latus adornabant: valdéque deuenustari sex alias, quæ ad sinistram partem iacebant, improspero & inhonoro situ. Porrò sicut dexteritas felicia quæque spondet; ita quod læuum est, inauspicatò venit, & infelicitatem augurari solitat, non bono plerumque prognostico. Ceterùm postquam Philo id sibi obiici posse vidit, eleganter respondet, quòd ideò id iussit Moyses, *Vt doceret eos quibus monitore opus est, benedictiones & maledictiones pares esse numero, atque etiam honore propemodum: si dicere fas est.* Sic parùm distat humana miseria à prosperitate humana; Sic maledictio benedictioni confinis est; Tam exiguo internallatur spacio mundialis felicitas à mundana infelicitate; Quid tam expetendum quàm dexteritas, quæ prospera quæque faustè ominatur? quid tam optabile hominibus est, quàm larga benedictio, quæ prospera cuncta, & præsens affert, & in futurum spondet? At altè perpendant hi quibus monitore opus est, *benedictiones & maledictiones pares esse numero, atque etiam honore propemodum.* Hinc miserè nunc afflicto, & durâ maledictione inclementer percusso, ferè gratulari de calamitate licet, si ærumnas sub honore accipit. O verè illum beatum, & prosperâ benedictione auctum, *cui Dominus dignatur irasci*, cui affligendo peramanter instat, quem prosperitatis dissimulatione non decipit! Propè est, vt gratulandum misero sit de ineluctabili diu calamitate: nam *benedictiones & maledictiones pares sunt numero, atque etiam honore propemodum.* O humanas maledictiones diuinarum benedictionum æmulas!

Exhod 39. Philo in lib. Qui rerum diuin. hær.

Benedictiones & maledictiones pares sunt numero, atque etiam honore propemodum.

Idem Philo inibi

5. Geneseos 37. aliud quoque vidit somnium Ioseph, quod narrans fratribus, ait: Vidi per somnium quasi Solem, & Lunam, & stellas vndecim adorare me. *Quod cùm patri suo, & fratribus detulisset, increpauit eum pater suus.* Opportunè Ennodius: *Nam qui in prole censuram negligit, conceptum sibi designat magis placere quàm meritum. Facessat in posteris hoc solum cogitare quod libuit. Etenim fructus veri nisi honestate respondeat, plus in testimonio lasciuiæ videtur euenisse, quàm gratia.* Eleganter quidem Ennodius.

Genes. 37 v. 10
Ennod. lib 4 epist. 4

§. CXLVII.

Grandius periculum, & necessitas propè irremediabilis, esto fiducia conceptaculum.

PAuli, id est, Spiritus-Sancti præclara vox est, quæ fideles in acerbiori calamitate ad fiduciæ animositatem fidentiùs erigit: *Fidelis*, inquit, *Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* Pulchra similitudine vasorum figuli hanc Pauli sententiam S. Ephrem declarat: *Si figulus*, ait, *vasa sua igne excoquit eousque dum ritè coquantur, nec ante ea eximit, ne minus cocta ac solida sint; nec rursum vlteriùs ea finit in igne, ne adurantur, fiantque inutilia: multò magis idem faciet Deus, vt igne tentationum eousque nos coquat, dum percoquat & perficiat, vlteriùs verò aduri & consumi nos non finet.* Ergò ne animum despondeas, nam grauior calamitas, quam nostri limi summus Protoplastes immittit, nó eò venit, vt te consumat, sed vt consummet, percoquat, & perficiat; & cùm te perfectè consummauerit, deferuere incipiet. Vnde de calamitatis magnitudine resume spem, & fiduciam cócipe: nam *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* Ergò, ni fiducia desit, sæuior tribulationis acerbitas, liberationem spondet, & grauius periculū, periculi effugium est: Ie imminenti ruinæ erectionem extruamus, & atrocioris ærumnæ conflatorium, sit sospitatis conceptaculum, liberationis obses, & de periculi malo bonum incolumitatis auspicium. Itaque (si sapis) vltima calamitas, ne sit tibi fiduciæ iactura, sed spei officina, in qua è peruerso certior exeuditur liberatio. Quid timore spes titubat, cùm titubatio spei, quod timebas accersat? Ærumnosior calamitas, ne sit spei macies; sed ad finem periculi, & ad incolumitatis initium, fiduciam adipet, sagina promissionis Dei, *qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* Infima, & mediana tribulatio, timere doceat; summa, confidentiam erudiat. Dei fidelitate subnixam, vt timere pudeat, vndè sperare iubemur. Timor inde ortus, vnde sperare debuisses, ferè lāguor est fidei, & spei titubatio. Geneseos 1. *Et fecit Deus bestias terræ.* Quare has terrificas belluas, sæuo rictu, & aduncis vnguibus armatas creauit Deus? An inermis homo earum saginata præda paratur? Pulchrè inibi Basilius: *Ipsæ feræ fiduciæ demōstrationes sunt*, vt in periculi officina, fiducia conflerur, & securitas de periculo extruatur.

1. Corinth 10 v. 13
S. Ephrem. Tract. de Patient.

Vltima calamitas, certam liberationem spondet, nisi spei fecerit naufragium.

Hic. v. 21

Genes. 1 v. 25
Basil. inibi.

Matthæi 8. Ascendēte IESV in nauiculā, secuti sunt eum discipuli eius: & ecce motus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat. Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum, dicētes. Domine, salua nos, *perimus. Et dicit eis Iesus: Quid timidi estis, modicæ fidei?* Aliàs non semel atrocioris procellæ sæuitiam, vt descripsimus, qua discipuli periclitabantur, nūc fiduciæ velut naufragium, & in timoris tempestate expendamus. Scilicet Discipuli terrore conturbati, dormientem excitāt Christū, aiens: *Salua nos, perimus.* Omnis nostra exhausta est industria, manus ad opem ferendam comperiuntur

Math 8 v. 26

riuntur inutiles, artis imbecillitatem arguit vis tempestatis Ostende te vigilantem,& pelagus te renerebitur.Reconcilia,quod nobiscum decertat, mare.Voce procellam extingue. De pace cũ vndis dissere.Miserere discipulorũ,qui maris tyrannide pr emuntur.Mare te loquentem norit,ne & tu pariter eodem sorbearis naufragio: *Salua nos, perimus.* Quid tandem Dominus?Somno quiete excusso,& per tam festinatam expergiscendi rationem nihil, vt assolent, qui dormiunt, somniculosè gereus,discipulos increpat.Sed audi asperam increpationem ex dulci Seleuciani Prȩsulis ore: *Quid, inquit, tam modicæ fidei estis? infidelitatis argumentum est timor. Concussit fidem vestram commotum mare, & illusa à fluctibus scapha fide vos denudauit?in vos fluctus ad animam vsque insiliuit? Cur enim fide,vt muro bus, septi non estis?* Nempe, procella prȩualet,atque arroganter elatum mare arti non paret, sed instantis naufragij atroces minas euomit, quibus vectores sorbeat, & languidam fiduciam de grauiori periculo non erigitis? Aquilo pertinaciter perflans,& nauiculam vndis verberans, fidei scintillam non flabellat? Hiat scapha naufraga, & naufraga adæque fides timore fluctuat; *Infidelitatis argumentum est timor.* Vbi timor humanus præualet, fides languet, quæ de maiori periculo vires sumit Et vbi est illud; *Fidelis Deus,qui non patietur vos tentari supra id quod potestis?*Non tam furiosa maris procella,quàm fidei languor, naufragium discipulorum facit, fiduciam potiùs concussit commotum mare,vt titubante spe,& robusto timore,vos citiùs quàm vndis submergeret. O dignas Domino voces! Vult fidei vim periculis atrocioribus esse maiorem, & ad fidei præsentiam omnem ab anima desperationẽ eliminari:vt in grauiori periculo, de animosæ fiduciæ arbitrio, periculi asylum inueniamus, ad imminentium calamitatum frustrationem. *Quid*,inquit,*tam modicæ fidei estis? infidelitatis argumentum est timor.* De fluctuante fide, scapha timore fluctuat,nam spes docet vbi salutis sit ancora.

Nam infidelitatis argumentum est, humani periculi timor.

Seleuc. orat. 22.

3\. Matthæi 14. Intempestâ nocte, ad discipulos tempestate adsimili iactatos, venit Iesvs ambulans super mare.Et videntes eum super mare ambulantem,turbati sunt,dicentes:Quia phantasma est,statimque Iesvs locutus est eis,dicens: *Habete fiduciam.* Respondens autem Petrus dixit: Domine,si tu es, iube me ad te venire super aquas. At ipse ait, veni. *Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam,vt veniret ad Iesum.* Confestim mare Petri pedibus tumẽtia terga submisit,suos vortices strauit,in plano,motus cõpescuit, adstrinxit fluctus,& per liquentem viã saxeã soliditate sicca Petro vestigia prȩbuerunt.Sed quid est,quòd(vt nuper vidimus)dum tempestate agitata nauicula,in qua Christus dormiebat, Petrus sic timet? *Salua nos*, inquit, *perimus* Perire se putat in naui,qui marinos vortices calcare adsuetus est;Eleganter Basilius, *Videamus*, inquit, *Petrum contra fluctus audentem,& in nauicula conterritum.* Petrus in eadem cum Christo scapha vectus,& dum nauigiis tabulata, velut mœnia fluctibus obiecta videt,sic expallescit, & naufragij minis terretur;& per tumẽtia maris tergora, velut per viã lapidibus stratam securus incedit!Aut non debuit timere in nauigio,qui pedibus super vndas incessit:aut qui timet in nauis arce, vortices calcãs,plus debuit timere,nisi fortè de minori vitæ discrimine,plus formidet. O hinc discamus

Math. 14 v. 29.

Petrus qui maris fluctus calcare audet,in nauicula fluctibus terretur.

Basil orat. 22.

timoris & fiduciæ disciplinam! Petrus,qui in nauicula fluctibus terretur, audenter supra fluctus ambulat.Minus periculum,fidei titubatio in illo fuit, & fiduciæ naufragium: ast grandius discrimen,fiduciam exacuit,& in eam spẽ fidenter erexit, vt marinos vortices, sæua naufragia passim minitantes, calcare meruerit. Itaque Petri fides, in minore discrimine languet,O de maiore periculo viuacior exurgit.Ruinæ vicinitas,velut spei ancora fuit, & fugitiuus euanuit timor,dum timendi causa maior exurgit. Ergò *videamus Petrum contra fluctus audentem, & in nauicula conterritum:* dum in minori periculo naufraga spes imbecillè fluctuat;& in maiore naufragij discrimine, solus timor mergitur: vt sola spes enatet in gurgite vasto,quò ethicè erudiamur de humanitùs timendi causis, excutere humanum timorem,non bonum virtutis comitem O time,quidpiam præter Deum timere!Quid mũdialia timeat mala,cui exaggeratior timendi causa,est securior spei officina?

Marci 5.Mulier,quæ erat in profluuio sanguinis annis duodecim, & fuerat multa perpessa à compluribus medicis, & erogauerat omnia sua, nec quidquam profecerat,sed magis deteriùs habebat: cum audisset de Iesv, venit in turba retrò,& tetigit vestimentũ eius *Et confestim siccatus est fons sanguinis eius: & sensit corpore quia sanata esset à plaga.* Quid sit Christum tangere, nunc docuit hæc mulier in profluuio sanguinis constituta:quæ cum tangit fimbriam Christi, tũ diuini pectoris pulsa arcanum: & furto fidei sũmam rapuit de fimbriæ summitate virtutem.Felix fraus,quæ & locum desperatæ saluti contulit, & in humana desperatione,spei vigore desperatione salutis salutem nuper inopinatam inuenit. Peridoneè Chrysologus præfata Euangelistæ verba sic exponit:*In arduis languoribus dat crebrò consilium vis doloris. in desperatis causis est sæpè magistra necessitas: inuenit ipsa sibi passio medicinam. Hinc est quòd mulier verecundo vulneri qualiter subueniret,inuenit,vt fidei insinuaret silentio, quod insinuare publico clamore non poterat.*Ecce tibi hęc bona fœmina,medicinę cruciamenta,& languoris molestias,totos duodecim annos perpessa,depauperata à medicis, desperata à remediis, dolore confecta, languore exhausta; transeunti illac Christo vel suum fœdum vulnus coràm insinuare prohibetur. Clausũ videtur remedij itinerarium. Sed vndè potuit spem excussisse,certam inopinatæ salutis fiduciam fœnerauit,irremediabile periculum oppignerans curationi.Siquidem *in arduis languoribus dat crebrò consilium vis doloris: in desperatis causis est sæpè magistra necessitas: inuenit ipsa sibi passio medicinam*: & de manifesta desperatione remedij, remedium solertiùs fabricauit in spei officina.

4\.

Marci 5 v. 29.

Ipsa desperata infirmitas necessitatis consilio,sibi medicinam inuenit.

Chrysol. serm. 35.

Exhodi 14. fugientes Israëlitas Pharao tota Ægypti potẽtiâ armatus, ad strages minaciter insequitur, & dum iam iam instat fugitiuæ timiditati;Israël maris periculo,terrę periculum strenuè redimit. *Et ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris:erat enim aqua quasi murus à dextra eorum & læua.* Quod regius Psaltes modulatè expressit, aiens: *Mare vidit, & fugit*, quasi Mare videns Israëlitas se non timentes, pauide fugerit. Quàm securi fuerint Israëlitæ in tanto periculo, graphicè his verbis Emisenus describit:*Filij Israel securi vel inter vndas transeunt, vel sub vndas: cùm super eos prærupta vastorum gurgitum moles*

5\.

Exhod. 14. v. 22.

Psalm. 113. v. 3.

Cur sub pendentibus præruptis vastorum gurgitũ molibus mare pertranseat Israel

Emis hom. 3 de Pasch.

V pendenti

pendentibus dextra leuaque fluctibus imminerent: cùm creatura insensibilis elementi factorem suum sentiens transmeantibus circumfusa praberet viam & in persequentes pararet refusa vindictam. Instat ponè Pharao atrociter armatus, antrorsùm obstat mare naufragia minitans; *dextra lauaque prarupta vastorum gurgitum moles pendétibus fluctibus imminent,* vt in grauiori periculo, periculi experirentur asylum; fieretque hostium naufragium, quod credi poterat sibi ipsis atrociùs imminere. Vnde Israëliris securè transmeantibus, adhuc *prarupta vastorum gurgitum moles pendentibus dextra lauaque fluctibus imminent*: vt in pendentibus naufragij minis, murum, securitatis obsidem inuenirent.

---

§. CXLVIII.

Expromptum sapè est consultiori Potentium prudentia, iniurias dissimulatione negligere: at offensam prodere, & patientiam non negare, rara virtus est.

1. Politico-Christ lib. 2. c. 15. PEccauit in re politica Princeps ille apud Tacitum, qui *proximam quamque culpam antequam pœniteret, vltum bat.* De Cæsare autem ita scribit Suetonius: *Si qua cogitarentur grauius aduersum se aut dicerentur, inhibere maluit quàm vindicare,* prudenter. Multa dissimulanda sunt Principi, & Magistratui, & viro magnæ auctoritatis laude præexcellenti. Propè non læditur, qui læsionē ignorare putatur; cùm lædentis fructus sit sensus læsionis. Ergò præstat sapienter ignorare, quàm imprudenter nosse: & malè dissimulanter perniciem inhibere, quàm palam vltum irē: nā qui se vindicat, lędi se potuisse vel inuitus fatetur. Hinc tarda Potentium ira, de auctoritatis arbitrio lenta, & de simulationis ingenio tecta. At vbi dissimulationi locus non est, & se iniuriâ violatum; aut ipse prodit, aut re ipsâ proditur; tunc ira fertur præceps: quippe cui personæ decorum, conseruādæ auctoritatis verosimilis ratio, adstipulari videatur. Adeò vt non violenter tunc in vltionem ferri, rarum & excelsum virtutis documentum sit. *En dandose por entendido de la offensa, es difficultoso irle à la mano en la vengança.* Sed de scholâ & exemplo Christi, hæc passio rationis prætextu imporens, mitiganda, & inhibenda est. Quin & hunc esse diuinæ misericordiæ genium, in hoc Tobiæ loco disertè traditur.

Princeps plura dissimulet quam vindicet, ne se læsum prodat.

Hic v. 21. & 22.

2. Lucæ 22 dum refuga Discipuli fides, Magistri proditionem molitur: & Iudas fidelitatis adæquè prodigus, ac pecuniæ auarus, Deum nundinatur; vltrò pergit Christus ad locum orationi adsuetū, nec fraudes Discipuli eludit, ne inuitus se tradi videatur. Ecce Iudas, vnus de duodecim, cuius perfidiam diu dissimulauerat Christus; vt, aut pœnitentiæ locum daret, aut, vt, Passioni occasionem non negaret. Ecce, inquam, Iudas fugitiua perfidia adest, sæuæ cohortis Dux, vt fidus virio sic infidus virtuti. Adhuc Christo Deo ad Discipulos loquente, ecce turba: & qui vocabatur Iudas, vnus de duodecim, antecedebat eos: *Et appropinquauit IESV vt oscularetur eum, IESVS autem dixit illi: Iuda, osculo Filium hominis tradis?* Ostendisti, ô Domine, quem proderet, dum occulta manifestas. Ostendisti etiam quem traderet, dum dicis, Filium hominis: quia caro, non diuinitas comprehenditur. Illud tamen plus constat ingratum, quòd cum tradiderit, qui cùm esset Dei Filius, propter nos tamen Filius hominis esse doluisset. Filium hominis tradis, sed qui verè est Filius Dei. Hic palam infidam Iudæ proditionem diu dissimulatam, coram Apostolorum collegio, & Sacerdotum ac militum cohorte, Christus publicat, ne vlla foret præcelsior & difficilior virtus, cuius præclustre exemplum nō appareret in Christo. Quod doctè pariter & acutè obseruauit Ambrosius: *Iuda osculo filium hominis tradis? Magna, diuina significatiō potestatis, magna disciplina virtutis.* Et quomodo dum osculi proditorij obsequium placidè excipit, & proditionem palam manifestus, magnam diuinæ potestatis significationem, & insignem magnæ virtutis disciplinam Christus ostēdit? Quid cum significatione potestatis, & disciplina virtutis reperitur in osculi exceptione, & proditionis denunciatione? Audiendus est iterùm Ambrosius suæ sententiæ opulentus vindex, & tempestiuæ eruditionis assertor: *Et consilium*, inquit, *proditionis aperitur, & adhuc patientia non negatur.* Nimirum Christus Deus proditrices fallaci discipuli insidias, alto cœlitus consilio diu dissimulauerat; si fortè cunctatione negotiaretur pœnitentiam, & dissimulatione veniam peccati redimeret. At cùm tandem aliquādo offensam diu dissimulatam Christus coràm manifestat nec debitam iram ad vindictam infidi sceleris effundit; sed pacatè potiùs cum eo agit, tunc, tunc quidem, & diuinam potestatem significantius ostentat, & magnam imitandæ virtutis disciplinam tradit. *Magna diuina significatio potestatis, magna disciplina virtutis. Et consilium proditoris aperitur, & adhuc patientia non negatur.* Expromptum est consultiori Potentium prudentiæ, iniurias dissimulatione negligere, ne dum dolorem vltione consolatur, cùm publicat se lædi posse, acerbiùs doleat. Ast offensam euulgare, nec pro suę auctoritatis decoro contentiosâ vindictæ passione acerbius belligerari, magna diuinæ potestatis significatio est, & sublimioris disciplina virtutis. Adeò vt Dei Christi singulare elogium sit, quod dum *consilium proditoris aperitur, adhuc patientia non negatur.*

Lucæ 22. v. 47. & 48.

Magna Christi virtus est, quod dum Proditoris consilium manifestat, ei non denegat patientiam.

Ambr. lib. 10. in Lucam, ad ea verba.

3. 1. Paralipomenon 21. Dauid rex Deum offenderat, quia regia dignitate arrogantiùs turgens, numerari iusserit populum. Nec Regis offensam Deus dissimulat: sed acerbam vltionem per Gad prophetæ ora continuo denunciat, & seuerius vibrat. Dauid autem confessione præuenit Dei nūcium, peccasse se valdè, & nimis stultè fecisse cōmemorans: non quasi admoneret oblitum, sed quasi vrgeret morantem, ne diutius commotionem differret offensæ. Misit ergò Dominus pestilentiam in Israël: & ceciderunt de Israël septuaginta millia virorum. Misit quoque Angelum in Ierusalem, vt percuteret eum: cumque percuteretur, vidit Dominus, & misertus est super magnitudine mali: *& imperauit Angelo, qui percutiebat: Sufficit, iam cesset manus tua: Leuansque Dauid oculos suos, vidit Angelum Domini stantem inter cælum & terram, & euaginatum gladium in manu eius, & versum contra Ierusalem: & & ceciderunt tam ipse, quam maiores natu vestiti ciliciis, proni in terram. Dixitque Dauid ad Deum: Nonne ego sum, qui iussi vt numeraretur populus? ego qui peccaui.* &c. S. Ambrosius acutè notauit, quòd hæc Dauidi visio non videtur sibi idoneè cohærere. Porrò si Deus percutienti Angelo coram

1. Paral. 2. v. 15. 16. & 17

coram iusserat, vt confestim cessaret; tametsi euaginatum teneat gladium, quid adhuc pauidè metuit, & ambitioso cilicij squalore se prosternit in preces? Bonus an malus Angelus sit, ad promptam diuinæ iussionis obsequelam, quid refert? omnium Dominus adæquè est, & nisi de eius nutu nihil operari eualent. An non præstaret, quod vbi Dei miserentis vocem excepit, sibi, & populo de venia gratulatus, continuò iam placato Deo gratias ageret? Quid adhuc tam obnixè veniam exposcit? An plus credit timori, quàm de Dei verbo fidit? Hæc ne Dauidis oratio, pauida adhuc pietate, Dei fidē redarguit? an Deum se offensum graui ira prodentem, adhuc placatum timet? Luculenter inquam, S. Ambrosius hęc ipsa compendiosè perstringens alio dubio præsens dubium dissoluit. Expendens Ambrosius illud: *Imperauit Angelo: Sufficit, iam cesset manus tua*, ita scribit: *Et vidit David ferientem Angelum, & dixit: Ecce ego sum, ego peccaui...... fiat manus tua in me. Si mandauerat Dominus Angelo vt parceret, quomodo feriebat adhuc Angelus? Nisi quia Dominus etsi vult ignoscere, vult rogari, & vt rogetur operatur.* Grande planè Orationis elogium prodit Ambrosius. Sed vndecumque illud sit, teneo ex magno Doctore: *Si mandauerat Dominus Angelo vt parceret, quomodo feriebat adhuc Angelus?* An vix credit magni Principis iram, quæ deposita dissimulatione, foras erupit, & in vltionem fervet, adhuc post septuaginta millia virorum occisa, deferbuisse? Non facile vel Ambrosio assentiam, quòd Angelus post cessationis iussionem, adhuc feriat: neque enim id Scriptura expressè docet; sed adhuc euaginatum tenuisse gladium, quod si postquam Angelus cessare iussus est, adhuc ferit, (quia iussio illa conditionata fuit, aut aliundè suspensa) valdè etiam verosimile videtur, Deum significare voluisse, quàm non facile in lege veteri, postquam suas iniurias diù dissimulauit, & iam vindicta foras erumpat, propitiari se sinat. *Si mandauerat Dominus Angelo vt parceret, quomodo feriebat adhuc Angelus?*

Dei concessa venia, orationem humanā adhuc expectat.

Ambros. in Psal. 37.

Si mandauerat Deus Angelo vt parceret, quomodo adhuc ferire dicitur?

4. Matthæi 5. hæc nouè mandat Christus Deus ad Christianæ beneficentiæ redundantiam: Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum (publicum, & nationaliter aduersarium plures interpretantur) *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Parùm foret Christianæ perfectioni in cordis recessu, & velut latebris aduersarium diligere, nisi etiam externo opere, & beneficentia oculis peruia, peruerso gratus officio, malum bono rependeris Quod Christiani ex præcepto, adiuncto mixtim consilio pręstant, in Hebræorum, & Gentilium oculis velut insolenter peregrinatur. Adeò vt hanc Christianę benignitatis redundantiam quidam irrideant, alij subsannent, nonnulli pusillanimati adscribant, alij velut irrationale crimen auersentur. Scilicet lippientes oculi plena lucis lampade occæcātur. Plures saltem ex ethnicis philosophis, quibus virtus inanis elegantiæ nomen est, fastu turgentes, hanc prænobilem pietatem quasi probrosam, & criminosam auersantur. *Sed neque ipsi quidem* Gentiles (ait Nazianzenus) *hoc dixeritis, qui nobis Christianū animorum facilitatem, & clementiam crimini vertere soletis.* Condonatio iniuriarum ad vltionem publicitate lacessentium, probrosam, & pusillanimem *animi facilitatem* nominant; & quasi nimiam contumeliosè *clementiam crimini vertere solent*, quasi crimen sit, iniuriam prodi, & patientiam non negare. Sic publicata iniuria ad vindictam instigat falsato rationis incentiuo, vt malum malo non exatiare, inter propudiosa scelera computetur? O quàm est cruda ratio humana, quam Christus ad virtutes non decoxit, nec ad saporem probitatis erudiuit!

Math 5. v. 44.

Ethnici publicata iniuria veniam, crimini vertere solent.

Naz Orat 1. contra Iulian.

---

§. CXLIX.

Sic viuidus pænitentia feruor, ad gratiam conciliandam eualet, vt quod innocentis amor non meretur, pænitens obtineat per culpas.

Qvàm leni, proficuo, & actuosissimo spiritu imbutus est spiritus illius, qui nouit in spiritu lenitatis peccantes instruere, suspendere erratorum vindictam, benè de illis exinceps sperare, & gratiæ officiositate inuiscerare sibi peccatorē, donec vita reddatur! Et quàm acri reprehensione dignus est ille, qui in superbia, & in abusione, caducam esse garrit pœnitentiæ gratiam, & malè sanam pœnitentis valetudinem; ac si sub dolosis pœnitētiæ cineribus adhuc fauillacea scintilla culpæ delitescat, quæ vbi primùm occasiunculæ porrigitur opportunitas, sublatentium delictorum flammam explicat, quasi pœnitentis lachrymæ, culparum potiùs balneum, quàm naufragium sint. Exhodi 14. cùm extendisset Moyses manum suam contra mare rubrum, fugientibus Ægyptiis occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus. *Filij autem Israel perrexerunt per medium sicci maris*, in quo facto adumbratam vidit Ennodius baptismi, & lachrymarum causam, ita fatus: *vt Hebræus transeat, Ægyptius deprimitur: & mersis in aqua corporibus, sola semiat culpa naufragium.* Nisi fortè putes, in baptismi, & lachrymarum vndis, vino naufragio culpas submergi, quod potiùs foret peccatorum asylum; & delinquendi licentia. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Ad quod videtur alludere Petrus Damianus, aiens: *Deus & ad irascendam difficilis, & facilis ad miserēdum. Homines reuolant ad opprobria, quæ remiserunt: iste cùm remiserit sic est quasi non fuerit.* Et quidem semper pœnitentia emendationis argumentum est, & sæpè plus placendi exinceps elogium: consueuit enim Deus honorare pœnitentes, magis quàm innocentes, dum illi de lapsu generōsiùs exurgunt. 1.

Mersis in aqua corporibus, sola sentit culpa naufragium.

Exhodi 14. v. 29.

Ennod in Bened. cer.

Homines reuolant ad opprobria, quæ dimiserunt.

Isaiæ 43. v. 25.

Petr. Dam. serm 64.

Ioannis 21. Petrus, qui Dominum in eius passione tertiò negauerat, tertiò iam confitetur, & quoties culpam delinquendo contraxerat, toties gratiam diligendo conquirit. Ecce quantùm pœnitentiæ lachrymæ profuerint Petro: antequam fleret lapsus est, postquam fleuit electus est; & qui ante lachrymas præuaricator extitit, post lachrymas pastor assumptus est, & alios regendos accepit, qui priùs se non rexit. Itaque passione peracta, dixit Simoni Petro Iesvs: *Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei pasce agnos meos*, &c. Petrus in passione Dominica non sine erroribus profecit. Quin & ausim dicere cum S. Maximo, 2.

Ioan 21 v 15

S. Maxim. hom. 4 de S. Petro.

Quod Petri amor nō merebatur, quodammodo obtinuit per culpam.

Postquam negauit Dominum Deum fuisse meliorem: fidelior enim factus est, postquam fidem se perdidisse defleuit; atque ideo maiorem gratiam reperit, quam amisit. O vide pœnitentiæ efficaciam, & reformatricem lachrymarum vim! Qui in Pontificis atrio frigescens, trinæ negationis niues sparsit, sic pœnitentiæ fletibus incaluit, vt plus cæteris se Christum iam diligere veraciter pronunciarit. Fidelior enasit, postquam fidem se perdidisse defleuit: & qui in Dominica passione frigore rigebat, postquam culpam flammea lachrymarum vnda rigauit, feruentiore præ cæteris charitate exæstuat. O felix culpa, in cuius deflendæ officina ardentior excuditur amor! Arguté Ennodius (etsi aliorsùm agens) sic ad rem fatur: *Si offensa præstat, vt magnitudinis suæ scripta geminentur, quam vellem sæpè illa sereni pectoris tui trāquilla turbari! & nisi aduersaretur proposito, causas indignationis ingererem,* (nota disertam disertissimi Antistitis rationem) *quando quod amor non meretur, obtinuit per culpam.* Scilicet Ennodius, Petrus inquam, qui ante culpam errante sæpè charitatis feruore, iam nesciens quid diceret, iam quod faceret nesciens, in Dominicæ passionis pelago, ad infidelitatis syrtes impactus, ter fidei naufragium fecit; lachrymarum procella altè mersus, mersis in aqua oculis, *sola sensit culpa naufragium*; indéque sospes emergens, de pœnitentiæ priuilegio feliciter naufragus, flammeo lachrymarum calore naufragium digessit, & redíuiuum amorem sic redaccendit, vt fidelior iam effectus sit, postquam fidem se perdidisse defleuit; & Ecclesiam benè regendam acceperit, qui priùs se male rexerit: quandoquidem (si dicere liceat) *quod amor non meretur, obtinuit per culpam.* Sic enim feruidæ pœnitentiæ igne conscientiam defœcauit, adaptauit virtutis propositum, & depurato ardentiùs amore scoriam vitiositatis excreuit, vt de aucta ac intentiùs culpæ officina, excusus amor micantiùs rutilauerit: *quando quod amor non meretur, obtinuit per culpam.* Inde forsan Nazianzenus Spiritum Sanctum appellauit *peregrinum Deum.* De quo aliàs. Pulchrè Sara; penè ad suspendium calamitate extimulata, sic Deum alloquitur infusa lachrymis: *Non enim delectaris in perditionibus nostris: quia post tempestatem tranquillum facis, & post lachrymationem, & fletum, exultationem infundis.* Quantò pro lachrymis gratior, quàm hactenùs extiterit, sequentes versiculi euulgant.

Ennod lib. 3 epist. 8

Spiritus Sanctus dicitur peregrinus Deus.

Naz. Orat. 5 de Theolog. Hic v. 22 apud text. Græcum.

3\. Lucæ 7. osculatur Maria pedes Christi, & oculis inundantibus vestigia Redemptoris infundit; dum Christi pedes sibi inuiscerare præsumit, viscera in Christo pietatis inuenit. Lachrymis cœpit rigare pedes eius. Cœpisse tantùm dicitur; non quia postquam cœpit, vberes lachrymarū riuulos stiterit, quibus spurca lauaret delicta; sed cœpisse duntaxat dicitur; quia sine vllo interuallo iunguntur, & lachrymæ peccatricis, & indulgentia Saluatoris. Videt, & inuidet singularitatis amator: & vtrumque arguit Pharisæi iactantia, Iesvm ignorantiæ, præsumptionis Mariam. Verùm Christus Deus suæ iam pœnitentis vindex, amoris ignem in peccatrice, enormium retrò culparum detestatione flabellatum, hac parabola euulgat: Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. *Quis eum plus diligit? Respondens Simon dixit: Æstimo quia is, cui plus donauit.* At ille dixit ei: *Rectè indicasti.* Ecce tibi mensuram amoris in pœnitente, è culparum magnitudine sumi. Sic Magdalena igne charitatis excoquitur, vt enaporatis per oculos libidinum excrementis, de squalore vitiorum, charitatis ardorem mirè conflauerit: Eloquenter Petrus Damianus, ita scribit: *Si cælestis sapientia carnis eius incentiua perdomuit, & extinxit: sic Sancti Spiritus ardor lūbes eius, ac renes extinxit, vt dum vasculum suum quotidianu superna gratia fluentis infunderet, carnis extincta materia, nullum titillantis luxuriæ fomitem ministraret.* Sic in Magdalena diu salacissimè peccatrice, flammeus Spiritus Sancti *ardor*, per pœnitentiæ lachrymas suffamatus est, vt incentiua carnis propè extinxerit, & quasi extincta foret in pulchra iuuenta libidinis materia, nil exinceps foret, quod vllum titillanti luxuriæ fomitem ministraret; Sic feruentis pœnitentiæ vigor eualet, vt propè dedifcere faciat libidinem naturæ agnatam, & longa lasciuiendi consuetudine auctam; Itaque ita Spiritus Sancti per pœnitentiam ingestus *ardor*, peccatricis amorem augens, excrementa criminositatis excreuit, vt à maioribus olim flagitijs eius nunc in Christum dilectio commendetur. Adeò vt verè dicatur: *Apostolorum Apostola, & dilecta propriè Saluatoris.* Magdalena, cui plus à Christo Deo remissum est, *plus diligit*: quæ autem plus diligit, *dilecta propriè Saluatoris* nuncupatur. Impropriè Saluator innocentes diligit? Non ausim hæc vel per hyperbolen pronunciare. Sed teneo magni Doctoris sententiam, quod diù peccatrix sic ardore pœnitentiæ incanduit, vt *plus diligens* Saluatorem, *dilecta propriè Saluatoris* meruerit appellari: *quod amor non meretur, obtinuit per culpam?*

Magdalena post pœnitentiam, nullum titillanti luxuriæ fomitē ministrauit.

Lucæ 7 v. 42 & 43

Petr Dam. ser 28.

Magdalena cur dilecta propriè saluatoris nuncupatur.

Idem ser. 56

4 Hinc querula Psalmographi vox, quæ in omnium auribus meritò peregrinatur: *Sana animam meam, quia peccaui tibi.* O incondita, & male composita allegatio! Quia flagitiosè peccauit, acre supplicium, non blandam meretur veniam; Hæc Dauidis ratio, vindicem scelerum Deum nō mitigat ad veniam, sed irritat ad supplicium. Equis reatum ad intercessionem prudenter aduocet? Verùm (vt profunde dixit Cassiodorus) *Materia est gloria principalis, delinquentis reatus: quia nisi culparum occasiones emergerent, locum pietas non haberet.* Sat esto, ad Cassiodori acumen intendisse digitum, super thesi à nobis aliàs vbertim expensa.

Psal. 40. v. 5

Materia est gloria principalis, delinquentis reatus.

Cassiod l. 3. epist. 46.

5\. Lucæ 15. Prodigus ille adolescēs delinquendo defessus, opportuna famis suadela admonitus; nuper consilij inops, cum necessitate consiliū init, & ad se reuersus, de reditu ad patrē seriò cogitat: nec enormia diu peccata degrauāt, quem spes alleuat ad regressum. *Et surgens, venit ad patrem suum.* Et vbi iacebat, qui nunc surgere perhibetur? ad quod fastigium surgendo eleuatur, qui ex infimissima ruina sic surrexit? Tempestiuè Chrysologus: *Et surgens, venit ad patrem suum. Surrexit iste mentis, & corporis de ruina: surrexit de profundo inferni, cæli alta contingens: apud cælestem patrem filius surgit plus de venia, quàm corruit de reatu.* Nempè Prodigus adolescens iacebat in flagitiorum profunditate, in imo ingratiæ, in gehennæ barathro, vitiorum submersus ruina; & indè surgit ad cœlestem patrē, ad cœli alta ad virtutis verticem, & sanctitatis fastigium: dum *surgit plus de venia, quàm corruit de reatu.* Sic sublimiter gratia emergente, sola sensit culpa naufragium

Lucæ 15 v. 20

Prodigus adolescens plus surgit de venia, quàm corruit de reatu

Chrysol. ser. 3.

fragium. Felicior factus est, postquam fidem se perdidisse defleuit: & amplexus & oscula, quæ pristinus non merebatur amor, quodammodò obtinuit per culpam: quoniam *surgit plus de venia, quàm corruit de reatu.* O felix culpa, quæ de gratiæ iacturâ, feruidæ pœnitentiæ arbitrio, compendium inuenit sanctitatis; & quod peccator improsperè amiserat, pœnitens vsurario commercio largiùs recuperat: indeque plus nitet Patris gloria, vnde credi poterat infuscata. Nam materia est gloriæ principalis, delinquentis reatus: quia nisi culparum occasiones emergerent, locum pietas non haberet. Sic viuidus pœnitentiæ feruor, ad gratiam conciliandam eualet, vt quod innocentis amor non meretur, pœnitens obtineat per culpas; *Apud cælestem patrem filius surgit plus de venia quam corruit de reatu.*

6. Clem. Alex. in Adh. ad Gent. *Perfectè consummatum est, quod omnes defectus reuocat ad perfectionem.*

Clemens Alexandrinus in Adhortatoria ad Gentes, Serapidis simulacrum præ reliquis Idolorum statuis celeberrimum, his verbis perelegan- ter describit: *Habet*, inquit, *ramentum auri, & argenti, & æris, & ferri, & plumbi, neque ei vllus lapis deerat Ægyptius, nec saphiri, & hæmatitis fragmenta, sed nec smaragdi, & topazij. Hæc ergò omnia leuigata, tritáque ac commixta illinit colore ceruleo, quâ de causa nigrior est color imaginis.* Quis non miretur, aurum, argentum, ac pretiosissimos lapides, colore superducto rectiùs abscondi? An Deæ pretiosior virtus dum propè absconsa translucet, magis scintillat ad spectatorum gratiam? O splendidior est virtus absconsa! Mitto hanc expensionem ad aliam thesim forsan non inidoneam. Et sanè mirissimum est quòd tot pretiosis metallis, & gemmis exquisiti valoris & splendoris, peritus illius statuæ artifex, *æs, ferrum,* & *plumbum* adæquè miscuerit: nam proculdubio hâc degeneris materiæ admixtione opinatissimum simulacrum deuenustatur. Imò venustatur egregiè, & arguta artificis peritia sumptuosiùs elucet: nam vt eleganter dixit Augustinus: *Res optima & perfecta, quæ omnes defectus reuocat ad perfectionem.* Vel ex defectibus coalescit perfectio; Vilis *plumbi, æris, & ferri* materia reuocanda est ad aureæ gemmeæque statuæ perfectionem; Satest digitum intendisse ad Augustini acumen.

Aug. lib. 3. Hypogn.

§. CL.

Homo gehennæ damnatus, pœnarum finem in ipso interitus sui velut confinio non inuenit: quia quantum perdidit pretium, tantum est excepturus supplicium.

1. Tertull. lib. de Spect. c. 30.

Secularia spectacula dehortatus, ad omnium sæculorum spectaculum fidei oculis contemplandum, seriò Tertullianus adhortatur: Quale autem, inquit, spectaculum in proximo est aduentus Domini iam indubitati, iam superbi, (id est, superantis omnes) iam triumphantis? At enim supersunt alia spectacula, ille vltimus & *perpetuus iudicij dies*, ille nationibus insperatus, ille derisus cùm tanta sæculi vastitas, & tot eius natiuitates vno igne haurientur. Quæ tunc spectaculi latitudo? quid admirer? vbi exultem spectans tot ac tantos reges, qui in cælum recepti nuntiabantur, cum ipso Ioue, & ipsis suis testibus, in imis tene-

Perpetuus iudicij dies dicitur à Tertulliano.

bris congemiscentes? Item Præsides, persecutores Dominici nominis, *saeuioribus quam ipsi flammis sæuierunt, insultantibus contrà Christianis liquescentes.* Quos prætereà sapientes illos Philosophos coram discipulis suis vnà *conflagrantibus* erubescentes, quibus nihil ad Deum pertinere suadebant, quibus animas aut nullas, aut non in pristina corpora redituras affirmabant? Etiam Poëtas, non ad Rhadamanthi, nec ad Minoïs, sed ad inopinati Christi tribunal palpitantes? Sic verò maximam naturæ humanæ partem occupabit pariter ac inuoluet excessus capitalium scelerum, & inde æternum pœnalis exustio: sed quia iam non recipit causa remedium, carebit fine supplicium. Occidente itaque damnatos pœnâ, & Christi eosdem viuificante sententiâ. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* Adsimilis pœna statuitur à Iulio Firmico, de errore profanæ religionis: *Stat*, inquit, *sententia, manet pœna, ignis vrget, quem vitare non poterit. Iam parturit flamma cælestis; iam diuinæ animaduersionis monstratur aduentus; iam futuræ cladis nunciatur exitium: in hoc incendio Palladium latebras inuenire non potuit; ignis iste scrutatur abdita, quærit absconsa; & quicquid errantis hominis vanis persuasionibus perdidit, rapida flammarum populatione complectetur.*

Amplum finalis iudicij spectaculum.

Matth. 25. v. 41.

Iulius Firm. c. 16.

Iudith 16. Væ genti, inquit, insurgenti super genus meum (in Dei inquam religionem, & populum (Dominus enim omnipotens vindicauit in eis, in die iudicij visitabit illos *Dabit enim ignem.....in carcere eorum, vt vrantur, & sentiant vsque in sempiternum.* Multis ibi adstruendamus infernalis pyræ æternaturam gehennam hîc cælitùs reprobis interminari: & tamen vt altè Gentibus buccinat Tertullianus: *Si gehennam comminemur, quæ est ignis arcani subterraneus ad pœnam thesaurus, proinde decachinnamur.* Tanta apud inferos pœna impiis hominibus incredibilis facta est, & inde cachinnis deridetur. *Thesauri* vocabulo, magnitudo & perennitas pœnalissimæ exustionis innuitur. Dicitur autem *arcanus ignis*, quo mitissima eius vis ad comburenda damnatorum corpora insimul & animas, æternâ deflagratione, nullâ interim consumptione denotetur. Itaque Gehenna est: *Ignis arcani subterraneus ad pœnam thesaurus.* Scilicet hoc arcani ignis thesauro opulentabitur ad æternos acerbè cruciatus, cùm cœperit inexpiabilis caro, & infectæ peccatis medullæ, sæuis gehennæ æstibus penetrari, & more feruentium ac decoquentium metallorum inextinguibili ardore tota hominis substantia intùs infundi, & depascentibus flãmis corpora ex parte consumi, ex parte nutriri, vt inter medios ignium globulos, & fumantes flammarum spiras, damnata natura det pabulũ, & accipiat incrementum. Planè *ignis arcani thesaurus* est, in quo æris, plumbi, ac sulphuris adulterina permixtio, inter stagna feruentia anhelantis gurgitis, execranda damnatorum corpora sæuis æstibus consumendo reparat, & erogando reseruat. *Escas ardoribus* (ait Eusebius) *crimina ministrabunt, manebit preceptum & auctoris & iudicis, vt viscera doloribus obnoxia, & solis cruciatibus consecrata; ignis arbiter depasta non deuoret; sed ad hoc pereat vt semper interimat: vt opus ac figmentum corporis nostri in antiquis sceleribus mortuum, ei ad sola tormenta rediuiuum, finem in ipso interitus confinio non inueniat, sed exinanita iamque tolerantiæ virtus sic pereat,*

2. Iudith 16. v. 21.

Tertull. in Apolog. c. 47.

Gehenna est Ignis arcani subterraneus ad pœnam thesaurus.

Arcanus gehenna ignis apprimè describitur.

Eusebius ad Monach. homil. 1.

vt resurgat.(attentiùs obserua quæ subdit verba) *illa enim non casualis, sed rationabilis & pœnalis exustio, quia culpam subetur inquirere, substantiam nescit absumere, flamma illa non tam reum persequitur, quam reatum,* eleganter planè exponit Eusebius huius *arcani ignis* nouam Philosophis naturam, quâ misera damnatorum corpora *ignis arbiter & rationalis exustio ardoribus consecrat:* & dum depasta reparat, non absumit, nullus pœnarum finis in ipso interitus optari confinio vnquam inuenitur. Planè Deus *non delectatur in*

Hic v. 22. *perditionibus nostris:* sed nec peccatum finit inultum. In hâc vitâ *post tempestatem tranquillum facit;* in futurâ æternus flammarum turbo, ita sæuit, vt nunquam desæuiat.

3. 4 Esdræ c. 16. hæc durè Propheta interminat: Væ tibi Babylon & Asia, væ tibi Ægypte & Syria. Præcingite vos saccis & ciliciis, & plangite filios vestros, & dolete: quoniam appropinquat contritio vestra. Immissus est vobis ignis, & quis est qui

4. Esdr. c. 16 v. 9. *In quo differant pœna & vltio.* extinguat illum? Dominus fortis immittet mala, & quis est qui repellat ea? *Exiit ignis ex iracundiâ eius, & quis est qui extinguat eum?* Est ne eiusmodi acerbior exustio, pœna peccati, quam Dei Iustitia dictat, an venit ex Iracundia, quæ in vltionem ardescit? Porrò vt didascalicè scribit

Arist. 1. Rethor. c. 10. Aristoteles: *Differunt autem pœna & vltio, nam pœna, eius qui patitur gratiâ fit; vltio verò eius qui facit.* Valdè exaggerantur damnatorum intolerandа tormenta, cùm ab vltrice Dei iracundiâ fulminata dicuntur, quasi non tam sceleris puniendi, quàm sui doloris consolandi, hæc gehennalis flamma reprobis erogetur. (moris est Scripturarum de Deo antropopathôs loqui) Et quidem multi valdè mirantur, volaticum voluptatis gaudium; temporarium alieni honoris, aut census detrimentum; & quicquid graue delictum conflat, conflare aduersus se arcani ignis æternaturum thesaurum, & atrocium dolorum nunquam moriturum supplicium. An tantum malum ab

Dånati animæ quantum perdiderit pretium, tantū erit exceptura supplicium. vltrice *iracundiâ* potiùs, quàm ab æquitate iustitiæ fulminatur? Grauioris delicti malitia, quæ infinita non est, infinita sæculorum morâ mulctabitur? Vltra condignum hæc mulcta exaggerari videtur. Imò citra condignum Deus punit. Omitto rationes Theologicas, quibus perspicuè euincitur, æternam pœnam mortiferi peccati malitiam non excellere; vnam duntaxat referibam, ex Emiseni pharetrâ luculentam. Qui sic fatur de scelesti hominis animâ, cum exuta iam corpore per extremas mundi oras inambulans, in illud inane ac vacuum de mundo cadere incipiat, atque in illud magnum chaos, quod vitæ mortisque regionem discernit intrare, & vitales auras ipsius naturæ exul amittere: cùm rebus humanis vale vltimum dicens, æternam mortem post se habens temporalem vitam ante se relinquens, in illud horrendum, & vix oculis attingendum pertrahitur profundum, diuersis malitię catenata criminibus. Tunc, tunc, inquam, Dam-

Emis. hom. 1. ad Monach. nati anima arcani ignis perpetuis ardoribus consecrata, *Quantum perdidit pretium, tantum exceptura supplicium.* O nouam gehennalium tormentorum mensuram! Christi Dei sanguis in hominis pretium effusus per Passionem, quem reprobus delinquendo neglexit, & impudenter luxuriando contempsit, erit cruciamentorum mensura. Redemptionis humanæ pretium tempore exhibitum, infinitum est: est enim meritum hominis Dei, & inde immetati valoris: ergò infinitati ipsius pretij peccando contempti, saltem respondeat durationis infinitas, ac tormentorum æternitas: & reprobi animi, *diuersis malitia catenata criminibus, quantum perdidit pretium, tantum exceptura supplicium.* Qui Christi Dei sanguinem contumeliosè in pretium redemptionis effusum, bonæ vitæ innocentiâ non honorat; tanquam infiniti pretij contempti reus, arcani ignis æternaturo incendio dignè consecratur: *Quantum perdidit pretium, tantum exceptura supplicium.* Væ qui hæc lugenda in posterum, ridenda nunc deputant! Væ quibus hæc priùs experienda sunt, quàm animitùs consideranda! Ne ergò per tot errores festinemus ad mortem, qui tot vias accepimus ad salutem.

Exodi 9. ingrauatum est adhuc cor Pharaonis. nec dimisit populum. Et dixit Dominus ad 4.
Moysen, & Aaron. *Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cælum coram Pharaone.* Hæc verba exponens Procopius ita scribit: *Redigit nobis caminus in memoriam ænigmă de camino: significat enim camini fuligo, ignis gehennæ pœnam, quam nobis Scriptura comminatur.* Quorsùm ignitæ fauillæ, seu ignis fuligo, quæ ænigma gehennæ repræsentat, à Moyse in cælum sursùm spargitur? nonne præstaret, vt in vstulandam terram deorsùm mitteretur? aut infernale barathrum gehennæ fuliginem superne eructaret? An in cælum spargitur, vt cognoscat homo, quòd quantùm perdidit è cælo pretium, tantum erit passurus in gehennâ supplicium? An in cælum spargitur gehennæ symbolum, quia vsqueadeò est pœnale, & peracerbum toleratu eius incendium, vt velut rursus à Moyse consulendus fit Deus (etsi summè iustus; summè etiam pius) de infernalis pyræ peracerbo tormento? An sic est intolerabilis gehennæ cruciatus, vt ne forsan alicui videatur crudelis, è cælo (id est, à Deo, qui est æquissimus meritorum arbiter) in terras relabi decernitur? Symbolicæ minæ incendij gehennalis atrâ fuligine, & torridâ fauillâ expressè, cineris nomine in cælum mittuntur, vt pium etiam cælum fauilla incineret: fuliginosum symbolicè reddet cæli nitorem, fumantis gehennæ infernale incendium: *Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cælum: significat enim camini fuligo, ignis gehennæ pœnam, quam nobis Scriptura comminatur.* Profectò sic est acerba subterranei arcanè ignis pyrâ immortalis, vt nisi exaggeratiori hyperbole adumbrari vix possit perennaturus illius rigor. Si adumbrata gehenna sit coloratur, ô quàm medullitùs exuret verè exhibita ad diuinioris Iustitiæ ostentationem!

Exod 9. v. 8

Procop. ibi.

Vel adumbrata gehennalis incēdij pœna fuliginem in cælum iacit.

---

§. CLI.

Qui debitis sui officij occupationibus negotiosiùs impenditur, tunc sibi & virtuti generosiùs vacat.

Tempus vitæ in ambiguo est, & forsan in limine mortis: sola virtus erit æternæ vitæ dux, 1.
comes, assecla; illi te totum dedica, dignus illa es, illa te digna est. Ite in amplexum alter alterius, omnibus aliis te nega, fortiter, apertè. Non est quòd tempus ad virtutem precario quæras. Te tibi vendica, & tempus tuum, semotis occupatissimis negotiis, tibi totum serua. Si æger esses, cu-

tam intermisisses rei familiaris, & tua & aliena negotia tibi interim excidissent. Toto animo id tantùm ageres, vt quàm primùm morbo liberatetis. Quid ergo? Non & nunc idem facies? *Omnia impedimenta dimitte, & vaca bonæ menti. Nemo ad illam peruenit occupatus.* Non est res subsiciua virtus, ordinaria est, domina est; nec illi sufficit tempus, quod aliis negotiis superfluit; exercet regnum suum, & totum tempus sibi vendicat. Verùm vulgari increbuit errore, quod homo illud duntaxat tempus facit suum, quod in otio & quiete transigit, sibi vni vacans: ast qui vltrò occupationes non exambit, sed eis se totum ex officio debet impendi, eò bonæ menti plus vacat quò in negotiorum tumultu occupatior est. Negotiosior cura, quam debita bene exercendi Muneris sollicitudo requirit, quies virtutis est; nec bonam mentem excutit, sed ingerit, & otium virtutis homo occupatissimus implet: qui si tunc amandatis negotiis, sibi vni vacaret, otiaretur virtuti, vitio occuparetur. Ministerium tuum plenariè adimple, & in alienis negotiis occupatissimus, virtutis otia negotiis æmularis, & occupationibus exerces.

Seneca ep. 54.
Qui debita occupationi totus impenditur, tunc præstantiùs virtuti vacat.

2. Numerorum 11. ad cælestes dapes nauseat Hebræus populus, & ad cibos Ægyptios hiat, atque querulus contra Moysen obmurmurat: cui intolerandares visa est, & ait ad Dominum. Cur afflixisti seruum tuum? & cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis est mihi. Et dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël, & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi: *Et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris.* Dionysius Carthusianus, secutus plures, & quem plures sequuntur, ideò censet Moysen deponi à summâ præfecturâ anxiè postulasse, vt in otij quiete sibi & contemplationi vacare posset. Quasi dicat Moyses: *Paci internæ & contemplationi vacare non queo, vt opto.* Itaque supremum Hebrææ gentis regimen sibi à Deo impositum, detrectare Moyses rogat, quia tot litibus, & occupationibus penè obrutus, sibi & Deo vacare non poterat. Sed nota diligenter quid illi Deus respondeat, humanæ imbecillitati conniuens, & conniuentiæ verbis, nos altè erudiens: Congrega (inquit) septuaginta viros de senioribus Israël: *& auferam de spiritu tuo, tradamque eis.* Non leue, facessit interpretibus negotium, quid significet *Auferam de spiritu tuo.* Aliqui exponunt, *de spiritu tuo, id est, de spiritu gratiæ tibi data.* Alij, *id est, de donis Spiritus Sancti tibi collatis.* Verùm opportunissimè ad rem, ita præfata verba exponit Lyranus: *Auferam de spiritu tuo, id est, de cura tua.* Multa quidem paucis! Scilicet, tu, ô Moyses, Præfecturæ depositionem anxiè expetis, aut Muneris adiutores, quia negotiosis occupationibus obsessus, *paci internæ, & contemplationi vacare non queis, vt optas.* Benè est, postulatis adnuo: sed ego *auferam de spiritu tuo, id est, de cura tua.* Quasi dicat Deus, ex mente Lyrani: Saltem notum tibi sit: quod *Spiritus tuus, id est, Spiritus gratiæ tibi datus*, vel *donum Spiritus-sancti tibi collatum*, est *cura tua*, quâ te occupatissimum censes in regendo populo, à me tibi commisso. *Paci internæ, & contemplationi vacare non queis*, vt in te augeas *spiritum gratiæ, & dona Spiritus sancti*; sed diligens & attentus aduerte, (& tecum reliqui, qui per me occupatissima subeunt Munera, multis curis negotiosa) quod *Spiritus tuus*, seu *Spiritus gratiæ*, seu *donum Spiritus-sancti*, est *cura tua*, quâ te negotiis occupatissimum quereris. O moralissima synonyma, occupatissima *cura tua*, & *spiritus tuus*! Immensę occupationes, quas vltrò non ambisti, sed diuino munere obis; & ipsa *cura tua*, quâ negotiosus dies noctésque illis impendis ipsa inquam, *cura tua*, est *spiritus tuus*, est *Spiritus gratiæ*, est *donum Spiritus sancti*. Tantis obsessus curis, *paci internæ; & contemplationi vacare non queis; vt optas*: benè est, sed è vlnmodi desideratum; & occupatio ipsa, pacis internæ, & contemplationis vices gerunt, illiusque fructus vberrimè pariunt. *Spiritus* Præfecti, est Præfecti *cura*. Ne *tua cura* tibi desit, & non deerit *Spiritus*. Pulchrè quidem Lyranus.

Nomer. 11. v. 17.

Carthus. ibi

Occupatissima Moysis cura in populo gubernando, est eius spiritus

Lyra ad eum locum.

3. Hic ipse locus sicut de Moyse expensus est, ad similiter etiam de illis septuaginta viris sanctitate & prudentiâ electissimis, exponi potest. *Auferam de spiritu tuo (ait Dominus ad Moysen) id est, de cura tua, tradamque eis*, quasi idem sit, negotiosa *cura* ad regendos populos his septuaginta viris à Deo commissa, ac Moysis *Spiritus*, in eos diffusus. An hi septuaginta viri, si otio contemplationis vacarent Moysis *spiritum* æmulari præsumerent? Sat esto, adnotationem præstrictam insinuasse, vt innotescat, quòd actuosior operatio, commissis à Deo negotiis sedulò impensa, *spiritum* non minuit, sed nouo fœnore potiùs auget: nam hi septuaginta viri cum occupatione Moysis, Moysis quoque spiritum acceperunt.

Hi septuaginta senes, cum regendi populi curâ Moysis spiritum accepisse dicuntur.

4. Geneseos 2. pulchrâ recapitulatione compendiauit sacer Historicus, quæ nuper de sexiduì opificio fusiùs denarrauerat. *Igitur*, inquit, *perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum. Compleuitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat. Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum.* Sumptuoso in primis verborum apparatu, hanc septimã mundi diem, quiete Dei sanctam, & sacro hominum otio destinatam Scriptura commendat. Sed quid est, quòd cùm cælis & terra iam perfecti, & omni suo cultu perfectè adornati dicantur, addit Moyses: *Compleuitque die septimo opus suum quod fecerat?* Profectò illud dicitur *perfectum*, cui nihil deest: ergò si mox mundiali opificio additur *complementum*, illo complemento priùs caruisse, necesse est. Quo modo igitur perfectum erit, quod complemento caret? Aut non debuit dici *perfectum*, quod *completum* non est; aut *compleri* non poterat, quod iam erat *perfectum*. Alterutrum alteri parùm cohærere videtur. Verùm Dionysius Richel, vt hoc dubium extricet, notat, creaturas vsque ad diem mundi septimam, perfectas esse in sua natura & cognatis naturæ proprietatibus, & ideò *perfectas* dici. Cùm autem additur: *Compleuit opus suum*, continuam exinde occupationem operandi actiones ad quas à Deo destinãtur, significanter denotari. Vndè subdit Dionysius: *Sicque dicitur Deus septimo die opus suum complesse, quoniam septimo die cœperunt sex dierum generaliter exercere actus congruos sibi, & in inuicem agere, atque similia propagare, seu administraris aut gubernari. Hinc paulo post dicitur Deus diei septimo benedixisse. Sic itaque compleuit Deus opus suum.* Pariter quidem Carthusianus. Scilicet creaturæ toto sexiduo *perfectæ* creatæ sunt in suo esse, & in proprietati

Genes. 2. v. 1. & 2.

Creaturæ sexiduì opificio perfectæ, die septimâ, in quâ operari incipiunt, perfectiùs complentur.

Carthus. ibi

prietatibus suæ naturæ congruentibus; sed *completa* & consummatæ non erant, quia sibi absque vllâ operatione vacabant, & quadam suæ perfectionis quiete otiabantur. Ast cùm in hac die septimâ, ablegato sextidui otio, quo in suâ perfectione quiescebant, ad continuum exinceps opus velut inquietantur, atque in negotium perpetuum operandi, occupatissimè incumbunt; tunc tunc quidem, vltra quietis *perfectionem* præsumunt, & de occupatissimo semper operandi negotio *complentur*; & perfectiùs consummantur, largioremque Dei benedictione inde consequuntur. Et sanè admirabilitate plenum est, quòd in septimâ die, quæ diuinæ quieti, & hominum otio destinatur, creaturæ omnes, quæ hactenus vacarunt, cœperint continuò operari, & actuosè semper impendi occupatissimi operis negotio, cui à Deo mancipantur, quò ethicè innuatur, quòd ampla perpetuò operandi negotia, quibus à Deo destinantur, præter operandi meritum, quietæ contemplationis, & otij dignitatem non amittunt, siquidem dies, in quâ operari incipiunt, otio & quieti moralissimè impenditur: & cùm actuosiùs operi incumbunt, tunc potiùs maximè sabbatizant. Planè eleganter Dionysius.

In die septimâ, quæ otio destinatur, creaturæ operari incipiũt.

5. Vndè hîc vers. 24. & 25. gloria Raphaëlis dicitur, (vt habetur in aliis exscriptionibus, & in litteræ commentatio obseruauimus) cum ex Dei munere negotiosus ad terras mittitur, vbi tot peregit negotia, quæ in toto hoc libro copiosè denarrantur. Neque tot, tantaque negotia Dei contemplatione Raphaëlem defraudarunt; imò gloria Raphaëlis dicitur negotiosæ missionis sedula occupatio. Ergo Raphaëlis solertiam æmulari, *neque vt otiosi in opere torpeamus, virtutum sabbato.* (quæ sunt verba Venerabilis Bedæ) Virtus enim, vt dicitur carere tempore, sic & sabbato caret. Nulla requies virtuti permittitur, quæ nescit otiari: sed dum magis otiosa videtur, tunc sollicitè actuosa est, & vacationis nescia. O quàm non benè virtus inerti otio sabbatizat!

Hîc v. 24. — *Virtuti non est sabbatũ.* — Beda in Marc. c. 13.

§. CLII.

Cupit ne Deus precariis hominum clamoribus quodammodo inquietari?

1. SAnctus Prosper multus est in explicandis illis sacri Historici verbis, quibus mundi opificio consummato, ita de Deo fatur: *Et requieuit Deus die septimo ab vniuerso opere quod patrarat.* Non est autem fas credere (ait S. Prosper) aliter affici Deum cùm vacat, aliter cùm operatur, quia nec affici dicendus est, tanquam in eius naturâ fiat aliquid, quòd antè non fuerit. Patitur quippe, qui afficitur, & mutabile est omne quod patitur. *Non ergo in Deo aut pigra vacatio, aut laboriosa cogitetur industria; quia nouit & quiescens agere, & agens quiescere. Æterna enim est & incommutabilis voluntas eius, nec consilio alternante variatur, in quâ simul est quicquid in rebus creandis, vel ordinandis, aut præcessit, aut sequitur.* Verè quiescit Deus, qui nullo alternante consilio variatur: nec pigrâ vacatione quiescit, nec laboriosâ industriâ inquietatur, qui nouit & quiescens agere, & agens quiescere. Verè quiescit Deus: sed non est cur quis timeat aliquem cælestis militiæ Principem dicentem cum Abner: *Qui es tu, qui clamas, & inquietas regem?* Verè quiescit Deus; sed qui valdè cupit humanarum precum clamoribus quodammodò inquietari.

Gen. 2. v. 2. — S. Prosp. in sententiis. — *Deus quiescens agit, & agens quiescit.* — 1. Reg 27. v. 14. — Hîc vers. 24. & 25.

2. Euangelicus Vates Isaias cap. 62. prospectans prophetiæ oculis Euangelicæ gratiæ tempora, ita fatur: *Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei, donec stabiliat, & donec ponat Ierusalem laudem in terra.* In sacris Bibliis *silere* & *quiescere*, significationem reciprocare, notius est, quàm vt probatione egeat, exinde *silentium* idem est, ac *quies*. Quid ergò est quòd Propheta veros Israëlitas seriò adhortatur, ne Deo silentium aut quietem permittant? Num humanis clamoribus inquietandus à nobis Deus est? Ecquis mortalium tumultu clamorum Deum inquietare præsumat? Et esto, id præsumat, quis diuinam quietem interpellare possit? Rupertus grauis & subtilis Doctor, exponens ea verba capitis 3. Geneseos: *Et cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem*, acutè hæret in τὸ *post meridiem*, quasi homine tentationibus afflictato, meridiandum Deo non foret; sed exsomni curâ, & sedulâ industriâ vigilandum, vt opem periclitanti ferret. Sic fatur Rupertus, ad illa verba. *Post meridiem. Culpandus ne est Deus, qui toto meridie dormiuit, & eo dormiente lupus ouem centesimam tulit? Non vtique, sed tota culpa illius est, qui custodem suum dormire permisit. Nam vt ille non dormiat in arbitrio hominis est, qui semper illum ne dormitet aut dormiat, inquietare debet. Vnde & per Prophetam Spiritus eius dicit: Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei.* Homo passionum tumultu, & tentationum rixis crebrò inquietus, Deum semper velut *inquietare* debet, aiens: Apprehende arma & scutum, accelera vt eripias me. Opportunæ & importunæ hominum preces, dum Deum *inquietare* dicuntur, eius beneficentiæ vrbanissimè adulantur, & largiora beneficia adulantiùs subornant. Suæ quietis velut negligens est, qui sic *inquietari* expetit. Diuinæ liberalitatis beneficia œconomia, requiem fastidit, & humani clamoris inquietudinem exambit. Homo dum miser Deum precatur, & in ærumnis & tentationibus cælestem opem implorat, placidè *inquietat* Deum, vt velut exsomnis misereatur. Fateor, *requiescit* Deus; sed culpandus non est, qui toto meridie dormiuit, & eo dormiente serpens Dæmon hominem sibilis infatuauit, ore venenauit, morsu lacerauit. Tota culpa hominis est, qui custodem suum dormire permisit. Nam vt Deus non dormiat, in arbitrio hominis est, qui diuinâ gratiâ adiutus, dum tentationibus & ærumnis afflictatur, Deum *ne dormitet aut dormiat, inquietare debet.* Deus totus vigil est, somnum Deus nescit: ast dum homo in tentationibus oscitanter stertit, & deses silet, iners tacet, & piger otiatur? Deus dormire, id est, cessare dicitur. O pigra in tentationibus, & calamitatibus hominum silentia! Eccur Deum vnicum opitulatorem cum Tobiâ & Sarâ non *inquietas*? Quietem in tentatione mauult, qui dum tentatur, & affligitur, Deum clamoribus inquietare recusat. Deum *ne dormitet aut dormiat inquietare debes.* Sed quorsùm Deus dum largiùs benefacit, cumulatiùs miseretur, & velociùs subuenit, velut *inquietus* dicitur? An humani vitij vocabulis explicanda est augustior diuinæ clementiæ largitas? angustior est pietatis 3.

Isaiæ 62. v. 7. — Gen 3. v. 8. — Rupert. ibi. — *Cupit ne Deus humanis clamoribus velut inquietari.* — *Cur velut vitij nomine diuina largitas significetur.*

quàm

quàm vitij meta: illa virtutis terminis clauditur, excessuum nescia: hoc audacter & immotè expatiatur hinc forsan misericordia, velut *inquietudinis* vocabulo ad bonitatis exaggerationem exprimitur. De quo alibi vberem Opus non est pium & eruditum monere lectorem, cùm Deus à Ruperto dicitur *dormire, quiescere, inquietari*, id antropopathos accipiẽdum esse quemadmodũ perhibetur *pœnitere*, & *recordari*, & *irasci*. Nil enim potest Deum propriè inquietare, aut diuinam interpellare quietem.

Auctor. in Iudith c. 8. §. 2.

4. Lucæ 11 vt humanæ imbecillitatis in orando fiduciam Christus erigat, postquam orationis præscripsit formulam, ita subdit: Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quid ponam ante illum: *Et ille deintùs respondens dicat: Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi*, &c. Tempus mediæ noctis consultò ponit, quod deuotum & iuge Amici ad largiendũ pernoctantis demonstrat indicium, hoc tempus est, quo inter præteritos & futuros labores ardens animus; sed ad diuina, nil indulget corpori, nil quieti, sed antequam finiat transacti diei opera, inchoat & anticipat iam futura. Verùm tempus mediæ noctis designatur, vt cùm amicus petitor aduenit, saltem Amicus, à quo petitur, semisomnis inducatur, clausum ostium familia in cubili quiescens Ast cùm tandem petitos panes donat, *Indicit in hac humanitate*, ait Chrysologus, *geminam necessitatis speciem, petentis & dormientis: vt illum petere hospes, dare compellat hunc somnus*. Somnus ne ad donandum impellit? & sanè sopitus nõ donat, sed amici clamoribus excitatus, & iam exsomnis petita largitur. Ergò dare compellit hunc somnus, non in quo iacet, sed à quo inquietatur. *O quàm dare vult*, (præmiserat idem Chrysologus) *qui se inquietari taliter, taliter patitur suscitari! O quàm necessitatis esse sua, quod sua potestatis est, vult videri! quam pulsanti iste gestiuit occurrere, qui sic secreti sui cubile ipsam collocauit ad ianuam!* Tempestiuè quidem Chrysologus. Scilicet ad ianuam lectum sternit, vt quàm excitari ad donandum cupiat, manifestè publicet. *O quam dare vult, qui se inquietari taliter, taliter patitur suscitari!* Perstrepãt humanæ necessitatis tumultus, ne velut sopitum Deũ precatiis clamoribus *inquietare* cesses, eiusmodi inquietudinis blãdimento, diuinior beneficentia gaudet, ne liberalitas à donando quiescat. Quod capiendo somno inquietudine detrahis, publicandæ munificentiæ liberalitate adiicis. *O quã dare vult, qui se inquietari taliter, taliter patitur suscitari!* Sic *Deum ne dormitet aut dormiat, inquietare debes*. Inquietandus est somnus, ne liberalitas tantisper quiescat.

Lucæ 11 v. 7.

Donare cupit Deus, dum sit humanis clamoribus velut inquietari expetit.

Chrysol. serm 39.

5. Geneseos 22. prolixæ spei fructu Abrahamus orbari iubetur, cùm diu improles prolem optatissimam mactare pius carnifex parat. Dura præceptio tenerè dilectum filium paternâ manu iugulare denunciat, quò tot diuitiarum & gloriæ turbatur felicitas. Quin & cùm strictum gladium viriliter subrigit, vt in filij iugulum inclementiùs mergat, ne inchoatum perficit facinus geminatâ voce de cœlo inquietatur. Extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum. Et ecce Angelus Domini de cœlo clamauit, dicens: *Abraham, Abraham*.... *Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quicquam.* Tũc arietem ibi ostensum mactauit ferro, quo filium percutere iam parabat. Nempe à filio ad agnum transtulit dexteram semper lætus & gaudens: nec mutatus est vultus eius, cùm esset victima commutata Pergit Zeno Veronensis: *In illo sacrificio* (Isaaci inquam) *solus Deus doluit: quia aliam victimam procurauit, nam Abraham cum filio sic probatus à Deo est, vt non postulans misericordiam mereretur.* Benè est, quòd Deus antropopathos *doluisse* dicatur, quia aliam victimam præparauit; nempe pro innocẽter sanctissimo Isaaco, pecuinam hostiam, arietem inquam. Aut *doluisse* perhibetur, quia aliam victimam præparauit; scilicet pro Isaaco Abrahæ filio, filium suum, Christum Deum, agnũ immaculatum, in arâ crucis denuò mactandum. Esto, inquam, Deus indè *doluerit*: sed nota aliam doloris causam, quam per causalẽ voculã *nam* Zeno subiungit: In illo, inquit, sacrificio *solus Deus doluit*, quia aliam victimã procurauit: *nam Abraham cum filio sic probatus à Deo est, vt non postulans misericordiam mereretur*. Grauate Deus fert, quando misericordiam *non postulanti*, misericordiam tribuit; Sic vult sublimiora beneficia rogatus donare; Durè tentat Abrahamum, vt blandi amoris paterno lenocinio inquietatus, deprecationẽ victimæ postulet, cœlũ supplicatione pulset, Deum votiuis precibus tangat, & eius velut sopitam clementiã quodãmodo inquietans, quasi exsuscitet ad pietatem? *In illo sacrificio solus Deus doluit*... *nam Abraham cum filio sic probatus à Deo est, vt non postulans misericordiam mereretur.* Num pacata Abrahami felicitas dura tentatione pulsatur, si fortè Deum *ne dormitet aut dormiat* ad auertendam calamitatem blandis precibus *inquietet*. More humano cum Scripturâ & Patribus, de Deo loqui cogimur; nec aliter eualet humana tenuitas tantæ magnitudini impar.

Genes. 22 v. 11. & 12.

Quo sensu dicatur, quod Deus dolet, cùm non postulans misericordiam meretur.

Zeno ser. 1. de Abrah.

---

§. CLIIII.

Ioabus victoriæ gloriam Dauidi generosè cedit, sed citra suum dedecus.

1. Relinque ista iam dudum ad quæ discurritur, relinque diuitias, aut periculum possidentium, aut onus. Relinque corporis atque animi voluptates: molliunt, eneruant. Relinque ambitum, tumida res est, vana, ventosa, nullum habet terminum, etiam quãdo modum habere putatur Sollicita est, nequid vnquam honoris amittat: quod si aliquid vltro amisit, maiore honoris ambitu; solerter satagit, vt ambitiosus honoris contemptus, saltem per rimulas suspicionibus perluceat. Nemo sic est honoribus satur, vt sumptuosâ adhuc ambitione, aliorum honori non inuideat. Sic humanus animus est alienæ laudis auarus; O quàm miser est, si is cui inuidetur, & inuidet! Fiducia amplioris gloriæ, sublimioribus, imò & æqualibus se aliquando vilis curuat ambitio; non quò decrescat, sed vt crescat sublimiùs, peruersâ crementi negotiatione, ad honoris vsuram, quod est pro pudiosum ambitionis genus Nemo tamen est tam honoris prodigus, vt sui probro, honorem ædificet alienum, etiam dũ ampliores clanculùm exambit honores. Sat est, quòd ambitionis ingenio,

Dissimulata ambitio fatagit, vt cessio honoris illam facta, saltem transluceat.

nio, honoris sibi debiti fulgores in aliū reuerberet, quin se ipsum contumeliæ obscuritate obumbret. Alteri cedit gloriam negotiosa ambitio, sed citra proprium dedecus; cui rei solertiùs inuigilat, ne dubia honoris spe indubiam negotietur contumeliam.

2. 2.Regum 12. Ioab ille, inclytus Hebrææ militiæ princeps, numerosâ stipatus manu, vrbem Rabbath Ammonitidis metropolim, durâ obsidione diu pugnacissimè cingit. Igitur pugnabat Ioab contra Rabbath filiorum Ammon & expugnabat vrbem regiam misitque Ioab nuncios ad

2.Reg.12.v. 27. & 28. Dauid, dicens: *Dimicaui aduersum Rabbath, & capienda est vrbs aquarum. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside ciuitatem: ne, cùm à me vastata fuerit vrbs, nomini meo adscribatur victoria.* O præclarissimum & fidelissimum Ducem, qui diu aduersus hostes pugnacissimus, Regis sui gloriæ solùm militat! Victoriæ suæ cedit vt illâ solus Dauid gloriosè triumphet. Hostes Ioab strenuè deuicerat, sed hoc de ambitione trophæum, immortali gloriâ dignissimum, opulentiùs erexit, perennaturo fidelitatis exemplo. Verū

Abul in 2. Reg c.12.q. 28. *Victoria Ioabus cedit, sed citra suum dedecus.* Abulēsis in re Biblicâ sagacior interpres, curiosè eruditus perquirit, *Quare dixit Ioab, quòd congregaret Dauid reliquam partem populi?* Porrò (vt ad alia aliorsùm themata notabamus) si propè erat vt caperetur vrbs, debilitatis militibus præsidiariis, subrutis crebro ariete muris, & spe necessarij commeatus interclusâ; quid Regi nouum militum delectum seriò suadet? Frustrà Ioabus suum vexat populum, dum nouum exercitum cogi iubet, ad bellum minimè necessarium. Quòd si adhuc necessarius erat, quomodo verè dixit: *Dimicaui aduersum Rabbath, & capienda est Vrbs aquarum. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside ciuitatem, & cape eam: ne cum à me vastata fuerit vrbs, nomini meo adscribatur victoria!* quasi tantùm non capta sit vrbs. Respondet

Abul. sup. Abulensis quæstioni à se propositæ: *Sed dicendum, quòd hoc dixit Ioab ad maiorem laudem Danidis, scilicet vt magis coloraretur factum, & adscriberetur victoria ipsi Dauidi. Nam si Dauid iuisset ad pugnandum, & non tulisset alios bellatores præter eos, quos habebat Ioab: dato quòd caperet vrbem, nō videretur quòd aliquid egisset, quia ipse solus erat: sed adscriberetur victoria Ioab, tanquā ipse iā omnia illa disposuisset.* Imò potiùs putauerim, quod nouus militū delectus quo armari Dauidem Ioabus

Sanct.ibi n.36. suadet, vt vrbem expugnet, non fuit *ad maiorem laudem Dauidis*, sed ad declinādum contumeliam suam. Nam vt notauit Sanctius, *Dauidi ab euertendis, capiendisque ciuitatibus aliis immortalis aduenerat gloria.* Ergo si Dauid de expugnandarum vrbiū gloriâ inclytus, sine exercitu obsidioni adesset, & protinus vrbem expugnaret; *quia ipse solus erat*, satis verosimili coniecturâ putaretur, per Ioabum belli ducem stetisse, ne vrbs diu obsessa hactenùs expugnaretur. Itaq; Ioab, qui illustrissimâ gerendi belli peritia ad eas angustias redegerat hostes, vt facilè foret vrbem expugnare; ne huius victoriæ gloria deesset Dauidi, illum admonet vt euersioni ciuitatis non absit. Ne autem ipsius Ioabi imperitiæ fortè imputaretur, vrbem eousque euersam non fuisse, nouis Dauidi stipari phalangibus persuadet. Sat est suæ gloriæ cessisse: sed sine sui probro cedit. Gloriæ suæ plausibus Regi adulatur attamen citra suæ peritiæ probrū. Non est proprij honoris aduersus regem auarus; sed non est suæ contumeliæ prodigus. Adsit obsidioni Dauid, qui captet meæ victoriæ triumphū? non adsit sine exercitu, qui peritiæ meæ nō frustrà militabit. Hæc nō est alienæ gloriæ auaritia; sed cùm sit mei honoris dispendium, non sit probri compendium, & contumeliæ vsura. Vnde Dauidi ait: *Nunc igitur congrega reliquam partem populi*, &c. ne si solus aduenias, & protinùs vrbem capias; non tantum bellici mei laboris gloriam percipias, sed defectu strenui Ducis, vrbem hactenùs captam non fuisse, in mei contumeliam existiment.

Adeò est difficile hominibus, suæ gloriæ detrahere, quod alienæ adiiciant; vt in hoc adhuc opinatissimo Ioabi facto, quod Scriptura sic celebrat, quò ipsum deuenustent, næuum aliquem nonnulli timentur: quasi humanum fastigium excellat, Ioabum tantæ gloriæ omnino cessisse, quò se inglorio, Dauidem sublimaret. Iterùm rescribam verba, vt textui propiùs adaptetur expensio. *Misitque Ioab nuncios ad Dauid, dicens: Dimicaui aduersum Rabbath, & capienda est vrbs aquarum. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & cape eam: ne, cùm à me vastata fuerit, nomini meo adscribatur victoria.* Sed cur nouum exercitum comparare suadet, si adhuc sine nouis auxiliis, in promptu est vrbem expugnare? Hac super re, & ad rem præsentem opportunè, ita scribit ibidem Abulēsis: Dimicaui, inquit, aduersum Rabbath id est, iam feci multa bella contra eam, in tantùm quòd breue est vt capiatur. *Capienda est Vrbs aquarum. In Hebræo dicitur: Cepi vrbem aquarum. Sed obiicitur, quod si capta erat, quomodo mittebat ad Dauid vt caperet eam?* (Quod dubium ad aliam thesim copiosè examinabimus. Nunc ad thema præsens Abulensis respondet ex Hebræorum sententiâ) *Respondent Hebræi, quod ista vrbs diuisa erat in duas partes, scilicet in vrbem planam, & fortalitium. Primam autem partem ceperat Ioab, & non secundam.* Nec omnino abs re. Porrò Ioab obsidere se dicit Rabbath regiā Ammonitarum vrbem, & capiendam esse Vrbem aquarum quasi diuersa pars saltem sit. Nēpè Ioabus cùm totus Dauidicæ gloriæ videtur militare, aiens: *Vt nomini tuo adscribatur victoria*, iam ipse primam & potissimā victoriæ partem deliberat. Primitias bellicæ gloriæ ipse potitus, ad posteriores glorias Dauidē inuitat. Primum & laudatissimum illustris victoriæ saporem iam ipse prægustauerat, & victoriæ reliquum Dauidi propinat. Imò à rege ampliorem expectabat prærogatiuā honoris, quò proprio honori cedens, illo Regem cumulare exambiebat ad honoris vsuram. O disce hinc, quàm sit ambitiosa laudatior in sęculo proprij honoris abiectio! Ambitionem obsequio colorat. Raphaël autem apparenti mercedis ambitione colorat obsequium: & dum hominis seruitium, suę dignitatis velut oblitus, suscipit, humani stipendij specię, piè ambitiosus diuinę glorię totus militat.

3.

2 Reg.12.v. 23. & 24 *Ioab postquā primam victoriam delibauit, reliquum Dauidi offert.*

Abul.sup.q. 27.

Hic v.25.

Lucæ 22. Christus Deus dum vltrò it in montem Oliuetum, sese acerbæ & cōtumeliosæ Passioni spontè offerēs, sic trepidos Discipulos alloquitur: *Nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Exigua planè cohors aduersus Romanorum & Pontificum, imò & Tartarorum phalangas ferò armatur. Quin & vndecim piscatores gladiis insolenter succincti, tantę hostium multitudini repugnare non cualent, cur ergo qui lædere prohibet, qui alteram maxillā percutienti iubet 4.

Lucæ 22 v. 36 *Christianus gladio armatur, vt generosiùs victoria cedat.*

Ambr l. 10. in Lucam ad ea verba.

iubet offerri, qui persecutoribus peruerso gratos officio nos esse vult; gladios tam sollicitè parari mandat? Pulchrè ad rem Ambrosius: *O Domine, cur emere iubet gladium, qui ferire me prohibes? Cur haberi præcipis, quem vetas promi? nisi fortè vt sit parata defensio, non vltio necessaria: & videar potuisse vindicari, sed noluisse?* Nemo ambigat de gloriosis Christianorum triumphis, quorum vinci spiritualis victoria est. Imò dum referire aduersarium prohibentur, non sordidè, sed generosè victoriæ cedunt: armantur enim gladio, qui eum promere vetantur, quo *parata sit defensio*, & hostium aduersa profligatio, vt videantur potuisse se vindicare, sed charitatis officio noluisse. Gladiis armantur, qui illos stringere prohibentur; vt tunc victoriæ cedant, cùm de armata ad victoriam potentia, victoriæ gloriam præproperè delibarunt. Porrò tametsi referire aduersarios Christianismus vetat, Christianos autem generosa victoriæ laude non fraudat: nam in parata iam armis defensione palmam prægustat. Quemadmodum enim Ioab victoriæ gloriam Dauidi generosè cedit, sed citra suum dedecus; & illustrioris victoriæ compendio: sic pacatissimis Christianis parata est gladiis defensio, *vt videantur potuisse vindicari, sed noluisse*, qui est geminatus triumphus; alter, quo potuit armis vincere, sed noluit; alter quo spontè victus est, nam Christianis vinci, spiritualis victoria est.

---

§. CLIV.

Ne sit homo apud se tam vilis, qui tam pretiosus est apud Deum.

1\. Hildeb epist 33.

Homo apud se vilis, apud Deum pretiosus.

Nihil est quod homini sit inutile nisi homo ipse, (ait Hildebertus) *Nulla ei mentio de se, nulla cura pro se, nulla reuerentia in se.* Si homo sibi vilis est, ex Dei saltem æstimatione cognoscat homo dignitatem suam, ne de limi sui cœno apud se squaleat. Si tamen tantum possumus carni vindicare, quantùm contulit ille, qui eam fecit, iam tunc gloriantem, quòd illa pusillitas, limus, in manus Dei, quæcumque sunt, peruenit; satis beatus etsi solummodo contactus. Quid enim si nullo ampliùs opere, statim figmentum de contactu Dei constitisset? Adeò magna res agebatur; qua ista materia extruebatur. Itaque toties honoratur, quoties manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effringitur. Recogita totum illi Deum occupatum, ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, prouidentia, & ipsa in primis adfectione, quæ lineamenta ductabat. Et sanè maximum diuinæ circa hominem æstimationis insigne est, quòd inter ipsa mundi principia, imaginem, ac similitudinem Dei sui seruus accepit: grandi siquidem dignatione primo homini spiraculum vitæ de suo pius Formator infudit. Itaque tantus est hominis census apud Deum, vt quotula eius pars sit Sanctus Raphaël, vnus è septem Dei

Hic v. 15.

facialibus, ministeriali eius velut seruitio destinatus.

2\. Gentium Doctor in priori ad Timotheum epistola illum instruit de Dei erga homines amore, quo ardenti voto percupit, omnes homines saluos fieri, & ad agnationem veritatis venire, nequis diuinæ esse pietatis exors videatur. *Vnus enim Deus*, inquit, *vnus & mediator Dei, & hominum CHRISTVS IESVS: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Nempe primùs homo, & in eo eius vniuersa posteritas, insano omniscientiæ diuinæ ambitu, Dei imaginem in ipso expressam fœdè conspurcauerat; & à Filij Dei dignitate, Diaboli captiuus factus est, iræ filius, peccati reus, & gehennæ vectigalis. Verùm vt hominem à Diaboli captiuitate redimeret, Dei Filius, verus homo factus est, vt eius Passione, & morte suum hominem à Diaboli potestate liberaret. Hic est homo Deus, CHRISTVS IESVS, *qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Quæ verba hoc pulchro glossemate ad rem præsentem sic illustrat Eusebius: *Magnum quidem mihi est de Deo, quod esse me sentio opus suum: sed multò plus est, quod transisse ipsum video in pretium meum: quandoquidem tam copioso munere ipsa redemptio agitur, vt homo Deum valere videatur.* Ecce quantum agit illa immensa pietas pro salute ac reparatione nostra, vt vel hinc homo dignitatem suam agnoscat, & in quanto sit apud Deum pretio. De summa itaque throni sui arce Deus descendens, terrena visitat, inferna non despicit, Passionem suscipit, mortem non exhorret, vt captiuum hominem ab infernali ergastulo redimat. Æstimemus in quantum suum seruum diligere potuit ante culpam, quem sic glorificat post ruinam. Ecce gratia penè maiora restituit, quàm factura contulerat: & cùm Deus transierit in hominis pretium, perspicuum fit quàm sit pretiosus apud Deum hominis census: quandoquidem tam copioso munere ipsa redemptio agitur, *vt homo Deum valere videatur.* Inter hæc multum quidem est, quòd abstulit Diaboli nequitia; sed multò plus est, quod ei reddidit misericordia: cùm Deus ipse *dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, vt homo Deum valere videatur.* Magna quidem fuit indulgentia conditoris, assumptum de limo hominem quodammodo de ore halitúve suo feliciter animare, & ad sui similitudinem factum, inter paradisi amœna componere: sed maior est gratia, & quæ hominis apud Deum plus æstimationem declarat, quod ipsemet Deus semet dederit in redemptionē pro homine, adeò *vt homo Deum valere videatur.* Quæ comparatio tenebrarum ad lucem? facturæ ad artificem? limi ad Deum? Cognosce ô homo dignitatem tuam, & qui in re vilis es, de hoc Dei censu tuam æstimationem taxa. Ob leuem voluptatulam, ob ambitionis, aut vanæ gloriæ inanitatem friuolam, ob similes rerum mundialium nugas, animam tuam nundinaris; quam sic Christus Deus redemptione æstimauit, *vt homo Deum valere videatur*? Sic vilis eris apud te, qui sic pretiosus apud Deum es? Et quomodo cum tanta ab origine superbia, tantam nostri depretiationem componimus? O! nunquam sine graui contemptu nostro delinquimus.

1. Tim. 1. v. 5 & 6.

Homo Deum valere videtur.

Euseb. hom. de Pascha.

3\. Geneseos 1. totius mundialis opificij clausula, Homo efformatur: ad cuius dignitatem præ reliquis etiam cœlestibus creaturis extollendam, diuinum consilium aduocatur: *Faciamus*, inquit, *Hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Multa alibi sparsim dedimus de hac Hominis ad Deum similitudine; maximum quidem humani honoris insigne est, quod à prima primi hominis formatione, diuina imagine homo excusus sit, qua hominis æstimatio apprimè commendatur,

Gen. 1. v. 26

Homo est Dei nummus.

mendatur. Quod subtiliter vidit, & eleganter tradit Hilarius, ad illa CHRISTI verba: *Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illi IESVS: Cuius est imago hac, & superscriptio?* &c. Sic fatur Hilarius: *Numisma Cæsaris in auro est, in quo est eius imago depicta. Dei autem numisma homo est, in quo est Dei imago figurata.* Profectò sicut aurum argentúmve Cæsaris imagine excusum, ad regij numismatis valorem, & elogium adscitur: ita Homo à sui conditione Dei imagine figuratus, tanquam Dei nūmus excuditur, Dei expressa similitudine pretiosus. *Qui venditant, prius nummum quo paciscuntur examinant, ne scalptus, neve rasus, ne adulter*: etiam Dominum credimus Hominis probationem priùs inire, tantam nobis mercem, perennis scilicet vitæ concessurum. *Scalptus* nūmus est, cui aliquid ademptum deest. *Rasus*, detritus nimio vsu, & iam non asper, ac perindè vilior. *Adulter*, falsus neque ex probato auro: aut argento, subæratus inquam; quique non vera sui Principis imagine impressus est. Qua super re ita ad rem præsentem Ignatius scribit in Epistol ad Magnesianos: *In hominibus characteres duos dico inueniri, vnum veri numismatis, alterum adulterini: Homo pius, numisma est à Deo cusum; impius numisma ementitum, incertum adulterum, carens signo debito, non à Deo effectum, sed ad Diabolo.* Scilicet Homo non modò de Dei æstimatione censendus est, qua se in eius pretium dedit, adeò *vt homo Deum valere videatur*; sed etiam Dei imagine, qua rudis humanitatis massa impressa est, ad immetatum Hominis valorem, quasi Dei thesaurus pretiosis hisce numismatibus constet. O homo, Dei munus es, eius imagine figuratus; perpende quàm tui valor ex eius excusa imagine exaggeretur ad pretium. Vide ergò ne sis nummus *scalptus*, dum bestialibus vitiis deditus, aliquid quodammodo rationis tibi deesse videatur. Vide ne sis *rasus* nimio nequitiæ vsu; non asper ad vitia, & mollis, & delicatus ad virtutis asperitates. Vide ne sis *adulter*, id est, vili delictorum metallo subæratus; nec Dei tui imaginem, sed Diaboli similitudinem portans. Sic enim non eris nummus, quo beata cœli perennitas, sed quo gehennalis incēdij æternitas coëmunt. O tuum tibi impressum valorem serua; ne si adulterinè degeneres, felicitatis commercio inutilis inueniaris; & vnde cœlum condignè mercari posses, æternatura gehennæ incendia coëmas.

Math 22 v. 19. & 20. Hilar. Can 23. in Matth.

Tertul. lib de Pœnit. c 6.

Ignat. Matth. in epistol. ad Magnes.

4\. Euangelicus Vates Isaias, cap. 53. sic fatur de CHRISTO: *Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet.* Quis non miretur, quòd augusta CHRISTI Dei majestas, quæ præcelsis in Scriptura nominibus honoratur, & Pontificis, Regis, Leonis, &c. vocabulo digniùs effertur: nunc brutæ ouiculæ, & insipientis agni nominibus declaratur? Profectò CHRISTVS Deus sub his ignauæ pecudis nominibus, ignobili à se comparatione degenerare videtur. Verū dum eius infinita majestas videtur his vocabulis denenustari, eiusdem erga homines amor præcelsè exaggeratur. Audiendus est Chrysologus, qui hunc locum obiret commentans, ita scribit: *Tibi ergo rex, tibi Sacerdos, tibi Pastor, tibi Sacrificium, tibi ouis, tibi agnus, tibi totum factus est, qui fecerat totum. Et qui sibi nunquam, tibi toties immutatur: propter te varias monstratur in formas, qui manet vnica sua majestatis in forma. Et quid Plura? dat se tibi Deus homo, vt ferre potes, quia vt est, tu non potest sustinere.* Ne ergò homo sis apud te tam vilis, qui tam pretiosus es apud Deum: *tibi totum factus est*, totum ergò sit Deus tibi. Valorem vtriusque expende, & inæqualem licet æstimationem reciproca: Deus tibi totum est: totum ergò sit tibi Deus. Ingeminemus igitur animosam illam Francisci vocem: *Deus meus, & omnia.*

Isaiæ 53 v 7

CHRISTVS homini totum factus est, sit ergo homini totum Christus.

Chrys. ser 23

---

§. CLV.

Tentator falsatis spebus animam implet, & tandem vix dimidiatum subsidium offert.

NVllum sine autoramento malum est. Auaritia pecuniam promittit, & delicias opulentiæ appendices: luxuria multas, ac varias voluptates libidinis prurītu expromptas: ambitio purpuram, & plausum, & potentiam, & quicquid potentia potes. Ab astutia Dæmonis, est quod vitia te mercede sollicitant: at in virtutis curriculo tibi gratis viuendum est. Imo, & ausim dicare, quod in vitij curriculo propè gratis etiam viuitur: cùm concepta voluptatis spes, plerumque appetitorem fefellerit, quandoquidem cupitę voluptatis experientia, votis suis impar deprehēditur. Plenas tentatio delicias spondet; sed falsata promissione, & fructu suo vacua, spebus mentitur, & mendacio erigit. Riuum promittit, & guttam donat, qua vix possis rigare aridam concupiscentiæ, aut necessitatis sitim. O quàm facile imposturam facit, quod delectat! *Tentatio est*, (ait Chrysologus) *species fallens, qua prospera in aduersis, aduersa occultat in prosperis, humanamque ignorantiam dolosos educit in lapsus.* 1.

In vitij curriculo, ferè gratis viuitur.

Chrys ser 71.

Matthæi 4. Malus Dæmon videns totos quadraginta dies Christum ieiunantem, propè desperauerat, postquam vero esurientem animaduertit, iterùm cœpit sperare: & de necessitatis latibulo ei clanculum insidiatur. Et accedens tentator dixit ei: *Si filius Dei es, dic vt lapides illi panes fiant.* Eam ergo in tentando conditionem operis proposuit, per quam in Deo ex mutatione lapidum in panes, virtutem potestatis agnosceret, & in homine oblectamento cibi patientiam esuriētis illuderet. Sed ex duobus cōtrariis teneris, ô Diabole. Si ad imperium eius possunt lapides panes fieri, ergo frustrà tentas eum, qui tantæ potentiæ est: si autem non potest facere, frustrà Dei filium suspicaris. Verùm quicquid sit de Tentatoris imperita calliditate, enucleare oportet quid ei Christus responderit. Diabolus offert Christo ex lapide panes; ipse vero respondit: *Non in solo pane viuit homo.* Si quispiam alius, & non ipsa Dei corporata Sapientia, hæc respondisset, tenuitati humanæ contrà argutari forsan liceret. Scilicet Christus tunc de quadraginta dierum inedia valde esurit, & quidem in deserto, vbi maligna suppetit annona: ergo famelicus oblatos panes ad alimoniam acceptet, nec omnia illi ad sustentationem iam deerunt. Esto, non cum solo pane viuat homo, sed aliquo obsonio ad ægram diù vitam sustentandam, indigeat; igitur accipiat panem, ne omnium indigus in deserto sit. Imo qui valdè esurit, panem in deliciis habet: nam fames quantumvis agrestium dapum condimentum est; & vel 2.

Math 4 v. 4

Nunquam Dæmon offert plenum necessitatis subsidium.

vel ſolo pane fames interim pellitur. Saltem acceptet panem,& ſic panis , & ſimul obſonium eſurienti non deerunt. Qualis ergo eſt hæc ratio? *Non in ſolo pane viuit homo.* Verùm enimverò ſuſpicienda,& adoranda eſt,quippe quam corporata Dei ſapientia moraliſſimè dictauit , & qua Diaboli argutias ſubtiliter refellit , toto Sapientum choro eam,vt par eſt,plaudente. Porrò hoc reſponſo fallaces Dœmonis promiſſiones ethicè prodit , aiens Diabolo offerenti panes : *Non in ſolo pane viuit homo.* Nempè aſtutus Dœmon cùm videt eſurientem Chriſtum illi cibos manu ſua offert;at Chriſtus publicat , quàm ſit inſufficiens quod Dœmon manu offert,ad neceſſitatem leuandam. *Non in ſolo pane viuit homo.* Dimidiatum dat neceſſitatis leuamen , etiam Chriſto, quem tentatione deiicere valdè ſatagit. O cognoſcamus hinc auaram Dœmonum in tentando malitiam! Multa forte ſpebus obiicere poteſt , vt mercede allecti vitiis ſerulamus , & magnificis ſponſionibus decipiat incautos, tentationis fraude : at cùm ad rem ventum eſt , & manu ſua aliquid tandem donat ; dimidiatum, & inſufficiens ſubſidium offert,& quo vix,aut nec vix ſiquidem, poſſis vitam tueri , & vt vt ſuſtentare. O diſce, quam ſint auara Diaboli tentantis dona! Pulchræ fœminæ in ſtupri pretium diuitias proponit , ad vitæ cultum,& alimoniam largè ſufficientes : ſed quæ fœmina de ſui corporis nundinis , corporis cultum , & ſuſtentationem lucratur ? Aleatori, vſurario,fraudulento, multas promittit opes : ſed male parta , male dilabuntur ; & reculas fraudulenter acquiſitas tinea exedit. Aliquale ſubſidium forſan ex vitio obueniet. Sed heu quale , quàm auarum , quàm caducum , quàm dimidiatum! Eſurienti Chriſto Tentator panem offert: ſed *non in ſolo pane viuit homo.* Ergò erudiamur ex hoc Chriſti Dei ad Tentatorem reſponſo , quàm ſit opis auarum,illud ſubſidium , quod Tentator offert.& quod ex vitio obuenit. *Nunca el precario vaſtante remedio à la neceſſidad.* Diabolus dimidiatum offert ſubſidium , Angelus verò plenum dedit.

Hier. v. 25.

3. Prouerbiorum 10. inter multas parabolas, quas ibi Salomon ſententiosè addenſat , hanc etiam tempeſtiuè iactat : *Suauis eſt homini panis mendacij : & poſtea implebitur os eius calculo.* Dulcis , inquit , eſt homini panis mendax, ideſt,dolo , fraude,& in vitij mercedem acquiſitus:poſteà enim implebitur os eius,non tam ſuaui pane , quàm præduro lapide,aut *ſilicibus* , vti exſcribunt Biblia Complutenſia, & Regia Annon Tentator nuper obtulit Chriſto lapideum panem aiens : *Dic vt lapides iſti panes fiant* ? Panem inquam , mendacem,& falſatum , nec ſufficientem ad explendam famem. Vnde Chriſtus illi reſpondit : *Non in ſolo pane viuit homo.* Verùm quid ſignificet , *Poſtea implebitur os eius calculo* , non conuenit inter expoſitores. Aliqui cenſent hîc denotari,dulces eſſe opes,& delicias fraude,& de vitij mercede partas,quia in illis parandis nullum laborem ponit. Sed *poſtea implebitur os eius calculo*,metaphora ſumpta ab his, qui panem præduris lapillis plenum comedunt , qui inter mandendum,dentes magno cum dolore rumpunt , & extrudunt. Alij exiſtimant , τὸ *calculum* accipi pro ſupputatorio calculo,& denotari pœnã temporalem ob panem mendacij ſceleſte acceptum. Quaſi loquatur Salomon de illis , qui alienas facultates adminiſtrant, his enim ferè ita vſu venit,

Prouerb. 20. v.17.

Qui alienas quas adminiſtrat, facultates,ad proprios vſus deriuat, os eius calculis impleri, ſere dolebit.

vt quandiù eas apud ſe habent, illis nequaquam parcant , ſed in proprios vſus magna cum voluptate inſumant : *Dulcis* ergò ex his *panis mendacij* , ideſt , non proprius, atque adeò mendax. Sed poſteà dum mandunt , & comedunt , eorum ora implentur calculis , ſuppuratoriis inquam , hoc eſt. Tandem aliquando hi ad rationem rei adminiſtratæ vocati,dum data, & accepta in partes concidunt , & diſtribuunt , ipſorum ora calculis implentur , ideſt , numeris,& ratiociniis, quibus rem alienam defraudarunt , quos iam tunc partiri , ac digerere non poſſunt. Mitto hæc,& alia, quæ eruditè inibi Salazar expendit. Verum cum omnibus in confeſſo ſit,ſæpè calculis,ſeu lapillis, ſubductionis numeros , aut minima pondera denotari , quibus res leuiores ad bilancem librantur , Caietanus ſic locum exponit: *Dulcis* , inquit, *eſt homini panis mendacij , & poſteà implebitur os eius lapillo. Lapillis enim ratiocinia fiebant , & lapillis ponderabant res pretioſas , & propterea lapillus pro ratiociniis , & librationibus iuſtis ponitur.* Ex hac doctrina Caietani , quam ipſe alio deflectit,luculenter ad rem ethicam locus hîc expediri poteſt. *Suauis eſt homini panis mendacij* , hoc eſt,Dulcis eſt homini panis , quem fraus , vſura, tentatio,in vitij mercedem accipit:falſatus panis eſt , panis inſufficiens , & panis mendax : nam cùm ſufficientiam ſpondeat, dum ad calculos reducatur, & ad bilancem exactè ponderetur , de libratione inuenitur facile , quàm parum habeat ponderis:nam quod lapillis calculatur,leue eſt,& ponderis perexigui. Ergò dulcis videtur homini panis ille mendacij , quem in præmium vitij tentatio offert ; ſed cum res vocatur ad trutinam, & ſupputatoriis calculis panis mendacij verè libratur ; leuis inuenitur , dimidiatus , & inſufficiens, promiſſionis mendacio deprehenſo : *Non in ſolo pane viuit homo*,reſpondet Chriſtus Dœmoni offerenti *panes mendacij* , & aienti : *Dic vt lapides iſti panes fiant.* O bonam eruditionem! Dulcis videtur homini *panis mendacij* , quem tentatio offert ; ſed *poſtea implebitur os eius calculo* , dum res ad lapillos ſupputatorios libratione deducitur. O diſce hinc quàm ſit inſufficiens ſubſidium illud,quod Dœmon in vitij mercedem tentatione offert!

Salaz. ibi.

4.

Caietan ad ea verba.

Panis,quem tentatio offert, leuis & dimidiatus calculorum libratione deprehenditur.

5. Sic cum hominibus ſe gerit Diabolus tentator, diuinæ liberalitatis è peruerſo auarè æmulus. Deus enim plus donat , quàm ſpondere videtur. Paulus 1. Corinth. 9. ita ſcribit : *Scriptum eſt enim in lege Moyſi : Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura eſt Deo ?* Quid ergo docemur in hac erga boues ſollicita Dei cura? Subtiliter Tertullianus, quod plura hic Deus donat , quàm indulgere videtur, ita ſcribens : *Qui boui quoque terenti libertatem oris ad veniam pabuli ex opere ſubmouendi antè præcepit : quia dignus eſt operarius mercede ſua.* Silicet quia dignus eſt operarius mercede ſua , ne alligetur os boui trituranti , nec æſtuantis trituræ mercede fraudetur , quin famem blandientibus ori manipulis expleat : ſed non aliundè niſi ex area,vt laboris partem pabuli venia ſubmoueat. Itaque eiuſmodi venia carpendi affatim ex area pabuli, non tãtùm largiorem pabuli alimoniam præbet, ſed penſi ſubmouet partem, inquit Tertullianus: *Boui quoque terenti libertatem oris ad veniam pabuli ex opere ſubmouendi præcipit.* Ex hac velut ſupervacua boũ cura ad pernoſcendam Dei liberalitatẽ prouocamur,dum plura donat,quàm polliceri

1 Cor. 9. v. 9. Deut 25 v. 4.

Deus dona ſua auctario largitur.

Tertull. l. 2. cont. Marc. c. 21.

liceri videtur. *Nunquid de bobus cura eſt Deo?* Panes mendacij Diabolus tentando promittit: Deus vero largius pabulum cum auctario condonat. Qui Diaboli auaris ſpebus credidiſti, Deo largiùs donanti ne diſcredas; qui cùm vel boni pabulum permittit, partem laboris liberaliùs *ſubmouet.*

---

§. CLVI.

Conſultior electorum politia, candidatos propinquos præterit, & abſentium merita peritè rimatur.

1. Senec. epiſt. 27.

Bona mens, nec commodatur, nec emitur. Dignitatem præcelſam, quæ bonam requirit mentem, *emere* poteris, aut munerum pretio, aut obſequiorum munere; ſed bonam mentem obeundo muneri neceſſariam, nõ emiſti. Faſtidioſus elector Dignitatem electione *commodare* poteſt propinquo, qui ei frequens adeſt, obuius ei in proalæo ſemper officioſus occurrit, expromptus ad obſequium, ad adulationem expromptior; & qui ſedulæ pręſentię merito, & propinquitatis lenocinio, & ambitionis præſtigio, dignitati palam inſidiatur: commodabit, inquam, ei præcelſum munus; ſed bonam mentem gerendo muneri idoneã, minimè commodabit. Nam bona mẽs, nec commodatur, nec emitur. Suſpectus ſit frequẽter obuius, & qui ſpectandum ſe nimis præbet: & ſpectabilis ſit, qui ſicut ab ambitione, ſic ab electorum oculis, procùl, abeſt. Ac ſi candidatus de aſpectu electoris, dignus euadat. Fortè Principis oculi merita cudunt, & ſollers propinquitas ſapientiam ſtillat, & condignitatem elaborat. Hei peritiſſimos quoſque de abſentia rudes! ô ruditatem de virtutis peritia ſubtilem! Conſilioſè perſpicax elector, non propinquitatem, ſed condignitatem candidati quærit; ad præſentes cœcus, ad abſentes peritè oculatus.

Prudens Elector, propinquos candidatos præterit & abſentium merita peritè rimatur.

2. Gentium doctor, Eccleſiæ ſidus, prudentiæ eruditio, & ſapientiæ meta; dum nouus Chriſtianæ politiæ diſcipulus, in cœli Curia peregrinatur, peregrinam terris attulit politiam; de ſublimiſſimo Incarnationis myſterio, ſic altè ad Hebræos fatus: *Nunquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Hoc eſt, Dei Verbum, eadem cum Patre natura auguſtum, non naturam Angelicam, ſed naturam duntaxat humanam hypoſtatico nexu aſſumpſit, & ad vnam cum Deo perſonã ſublimauit. Adeò vt Chriſtus verè ſit, & dicatur, Homo Deus, & Deus homo. Quid præcelſiùs? Sed quare Paulus dum agit de corporatione Dei, Angelorum ingerit mentionem? an vt Angelos deuenuſtet? an vt eorum inuidiam ſtimulet? an Angelis exprobrat, exinceps debitam homini ſubiectionem? Imo & quare Paulus Theologiæ vertex, cùm verbi incarnationem exponit, vtitur verbo non ſatis in ſcholis trito, tritiori omiſſo? Quid eſt, *Apprehendit*? An non magis idoneè dixiſſet: Naturam, non Angelicam, ſed humanam *ſuſcepit*, vel *aſſumpſit*? Caſu ne Paulo hoc verbum propè peregrinum excidit? Inſigniter Theophylactus hunc locum his verbis exponit: *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Hoc eſt non Angelorum naturam aſſumpſit. Hoc autem multum erga humanum genus charitatem indicat, quod enim Angelis non donauit, hoc hominibus dedit, vt ex ipſorum natura carnem aſſumeret.* Et quaſi parũ foret Angelos empyreo Dei ſolio adſtantes, & coram obſequentiſſimè miniſtrantes, præteriiſſe; longinquiorem à regalis ſuæ Curię palatio, præ Angelis propinquioribus, hominem elegit. Neque tantum naturam humanam aſſumpſit; ſed *apprehendit*, quod luculenter ad rem pergit exponere Theophylactus: *Non dixit, Suſcepit, ſed Apprehendit, vt oſtendat quòd fugientem naturam noſtram, & longius à ſe remotam inſecutus ſit, & antecurrens apprehenderit, complexuſque ſit: ſibi vniens, & copulans, ac ſiſtens ipſum à fuga, qua ab ipſo fugiebat.* Scilicet non modo apparitores ſibi Angelos, ſuæ Curiæ, & palatij indigenas, ad tantã dignitatis gloriam omiſit; ſed & naturam humanam *longius à ſe remotam*, *apprehendit*, *complexuſque eſt.* O conſultiſſimam Dei prouidentiam, humanarum electionum moraliſſimam ideam! Cœleſtes Angeli, cœleſtis curiæ proceres, throni Dei honorarij ſtipatores, & empyrei Regis faciales inclyti, ad tãtam obeundam dignitatem omittuntur; & non modo naturam humanam *longius à ſe remotam*, (loquitur de Deo more humano) ad tantam gloriam aſſumpſit; ſed & *apprehendit*, vt oſtendat, quod fugientem etiam naturam noſtrã complexus ſit. Quid exaggeratius? An non ſatis erat, propinquiores ſibi Angelos præteriiſſe? An non ſufficiebat naturam humanam *longius à ſe remotam* aſſumpſiſſe? Fugientem etiam à ſe, ad tantæ Dignitatis gloriam inſequitur; & fugam antevertens, complexu apprehendit? O bonam electionem ad abſentes oculatiſsimam, & velut imperſpicacem ad faciales! Non malè electa fuiſſet propinquior natura Angelica ad tantam dignitatem; ſed longius à ſe remotam naturam humanam imò & à ſe fugientem, conſultiùs elegit, quaſi de abſentia muneri obeundo opportunitatem taxaret; ne inter humanos electores præſcribat, propinquiores, & frequens apparitores eligere, ac ſi à facie Principis dignitatem hauriant.

Ad Hebræos 2. v. 16.

Theoph. ibi. *Omiſſis Angelis, naturã humanam à ſe velut remotam, ad ſublimiorem dignitatem apprehendit.*

Iſaiæ 6. *Vidi Dominum* (ait Propheta) *ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum: & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum.* Ecce tibi ſummum Deum in excelſo maieſtatis ſuæ throno ſedentem, vt rem mundi conſultiſsimè tractet, & diuiniori prouidentia gubernet. Pergit Iſaias: *Seraphim ſtabant ſuper illud* (ſolium, inquam) *ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Benè eſt, aſsiſtant auguſto Diuinitatis ſolio Seraphini, velut honorarij Dei ſtipatores, & faciales miniſtri: at quare ad quietam ſtationem, (dicitur enim *ſtabant*) ſenæ alæ ſingulis aſsignantur? Imò ſi ſinguli duabus alis *volant*, quo pacto *ſtare* dicuntur? Aut immota *ſtatio* agilem volandi motum inhibet, aut rapidus *volandi* motus ſtationem inquietat. Vtrumque ex alterutro validè redarguitur; aut non volare dum ſtant, aut non ſtare dum volant. Et tamen dũ Deus in regio Maieſtatis ſuæ throno, res mundiales gubernaturus ſedet, & *ſtare* & *volare* Seraphini dicũtur: neque interpretes id renuunt fateri. Audiendus eſt Dionyſius Carthuſianus, qui totus de SS. Dionyſio, & Hieronymo imbutus, ita fatur: *Et duabus volabant, id eſt, per duas medias alas ad omnia diuina obſequia promptiſſimè ferebantur, aſcendendo ad ſuperiora, & deſcendendo ad inferiora iſta, iuxta imperium Dei.* Nempe hi Seraphini ſummo Deo in maieſtatis ſuæ throno ſedenti, ſic *ſtantes* aſsiſtunt, vt de præſen

3.

Iſaiæ 6 v. 2

Quare Seraphini Dei faciales, à Dei ſolio auolare piè exambiant?

Carthuſian. ibid.

sentissimo Dei vultu tanta exundent gloria, vt propriam faciem duabus aduersis alis mysticè contegant: & simul alis duabus ad omnia diuina obsequia promptissimè ferâtur ascendendo ad superiora, & ad inferiora ista descendendo. Ac si dum ante Dei, mundum regentis, thronum *stant*, & ei coram assistunt; velut exambiant simul inde abesse, & (si Deo placet) iuxta eius imperium, aliò ferri, siue ascendendo ad superiora, siue ad inferiora ista descendendo: quasi etiam dum præsentissimi Deo sunt, pro eius nutu, longinquitatẽ promptitudine negotientur. (loquimur humano more de rebus diuinis, quæ humanitùs apparent, & corporea specie oculis præsentantur) *Stant*, & *volant* Seraphini, dum humano apparent more. *Stant*, vt adstantium summo Regi gloriis perfruantur: *Volant*, & promptissime tunc ferri dicuntur, siue ad superiora, siue ad inferiora ista, ne absentiæ stipendia deperdant. O absentiam diuinis oculis præsentissimam! ô moralissimam Principibus eruditionem, typicè Isaiæ præmonstratam! Dum cœli politia, humanitùs in exemplari monstratur, velut exambiant empyrei proceres, & Dei faciales, cum dulcis præsẽtiæ gratia, non amittere velut absentię priuilegia, quasi dum Deo *stant*, alati *volant*, & aliò promptissimè feruntur. Ecce tibi, Dei *Angelus, vnus ex septem, qui adstant ante Dominum*, (infrà cap. 12. vers. 15.) duabus alis ocyssime volantem, & pro Dei nutu,
Hic v.15. & Tobiæ remedio, *promptissimè ferri ad inferiora ista*, vt habetur hìc vers. 25.
4. Genesis 17. Abrahamo propè centenario apparuit Deus magnifica illi spondens præmia, & numerosam e principe vxore sobolem. Ceciditque Abraham pronus in faciem. Dixitque ei Deus: *Ego sum, & pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium.* Ambiguum valde est apud expositores, adspectu ad quos dicatur Abrahamus, *pater multarum gentium*, an adspectu ad Israelitas, Agarenos, & reliquos illustrium populorum Principes, quos ex Cetura suscepit; an ad cæteras nationum gẽtes, quę toto orbe vastissimè patent, & quæ ab Abrahamo non trahunt originem? Adducam eruditissimi Lipomani verba, quæ hunc locum ad rem præsentem idoneè exponunt: *Iudæi* גוים *goim* (idest, *gentes*) *nominant omnes præter se. Horum igitur omnium Abraham pater datur, qui & recumbent in regno Dei cum Abraham, Isaac, & Iacob; ipsi vero iuxta carnem tantùm filij Abraham eiicientur foras.* Sanè mitissima est hęc benedictio Abrahę facta, cùm illi dicitur: *Erisque pater multarum gentium.* Mimirùm Abrahamus hìc à Deo constituitur, pater reliquarum gentium præter Iudęos, quę potissima est Abrahæ soboles. Erit-ne Abrahamus magis pater eorum, qui sunt minùs eius filij? Extranei à se erunt Abrahæ filij, & proprij filij ex eius semine nati erunt Abrahæ extranei? O arcanas pietatis cognationes! O bonam etiam Gubernatoribus eruditionem! Bonus *Princeps Dei apud nos* Abraham, qui sibi propinquos velut extraneos habet; & extraneos, de fidei merito quasi propinquos recognoscit, promouet, & honoribus consultissimè auget.

Gen.17.v.4.

Abraham magis pater eorum, qui minus sunt eius filij.

Lipom ibi in Caten.

SYNOPSIS
CAPITIS QVARTI.

Tobias quasi moriturus instruit filium: præcepta quibus illum imbuit sunt hæc. Primùm commendat, vt postquam suum corpus inanime sepelierit, matrem viduam reuerenter honoret. Monetque ne Deus è suâ memoriâ vnquam excidat, néve vllum peccatum in animum admittat suum. Mirificè extollit misericordiæ virtutem, eiusque vberes ostendit fructus. Ut vxori suæ se duntaxat putet masculum nasci, hortatur: & vt spiritus non alat insolentes; néve patiatur vt operarius debitâ laboris mercede frustretur; & ne quid audeat, quod sibi ab aliis fieri recuset; panémque suum super defunctorum sepulturâ reponat; & in rebus dubiis à sapientibus consilium expetat: vt Deum vbique in rebus agendis, & auctorem, & vltimum finem sequatur. Tandem ne matri viduæ, & pupillo filio aliquid deesset, indicat Gabelo cognato datam esse mutuò magnam argenti copiam, iubet ergo vt illam pro suo, ac matris alimento recuperare curet.

CAPVT QVARTVM.

1. IGITVR cùm Tobias putaret orationem suam exaudiri, vt
mori potuisset, vocauit ad se Tobiam filium suum, 2. Dixit-
que ei: Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo quasi
fundamentum construe. 3. Cùm acceperit Deus animam
meam, corpus meum sepeli: & honorem habebis matri tuæ
omnibus diebus vitæ eius. 4. Memor enim esse debes quæ
& quanta pericula passa sit propter te in vtero suo. 5. Cùm
autem, & ipsa impleuerit tempus vitæ suæ, sepelias eam circa
me. 6 Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: & caue ne aliquando
peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri. 7. Ex substantia tua
fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet vt nec à
te auertatur facies Domini. 8. Quomodo potueris, ita esto misericors. 9. Si multum ti-
bi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stu-
de. 10. præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. 11. Quoniam elee-
mosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.
12. Fiducia magna erit coram summo Deo, eleemosyna omnibus facientibus eam.
13. Attende tibi fili mi ab omni fornicatione: & præter vxorem tuam nunquam patiaris
crimen scire. 14. Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permit-
tas: in ipso enim initium sumpsit omnis perditio. 15. Quicumque tibi aliquid opera-
tus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarij tui apud te omnino non
remaneat. 16. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. 17. Pa-
nem tuum cum esurientibus, & egenis comede: & de vestimentis tuis nudos tege.
18. Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue, & noli ex eo man-
ducare, & bibere cum peccatoribus. 19 Consilium semper à sapiente perquire. 20. Om-
ni tempore benedic Deum: & pete ab eo vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in
ipso permaneant. 21. Indico etiam tibi, fili mi, dedisse me decem talenta argenti, dum
adhuc infantulus esses Gabelo, in Rages ciuitate Medorum, & chirographum eius
apud me habeo: 22. Et ideò perquire quomodo ad eum peruenias, & recipias ab eo
suprà memoratum pondus argenti, & restituas ei chirographum suum. 23. Noli time-
re fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus si timuerimus
Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus benè.

---

§. CLVII.

Commentarius Litteralis.

Vers. 1. Cùm igitur Tobias putaret orationem suam exaudiri vt mori potuisset, vocauit ad se Tobiam filium suum.

Vers. 2 Dixitque ei: Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo quasi fundamentum construe.

1. *Parentum in morte ad filios documenta.*

CVM Tobias se iam mortem impetrasse crederet, fecit pius, quod viri pij facere solitāt vicina morte. Cùm enim prudētissimus vir probè sciret, quòd tametsi cætera documenta facilè è memoria excidant; ea tamen quæ parentes moribundi filiis tradunt, altiùs hæreant; filium accersit, eumque (& nos pariter) egregiis documentis ad omnem pietatem peramanter erudit. *Vt mori potuisset*, vocauit ad se filium suum, quò charum iuuenem salutaribus monitis instrueret; & ita nil iam superesset, documentis filio traditis, quominùs mortem subire posset. Nempe nil aliud restabat præparandum ante mortem, quam sanctissima olim vita præstruxerat, & calamitatum nunc acerbitas exposcebat. Hic est expeditus sēsus illius sententiæ, *Vt mori potuisset*: non quòd, nisi priùs salutaribus documentis instructo à se filio, Tobias mori non posset. Quòd autem moris fuerit apud antiquos, quòd moribundus pater filios piis monitis instrueret, & largius benediceret, constat ex Genesi 49. vbi Iacob numerosam sobolem prædictionibus instituit, & Benedictionibus auxit, & Dauid 3. Reg. cap. 2. & Mathatias lib. 1. Machab. cap. 2. & Moyses Deuter. 32. & 33. & Iosuë cap. 24. Hebræum populum de cœli schola piissimè erudiunt instante morte. Ex Ecclesiastica, & profana eruditione non pauca in hanc sententiam congessit in Commentario Serarius. Genes. 3. Reg. 1. Machab. Deuter. Iosuë. Serarius.

2. *Audi fili mi.*] Blandior hæc compellatio, qua peramanter dicit, *Fili mi*, in ipso vitæ fine, (vt putabat,) & mortis limine, sic ingenuum filij animum emollit, vt monita quæ opportunè pater subiicit, altiùs in imis visceribus infigantur, aliàs τò *Audi*, frigidè acciperetur pro mera auditione, cùm adstantem alloqueretur filium. Hortatur ergò vt sic patris monita audiat, vt ea opere exequatur. Recognosce quæ dicemus ad cap. 6. v. 16. ad *Audire, obedire est.*

ea

ea Angeli verba. *Audi me.* Itaque audire, obedire est, (aut attentiùs aduertere.) Ita accipitur Genes. 3. v. 17. & alias persæpe. Iubet ergò vt paterna eruditio sit filio tanquam norma operationum, & spiritualis fabricæ stabile & firmum fundamentum. *Verbum paternum bonus lychnus*, dixit Alex. Clemens.

Genes. — Clem. Alex. in adhort. ad Gent.

Vers. 3. Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli: & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius.

3. Exhod. Matth. Ioann.

Animam.] apud Hebræos sumi pro vita, perspicuum est, Exhodi 21. v. 23. Matth. 2. v. 20. Ioannis 10. v. 11. Quasi dicat: cùm vita mea breui finienda sit, iam enim appropinquantem, & expetitam spero mortem; cura diligenter de meo corpore ritè humando; & officium, quod ego aliis exhibui, patri tuo exhibe. Cur autem sanctus Tobias, qui dum viueret, sic corpus, resque corporeas & terrenas neglexit, negotium sui corporis in terra condendi, sumptuosiùs procurat? Quid Tobiæ intererat, vt eius cadauer humi ne, an sublimi putresceret; Mitto varias rationes, quas vulgò interpretes congerunt, & exaggerant; & illam rescribam, quam olim Genesim elucidans, multis tradidimus. Nimirum Tobias exemplum Abrahami, Iacobi, & Iosephi secutus, cum inter Gentiles habitaret, verebatur Gentilium more, mores Gentilium animitùs detrectantem, sepulturæ mandari, & idololatricos ritus in eius funere & tunc peragi, & persæpè exinceps anniuersariâ solemnitate. Id præcauit Abrahamus dum agrum ad suam, & suorum sepulturam, duntaxat emit in Palæstinâ. Id ambiuit Iacobus, dum ex Ægypto in auitum sepulchrum asportari iubet. Id expetiuit Iosephus, dum eius ossa ex honorario Ægypti tumulo deferri mandat in monimenta parentum. Ergò Tobias maiorum virtutes & studia æmulatus solerter procurat, vt à filio sepulturæ mandetur patrio ritu, & iis ceremoniis, quæ pietatem, non idololatriam sapiant. Superstitiones Gentilium in humandis mortuorum cadaueribus, & iustis suo ritu exoluendis, tradit hîc Sanctius n. 4. & 5.

Cur Tobias tam sit de sepultura solicitus? — Sanctius.

4. *Pater & mater alimento honorari præcipiuntur.*

Honorem habebis matri tuæ.] In hoc loco *honorare* matrem, non tantùm significat debitum ei cultum, & reuerentiam à filio semper exhiberi; sed etiam congruè a'ere. Consule Euangeliorum interpretes ad illud Matthæi 15. v. 4. *Honora patrem, & matrem, &c.* quod Christus de suppeditando etiã alimento perspicuè interpretatur. Itaque dicere: *Honorem habebis matri tuæ*, perinde est ac si dicat: Solue quod debes matri tuæ: ponitur enim in Hebræo textu כבד *cabbed*, quod persoluere debitum significat, & quia præcipuum erga parentes debitum cui vectigales nascimur, est reuerentia; reliqua autem officia sunt velut debitum secundarium, ideò speciatim dicitur: *Honora patrem, & matrem*; & totum obsequium parentibus debitum, à præstabiliori nominatur.

Vers. 4. Memor esse debes, quæ & quanta pericula passa sit pro te in vtero suo.

Vers. 5. Cùm autem ipsa impleuerit tempus vitæ suæ, sepelias eam iuxta me.

Causam hîc reddit Tobias, quare filius debeat matri suæ honorem, & alimentum exhibere: nempè quia ipsa priùs filium in vtero è suâ substantiâ nouem mensium spatio peramanter aluit, & posteà triennio lactauerit viscerum suorum perenni succo. Dicam luculentius, & litteraliùs: Potest filius sine periculo referre matri, quod illa nõ sine periculo præstitit. Idcirco iubet, vt filius attentius consideret, quot mater pro illo ærumnosa incommoda, & dura discrimina subierit: quot tædia dum vterum gerit, quot pericula dum parturit; & in ipso pariendi nixu, qui sæpè puerperis solet esse letalis. Quasi præproperè filio dicat cũ Ambrosio, aut Ambrosius de Tobia: *Tu matri debes pudoris iniuriam, virginitatis dispendium, partus periculum; matri longa fastidia, matri longa discrimina, cui misera in ipsis votorum fructibus maius periculum est. Et cùm ediderit quod optauit, partu absoluitur non timere.* Et Tertullianus in lib. de Carne Christi, sic ad Marcionem loquitur: *Ab ipsa quidem exorsus odio habita natiuitate, perora age iam spurcitias genitalium in vtero elementorum, humoris & sanguinis fœda coagula, carnis ex eodem cœno alende per nouem menses: describe vterum de die in diem insolescentem, grauem, anxium, nexum, totum incertum libidinibus fastidij & gulæ. Inuehere iam & in ipsum mulieris enitentis pudorem, vel pro periculo honorandum, vel pro natura religiosum.*

Quanta mater pro filiis subeat pericula. — Ambros. in cap. 2. Lucæ. — Tertull.

6. *Coniugum eadem sepultura.*

Sepelias eam iuxta me.] Duo iubet Tobias, alterum vt matrem etiam honesta sepultura honoret. Et quidem hoc officium matri specialiùs debetur: quia ipsa recens à se genito filio viuum vteri sepulcrum lubens obtulit. Qua super re ita scribit Nilus Orat. in Pascha: *Formatur tanquam in sepulcro, in vtero nondum existens infans natura fasciis inuolutus, & similis est mortuo fasciis sepulchralibus circumstricto. Nam mortuorum quidem vultus arctius conclusus est, os in vtero mutum, manus & pedes in ventre tanquã in tumulo extenduntur. Matrix egregiũ sepulcrum est.* Ergò funeris officium filius reciprocet. Alterum quod præcipit, est, vt eodem sepulcro condatur secum vidua vxor, quæ fuit vitæ, laboris, & exilij indiuidua consors. Græcus textus hoc tradit explicatiùs: *Sepelias eam iuxta me in vno sepulcro.* Arabs: *ad latus meum.* Hebræus: *Mecum honorificè.* Hoc mandat Tobias imitatus auitos maiorum mores, qui id sollicitiùs curarunt, Geneseos 49. v. 30. Hac super re consule Serarium, & Iustinianum hîc. Vide mihi sollicitam nunc Tobiæ curam, de vxore honoranda, alenda, & honorificè humãda, quando acerbissimo improperio mariti tunc patientiam grauiùs vulnerarat.

Nilus. — Græcus. Arabs. Hebræus. — Genes. Serar.

4. *Hæc monita sunt velut Tobiæ testamentum.*

Videbitur forsan alicui, inidoneè Tobiam præmisisse cultui diuino, ad quem in sequentibus versiculis filium hortatur, curam propriæ sepulturæ, & honoris viuæ & mortuæ matri à filio exhibendæ. An non res Dei primo & potiori loco commendanda erat? Verùm cùm Tobias existimaret, expetitam mortem in limine esse, hæc monita in testamenti locum hæredi filio dictat. Exindè primò iubet, vt eius corpus patrio ritu terræ mandetur; dein ex occasione, vt idem officium matri suo tempore præstet, & reliqua munia, quibus præstandis soboles nascitur vectigalis. Statim verò de religione & pietate in Deum, & proximos agit.

Vers. 6. Omnibus autem diebus vitæ tuæ, in mente habeto Deum, & caue ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei tui.

8. Pius pater pium admonet filium, quò omnia declinet peccata, vt præsentem sibi vbique putet esse Deum, neque quicquam nostrum quantumuis absconsum, diuinæ scientiæ perspicaciam effugere; sic humana audacia, quæ ad flagitia præcipitanter proruit, piè sistitur, & ritè frenatur. Qui verò insano consilio sibi persuaserunt humana consilia, & scelera Dei scientiam: & prouidentiam latere, ius delinquendi sibi sceleratè fecerunt, impuni (vt putabant) delinquendi licentiâ. Morosus ero si obuiâ eruditione ex diuinis & humanis archiuis petitâ, paginam onerauerim. Id traditur Iobi 22.v.15. Ecclesiastici 23.v.16. Isaiæ 29.v.15. Ezechielis 8.v.15. & ibi Sanctius. Ac si P Gabrielem Vazquez 1.p. disput.87. cap.1. Quam verò sit proficuum, Deum actionum nostrarum testem, iudicem, & vindicem proponere, occinit regius Vates psalm.118. v.168. *Seruaui mandata tua, & testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.* Lege S. Basilium in regulis fus. disp. q.5. S Ephrem tom.2.c.4. Clementem Alex. lib 3. Pædag.c.5. Quod passim occurrit in sanctis Patribus, & morum Magistris. Consule moralissimum. & disertissimum Senecam epist.10. & 11. & 25. & Iustinianum hîc Documento 1. & 2. & 3.

Dei præsentia magnum est aduersus peccata remedium. — Iob. Eccli. Isai. Ezech. Sanct. Vasquez. Psalm. Basil. Ephrem. Clem Alex. Seneca Iustinian.

9. Non tam dicendum, quàm non omittendum est, *Diem* in hoc loco sumi pro tempore, vt alias persæpè in Biblijs: & *Peccatum* non pro naturæ defectu, sed pro spontaneæ voluntatis noxâ, quod sequentia verba demonstrant. Reliquæ translationes nil offerunt notatu dignum, & eas latè in literali Comment. Iustinianus expendit, & scrupulosiùs examinat.

Vers. 17. Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet vt nec à te auertatur facies Domini.

10. *Fac eleemosynam.*] Eleemosyna nomen habet à Græcâ voce ἐλεεῖν, quæ misereri significat, exinde ἐλεημοσύνη, misericordia. & ἔλεος, miseratio. Cúmque eleemosyna sit misericordiæ actus, quo pauperis subleuatur miseria, quia sui effectus nomine causa nominatur, (& contra) miserationis nomen, externo effectui inscribitur, & subleuatio alienæ miseriæ, misericordiæ seu eleemosynæ vocabulo nominatur. Apud Hebræos autem eleemosyna sæpè appellatur צדקה *tsedakah*, id est, *iustitia*. Psalm.102.v.18 & Psalm.111.v.9. Cuius nomenclaturæ plures causas tam ad litteram, quàm ad mores tradunt alibi interpretes ad clarandum hunc versiculum superuacuas. Consule S. Gregorium p.3. Pastor. cap.22.

Eleemosyna cur sic nominetur? — Psalm. *Eleemosyna iustitia nominatur.* — Gregor.

11. Ergo admonet Tobias, vt eleemosynam faciat, non ex rapina, sed ex propria substantia. *Frange* ait, Isaias, *esurienti panem tuum.* Ad quæ verba sic fatur S. Hieronymus: *Pulchrè addit tuum, ne de rapinâ facias eleemosynam.* Hac super re ali Serarium, & Sanctium hîc, & Iustinianum Docum. 1. qui pluribus testimonijs ex sacra Scriptura, & SS. Patribus thesim hanc moralissimè locupletant. Omitto vulgarem eruditionem.

Isai 58 v 7. Hieronym *Eleemosyna è propria facienda.* Serarius. Sanctius. Iustinian.

12. *Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere.*] Tùc faciem, oculosve à re aliquâ auertimus, cùm illam odio habemus, aut certè contemnimus, aut fastidimus; & inde neque illam videre volumus. Itaque dum Tobias filium admonet, vt faciem nō auertat à paupere, palam hortatur, ne ita in illum afficiatur, sicut in ea quæ fastidimus, & quæ nauseantes auersamur In hac acceptione sumitur, *Faciem auertere* Psalm.26.v.9. & 29.v.8 & 43.v.24. & 68.v.18. & alibi persæpe. τὸ *Noli* est pleonasmus, & Hebræâ phrasi redundat: idem enim sonat, ac: Non auertas faciem. Illis verbis: *Ab vllo paupere,* indifferentem erga omnes benignitatem commendat, id est, pauperum nemo tuæ misericordiæ exors sit. Hoc autem non tollit, vt eius benignitas in affines, & contribules beneficentius exuberet, quod ipse præstitit, & exemplo præiuit. Quò filius expromptiùs præstet, quod prius admonet pater, præmium proponitur, & quidem eximium, quod statim subdit, aiens. Psalm.

13. *Ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini.*] Plenæ sunt Scripturæ sacræ, & SS. Patrum scripta eiusmodi pollicitationibus, vbi diuina misericordia humanæ promittitur. *Cupis, ô homo* (inquit Augustinus) *vt tui misereatur Deus? Fac vt proximo miserearis,* lege hîc Iustinianum & Sanctium. Verùm quàm egeat homo, vt Deus non auertat faciem suā ab eo, sed eius piè misereatur, idem Augustinus lib.9. Confess. docet, aiens: *Væ etiam laudabili vita hominum, si remota misericordia tua, discutias eam Domine.*

August ser. 44. ad fratres in eremo. Iustinian. Sanct. August.

---

§. CLVIII.

Commentarius Litteralis.

Vers. 8. Quomodo potueris, ita esto misericors.

Vers. 9. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.

1. QVorsùm tam seria ad eleemosynas faciendas adhortatio, dicere posset iunior Tobias, si tanta rei familiaris egestate premimur, vt è tenui mercede, quā è textrina mater refert, tota sustētatur familia? Optauerim id facere, & indolis proclinitate, & imitamento; sed res domi angusta, non voluntatem, sed facultatem impedit. Huic tacitæ aut obiectiunculæ, aut excusationi pius pater præpropere respondet: *Quomodo potueris esto misericors* Affectus miserendi non desit, & facultas non deerit. Pauxillum habes, parum dona. Multum habes, multa in pauperes eroga, & quidem hilari ore, & lubenti animo. Nec parum, nec multum rei familiaris habes, quod eleemosyna in pauperes impendat; audeat affectus plura dare, quàm donare facultas possit, & tui census angustia. Neque solùm in largienda pecunia exercetur misericordia, sed in multis alijs aliena necessitas subleuatur. Homo imbecillus auxilio eget, mœrens consolatione, ignarus consilio, periclitans ope, esto erga hos omnes piè misericors, & quoquomodo potueris eos adiuua, & illorum miseriam subleua. Lege (si placet) adrem præsentem opportunissima Augustini verba, in expositione Psalmi 115. quæ quia longiuscula sciens omitto.

Quomodo pauper diuiti eleemosynam tribuere potest.

Priorem versiculum. *Quomodo potueris, ita esto misericors.*

Syrus. *misericors*, sic transtulit Syrus: *Esto misericors quantum potes.* Posteriorem vero: *Si multum tibi* Arabs. *fuerit*, &c. sic Arabs exscribit: *Secundum id, quod est tibi, multam fac cum eo misericordiam.* Addunt Græci. Græci codices: *Si paucum tibi fuerit, iuxta paucum ne timeas facere eleemosynam.* Cuius documenti rationem reddit sequenti vers.

Vers. 10. Præmium enim bonum thesaurizas tibi in die necessitatis.

2. Arabs. Quod Vulgatus scribit, *Præmium bonum*, Arabs habet, *Mercedem bonam*, magnam, inquam, remunerationem habet eleemosyna. Quod viuidè verbum *thesaurizare* expressit. Porrò *thesaurus* (non vt pressè à Iurisconsultis vsurpari solitat) in Bibliis significat pecuniarum aceruum, quem homo ad futuros rerum vsus, aut casus reponit. Sic thesauri regis, thesauri domus Domini, & alia sexcenta passim occurrunt, id est, ingens pecuniarum vis diu coaceruata. Ait ergo Tobias: Ne existimes, dum largiores facis eleemosynas, te, quod largiris perdere, & inde depauperari; imò opulentum reponis thesaurum, & quidem in loco Math. 6. v. 19 tutissimo. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi erugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate autem thesauros in cælo, vbi neque erugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur.* Quod autem eleemosyna appelletur thesaurus, obuium est Serarius. Iustinian. Sanctius. in Scriptura, & Patribus. De quo legi potest hic Serarius, Iustinianus, & Sanctius.

3. *In die necessitatis.*] Quæ vero sit illa *necessitas*, ad quam declinandam erogatæ eleemosynæ thesaurum conflant, haud est difficile coniectare. Sanctius. Mauden. Sanctius, & Mauden putant necessitatis vocabulo significari etiam quicquid corpus exercet, & vexat vt puta res domestica angustior, hostis potentior, Articulus mortis dicitur dies necessitatis. bellum ingruens, calumnia, & falsò obiecta crimina, & vniuersatim quæuis calamitas. Non abnuo hæc omnia significari posse *necessitatis* nomine, & ab his omnibus eleemosynam vendicare hominem: sed putauerim hic Tobiam duntaxat agere de communi illa, extrema, & luctuosa *necessitate*, qua in die mortis corpus affligitur, & ad æternitatem periclitatur anima iudicij rigoribus. Subdit enim vers. sequenti rationem, & modum quo ad diem *necessitatis* eleemosyna comparet auxilium, seu thesaurum: *Quoniam eleemosyna*, inquit, *ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Ita Anselmus Laud. Lyranus, Hugo, Carthusianus, Menochius, Iustinianus, Gordonus, Tirinus. Benè notat Emmanuel Sà, ex quo alij, quod τὸ *in die*, idem est, ac, *In diem.* Itaque sententia huius versiculi est: Eleemosyna, sterilis (quod censeri posset) non est, sed opis, & subsidij fœcunda, in extremæ necessitatis articulo, substantiam non tam effusè erogat, quàm opportunè congerit.

Ansel. Laud. Lyranus. Hugo. Carthusian. Menoch. Iustinian. Gordonus. Tirinus. Sà.

Vers. 11. Quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.

4. *Ab omni peccato......liberat.*] Tot formas iustificantes recentium Theologorum ingeniatur acumen, vt forsan illis eleemosynam adnumerasset, ni Doctor Gentium palam refragaretur. 1. Corin. 13. v. 3. Auctores scholastici eo inclinant, vt censeant, ideò eleemosynam dici *à peccato liberare*, non quia id præstet formaliter, (vt aiunt) sed disponendo ad veniam, aut gratiæ auxilium certissimè impetrando. Dicit, *Ab omni peccato*, vt nullum excludat, aut ob leuitatem, veniale: aut ob enormem grauitatem, lethale, & æterna morte dignissimum: nam misericordes misericordiam consequentur. Post iustificationem etiam eleemosyna *ab omni peccato* liberat, dum eius fibras (pœnam inquam, temporariam, quæ est velut scelerum appendix) satisfaciendo radicitùs extirpat. Plura Scripturæ loca, in quibus eleemosyna dicitur resistere peccatis, & peccata redimere, obuia sunt vel imperitis, eaque adaggerant hic interpretes, & Danielis 4. v. 24.

Quomodo eleemosyna liberet à peccato. 1 Cor. — Math. 5. v. 7

5. *Et à morte liberat.*] Perspicuum est Tobiam non semel liberatum à morte, quam regis Sennacherib truces ministri intentabant illi, quorum machinationes fuga delusit fortè eleemosynæ merito. Sed putauerim cũ communi interpretũ, nunc agere de morte æterna, quod videtur cõtextus exigere; & Hebraicè scribitur: *Eleemosyna liberat à iudicio gehennæ.* De hac dicitur Ioannis 8. v. 21. *Et in peccato vestro moriemini.* Et incertus Augustinus de ea sic fatur: *Nunquam memini me legisse, mala morte periisse illum, qui libenter in hac vita opera charitatis, vel pietatis voluit exercere: habet enim multos intercessores pius homo.* An etiam intelligi possit de morte temporali, dicemus infrà ad caput 12. v. 9. n. 6.

Eleemosyna liberat à morte gehennæ. — Ioan. — Aug. serm. ad fratre in eremo, ser. 44

6. *Non patietur animam ire in tenebras.*] Tametsi *tenebrarum* nomine, eæ possent aliàs intelligi, quas vitiorum nebula obducit. Quin & ærumnosior calamitas *tenebrarum* sæpe vocabulo in Bibliis exprimitur, quod eruditè probat in hoc loco Iustinianus num. 3. & 4. Sed concors est interpretum sententia, gehennales hic tenebras significari. Porrò eleemosyna à morte peccati, vel à morte in peccato liberans, liberat etiam à tenebris gehennalibus, & inferni horrore. Tenebrarum autem nomine non raro gehennam Biblica phrasi exprimi, notiùs est, quàm vt probatione indigeat. *Tenebræ* (ait Chrysostomus) *sunt eæ, quæ futuræ sunt, de quibus dixit Dominus: Tollite eum, & mittite in tenebras exteriores.* Arguta Augustini verba hic referuntur à Glossa, quæ forsan in paragraphis moralibus emedullabimus.

Iustin. — Eleemosyna liberat à gehenna tenebris. — Chrysost. in Psalm. 142.

Vers. 12. Fiducia magna erit coram summo Deo, eleemosyna omnibus facientibus eam.

7. *Fiducia*] communiter describi solet; Præsumpta certitudo rei, ex aliquo considerato, secundam sententiam, euenturæ. Sed quid est, quod qui eleemosynas facit, considerat, vt sic confidenter speret? Sanctius id copiosè tradit à numer. 30. Illud potissimum, quod à Christo Deo, de cuius in promissis constantia, & fidelitate nemo dubitat: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Matth. 5. vers. 7. Plura alia Scripturæ, & Patrum oracula adducit, quibus nemo non posset multa alia adnectere facile eruditione, & vel imperitis obuia. Deum suum, id est, Deum Israëlis, *summum* appellat, ad differentiam Deorum, quos Gentes (inter quas exules versabantur) quasi numina colebant. Non adducat, vt adsentiam Iustiniano, qui τὸ *Coram summo Deo* iungit cum *Eleemosyna*, & non cum verbis præcedentibus, *Fiducia magna.* Non enim est

Eleemosyna dicitur fiducia apud Deum. Sanct. — Matth. — Iustin.

est hic loci sensus: Qui eleemosynas erogat, non coram hominibus, vt videatur ab eis, & plausus captet populares, fiduciam magnã habere potest. Sed qui ritè facit eleemosynas, fiduciam magnam habere potest *coram summo Deo*, hoc est, apud summum Deum, qui opulentam mercedem misericordibus promisit. Sic facilè sententia fluit; & sic locum interpretantur Mauden, Sanctius, & Menochius. Adsentit Vatablus sic locum exscribens: *Donum enim eximium est beneficentia coram Altissimo omnibus eam exercentibus.* Hebræus textus ita transtulit: *Munus enim bonum est eleemosyna omnibus facientibus eam, in conspectu Altissimi.* Et Syrus: *Sacrificium bonum, & misericordia omnibus iis, qui operantur illam, coram Excelso.* Idem enim est sensus si coma affigatur ante, *coram Excelso*, & ante, *in conspectu Altissimi.* Quod etiam pro Græcis exscriptionibus adnotandum est. Aduertit hic Iustinianus, quòd eleemosyna dicitur à Syro *sacrificium*, quod notum est ex Psalm. 4. v. 6. & ad Hebræos 13. v. 16. Qua super re consule inibi interpretes.

Mauden. Sanctius. Menoch. Vatablus. Hebræus. Syrus. *Eleemosyna dicitur sacrificium.* Iustin. Psal. ad Hebræos.

Vers. 13. Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.

8\. Filium pulchra iuuentute florentem, à vitio iuuentuti cognato, & quo ea potissimum ætas lasciuiæ igniculis vstulari solet; abstinere maximè hortatur, tametsi illum ad omnem modestiam, & temperantiam à cunabulis instituerat. Quod pius pater omittere non debuit, cũ tunc apud assyrios versarentur, apud quos Bacchus, & Venus suum agitabant imperium. Quàm fuerint Assyrij luxuriæ dediti, tradit Sanctius ad Ionæ cap. 1. & nos aliqua dedimus ad Iudith cap. 12. vers. 11. in illud: *Fœdum est enim apud Assyrios, si fœmina irrideat virum agendo, vt immunis ab eo transeat.* Dein quàm sit lasciuiæ vitium periculosum, & fœdum, latè docet idem Sanctius super Iob cap. 31. v. 12. & in Oseẽ cap. 4. v. 11. *Ab omni fornicatione.* Fornicationem in hoc loco laxè accipit pro quouis lasciuiæ actu extra coniugium. Sic Matth. 19. v. 9. ponitur pro adulterio, & 1. Cor. 5. v. 1. pro incestu. Nec putauerim hîc ab idololatria filium iuuenem auertere, sed ab omni libidine Assyriis familiari, & iuuenibus cognata. Quare autem crimẽ sit fornicari, ex vtraque eruditione probant hic Serarius, & Iustinianus: quæ nos ad eos, qui casus conscientiæ ex proprio instituto tractant, remittimus.

Assyrij habebantur salacissimi. Sanct. Author in Iudith comment. Matth. 1. Corinth. Serar. Iustinian.

9\. *Attende tibi.*] Arabs: *Caue tibi*: τὸ attendere in Bibliis quã studiosã curam denotat. Matthæi 7. v. 15. *Attendite à falsis prophetis.* Lucæ 21. v. 34. Eccli. 11. vers. 35. Prouerb. 5. v. 1. *Fili mi.* Verba delicata, & quæ affectionis teneritudinem spirant: nam quos anxiè diligimus, *nostros* affectuoso vocabulo nominamus. Exinde idem est dicere: *Fili mi*, ac dilecte mi, & qui mihi maximè cordi es. *Crimen scire.* Crimen hic non sumitur vniuersatim pro peccato; sed quamcumque viri, & fœminæ coniunctionem citra nuptialem thalamum significat. Vnde Arabica translatio habet: *Caue, ô gnate mi, ab omni fornicatione, & ne cognoscas mulierem alienam præter tuam.* Nempe Tobias percepit in verò Israëlita, quod de Christianis dixit Tertullianus: *Christianus soli vxori suæ masculus nascitur.* Quod expendebamus in comment. ad Iudith.

Attendere significat studiosam curã. Matth. Lucæ. Eccli. Prouerb. Arabs. *Christianus soli vxori suæ masculus nascitur.* Tertullian.

Vers. 14. Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas; in ipso enim initium sumpsit omnis perditio.

Superbia] est, *peruersæ celsitudinis appetitus*, vt ex Augustino communiter tradunt Doctores. Vnde *Superbus ille est, qui vult supergredi quod est.* Cognatum hoc hominibus vitium, procul esse ab vnico, & dilecto filio pius pater enixè satagit. Et licet in eo rerum statu minùs timeri poterat adolescenti, qui pauper, exul & captiuus erat; neque tunc quicquam occurrebat, quod contractum calamitate animum arroganter attolleret; tamen quia superbiæ insolentia sæpè è peruerso nascitur, & vel in calamitosa fortuna superbiendi non deest occasio: vel saltem præmunire cupiens filium, si fortè felicior affulserit; hoc instruit egregio documento. In tuo sensu. Sensus in hoc loco sumitur pro mente, ita communiter commentatores. Sic Lucæ 24. v. 45. *Aperuit illis sensum, vt intelligerent*, &c. vbi Syrus: *Tunc aperuit eorum mentem, vt intelligerent Scripturas.* Græci codices hic habent: *Noli superbire corde tuo*, & Syrus: *Ne extollaris corde tuo.* Quod autem *cor* in Bibliis sumatur pro mente, seu vi cogitatoria, obuium est, & nemini non notum. 10.

August. lib. 14. de Ciuit. c. 13. Isid. etymol. c. 8. *Superbia vel è calamitate oritur.* *Sensus & sumitur pro mente.* Lucæ. Syrus. Græcus.

In tuo verbo] Superbia, quæ in corde tumet, in verbis præcipuè apparet, in quibus latens arrogantia inscripta legitur. Nisi malis cum Sanctio, omnem externam superbiæ significationem, *verborum* vocabulo denotari. Sæpè enim accidit, vt vna species pro aliis etiam eiusdem generis sumatur. *Verbi* autem signatè meminit, quoniam in eo præcipuè se superbia prodit, & quidem pluribus modis. Externas superbiæ notas graphicè describit Tullius pro Sextio Piso, & Hieronymus in Epist. ad Rusticum Monachũ Dauid Mauden multa ad hanc rem eruditè spissat. *Dominari.* Dominatur superbia, cùm ita mentem, & externos actus præoccupat, vt in illos imperium suum exerceat, sicut Dominos in seruos. Vnde Superbia non tantùm Dominus, sed *grauis Dominus* dicitur à Nazianzeno, *A mo cansado*, quod alias ad mores expendebamus. 11.

Sanctius. *Superbia verbis producitur.* Tullius. Hieronym. Mauden. Nazianzen.

In ipso initium sumpsit omnis perditio.] Primò quia grande illud Luciferi delictum, & delictorum omnium primum, à superbia fuit. Dein luctuosa illa Protoparentis culpa, culparum omnium in hominibus matrix, originem à superbia agnoscit. Hic est genuinus, & litteralior sensus. Addunt Serarius, Mauden, Sanctius, & Iustinianus, non tantùm in Lucifero, & Adamo, sed etiã in quolibet homine, dum vel minima Dei præcepta violat, aliquid superbiæ apparere. Vnde dixit Sanct. Prosper lib. de vita contemp. c. 2. *Nullum peccatum sine superbia potest, vel potuit esse, aut poterit.* Ad quod probandum Sanctius, & Mauden plura aduocant Scripturæ, & Patrum testimonia. Sed an id intenderit Tobias, necdum persuadent. Et sanè adsimiliter *radix omnium malorum cupiditas* dicitur à Paulo, 1. ad Timoth. 6. vers. 10. *Omnis perditio.* τὸ perditio aliquando in Sacris litteris sumitur pro inferno, sic Iob 16. vers. 6 nonnunquam pro sepulchro, sic Psalm. 87. vers. 12. In hoc autem loco manifestè vsurpatur pro omni corruptione, & deuastatione, quod Hebræa 12. 13.

Quomodo superbia sit initium omnis peccati. Serarius. Mauden. Sanctius. Iustinianus. S. Prosper. 1. ad Timot. *Perditio quid significet in Scripturis.* Iob. Psal.

bræa vox אבדון *abadon* significat. Vnde sensus erit: Noli, ô fili, superbire: nam superbia est omnis humanæ, & Angelicæ calamitatis initium. τὸ *omnis* in nostra expositione potest suam vniuersalem significantiam adhuc retinere; quia Luciferi superbia fuit initium perditionis omnium desertorum spirituum, & exinde hominum, quos in primo parente deuastarunt. Et similiter superbienti Adami culpa, fuit causa communis perditionis in posteris. Vel vocula *omnis* potest ita stringi Biblico idiomate, vt significet maximum, vel potissimum. 1. Reg 4. v.8. *Hi sunt Dij, qui percusserunt Ægyptum omni*, idest, grauissima, *plaga in deserto*: neque enim *in deserto* alia plaga afflicti sunt Ægyptij, quàm demersione in mari rubro. Et psalm. 106. v.18. *Omnem escam abominata est anima eorum*, idest præcipuam, nempe cœleste manna. Et alia sexcenta, quæ attentiùs legenti passim occurrunt de Superbiâ, & de eius gradibus, ac remediis, copiosè agit Iustinianus post libri Tobiæ expositionem. Consulatur, si placet.

Omnis significat etiam præcipuum. — 1. Regum. — Psalm. — Iustinian.

§. CLIX.

Commentarius Litteralis.

Vers. 15. Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue; & merces mercenarij tui apud te non remaneat.

1. *Merces operario nō differenda.*

PAuperum patronum in hoc loco Tobias agit: & postquam eorum inopiam eleemosynis subleuandam admonuerat, nunc eosdem ab vsitata diuitum iniuria piè tuetur; dùm seriò vetat, ne filij operarii mercedem apud se pernoctare patiatur. Iobum æmulatus, qui c. 31. v. 39. id abundè præstasse scribitur. Quod præcipitur Leuitici 19. v.13. & Deuter. 24. v. 15. & Eccli. 34. v. 27. & Malachiæ 3. v. 5. & Iacobi 5. vers. 4. & Matthæi 20. v. 8 bonus ille paterfamilias statim post laborem operariis mercedem laboris offert. Illa verba: *Et merces mercenarij tui non remaneat apud te*, Arabs explicatiùs vertit, addens, *Nullo modo*. Nam diuites multis, & miris modis, laboris mercedem procrastinant, & sæpe defraudant; dum nec miser operarius mutire audet coram auaro, & superbo diuite; satiùs ducens fraudari mercede, quàm potentis iras petitione lacessere.

Iob. — Leuitic. — Deuter. — Eccli. — Malach. — Iacob. — Matth. — Arabs.

Vers. 16. Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu aliquando alteri facias.

2. *Qualia facimus, talia patimur.* — Sanctius.

Gaspar Sanctius hîc num. 46. putat eo fine hæc proposita à Tobia seniore, vt filius dicat pauperibus non esse differendam mercedem, aut abiurandum creditum, ne illi aliquid simile à debitoribus contingat, à Gabelo inquam, qui ei debebat decem argenti talenta, aut à quouis excipiens alios. Nimis, opinor, sententiam Sanctius stringit, & coarctat. Verba ergò vniuersatim accipienda sunt, vt sensus sit: Quicquid tanquam iniustum agrè tuleris ab alio tibi fieri, caue ne alteri facias. Quasi dicat: Si bene tibi fieri vis ab aliis, fac illis benè: quod pati non vis, fac vt alius abs te patiatur nemo. Egregium hoc documentum non tantùm à diuina, & humanâ eruditione accepimus, sed ab ipsa natura hausimus. Ita hunc locum interpretatur Lyranus, Hugo, Carthusianus, Serarius, Guilielmus Estius, Mauden, Iustinianus, & idem etiam Sanctius numer. 44. qui plura adaggerant ex vtraque eruditione ad id confirmandum. Quâ super re in thesibus ad mores commodius agemus. Consule interim Serarium, Sanctium, Mauden, & Iustinianū. Græcus. & Syrus addunt: *Attende tibi, fili mi, in omnibus operibus tuis, & esto eruditus in omni conuersatione tua: vinum ad ebrietatem non bibas, & non eat tecum ebrietas in via tua.*

Lyranus. — Hugo — Carthus. — Serar — Estius. — Mauden. — Iustinian. — Sanct — Græcus. — Syrus.

Vers. 17. Panem tuum cum esurientibus, & egenis comede, & de vestimentis tuis nudos tege.

3. Iob. — Pineda.

Hanc eruditionem de Iobi schola hausisse videtur Tobias. Iobus enim cap. 31. v. 17. sic de se fatur: *Si comedi bucellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea: si despexi pereuntem, eò quod non haberet indumentum.* Lege inibi Pinedam, & Sanctium. *Panis* nomine, Biblico more significatur omne esculentum, & victui idoneum, vt nuper multis probabam ad illud Genesis 3. v. 9. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Et sanè tunc homines pane non vescebantur. Addit: *Cum esurientibus, & egenis comede*: nam vt admonet Hieronymus epist. 111. *Dare diuitibus sacrilegium est: dispersit, dedit pauperibus.* Et nota, quòd cum de beneficentia agit, persæpè inculcat de suo donandum, non ex rapina: *Panem tuum*, inquit, *de vestimentis tuis.*

Panis nomine esculenta omnia significantur. — Genes. — Hieronym. — Psal. 111. v. 9.

Vers. 18. Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue; & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus.

4. *Cibi positi in sepulcris à Gentilibus, & quo fine.*

Hucusque ad benignitatem erga viuentes Tobias hortatus est filium, nunc eius beneficentia in mortuos etiam exundat. Verùm antequam hunc locum exponam, variam consuetudinem de cibis super mortuorum sepulcra constituendis, præstrictim referre operæpretium est. Et primò notum est, è Gentilibus quosdam in eo fuisse errore, vt seriò censerent mortuis esse necessarios cibos, aut ad alimoniam, aut ad honorem: ideóque se piè facere putasse cùm ad eorum sepulcra epulas deferrent. Ita Virgilius 3. Æneidos in sacris Polidori parentalibus aliquid addit esculentum. Similia adducat lib 5. de Anchisæ inferiis. Hùc referri solet *cœna Hecates*, quę prouerbiali formâ pro tenui sumitur, & quæ egenos alebat. Huius consuetudinis meminit Ecclesiasticus c. 30 v. 18. Nostri consuetudinem illam vituperant. Tertullianus lib. de Resur car. cap 1. & de Testim. animæ cap. 4. Arnobius lib. 6. Epiphanius in Anchorato, Serarius in lib. 3. Æneidos. Ambrosius de Elia cap. 7. Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 33. & alibi sæpe, Cyprianus de duplici martyrio, Hieronymus in Ieremiæ cap. 16. vers. 5. Gaudentius Tractatu de electione Exhodi. Huius etiam moris apud Ethnicos meminerunt Suidas, Pollux, Athenæus, Lucianus, Herodotus apud Serarium hîc, & Persius Satyra 6. Apud Peruanos nunc idem fieri, tradit Augustinus Zarath lib. 1.

Virgil. — Eccli. — Tertull. — Arnobius. — Epiphan. — Seruius. — Ambros. — August. — Cyprian. — Hieronym — Gaudent. — Suidas. — Pollux. — Athenæus. — Lucian. — Herodot. — Serarius. — Persius.

Aug. Zarath. Vilela. Georgiuiz. Ieremias. Ezechiel. Eccli. Iosephus.

lib. 1. cap. 12. & apud Iapones, Vilela lib. 1. Epist. Indicarum, & apud Turcas, Georgiuizius lib. 2. c. 19. Id etiam in more positum apud Hebræos constat ex Ieremiæ 16. v. 5. & ex Ezechiele cap. 24. v. 22. & ex Ecclesiastico cap. 7. v. 38. & ex Iosepho lib. 1. de bello Iudaïc. cap. 1. An hic mos ab Hebræïs in Gentes manarit, an è Gentibus in Hebræos, ambiguum est. Illud indubium, quod multa, quæ à Gentibus impiè, piè in Ecclesiæ solemnitates & ritus translata sunt, de quo Sanctius in hoc loco num. 61.

Sanctius.

5. *Epulum pro anima defuncti struebatur in funere.*

Cùm autem Hebræï non in loco sacro (sicut Christiani) suos sepelirent mortuos, sed in agris, locisve à turba hominum remotis, vt notum est ex sepulchris, in quibus condita sunt Hebræorum cadauera, hunc vsum habere poterant parentales epulæ, vt inde eas sumerent pauperes, nuncupatis anteà precationibus pro illius anima, cuius ibi corpus iacebat exanime. Itaque apud Hebræos (ita nunc apud Christianos) apponebantur oblationes ex pane & vino, non vt sepulcrali cibo reficiatur defunctorum manes, (quod superstitiosum, & ridicularium foret) sed vt precibus à Sacerdote ritè conceptis, seu à paupere, cuius illa eleemosynâ necessitati subuenitur; precum, & misericordiæ ope, defunctorum animæ egregiè iuuentur. Nimirùm sperabat vini appositas ad sepulcra Sanctorum escas, per eorum merita sanctificanda esse, vt censet S. Augustinus lib. 8. Confess. cap. vlt. Proderant etiam hæ dapes defunctis, dum opus misericordiæ pro iis fiebat, & huiusmodi eleemosyna vi ui ad preces pro ipsis fundendas excitabantur. Ita Lyranus, Hugo, Carthusianus, Turrianus li. 4. pro Epistolis Pontif. cap. 13. Bellarminus lib. 1. de Purgatorio cap. 13. Serarius, Sanctius, Menochius, Emmanuel Sà, & Tirinus, Iustinianus, & Mauden hîc, & Iacobus Salianus tom. 4. anno mūdi 3335. n. 16. Verùm adhuc superest singula lustrare, & lustrare huius versiculi verba.

August. Lyranus. Hugo, Carth. Carthus. Turrian. Bellarm. Serarius. Sanctius. Menoch. Sà. Tirinus. Salianus. Iustinian.

6. *Panem tuum, & vinum tuum,*] Per hæc verba non panem & vinum duntaxat, sed conuiuiū interpretari licet, quo propinqui & amici à luctu refocillarētur. Quod Deus ipse præscribere videtur, dum ait Eccl. 7. v. 38. *Mortuo non prohibeas gratiam, non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula.* Quod etiam sepulcrale epulum piè exundabat in pauperes, qui aduocabantur ad luctum, qui eleemosynis adiuuarentur, & precibus adiuuarent. Quod docet Chrysostomus homil. 27. in cap. 11. epist. 1. ad Corinth. aiēs: *Si filij, & fratribus defuncti factis commemorationē, erroris concuteremus consciētia, nisi consuetudinem impleres, vt pauperem conuocares.* Adsimilia verba scripsit homil. 37. in Matthæum.

Amici, & pauperes aduocabantur ad sepulcrale conuiuium. Eccli. Chrysost.

7. *Super sepulturam*] Non prandebant funerarij conuiuæ supra cadaueris tumulum, sed iuxta illum, quod significat vocula *super*, quæ sæpè idem valet quod *propter*, aut *iuxta*, Psalm. 137. vers. 2. Thren. 2. v. 11. & 18. Ezech. 32. v. 8. & alibi passim. Quod videtur innui Eccli. 30. v. 18. *Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumposita sepulcro.* Ecce tibi sepulcrales epulas positas circa, aut iuxta sepulcrum, non super sepulcrū ipsum. *Iusti.* Iustum appellat Tobias quemlibet Israëlitam, qui in auita religione, & veri Dei cultu decessit.

Super interdum significat propter, seu iuxta. Psalm. Thren. Ezech. Eccli.

Et noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus.] Nempe cùm Hebræï tunc exularent apud Assyrios idololatras, ad quorum religionem multi Israëlitarum, patriis legibus relictis, à fide transierant; monet Tobias, vt hos non aduocet ad sepulcrale epulum, ne idololatras, aut flagitiosos homines ad solemnes pro defuncto preces accersat. (Alioqui in hoc cap. 4. v. 7. piè monuerat ne *auerteret faciem suam ab illo paupere.*) Quod monet Gregorius in Pastor. 1. c. 11. *Sollicitè*, inquit, *formidandum est, ne qui placare posse iram Dei creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur: cuncti enim liquido nouimus, quia cùm is, displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur.* Consule hac super re Augustinum in Psalmum 102.

Qui displicet non bene intercedit. Gregor. August.

Vers. 19. Consilium semper à sapiente perquire.

8. Cùm iuuenum ingenium ætatis flore lasciuire soleat, nec adhuc sit satis maturum, & eruditione ac sapientia excultum; sed ineruditum & crudum, & maximè directionis indigum; ne à prudentiæ scopo filius aberret, opportunè illi mandat, vt aliorum se iudicio moderetur. Neque consilium sine delectu expetendum est: non enim duntaxat canis, & annis consiliosa constat prudētia. Sed ab iis petendum est, consilium, quibus à sapiētia, morum integritate, & rerum experientiâ lux clarior affulsit. *Scientia sapientis tanquam inundatio abundantiæ, & consilium illius, sicut fons vitæ permanet*, ait Siracides Eccli. c. 21. v. 16. Qualis autē debeat esse, quem possis prudenter consulere, luculenter docet Ambrosius 2. lib. de Officiis c. 8. & præsertim 12. Omitto elegātissima verba, quia lōgiuscula. Quales autē consiliarij sint fugiendi, habes Ecclesiastici 8. v. 20. & c. 37. à vers. 7. Lege Ianseniū ibi; & in hoc loco Mauden, & Iustinianum, qui multa de consilio petendo, & adhibendis consiliariis ex vtraque eruditione addensant.

Consiliarius qualis. Eccli. Ambros. Eccli. Iansen. Mauden. Iustinian.

Vers. 20. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.

9. *Benedic Deum.*] Non satis opportunè ad ea, quæ nunc Tobias versat, de petendo cōsilio à viro erudito & prudenti, nūc videtur inserere, *vt omni tempore benedicat Deum.* Vnde re attentiùs inspectâ, & Biblica phrasi considerata, probabile putat Sanctius, *Deum benedicere* idem esse, quod *orare Deum*, & eandem sententiam bis esse iteratam. Quod autem interdum idem significet, probat vir eruditissimus in commentariis ad illud Thren. 2. v. 19. *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum*, & Ieremias c. 7. vers. 16. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, neque assumas pro eo laudem, & orationem*, quod repetit c. 11. v. 14. sensus esse potest: Omni tempore ora Deum, ora, inquam, Deū, vt vias tuas dirigat. Quasi dicat Tobias: Etsi consilium petendum sit à viris sapientibus, qui maturo iudicio florent; quia tamen illi errare possunt, & in errorem alios consilio suo inducere; Deus præcipuè in consilium aduocandus est, & enixè orandus, vt vias nostras dirigat. Vtrumque documentum videtur Tobias mutuasse ex Ecclesiasticò c. 35. qui vtrumque opportunissimè, & moralissimè nectit.

Sanctius. *Deum benedicere, idem quod orare.* Thren. Ierem. Eccli.

10. *Omni tempore,*] id est, congruo tempore, & data occasione, sedulò vacans eiusmodi orationi. Non enim vt omni omninò tempore in id incumbat,

Lucæ. Suarz. cumbat, Tobias admonet. Sic communiter Patres, & expositores explicant illud Lucæ 18. verſ. 1. *Oportet semper orare.* Consule Suarez tom. 2. de Relig. lib. 1 cap. 2. *Vias tuas dirigat*, ideſt, vt ipſe opera tua gubernet. Quem loquendi modum expoſuimus ſuprà ad cap. 3. v. 2. *Et omnia consilia tua in ipso permaneant*, ideſt, à Deo inſtanter pete, vt tua conſilia Deum ſolum ſpectent, & de illius voluntate deliberatio tua ſuſcipiatur: de quâ voluntate vbi primùm tibi conſtabit, in eâ conſtanter hære, & flecti-neſcius conſiſte. Hanc energiam habet verbum *permaneat.* Sic facilè fluit ſententia, alioqui impeditur; & ad ſ eam leniter flectendæ ſunt Hebræa, Græca, & Syriacæ exſcriptiones.

Verſ. 21. Indico etiam tibi, fili mi, dediſſe me decem talenta, dum adhuc infantulus eſſes, Gabelo in Rages ciuitate Medorum, & chirographum eius apud me habeo.

Verſ. 22. Et ideò require, quomodo ad eum peruenias, & recipias ab eo memoratum pondus argenti, & reſtituas ei chirographum ſuum.

II. Boni teſtatoris partes in hoc loco Tobias agit. Primùm ſalutaribus documentis filium ad omnem pietatem informat; nunc verò fortunæ bona, quibus ſe, & matrem commodiùs alat, quaſi teſtamento relinquit, eas ſcilicet pecunias, quas olim Gabelo mutuas dederat. Quicquid in his verſ. interprete indiget, expoſitum eſt ſupra ad c. 1. v. 16. & 17. Hortatur ergò filium pius pater, vt accepta à debitore pecunia, ſuum illi chirographum reddat, nequis vnquam ſolutum debitum ſecundò repetat. Tobiæ 1.

Verſ. 23. Noli timere, fili mi, pauperem quidem vitam gerimus; ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus benè.

II. Moribundus (vt putabat) Tobias charum filium hortatur, ne animo cadat in dura egeſtate: ad quam ſubleuandam, non tam illi à Gabelo decem talenta argenti ſub legitima cautione promittit, quàm firmiorem chirographum relinquit, quo pietatis iure, & diuini timoris titulo, à Deo exigat commoda ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria. Admonet ergo vt Dei timore, ideſt, diuinæ legis obſeruantia, Deum conſtituat debitorem. Quod autem *Dei timor* perſæpè ſignificet in Scripturis religionem, & iuſtitiam, vulgare eſt. Obuia ſunt etiam Scripturæ loca, in quibus *timenti Deum* temporaria bona vbertim promittuntur quæ hìc commentatores adaggerant. Reliquæ tranſlationes parùm hic à Vulgato diſſident. Græci codices alia documenta adſunt, obſeruanda potius quàm commentanda.

§. CLX.

Priſtinæ dignitatis felicitas, infeliciorem reddit ſecutam ignominiam.

Facile eſt negotioſas ambitionis moleſtias euadere, ſi ambitionis præmia contempſeris: Illa ſunt quæ nos morantur & detinent. Quid ergò? tam magnas ſpes relinquam? ab ipsâ meſſe diſcedam; nudum erit latus: atrium erit vacuum? vacua munere vita torpore inerti inglorius otiabor, felicitatis, etſi operoſæ inexpertus? Ab his ergò inuiti homines recedunt, & mercedem miſeriarum amant, ipſas execrantur. Sic de ambitione quomodo de amica queruntur. Et ſi verum affectum eorum inſpicias, non oderunt, ſed litigant. Excute iſtos, qui quæ cupiere, deplorant: & de earum rerum loquuntur fugâ, quibus carere non poſſunt. Videbis voluntariam eſſe illi in eo moram, quod ægrè ferre ipſos & miſerè loquuntur. Vanis gloriæ ſpebus, ambitionis moleſtias deludunt, & miſerrimam mundi gloriam, ambitionis miſeriis mercantur. *Vtinam qui diuitias appetituri eſſent, cum diuitibus deliberarent. Vtinam honores petituri, cum ambitioſis ſummum adeptu dignitatis ſtatum: profectò vota mutaſſent, cum interim illi noua ſuſpiciunt, qui priora damnauerunt.* Nemo enim eſt, cui felicitas ſua, etiamſi curſu venit, ſatisfaciat. Queruntur & de conſiliis, & de proceſſibus ſuis, maluntque ſemper quæ reliquerunt. Et, vt hæc deſint, ſublimior felicitas in lubrico eſt, & cum inſtabili fortunâ vices rotat; & quò faſtigium excelſius eſt, eò profundiorem minatur ruinam, & dum altiùs euehit, miſerabiliorem caſum è peruerſo negotiatur. Proſperior fortuna in confinio aduerſæ eſt, tantòque ærumnoſior, quantò nuper felicior; de felicitate infelicitatem mutuans, & nimiùm exaggerans, ad impendentis infortunij hyperbolen. O time has fortunæ inſidias. Ne te nunc decipiat ſecunda fortuna, ne poſtmodum aduerſa comminuat. I.

Ambitionis moleſtia, ſublimiorum gloria pericula eminus.

Senec epiſt. 116.

David ille inſperato regno, & inopinatâ Philiſthæi victoriâ felix, in auguſto Iſraëlis ſolio ſublimis, & Dei familiaritate præcelſus; nec Deo ſatis tutus fuit, nec regno ſecurus Humanæ gloriæ inſidias, & pericula recognoſcens, ita Deum affatur in Pſalmo 101. Defecerunt, inquit, ſicut fumus dies mei, & oſſa mea ſicut cremium aruerunt. Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam. *A facie iræ & indignationis tuæ, quia eleuans alliſiſti me.* Seuerior diuinæ indignationis ira, non tantum altè eleuat, vt altius allidat; ſed eleuanda allidit? Præceps ruina tam exiguo interuallatur ſpatio ab ipſo celſitudinis vertice, vt dum excelsè quis eleuatur, profundè elidatur? *Quia eleuans alliſiſti me.* Verùm cùm Dauid typum Chriſti geſſerit, hinc interpretum Summates, horum verborum ſenſum ad triumphalem Chriſti pompam, quâ glorioſè illi victoriatum eſt paullo ante Paſſionis contumeliam, & contumelioſiſſimam in diro patibulo mortem, pronè deflectunt. Eccur Chriſtus mox probroſiſſimè & acerbiſſimè patibulandus, ante mortem, ſic triumphi gloriam adornat? Aut non debuit ſic abiectè mori, qui ſic magnificè triumphauit; aut qui ſic magnificè triumphauit, 2

Pſalm 101. v. 11.

Ante paſſionē triumphat Chriſtus, vt mortis, præcipitium gloriæ triumphantis excitaret.

Matth. 21. & &c.

uit, non debuit sic abiectè mori. Triumphus enim suo fructu caret, triumphantis inquam, gloria; dum postmodum in ignominiam degenerat, quæstuoso contumeliæ fœnore. Num huius triumphi sublimitas, gloriam Christi concinnat,
Guerr serm. 4. in domin. Psalm. an Passionis humilitatem adornat? *Quia eleuans allisisti me.* Porrò vt disertè Guerricus notauit, idcircò Christus per Danidem adumbratus, paulò ante Passionem cum præcelsâ sumptuosioris triumphi gloriâ exceptus fuit. *Vt mortis præcipitium gloria triumphantis excitaret.* Nimirùm Christus Deus non gloriæ auaritiâ, aut laudum ambitione, triumphi pompam expetit, quæ festo plausu, & faustis acclamationibus, in omnium oculis gloriosus appareret, de sublimioris gloriæ fastigio; sed vt excelsa tanti triumphi gloria, *mortis præcipitium excitaret*, & sublimiùs erigeret. Qui se in humili loco ponit, non habet vndè cadat: *præcipitium excitat*, qui ita se sublimat, vt habeat vnde altiùs cadere possit De summo fastigio, profundior erit casus, quem præcipitij altitudo metitur. Qui altitudinem procurat, attentiùs viderit, ne excelsius præcipitium ædificet; & dum sublimiorem negotiatur gloriam, altiorem inde extruat ruinam, quæ sic fastigio vicinatur, vt dum eleuatur, allidi dicatur: *Quia eleuans allisisti me.* O viderit, qui inconsultæ ambitionis instinctu celsitudines meditatur, ne imprudens deiectionibus militet: & dum honorum culmina fabricat, illa simul arietet, subruat, demoliatur; nec tam culmen, quàm præcipitium excitet. Inde ergò Christus Deus, probrosiorem redderet Passionem, illam triumphi gloriis paulò antè concinnat, vt vel triumphi gloria, Passionis ignominiæ militaret. Sic saginari probrorum volu-
Tobiæ 1. v. 1 ptate voluit, è vitâ discessurus! Regis Salmanasaris gratia, quâ nuper florebat Tobias, subsecutæ calamitatis eum multimodè exasperatis, exag-
Hic vers. 1. geratio fuit: indéque vitæ tædio mortem expectabat, quod est miseriarum compendium.

3 Oseæ 13. ob immania, quæ patrarunt, scelera, Israëlis populum duris admodum minis Propheta incusat. Perditio tua Israël, inquit, tantummodò in me auxilium tuum. Vbi est Rex tuus; maximè nunc saluet te in omnibus vrbibus tuis; & iudi-
1. Reg 8. v. 5. ces tui, de quibus dixisti: Da mihi Regem, &
Oseæ 13 v 11 principes. *Dabo tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione meâ.* Ardua planè sententia, & quæ minimè sibi cohærere videtur. Porrò si de Numinis indignatione Hebræo populo Rex cō-
Iudæus populus post regiã dignitatem maiori dedecore seruit. ceditur, si Rege (vt olim) careant, inde iram Dei sui prouocare cessabunt: nam causâ indignationis exemptâ, vt indignatio etiam otietur, necesse est. Ergò si Rex in Dei indignatione, Hebræis datur, in beneuola benignitate aufertur, cùm pariter auferatur indignationis occasio. Quin & nemo erit vsqueadeò Scripturarum imperitè ignarus, qui inficiari audeat, Reges magnâ cum Hebræi populi gloriâ, sceptra diu tenuisse. An non Dauid, & Salomon (vt taceam reliquos) vsque ad populi superbiam, inclyti fuerunt, magna gentis gloria? Quare ergo dicit Oseë: *Dabo tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione mea?* Quomodò in furore Domini tanta Regum gloria, regia purpura & diademate fulget? Vidit
Zeno hom. 11. de Iudæis. (sic opinor) hoc dubium Zeno Veronensis, & his verbis enucleatè respondet: *Quia tumet Iudæus inanis, quem momenti præterita delectat vmbra? Exultat, quòd in Ægypto creuerit: at in originali decreuit solo. Quod captiuitatis sit nexibus absolutus: sed est nunc vsque barbarici furoris moribus alligatus. Deus illi ducatum præbuit idem à suâ eum facie postmodum abiecit.* (Expende quæ subiicit verba, ad præsentem thesim peridonea) *Consecutus est regnum: vt post regiam dignitatem maiore dedecore Imperio Romano seruiret:* Ecce tibi regiam dignitatem ad ignominiæ exaggerationem pœnalissimè sternit. Lucentem purpuræ splendorem, & generosum superbi sceptri decus, probrosiorem facit seruitutis contumeliam. Irati Numinis furor Reges Hebræis dedit, quibus acerbior indignatio Reges abstulit, cùm de excelsiori dignitate Iudaïcæ seruitutis ignominiam struxit, & regali corona subiectæ vilitatis stigma ignominiosum inurit. Cùm Hebræus populus superba regni gloria præcellit, dicat cum Propheta: *Eleuans allisisti me:* dedit enim illi Deus Regem in furore suo: nam *consecutus est regnum, vt post regiam dignitatem maiori dedecore Imperio Romano seruiret* Porrò pristinæ dignitatis felicitas, infeliciorem reddit securam ignominiam.

Geneseos 45. hæc loquitur Iosephus ad fratres suos, vt eius nomine patri renuncient: Deus fecit me Dominum vniuersæ terræ Ægypti: des- 4.
cende ad me, ne moreris, & habitabis in terra Gessen: erisque iuxta me, tu & filij tui: ibique te pascam (adhuc enim quinque anni residui sunt famis) *Ne & tu pereas, & domus tua, & omnia quæ possides.* Pro *pereas*, in Hebræo est, תורש tiuares, idest, *depauperéris*. Quasi nunc paupertas in olim diuite, & feliciter opulĕto, sit eius mos. Qui post opulentiam paupertati viuit, sibi moritur Heu, diues mors est pauperis vita! Sic antiqua prosperitas subsecutam miseriam infelicitat.

Genes. 45. v. 11

Qui post opulentiam paupertati viuit, sibi moritur.

§. CLXI.

Dum Superior dormit, malè subditus ad malitiam vigilat.

O Felicem illum, qui sic boni suasorem aut præceptorem vereri potest, vt non tantum ad aspectū, sed vel ad memoriam quoque eius se componat, atque ordinet. Qui sic aliquem vereri potest, citò erit verendus. Hos exactæ sapientiæ & sanctitatis viro diuinior prouidētia sæpè dedit. ne aut exemplum vlli sæculo, aut conuiciū deesset. Exemplum legislatoris, monitoris, præceptoris, vigor præceptionis est; & animata lex, non attamento foris descripta, sed bono exemplo animitùs impressa. Qui aliis rectè facienda, ore aut calamo duntaxat dictat, merè garrit, & sola dat verba Bonum Gubernatoris exemplum, quod præcedit vel comitatur verba, est suadēdæ honestatis patrimonium. Porrò quamuis rectissima quæque ore dictet, si vita discordat; inferior, moribus exprimet, quicquid superior peccat. Mutæ sūt Præsidentium voces, si vocales non sunt præcipientium actiones. Et dum mala vita, bona suasionis verba mentitur, falsato sermone suadelę spectum planè frustratur. Vndè omnes ad virtutem præce- Hic vers. 1.
ptiones, quas in toto hoc capite senior Tobias addensat, vt iuniorem instruat ad omnem probitatem, priùs in se ipso coràm expresserat, factus virtutum idea, & inde præceptionum vigor: ne si exemplum deesset, vis persuasionis imbecillè langueret. 1.

Inferior moribus exprimit, non quod dictat, sed quod superior peccat.

Matthæi

Math 8. v. 24. Matthæi 8. Ascendente IESV in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius: *Et ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat*, &c. vsque adeò hæc procella à nobis ethicè agitatur, vt eius tempestatis nauseâ propè laboremus. Sed adhuc disquirendum superest, ecquis hāc tempestatem excitarit, quò indè innotescat, quam ob rem excitata tempestate Christus dormierit. Quòd verò Christus Deus, non per naturales causas, sed sua ante somnum præceptione tempestatem exciuerit, perspicuè his verbis Basilius edocet, dùm ita Christum cum mari loquentem inducit: *Esto mihi discipulorum præceptor, ò mare, & pro flagro fluctuum terrorem inijce. Attollantur undæ tuæ, armentur venti, saltetur undequaque scapha, naufragij minæ intententur, mors ostentetur, mortis expectatione pendeant.* Cur ergò postquam Christus Deus mari præcepit, vt tempestatem protinùs excitaret, statim ac præcepit, somno tradit sese? An post præceptionem dormit, vt de obsequio maris humanum erudiat obsequium? Profectò humani Superiores, dum rem exequendā subditis mandant, post mandatum, exsomni diligentiâ egent, vt obsequiū præstetur: nec minori solertiâ ad rectè iubendum, quàm vt postmodū succedat obsequium inuigilāt. *No es menester menos attencion para que el superior mire loque manda, que vigilancia para attender à la execucion.* Ergò postquam Christus Deus mari imponit præceptum, protinùs somno se tradat, vt ostendat insensiles creaturas sic expromptè iussis parere, vt præcepto semel dato, qui illud dedit, dormire confestim possit, præstandi obsequij securus. Benè id est, & ad aliud fortè thema non inidoneum. Sed Ioannes Maldonatus, quem honoris causa semper nomino, aliter de Christi somno philosophatur, ad thesim præsentem subtiliter opportunus. Exponens enim illa Euangelistæ verba, *Ipse verò dormiebat*, ita fatur: *Tria videntur hic non casu, neque natura, sed consilio & prouidentia Christi facta esse*, (omittamus primum, & secundum) *Tertium*, inquit, *vt CHRISTVS dormiret, quem etsi verum & naturalem, non simulatum, vt quidam putant, somnum fuisse putandum est, tamen est credibile, fuisse etiam voluntarium & procuratum, vt tempestas eo dormiente, & quasi sine eius consilio oriretur.* Scilicet dum Mare dormiente Christo, eius imperio obediens, inquietatur, turbatur, exasperatur, *quasi sine eius consilio tempestas oriri* videtur. Ecquis enim seriò sibi persuadeat, quod subiectum Mare de mandato tunc placidè quiescentis, immaniter inquietatur? Quin obediat Superiori contraria præceptionibus præstanti? Nemo solet dormienti Superiori, dum vigilare præcipit, promptè parere: & cum ipse in somni quiete est, ad eius nutum molestè inquietari. Dormit, ergò tunc Christus, & *tamen est credibile somnum fuisse etiam voluntarium & procuratum, vt tempestas eo dormiente, & quasi sine eius consilio oriretur.* Quid illustriùs? & quid tam ordinarium & frequens, quàm difficulter dormiēti Superiori, exsomni obsequio vigilanter parere? O bonam superioribus adæquè ac subditis eruditionem, de maris gymnasio ediscendam! Miraculi ad instar est, quod præceptori quietè dormienti, subditus vigilāter obediat, dum opere suo sui oris edicta quodammodò retractare videtur. O Superiorum mores, subditorum typos! Homines malunt exempla, quàm verba; quia loqui facile, præstare difficile est

Post præceptionem executioni inuigilet Superior.

Basil Seleu. Orat. 21.

3.

Superiore quieti & somno tradito, malè ad obsequium subditus vigilat.

P. Didac. de Celada in Tobiam.

1. Regum 26. Dauid fugitans Saülis iras, erat in deserto Ziph, & in colle Hachila diu latitat Latibuli admonitus Rex, venit in desertum, & cum eo tria millia virorum de electis Israël, vt quæreret Dauidem. Quod vbi primùm exploratores Dauidi innotuit, surrexit clam, & venit ad locum vbi erat Saül. Cúmque vidisset locum, in quo dormiebat Saül, & Abner princeps militiæ eius, & *Saulem dormientem* in tentorio, & reliquum vulgus per circuitum eius; ausus fuit vnico stipatus comite, descendere ad Saülis tentorium, & inde sustulit hastam quæ erat ad caput eius, & scyphū aquæ, & abiit. Et quæ est hæc Dauidis audacia, vt non timuerit aduersorū militū in castris vigilias? Esto, Saül dormiat, dormiat & Abner, an non cōsultiùs timeret, vt aliquis vigilaret ad Regis custodiam? Nihil horum veretur Dauid; sed prudentissimè per densos hostium cuneos, suspenso vestigio incedit securus. *Tulit igitur Dauid hastam, & scyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt: & non erat quisquam, qui videret & intelligeret, & euigilaret, sed omnes dormiebant, quia sopor Domini irruit super eos.* Ecquis non damnet inconsultam Dauidis audaciam? quis non putet fuisse ausum temeritati confinem? Desperantis animi, potiùs quàm prudenter audentis hoc facinus videtur. Omnes omninò milites altè dormire putat? neminem prorsus aut vigilantem, aut sic dormitantem existimat, vt ad sonitum vestigiorum strepitum euigilet? Etsi hoc reapse accidisset, à prudenti viro præsumendum non erat. Vnde tanta Dauidi fiducia? Audi sacrum Historiographum, & subtile Sanctij nostri commentum: *Vidit Saulem dormientem... & non erat quispiam, qui videret, & intelligeret, & euigilaret, sed omnes dormiebant, quia sopor Domini irruit super eos. Sopor Domini aut ideò dicitur, quia infusus à Deo, aut quia grauis fuit; quæ enim in quolibet genere magna sunt, illam Dei esse speciæ prouerbiali dicuntur.* Perquā benè quidem! Scilicet videt Dauid, quod Rex altè dormit, & oscitāter stertit: inde etiam videt Abnerem militiæ principem atæquè dormiētem; & omnes omninò milites, etiam qui vigiliæ deputātur, pariter sopitos prudenter coniicit. Profectò dormiente Rege, & Princeps militiæ dormit, dormiunt vigiles, omnes dormiunt, *sopore Domini*, aut quia graui nimis, aut quia à diuiniori prouidentia immisso, non tam ad Dauidis tutelam, quā ad Regum eruditionem quò palam innotescat, quòd dormiente Rege, omnes dormiunt, & velut Regis somno profundè soporantur, & inerter decumbunt. Ipse sibi non vigilat, & reliquos sibi vigilare præsumit; Superioris vigilio, subditos facit exsomnes; & eius sopore reliqui dormiunt. O bonam Principibus eruditionem! Sententiosè Tertullianus *Quis boni exactor, nisi qui & exactor*; de quo aliàs.

4.

1. Reg 26 v. 12.

Sopore Principis, omnes subditi dormiunt.

Sanctius ibidem.

Tertull. 2. contr. Marc. c. 13.

5. Matthæi 13. Simile est regnum cœlorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo. *Cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abiit.* Culpanda sanè *hominum* ignauia, quæ oscitanter locum præbuit homini inimico, vt sata zizaniis deprauaret. Sed peruestigare oportet, quinam sint hi *homines*: qui sic inerter oscitātur, dormiunt, stertunt, dum inimicus homo zizania superseminat? Strabus Fuldensis in Glossa Ordinaria sic locum interpretatur: *Cùm autem dormirent homines.* Nempè, *Qui aliis ad tutelam & custodiā deputati sunt Prælati in Ecclesia.* Ecce tibi Ec-

Matth 13. v. 25.

Strab inibi.

Multiplex ratio, cur Diabolus dicatur homo.

clesiæ agrum zizaniis depravatum, quia Prælati eius tutelæ & custodiæ deputati, ignauè dormitat. Sed quis est hic *inimicus homo*, qui dum Prælatus custodiæ deputatus, dormit, sata zizaniis inuitiat? Huic dubio sic Hugo Carensis respondet: *Inimicus homo hoc fecit, id est, Diabolus, qui dicitur homo ab homine deuicto, sicut Scipio Africanus ab Africa deuicta. Hieronymus: Diabolus inimicus homo dicitur, quia Deus esse desiit. Vel quia primas inimicitias voce significatiua, quæ solius hominis naturaliter est, exercuit: ideò dicitur, Inimicus homo. Vel quia sub similitudine rationis humanæ decipit.* Multa his verbis Hugo perstringit acumina, quæ ad alias theses enucleare pronum est. Sat esto digitum intendisse. Et sanè dum Prælatus tutelæ & custodiæ deputatus, inerter dormit; subditus, qui eius ignauia confisus, Dominicum agrum illi concreditum depopulatur, *inimicus homo, id est, Diabolus dicitur.* Scilicet *homo*, vt insinuetur Prælato subiectus; *Diabolus*, vt eius exaggeretur malitia. Nimirùm, qui dormienti Prælato subest, qui dum custodiæ deputatur, altè stertit; *homo Diabolus* appellatur; quasi humanos desuescens mores, nequissimam diaboli malitiam assumat. O vide quam à somno Prælati malitia vigilet.

Hugo Car. ibi.

Dum Prælatus dormit, homo illi subiectus, homo Diabolus nuncupatur.

---

§. CLXII.

Deus, Solis adinstar, sæpè quantò homines ab eo longius abeunt, tantò longius gratiæ donis illustrat.

1. DEbemus parentibus nostris pietatem, etsi multi, non vt gignerent, genuerunt. Deus non potest videri nescisse, quod effecturus esset. Cognouit nos antè natura quàm fecit: nec tam leue opus sumus, vt illi potuerimus excidere. Inter maxima rerum mundialium natura nil habet, quo magis glorietur, aut certè cui glorietur. Quid dicam de gratiæ donis, quæ Deus ipse sanguine suo emit, quò hominem opulentius muneraret? Plura sunt quàm tenuitas humana, non dicam numerando, sed nec cogitando assequi valeat: nobis enim nescientibus multiplex, & repetita gratia impenditur, ad diuinioris prouidentiæ auctarium. Quantus iste furor est, controuersiam Deo muneris sui facere! Non tantùm bonis, & gratis, bonus & beneficus est; sed etiam eum negligentibus, qui inuentus dicitur à non quærentibus se, quasi largior Dei prouidentia, inertiæ nostræ beneficè præcurrat. Ne ideò de hominibus minus meretur, cuius liberalitas ad te etiam dum nescis, dum negas, peruenit; quæ te quæri etiam dum ab eo fugis. Hanc velut effusam Dei benignitatem etiam dum contemnis, dissimulanter quodammodo honoras, dum tacitè quasi nimiam exaggeras. Quid tam augustè beneficum, quàm etiam munerum suorum refugas munerãdo quærere, & inuitis larga beneficia præstare? Præpoperè ingratus est, qui beneficia, etiam dum accipit, accipere recusat. O beneficentiæ hyperbolen! Quasi hominum benefaciendorum indigus, ingratos refugas quærit Deus, quæ est liberalitatis meta.

Diuinæ liberalitatis elogium.

2. Genesis 1. in primo mundi nascentis exordio, tornatos cœli globos pereleganter elaborauit Deus, sed adhuc sine luce rudes, & confusaneis tenebris incomptos. Prolixa tridui velut nocte mundus squalet. Sed mox die quarto cœlum sideribus inoculatur, & tota fulgorum ambitione præclarè micat, & aspectabilis mundus videndus adsurgit, qui sub luce maligna iacebat in tenebris. *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei: & luminare minus, vt præesset nocti: & stellas.* Sol, præclarum splendorum cœlestium conceptaculum, diei præest: Luna nocturnæ præsidentiæ deputatur. Hinc celebris apud Astrologos quæstio, an Luna de suo fulgeat, an fulgores à Sole fœneretur? Quam controuersiam ex communi Doctorum sententia, his verbis ibidem Iunilius dirimit: *Luminare maius est Sol, non solum forma sui qualiscumque est corporis, sed & magnitudine luminis: quia & ipsum luminare minus, & stellas illuminare creditur.* Scilicet Sol, Magni nomen in cœlo sibi vendicat, non modò quoniam reliqua sidera claritate excellit, sed quia Lunæ etiam fulgores vberrim mutuat. Sed omittit edocere Iunilius, quo modo, aut quandò Sol luces fœneret Lunæ, quod in hac re argutum est, & scitu dignissimum. Subtexat Iunilio supplementum, profanus quispiam politulo ingenio & lingua, suæ Africæ climata barbarie. *Luna*, inquit, *Solis æmula, noctis decus, seu corniculata, seu diuidua, seu pertumida, seu plena sit; varia ignium face, quantò longius abit à Sole, tantò largius illuminata, pari incremento itineris, & luminis mensem extimat.* O præclustrem iustitiæ Solem, hoc cœlestium fulgorum commercio, præclarè adumbratum! Parum foret cœlorum Regi, & *Patri luminum*, si astra de suo iubare illustraret; Lunam etiam suis fulgoribus illuminat; non quandò Soli propiùs accedit, de obsequio officiosa, sed dum Solem velut ingrata auersatur, ab eoque quasi contemptim recedit: *Quantò longius abit à Sole, tantò largius illuminatur, pari incremento itineris, & luminis.* O augustum cœli decus, & illustrior beneficentiæ exaggeratio! Quò longiùs à te Luna recedit, eò largiùs eam illustras, & pari incremento itineris, & luminis, fulgoribus tuis illuminas; Refugam quæris, fugitiuam exornas, auersatricem illustras; Pari incremento itineris, quo abs te fugit, erit luminis incrementum, quo illam tua luce perfundis, & gloriosè adornas; Lunæ tecum *æmulationem* foues, dum illi quantò longiùs abit, tantò largius faues. Dè peruerso auxiliatis, an auxilia confers, non pro modulo nostro, sed pro beneficentiæ tuæ immensitate? Ingrata abs te fuga, erit te inueniendi arbitrium? Recessu allicitur, qui accessum exambit? O immeratam benefaciendi largitatem! Auersatricem hominum malitiam, Dei bonitas æmulatione excellat, & benignitate detriumphet: & *quantò longiùs abit à Sole, tantò largius illuminetur.*

Gen. 1 v. 16

Iunilius ibi.

An Deus recessu hominum alicitur, qui accessum exambit.

Apuleius in Libro de Deo Socratis

3. Gentium Doctor, postquam tertij cœli scholam triuerat, altè inde eruditus, sic de diuinæ corporationis arcano ad Hebræos fatur: *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret.* Nemo interpretum non notat, inidoneum videri verbum *apprehendere*, & à re Incarnationis prorsùs peregrinum. An non propriùs & significantiùs dixisset Apostolus: Naturam humanam ex Abrahæ sobole Verbum *suscepit*, aut *assumpsit*? Hac voce politiores Theologi vtuntur, omittentes verbum *apprehendere*. O abstrusam Pauli sapientiam! Planè *vt misericors* gloriosiùs ostenderetur, consultissimè

ad Hebr. 2. v. 16.

Deus à se fugientes insequitur, & d beneficentia auctarium.

Chrysost. homil. 5. in ad Hebræ.

ptissimè non dixit, Deus *Assumpsit*, sed, *Apprehendit*. Quod Chrysostomus, idest, altera Pauli mēs, subtiliter adnotauit, ad rem præsentem tempestiuus. *Quid autem est, quod dicit, Apprehendit? Quare non dixit, Suscepit, sed isto verbo vsus est, Apprehendit? Ex metaphora insequentium eos, qui auersi sunt, & omnia faciunt, vt fugientes occupent, & vt resilientes apprehendere valeant. Aufugientem quippe ab ipso naturam humanam, & procul aufugientem (eramus enim longe profugi) insecutus apprehendit: ostendit quoniam misericordia sola, & gratia, & cura, quam de nobis habuit, hoc fecit.* Eleganter sanè Chrysostomus! Nempe verbum *assumpsit*, aut *suscepit*, de se non solertēm, actuosam, & viuidam naturæ humanæ susceptionem importat. At verbū *apprehendere*, pulchra viget energia, qua auersos, & à nobis properanter fugientes insequimur, & omnia facimus, vt eosdem præoccupatione *apprehendamus*. Hoc, hoc inquam, verbo, quàm sit Deus *misericors* præclarius innotescit. Quid tam beneficum, vt ingratè fugientes, beneficiis præoccupare? Quid æquè benignum, ac auersantibus adnuere? O præclarus iustitiæ Sol, qui quanto lōgius à te abit Luna, tantò eam largius illuminas, pari incremento itineris, & luminis. Vidimus cap. 2. v. 22. quàm procaciter fuerit auersata maritum, insana Tobiæ vxor. At dum ab ea & corpore & mente, in penitiorem domum Tobias recedit; cōfestim filium vocat, & hoc illi præceptum tradit,

Hic vers. 3.

cœlestis beneficentiæ æmulus: *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius: memor enim esse debes, quæ quanta, &c.*

4. Psalm. 113. Regius Vates Hebræo populo de egressione ab Ægyptiorum ergastulo, & de stratis ad vestigia marinis fluctibus gratulatur, sic occinens: In exitu Israël de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro, facta est Iudæa sanctificatio

Psalm 13. v. 3

eius, Israël potestas eius. *Mare vidit, & fugit: Iordanis conuersus est retrorsùm.* Quorsùm ignominioso *fugæ* vocabulo, cessio maris denotatur; & non generoso obsequij titulo, quo Moysis obtemperauit imperio? Audiendus est hac super re Emisenus Eusebius, ita fatus. *Mare vidit, & fugit. Quid vidit? Sine dubio illud terribile profundum atque secretum adsistentis inhorruit maiestatem, & ad præsentiam sui cessit auctoris.* Scilicet tametsi Deus vbique præsentissimus adsit, ne immensitati derogetur; tamen aliquandò antropopatos à nobis longius abesse, aliquando adesse nobis præsentissimus perhibetur. Ergò cum Deus dux itineris dicatur, dum populus omnipotenti comite intrepidus Mare ingreditur; Mare videns augustè secretum adsistentis Dei, eius maiestate turbatum, *ad præsentiam sui cessit auctoris*; & indè non tam obsequi, quasi *fugisse* dicitur. *Mare vidit, & fugit.* Itaque quod verè Deo obsequium fuit, dum *ad præsentiam sui cessit auctoris*; quasi ab obsequij degeneraret elogio, *fuga* nominatur; ac si non tam auctori suo obtēperarit, quàm terribilem assistentis Dei maiestatem Mare inhorruerit. Porrò subiectis agnatum est, præsentiam superioris dignitate magni, inhorrescere, & in re facienda velut mente attonita perturbari. Dum Præfectus rei faciendæ præsens instat, subditus eius grauitate & sedulitate penè oppressus, sæpè turbatur: indè absentia præcipientis, ingenuo parentis obsequio fidentiùs adulatur. Idcircò in Euangeliis crebrò legitur, quòd Deus in quibusdam parabolis adumbratus, cùm magnum hominibus negotiū

Euseb. hom. 3. de Pasch. *Maris obsequium, ad præsentiam numinis fuga dicitur.*

commendat, confestim adiungitur: *Peregre proficiscens*, &: *Peregre profectus est.* Quod velut absenti Deo generosum nominaretur obsequium; ipso arcanè præsentissimo, hìc *fuga* moralissimè nuncupatur. Indè admirabundus clamat Petrus: *Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.* Lucæ 5. v. 8.

5. Ioannis 16. Vado ad eum qui misit me: sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. *Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis vt ego vadam.* Multas rationes congerunt Interpretes, quibus ostendant, quàm sit hominibus peroutile, quòd Christus Deus absentaretur ab hominibus, & in cœlo pro nobis Patri adesset. Mitto obuias rationes, vt citiùs exscribam, quam alibi Theophylactus addidit. Magnus hic Doctor exponens ea Lucæ verba, *Recessit ab eis, & ferebatur in cœlum*, ita scribit: *Saluator ipse Præcursor omnium, ascendit in cœlum.* Scilicet Præcursoris officium, quod Ioannes Baptista exhibuit Christo in terris, Christus hominibus exhibet in cœlis. O quàm multa, quàm paucissimis in compendium strinxit Theophylactus! Vide quàm sit hominibus generosè benefica hæc Christi absentia.

Ioann 16. v. 7. *Ioannes fuit Christi Præcursor, Christus est hominum Præcursor in cœlis.* Lucæ 24. v. 51. Theophyl. ibi.

---

§. CLXIII.

Beneficus erga aduersarios, virginem reportat victoriam, dum vincere scit, & hostis esse nescit.

VIncit malos pertinax patientis bonitas. Nec quisquam tam duri infestique aduersus diligenda animi est, vt etiam iniuriatus bonos non amet, quibus hoc quoque cœpit debere, quod impunè non soluit. Iniuriæ tibi illatæ pœnitētia angitur iniuriator, num tu non bonus adhuc eris, quia alius in te malus fuit, etsi iam bonus est? ex aliena olim malitia, tua nunc bonitas pendebit? Regia Christianismi via est, qua seruatur iniuriatori spes amicitiæ; & si reuerti ad concordiam velit, etiā amicitia, quæ beneficiorū lenocinamento, & beneuolētiæ illicio ambienda est. Deus omnium rerum optimus auctor, qui beneficia ignoranti dare incipit, ingrato largiri non desistit, & adhuc impiè offensori donare perseuerat. Noua Euangelij politia est, vt iniuriatus non tantū beneuolentiam erga iniuriatores exhibeat; sed etiā in eum magna re & votis conferat beneficia; si fortè ex certo inimico, saltem fiat dubius amicus, & sæpè verus existet, beneuolentiæ & beneficētiæ philtro allectus. O pulchrum cœlo spectaculū, in quo cum imbonitate bonitas certat, dum generosæ concordiæ per beneficentiam militat! 1.

Vincit malos pertinax bonitas.

Hic vers. 5.

2. Gentiū doctor, arbiter Euangelij, & Christianæ doctrinæ sequester, in epistola ad Romanos c. 12. multa tradit de charitatis redundantia, etiam erga inimicos superpleno alueo affluēte, quo mutuum amorem rigat, & ad pacis & concordiæ fructus vberrimè fœcundat. Nulli, inquit, malum pro malo reponatis. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete. Sed & si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi, hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Diligentiùs adnota orationis clausulam expensione dignissimam: *Noli vinci à*

Roman 12. v. 17.

Beneuolentia erga inimicos, virginem reperias Victoriam.

malo, sed vince in bono malum. Verùm si penitiùs exploremus hanc Pauli sententiam, alicui forsan videbitur parum sibi cohærere: nam si tranquillam adstruere concordiam Apostolus intendit;& inde præcipit, nequis malum pro modo reddat, cum inimico contendens;quo pacto mandat viro bono,ne vnquā patiatur se à malo vinci,sed *vincat in bono malum* Qui ad victoriam hortatur,cōtentionem & bella tacitè persuadet: nemo enim sine pugna vincit Victoriæ enim vocabulum prælio certamine constat; & præliandi felicitas victoriæ elogium reuerberat. Quod acutè animaduertit Strabus Fuldensis ad præfata Pauli verba: *Noli vinci à malo,sed vince in bono malum.* Id est, *Bonitate contende contra illum,& est salubre certamen, ne fiat duo mali.* Salubre quidem *certamen*, sed planè certamen.Bonitas quidem iniuriati *contendit contra* iniuriatorem,vt illum *in bono vincat:* sed certamine contendit, vt vincat:ergo hæc victoria contentioso constat prælio, omnis autem contētio pacem turbat,& concordiam inquietat. Itaque cùm Victoriarum præambulus administer sit *certamen* proteruum,& pugnax *contentio*, certamine stat victoria, & contentione pax constat. Nisi forsan aliqua sit victoria, quæ vincendi elogium non mutuetur à pugna quod monstrum,victoriæ foret,de singularitate famosum. Ast *Virginem Victoriam ex Iouis capite exortam* sententiosè retulit Philo, Hebræorum disertissimus Quæ est hæc *Victoria virgo ex Iouis*, idest, Christi Dei *capite*,& arcano consilio *exorta*,nisi quia bonitas patiētis contractā ìmbonitatē offendētis piā quasi obstinatione cōtendit,vt *vincat in bono malum*?O salubre certamen, & generosa pugna, qua offendentis proterula, beneuolentiæ & beneficentiæ leuocinio mulcetur,& frangitur! Hæc *victoria virgo* est, & præuiam pedissequamque habet virginem etiam quietæ bonitatis pugnam quæ non constupratur talionis desiderio, non violationis odio, non scortatur in vindictæ sanguine, nec in iniuriam consolandi libidine luxuriatur; sed pura, casta, & illibata perdurans, *virgo victoria* est, & in honesto charitatis certamine sumptuosior triumphus. Profectò in effusioris beneuolentiæ palæstrā, adhuc iniuriatum sic vincere, quidam victoriæ fastus est, humanarum passionum trophæum, gloriosus charitatis triumphus,& *victoria virgo*.Gratulor vero & cœlesti Ioui, Christo Deo inquam,quòd ex eius capite, consilio, & ore, hoc inuentum effluxerit,quò in Christiana Ecclesia omnem perfectionem cōsummaret. Facessat hinc Iuppiter ille pluuius & mentitus, qui deuirginate potiùs sciens, nil vel in memoriā virgineum nouit retinere. Nostri Numinis hæc laus est,&perspicuus diuinæ bonitatis commentarius.

Strabus in Glossa ibi.

Philo in lib. de Mundi opific.

3. Matthæi 5.quales esse erga inimicos debeamus, his verbis edocet Christus: Audistis,inquit, quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus,& calumniantibus vos: vt sitis filij* (idest, similes) *patris vestri, qui in cœlis est: qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Vulgare est in Scripturis,Solem, Lunam,& astra appellari militiam cœli. Solis *clypeum* Tertullianus agnouit,& quot solares radios,tot *spicula* numerauit. Taceo cœli arcum, & cataphracti Martis splendentia arma. Quare ergò cum Christus Deus pacatam inter seditiosos mortales concordiam stabilire admititur, (adeò vt aduersariis benefaciendum sit) cœlestem inducit siderum militiam,quam summus Imperator Deus ducat, & contra aduersarios ordinat; *Benefacite his, qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est; qui Solem suum oriri facit super bonos & malos.* Num Deus suopte ingenio summè beneficus, & lucido cœli exercitu in suos aduersario obarmatus, sine hostilitate bella gerit,absque certamine vincit? Audiendus est Eusebius, qui Dei prælia, & victorias aduersus rebelles & infensissimos aduersarios sic graphicè describit:Quę hoc, inquit, manus agit, quòd magnificus Dominus rerum, cùm à nobis ad iracundiam visibiliter prouocatur,inuisibiliter ad clementiam temperatur; quis hoc miseris tribuit, quòd furor nescit irasci, & nouo genere scit victor sine intercessore misereri? Inter ista miraris te peccatis exigentibus flagellari,cur potiùs *innocentiam gladij,& patientiam non miraris armati?* Expugnatoris tui ferrum quale producitur ad pugnam, tale reconditur in vaginam; qualis est ante bellum, tālis est post triumphum. *Ac sic fortissimus tanti Moderatoris exercitus, vincere scuit, hostis esse nesciuit.* O vide hìc grande sacramentum, quo siderei *exercitus* heneficus Moderator, victoriam sine certamine reportat, sine pugna trophæum erigit, & sine prælio triumphum agit! O beneficentiæ hyperbolen! *Qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, vincens in bono malum.* Armatur splendida cœli militia contra infensos homines, temerariosque impudentes Dei offensores: & bellico cœli arcu pacem spondet, Solis spicula non feriunt homines, sed illustrant; non terra confodiunt,sed fœcundant.Quis in offenso, & armato Deo *innocentiam gladij* non miretur? Armatur sidereis lucibus, vt beneficentiæ largitate offensam redimat, & sine hostilitate victoriam reportet. *Virgo victoria* est, quæ *vincit in bono malum. Ac sic fortissimus tanti Moderatoris exercitus,vincere sciuit,hostis esse nesciuit. Qui solē suum oriri facit super bonos & malos.* Itaque inter stupenda circa te beneficia Dei tui, gratias tibi offenso referat iniuriosus offensor, vt apud arma in beneficētiæ stadio victricia,quietus & placidus maneat victor,& illæsus qui sic vincitur: propter quem donatur victori incruenta felicitas, & *victoria virgo*,quam patiendo, & benefaciendo generosè reportat.

Beneficus in aduersarios vincere scit, hostis esse nescit.

Euseb. hom. in Litaniis

Geneseos 37. inuidiosi fratres Iosephi eum videntes procul, mutuò loquebantur: Ecce somniator venit, venite occidamus eum. *Audiens autem hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum.* Ad quæ verba sic fatur Lipomanus: *Sic igitur qui libidine carnali reliquis fuerat peior; naturali pietate, & odio tanti criminis, compatientiaque fraterna melior erat.* Vides hominem libidine semel infamem, nec exinceps suspectum fuisse libidinis, & in reliquis virtutibus vltra cæteros præcellere! Neque enim datur character libidinis,vt nescio quis veteratoriè ineptit aduersus officiositatem gratiæ; neque semel lapsus, est vlterioris lapsus prophetia, sed forsan non relabendi cautela. Sed quare Ruben præ cæteris fratribus Iosephum liberare satagit? Respondet Rupertus: *Forte hoc fecit Ruben, quia se magis suspectum fore existimabat: quippe qui primogenita perdiderat, qua in Iosephum ex altera vxore primogenitum, pater transferre cœperat.* Scilicet principem

4. Genes. 37. v. 21. Lipom. ibi.

Nō datur libidinis character.

Rupert. in lib.

Quare unus Ruben defenderit Iosephum aduersus fratru inuidiam? principem Rubenum dedicebat negligere, quod æmulus ambitæ dignitatis perimeretur; ne alicui forsan in mentem veniret, se æmuli nece propè amissam primogenij prærogatiuam negotiari, planè infami, & propudioso ambitu. Generosè æmulum seruat; ne illiberalis illius hostis appareus, sordidè illum vicisse videatur. Satius putat generosus Ruben Iacobææ familiæ natu a princeps, debitum sibi principatum amittere, quàm illum competitoris pernicie restaurare. Dum hostis esse erubescit, se, & reliquos fratres fraterna compatientia, & honoris cessione generosius vincit.

5. Ad Roman 12 v.21. Isid Pelus.l.1 epist 11 *In bono sine hostilitate malus vincitur.* Opinatissima est illa Pauli sententia ad Romanos cap. 12. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Quo alludere videtur S. Isidorus Pelusiota ita Ophelio scribens: Si Socrates Atticorum dogmatum auctor, pulsatus etiam, ac verberatus, ab vltione temperauit, quid discruciaris, cùm contumeliam duntaxat acceperis? Etenim si philosophicum animum præstiteris, tu quidem Socratis gloriam referes, etiamsi minùs contumeliosè, quàm cum Socrate tecum actum sit. *Contra autem ille* (aduersarius inquam) *animi tui magnitudine tanquam telo sauciabitur: aut etiam aliquando à pede andi studiosa mente, ac lingua in melius mutabitur: tibique, vt huiusce mutationis auctori, gratiam habebit.* Nempe vincere scies, & hostis esse nescies.

---

§. CLXIV.

Conscientia aliquorum defectuum, pertusa est; etsi obsignetur taciturnitate, effluit.

1. Seneca lib. de vita beat c.16. Nihil magis, Socrates inquit, persuasi mihi, quàm ne ad opiniones vestras actum vitæ meæ flecterem. *Solita conferte vndique verba, non conuiciari vos putabo, sed vagire, velut infantes miserrimos.* Vagitus, genius infantis est, & tenetis lachrymulis latentem medullitus miseriā naturaliter prodit: sic adultus homo aliena, quæ nouit conuicia, & animitus tecta hærent, velut naturaliter euulgat. *Conscietia de alienis defectibus, pertusa est vel taciturnitate effluunt.* Translucent in conscientia nostra alieni defectus: & licet ora circunspecta taciturnitate obsignentur, garrit silentium, risus inuulgat, nutus traduit alienum probrum, cui lingua ignoscit. Actiones, imò & cessationes nostræ linguatæ sunt, quin in vultu etiam alienos defectus descriptos legimus. Rimosa nimis est alienæ culpæ conscientia, & hac illac perfluit. An non etiam persæpè ipsa eos obuelandi, & occultādi, & sollicitudo, est peruersa proditionis negotiatio? *Tal vez la dissimulacion cuidadosa de occultar las culpas agenas, es diligencia paraque se sepan.* Frustra hîc Raguel Saræ pater, vxorem suam clanculum euocat, vt præparet abstrusiorem alium filiæ thalamum, & vt cap. sequenti vers. 11. intempesta, & obscura nocte effodi iubeat sepulchrum: nā quod occultissimè in Ecbatanis peragitur, in nimis dissita Babylone, Tobias iuuenis non valde curiosus, fama increbrescente pernouerat. Imò & ipse Tobias post iurgium cum vxore, dum hîc v. 3. exquisitam illius curam geritj illius probrum tacitè refricat, & insinuat.

Tobiæ 7 v. 18

Hic vers. 3.

2. Apoc.5. v 1. Apocalypsis 5. sublimius de cœlo oculatus, hęc videt Euangelista Ioannes: *Et vidi in dextera sedentis suprà thronum, librum scriptum intus, & foris, signatum sigillis septem.* Adest Dei Angelus proclamans voce magna, quærens ex adstantibus dignum aliquem, qui posset aperire librū, & eius septem signacula palam reserare. Pia lachrymarū ambitione Ioannes satagit, vt resignentur sigilla, & libri Scriptura coram legatur. Nimis est arduum, explicatiùs hic tradere, quid sit scriptum in hoc libro, tot sigillis munito. Prolixis commentationibus hunc locum interpretes fatigant, quas nunc recensere, & examinare, longum foret, & ab re ethica, quam nunc versamus. Multa intermittere iuuat, vt citius demus verba Origenis, qui ita scribit: *Existimo per ea, quæ erant ante scripta, significari promissa, quæ ad Sanctos pertinent, & ad eorum vitam: per posteriora verò, quæ spectant ad illos, qui pereunt, & ad rationem punitionis.* Origeni in multis passim locis Alcazar assentit. Et opportunius Hieronymus Prado censet non fuisse scriptum, nisi comminationes, & supplicia. Non componam, hanc litem, ne longum faciam. Dummodo constet, in hoc libro fuisse scripta ea, *quæ spectant ad illos, qui pereunt*, siue sit peccatum Adæ, siue Iudæorum flagitia, siue quævis alia hominum scelera punitione dignissima. Videlicet liber in quo scriptæ sunt hominum, culpę, septem nihilominus sigillis obsignatus est, ad abstrusam defectuum absconsionem. Quid tam reconditum, & humanis oculis æquè inuisum, ac illud quod septem omninò sigillis obsignatum est? Ecquis legat scripturam, quam tot signacula arcanè claudunt; Verū enim verò tametsi scriptura, in qua hominum scelera descripta sunt, septem prorsùs sigillis obsignetur, eam tamen *scriptam intùs, & foris* audimus. O moralissimam eruditionem de abscondita Apocalypsis schola ediscendam! Abscōdantur licèt abditissimè, & septem sigillis obsignentur, quod intùs, & *foris* scriptum est, facile legi potest. Hominum flagitia, fateor, septena occultantur obsignatione: sed quæ *foris* sunt exarata, quantùvis tot sigillis recondantur, oculis patent, & ab obuiis quibusque legi, & intelligi possunt. Quantumvis septemplici obsignatione defectuū occultandorum innuatur studium; nihilominus quia liber continet scriptos hominum defectus, non modo ex coniecturis perlucent; sed quia *foris* scripti sunt, videntibus se legendos offerunt, & quantumuis tot obsignentur sigillis, sese palam inuulgant, & coram produnt. Sic est rimosa alienorum defectuum conscientia; Sic aliorum culpæ quantumuis taciturnitate obsignatæ, se vltrò spectatoribus legendæ offerunt: Sæpè vel occultatio publicationem procurat, & de absconsione malitia publicatur.

Origenes Ezechielis 2. Alcazar in c.5. Apocal. Prado in Ezech 2.

Liber in quo hominum defectus continentur, etsi septem obsignetur sigillis, quia foris scriptus est, legi potest.

3. Matthæi 1. Genealogiam Saluatoris per virilem lineam (quæ præluste nomen posteris transfundit) Euangelista seriatim accurato censu denarrat. Et vbi ventum est ad Dauidem, generosam Regum stirpem, vt regio stemmate, sic, & cruēto adulterio famosum, ita fatur: *Dauid autem rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ.* Multas, ipsaque pulchellas quæstiones ex his verbis expositores excitant, quas inibi, vel ad lectoris nauseam vbertim expendimus. Illa tamen hîc prætereunda non est, cur regium Bersabee nomē tacuerit Euāgelista, & circumlocutione vsus, in linea Saluatoris eam descripserit? S. Thomas (vt interim alios omittam) sic de hac re censet: *Hac autem turpiter peccauit crimine adulterij, & consensu homicidij: & ideò propter verecundiam subticetur eius nomen*

Math. 1. v 6

S. Thom in comment illius loci.

Defectus studiosè tecti, vel ipsa cautela publicantur. *nomen.* Quasi Euangelistam pudeat, cruentæ impudenter æquè atque atrociter adulteræ recensere nomen, ne aëra toxicet crudelis lasciuiæ afflato veneno. Sed esto, Bersabeæ nomen idcircò taceat, & opus fuerit Salomonis matrem reticere, valde caute Euangelista illa periphrasi vsus est, qua & Vriam honore læsum, & vita immerito mulctatū illustri recensitione, in augusta Saluatoris linea, quodammodo sublimaret. Audiendus est Alfonsus Salmeron ad ea Matthæi verba: *Ex ea, quæ fuit Vriæ. Non dixit, ex Bersabee, sed periphrasi descripsit illam.....Vt Vrias fidelis, & iustus seruus Dauidis in hac genealogia locum habeat apertum & expressum: Bersabee autem propter adulterij notam, suppressum, & implicitum.* Nempe nota erat Euangelistæ propudiosa Bersabee cū Dauide scortatio; dum autem supprimere, & occultare vult, inhonestum tunc Bersabee nomen, & Vriā honorare; etsi cautè apposuit verbum *fuit*, aiens: *Ex ea, quæ fuit Vriæ*, idest, ex vidua, quæ Vriæ olim marito defuncto, Dauidi nupsit, (quod permissum erat, licitum, & honestum) tamen etiam dum sollerter cautelam adhibuit, & quicquid inhonestum fuit, *suppressum* voluit: adulterium tamen, & homicidium egregiè promulgauit. Ecquis in honesta Vriæ recensitione, inhonestum vxoris Vriæ facinus inscriptum non legit? In honore Vriæ, etiam dum supprimitur Bersabee nomen, huius libido implicite culpatur, & clanculum proditur. Vel in studio obtegendi scelus, scelus inuenitur, & in dissimulatione descriptum legitur. A quo interpretum ad hunc locum, Dauid non vapulat; & Bersabee incontinentia non proscinditur? Vel attentior cautela obtegendi defectus, illos publicādi arbitrium est. Alieni defectus (crede mihi) in nostra conscientia perlucent; & vel septem obsignati sigillis, *foris* scripti leguntur.

Salmer. ibi.

4. Matthæi 9. Domino Archisynagogus occurrit, & humili cernuatione causam refert, & monet præstantis affectum. *Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero.* Sic mulier verecundo vulneri, quod erubescebat coram turba publicare, qualiter subueniret, inuenit; vt fidei insinuaret silentio, quod insinuare publico clamore non poterat. Mulier ergo non confusa crimine, sed confusa languore, *accessit retro*, vt turbæ declinaret oculos, nō Christi vitaret aspectum: à populis nesciri voluit, non à Christo gestiuit non Deū latere, sed homines, quia non nisi à solo Deo potuit latens videri, audiri tacēs, celata curari. Pergit ad rem tempestiuè Chrysologus. *Felix mulier, quæ in tanta multitudine est sola cum Christo: vt sola sit conscia, & salutis reddita, & virtutis extensæ. Beata quæ tali via ad suum irrepsit auctorem, quæ antequam de suo vulnere confunderetur ab homine, careret ipsius vulneris fœditate.* Quid tam secretum, & à circumstantiis turbæ aspectu, & suspicione remotum, quam hæc inopinata à fœdo vulnere salutis largitio? Retrò accessit mulier, in confusanea turbarum frequentia fimbriam latenter tetigit: latentem morbum fidei insinuauit silentio, & pia fraude sic salutis deliniuit præbitorem, vt *antequam de suo vulnere confunderetur ab homine, careret ipsius vulneris fœditate.* Sed audiendus est Euangelista Marcus, qui refert, quod intermisit Matthæus & ad rem præsentē adducit, & sic expēdit Chrysologus: *Et statim IESVS in semetipso cognoscens virtutem, quæ exierat de illo, conuersus ad turbam, aiebat: Quis tetigit vestimenta mea?* Quorsùm hæc interrogatio in tanta festinatione in domum Principis? *Qui interrogat*, inquit, *velut ignorantiam profitetur.....Verum non ignorantiæ errore, sed maiestate Dominus hæc sciendo, & præsciendo interrogat: nec quod occultum sibi esset, requirit: sed & ipsum sibi benè esse cognitum sic demonstrat; dum taliter quærendo cunctis ignorantibus, solus aperit quod latebat.* Audis vel interrogationem in transcursu factam, de occulto fimbriæ tactu; latenter insinuasse fœdum mulieris morbum, quem pudor celabat, & absconsa fides extorsit? O secretissima quæque, & ab humanis oculis procul remota, indicia aliorsùm tendentia, non leuiter insinuant, & insinuata publicant. Nihil occultum, quod non reueletur; nec absconditum, quod non sciatur. Rem publicat, cùm *interrogando velut ignorantiam profitetur.*

Math. 9. v. 20. & 21.

Chrys. ser. 36

Quod Hæmorrhoissæ fides occultat Christi interrogatio publicat.

Marci 5. v. 30

Chrys. supr.

---

§. CLXV.

Promptissimum Deo obsequium futuræ Beatitudinis pignus est, & Beatorum character.

DE vrbe quondam orbis dominatrice, Christiano, imò, & religioso forsan cothurno; 1.
dixit profanus quispiam ethicè magnus: *Idem huic vrbi dominandi finis erit, qui, & parendi fuerit.* Quasi obsequium sit sublimitatis augurium, & principandi arbitrium. Si inuitus pares, seruus es; si volens ministeris, si auidius obedire percupis, ad iussa obsequentissimè alacer; quasi coloniam in cœlum transtuleris, feliciter beatus eris, cœlicolarū æmula beatitate. Homo qui hominibus imperat, coronaç seruitutis gestat insigne, & stigma de purpura rubricatum. Quid est regnū, nisi ingenua seruitus? Deo parere, verè regnare est, & præpropera summæ felicitatis nota. Quid creaturæ adulantius, quam Creatoris menti opere conformari, & diuinæ ideæ characteres manu exprimere? O ambiamus hanc seruitutem feliciter beatam, & quam Beati piè exambire dicuntur, pia vberioris gloriæ ambitione!

Seneca lib. 1 de Clem. c. 4

Dominandi finis erit qui & parendi fuerit.

Isaiæ 6. in anno, quo mortuus est rex Ozias, qui Dei templum polluerat, Deus apparet in templo, non allectus templi squalore; sed ne putetur ob templi squalorem, à templo abigi; adest sordium detersor, sordidantium vltor, & religionis assertor. Ait ergo Isaias: Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & ea, quę sub ipso erant, replebant templum. In tanta gloriæ ostentatione, incomitatus apparet Deus; Addit Propheta: *Seraphim stabant super illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Propè conuenit inter expositores, (siquid non fide sanctum, inter expositores conuenit) hos Seraphinos de contēplatione, & amore Dei beatè ignitos, adumbrare sub humana specie, beatam cœli gloriam, qua vbertim fruebantur. Ergo Seraphini senis alis præditi, *duabus velabant faciem eius*, id est, quilibet propriam faciem (vt tradunt politiores interpretum) quasi beata Dei fruitione auidè saturi, suos oculos *velare* dicūtur, quo exundantem beatæ visionis gloriam humanitus repręsentent. Sed quid est, quod aliis duabus contractis suos 2

Isaiæ 6. v. 2.

Num Seraphini in locum amplioris beatitudinis Dei obſequi malunt? ſuos *velant* pedes : & duabus alis *volare* etiam perhibentur ? ſi non nuper *ſtare* dicuntur ? quo modo dum ſtant, volare poterant? Imò ad ſtationem, qua Deum glorioſè contemplantes ſtare dicuntur; eſto, velent faciem, quare pedes etiam velant? Quis eſt iſte ſtans volatus? & quæ hæc arcana pedum velatio ? Perbellè Carthuſianus hos Seraphinos in beata diuinæ maieſtatis contemplatione altè immerſos , & beatitudinis gloria vbertim exundantes; dum videt, quòd tunc pedes *velant*, & aliis *volant*, vel potiùs *volaturiunt*, (vt

Sanct. ibi. putat Sanctius) ita fatur: *Proprios pedes velare debebant , vt volarent celeriter exequendo imperium*

Carthuſ. *Domini ſui.* Et ſubinde addit: *Et duabus volabant, id eſt, per duas medias alas ad diuina obſequia promptiſſime ferebantur, aſcendendo ad ſuperiora, & deſcendendo ad inferiora iſta, iuxta imperium Dei.* Nempe hi Angelorum ſummates, dum ſub humana ſpecie apparêtes, beatam cœli gloriam humanis oculis repræſentant; alis duabus propriam faciem velant , qua Deum beatè contemplantur. Quaſi dicant : Satis eſt Domine, quo immenſum gloriæ pondus declarant. Sed dum beatæ gloriæ amplitudinem velut ſiſtunt, binas alas expandũt; & ad Dei nutum *volaturiunt* , & *per duas medias alas ad diuina obſequia promptiſſime feruntur.* Dum Deum beatè cõtemplantur, faciem alis velant. & alas ad obſequium expandunt An potiùs obſequi, quã magis ac magis beari exambiũt? An quod videntur derogare gloriæ , dum faciem *velant*; obſequio erogare cupiunt, dum alias ad *volatum* extendunt? Hæc linguata huius hieroglyphici viſio, de beatitate accidentaria, has pulchras pro obſequio voces reſonat, dum in beata Dei contẽplatione, Seraphini faciem velare, & alas ad obſequium expandere perhibentur.

3. Iobi felicitatibus fortuna inuidet, Diabolus inſidiatur , & inconcuſſam eius conſtantiam duris calamitatibus ſubruere molitur. Vt autem tenta-

Iob. 1. v. 6. tori per Deum liceret , Iobum adoriri : *Quadam die cum veniſſent filij Dei , vt aſſiſterent coram Domino , affuit inter eos etiam Satan*. Sicut *filiorum Dei* nomine ſanctos Angelos intelligi , ita *Satana* vocabulo, Diabolũ deſignari, paſſim tradunt Iobi commentatores. Lxx. interpretes ſic locum ſcribunt. *Venerunt Angeli , vt ſtarent coram Domino, & Diabolus venit cum eis.* Aquila, Chryſoſtomus , Complutenſis , *in medio eorum.* Dum ſancti Angeli coram Deo conſiſtunt, & facie ad faciem eum contemplãtes, de eius viſione vbertim beantur , & beata cœli gloria fruuntur;

Promptum Deo obſequium, Beatorum character eſt. *in medio eorum* Diabolus aſſiſtit ? Cœleſtes illas regiones , vnde eſt deturbatus , ſubit ? Et vbi eſt illud : Quo modo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris ? In medio cœleſtium ſpirituum,

Iſaiæ 14. v. 12. qui Dei faciales, ipſi coràm honoratiè & beatè aſſiſtunt, Diabolus inuenitur ? Numquid ambit Satan de Angelorum conſortio, aut Dei præſentia beari? Belliſſimè incertus Olympiodorus pulchrã reddit rationem , (alias omittens) quare Satan inter beatos Angelos Deo aſſiſtens, de eiuſmodi præſentia minimè beetur. Sic ad ea Iobi verba,

Olympid. in Catena Græc. Patr ibid. fatur Olympiodorus : *Cum Angelis aſſiſtere Satan dicitur; quoniam is quoque in diuinæ ditionis atque imperij locis conſiſtit expectatque dum ſibi mortalibus inferendarum tentationum poteſtas detur, non vt obſequium vllum præſtet Deo.* Tempeſtiuè quidem Olympiodorus! Scilicet , tametſi videas Satanam inter beatos Dei Angelos, Deo coràm aſſiſtentes, & de eius facie feliciter beatos; ne mentem tuam incautè ſubeat Satanam tunc fuiſſe alicuius beatitatis vllatenùs participem; ſed eum exiſtima empyreę beatitudinis penitùs extorrem. Nam diuinæ maieſtati ſic cum Angelis beatis aſſiſtit , *non vt obſequium vllum præſtet Deo.* Expeditior Deo obſequendi voluntas, Beatitudinis indicium , an cenſus eſt? an cœleſtis Beatitudo, obſequiorum officina deputatur ? Eſt ne obſequium, Beatitudinis ſequela , an, eiuſdem character ? Pronum diuino nutui obſequium, Beatitatem excudit ? Tametſi Satanam videas in medio Angelorum, Deo beatè aſſiſtentium; ne beatum putes, (licet aliæ rationes deeſſent) ſed adhuc Diabolorum reprobiſſimum ; quia diuinæ maieſtatis ſolio non aſſiſtit , *vt obſequium vllum præſtet Deo.* An non ſtare Seraphinos nuper vidimus, Deo beatè adſtantes ; & tamen dum beata contemplatione immoti *ſtabant* , ſimul duabus alis *volant* , ſeu *volaturiunt ad diuina obſequia promptiſſime* ? quaſi promptius Deo obſequium, ſit cœleſtis beatitudinis nota , aut notus character. O præproperè in hac mortali vita feſta, hoc beatæ immortalitatis charactere feliciter inſigniti, quod ſit cœli pignus , & beatitudinis obſes! Non deſinet imparare , qui parere non deſinit. Seruili (vt putas) obſequij habitu, olympia prematuræ ſplendet purpura. Hinc, vt ſuperſtitem filium , non modo ſui cenſus hæredem , ſed & cœli candidatum Tobias relinquat, pronum Deo obſequium præſtandum vel in minimis , ſeriò commendat hîc verſ. 6. *Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum : & caue ne aliquando... prætermittas præcepta Domini Dei noſtri.* Hic verſ. 6.

Matthæi 6. de obedientia Deo præſtanda , ſic 4.
dicitur : *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo , & in terra.* Vt de obſequij præſtantia, terra cœlum æmu- Matth 6 v. 10
letur, id eſt, terrigenæ cœlicolas, homines An- Iob. 38. v. 25.
gelos *Nunquid mittes fulgura , & reuertentia dicent tibi : Adſumus?* Iobo Deus dixit, quibus verbis ſemper parata, & agillimè prõpta Angelorum etiam obedientia ſignificatur, vt eruditè inibi ob- Pineda ibi n. 1. 2 & 3.
ſeruat Pineda noſter. Porrò τὸ *adſum*, poſtquã re conſũmata Angelus reuertitur, idem eſt, ac, *Ecce me, Præſto ſum*, iterùm atque iterùm mitte me quo *Ipſo officio inofficioſus eſt, qui iniuſſa exequi præſumit.*
velis. Tanta ne cœlicolis velut ambitio ineſt parendi Deo, & opere eius voluntatem exequẽdi; vt quamocyſſime redeant, & *adeſſe* dicant, quaſi præceptiones ſollicitent, & iuſſiones, quas præſtent, exambiant? Tanti æſtimatur in cœlis obedientiæ bonũ, vt cœlicolæ iniuſſa omittentes, iuſſiones ſic Salu lib 6. de
ſollicitè negotientur? Audiendus eſt Saluianus Gubern. Dei.
Maſſilienſis , qui in re ſimili ſic argutè philoſo- 2. Reg 6. v. 6.
phatur : *Oza ille Leuites Dei quid contra mandatum cœleſte fecit, quod vacillantem arcam Domini ſuſtinere tentauit?... Non quia, vt videtur ad ſpeciem, contumaci aliquid aut inofficioſa ſaltem mente commiſerit; ſed ipſo officio inofficioſus fuit , qui iniuſſa præſumpſit.* O quàm vult Deus, vt eius voluntas ſicut in cœlo fit, ſic fiat in terra, per humanã Angelorum æmulationem, quò præproperè terrigenæ , cenſeantur obſequij imitatione cœlicolæ! Porrò Angeli dum iuſſione mittuntur, eunt ſicut fulgura, & reuertentes, dicunt : *Adſumus*, vt iuſſa præſtent , ne quicquam (quantùm fieri poteſt) niſi ex iuſſione faciant : nam leuites Oza , qui ex Sacerdotis miniſterio Angelus Domini ſæpè nuncupatur , *ipſo officio inofficioſus fuit , qui iniuſſa præſumpſit.* Ergò perfecta hominum obedientia beatos cœlicolas imitatione æmuletur , quò

ſicut exprompto obſequio diu fatigatur in terra, ſic de beata felicitate auſpicatò glorias cœli reſpiret, proſpero beatitudinis augurio. *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra.*

§. CXLVI.

Dei præſentia, laudatior morum pædagogia eſt, & libera quædam benè operandi quaſi neceſſitas.

1. Apud Senec. lib 7 natur. q. cap 30

EGregiè Ariſtoteles ait, nunquam nos verecundiores eſſe debere quàm cùm de Deo agitur. Si intramus in templa compoſiti, ſi ad ſacrificium acceſſuri, vultum ſubmittimus, togam adducimus, & in omne argumentum modeſtiæ fingimur: idem ſemper facere debemus, cùm Deus nobis præſens vbique adſit immenſitatis priuilegio. O vtinam hæc cogitatio, vt indubia fide innoteſcit, ſic hominibus altè inſideret ad morum compoſitionē. Dei præſentia, ſi ſapis, breuis morum pædagogia eſt, vitiorum cohibitio, & moralis diſciplinæ compendium. Ecquis Deum ſibi animitùs præſentem ſeriò cogitans, laſciuire non erubeſcat, voluptatibus affluere cogitet, & alios violenter nocere audeat? Vitiorum temeritatem hæc cogitatio potenter continet, & ad omnem probitatem ſenſim extimulat: nam omnis malitia latebras quærit, oculorum cenſuram fugit, Dei præſentiam ſuſtinere non eualet. De diuinæ præſentiæ & perſpicaciæ gymnaſio, morum diſciplinam hauſerunt Patriarchæ, arripuerūt Prophetæ, & Euangelij proceres expreſſerunt, hæc compēdium virtutis eſt, & vitiorum diſpendium. Hanc qui habet, Deum velut pædagogum habet: hanc qui negligit, in omnem grauitatem impotenter effertur, tanquam diuinæ prouidentiæ quodammodo exul.

Dei præſentia, eſt laudatior morum pædagogia.

Hic verſ 6

2. Matth. 21. v. 33.

Matthæi 21. *Homo erat pater-familias, qui plantauit vineam, & ſepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, locauit eam agricolis, & peregrè profectus eſt.* Homo paterfamilias Deus eſt, qui dicitur homo in quibuſdam parabolis; ſicut ſi pater cum paruulo filio ſuo loquatur infantilia, vt deſcendat ad verba filij ſui, & inſtruat eum. Plantauit autem vineam de qua Iſaias loquitur: Vinea Domini Sabaoth, domus Iſraël eſt. Sequitur: Et ſepem circumdedit ei, vel murum vrbis, vel Angelorum auxilia. Et fodit in ea torcular, altare ſcilicet Iſraëliticum, quod bruto pecudum ſanguine diu madet; vel altare Euangelicum, quod Euchariſtico ſanguine rubet: vel torcular, quod martyrum cruorem acerbè ſudat. In turre eminentiam legis extruxit, quæ & in cœlum ex ſolo greſſu proueheret, & ex qua ſpeculari Chriſti poſſit aduentus. Et locauit eam agricolis, quādò ſcilicet per legem conſtituti ſūt Sacerdotes & Leuitæ, & procurationem regendi populi ſuſceperunt. Sed quare vbi electam ſuā manu plantauit vineam, illam altè ſepiuit, torculari inſtruxit, turre muniuit, & agricolis locauit, qui eam ſolerter excolerent; confeſtim peregrè profectus eſt? An non iucundiùs illi foret, vineti brachiatis laſciuè pampinis coràm frui? O quàm diuerſa agricolationis ratio Sponſæ fuit, quæ in Canticis dixit: *Vinea mea coram me eſt*! Eccur ergò hic pater-familias Deum repræſentans, vix ſuam vineam locauit agricolis, cùm peregrè ſe ab illis abſentat? Hieronymus doctè pariter & acutè ſic inibi fatur: *Et peregrè profectus eſt, non loci mutatione, nec enim Deus alicubi abeſſe poteſt, quo complentur omnia: ſed abire videtur à vinea, vt vinitoribus liberum operandi arbitrium derelinquat.* Scilicet Deus, quo complentur omnia, nulli rei abeſſe poteſt: at dum ſub humana ſpecie inducitur patrem-familias repræſentans, à vinitoribus, quibus locauit vineam, abeſſe perhibetur vt illis *liberum operandi arbitrium derelinquat*? Peregrè Deus proficiſci dicitur, vt liberè operetur homo? Sic Deus præſens, ad ſe potenter arbitrium trahit auertit à malo, & ad bonum flectit; vt libera quaſi neceſſitate ad omnes ſanctitates inducat; Sic præſentatus cogitatione Deus, humanam mentem velut illapſu præſentiæ occupat, & animum ad rem virtutis validè excitat, vt etſi homo liber maneat, ac ſi foret libertatis impos, liberam velut neceſſitatem virtutis inducat, quodam diuinæ præſentiæ quaſi faſtu; *Peregrè profectus eſt. Sed abire videtur è vinea, vt vinitoribus liberum operandi arbitrium derelinquat.* Nempe ille, cui Deus perpetim obſeruatur præſens, liberum procul dubiò habet arbitrium ad meriti prærogatiuam; aſt ſic potenter de præſentiâ Dei ad virtutem extimulatur, vt tanquam prædeterminatus, & ad virtutem obſtrictus, rem virtutis indubiè operetur. Quid homini de Dei præſentia adulantiùs, quàm vt liber maneat ad meritum, velut ad virtutem impreſsè adactus? Inde Deus ab homine *peregrè* proficiſci dicitur, vt illi *liberum operandi arbitrium derelinquat*; Sic propior Dei præſentia omnigenam virtutem certiſſimè ſpondens. O felicissimos illos, qui Deum ſibi præſentem piè ſemper contemplantur.

Deus abire videtur à vinea, vt vinitoribus liberum operandi relinquat arbitrium.

Cant. 8. v. 12.

Hieron. ad ea Matth. verba.

Ioannis 1. totus eſt Euangeliſta, vt Chriſtum (qui à Pontificibus & Phariſæis tanquam merus homo, ob ſcelera damnatus, habebatur) & à ſcelerum reatu vindicet, & eiuſdem aſſerat Deitatē. 3.

Sic enim in ſui Euangelij auſpicio grandiloquus intonat: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.* Ecce tibi in breuiſſimo ſermonis tractu eandem ſententiam ingeminat, aiens: *Et verbum erat apud Deum. Hoc erat in principio apud Deum.* Profectò ſi Verbum verè erat Deus, neceſſe fuit, vt à Deo non recederet: quo enim pacto qui Deus eſt, à Deo poterat abſentari? Semel dicit Verbum eſſe Deū, quod prolixiori videbatur egere probatione; & quod indè neceſſariò ſequitur, iteratè repetit. Quid neceſſe fuit toties inculcare, *Et Verbum erat apud Deum*? Origenes ad præfata Ioannis verba, *Et Verbum erat apud Deum*, ita ſcribit: *Ex eo igitur quod iugiter eſt in Deo, dicitur: Et Verbum erat apud Deum: quia nec à principio à patre filius ſeparatus eſt.* Quid igitur indè, quòd Verbum erat apud Deum, ideſt, Filius Deus à Patre Deo ſeparatus non fuit? Belliſſimè ad rem Theophylactus: *Ne ſuſpicio, inquit, diabolica aliquos conturbaret, ne forte cum Verbum Deus ſit, inſurrexerit contra Patrem, vt aliqui fabulantur Gentilium: & ſeparatus à Patre fuerit ipſi Patri contrarius, dicit: Hoc erat in principio apud Deum quaſi dicat: Hoc Dei Verbum nunquam à Deo, exitiis ſeparatum.* Nempe notum facit Euangeliſta Ioannes, quòd Verbum Deus eſt, & Dei Patris Filius; conſultiſſime autem ſemel & iterùm repetit, quod hoc Verbum erat à

Ioann. 1. v. 1. & 2.

Si Dei Filius à Patre Deo abeſſet, illi contrarius putaretur.

Orig. ibid.

Theophyl. ibidem.

principio

Hugo Card. ibi.

principio apud Deum, ne crederet aliquis quod hoc dixit Ioannes de verbo prolatili, quod transit, & non manet, nec est apud aliquem, sed tantum ab aliquo. Nemo; nemo inquam putet, quod hoc Verbum est sicut verbum prolatiuum, quod transit, & non manet, nec est apud Deum, sed tantùm à Deo; ne si Dei Verbum à Deo absentari putetur, diabolica forsan irrepat suspicio, quòd Verbum à Deo separatum, extiterit ipsi Deo contrarium. Scilicet hoc diuinum Verbum, Dei Filius est, hypostasi à Patre Deo distinctus; sed à Patre Deo nunquam *separatus*, nunquam absens, nunquam non incircumsessione præsens. Profectò si Verbum, Dei inquam, Filius, à Patre Deo separatus, Patri Deo abesset, de eiusmodi absentia Deus non foret, infensus Deo, & ipsi *contrarius* putaretur. Vnde vt Euangelista Verbum diuinum comprobet esse Deum, esse innocens, & inculpatum; in sui Euangelij auspicio consultissimè euulgat, quòd *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum*, ne Dei Filius Deo Patri putaretur scelestè *contrarius.* Quid ad rem opportunius?

4. Geneseos 3. de serpentis malesuadi callido colloquio, mulier seducta friget ad virtutem, & curiositate ambitiosa calet ad vitium, falsata spe nimium erecta: & eorum quæ non erat experta gustu, oculis admirata, quam experiebatur felicitatem miserè perdidit. Quid agis mulier? iussa es virum fouere: & posteritati continenter prospicere; & viri insidiatrix, & tuæ posteritatis infidè proditrix inuenta es? Vix scelerosè peccarunt; & seductionis fructum nuditate vindemiant: & ipsi nudati nudant arbores; circa arborem enim præuaricati, furtiuè ab arbore pudoris tegumentum mutuantur. Et cùm audissent vocem Domini deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, *Abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.* Hoc itaquè in statu generis parentes erant. Ridebat fortè Tartareus serpens, cùm dedecore Dei eius conspurcasset imaginem. Tales enim Dæmonis sunt machinationes: cum voluptate sauciat, & accusat pudendum in modum, ad ruinam impellit, & ruentes publicis ignominiæ notis consignat. Vnũ supererat effugium, ad Deum supplices quam maturè accurrere, vt de eius præsentia, citius quã de latibulo remediarent erratum. O malum! Deum stolidè fugis, quando eius presentia sapienter protegendus eras, ad præuaricationis scelus accédum? O non bonum diuturnioris deinceps exilij omen, quod futuras inde postmodum calamitates augurat, vt à Deo absentibus quid boni spondeas? Percómodè Seleucìensis Basilius: *Abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini Dei. Illi terrore percussi se ipsos transgressionis accusatores, ac testes exhibentes, exilio suo suffragantur.* Sic de præsentia Dei vberior exundat pietas, & gratiæ tempestiua officiositas, vt pœnitétiam afflet, virtutes afficiet, & veniam animitus spiret; vt qui Deum fugiunt, ipsi se ipsos transgressionis accusent, testes contra se exhibeantur, rigidi existant iudices, & dãnationis administri, atque æterno à paradiseis voluptatibus *exilio suo suffragentur.* Præsentia Dei, paradisus gratiarum est; ergò qui à facie Dei fugit, extorrem se facit à paradiso, & exilio suo præproperè suffragatur. Luculentè Nazianzenus: *Si in infernum Christus descendat, simul descende*: nam eius præsentia de inferno paradisum faciet.

Genes 3. v 8.

Protoparētes dum Deum stolidè fugiunt, exilio suo suffragantur.

Basil. Orat. 3.

Si in infernum Christus descendat, simul cum eo descende.

Naz. Orat. 2 in Pascha.

§. CLXVII.

Regis præsentia, gloriosa spondens honoraria, militum ardor est, & victoriæ obses.

1. STrenuus Princeps inter suos milites, non vult principatu magis excellere, quàm labore. Cumulatissimum quidem Imperatoris in castris munus est, si manu cesset, non cessasse consilio. Sed quisquis fortissimos formare milites mauult, non segnior gerere, quàm iubere solet, & simul exercitus suos Regis monitu, præsentia, & præmio iuuat, incendit. Ergò ipse Princeps bellicæ virtutis spectator, inhortator, laudator, præmiatorque erit. Laudabit strenuos; segnes plus exemplo, quã verbis incitabit; magis tamen vitia, quàm virtutes dissimulabit; pudoréque magis regiæ præsentiæ, ac rei benè gestæ præmiis suos prouocet. Mirissimum planè est quàm de præsentia Principis, segnities militum exulet, & virtutis stimulos sentiat, principali munere decorandæ. Factum id ab Alexandro, Romanis, Græcis, hinc illæ ciuicæ coronæ, murales, obsidionales, nauales, aureæ, torques, armillæ, hastæ, phaleræ, equi, agri, pluraque generis illius, & super hæc omnia spectatoris Principis gratia, non de incertitudine aulicæ relationis, sed de euidentia oculatæ inspectionis, promerita. Hoc in hostile ferrum, & mortem cogit, & Martio furore ad belli facinora animosius incitat, & per medios hostium cuneos ruere facit intrepidè. Habere Principem facinorum testem, gloriosa militum commoditas est. Hinc de suo principe Theodorico victoriis inclyto, ita fatur Ennodius: *Qui te in acie conspexit, superatus est.* Eum ingerit militibus ardorem præsentia sui Principis!

Regis in bello præsentia præmia spondens, arcanus militum ardor est.

Ennod in Paneg.

2. Actorum 7. Scriptura probitatis doctrix, potiori imperandi, & parendi politiæ præsidet; & præceptionibus parum contenta, rebus ipsis plus immoratur; Virorum namque recordatione, qui res magnas gesserunt, edocens qua id via, & ratione præstitum sit, ad imitationem prolectat. Ideò Stephanum præclarum pietatis athletam producit in medium, per certam narrationem instruens militarem œconomiam, & similitudine naturæ ad similem victoriam inescat. Itaque Sanctus Leuita pietatis electissimus miles, in Pharisæorum Concilium velut in palæstram rapitur, vbi odium, & inuidia præsidebat, Iudaica potestate atrociter armata. Certat strenuè verborum spiculis Biblica eruditione medicatis. Audientes autem hæc dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum. Cúmque iam propè esset, vt à Pharisaïca, id est, inferuali phalãge, duro lapidum imbre sæuiùs quateretur; tunc, tunc quidem, *Intendēs in cœlum, vidit gloriam Dei, & IESVM stantem à dextris Dei. Et ait: Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.* Vides quòd expectantis intuitus armat constantiam decertantis; Adhuc pietatis athleta, in impietatis Iudaicæ palæstra decertat, & empyreæ portæ illi panduntur. Puto, maturius aperitur cœlum necdum in terris victori; Quare tanta victoriæ obtinendæ securitate, ante victoriam, victoriæ gloria ferè potitur? Eusebius Emissenorum Episcopus, ingenio, & eloquio ornatissimus, ita hac super re tempestiuè fatur.

Actor 7 v 55

Stephanus incunctanter offert sanguinem suum, quia præ oculis habet Regem suum.

Emiss. hom. de S. Steph.

tur: *Iustè Stephanus incunctanter offert sanguinem suum, qui præ oculis habet Regem suum, simul & brauium suum, & Filium hominis à dextris stantem Dei.* Scilicet Christus Deus peracto redemptionis negotio, dudum ad empyreum palatium ascenderat: terris tunc aberat, cùm primus omnium protomartyr Stephanus pro Rege suo Pharisaïcas adoritur phalangas, de inferni sæuitia obarmatas: ergò in ipso ineundæ pugnæ ardore, gratiæ militi aperiantur cœli portæ, videatque Regem suum dati certaminis spectatorem, & regia præsentia animos afflantem. Non timetur in Cœlo ne strenuus Ecclesiæ miles, & martyrũ primicerius, animo cadat, & feris hostibus ignavè cedat, sed Terra de cœli politia eruditur, dum Rex præliaturo militi præsentatur, & gloriosa donatiua coram repræsentat, vt ad certam victoriam viuaciùs extimulet. *Iustè Stephanus incunctanter offert sanguinem suum, qui præ oculis habet Regem suum, simul & brauium suum.* *Iustè* dixit, quasi Regis præsentia, non tantùm militaris obsequij vrbanitatem, sed necessitatem velut ex *iustitia* ortam arctiùs obstringat. Imò & quòd huic præliaturo militi apertum est cœleste secretum, iam futuri præmij gerit insignia, & non dubium brauij characterem: nam Deum sic videre, inchoatum iam præmium est. Vide quantum agat in pectore militis sui, Regis præsentia spondens donatiua opulenta. Quod sperabatur desideriis, oculis demonstratur: & spes in re, spiritu adhuc intra carnem militante perficitur. Necdum miles explet ministerium suum, & iam Dominus aperit regnũ suum. O bonam Principibus eruditionem, & acriùs formandæ militiæ arbitrium. Inde cùm Tobias filium suum efformat ad sacram virtutis militiam, (militia enim est vita hominis super terrã) illum obnixè adhortatur, vt semper præ oculis habeat Regem suum, Deum, inquam, suum, quò virtutis aduersarios animosè detriumphet.

Hic v. 6.

3\. 2. Regum 18. oculorum lenocinio scortatur Dauid, sed in oculis medicinam inuenit, & de lachrymis antipharmacum fecit, deliciando ignavè vincitur, & lamentando strenuè victoriam acquirit. Lachrymis ab offensione se vindicat. Sed temporalis supplicij reliquias nõ prorsùs arcet. Porrò præmaturè ambitiosas Absalomi iras ingloriã fugã declinare cogitur: ab eo enim cui vitam dedit, ad mortem requiritur, agresti, & barbarã ambitionis impietate. Absalom filij oblitus, copiosũ exercitũ atrociter ductat in Patrem: cogiturque Dauid copias aduersus impietatem extruere. Igitur considerato Dauid populo suo constituit super eos tribunos, & centuriones, & dedit populi tertiam partem sub manu Ioab, & tertiam partem sub manu Abisaï, & tertiam partem sub manu Ethaï: *Dixitque Rex ad populum: Egrediar, & ego vobiscum. Et respondit populus: Non exibis..... Ad quos Rex ait: Quod vobis videtur rectum, hoc faciam. Stetit ergo Rex iuxta portam.* O strenuos in paucis viros, qui Regis absentiã ambiunt, vt eorum fidele robur magis eluceat! conuentus quidem talium est dignitas imperantium. Gloriam sibi olim inuidebat Ioabus, cùm ad regiam Ammonitarum vrbem debellandam Regem accersiuit, ne ipsi victoria adscriberetur; sed Rege coram pugnaturus erat, opulentum planè militi stipendium, & acre ad præliandum calcar. Nunc absentiam Regis negotiatur, vt magis scintillet fortiùs bellandi gloria, nulla degener commoditatis auaritiã, nam qui absente Rege strenuè dimicat, non propriis commodis, sed generoso Regis obsequio militare putatur. *Hæc est enim* (ait eloquenter Cassiodorus) *vita gloriosa commoditas, Dominos esse testes, ciues habere laudantes.* Cùm Princeps rei fortiter gestæ, testis assistit, *gloriosam commoditatem* in periculorum incommodis miles inuenit. In expugnatione vrbis Rabbath, victoriæ gloriam cum *gloriosa commoditate* Ioabus nundinatur: & quos Regis sui præsentia animos ingerit, militantium robori detrahere videtur. At nunc opulentioris triumphi auaritia, *gloriosæ commoditati* cedunt, & regalis præsentiæ stipendiis, vt per honorem victoriæ, absente Rege fortiter partæ, declarentur merita seruitutis eorum, quorum virtutem, nec Principis absentia fascinauit, nec præsentia *gloriosis commoditatibus* sumptuosiùs animaret. Benè quidem Cassiodorus ad Principis, & principalis militiæ eruditionem.

2\. Reg. 18 v. 2, 3 & 4.

Habere Principem facinorum testem, gloriosa militum commoditas est.

2\. Reg 12.

Cassiod. lib. 1 var. epist. 3

4\. Iudicum 9. Abimelech ille atrociter impius in paternam domum Gedeon, cùm valido, & copioso exercitu surrexit nocte, & tetẽdit insidias iuxta Sichem in quatuor locis. *Abiit ergo Gaal, spectante Sichimorum populo, & pugnauit contra Abimelech, qui persecutus est eum fugientem.* Rex Abimelech strenuè pugnax, & validã stipatus manu, ex aduerso stat; & Gaal cum sociis duntaxat eum adoriri audet.; Qui exiguâ manu numerosum inuadit exercitum diù feliciter victorem, aduersariorum militat triomphis. Quâ ergò fiduciâ Gaal subnixus, Abimelechum temerarius inuadit? Quibus armis potens, illum audacter adortus, malè concidit, valenter deuicit, & in fugam incitem feliciter compulit? Attentiùs obseruanda sunt Vulgati verba cum adspectu ad Hebræam originem; sic enim ex Hebræo Caietanus exscribit, & exponit præfatum locum, ad lemma præsens peridoneè: *Et exiuit Gaal in faciebus Heroum Sichem.* Quid opus erat vt perito delectu Gaal numerosam cogeret veteranorum manum, vt Abimelechum copiosô exercitu cinctum bellicosius fugaret? Obuios quosque Gaal sibi adglomerat socios, & pauculis stipatus multos peritè inuadit: nam ad pugnam *exiuit Gaal in faciebus Heroum Sichem.* Porrò quisquis in *Heroum faciebus* pugnat, sic roboratur ad prælium, tam pugnaces resumit spiritus ex Heroũm spectantium oculis, vt quilibet, vnus plures sit, & tyro quiuis alioqui imperitus, & pauidus, veteranorum excudat animos, per iam audacter pugnacitatem de spectatorum oculis arcanè fœneratus. Exindè etsi inducatur Abimelechus validi, & copiosi exercitus ductator; nil huiuscemodi de Gaale dicitur: pauculi enim, & vel inermes socij, satis copiosum, & pugnax erat præsidium: nam *exiuit Gaal in faciebus Heroum Sichem.* Siquidem Principum præsentia, gloriosa spondens honoratia, gloriosus militum ardor est, & opulentus victoriæ obses. Sic est facinorum fertilis, attentior in bello Principis aspectus!

Iudic 9. v. 39

Gaal cum paucis multos vincit, quia in faciebus Heroum pugnat.

Caiet ibi.

§. CLXVIII.

Indigentiæ pauperis misereri debes, sublimitati pauperis inuidere possis.

1\. SCitè ab Epicuro dictum est: (aliena etiam castra spoliemus, vt dicemus nostra) *Si ad naturam viues, nunquam eris pauper; si ad opiniones, nun*

Senec ep 17.

nunquam eris diues. Exiguum natura desiderat, opinio immensum. Nemo alius tam putatur virtutis alumnus, quàm qui opes negligit; cui cum paupertate bene conuenit, diues est. Diuitiarum possessione tibi non interdico: sed efficere volo, vt illas intrepidè possideas: quod vno consequeris modo, si te etiam sine illis beatè victurum persuaseris tibi; si illas tanquam exituras semper aspexeris. Esto, qua venerunt, exierint; ne in grande te malum incidisse putes; potiùs tibi de paupertate gratulandum est: *Beati pauperes.* Non habes quod aliis dones; habebis quod ab aliis accipias. Paupertas non *facit homines ridiculos*, vt Satyricus garrit; sed adeò spectabiles, & sublimes, quod Christum Deum sic repræsentes, vt in te ab hominibus accipiat, quod illis largâ manu vbertim donauit. Alter ipse Christus diceris, cui diuites sunt tributarij. *Beati pauperes*, suâ paupertate diuites, & Christi Dei personâ velut excusi, apprimè nobiles, & opulenti. Imò Christo Deo affines, & velut concorporati. Quid beatius? *Beati pauperes.*

Laus paupertatis. — Math. 5. v. 3 — Iuuenalis.

2. Psalmo 40. sic altè pangis regius Psaltes: *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem.* Et quæ est hæc intelligentia, vbi est manifesta paupertas? Vis est intelligentiæ, si rimemur viscera, si deprehendat occulta, si tecta nudet. Verùm subiecta oculis, exposita in publico, ingesta rebus, non tam est intelligere, quàm videre. Nuditate algidus, tabidus fame, siti aridus, lassitudine tremens, defectu luridus, quod egenus sit intelligere quis labor? Et si labor intelligentiæ nullus est, vnde est *intelligentia* fructus? Ast opinor, Psalmistam innuere, quòd Christus se *intelligi* in paupere sic demonstret: & quod ipse qui cœlum tegit, sit nudus in paupere; quod in esuriente esuriat saturitas rerum, *intelligere*, quomodo non magnum est? Quomodo non beatum *intelligere*, quod ei sit ampla paupertas, cui angustum est cœlum? qui ditat mundum, quod egeat in egente? (Pergit Chrysologus ad ea verba Psalmi.) *Quod se se Deus am re pauperis sic deponat, vt non adsit pauperi, sed ipse sit pauper? Sed quomodo aut in se transfuderit pauperem, aut se in pauperem fuderit, dicat ipse iam nobis: Esuriuit*, inquit, *& dedistis mihi manducare. Non dixit: Esuriuit pauper, & dedistis illi manducare: sed esuriui ego, & dedistis manducare mihi. Sibi datum clamat, quod pauper acceperit: quod bibit pauper, sibi testatur infusum. O quod agit amor pauperis! gloriatur in cælo Deus, vnde pauper erubescit in terra; & hoc computat in honorem sibi, quod pauperi computatur iniuria. Dixisse suffecerat: Dedistis mihi potum; sed præmittit: Esuriui, sitiui: quia paruus fuisset amor pauperis, quod pauperem suscepisset, nisi & passiones pauperis suscepisset: & certè verus amor non nisi passionibus probatur. Nimis est quod sapit Deo pauperis cibus, qui totius creaturæ bona non esurit, saginatum se in esca pauperis prophetizat in regno cæli coram omnibus Angelis, in conuentu resurgentium.* Longiusculè præter morem; sed quid omitterem? O piam pauperis arrogantiam! Christus quodammodo *in se transfudit pauperem, aut se in pauperem fudit*? Et quæ est hæc transfusio, & velut metamorphosis arcana? Non dixit Christus, quod adsit pauperi, sed quod ipse sit pauper nec ait; Esuriuit pauper, sed ego ipse esuriui. Sic non tantùm pauperem, sed passiones pauperis Christus suscipit? Et quod mirere magis, *gloriatur in cælo Deus*, vnde pauper in terris erubuisse putatur. O altissima, & angustissima paupertas, quæ hominem supra humanum erigit fastigium, & sic affinem Christo reddit, vt quadantenus Christus ipse *in se transfuderit pauperem, aut se in pauperem fuderit!* O quàm pauculi hæc paupertatis elogia mente rimantur! *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem.*

Psal. 40. v. 2. — Chrys. ser. 14 — Matth. 25. v. 35.

3. Sed non dimittamus dote suâ viduatum, sed aliqua expensione adornemus, quod diuite ingenij vena dixit nuper Chrysologus: *Gloriatur in cælo Deus, vnde pauper erubescit in terra.* Quid terreus homo erubescit, vnde potiùs piè potuit superbire? Audiendus hac super re Tobias senior, qui inter reliquas præceptiones de cœlo allatas, hanc etiam Tobiæ iuniori consultissimè dedit: non vt illum excitaret duntaxat ad faciendas largè eleemosynas, sed ad dignam etiam remediandi pauperis æstimationem. Ita fatur Tobias hîc. *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere.* Perspicua specie tenus sententia, sed res pauperis subtiliori eget intelligentia, vt admonuit Psalmographus. Biblia regia sic præfata, verba exscribunt: *De facultatibus tuis fac eleemosynam, & ne inuideat tuus oculus in faciendo eleemosynam.* Profectò cum quis eleemosynam pauperi erogat, eius egestatis miseretur, & calamitosi vicem dolet, quam ope subleuare piè nititur: nam misericordia miseriam spectat: hæc si cesset, eleemosyna iam non est, sed in quodvis alud nomen transit. Hæc tam nota sunt, quàm quæ notissima: nam si abest miseria accipientis, vacare dicitur misericordia donantis, quæ miseriæ eleemosynis subleuandæ tota impenditur. Quid ergo est, quòd Tobiæ consultissimo seni, & in re faciendæ eleemosynæ versatissimo, excidit: *Et ne inuideat tuus oculus in faciendo eleemosynam?* Cuinam *inuideat*, cùm eleemosynas erogat? sibi, an pauperi? Puto, quod sibi nemo inuidet, puto, quod nec pauperi. Nisi fortè calamitoso calamitatem inuideas, quod esset insolens inuidentiæ genus. O quàm altè sapit in re misericordiæ Tobias, cui dies noctesque studuit! *Ne inuideat tuus oculus, inquit, in faciendo eleemosynam.* Porrò inuidia de felicitate alienâ excitur. Ait ergo filio suo Tobias: *De facultatibus tuis fac eleemosynam*, & egestatem alienam ope tua subleua; nec contemnas pauperem, mendicum, & tenuem, sic enim pauperiè sublimis est, vt, si intelligentia non deesset, citius posset *inuidiam* mouere. Nam *gloriatur in cælo Deus, vnde pauper erubescit in terra.* Egeni subleua paupertatem, pauperem verò nunquam contemnas, cui potiùs posses *inuidere*, de sumptuosa paupertatis gloria: nam quodammodo Deus aut *in se transfudit pauperem, aut se in pauperem fudit.* O velut effusam in pauperes beneuolentiam, qua *passiones pauperis suscepit Deus*: & diuitum gloriam erubescens, *inde gloriatur in cælo, vnde pauper erubescit in terra.* O pauperis passiones Deo pergratas, & hominibus quodammodo inuidiosas! Exinde idem Chrysologus exponens illud Luc. 16. *Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ*, ita fatur: *Mors pauperis totam vitam diuitiis vicit, & elatio sola pauperis, diuitiis pompam transcendit ad gloriam.*

Chrysol sup. *Tanta est pauperis dignitas, vt ei inuidere possis.* — Hic v. 7. — Bibl. Regia. — Lucæ 16. v. 22. — Chrys. serm. 121.

4. Geneseos 21. sollerter præcauens Sara, ne promissiones à Deo Abrahamo factæ, iure primogenij deriuarentur ad Ismaëlem, Isaaco improsperè

tepu

repudiato; occasione puerilis lusus, Ismaëlem cum matre domo pelli tandem extorquet. Apparuit enim Dominus Abrahæ, Dixitque ei: Non tibi videatur asperum, Ismaëlem filium,& ex ancilla iam coniugem Agar domo expelli: omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius: quia in Isaac vocabitur tibi semen. *Sed & filium ancillæ fa iam in gentem magnam, quia semen tuum est. Surrexit itaque Abraham mane, & tollens panem & utrem aquæ, imposuit scapulæ eius, tradiditque puerum, & dimisit eam.* An hîc Abrahamus diffitetur patrem, dissimulat diuitem, cùm propriam vxorem, & legitimum filium maligno auarè viatico quovis gentium dimittit? Audiendus est hac super re Rupertus, qui præfata verba exponens, in hunc modum philosophatur: *Sic auarus fuit diues ille regum victor, trecentorum octodecim vernaculorum Dominus, vt præter panem, & vtrem aquæ, nil filio donaret, quem tristis eiiciebat: nec saltem illi vnum asellum commodaret: sed eā scapulæ matris* (suæ vxoris) *imponeret?* Mira hæc videtur aduersùs propriam vxorem,& susceptum ex ea filium parcitas. Verùm Patriarcha diuitiis, & amore opulentus, Dei instinctu prænoscens, Ismaëlem futurum à Deo *in gentem magnam*, & opulentam, mundi penuria eum auspicatò munerat, quò aduletur summæ largitoris gratiæ, & vberioris hæreditatis pignus filio præbeat. Vnde diuitem paternæ curæ obicem amouens, suum Ismaëlem diuina prouidentia feliciùs oppignerat, & dum bonis omnibus exhæredat, non sordidè auarus est, sed velut effusè munificus, cùm eius possessio,& census,totus Deus efficitur. Eleganter S.Prosper super hoc Christianæ paupertatis argumento ita scribit: Proinde, inquit, quem possidendi delectat ambitio, Deum,qui possidet omnia, quæ creauit, expedita mente possideat,& in eo habebit quæcumque habere sanctè desiderat. *Sed quoniam nemo possidet Deum, nisi qui possidetur à Deo, fit ipse primitùs Dei possessio, & efficietur ei Deus possessor, & portio. Et quid potest eo esse felicius, cui efficitur suus conditor census, & hæreditas eius dignatur esse ipsa diuinitas, & nihil terrenum cum Deo possideat? Quia omnium conditor, cui nihil eorum quæ fecit valet æquari, non dignatur cum his quæ condidit possideri.* Ecce tibi quare prædiues, & peramans filij pater, filium Ismaëlem immuneratum dimittit; vt nihil tunc creatum possidens, *efficiatur ei Deus, & possessor & portio*, & suus conditor, census,& hæreditas. *Quia omnium conditor, non dignatur cum his quæ condidit possideri.* Sic enim promissiones à Deo Ismaëli factas, felicius putat impleri. O quàm possis ærumnoso egeno inuidere, cui suus conditor, census est;& hæreditas, eius dignatur esse diuinitas!

Gen 21. v 13 & 14 — *Rupert. ibi.* — *Pauperi suus conditor est census,& hæreditas, ipsa diuinitas.* — *S.Prosp. lib. 2 de vita contemp c. 16*

5. Matthæi 6. solemnem quotidie orationem sic auspicari iubemur: *Pater noster, qui es in cælis,*&c. Num humana egestas quicquam in oratione petit, cùm Deum suum inuocat *Patrem?* Acutè Chrysologus: *Seruus Dominum patrem vocare audet, iudicem suum reus nuncupat genitorem, conditio terrena sua se voce adoptat in filium: qui terrena perdidit, æstimat se diuinitatis heredem.* O commercium nobiliter opulentum! terrena amittis,& acquiris cœlestia: temporaria negligis, & lucraris æterna: qui mundialia temporaliter reliquit, æstimat *se diuinitatis heredem.* O quam multa quam paucis compendio dedit Chrysologus! Diuinitatis hæres pauper efficitur? Quid tam augustè opulentum?

Matth. 6 v. 9 — *Chrys. ser 70* — *Qui terrena perdidit, æstimat se diuinitatis hæredé.*

6. Matthæi 25. in magna illa finalis iudicij die, condemnationis suæ causam his verbis Christus Damnatis exponit: Esuriui enim,& non dedistis mihi manducare,&c. Tunc respondebunt ipsi dicentes: Domine quando te vidimus esurientem, &c. Tunc respondebit illis: *Amen dico vobis: Quandiù non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis.* In paupere quem horres, Deus latet. Pulchrè Damascenus adspectu ad præfata verba: *O quanta pauperis dignitas est! Dei velut larua efficitur. Delitescit enim sub paupertate Deus. Ac pauper quidem est, qui supplicem manum protendit: Deus autem est, qui accipit.* Profectò *larua* vmbratilis, est nocturnum phantasma, seu spectrum, quod spectatores territat. Sic pauper à diuite spectatus, *larua* dicitur, quæ sui horrorem incutit Sed scito,quod sub hac paupertatis *larua* Deus latet. *Quandiù non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. O quanta pauperis dignitas est!*

Matth. 25. v. 45 — *Paupertas Dei larua est.* — *Damasc. l. 3. Parall c. 37*

§. CLXIX.

Propria cuiusque miseria, misericordiam in alios velut lata lege sancit, ex suis detrimentis ad pietatem erudita.

1. Bonus morum pædagogus Salomon; sic homines ad omnem pietatem instituit: *Facere misericordiam, & iudicium, magis placet Domino quàm victimæ.* Sic habet Vulgatus interpres. Sed ante Clementis correctionē pro τὸ *misericordia*, scribebatur *iustitia*. Consentiunt aliæ huius loci exscriptiones. Hebraicè: *Facere iustitiam,& iudicium*, adsimiliter,& Chaldaicè. Lxx. verò extulerunt: *Facere iusta,& vera,*&c. Num eleemosyna, quæ in hoc loco *misericordia* nomine significatur, ex iustitia debetur? Imò tunc liberalis *misericordia* nomen amitteret, & excusso gratiæ nomine, in obligationis vocabulum misericordia abiret, si res iustitiæ foret & lata lege obligaret. Verùm attentius obseruare libet, quibus verbis Tobias misericordiam erga pauperes commendet, & suadeat: *Caue*, inquit, *ne aliquando prætermittas præcepta Domini Dei nostri. Ex substantia tua fac eleemosynam. Quomodo potueris esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Nempe etsi cum Tobia misericordia nata sit, & cum eo adoleuerit: at postquam declinans Regis iram, bonis spoliatus, misericordiam, quam sibi cupiebat inuenit, & postmodum ab Achiacharo sustentatus est; tunc, tunc quidem inter Dei præcepta, quasi præceptorum appendicem eam recensēt ac si *misericordia* gratiæ vocabulum exueret,& *iustitiæ*, seu obligationis vocabulum, velut lege lata de eleemosynis faciendis, indueret. Verum quonammodo *misericordia* in pauperes, retento liberalitatis elogio, *iustitia* appelletur,& velut lata lege obliget, vt nunc exponamus, operæ pretium est. O arcana humanitatis lex, quæ ad liberalitatem in pauperes ingenuè obligat, quin gratiæ nomen præceptione corrumpat! legem appello etiam erga non extremè subsidij indigos, eo sensu, (procul calumnia) quò iam iam exponimus.

Prouerb 21 v 3 — *Misericordia in pauperes, iustitia appellatur.* — *Hic vers 7 &c.*

2. Matthæi 7. multa hactenus docuerat Christus de

de benefica etiam erga infensos proximos beneuolentia, ad redundantiam Christianæ pietatis, & postquam aliqua documenta de oratione intermiscuit, eo rediit, vnde exierat, ita fatus: *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex, & Prophetæ.* Ab altero expecta, quod alteri facis. Attentius explora quid tecū velles fieri, si ægrotus iaceres in lecto, si opis alienæ esses indigus, si æstuares siti, si laceris, & detritis vestibus nudus potius quàm amictus esses, si fame laborares, si dedecore erubesceres, aliàve calamitate iactareris: quod tibi tunc velles fieri ab aliis, vide vt aliis eadem facias: licet extra indigentiam extremam hæc beneficentiæ officia exhibenda sint. Vota tua erga te, sint tibi in alios humanitatis lex. Tua necessitas hanc legem in te describit, illam erga alios extende, & te ipsum ad similem pietatem de te erudi. Perbellè Nazianzenus in Oratione de Pauperum amore, quasi cōmentaretur præfata Matthæi verba, *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex, & Prophetæ*, ita scribit: *Condolentiam velut lata lege sanxit: ex eadem nimirum infirmitate ad pietatem, & humanitatem erudita.* Quid opportunius? Nempe propria miseria nobis lex misericordiæ esto: quæ iubet ita nos malis alienis affici, vt alios erga nos affici cōcupiscimus Condolentia tua erga alios, *erudiatur* à tua de te condolentia, & de tua cōpassione alienam excude. Qua fronte inhumanus erga alios, de dura erga se inhumanitate conqueritur? Tu exemplo tuo misericordiæ legem violare doces. Semper misericordiæ exlex, reliquos misericordiæ leges adamussim obseruaturos existimas? Qui in aliena calamitate non condolet, condolentiæ erga se legem abrogare videtur, *Condolentiam velut lata lege sanxit: ex eadem nimirum infirmitate ad pietatem, & humanitatem erudita.* Depauperatus es cum Tobia, exoculatus, probris insectatus, bonis proscriptus, morti damnatus, à tuis derisus, ab alienis neglectus: diligenti examine vota tua erga te expende, & tot in alios leges de humanitate scriptas perlegisti. Tu tui legislatores, quod tibi velles, alteri præsta, & ab alio expecta, quod illi tu feceris. Misericordia in te regeratur in alios, vt illi eam ad te alterna vice reuerberent, officiositate reciproca. Tot tibi leges latas, & promulgatas puta, quot tu ærumnas calamitosus pateris. *Condolentiam velut lata lege sanxit, ex eadem infirmitate ad pietatem, & humanitatem erudita.* Inde Cyrillus Ierosolymitanus inter alias incarnationis causas, hanc recenset: *Assumpsit Deus simile nobis corpus, vt deficienti* (id est, homini imbecillè peccanti) *maiorem conferret gratiam, vt peccatrix humanitas Dei fieret particeps. Vbi enim abundauit peccatum, ibi superabundauit gratia.* Ecce Deus fit homo, vt imbecillo homini maiorem gratiam conferat Deus homo, & de communis naturæ imbecillitate, ad maiorem pietatem erudiatur.

Matth. 7 v. 12

Et propria dolentia, condolentia sancitur lex.

Naz. Orat. de Paup. am.

Cyril. Ierosol. Catech. 13

2. Iob ille, & misericordiæ, & patientiæ meta: miseratio enim cum eo nata est, & pariter cum eo creuit. Auris, inquit, audientium beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi, eo quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non erat adiutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Iustitia indutus sum. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, &c. Quanta autem patientia viguerit, In salutis dispendio, in filiorum stragibus, facultatum detrimentis, & hostili amicorum consolatione, superuacaneum est dicere, cum luce clariora nobis sint tolerantiæ exempla, ipseque Iob tanquā patientiæ idea omnibus proponatur. Hæc cum ita sint, cap. 42. postquam tribulationum turbo tandem desæuiit, & tranquillata sunt omnia? quid est, quod temporaria bona duplicato incremento restituta Iobo sunt, nec exinceps verbulum de eius in pauperes beneficētia habetur? *Et addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Iob, duplicia..... Dominus autem benedixit nouissimis Iob, magis quam principio eius*, &c. Calamitas abscessit, & cum ea tolerantiæ materia; felicitas opulenta accessit, & cum ea vberior benefaciendi facultas? & tamen nulla exinceps benefaciendi mentio? An Iobus de opulentiæ felicitate auarior post calamitosam inopiam factus est? An potius Iobi largitas propriis calamitatibus edocta, copiosius benefacere adeò erudita est, vt id referre superuacaneum putaretur? Argutè Tertullianus alias magis genuino sensu aliorsum expensus, sed non incidoneè, & hunc etiam capiunt eius verba: *Patientia*, inquit, *in detrimentis, exercitatio est largiendi, & communicandi.* Nimirùm Iobus in prospera quondam opulentia: diues etiam benignitate fuit, & in egenos piè misericors; at eius olim misericordia, quasi inerudita, & exlex fuit; cùm hactenus felix, de experientia nesciret, quantum granet egestas, quantùm dolor excruciet quantum orbitas premat, quantum contumelia vrat, quam ægrè bonorum detrimenta ferantur, quæ postquam de experientia nouit, ad beneficētiam vberiorem eruditus est, dum tolerantius se in duris exercuit. *Patientia* enim *in detrimentis exercitatio est largiendi, & communicandi.* Porrò Iobus de multimoda calamitate sua, & votis tunc erga se sublenandum, non tantum didicit, sed quodammodo etiam se exercet in vberioris beneficētiæ largitate: atque de acri dolentia sui, legem sibi condolentiæ sanxit in alios, non cruda, vt hactenus, sed erudita iam largitate. *Condolentiam velut lata lege sanxit, ex eadem nimirum infirmitate ad pietatem, & humanitatem erudita.* Qui in se nescit pati, difficilè aliorum miseretur: exacerbata in propriis detrimentis patientia, meditatio, seu exercitatio pietatis est. O quam bene misericordia erga alios de propria miseria ad benignitatem eruditur! Qui has scholas attentius frequentat, in te pietatis doctor euadit. Vota erga te tua sint tibi lex in alios.

Iob 29

Patientia in propriis detrimentis, exercitatio est largiendi.

Iob 42. v. 1 & 12

Tertul. l. de Patient. c. 7.

4. Matthæi 9. *Ascendens IESVS in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem suam.* Christum Deum in hisce humanis actibus diuina gessisse mysteria, & eruditioni nostræ intentius studuisse, ex his verbis demonstrauit Chrysologus. Nonne, inquit, ipse est, qui fugatis fluctibus maris profunda nudauit, vt Israëliticus populus inter stupentes vndas sicco vestigio velut montiū concaua pertransiret? Nonne hic est, qui Petri pedibus marinos vortices inclinauit, vt iter liquidum humanis gressibus solidum præberet obsequium? *Et quid est, quod sibi maris sic denegat seruitutem, vt breuissimi lacus transitum sub mercede nautica transfretaret? Ascendit*, inquit, *in nauiculam, & transfretauit.* Magna quidem est dignatio Christi Dei, vt sub non exigua mercede res sibi necessarias conducat. Pergit Chrysologus, & proposito à se dubio sic ad mores nostros informandos respondet: Et quid, inquit, mirum fratres Christus venit suscipere infirmitates nostras, & suas

Matth. 9. v. 1

Chrys. ser. 50

Medicus, qui non infirmatur cum infirmis, infirmo non poterit conferre salutem.

ſuas nobis conferre virtutes; humana quærere, præſtare diuina, accipere iniurias, reddere dignitates: ferre tædia, referre ſanitates, (audi rationem Chryſologo dignam, quam Hieronymo, aut Chryſoſtomo honoris cauſa nonnulli adſcribunt)

Idem Chryſ. ſup.

Quia medicus, qui non fert infirmitates, curare neſcit, & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non poteſt conferre ſanitatem. Chriſtus ergo ſi in ſuis manſiſſet virtutibus commune cum hominibus nil haberet, & niſi impleſſet carnis ordinem, carnis in illo eſſet otioſa ſuſceptio. Nouum planè, & inſolens eſt, vt compaſſio in medico ſic exactè ad curationem requiratur! Non ſatis eſt Hippocratis & Galeni ſcholas frequentaſſe, & diuturna curandi experientia diu multumque profeciſſe? *Medicus, qui non fert infirmitates curare neſcit,* tametſi arte medica peritiſſimus habeatur celebri fama, *& qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non poteſt conferre ſanitatem.* Sic de compaſſionis gymnaſio ars medica peritè eruditur? Exinde forſan ægrè tulit Chriſtus, quod quiſpiam è turba, qui filij curationem expetebat, eum tunc appellaret Magiſtrum, aiens: *Magiſter, attuli filium meum ad te,* &c. Ad quæ verba ſic addubitat idem Chryſologus: *Quid eſt, quod iſte non ad Deum veniat, ſed ad Magiſtrum veniat curam non à virtute exigens, ſed ab arte?* Quæritur ne Chriſtus quod ad ſe veniat, quaſi ad peritum in arte curandi, *Magiſtrum* ſanitatis, & ſalutis artificem; non verò ad eum, qui de benignæ compaſſionis genio, *cum infirmo infirmatur,* & ſic confert infirmo ſanitatem. Saltem notum ſit ex Chryſologo, quod *medicus, qui non fert infirmitates, curare neſcit, & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non poteſt conferre ſanitatem.* O quam eſt ſalubris hic de compaſſione aphoriſmus, de cœli dictatus ſchola!

Marc. 9. v. 16

Chryſ. ſer. 51

5. Ioannis 5. Pater non iudicat quemquam, *ſed omne iudicium dedit Filio.* Et infrà: *Et poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis eſt.* Quare Pater Deus iudiciariam poteſtatem dedit Filio, vt omnes hominum præuaricationes iudicet, & in fine ſæculorum pro culparum merito condigno ſupplicio mulctet. An non potius eiuſmodi poteſtas debuiſſet dari Chriſto, quia Filius Dei eſt. Percommodè Clemens Alexandrinus ita hac ſuper re ſcribit: *Qui ſolus ex obedientia poteſt diſcernere inobedientiam.* Scilicet non Pater Deus, non Spiritus ſanctus; ſed corporatum Dei Verbũ, id eſt Chriſtus Deus, de experientia cognouit, quàm ſit pergraue obedire mandatis; idcircò hic *ſolus ex obedientia poteſt diſcernere inobedientiam.* Qui de experientia noſcit, quàm durum ſit obedire, mitius forſan de inobedientia iudicabit.

Ioan. 5. v. 27

Clem. 1. Pæd. c. 8

§. CLXX.

Homo miſericordia conceptus, naſcitur ad opera miſericordiæ; cuius expers malè degenerat, & cum feris habet commercium.

1. FVndit potius qui mittit in plenum: illud enim verè reconditur, quod vaſis vacuis congregatur. Pereleganter Caſſiodorus Regis ſui nomine ita ſcribit: *Si nullum potius indigere contingeret, locum proinde largitas non haberet. Data eſt prouinciis in Regis noſtri laude penuria, ſteriles facti ſunt agri, vt vbertas Domini poſſit agnoſci.* Niſi aliena indigentia, miſeria, & paupertas abundaret, humanã miſericordia propè vacuiſſet. Fruſtrà quidem humanitatis igniculus hominibus ingeneratus foret, niſi de alienæ miſeriæ beneficio latentem animitus flammam explicaret. Beneficentiæ generoſitas alienæ paupertati notionem debet; incentiuum verò, & veluti fomitem, humanitati ipſi; cuius inſtinctu, de miſericordiæ genio ad miſerationes medullitus perurgemur, quæ eſt gratioſa bonæ indolis officioſitas. Quid tam cognatum homini, quàm humanitas. (Quod an ſit naturalis gratiæ, an meræ naturæ negotium, alibi diſſeruimus)

Caſſiod. lib. 12. ep. 28. *Data eſt pauperibus penuria, vt diuitum miſericordia poſſet agnoſci.*

Iob 31. de ſua erga pauperes beneficentia copioſè agit, ſic aiens: Si negaui, quod volebãt, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci: ſi comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea: ſi deſpexi pereuntem, eo quod non habuerit indumentum, & abſque operimento pauperem, &c. Et tantæ in miſeros pietatis cauſam reddens, appoſitè ſubdit: *Quia ab infantia mea creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum.* Quot tranſlatores, tot propè tranſlationes exiſtunt, ſed eodem ſpectant omnes, neque ab his valde Vulgatus diſſentit; imò rem ipſam magis declarat, & ſignificantius exponit. Oſtendit enim non mirum eſſe ſi tã auidè, & ſtudioſè miſerorum ſuſcipiat cauſam, eorumque neceſſitati tam prompto animo, atque alacri ſubueniat, *cum ex materno vtero illam hauſerit ad benè de aliis merendum naturæ pronitatem,* vt Sanctius commentatur. Addit Gregorius inibi: *Hanc* (miſerationem inquam) *à Deo, & quod idem eſt, à natura dicit conceſſam Iobo, quaſi hoc opus à præclara naturæ indole prouenerit, non ab ipſius acquiſita virtute, ne videatur in ſuis ſibi operibus valde placuiſſe. Miſeratio etſi eius fuerit arbitrij, vt cum ipſo proficeret, liquet tamen, quod eius arbitrij non fuit, vt cum ipſo de vtero exiret.* Ecce tibi Iobus è materno vtero cum ipſa hominis natura humanitatem hauſit, miſericordiam expreſſit. Quo belliſſimè S. Maximus adludere videtur, ita ſcribens: *Ambiamus inueniri ante ipſum,* (Saluatorem inquam) *probati fide, concepti miſericordia, moribus accurati.* Profectò hominis *ambitio* neſcio quid ſupra hominis meritum, de arrogantiæ faſtu, & ingenio negotiationis procurat. O bona *ambitio* qua homo miſericors de pio beneficentiæ faſtu, non tam pietate imbutus, largitate exercitus, benignitate impẽſus; quàm *miſericordia conceptus* apparere exambit, pia quadam humanitatis arrogantia. *Ab infantia mea creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum,* quaſi ex materno vtero illam hauſerit, quo agnatum fomitem ad humanitatem humanitas ſubminiſtret; qua homo velut coalitus, ab humanitate non deſciſcat in mores pecuinos, & inhumanos. Ergò *ambiamus inueniri ante ipſum miſericordia concepti.* 2.

Iob 31. v. 18

Sanct. ibi n. 30

Greg. inibi.

Ambiamus inueniri miſericordia concepti.

Maxim. hom. in Vigil. natal. Domini.

Prouerbiorum 11. denſas de miſericordiæ bono Salomon ſpiſſat ſententias, ſic aiens: Benefacit animæ ſuæ vir miſericors; qui autem crudelis eſt, etiam propinquos abiicit. Impius facit opus inſtabile; ſeminanti autem iuſtitiam merces fidelis. *Clementia præparat vitam; & ſectatio malorum mortem.* Prius huius ſententiæ hemiſtichium ita 3.

Miſericordia dicitur iuſtitia.

Prou. 11. v. 19

ita transcribitur ex Hebræo: *Sic iustitia ad vitas.* Vbi *iustitia* tanquam synonymum *clementiæ* seu misericordiæ substituitur; quæ *ad vitas* præparare dicitur. Septuaginta interpretes propiùs ad textum accedunt, sic exscribentes: *Filius iustus* (id est, misericors) *gignitur ad vitam: persecutio autem impij ad mortem.* Ecce tibi vir misericors, qui velut ex iustitiâ pietatem ergà miseros sibi debere putat, *præparatur ad vitam,* seu *ad vitas,* quasi causa viuendi, sit opportunitas miserendi; atque ad id creatus sit, vt egenorũ piè misereatur. Quare in Chalcedonensi Concilio dicitur: *Si propter nos qui diues erat, pauper factus est, nos excelsam eius paupertatẽ sequi debemus; ad misericordiæ enim opera à Deo facti sumus.* Nimirum Chalcedonensis synodi Patres seriò hortantur fideles, vt erga pauperes velut effusè liberales sint, & quia Christus pro nobis egenus est (quod est nobile pietatis illicium) & quia à Deo per creationem sumus ad misericordiã facti. Vide quo fine homo à Deo creatus sit, vt humanitate donatus humanitatem sectetur. Frustrà existit, qui egenis non prodest. Causa viuendi sit illecebra miserendi; ne immisericordia vitæ causam frustretur. Nam homo clemens *gignitur ad vitam, seu ad vitas: ad misericordiæ enim opera à Deo facti sumus.* Implet causam nascendi, qui non obliuiscitur miserendi. Vitam præparat, & vitas prorogat, qui viuendi causam miserendo adimplet, cùm causa viuendi sit occasio miserendi. Rationalis homo, qui finem frustratur suum, propè irrationalem vitam gerit, & in mores inhumanos degenerat, & hominis oblitus, belluam inhumanè assumit.

Ad misericordiæ opera homo creatus est.

Chalced. Concil. act. 4.

4. De homine immisericorditer auaro, ita scribitur Prouerbiorum 28. *Qui festinat ditari, & aliis inuidet, ignorat, quod egestas superueniet ei.* Chaldæus pro τὸ *aliis inuidet,* exponit, *Vir est oculi nequam.* Hebræus, *Vir est mali oculi.* Quæ est hæc oculorũ malitia, seu mentis defectio, (mens enim animæ oculus est) quæ auaris inest? Ad quæ Salomonis verba alludens Chrysostomus, hominem auarè immisericordem cum belluis componit, sic aiens: *Hominum oculi non tanquam propria vident aliena, sed etiam propria tanquam aliena; & non desiderant, quæ data sunt aliis, sed in alios quoque sua effundunt: isti autem non ferunt nisi res omniũ acceperint. Non enim humanum, sed belluinum habẽt vsum.* Et alibi rursus scribit hac super re: *Grauis morbus est auaritia, oculos excæcat, & aures obstruit, & quauis belluâ sæuiores reddit.* Vides hominẽ (si homo dicendus est, tam auarè inhumanus) in humanitatis & immisericordiæ elogio, hominem diffiteri, & ab humanitate degenerem, belluinos mores induere. Opportunissimè Petrus Damianus rem hanc edisserit his verbis: *Misericordia est speciosum humanę naturę ornamentum; cuius expers malè degenerat, & hominem diffitetur.* Eadem verba ingeminat Hildebertus Episcopus Turonensis, ita fatus: *Misericordia est speciosum humanæ naturæ ornamentum; cuius expers malè degenerat, & hominem diffitetur. Vnde & nescire misereri, cum feris est habere commercium.* Scilicet nobilis erga pauperes beneficentia, dum humanitatem probat, hominem asserit, illúmque à belluarum confinio ingenuè vendicat. Nam quisquis misereri nescit, quasi humanitatis exors, hominem dedidicit, & in belluinos mores ignobiliter degenerat; atque inhumanitatis titulo fateri videtur, cum belluis se habere commercium de morum vicinia. Porrò *misericordia est speciosum humanæ naturæ ornamentum,* quo venustatur ad ingenuum humanitatis elogium, finémque suum nobiliter implet eo sensu, quo nuper Concilium dixit: *Ad misericordiæ opera à Deo facti sumus.* Vnde *misericordiæ expers malè degenerat, & hominem diffitetur,* ingenuéque fatetur *cum feris habere commercium.* Eleganter sanè Hildebertus! Ergo ne hominem desuescas, *Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere. Quomodo potueris ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude,* ne ob facultatum inopiam, fias humanitatis expers; & malè degenerans, hominem diffitearis, quasi humanitas sit hominis character.

Prou. 28. vers. 22. *Misericordiæ expers malè degenerat, & hominem diffitetur.*

Chrys. homil. 19. in prior. ad Corinth. Et hom. 64. in Ioan.

Qui nescit misereri, cum feris videtur habere commercium.

Petr. Dam. serm. 55.

Hildebertus epist. 23.

Hic vers. 7.

5. Geneseos 2. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Ad quæ sacri Historici verba benè commentatores addubitant, quare cùm homo quatuor elementis constat, de limo, seu humo potissimè materiatus dicatur? Quod est hoc humanæ formationis sacramentum? An quia humanitas ab homine nomen habet, & homo ab humo? Pensiculatè Ambrosius: *Considera, ô homo, vnde nomen sumpseris ab humo; quæ nihil vnquam eripit, sed omnia largitur omnibus, inde appellatur humanitas.* Quid ad hanc rem illustrius?

Gen. 2. v. 7.

Hominis humanitas dicitur ab humo, quæ nil eripit, sed omnia largitur.

Ambr. l. 3. Offic. c. 3.

§. CLXXI.

Ex propriis largiri, laudatioris beneficentiæ elogium est.

1. QVicquid *auaritia seruauerit,* (ait Valerianus Cemelensis) *aut ætas nimia decipit, aut vetustas ingrata consumit, aut tinea damnosa corrumpit. Hoc solum sibi homo reponit, quicquid causâ miserationis expenderit. Nam ita dicit Dominus: Thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi neque tinea cõsumit, nec fures effodiũt & furantur. Præmittamus illuc opes nostras, vbi nullus fur irruat, nullus insidiator incendat. Quisquis enim facultates suas in opere Dei fideliter erogauerit, in parte cœli reconditas ac repositas sub iusto fideiussore custodit.* At qui *facultates suas erogat,* eas in tuto reponit, vbi fures non effodiunt & furantur; non qui furto possessas, alienorum inuasor acquisiuit. Perperàm iniustitia militat pietati; nec tam dat eleemosynam, quàm iniquitatem fœnerat. Sibi imputet famem, qui rapacis animi forem pulsat, & promptuarium furtiuum scrutatur. In se etiam impius est, qui de alienis pietatem ostentat. Consultissimè Tobias filio suggerit: *Ex substantiâ tuâ fac eleemosynam.*

Valer. homil. 8.

Quod auaritia seruat, vetustas decipit: quod pauperi donas, Christo fideiussore seruatur.

Hic vers. 7.

2. Isaiæ 58. his verbis Propheta beneficentiam Israëlitis commendat: *Frange esurienti panem tuum.* Panem tuum dicit, vt notauit Anselmus Laudunensis, *non alienum.* Et pulchrè addidit, tuum: nam eleemosyna de rapinis facta furtum amplificat, & falsatâ specie pietatis veram impietatem procurat, & de proximo negotiatur. *Nihil* (ait Chrysostomus) *illâ eleemosynâ peius, quæ cùm ex rapina nascatur, eleemosyna non est: sed quædam sæuitia, & crudelitas, & in Deum contumelia.* Adductus misericordiam sæuis, quando pietatis mucrone pietatem perimis; & in aureo

Isaiæ 58. v. 7.

Anselm. Laud. inibi.

Eleemosyna è rapina, sæuitia est, & in Deũ contumelia.

Chrys. homil. 36. ad popul.

beneficentiæ poculo perniciem propinas, atque misericordiæ fuco crudelitatem infucatè armas. Quin & Deum cōtumeliâ afficis, cui scenicâ pietate irrides; dum iniustitiam protelans, insidiaris iustitiæ, & falsatâ beneficentiâ, eximium Christianæ religionis opus incestas. Viderint Proceres, ne de pauperculorum rapinis suam pietatem adornent, viderint officiales ex munere furaces.

3. Lucæ 19. Christus Deus propè iam pœnitentem Zachæum suspiciens, vltrò se non inuitatus inuitat. Gaudens Christum excipit, & hospitij mercedem eleemosynis largè donandis votiuus redimit. *Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Benè trapezita lucrosus, dum largiores pauperibus eleemosynas spondet, bonorum restitutionem illicò pollicetur: ne frequens hactenùs alienorum furacitas promissam erga egenos pietatem constuprare videatur. Quò fortè adludit S. Isidorus Pelusiota, qui Hermino Comiti sic rescribit: Perisiti per litteras vt tibi declararem, quam ob causam cùm quidam eâ mente venisset, vt de pauperibus bene mereretur, graue discrimen subiit, nec eum animi institutum ex aduersis casibus eripuit. Respondet Isidorus: *Quoniam, inquam, Deus victimis iniquâ ratione partis minimè delectatur, nec adulterina dona admittit. Neque enim quisquis vult, benignè facit: verùm is demùm, qui vt Deo dignum est, sacrificium* (eleemosynam inquam) *& acquisiuit, & promisit.* O ingentem furti perniciem, quæ non sinit homines esse benignos! Sciebat Zachæus, in ipso conuersionis suæ tyrocinio, in pietatis eruditione veteranus; quòd *non quisquis vult benignè facit*: sed is, qui quam promisit benignitatem, ritè acquisiuit. Vndè benignitatem in pauperes, rei malè acquisitæ restitutioni facit confinem, ne *adulterina dona* Deo deferat. *Adulterina dona* appellantur, quando libidine largiendi, simulata misericordia in pauperes, iustitiam erga creditores constuprat; nec donando, pietatem parturit, sed crudelitatem & sæuitiam: nam *eleemosyna, quæ ex rapina nascitur, eleemosyna non est; sed quædam sæuitia, & crudelitas, & in Deum contumelia.*

Lucæ 19. v. 8.

Adulterina Deo dona prædo defert.

Isid. Pelus. l. 1. ep. 229.

4. Prouerbiorum 3. hoc cælitùs documento Salomon humanam pietatem instruit: *Honora Dominum de tuâ substantiâ.* Tigurina, *Glorifica Deum de opibus tuis.* Hispanica, *Honora à Dios con tu algo.* Quem locum communiter interpretes, de stipe indigentibus erogatâ exponunt, quam in Dei honorem cedere, perspicuum est. De tuâ inquit, non de alienâ, ad gloriosum pietatis elogium. Super hâc Salomonis sententiâ, ita Saluianus Massiliensis ad Ecclesiam scribit: *Honora Dominum de tua substantia. Cùm vtique totum suum sit, quod ab ea accipimus, nostrum esse dicit, vt demus: ideò scilicet nostrum appellans, proprietate possessionis, vt maior sit merces operantis, quia plus fructuum necesse est largitor habeat, vbi de suo videtur esse largitio.* Vide hîc tempestiuam in re pietatis cautelam. Nempè largitio eleemosynæ titulo pauperibus exhibenda, non tantùm debet esse, minimè furto acquisita, & verè sic propria largitoris; sed meriti prærogatiuam, & ad mercedis auctarium; quòd à Deo ad largiendum verè accipimus, *nostrum esse dicit, vt demus, ideò scilicet nostrum appellans, vt maior sit merces operantis.* Quasi scrupulosè præcauet Salomon, ne quam erogamus egenis stipem, aliquo modo non esse largitoris videatur. Vnde etsi res Dei sit, quia tamen pietati id non incommodat, nihilominus subiicetur; & res hominis nominatur: *Nostrum esse dicit, vt demus:* ne forsan, si quod piè datur, non esse dantis insinuatur, deuenustaretur largitoris gratia. Ergo in subleuandis pauperibus: *Honora Dominum de tua substantia.*

Prouerb. 3. v. 9.

Salu. lib. 1. ad Eccles. *Quod pauperibus damus nostrum esse dicit, vt sumptuosius demus.*

5. Matthæi 6. in solemni oratione, ex Christi Dei præscripto identidem nuncupanda, ita precari iubemur: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* Christus orationem instituit, quia Pater libenter orationem exaudit, quam Filius dictauerit. Non solùm autem oramus, ideò panem nostrum da nobis hodie, vt habeamus quid manducemus; sed vt quod manducemus de manu Dei accipiamus. Sed quare *nostrum* dicimus, cùm instanter petimus? An Deus, auarus alienorum retentor est, adeò vt necessè sit ab eo obnixè postulare, quod *nostrum* est? Eleganter Chrysostomus: *Dicit autem, Nostrum, quia omnia quæ nobis Deus dat, per nos aliis dat, vt de eo, quod accipimus partem impotentibus faciamus. Qui ergò de laboribus suis indigentibus non præstat, non tantùm panem suum manducat, sed etiam alienum.* Procliue cuique est, ad simili expensione hunc locum ditare, quod præmittimus num 4. Nempe, *Nostrum* dicimus panem, quem aliis erogandum petimus, eleemosynæ nomine; ne aliena, sed nuncupatim propria, pietatis titulo largiri videamur. *Dicit autem nostrum, quia omnia quæ nobis Deus dat, per nos aliis dat.* Multa paucis, significauit potiùs, quàm dixit Chrysostomus.

Matth. 6. v. 11. *Panem quem rogamus Nostrum dicimus, quia eum Deus per nos aliis dat.*

Chrys. ibi apud Cat.

6. Gentium doctor, & Ecclesiæ Magister in posteriori epistola, quam scripsit ad Corinthios, ita de se fatur vt eum fideles æmulari studeant: *Sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Quæ Apostoli verba, moralitatum grauida, singulariter ad rem exponit Paullinus, scribens ad Seuerum Sulpicium, qui opulentum in paucis censū egentibus largissimè erogabat: Es, inquit, *locuples, vt habens non habeas; quia non tibi, sed non habentibus habens, domus tuæ hospes es, vt sis hospitum domus: patriæ tuæ peregrinus es, & exul istius mundi, vt sis incola paradisi.* Luculenter sanè Paullinus! Locuples, inquit, es, *vt habens non habeas*, id est, vt abundanter diues, diuitias tuas pauperibus largè erogans, nil tibi, sed aliis habeas. Locuples es, vt de tuis largiri videaris; sed opes tuas, non tibi, sed non habentibus habes. Omnia possides, vt de tuo des; nihil tamen habes, quia pauperibus donas. Locuples es, vt de tuo habens ad largiendum, non habeas quod de tuo non largiaris. Census tuus, pauperum ærarium est; opes tuæ, mendicorum promptuarium sunt: domus tuæ hospes es, vt sis hospitum domus: patriæ tuæ peregrinus es, vt exul sit vrbis tuæ incola. Locuples es, *vt habens non habeas.* Paullino concinit Nazianzenus, ita fatus: *Diuitiæ autem Basilio erant* (erant & S. Didaco Complutensi, opulentissimo Franciscanorum ornamento) *nihil habere: & crux cum quâ solâ ipsius vita versabatur, & quam maiori in pretio habebat, quàm ingentes pecuniæ aceruos.*

2. Cor. 6. v. 10. *Vir misericors diues est, vt habens non habeat, & om. modo.* Paullin. epist. 2.

S. Didaci Complutensis diuitiæ.

Nazianz. Orat. pro Basil.

7. Geneseos 19. Venerunt duo Angeli Sodomam vespere, & sedente Lot in foribus ciuitatis. Qui cùm vidisset eos surrexit, & dixit: Obsecro, Domini, declinate in domum pueri vestri, & manete ibi. Qui dixerunt: Minimè, sed in plateâ manebimus. *Compulit illos oppidò, vt diuerterent ad*

eum

Gen. 19 v. 3 *Laudatior beneficentia, propria necessitate redimit alienam.* Ambros. apud Cat. Lipom.

eum ingressisque domũ illius fecit cõuiuium, & coxit azyma; & comederunt. Proprias dapes suis domesticis pręparatas, hospitibus peregrinis exhibet; & periculum illis imminẽs, in suum caput conuertit, quod est eximium beneficentiæ genus, vt perdoctè expendit Ambrosius: *Lot quidem,* ait, *inter quos habitaret, sciebat, tamen domum suam offerebat periculis, quibus auferret hospites.* Scilicet magnũ non est, ex nobis superuacaneis aliis benefacere: laudatior beneficentia propriâ necessitate alienã mercatur abundantiam, & proprio periculo redimit alienum.

8. Exhodi 10. tandem Pharao tot plagas diu sustinendo defessus, vocat Moysem & Aaronem, & cum illis de exitu paciscitur. Ite, ait, & sacrificate Domino, oues tantùm *vestra*, & armenta remaneant, paruuli vestri eant vobiscum. *Ait Moyses: Hostias quoque & holocausta dabis nobis, quæ offeramus Domino Deo nostro.* Religiosus Moyses à profano Pharaone hostias experit, quas Deo offerat? (*Hostias*, inquit, *& holocausta dabis nobis.*) Gratiorne Deo est oblatio de hostili impiorũ supellectili sublata? Sed animaduertere oportet ad rem, quòd proprios Israëlitarũ greges, quos *oues vestras & armenta*, nuper dixerat Pharao, dono Moyses sibi à Pharaone dari postulat, aiens: *Hostias quoque & holocausta da nobis.* Nempe quod suum est, sibi donari à Rege petit. Sic subiectorum facultates sibi vsurpat Pharao, vt Moyses vel sui gregis pecudem, quam Deo offerat, à Rege accipere dicatur? O Pharaonis auaram rapacitatem! O furacem auaritiam! Ad arrogantem ambitionis fastum, & ad principales superuacuè delicias orbis depauperatur. Non tantùm omnes populorum facultates Pharaoni sunt vectigales, sed etiam ipsius census sunt. Vel subiectorum quoque anima in confiscato est. Opinor, quod ingrata munera Deo pro se offerenda, Moysi donaret Pharao, cũ proprias Israëlitarum pecudes illi ad sacrificium pręberet. Nã sicut ex propriis largiri, laudationis beneficentiæ elogium est: ita *adulterina dona* prędo defert, & largitur Pharao: nã largitio, quæ aliena donat, largitio non est, sed præda, & sæuitia, *& in Deum contumelia.* Viderint furaciter auari Dynastæ, quid pauperibus, quid Deo donent.

Exhod. 10. v. 25. *Vel quod suum est, non impetrat Moyses à Pharaone.*

Chrysost. allegatus supra n. 2.

---

§. CLXXII.

Largior eleemosyna, opum vberiùs congerendarum arbitrium est.

1. Valer. homil. 8.

VAlerianus Episcopus Cemeliensis agens de misericordia, ita scribit: Quid prodest congestam auri massam sacculo custodire, *cùm possis quotidie & bene facere, & expensa fænus pecuniæ reportare?* Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus. Gaudete, & securi donate, atque indubitanter expendite. Quis autem non certatim opes suas larga per miseros erogatione dispẽset, cùm multiplices fructus, & duplicia dona se intelligat recepturum? *Profectò nobis præstamus, quotiescumque miseris subuenimus: lucrum nostrum est, nostrarum erogatio facultatum:* fœnori enim traditur, quicquid esurientibus ministratur. *His omnibus fideiussor est, Christus, qui dicit: Ego vobis centuplum reddam,* insuper vita æterna promit.

P. Didac. de Celada in Tobiam.

Eleemosyna priuilegio facultates multo cum fœnore augetur, Christo fideiussore. Matth. 19. v. 29.

titur. Ergo si sordida vetat auaritia facultates proprias pauperibus erogare, pia te sumptuosi lucri stimulet ambitio: nec de auctario ambigas, cùm habeas Christum lucri fideiussorem. Arbitrium ampliandi census, pia facultatum erogatio est.

Paulus in posteriori epistola, quam scripsit ad 2.
Corinthios, facultatum ex eleemosynis incremẽta 2. Cor. 9. v. 6.
mirè commendat: *Hoc autem dico: Qui parcè seminat parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Et confestim agit de hilari donatione, & de donatiuo seminis ad instar multiplicando. Ad quem Apostoli locũ proculdubio alludit Ambrosius, sic aiens: *Beneficium largientis præbenti magis permanet, quam suscipiẽti: nam misericordia quidem ad indulgentem peruenit, gratia autẽ multiplicatæ mercedis permanet tribuenti. Esurienti dedisti panem, ille quidem pastus est, sed ad te redit quod dedisti cum fructibus, & vsuris: Quod si difficile putas, considera frumentum quod seminatur in terra, si non ad seminantis potiùs, quã ad suscipientis lucra cedit.* Pulchra quidem Pauli metaphora multiplicatum eleemosynæ fructum expressit Ambrosius; & accuratè exposuit quo pacto cùm facultates diuitum piis largitionibus ad pauperes venerint, ad ipsos largitores redeant. Quod argutè dixit Emisenus Eusebius, ita aliorsũ fatus; sed aliud agens ad rem opportunissimè: *Vt cum per vos* (diuites inquam,) *ad illos peruenerit, ex illis ad vos multipliciter reuertatur, hoc enim bonum dando nõ consumitur, sed dilatatur: & magis dũ transfertur acquiritur: siquidem salubri iucundoque commercio & accipientis lucrum, & tradentis augmentum est.* Misericordiæ largitio piè donata, ad pauperem peruenit, cui diuitis beneficentia auxiliatur; gratia autem multiplicatæ mercedis in præbitore permanet. *Esurienti dedisti panem, ille quidem pastus est, sed ad te rediit quod dedisti cum fructibus & vsuris:* & de misericordię sacramento, non consumitur dando, sed augetur, & miro modo dum trãsmittitur, multitudo augmento retinetur. Quod moralissimè hîc Tobias edocet, & postmodum egregiè expertus est.

Ambr. ser. 8.

Eleemosyna de arcano pietatis commercio, & accipientis lucrum est, & tradentis augmentum.

Emis. de Epiphan. hom. 4.

Hic à vers. 7. vsque ad 11.

Ioannis 6. sequebatur turba multa Saluatorem, 3.
pastorem oues, ægri morborum depulsorem, serui animarum liberatorem. Propè imprudenter igitur in desertas vsque terras, iter contenderunt, tridui fame ferè deficiũt. Apostolorum voces credulitatis plenæ, annonæ indigentiam publicant, pauper ille Dominus postquam paupertatem nudauerit, indigentibus abundantiam tribuat. Adest quispiam habẽs quinque panes hordeaceos, & duos pisces: & vbi discubuere viri, numero quasi quinque millia, *Accepit IESVS panes: & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus; similiter & ex piscibus quantum volebant. Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superauerunt fragmenta.* Super hac tot pauperum cibatione, in deserto annonæ prorsùs indigo; lucratiuũ, misericordiæ commercium S. Leo agnoscens, ita philosophatur: *Accepit ergò IESVS panes. Illa interuenit manus, quæ panem frangendo auget, & erogando multiplicat: neque enim poterit non erogare manus Christi.* Vides panum incrementa in manibus Christi facta eleemosynæ arbitrio, dum illa interuenit manus, quæ panem frangendo auget, & in famelicos erogando multiplicat. Perbellè Chrysologus ita ad rem præsentem scribit: *Qui panes quinque fragmento profuso, & furtiuo incremento,*

Ioann. 6. v. 11. & 12.

Leo ser. 10 ad Quadrag. c. 5.

Chrysol. se. 160.

Quare panum in deserto multiplicatio, furtiuum incrementum dicatur.

mento ad quinque millia hominū tetendit & dilatauit saginā. Quid est, quòd dum in Christi manibus panis multiplicatur ad cibādum egenos id *furtiuo incremento* adscribitur? quare hæc panum multiplicatio, *furtiuum incrementum* nominatur? quid huic beneficæ pietati cum auaro furto? Verum enim verò cùm eleemosynę sit priuilegium, vt res pauperi iam donata, multipliciter augeatur; cùm multiplicatio donationem anteuertit, & in manu dantis priùs multiplicatur, quàm ad manus accipientis peruenerit; eleemosyna in manu & sinu pauperis multiplicanda, prærogatiuâ elogij sui quodammodò defraudatur, dum ante datam eleemosynā multiplicatio peragitur. Vnde cùm quinque panes in manu dantis, ad quinque millia hominum saginam dilatantur; istiusmodi augmentum, *furtiuum incrementum* appellatur. Vel aliter eiusmodi sententiam concipe. Nimirùm eleemosynæ elogium est, dona pauperi exhibita multipliciter augere, & insigni auctario multiplicare. Vnde eleemosynarius *panem frangendo auget, & erogando multiplicat*: cùm ergò tūc Christus Deus panes in manibus accipiens, quos egentibus erogaret, toto diuinioris omnipotentiæ adnisu multiplicaret; adeò vt cuiusque manus panes parturiret, & vasta eremus angustaretur panibus; sententiosè hoc omnipotentiæ opus dicitur *furtiuum incrementum*; quoniam multiplicationem ex eleemosynæ sacramento faciendam præcurrens, eleemosynam suo multiplicationis effectu defraudauit: & dum diuinum omnipotentiæ miraculum, velut naturale eleemosynæ miraculum anticipat in rei donatæ multiplicatione, quasi *furtiuum incrementum* accidisse perhibetur, quo eleemosyna suo mox futuro incremento, per omnipotentiæ anticipationem quodammodò defraudatur. Vel (si forsan magis arridet) è conuerso rem accipe, quasi eleemosyna, dum *panem frangendo auget, & erogando multiplicat*, velut præripuerit omnipotētiæ miraculi gloriam, & multiplicationis plausum: nam dum panum multiplicatio, quæ est res meræ omnipotentiæ, adscribi videtur eleemosynæ; panis qui frangendo augetur, & pauperibus erogando multiplicatur, velut *furtiuo incremento* multiplicari videtur; dum omnipotentiæ gloria, quæ in hoc miraculo prænitet, eleemosynæ adscribi quodammodo putatur. Ergò profundo stylo hanc panum multiplicationem, *furtiuum incrementum* Chrysologus appellauit.

4. Cæsarius Arelatensis ita de diuitum erga pauperes misericordia scribit: Ego autē puto, quia ita Deus noster pauperes in hoc mundo esse permiserit, vt in pauperibus diuitum fidem probaret: vel in pauperum misericordiâ diuitibus misereretur, vt abundantibus boni operis, ac redemptionis suæ occasio non deesset, (de quo aliàs vbertim egimus.) *Vt beneuolum locupletem inopia aliena ditaret, vt opulentior quisque ingentia de egente lucra reciperet, & mirifico summoque commercio, dum inopi misericordia temporali largitate confertur, inde æternus thesaurus compensetur.* Quid est, quòd aliena inopia locupletem ditat? inopis paupertas quomodo diuitem locupletet? Matthæi 25. fatuæ virgines sponsum excepturæ altè stertunt. Veniente autem sponso, vt adornent lampades adsurgunt. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur, *Responderunt prudentes, dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis.* Celebris hinc oritur quæstio, quinam sint hi oleum vendentes? Origenes putat esse *Doctores*. Ego putauerim, nō bene Ecclesiæ *Doctores* oleum sapientiæ venale proponere: illam enim emet, quisquis pro ea plus pretij obtulerit. Ergo opportunè S. Chrysostomus de oleo misericordiæ erga pauperes, præfatum locum exponit, ita scribens: *Ite potiùs ad vendentes, & emite vobis. Vides ergo quanta nobis sit à pauperibus negotiatio: pauperes autem non sunt ibi, sed hic; ideo hic oleum congregare oportet, vt illic vtile sit.* Pauperes ne oleum misericordiæ vēdunt, an misericorditer accipiunt? vberior misericordiæ, & beneficentiæ apotheca apud pauperes residet, quæ diuites emptores locupletet? Pretio eleemosynæ, largam pauperum beneficentiam Diues emit? ô arcanum pietatis sacramentum! *Ideò Deus noster pauperes in hoc mundo esse permisit, vt in pauperum misericordiâ diuitibus misereretur, vt beneuolum locupletem etiam inopia aliena ditaret, & opulentior quisque ingentia de egente lucra reciperet.* Dum diues misericors stipem pauperi donat, maiora lucrâ reportat, & ampliorem opulentiam, obolum donando emit. Emite ergo è pauperibus opes, ex egentibus opulentiam; nam inopia aliena diuitias vendit; & misericordes summo commercio diuitat. Da parum, & accipe totum, de piè vsuraria in pauperes benignitate: paruo enim ingentia lucra emis, dum censum in terris auges; & thesaurum in cœlis accumulas. *Beneuolum locupletem etiam inopia aliena ditat.* O bona áuaritia, de pietatis vsuris piè ambitiosa!

Caesar. hom. 1.

Non bene Doctorum sapientia proponitur venalis.

Matth. 25. v. 9.

Origenes Tract. 23 in Matth.

Chrysost. homil. 79 in Matth.

Pauperes accepta eleemosyna pretio opulentiores diuitias vendunt.

Matthæi 25. seruus ille nequam, qui talentum à Domino acceptum in terra fodit, & ignauè otiosum diu seruauit; hæc audit à domini sui ore. Serue male, & piger, sciebas quia meto, vbi non semino, & congrego vbi non sparsi: *Oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis; & veniens ego recepissem vtique quod meum est cum vsura.* Quis est hic seruus pecuniis domini sui abundans, & tam inerter ignauus? & quis est iste dominus, vsque adeò acquirendę vsurę auarè sollicitus? Saluianus Massiliensis ita locum exponit: *Oportuit ergo te pecuniam dare numulariis, &c. Cū enim numularij Saluatoris pauperes, & egeni rectè intelligantur, quia pecunia, quæ talibus dispensatur, augetur: cum vsuris absque dubio, Deo redditur quicquid egentibus erogatur.* Scilicet pauperes Christi numularij sunt, qui accipiētes mortales pecunias, piè vsuraria negotiatione immortales thesauros pendunt. O quàm opulenta lucra de pauperis egestate reportas. 5.

Math. 25. v. 27.

Pauper est numularius, qui mortales pecunias accipiens, immortales reddit vsura nomine.

Saluian. l. 3. ad Eccles.

§. CLXXIII.

Immisericordia erga pauperes, hominem à se ipso exhæredat; misericordia verò locupletem accumulat thesaurum.

Sanctus Petrus Chrysologus quo solet polito ingenio & calamo, ita de Eleemosyna scribit: Manus pauperis, ait, Abrahæ sinus est; vbi quicquid pauper acquirit, mox reponit. Thesaurus cœli est manus pauperis; quod suscipit, ne in terrâ pereat, reponit in cœlum Thesaurizate, inquit, vobis thesauros in cœlo. Manus pauperis est 1.

Chrysolog. serm. 8.

Matth. 6. v. 20.

Quod pauperi dederis, tu habebis, quod pauperi non dederis, habebit alter.

est gazophylacium Christi: quia quicquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergò homo pauperi terram, vt accipias cœlum. Da nummum, vt accipias regnum. Da micam, vt accipias totum. *Da pauperi, vt des tibi: quia quicquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter.* Clamat Deus: Misericordiam volo. Qui quod vult Deus Deo negat, à Deo sibi quod desiderat, vult negari. Misericordiam volo. Homo, petit Deus, sed tibi, non sibi. Misericordiam volo. Humanam misericordiam petit, vt largiatur diuinam. Est in cœlis misericordia; ad quam per terrenas misericordias peruenitur. Domine, inquit, in cœlo misericordia tua. Ecce tibi, terrenus pauper est misericordibus cœlestis thesaurus. Quomodo potueris, (ait Tobias) esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. *Præmium enim bonum tibi thesaurizas.*

Oseē 6. v. 6

Psal 35. v. 6

Hic versic. 10.

2.

Exhodi 1. nouus Ægypti rex nouam instituit politiam, & luteam erga Iosephum olim gratiam, in iras astutè conuertit. Venite, inquit, & Hebræorum gentem *sapienter* opprimamus, ne fortè multiplicentur. Præposuit itaque eis magistros operum, vt affligerent eos oneribus: *Ædificauerüntque vrbes tabernaculorum Pharaoni, Phithom, & Ramesses.* Hebræum verbum, pro quo Vulgatus exscripsit *tabernaculorum*, propriè, vt vertit, & aduertit Vatablus, significat repositoria, apothecas, granaria, in quibus reponebantur regni publica frumenta, oleum, & vinum, qui erant Ægyptiorum thesauri. Chaldeus habet, *Vrbes thesaurorum.* Regis inquam. Verum Hugo Victorinus in Annotationibus super Exhodo, consultissimè ad litteram, & ad mores, has regiis thesauris destinatas vrbes, *Vrbes pauperem* interpretatur, quasi vrbes pauperum sint regum thesauri. E pauperum duntaxat tributis, Principum constat ærarium? Proh opulentum potiùs diuinæ iracundiæ thesaurum! (*Vendunt nobis lucis vsuram*, de hostibus dixit Saluianus.) Et Beda in cap. 2. Lucæ egregiè notat, quod Christus in terris pauper, *eo tempore dignatus est incarnari, quo mox natus censu Cæsaris describeretur*, vt non tam vilitate præsepij, quàm ex vectigalis pensione, pauper confestim probaretur. Cæterùm ad præsentem thesim adnotare iuuat, *Vrbes pauperum* dici *Vrbes thesaurorum*: pauperes enim sunt diuitum census, & potentiorum thesauri: nemo pauperum thesaurum habet, sed thesauro non eget, qui locupletum thesaurus est. Pauperes alloquens sic argutè fatur Veronensis Zeno: *Digni estis vniuersi aurum, argentumque non tam habere, quam esse: nam vos estis aurum viuum Dei: Christi vos argentum, vos Spiritus Sancti diuitiæ: vos si terrena metalla contempseritis, longè his vita vestra thesaurus, vobis auro atheria illa ciuitas constructa est.* Benè quidem, & optimè *vrbes pauperum* appellantur *thesaurorum vrbes*, pauperes enim aurum, & argentum non tam habent, quam sunt: sunt enim aurum viuum Dei, argentum Christi, Spiritus Sancti diuitiæ, & diues locupletum thesaurus.

Exhod. 1. v. 11

Vatabl ibid.

Vrbes pauperum sunt regum thesauri.

Hugo Vict. in Annot.

Saluian l. 6 de Gubern.

Beda in Luc. 2.

Pauperes, eleemosyna occasione sunt vrbes thesaurorum.

Zeno serm. 1 de Auar.

3.

Matthæi 6. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. *Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur.* Non perdis, quod in largas eleemosynas erogas; sed lucratiuo commercio id solum tibi seruas, quod donando perdidisse te putas. Nam vt nuper ex Chrysologo adhortabamur: *Da pauperi, vt des tibi, quia quicquid pauperi dederis, tu habebis; quod pauperi non dederis, habebit alter.* Quid de auaritiæ, & immisericordiæ malo, te tua defraudas hæreditate, vt alium habeas locupletem tuarum possessionum hæredem? Abrahamus pietate nobilis, & exprompta hospitalitate notissimus, tanquam *hæres sui*, à Basilio Seleuciensi celebratur. Benè dicitur hæres sui, qui patrimonium opulentum velut effusa pietate expendebat, & repetita beneficentia thesaurum sibi cōdebat in cœlis, misericordiæ commercio; probè sciens, quod quæ pauperibus dabat, sibi reponebat; quæ non dabat pauperi, ipse sibi auarus inuidebat. Perbellè hac super re Saluianus Massiliensis philosophatur his verbis: *Non est hoc persecutio, aut esse alia maior potest*, (eleemosynas pauperibus non erogando) *exheredari hominem a se ipso?* O arcanum misericordiæ Sacramentum! quod tibi auarè seruasti, perdidisti: quod perdidisse te putas, largis piè erogationibus Tobiam imitatus, hoc *tui hæres*, vni tibi duntaxat acquiris. Pium te tibi existimas, dum erga pauperes pius non es: sed te impiè depauperas, & hæreditate te tua fraudas, cum ea pauperes defraudas. *Non est persecutio, aut esse alia maior potest, exheredari hominem à se ipso?*

Matth 6. v. 20

Chrys supr.

Seleu. alias expensus.

Salu l. 1. ad Eccles.

4.

Lucæ 12. hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit: *Et cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam: Destruam horrea mea, & maiora faciam.* Angustus animus, & parum putans omne quod nascitur, impartiendi cuiquam causam idoneam putat. Vides beneficiis diuinis diues quàm ingratus existat. Communis hominum naturæ non meminit: æquum non putat saltem ex superfluis suis aliquid egentibus impertiri. Sed recordare ô homo, qui est, qui largitus est tibi se ipsum. Recordare ergò, quis est, qui tibi iniunxit officium dispensandi super familiam suam. Quid est, quod fructuum abundantia multis prælatus es, vt vel pauperi posses indulgere reliquias? *Non est vtique sine causa*, (ait Sanctus Zeno) *quod tibi à bono, & iusto Deo officium tribuitur largiendi, aliis necessitas tribuitur indigendi. Dispensatorem te igitur conseruorum tuorum ex Dominicis facultatibus te esse cognosce. Nec æstimes, quod omnia ventri, & deliciis tuis terra producat.* Mox sanctissimus, & piissimus martyr hac humanitatis voce proclamat; Si quis indiget panibus veniat ad me, vt gratiam, quam Dominus indulgenti liberalitate largitus est, communem cum omnibus faciam. *Velut ex communibus ergo fontibus hauriat vnusquisque quod sufficit. Sed tu nihil tale, quinimo communia omnibus hominibus diuina inuadis beneficia.* Diuina inuadere beneficia omnibus communia, dicit, qui est erga pauperes auarè immunificus: neque opem pauperibus debitam liberalis exoluit. Augustinus expendens illud Matthæi 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo*, ita eleganter scribit: *Nec tamen illi soli, qui vt sint perfecti vendunt, vel dimittunt omnia sua, pertinent ad regnum cœlorum, sed huic militiæ Christianæ propter quoddam commercium charitatis subiungitur etiam quædam stipendiaria multitudo, cui dicetur in fine: Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c.* Nimirum non modo qui omnia pro Christo dimittit, *habebit thesaurum in cœlo*, sed etiam quisquis fructus suos non sibi soli congre

Lucæ 12. v. 17 & 18.

5

Zeno ser. de Dupl. tentation. specie.

Matth 19. v. 21.

August. lib. 5 contra Faust. c. 9.

Misericordia cœtus stipendiaria multitudo appellatur.

congregat,nec sibi soli suas habet diuitias;sed (vt potest) pauperibus erogat,quæ ab Augustino *stipendiaria multitudo* sententiosè appellatur. *Stipendiaria multitudo* dicitur, quia semper egenis pietatis pendit vectigal: *stipendiaria multitudo* dicitur, cui cœlum tanquam tributi nomine æternam beatitudinem pendit: *stipendiaria multitudo* dicitur,cui è multiplici stipe pauperibus piè erogata, diues in cœlis conflatur thesaurus.O pietatem ingenuè stipendiariam!

5 S.Paulin.ep 5 Sanctus Paulinus agens de opulento in paucis censu,quem ipse, & Sulpicius Seuerus pro Christi amore pauperibus largiùs erogauerant;ita scribit: *Quæ per immensam eius bonitatem,cum nec illata nobiscum sint in hunc mundum,neque istinc auferenda nobiscum, tamen si pareamus præceptis illius, ita ordinentur,vt mutentur in melius,& de temporalibus æterna reddantur.* Eleemosynæ Sacramentum est,quod caducas opes, de pietatis ingenio immortales reddit.

Caducum bonum, de eleemosynæ priuilegio fit æternum.

6. Eccli.30 v.24 Sa'u l b 3.ad Eccles. Saluianus Massiliensis illud Ecclesiastici, *Miserere animæ tuæ*,ita exponit: *Causam tuam apud te agit Deus,& ad te non admittitur:dignatur te pro te petere,& à te non potest impetrare.* Scilicet Deus in paupere opem à te petit,non qua sibi,sed qua tibi quodammodo indiget,neque eam à te impetrare eualet?Esto,aliis non miserearis, tui saltem miserere: nam bonis,quæ pauperibus non dederis, te vltrò exhæredas. Armenij filius,totius census vnicus hęres,diē suum letho immaturus obiit,cognatum patrem his verbis Ennodius consolatur: *Adtietiam*,inquit, *Dei proximitatem inuenire posse hominem,qui de homine non lætatur: in loco filij succedere posse conscientiam,quæ sanctos eius heredes inueniat.* Nempe locuples tuus census hærede fraudatus est,crudæ mortis inuidia;ergo inter pauperes hæredem quære,bona tua benignus impendas,& ita non tam ipsos,quam tuam conscientiam hæredem instituis Quid tam tibi proximum, quàm tu ipse tibi? esto igitur tui hæres de eleemosynarum priuilegio.

Pauper à te pro te petit.

Ennod lib.2 epist 2

Qui eleemosynas facit, sui hæres est.

7. Tobiæ 1. quisquis attentius perscrutabitur, verba, quibus de Tobiæ largiori beneficentia Scriptura loquitur,plura ethicè Sacramenta inueniat,necesse est. In captiuitate, inquit,positus, viam veritatis non deseruit: *Ita vt omnia quæ habere poterat,quotidie concaptiuis fratribus impertiret.*

Tobiæ 1.v 4 Dicitur quod per captiuitatem depauperatus ad summam egestatem Tobias redactus est;& tamen additur, quod adhuc pauper dabat *quæ habere poterat*?Opinor, quod tunc aut exiguas, aut nullas eleemosynas faciebat:nam misera egestas beneficentiæ opera vetat, dum largitionum materiam absumit. Imo in paupertate magis elucet Tobiæ largitas,dum *quæ habere poterat*, præbuisse liberaliter dicitur. Audiendus est hac super re Damascenus,sic ad rem fatus: *Nihil*,inquit,*apud Deum magnum atque amplum censetur, quod non pauper quoque dare potest.* Itaque Tobias dira egestate oppressus,*omnia quæ habere poterat quotidie impertiebat*,quin tot iteratis largitionibus opulentus egestatis census minueretur; imò illi de paupertatis thesauro prædiues copia largius suppetebat, quia nihil apud Deum magnum atque amplum censetur,*quod non pauper quoque dicere potest*,quasi pauper censu suo inops,& sibi ægrè sufficiens,vsqueadeo sit paupertate sua diues, vt omnipotenter opulentus Dei census illi ad largitiones vbertim suppetat. O quàm amplas largitiones eleemosynę

Nil apud Deum magnum,quod non pauper dare possit.

Damasc.l.3 Paral.c.37

nomine pauperibus facit pauper Tobias,qui *omnia quæ habere potest* egenis erogat! *nihil* enim *apud Deum magnum atque amplum censetur, quod non pauper quoque dare potest.*

---

§. CLXXIV.

Sacri textus ductu,multa seriatim eleemosynæ elogia densè conglobantur.

Regnum Dei (ait Gregorius) *tantum valet, quantum habes: valuit Zachæo dimidium substantiæ,valuit viduæ duobus minutis, valuit alteri calicem aquæ frigidæ. Sed forsan nec calix aquæ frigidæ suppetit,qui indigenti præbeatur? etiam hic securitatem nobis promittit sermo diuinus: Redemptori etenim nato cœli ciues ostensi sunt, qui clamarent: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Nemo ergo immunis est ab hoc nobili tributo,vt vt possit, pauperibus exoluendo. De quo hic Tobias à vers.7. vsque ad 13. copiosè agit. Ne autem longum facerem omnia vbertim expendendo,singula perstringam;ne aut nauseam prolixa nimis tractatione excitarem, vt plurium thesium omissione illarum noscendarum votum segniter frustrarer. Itaque seriatim Sacri textus ductu singula perstringere,operæ pretium est. 1.

Greg.hom 5 in Euang.

Nemo excusetur ab eleemosynis faciendis.

Ex substantia tua fac eleemosynam,Tobias præcipit. Ad quæ verba adludere videtur Chrysostomus,sic aiens: *Eleemosyna est amica Dei, semper ei propinqua,pro quibuscumque voluerit, facile gratiam munus impetrat; tamum si à nobis non lædatur, si nullam à nobis patiatur iniuriam. Iniuriam autem patitur, cùm ex rapinis eam volumus operari; si vero fuerit munda,magnam præstat confidentiam tribuentibus eam. Tanta est virtus eius, tantaque potentia!* Verum hac super re dudum egimus §. 2.

Hic vers 7 Chrys. hom. 32 in ad Hebr.

Eleemosyna ex rapinis se ipsam lædit, & à se iniuriam patitur.

Matthæi 6. *Cùm facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt*,&c. Pulchrè Laurentius Nouariensis homil. de Eleemosyna, eos,qui ob inanem populi plausum subsidia egenis largè erogant,his verbis insectatur: Si vt vanam gloriam captes,eleemosynas erogas,*Vulnerasti gratiam....Noli tubicinare ne vulneres opus tuum: noli prodere quod fecisti.* Gratiam vulnerat, qui non tam à gratia, quàm à se ipso, misericordiæ opus patrare præsumit. Suam substantiam non præbet, sed eam nundinatur, qui plausum de eleemosynis suis aucupatur, & suæ substantiæ, non largitor,sed proditor est,qui de eleemosynæ bono gloriatur:atque vnde hostem vincit, ab eo vulneratur, & vincitur. *Vitiorum auctor Dæmon*, (ait Fulgentius) *in eo quod non potest vincere vitiis suis,vincit virtutibus alienis; armis,quibus eliditur, surgit, & virtute qua deiicitur, deiicit; laudat, quæ se prospicit superari, virtutem, vt victus possit captiuare vincentem.* Pulchè quidem! Ergò ex substantia tua fac eleemosynam, non ex Diaboli fraude,qua te elatione opplens, pietate defraudat. 3.

Matth 6. v.2 Laur.Nou.

Eleemosyna ob inanem plausum gratiam vulnerat,& largitorem prodit.

S.Fulgent. apud Iust. hic.

Dæmon pietate victus, per inanem gloriam vincit.

Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere. Quibus verbis Tobias præcipit,vt aspectus miseriæ,miseri præcurrat supplicationem. Indigentibus sic opem daturus,hoc prius,& maximum pręstat 4.

Deut.15 v 4

Tertul. lib. 4. contra Marc. c. 10. *Eleemosyna supplicationem praecurrat.*

stat, ne rogarent. Deuteronomij 15. *Omnino indigens nõ erit inter vos.* Quæ verba sic exponit Tertullianus: *Non enim petenti iubet dare; sed, Non sit, inquit, indigens in te, id est, cura vltrò, vt sit quò magis petenti præiudicat dandũ,* quò eleemosyna sit ingenuum miseriæ stipendium, non pergraue supplicationis dispendium.

5\. *Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere.* Indifferens hîc benignitas in omnes pauperes commendatur: nam indigentium vitam, negotia, atque egestatis mensuram curiosiùs pro vno pane, aut obolo scrutari; insolentia est potiùs quàm beneficentia. Ergò à nullo paupere auertenda est facies, sed omnes velut cæcâ misericordiæ benignitate subleuandi. *Neque enim,* (inquit Chrysostomus) *si Abraham scrutatus fuisset, refugientes ad se Angelos hospitio recepisset: fortasse enim non putans eos Angelos esse, cum reliquis repulisset; sed quoniam omnes recipiebat, suscepit & Angelos.* Sibi adstipulatur Chrysostomus, qui occulatiùs expendit quo pacto pauper illa vidua Sareptana fame oppressa, Eliam pauerit in tanta annonæ caritate; neque curiosiùs explorauerit, neque duriùs expulerit hominem, à quo tota regio fame opprimebatur: *Erat,* inquit, *& Sidonia vidua, quæ Eliam hospitio excepit pane & aquâ, & auctorem famis non est reuerita.* Profectò si mendicum Eliam discuteret, illum tanquam famis auctorem repulisset, & se panario iugiter scaturiente defraudasset; & cum misericordiæ iacturâ, abundantiæ cælitùs scaturientis detrimentum fecisset.

Non est discutienda pauperis indigentia. Chrysost. in hom. 21. ad Hebr.

Idem hom. cõtra Iudæ.

6\. *Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere,* ne insciusabiicias non modo Prophetam, aut Angelum; sed & ipsum Prophetarum, & Angelorum Dominum, qui in Euangelio dixit: *Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui; & dedistis mihi bibere,* &c. Quę verba exponens Saluianus Massiliensis, ita scribit: *Ego plus addo aliquid, Christum non solum egere cum cæteris, sed plus multò egere quàm cæteros: in omnium enim pauperum numero, non est vniuersorum vna paupertas. Sunt enim quidam, quibus etsi vestimenta desunt, alimenta non desunt; multi sunt hospitio egentes, vestibus non egentes. Sunt denique quibus etsi desunt multa, non desunt omnia. Christus tantummodò solus est, cui nihil est, quod in omni humano genere non desit,* &c. Pensiculatè quidem Saluianus!

Matth. 25. v. 35. *Christus omnes egestates patitur.* Salu. lib. 4. ad Eccles.

7\. *Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere.* Aspectum opitulantis exigit, non opis spectatores requirit, ne plus oneret subleuando. *Audistis* (ait Chrysologus) *quemadmodum notat eleemosynam in conuentu, in plateis, in triuiis, non impensam ad leuamen pauperum, sed hominum propositam ad fauorem, vt probentur misericordiam vendere, non donare. Fugienda est hypocrisis, fugienda fratres, quæ captiua gloria verecundiam pauperum non releuat, sed fatigat: quæ de gemitu inopis pompam suæ gloriationis inquirit, quæ suam laudem dilatat pauperum ex dolore, quæ de miseria petentis famam suæ ostentationis expandit.* Itaque miseria, quæ auxiliaturi oculos expetit, impensæ opis theatrum refutat; ne verecundiam pauperum, non tam releuet, quàm releuando plus fatiget.

Chrysol. serm. 9. *Publica data eleemosyna, pauperem nõ subleuat sed fatigat.*

8\. *Ita fiet vt nec à te auertatur facies Domini.* Nempè, si tu non auerteris faciem tuam ab vllo paupere, sed piè super egenum & pauperem intellexeris; ita fiet vt nec à te auertatur facies Domini, te de eleemosynæ merito ad summam sensim perfectionem prouehens. Matthæi 19. cuidam adolescenti, qui de Christianâ perfectione interrogauit, sic IESVS respondit: *Si vis perfectus esse, vade, & vende quæ habes & da pauperibus,* Ad quæ Christi verba acutè addubitat Origenes, quo pacto qui largas facit eleemosynas perfectionem assequi dicatur. *Si perfectus est,* inquit, *qui habet omnes virtutes, quo modo fit perfectus, qui vendit omnia sua, & dat pauperibus? Quomodo statim erit sine irâ, sine concupiscentia, suscipiens omnes virtutes, & deponens vniuersam malitiam?* (Nota responsionem tanto auctore dignissimam.) *Non tamen sic vt in ipso tempore, quo tradidit bona sua pauperibus fiat omnino perfectus. Sed in illo die incipiet speculatio Dei adducere eum ad omnes virtutes.* Nempè vbi primùm facultates suas largè pauperibus erogat, *speculatio* Dei eum ad omnes perfectiones adducit. Vel *o speculatio Dei;* actiuè sumitur ex parte eleemosynarij, quâ Deum in paupere speculatur: vel passiuè, quâ Deus eleemosynarium speculatur, & in eum *faciem* suam conuertit. Hæc inquam; post largas eleemosynas, *Dei speculatio; adducet eum ad omnes virtutes.* Quasi practica in pauperes pietas; adducat velut *speculatiuè* omnes virtutes vsque ad perfectionis fastigium. Velut *speculatiuè* inquam (quod emphaticè dictum est), id est, per eleemosynarum compendium ita facilè ad perfectionem itur, ac si perfectio *speculatione* citiùs, quàm virtutum praxi & exercitio cõstaret. *Vel, o osnero alcança tan facilmente la perfeccion, como sinò costara obrar las virtudes, sinoque vastara la especulacion dellas.*

Per eleemosynam velut speculatiuè acquiruntur omnes virtutes, & earum perfectio.

Matth. 19. v. 21. Orig. tract. 8. in Matth.

Quomodo potueris, ita esto misericors. Quod verè præstitit Tobias, de quo cap. 1. dictum est, quòd *omnia quæ habere poterat pauperibus largiebatur,* quasi non tantùm quod habebat, sed quod habere poterat largiretur. Sed quid est, *Quomodo potueris, ita esto misericors?* Anselmus ita hunc locum peregregiè exponit: *Ille est misericors prout potest, qui sibi necessaria retinet, & cætera quibus carere potest, pauperibus elargitur. Qui verò de his tribuit, quæ suo vsui necessaria sunt ille dat secundum id, quod non potest.* Bonus Tobias, qui non modo quantùm poterat, sed vltra id quod poterat; pauperibus largiebatur. 9.

Hic v. 8. *Tobias supra id, quod poterat largiebatur.* Ansel. in c. 2. epist. 2. ad Cor.

Parùm Tobianæ pietati foret, si necessaria sibi retineret, & ex superfluis eleemosynas faceret. 10.
Nam vt in diuites auaros dixit Basilius: *Qui ex his, quæ supersunt offert, ingratus est.* Sententiosè dicitur *ingratus,* qui ex sibi superuacuis opem egenis offert, quasi beneficentior sit pauper erga diuitem, ab eo eleemosynam accipiens; quàm sit in pauperum diues, illam erogando. Quod venustè dixit Chrysostomus ita fatus: *Eleemosyna est quando non putas dare, sed accipere, quando quasi beneficio afficiaris, quando quasi lucrum faciens, non perdens.* Exinde qui ex superfluis duntaxat eleemosynam offert, quodammodo *ingratus* appellatur.

Basil. in diuit. auar. homil. 7. *Qui ex superfluis eleemosynam facit, ingratus dicitur.* Chrysost. apud Iust. hic.

Quomodo potueris, ita esto misericors, ne ob paupertatem augusto beneficentiæ elogio defrauderis. Illud Psalmi, *Scitote quia mirificauit Dominus sanctum suum,* ex Hebræo textu scribitur: *Beneficum,* seu *misericordem,* quasi beneficentia seu misericordia hominem supra humanum fastigium *mirificet. Nihil enim* (ait Nazianzenus) *tam diuinum habet homo, quàm beneficentiam, ac bene de hominibus merendi studium. Licet tibi nullo labore diuinitatem assequi: noli oblatam diuinitatis adipiscenda* 11.

Psalm. 4. v. 4. Naz. orat. 17. *Homo misericors mirificatur vsque ad diuinitatis æmulationem.*

piscendæ occasionem amittere. Ergò ne hâc prærogatiuâ frauderis paupertate oppressus, *Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Quæ verba in sequenti paragrapho enucleamus.

---

§. CLXXV.

Materia præcedentis assumpti, eâdem methodo producitur.

1. Hic v. 9. *Diues est precarius diuitiarum possessor.* Saluian. lib. 1. ad Eccl.

MVlta hactenùs Tobias de beneficentiâ erga pauperes adhortando tradiderat, nec eius beneficæ pietati adhuc satisfit. Exinde pergit, aiens: *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue.* Quasi officium sit diuitum, pauperum misereri, ideoque opes à Deo acceperint, vt eas pauperibus abundanter erogent, reliquis necessitudinibus posthabitis. Saluianus Massiliensis de diuitibus auaris ita scribit: Ad ampliandas (inquit) latissimè opes, compelli se pignorum curâ, & quasi violento filiorum amore causantur, quasi verò quicumque patres sunt, nisi diuites fuerint, patres omnino esse non possint, & amare filios suos, sine opum multiplicatione non valeant. Aut verò virtus & medulla affectuum, auaritia & cupiditates sint. (addit tempestiuè ad rem) *Et nos itaque vsum earum rerum accepimus, quas tenemus: commodatis enim à Deo facultatibus vtimur, & quasi precarij possessores sumus.* Scilicet, si multarum diuitiarum tibi fuerit, abundanter pauperibus tribue; commodatis enim à Deo facultatibus vteris, & quasi earum *precarius possessor* existis. Ideò deprecatus es opes, non vt eas auarè multiplices, aut prodigè in propriis vsibus absumas, sed vt tu *precarius possessor*, precario mendicu *abundanter tribuas*, & beneficum agas locupletem.

2. [illegible] *Supra vires pauperibus [illegible] opertet.*

Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Nam licet vulgo euenire soleat quod dixit S. Paullinus: *Sibi imputet famem, qui pauperis amici forem pulsat, & promptuarium inane scrutatur:* beatissimus autem Tobias, beneficentiæ idea, & pietatis meta, de exiguo exiguum præbendum iubet, vltra vires erga egenos munificus.

Conc. Gangrens. c. v. t. Pissimè Concilij Gangrensis Patres ita decernũt: *Bona opera, quæ supra vires in fratres pauperes exercentur, secundum Ecclesiasticas traditiones beatificamus.* Ecce tibi, hoc Tobiæ dogma in re eleemosynæ à Concilio, communi Patrum consensu, *beatificatur.*

3. *Diues esse debet egentium candidatus.* Hieron. epist. ad Pamm.

Libenter impertiri stude. Nemo enim libenter debet, quod non tam accepit, quàm expressit. Qui ingratè dat, non tam indigentiam subleuat, quàm indigentem fatigat: hilarem enim datorem diligit Deus, diligunt homines, & beneficentiam hilaritate cumulant. Bellissimè à S. Hieronymo appellatur Pammachius, (vir in eleemosynis faciendis opinatissimus) *Munerarius pauperum, & egentium candidatus.* Sicut enim qui dignitates ambit, beneuolentiæ & munerum officiositate, suffragiorum gratiam emit: sic Pammachius erga pauperes se gerebat. Multa paucis compendiauit Hieronymus. O quàm libenter opem egenis porrigit, & hilariter eleemosynam erogat, qui cum eis agit, velut *candidatus*, qui suffragatores exposcit!

Luc. 16. v. 27. Chrysol. serm. 66. S. Chrysologus ita scribit exponens illa verba Diuitis epulonis: *Rogo te vt mittas Lazarum in domum patris mei, ante quam bene iacuit Lazarus, vbi postes tuos suis vlceribus laureauit.*

4. Paullin. epist. 32. *Quàm magnificè eleemosyna muneretur.* Matth. 25. v. 35. & 42. Leo ser. 5. de collectis.

Premium bonum tibi thesaurizas. Nam vt apposítè dixit Paullinus: *Non auaritiæ studio accipere desiderat Deus, sed largitatis affectu. Quid enim non habet, qui omnia dedit?* Vis nosse quàm magnificè esurientis annona, & pauperum stipendia tractentur in cælo: audi Christum dicentem reprobis: *Ite maledicti in ignẽ æternum: esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.* Electus verò: *Venite benedicti: esuriui enim, & dedistis mihi manducare.* Ad quę verba ita fatur S. Leo: *Quasi nec alias virtutes dextri, nec alias offensiones habeant sinistri: sed illo magno summoque Iudicio tanti æstimabitur vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, vt pro plenitudine omnium virtutum, & pro summâ omnium commissorum, & per vnum bonum isti introducantur in regnum, & per vnum malum illi mittantur in ignem æternum. Nemó igitur de vllis sibi bonæ vitæ meritis blãdiatur, si illi defuerint opera charitatis. Hæc virtus omnes facit vtiles esse virtutes, quæ ipsam quoque fidem ex quâ iustus viuit, sui admixtione viuificat.* Eleganter quidem!

5. *Quò plus egenis dones, eò plus donantium superest.* Matth. 15. v. 37. & 38.

Præmium bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. adeò vt opum abundantia, imò & redundantia, pro beneficentię mensurâ taxetur. Matthęi 15. copiosa turba in deserto esurit. Septem panes adsunt, & pisciculi pauci. Et accipiens IESVS septem panes & pisces, fregit, & dedit discipulis suis, & discipuli dederunt populo. *Et comederunt omnes, & saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas. Erant autem qui manducauerunt, quatuor millia hominum.* Quâ super re solerter Chrysostomus perquirit: *Quare minores fuerint reliquiæ in hoc miraculo, quàm in primo, etsi non tot fuerint qui comederunt?* Et sanè

Chrysost. hom. 54. in Matth. Ioann. 6. v. 13.

mitissimum est, quòd quando Ioannis 6. quinque hominum millia cibantur, duodecim cophini fragmentorum superfuerint; cùm verò nunc quatuor millia hominum duntaxat pasti sunt, non duodecim cophini, sed septem sportæ superfuerint. An quia vbi paucioribus egenis subsidium datur, minùs superest? Profectò plus habendi mensura, est plus pauperibus erogasse; nam eleemosyna opum multiplicandarum arbitrium est, quasi opulentius stipendium donandi, sit vberior cumulus recipiendi; & quò quis plus indigentibus præbet, eiusmodi præbitione plus thesaurizat vsque ad exuberantem bonorum cumulum, quem largitas vberior ex opposito taxat.

6. Matth. 25. v. 42. *Eleemosynis subornatur vniuersi iudex.* Basil. Seleu. orat. 26.

Præmium bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. id est, in terribili illa magni iudicij die. Quod egregiè expendit Basilius Seleucus, exponens Christi Dei verba: *Esuriui, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum,* &c. *Quis* (ait Basilius) *nudum sperneret mox futurum iudicem? Quis vniuersi iudicem damnet siti? Nouit Christus pauperum manibus, donisque capi, nouit pro munere longa supplicia remittere.*

7. Hic v. 11. *Eleemosynarius ita ex immũdo mũdus fit, vt possit Christo commisserari.* Act. 10. v. 4. Aug. ser. 26. de diuers.

Quoniam eleemosyna ab omni peccato liberat. Quod interprete Augustino Actorum 10. perspicuè traditur, vbi sub animalium immundorum specie immundior Gentilitas Petro ostenditur: *Surge Petre, occide, & manduca.* Quod cùm Petrus recusaret, confestim audit: *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* Quod de Cornelio iamiam ad Petrum veniente dicebatur: de Cornelio enim prædixerat Angelus: *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Vide quàm sit eleemosyna potens ad

mundandum

mundandum, quod eleganter his verbis edisserit Augustinus: *Quoniam in significatione Petrus personam gestabat Ecclesiæ. Ecclesia corpus CHRISTI est. Respiciat ergo iam mundatas gentes, quibus peccata donata sunt. Vnde miserat ad illum Cornelius gentilis homo, & qui cum illo gentiles erant. Huius eleemosyna accepta mundauerunt eum ad quendam modum, restabat autem vt tanquam cibus mundus incorporaretur.* Sic per eleemosynas, vel immundarum Gentium emaculatur squalor, vt cum Petro & Christo conuiscerari possint. Sat hæc, obuium enim est, & facile parabile, hoc summũ misericordię elogium. Addam tamen ad hanc rem S. Ambrosij verba: *Ita eleemosyna extinguit peccata, sicut aqua baptismi gehennæ extinguit incendium: ergo eleemosyna quodammodo aliud est lauacrum, vt si quis forte post baptismum humana fragilitate deliquerit, supersit ei, vt iterum eleemosyna mundetur. Nisi (quod salua fide dixerim) indulgentior est eleemosyna, quàm lauacrum: lauacrum enim semel datur, & semel veniam pollicetur; eleemosynam autem quoties feceris, toties veniam promereris.* Quod semel Baptismus præstat, identidem eleemosyna promeretur, & impetrat.

Eleemosyna baptismo cõparatur.

Ambr. ser. 31

8. *Quoniam eleemosyna ab omni peccato liberat.* Sed caueat homo diligenter, ne ex præsumptione largioris erga pauperes beneficentiæ, vitia coloret; atque ex antidoto venenum confiet, quod his verbis Nazianzenus grauissimè reprehendit: *Qui modò benignitate pauperes amplectuntur, sibi licere putant molliter ac delicatè viuere: atque ita non virtute vitium sanãt, sed vitium virtute permutant.* Nazianzeno adstipulatur Cæsarius, ita scribens: *Aliquibus homicidis, raptoribus, & adulteris vanam securitatem* (eleemosyna) *ingerit, vt cũ crimina quotidiana committunt, credant quod quotidianis eleemosynis redimant: putantes quod Deus corruptorum more iudicum, pecuniam accipiat, & peccata dimittat.... In pecunia imaginem Imperatoris offert Deo, & in se ipso imaginem Dei tradit Diabolo.*

Ne eleemosynæ fiduciam peccatis faciat.

Naz. orat. 8

Cæsar. hom. 16.

9. *Quoniam eleemosyna a morte liberat.* Pulchrè dixit Chrysostomus: *Vide quanta sit Dei misericordia, temporalem redimere mortem tibi non concessit, sed concessit æternam mortem ne breuem emas vitam hanc, sed vitam illam æternam: illam tibi vendo, non hanc: non illudo tibi, hanc etsi ceperis, ceperis nihil: ego noui quod illa magna est; sed non ita caupones, & sæculares, quæstus sectantes, faciunt: illis enim si liceat illudere, quibus velint, pro magno paruum exhibent, ipse verò non ita: nos autem ita.* Multa inibi in hanc sententiam subdit, planè eleganter.

Chrysost. hom 36 ad popul.
Eleemosyna, cauponum ad instar, magnos vitæ quæstus facit.

10. *Quoniã eleemosyna à morte liberat, & non patietur animãire in tenebras,* quasi eleemosyna à gehennæ incendio liberet, quod acutè Isidorus Pelusiota his verbis edisserit, ita Eusebio scribens: *Patefactis ianuis, ac quæstuum faciendorum rationibus, tu quidem hoc nomine rationes reddes, aliis autem opes aggeris, quibus quemadmodum & tibi plures cruciatus accumulas. Quocirca si tibi cordi est, & illos, & te ipsum igni eximere, multi te Lazari (id est pauperes) circundant: In eos pecuniarum flammam excute: & cum his illic refrigerationem ac solatium consequeris.* Argutè dixit; pecuniarum flammam in pauperes excutiendam, quò gehennæ incendium simul excutias. Et Chrysologus qua solet ingenij & eloquij venustate, ita fatur: *Lot quia hospitio suscepit Angelos, iudicium præuenit, hinc gehennam vicit in carne: misericordem nescit diuinus ignis exurere; faciat ergo misericordem, qui vult gehennæ incendium non timere. Denique veniens Christus ante de misericordia disputat, quam iudicet de reatu, Cùm sederit, inquit, super thronum gloriæ suæ, dicit: Esuriui, & non dedistis mihi manducare. Non dixit: Occidistis, furtum fecistis; sed, Esuriui ego, & non dedistis mihi manducare. De crimine non præstabit causas, cui de misericordia causa constabit. Non iudicabitur de culpa, cui de largitate laus erit à iudice; vindictã non exigit, humanitatis debitum qui fatetur.* Multas hîc sẽtentias moralitatum fertiles addensauit Chrysologus. Ex quibus etiã verbis elucidatur, quod statim Tobias subdit: *Fiducia magna est coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.*

Isidor. Pelus. li. 1 epist. 215
Pecuniarum flamma in pauperes excutienda est.

Chrysol ser. 42

Eleemosynarius non timet gehennæ incendium.

11. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Ad quæ verba ita apud Glossam disserit Augustinus: *Tobias, ait, moriens filium suum ac opera bene monebat: dicebat illi vt daret pauperibus; præcipiebat vt eleemosynas faceret indigentibus, dicens: Fili eleemosyna non sinunt ire in tenebras. Si ei filius responderet: Quid ergo pater, tu eleemosynas non fecisti, vt modo cæcus loquaris? Tu nũc nonne in tenebris es, qui mihi dicis: Eleemosyna non faciunt ire in tenebras? Nouerat ille de qua luce doceret filium; nouerat in interiore homine, quod videbat. Filius patri porrigebat manus, vt ambularet per terram; & pater filio, vt ambularet in cælo.* Pulchrè pariter ac tempestiuè Augustinus. O time, non tam oculorum, quàm morum tenebras!

Glossa ord. ibi.

Tobias in tenebris sedens, dixit, quòd eleemosyna non finit ire in tenebras.

12. *Fiducia magna est eleemosyna omnibus facientibus eam:* nam seuerum lenit iudicium, gehennæ tenebras vitat pecuniarum flammam excutit; & viam parat, ac clarat cœlum Deo opibus eleemosynæ nomine pauperi erogatis, ait Nazianzenus: *Fures non oblectantes, inuidiæ certamen, & temporis corruptionem effugientes.* Et addit: *Mihi vero nullas res perinde admirabiles videtur, vtque compendiaria hæc ad salutem via, facilis in cœlum ascensus.*

Naz. orat. pro pauperibus.
Eleemosyna est compendiaria in cælum via.

§. CLXXVI.

Præsules, qui intentiùs perfectionem amant, è reliquiis ciborum, quos pauperibus erogarunt, aluntur.

2. CÆsarius ad eleemosynas faciendas his verbis diuites adhortatur. Pius & misericors Dominus multis modis occasiones vel opportunitates prouidere dignatur, quibus possumus sine grandi labore ac difficultate, peccata nostra redimere. Nam quos videt pro peccatis suis, ad ieiunandum virtutem non habere, vendere iubet substantiam suam & pauperibus erogare, pauperum inopiam prouidet, & abundantiores fructus tribuit: *vt dum superflua sua pauperibus largiuntur, peccatorum ipsi indulgentiam consequantur. Quid tam plenum ac delegatum: quid tam facile & in promptu positum potest esse, quam de hoc, quod ampliùs quàm opus est, tibi Deus dignatus fuerit dare, eleemosynam dando studeas peccata redimere? Non hoc iubet Deus, vt ea quæ tibi, vel tuis necessaria sunt, debeat*

Cæsar hom. 9

Diues est à Deo delegatus ad eleemosynas pauperibus faciliendas, ex his, quæ à Deo adeptis.

2. Cor. 8. v. 13 *dibeat erogare: De quibus etiam Apostolus dicit: Nō ut aliis sit refrigerium, vobis autē tribulatio, Superflua tua non ille sibi indiget expendere: sed tibi vult in æterna beatitudine conseruare.* Quasi opulentia sit diuitibus *delegata*, vt ex his, quæ sibi superfluunt, pauperum necessitati subueniant. Tantum conniuet Cæsarius diuitum auaritiæ, & sat magnum in suo æuo putauit, tenuem hāc pietatem ab eorum tenacitate extorquere? Plus audet Tobiæ pietas in re eleemosynę. Quo modo potueris, inquit, esto misericors. *Si multum tibi fuerit abūdanter tribue, si exiguum tibi fuerit: etiam exiguum libenter impertiri stude.* Si qui exiguum habet, exiguum egenis impertit, quid illi superest, nisi quod vel de exiguo superfluit? quasi de mendicitatibus suis debeat pauperes alere. O bonus facultatum à Deo acceptarum *delegatum.*

Hic v. 9.

2. Ioannis 6. in vasta eremo pia ac numerosa turba Christum trans mare secuta, lassa inedia laborat. Apostoli suæ necessitatis obliti, serio de aliis reficiendis cum cœlesti Prouisore tractant. Sed quod fidei illis defuit, ad miraculi gloriam erogatur, Christi inopinato iussu quasi quinque millia hominum turmatim discumbunt in terra, dum è cœlo annona expectatur. Quinque illos panes IESVS in manus suas accipit, & ministeriali Apostolorum officio vtens, illos discumbentibus congruè distribuit, & abundanti saturitate refecit, cunctis prodigium stupentibus. *Vt autem impleti sunt, dixit discipulis: Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis.* An non etiam Discipuli famis lassitudine laborabant ventre diu vacuo? Imò acrioti proculdubio vrgentur fame quàm turbæ: nam dum hæ exsatiantur, illi vastis ministrando mēsis nimium laborarunt, & seduli reliquiis iussu Dominico colligendis, hianter æstuabant. Ieiuni relinquentur Discipuli, turbis Magistri sui beneficia pietate refectis? Ergò suspicari liceat, duodecim cophinos fragmentorum duodecim Apostolorum numero respondentes, ad eorum refectionem destinatos, (etsi alia etiam motiua eiusmodi collectionis non desint) vt Apostoli, qui Euangelicæ legis perfectos adumbrant, ex reliquiis ciborum, quos erogauerunt, typicè alantur. Quò forsan adludere videtur Chrysostomus, dum inibi quærens, cur reliquiarum colligendarum ministerium, non iam saturatis turbis, sed ieiunis Apostolis demandarit, respondet: *Quoniam Apostolos magis erudire volebat, qui totius orbis Magistri erant futuri ..... Sed quod eorum eruditionis gratia id fecerit, insequentibus in memoriam hæc verbis reducens, significat: Nondum scitis quot cophinos accepistis? & quod æquali numero discipulis fuerint cophini fragmentorum: aliàs autem cùm non amplius admonendi essent, non duodecim cophini, sed septem sportæ superfuerunt.* O bonam exercendæ pietatis *eruditionem*, Præsulibus, Proceribus, & diuitibus cunctis valdè proficuam! In manus suas accipiant, quod Dei dono venit, sed *delegatum* putent, exindè Apostolorum æmuli, in pauperes ac famelicos escas distribuant fideli & larga manu, & tandem ex his, quæ superauerunt fragmenta, suam reficiant famem, & ex reliquis, quæ ex larga eleemosyna superfluunt, propriis necessitatibus occurrant. Id haud difficulter præstabit, qui cum Cæsario putarit, opimos fructus, & diuitias, non tantùm sibi à Deo ad proprios vsus datas, sed etiam ad egenorum sustentationem sibi *delegatas*. Pauperum etiam census est, quod diues possidet: diues enim non tam cēsus est, quod diues pauper extremè indigus. Diuitiarum dispensator es, & *delegatus* possessor, tibi à Deo erogatur, quod pauperibus eroges; vt eiusmodi piæ erogatione, *delegata* tibi bona, in æterna beatitudine verè possideas.

Ioann. 6. v. 12 & 13.

De his, quæ turbis superfuerunt, Apostoli reficiuntur.

Chrysost. hom 41 in Ioan.

Lucæ 12. Christus Deus hoc paradigmate instruit turbas, & in eis futuros in Ecclesia fideles Hominis cuiusdam diuitis, inquit, vberes fructus ager attulit; & cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos? *Et dixit hoc faciam: Destruam horrea mea, & maiora faciam: & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicā animæ meæ: Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* In hoc errat hic Diues, quod bona putat, & simpliciter bona appellat, quæ sunt indifferētia, & ex bono aut malo vsu, bonitatem aut malitiam fœnerantur. Errat etiā, quia quæ Deus illi donauit, vt sua omninò computat, & prorsus sua auarissimè appellat. O voces furacitatis plenas, & quæ rapacem auaritiam eructant! Tua prorsùs putat, quæ exundant in torcularibus, quæ in scriniis copiosè latent, quæ addensantur in horreis? Audi Basilium re, & nomine magnum elegantèr in præfatis Christi verbis philosophantem: *Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit, &c. Cæterùm, si fatearis ea tibi diuinitus prouenisse, an iniustus est Deus inæqualiter res nobis distribuens? Cur tu abundas, ille verò mendicat, nisi vt tu bonæ dispensationis merita consequaris, ille verò patientiæ brauiis decoretur? At tu nonne spoliator es, quæ dispensanda suscepisti, propria reputando? Est panis famelici quem tu tenes, nudi tunica quam in conclaui conseruas, discalceati calceus qui penes te marcescit, indigentis argentū quod possides inhumatum, quocirca tot iniuriaris, quot dare valeres.* Putauerim, quod aut Basilius de extremè indigentibus loquitur: aut (quod veriùs videtur) Christi Dei verba vniuersaliter dicta, concionatoriè deriuat ad Præsules, qui redituum Ecclesiasticorum *dispensatores* dicuntur; quos qui pauperibus congruè non erogat, sed in horreis inepter accumulat, *spoliator* appellatur, quæ dispensanda suscepit propria reputando; & dicens animæ suæ: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Hic, hic inquam, nō tantùm auarus opum amator est, sed & pauperum *spoliator*: nam dum pauperem relinquit inuestem, nudum vestibus spoliat; (quod fuit præproperum Iobi ænigma) & eum, qui nihil habet, quo debebat habere furacissimè defraudat. Panis enim famelici est, quem tu in horreis altè condis, &c. Quin & diuinæ prouidentiæ contumeliam facit, dum more hominum, pauperum polita putatur, quasi Deus necessaria pauperibus prouidere neglexerit O vtinā omnes Præsules, Apostolis, quibus in fastigio dignitatis successere, in annonæ dispensatione successissent. Hi (vt nuper vidimus) priùs largum librum de Christi Dei manu accepium, sollicitè in famelicos vsque ad satietatem impertiunt benefica manu: & postmodum de ciborum reliquiis, quæ pauperibus superfluunt, se reficiunt. Sat esto, sanctissimis plerumque viris, eiusmodi insinuasse consilium. Parato arripiet, qui intentiùs Christianam perfectionem amplectitur. Et quisquis attentiùs apertis fidei oculis Christū in paupere videt; priùs quàm se, pauperem cibabit, vrbanè & religiosè pius. 3.

Lucæ 12. v. 18 & 19.

Diues, qui pauperem eleemosynis fraudat, spoliator dicitur.

Basil hom 6.

Geneseos

4. Genefeos 47. Ioseph Ægypti Præfectus, patri & fratribus suis dedit possessionem in Ægypto in optimo terræ loco, Ramesses. *Et alebat eos omnemque domum patris, prebens cibaria singulis.* Planè sumptuosum, & operosum nimis erat in tanta annonæ penuria præbere singulis alimenta. Hoc liberalitet pio obsequio antiquas iniurias Iosephus redimit, Christianâ beneuolentiâ præcoquus. Caietanus singulariter exponit, τὸ *singulis* Sic enim ibidem scribit: *Quod dicitur* (de Ioseph) *prebens cibaria singulis, iuxta Hebraum habetur Pane ori paruuli. Et est sensus, quod pauit domum patris sui pane, tanquam dando ori paruulorum.* Cibaria singulis præbuisse dicitur, & *ori paruulorum* duntaxat alimenta suppeditabat? *Singulos* numerosæ familiæ cibasse perhibetur; an non etiã maiores natu, tribuum proceres, & familiarum principes aluit? Bonus Præpositus Ioseph cibãdo *paruulos, singulos* alit. Alij sæpè præpositi, familiæ summates auctoritate magnos, lautè sustentãt paruulorum fame, qua negotiantur delicatiores Procerum cibos: exindè familiæ grandiores adipantur exiguorum esurie. Iosephus verò Superiorum idea, *singulis cibaria prabet, dando ori paruulorum.* Ori paruulorum, tenuium, & infirmorum dumtaxat larga donat cibaria, non quo esuriat paterfamilias, sed quo bonus pater familias erudiatur cibaria, non tam sibi, quàm *ori paruulorum data*, vt paruuli copiosè alantur, & ex alimento, quod paruulis superest, ipse sustentetur. O, non deerit Magnis, si ita præbeant alimenta *ori Paruulorum*, vt ex his, quæ illis supersunt, sustentari exambiãt! O nemini ex totâ familiâ desit, quando Præposito familiæ & eiusdem Summatibus nihil deest. Prouidus paterfamilias, sibi, & totius familiæ *singulis cibaria prabet, dando ori paruulorum.*

Gen. 47. v. 12

Caiet. ibi.

Singulis cibaria prabet qui ea dat ori paruulorum.

§. CLXXVII.

Perfecto viro parum videtur, quicquid adhuc potest recipere augmentum.

1. Q*Vàm angusta innocentia est, ad legem bonum esse? Quàm latius officiorum patet, quàm iuris regula? Quàm multa pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides exigunt? Quæ omnia extra publicas tabulas sunt.* Nil vitiis satis est, nihil ergò virtuti satis sit. In omne pectus cadit consummata virtus, quæ eluctatur humanæ tenuitatis angustias, nec forte se, sed animo metitur, & gratiæ auxilio suffulta, par maximis stabit, & maiora maximis voto suscipiet, & vltra possibilia terminos metatur, ne vllum terminum figat. Non satis bonus est, qui se in bonitate sistit, nec saltem desideriis vlteriora transgreditur. Qui non vltrà procedit, planè repedat, & licèt se propè terminum sistat, ad initium sensim recurrit, lapsu præcipiti. Incipientium in via virtutis est, semper inchoare: aut si hoc modo magis potest sensus exprimi. Non benè putantur viuere, qui semper viuere incipiunt. Si hoc iudicas mirum, adiiciam quod magis admireris: Quidam ante viuere desierunt, quàm inciperent: alij contrà, postquam diù perfectè vixerunt, quasi tunc perfectionis vitam inchoarent, quotidie benè viuere incipiunt; & consummatæ retrò virtutis obliti, vlteriora ardenter anhelant, inexhausta perfectionis siti; cui nunquam satis est, quasi sitim perfectionis cum ipsa perfectione biberint. *De bono opere nihil nimis est*, dixit appositè Saluianus. Quod videre est hîc in Tobia, qui velut piâ virtutis pertinaciâ, etiam in egestate suprà quàm potest, beneficus fuit, & beneficentiam filio largiùs persuadet.

Seneca lib. 2 de Ira c. 27.

Nil vitiis satis est, nil ergo virtuti satis sit.

Saluian lib 4 ad Eccles. Hic vers. 9

2. Matthæi 5. in magnâ illâ concione, quam in monte velut in orbis theatro, Christus Deus habuit, & de cœlo allatam Euangelij politiam descripsit; inter alia virtutis documenta, hoc sublimissimum dedit, tanquam perfectionis clausulam: *Estote ergo vos perfecti, sicut, & Pater vester cœlestis perfectus est.* Poterit-ne humana tenuitas id assequi? Homo ne quantumuis annitatur, eualeat esse perfectus, sicut Deus? *Ecce* (ait Anselmus) *ad quod culmen prouehit suos. Estote perfecti, sicut, & pater vester cœlestis perfectus est, imitatione, non æqualitate. Tota Trinitas hic intelligitur per Patrem.* Quid frustra conetur homo assequi, quod consequi impossibile est. Fastus humanitatis foret, Diuinitatis perfectionem æmulari, irrito expressionis conatu. Quare ad hoc perfectionis culmen, nec votis possibile, piger homo humanitatis mole grauatus ascẽdere præsumat. Scilicet nil consummatæ virtutis satis est: sicut enim vitia neque terminum neque modum habent, ita perfectio finitum terminum, quem non transilire conetur, ignorat. Audiendus est Emissenus sic de suo Maximo, perfecta morum idea fatus: *Quanto amplius* (inquit) *de ipso sapientiæ fonte libasset, tanto ardentius æstuabat. Habet enim hanc vim dulcedo cœlestium pulchritudinum, vt quanto intentiùs quæritur, tanto intentiùs desideretur. Ingerunt de cupiditate appetitum, & non faciunt de satietate fastidium.* Et continuò his verbis Sanctissimum virum inducit secum colloquentem: *O fragilitas humana, exiguum est quicquid agis propter spem æternorum. Quantalibet acquisieris, non desistas, quia adhuc superest, quod requiras, ac totum ei videbatur parum, quicquid adhuc recipiebat augmentum.* O descriptos in Maximo gratiæ mores! *Totum ei videbatur parum, quicquid adhuc recipiebat augmentum.* Totum est, & augmentum recipit. Non est totum desideriis, quod finitum est, vltra quod vel imaginatio phantasiati potest progressum; quem homo non cum sua tenuitate, aut rei possibilitate, sed cum auiditatis voto metitur. Quæ retrò sunt sapienti obliuione dedidicit, & ad anteriora se ipsum intentius *extendit*, & quanto plus in virtutis stadio laborauit, ac si in lusorio versatus fuisset, tanto plus æstuat vel vltra metas cursum contendere. *Totum ei videbatur parum quicquid adhuc recipiebat augmentum*, & quantumlibet acquisierat, minimè tamen desistebat, quia adhuc supererat, quod requireret, incitans de cupiditate appetitum, & de voto possibilitatem attendens, pia meritorum auaritiâ, & religiosâ ambitione merendi. Inde Christus Deus Christianæ perfectionis vota, intra possibilitatis terminos non metatur, sed vltra vastius dilatat, aiens: *Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est*: vt cuique Sanctorum, totum etiam videatur parùm, quicquid adhuc potest incrementum recipere.

Matth. 5 v. 48.

Ansel Laud. ibi.

Sanctissimo viro totum videri potest parum, quicquid adhuc potest incrementum recipere.

Emiss hom. de Maxim.

3. Genefeos 12. Abrahami vocatio, moralitatum fœcundè grauida, his verbis à Mose denarratur. *Dixit autem Dominus ad Abraham: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris*

Gen. 12 v. 1

Abrahamo Deus metam celat, vt cursum contendat, ne perfectionem metari videatur.

tui; & veni in terram, quam monstrabo tibi. Familiariũ vinculis exemptus ades mihi, cognationes abrumpe, à natiuo solo secede, secede à patre, & patriâ, vince naturæ vires, ac retinacula, cùm ad virtutem intêriùs exerceris. Sed quid est, quòd dum terminus à quo exeundum illi est, explicatiùs exponit, imò & difficultates exeũdi particulatim exaggerat, dicendo: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui; cùm terminum, ad quem eundum illi erat, exponere debuisset, illũ designare prorsùs negligit, & silentio occultat. Bene est, egrediatur Abraham de Vr Chaldæorum, & paternam domum audacter deserat; quò iturus est, cur illi minimè denunciatur? Versus quam mundi plagam iter suum dirigat, qui quò iturus sit prorsùs ignorat? Puto, qui sic de domo sua egreditur, non it, sed errat, & nesciens quò vadat, vagus & profugus quoquouersùs deuiabit. O gratiæ sacramenta, & actuosa Perfectorum opera, graphicè in Abrahami vocatione adumbrata! Peregregiè Basilius Seleucus: (aliàs à nobis ad aliud lemma expensus.) *Veni in terram, quam monstrabo tibi. Locum occultat, vt animi constantiam exerceat; metam celat, vt cursum contendat.* Nempè in alta Abrahami vocatione, ab impia Chaldææ vrbe ad terram promissionis, (in qua Sanctorum ad perfectionis fastigium, typus figuratur) cursus sui meta Abrahamo non proponitur, ne qui illum sic magnificè vocat perfectionem metari videatur. Nulla igitur acquirendæ virtutis meta, immetata est res Christianæ perfectionis: quantumlibet virtutis perfectionem acquisieris, non te sistas, quia adhuc superest, quod requiras: totum tibi videatur parùm, quicquid adhuc potest recipere augmentum. *Abrahamo Deus metam celat, vt cursum contendat*; ac cursum semper contendit, quia nullam videt perfectionis metam, vltra quam se posse longiùs progredi non consideret. Consummata hominum virtus, adhuc vlteriùs consummari potest; vltra perfectionem adhuc perfectio stat, & immetatis terminis dilatatur. Nil virtuti satis est. Viro eximiè perfecto totum videbitur parum, si adhuc potest recipere augmentum. Inde Deus Abrahamo *metam celat, vt cursum contendat.* Pulchrè quidem Basilius.

Basil. orat 7.

4. Matthæi 26. iam iam imminente acerbissimæ Passionis articulo, Patrem Deum sic Christus intentiùs precatur: Pater mi, si possibile est transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et iterùm secundò abiit, & orauit explicatiùs, dicens: *Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Nõ morabor hîc scholasticæ disciplinæ doctores, an moriẽdi necessitas obuenerit Christo ex diuino præcepto, cuius dispensationem nõ poposcit; an ex Dei efficaci decreto, quod infallibilẽ induxit moriẽdi necessitatem. Sat nunc esto ad exemplarem morum eruditionem, descriptum esse in Euangelio, quod Christus vltrò suscepit Passionis calicem, si ab eo transire non poterat, quin illum biberet: *Pater mi*, inquiens, *si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Vbi spontanea suscipientis voluntas necessitatem traduxit ad pietatem. Audiendus est Chrysologus, qui agens de bono Latrone, (qui voluntaria necessarij supplicij susceptione, quod cœpit in Latrone, consummauit in martyre) hac finit eleganti clausula ad morum eruditionem: *Et nos qui de voluntate meritum non quæsiuimus, acquiramus vel de necessitate virtutem.* Impossibile forsan videbitur, quod in necessitatis officina meritum excudatur: nam meriti census libertate perficitur. At euangelicus latro, qui quod necesse erat pati, vltrò passus est in cruce tam spontiua rapuit veniam, in morte inuasit vitam, in patibulo effregit paradisum, penetrauit ad regnum: & qui de voluntate meritum hactenus non quæsiuit, acquisiuit vel de necessitate virtutem. Parùm est viro perfecto, ad ea quæ potest manum extendere, nisi se etiam extendat ad ea; quæ coactus nequit euitare, quo *acquirat vel de necessitate, virtutem* dũ vltrò accipit, quod necesse est acceptare. O pia velut virtutis fraus, quæ, quod necessitati non subtrahit, libertati tribuit, & toleratu necessarium, facit susceptione liberum, ad immetatum virtutis auctarium. Inde meritorum auarus Latro commorientem sibi Christum æmulatus, *acquirit vel de necessitate virtutem*, vt de necessitate etiam meritum exaggeret: quia *totum ei videbatur parum, quicquid adhuc recipiebat augmentum.*

Matth. 26. v. 42.

Bonus latro acquisiuit vel de necessitate virtutem. Chrysol. ser. 167.

§. CLXXVIII.

Humanis mortalium necessitatibus quodammodo debet Deus augustissima sua beneficentiæ nomina.

NIl miremur eorum ad quæ nati sumus. Ad toleranti æ legem animus noster aptandus est, hanc sequatur, huic pareat, & quæcumque sibi aduersa fiunt, expedire vt fiant, putet, nec velit obiurgare naturam. Optimum est pati, quod emendare non possis, & Deum (quo auctore aut permissore cũcta proueniunt) sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui Imperatorem gemens sequitur. Quare impigri & alacres excipiamus imperia; nec desinamus in patientiæ castris diuinæ gloriæ militare. *Duc me parens*, (ait Cleanthes) *celsique dominator poli, quocumque placuit nulla parendi mora est. Adsum impiger. Fac nolle, comitabor gemens, malusque patiar, quod pati licuit bono.* Hic est magnus animus, qui se Deo tradidit, qui diuinæ prouidentiæ non obluctatur, nec de humanis miseriis, & necessitatibus homini cognatis, male existimat; nec emendare mauult Deum, quàm se. Hic, hic inquam, æquus rerum arbiter est, & diuinioris prouidentiæ sequester; benè scius de mendicitatibus suis Deum honorare, & de sua inopia, Dei opulentiam adstruere; dum multiiuga, anxia, & calamitosa hominis necessitas, augustiora Dei attributa ex occasione publicet; quæ fors diu apud nos laterent incognita, nisi humanis necessitatibus opitulando proderentur. (Hinc Tobiæ *necessitas*, diuinioris beneficentiæ *thesauros* gloriosè publicat, & opportuniorem Dei opem miseris exprõptã euulgat, magno diuinæ gloriæ auctario.) Exhodi 6. Hebræus populus ab Ægyptiis perdiu opprimitur. Mittit Deus Moysen, qui, sicut Patriarchis promiserat, & Hebræos à seruitute educat, & inducat in terrã promissionis. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente, *Et nomen meum Adonai non indicaui eis.* Notũ est nomen *Adonai* hîc subrogari pro ineffabili nomine *Iehoua*, quod Tetragrãmaton nuncupatur. Grande verò dissidium est apud Commentatores,

1\.

Bonus vir se, potiùs quàm Dei prouidentiam emendare curat. Apud Senec. epist. 108.

Cùm subuenit Deus oppressis, tunc assumit arcanum Iehoua nomen. Hic vers. 10. Exhod. 6. v. 3 Hugo Vict. ibi.

mentatores, quo pacto hoc nomen nunc recens indicauerit. Hugo Victorinus sic rem exponit: *Nomen meum Adonaï non indicaui eis, quod modo indicabo dans terram promissionis Filiis Israel.* An proprium, & maximè suum *Iehoua* nomen abscondit Deus quovsque promissa adimpleat? Sic promittendi bonum velut erubescit Deus, vt magnum suum nomen dissimulet? dum promissa adimplere cunctatur? An cùm promissa tandem adimplet, & se beneficentiorem ostentat filiis Israël, illos ab Ægyptiaca oppressione ad terrã promissionis educens; tunc, tunc maximè assumit, & publicat magnum nomen *Iehoua*, quod arcanum suum esse (vt vt potest homo capere) significat? Scilicet cùm dirè oppressis Israëlitis piè subuenit Deus, tunc assumit, publicat nomen *Iehoua* ineffabili, & arcana appellatione, quam, ob miserrimam Hebræorum oppressionem, à benefica ope oppressis exhibita, arcanè fœneratur.

2\. Iudith 9. Holoferniana obsidione dirè Bethulia cingitur, immites Hebræis strages insolenter potens hostis minitatur. Præsidiarij milites pauent imbecilla mulierum, & puerorum plebs vel ad tanti periculi rumores palpitat, *Insuper etiam fames inuasit eos, & ab ariditate aquæ iam inter mortuos computantur.* Vbique timor, vbique horror, vbique pallor, & tristissima mortis imago. Tunc Iuditha fœminam exuens, & virile pectus è cælo induens, vt tot populi sui ærumnis succurrat, & tantæ Bethuliensium necessitati opem ferat, Deũ anxiè supplicat, vt sicut suum olim populum extremè afflictum, & vndique coarctatum, Pharaonis naufragio liberauit, sic nunc è tanto periculo eruat. Sic fiant, ait, & isti, Domine, qui confidunt in multitudine sua, & in curribus suis, & in lãceis suis gloriantur, *Et nesciunt quia tu ipse es Deus noster, qui conteris bella ab initio, & Dominus nomen est tibi.* Duo allegat Iuditha in hoc vers. vt à tanto periculo liberationem extorqueat: alterum à simili calamitate olim à Deo liberatos: alterum quòd *Dominus nomen est illi.* Verùm cùm Hebraïca exemplaria non suppetant, ambiguum est, an pro τὸ *Dominus*, scriptum sit *Sabaoth*, id est, Dominus exercituum, an *Adonaï* (Græcè κύριος habetur) quod inibi putabam verosimilius, id est, Dominus generatim. Addo, cùm adspectu ad Hebræum populum, cui Deus specialiter dominabatur, seu principabatur. Nam cùm specialem prouidentiam illius nominis titulo expetat erga suum populum contra alios aduersus illum pugnantes, aliquale subueniendi debitum ex augusto *Domini* vocabulo Iuditha mutuari videtur. Sicut enim dicitur Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob sic etiam specialis *Dominus* illius populi denotatur. Quasi dicat: Opitulare huic tuo populo, nam speciale *Domini* nomen, apud homines sublimissimum quodammodo illi debes, *Dominus nomen est* tibi. Perbenè Arnobius ita de Diis Gentiũ fatur: *Vncti onibus superest Vnxia, cingulorum Cinxia replicationi; Victa, & Potua Sanctissimæ, victui potuique procurant. O egregia nominum, & singularis interpretatio potestatum! Nisi postes virorum adipali vnguine oblinerentur a sponsis; nisi virginalia vincula iam feruentes dissoluerent*, (nota attentius quæ subiicit) *nisi potarent, & manderent homines, Dij nomina non haberent.* Scilicet Deus (vt par diuinitati est) sibi sufficit, nullius indiget, se contentus, & summè beatus: nullius autem rei indigus, nihil ab hominibus potest emendicare, cùm omnia in se, & à se habeat. Ast humanis mortalium necessitatibus, saltem nomina debet, & ab esurie, & siti honorum vocabuli elogiũ fœnerat. *Nisi potarent, & manderent homines, Dij nomina non haberent.* Quia Victa, & Potua, victui potuique procurãt, ne homo fame arescat, & siti æstuet; exinde Gentium Numina præluctria nomina mutuantur. Rem deitatis nulli debet Deus, sublime autem Pietatis nomen ærumnosis hominũ necessitatibus debet Deus à se est, & sine Deo homo non esset; at nisi calamitosis indigentiis homo premeretur, Deus tot augusta nomina apud homines nota, non haberet. Homo naturam Deo debet, hominis necessitatibus quodãmodo nomẽ debet Deus. Hoc nominis debitum Iuditha allegat, vt diuinam opem extorqueat, aiens: *Et Dominus nomen est tibi.* Quasi dicat: Non humanis sublimitatibus, sed necessitatibus, sublime *Domini* vocabulum debes. Quod de Diis Gentium illudendo Arnobius dixit, excellum *Dominus* nomen commendando Iuditha prædicat.

3\. Iosue 7. Hierichuntina vrbe debellata, manus conserit Israël cum Regis Haï phalangibus, & ob Achani impie furacem culpam, malè cocisus Hebræus populus, terga vertit. Et dixit Iosue: Heu Domine Deus, quid voluisti traducere populum istum Iordanem flumium, vt traderes nos in manus Amorrhæi, & perderes? Mi Domine Deus quid dicam, videns Israël hostibus tuis terga vertentem? Audient Chananæi, & omnes habitatores Terræ, & pariter conglobati circumdabunt, nos, atque delebunt nomen nostrum de terra, *& quid facies magno nomini tuo?* Interrogatio in hoc loco (vt aliàs persæpe) vim habet negationis. Quasi dicat Iosue Domino: Quamuimus nos imminente iam calamitate funditus deleamur, nullo tuæ diuinitatis detrimento id accidet? quippe qui tibi sufficiens es, & nullius rei creatæ indigus: at si populus tuus nunc perit, (cui tu adhuc superstes maneas) saltem magnum nomen tuum simul pereat, necesse est, ergo nobis pereuntibus, *quid facies magno nomini tuo?* fateor, peccauimus, veniam præbe, imbecillibus manum porrige, periit us, ope subuenit, velut damnati deputamur, victrice redemptione subuenit, extrema auxilij necessitate angimur, augusta tua nomina tibi vindica, ne si vacare potentiu, simul nobiscum perire videãtur. Argute Tertullianus sic de imbecillitate humanę carnis ad pectu ad Deum fatur: *Ausim dicere, si hæc* (nempe esse *infirm m, imbecillam, perditam, peccatricem, damnatam*) *carni non accidissent, benignitas, gratia, misericordia, & omnis Dei vis beneficavacuisset.* Scilicet humana necessitas non afferit hæc Dei attributa Deo indiuidua, sed præfulsit Benignitatis, & Misericordiæ vocabulũ: vnde, si abest humanæ necessitatis opportunitas, vacabit apud homines augustũ diuinæ Pietatis vocabulum, quod occasione humanæ indigẽtiæ publicatur. Quasi dicat: Imbecillitati nostræ tanta nunc calamitate oppressæ debes, vt magnũ Benignitatis nomen tibi facias, & iam olim factum adserues: nam si nobis in tanta necessitate cõstitutis auxiliari negligis, augustũ Pij nomen, vnde apud homines vindicabis? Exinde, si nobis non subuenis, *quid facies magno nomini tuo.* De imbecillitate & indigentia nostra tibi magnum nomen facimus quo etiam titulo opem expostimus, vt de mendicitatibus hominum, præcelsum Pietatis vocabulum mutueris. Rem Pietatis à te habes, sed Pij nomen humanis necessitatibus debes: nam si homo non foret infirmus, indigus, imbecillus, damnatus,

Margin notes: Iudith 9. v 10 — *Humanis necessitatibus angusta nomina debet Deus.* — In Iudith 9. n.122. — Arnob. lib. 3 ad Gent. — Iosuë 7 v.9. — *Deficiente hominum miseria, velut deficeret in Deo magnum Beneficentiæ nomen.* — Tertul. lib de Resurr Carn. c.9.

& perditus, *Benignitas, gratia, misericordia, & omnis Dei vis benefica vacuisset*, nomine, non re. Appositè Tertullianus, alibi ad aliã thesim expensus.

4 Genesis 21. in solitudine inuia errat cũ filiolo exul Agar, & prærdenti oppido siti puerulus exæstuat, ac penè deficit. Mœstissima mater desperata iam Ismaëlis vita, subter vnam arborem abiecit eum, dicens: Non videbo morientem puerum, & sedens cõtra leuauit vocem suam, & fleuit. Apparuitque ei Angelus Domini, & bono animo esse iubens, ait: *Surge, tolle puerum, & tene manum illius, quia in gentem magnam faciam eum* Cardinalis Caietanus pro τὸ *Tene manum illius*, ita scribit ad lemma præsens opportunè: *Iuxta Hebraum habetur: Fac inualescere manum tuam in eo.* Lassatis manibus ex toto corpore deficiens Agar, vbi casuro manũ porrigit, eius *manus inualescere* dicitur; Nimirùm manus dum opem, & auxilium nõ fert, lassa, & imbecilla habetur, cùm verò alteri manũ porrigit, & à miseria subleuare connititur, tũc *inualescit*, & roboratur. Miserẽdo eualebis, ad quod langues dum non misereris. Vires, quas nõ habes, miserando impende, vt eas ad piè impendendum arcanè recuperes. O pietas, suprà vires actuosa, vltra possibile audax! Ecce tibi Agaris manus, quæ dum casuro, misero, & perituro manum porrigit, derepentè *inualescit*, quasi ab ope iam iam præstãda vigorem mutuetur. Languori alieno debet benefica manus, quod robustè *inualescat*, aut *inualescere* putetur? de aliena infirmitate, opitulantis manus firmitas *inualescere* dicitur. *Tolle manum illius*, hoc est, *Fac inualescere manum tuam in eo.* Ausim dicere, si infirmitas, miseria, egestas, & ærumna homini abfuissent; benignitas, gratia, misericordia, & omnis vis benefica quodammodo vacuisset.

Gen.21.v.18

Caiet ibi.

Manus tametsi lassa, dum alijs fert opē, validè inualescit.

§. CLXXIX.

Noctis tenebræ quæ abditè terrena abscondunt, cœlestia perspicaciùs manifestant.

1. LVscitiosi oculi sunt, qui lenem reformidant: cæci qui non vident. Cæcum dices eum, qui ad res mundiales, terræ inquam, gloriam, & mundi delicias, lynceos habet oculos, & prorsùs caligat ad diuina; quæ aut ignave non capit, aut pauidè reformidat. Luscus videtur, & cæcus est: nam cæcitatis duæ species sunt; aut; non videre quod est, aut quod est minimè videre. Ergò qui mentitam mundi gloriam videt, non minus cæcus est, ac qui cæcutit ad cœlestia, quæ verè bona sunt, ac solidè animum implent. Nec tu putes, quòd qui humanam gloriam videt, non cæcus, sed oculatus sit; tanquam ea res cæcitatem excusset, quæ facit. An non Heli Sacerdos erat cæcus, & simul de illo dicitur: *Oculi eius caligauerunt, nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur*? diurna, inquam, mundi luce. Nempè ad mundialem lucem non cæcus, ad videndã Dei lucernam antequam extingueretur, cæcutire dicitur. Profectò qui cœlestia non videt, etsi peruideat terrena, cæcus est. Qui autem ad terrenam gloriam (quæ pro libidine bonitatem mentitur, & terrestrem gratiam affectu colorat) cæcus est, si oculatus sit ad cœlestia; cæcus non est, sed clariorem habet aspectũ, & perspicaciores oculos, quo minus de mundo videt, & magis ad terrena cæcutit. O Tobias cæcè oculatissimus, qui ad terrena caligans, ad cœlestia acutè perspicax inuenitur; cæcitatis collyrio arcanè inoculatus! Cæcus ipse erat, & tamen audenter adseuerat, id habere pietatis priuilegio, ne anima eius in tenebris vnquam fit.

Cæcus est, qui inuisis cœlestibus, terrena videt.

1.Reg 3. v.2 & 3. Ita in multis codicibus legitur.

Hic v 10.

Geneseos 1. in mundi primordio cœlos primùm fabricat Deus, mox terram fundat: sed adhuc nobiles creaturæ de se aspectabiles, sine lucis nitore inuisæ squallent. Tunc dixit Deus: Fiat lux, (lucis nomine Solem designari, multorum sententia est.) Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona, & diuisit lucem à tenebris. Appellauitque lucem Diem, & tenebras Noctem: *factumque est vespere, & mane, dies vnus.* Adsimiliter scribitur de secunda die, qua Firmamenti interstitio aquæ superæ ab inferis secernuntur: & in terra, qua terra herbis, & arboribus vestitur. Et die quarta præsertim, & exinceps perpetuò, in quibus cœlum sidereo splendore micantius nitet. Tunc etiam eadem vox propriùs resonat: *Et factum est vespere, & mane dies quartus*, &c. Hinc pulchra oritur quæstio, olim, & nunc celebris, quare mũdi dies inchoẽntur à vespere, seu nocte, & non potius à clara die, quæ spectatores inoculat? Perelegans mundi opificium Deus luce manifestare intendit, & à tenebrosa nocte, Solem creans in opposito hemisphærio, diem auspicatur? An non præstaret diei auspicium à clara luce sumere, quàm à cæca noctis caligine. Obcæcare mundum intendit Deus, an potius cæcitate depulsa, mundum inoculare ad præclaram mundi visionem. Imò quoniam non obcæcare, sed inoculare spectatores voluit, à tenebrarum nocte, non à mundiali luce diem inchoat. Audiendus est Philo Hebræus, qui hac super re ita eloquenter fatur: *Non ne vides*, inquit, *Solem ipsum aliud orientem, aliud occidentem efficere? post exortum eius illustrantur in terris omnia, in cœlo vero celantur, è diuerso post eius occasum sidera quidem promicant, terrestria verò cuncta obteguntur umbris superuenientibus. Ad eundem modum res nostræ se habent.* Nempè dum Sol oritur, & hemisphærium nostrum perlustrat, diem faciens, splendoribus suis terrestria omnia manifestat, cœlestia verò occultat: è diuerso autem cum Sol occidit, & de sui absentia noctem facit, tunc cuncta obteguntur terrestria, & *superuenientibus tenebris*, cœlestia promicant, & aspectabilia apparent: quasi superueniens terris caligo, illustret cœlestia & hominum oculos ad eorum visionem accẽdat. O bonas vesperæ, seu noctis tenebras, quæ oculos ad videndam mundi vanitatem obcæcant, & eos illuminãt ad cœlestia explicatius, & illustrius peruidenda! Quemadmodum mundi lux terrena ostendit, & inanem falsatamque terrestrium gloriam illustrem facit: sic mundi tenebræ dum vesperam, seu noctem efficiunt, non obcæcant hominum oculos, sed eos exacuunt; & sic cælestia illustrant, vt ea conspicuè aspectabilia reddant, cæcæ caliginis lenocinio. Itaque mundialis lux, quæ falsatam, & mentitam terræ gloriam gratè visibilem facit, cælum, remque cæli obtegit, & inuisam facit: è contrario autem vesperæ, seu noctis caligo: tanquam tenebrarum collyrio sic humanos oculos illustrat, vt & ad terræ vanitatem perspicaciter cæcos faciat, & ad cælestia lynceos reddat. O bonas tenebras, quæ rerum cælestium visum excitant!

2.

Gen.1.v.19

Tenebris superuenientibus, cœlesti apparent.

Philo lib de Somn.

Zacharias

3. Zach.12.v.10 Zacharias Propheta cap. 12. præsaga mente Christum Deum in dira cruce acerbè patibulatũ, sic ad Iudæos loquentem inducit: *Effundam super domum David, & super habitantes Ierusalem spiritum gratiæ, & precum, & aspicient ad me, quem confixerunt*, & plangent eum planctu quasi super vnigenitum. Benè quidem in ipsa meridiana luce cruci affigitur Christus, vt dum Iudæi, à quibus crucifixus est, in eum *aspiciunt*, patenter agnoscãt, tot olim figuris præsignari, tot Prophetarum oraculis exprimi, & tot hactenus miraculis verè Deum comprobari. Sed quid est, quod Sol *aspicientibus* Iudæis occidit in meridie? sic enim Euangelista denarrat: *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam.* O intempestiuas mundi tenebras! Dum Iudæi *aspiciunt in eum, quem confixerunt*, tunc Sol obscurè funestatur, & prodigiosam noctem in meridie reddit: Dum Christus, cœli decus, & diuinitatis honor, *aspiciendus* erat in cruce, & inde Messias agnoscendus, tunc obscuris tenebris mundus cœcatur? cùm mundi Sol splendidioribus radiis prænitere debuisset, tunc vel ordinariam lucem spectatoribus negat? Vel Sol ipse aduersus creatorem suum in Passione rebellat, ne lucis suffragio, occulta Christi diuinitas, & cœlestis gazæ munificentia, ab *aspicientibus* cognoscatur? Imò verò ipsa tunc meridies prodigiosè obtenebratur vt dum tenebræ terrestria occultant, cœlestia, quę in cruce peraguntur Sacramenta, tenebrarum ope clarentur. Eleganter Sanctus Leo re, & nomine Magnus, hac de re fatur: *Adiicitur*, inquit, *ad confirmationem spei nostræ, totius attestatio creaturæ. Emittente spiritum Christo omnia elementa tremuerunt. Densis tenebris splendor Solis obductus, extraordinariè nocti subdidit diem..... In vos ergo Iudæi cœlum, & terra sententiam tulit, vobis Sol virtutem suam diemque subtraxit, & recedente à legibus suis ministerio creaturæ, vestra obcœcatio, vestra est significata confusio.* Scilicet tunc, tunc quidem maximè, Iudæorum est significata obcœcatio, cùm *aspicientibus* Iudæis cœlestia, quæ in cruce peraguntur Sacramenta, in meridie Sol obscuratur, & densis tenebris terrena cœcè abscondit, & cœlestia micantius manifestat. O cœcitate obstinata caligantes Iudæorum oculos! Esto, *aspicientes* in eum, quem ipsa lucis meridie confixistis, non agnoscatis (dies enim terrena pandit, & occultat cœlestia) ast cum *densis tenebris Solis obductus, extraordinariè nocti subdit diem in vos cœlum, & terra sententiam tulit, & vestra obcœcatio, vestra est significata confusio*, quandoquidem cœcitatis exaggeratio est, quod noctis tenebræ, cœlestia non pandant, nec reseratius manifestent. Quanquam meridiei lux, *aspicientium* præstrinxerit oculos, ne tunc cœli œconomiam, Messiam inquam, cœlitus promissum, agnoscerent, sed cum in meridie prodigiosa nox mundo acciderit; cœcitatis obstinatæ hyperbole est, quod tunc Iudæi ad terrena perspicaces, cœlestia, ad quæ *aspiciebant*, cœcis oculis agnouerint. Luculenter sanè S. Leo. Sic mundiales tenebræ cœlestium cognitioni lenocinantur; Oculatior ad terrena, cœcus est ad cœlestia. O, ad terram, resque terræ, esto benè cœcus, vt sis benè perspicax ad cœlestia!

Iudæis Sol occidit in meridie, vt cœlestia perspicaciùs videant.

Matth.27. v. 45

Leo serm.1. de Passion.

P. Didac. de Celada in Tobiam.

§. CLXXX.

Vrbs aquarum obsessa, siti perit: Sic rerum mundialium vberior copia, egenæ penuriæ auarè insidiatur.

1. Simplici cura constant necessaria, in delicias laboratur. Non fuit tam inimica natura, vt cùm omnibus aliis animalibus facilem, ac tutam vitam daret, homo solus non posset sine tanta rerum, & opinionum supellectili viuere. Nihil horum ab illa nobis imperatum est, nil ęgrè quęrendum vt possit vita produci. Ad parata nati sumus, nos omnia nobis difficilia facilium fastidio facimus. Tecta, tegumentaque, & fomenta corporum, & quæ nunc ingens negotium facta sunt, obuia erant, & gratuita, & opera leui parabilia. Modus enim omnium prout postulabat necessitas erat: nos ista pretiosa, nos mira, nos magnis multisque conquirenda artibus, fecimus. Sufficit ad id natura quod poscit. A natura lasciuiens abundantia desciuit: quæ quotidie se ipsam incitat, & tot sæculis crescit, ingeniòque adiuuat vitia. Primò superuacua cœpit concupiscere, inde contraria, nouissimè corpori animam addixit, & illius deseruire libidini iussit, mentita vberioris abundantiæ spe. O, quid superuacua opulentè paras, nequid vnquam desit? deerit, quò magis paraueris, & de abundantia esuries. Sic est fallaciter egena, abundantia rerum mundialium paratura, vt quod diu vberius parasti, in necessitatis articulo opulentius indigeas. O falsata bona, quæ spem, non pectus implent, & fugitiuo mendacio, in occasione indigentiæ, fraudatis auxilij spebus, infeliciter euanescunt.

Ad parata nati sumus nos, ad supervacua kis mus.

2. 2. Regum 11. Ioabus Israëlis ductatur strenuus, obsidione pertinaciter pugnacissima, diu cinxerat regiam Ammonitarum vrbem. Igitur pugnabat Ioab contra Rabbath filiorum Ammon, & expugnabat vrbem regiam. *Misitque Ioab nuncios ad David, dicens: Dimicaui aduersum Rabbath, & capienda est Vrbs aquarum. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside ciuitatem, & cape eam: ne, cùm à me vastata fuerit vrbs, nomini meo adscribatur victoria.* Pulchra hinc oritur quæstiuncula, quare præfata vrbs, cum oppugnatur à Ioab, dicitur Rabbath, ciuitas regia: cùm verò deuastanda erat, *Vrbs aquarum* nominatur? (eandem quippe esse ciuitatem, Rabbath, & Vrbem aquarum, & regiam vrbem, notanter docuit Abulensis, magno interpretum cõsensu.) Imò & vnde potuit Ioabus certò agnoscere, iam propè esse vt caperetur Vrbs quam Ammonitarum Rex cum valido exercitu propugnabat? Opportunè ad rem tradit Iosephus ad quem statum vrbs esset redacta, cum à Ioab litteræ venerunt ad Dauidem: ait enim, intercluso commeatu obsessos laborare fame, & præcisis tubis, & canalibus, per quos aquæ in ciuitatem influebant, omnia commoda ad vitæ necessaria deficere. Itavt aquis alio detortis, vnus tantum in vrbe superesset puteus, à quo obsessorum spes tota penderet, cumque aqua ibi esset angusta, sic dispensabatur parcè, vt sitim non expleret. Vnde vero id sumpserit Iosephus non cõstat, forsan (ait ibi Sanctius) ea erat Iudæorum traditio. Et addit: *Nisi dicamus id ex eo conie-*

2 Reg 11. v. 17. & 18.

Abul. q.17 in lib 2. Reg c. 11.

Ioseph. lib.7 Antiq. cap 7 prope finem.

Vrbs aquarum siti perit, inde fallaria rerum mundialium spes eruditur.

Sanct ibi n. 56

ctasse, aut diuinasse Iosephum, quia Ioab scripsit capiendam esse ciuitatem aquarum; Quasi dicat, ciuitatem, quæ aquarum abundabat iugi scaturigine, eo esse redactam, vt explere non possit obsessorum sitim. Nempe ciuitas Rabbath cùm capienda, & euertenda est præ aquæ penuria, & aridæ sitis impatientia, non, vt hactenus appellatur Rabbath, aut ciuitas regia; sed tunc signatè *Vrbs aquarum* moralissimè nominatur. Benè ibidem
Lyra ibi. Abul. sup q. 27. Lyra, ex quo Abulensis: *Et capienda est Vrbs aquarum, quia circa eam erant aquæ, & paludes, in quibus confidebant interiores.* O moralissimam mortalibus eruditionem! Nempe vrbs, quæ ob aquarum abundantiam, & multiiugam fontium scaturiginem, sic laticibus copiosè exundabat, vt copiosa iugis lymphæ abundantia, vocabulum dederit ciuitati, (quæ *Vrbs aquarum* nominatur, *in quibus confidebant* ciues) eum in diuturna dirè obsidione, erat magis aquarum indiga, tunc, tunc quidem, eo penuriæ redacta est, sic auarè puteus aquulam sudabat, *vt explere non posset obsessorum sitim.* Cùm nulla Ammonitas vrgebat aquarum necessitas, segnes illis stagnabant paludes, & inges fontium scatebræ pleno Nilo vbertim emicabāt, adeo vt *Vrbs aquarum* nominaretur: ast dum obsessis in aquis potius quam in armis *confidebant*, mentitis illorum spebus, aquæ auarè deficiunt, è quibus spes obsessorum tota pendebat. O falsatas hominum spes, in re sæculi collocatas! Quid ambitiosè conquiris dignitates, diuitias, honores, amicos, & tot tibi auxilia auarè comparas, in occasionis articulo defectura? Cum eis non indiges, spei erigunt ambitionem: at opulenter reposita, fugitiua ope dediscunt, & sperato auxilio defraudant. Siti petit *Vrbs aquarum.* Hinc Tobias na-
Hic v. 13 & c. 4. v. 23. ctus Regis gratiam, quæ mundialium bonorum illi fuerat promptuarium; eiusmodi bona egenis largius distribuit, totam spem in Deo reponens, Regum gratiæ, & sæculi bonis prorsus diffidens.
Hic vers. 10. Exinde quod sibi spopondit abundè inuenit: diuitias in egenos expendens, opulentiorem censum de amissione inuenit, *in die necessitatis.*

3. Iudith 16. princeps illa heroïna, Hebrææ gentis decus, patriæ vindex, & religionis assertrix, mascula fortitudine Holofernem Assyriorum principem Strategum, suo acinace viriliter obtruncat. Occiso Duce animo cadunt Assyrij, qui malè cōcisi, de Iudææ finibus facile fugantur, infelicissimas passi strages. Opimis opulenti exercitus spoliis, populus diuitatur, & vniuersa quæ Holofernis peculiaria fuisse probata sunt, dederūt Iudith in auro, & argento, & vestibus, & gemmis, &
Iudith 16. v. 23. omni supellectili. *Porrò Iudith vniuersa vasa bellica Holofernis, & conopæum, quod ipsa sustulerat, obtulit in anathema obliuionis.* Quid est, quod dum Iudith è templi Ierosolymitani tholo, Holofernis arma honorariè suspendit, vt tanti facinoris æternaret memoria, illud *in anathema obliuionis* obtulisse narratur? Profectò si improles fœmina, imò etsi numerosam haberet sobolem, in propria, & priuata domo arma Assyrij ducis adseruasset, velut illustrissimæ gloriæ trophæum, facile memoria excideret. Ergo ad perpetuandam facinoris memoriam, nil æquè idoneum potuit excogitari, quam eiusmodi donum in templo suspendere, & ad pietatis votum, & ad perennaturam rei
Beneficia diuina humana obliuioni adulantur. gestæ memoriam: quo & diuinæ religioni, & propriæ gloriæ consultissimè militauit, ingenioso perpetuitatis arbitrio. Eccur ergo eiusmodi ho-
Lyra ibi. norarium donatiuum, *in anathema obliuionis* suspendi perhibetur? Lyranus, *Vt seruaretur in loco cultus diuini ad memoriam beneficij diuini.* Heu,
Donatiuum ad æternam memoriā oblinio procurat. quod seruatur in memoriā beneficij diuini, anathema, seu donatiuū obliuionis dicitur? Sic diuina beneficia humanæ obliuioni blandiuntur? Opportunius hæc verba Dionysius Carthusianus exponit: *In anathema obliuionis. Id est, ad condemnationem immemorationis beneficiorum, tantorum.* Pulchrè quidem. Nempe cùm sollertius satagit, & omnibus modis procurat tanti facinoris perpetuare memoriam, obliuionem hominum præsagit, & illam præproperè condemnat, & anathemate ferit. Sic donatiuum, quod memoriæ destinat, obliuionem procurat, & immemorationem velut dissimulanter prophetat? O moralissimum obliuionis anathema? Quod sollicitius memoriam ingerit, est præmatura obliuionis damnatio; O quoties memoriæ monimenta, hominum obliuia ominantur; sicut vrbs aquarum siti perit.

4. Geneseos 42. Iosephus, fratribus suis, qui graſ- Gen. 42. v. 33
sante fame, frumentatum venerant in Ægyptum, morosum, & acerbum se exhibet, aiēs ad illos: Sic probabo quod pacifici sitis: Fratrem vestrum vnum dimittite apud me, *& cibaria domibus vestris necessaria sumite, & abite.* Quæ Iosephi
Hebræus text. verba ita in Hebraïca origine sententiosè scribūtur: *Et famem domibus vestris sumite.* Scio esse
Qui copiosa defert cibaria famem portat. sanctæ linguæ idiotismum, sed mirisimus est ad rem loquendi modus. Nimirum agrorum sterilitas alimenta Palæstinæ negabat, & præ frumenti inopia fratres Iosephi coguntur peregrinari in Ægyptum ad cibaria pretio comparanda, ne Iacobæa familia præ fame pereat; & cum in domum reportant annonam, eis dicit Iosephus: *Famem domibus vestris sumite?* Cibaria abundè deferunt, & famem portare dicuntur; Famis abundantia domi affatim suppetit vsque ad totius familiæ maciem; neque famem reportare pretio satagunt, sed *cibaria* ad depellendam famem. Scilicet diuina prouidentia, vberior annona est; cibaria diligentius conquisita, *famis* vocabulo consultè denotantur. Discat humana inopia, ab homine non tam *cibaria*, quam *famem* dari; à Dei prouidentia plenam saturitatem. Discat humana abundantia in copiosis *cibariis* præ inopia *famescere.* Porrò sicut Vrbs aquarum siti perit: sic qui deferunt copiosa *cibaria, famem* reportant. O! sic sunt egena mundi bona.

5. Lucæ 7. dum Saluator Pharisaïco assidet epu- Lucæ 7. v. 47 S. Greg. hom. 33. in euang.
lo, mulier specie, & libidine, famosa, lachrymarum conscientiæ sordes mundissimè eluens, de Christi Dei ore meruit audire: *Remittuntur ei peccata multa.* Quæ verba elucidans S. Gregorius sic idoneè scribit: *Ecce quæ ad medicum venerat ægra, sanata est, sed de salute eius adhuc alij ægrotant: sequitur enim: Et cœperunt qui simul accumbebant dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?*
De copiosa mulieris peccatricis salute, circumstātes ægrotant. De copiosa ægræ mulieris sanitate, benè valentes ægrotant. In tanta inopinatæ salutis exuberantia, inualetudinem auarè hauriunt. Sic aquarum vrbs siti perit, sic qui cibaria deferunt, famem portant, sic dum exundat salus, magis ægrescimus, sic rerum mundialium vberior copia, egenæ penuriæ auarè insidiatur.

§. CLXXXI

§. CLXXXI.

Qui pauperis non miseretur, nec eius necessitates haurit, ingratitudinis reus est.

1. DE contẽptu pecuniæ multa dicuntur, & longissimis orationibus hoc præcipitur, vt homines in animo, non in patrimonio putent esse diuitias. Eum esse locupletem, qui paupertati suæ aptatus est, & paruo se diuitem facit. Magis tamẽ feriuntur animi, cùm carmina eiusmodi dicta sũt. Is minimo eget, qui minimum cupit. *Quod vult habet, qui velle quod satis est potest.* Desunt luxuriæ multa, auaritiæ omnia. Auarus ipse miseriæ causa est suæ: miser sanè est, qui diuitias cumulare scit, expendere nescit: caret enim diuitiarum fructu, qui impensis constat. Quod non erogasti perdidisti. Magno (si saperet) diues æstimaret, quod adsint miseri, quibus benefaciat, in quibus pietatem exerceret, quibus humanus esset, in quibus cum cœlo iniret commercia. An non posset Deus facere, vt nemo foret inops? sed inopes facit, vt ditaret diuites, non de pauperũ rapina, sed de pietatis vsurâ: inopes facit, vt eleemosynæ bono diuitum peccata redimeret. O, quid fastidis pauperem, ipsâ indigentia beneficum? Minutum donas, & grãdia recipis: terrulam das, & totum cœlum accipis: vestem largiris detritam, & paradisea stola indueris: frigidã sitienti porrigis, & gehennæ incendiũ extinguis. Hęc altè in animo tuo versa, ne ad faciendæ eleemosynæ inopinatam felicitatem nauseas. Quid thesauros, quos tibi negas, ambitioso hæredi reponis? Risum, non gloriam negotiaris: nam *hæredi fletus, sub persona risus est.*

Senec. ep. 106 Quis sit verè diues.

Hæredis fletus, sub persona risus est. Publ. Mim.

2. Lucæ 16. Homo quidam erat diues, & induebatur purpurâ, & byssso, & epulabatur quotidie splendidè: & erat quidã mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam diuitis, & cupiebat saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat. Factum est autem, vt moreretur pauper, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Diues etiam mortuus est, & sepultus in inferno. Numquid per se tantùm diuitiæ criminosæ sunt? aut solæ, & per se penes Deum dãnandæ sunt vestes: & tantùm per se puniendæ sunt epulæ? Aut ita per se probata est, & sanctificata mendicitas, vlcera tam sacrata, vt Angelorum manibus Abrahæ sancti rapiantur ad gremium? Cur ergo nunc Abraham ambit pauperem, diuitem refutat? Aut quemadmodum hunc Abraham innocentem habuere diuitiæ, hunc fecere diuitię criminosum? Verùm Abraham non sibi, sed pauperi diues fuit; & opes non habere, sed prorogare gestiuit magis, magisque in sinũ pauperis, quàm in horreis recondere suas studuit facultates; sciẽs se non incubatorem, sed dispensatorẽ diuinæ positum largitatis; vt vindicaret oppressos, absolueret captiuos, peregrinos exciperet, esurientes pasceret, & alacri beneficentia egenos honoraret; ratus non tam beneficium pauperi erogare, quàm honoraria stipendia indigenti persoluere. Diues autem de auaritia & inhumanitate famosus, quem à se contemptim excludit, contẽpti pauperis reus gehennæ tormentis excruciari meruit, & durè torqueri permittitur: *Eleuans autem oculos suos,* (Diues ille) *cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longe; & Lazarum in sinu eius,* &c. Ad quæ Lucæ verba ad rem præsentem tempestiuus, sic eleganter Chrysologus fatur: *Gratis respicit modò Lazarum sursùm qui ante deorsùm Lazarum videre despexit.... nec gratis aculeos percipit personarum, qui in purpura volutabatur ingratus.* Sed quid est, quòd Diues hic misero Lazaro succurrere negligens, dicitur, quòd illum *despexit ingratus?* Ingratus in pauperem est, qui cùm potest, illi non subuenit; O nouum immisericordiæ næuum! Pauper stipem accipiens, si præbitoris opem cõtemnat, *ingratitudinis* reus erit, at diues qui pauperis misereri durus negligit, inhumanitatis; nõ *ingratitudinis* arguetur. Quid diues tũc accepit à paupere cum eleemosynam negat, vt *ingratitudinis* reus sit? Accepit, accepit inquam, occasionem inopinatæ felicitatis, & flagitiosi reatus paruo redimendi, accepit occasionem exiguo aquulæ potu sibi restinguẽdæ gehennæ, & pannosâ veste vestimenta gloriæ sibi reconcinnandæ: accepit occasionem pascendi esurientem Christum *in pauperem infusum,* qui cibos diuitum in paupere dicitur esurire. Ergò qui tantũ felicitatem sibi oblatam immisericors negligit, pauperem *ingratus despexit.* Arguté quidem Chrysologus! Itaque qui de immisericordia non erubescit, erubescat de ingrato, ne inhumanitatem *ingratitudine* exaggeret; magno luendam.

Qui durus est in pauperem, ingratitudinis reus est.

Lucæ 16. v. 23. Chryso'og. ser. 66.

Hic v. 11. & 12.

3. Psalm. 40. sic occinit Psalmographus: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.* Pro τὸ *intelligit* S. Hieronymus reddit: *Cogitat de paupere.* Alij, *considerat.* Sed quid tantam intelligentiam, attentam cogitationem, aut considerationem expetit? an non pauperis indigentia oculis patet? In rebus perspicuis, sagax mentis attẽtio prorsùs vacat. Verùm S. Ambrosius magis abstrusum in his verbis sensum rimatur, dum ait: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Beatus quidem qui compatitur pauperi, qui haurit eius necessitates:* Nempe qui attenta consideratione cogitat, & *intelligit,* quam sit grande bonum pauperis misereri quã opulente aliena infelicitate prosperetur diues, illam piè subleuando, confestim *haurit egeni necessitates,* & facili & auido haustu illas ebibit ad auxilium, & sibi ad remediũ corporat, adeò, vt idem sit diuitem *intelligere* pauperis necessitatẽ, & illã *haurire,* & suam piè reddere. Nec priùs dicitur, egenum videre, posteà indigentiam intelligere, demùm illius misereri, & ope subuenire: sed *intelligere* pauperis *necessitatem* dicitur, *pauperi compati, & eius necessitates haurire,* & sibi celerrimâ pietate benignè corporare. Vnde tanta pręcurrentis clementiæ velocitas? Nẽpe ex *intelligentia* bonorum, quæ pauperis indigentia misericordi vberrimè largitur, ne pauperẽ tot bonorũ prębitorem, tantisper *despiciat ingratus.* Quæ Laurentius Nouariẽsis his verbis graphicè descripsit: Conclude eleemosynam tuam, inquit, in esurientium victu, vt dies ille tremendus iudicij, *non tibi in metu veniat, sed in voto.* Tu taces, & eleemosyna quam fecisti deprecatur pro te. Quod in silentio fecisti, in ore pauperum publicatur. Remissio delictorum tuorum in ore eorum resultat. Conclude eleemosynam in ore pauperũ, & ipsa promitigat iram Dei. Mitigat iram, dũ abluit crimina. *Os pauperum porrigitur tibi in baptisma, & venter esurientium saturatus, indulgentia tibi aquam exundat.* Parùm est, quod eis impartitur, & multum

Psal 40 v. 2. Diues dum pauperis necessitatẽ intelligit, illam hauriat.

S Amb in Psalm. 40.

Laur Nou. homil. de Eleem.

tum est, quod ab eis nascitur. *Factus est pauper, vt culpas diuitum in pauperibus emendaret, & vitia eorum in eleemosynis expiaret. Factus est pauper, vt tam pauperes foueret, quam diuites commoueret.* Tot cœli bonis frui sic pios diuites *commouet* ad misericordiam, vt *intelligere* pauperis inopiam, sit *haurire eius necessitatem*, ne si tantisper remedium cunctentur, aduersus pauperem *ingrati*, sibi tot bona inuidere videantur.

4. S. Aug. ser. 66. de Temp. Geneseos 18. in conualle Mambre *lucum arboris*, ait Augustinus, *incolebat Abraham, sub qua constructum erat qualecumque subfugium, angustum quidem homini, sed sufficiens maiestati*, diuinæ inquam. (Immensitatem diuinæ maiestatis quodammodò capit, quod angustum videtur humano fastui:) Sedebat ibi Abraham ad ostium tabernaculi, in ipso feruore diei. Cúmque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum: quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum ad ostium tabernaculi, & adorauit in terram *Et dixit: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum.* Ad quæ verba ita eleganter scribit Lippomanus: *Non dixit: Si lassi estis, si pecuniam numerabitis, si emere vultis, sed si mihi non inuidetis, non recusetis officium meum, atque obsequium.* Scilicet quisquis recusat beneficium accipere, planè *inuidet* beneficentiæ largitoris, qui obsequij præstandi arbitrio, publicandæ suæ beneficentiæ gloriam negotiatur. Plus accipis benefaciendo, quàm dedisti, vsuraria negotiatione munificentia tractatur. Dum *hauris* miserorum necessitates, generosæ liberalitatis prælustria nomina exhauris. Quisquis à benefico renuit accipere; & præproperè in illū *ingratus* est, & illiberalis inuidentiæ reus. *Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum*, id est, *Si mihi non inuideris, non recusetis officium meum, atque obsequium.*

Qui recusat beneficium accipere, inuidet munificentia largitoris. — Genes. 18. v. 3. — Lipom. in Caten. ibi.

§. CLXXXII.

Homo beneficus mores exprimat cæli: quod si aliquando benefacere cesset, squalidè obscurum putatur, & cæli nomine indignum.

1. S. Nyssen. Encom. S. Ephrem. Syri. PVlchra Nysseni vox est: *Misericordia humanam conditionem superat.* Homo enim largè beneficus, & erga egenos beneficè pius; terrenam auaritiam desuescens, cœlum fragat, & cœlestiū naturā in terrā exprimit. Quid est beneficū miseris dare, nisi cœli ingenium feliciter imitari? Vir misericors, tametsi de limi squalore cognatam terram inhabitet, terræ inquilinus est; quippe qui coloniam duxit in cœlum, vt præpropere cœlos inhabitet, qui iugi beneficentia cœlos imitatur. Porrò homines (vt quispiam è priscis Sapiētibus edisserit) vt gratiam benemeritis referre viderentur, *suscepit vita hominum, consuetudoque communis, vt beneficiis excellentes viros in cœlum fama ac voluntate tollerent.* Sidereo cœli elogio putabatur dignus, qui terra satus, & in terra degens, cœli mores, de beneficentiæ largitate æmulatur. Misericordia enim humanam conditionem superat, & cœlesti naturæ vicinatur, liberalitatis confinio semper in omnes munifico, & incessanter benefico. Hanc ex misericordia præclaram nobilitatem Tobias senior iuniori Tobiæ in primis commendat, dum paternæ erga pauperes beneficentiæ, potiùs quàm sui census hæredem constituit. *Quomodo potueris*, inquit, *esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Esto cœlorum de pietate æmulus, iugiterque in te liberalitas præniteat, vt sordidas terrenæ auaritiæ tenebras fugiens, beneficam cœlestium astrorum claritatem imiteris: *Quoniam eleemosyna non patietur animam ire in tenebras.* Hic v. 11.

Misericordia humanam conditionem superat. — Tullius de Natura Deor.

2. Matth. 24. v. 26. Matthæi 24. signa, quæ præcedent finalis iudicij horrorem, creaturis incutiendum, Christus Deus mundo prædicit: *Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur.* An verè obscurandus sit Sol, non satis certum est apud expositores, sed reipsa obscurandum esse, quemadmodū Origenes, & Hilarius videntur existimare, longè probabilius est; idque Christi Dei verba disertè indicant. Quomodo autem obscurandus sit, alia est quæstio, quam vberiùs expositores tractant. Quæ forsan pendet ex alia quæstione, qua disquiritur, quid sit, *Stellæ cadent de cælo*: an verè casuræ sint. Multorum opinio est, non verè casuras, sed fore, vt, quia non lucebunt, cadere videantur. O! præcipitanter cecidit, quidquid lucere desiit. Origenes scribit, non casuras in terram, sed amissuras lumen; & quod terrestre in illis fuerit, in terram casurum. Sic in terra cognatam terram inclinat; sic terra terræ exul, peregrinatur in cœlo; sic terra Dei iudicium timet in cœlo; terræ particula iam diu cœlo concreta si terram sapit, in terram abit. Verùm enimuerò Chrysostomo, & Euthymio libenter assentior, qui verè stellas casuras putant, magis enim Christo id affirmanti, quam Aristoteli neganti id fieri posse, credendum est. Sic fatur Euthymius: *Stellæ cadent de cælo, tanquam nulli amplius vsui futuræ.* Hinc ethicè Solis *obscuritas* apprime explicatur Nimirùm cùm Sol de suo luceat, quasi fulgorum origo, & opulentum cœlestis luminis, conceptaculum, vbi stellæ cadunt de cœlo, nec eas præclaro iubare illustrat, vt plena lampade luceant, *obscurari* dicitur, dum astra quæ illuminare solet, longiùs absentantur. Emēdicata luce stellæ fulgent, de se opacæ, de Sole fulgidæ: ergò dum stellæ absunt, quæ vberius lumen à Sole emendicant, Sol hactenùs largitate te illustris, dum fulgorum thesauros sideribus nō impertit, sed deest cui se communicet (quasi sordidè auarus, *obscurus* audit. *Sol obscurabitur: Stellæ cadent de cælo*, ac si de munificentia charitatem mutuetur. Exinde cum abest opaca lucis mendicitas, cadentibus stellis; Sol moralissime *obscurari* perhibetur, (scio alium esse litteralem sensum.) Nempe Sol diu se communicare adsuetus, & à cunabulis largitate prælustris, cùm à beneficētia cessat, & generosos cœli mores desuescit, quia liberalitate vacat, ac si in cœlo iam otietur, & quasi nemo iam stellis cadentibus sit; à beneficentiæ cessatione, sordidus iam, & *obscurus* perhibetur, tanquam præclarum Solis nomen, & augustam Solis rem, erubescat; faciemque suam mundo neget, ne vnquam Sol *obscurè* illiberalis appareat. *Sol obscurabitur: Stellæ cadent de cælo* quasi de stellarum; quas sublenabat, mendicitatibus, Sol splendesceret, & ignominiam obscuritatis arceret. Hanc cœli generositatem atten-

Origen. — S. Hilarius.

Origen.

Moralissimè Sol obscuratur, dum absentantur stellæ, quas illuminet.

Euthym. ib.

tioni

tiori mente contempletur humana auaritia, erga egenos fordidè illiberalis; vt de inopum mendicitatibus fubleuandis, humanam obfcuritatem defuefcat, dum videt Solem tantifper imbeneficum *obfcurari*, ac fi de aliena inopiâ, lucendi fœneret opulentiam: *quoniam eleemofyna non patietur animam ire in tenebras.* Sic beneficentia corufcat, & cœli mores exprimit; nam *mifericordia humanam conditionem fuperat* O pietatis generofitatem, fiderei fplendoris de cognatione æmulam!

3. Genef. 1. v. 1. Genefeos 1. in aufpicio mundialis opificij, hæc prima facri Hiftorici vox auditur. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Interpretum fedulitas curiofiùs veftigat, ecquod ex illis primas in creatione tulerit. Moyfes hîc primum dat locum cœlo, illud terræ præponens, & priùs illud recenfens. At fi hæc ratio eualet, terra etiam priùs creata eft, illam enim regius Pfaltes priùs nominat, aiens: *Initio tu Domine terram fundafti, & opera manuũ tuarum funt cœli.* Ecquod ergò priùs creatum eft, cœlum, an terra? nam alterutrius prælatio patronum locupletem habere videtur; & hinc Dauidem, inde Moyfen ftare. Hoc litigium & ad litteram, & ad mores pulchrè dirimit Beda (quem alibi ad aliud thema expendebamus) aiens *In principio creauit Deus cœlum & terram. Vtrumque fcilicet fimul quamuis vtrumque fimul ab homine non dicatur.* Verùm cùm cœlum præftantioris naturæ quàm terra fit, non facile apparet quare cœlum ante terram creatum non fit. Lutofus terræ fqualor cognatâ limi fui ambitione & cœli primatu ambigit, cœlóque de ftatu fuo periculum facere præfumit; Sic adhuc in cunabulis, cùm adhuc infantiæ pannis obuoluitur, terra infolefcit? An potiùs cœlum ambit, ne vllatenùs abfque terra crearetur? Sic cœlum nobilitatis fuę fecurũ, terrã cõfortio honorare optat? An potiùs elogium fuæ liberalitatis cœlũ eiufmodi fimultate negotiatur? Nempe cœlum dum ad creationis confortium terram admittit beneficentiæ fuæ dignitatem commendat, & illuftrẽ munificentiæ titulum fibi gloriosè vindicat. Porrò fi cœlum ante terram ftaret, cùm in terram tunc nullam, poffet beneficè influere, & perpeti influxu eam fœcundare, quodammodò erubefceret, fublato beneficentiæ titulo. Primo creationis loco fponte fua cœlum cædit, & primatui creaturarum renunciat, ne perbreui faltem morula exter, fine terrã influxuum fuorũ indiga, cui cœlefti ope vbertim fubueniat. Mauult amittere mundialis opificij primatum, quàm fine terra in quam largè influat tantifper exiftere quafi cœlum cœli elogium erubefceret, fi vel perbreui exifteret tempore, quin vberiùs fubiectæ fibi terræ benefaceret: & quod de primatu amittit, de largitate cumulatius reftaurat. Itaque quemadmodum cadentibus de cœlo ftellis, Sol *obfcuratur*, quia defunt fidera, quorum opacitatem luce fua opulenter claret: ita cœlum fuam obfcuritatem præcauens, mauult fimul cum terra produci, quàm à benefico influxu tantifper ceffare. Sic eft generosè præclarum iugiter benefacere; nam de alienis mendicitatibus opulentiam tuam cumulas, & alienis tenebris gloriosè illuftraris. Quifquis opem egenis auarè negat, fuam *obfcuritatem* opulenter negotiatur. Si nulli forent pauperes diues non effes: ideò enim opes tibi fuperfluunt, vt aliis eroges. De quo alias.

Pfal 101. v. 26 *Cœlum fimul cum terra producitur, ne immunificum vnquam fit.* Beda ibi.

4. Genefeos 6. tametfi Deus in rerum exordio perfectè confummatum mundi opificium condiderit, (dicente: *Igitur perfecti funt cœli & terra, & omnis ornatus eorum: vidit* enim *Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*) at longo temporum tractu fic in mundo malitia inoleuit, vt pœnitentiam in fe ipfo Deus dedicauerit, aiẽs *Pœnitet me feciffe eos*, (loquitur Scriptura de Deo antropopatos.) Verùm Tertullianus difputans contra Hæreticos, qui fidereum, non terrenum corpus Chrifto adfcribebant, ne de noftri limi fordibus aliqua inficeretur labecula; propè adfimili labe infectum effe cœlum, hoc difcurfu argutè aftruere ingeniatur, ad præfatam Opificis pœnitentiam adludens: *Tefte igitur* inquit, *pœnitentia Inftitutoris fui delictum erit mundus; fiquidem omnis pœnitentia confeffio eft delicti, quia locum non habet nifi in delicto. Si mundus delictum eft, quia corpus: & membra delictum: erit proinde & cœlum, & cœleftia cum cœlo. Si cœleftia, & quicquid inde conceptum prolatumque eft; mala arbor malos fructus edat, neceffe eft. Caro igitur Chrifti de cœleftibus ftructa, de peccati conftitit elementis peccatrix de peccatorio cenfu, & par erit eius fubftantiæ, id eft, noftræ, quam vt peccatricem Chriftus dedignatur induere.* Pulchrius quidem quàm folidius Tertulliani ratiocinium. Profectò omnis pœnitentia confeffio eft delicti: ergò fi mundus qui eft corpus quoddam, Opificis delictum eft, & huius corporis membra delicta erunt, igitur & cœlum, quia mundi membrum eft, delictum erit. Verùm etfi in confeffo fit hominum delictum, ob quod Deus velut pœnitentiam affumere dicitur, tamen de cœli, fiderumque delicto non conftat. Porrò cœli fiderumque natura & elogium, eft fublunaria fulgoribus illuftrare influxibus reficere, & continua beneficentia largiùs fœnere; fuitne ergo, non ethicum, fed velut naturale cœli delictum, ipfum extitiffe ante terrã cui benefaceret, ingenita quadam primogenituræ ambitione? An fuit, toto primordij fui triduo fublunarem mundũ luce maligna parciùs illuminaffe? An fortè quia in mundi inchoatione, vt putat Theodoretus, *Tenebræ huius mundi propter cœleftis corporis vmbram prouenere*? An quia toties fidereę faces cognatos per eclypfim defectus patiuntur fulgorum deliquio, magno fublunarium detrimento? Hoc vnum poteft fingi in cœleftibus fidereifque corporibus delictum, fi à cognata beneficentia tantifper ceffare videantur. Nam *tefte pœnitentia Inftitutoris fui, delictum erit mundus, fi mundus delictum eft, quia corpus: & membra delictum: erit proinde & cœlum, & cœleftia cum cœlo.* Quodammodo enim cœlum delinquit, fi benefacere aliquando ceffabit, quafi tunc generofa cœli elogia mentiri videatur.

Genef. 6 v. 7. *Quodnam eft cœli delictum ob quod etiã Deus pœnitere à Tertulliano dicitur.* Tertull lib. de Carne Christi, c. 8.

Theodoret. q. 7 in Gen.

§. CLXXXIII.

Attenderit fcortator in quot grauiffima mala per lafciuiæ malum impingat,

Concupifcentiæ primis titillationibus obftandum eft, ne ethnęus coluber lafciuiæ calore foueatur, donec diuturno fotu in ferpentem adolefcat, & tartareo fibilo ac morfu gehennale afflans incendium, in fuliginofas luxuriæ fauillas hominem 1.

Hieron. ad Eustoch.

Luxuria insidiis quam citò obuiandum est, ne innatum adolescat incendium.

Psal.136.v.8

hominem soluat. Quare *statim*, ait Hieronymus, *vt libido titillarit sensum, aut blandum voluptatis incendium dulci nos calore perfuderit, erumpamus in vocem, Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi caro: nolo suas cogitationes crescere, nihil in te Babylonium, nihil confusionis adolescat, dum paruus est hostis, interfice. Audi Psalmistam dicentem: Filia Babylonis misera: beatus qui retribuit tibi retributionem: beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram: quia autem impossibile est in sensum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille praedicatur beatus, qui vt cœperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus & allidit ad petram: petra autem Christus est.* Attentos nos vult Tobias, ne dulci libidinis periculo insidietur, & gehennalis incendij minas vibret incautis: *Attende*, inquit, *tibi fili mi ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.* Attentior insidiarum cognitio, de periculi notione, venenatos Diaboli ictus peritè frustratur: nam mens quæ scortatur in cogitatorio, carnem facit lasciuiæ collegam, bibula voluptatis concupiscentia: quæ autem libidinis scintillas longiùs arcet, incendium cautè defendit de prænotione periculi.

Hic vers 13.

2. Matthæi 5. antequam Christus Deus carnali concupiscentiæ cauterem inurat, & continentiæ tesseram in oculis gestandam indicat, ne lasciuis aspectus libidinum formis expressus, in prostitutę mentis lupanari lasciuiat; hoc præmittit procemiolum, quod castitatem perstruat. *Esto*, inquit, *consentiens aduersario tuo citò dum es in vita cum eo: ne fortè tradat te aduersarius iudici*, &c. Grande inter expositores litigium est, quisnam sit hic *Aduersarius*, cui in via consentire debemus. Origenes putat esse malum Angelum; Hieronymus existimet esse carnem. Athanasius censet esse conscientiam; Diabolum, Tertullianus; Deum Augustinus; Nouatus, Dei legem; furem, Basilius; Iniuriatum à nobis, Hilarius, (qui videtur esse litteralior sensus. vt olim inibi exponebamus.) Cæterùm S. Isidorus Pelusiota, *quoniã cum ruina nostra ambulamus*, vt oculatos & perspicaces nos reddat aduersus Diaboli technas in re libidinis, his verbis præfatum locum acutè commentatur. *Esto cõsentiens auersario tuo citò dum es in vita, &c. Quo quidem in loco per Aduersarium, corporis cupiditatem diuinè intelligit. Viam autem hanc vitam vocat. Consensum denique ac beneuolentiam erga corpus, agnitionem rebellionis ipsius appellat, quæ confestim perspici debet.* Nempè dum via huius vitæ peragratur cum *Aduersario*, id est, cum *corporis cupiditate* consentiendum est: non vt ad nutum concupiscentiæ adsentiamus, sed vt concupiscentiam præsentiamus, quò blandæ libidinis astutias solertiùs præcauere possimus. Hîc enim *consensum cum corporis cupiditate, agnitionem rebellionis ipsius appellat, quæ confestim perspici debet.* Itaque τὸ *consentire*, est simul sentire & præpropere agnoscere, vt cõfestim quiuis perspiciat, quò tendat titillans suggestio. *No parta primero la tentacion, que el conocimiento y aduertencia à donde tira.* Sæpè enim Aduersarius, id est, *corporis cupiditas*, ex insidiis adoritur, & clancularia hostilitate honesta ingerit libidinis exordia, obtentu pietatis, beneuolentiæ, laxamenti, tentationis venenum perniciosiùs cõditur; & sub dolosis honestæ vilitatis cineribus, luxuriæ scintilla delitescit, qua sensim suam explicante flammam, homo incautus miserè decinerescit luxuriæ incẽdio, quod nullius interstinguat Oceanus. Ergo attentæ cognitionis perspicacia opus est, quâ velut collyrio inoculatus, *confestim perspicias*, quò occasiuncula illa tendat, & primis titillationibus obstans, pusillum tunc *Aduersarium* facilè exarmes; ne de incaura segniter diuturnitate adolescens, ad singula momenta vires resumens, ineluctabilem continentiæ stragem edat. Porrò vt ait Hildebertus: *Negligenter cauetur hostis, cuius ingressus pacificus, expectatur.* Itaque moralissimè *consensum cum corporis cupiditate, agnitionem rebellionis ipsius appellat, quæ confestim perspici debet.* Quid illustrius, *Attende tibi fili mi ab omni fornicatione*, id est, mentis vires solertius intende, vt cupiditatis technas perspicias. *Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*, siue, vt Hieronymus effert: *Sed sapere ad pudicitiam.*

Math 5.v.25.

Quo modo continentiæ studiosus, cum carnis cupiditate consentire debet.

Isidor Pelus. lib.1.ep.80

Hildeb epist 31.

ad Rom 12. Hier.lib 1. cont Iouin.

3. 1.Corinth 7. Paulus de cœlo eruditus Ecclesiæ magister, super re matrimonij cum infideli homine initi, ita scribit: *Siqua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.* Quæ Apostoli verba cursim exponens Seleuciensis Basilius, his verbis adulteros accerrimè impetit: *Tam enim facinus* (scortationis) *Deo videtur detestabile, vt si vxor ab idololatria illo inuito distrahatur, puniat eam Deus: non sic à scortatore. Qua in re vides quantum sit hoc flagitij. Siqua mulier, inquit, fidelis habet virum infidelẽ, & hic consentit habitare cũ illa, non dimittat virum. De adultera autem vxore non sic. Quid ergo? Si quis dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari.* O vide hîc cum Basilio quantum sit scortationis flagitium! Vxor fidelis, pia, & pudica nequit virum infidelẽ, barbarũ, idololatram dimittere; sed illo consentiẽte, cum eo habitare ritè compellitur: non sic cum marito scortatore, quem dimittere decet, & licet. Tutior est pietas & continentia vxoris cum viro impio, & idololatra, quam cum fideli (sed scortatore) marito? Num etiam libido mariti, quam zelotypiæ furiis vxor execratur, de impudicitiæ vicinia, importunum & procax lenocinium est? Ab hoc etiam quod detestatur, vxori ę pudicitiæ difficile prouidebitur; sic est periculosum vel propriæ vxori cum scortatore marito habitare, & congredi; Sic alienæ libidinis blanda est illecebra, vt etiam quando eam execratis, dulce lenocinium sit, quod carnem è peruerso titillat, & concupiscentiam dissimulanter subornat; *Tam enim facinus* scortationis *Deo videtur detestabile, vt si vxor ab idololatra, illo inuito, distrahatur, puniat eam Deus: nõ sic à scortatore. Qua in re vides quantum sit hoc flagitij.* Hinc Isidorus Pelusiota carnis concupiscentiam, *præstigias* appellauit. O præstigiatrices Veneris illecebras, quas dum execraris amas; dum auersaris, incurris: *Attende tibi fili mi ab omni fornicatione.*

1.Cor.7.v 13

Basil Seleu orat.41.

Mariti scortatio, quam vxor horret, blandum illi lenocinium est.

Matth.5. v. 32.

Libidinis præstigia.

Isid Pelus lib 1.ep 213.

4. Sententiosè dixit Hildebertus Turonensis: *Virtuti nil æquè noxiũ est, quam voluptatis admixtio in concessis.* Et mox: *Latrociniis occursura voluptatum.* Bene quidem cupidinis agnouit *latrocinia*, & diuites voluptatis prædas. Luc.8. Occurrit Christo vir quidam, qui habebat dæmonium iam temporibus multis. Is, vt vidit Iesũ, procidit ante illum, & exclamãs voce magna, dixit: *Quid mihi, & tibi est, IESV fili Dei altissimi? obsecro te, ne me torqueas.* Quæ verba sic Basilius exponit & amplificat: *Quid nobis & tibi? A tuo partu durauit, quod in nos excitasti bellum, nostris nos possessionibus nudasti: loquentem te audierunt Publicani,*

Hildeb.ep. 31.

Num Christus, quasi re a ieiunam, scortatores & meretrices prædatur?

Luc 8 v 28.

Basil.orat.23

&

& nostram vectigalium tractationem diffugiunt: Meretrices predas nostras, tibi per pœnitentiam predatus es. Num Christus Deus is est, qui *predari* possit? Quidnam est, quod Dei possessio non sit? Homo quãtumvis obscœnis libidinibus deditus, non sic abalienatur à Christo Deo, vt eius possessio non sit, & creationis iure, & redemptionis titulo, nemo autem *predari* potest, & furto vsurpare, quod suum est. Quid ergo aiũt: *Meretrices predas nostras, tibi per pœnitentiam predatus es*; Sic luxuria à Deo alienat, vt olim lasciuos, non quasi rem propriam, sed tanquam furto sublatos, possideat Christus; Sic diu inolita scortandi consuetudo, redit ad ingenium; sic hominem dedisc it, & in monstrum aliquod à Deo quodammodo alienum, hominem libido transformat; Gregorius Nyssenus agens de cœlestis sponsi nuptiis cum anima nuper peccatrice, ita fatur: *Boni illi virginitatis huius nuptiarum conciliatores Patriarche, &c. Bona ante nuptias data, quæ hic erant, delictorum remissio, natura transformatio.* Num scortatoris, & meretricis natura, cum ex inolitæ luxuriæ prostitutione, per pœnitentiam ad Deum conuertitur; *natura transformatio* dicitur? Cùm libidinis notæ abolentur, & continentiæ character imprimitur, sic hominis natura velut transformari perhibetur; vt scortatores, & meretrices, quasi olim res Dei non foret, per pœnitentiam, quodammodo furto accipi à Deo dicuntur: *Meretrices predas nostras, tibi per pœnitentiam predatus es.* Scilicet vicem reciprocat. Libidinis voluptas *latrocinia* exercet: ergo Christus per pœnitentiam *meretrices predatur.* O attenderet, qui prima libidinis prælia init, ne sic longè se à Deo sensim alienet!

Nyss. ser. 1. in Cant.

5. Cypri. de bono pudic.

Lege nunc Cypriani calamo descripta salacitatis mala, quæ libido certissimè incurrit: *Impudicitia semper est detestanda, obscœnum ludibrium reddens ministris suis, nec corporibus parcens, nec animis: debellatis enim propriis moribus, totum hominem sub triumphum libidinis mittit: blanda prius vt plus noceat, dum placet; exhauriens rem cum pudore, hostis continentiæ, frequenter perueniens ad sanguinem, cupiditatum infesta rabies: incendium conscientia bona, ruina melioris status; contumelia generis, expugnans sanguinis, & familiæ fidem.* Singulas sententias, sententiarum, & acuminum fertiles expendito, quas si expenderem sigillatim, nimis longum fecissem.

Adglomerata impudicitiæ vitoperia.

6. Luc. 21 v. 25

Lucæ 21. inter reliqua supremæ diei præsagia, hæc speciatim à Christo Deo recẽsentur: *Et erunt signa in Sole, & Luna, & stellis, & in terris pressura Gentium præ confusione, &c.* Quænam erunt hæc in cœlestibus signa, tot acerbas calamitates atrociter minitantia? S. Ambrosius sic præfata verba ad lemma præsens exponit: *Sicut menstruis defectibus Luna, vel terra opposita cum fuerit è regione Solis, vanescit: sic & Sancta Ecclesia, cum lumini cœlesti vitia carnis obsistunt, fulgorem diuini luminis de Christi radiis non potest mutuari.* Christus Deus, Sol iustitiæ est, qui omnem hominem in hunc mundum venientem, plena lampade illustrat: Omnem, inquit, quia nullus est vel vnius diecul æ infantulus, qui de hac vberrima luce scintillam aliquam non fœneretur. Ast qui *candor est lucis eterna*, vsqueadeò exhorret luxuriæ fæculentum squalorem, vt quasi gratiæ fulgores contrahat, in tenebrarũ agnato horrore libidinem propè derelinquat. Vnde homo, *cùm lumini cœlesti vitia carnis obsistunt, fulgorem diuini luminis de Christi radiis non potest mutuari*: Inexpensa dimittimus hæc postrema verba, ne eorum elucidatio desperationem expensione procuret. Heu quàm auara gratiæ luxuria est! O densas libidinis tenebras!

Luxuria obsistit Dominicæ gratiæ splendoribus.

Ambr. l. 10. in Lucam.

---

§. CLXXXIV.

Libido, vitiorum omnium matrix, & abbreuiatum eorum compendium.

Parœmiastes Sacri modulata vox est: Ne attẽdas fallaciæ mulieris, fauus distillans labia meretricis: ne fortè *Gemas in nouissimis, quando consumpseris carnes tuas, & corpus tuum.* Symmachus pro *To in nouissimis*, transtulit *in deficiendo.* Libido enim dum vires despumat, defectus multiplicat, & languorem adauget. Nam vt dixit Tullius: *Libidinosa, & intemperans adolescentia effœtum corpus tradit senectuti.* Porrò vt docet Augustinus: *Semen totius animalis latentes numeros accipit, & inchoatur in prolem.* Et explicatius Clemens Alexandrinus causam reddit, cur homo intemperans, & libidini totus, consumptis carnibus, & corporis robore, imbecillè deficiat: *Homo, ait, ex homine nascitur, & euellitur. Vide damni magnitudinem; totus homo per exinanitionem corporis abstrahitur. Dicit enim: Hoc nunc os ex ossibus meis; & caro de carne mea. Homo ergo tantum exinanitur semine, quantus videtur corpore; est enim generationis initium id quod recedit.* Parùm foret, si homo nimis luxuriando, corpore defecisset, nisi defecisset, & mẽte: nam libidinosus, & carnem profligat, & latentes virtutis numeros confundit, dum pietatem omnem scortatione perimit, nil relinquens virtutis residuum, quod libidine non excaudicet. Vix superest tuta mens à libidinum impudicarum, strage. Nam vt scitè dixit Philo: *Non sunt in rebus duo tam contraria, quam voluptas carnalis, & scientia.*

1. Prou. 5 v. 11

Lasciuia animalis latentes numeros dissipat.

Tullius apud Salazar ibi

S. Aug lib. de Vera relig. c. 40.

Clem. Alex. lib. 2. Pædag. c. 10.

Gen. 2. v. 23

Philo in lib. Quod Deus sit immutab.

Geneseos 3. callidus ille serpens primæui delicti incentor, Euæ seductæ reus sistitur, & hoc seuerissimo supplicio eius audax impudẽtia mulctatur: *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Segniter, opinor, videtur serpens agere inimicitias cum muliere. Mulier serpentis caput ferire properat, & serpens mulieris insidiatur calcaneo; Esto, calcaneum momorderit, haut graue tunc damnum intulerit; siquidem pedes duntaxat morsicando læsit. Verumenimvero serpens, quia ventre repit, & ventri repratione totus incumbit, libidinis hieroglyphicum est, inde perniciosissimè calcaneo insidiatur, pedes impetit, pes enim extrema, & infirmissima hominis pars est, & cui reliquum hominis innititur; huic ergò venereæ voluptates, quasi totius structuræ fundamento minitatur, vt spiritualis fabricæ moles corruat, labefactato castitatis fundamento. Libido enim corpus, animam, omnes potentias, membra, ætates, & virtutes, ad miserabilem ruinam labefacit. Audiendus est hac super re Philo Hebræorum disertissimus, sic præfata verba mysticè commentans: *E contra, inquit, voluptas insipientis plantam seruat: sapientis autem basim*

2. Gen. 3 v. 14. & 15.

Philo de leg. Allegor.

basim destruere conatur,& subtrahere, existimans *hanc sibi moliri perniciem*. Ecce tibi quàm astutè serpens libido,hominis insidiatur calcaneo, existimans maximam moliri perniciem, dum calcaneum, id est, *sapientis basim destruere conatur.* Profectò singula vitia aduersus singulas interiores hominis partes potenter armantur, gula insidiatur temperantiæ, timiditas constantiam excutit, superbia humilitatem ablegat, infidelitas fidem perimit. Libido autem audèctiùs præsumit,& toti spirituali virtutum fabricæ ruinam minatur,dum castitatis fundamentum subruere vaferrimè tentat,& vno ictu totum interiorem hominem profligare festinat, omnium virtutum strage. Vnde libido *insidiatur calcaneo eius*, dum *sapientis basim destruere conatur.* Nisi fortè libidinis voluptas *sapientis basim destruere conatur*, quia vt dixit Beda: *Voluptates carnis dissoluere mentem per delicias solent.* Hinc affulget lux verbis illis Exodi 5. *Et mensuram laterum, quàm priùs faciebant, imponetis super eos.* Quæ verba ita mysticè exponit Laudunensis Anselmus: *Opprimantur operibus, luti videlicet & carnis, vt obliuiscantur Deum suum.* Vnicum humanarum calamitatum præsidium, Dei memoria est. Ergo infernali astu, Dei populum in luti,id est, *carnis* operibus exerceat Pharao, quò Dei obliuionem vaferrimè inducat. Porrò sicut Dei memoria, castitatis priuilegium est, sic Dei obliuio sequela libidinis Gehennalis enim incendij scintilla dum luxuriæ spiritu flabellatur in carne,humanum diuinæ recordationis igniculum interstinguit,& dolosis lasciuiæ cineribus sepultum abscondit. Libidinis æstus, diuinæ recordationis naufragium est. O caue ab hoc luxuriæ scopulo, ad quem Dei memoria naufraga impingit! Heu!sic carnis deliciæ mentem dissoluunt?

Beda in cap 6. Marci. Exho 1.5. v. 8. Anselm. ibi

3. Genesis 6. cùm cœpissent homines multiplicati super terram, & filias procreassent,videntes filij Dei filias hominum quòd essent *pulchræ*, acceperunt sibi vxores ex omnibus,quam elegerant. (nam vt ait Seleuciensis Basilius: *Forma voluptates nundinatur.*) Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate. *Cumque vidisset Deus terram esse corruptam, (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram) dixit ad Noe: Finis vniuersæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.* Ob vnam lasciuiæ culpam,miserrimæ decernũtur diluuij strages? vnius luxuriæ fit mentio,& omnis terra dicitur *iniquitate repleta*? An homines tunc insano libidinis ardore acti, ab aliis flagitiis feriabantur? an potiùs Deus ob omnigena scelera, ex libine oborta, *gurgite præcipiti pollutum diluit orbem*? Scilicet homines acerbiùs punit Deus: *Quoniam terrena secuti, Plus carnis quàm mentis habent. O miseri, quos tam iusta dilatio pœnæ, Plus facit esse reos!* (Pergit idem Claudius Marius Victor propiùs ad rem.) *Quos dira libido crimen in omne trahens*,&c. Ecce tibi ænigmatis solutionem, ad thema præsens in paucis tempestiuam. Scilicet explicatiùs duntaxat dicitur? terra fœdis libidinibus repleta: sed quia libido reliquorum criminum fœcunda est, & vniuersorum scelerum matrix?dum libido recensetur,perinde est,ac si reliqua speciatim censerentur. Nam dira libido crimen in omne eos trahit,qui carnalibus vitiis assueti,quasi intellectu in minuti forent, *plus carnis quam mentis habent.* Exinde seuerissimus De furor, *gurgite præcipiti pollutum diluit orbem*. Inde etiam septem salacissimi Saræ mariti acerbius puniuntur,quàm non valde tunc in illis criminosus libidinis reatus exposcere videbatur. At effusior lasciuia reliqua vitia,aut inuenit, aut facit: nam *dira libido crimen in omne trahit*. Heu luxuriæ peccatum peccans! A quo hîc filium suum Tobias arcet.

Seleu. Orat. 28. *Pulchritudo voluptates nundinatur.* Gen 6 v. 12. & 13

Lasciuus plus carnis, quàm mentis habet. Claud Mar. Victor lib 1 Poëm in Genes. *Dilatio pœna plus facit esse reos.*

Dira libido crimen in omne trahit.

Hic v 13

4. Lucæ 15. prodigum filium reducem,& prono amplexu,& osculo amico,& festo epulo,pius excipit pater. Liuore malè saucius senior frater, in has amarè querulas voces inuidus erupit:Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam dedisti mihi hœdum vt cum amicis meis epularer: *Sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus,venit, occidisti ei vitulum saginatum.* Hugo Carensis inibi: *Deuorauit substantiam suam corporalem, & spiritualem cum meretricibus. Interdum enim fornicatio pro quolibet peccato generaliter ponitur, vt in Psalmo: Perdes omnes qui fornicantur abs te.* Benè quidem Hugo; sed Hieronymus præfatum locum illustriùs commentatur: *Dissipauit omnem substantiam suam viuens luxuriosè. Luxuria est inimica Deo, & virtutibus: perdit omnem substantiam patris, & ad præsens voluptate deliniens, futuram non sinit cogitare paupertatem.* Nimirùm prodigus hic adolescens viuendo luxuriosè, denotauit omnem substantiam suam corporalem, & spiritualem cum meretricibus. Profusissima quidem prodigalitas! Et quasi hoc parùm foret, addit Hieronymus: *Perdit omnem substantiam Patris.* Omnes Dei Patris diuitias lasciuia perdit!Nil supererit in Dei censu, & diuinæ omnipotentiæ thesauris; quod non dissipet effusior libido? Quid ad rem exaggeratiùs.

Lucæ 15. v. 30. Hugo ibi. *Prodigus adolescens luxuriando, omnẽ Patris substantiam perdidit.* Psal 72 v. 27 S. Hieron. epist. 146

5. Geneseos 1. Protoparentibus recens creatis benedixit Deus,& ait:Crescite, & multiplicamini,& replete terram,*& subiicite eam, & dominamini piscibus maris,& volatilibus cœli, & vniuersis animantibus,quæ mouentur super terram.* Sed præstrictim notare libet,quomodo Adamus summam hanc dominij prærogatiuam amiserit? An quia nimis fuit vxorius? Eloquenter Hildebertus: *Omnia enim subiecta, quandiù Adam mulieri subiectus non fuit: cui postquam male morigeratus est, cœpit esse non suus, & tot dominis seruire, quot vitiis.* Sat esto digitum ad Hildeberti acumen intendisse.

Gen. 1. v. 28 *Adam nimis vxorius, tot seruiuit dominis, quot vitiis.* Hildeb epist 56

6. Iudithæ 15. obtruncato Holofernis capite, & male concisis Assyriorum copiis, tantæ Heroïnæ Hebræorum vindici, festum pœana populus occinit: Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri: *Quia fecisti viriliter,& confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaueris.* Dum victoriam de Holoferne reportantem, & de cunctis Assyriorum phalangibus populus concelebrat, victrici Iudithæ de castitatis gloria adulantur;Opportunè id quidem Holoferniana victoria, in qua Iudithæ pudicitia periclitari potuit:*Caro,& mulier, cumulata infirmitas,* (ait Hildebertus) *De omni hoste simul triumphat, cui datur de carne, & fœmina triumphare.* Aurea sanè Hildeberti verba, & ad præsens lemma in paucis tempestiua!

Iudith 15 v. 11. *De omni hoste simul triumphat, cui datur de carne, & fœmina triumphare.* Hil'd. ep 56

7. Saluianus Massiliensis de effusiori suæ ætatis salacitate loquens,ait? *Æthnam putes impudicarum esse flammarum.* Et Petrus Damianus non absimiliter de vitio luxuriæ differit, inquiens: *Non sit ergo mens nostra apotheca mercium, non cupiditatis*

Salu l. 7 de Guberna.

cupiditatis

Addensata luxuria vituperia *cupiditatis ærarium, non area bellorum. ... Sit ergo mens nostra, non obscœna luxuria clibanus, non* Damian. ser. 71. *passionum sentina carnalium, non volutabrum vitiorum.* Hæc lasciuiæ epithe ta manifestè produnt, quàm sit libido vitiorum fertilis. Et tamen sic *Ioannes fit libidinis præmium.* æstimatur ab hominibus, vt Ioãnes Baptista fuerit donatus in lasciuiæ præmium: *Verum Ioannes stabat magister Gratia..... qui puella præmium* Basil. Orat. 34. *scrutabatur*, ait Seleuciensis Basilius. Quin & li- *Luxuria paradisus putatur.* bido, paradisus putatur: nam Geneseos 18. vbi scribitur: *Voluptati operam dabo?* Ita scribit Lipomanus: *Nota, quod vbi nos posuimus volupta-* Gen 18. v. 12 *tem, Eden scriptum est in Hebræo.* Eden autem Lipom. ibi. paradisum significare notissimum est. Imò & se *Libido vulgò adoratur.* ab hominum turba exgregem facit Nazianzenus Naz Orat. 39. aiens, *Etiamsi libido a nobis adorata non fuerit.* Heu! quasi res mirissima dicitur, quod aliquis è Sanctorum summatibus, libidinem nũquam adorauerit; Vitiorum sentina, paradisus putetur; turpium obscœnitatum conceptaculum, diuinos honores aucupetur.

8 Denique cùm lasciuia sit vitiorum omnium Gen 18 v 20 officina, & compendium, mirum non est, si acerbissimè puniatur à Deo. Genes. 18. *Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ mul-* Caiet. ibi *tiplicatus est! & peccatum eorum aggrauatum est nimis.* Caietanus sollertiùs perscrutans Hebræum verbum, quod subest pro τὸ *Dominus*, ita scribit *A primo & summo essendi principio libido punitur.* *Tetragrammaton est, ad insinuandum quod ipsum summum principium essendi, est etiam principium destruendi Sodomam, & Gomorrham.* Primum & summum principium essendi, est etiam principium destruendi salacissimos Sodomitas; Valdè exaggeratur supplicij acerbitas, cùm non à Deo vtcumque, sed à Deo, vt est primum, & summum principium essendi, infligi perhibetur.

§. CLXXXV.

Sublimior ne Gratia fastu quodam animos arroganter attollens, à virtutis culmine aliquando deiicit.

1 O Quàm contempta res est homo, nisi suprà humana se erexerit. Limum corporis sui sapit, & originis suæ cœnum subolet; & Dei flatum quo augustè eius animus formatus est, planè desuescit, & totus homo in matricem puluerem quodammodo degenerat. Cùm verò homo diuina contemplatur, & gratiæ officiositate allectus, ad cœlestia aspirat, cœlestibus alitur, adipatur, & *Timendum homini est à præcelsa virtute.* crescit: velut corporis vinculis liberatus animus, in originem redit, & hoc habet argumentum suæ generositatis, quod illum diuina delectant, nec vt alienis interest, sed vt suis. Verùm enimverò etsi cognatæ vitiositatis genio, contempta res sit homo, nisi virtutis ope supra humana se erexerit: adhuc tamen sic erectus, cauere sibi debet non tantùm à vitij fomite, quem medullitus alit, sed etiam ab augusta virtutis generositate, nisi cautè agat; ne de virtutis officina vitiũ conflet, subdola naturæ humanæ peruersitate. O quoties angustior virtus, ex prauitate nostra, quodammodo virtuti insidiatur, dum pietatis claritudo vitio vanæ gloriæ infuscatur, & vnde boni sumus incipimus esse mali, occasione perperam à nobis accepta. O humanam prauitatem, quæ de antidoto venenum conflat!

2 Isaiæ 14. sic apostatæ Angelo, & rebellium Isai 14 v 12 & 13. principi illudit Deus: *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram:* qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: In cœlum conscendam... ascendam super altitudinem nubium similis ero Altissimo. Detracta est ad inferos superbia tua, *concidit cadauer tuum.* Nimirum Lucifer ille creaturarum primicerius, cœlitum princeps, & præcelsus olympi incola; naturæ, & gratiæ dotibus sic augustus, vt diuinæ *similitudinis signaculum* meritò nuncupetur: tam Ezech 28. v 12. arroganter elatus superbiuit, sublimioris excellẽtiæ abusu, vt de tantæ celsitudinis, & gratiæ fastigio in terram præceps corruerit. *Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris?* In præclaro Greg. Naz in Apolog ad Patrem. Ortu occasum inuenisti de fulgoribus obscuratus & de donorũ gratiæ bonitate, malignè pessimus. S. Gregorius Nazianzenus hac super re sic aliorsùm eloquenter fatur: illud tamen, inquit, hinc *Gratia fastu quodam animos arrogantes efferens, à Deo deiicit.* animaduertitur, quod tametsi gratia diuina non contingat indignis, nec omninò in malum, & ineptum instrumentum cadat, nihilominus propter mutabilitatẽ habitus, ac naturæ humanæ, nequaquàm minoris negotij sit, mea quidem sententia dignitatem suam, & concinnitatem seruari, quàm ab initio verè aptum concinnumque reddi, ac dignum effici. *Præsertim cùm ipsa Gratia sæpe numero (vt quod omnium malorum nostrorum est, & absurdum maximè proferam) fastu quodam animos efferens, à Deo deiiciat eos, qui non rectè ad ipsum propiùs accesserant; eoque modo fiat, vt dum extollimur, deturbemur; quo peccatum fiat suprà modum peccans, per rem bonam mihi mortem afferens.* Doctè quidem, & supra modum argutè Nazianzenus. Nempe quod malorum nostrorum, & pessimum, & absurdissimum est, *Ipsa Gratia sæpe numero fastu quodam animos efferens, à Deo deiicit.* Sicque fit peccatum supra modum peccans cùm de Gratiæ bono, culpæ malum arroganter ædificamus ad grauiorem ruinã. Sicut Lucifer, qui de dignitate sua indignus effectus est, & de Gratiæ officiositate fastum elaborauit, de luce obscuritatem offudit, & in fastigio ruinam præcipitanter inuenit. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?* &c. *concidit cadauer tuum.* Apostata nespiritus per fastum in terram decidens, in terræ profundo miserè cadauerascit? Scilicet dum *per rem bonam sibi mortem attulit*, de cœlo per elationẽ deturbatus, in terris cadauerascere dicitur, quasi malus Dæmon sit boni Angeli cadauer; aut obscuræ tenebræ, in quas per superbi fastus mortem abiuit, sic Luciferi, aut lucis cadauer, & dum Lucifer Gratiæ quodam fastu in cœlis superbit eiusque exindè peccatum fit suprà modũ peccans tenebrosè obscuratus, velut putre supernę lucis cadauer, in terris iacet squalidè. O time, ne Gratia diuina, qua excellis, in malum, & ineptum instrumentum cadat, & propter mutabilitatem habitus, aut naturæ, *fastu quodam te efferens*, dum in sublime extollit, in profundum deturbet! Ergò parùm foret, si Tobias filium probissimum admoneret, vt scelera in se non admitteret: nisi etiam Hic v. 14. has illi prauitatis nostræ insidias detegeret. Vnde videns Filium tot naturæ, & gratiæ dotibus illustrem, cordis arcet superbiam, ne vel ipsa *Gratia fastu quodam* illum efferens, infimissimam virtutis ruinam præcipitanter deturbet.

3 1. Corinthiorum 15. denarrat Paulus Christum Deum

Deum à mortuis resurrexisse, qui primum visus est Cephæ, & pòst vndecim Apostoli. Deinde visus est plusquam quingentis fratribus, &c. *Nouissime autem*, inquit, *tanquam abortiuo, visus est mihi.* Cùm omnibus in confesso sit, Paulum humilitatis causa se *abortiuum* nominare, variè hunc locum versant commentatores. Theodoretus, & Theophylactus τὸ *abortiuum*, pro contempto, & abiecto accipiunt, quia abortiui fœtus, vtpotè imperfectiores tenuiores, & graciliores esse solét. Ambrosius verò τὸ *abortiuum* se dixisse putat, quia extra tempus, Christo scilicet in cœlos recepto, natus in Christo Paulus, nouissimus Apostolatum accepit. Aliter Cardinalis Baronius, censet enim Paulum vocari *abortiuum*, scilicet Apostolum, eo quod præter, & extra numerum duodecim Apostolorum, Apostolus creatus sit. Solebāt enim Romæ Senatores *abortiui* vocari, qui suprà numerum per gratiam in senatum allegebantur. Quod forsan alibi ad mores expendemus. Verùm Remigius Episcopus Rhemensis; sic Pauli locum subtiliter ad rem interpretatur: *Nouissimè autem omnium tanquam abortiuo visus est mihi. Abortiuus est, qui sine legitimo tempore nascendi nascitur, extra tempus videlicet congruum, aut antequam debeat nasci, aut post. Iulius Cæsar fuit abortiuus, qui post legitimum. Sic & Apostolus abortiuus quodammodo extitit, quia post tempus natus est in Christo.* Nempè Paulus dicitur *abortiuus*, quia post congruum tempus natus est in Christo, & ideo in parturientis Gratiæ vtero diutius extitit. Porrò qui post legitimum tempus nascuntur, vegetiores, & validiores nasci solitant; quippe qui materni vteri fotu diu adipati, robustiores euadunt: cur ergo Paulus cum humilitatis causa, se imperfectiorem, & tenuiorem haberi cupit, vocat se *abortiuum* Gratiæ filium, id est, qui diu existens in Gratiæ vtero, seu nascentiæ ad Christum matrice adhuc debilis, & imperfectus sit natus, instar *abortiui*, qui ante tempus nascitur? Nimirùm valdè se demittit Paulus, qui cùm diuturniori Gratiæ fotu vsus fuerit, *minimus* Apostolorum infirmior, & imperfectior natus sit, velut *abortiuus* ante legitimum tempus editus, quasi diuturniori Gratiæ fotu abusus fuerit, & vnde robustior nasci debuit, inde velut *abortiuus*, gracilior, imbecillior, & imperfectior natus sit. Quasi dicat: tametsi in Gratiæ matrice diutiùs extiterim, vnde vegetior debuissem enasci, sic diuturniori Gratiæ fotu abusus sum, vt *tanquam abortiuus*, imbecillus, gracilis, tenuis, ferè cœcus, & semimortuus natus sim. Profectò cùm Paulus humilitatis causa se appellet *abortiuum*, & Apostolorum minimum &c nullo se potuit abiectiori elogio tā humiliter demittere, quàm se appellando diu rebellem Gratiæ post diuturniorem in illius vtero fotū, adhuc *abortiuum*, id est: tenuem, infirmum, & semiuiuum quasi de Gratiæ robore imbecillitatē hauserit, & de Gratiæ generositate degener euaserit, & vnde esse debuisset vegetior, inde extiterit *abortiuus*. Sic de se Paulus humiliter sentit! Suspicamus has Paulinæ humilitatis argutias, quas Remigius nobis indicauit.

1 Cor. 15 v 8

Senatores abortiui dicebantur, qui allegebantur extra numerum.

Baron anno Christi 44. pag 317.

Sueton in Octauio cap. 35

Remig. ad hæc Pauli verba.

4.

Paulus idèo dicitur abortiuus, quia post legitimum tempus natus est Christo.

5\. Lucæ 6. postquam Christus Deus denunciatis beatitudinibus, præmiis ad virtutem, & fidem populos prouocauit; nunc etiam à criminibus atque peccatis suppliciorum denūciatione deterret. *Væ*, inquit, *cum benedixerint vobis homines.* Sic spectatores oculi quando aspectabilem virtutem cum laudibus celebrant, illam infeliciter fascinant, vt *Væ* infaustum, his qui ab hominibus benedicuntur, Saluator edicat; Et vbi est illud: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona?* S. Ioannes Chrysostomus hoc dubium proponit, & his verbis subtiliter soluit: Non autem cōtrarium est quod hîc dicitur, ei quod alibi Dominus dicit: Luceat lux vestra coram hominibus, &c. Vt scilicet festinemus bene agere ad gloriam Dei, non ad propriam. *Perniciosum enim quid est inanis gloria, & inde sumit ortum iniquitas, atque desperatio.* Nimirùm qui de virtute ipsa inaniter elatus, sic effertur, & turget, vt laudes captet humanas, & de virtute, arrogantia animitùs dissimulata glorietur; si Chrysostomo credimus, propè *desperare* potest. Porrò qua spe fulciri eualet, qui insolenti quodam virtutis abusu, vitiis seruit? & *cum ipsa Gratia fastu quodam animos efferens*, à Deo deiiciat eos, qui non rectè ad ipsum propiùs accesserunt? Sic Christus alibi dixit: *Non veni vocare, iustos, sed peccatores.* Iustos ibi appellans eos, qui de sua iustitia humanos plausus inaniter captant.) O! quid speret is, qui virtutis antidotum in vitij conuertit venenum? *Væ cùm benedixerint vobis homines*, nam cùm humanus arridet virtutis plausus, *inde sumit ortum iniquitas atque desperatio.* Auertantur statim erubescentes qui dicunt mihi, Euge, euge.

Luc. 6. v. 26. *Cùm humanus arridet virtutis plausus, inde ortum sumit desperatio.*

Chrysost.

---

§. CLXXXVI.

Valde satagit malus Dæmon, vt aliquod vitium animitùs nobis consuesceretur.

QVid inter morbos animi intersit, & affectus sæpè iam inculcauimus. Nunc quoque perstrictim admonebimus. Morbus est, inueteratum vitium, & durum, vt auaritia, vt ambitio nimia, vt ambitiosior luxuria, vt detractio petulanter effusa. Hæc cùm semel cœperunt, animum impliciuerunt, & frequenti repetitione totum impleuerunt, & perpetua eius mala esse cœperunt. Vt breuiter finiam, morbus est, consuetudo vitij in prauo pertinax. Affectus sunt motus animi, improbabiles, subiti, & concitati, qui frequentes neglectique fecere prauæ cōsuetudinis morbum. Sicut distillatio vna, nec adhuc in morem adducta, tussim facit; assidua, & vetus phthisim; ita mali affectus, crebra repetitione in vitiosam consuetudinem, morbum propè irremediabilem transeunt. Nec opinor tam curat humani generis hostis infernalis, vt à nobis extorqueat varios affectus, in diuersa vitia sparsim errantes; quàm vt vnum multiplici repetitione hærenter figat, & altè repetita consuetudine fundet. Peregrinari in hominibus sæpè negligit, habitare quasi inquilinus semel mauult, etsi in vno tantùm affectu domicilium figat. 1.

Vna stillatio facit tussim, assidua phthisim.

Lucæ 11. miserum illum hominem diu Dæmō pertinaciter obsederat, & vnde diuturnum fixerat domicilium, difficillimè se abigi sinit, sed totis Tartareorum viribus Diuinæ omnipotentiæ obluctari præsumit. *Erat IESVS eiiciens Dæmonium, & illud erat mutum.* Nemo interpretum non obseruat τὸ *erat*, reluctantem Dæmonis excantandi obstinationem denotare, & arduam illius expellendi difficultatem insinuare. Nil Christo 2.

Luc 11. v. 14

Cur Dæmon mutum faciens, aditum claudat ad cæterâ linguæ vitia.

sto Deo difficile, qui toto cognatæ omnipotentiæ adnisu miracula patrat: sed difficultatem humanitus repræsentat, vt ostendat quam sit de se arduum, quod assiduitate assueuit, aliquandò rescindere. Et sanè admiratione dignum est, quòd Dæmon iuratus hominum hostis, linguam huius hominis Diabolico impedimento ligarit, quo illum elinguem & mutum fecerit. An non magis è re Diaboli erat: vt vel lingua muto solueretur; lingua inquam, scelerum officina & delictorum matrix, & mundus iniquitatis? In muto homine periuria vacant, contumeliæ & detractiones otiantur, & sexcenta alia oris vitia, prolixa recensitione necdum plenè libata. Eccur Christus muto dat linguam, virtuti frequentiùs insidiantem? Et quare malus Dæmon taciturnitate obsignat hominis linguam, quæ malitiæ conflatorium vulgò nominatur? Imo si astutus Dæmon per linguæ vsum intrauit (aut per oculos etiam & aures: nam vsum quoque & auditum dicitur impediisse) cur aditum claudit, ne alia etiam vitia per linguam valeant in hominem subintrare? O insolenter pium Dæmonem, aut humanæ malitiæ auarum, qui vno vitio, per quod intrauit, contentus, cæteris apertas fores benignè claudit! Gratulor iam hominibus, dum minùs sæuum, quin & benignum magis infernalem hostem habent; qui vno semel linguæ vitio contentus, per quod intrauit, dum reliquis aditum mutâ taciturnitate præcludit, cęteris linguæ vitiis parcere videtur. Luculenter Hugo hàc super re ita philosophatur: *Erat IESVS eiiciens Dæmonium, & illud erat mutum, Id est, mutos faciens: & cæcum, vt dicit Matthæus. Sed quare hos sensus potius quam alios impedit Diabolus? Odis nequitia Dæmonis alterutrum ingressum per quem reditus eras, oppilauit auditum, & visum, & tertium, id est, linguam.* Scilicet non est Dæmonis benignitas oppilare plurium vitiorum ingressum; sed nequior sæuitia est, dum aditum ad alia præcludens, ipse vno solùm velut contentus, intùs diu manet. Agat animitùs radices vnum duntaxat vitium: præcludantur medicinæ fores: nam etsi aliis vitiis simul oppiletur ingressus, vnum tantummodò medullitùs diu corporatum, perniciosius est de inolita consuetudine, quàm pluralitas de non repetita numerositate. Nam tam sæpe ambit in hominibus versutus Dæmon multiiugam semel delictorum pluralitatem, quæ post commissionis voluptatulam, tædium sui faciunt, quàm vnum duntaxat vitium altè radicatum, & quod diuturna consuetudine velut in naturam abit. Exinde malus Dæmon etsi per linguam intrauit, muta taciturnitate linguam obsignat: nam licet simul aliis linguæ delictis aditum claudat, sat est intùs diu manendo, aditum præcludere, & exitum oppilare, quo diutiùs hæreat, & perdiu inibi clausus maneat. O vide, quanta cum difficultate vel à Christo Deo Dæmon expellitur, qui *alterutrum ingressum oppilauit*! Idcircò consultissimè posuit Euangelista verbum illud, *erat*, aiens, *Erat IESVS eiiciens Dæmonium, & illud erat mutum.* Et Tobias hìc vers. 14 seriò præcipit filio, ne vitium in suo sensu, aut verbo, *dominari* permittat. Sensim ingreditur, & vbi animus assiduitate assuescit, exitum propè oppilat.

Hugo Car. ibi. Math 12.

Hic vers. 14.

3. Geneseos 4. Factum est post multos dies vt offerret Caïn de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum: & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Caïn verò & ad munera illius non respexit: iratusque est Caïn vehementer, & cecidit vultus eius. Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es? & cur concidit facies tua? *Nonne si benè egeris, recipies? sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit? sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaris illius.* Locus ex Lxx. interpretum versione in paucis impeditus. Verùm S. Hieronymus ex Hebræo sic vertit, & exponit: *Nonne si bene egeris, dimittetur tibi*, Non te prætereant hæc verba, (alibi forsan examinanda) *si non bene egeris, ante fores peccatum tuum sedebit? At ad te societas eius, sed tu magis dominare eius. Quasi dicat... Quod si male egeris, illico peccatum ante vestibulum tuum sedebit, & tali ianitore comitaberis, Verùm quia liberi arbitrij es, moneo, vt peccatũ non tibi, sed tu peccato domineris.* Ecce tibi commissum peccatum, in animæ vestibulo cubare, vel tanquam ianitor ante fores sedere dicitur. Sed aduerte quod vbique *tali ianitore comitaberis*. Caue autem solerter, *vt peccatum non tibi, sed tu peccato domineris*. Tu dominaberis peccato (si ad rem ethicam sensum deflectamus) quando aut leuiter delinquis, aut si grauiter, semel aut iterùm pecces. Quod si alicui peccato frequenter assuescas, & inueterata consuetudine diu illi hæreas, peccatum tibi *dominabitur*; dum illo tanquam ianitore vtẽs, nil propè nisi ex eius censu ad te ingreditur, vel egreditur à te, quod fieri solitat, quandò diuturna inualuit consuetudo. O caue, ne peccatum diu in foribus tuis sit: extra fores eiice, ne in pectus intret! Perbene ad rem Hugo Victorinus ad ea verba: *Sin autem male, statim in foribus aderit.* Ita fatur Victorinus: *Duabus de causis dicitur aliquid in foribus esse, vel vt intret, vel vt exeat. Similiter hìc de peccato potest intelligi.* Flagitiosè deliquisti? puta, peccatum esse in foribus vel vt *exeat* per pœnitentiam, vel vt *intret* per consuetudinem peccandi. Si illud mox pœnitudine abigis, & è foribus emittis, ne malo vtaris ianitore; tu peccati *dominaberis*. Quod si diu negligis, *& vt intret* per consuetudinem permittis; te illi subiecisti, & imperiosè tibi velut seruo *dominabitur*. O caue, vt dũ ad ianuam est, ne ad te sensim repetita malitia subintret, ne ianuam per diuturnam consuetudinem, velut post se claudat, oppilet ingressum! Dum peccatum assiduitate non hæret adhuc patet aditus: at vbi consuetudo inolescit, sic de diuturnitate insolescit, vt quasi egressus foret præclusus, vix egredi patiatur. Vide nuper Christum Deum, qui toto omnipotentiæ adnisu Dæmonem qui sensuum humanorum fores diu oppilarat, & præ nimia consuetudine aditum occluserat diuturna expulsione laborantẽ. Non quia id non eualeret in momento præstare; sed vt hominibus innotesceret, quàm medullitus velut corporetur diu inolita peccandi consuetudo. Peccatum, quod sensim palpãdo ingreditur, serò nimis, & viscera discerpendo, egreditur. Vitium in mores & alteram naturam increuit. O quàm est homini difficile, hominem desuescere!

Gen. 4. v. 7.

Si benè egeris, dimittetur tibi.

Hieron. in qq. Hebr.

In foribus sit peccatum, vt exeat, non vt intret; ne homini dominetur.

Hugo Vict. in Annot.

4. Genes. 6. Videns autem Deus quòd multa malitia hominũ esset in terra, & cũcta cogitatio cordis intenta esset ad malũ omni tempore, pœnituit eum quòd hominem fecisset in terra. *Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Quæ Dei verba exponens Chrysostomus, ita scribit: *Eò quod ipsi homines, inquit,*

Gen. 6. v. 4. Chrysost. inibi.

inquit, carnes sunt hoc est, eò quod carnalibus operibus se ipsos totos dedunt, & animæ substantia abutuntur, & quasi sola carne circumdati, anima carerent, sic vitam suam absumunt. Sic anima, non bona carnis elogia, de amico carnis contubernio mutuatur, vt carnem sapiens, spiritus diffiteatur attributa: S Gregorius enucleans illud, *Quia caro est*, ita fatur: *Caro quippe homo efficitur, quandò sensui carnis ratio subiugatur.* Sic carnalis concupiscentiæ vitium inoleuit; sic homini libido conuisceratur, vt rationalis homo, *caro* nominetur, cùm *sensui carnis* anima subiugatur? Exindè de anima rationali & spirituali, sensuum libidinibus propè immersa dixit exaggeratiùs Tertullianus: *Opinor sensualis est animæ natura. Adeò nihil animale sine sensu, nihil sensuale sine anima. Et vt impressiùs dixerim, anima animæ sensus est.* Vide quã impressè conuisceretur carnis vitiositas, & sensuũ agnata concupiscentia. *quandò sensui ratio subiugatur*; vt spiritualis & rationalis animæ natura, *sensualis* appelletur, adeò vt *animæ anima sensus* dicatur. Sic altè hominibus vitia conuiscerati Diabolus satagit, sic nobis impressiùs adhærescere, toto in infernalis solertiæ ingenio exsomni diligentiâ procurat. Vitia negligit, quæ facile quiuis excutiat: radicari in minibus malitiam ambit, vitiositate altiùs impressâ, quò vel ipsi animæ sensualis agnata videatur. O! sic *animæ substantia abutimur? animæ anima sensus erit?*

Greg 1.Regum c 15. *Quo sensu dicatur quod sensualis est animæ nostra natura.*

Tertull.de Carn Christi c.12.

§. CLXXXVII.

Dum ærumnosis calamitatibus agitatur homo, timeri potest, ne quodam gratiæ fastu, in superbiam nobiliter degeneret.

1. INter ethicè consiliosa dogmata, quibus Tobias senior iuniorem Tobiam instruit, hoc scribitur omnibus valdè necessarium: *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas.* Hoc documentum grauissimum est, & primum omnium proponendum à sapientissimo & sanctissimo patre videbatur: quia Superbia vitiorum omnium matrix est, illaque gignit, fouet, & incrementat. Sed esto, hæc ita sint, (vt doctè noster Sanctius obseruauit) *in eo rerum articulo minùs erat hoc vitium formidandum adolescenti, qui pauper erat, & exul, neque quicquam apparebat, quod afflictum animum insolenter attolleret.* Profectò vt superbia est vitiorum genitrix, sic etiam felicitatis genitura est. Prosperior fortuna, opulentia, purpura, victoria, triumphus in elationem infeliciter degenerant; nõ ineluctabilis captiuitas sub barbaro Tyranno, non exilium extorribus luctuosum, non paupertas omnium ludibrio exposita, non aduersariorum triumphus, quo de ipsis insolenter victoriatum est. Sed ô beatas, & piè superbas Iustorum calamitates! *Ipsa caro honoratur in præmiis, quæ est probata suppliciis: ipsa in muneribus gaudebit, quæ in doloribus triumphauit.* Gloriosè ouat, & generosè triumphat in doloribus patientia, in captiuitate mansuetudo, in paupertate tolerantia, & in dire aduersis magnanima constantia; adeò vt ærumnosiori calamitate iactatum filium, opportunè Tobias præmoneat, ne *afflictum animum insolenter attollat,* aiens: *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas.*

Hic v 14. *Iustus in dire aduersis, gloriosius triumphat.*

Sanct.ibi n. 35.

Euseb de Pass.hom.10.

Nasci se Deus in vtero patitur matris, & expectat; natus adolescere sustinet, & adultus non gestit agnosci, sed contumeliosus insuper sibi est. Cùm verò à Discipulo in Passionẽ traditur, cùm adducitur, vt pecus ad victimam, ille cui legiones Angelorũ vno dicto de cœlis affuissent, nec vnius quidem Petri gladium contra agrestem offensorẽ probauit. Despuitur, verberatur, deridetur, vinctionibus dehonestatur, ridiculario amictu vestitur, cruenta spinositate coronatur, perfossoribus clauis figitur, diro mucronis vulnere lancinatur. Sed esto, subeundæ mortis tot contumeliis opus foret, eccur in Resurrectionis gloria probrosę Passionis stigmata resumit? Sic Euangelista Ioannes scribit: *Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum* Quare ergò Passionis cicatrices, & vulnerum characteres in gloriosæ Resurrectionis triũpho Christus resculpit? Pulchrè pariter ac tempestinè Emisenus. Nimirum illud solum, inquit, Resurrectio vnde erat credenda, non abstulit. Ostendit ergò manus & latus, ne subitò non eadem caro crederetur resurrexisse, quę passa est: *Ne causam ipsam gloriæ, obscuraret fortasse lux gloriæ.* Scilicet si penitiùs explorare velimus, cur vitę nostrę corpus in sua Resurrectione, notis euictæ mortis inscriptum sit, & cõtumeliosæ Passionis cicatricibus insculptum: dilucidè respondet Emisenus: *Ne causam ipsam gloriæ, obscuraret fortasse lux gloriæ:* Scripti nuper probrosi tormenti characteres, Resurrectionis gloria non deleat, sed potiùs claret ad gloriam, ne obscuræ Passionis gloriâ, gloria Resurrectionis obscuret. Tãtus adhoc perdura augustioris glorię velut quidã fastus de contumeliosæ Passionis gloria, vt illius residuę cicatrices, dum gloriæ causam ostentant, gloriam Resurrectionis generosæ colorent, & sũptuosiùs illustrent. Legis Resurrectionis gloriam, quam fidei oculis cernis, lege gloriæ causam in sacrorum stigmatum characteribus. In calamitate Passionis victoriam, in Resurrectione triumphum agnosce. Profectò augustior triumphi splendor, de victorię generositate gloriam fœneratur. Sordet sine victoria triumphus, à qua ipse illustratur. Ergò probrosę Passionis victrices resculpit cicatrices *ne causam ipsam gloriæ, obscuraret fortasse lux gloriæ.* Vel in triumphi pompa, & prælustri Resurrectionis honore, de cõtumeliosæ Passionis notis Christus gloriatur; Tantum ne decus in ærumnarum calamitate dissimulanter absconditur, vt illustriores glorias de sua obscuritate reuerberet? O! timeri potest, ne homo ærumnis obsessus & calamitatibus pene obrutus, quodam gratiæ fastu, in superbiam nobiliter degeneret.

2. Machabæorum 7. admirandum certamen felicium germanorum, & beatæ Matris calamitates, ad huius rei euidentiam denarrantur. Siquidẽ diuinior prouidentia meliora de cõtrariis peragit; & ita iustas ordinat causas, & boni ex aduersis proficiant; & dum calamitatibus felicitantur, ad piam transeât voluptatem & gloriam impiæ crudelitatis ingenia. Nam quos per cruentissimum persecutorem humiliauerat Diabolus, exaltabat Deus: quos ille damnauerat, iste glorificat: ille opprobriis adimplebat, hic honoribus: ille afficiebat flammis, refrigeriis hic refecit. Itaque pij fratres impia supplicia quasi aliena reputant: quæ 3.

circa

1\. Tertull de Patientia.

Cum cicatricibus resurgit Christus, ne causam ipsa gloria, obscuraret fortassè lux gloria.

Ioan.20.v.27.

Emis. hom. 10. de Pasch.

circa corpus remanẽtia, ad animam peruenire nõ possunt. Diuerso cruciamentorum genere hic verberibus dilaniatur, hic candenti craticula sacrificij more torretur: hic absciſſo mortali capite, immortali capiti iungitur: hic desecta lingua inuiolabilem fidem melius loquitur, & verum Deũ silentio oris, clamore vulneris confitetur. Sigillatim itaque à senioribus ad iuniores passionum ordo disponitur, vnumquemque per decurrentes ætatum gradus, crescentia tormenta percurrunt. *Suprà modum autem mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub vnius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat propter spem, quàm in Deum habebat.* Qua super re sic eloquenter fatur Eusebius: *Singuli fratres magnitudine supplicij, omnes speciali acerbitate torquetur: inter videntes pariter, & sustinentes, qui dolores sunt? propria sunt dolore communia ac sic ille qui posterior vicit cum omnibus triumphauit.* Et post illustrem septem fratrum in calamitatibus triumphum, hæc subdit de matre: *Satagit inter hæc felix orbitatibus suis mater, sollicitior de perimendis, securior de peremptis: respiciens quot funera, tot trophæa, & filiorum merita exultando sua faciens, nouo genere gaudia doloris metit, ac septem martyria vnius pectoris virtute consummat, & numerosam prolem cœlo lata parturiens, ad regnum Dei secura, quia secutura, præmittit.* Quid illustriùs? Pudet consueta expensione singulas trutinare sententias, ne rudiori stylo verba plena ingenij, plena acuminis deuenustare videar. Sed ad rem non dimittam innotatum, filios dum crescentia tormenta alacres percurrunt, & propria singulorum cruciamenta sũt dolore communia, ad calamitatis exaggerationem; tunc, tunc quidem sumptuosiùs *triumphasse.* At pia Mater *felix orbitatibus suis*, respexit *quot funera, tot trophæa*, & in filiorum funestis calamitatibus *exultando nouo genere gaudia doloris metit, & numerosam prolem cœlo lata parturit.* Artifex fides, & gratiæ officiositas, in spei officina felicitatem de infelicitate sic recudit? Quæ in filiorum tormentis *exultando, gaudia doloris metit*, quæ *orbitatibus suis felicitatur*, quæ dirè excruciatam sobolem velut *trophæa* erigit, & acerbiora patiendo *triumphum* gloriosiùs agit; palam ostentat, quanta gloria in calamitatibus abscondatur, pio quodam tolerantiæ fastu, ad humanarum felicitatum inuidiam.

Calamitosa mater, septem filiorum orbitatibus felix.

2. Machab. 7. v. 20.

Euseb hom. 4. de Epiph.

4. Genesis 40. vtriusque Principis somnium congruo rebus euentu, dispari autem fortuna, interpretatur Iosephus. Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat: qui faciens grande conuiuium pueris suis, *recordatus est inter epulas magistri pincernarum, & pistorum principis. Restituitque alterum in locum suum, alterum suspendit in patibulo.* Pro τὸ *recordatus est*, Hebraïca in hoc loco ita habent: *Et eleuauit caput principis pincernarum, & caput principis pistorum.* Est enim נשא *nasa* idem quod *leuare, eleuare, extollere.* Vnde eruditè notauit Lipomanus eodem verbo vsum fuisse Iosephum, & cùm felicitatem annunciauit pincernarum magistro, & cùm patibulum prædixit magistro pistorum. Eodem ne vocabulo summa palatij fortuna, & acerbioris supplicij calamitas significatur? An quia sic est lubrica Principum gratia, vt quod in aula impendet præstetur in patibulo? An vt exaggeret palatini seruitij, & obsequij labores? An vt tam disparem fortunam vilius æstimemus? Summa calamitas, & sublimior felicitas eodem verbo, quasi parallela exponuntur. Æternitatis riualibus omnia mundana atque caduca parili æstimatione deputantur. Nemo è cœlesti schola seriò eruditus, magni facit fortunæ vices. Eodem censu habetur, ærumnosior calamitas, & prosperior felicitas. Vnde grandius infortunium arrogantem reddebat Nazianzenum, de quo aliàs.

Gen. 40 v 20

Hebr. text. Lipom ibi.

Summa felicitas & calamitas, eodem vocabulo exponuntur.

---

§. CLXXXVIII.

Propria laus, vel ipsam veritatem mentiri putatur, exinde sui panegyrim recudit in satyram.

1. Socrates dicebat, siquis in theatro coriarios surgere iuberet, eos solùm surrecturos: similiter si fabros ærarios, textores, aut alios generatim. Si verò prudentes aut iustos, hîc omnes surrecturos fore. Est enim hoc in primis in vita damnosum, quòd cùm hominum pars maxima stulta sit, sapere tamen sibi videantur. Hinc bona sui conscientia prodire vult, & conspici: quasi bonum dedeceat esse sine teste. Quod si exteri desint, ipse sibi non deest, & suas laudes, aut dissimulanter ex occasione insinuat, aut palam garrit, quo famam aucupetur. O frontem! Quis sis, interest, non quis habearis. Virtutum omnium pretium in ipsis est. Benè fecisse, rectè facti merces est. Quid famam virtute emis? Quid virtutem garrulus nundinaris! Falsata est virtus, quæ proprij oris suffragium desiderat. Quid virgineam virtutem constupras mentito ore? Laus propria non prodit virtutem sed, quam prodendo negat, & suspectam facit. Adeò vt nemo sit, qui propria laude mentiri ad veritatem non putetur. Laudator sui, veritati etiam fidem detrahit; & dum famam captat, è peruerso adulatur infamiæ, suamque laudem laudatione facit incredibilem.

Apud Stob. ser. 11.

Propria laus vel veritati mentitur.

2. Sanctus Iobus cap. 9. virtutis virtutes, & vitij vitia peritè callens, sic respondens ad Baldadi Suhites argutias, sic altè fatur: *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, prauum me comprobabit.* Sententia sanè ænigmati similis, & quæ videtur negare quod asserit: nisi nimis fatuè cum aduersario Iobus agat. Quis nisi mentis, & consilij inops, dum sollerter satagit, se iustum ostendere, & probare innocentem, eiusmodi probatione se damnat? Fortè attestata innocentia erit malitiæ rea, & damnationis reatus: nam cùm vitia arrident, peccat qui rectè facit, (dixit ille quicumque.) Cùm ergò tanta iudiciorum peruersitas, longè absit ab his Iobi amicis, non est facile rimari abstrusum huius sententiæ sensum, in quo extricando valdè sudat commentatorum sollertia, vt explicent, quo pacto Iobus, si iustificare se voluerit, & innocentem ostendere, proprio condemnetur ore, quantumuis nullum sui vitium prodat, & eximias virtutes publicet. Omitto multas multorum commentationes, vt exscribam, & expendam luculenta Sanctij verba, ingenij plena, & moralitatum grauida. *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me. Nempè siquis pro se ipso testimonium ferat, suamque à se ipso innocentiam probet, hæc probatio infirma est, & nihilo magis*

Iob 9. v. 20

Publ. Mim. apud Senecã

Serò damnant alij, quod propria lingua laudatione prædamnat.

Sanct. inibi n. 49.

causam iuuat, quàm si ab omni foret testimonio deserta...... Neque solum non fauebit causæ testimonium huiusmodi, sed etiam incommodabit plurimum: non enim modesti est, aut urbani ingenij, &c. Nota moralissimam de Iobi scholia eruditionem. Scilicet, si iustificare me voluero, & meam probitatem ore proprio ostendere, in meas effusus laudes; etsi vera fortè dixerim, non modo fidem non faciam, sed potiùs eiusmodi laudatione non modesti, & vrbani ingenij me arguam, & falsitatis damnabo, quod arroganter lingua garrit, in proprias laudes effusa. *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me.* Tot aduersus me testes sistam, quot laudatoria verba: nullum tam aduersum testimonium mihi refragabitur, quàm meum pro me suffragium, quo vel quod verè dixerim, falsum edictione probabo. Serò damnabit iudex, quod propria lingua in se laudando præproperè condemnauit, quasi reus sit flagitij, qui se laudando, illud auertere molitur. Nil enim apud homines tam putatur à veritate alienum, quàm elogium aliquod proprio ore iactatum: cùm propriæ laudis conceptaculum, veritas non sit, sed immodestus vanæ gloriæ fastus, & arrogantis superbiæ typhus. Ecquis superbiæ vocibus credat? O, te laudando dum credi cupis, incredulitatem potiùs negotiaris! *Si ego* (ait ipsa Veritas) *testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.* Quæ CHRISTI verba copiosè ad mores explicabam in Iudith cap. 13. §. 23. Ad litteram loquitur, adspectu ad hominum existimationem.

Ioan. 5. v. 31

3. In annis 19. Iudæorum inuidia, petulanter tot beneficiis ingrata, & in suum expectatissimum Messiam audacter temeraria probrosissimam mortem vitæ auctori sedulò negotiatur. Prætore inuitè adnuente, Cruci CHRISTVS affigitur. Sed quam ob culpam innocens IESVS ad præacerbum damnatus patibulum? *Scripsit autem, & titulum Pilatus, & posuit super Crucem. Erat autem scriptum: IESVS Nazarenus, Rex Iudæorum.* Hoc ne titulo CHRISTVS damnatur? Regem esse, erit mortis reatus? (O purpuræ in aliis pericula!) Hic titulus patibulo superscriptus, malè tentauit æmulorum inuidiam, apud quos Regem non esse suum, in confesso erat: quod aliis etiam probare moliti sunt, & Passionis acerbissimis contumeliis, ac tormentis, & capitali iudicis sententia. Aduolant statim ad Præsidem, & instanter illi vaferrimè suggerunt: *Noli scribere Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum.* Explorare hîc licet callidissimam Iudæorum versutiam, CHRISTO suprà quàm superficie tenus apparet, probrosissimam. Scilicet in eo tota erat Iudæorum inuidia, ne CHRISTVS putaretur Iudæorum Rex, & quasi parùm foret comprobatum ridicularis regnandi insignibus, vinctionibus, probris, verberibus, sputis, colaphis, & probrosissima Crucis morte; aliam nunc probationem malitiæ acumine callidè ingeniantur, dum Præfecto suadere ambiunt, vt publica auctoritate describat in causæ titulo: *Ipse dixit: Rex sum Iudæorum.* Iudæi enim sibi malitiosè persuadent, nullo firmiori testimonio posse sisti rumusculos de regno CHRISTI sparsos, quàm si palàm publicetur, se glorioso Regis nomine se ipsum decorasse. Quantumvis præsaga futurorum denunciatio, tot prodigiorum stupor, attestatio Scripturarum, & de cœlo allatæ doctrinæ politia, id persuadeant: si tamen innotescat, quòd ipse CHRISTVS Regem se esse dixerit, quòd se de sceptro iactauerit, quòd proprio ore regni gloriam eructauerit; vulgò reus putabitur eius sententiæ, quam ipse de se verè dixit: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.* Exinde sollerter satagit Phariseorum inuidia, ne in damnationis titulo præscribatur: *Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum.* Scilicet vulgò increbrescat, se proprio ore hanc de se laudem iactasse, vt cunctis improbabilis videatur. Quod Chrysostomus his verbis eleganter edisserit; *Iudæi autem Crucifixo inuidebant, vnde sequitur: Dicebant ergo Pilato: Noli scribere, Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum. Nam hæc quidem enunciatio est, & communis sententia. Si verò adiiciatur. Quoniam ipse dixit, ipsius petulantiæ, & extollentiæ ostenderetur crimen esse.* (Pergit Augustinus) *Sed quid loquimini insani Pontifices? numquid enim propterea non erit verum, quia IESVS ait: Rex sum Iudæorum?* Quasi propria laudatio, vel ipsam mentiatur veritatem. Sic laus propria mendacio militat, & falsitatis rea est. Profectò laus in ore proprio, vel panegyrim recudet in satyram. Hinc suspicabamus in Præludiis ad hunc librum, Tobiam non fuisse eius scriptorem, ne putetur suas laudes gloriosè buccinare. Quam linguæ modestiam filio præcipit hîc v. 14. his verbis: *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut tuo verbo dominari permittas.*

Iudæi inuulgant, CHRISTVM dixisse se esse Regem, qui persuadeant Regem non fuisse.

Ioan. 19. v. 21

Ioan. 5. v. 31

Chrys. hom. 84. in Ioan.

August. tract. 117 in Ioan.

Hic v. 14.

4. Matthæi 24. sedente IESV super montem oliueti, accesserunt ad eum discipuli secretò, dicentes: Dic nobis quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi. Et respondens IESVS, dixit eis. Videte nequis vos seducat. *Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum CHRISTVS, & multos seducent.* Sed in quonam poterunt Christiani cognoscere, quod nemo illorum qui dicit se venire in CHRISTI nomine, & multa specie tenus prodigia patrat, verè CHRISTVS sit. Peritè Origenes ad rem tempestiuus, sic eleganter præfatum locum exponit: *Et dicens: Ego sum CHRISTVS. Hoc autem solum sufficit ad cognoscendum seductionem Antichristorum, qui dicunt: Ego sum CHRISTVS, quod nunquam legitur CHRISTVS dixisse.* Ecce tibi præclarum signum, quo denotatur, neminem Antichristorum, etsi magna prodigia patrare videatur, re vera esse CHRISTVM, sed impostorem egregium, & fraudulentum seductorem: palam enim effundetur in proprias laudes, quas gloriosius prædicando, explicatiùs negat. Nam dicendo, *Ego sum CHRISTVS, hoc solum sufficit ad cognoscendam seductionem, quod nunquam legitur CHRISTVS dixisse.* Indè malitiosè astuti Iudæi sollicitiùs satagunt, ne à Pilato scribatur in crucis titulo: *Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum.* Sic destruit propria laus, quod adstruere palàm videbatur.

Matth. 24. v. 5

Antichristus dicens se esse CHRISTVM negat quod asserit.

Orig. tract. 27. in Matt.

§. CLXXXIX.

Ad fastigium euectus, dignitate sæpè excidit, per mentis altitudinem de dignitatis altitudine deturbatus.

1. Agesilaus excelso dignitatis, & virtutis fastigio sublimis, securè solidam vitam instituit, dum

Sublimem sine fastu esse, mera virtutis est. dum tacitus bona sua secum circumferret, abunde magnus buccinator ipsemet sui, quò egregius arrogantiæ contemptor. Lætabatur enim ex animo, quòd ipse sibi testis esset idoneus spectatorque bonorum, intùs sibi rationem commorari ostendens, iamque virtutem egisse radices postquam amputato fastu, ad humilia pronus spectabat. Vt autem agricolis periucundum est videre spicas inclinatas ad terram, & nutantes, (nam quæ ob leuitatem sursùm tendunt, inanes esse creduntur) ita Magni quidam vani, nihil habentes ponderis aut grauitatis, elato sunt animo, & nihil præter merum fastum, & fastigij arrogantiam præ se ferunt. Perspicuum est igitur, eis qui fructum, ex sublimioris virtutis studio percipere moliûtur deponendum esse protinùs quicquid vanum est & arrogans, ne vel illa ipsa virtutis sublimitas, aut excelsa sanctioris officij dignitas, eos à fastigio deturbet, ipsaque celsitudo celsitudini clanculùm

Hic vers. 4. Matth. 4 v. 6. insidietur; & qui conspicuus erat, sublimitate, fiat constupratæ sublimitatis reus. *Mitte te deorsum*, Diabolus Christo Deo suggessit. Sed Deus, qui sursùm non potest ambitiosè ferri, nec deorsùm ferri potest.

4. Isaiæ 14. sub Regis Chaldæi typo, sic antitypo Diabolorum principi elegãter insultat Propheta:

Isai. 14. v. 12 13. & 14. *Quomodo cecidisti de cœo Lucifer, qui manè oriebaris? Qui dicebas in corde tuo: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci* Expende mihi, quàm ab arrogãtia nequam Angelus desipiat. Ambit in cœlum conscendere, dum in cœlo creatus, cœlum inhabitat; Super astra Dei solium suum exaltare præsumit, & adhuc recens editus, empyreum habitãs, sidera calcat; Vltra altitudinem nubium ascendere expetit, dum ipse habitator cœli est; Similem fieri Altissimo exoptat, & Dei imago est, & signaculum similitudinis; Inde à tanta excidit celsitudine, ad profundum corruit, & ad infernum præceps de-

Lucifer per mentis altitudinem, de dignitatis altitudine deturbatur. turbatur. Tot naturæ & gratiæ dotibus ornatus, tanto nobilitatis decore, & domicilij eminentia sublimis quo pacto corruit? *quomodo cecidisti Lucifer*? Perspicuum est, quòd non quidem à naturâ, sed à voluntate deteriori improbus euasit Diabolus? quid quæso eius voluntatem tam potenter

Seleuc. orat. 23. euertit, & in barathrum præcipitauit? *Quomodo cecidisti Lucifer*? Sententiosè respondet Basilius Seleuciæ Præsul: Lucifer *ad naturam talem euectus dignitate excidit per mentis altitudinem de dignitatis altitudine deturbatus: tantusque fuit elatioris animi fastus, quantum capere potuit spiritus*. Quasi ipsa altitudo altitudini insidietur: & vnde sublimitate extollitur, inde à quo altius cadat, inuenit. Sæpenumerò enim contingit, vt ipsa naturæ celsitudo, & gratiæ sublimitas fastu quodam animos efferens, à Deo deiiciat eos, qui non rectè ad ipsum propriùs accedunt; eoque modo fiat, vt dum extollimur, deturbemur, nemine quodammodò ad ruinam impellente, præter ipsum fastigium. Vnde Lucifer ad talem tamque prælustrem naturam euectus, tot gratiæ dotibus exultans, *dignitate excidit per mentis altitudinem de dignitatis altitudine deturbatus*. O! Excelso suspecta sit celsitudo; nam nuper dignus sæpè dignitate excidit factus de dignitate indignus & Angelus, per mẽtis altitudinẽ de dignitatis altitudine deturbatur, ac si vna altitudo alteri insidias paret, & in præcelsi muneris fastigio, suæ celsitudinis æmulum inueniat, ad infirmiorem ruinam. O, timeat magnitudo magnitudinis æmulam potestatem, quæ illam à sublimitate deiiciat.

Matthæi 16. in præmium magnificæ confessionis, qua Magistrum suum Petrus, Dei filium, & Christum Domini palam fatetur diuino afflatu; respondẽs IESVS dixit ei: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam, Et tibi dabo claues regni cœlorum.* Præcelsa quidem Dignitas, & humanum excellens fastigium, qua Petrus constituitur Apostolorum apex, lingua fidei, Ecclesiæ caput, & cœli clauiger. Sed quid est, quòd simul ac Petrus cœli ianitor designatur, inferni portæ aduersus ipsum atrociter armãtur? Infernalium portarũ exsomnes custodes, & sæui ianitores iam tunc in Petrum, & Ecclesiam suprà ipsum fundatam sic ferociunt; Tartareæ nequitiæ ianitores, aduersus cœli ianitorem protinùs desæuiunt; Magna planè dignitas ianitoris portarum cœli, sed nimis sęua iam tunc æmulatio infernalis portæ ianitorum Et quidem, si curiosiùs attendas, adhuc cœlorum clauigero grandius à ianitoribus periculum imminet. Porrò comprehenso Christo, & ad domum Pontificis adducto, Petrus sedebat foris in atrio, & accessit ad eum vna ancilla, dicens: Et tu cum IESV Galilæo eras At ille negauit coram omnibus. *Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum IESV Nazareno. Et iterùm negauit cum iuramento: Quia non noui hominem.* Ancilla clauigera, cœli clauigerum verbo exarmat; Pontificis ostiaria, cœli ostiarium turpi negatione culpat; Audiendus est S. Maximus ita eleganter fatus: *Tantam trepidationem Discipulis intulit passio Saluatoris, vt quod Apostolo Christus antè dixerat, ancilla destrueret, & magis præualeret ostiaria ad perfidiam, quam Apostolus* (cui dictum est, *Tibi dabo claues regni cœlorum*) *ad cautelam. Non bona ostiaria, quæ Petrum ideò in domum Sacerdotis intulit, vt a fide Saluatoris excludat.* Et mox addit: Diabolus in paradiso *Adam per Euam superat, hic Petrum vincit per ostiariam.* Quid adæquè Sanctum, & præcelsum, quàm de Christi Dei consultissima electione, supremum cœli ianitorem constitui. Vide tacitam Muneris æmulationem, confestim contra Petrum inferni portæ armantur; & Petrum cœli ostiarium fœmina ostiaria deuincit: magisque præualuit ostiaria ad perfidiam, quàm Apostolus, (qui audiuit Tibi dabo claues regni cœlorum) valuit ad cautelam. Sic cognata officiorum æmulatio clanculùm ad ruinam insidiatur; Principis ostiaria, cœli ostiariũ à fide exclusit; Lucifer *per mentis altitudinem à dignitatis altitudine deturbatur*; Et Petrus cœli ostiarius, per Principis ostiarium deiicitur. Sat foret aduersus cœlorum clauigerum, portas inferorum armari, nisi etiam ostiaria fœmina inferni ianitoribus suppetias ferret. Magnum Munus cognatos habet aduersario. Time in muneris sublimitate sublimitatem mentis, agnatum potentię vermem, qui potestatem corrodit: ęmulam etiam aduersè potestatem tibi, de officij confinio inuidiosam time.

Marci 9. interrogat IESVS Discipulos suos *Quid in via tractabatis? At illi tacebant, siquidem in via inter se disputauerant, quis eorum maior esset.*

Marginalia (right column): 3. — Matth. 16. v. 18. & 19. — Petrum cœli ostiarium fœmina hostiaria à fide includit. — Matth. 26. v. 71. & 72. — Maxim homil. 1. & 3. de Latt. & Petro. — 5 Marci 9. v. 33. & 34.

Dignitatis honor eadem qua ingreditur via elabitur. Hier. ibi.

Et residens vocauit duodecim, & ait illis: Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus. Dicit notat inibi S. Hieronymus, quod illi euntes disputabant de principatu, ipse sedens docet humilitatem. Principes enim laborant, humiles quiescunt. Et tempestiuè addit: *Recte autem in via tractabant de principatu. Similis enim est hæc tractatio loco. Principatus enim sicut ingreditur, sic deseritur: & quandiu tenetur, labitur, & incertum est in qua mansione, id est, in qua die finiatur.* Ipse se principatus exagitat, ambitione ingreditur, & elatione elabitur: in via semper est, & quamdiu tenetur, iam discedit, adeptioneque excidere incipit; & solerter ambitiosus *dignitate excidit, per mentis altitudinem de dignitatis altitudine deturbatus. Principatus enim sicut ingreditur, sic deseritur.* Via ad dignitates est dignitatum neglectus. *Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus, per mentis altitudinem de dignitatis altitudine deturbatus.* Et nota, quod principatus etiam *quandiu tenetur labitur.* Adeò est lubricus, fugitiuus, incertus; O quàm multa paucissimis significauit Hieronymus!

Honor adeptus, etiam quandiu tenetur labitur.

Aug. lib. 19. de Ciu. Dei cap 7. Ipsa imperij amplitudo, se vrget ad casum, & vsque ad ruinam impellit.

S. Augustinus lib. 19. de Ciuitate Dei ad Marcellinum, agens de miseria bellorum, etiam quæ iusta dicuntur, sic bellè (heu etiam verè) scribit: *Quamuis enim non defuerint, neque hostes desint, externæ nationes, contra quas semper bella gesta sunt, & geruntur: tamen etiam ipsa imperij latitudo peperit peioris generis bella, socialia scilicet & ciuilia, quibus miserabiliùs quatitur genus humanum, siue cùm belligeratur, vt aliquando conquiescat; siue cùm timetur, ne rursùs exurgant.* Quid stupens magni imperij ruinam miraris? quid ruinæ causas ignauè curiosus peruestigas? Ipsa imperij magnitudo (vt alia omnia desint) tota latitudinis mole supra se incumbens, solo æquata procumbit. Sublimiras ipsa, quò altiùs fastigiatur, eò propriùs casui vicinatur; & cum iam incrementum non capiat, decrementum suscipit. Sic est friuola & futilis mundi felicitas. Excelsius fastigiū, ruinarum minæ sunt, & fictæ amplitudinis titubatio. *Etiam ipsa imperij latitudo peperit peioris generis bella, socialia scilicet & ciuilia: quibus miserabiliùs quatitur genus humanum.* Proh nimis verum! Ipsa se magnitudo concutit & exagitat, & vsque ad ruinam miserabiliter impellit, quæ est mundialium rerum conditio.

---

§. CXC.

Nil est adæquè hominibus molestum, quàm vt totum sui laboris fructum alius homo percipiat.

1. EXpectata gratè merces, ægrum diu laborem consolatur, & præmij certior spes, duram laboris defatigationem blandè frustratur. Quisquis in labore eiusmodi caret solatio, ærumnas eludente, miserabiliter æstuat, cùm defatigationis fructu, & leuamine viduetur. Sibi perit, qui non sibi, sed alij laborat; dum considerat sudore suo alium recreari, ipso semper æstuante. Hinc Adami è paradiso expulsi Tertullianus labores exaggerat, tacitè versans illud Geneseos 3. *Fecit quoque Dominus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Sic fatur Tertullianus: Multa dicendum fuit, vt ad hominem præstructum perueniretur, hunc quoque primordio accipitis, nudus certè & inuestis, figulo suo constitit, pòst demùm sapientiam haut dum licitam prǽreptam potitur. Ibidem quod in nouo corpore indebitum adhuc pudori erat, protegere festinans, ficulneis foliis interim circumdat. *Dehinc cum de originis loco exterminat, pellitus orbi vt metallo datur.* Ad quæ verba nemo interpretum non notat, quòd iam peccator Adamus, datur orbi pellitus, vt metallo, id est, tanquam pœnæ seruus in orbem mittitur, & relegatur ex paradiso voluptatis, ad eum modum quo serui alij dantur ad metallum & fodinam. Consultissimè hanc molestiam elegit Tertullianus, vt Adami ærumnas viuaciùs exaggeraret. Quid enim tam molestum est homini, qui in auri argentive fodinis laborat, quàm diu noctuque æstuare, vt pretiosa metalla aliis eruat, sua vacua semper crumena: & ipsa semper egenus, alios labore suo opulentè locupletet. Ecce pulchram laboris hyperbolem: *Pellitus orbi vt metallo datur.*

Gen 3 v. 21. Quid sit Adamum, pellitum dari

orbi tanquam metallo, aut fodinæ.

Tertull. lib. de Pallio, cap. 3. Marcilius Cerda ibi.

2. 2. Regum 12. Ioab Hebrææ militiæ princeps pertinaci obsidione vrbem Rabbath Ammonitarum metropolim expugnabat. *Misitque Ioab nuncios ad Dauid, dicens: Dimicaui aduersum Rabbath, & capienda est Vrbs aquarum. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside ciuitatem, & cape eam: ne cùm à me vastata fuerit vrbs, nomini meo adscribatur victoria.* Congregauit itaque Dauid omnem populum, &c. Nempe cùm iam obsessæ vrbis propè appareret exitium, cum neque hostibus essent ad resistendum vires, & audacia? neque Hebræis deesset ad inuadendū facultas, & alacritas; ne Dauidi, cui ab euertendis, capiendisque ciuitatibus aliis immortalis aduenerat gloria, hæc deesset ad illustre nomen non leuis accessio, illum admonet, vt nouum secum afferat delectum, & ipse præsens adsit, vt suo auspicio, & imperio res tota videatur transacta. Quo loco fidelem se ostendit Ioab, & Regiæ dignitatis studiosum, qui abire à se voluit tantam gloriam, ne Regi suo aliorsùm excideret. Nemo est, qui hic non prædicet Ioabi laudes in deferēda Dauidi illustrissimæ victoriæ gloria; sed pauci sunt, qui exploratiùs animaduerterint, quare Ioab Dauidi suaserit, vt *congregaret reliquam partem populi*, ad obsidendam & capiendam vrbem, quæ iam propè erat vt à se haut dubiè caperetur. Porrò alterum ex alterutro redargui, procliue est; aut non esse vrbem expugnatu facilem, si adhuc nouus militum delectus faciendus erat ad obsidionem; aut si Vrbem euertere erat expromptum, non esse populum nouo militum delectu vexandum. Frustrà enim degrauaretur populus, si armatus in Ammonitidem pergere cogeretur. Quorsùm tot impensæ, tot vexationes, in numeroso exercitu iterùm congregando, labore superuacuo? Id sagaci eruditione disquirit Abulensis, sic fatus: *Quæret aliquis, quare dixit Ioab, quòd congregaret Dauid reliquam partem populi?* Et postquam aliorum sententias reiecit, ita ad thema præsens dilucide scribit: *Sed dicendum, quod dixit Ioab ad maiorem laudem Dauidis, scilicet, vt magis coloraretur factum, & adscriberetur victoria ipsi Dauidi. Nam si Dauid iuisset ad pugnandum, & non tulisset alios bellatores præter eos, quos habebat Ioab: dato quod caperet vrbem, non videretur, quod aliquid egisset, quia ipse solus erat: sed adscriberetur victoria Ioab,*

2. Reg. 12 v. 27. & 28.

Strenuè Ioab victoriam suā Dauidi colorat.

Abul. in 2. Reg. c. 12. q. 28.

Ioab, tanquam ipse iam omnia illa disposuisset. Si autem David duceret secum magnum exercitum, & in bello caperet ciuitatem, putaretur quod ipse cœperat eam viribus suis, quia habebat plus de exercitu, quàm Ioab, & sic adscriberetur ei victoria. Prolixè quidem, sed opportunè satis. Ecce tibi in quo se Ioabus ostendit Regiæ dignitatis in primis studiosus, & suæ gloriæ contemptor egregius. Scilicet nil iam restabat ad capiendam, diripiendamque vrbem obsessam, quod propriâ industria, & labore Ioabus confecerat: at promeritam prolixæ obsidionis immenso sudore gloriam, dum à se voluit abire, & Regi ita adscribi, vt dum nouo stipatus delectu venit, illi potiùs videatur tribui; hoc, hoc inquam, magnum, illustre, & perarduum est. Peritè ergò Ioabus satagit, ne solus veniat David, ne adhuc Rege præsente putaret quispiam, ipsum Ioabum in laboris sui partem admitti, & saltem cum Dauide victoriæ gloriam partiri. Æstuet Ioabus toto bellici laboris pondere, nobilitetur David victorialis triumphi gloria. Prælio Ioabi, hostes vincat David; Ioabi victoria David triumphet, & pæan Ioabo canendus, Dauidis resonet glorias, quo ipse Ioabus fructu suo vacuus, plenas Regis laudes occinat.

3. Ioannis 4. dum Samaritana, quem hauserat Christi spiritum suis conciuibus afflat, magno Euangelij prouentu; illum præsaga mente videns IESVS, ad Discipulos suos, Euangelij administros, ita fatur: Nonne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis: Leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ iam sunt ad messem: *In hoc autem est verbum verum, quia alius est qui seminat, & alius est qui metit. Egò misi vos metere, quod vos non laborastis: alij laborauerunt, & vos in laborem eorum introiistis.* Quinam sunt isti, qui ante discipulos laborauerunt, & in quorum labores introierunt Apostoli? Omnes consentiunt auctores, Prophetas significari, qui ante quàm Apostoli venirent, in erudiendo populo laborarant. Sic Origenes, Irenæus, Augustinus, Chrysostomus, Ammonius, Leontius, Beda, Euthymius, Theophylactus. Solus Theodoretus Heracleon, vt refert Origenes, per eos qui seminauerunt, quod alij meterent, intelligit *Angelos*, quasi humanæ tolerantiæ fastigium excellat, laboriosè seminare, quod alij proficuè metant. Non est dubium, quin prouerbium illud apud Hebræos tritum fuerit. (*Alius est qui seminat, & alius est qui metit,*) vt Theophylactus, & Euthymius adnotarunt. Quo prouerbio vtebantur, cùm volebant significare alium laborasse, alium eius frui labore. Verùm exploratum est, Prophetas valdè seminando laborasse. Sementis enim ingenti labore, tempore totius anni frigidissimo fit: at messis maiori certè labore peragitur, dum torrente diù Sole operarius exæstuat. Quomodo igitur hoc prouerbium ad Prophetas, & Apostolos Christus accommodat: quòd Prophetæ sementem fecissent, id est, maiorem laborem subiissent: Apostoli verò metentes, minùs laborarent? Apostoli in labores Prophetarum introierunt, id est, multò minùs laborarunt? An non maior labor fuit in Apostolis, totum terrarum orbem peragrare? per ferrum, per ignes, per cruces ire; non iam cum hominibus, qui aliquam Dei haberent scientiam, quales Iudæi erant; sed cum Gentibus, cum Tyrannis, id est, cum bestiis pugnare. Quid est,

Ioan 4 v. 37. & 38.

Apud Maldon. ibi. Non iam hominum, quam Angelorum est, seminare, vt alius metat.

Theoph. Euthymius ibid.

Cur non tam Apostoli messores, quàm seminatores Prophetæ laborasse dicantur.

quòd Christus Deus Apostolis dicit: *Alij laborauerunt, & vos in laborem eorum introiistis.* Cur grauiores dicuntur Prophetarum seminantium ærumnæ, quàm oppidò acerbior metentium Apostolorum labor. Bellissimè Maldonatus præfata Christi verba sic exponit: *Sementis enim cum magno labore, tempore totius anni difficillimo, incerta vero spe prouentus, atque mercedis fit: messis vero certo prouentu, atque mercede.* Nempè Prophetæ, etsi minùs quàm Apostoli laborarint, vnicè hic laborasse dicuntur, & Apostoli, qui magis proculdubiò laborauerunt, non tam laborasse, quàm in Prophetarum labores introiisse perhibentur: quia Prophetæ, vtpotè satores, *incerta spe prouentus, atque mercedis*, seminarunt, quod Apostoli meterent. Apostoli verò, vtpotè messores, in fruges à Prophetis seminatas, *certo prouentu, atque mercede* falcem miserunt, & fertiles manipulos triturarunt, vnde rectè illis dicitur: *Alij laborauerunt, & vos in laborem eorum introiistis.* Ille, ille inquam verè laborat, qui aliis laborat; qui seminat, quod alij metant; qui triturat messem, quam alius in horrea sua congreget. Hac eruditione in primis proficua, Tobias senior iuniorem hic Tobiam instruit, quo mercenarij stipendium non procrastinet, ne operarius totum hero, nil sibi laboret, labore intolerabili, & seruorum de molestiis æmulo.

Ioann. Maldon inibi. Hic v. 15.

§. CXCI.

Illustratur illa opinatissima sententia: Quod tibi non vis, alteri ne feceris.

TArdum est, instabile, & varium, quicquid diuturna etiam consuetudo docet: quòd verò natura suggerit, & æquale est omnibus, & statim; in opere frequenti prævalens, quia in ratione, & iudicio præscribit. Opinio ambiguis concepta argutiis, citò dediscitur; quippè quæ animo assuta erat, non menti intertexta, & quia stipulam pro grano offert, fallaciæ suspecta, protinus indecorè repudiatur. At Sancta veritas, quæ ex moralis Philosophiæ adytis eruta, derepentè scintillans oculis auribusve proponitur, sic pulchra apparet, sic animo arridet, sic menti blanditur, sic pectus implet; vt omnia ambiguitate excussa, & sibi exultanter gratuletur, & honorario stupore eius inuentorem suspiciat, eumque cum suo inuento, ab obliuione vindicare festinet. Hinc Antoninus ille Romanorum Imperator, cognomento Pius, etsi in Idololatriæ caligine oculis, & auribus cæcus; cum audisset in ore Christianorum frequenter versari hoc prouerbium: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*, perscrutatus Christi vitam, eidem statuam ob hanc solam doctrinam consecrauit. Gratulabor Christo Deo, Patriarchæ Tobiæ gratulabor, quòd vterque in vtraque Lege hanc moribus faculam inoculandis hominibus præclarè accenderit, quo vno documento, velut quodam moralis pædagogiæ compendio, humanitas tota ad omnes pietates eruditur, dum è nobis ipsis charitatem erga alios adæquè metimur. 1.

Christo ob hoc documentum vel ab Ethnicis statua erigitur.

Apud Fabianum hic docum. 1.

Regius Psaltes profunda mentis ecstasi penitiùs Deum contemplatus, eius in homine medullitus cognoscendo perspicaciam, sic ethicè prodit: Dominus 2.

Hieron. ad Eustoch. hominem solnat. Quare *statim*, ait Hieronymus, *vt libido titillarit sensum, aut blandum voluptatis incendium dulci nos calore perfuderit, erumpamus in vocem, Dominus auxil ator meus, non timebo quid faciat mihi caro: nolo suas cogitationes crescere, nihil in te Babylonium, nihil confusionis adolescat, dum paruus est hostis, interfice. Audi Psalmistam dicentem: Filia Babylonis misera: beatus qui retribuit tibi retributionem: beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram: quia autem impossibile est in sensum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui vt cœperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus & allidit ad petram: petra autem Christus est.* Attentos nos vult Tobias, ne dulci libidinis periculo insidietur, & gehennalis incendij minas vibret incautis: *Attende*, inquit, *tibi fili mi ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.* Attentior insidiarum cognitio, de periculi notione, venenatos Diaboli ictus petitè frustratur: nam mens quæ scortatur in cogitatorio, carnem facit lasciuiæ collegam, bibula voluptatis concupiscentia: quæ autem libidinis scintillas longiùs arcet, incendium cautè defendit de prænotione periculi.

Luxuria insidiis quam citò obuiandum est, ne innatum adolescat incendium.

Psal. 136. v. 8

Hic vers. 13.

2\. Matthæi 5. antequam Christus Deus carnali concupiscentiæ cauterem inurat, & continentiæ tesseram in oculis gestandam indicat, ne lasciuis aspectus libidinum formis expressus, in prostitutę mentis lupanari lasciuiat; hoc præmittit procemiolum, quod castitatem perstruat. *Esto*, inquit, *consentiens aduersario tuo citò dum es in via cum eo: ne fortè tradat te aduersarius iudici*, &c. Grande inter expositores litigium est, quisnam sit hic *Aduersarius*, cui in via consentire debemus. Origenes putat esse malum Angelum; Hieronymus existimet esse carnem. Athanasius censet esse conscientiam; Diabolum, Tertullianus; Deum Augustinus; Nouatus, Dei legem; furem, Basilius; Iniuriatum à nobis, Hilarius, (qui videtur esse litteralior sensus, vt olim inibi exponebamus.) Cæterùm S. Isidorus Pelusiota, *quoniã cum ruina nostra ambulamus*, vt oculatos & perspicaces nos reddat aduersus Diaboli technas in re libidinis, his verbis præfatum locum acutè commentatur. *Esto cõsentiens auersario tuo citò dum es in vita, &c. Quo quidem in loco per Aduersarium, corporis cupiditatem diuinè intelligit. Viam autem hanc vitam vocat. Consensum denique ac beneuolentiam erga corpus, agnitionem rebellionis ipsius appellat, quæ confestim perspici debet.* Nempè dum via huius vitæ peragratur cum *Aduersario*, id est, cum *corporis cupiditate* consentiendum est: non vt ad nutum concupiscentiæ adsentiamus, sed vt concupiscentiam præsentiamus, quò blandæ libidinis astutias solertiùs præcauere possimus. Hîc enim *consensum cum corporis cupiditate, agnitionem rebellionis ipsius appellat, quæ confestim perspici debet.* Itaque τὸ *consentire*, est simul sentire & præpropere agnoscere, vt cõfestim quiuis perspiciat, quò tendat titillans suggestio. *No parta primero la tentacion, que el conocimiento y aduertencia à donde tira.* Sæpè enim Aduersarius, id est, *corporis cupiditas*, ex insidiis adoritur, & clancularia hostilitate honesta ingerit libidinis exordia, obtentu pietatis, beneuolentiæ, laxamenti, tentationis venenum perniciosiùs cõditur; & sub dolosis honestæ vilitatis cineribus, luxuriæ scintilla delitescit, qua sensim suam explicante flammam, homo incautus miserè decinerescit luxuriæ incẽdio, quod

Matth. 5. v. 25

Quo modo continentiæ studiosus cum carnis cupiditate consentire debet.

Isidor Pelus. lib. 1. ep. 80

nullius interstinguat Oceanus. Ergo attentæ cognitionis perspicacia opus est, quã velut collyrio inoculatus, *confestim perspicias*, quò occasiuncula illa tendat, & primis titillationibus obstans, pusillum tunc *Aduersarium* facilè exarmes; ne de incauta segniter diuturnitate adolescens, ad singula momenta vires resumens, ineluctabilem continentiæ stragem edat. Porrò vt ait Hildebertus: *Negligenter cauetur hostis, cuius ingressus pacificus, expectatur.* Itaque moralissimè *consensum cum corporis cupiditate, agnitionem rebellionis ipsius appellat, quæ confestim perspici debet.* Quid illustrius, *Attende tibi fili mi ab omni fornicatione*, id est, mentis vires solertius intende, vt cupiditatis technas perspicias. *Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*, siue, vt Hieronymus effert: *Sed sapere ad pudicitiam.*

Hildeb epist 31.

ad Rom 12. Hier. lib 1. cont Iouin.

3\. 1. Corinth 7. Paulus de cœlo eruditus Ecclesiæ magister, super re matrimonij cum infideli homine initi, ita scribit: *Siqua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.* Quæ Apostoli verba cursim exponens Seleuciensis Basilius, his verbis adulteros accerrimè impetit: *Tam enim facinus* (scortationis) *Deo videtur detestabile, vt si vxor ab idololatria illo inuito distrahatur, puniat eam Deus: non sic à scortatore. Qua in re vides quantum sit hoc flagitij. Siqua mulier, inquit, fidelis habet virum infidelẽ, & hic consentit habitare cũ illa, non dimittat virum. De adultera autem vxore non sic. Quid ergo? Si quis dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari.* O vide hîc cum Basilio quantum sit scortationis flagitium! Vxor fidelis, pia, & pudica nequit virum infidelẽ, barbarũ, idololatram dimittere; sed illo consentiẽte, cum eo habitare ritè compellitur: non sic cum marito scortatore, quem dimittere decet, & licet. Tutior est pietas & continentia vxoris cum viro impio, & idololatra, quam cum fideli (sed scortatore) marito? Num etiam libido mariti, quam zelotypiæ furiis vxor execratur, de impudicitiæ vicinia, importunum & procax lenocinium est? Ab hoc etiam quod detestatur, vxoriç pudicitiæ difficile prouidebitur; sic est periculosum vel propriæ vxori cum scortatore marito habitare, & congredi; Sic alienæ libidinis blanda est illecebra, vt etiam quando eam execratis, dulce lenocinium sit, quod carnem è peruerso titillat, & concupiscentiam dissimulanter subornat; *Tam enim facinus* scortationis *Deo videtur detestabile, vt si vxor ab idololatra, illo inuito, distrahatur, puniat eam Deus: nõ sic à scortatore. Qua in re vides quantum sit hoc flagitij.* Hinc Isidorus Pelusiota carnis concupiscentiam, *præstigias* appellauit. O præstigiatrices Veneris illecebras, quas dum execraris amas; dum auersaris, incurris: *Attende tibi fili mi ab omni fornicatione.*

1. Cor. 7. v. 13

Basil Seleu. orat. 41.

Mariti scortatio, quam vxor horret, blandum illi lenocinium est.

Matth. 5. v. 32.

Libidinis præstigia.

Isid Pelus lib 1. ep 213.

4\. Sententiosè dixit Hildebertus Turonensis: *Virtuti nil æque noxiũ est, quam voluptatis admixtio in concessis.* Et mox: *Latrociniis occursura voluptatum.* Bene quidem cupidinis agnouit *latrocinia*, & diuites voluptatis prædas. Luc. 8. Occurrit Christo vir quidam, qui habebat dæmonium iam temporibus multis. Is, vt vidit Iesũ, procidit ante illum, & exclamãs voce magna, dixit: *Quid mihi, & tibi est, IESV fili Dei altissimi? obsecro te, ne me torqueas.* Quæ verba sic Basilius exponit & amplificat: *Quid nobis & tibi? A tuo partu dormiuit, quod in nos excitasti bellum, nostris nos possessionibus nudasti: loquentem te audierunt Publicani,*

Hildeb. ep. 31.

Num Christus, quasi rẽ à iure suam, scortatores & meretrices prædatur?

Luc. 8 v. 28.

Basil. orat. 23

&

& nostram vectigalium tractationem diffugiunt: Meretrices prædas nostras, tibi per pœnitentiam prædatus es. Num Christus Deus is est, qui *prædari* possit? Quidnam est, quod Dei possessio non sit? Homo quàtumvis obscœnis libidinibus deditus, non sic abalienatur à Christo Deo, vt eius possessio non sit, & creationis iure, & redemptionis titulo, nemo autem *prædari* potest, & furto vsurpare, quod suum est. Quid ergo aiũt: *Meretrices prædas nostras, tibi per pœnitentiam prædatus es*; Sic luxuria à Deo alienat, vt olim lasciuos, non quasi rem propriam, sed tanquam furto sublatos, possideat Christus; Sic diu inolita scortandi consuetudo, redit ad ingenium; sic hominem dediscit, & in monstrum aliquod à Deo quodammodo alienum, hominem libido transformat; Gregorius Nyssenus agens de cœlestis sponsi nuptiis cum anima nuper peccatrice, ita fatur: *Boni illi virginitatis huius nuptiarum conciliatores Patriarchæ, &c. Bona ante nuptias data, quæ hic erant, delictorum remissio, naturæ transformatio.* Num scortatoris, & meretricis natura, cum ex inolitæ luxuriæ prostitutione, per pœnitentiam ad Deum conuertitur; *naturæ transformatio* dicitur? Cùm libidinis notæ abolentur, & continentiæ character imprimitur, sic hominis natura velut transformari perhibetur; vt scortatores, & meretrices, quasi olim res Dei non foret, per pœnitentiam, quodammodo furto accipi à Deo dicuntur: *Meretrices prædas nostras, tibi per pœnitentiam prædatus es.* Scilicet vicem reciprocat. Libidinis voluptas *latrocinia* exercet: ergo Christus per pœnitentiam *meretrices prædatur.* O attenderit, qui prima libidinis prælia init, ne sic longè se à Deo sensim alienet!

Nyss. ser. 1. in Cant.

5. Lege nunc Cypriani calamo descripta salacitatis mala, quæ libido certissimè incurrit: *Impudicitia semper est detestanda, obscœnum ludibrium reddens ministris suis, nec corporibus parcens, nec animis: debellatus enim propriis moribus, totum hominem sub triumphum libidinis mittit: blanda prius vt plus noceat, dum placet; exhauriens rem cum pudore, hostis continentiæ, frequenter perueniens ad sanguinem, cupiditatum infesta rabies: incendium conscientiæ bonæ, ruina melioris status; contumelia generis, expugnans sanguinis, & familiæ fidem.* Singulas sententias, sententiarum, & acuminum fertiles expendito, quas si expenderem sigillatim, nimis longum fecissem.

Cypri. de bono pudic.

Adglomerata impudicitiæ vituperia.

6. Lucæ 21. inter reliqua supremæ diei præsagia, hæc speciatim à Christo Deo recẽsentur: *Et erunt signa in Sole, & Luna, & stellis, & in terris pressura Gentium præ confusione, &c.* Quænam erunt hæc in cœlestibus signa, tot acerbas calamitates atrociter minitantia? S. Ambrosius sic præfata verba ad lemma præsens exponit: *Sicut menstruis defectibus Luna, vel terra opposita cum fuerit è regione Solis, vanescit: sic & Sancta Ecclesia, cum lumini cœlesti vitia carnis obsistunt, fulgorem diuini luminis de Christi radiis non potest mutuari.* Christus Deus, Sol iustitiæ est, qui omnem hominem in hunc mundum venientem, plena lampade illustrat: Omnem, inquit, quia nullus est vel vnius diecule infantulus, qui de hac vberrima luce scintillam aliquam non fœneretur. Ast qui *candor est lucis æternæ*, vsqueadeò exhorret luxuriæ fæculentum squalorem, vt quasi gratiæ fulgores contrahat, in tenebrarũ agnato horrore libidinem propè derelinquat. Vnde homo, *cùm lumini cœlesti vitia carnis obsistunt, fulgorem diuini luminis de Christi radiis non potest mutuari*: Inexpensa dimittimus hæc postrema verba, ne eorum elucidatio desperationem expensione procuret. Heu quàm auara gratiæ luxuria est! O densas libidinis tenebras!

Lucæ 21. v. 25

Luxuria obsistit Dominicæ gratiæ splendoribus.

Ambr. l. 10. in Lucam.

---

§. CLXXXIV.

Libido, vitiorum omnium matrix, & abbreuiatum eorum compendium.

1. PArœmiastes Sacri modulata vox est: Ne attẽdas fallaciæ mulieris, fauus distillans labia meretricis: ne fortè *Gemas in nouissimis, quando consumpseris carnes tuas, & corpus tuum.* Symmachus pro τῷ *in nouissimis*, transtulit *in deficiendo.* Libido enim dum vires despumat, defectus multiplicat, & languorem adauget. Nam vt dixit Tullius: *Libidinosa, & intemperans adolescentia effœtum corpus tradit senectuti.* Porrò vt docet Augustinus: *Semen totius animalis latentes numeros accipit, & inchoatur in prolem.* Et explicatius Clemens Alexandrinus causam reddit, cur homo intemperans, & libidini totus, consumptis carnibus, & corporis robore, imbecillè deficiat: *Homo, ait, ex homine nascitur, & euellitur. Vide damni magnitudinem: totus homo per exinanitionem corporis abstrahitur. Dicit enim: Hoc nunc os ex ossibus meis; & caro de carne mea. Homo ergo tantum exinanitur semine, quantus videtur corpore; est enim generationis initium id quod recedit.* Parùm foret, si homo nimis luxuriando, corpore defecisset, nisi defecisset, & mẽte: nam libidinosus, & carnem profligat, & latentes virtutis numeros confundit, dum pietatem omnem scortatione perimit, nil relinquens virtutis residuum, quod libidine non excaudicet. Vix superest tuta mens à libidinum impudicatu, strage. Nam vt scitè dixit Philo: *Non sunt in rebus duo tam contraria, quam voluptas carnalis, & scientia.*

Prou. 5. v. 11

Lasciuia animalis latentes numeros dissipat.

Tullius apud Salazar ibi

S. Aug. lib. de Vera relig. c. 40.

Clem. Alex. lib. 2. Pædag. c. 10.

Gen. 2. v. 23

Philo in lib. *Quod Deus sit immutab.*

2. Genesεos 3. callidus ille serpens primæui delicti incentor, Euæ seductæ reus sistitur, & hoc seuerissimo supplicio eius audax impudẽtia mulctatur: *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Segniter, opinor, videtur serpens agere inimicitias cum muliere. Mulier serpentis caput ferire properat, & serpens mulieris insidiatur calcaneo; Esto, calcaneum momorderit, haut graue tunc damnum intulerit; siquidem pedes duntaxat morsicando læsit. Verumenimvero serpens, quia ventre repit, & ventri reptatione totus incumbit, libidinis hieroglyphicum est, inde perniciosissimè calcaneo insidiatur, pedes impetit, pes enim extrema, & infirmissima hominis pars est, & cui reliquum hominis innititur; huic ergò venereæ voluptates, quasi totius structuræ fundamento minitatur, vt spiritualis fabricæ moles corruat, labefactato castitatis fundamento. Libido enim corpus, animam, omnes potentias, membra, ætates, & virtutes, ad miserabilem ruinam labefacit. Audiendus est hac super re Philo Hebræorum disertissimus, sic præfata verba mysticè commentans: *E contra, inquit, voluptas insipientis plantam seruat: sapientis autem basim*

Gen. 3. v. 14. & 15.

Philo de leg. Allegor.

basim destruere conatur, & subtrahere, existimans hanc sibi moliri perniciem. Ecce tibi quàm astutè serpens libido, hominis insidiatur calcaneo, existimans maximam moliri perniciem, dum calcaneum, id est, *sapientis basim destruere conatur.* Profectò singula vitia aduersus singulas interiores hominis partes potenter armantur, gula insidiatur temperantiæ, timiditas constantiam excutit, superbia humilitatem ablegat, infidelitas fidem perimit. Libido autem audentiùs præsumit, & toti spirituali virtutum fabricæ ruinam minatur, dum castitatis fundamentum subruere vaferrimè tentat, & vno ictu totum interiorem hominem profligare festinat, omnium virtutum strage. Vnde libido *insidiatur calcaneo eius*, dum *sapientis basim destruere conatur.* Nisi fortè libidinis voluptas *sapientis basim destruere conatur*, quia vt dixit Beda: *Voluptates carnis dissoluere mentem per delicias solent.* Hinc affulget lux verbis illis, Exhodi 5. *Et mensuram laterum, quàm priùs faciebant, imponetis super eos.* Quæ verba ita mysticè exponit Laudunensis Anselmus: *Opprimantur operibus, luti videlicet & carnis, vt obliuiscantur Deum suum.* Vnicum humanarum calamitatum præsidium, Dei memoria est. Ergo infernali astu, Dei populum in luti, id est, *carnis* operibus exerceat Pharao, quò Dei obliuionem vaferrimè inducat. Porrò sicut Dei memoria, castitatis priuilegium est, sic Dei obliuio sequela libidinis Gehennalis enim incendij scintilla dum luxuriæ spiritu flabellatur in carne, humanum diuinæ recordationis igniculum interstinguit, & dolosis lasciuiæ cineribus sepultum abscondit. Libidinis æstus, diuinæ recordationis naufragium est. O caue ab hoc luxuriæ scopulo, ad quem Dei memoria naufraga impingit! Heu! sic carnis deliciæ mentem dissoluunt?

Beda in cap 6. Marci. Exho l. 5. v. 8. Anselm. ibi

3. Genesis 6. cùm cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent, videntes filij Dei filias hominum quòd essent *pulchræ*, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quam elegerant. (nam vt ait Seleuciensis Basilius: *Forma voluptates nundinatur.*) Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate. *Cumque vidisset Deus terram esse corruptam, (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram) dixit ad Noe: Finis vniuersæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.* Ob vnam lasciuiæ culpam, miserrimæ decernūtur diluuij strages? vnius luxuriæ fit mentio, & omnis terra dicitur *iniquitate repleta*? An homines tunc insano libidinis ardore acti, ab aliis flagitiis feriabantur? an potiùs Deus ob omnigena scelera, ex libine oborta, *gurgite præcipiti pollutum diluit orbem*? Scilicet homines acerbiùs punit Deus: *Quoniam terrena secuti, Plus carnis quàm mentis habent. O miseri, quos tam iusta dilatio pœna, Plus facit esse reos!* (Pergit idem Claudius Marius Victor propiùs ad rem.) *Quos dira libido crimen in omne trahens*, &c. Ecce tibi ænigmatis solutionem, ad thema præsens in paucis tempestiuam. Scilicet explicatiùs duntaxat dicitur? terra fœdis libidinibus repleta: sed quia libido reliquorum criminum fœcunda est, & vniuersorum scelerum matrix? dum libido recensetur, perinde est, ac si reliqua speciatim censerentur. Nam dira libido crimen in omne eos trahit, qui carnalibus vitiis adsueti, quasi intellectu inminuti forent, *plus carnis quam mentis habent.* Exinde seuerissimus Desuror, *gurgite præcipiti pollutum diluit orbem.* Inde etiam septem salacissimi Saræ mariti acerbius puniuntur, quàm non valde tunc in illis criminosus libidinis reatus exposcere videbatur. At effusior lasciuia reliqua vitia, aut inuenit, aut facit: nam *dira libido crimen in omne trahit.* Heu luxuriæ peccatum peccans! A quo hîc filium suum Tobias arcet. Hic v. 13

Seleu. Orat. 28. *Pulchritudo voluptates nundinatur.* Gen 6 v. 11. & 13

Lasciuus plus carnis, quàm mentis habet. Claud Mar. Victor lib 1 Poem in Genes. *Dilatio pœna plus facit esse reos.*

Dira libido crimen in omne trahit.

4. Lucæ 15. prodigum filium reducem, & prono amplexu, & osculo amico, & festo epulo, pius excipit pater. Liuore malè saucius senior frater, in has auarè querulas voces inuidus erupit: Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam dedisti mihi hœdum vt cum amicis meis epularer: *Sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti ei vitulum saginatum:* Hugo Carensis inibi: *Deuorauit substantiam suam corporalem, & spiritualem cum meretricibus. Interdum enim fornicatio pro quolibet peccato generaliter ponitur, vt in Psalmo: Perdes omnes qui fornicantur abs te.* Benè quidem Hugo; sed Hieronymus præfatum locum illustriùs commentatur: *Dissipauit omnem substantiam suam viuens luxuriosè. Luxuria est inimica Deo, & virtutibus: perdit omnem substantiam patris; & ad præsens voluptate deliniens, futuram non sinit cogitare pauperiem.* Nimirum prodigus hic adolescens viuendo luxuriosè, deuorauit omnem substantiam suam corporalem, & spiritualem cum meretricibus. Profusissima quidem prodigalitas! Et quasi hoc parùm foret, addit Hieronymus: *Perdit omnem substantiam Patris.* Omnes Dei Patris diuitias lasciuia perdit! Nil supererit in Dei censu, & diuinæ omnipotentiæ thesauris; quod non dissipet effusior libido? Quid ad rem exaggeratiùs.

Lucæ 15. v. 30.

Hugo ibi. *Prodigus adolescens luxuriando, omnē Patris substātiam perdidit.*

Psal 72 v. 27

S. Hieron. epist. 146

5. Geneseos 1. Protoparentibus recens creatis benedixit Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, *& subiicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.* Sed præstrictim notare libet, quomodo Adamus summam hanc dominij prærogatiuam amiserit? An quia nimis fuit vxorius; Eloquenter Hildebertus: *Omnia enim subiecta, quandiù Adam mulieri subiectus non fuit: cui postquam male morigeratus est, cœpit esse non suus, & tot dominis seruire, quot vitiis.* Sat esto digitum ad Hildeberti acumen intendisse.

Gen. 1. v. 28

Adam nimis vxorius, tot seruiuit dominis, quot vitiis.

Hildeb epist 56

6. Iudithæ 15. obtruncato Holofernis capite, & male concisis Assyriorum copiis, tantæ Heroïnæ Hebræorum vindici, festum pœana populus occinit: Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri: *Quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaueris.* Dum victoriam de Holoferne reportantem, & de cunctis Assyriorum phalangibus populus concelebrat, victrici Iudithæ de castitatis gloria adulantur; Opportunè id quidem Holoferniana victoria, in qua Iudithæ pudicitia periclitari potuit: *Caro, & mulier, cumulata infirmitas,* (ait Hildebertus) *De omni hoste simul triumphat, cui datur de carne, & fœmina triumphare.* Aurea sanè Hildeberti verba, & ad præsens lemma in paucis tempestiua!

Iudith 15 v. 11.

De omni hoste simul triumphat, cui datur de carne, & fœmina triumphare. Hil'd. ep 56

7. Saluianus Massiliensis de effusiori suæ ætatis salacitate loquens, ait: *Æthnam putes impudicarum esse flammarum.* Et Petrus Damianus non absimiliter de vitio luxuriæ disserit, inquiens: *Non sit ergo mens nostra apotheca mercium, non cupiditatis*

Saluianus l. 7 de Guberu.

Addensata luxuriæ vituperia Damian. ser. 72.

cupiditatis ærarium, non area bellorum. ... Sit ergo mens nostra, non obscœnæ luxuriæ clibanus, non passionum sentina carnalium, non volutabrum vitiorum. Hæc lasciuiæ epitheta manifestè produnt, quàm sit libido vitiorum fertilis. Et tamen sic æstimatur ab hominibus, vt Ioãnes Baptista fuerit donatus in lasciuiæ præmium: *Verum Ioannes Habat magister Gratiæ...... qui puellæ præmium scrutabatur*, ait Seleuciensis Basilius. Quin & libido, paradisus putatur: nam Geneseos 18. vbi scribitur: *Voluptati operam dabo?* Ita scribit Lipomanus: *Nota, quod vbi nos posuimus voluptatem, Eden scriptum est in Hebræo.* Eden autem paradisum significare notissimum est. Imò & se ab hominum turba exgregem facit Nazianzenus aiens, *Etiamsi libido a nobis adorata non fuerit.* Heu! quasi res mirissima dicitur, quod aliquis è Sanctorum summatibus, libidinem nũquam adorauerit; Vitiorum sentina, paradisus putetur; turpium obscœnitatum conceptaculum, diuinos honores aucupetur.

Ioannes fit libidinis præmium. Basil. Orat. 34. *Luxuria paradisus putatur.* Gen 18 v. 12. Lipom. ibi. *Libido vulgò adoratur.* Naz Orat. 39.

8. Denique cùm lasciuia sit vitiorum omnium officina, & compendium, mirum non est, si acerbissimè puniatur à Deo. Genes. 18. *Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est! & peccatum eorum aggrauatum est nimis.* Caietanus sollertiùs perscrutans Hebræum verbum, quod subest pro Tò *Dominus*, ita scribit: *Tetragrammaton est, ad insinuandum quod ipsum summum principium essendi, est etiam principium destruendi Sodomam, & Gomorrham.* Primum & summum principium essendi, est etiam principium destruendi salacissimos Sodomitas; Vallde exaggeratur supplicij acerbitas, cùm non à Deo vtcumque, sed à Deo, vt est primum, & summum principium essendi, infligi perhibetur.

Gen 18 v. 20. Caiet. ibi. *A primo, & summo essendi principio libido punitur.*

§. CLXXXV.

Sublimior ne Gratia fastu quodam animos arroganter attollens, à virtutu culmine aliquando deiicit.

1 O Quàm contempta res est homo, nisi suprà humana se erexerit. Limum corporis sui sapit, & originis suæ cœnum subolet; & Dei flatum quo augustè eius animus formatus est, planè desuescit, & totus homo in matricem puluerem quodammodo degenerat. Cùm verò homo diuina contemplatur, & gratiæ officiositate allectus, ad cœlestia aspirat, cœlestibus alitur, adipatur, & crescit: velut corporis vinculis liberatus animus, in originem redit, & hoc habet argumentum suæ generositatis, quod illum diuina delectant, nec vt alienis interest, sed vt suis. Verùm enimverò etsi cognatæ vitiositatis genio, contempta res sit homo, nisi virtutis ope supra humana se erexerit: adhuc tamen sic erectus, cauere sibi debet non tantùm à vitij fomite, quem in medullitus alit, sed etiam ab augusta virtutis generositate, nisi cautè agat; ne de virtutis officina vitiũ conflet, subdola naturæ humanæ peruersitate. O quoties angustior virtus, ex prauitate nostra, quodammodo virtuti insidiatur, dum pietatis claritudo vitio vanæ gloriæ infuscatur, & vnde boni sumus incipimus esse mali, occasione perperam à nobis accepta. O humanam prauitatem, quæ de antidoto venenum conflat!

Timendum homini est à præcelsa virtute.

2. Isaiæ 14. sic apostatæ Angelo, & rebellium principi illudit Deus: *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram:* qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: In cœlum conscendam...ascendam super altitudinem nubium similis ero Altissimo Detracta est ad inferos superbia tua, *concidit cadauer tuum.* Nimirum Lucifer ille creaturarum primicerius, cœlitum princeps, & præcelsus olympi incola; naturæ, & gratiæ dotibus sic augustus, vt diuinæ *similitudinis signaculum* meritò nuncupetur: tam arroganter elatus superbiuit, sublimioris excellẽtiæ abusu, vt de tantæ celsitudinis, & gratiæ fastigio in terram præceps corruerit. *Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris?* In præclaro Ortu occasum inuenisti de fulgoribus obscuratus & de donorũ gratiæ bonitate, malignè pessimus. S. Gregorius Nazianzenus hac super re sic aliorsùm eloquenter fatur: illud tamen, inquit, hinc animaduertitur, quod tametsi gratia diuina non contingat indignis, nec omninò in malum, & ineptum instrumentum cadat, nihilominus propter mutabilitatẽ habitus, ac naturæ humanæ, nequaquam minoris negotij sit, mea quidem sententia dignitatem suam, & concinnitatem seruari, quàm ab initio verè aptum concinnumque reddi, ac dignum effici. *Præsertim cùm ipsa Gratia sæpe numero (vt quod omnium malorum nostrorum est, & absurdum maximè proferam) fastu quodam animos efferens, à Deo deiiciat eos, qui non rectè ad ipsum propius accesserant; eoque modo fiat, vt dum extollimur, deturbemur; quo peccatum fiat suprà modum peccans, per rem bonam mihi mortem afferens.* Doctè quidem, & supra modum argutè Nazianzenus. Nempe quod malorum nostrorum, & pessimum, & absurdissimum est, *Ipsa Gratia sæpe numero fastu quodam animos efferens, à Deo deiicit.* Sicque fit peccatum supra modum peccans cùm de Gratiæ bono, culpæ malum arroganter ædificamus ad grauiorem ruinã Sicut Lucifer, qui de dignitate sua indignus effectus est, & de Gratię officiositate fastum elaborauit, de luce obscuritatem offudit, & in fastigio ruinam præcipitanter inuenit. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? &c. concidit cadauer tuum.* Apostata ne spiritus per fastum in terram decidens, in terra profundo miserè cadauerascit? Scilicet dum *per rem bonam sibi mortem attulit*, de cœlo per elationẽ deturbatus, in terris cadauerascere dicitur, quasi malus Dæmon sit boni Angeli cadauer; aut obscuræ tenebræ, in quas per superbi fastus mortem abiuit, sic Luciferi, aut lucis cadauer, & dum Lucifer Gratiæ quodam fastu in cœlis superbit eiusque exindè peccatum fit suprà modũ peccans tenebrosè obscurus, velut putre supernę lucis cadauer, in terris iacet squalidè. O time, ne Gratia diuina, qua excellis, in malum, & ineptum instrumentum cadat, & propter mutabilitatem habitus, aut naturæ, *fastu quodam te efferens*, dum in sublime extollit, in profundum deturbet! Ergò parùm foret, si Tobias filium probissimum admoneret, vt scelera in se non admitteret: nisi etiam has illi prauitatis nostræ insidias detegeret. Vnde videns Filium tot naturæ, & gratiæ dotibus illustrem, cordis arcet superbiam, ne vel ipsa *Gratia fastu quodam* illum efferens, infimissimam virtutis ruinam præcipitanter deturbet.

Isai 14 v. 12 & 12. Ezech 28. v. 12. Greg. Naz in Apolog ad Patrem. *Gratia fastu quodam animos arroganter efferens, à Deo deiicit.* Hic v. 14.

1. Corinthiorum 15. denarrat Paulus Christum 3.

Deum à mortuis resurrexisse, qui primum visus est Cephæ, & pòst vndecim Apostoli. Deinde visus est plusquam quingentis fratribus, &c. *Nouissime autem*, inquit, *tanquam abortiuo, visus est mihi.*

1 Cor. 15. v. 8

Cùm omnibus in confesso sit, Paulum humilitatis causa se *abortiuum* nominare, variè hunc locum versant commentatores. Theodoretus, & Theophylactus τὸ *abortiuum*, pro contempto, & abiecto accipiunt, quia abortiui fœtus, vtpotè imperfectiores tenuiores, & graciliores esse solét. Ambrosius verò τὸ *abortiuum* se dixisse putat, quia extra tempus, Christo scilicet in cœlos recepto, natus in Christo Paulus, nouissimus Apostolatum accepit. Aliter Cardinalis Baronius, censet enim Paulum vocari *abortiuum*, scilicet Apostolum, eo quod præter, & extra numerum duodecim Apostolorum, Apostolus creatus sit. Solebãt enim Romæ Senatores *abortiui* vocari, qui suprà numerum per gratiam in senatum allegebantur. Quod forsan alibi ad mores expendemus. Verùm Remigius Episcopus Rhemensis; sic Pauli locum subtiliter ad rem interpretatur: *Nouissimè autem omnium tanquam abortiuo visus est mibi. Abortiuus est, qui sine legitimo tempore nascendi nascitur, extra tempus videlicet congruum, aut antequam debeat nasci, aut post. Iulius Cæsar fuit abortiuus, qui post legitimum. Sic & Apostolus abortiuus quodammodo extitit, quia post tempus natus est in Christo.*

Senatores abortiui dicebantur, qui allegebantur extra numerum.

Baron anno Christi 44. pag. 317.

Sueton in Octauio cap. 35

Remig. ad hæc Pauli verba.

4. *Paulus ideò dicitur abortiuus, quia post legitimum tempus natus est Christo.*

Nempè Paulus dicitur *abortiuus*, quia post congruum tempus natus est in Christo, & ideo in parturientis Gratiæ vtero diutius extitit. Porrò qui post legitimum tempus nascuntur, vegetiores, & validiores nasci solitant; quippe qui materni vteri fotu diu adipati, robustiores euadunt: cur ergo Paulus cum humilitatis causa, se imperfectiorem, & tenuiorem haberi cupit, vocat se *abortiuum* Gratiæ filium, id est, qui diu existens in Gratiæ vtero, seu nascentiæ ad Christum matrice adhuc debilis, & imperfectus sit natus, instar *abortiui*, qui ante tempus nascitur? Nimirùm valdè se demittit Paulus, qui cùm diuturniori Gratiæ fotu vsus fuerit, *minimus* Apostolorum infirmior, & imperfectior natus sit, velut *abortiuus* ante legitimum tempus editus, quasi diuturniori Gratiæ fotu abusus fuerit, & vnde robustior nasci debuit, inde velut *abortiuus*, gracilior, imbecillior, & imperfectior natus sit. Quasi dicat: tametsi in Gratiæ matrice diutiùs extiterim, vnde vegetior debuissem enasci, sic diuturniori Gratiæ fotu abusus sum, vt *tanquam abortiuus*, imbecillus, gracilis, tenuis, ferè cœcus, & semimortuus natus sim. Profectò cùm Paulus humilitatis causa se appellet *abortiuum*, & Apostolorum minimum &c nullo se potuit abiectiori elogio tã humiliter demittere, quàm se appellando diu rebellem Gratiæ post diuturniorem in illius vtero fotũ, adhuc *abortiuum*, id est: tenuem, infirmum, & semiuiuum quasi de Gratiæ robore imbecillitatẽ hauserit, & de Gratiæ generositate degener euaserit, & vnde esse debuisset vegetior, inde extiterit *abortiuus*. Sic de se Paulus humiliter sentit! Suspicamus has Paulinæ humilitatis argutias, quas Remigius nobis indicauit.

5. Lucæ 6. postquam Christus Deus denunciatis beatitudinibus, præmiis ad virtutem, & fidem populos prouocauit; nunc etiam à criminibus atque peccatis suppliciorum denũciatione deterret. *Væ*, inquit, *cum benedixerint vobis homines.* Sic spectatores oculi quando aspectabilem virtutem cum laudibus celebrant, illam infeliciter fascinant, vt *Væ* infaustum, his qui ab hominibus benedicuntur, Saluator edicat; Et vbi est illud: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona?* S. Ioannes Chrysostomus hoc dubium proponit, & his verbis subtiliter soluit: Non autem cõtrarium est quod hîc dicitur, ei quod alibi Dominus dicit: Luceat lux vestra coram hominibus, &c. Vt scilicet festinemus bènè agere ad gloriam Dei, non ad propriam. *Perniciosum enim quid est inanis gloria, & inde sumit ortum iniquitas, atque desperatio.* Nimirùm qui de virtute ipsa inaniter elatus, sic effertur, & turget, vt laudes captet humanas, & de virtute, arrogantia animitùs dissimulata glorietur; si Chrysostomo credimus, propè *desperare* potest. Porrò qua spe fulciri eualet, qui insolenti quodam virtutis abusu, vitiis seruit? & *cum ipsa Gratia fastu quodam animos efferens*, à Deo deiiciat eos, qui non rectè ad ipsum propiùs accesserunt? Sic Christus alibi dixit: *Non veni vocare, iustos, sed peccatores.* Iustos ibi appellans eos, qui de sua iustitia humanos plausus inaniter captant) O! quid speret is, qui virtutis antidotum in vitij conuertit venenum? *Væ cùm benedixerint vobis homines*, nam cùm humanus arridet virtutis plausus, *inde sumit ortum iniquitas atque desperatio.* Auertantur statim erubescentes qui dicunt mihi, Euge, euge.

Luc. 6. v. 26. *Cùm humanus arridet virtutis plausus, inde ortum sumit desperatio.*

Chrys. ibi.

§. CLXXXVI.

Valde satagit malus Dæmon, vt aliquod vitium animitùs nobis conuisceretur.

QVid inter morbos animi intersit, & affectus sæpè iam inculcauimus. Nunc quoque perstrictim admonebimus. Morbus est, inueteratum vitium, & durum, vt auaritia, vt ambitio nimia, vt ambitiosior luxuria, vt detractio petulanter effusa. Hæc cùm semel cœperunt, animum implicuerunt, & frequenti repetitione totum impleuerunt, & perpetua eius mala esse cœperunt. Vt breuiter finiam, morbus est, consuetudo vitij in prauo pertinax. Affectus sunt motus animi, improbabiles, subiti, & concitati, qui frequentes neglectique fecere prauæ cõsuetudinis morbum. Sicut distillatio vna, nec adhuc in morem adducta, tussim facit; assidua, & vetus phthisim; ita mali affectus, crebra repetitione in vitiosam consuetudinem, morbum propè irremediabilem transeunt. Nec opinor tam curat humani generis hostis infernalis, vt à nobis extorqueat varios affectus, in diuersa vitia sparsim errantes; quàm vt vnum multiplici repetitione hærenter figat, & altè repetita consuetudine fundet. Peregrinari in hominibus sæpè negligit, habitare quasi inquilinus semel mauult, etsi in vno tantùm affectu domicilium figat. 1.

Vna stillati, facit tussim, assidua phthisim,

Lucæ 11. miserum illum hominem diu Dæmõ pertinaciter obsederat, & vnde diuturnum fixerat domicilium, difficillimè se abigi sinit, sed totis Tartarorum viribus Diuinæ omnipotentiæ obluctari præsumit. *Erat IESVS eiiciens Dæmonium, & illud erat mutum.* Nemo interpretum non obseruat τὸ *erat*, reluctantem Dæmonis excantandi obstinationem denotare, & arduam illius expellendi difficultatem insinuare. Nil Christo 2.

Luc 11. v. 14

Cur Dæmon mutum faciens, aditum claudat ad cætera linguæ vitia.

sto Deo difficile, qui toto cognatæ omnipotentiæ adnisu miracula patrat: sed difficultatem humanitus repræsentat, vt ostendat quam sit de se arduum, quod assiduitate assueuit, aliquandò rescindere. Et sanè admiratione dignum est, quòd Dæmon iuratus hominum hostis, linguam huius hominis Diabolico impedimento ligarit, quo illum elinguem & mutum fecerit. An non magis è re Diaboli erat: vt vel lingua muto solueretur; lingua inquam, scelerum officina & delictorum matrix, & mundus iniquitatis? In muto homine periuria vacant, contumeliæ & detractiones otiantur, & sexcenta alia oris vitia, prolixa recensitione needum plenè libata. Eccur Christus muto dat linguam, virtuti frequentiùs insidiantem? Et quare malus Dæmon taciturnitate obsignat hominis linguam, quæ malitiæ conflatorium vulgò nominatur? Imo si astutus Dæmon per linguæ vsum intrauit(aut per oculos etiam & aures: nam vsum quoque & auditum dicitur impediisse) cur aditum claudit, ne alia etiam vitia per linguam valeant in hominem subintrare? O insolenter pium Dæmonem, aut humanæ malitiæ auarum, qui vno vitio, per quod intrauit, contentus, cæteris apertas fores benignè claudit! Gratulor iam hominibus, dum minùs sæuum, quin & benignum magis infernalem hostem habent; qui vno semel linguæ vitio contentus, per quod intrauit, dum reliquis aditum mutâ taciturnitate præcludit, cęteris linguæ vitiis parcere videtur. Luculenter Hugo hâc super re ita philosophatur: *Erat IESVS eiiciens Dæmonium, & illud erat mutum, Id est, mutos faciens: & cætum, vt dicit Matthæus. Sed quare hos sensus potius quam alios impedit Diabolus? Odit nequitia Dæmonis alterutrum ingressum per quem reditum erat, oppilauit auditum, & visum, & tertium, id est, linguam.* Scilicet non est Dæmonis benignitas oppilare plurium vitiorum ingressum; sed nequior sæuitia est, dum aditum ad alia præcludens, ipse vno solùm velut contentus, intùs diu manet. Agat animitùs radices vnum duntaxat vitium: præcludantur medicinæ fores: nam etsi aliis vitiis simul oppiletur ingressus, vnum tantummodò medullitùs diu corporatum, perniciosius est de inolita consuetudine, quàm pluralitas de non repetita numerositate. Nam tam sæpe ambit in hominibus versutus Dæmon multiiugam semel delictorum pluralitatem, quæ post commissionis voluptatulam, tædium sui faciunt, quàm vnum duntaxat vitium altè radicatum, & quod diuturna consuetudine velut in naturam abit. Exinde malus Dæmon etsi per linguam intrauit, muta taciturnitate linguam obsignat: nam licet simul aliis linguæ delictis aditum claudat, sat est intùs diu manendo, aditum præcludere, & exitum oppilare, quo diutiùs hæreat, & perdiu inibi clausus maneat. O vide, quanta cum difficultate vel à Christo Deo Dæmon expellitur, qui *alterutrum ingressum oppilauit!* Idcircò consultissimè posuit Euangelista verbum illud, *erat*, aiens, *Erat IESVS eiiciens Dæmonium, & illud erat mutum.* Et Tobias hîc vers. 14 seriò præcipit filio, ne vitium in suo sensu, aut verbo, *dominari* permittat. Sensim ingreditur, & vbi animus assiduitate assuescit, exitum propè oppilat.

Hugo Car. ibi. Math 12.

Hic vers. 14.

3. Geneseos 4. Factum est post multos dies vt offerret Caïn de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum: & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Caïn verò & ad munera illius non respexit: iratusque est Caïn vehementer, & cōcidit vultus eius. Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es? & cur concidit facies tua? *Nonne si benè egeris, recipies? sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit? sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaris illius.* Locus ex Lxx. interpretum versione in paucis impeditus. Verùm S. Hieronymus ex Hebræo sic vertit, & exponit: *Nōne si bene egeris, dimittetur tibi,* Non te prætereant hæc verba, (alibi forsan examinanda) *si non bene egeris, ante fores peccatum tuum sedebit? At ad te societas eius, sed tu magis dominare eius. Quasi dicat... Quod si male egeris, illico peccatum ante vestibulum tuum sedebit, & tali ianitore comitaberis. Verùm quia liberi arbitrij es, moneo, vt peccatū non tibi, sed tu peccato domineris.* Ecce tibi cōmissum peccatum, in animæ vestibulo cubare, vel tanquam ianitor ante fores sedere dicitur. Sed aduerte quod vbique *tali ianitore comitaberis.* Caue autem solerter, *vt peccatum non tibi, sed tu peccato domineris.* Tu dominaberis peccato (si ad rem ethicam sensum deflectamus) quando aut leuiter delinquis, aut si grauiter, semel aut iterùm pecces. Quod si alicui peccato frequenter assuescas, & inueterata consuetudine diu illi hæreas, peccatum tibi *dominabitur*; dum illo tanquam ianitore vtēs, nil propè nisi ex eius censu ad te ingreditur, vel egreditur à te, quod fieri solitat, quandò diuturna inualuit consuetudo. O caue, ne peccatum diu in foribus tuis sit: extra fores eiice, ne in pectus intret! Perbene ad rem Hugo Victorinus ad ea verba: *Sin autem male, statim in foribus aderit.* Ita fatur Victorinus: *Duabus de causis dicitur aliquid in foribus esse, vel vt intret, vel vt exeat. Similiter hîc de peccato potest intelligi.* Flagitiosè deliquisti? puta, peccatum esse in foribus vel vt *exeat* per pœnitentiam, vel vt *intret* per consuetudinem peccandi. Si illud mox pœnitudine abigis, & è foribus emittis, ne malo vtaris ianitore; tu peccati *dominaberis*. Quod si diu negligis, *& vt intret* per consuetudinem permittis; te illi subiecisti, & imperiose tibi velut seruo *dominabitur*. O caue, vt dū ad ianuam est, ne ad te sensim repetita malitia subintret, ne ianuam per diuturnam consuetudinem, velut post se claudat, oppilet ingressum! Dum peccatum assiduitate non hæret adhuc patet aditus: at vbi consuetudo inolescit, si de diuturnitate insolescit, vt quasi egressus foret præclusus, vix egredi patiatur. Vide nuper Christum Deum, qui toto omnipotentiæ adnisu Dæmonem qui sensuum humanorum fores diu oppilarat, & præ nimia consuetudine aditum occluserat diuturna expulsione laborantē. Non quia id non eualeret in momento præstare; sed vt hominibus innotesceret, quàm medullitus velut corporetur diu inolita peccandi consuetudo. Peccatum, quod sensim palpādo ingreditur, serò nimis, & viscera discerpendo, egreditur. Vitium in mores & alteram naturam increuit. O quàm est homini difficile, hominem desuescere!

Gen. 4. v. 7.

Si bene egeris, dimittetur tibi.

Hieron. in qq. Hebr.

In foribus sit peccatum, vt exeat, non vt intret; ne homini dominetur.

Hugo Vict. in Annot.

Genes. 6. Videns autem Deus quòd multa malitia hominū esset in terra, & cūcta cogitatio cordis intenta esset ad malū omni tempore, pœnituit eum quòd hominem fecisset in terra. *Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Quæ Dei verba exponens Chrysostomus, ita scribit: *Eò quod ipsi homines,* 31

Gen. 6. v. 3. Chrysost. inibi.

inquit, carnes sunt hoc est, eo quod carnalibus operibus se ipsos totos dedunt, & anima substantia abutuntur, & quasi sola carne circumdati, anima carerent, sic vitam suam absumunt. Sic anima, non bona carnis elogia, de amico carnis contubernio mutuatur, vt carnem sapiens, spiritus diffiteatur attributa. S Gregorius enucleans illud, *Quia caro est*, ita fatur: *Caro quippe homo efficitur, quandò sensui carnis ratio subiugatur.* Sic carnalis concupiscentiæ vitium inoleuit; sic homini libido conuisceratur, vt rationalis homo, *caro* nominetur, cùm *sensui carnis* anima subiugatur? Exindè de anima rationali & spirituali, sensuum libidinibus propè immersa dixit exaggeratiùs Tertullianus: *Opinor sensualis est anima natura. Adeò nihil animale sine sensu, nihil sensuale sine anima. Et vt impressius dixerim, anima animæ sensus est.* Vide quā impressè conuisceretur carnis vitiositas, & sensuū agnata concupiscentia, *quandò sensui ratio subiugatur*; vt spiritualis & rationalis animæ natura, *sensualis* appelletur, adeò vt *anima animæ sensus* dicatur. Sic altè hominibus vitia conuiscerati Diabolus satagit, sic nobis impressiùs adhærescere, toto in infernalis solertiæ ingenio exsomni diligentiā procurat. Vitia negligit, quæ facile quiuis excutiat: radicari in minibus malitiam ambit, vitiositate altiùs impressā, quò vel ipsi animæ sensualis agnata videatur. O! sic *animæ substantia abutimur? anima animæ sensus erit?*

Greg 1. Regum c 15. Quo sensu dicatur quod sensualis est anima nostra natura.

Tertull. de Carn Christi c. 12.

---

§. CLXXXVII.

Dum ærumnosis calamitatibus agitatur homo, timeri potest, ne quodam gratiæ fastu, in superbiam nobiliter degeneret.

1\. Inter ethicè consiliosa dogmata, quibus Tobias senior iuniorem Tobiam instruit, hoc scribitur omnibus valdè necessarium: *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas.* Hoc documentum grauissimum est, & primum omnium proponendum à sapientissimo & sanctissimo patre videbatur: quia Superbia vitiorum omnium matrix est, illaque gignit, fouet, & incrementat. Sed esto, hæc ita sint, (vt doctè noster Sanctius obseruauit) *in eo rerum articulo minus erat hoc vitium formidandum adolescenti, qui pauper erat, & exul, neque quicquam apparebat, quod afflictum animum insolenter attolleret.* Profectò vt superbia est vitiorum genitrix, sic etiam felicitatis genitura est. Prosperior fortuna, opulentia, purpura, victoria, triumphus in elationem infeliciter degenerant; nō ineluctabilis captiuitas sub barbaro Tyranno, non exilium extorribus luctuosum, non paupertas omnium ludibrio exposita, non aduersariorum triumphus, quo de ipsis insolenter victoriatum est. Sed ô beatas, & piè superbas Iustorum calamitates! *Ipsa caro honoratur in præmiis, quæ est probata suppliciis: ipsa in muneribus gaudebit, quæ in doloribus triumphauit.* Gloriosè ouat, & generosè triumphat in doloribus patientia, in captiuitate mansuetudo, in paupertate tolerantia, & in dire aduersis magnanima constantia; adeò vt ærumnosiori calamitate iactatum filium, opportunè Tobias præmoneat, ne *afflictum animum insolenter attollat*, aiens: *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas.*

Hic v 14.

Iustus in dire aduersis, gloriosius triumphat.

Sanct. ibi n. 35.

Euseb de Pass. hom. 10.

2\. Nasci se Deus in vtero patitur matris, & expectat; natus adolescere sustinet, & adultus non gestit agnosci, sed contumeliosus insuper sibi est. Cùm verò à Discipulo in Passionē traditur, cùm adducitur, vt pecus ad victimam, ille cui legiones Angelorū vno dicto de cœlis affuissent, nec vnius quidem Petri gladium contra agrestem offensorē probauit. Despuitur, verberatur, deridetur, vinctionibus dehonestatur, ridiculario amictu vestitur, cruenta spinositate coronatur; perfossoribus clauis figitur, diro mucronis vulnere lancinatur. Sed esto, subeundæ mortis tot contumeliis opus foret, eccur in Resurrectionis gloria probrosę Passionis stigmata resumit? Sic Euangelista Ioannes scribit: *Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Quare ergò Passionis cicatrices, & vulnerum characteres in gloriosæ Resurrectionis triūpho Christus resculpit? Pulchrè pariter ac tempestinè Emisenus. Nimirum illud solum, inquit, Resurrectio vnde erat credenda, non abstulit. Ostendit ergò manus & latus, ne subitò non eadem caro crederetur resurrexisse, quę passa est: *Ne causam ipsam gloriæ, obscuraret fortasse lux gloriæ.* Scilicet si penitiùs explorare velimus, cur vitę nostrę corpus in sua Resurrectione, notis cunctæ mortis inscriptum sit, & cōtumeliosæ Passionis cicatricibus insculptum? dilucidè respondet Emisenus: *Ne causam ipsam gloriæ, obscuraret fortasse lux gloriæ.* Scripti nuper probrosi tormenti characteres, Resurrectionis gloria non deleat, sed potiùs claret ad gloriam, ne obscuræ Passionis gloriā, gloria Resurrectionis obscuret. Tātus adhuc perdura augustioris glorię velut quidā fastus de contumeliosæ Passionis gloria, vt illius residuę cicatrices, dum gloriæ causam ostentant, gloriam Resurrectionis generosæ colorent, & sūptuosiùs illustrent. Legis Resurrectionis gloriam, quam fidei oculis cernis, lege gloriæ causam in sacrorum stigmatum characteribus. In calamitate Passionis victoriam, in Resurrectione triumphum agnosce. Profectò augustior triumphi splendor, de victorię generositate gloriam fœneratur. Sordet sine victoria triumphus, à qua ipse illustratur. Ergò probrosæ Passionis victrices resculpit cicatrices *ne causam ipsam gloriæ, obscuraret fortasse lux gloriæ.* Vel in triumphi pompa, & prælustri Resurrectionis honore, de cōtumeliosæ Passionis notis Christus gloriatur; Tantum ne decus in ærumnarum calamitate dissimulanter absconditur, vt illustriores glorias de sua obscuritate reuerberet? O! timeri potest, ne homo ærumnis obsessus & calamitatibus pene obrutus, quodam gratiæ fastu, in superbiam nobiliter degeneret.

Tertull de Patientia.

Cum cicatricibus resurgit Christus, ne causam ipsa gloria, obscuraret fortasse lux gloria.

Ioan. 20. v. 27.

Emis. hom. 10. de Pasch.

3\. 2. Machabæorum 7. admirandum certamen felicium germanorum, & beatæ Matris calamitates, ad huius rei euidentiam denarrantur. Siquidē diuinior prouidentia meliora de cōtrariis peragit; & ita iustas ordinat causas, & boni ex aduersis proficiant; & dum calamitatibus felicitantur, ad piam transeāt voluptatem & gloriam impiæ crudelitatis ingenia. Nam quos per cruentissimum persecutorem humiliauerat Diabolus, exaltabat Deus: quos ille damnauerat, iste glorificat: ille opprobriis adimplebat, hic honoribus: ille afficiebat flammis, refrigeriis hic refecit. Itaque pij fratres impia supplicia quasi aliena reputant: quæ

circa

circa corpus remanētia, ad animam peruenire nō possunt. Diuerso cruciamentorum genere hic verberibus dilaniatur, hic candenti craticula sacrificij more torretur: hic absciso mortali capite, immortali capiti iungitur: hic desecta lingua inuiolabilem fidem melius loquitur, & verum Deū silentio oris, clamore vulneris confitetur. Sigillatim itaque à senioribus ad iuniores passionum ordo disponitur, vnumquemque per decurrentes ætatum gradus, crescentia tormenta percurrunt. *Suprà modum autem mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub vnius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat propter spem, quàm in Deum habebat.* Qua super re sic eloquenter fatur Eusebius: *Singuli fratres magnitudine supplicij, omnes speciali acerbitate torquetur: inter videntes pariter, & sustinentes, qui dolores sunt? propria sunt dolore communia ac sic ille qui posterior vicit cum omnibus triumphauit.* Et post illustrem septem fratrum in calamitatibus triumphum, hæc subdit de matre: *Satagit inter hæc felix orbitatibus suis mater, sollicitior de perimendis, securior de peremptis: respiciens quot funera, tot trophæa, & filiorum merita exultando sua faciens, nouo genere gaudia doloris metit, ac septem martyria vnius pectoris virtute consummat, & numerosam prolem cœlo lata parturiens, ad regnum Dei secura, quia secutura, præmittit.* Quid illustriùs? Pudet consueta expensione singulas trutinare sententias, ne rudiori stylo verba plena ingenij, plena acuminis deuenustare videar. Sed ad rem non dimittam innotatum, filios dum crescentia tormenta alacres percurrunt, & propria singulorum cruciamenta sūt dolore communia, ad calamitatis exaggerationem; tunc, tunc quidem sumptuosiùs *triumphasse.* At pia Mater *felix orbitatibus suis*, respexit *quot funera, tot trophæa*, & in filiorum funestis calamitatibus *exultando nouo genere gaudia doloris metit, & numerosam prolem cœlo lata parturit.* Artifex fides, & gratiæ officiositas, in spei officina felicitatem de infelicitate sic recudit? Quæ in filiorum tormentis *exultando, gaudia doloris metit*, quæ *orbitatibus suis felicitatur*, quæ dirè excruciatam sobolem velut *trophæa* erigit, & acerbiora patiendo *triumphum* gloriosiùs agit; palam ostentat, quanta gloria in calamitatibus abscondatur, pio quodam tolerantiæ fastu, ad humanarum felicitatum inuidiam.

Calamitosa mater, septem filiorum orbitatibus felix.

2. Machab. 7. v. 20.

Euseb hom. 4. de Epiph.

4. Genesis 40. vtriusque Principis somnium congruo rebus euentu, dispari autem fortuna, interpretatur Iosephus. Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat: qui faciens grande conuiuium pueris suis, *recordatus est inter epulas magistri pincernarum, & pistorum principis. Restituitque alterum in locum suum, alterum suspendit in patibulo.* Pro τὸ *recordatus est*, Hebraïca in hoc loco ita habent: *Et eleuauit caput principis pincernarum, & caput principis pistorum.* Est enim נשא *nasa* idem quod *leuare, eleuare, extollere.* Vnde eruditè notauit Lipomanus eodem verbo vsum fuisse Iosephum, & cùm felicitatem annunciauit pincernarum magistro, & cùm patibulum prædixit magistro pistorum. Eodem ne vocabulo summa palatij fortuna, & acerbioris supplicij calamitas significatur? An quia sic est lubrica Principum gratia, vt quod in aula impendet præstetur in patibulo? An vt exaggeret palatini seruitij, & obsequij labores? An vt tam disparem fortunam vilius æstimemus? Summa calamitas, & sublimior felicitas eodem verbo, quasi parallela exponuntur. Æternitatis riualibus omnia mundana atque caduca parili æstimatione deputantur. Nemo è cœlesti schola seriò eruditus, magni facit fortunæ vices. Eodem censu habetur, ærumnosior calamitas, & prosperior felicitas. Vnde grandius infortunium arrogantem reddebat Nazianzenum, de quo aliàs.

Gen. 40. v. 20

Hebr. text. Lipom ibi.

Summa felicitas & calamitas, eodem vocabulo exponuntur.

P. Didac. de Celada in Tobiam.

---

§. CLXXXVIII.

Propria laus, vel ipsam veritatem mentiri putatur, exinde sui panegyrim recudit in satyram.

Socrates dicebat, siquis in theatro coriarios surgere iuberet, eos solùm surrecturos: similiter si fabros ærarios, textores, aut alios generatim. Si verò prudentes aut iustos, hîc omnes surrecturos fore. Est enim hoc in primis in vita damnosum, quòd cùm hominum pars maxima stulta sit, sapere tamen sibi videantur. Hinc bona sui conscientia prodire vult, & conspici: quasi bonum dedeceat esse sine teste. Quod si exteri desint, ipse sibi non deest, & suas laudes, aut dissimulanter ex occasione insinuat, aut palam garrit, quo famam aucupetur. O frontem! Quis sis, interest, non quis habearis. Virtutum omnium pretium in ipsis est. Benè fecisse, rectè facti merces est. Quid famam virtute emis? Quid virtutem garrulus nundinaris! Falsata est virtus, quæ proprij oris suffragium desiderat. Quid virgineam virtutem constupras mentito ore? Laus propria non prodit virtutem, quam prodendo negat, & suspectam facit. Adeò vt nemo sit, qui propria laude mentiri ad veritatem non putetur. Laudator sui, veritati etiam fidem detrahit; & dum famam captat, è peruerso aduiatur infamiæ, suamque laudem laudatione facit incredibilem. 1.

Apud Stob. ser. 11.

Propria laus vel veritatem mentitur.

Sanctus Iobus cap. 9. virtutis virtutes, & vitij vitia peritè callens, sic respondens ad Baldadi Suhites argutias, sic altè fatur: *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, prauum me comprobabit.* Sententia sanè ænigmati similis, & quæ videtur negare quod asserit: nisi nimis fatuè cum aduersario Iobus agit. Quis nisi mentis, & consilij inops, dum sollerter satagit, se iustum ostendere, & probare innocentem, eiusmodi probatione se damnat? Fortè attestata innocentia erit malitiæ rea, & damnationis reatus: nam cùm vitia arrident, peccat qui rectè facit, (dixit ille quicumque.) Cùm ergò tanta iudiciorum peruersitas, longè absit ab his Iobi amicis, non est facile rimari abstrusum huius sententiæ sensum, in quo extricando valdè sudat commentatorum sollertia, vt explicent, quo pacto Iobus, si iustificare se voluerit, & innocentem ostendere, proprio condemnetur ore, quantumuis nullum sui vitium prodat, & eximias virtutes publicet. Omitto multas multorum commentationes, vt exscribam, & expendam luculenta Sanctij verba, ingenij plena, & moralitatum grauida. *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me. Nempè siquis pro se ipso testimonium ferat, suamque à se ipso innocentiam probet, hæc probatio infirma est, & nihilo magis* 2.

Iob 9. v. 20

Publ. Mim. apud Senec.

Serò damnant alij, quod propria lingua laudatione prædamnat.

Sanct. inibi n. 49.

 causam

causam iuuat, quàm si ab omni foret testimonio deserta...... Neque solum non fauebit causæ testimonium huiusmodi, sed etiam incommodabit plurimum: non enim modesti est, aut vrbani ingenij, &c. Nota moralissimam de Iobi sch ola eruditionem. Scilicet, si iustificare me voluero, & meam probitatem ore proprio ostendere, in meas effusus laudes; etsi vera fortè dixerim, non modo fidem non faciam, sed potiùs eiusmodi laudatione non modesti, & vrbani ingenij me arguam, & falsitatis damnabo, quod arroganter lingua garrit, in proprias laudes effusa. *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me.* Tot aduersus me testes sistant, quot laudatoria verba: nullum tam aduersum testimonium mihi refragabitur, quàm meum pro me suffragium, quo vel quod verè dixerim, falsum edictione probabo. Serò damnabit iudex, quod propria lingua in se laudando præproperè condemnauit, quasi reus sit flagitij, qui se laudando, illud auertere molitur. Nil enim apud homines tam putatur à veritate alienum, quàm elogium aliquod proprio ore iactatum: cùm propriæ laudis conceptaculum, veritas non sit, sed immodestus vanæ gloriæ fastus, & arrogantis superbiæ typhus. Ecquis superbiæ vocibus credat? O, te laudando dum credi cupis, incredulitatem potiùs negotiatis! *Si ego* (ait ipsa Veritas) *testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.* Quæ CHRISTI verba copiosè ad mores explicabam in Iudith cap. 13. §. 23. Ad litteram loquitur, adspectu ad hominum existimationem.

Ioan. 5. v. 31

3. In annis 19. Iudæorum inuidia, petulanter tot beneficiis ingrata, & in suum expectatissimum Messiam audacter temeraria probrosissimam mortem vitæ auctori sedulò negotiatur. Prætore inuitè adnuente, Cruci CHRISTVS affigitur. Sed quam ob culpam innocens IESVS ad præacerbum damnatus patibulum? *Scripsit autem, & titulum Pilatus, & posuit super Crucem. Erat autem scriptum: IESVS Nazarenus, Rex Iudæorum.* Hoc ne titulo CHRISTVS damnatur? Regem esse, erit mortis reatus? (O purpuræ in aliis pericula!) Hic titulus patibulo superscriptus, malè tentauit æmulorum inuidiam, apud quos Regem non esse suum, in confesso erat: quod aliis etiam probare moliti sunt, & Passionis acerbissimis contumeliis, ac tormentis, & capitali iudicis sententia. Aduolant statim ad Præsidem, & instanter illi vaferrimè suggerunt: *Noli scribere Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum.* Explorare hîc licet callidissimam Iudæorum versutiam, CHRISTO suprà quàm superficie tenus apparet, probrosissimam. Scilicet in eo tota erat Iudæorum inuidia, ne CHRISTVS putaretur Iudæorum Rex, & quasi parùm foret comprobatum ridicularis regnandi insignibus, vinctionibus, probris, verberibus, sputis, colaphis, & probrosissima Crucis morte; aliam nunc probationem malitiæ acumine callidè ingeniantur, dum Præfecto suadere ambiunt, vt publica auctoritate describat in causæ titulo: *Ipse dixit: Rex sum Iudæorum.* Iudæi enim sibi malitiosè persuadent, nullo firmiori testimonio posse sisti rumusculos de regno CHRISTI sparsos, quàm si palàm publicetur, se glorioso Regis nomine se ipsum decorasse. Quantumuis præsaga futurorum denunciatio, tot prodigiorum stupor, attestatio Scripturarum, & de cœlo allatæ doctrinæ politia, id persuadeant: si tamen innotescat, quòd ipse CHRISTVS Regem se esse dixerit, quòd se de sceptro iactauerit, quòd proprio ore regni gloriam eructauerit; vulgò reus putabitur eius sententiæ, quam ipse de se verè dixit: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.* Exinde sollerter satagit Pharisæorum inuidia, ne in damnationis titulo præscribatur: *Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum.* Scilicet vulgò increbrescat, se proprio ore hanc de se laudem iactasse, vt cunctis improbabilis videatur. Quod Chrysostomus his verbis eleganter edisserit; *Iudæi autem Crucifixo inuidebant, vnde sequitur: Dicebant ergo Pilato: Noli scribere, Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum. Nam hæc quidem enunciatio est, & communis sententia. Si verò adiiciatur. Quoniam ipse dixit, ipsius petulantiæ, & extollentiæ ostenderetur crimen esse.* (Pergit Augustinus) *Sed quid loquimini insani Pontifices? numquid enim propterea non erit verum, quia IESVS ait: Rex sum Iudæorum?* Quasi propria laudatio, vel ipsam mentiatur veritatem. Sic laus propria mendacio militat, & falsitatis rea est. Profectò laus in ore proprio, vel panegyrim recudet in satyram. Hinc suspicabamus in Præludiis ad hunc librum, Tobiam non fuisse eius scriptorem, ne putetur suas laudes gloriosè buccinare. Quam linguæ modestiam filio præcipit hîc v. 14. his verbis: *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut tuo verbo dominari permittas.*

Ioan. 5. v. 31

Iudæi inculcant, CHRISTVM dixisse se esse Regem, qui persuadeant Regem non fuisse.

Ioan. 19. v. 21

Chrys. hom. 84. in Ioan.

Aug. tract. 117 in Ioan.

Hic v. 14.

Matthæi 24. sedente IESV super montem oliueti, accesserunt ad eum discipuli secretò, dicentes: Dic nobis quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi. Et respondens IESVS, dixit eis. Videte ne quis vos seducat. *Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum CHRISTVS, & multos seducent.* Sed in quonam poterunt Christiani cognoscere, quod nemo illorum qui dicit se venire in CHRISTI nomine, & multa specie tenus prodigia patrat, verè CHRISTVS sit. Peritè Origenes ad rem tempestiuus, sic eleganter præfatum locum exponit: *Et dicens: Ego sum CHRISTVS. Hoc autem solum sufficit ad cognoscendum seductionem Antichristorum, qui dicunt: Ego sum CHRISTVS, quod nunquam legitur CHRISTVS dixisse.* Ecce tibi præclarum signum, quo denotatur, neminem Antichristorum, etsi magna prodigia patrare videatur, re vera esse CHRISTVM, sed impostorem egregium, & fraudulentum seductorem: palam enim effundetur in proprias laudes, quas gloriosius prædicando, explicatiùs negat. Nam dicendo, *Ego sum CHRISTVS, hoc solum sufficit ad cognoscendum seductionem, quod nunquam legitur CHRISTVS dixisse.* Indè malitiosè astuti Iudæi sollicitiùs satagunt, ne à Pilato scribatur in crucis titulo: *Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum.* Sic destruit propria laus, quod adstruere palàm videbatur.

4. Matth. 24. v. 5

Antichristus dicens se esse CHRISTVM negat quod asserit.

Orig. tract. 27. in Matt.

§. CLXXXIX.

Ad fastigium euectus, dignitate sæpè excidit, per mentis altitudinem de dignitatis altitudine deturbatus.

1. Agesilaus excelso dignitatis, & virtutis fastigio sublimis, securè solidam vitam instituit, dum

Sublimem sine fastu esse, magna virtutis est. dum tacitus bona sua secum circumferret, abunde magnus bucciuator ipsemet sui, quò egregius arrogantiæ contemptor. Lætabatur enim ex animo, quòd ipse sibi testis esset idoneus spectatorque bonorum, intùs sibi rationem commorari ostendens, iamque virtutem egisse radices postquam amputato fastu, ad humilia pronus spectabat. Vt autem agricolis perincundum est videre spicas inclinatas ad terram, & nutantes, (nam quæ ob leuitatem sursùm tendunt, inanes esse creduntur) ita Magni quidam vani, nihil habentes ponderis aut grauitatis, elato sunt animo, & nihil præter merum fastum, & fastigij arrogantiam præ se ferunt. Perspicuum est igitur, eis qui fructum, ex sublimioris virtutis studio percipere moliūtur deponendum esse protinùs quicquid vanum est & arrogans, ne vel illa ipsa virtutis sublimitas, aut excelsa sanctioris officij dignitas, eos à fastigio deturbet, ipsaque celsitudo celsitudini clanculùm insidietur; & qui conspicuus erat, sublimitate, fiat constupratæ sublimitatis reus. *Mitte te deorsum*, Diabolus Christo Deo suggessit. Sed Deus, qui sursùm non potest ambitiosè ferri, nec deorsùm ferri potest.

Hic vers. 4. Matth. 4 v. 6.

4. Isaiæ 14. sub Regis Chaldæi typo, sic antitypo Diabolorum principi elegāter insultat Propheta: *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? Qui dicebas in corde tuo: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci* Expende mihi, quàm ab arrogātia nequam Angelus desipiat. Ambit in cœlum conscendere, dum in cœlo creatus, cœlum inhabitat; Super astra Dei solium suum exaltare præsumit, & adhuc recens editus, empyreum habitās, sidera calcat; Vltra altitudinem nubium ascendere expetit, dum ipse habitator cœli est; Similem fieri Altissimo exoptat, & Dei imago est, & signaculum similitudinis; Inde à tanta excidit celsitudine, ad profundum corruit, & ad infernum præceps deturbatur. Tot naturæ & gratiæ dotibus ornatus, tanto nobilitatis decore, & domicilij eminentia sublimis quo pacto corruit? *quomodo cecidisti Lucifer?* Perspicuum est, quòd non quidem à naturá, sed à voluntate deteriori improbus euasit Diabolus? quid quæso eius voluntatem tam potenter euertit, & in barathrum præcipitauit? *Quomodo cecidisti Lucifer?* Sententiosè respondet Basilius Seleuciæ Præsul: Lucifer *ad naturam talem euectus dignitate excidit per mentis altitudinem de dignitatis altitudine deturbatus: tantusque fuit elatioris animi fastus, quantum capere potuit spiritus.* Quasi ipsa altitudo altitudini insidietur: & vnde sublimitate extollitur, inde à quo altius cadat, inuenit. Sæpenumerò enim contingit, vt ipsa naturæ celsitudo, & gratiæ sublimitas fastu quodam animos efferens, à Deo deiiciat eos, qui non rectè ad ipsum propriùs accedunt; eoque modo fiat, vt dum extollimur, deturbemur, nemine quodāmodò ad ruinam impellente, præter ipsum fastigium. Vnde Lucifer ad talem tamque præclusam naturam euectus, tot gratiæ dotibus exultans, *dignitate excidit per mentis altitudinem de dignitatis altitudine deturbatus.* O! Excelso suspecta sit celsitudo; nam nuper dignus sæpè dignitate excidit factus de dignitate indignus & Angelus, per mētis altitudinē de dignitatis altitudine deturbatur, ac si vna altitudo alteri insidias paret, & in præcelsi muneris fastigio, suæ celsitudinis æmulum inueniat, ad infirmiorem ruinam. O, timeat magnitudo magnitudinis æmulam potestatem, quæ illam à sublimitate deiiciat.

Isai. 14. v. 12 13. & 14.

Lucifer per mentis altitudinem, de dignitatis altitudine deturbatur.

Seleuc. orat. 23.

Matthæi 16. in præmium magnificæ confessionis, qua Magistrum suum Petrus, Dei filium, & Christum Domini palam fatetur diuino afflatu; respondēs IESVS dixit ei: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam, Et tibi dabo claues regni cœlorum.* Præcelsa quidem Dignitas, & humanum excellens fastigium, qua Petrus constituitur Apostolorum apex, lingua fidei, Ecclesiæ caput, & cœli claniger. Sed quid est, quòd simul ac Petrus cœli ianitor designatur, inferni portæ aduersus ipsum atrociter armātur? Infernalium portarū exsomnes custodes, & sæui ianitores iam tunc in Petrum, & Ecclesiam suprà ipsum fundatam sic ferociunt; Tartareæ nequitiæ ianitores, aduersus cœli ianitorem protinùs desæuiunt; Magna planè dignitas ianitoris portarum cœli, sed nimis sęua iam tunc æmulatio infernalis portæ ianitorum Et quidem, si curiosiùs attendas, adhuc cœlorum claiugero grandius à ianitoribus periculum imminet. Potiò comprehenso Christo, & ad domum Pontificis adducto, Petrus sedebat foris in atrio, & accessit ad eum vna ancilla, dicens: Et tu cum IESV Galilæo eras At ille negauit coram omnibus. *Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum IESV Nazareno. Et iterùm negauit cum iuramento: Quia non noui hominem.* Ancilla clauigera, cœli clauigerum verbo exarmat; Pontificis ostiaria, cœli ostiarium turpi negatione culpat; Audiendus est S. Maximus ita eleganter fatus: *Tantam trepidationem Discipulis intulit passio Saluatoris, vt quod Apostolo Christus antè dixerat, ancilla destrueret, & magis prævaleret ostiaria ad perfidiam, quam Apostolus* (cui dictum est, *Tibi dabo claues regni cœlorum*) *ad cautelam. Non bona ostiaria, quæ Petrum ideò in domum Sacerdotis intulit, vt a fide Saluatoris excluda*. Er mox addit: Diabolus in paradiso *Adam per Euam superat, hic Petrum vincit per ostiariam.* Quid adæquè Sanctum, & præcelsum, quàm de Christi Dei consultissima electione, supremum cœli ianitorem constitui. Vide tacitam Muneris æmulationem, confestim contra Petrum inferni portæ armantur; & Petrum cœli ostiarium fœmina ostiaria deuincit: magisque præualuit ostiaria ad perfidiam, quàm Apostolus, (qui audiuit Tibi dabo claues regni cœlorum) valuit ad cautelam. Sic cognata officiorum æmulatio clanculùm ad ruinam insidiatur; Principis ostiaria, cœli ostiariū à fide exclusit; Lucifer *per mentis altitudinem à dignitatis altitudine deturbatur*; Et Petrus cœli ostiarius, per Principis ostiarium deiicitur. Sat foret aduersus cœlorum claugerum, portas inferorum armari, nisi etiam ostiaria fœmina inferni ianitoribus suppetias ferret. Magnum Munus cognatos habet aduersario. Time in muneris sublimitate sublimitatem mentis, agnatum potentię vermem, qui potestatem corrodit: ęmulam etiam aduersè potestatem tibi, de officij confinio inuidiosam time. 3.

Math. 16. v. 18. & 19.

Petrum cœli ostiarium, fœmina hostiaria à fide includit.

Math. 26. v. 71. & 72.

Maxim homil. 1. & 3. de Latr. & Petro.

Marci 9. interrogat IESVS Discipulos suos *Quid in via tractabatis? At illi tacebant, siquidem in via inter se disputauerant, quis eorum maior esset.* 5

Marci 9 v. 33. & 34.

Dignitatis honor eadem qua ingreditur via elabitur. Hier. ibi.

Et residens vocauit duodecim, & ait illis: Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus. Dc notat inibi S. Hieronymus, quod illi euntes disputabant de principatu, ipse sedens docet humilitatem. Principes enim laborant, humiles quiescunt. Et tempestiuè addit: *Rectè autem in via tractabant de principatu. Similis enim est hæc tractatio ioco. Principatus enim sicut ingreditur, sic deseritur: & quandiu tenetur, labitur, & incertum est in qua mansione, id est, in qua die finiatur.* Ipse se principatus exagitat, ambitione ingreditur, & elatione elabitur: in via semper est, & quamdiu tenetur, iam discedit, adeptioneque excidere incipit; & solerter ambitiosus *dignitate excidit, per mentis altitudinem de dignitatis altitudine deturbatus. Principatus enim sicut ingreditur, sic deseritur.* Via ad dignitates est dignitatum neglectus. *Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus, per mentis altitudinem de dignitatis altitudine deturbatus.* Et nota, quod principatus etiam *quandiu tenetur labitur.* Adeò est lubricus, fugitiuus, incertus; O quàm multa paucissimis significauit Hieronymus!

Honor adeptus, etiam quandiu tenetur labitur.

5 Aug. lib. 19. de Ciu. Dei cap 7. *Ipsa imperij amplitudo, se vrget ad casum, & vsque ad ruinam impellit.*

S. Augustinus lib. 19. de Ciuitate Dei ad Marcellinum, agens de miseria bellorum, etiam quæ iusta dicuntur, sic bellè (heu etiam verè) scribit: *Quamuis enim non defuerint, neque hostes desint, externæ nationes, contra quas semper bella gesta sunt, & geruntur: tamen etiam ipsa imperij latitudo peperit peioris generis bella, socialia scilicet & ciuilia, quibus miserabiliùs quatitur genus humanum, siue cùm belligeratur, vt aliquando conquiescat; siue cùm timetur, ne rursùs exurgant.* Quid stupens magni imperij ruinam miraris? quid ruinæ causas ignauè curiosus peruestigas? Ipsa imperij magnitudo (vt alia omnia desint) tota latitudinis mole supra se incumbens, solo æquata procumbit. Sublimitas ipsa, quò altiùs fastigatur, eò propriùs casui vicinatur; & cum iam incrementum non capiat, decrementum suscipit. Sic est friuola & futilis mundi felicitas. Excelsius fastigiũ, ruinarum minæ sunt, & fictæ amplitudinis titubatio. *Etiam ipsa imperij latitudo peperit peioris generis bella, socialia scilicet & ciuilia: quibus miserabiliùs quatitur genus humanum.* Proh nimis verum! Ipsa se magnitudo concutit & exagitat, & vsque ad ruinam miserabiliter impellit, quæ est mundialium rerum conditio.

---

§. CXC.

Nil est adæquè hominibus molestum, quàm vt totum sui laboris fructum alius homo percipiat.

1 EXpectata gratè merces, ægrum diu laborem consolatur, & præmij certior spes, duram laboris defatigationem blandè frustratur. Quisquis in labore eiusmodi caret solatio, ærumnas eludente, miserabiliter æstuat, cùm defatigationis fructu, & leuamine viduetur. Sibi perit, qui non sibi, sed alij laborat; dum considerat sudore suo alium recreari, ipso semper æstuante. Hinc Adami è paradiso expulsi Tertullianus labores exaggerat, tacitè versans illud Geneseos 3. *Fecit quoque Dominus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Sic fatur Tertullianus: Multa dicendum fuit, vt ad hominem præstructim perueniretur, hunc quoque primordio accipitis, nudus certè & inuestis, figulo suo constitit. pòst demùm sapientiam haut dum licitam præreptam potitur. Ibidem quod in nouo corpore indebitum adhuc pudori erat, protegere festinans, ficulneis foliis interim circumdat. *Dehinc cum de originis loco exterminat, pellitus orbi vt metallo datur.* Ad quæ verba nemo interpretum non notat, quòd iam peccator Adamus, datur orbi pellitus, vt metallo, id est, tanquam pœnæ seruus in orbem mittitur, & relegatur ex paradiso voluptatis, ad eum modum quo serui alij dantur ad metallum & fodinam. Consultissimè hanc molestiam elegit Tertullianus, vt Adami ærumnas viuaciùs exaggeraret. Quid enim tam molestum est homini, qui in auri argentiue fodinis laborat, quàm diu noctuque æstuare, vt pretiosa metalla aliis eruat, sua vacua semper crumena: & ipse semper egenus, alios labore suo opulentè locupletet. Ecce pulchram laboris hyperbolem: *Pellitus orbi vt metallo datur.*

Gen 3 v. 21. *Quid sit Adamum, pellitum dari orbi tanquam metallo, aut fodinæ.*

Tertull. lib. de Pallio, cap. 3. Marcilius Cerda ibi.

2. Regum 12. Ioab Hebrææ militiæ princeps pertinaci obsidione vrbem Rabbath Ammonitarum metropolim expugnabat. *Misitque Ioab nuncios ad Dauid, dicens: Dimicaui aduersum Rabbath, & capienda est Vrbs aquarum. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside ciuitatem, & cape eam: ne cùm à me vastata fuerit vrbs, nomini meo adscribatur victoria.* Congregauit itaque Dauid omnem populum, &c. Nempe cùm iam obsessæ vrbis propè appareret exitium, cum neque hostibus essent ad resistendum vires, & audacia? neque Hebræis deesset ad inuadendũ facultas, & alacritas; ne Dauidi, cui ab euertendis, capiendisque ciuitatibus aliis immortalis aduenerat gloria, hæc deesset ad illustre nomen non leuis accessio, illum admonet, vt nouum secum afferat delectum, & ipse præsens adsit, vt suo auspicio, & imperio res tota videatur transacta. Quo loco fidelem se ostendit Ioab, & Regiæ dignitatis studiosum, qui abire à se voluit tantam gloriam, ne Regi suo aliorsùm excideret. Nemo est, qui hic non prædicet Ioabi laudes in deferẽda Dauidi illustrissimæ victoriæ gloria; sed pauci sunt, qui exploratiùs animaduerterint, quare Ioab Dauidi suaserit, vt *congregaret reliquam partem populi*, ad obsidendam & capiendam vrbem, quæ iam propè erat vt à se haut dubiè caperetur. Porrò alterum ex alterutro redargui, procliue est; aut non esse vrbem expugnatu facilem, si adhuc nouus militum delectus faciendus erat ad obsidionem; aut si Vrbem euertere erat expromptum, non esse populum nouo militum delectu vexandum. Frustrà enim degrauaretur populus, si armatus in Ammonitidem pergere cogeretur. Quorsùm tot impensæ, tot vexationes, in numeroso exercitu iterùm congregando, labore superuacuo? Id sagaci eruditione disquirit Abulensis, sic fatus: *Quæret aliquis, quare dixit Ioab, quòd congregaret Dauid reliquam partem populi?* Et postquam aliorum sententias reiecit, ita ad thema præsens dilucide scribit: *Sed dicendum, quod dixit Ioab ad maiorem laudem Dauidis, scilicet, vt magis coloraretur factum, & adscriberetur victoria ipsi Dauidi. Nam si Dauid iuisset ad pugnandum, & non tulisset alios bellatores præter eos, quos habebat Ioab: dato quod caperet vrbem, non videretur, quod aliquid egisset, quia ipse solus erat: sed adscriberetur victoria Ioab,*

2. 2. Reg. 12 v. 27. & 28.

Strenuè Ioab victoriam suã Dauidi colorat.

Abul. in 2. Reg. c. 12. q. 18.

Ioab, tanquam ipse iam omnia illa dispofuiffet. Si autem David duceret fecum magnum exercitum, & in bello caperet ciuitatem, putaretur quod ipfe cœperat eam viribus fuis, quia habebat plus de exercitu, quàm Ioab, & fic adfcriberetur ei victoria. Prolixè quidem, fed opportunè fatis. Ecce tibi in quo fe Ioabus oftendit Regiæ dignitatis in primis ftudiofus, & fuæ gloriæ contemptor egregius. Scilicet nil iam reftabat ad capiendam, diripiendamque vrbem obfeffam, quod propriâ Induftria, & labore Ioabus confecerat: at promeritam prolixæ obfidionis immenfo fudore gloriam, dum à fe voluit abire, & Regi ita adfcribi, vt dum nouo ftipatus delectu venit, illi potiùs videatur tribui; hoc, hoc inquam, magnum, illuftre, & perarduum eft. Peritè ergò Ioabus fatagit, ne folus veniat David, ne adhuc Rege præfente putaret quifpiam, ipfum Ioabum in laboris fui partem admitti, & faltem cum Dauide victoriæ gloriam partiri. Æftuet Ioabus toto bellici laboris pondere, nobilitetur David victorialis triumphi gloria. Prælio Ioabi, hoftes vincat Dauid; Ioabi victoria Dauid triumphet, & pœan Ioabo canendus, Dauidis refonet glorias, quo ipfe Ioabus fructu fuo vacuus, plenas Regis laudes occinat.

3. Ioannis 4. dum Samaritana, quem hauferat Chrifti fpiritum fuis conciuibus afflat, magno Euangelij prouentu; illum præfaga mente videns IESVS, ad Difcipulos fuos, Euangelij adminiftros, ita fatur: Nonne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menfes funt, & meffis venit? Ecce dico vobis: Leuate oculos veftros, & videte regiones, quia albæ iam funt ad meffem: *In hoc autem eft verbum verum, quia alius eft qui feminat, & alius eft qui metit. Egò mifi vos metere, quod vos non laboraftis: alij laborauerunt, & vos in laborem eorum introiftis.* Quinam funt ifti, qui ante difcipulos laborauerunt, & in quorum labores introierunt Apoftoli? Omnes confentiunt auctores, Prophetas fignificari, qui antequàm Apoftoli venirent, in erudiendo populo laborarant. Sic Origenes, Irenæus, Auguftinus, Chryfoftomus, Ammonius, Leontius, Beda, Euthymius, Theophylactus. Solus Theodoretus Heracleon, vt refert Origenes, per eos qui feminauerunt, quod alij meterent, intelligit *Angelos*, quafi humanæ tolerantiæ faftigium excellat, laboriosè feminare, quod alij proficuè metant. Non eft dubium, quin prouerbium illud apud Hebræos tritum fuerit. (*Alius eft qui feminat, & alius eft qui metit,*) vt Theophylactus, & Euthymius adnotarunt. Quo prouerbio vtebantur, cùm volebant fignificare alium laboraffe, alium eius frui labore. Verùm exploratum eft, Prophetas valdè feminando laboraffe. Sementis enim ingenti labore, tempore totius anni frigidiffimo fit: at meffis maiori certè labore peragitur, dum torrente diù Sole operarius exæftuat. Quomodo igitur hoc prouerbium ad Prophetas, & Apoftolos Chriftus accommodat: quòd Prophetæ fementem feciffent, id eft, maiorem laborem fubiiffent: Apoftoli verò metentes, minùs laborarent? Apoftoli in labores Prophetarum introierunt, id eft, multò minùs laborarunt? An non maior labor fuit in Apoftolis, totum terrarum orbem peragrare? per ferrum, per ignes, per cruces ire; non iam cum hominibus, qui aliquam Dei haberent fcientiam, quales Iudæi erant; fed cum Gentibus, cum Tyrannis, id eft, cum beftiis pugnare. Quid eft, quòd Chriftus Deus Apoftolis dicit: *Alij laborauerunt, & vos in laborem eorum introiftis.* Cur grauiores dicuntur Prophetarum feminantium ærumnæ, quàm oppidò acerbior metentium Apoftolorum labor. Belliffimè Maldonatus præfata Chrifti verba fic exponit: *Sementis enim cum magno labore, tempore totius anni difficillimo, incerta vero fpe prouentus, atque mercedis fit: meffis vero certo prouentu, atque mercede.* Nempè Prophetæ, etfi minùs quàm Apoftoli laborarint, vnicè hic laboraffe dicuntur, & Apoftoli, qui magis procul dubiò laborauerunt, non tam laboraffe, quàm in Prophetarum labores introiiffe perhibentur: quia Prophetæ, vtpotè fatores, *incerta fpe prouentus, atque mercedis*, feminarunt, quod Apoftoli meterent. Apoftoli verò, vtpotè meffores, in fruges à Prophetis feminatas, *certo prouentu, atque mercede* falcem miferunt, & fertiles manipulos triturarunt, vnde rectè illis dicitur: *Alij laborauerunt, & vos in laborem eorum introiftis.* Ille, ille inquam verè laborat, qui aliis laborat; qui feminat, quod alij metant; qui triturat meffem, quam alius in horrea fua congreget. Hac eruditione in primis proficua, Tobias fenior iuniorem hic Tobiam inftruit, quo mercenarij ftipendium non procraftinet, ne operarius totum herò, nil fibi laboret, labore intolerabili, & feruorum de moleftiis æmulo.

Ioan 4 v. 37. & 38.

Apud Maldon. ibi. *Non tam hominum, quam Angelorum eft, feminare, vt alius metat.*

Theoph. Euthymius ibid.

Cur non tam Apoftoli meffores, quàm feminatores Prophetæ laboraffe dicantur.

Ioann. Maldon inibi. Hic v. 15.

---

§. CXCI.

Illuftratur illa opinatiffima fententia: Quod tibi non vis, alteri ne feceris.

1. TArdum eft, inftabile, & varium, quicquid diuturna etiam confuetudo docet: quòd verò natura fuggerit, & æquale eft omnibus, & ftatim; in opere frequenti præualens, quia in ratione, & iudicio præfcribit. Opinio ambiguis concepta argutiis, citò dedifcitur; quippè quæ animo affuta erat, non menti intertexta, & quia ftipulam pro grano offert, fallaciæ fufpecta, protinus indecorè repudiatur. At Sancta veritas, quæ ex moralis Philofophiæ adytis eruta, derepentè fcintillans oculis auribufve proponitur, fic pulchra apparet, fic animo arridet, fic menti blanditur, fic pectus implet; vt omnia ambiguitate excuffa, & fibi exultanter gratuletur, & honorario ftupore eius inuentorem fufpiciat, eumque cum fuo inuentu, ab obliuione vindicare feftinet. Hinc Antonius ille Romanorum Imperator, cognomento Pius, etfi in Idololatriæ caligine oculis, & auribus cœcus; cum audiffet in ore Chriftianorum frequenter verfari hoc prouerbium: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*, perfcrutatus Chrifti vitam, eidem ftatuam ob hanc folam doctrinam confecrauit. Gratulabor Chrifto Deo, Patriarchæ Tobiæ gratulabor, quòd vterque in vtraque Lege hanc moribus faculam inoculandis hominibus præclarè accenderit, quo vno documento, velut quodam moralis pædagogiæ compendio, humanitas tota ad omnes pietates eruditur, dum è nobis ipfis charitatem erga alios adæquè metimur.

2. Regius Pfaltes profunda mentis ecftafi penitiùs Deum contemplatus, eius in homine medulliùs cognofcendo perfpicaciam, fic ethicè prodit: Dominus

Chrifto ob hoc documentum vel ab Ethnicis ftatua erigitur.

Apud Fabianum hic documentum 1.

minus in templo Sancto suo, Dominus in cœlo sedes eius. Nimirùm in cœlo Tribunal erigitur, causa reorum disquiritur; testes sistuntur ad delicti probationem. Oculi, inquit, eius in *pauperem* (depauperatum, læsum, iniuria affectum, & contumeliosè tractatum) respiciunt: palpebræ eius interrogant filios hominum. Subdit propiùs ad rē: *Dominus interrogat iustum, & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.* Origenes, Augustinus, Prosper, & alij τὸ *iniquitatem*, relatiuè accipiunt, id est, pro malitia, quam in alios iniuriosè exercemus. Ait ergò Dauid: Ex eiusmodi penitiori notitia consiliorum Dei, id pernoscere licuit, & palam euulgare iuuat, quod qui *iniquus* est in alios, *odit* animam suam: nam quo vult sæuire in alios, contra se idem decernere mauult; seuerusque sui iudex est, quisquis iniquè in aliis decernit. *Qui diligit iniquitatem*, qua alios lædit mente, lingua, opere, *odit animam suam*. Eleganter Chrysostomus hanc per vtilem morum philosophiam, quo solet ingenij acumine, & oris facundia, his verbis tradit, & hoc celebre Tobiæ documentum exponit. *Non, inquit, opus est multis sermonibus, neque prolixis legibus, nec varia doctrina. Voluntas tua sit lex: Vis beneficia capere? confer beneficium alteri. Vis misericordiam consequi? miserere proximi. Vis laudari? lauda alium. Vis amari? ama. Vis primis partibus potiri? cede prius alteri. Tu sis Iudex. Tu sis vitæ tuæ legislator.* Pergit Chrysostomus adhuc ad thema præsens opportunus: *Quod odisti, alij ne facias. Per hoc quidem fugam à malo inducit; per illud autem virtutis operationem. Odisti contumeliam pati, neque tu alteri inuideas. Odio habes falli, neque tu fallas alium. Et in omnibus generaliter, si duo hæc verba retineamus, alterius disciplina non indigebimus.* Verba planè cedro digna, & memoria continua identidem frequentanda: Nemini quisque faciat, quod pati recusat. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias*: qui enim diligit iniquitatem aduersus alios, odit animam suam; & inhumanus contra se est, qui inhumanitatem decernit in alios. Sibi debet illatas iniurias, qui prouocat alienas. Voluntas tua sit tibi lex. Quod in alterum decernis, aduersus te infaustè ominaris. Homo qui piam, etsi à te putetur extraneus, hominem alienatione non dedidicit, & adhuc extraneæ naturæ non est, sed æquè tenera ad grauatè sentiendum valetudine. *Tu sis Iudex. Tu sis vitæ tuæ legislator.* Iudex, inquam, & legislator, non alienæ læsuræ sequester, non iniuriæ arbiter. Ad legis apices velut iudex specta, nō ad tuum nutum, de proprio amore subornatum, sententiam quasi arbiter, dicito. Tua te sententia, aut absoluis, aut damnas. Tua apud te agitur causa, cùm tractas alienam. Ne te fallas: ridicularia enim est publica vulgò excusatiuncula: Odij expers, id feci: Sine inuidia hoc excidit: Absque dente, & felle id dixerim. Sed delibera tecum, an quod per te, sine dente mordet, & sine amaritudine fellit; absque felle de te dictum audires. Facile est, scommata iactare cum honesta additiuncula: Quod sine dente, & felle dixerim. Sed valde arduum tibi foret, sine felle id audire. Porrò si ne dente, & felle noxium venenum noxia quoq; bestiola effundit: Scorpij enim elogium est, *De cauda nocere*, tametsi scorpij cauda, nec dente, nec felle ructet venenum. Igitur tu esto tui iudex, & legislator, & de te alios cense, *& quod tibi non vis, alteri non feceris. Si duo hæc verba teneamus, alterius disciplina non indigebimus. Hæc est enim lex, & Propheta.*

Psal. 10 v. 6 Apud Lorin. inibi.

Quisque sui iudex est, & legislator.

Chrys. hom. 13 ad Populum.

Hic v. 16.

Tertull. in Scorp. c. 1.

Matthæi 7. disserens quæ inter homines concordiam inquietant, multa sparsim de fraterna charitate Christus tradiderat, & postquam compendiosè fiduciam orationis erexit, eo rediens, vndè diuerterat, ita fatur: *Omnia ergo quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex, & Propheta*, Sanct. Augustinus præfata Matthæi verba commentans, putat adhuc de re orationis agi. *Promiserat se Dominus*, inquit, *petentibus, bona largiturum. Vt autem Deus cognoscat mendicos suos, agnoscamus, & nos nostros. Excepta enim substantia facultatum, tales sunt qui petunt, quales à quibus petunt.* Sic squalet, & vilescit homo qui ab alio homine aliquid supplex petit; sicve superbit, ac insolescit ille, à quo quidquam petitur, vt congruum Augustino visum fuerit admonere, quòd *tales sunt qui petunt, quales à quibus petunt*? (de quo aliàs vbertim philosophamur.) Verùm hîc non omittam communem interpretum sententiam, hæc Christi Dei verba exponentium de adlusione ad Tobianam sententiam, quàm nunc elucidamus. Ita vt perindè sit: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias*, ac quod Christus hîc dixit: *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis*, quo ex se ipso homo ediscat, qualiter se gerere erga alios expediat, ne vitiorum præstigiis subornatus, ipse vel leuem læsuram grauatè ferens, ad graues offensas alium putet insensilem. *Charitas* (ait Sanct. Gregorius) *cauet alteri facere, quod nequaquam vult ab altero ipsa tolerare; sollicita se intentione circumspicit, ne superbia eleuet, & vsque ad despectum proximi, animum deiiciens exaltet, ne ambitio cogitationem dilaniet, ne cor luxuria polluat, ne ira exasperet, ne inuidia mordeat, ne odium malitiam excitet; pensat, vt malis bona, & bonis meliora respondeat; vt erga procaces mansuetudinem longanimitatis exhibeat, vt malitiæ peste languentibus gratias benignitatis impendat.* Expende attentiùs singula Magni Gregorij verba emphasi plena, quæ facile quisque emedullare eualet, ad rem præsentem opportunè. Cæterùm cum Chrysostomo adnotare iuuat, quod quamuis à vitiorum nebula sic mens caliget, vt audeat aliis inferre, quod ægrè ferret ipse, tamen cùm ipse homo sit sui erga alios legislator, nullo ignorantiæ obtentu, commissas in alios offensas eualet excusare. Sic autem scribit ad prædicta Matthæi verba: *Vnde manifestum est quoniam ex nobis quæ deceant omnes scimus, & non est possibile ob ignorantiam refugere.*

Matthæi 26. cùm IESVS esset in Bethania in domo Simonis Leprosi, accessit ad eum mulier habēs alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbētis. Videntes autem discipuli, (ab Euāgelista Ioāne vnus Iudas nuncupatim nominatur) indignati sunt dicentes: *Vt quid perditio hæc*? potuit enim vnguentū istud venundari multò, & dari pauperibus. Sciens autem IESVS, ait illis: *Quid molesti estis huic mulieri*? opus enim bonum operata est in me. *Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur, & quod hæc fecit in memoriam eius: Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad principes Sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Audis Iudam ad *molestum* maliloquiū exprompte effusum? Vide etiam mihi quàm *molestè*, & grauatè tulerit

3.

Math 7 v. 12

Sciant Potentes quod talis est qui petit qualis à quo petit.

Aug. ser. 5. de verb. Dom.

Supra ad c. 1 v. 6

A vitiis quis subornatur, vt quæ sibi non vult, alteri inferat.

Greg lib. 10 Moral. c. 4.

Chrys. hom. 24. in Matt.

4.

Math. 26. v. 13 & 14.

Iudas in aliorum vituperia effusus, illa grauatè admodum de se iactari sustinet. Chrysost. homil 81.

tulerit, se vnquam vituperari. Quod, peracutè notauit Chrysostomus versans præfata Matthæi verba, & premens voculam illam, *tunc*, notatione dignissimam: *Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas, &c. Tunc, scilicet quando hoc audiuit, quoniam prædicabitur hoc Euangelium vbique: timuit eum, nam virtutis ineffabilis erat quod dictum est.* Scilicet mulieris factum acerbè à se vituperatum, dum toto orbe laudandum Iudas audit, perillustri mulieris memoria, & simul obloquentiũ vituperio; vsqueadeò id tulit acerbè, vt in rabiem actus, *tunc, tunc* quidè abierit ad Principes Sacerdotũ, vt Christum cruentæ proderet morti, qui illius meritissima vituperia in Euãgelio prædixit, & prædictione sanciuit. O scelestissime hominum, sic effusè vel aliorum pietatem vituperas, & detractione culpas; sic grauatè & acerbè sustines linguas obloquentium pati? Tu tui magister esto; & à te disce, quàm sit pergraue æquos etiam vituperatores sustinere. E proprij doloris schola maledicam tuam linguam erudi. Audi tacitas naturæ voces: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Sic est auribus delicatus & tener, qui tam durus & asper lingua est? Caue alteri facere, quod nequaquam vis ab altero tolerare. *Tu sis index, tu sis vita tua legislator.*

---

§. CXCII.

In bona corporis indole, quædam cognatio cum virtute est; & in anima descripti moralium omnium virtutum commentarij.

1. Plutarch l. de Homer.

STOicorum decretum est, referente Plutarcho, *Disci posse virtutem, principiumque eius esse bonam indolem*, quasi bona naturæ indoles non modo hominem clypeet ad arcendos vitiorum ictus, sed virtutum moralium sit ingenua matrix, & velut quidam pietatis fomes. Hinc præ celebritate sudatum illud Iobi prouerbium: *Ab infantia creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum.* Quasi misericordia & benignitas non solùm ex virtute, & studio, sed ex naturæ quadam propensione innata illi sit, & hæc semper ab infantia secum creuerit; ita vt indies adolescente natura, incrementa etiam caperet humanitas, & ad benefaciendum pronitas. *Electis* (inquit Gregorius) *cum foris ætas corporis, intùs, si dici liceat, crescit ætas virtutis.* Sic etiam in peccatrice natura scintillant virtutum semina.

Iob. 31. v. 18. — *Cum ætate corporis crescit ætas virtutis.* — S. Gregor ad eum Iobi locum.

2. Geneseos 19. ne cum nefaria vrbe iustus Lot deflagret, & vna decinerescat; sedula Domini opera educitur ab ingruente flammarum imbre, strages vndique minitante. Dedecebat enim vt virtus cum vitio misceretur ad pœnam, fieretque supplicij consors, qui sceleris ex grex fuerat. *Sol egressus est super terram, & Lot ingressus est Segor. Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo.* Nimirum inuoluatur eodem supplicio, qui præpostera eiusdem libidinis consanguinitate turpantur; & eximantur incendio, qui virtutis affinitate, potiùs quàm corporis coniuncti sunt. Inter medios ignium globulos asylũ Lot, vbi sospitetur inueniat; & rationalis flamma pios ab impiis consultè discernat consultioris prouidentię rectione. Itaque præscripta Genes. verba in lib de Somniis sic ad mores flectit Philo Iudæus, de eloquio, & ingenio nobilis auctor. Sol, inquit egressus est super terram, & Lot intrauit in Segor, & Dominus pluit super Sodomam ac Gomorrham sulphur & ignem. *Cùm enim Dei verbum in terrenam istam nostram compagem peruenit, virtutis cognatis sectatoribusque auxiliatur, salutare præbẽs refugium, aduersarijs verò immittit perniciem ineuitabilem.* Nempe cùm Dei verbum Angelusue, Dei personam gerens, in terrenam nostram compagem iustis auxiliaturus, sub humana specie mortalibus apparet, *virtutis cognatos* agnoscit, illisque opportunum cõfert auxilium. Parum foret dixisse, Iustos esse, Pietatis hæredes, cœli futuros incolas, & virtutis sectatores; nisi ad excellentiæ auctarium apposuisset, *Virtutis cognatos.* Homo in peccatis conceptus delictis coalitus, culpis innutritus, qui à primæui delicti præuaricatione fomitem expressit ad vitia; cognationem adhuc habet cum virtute; In vitij cineribus adhuc fulgurat pietatis scintilla; Qui nam sunt isti *virtutis cognati*, pietatis affines, & probitatis nobiles consanguinei, qui de virtutis confinio in moralem iustitiam latè se inferunt; nisi qui indolis bonitate, ad rem vitij morosi & difficiles sunt, ad negotium autem virtutis pronè alacres, & vltrò exprompti, & de *cognatione* procliues? In his ab infantia simul crescit miseratio, & *cum foris ætas corporis, intùs (si dici liceat) crescit ætas virtutis,* cognato virtutis incremento. In his gratiæ officiositas, dum pietati blãditur, facile obsequium extorquet, & difficiliùs resilit, fœcunda virtutum natiuitate, & vitiorum aborsu. Quid tam generosum, quàm *virtutum cognatione* nobilitari? O felicissimum illum, qui naturalis gratiæ velut manibus factus, & eximiè coalitus; pietatis consanguineus, & virtutis cognatus potest appellari ob præclaram indolis bonitatem! Hinc lux affulget illis verbis Clementis Alexandrini in Adhortatoria ad Gentes, vbi ita scribit: *Erat autem quædam antiqua hominibus ingenita cum cœlo societas*, quæ hæc forsan est cum *virtute cognatio.*

Genes. 19. v. 23. & 24. — *Indolis bonitas cognationem habet cum virtute.* — Philo lib. de Somniis. — *B. Ludouicus Gonzaga virtutis cognatus est.* — Clem. Alex. in Adh ad Gentes.

Genesis 5. postquam sacer Historicus nuper scelestam Abeli cædem retulerat, & Sethum pro Abelo suffectum, qui veram fidem, verique Dei cultum cum Abelo propè interstinctum latiùs propagaret: Sed Seth, inquit, natus est filius Enos: iste cœpit inuocare nomen Domini, statim subdit: *Hic est liber generationis Adam. In die, qua creauit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum.* Quare cùm Moyses vellet egregiè laudare hunc Enosum, qui cœpit inuocare nomen Domini, & veræ religionis sectatores populariter congregare; mox subiecit: *Hic est liber generationis Adam*, id est, hominum; An non iam diu multi aliorum patres, auique in mundo erant, è quibus generationum linea texenda foret & posterorum facienda recensitio? Hoc dubium proponit Philo nuper laudatus & sic illud sententiosè dissoluit: Nec minus rectè, ait, librum generationis veri hominis dixit, non extra propositum, quandoquidem Enos benè sperans celebratione memoriaque dignus est, non in chartulis corrumpendis à tineis; *Sed immortali natura, penes quam sunt commentarij virtutum omnium.* Putauerim quod Philo hîc rationalem hominis animam, appellat immortalem naturam, in qua sunt 3.

Gen 5. v. 1. — Philo lib de Abrahamo.

virtutum

In rationali anima sunt virtutum omnium commentarij.

virtutum omnium commentarij. Quid est, quòd in mortalis hominis anima, etsi naufragio vniti corporis depressâ, descripti sint immortales *virtutum omnium commentarij*? Ecquis hos commentarios scripsit; quo atramento? quo calamo? quo idiomate? ad quem finem? Qui nam sunt hi commentarij vsqueadeò peregrini? Commentarius virtutum omnium in hominis anima descriptus est; Profectò *Commentarius*, est sub obscuri textûs clarior expositio, siue elucidarium, quo id quod intellectu difficile erat, explicatiùs traditur, & perspicaciùs claratur. Lege ergò, si lubet, Aristotelis de re ethica, (hoc est, & de virtutibus moralibus) Tractatus: adde S. Thomæ ea de re quæstiones: adiice expositorum præclaras glossas, qui res morales dilucidiùs tradiderunt: mentem tuam hâc proficuâ eruditione, diuturniori studio feliciter adorna. Lege etiam historias, quæ virtutum facinora narrant, & propagatrice fama decantant. Diligentiùs attende ad sanctissimos viros, qui in omnium virtutum genere florent, vitæ sanctitate conspicui ad orbis exemplum: adhuc disciplina virtutum, & morum eruditio, subobscura est, & intellectu difficilis: quippe quam infuscat aut opinionum diuersitas, aut sinisteritas prauæ suspicionis, aut maligni census inuidia, aut cognata ruditas, agnata mentis nostræ caligo. Amas ethicam disciplinam pleniùs nosse? in hominis anima non tantùm hærent ethicæ virtutis semina, sed etiam *sunt commentarij virtutum omnium*, velut in quodam morum efformandorum libro descripti. Rapinam, synderesis culpat; pudor libidinis obscœnitatem prodit; homicidium amor vitæ propriæ condemnat; falsitatem, fraudis detestatio refutat: aliquam erga Deum religionem & cultum, ratio naturalis afflat; adulterium, simile pati probrum, arcet: parentum amorem à naturâ ipsâ arripuimus, hausimus, expressimus. Ergo quisquis in morum disciplina proficere volet, attentiùs studeat rationali naturæ, in qua *commentarij virtutum omnium* sidereo rationis lumine describuntur. Quos commentarios hoc vno decreto compédiauit Tobias: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Itaque ad virtutes morales valdè instruitur homo, & rationis synderesi, & indolis bonitate. An verò ad omnes virtutes morales, an ad aliquam excellentiorem, gratia per Christum requiratur, ad scholas Theologorum relegamus. Hic v. 16.

4. Tobiæ 5. senex pater missurus iuuenem filium longo itineri inidoneum, & graui negotio immaturum, industrium quærit socium, viæ comitem, & negotij arbitrum. Adest non vocatus Raphaël, & confestim sub humana iam specie Azarias, ad famulatum auspicatò accersitus. Cui dixit senior Tobias: *Rogo te, indica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu?* Cui mercenarius respondit: *Ego sum Azarias Ananiæ magni filius. Et Tobias respondit: Ex magno genere es tu.* Qui infrà cap. 7. indubia voce fatetur se esse Nephthalitam. In vtroque huius historiæ loco, seriò tractant interpretes, quo pacto verè dixerit Raphaël esse Azariam, esse Ananiæ magni filiū, esseque Nephthalitam. In commentario litterali cum communi interpretum adstruebamus, appellari Azariam, quia Azarias, id est, *Dei auxilium*, verè fuit. Nominari etiam Ananiæ filium, quia Ananias gratiam Dei, aut Dei misericordiam significat; inde Ananias inter Dei nomina potest computari.

Tobiæ 5. v. 16 & 17. Cap. 7. v. 3.

Quare verò se nominauerit Nephthalitam, variant interpretes, nec in præsentiarū id nosse, valdè ad rem attinet. Valdè autem mirum est, quod vsqueadeò angustam sibi prosapiam adsciuerit, quasi arctam cum Deo cognationis necessitudinem habeat. Id ne mercenarius nisi superbè præsumat? Imò quòd homines de se verè dicunt, cur Azarias dixisse erubescat? Profectò verum semper est illud: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Audiendus est S. Gregorius Nyssenus, qui loquens de fratre suo magno Basilio, ita scribit. *Genus quidem illi, & necessitudo cum Deo, patria autem virtus.* O excelsam Basilij cognationem! Basilio erat genus, & necessitudo cum Deo; sic erat sanctitatis cognatus; Patria eius, virtus fuit: Sic patrios virtutis mores religiosus arripuit, pius hausit, sanctus expressit; O generosos hominis natales, quorum cœlestes mores cum homine velut animitùs corporantur; & indolis bonitate, & diuinæ gratiæ genio, sic videtur nobiliter concretus, & generosè coalitus, vt *genus illi, & necessitudo cum Deo sit, patria autem virtus.* Verè hinc dici potuit Basilius *virtutu cognatus*, in cuius animo videntur descripti *virtutum omnium commentarij.* Hanc prænobilem prosapiam Azarias habuit, & Basilius, cui genus & necessitudo cum Deo erat, patria autem virtus.

Basilio fuit genus & necessitudo cum Deo, patria autē virtus.

Ioan. 1. S Nyssen. in orat. in laudem fratris sui Basil.

5 Basilius Seleucus sic fatur de Dauide: *Age modo & nos ad medullam Dauidicæ historiæ veniamus: videamus animæ, gratiæque contentionem, animi virtutem, & gratiæ miracula; animum obsequentem gratiæ, & gratiam coronantem martyrem animi spectatum.* Audis contentionem inter supernaturalem gratiam, & optimam hominis indolem, vltra naturæ debitum ad virtutem benè compositam.

Seleuc orat. 15. *Indolis & gratiæ contentio.*

---

§. CXCIII.

Peracerbos Purgatorij cruciatus, viuorum suffragia piè mitigant, leniunt, exarmant.

Pium Tobiæ dogma est, dictatum filio suo, & longo vsu ab Ecclesiâ receptum: *Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam Iusti constitue; & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus.* 1. Hic v. 18.
Ex quo loco planè constat, defunctorum animas purgatorio igne excoqui & à leuium delictorum criminositate depurari; & grauium temporariam pœnam residuam post iustificationem, vsque ad vltimum quadrantem supplicio exigi, quicquid Caluinus & Petrus Martyr contrà ogganiat, vulpina Scripturarum deprauatione, & impudenti SS. Patrum contemptu. Qui vno ore adstruunt, quod vel ipsi Iudæi ingenuè fatentur. Sic enim habet Genebrardus ad illud Psalmi 88. vers. 49. *Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem: eruet animam suam de manu inferi?* vocem *Cauenaki* exponens de Purgatorio. *Nam Hebræi, vt docet R. Ioseph, Albo illud constanter asserunt.* Et adducit verba R. Iosephi: *Necesse est venire in infernum, ad radendum & expugnandum inquinamenta transgressionum, quas fecerit, donec mundetur, & ascendat in locum quietis suæ.* Quid de Christiano auctore explicatius requireres. Ergò præfatas Hæreticorum phalágas, de inferno contra

Psal.88.v.49 Genebr ibi. Rabbi Ioseph lib 4. Iccarim.c.34. Tertullian. Apol c.47.

tra Purgatoriũ armatas, decretoriis armis noster Bellarminus strenue profligat. Non actum agam: sed ad Fidelium eruditionem aliqua addensabo concionatoriæ loca, quibus de more mores instruamus. *Etsi paradisum nouimus* (inquit Tertullianus) *locum diuinæ amœnitatis recipiendis Sanctorum spiritibus destinatum, maceria quadam igneæ illius zonæ, à notitia orbis communis segregatum*. Per igneam hanc zonam, aliqui purgatoriũ ignem intelligũt, quasi paradisea beatorum gloria, Zona ignea præcingatur.

2. Matthæi 5. sic de montis fastigio admonet Christus, ne prima eius concio hac veritate viduaretur: Esto consentiens aduersario citò dum es in via cum eo: ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerẽ mittaris *Amen dico tibi non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem*. Communiter SS. Patres, & Expositores per hunc *carcerem*, intelligũt Purgatorium, à quo interdictus est exitus, quousque reatus pœnæ atrocissimis pœnis expungatur. *Illud scitote*, ait S. Bernardus, *quia post hanc vitam in purgatoriis locis centupliciter, quæ fuerint hîc neglecta, redduntur vsque ad nouissimum quadrantem. Scio ego quàm durum sit homini dissoluto apprehendere disciplinam, verboso silentium pati vagari solito stabilem permanere, sed durius, & multò duriùs erit futuras illas molestias tolerare*. In purgatorio carcere *centupliciter* hîc neglecta redduntur? O grauissimum, & acerbissimum supplicium! Hinc Venerabilis Beda *iram* Dei illud appellauit, aiens: *Quidam committunt quædam peccata venialia grauiora, & leuiora, & ideò necesse est, vt hi tales in ira corripiantur, idest, in purgatorio igne*. Benè quidem, & optimè, quod in carcere Purgatorij *centupliciter* redditur, *in ira corripi* dicitur. Terribile id, atque horrendũ putas, & vltra reatum venialem? Audi Seuerinum Boëtium: *Nullane*, inquit, *supplicia animarũ post defunctum morte corpus relinquis? & magna quidem: quorum alia pœnali acerbitate, alia purgatoria clementia exerceri puto*. O grauissimum venialis negligentiæ reatum! Condignus non est pœnali gehennalis flammæ acerbitate: Sed licèt in purgatorio carcere *centupliciter* vsque ad vltimum quadrantem reddatur; & tam acre, & diuturnum supplicium, *ira* Dei à Beda nominetur; hæc centupliciter ira, *purgatoria clementia* reputatur. Quid exaggeratiùs?

Matt.5.v.26. Luc 12.v.59

S. Bernard. de obitu Hũb.

Acerbissima Purgatorij pœna, Dei ira nominatur, & clementia est.

Beda in Psal. 37.

Boët lib 4. Prosa 4.

3. Lucæ 16. Diues ille infeliciter felix, deliciis splendidè assuetus, erga Lazarum extrema mendicitate opulentum, durè immisericors; in barathrũ gehennæ æternum vstulandus corruit. Eleuans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à lõge, & Lazarum in sinu eius: & ipse clamans dixit: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*. Igneis globulis incandẽs, hiantibus ardore faucibus perenniter æstuat, & tanta sedulitate aquæ guttulam sitit; & cœlos quodammodo clamoribus inquietat, vt vel gutta respergi ad refrigeriũ mereatur; Putauerim, quod incendij vastitas, aquæ guttulam absumet, antequam ora riget. Errat, planè errat dãnatissimus hic epulo, cùm tam leue faucibus refrigeriũ expetit. Plus de aquæ gutta votis præsumit, quàm quod reuera præstare. Ast quod in damnatis votiua præsũptio fuit in Purgatorij animis, viuorũ suffragiis verè præstatur. Qua super re ita S. Paulinus scribit ad Delphinum Episcopum cõmendans illi animam fratris sui: *Fac*, inquit, *vt orationibus tuis condonetur tibi, & illius animam de minimo sanctitatis tuæ digito distillans refrigerij gutta respergat*. Scilicet quod Diues ille damnatus inani, & falsato desiderio præsumebat, hoc defunctorum animæ, quæ purgatorio igne exæstuant, & votiuè exoptant, & verè experiuntur, dum viuentium sacrificiis, eleemosynis, & orationibus adiuuantur. Quod fuit in damnatis præsumptio, in Purgatorij animabus veritas est; dum *illius animam de minimo sanctitatis tuæ digito distillans refrigerij gutta respergat*.

Luc 16 v 24

Refrigerium quod Damnatus à Lazaro votiuè exoptabat, à viuorum suffragiis in Purgatorio sentitur.

S. Paulinus epist. 5. ad Delphinum.

4. Super negotio hœdi grande exoritur litigiũ, & tacenda conuitia de ore criminatricis vxoris suæ Tobias audit. Ægrè admodum hæc dehonestamenta Tobias subingemit animitùs, & mortem à Deo anxiè postulat. Cumque eam se impetrasse putaret, filium suum accersit, eique seriò imperat, vt cùm eius mater compleuerit dies vitæ suæ, illam propè se tumulet, ne quos matrimonium iunxerat, sepultura dispescat, & quod ipse morte (vt putabat) præuentus, nequibat facere, ipse sedula pietate præstaret: *Panem*, inquit *tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue*. Nimirùm pro se subrogat, qui pro defuncta etiam vxore, eleemosynas, & preces sollicitet, quod vxoria charitas exigit. De quo perbellè Tertullianus, in lib. de Monogamia ita fatur: *Pro anima eius* (cõiugis defunctæ) *oret, & refrigerium interim adpostulet ei, & in prima resurrectione cõsortium, & offerat annuis diebus dormitionis eius, nam hæc nisi fecerit, verè repudiauit quantum in ipso est*, (parùm refert quod Tertullianus de vxore loquatur: eadem enim ratio ac de viro est.) Nempe nuptiali fœdere, & copula vterq; coniux fiunt duo in carne vna; hanc nuptialem vnitatẽ mors altervtrius dissipauit, soluto per mortem matrimonij vinculo. Verùm pia mariti suffragia, hostiæ, preces, eleemosynæ, quæ defunctæ cõiugis refrigerium adpostulant, matrimonij fœdera quodammodò protelant. Nã maritus, qui mundialibus negotiis distentus, eiusmodi pro defũcta vxore suffragia negligit, eam *verè repudiauit quãtum in ipso est*, quasi suffragiorum neglectus pro defuncta cõiuge, sit quoddam *repudij* genus, quo votis ablegat à se, quam dira mors ab inuicem disiunxit, piã autem pro defuncta cõiuge suffragia *repudium* arceant, & indefessa annuæ pietatis exhibitione, quantum in ipso est, connubij fœdera denuò restaurent; ne suffragiorum neglectu, animi voto eam *repudiare* videatur.

Hic v.18.

Tertul. lib. de Monog.

Suffragia pro defuncto coniuge, vota nuptiarum protelant, & votiuum repudium arcent.

5. Itaque superstes coniux dum pro anima iam vita functæ hostias, preces, & eleemosynas sedulus offert, *refrigerium interim postulat ei, & in prima resurrectione consortium*, emortuos consortis cineres suffragiis fouens ad vitam meliorem. Exinde S. Hieronymus in epistola ad Pammachium de obitu Paulinæ vxoris: *Cæteri mariti*, inquit, *super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos. Pammachius noster sanctam fauillam, ossaque veneranda eleemosynæ balsamis rigat: his pigmentis, atque odoribus fouet cineres quiescentes, sciens Scripturam: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna peccatum*. Frigidi defunctorum cõiugum cineres, & emortuæ fauillæ, his suffragiis ad vitam confouendæ sunt non indefessis lacrymis pertinaciter irrigãdæ, nam vt opportunè dixit Ambrosius in Epist. ad Faustinum de obitu sororis: *Itaque non tam*

S. Hieron. in epistol. ad Pamm. de obitu Paul. ante mediũ.

Suffragia ad vitam fouent emortuos charorum cineres, lacrymæ eorum animas quodammodo mortificare dicuntur.

S. Ambr. ibi 2. epist. 8.

deplorandam, quàm prosequendam orationibus reor: nec mæstificandam lachrymis suis, sed magis oblationibus animam eius Deo commendandam. Importunæ viuentium lacrymę, animas charorū *mæstificant*: suffragia verò, preces, eleemosynæ, eas exhilarant, & gratum, expetitumque refrigerium conciliant. Mœstitudinem, quam lacrymis defunctorum euaporas, in ipsorum animas, quas refrigerare studes, propè regeris? Quid earum quodammodo pœnas exaggeras? Sat acerba patiuntur cruciamenta. Clemens Alexandrinus ex quodam Ægyptio Philosopho, sic irridet ethnicos, qui Deos suos in quibusdam festis deflebant: *Si existimatis Deos, ne ipsos lugeatis: si autem lugetis, ne Deos esse putetis.*

Clem. Alex. Adhor. ad Gent.

6. Daniel. 7. v. 10.

Danielis 7. Aspiciebam, inquit, donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. *Fluuius igneus, rapidusque egrediebatur à facie eius.....iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Multa multi super hoc fluuio, qui rapidè fluere dicitur, & in iudicij apertis libris præterlabi. Omitto plura, vt citiùs referibam verba Emisseni, qui hunc præterfluentem fluuium adspectu ad libros in iudicio apertos, & scrupulosum culparum examen, de igne purgatorio interpretatur. Postquam enim de æternum ad gehēnam damnatis verba fecerat, ita de animabus Purgatorij polite scribit: *Hi verò qui temporalibus pœnis digna gesserunt, ad quos sermo Dei dirigitur, quod non exeunt indè donec reddant nouissimum quadrantem per fluuium igneum de quo Propheticus sermo commemorat: Et fluuius rapidus qui currebat ante eum per vada feruentibus globis horrenda transibunt*, (exploranda sunt attentiùs verba quæ subtexit) *Quanta fuerit peccati materia, tanta erit pertranseundi mora: quantùm adcreuerit culpa, tantùm sibi ex homine vindicabit flamma rationabilis disciplina, & quantùm stulta iniquitas gessit, tantùm sapiens pœna deseuiet.* Scilicet prope purgatorium ignem iudicium sedit, & libri humanarū rationū aperti sunt, vt *flamma rationabilis disciplina* culpas acerbe vindicans, dum animas igne decoquit, ad culpas detestandas erudiat, & ad omnem probitatem viuos etiam informet. O de Purgatorij gymnasio erudiamur hac *flamma rationabilis disciplina! quantum stulta iniquitas gessit, tantùm sapiēs pœna deseuiet*, nisi quis sq; dū superstes est in hac mortali vita, venialis peccati noxas, & residuum pœnæ reatum piis operibus redemerit, de quo pulchrè Nyssenus: *Vel in præsenti vita precibus, sapientiæque studio purgatus, vel post obitum per expurgantis ignis fornacem expiatus ad pristinam vellet redire felicitatem.* Nempè *flamma rationabilis disciplina*, eum præterit, qui in hac vita orationis, & eleemosynæ precibus, aut *sapientiæ studio* satisfecerit. Sic *sapiens pœna, & flamma rationabilis disciplina, sapientiæ studium*, pro Purgatorio acceptat; Hæc nisi adsint, non exiet indè donec reddat nouissimum quadrantem.

Emiss. hom. 3. de Epiph.

In Purgatorio flamma rationabilis disciplina. & sapiens pœna.

Sapientia studium pro Purgatorio reputatur.

7. S. Aug epist. 122.

Cùm autem Purgatorij animæ, ait S. Augustinus, *In terra captiuitatis constituta, nec ferre oblationem ad altare Dei possunt, nec inuenire sibi Sacerdotem, per quem offerant Deo*, id à viuis anxiè postulant. Et Tobias piè admonet: *Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam Iusti constitue.* Pro *Iusto* inquam: non pro iniusto: nam pro eo qui in peccato mortali vitā finierit, nullus præsumat orare, aut eleemosynas dare: *Nemo te post mortem tuam fideliter redimet, quia tu te redimere noluisti*, vt aiunt Concilij Tribur. Patres ab Augustino edocti. Nota Redemptoris vocabulo honorari, qui pro animabus Purgatorij suffragia offert.

Conc. l. Tribur apud August. hic.

8. Daniel. 3 v. 92. apud Sanct. ibi.

Danielis 3. Nabuchodonosor obstupescit, audiens, tres pueros in fornace ignis incolumes prorsùs, nec semiustulatos incedere; & ait Optimatibus suis: Nonne tres viros misimus? Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis: *Et species quarti similis filio Dei.* Hieronymus putat nomine filij Dei, Angelos intelligi. Tertullianus, Irenæus, Hippolytus, Augustinus, Christum seruatorem, & Redemptorem nostrum esse censuerunt. Et sanè cum fornacis aut camini vocabulo passim Purgatorium appelletur, Redemptori similis putatur, quisquis fidelium refrigerium affert animabus in Purgatorij fornace existentibus, cùm eas orationibus, & eleemosynis *fideliter redimit.* Sat hæc libasse.

Qui refrigerium affert animabus Purgatorij, similis filio Dei dicitur.

---

§. CXCIV.

Num Crux, & Gratia; hæc, quia cum peccato rixatur; illa, quia peccatores complectitur; quodammodò redimi dicuntur?

PHilosophorum quispiam seriò interrogatus, quid esset admirandum in vita? *Vir probus, & moderatus*, respondit: *quoniam etsi inter multos improbos agat, non tamen peruertitur.* Sic improbus morum suorum pestilitatem probo cuique inhalat! Heu nulla est in vitio virtutis reuerentia! quod pietatis studio emendare cupis in alio, ex ipso conuictu, & colloquio magno fœnore ad te sæpe veniet, & dum vitia in alio supprimere satagis, in te dissimulanter excitas, & faciliùs ille tibi vitium societate persuadet, quàm tu illi virtutem suasorio colloquio: quod de exprōpto vitij per exempla magisterio accidit. Sic est infirma hominis natura de priorum delicti contagio nimis lāguida, & ad voluptabile pronalade ò vt dixerit Seneca: *Tam imbecillum est quod nocet, quam cui nocetur.* Ergò caue tibi à tua imbecillitate, ne dum alium emendare cupis, quod à te emendari possit, sensim contrahas, eadem sæpè catena, & custodē, & militem copulat. Bonus sēper morum pædagogus Tobias senior, qui seriò iuniori mandat, vt peccatorum conuictum in re enā pietatis, procul arceat, ne benè hactenùs instituta iuuentus, contubernalium mores arripiat.

1. Stobæus ser. 35.

Mirissimum est quod vir probus ab improbis conuictoribus nō deprauatur.

Senec. epist. 76.

Hic v. 18

2. Ad Galatas 3. v. 13. & 14

Gentium Doctor, & Ecclesiæ magister Paulus in egregia illa Epistola, quam ad Galatas scripsit cap. 3. ita scribit: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno: vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu, vt pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem.* Multa ad hunc locum elucidandum congerunt Interpretes, rei morali, quam versamus, superuacua. Sufficiat nunc adnotasse, quod omnibus perspicuū est, lignum crucis fuisse flagitiosorum hominum patibulum, ad quod pœnalissimum supplicium grauiora scelera damnabantur. Quod inibi notauit Glossa: *Maledictus, ait, omnis qui pendet in ligno. Maledictio gemina culpæ, &*

Glossa ibi.

& pœna. Non ideò qui maledictus, quia crucifixus: sed quod in talem inciderit reatum, vt meruerit crucifigi. Verùm tametsi crux deputata sit, vt pœnalissimo cruciamento hominum scelera puniat; at Christus Deus, non suorum, sed nostrorum criminum reus, cruci affixus est, vt omnes homines à maledicto eximeret, & per crucis tormentum à communi reatu copiosè redimeret. Cęterùm S. Bernardus adludēs, ad illud Isaiæ 9. *Puer natus est nobis ..... cuius imperium super humerum eius*, ita ad rem eloquenter scribit: *Crucem quam imperij nomine significauit, natiuitati statim adiungit: quia profectò à natiuitatis exordio passio crucis exorta est. Vix natus est IESVS, & ecce recenti ortui crucis ignominia, crucis dolor copulatur;*) expende attentiùs verba quæ subtexit) *sed redemit crucem, imperij nomen verum.* Cuius aures non peregrinentur in hac sententia, aut paradoxo, aut ænigmati simillima? Christus Deus cruci adfixus, crucem suo attactu redemit, an homines per crucis passionem? Esto, crux Christi sibi affixi contactu, & glorioso patientis Dei tabo summam combibat dignitatē, purgato olim maledicto; at honorari augustè potest, *redimi* omninò non potest. Porrò Redemptio, liberatio à peccato est, & à reatu satisfactoria exemptio: vbi autem delictum non est: prorsùs vacat redemptio. Quid est, quod de Christo crucis baiulo, & in cruce pendente, ait Bernardus; *Sed redemit crucem?* An non crux, examinale lignum est, vitij ac virtutis non capax? A quonam delicto crux redimenda erat? O pulchram exaggerationem, ad thema præsens opportunissimam! Scilicet crux præposita olim erat criminum emendationi, & puniendorum sontium administra ordinaria, perpetuo scelestissimorum attactu & affrictu inhonestata: ergò per moralissimam hyperbolen dicatur *redempta*, ad morum eruditionem. Sic enim procliue est, conuersantium vitiis infici, & congreges exprimere mores; vt vel ipsa crux, quæ ad puniēda delicta erigitur, quæ scelestorum correctioni præsidet, quasi sontium sibi familiarium criminibus foret infecta, & communis esset eorum reatus, *redimi* per exaggerationem perhibetur. Et sanè pio exinceps Imperatorum edicto sanctū est, ne scelesti in cruce punirentur, ob Christi crucifixi honorem. Ergò dum reorum consortio & affrictu eximitur, sententiosè *redimi* perhibetur. *Sed redemit crucem, imperij nomen verum.* Sic vitia de propinquo venenum suum inhalant, mores fascinant, ad vicinos transeunte malitia; Crux etiā quæ reos emendat, dū arcetur à reorum contactu *redimi* dicitur; O time morum pestilitatē, quam consortium spirat ad omnem virtutis corruptelam!

Crux, à contactu sceleratorum exempta, redimi dicitur.

Isaiæ 9 v. 6. S. Bernard. aliàs aliorsùm expensus.

3. Iudas Apostolus in sua epistola canonica ita scribit contra quosdam, qui post baptismi gratiam acceptam, sanctam Euangelij legem deprauare conati sunt: inde peruersa dogmata, & quasi luxuriandi priuilegia rudi populo persuadentes. *Subintroierunt*, inquit, *quidam homines (qui olim præscripti sunt in hoc iudicium) impij, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam.* Valde sudant Commentatores, vt explicent, quid sit Dei gratiam in luxuriam transferre. Imò gratia Dei luxuriam arcet, & luxuriæ peccatum (sicut & reliqua omnia) congenita oppositione pellit, expungit, obliterat, quod gratia habitualis formaliter (vt aiunt) præstat; gratia autem actualis, excitando, adiuuando &c. operatur. Quid ergò est, quod

Iudæ v 4.

Gratia in luxuriam translata moralissime redimi *dicitur.*

peruersi quidam homines à Christianismo degeneres, & in fide inconstantes, Dei gratiam transferunt in luxuriam! Optatus Mileuitanus ita præfata Iudæ verba commentatur: *Hæretici veritatis exules, sani & verissimi Symboli desertores, de sinu Ecclesiæ sanctæ iam piis sensibus deprauati, contempto quod benè fuerant geniti, vt ignorantes & rudes deciperent; de se nasci voluerunt. Et qui iamdudum in talibus pasti fuerant cibis; corruptela malæ digestionis, in perniciem miserorum, disputationibus impiis venena mortifera vomuerunt.* Scilicet qui Dei gratiam transferunt in luxuriam, docentes eam in Euangelio esse licitam, (vt ait Lyra) quò plures inuenirent sectatores cupidinis illicio adtractos, *piis sensibus* deprauati dicuntur: & fidei cibis pasti, corruptela malæ digestionis errores eructare. *Pijs sensus* erroribus militant: Dei gratia transferri potest in luxuriam? Imò gratia perpetuum cum luxuria bellum gerit, cum illa manus conserit, perpetuò rixatur. Arguitè Tertullianus his fidei desertoribus, qui *Dei gratiam transferunt in luxuriam*, videtur opponere magnanimos sui æui Martyres, qui patiēdi quasi obstinatione, *totam Dei gratiam redimunt.* Gratia ne redimitur? an potiùs gratia est id, quo copiosa Christi Dei redemptio ad nos defluit? Quid peccauit, peccareve potuit gratia, vt *redimi* dicatur; Et quid etiam peccauit crux, vt Christus Deus crucem *redemisse* perhibeatur? O moralissimam vtrobique hyperbolen! Crux ex assiduo reorum attactu, & quia vlnis suis criminosos quosque ad emendationem amplexatur, *redempta* nuncupatur: similem ad modum Gratia quasi ex assiduis cum peccato rixis deprauari posset, quia scelestis hominibus malè accepta occasio fit ad errandū & luxuriandum, per exaggerationem *redimi* perhibetur: *Totam Dei gratiam redimunt.* Liceat sic ad mores Tertulliani verba flectere, cui S. Bernardus accinere videtur; neuterque (neque nos vtrumque secuti) *Tò redimere* propriè accipit. O vide quam sit etiam periculosum cum scelestis rixari, scelestos emendare, & punire! Gratia Dei in luxuriam translata, moralissime *redimi* perhibetur.

Optat Mileuit. lib 1 adu. Parmen.

Lyra ibi.

Tertull. Apolog c 50

4 Exhodi 3. Moyses pascebat oues Iethro soceri sui: cumque minasset gregem ad interiora deserti venit ad montem Dei Horeb. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Ad quæ verba sic fatur Lipomanus: *Vbi habemus. In flamma ignis, Hebraicè est* בלבת *belabbath es Et volunt nonnulli lebbath hic idem esse quòd* לב *leb, id est, cor, vt dicatur, De corde ignis.* Ignis ne is est, qui habeat cor? De corde ignis loquitur Deus? Planè de ignis corde verba Dei erumpunt. Cor ignis sermonis diuini conceptaculum est. Cor ignis cœlestem vitam fouet, nutrit, & incrementat. Sed quid est, quòd *in flamma ignis* apparet Moysi Deus in monte Horeb? Et cur non alibi, sed in monte Horeb, in *flamma ignis* Deus apparet? Opportunè idem inibi Lipomanus: *Horeb mons siccus pluuiis destitutus.* Quid? diuinus ignis loci siccitatem amat, nubium imbres, & cœli rorem timet? Adeò est delicata Dei flamma, vt arida loci siccitate foueri affectet? vt vel nubium pluuia præcaueat interstingui? Sic res terrena malignè concipit diuinum ignem; Sic cœlestis ignis peregrinatur in terra; Sic est tenera cœlicæ flammæ valetudo, vt de terrenæ humiditatis vicinia languere pertimeat: O arcanè nouum sufflammati rubi sacramentum! quo mysticè docemur sub specie

Exhod. 3 v. 2

Lipom. ibi. *Cor ignis est diuini sermonis conceptaculum ad cōcionatorios vsus.*

Diuinus ignis vel cœli imbre timet interstingui.

arcani in ignis ardendum eligentis locum aridè *siccum, & pluuiis destitutum*, ne aquæ vdor de viciniç contagio, cœlicum fors ardorem interstinguat. Hæc cautio reapse superuacua, tota ad informandos mores concepta videtur, nam cœlitùs ardentem in rubo ignem, nec Oceanus extingueret, ignis autem cœlestis gratię, vitiorum vicinâ te odore, persæpè langnet, sæpè interstingnitur. Sic est periculosa propinquæ vicinitatis contagio.

§. CXCV.

Moralissimè Deus Admonitorem hominem non dedignatus est; ne illum humani Superiores tanquam reprehensorem aspernentur.

1\. VNum hoc à Magnatum ferè moribus habemus, (quod his verbis Politico-Christianus ad medelam eulgat.) *Quod semel sine ratione fecistis, ne videamini aliquando nescisse, defendistis; meliusque putatis non vinci, quàm confessa cedere aut annuere veritati.* Grande malum, & ô nimis familiare magnis, nolle doceri, nolle videri errasse, aut quod iam iam decernunt, errorem esse arrogantis iuxta ac imprudentis, ingenij malum, prudens gaudebit emendari, moneri, doceri. At cùm Principes ac Superiores nescio quid diuinū spirent, turpe putant esse & suo fastigio indignum, errare, quia turpe Deo. Ingens fastus, & intolerabilis arrogantia: plurium errorum mater, & æquitatis nouerca: quia eùm monentes non audiant, errorem errore vestiunt, vtrumque alteri inædificāt, regiminis ingenti ruinà. Misera omninò cōditio cùm perpetuare errorē, nouoque priorē firmare Superiores volunt, ne agnoscere illum cogantur, aditumque præcludunt æquitati, cum aditum monitori præcludunt; aut dum salutaria suggerit, vultu, verbis, & renutu aspernantur Tobias senior *monita salutis dare* adsuetus, (adsuetus etiam arrogantiæ tunc suorum superciliū æquanimiter tolerare) cùm Tobiam filium amplæ familiæ principem inaugurat, illum seriò admonet, non modo vt non aspernetur monitorum consilia; sed vt ea solerter expetat, & diligenter perquirat, aiens: *Consilium semper à sapiente perquire.* Ecquis quòd diligens & attentus quærit, vltrò oblatum, & de necessitatis articulo magis opportunum; ingratus aspernetur, aut imprudens contemnat? Qui pertinaci proposito admonitionem grauarè sustinet, fallato constantiæ voto, errores subornat, & Rempublicam subruit.

Politico-Christ. lib. 1. cap 6.

Familiare est Magnis nolle doceri, moneri nolle.

Hic vers. 19.

2\. Geneseos 18. immortales hospites in mortali specie Abrahamus excipit, extemporali epulo lautè prandent, & pro hospitalitatis officio hæredē hæredis cupido pollicētur. Benè pransos, & adhue ieiunos hospites ciuiliter Abrahamus deducit, & vrbanè vltroneus itineris comes, cum ipsis, familiariter confabulatur. Per oris & faciei rimulas, cœlestis hospitum sese prodit natura. Dixitque Dominus: Num celare potero Abraham quæ gesturus sum? Ecquid rei absconsæ, in sinū Abrahæ conijcitur? Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est: descendam, & videbo, vt condignè enormissima vindicē flagitia. Abraham verò adhuc stans coram Domino, & *appropinquans*, ait: *Numquid perdes iustum cum impio? Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate, peribunt simul?* O Abraham, Dominum agnoscis, & tanquam eius consiliarium te insinuas? monitore indiget Deus, & sanè (quantum apparet) morosissimo; An præsumis eius decreta rescindere, an eius beneuolentia consiliis aggestis abuti Adora potius consultissima Dei iudicia, & digitum ori mutus appone. Sed adhuc pergit Abrahamus, morosâ, vt cœperat, pietate contendens: *Absit à te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius, non est hoc tuum: qui iudicas omnem terram, nequaquam facies iudicium hoc.* Nemo ex humanis Principibus, imò ex minoribus Præfectis, æquo vultu, & ore pacifico, hæc vltronea consilia densè aggesta, forsan toleraret; sed tædio intempestiuæ & contentiosæ admonitionis, fastidiosè admonitorem abiiceret. Quid homo suggerat, quod consultissima Dei perspicacia non præuideat? quid, quod eius fugiat prouidentiam? Imò quis non fastidiret hominem, toties iustorum numerum ad venium frustrà minorantem! O disce hîc in Deo consultissimam humanæ prudentiæ in Gubernatoribus ideam, quam acutè vidit, & moralissimè Rupertus pandit, dum exponit præfata verba: *Absit à te, vt rem hanc facias... nequaquam facies iudicium hoc*, sic fatur Rupertus: *Proinde mitis ac misericors Dominus, Monitorem hominem non aspernatus, & quodammodò arguentem non dedignatus, eius petitioni adnuit.* O hinc discant Præpositi, Rectores discant, non fastidire aut dedignari pium Admonitorum zelum; sed de pacatæ prudentiæ genio, certum monitis adnuere, consulto politiæ obsequio! O bonam Abrahami Admonitoris morositatem, quæ hanc Principibus & Præfectis eruditionem elicuit de diuinioris prudentiæ adytis exemplarem! Dei, Angelus, Dei vices gerens, vel Deus ipse apparentem hominis formam assumens, non ex audientiæ incerto, (loquitur humano more) sed de oculorum euidentia, Sodomæorum flagitia seueriùs punire decernit: & Abrahamus in Admonitoris sese officium intrusus ingerit; semel, iterùm, tertiò, & vltra etiam supplicium auertere pia satagit admonitione, etsi humili; contentiosâ satis, & quæ hominum mitissimum quemque ad fastidium, iracundiamue prouocaret. At *mitis & misericors Dominus, Monitorem hominem non aspernatus, & quodammodo arguentem non dedignatus, eius petitioni adnuit*, vt mansuetudinis formam Superioribus offerat, ne vel ad morosam Admonitorum importunitatem aliquando nauseent, Gratis auribus cuiusuis monita excipiant, ne fortè de supercilij fastuosi horrore, salutari sæpe admonitione fraudentur, magno regiminis impendio.

Gen. 18. v. 25

Mitissimus Deus, Gubernatorum idea Admonitorē morosum sustinet.

Rupertus ibi.

3\. Verùm cùm neque decem iusti inuenti sint, pergunt Angeli versus Sodomam, vt nefandæ libidinis impietas præposterè exæstuans, in fauillas decinerescat, simulque erudiant, vnde in Admonitores tædium enascatur, nempè ex agnato Superioribus fastu, quo putant suam iurisdictionem pati detrimentum, si Admonitoribus morigeri obsequantur. Itaque Angeli vrbem Sodomam ingrediuntur, prætendunt in platea pernoctare, compelluntur Loti hospitalitate domùm adire suam. Confestim pro foribus catervatim adstant Sodomitæ, lasciuiæ Summates. Et iustus Lot eorum salacitatem precariè compescens, *Nolite*

Iudex consilia potius quam sententias politiam administrat. lite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere; & multis verbis flagitium auertere conatur. Aduerte autem quid ipsi fastuose respondeant: *At illi dixerunt: Recede illuc. Et rursus: Ingressus es, inquiunt,*
Gen.19. v.9. *vt aduena; numquid vt iudices; te ergo ipsum magis quàm hos affligemus.* Nimirùm iustus Lot vrbanè satis hos malitiæ antistites ab impietate auertere festinat, sic eos admonēs: *Nolite malū hoc facere.* Ipsi autem acerbe Monitorem ferentes, respondent: *Numquid ingressus es, vt iudices?* Iudicem agere dicunt, cùm opportunum consilium illis præbet; Quasi Iudicis proprius character, nō tam sit ferre sententiam, quam sana præbere cō-
Qui Admonitoris officio fungitur, & Reprehensor putatur. silia. Sic iniusta consiliorum præbitio iudicem sapit? Sic iudiciaria Superiorum potestas, consiliis citiùs, quàm sententiis & pœnis, item politiæ administrare solutat? Mitto hæc ad aliam thesim nō inidonea *Numquid*, inquiunt, *ingressus es, vt iudi-*
S. Aug apud Caten ibi. *ces? te ergo ipsum magis quam hos affligemus.* Quæ verba sic ad rem exponit Augustinus: *Tantùm excæcauit eos pessima consuetudo, vt magis reprehenderetur ab eis reprehensor flagitiositatis, quam factor.* Ecce tibi prudentem & tempestiuum Admonitorem, salutaria suggerentem consilia, non Consiliarium aut Admonitorem, sed *Iudicem* appellant, quasi in alienam se iurisdictionem vltrò ingerat; eamque aut rapiat, aut imminuat. Tum grauatè autem Admonitorem tulerunt, qui pio consilio eorum iniustitiam sistere moliebatur, vt quasi *reprehensorem* audirent, quin & magis reprehensus est ab eis, flagitiositatis admonitione æstimatus reprehensor, quàm flagitiositatis factor. O sic insaniunt, qui meta recti admonitione, se reprehendi putant? Profectò opportuna admonitio, non erroris reprehensio, sed præpropera non errandi cautela. Suam rationem ostert, non damnat alienam, vt libretur, obiicitur, non vt de Admonitoris grauitate decernat. O quorundam Superiorum fastum! Qui admoneri cunctatur, ad errorem festinat.

4\. Exhodi 5. Moysis legatione inhumaniùs exasperatur Pharao, & in Dei populum atrociùs ferocit. Ergò *Præpositi* filiorum Israël videntes in-
Exhod 5. v. 16. iustam populi expressionem, venerunt ad Pharaonem, & dixerunt ei: *Palea non dantur nobis, & lateres similiter imperantur..... iniuste agitur contra populum tuum.* Vide quàm vrbanè querantur, & submissæ agant de immodici pensi iniusta exactione. Quis nisi Pharao salutaribus Præpositorū
Lipom ibi. cōsiliis non gratificaretur? Percōmode Lipomanus ita ad hæc Præpositorum verba fatur: *Iniuste agitur contra populum tuum. Non sunt ausi aperte dicere, Iniuste agis contra populum tuum, ne Regem offenderent, & vt honori deferrent regio; sed iniuste agitur, scilicet ab exactoribus tuis, & contra intentionem tuam. Nec tamen propter hoc remissionem aliquam inuenerunt.* Scilicet iniusta oppressio non est licētia inurbanitatis aduersus Principē, & impunè acerbiùs expostulandi priuilegium. Innocentia iniuste etiam rea, non est inciuilis & rusticana. Comitas, vt agnata virtuti est, sic est & reuerentia vel iniquo Superiori debita. Vrbanus honor, stipendium vel immeritæ, etiam sublimitatis est. Sed benè notat eruditus hic Auctor, quā submissior benè consiliantis reuerentia, & consilij suggerendi tempestiua vrbanitas, blandiatur
Immodica punitio, quam bonus consi- Principum auribus, vt miretur, quasi proprium Pharaonis elogium, delinitum non fuisse tam vrbanè perita admonitione. Verùm in verbis ipsis, quibus ad mutandum consilium debuit deliniri, imminens immorigero Principi infaustæ omen
liarius non cohibet, flagitiorum, & tumultuum fæcunda. subest. *Iniuste*, inquiunt, *agitur contra populum tuū*, pro quibus verbis nonnulli ex Hebræa origine
Hebræus text. sic exscribunt: *Et peccat populus tuus.* Alij, *Et peccabit populus tuus.* Nimirum iniusta & inconsulta punitio, & inhumanior oppressio, non est flagitiorum coërcitio, & rebellionis ablegatio; sed fomes ad flagitia, & tumultuum blandimētum. Velut synonyma enim ponuntur: *Iniuste agitur contra populum tuum*, & *Peccat populus tuus*, aut, *Peccabit populus tuus.* Quasi immeriia oppressio, quam tempestiuum consilium non cohibuit, sit rei innoxij delictum, & delinquendi prophetia. Viderint Reipublicæ Præfecti, ne ab iniustis rigoribus malitia serpat. Opportuni consilij audientia, obedientia sit; nam acerbior pœna, flagitiorū fœcunditas est, & inauspicatum tumultuum omē. Pharao est, qui frustrà audit à Præfectis iusta consiliantibus *iniuste agitur contra populum*, idest, *Peccat*, aut, *peccabit populus tuus.* Heu nimis verè! Monitorem tempestiuè hominem non aspernatur Deus, Pharao, Pharao inquam, est, qui aspernatur, magno sui, & Reipublicæ detrimento.

---

§. CXCVI.

Qui periti consiliarij sententiam in agendis repudiat, infausta sibi quæque ominatur.

1\. Verum semper esse illud Sallustianum, experientiæ magisterio discimus: *Omnia regna, ciuitates, nationes vsque eo prosperum imperium habuerunt, dum apud eos vera consilia valuerunt, vbicumque autem gratia, timor, voluptas ea corrupere, post paulo imminutæ opes, dein ademptum imperium, postremo seruitus imposita est.* Viderint Principes, ne in consilium adhibeant, quos gratia, timor, ambitio, voluptas, pessimum veri venenum occupauit. Viderint etiam vt se accommodent potiorum consilio, nam vt Antoninus Imperator aiebat: *Æquius est, vt tot amicorum ac fidelium consiliariorum sententiæ, subscribam, quam vt illi se meæ voluntati accommodent.* Denique viderit Princeps, siue priuatus quisque, vt consiliis admoneat, quos incorrupti mores, & eruditio, rerumque experientiā probauerint; & eorum obsequatur consilio, in quo rei publicę & priuatæ cardo vertitur. Sic senior Tobias Tobiæ iuniori, de prudentiæ adytis consiliosè suggerit. *Consilium semper à sapiente perquire*, perquisitum obsequenter obserua, quod si abieceris, rerum agendarum consultam felicitatem te simul abiecisse percense, & prudentiæ penitùs renunciasse. Quid boni in re ambiguè perplexa, imprudentia spondeat? Altera operantis mens, sapientis consilium est, quo qui destituitur, secum actum reputet, res agendas inauspicatò aggrediens, successu plerumque infelici.

Politico-Christ. lib. 1. c. 17.

Peritus & incorruptus consiliarius, agendorum sequester esto.

Hic v. 19.

2\. 2. Regum 18. ad compescendam Absalomi turpem, & ambitiosam petulantiam, Israëlis phalanges strenuè armantur; & Dauid considerato populo constituit super eos tribunos & centuriones, & dedit populi tertiam partem sub manu

Ioab, & tertiam partē sub manu Abisaï, & tertiam partem sub manu Ethaï. Stetit ergò Rex iuxta portam: egrediebaturque populus per turmas suas centeni, & milleni. *Et præcepit Rex Ioab, & Abisai, & Ethai, dicens: Seruate mihi puerum Absalom. Et omnis populus audiebat præcipientem Regem cunctis principibus pro Absalom.* Hebraïcè *Mansuescite*, siue, *lenter ite super Absalom.* Ex quibus verbis (vt conuenit inter expositores) constat, Regem valdè optasse, ne milites valido impetu aduersus Absalonem irruerēt. Hinc difficilis exoritur quæstio, cur Rex lenitatem mandat, cùm Absalonem tanquam communem hostem aggreditur, & aduersus eum acies instruit? quid causæ est, vt ei ante pugnam ignoscat? Suum exercitum velut vltroneas mittit victimas, qui cum bellicoso ex furente hoste mitiùs agere mandat? Aut non debuit Dauid exercitum expedire, si leniter agendum erat; aut si semel expediit, milites suos non blandè mites, sed pugnacissimè duros exoptare debuit. Vidit hanc difficultatem Abulensis, quo pollebat ingenij acumine, & sic respondet: *Dicendum, quod Dauid erat certus de victoria suorum.* Sed rursùs peruestigat, vnde Dauid hanc certitudinem hauserit? *Respondendum*, inquit, *quòd Dauid habuit hoc* (hanc certitudinem) *ex quodam signo: nam postquam egressus nudis pedibus de Ierusalem, orauit Dominum vt infatuaret cōsilium Achitophel: quia dicitur præcedenti capite, quod nutu Dei dissipatum fuerat consilium Achitophel, quod erat vtile: ideò sic confidebat quòd iam in omnibus quæ erant contra Absalonem, Deus exaudiret eum.* Ecce tibi reportandæ victoriæ signum, quo prope certus reddebatur Dauid (ex mente Abulensis) à se Absalonem superandum, nempè repudiatum esse Achitophelis expetitum, & perutile cōsilium: (vt habetur cap. præcedenti) exinde Dauid omnia sibi prospera faustè ominatur; & infelicissima quæq; de rebus Absalomi auguratur Achitophel autem illo æuo omnium consiliosissimus habebatur. Itaque male occidendum esse Absalomi exercitum inde certo putat Dauid, quòd videt Principem Absalomum non satis obsequentem prudentissimi Senatoris consiliis. Cum ergò ferè certus sit de hostilis exercitus clade, paterno stimulatus amore, & de inimicorum charitate precox Christianus, benignissimè ait: *Seruate mihi puerum Absalom.* vel, *Mansuescite*, vel, *Lenter ite super Absalom.* O moralissimum multiugæ ruinæ prognosticon! Qui prudentissimi consiliarij sententiæ non obsequitur; non in ea re duntaxat, sed in reliquis omnibus aberrare, non leue documentum est. Errat, errat quisquis proprio nutu de rebus decernit suis: errat etiam qui consiliū à sapiente perquirit, nec illi paret; sed pro libidine reluctatur. Subtiliter quidem Abulensis!

Margin: 2 Reg. 18. v. 5 — Augurium Absalomianæ cladis extitit, non paruisse Achitophelis consiliis. — Abulens. in 2 Reg. 18. v. 7. — 2 Reg. 17. v. 1 & 2. &c.

3\. Regius Vates psalm. 118. anxius, & velut consilij inops, aduersus Israëlis Proceres, qui contra se consilium inierunt; à quo & ipse petat consilium publicat. Timet Dauid Saülem, & Abnerem præcipuè, vel diu postea Achitophelem, qui consilio iuuabat Absalonem aduersùs ipsum: Etenim, inquit, sederunt Principes, & aduersùs me loquebantur: seruus autem tuus exercebatur in tuis iustificationibus. Sessio ista significat cum potestate, opibus, honore, in quibus velut resident, & pacatè conquiescunt Principes, thronum, solium, tribunal, in quo sedentes de re consulta consiliosè deliberant, & sententiam pronunciāt, Ita Principes, qui mihi aduersantur, aduersùs me consulunt: Seruus autem tuus exercebatur in tuis iustificationibus. Pro *iustificationibus*, S. Hieronymus, *præcepta* Dei exponit, sic locum exscribens: *Meditabatur præcepta tua.* Obserua ergò quæ subdit verba, ad præsentem thesim peridoneè: *Nā & testimonia tua meditatio mea est, & consilium meum iustificationes tuæ.* Ecce tibi, ait inibi Augustinus, *Consilium contra consilium.* Consilium Dauidis aduersùs Principum consilium. Sed explorare iuuat, cum quibusnam de re prudenter agenda, consilium Dauid ineat, quosnam consiliarios asciscat, & quomodo eorum obsequatur sententiæ. *Cōsilium*, inquit, *meū iustificationes tuæ*, hoc est, *præcepta tua.* Pergit idem Hieronymus hæc verba exponens: *Quasi viri amicissimi mei iustificationes* seu *præcepta tua.* Et aliqui apud Treuetum, adhuc propiùs ad Hebræum textum accedentes: *Quasi viri consilij mei iustificationes*, seu *præcepta tua.* Quasi dicat Dauid: Dum Principes aduersùs me sedent in cano consessu, ego etiam consilium cōtra eorum consilium aduoco, considero enim attentiùs Dei mei præcepta, & inde cōsilium sumo. Diuina præcepta quasi senatus & consiliarij mihi sunt, quos in rebus dubiis consulo, & in consilium adhibeo: *Quasi viri consilij mei iustificationes tuæ*, idest, *præcepta tua.* O bonos eruditos, & integerrimos consultores! Præcepta Dei, mihi agendorum consilia prudenter suggerunt. Illis obligor & obstringor, quasi præceptis, illos consulo, & & illis obsequor, tanquam consiliariis. *Acin sciome (dicit Dauid) con mis obligaciones.* Præcepta Dei, quibus parere obstringor, *quasi viros consilij mei* aduoco ad agēdorū deliberationē. nec tātum præcepta Dei opere exequor, quia ad id obstringor; sed etiā quia eadē velut *viros consilij mei* consulo; quorū sententiis, velut præceptis (vera enim præcepta sunt) obsequenter pareo. Sic longè absum à repudianda consiliariorum sententia, vt illis obsequi me adstrictum sciam in rei prudenter agendæ deliberatione. Nam qui periti consiliarij sentētiam respuit, infausta quæque sibi ominatur, verosimili infelicitatis augurio.

Margin: Dei præcepta, quasi viros consilij sui consulit Dauid, vt prudēter se gerat. — Hieron. ib. — Psal. 118. v. 24. S. August. ib. — Treuetus ib.

4\. Geneseos 18. *Dixit Dominus: Num celare potero Abraham quæ gesturus sum: cum futurus sit in gētem magnam*, &c. Ad quæ verba ita fatur Lipomanus: *Sic autem amicis præsertim familiaribus & dignis, secreta à Dominis reuelari solent: sic viri perfecti & amici Dei, per donum sapientiæ cōsummatæ, quasi eius consiliarij efficiuntur.* Iobum latuisse videtur, quis Consiliarius Dei sit, at hîc inducitur Deus velut consiliarij Præses; & viri sapientia & sanctitate magni, quasi eius Consiliarij. O eximiam. Sapientum prærogatiuam! O moralissimam hominum eruditionem! Deus consilia ab homine petiisse inducitur, & homo homine inconsulto, graue negotium adoriri tentabit! Deus non dedignatur hominem consulere, ne homo humanum consiliarium erubescat. *Consilium semper à sapiente perquire.*

Margin: Gen. 18. v. 17. Lipom. ibi. — Deus non dedignatur hominem consulere, ne homo humanum consiliarium erubescat.

5\. Geneseos 4. ob reiectanei muneris repulsam, iratus est Caïn vehementer. Vtinam pœnitentię, non parricidij dolor fuisset. Tunc Deus per se ipsum inuidentiam verbis mitigare satagit, & iram cœlis præuiam emollire. Desine, inquit, damna tua lugere, peccasti, conquiesce. Statue delictis prioribus modum, ne inuidiam occisione cumules, ne facinus meditatus obarmes manum, affectam cœdem & cogitatione susceptā depone, ne tanti

Margin: Magnum flagitium est, leges, quæ velut monita proponuntur, respuere.

tanti sceleris condignas pœnas confestim acerbè luas. Verùm Caïnus immansueta bellua, labitur ipse, & gliscit ita, neque mora perturbationem molliebat, sed perdurat cœdem parturiens voluntas, Dei edicta, & naturæ leges ab eo impressas, refractariè violans. Fratre scelerosè perempto, adest Deus rigidus sceleris vindex, sic ei acerbius interminans: *Vagus, & profugus eris super terram.* Ad quam Dei sententiam contra Cain fulminatam, ita acutè fatur Seleuciensis Basilius: Fraterno sanguine terram irrigasti, & in eam nefarias bullas immisisti, parem fructum cape. *Tremens, & gemens eris super terram. Monita non cepisti mea, ærumnis constrictus esto, tuaque trepidatio posteris vertatur in legem. Tremens obambula animata lex videntibus occurrens, spirans columna auertat à pari pœna; lex, inquam, atramenti vice trepidationis nota conscripta.* Quid est, quòd pœnam inflictam Caïno, toties *legem* appellat, & legem de impia, & temeraria fratris cœde non facienda, monitionem nuncupat? *Monita non cepisti mea*, inquiens. *Monitum* idoneè dicatur seuerum Dei edictum, quietem imperans, & parricidium auertens? *Monitum* congruè nominetur, strictior naturæ lex impiam fratris cœdem seuerius prohibens? Scilicet seuerissimam legem sub nomine Monitionis dissimulat ad suadelam, vt non tantùm edicti necessitate, sed etiam *Moniti*, aut consilij suauitate obsequium persuadeat. Vnde vt Basilius exaggeret obligationem, non districtiori legis vocabulo, sed blanda *Moniti* nuncupatione eam inducit. Non quod *Monitum* duntaxat, sed quia lex, quasi foret *Monitum*, vrbaniùs intimata; & velut consilium inuulgata, comitatem etiam arctiùs adstringit. Salutaria repudiasse monita, exitiale fuit Caïnitis omen.

Gen. 4. v. 12

Basil. orat. 4

§. CXCVII.

Qui perfectè consummatam virtutem obtinet, quasi adhuc candidatus, illam denuò hianter quærit.

1\. MAgna pars est profectus, velle proficere; re enim & votis Christiana perfectio cõstat. Exinde consummatæ etiam virtutis homo nunquam cessat, sed semper ad vlteriora anhelat, acsi vltra metam procedere posset. Profectò etsi verum semper illud sit: *Male viuunt, qui semper viuere incipiunt*; tamen, aut generosa humilitas, aut humilis quidam perfectionis fastus est, quòd postquam perfectionem bene viuẽdo cõsummauit, tunc quodammodo bene viuere denuò incipiat, vt quantò perfectior iam est, tantò magis cum teneat summus amor perfectionis obtinendæ. O cœcè oculatum virtutis votum! Quod diu possidet, sic habere desirat, sic sedulò procurat, ac si illud minimè possideret, & pia quadam perfectionis ambitione, post consummatam virtutem, adhuc virtutis candidatus existit, sicque perfectionem sitit, vt cum ipsa perfectione, totam perfectionis sitim adhuc combibat, dum quo magis habet, magis id ipsum habere gliscit. *En la dicha de quien possee, no le faltan las diligencias de quien pretende.* Ne in pigra possidentis felicitate, velut ambientis actuosior sedulitas illi desit, de officiosæ gratiæ blandimento. Vnde de suo Basilio

Senec. ep. 23

Consummatæ perfectionis vir, quodammodo benè viuere denuò incipit.

ita scribit Nazianzenus: *Cùm ea quæ de Spiritu Sancto scripsit, euoluo, Deum quem habeo nanciscor, Veritatem libero.* Si Deum habet, quo pacto eum denuò *nanciscitur*, quasi rei diu possessæ auarè candidatus? (Illud quod addit, *Veritatem libero*, quasi captiua, aut serua teneretur, altiùs enucleandum foret, non obiter perstringendum.)

Naz. orat. pro Basil.

Ieremiæ 6. postquam lugubris Propheta durè insectatus est enormissima sui populi flagitia, minas de cœlo vibrat, & Dei sententiam iam iam cadentem seuerus vates pronunciat, confestim ad pios Dei cultores sermonem conuertit illis de virtute gratulatur, & ad omnes sanctitates his verbis instruit, & instructos promouet: *Hæc dicit Dominus: State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea.* Mirissimum planè est, & elucidatione dignissimum, quod his verbis Dei afflatu instructus Propheta docet, expende verba, vt verborum pandas Sacramenta ad rem moralem opportunissima: *State super vias*, inquit, *& videte, & interrogate de semitis antiquis.* Vide quàm parum altervtra sententiæ pars alteri cohæreat. Potiò Iustus qui in viis Dei stat, & in eis duorum vestigia fixit, quomodo non indoneè iubetur, vt vias Dei quærat, & sollerter adhuc peruestiget, vt per eas ambulet? quærimus enim quod nondum inuenimus, & inuenire hianter optamus. Quæstio, & inuestigatio, absentiam inuentionis insinuat, & obtinere quærendo satagit, quod dum quærit, nõ obtinere fatetur. Qui quod diu habet, adhuc quærit, aut ridicularié nugatur, aut egregiè stultescit. Quisquis rem sublimem possidet, male illius possidendæ candidatus est, nisi fortè adeo sit cœcus, vt quod felix habet, stultus ignoret. Quid ergò electos Hebrææ gentis seriò adhortatur Propheta, vt dum stant in viis Domini, illas quærat? Perbelle Zeno Veronensis, sermonis, & morum elegantia conspicuus, ne impari sãctitate præilustris. ita hunc Ieremiæ locum exscribit, & exponit: *State*, inquit, *in viis Domini, & interrogate semitas Dei æternales, & videte, quæ est via bona, & ambulate in ea. Multa itaque via interroganda sunt, & in multis insistendum est.* O bonam boni viri descriptionem, cuius, ideam hic imitandam Propheta obiicit. *State in viis Domini*, inquit, & cùm in illis diu steteritis, & per eas ambulaueritis perfectè virtutis gressibus, adhuc *interrogate semitas Dei æternales*, & sic illas sollerter quærite, ac si non statetis in illis, & nunquam ambulaueritis per eas. In multis viis insistendum est, & adhuc multæ interrogandæ, & quærendæ sũt. Ac si apertè dicat: Vias Domini, in quibus diu statis, & per quas quammaximis itineribus ad perfectionem ambulatis, quasi illas ignoretis, adhuc diligenter quærite, & exsomni cura interrogando peruestigate, quo in perfectè Iustis inueniatur, & possidendi felicitas, & diligentia sedulò quærẽtis. Cupit Propheta, quod in eximiè electis ita reperiatur consummata perfectio, vt absit cessans inertia, aut iners possidentis securitas. Adhuc exambiant possidere quod habent, ne pacata perfectionis possessio, dum adhuc quærere nescit, amittere sciat, quod feliciter obtinet: *State in viis Domini, & interrogate semitas Dei æternales.* In viis Dei vterque Tobias perfectè ambulat, & in eis perfectè ambulare, adhuc peroptanter exambiunt.

2\.

Ierem. 6. v. 16

Qui perfectè stat in viis Domini, illas perfectè quærat.

S. Zeno ser. in Psal. 127

Hic v. 10

Regius Vates Psalm. 103. dum de cœlestium cognitione ardentius voluntas incanduit, ad opulentiores Dei laudes modulatè cantandas, gratitu- 3.

 duinis

dinis generositate sic excitatur: Benedic, ait anima mea Domino: Domine Deus meus magnificatus es vehementer. Et cùm mirabilia naturæ opera sigillatim recenseat, & ob oculos proponat, in eis etiam gratię beneficia interpretes legunt, in rebus naturalibus mysticè adumbrata. Fecit, ait, Lunam in tempora, Sol cognouit occasum suum. Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ siluæ. *Catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi.* Etsi leonis nomine aliquando malus Dæmon, & auarus, & violentus princeps denotetur; tamen frequentiùs vocabulum *Leonu* in prosperiorem partem capi solet in Bibliis, quod Lauretus Ceruatf. erudite notauit. Hinc Iudas in fausta Iacobi Patriarchæ benedictione, Leoni assimilatur: & Christus Deus eiusdem Iudæ soboles, Leo de tribu Iuda, honoris causa nominatur. Itaque Biblica phrasi generosioris probitatis vir Leonis nomine titulatur. Ait ergo Dauid, quod catuli Leonum, adhuc in nocte rugiunt, idest, inexplebiliter hiāt, *vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi.* Bene quærunt, quod *à Deo* auctore, & promisore naturæ, & gratiæ quæriiur. Ergò hi generosi *Leones*, non modo corporales corporis cibos, sed spiritales etiam animæ escas, quibus spiritus ad omnem perfectionem saginentur, in huius vitæ nocte, à Deo auidè expetunt. Sed diligenter nota quanto cum acumine regius Vates primò dixerit, *rapiant*, & posteà subdiderit, *quærant*, quasi spirituales animæ escas priùs *rapiant*, & possideant, & postmodum *quærant*, & cupidè peruestigent. O moralissimam Prophetæ sententiam, qua describit perfectorum mores! Scilicet postquam à Dei largiori beneficentia *rapuerunt*, & possident opulentas gratiæ, & meritorum dapes, quibus ad omnem perfectionem adipantur; ac si tunc vacuo ventre famelcerent, illas auidè *quærunt*, & peruestigant. Cedit naturæ ordo, consummatæ perfectionis arbitrio, & noua quadam perfectionis ambitione, perfectionem quam dudum possident, quasi tunc inciperent acquirere, illam sollertiùs obtinere gestient, & bonorum operum merito possidere, ne viro in omni virtute consummato vnquam desit, & acquisitæ perfectionis gaudium, & illius acquirendæ sollertia; simulque fit, & reapse pulchrè perfectus, & adhuc pulchræ perfectionis riualis, & virtute consummatus, acquirendarum virtutum candidatus inexplebiliter pia merendi ambitione quasi vltra metam adhuc progredi audeat.

Generosus in re virtutis Leo, quod prius de cœlo rapuit, posteà quærit.

Psal. 103. v. 21.

Lauretus in Silua.

4. Geneseos 17. sic denarrat sacer Historicus: Postquam verò nonaginta, & nouem annorum esset Abraham, apparuit ei Dominus: dixitque ad eum: *Ego Deus omnipotens: ambula coram me, & esto perfectus.* Septuaginta interpretes pro illis verbis, *Ego Deus omnipotens*, exscribunt: *Ego sum Deus tuus*, id est, qui specialiter à te diligitur, & vnicè diligit te. Idem ne est, esse Deum suum, suoque amori velut addictum, ac esse *omnipotentem*? Num peculiaris, & eximia erga suum Abrahamum beneuolentia, vices cum *omnipotentia* reciprocat? Deus cum maximè meus est, tum maximè *omnipotens* nuncupatur, quasi excellentia *omnipotentia* diuinæ in humanâ beneuolentiâ micantius eluceat? Hebraïcè pro; *Ego Deus omnipotens*, exscribitur אל שדי *el sadai*, id est, *Fortis & munificus.* Quasi idem sit, esse *Munificum*, ac *Omnipotentem*. Sic *Munificentia* exprompiam *omnipotentiam* requirit ad liberalitatis sumptus. Satis munificus non esset Deus, nisi omnipotens

Genes. 17 v. 1

Septuag. Interp

Deus cùm maximè meus tunc singulariter omnipotens dicitur.

Hebr. text. *Tanta ne est quorundam perfectio, vt omnipotentiam velut mensuram emulentur?*

foret. Verùm Rupertus exponens prædicta verba: *Ego Deus omnipotens: ambula coram me, & esto perfectus*, ita scribit, ad rem præsentem peridoneè *Ego Dominus omnipotens: ambula coram me, & esto perfectus: Idcirco rectè præmittit: Ego Dominus omnipotens, quia videlicet vt ambulet coram Domino Abraham, & perfectus sit, hoc omnipotentia Domini, hoc omnipotentis Dei opus est.* Num tam consummatè perfecta est aliquorum sanctitas, vt ad illam explicandam, necessarium sit præmittere infinitam Dei omnipotentiam, velut toto nixu ad eam incumbentem, & illam quodammodo sibi adæquantem! Porrò sicut Dei omnipotentia, adhuc post plura, plura adhuc potest: Sic quorundam virtus, adeò immensa videtur, vt & opere plurima sit, & voto infinita: cùm pia desideria desiderandi metam ignorent, nec vllo perfectionis termino satis exatientur. Quid enim potest benefica Dei omnipotentia perfectionis producere, quod homo non possit excipere, & animi votis exoptare? *Ego Deus omnipotens, Deus munificus: ambula coram me, & esto perfectus.* Vbi *omnipotentiam* diuinam *perfectioni* associat humanę parilitate qua humana possunt diuinis mensurari.

Rupert. ibi.

§. CXCVIII.

Intùs omnia dissimilia sint, frons nostra populo conueniat.

Quisquis sollerter pietati studet, & in solidam virtutem pertinaciter incumbit, hoc vnum agit, vt se quotidie meliorem faciat, nō vt anima vitæ districtione se spectatorum oculis meliorem ostentet. Cauendum, quippè seriò est, ne eorum more qui non proficere, sed conspici cupiunt, faciat aliqua, quæ in habitu suo, aut genere vitæ notabilia sint. Satis ipsum sanctioris instituti nomen, etiamsi modestè tractetur, inuidiosum est. Quid si nos hominum consuetudini cœperimus excerpere? *Intùs omnia dissimilia sint, frons nostra populo conueniat. Id agamus, vt meliorem vitam sequamur, quàm vulgus, non contrariam.* Videamus, ne ista per quæ admirationem parare volumus, ridicula, & odiosa fiant. Tempestiuam frugalitatem exigit Virtus, non tetricam pœnam. Potest enim esse non incompta frugalitas. Quid ergo, eadem faciemus, quæ cæteri? Nihil inter nos, & illos intererit? Plurimum. Dissimiles esse nos vulgus nesciat, & dissimiles valdè simus. Non sint valdè notabilia quæ in nobis videt, & in conscientiæ latebris nihil non notabile, nihil vulgare, nihil non præcelsum delitescat. Sublimem esse nec videri, exaggeratio virtutis est. Deo viuit, qui populo non viuit. 1.

Intùs omnia dissimilia frōs nostra populo conueniat. Senec. epist. 5

Ioannis 2. Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater IESV ibi, nec purior virginitas nuptiarū fastidit vocabulum ad exquisitioris pudicitiæ ostentationem. Facilè illo aduocatur filius Deus, vbi Virgo mater aderat. Vtriusque præsentia nuptias cohonēstat aduersus scrupulosè fastidiosa supercilia Hæreticorum, qui manifesta nuptiarum reprehensione, suam scortationem occultam dissimulare festinant. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum. In tanta aquæ abundantia vini penuriam 2.

Hydriæ quia aquâ promittunt, generosa vina de miraculo fundunt. penuriam Maria præuidet, & anticipata supplicatione defectum auertere satagit. Patrationem miraculi Filius distulit, non sustulit, nisi miraculum etiam putes maternis precibus nō statim admisse. Tandem dicit IESVS: Implete hydrias aquâ. Et impleuerunt eas vsque ad summum. Et dicit eis IESVS: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt.

Ioan. 2. v. 9. *Vt autem gustauit architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat vnde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam, vocat Sponsum,* &c. Grande planè miraculum, cùm aquarum ieiuna substantia inebriatur, sapor fortior tenui materiæ opponitur, & occulta lenibus fluentis virtus infunditur, atque aqua in vinum conuersa, nouo munere auctoris sui potentiam confitetur. Quis posset ista cōuertere, nisi qui potuit, & creare? Hæc itaque videntibus prodigia erant, intelligentibus Sacramenta. Sed obseruare hîc oportet cum Eusebio Emisseno, aliud in re ethica miraculum valdè abstrusum. *Aquis, ait, hydriæ implentur:*

Emiss. hom. 1. de Epiph. *& cùm exterius in specie sua maneant, ea quæ interius sunt nobili à se comparatione degenerant.* Vide illustre virtutis miraculum, & sanctitatis prodigium, ad instruendos mores in paucis opportunum. Hydriæ ipsæ aquariæ erant, palam aquis implentur, & aquam duntaxat continere putantur, ad solemnia connubij identidem lauacra; in specie sua aqua adhuc manere *exterius*, putatur: ast *ea quæ interius sunt nobili à se comparatione degenerant*, hoc est (vt ex re ipsa aliquando cōstat) in aliam valde perfectiorem substantiam demutantur (sic terra dicitur in aurum degenerare.) O appositissimum virtutis typum, & sanctitatis miraculum! Aquariæ hydriæ videntur, aquales *exterius* spectatorum oculis apparent, & tamen quod aquæ vas *exterius* putatur, si quod *interius* continet penitiùs spectetur, generosum vinum, de omnipotentiæ diuinæ torculari expressum, inuenitur. *O nobilem à se comparationem!* Vilis aquula *exterius* putatur, & de miraculi virtute, pretiosum vinum sapit, & nobili à se comparatione generosum *interius* continetur. O taxa huius miraculosi vini pretium, non tantùm de nobilitate saporis, sed etiam de ignobili extrinsecùs apparentia. Nam *aquis hydriæ implentur, & cùm exterius in specie sua maneant, ea quæ interius sunt nobili à se comparatione degenerant*, idest, generosiùs in aquali merum latet, quàm in vinario vase vini nobilitatem latè ostentante. Ecce virtutis præcelsæ, & typum, & miraculum: Aquam *exterius* spondet & vino *interius* generoso exundat. Eleganter sanè Emissenus aliorsùm expendendus.

3. Canticorum 1. hæc verba ad suas æmulas (vt

Cant. 1. v. 5. Orig. hom. 2. ex 4. notauit Origenes) Sponsa facit: *Nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Prudens sponsa cautè loquitur æmulis. Neque tamen ait: Nigra aut *fusca fui*,

Aug. in Psal. 3. 77 & 94. sed *sum*: (vt obseruat Augustinus, aliàs expendendus) fuscus autem color venustatem infuscare videtur: nam fusca facies, insuauis est, & inamœna, & inde non tam pulchra, quàm deformis est, nigrore venustatem exterminante. Quo igitur pacto æmulis suis Sponsa persuadere satagit, quòd fusca sit, sicut vulgo fœminæ Arabes, seu Cedarenæ, & simul eximiè formosa. Id profectò, nec sodalibus suis diuturna cōsuetudine, & amica familiaritate

Cur Salomonis pellibus Sponsa comparetur. iunctissimis, poterit vnquam persuadere. Perinde enim videtur, dicere: *Nigra sum, sed formosa*, ac si diceret fœdè pulchra sum, aut pulchrè fœda, quod puellæ de pulchritudine æmulæ, aut risu excipiēt, aut sannis deridebunt. At Sponsa cautè prudens, dum confestim se Salomoniarus pellibus comparat, & obiectionem æmularum refutat, & suam pulchritudinem ethicè exaggerat, nostrumque thema luculenter adornat, vt notauit Bernardus,

sic ad ea verba fatus: *At si ad nigredinem magis referenda putetur, non equidem aliunde occurrit mihi quicquam de pellibus huiusmodi Salomonis, nisi quas fortè Rex in vsum tabernaculi solerct assumere, si quando in tentoriis habitare liberet; quas vtique obscuras sine dubio, & terras esse necesse fuit, tanquam quæ quotidiano forent exposita Soli, & frequentium iniuriis pluuiarum. Neque id frustrà, sed vt is qui intus repositus erat ornatus, nitidior seruaretur.* Scilicet ad ostensionem commendationemque eximij decoris, quo Sponsa prænitebat, adducitur hæc comparatio. Porrò pelles seu tentoria regis comptissimi, & opulentissimi Salomonis, si ea extrorsùm aspicias, fusca sunt, sicut reliqua Israëlis tentoria, imò, & sicut tabernacula Cedar. At si eadem introrsùm explores, & eorum secreta penitius scruteris, peristromatis subtili auro contextis rigent, facto candicant argento, & gemmis pretiosissimis fulgurant, ad aulæ Ierosolymitanæ inuidiam. Extrinsecus communiter sordent crudæ tabernaculorum pelles, de temporum iniuria, vulgaribus non dissimiles: *neque id frustra, sed vt is qui intus repositus erat ornatus nitidior seruaretur.* Ergo ad æmulas suas ait Sponsa, vt suam venustatem, idest; eximiam virtutum elegantiam illustrius commendet: *Nigra sum, sed formosa*, quia pellibus, seu tentoriis Salomonis similis sum, non palatio, quod intus, & foris regiam venditat opulentiam, sed tabernaculis, quæ extrinsecus vulgaria sunt, nihilque habere possūt extraordinarij nitoris, at intrinsecus regia gaza,

& prædiuite fulgent opulentia. O vide hîc opulentas Tobiæ gazas sub paupere habitu, & prædiuites virtutum opes sub communi vita! Exterior ambitionis supellex animum non adornat, pia animi opulentia, nec per effectuum rimulas (quantùm fieri potest) transluceere permittitur. Hic mihi modus virtutis placet. Temperetur vita nostra inter bonos mores, & publicos. Suspiciant omnes vitam nostram, non penitiùs agnoscāt, *In plateis, in triuiis suum habet pietas secretum*, ait Chrysologus, (ô nostrum Borgiam!) Gloriæ libido, exorbitare exterius cupit. O fuge populares virtutis insidias! Vulgaris aspectus occulti fascini suspectus est. Aliquid vni Deo, in mentis sacrario totum consecta. Puto, qui populo viuit, non satis sibi & virtuti viuit.

Marci 5. puella iam mortua, ingreditur IESVS in eius domum: *Et tenens manum puellæ, ait illi: Talitha cumi, quod est interpretatum: Puella (tibi dico) Surge, & confestim surrexit puella.* Ad quæ verba, ita mysticè scribit Hieronymus: *Abraham enim, & Moyses, & Samuel rogant pro plebe mortua, & sequitur Iesus preces eorum.* An non is erat Christus, qui formulam precandi præscribere posset, & publicas preces ipse instituere? Nū hic deuitare satagit singularitatis notam, & inde Patriarchas, & Prophetas imitatus, *sequitur Iesus preces eorum?* O bonam in re virtutis eruditionem! In eo etiam in quo alios longè excellis, magnorum olim vestigia sequi oportet, ne exerres. Trita & adprobata, secura sunt, noua, & insolentia admirationem, & plausum aucupari solitant. Omnia intrinsecus dissimilia à plebe sint, nil notabiliter extrinsecus dissentiat. Meliorem esse festina, non haberi

Bern. ser. 18 in Cant.

Hic v. 21

Chrys. ser. 9

Borgia elogium.

4. Marci 5. v. 41 & 42.

Hieron. ibid.

Cur sequitur Iesus Patriarcharum, & Prophetarum preces?

Ieiunium, quod non exorbitat, anima consecrat humilitatem.

Matth. 4. v. 1. haberi, aut dici meliorem. Illud virtutis est, hoc arrogantiæ Matthæi 4. IESVS ductus est in desertum a spiritu, vt tentaretur à diabolo. *Et cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*, &c. Eccur ad plures dies quàm Moyses, &
Aug lib. 2 de Conc. Euang c 4.
Elias, Dominus ieiunium non protraxit? Percommodè ad rem Augustinus: *Quadraginta dierum ieiunium humiliationi animæ consecrauit.* Humiliati animæ consecratur victus, quæ exterioribus notis exorbitare non ambit. Multa paucis verbis Augustinus strinxit!

---

§. CXCIX.

Multimoda diuitiarum vituperia addensantur, quò pia Tobiæ largitas splendidiùs niteat.

1. Saluianus Massiliensis acri oratione incusat diuites, ac potentes, quasi cognato diuitiarum
Salu lib. 1. de Guber. Dei.
fastu se vltra reliquorum fastigium attollant; & acsi sublimioris cuiuspiam naturæ forent, cæterorum sortem desuescant. *In aliis quippe horrent*, inquit, *quod in se semper admittunt: mirum in modum, & accusatores eorundem criminum, & excusatores, execrantur publicè quod occultè agunt: ac per hoc dum damnare se cæteros putant, ipsos se magis propria animaduersione condemnant.* Et
Diuitum crimina, aut nulla putantur, aut minora.
confestim peruestigans, quisnam sit verè, & omninò diues? respondet: *Innocentiam seruans, aut à cunctis sceleribus manus abstinens. Vtinam vel à maximis: qui volunt sibi id fortè quasi maiores priuilegium vindicare, vt iure suo crimina, vel minora committant.* Ecce arrogantiam diuitum, qui crimen criminis expers committere præsumunt; aut saltem quod in aliis magnum crimē foret, minimum fore si ab ipsis committatur. *Intuere quid grauius auro, quod cùm mores hominum perdidit, perdidit, & naturam.* Quid exaggerariùs ad opum vituperium? Heu quot eximias bonitate indoles opulentia deprauauit! *Pecunia ardor*, (vt loquitur Tertullianus) ignauus virtutum languor est, & calens vitiorum ambitio.

Chrys ser 19
Diuitiæ hominis naturā perdunt.
Tert l. 2. cōt. Marc. c. 18.

2. Lucæ 16. Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. Sed tandem sepultus in inferno, vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* In damnatorum colluuie positus, nedum arrogantiæ fastum excussit: *Adhuc Diuitem* (ait Chrysologus) *malitia non deserit, quem iam possidet pœna: qui non se ad Lazarum duci postulat, sed ad se Lazarum vult deduci.* Non exposcit ad cœlum ire, ne Diues ad pauperem ire videatur; sed ad se potiùs deducere postulat, adhuc diuitiarum ambitione turgens. Ergò Diues *sepultus in inferno clamat: Pater Abraham, mitte Lazarum*, adhuc renuens ascendere in cœlum, dum diuitiarum amator, in infernum mergi festinat. *Aurum nascitur in terra profunda, sectatur ipsa montium fundamenta, perque ima venarum cæcis discurrit anfractibus; & dum suam semper repedat ad naturam, cælestes animos ad inferna deponit: obscurat sensus semper, alta montium semper in terrena demergit.* Ergò Diues, opum pondere degrauatus, cœlestes hominum animos *ad inferna deponit*, & obscurato sensu ad inferna demergit.

Lucæ 16 v. 24
Diues in inferno nondum desuescit arrogantiam.
Chrys. ser. 122.
Idem ser. 29
Aurum obscurat sensus.

Enucleanda est iterū nuper laudata sententia: 3.
Intuere quid grauius auro, quod cum mores hominum perdidit, perdidit, & naturam. Mores nominum simul cum eorum natura aurum perdit? Matthæi 17. ne tributa auarè exigentes scādalum paterentur, Petro iubet Christus: *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle; & aperto ore eius inuenies staterem: illum sumens, da eis pro me, & te.* Multa super hoc statere tradunt interpretes, quæ aut litteram exponant, aut mores ædificent. Sanct. Isidorus Pelusiota sic ad rem præsentem philosophatur: *Stater ille, quem in pisce abstrusum Petrus capere iussus est, formam nostram vitiosis affectibus coopertam designabat.* Nimirùm argenteus nummus est symbolum naturæ nostræ prauis moribus coopertæ; viriatæ enim naturæ formam stater præfert, quam pecunia inuenit, aut facit. *Intuere quid grauius auro, quod cum mores hominum perdidit, perdidit, & naturam*, dum *formam nostram vitiosis affectibus coopertam designat.*

Matth. 17. v. 26.
Stater formam nostram vitiosis affectibus coopertam designat.
Isid Pelus. lib 1 epist. 206.

4. Exhodi 32. moram faciente Moyse, Hebræus populus aurea monilia vltrò offert, & cōflatilem indè vitulum velut numen adorat: Aaron coactus minaci populi importunitate aureas inaures accipiens: *Formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem, dixeruntque: Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Sic barbara obbrutescit impietas, etiam tot in deserto prodigiis inoculata, vt exanimale metallum pecuinâ formâ recenter expressum, tanquam numen adoret? Ecquid diuinum in brutâ pecude scintillabat, vt abiecto vero Deo, diuinos illi honores de genu libarêt? Acutè Chrysologus: *Aurum*, inquit, *Iudæorum populum sic suo captiuauit aspectu, vicit illecebris, specie perdecepit, vt hoc esse Deum crederent, & Deum verum, Deum tot beneficiis cognitum denegarent*, (pensita attentiùs quæ subtexit verba) *Sic conuertit homines in iumenta, vt vituli caput, caput suum crederent, & omnium rerum capiti caput pecudis anteferrent.* Ecce tibi auri splendor, & opum auara cupiditas sic *conuertit homines in iumenta*, vt quasi rationalem naturam dediscerent, *vituli caput, caput suum crederent.* Heu sic homines auaritia dementat!

Exhdo 32. v. 4
Auri libido homines in iumenta conuertit.
Chrys ser. 29

5 Matthæi 19 Euangelicus ille adolescens, desideriis, & opibus diues; à Christo Deo audit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Qui cùm omnia hactenus se obseruasse fateretur, adhuc audit: *Si vis perfectus esse; vade, vende quæ habes, & da pauperibus.* Ad quæ verba ita fatur Origenes: *Forsitan autem ista præcepta sufficiunt, vt in principium (vt ita dicam) vitæ ingrediatur quis, non autem sufficiunt hæc vel alia similia istis ad interiora vitæ introducere quemquam.* Fortè existimauit magnus hic Doctor, quod obseruatio mandatorum eualet introducere in principium vitæ, non in vitæ interiora (qui est emphaticus loquendi modus) quia adolescens hic valdè diues, non renuncians opes, aliquo tempore seruare potuit mandata; quæ posteà verosimiliter violaret, ni diuitias abiecisset, quasi opulentia sit violandarum præceptionum fomes; paupertas verò præcepta obseruandi propè securitas. Quò alludere videtur Ioannes Climacus, ita scribens: *Nuditas rerum*, (paupertas inquam) *curarum omnium est depositio, securitas vitæ, viator omnibus impedimentis liber, mœroris alienatio, mandatorum fides.* Sci

Matth. 19. v. 17.
Orig in c 19 Matth. tr 8.
Paupertas est mandatorum fides, sicut contrà opulentia.
Ioan Clim. Gradu 16.

Scilicet ſicut paupertas dicitur, *Mandatorum fides*; ſic opulentia, præceptionum infidelitas denotat, quaſi opes,& in ſe infidæ ſint;& ad mandata obſeruanda infideles faciant, cùm ad ea violanda potenter inſtigent. Vnde vt hic adoleſcẽs, qui hactenus obſeruarat præcepta, ea exinceps nõ violet, ex mente Origenis, illi paupertas iniungitur, paupertas inquam, quæ eſt, *Mandatorum fides*. Quod verò opes materiam delictis affatim præbeant,& ad delicta inſtigare putentur, elegãter tradit Euſebius Gallicanus, ita fatus: *Perindè eſt, ſi aliquem mirari impia & iniqua per opes & diuitias operantem, ac ſi quempiam videas inaurato atque gemmato poculo venena miſcentem. An tu illum felicem vocas, qui infidelis, obſcœnus, cupidus, & cruentus?* Nota, quòd ſicut paupertas dicitur, *Mandatorum fides*; ita diues appellatur, *infidelis mandatis* inquam. Aduerte etiam diuitias dici *venenum* aurato gemmatoque poculo propinatum.

Diuitiæ ſunt Venenum aurato poculo propinatum. Euſeb Gallic. de SS. Epipodio & Alex.

6\. Matthæi 6. Chriſtus Deus auaritiam dehortatus, ita fatur: *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Quæ verba ad rem præſentem his verbis Chryſologus exponit: *Melius eſt ad ſedem animæ deferre aurum*, (per eleemoſynam inquam) *quàm in ſepulcro auri animam demergatur.* Ecce animæ ſepulchrum, aurum dicitur. Viuas ſibi auarus exequias celebrat,& funeſta auaritiæ pompa animam præmaturè in ſacculis tumulat.

Matth. 6. v. 21. Chryſol. ſer. 22. *Auarus animam in ſacculis tumulat.*

7\. Paulus in priori ad Timotheum 6. hæc illi mandat: *Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum.* Vide quàm ſit cognata diuitibus arrogantia. Sed diuitibus huius ſæculi hæc præcipi Apoſtolus mãdat, innuens eſſe alterius ſæculi diuites, pauperes inquam, qui aliqua etiam arcana arrogantia piè ſuperbiunt. *Paupertatem & inopiam exprobrabunt*: (ait de ſe Nazianzenus) *at iſtæ ſunt diuitiæ meæ, hæc me non ſolum gloriantem, ſed arrogantem facit. Videntur enim mihi inimici, dum obiiciunt, id obiicere, quod veſtigiis illius incedam, qui propter nos inops factus eſt, cùm eſſet diues. Atque vtinam exuere me poſſem panniculis iſtis, quibus circumdari videor, vt nudus effugerem ſpinas ſæculi, quæ retinent, & reuocant pergentes ad Deum.* Quid eloquentiùs?

1\. ad Ad Timoth. 6. v. 17. S. Naz. orat. 1. Apolog. *Humilitas etiam arrogantem facit.* 2. Cor 8. v. 9.

8\. Matthæi 26. abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariotes, ad principes Sacerdotum; & ait illis: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos.* Hæc Iudæ auaritia, quæ Chriſtum Deum infidè prodidit, fertilis criminum eſt, quibus multipliciter fœdatur. Sed nota nunc mihi quid in ea Chryſologus ſingulariter culpet: *Attẽdite*, inquit, *quàm ſit pernicies iſta auaritiæ fugienda, quæ cum mores hominum, honeſtatem, vitamque perdiderit ipſum quoque Deum voluit homini & contendit auferre. Hoc eſt quod Iudam fecit eſſe proditorem, vt hominem cogeret Deum negare, diſtrahere conditorem, & ipſum ſanguinem taxare pretio, quem ſponte Dominus erat noſtrum largiturus in pretium.* Nota geminatam in vna auaritia Iudæ nequitiam. Altera quòd Deum voluit homini auferre: altera quòd Dei liberalitatem minuere contendit; quandoquidem Chriſti Dei ſanguinem pretio taxat, pretio largitur, quem ſpontè beneficus Dominus erat noſtrum largiturus in pretium. Nimirùm pretium auarè ipſe recipiens, quod liberaliter à Deo datur, non ſinit liberaliter accipi, *ipſum ſanguinem taxans pretio, quem ſpontè Dominus noſtrum erat largiturus in pretium.* Quod auaritiæ ſcelus egregiè culpat, & opulentiæ amorem ad culpam exaggerat. Sed lubet cum Rabano Mauro feliciter exclamare: *Exulta Chriſtiane in commercio inimicorũ tuorũ viciſti. Quod Iudas vendidit, quod Iudæus emit, tu acquiſiſti.* Adde argutа Nazianzeni verba, quæ auarè ſordidum Iudæ animum egregiè inuitiant: *Deum prodit*, inquit, *triginta argenteis vendit: hoc enim pretio dignus erat, non qui prodebatur, ſed qui prodebat.* Iudas Deum ipſum auarè vendens, non erat dignus accipere maius pretium. O quam multa quam paucis Nazianzenus compendio dedit!

Matth. 26. v. 15. Chryſol. ſer. 29. *Iudas auaritia & Deum auferre intẽdit, & eius liberalitatem minuere conatur.* Raban. in c. 26. Matth. S. Naz orat. 17.

Hinc Tobias hactenus ſic opes negligit, & in aliorum ſubſidia largiùs erogat. Quod ſi hîc filiũ admonet, vt Gabelus copioſam ei pecuniam reſtituat; non id facit paupertatis tædio, & diuitiarum amore; ſed ne ipſe (vt putabat) morti proximus, viduam vxorem,& vnicum filium debita fraudaret ope, quod paſſim notant commentatores. Hic verſ. 22.

---

§. CC.

Pauidus periculi timor, flecti neſcia virtutis conſtantia eſt, & innocentiæ aſylum.

Timoris quidem vocabulum eſt vnũ, ſed accedente ratione timor diſcernitur à timore; ſiunt enim duo: vnus Dei, alter qui naturæ inſit: naturæ in homine naſcitur; Dei autem & diſcitur & docetur; quia non in trepidatione, ſed in doctrinæ ratione conſiſtit, ſicut ſcriptum eſt: *Venite filij, audite me: timorem Domini docebo vos.* Naturalis ergò non diſcitur, ſed impulſu nobis noſtræ infirmitatis occurrit; quia non artis eſt timere quod metuas, metuis autem, quod tibi nolis accidere. De fidei autem notione, & de charitatis igne calet pius timor; cùm aut exæſtuat aliquo reatu conſcientia, aut committendi reatus pauore concutitur. Ecce timorem nobis neceſſarium, qui de diuinæ iuſtitiæ agnitione conſtruit non peccandi horrorem, ad omnia genera ſanctitatum, trepidatione vitij, velut calcare virtutis feſtinat, atque præceptis omnibus fideliter obtemperat, inchoatus innocenter viuit, iuſtitiam percolit, ſine fine ſtudet timere, nequid præter Deum quẽ diligit, timeat. Hic anxius non peccandi timor, *voluptate ſua ſe paris*; & dum concutitur delinquendi periculo, ad omnem pietatem conſcientia tranquillatur. Hic pædagogia probitatis eſt, vitiorum terror,& innocentiæ aſylum. O neceſſarius timor, qui nihil aliud agit, niſi vt nunquam adſit verè timendi cauſa: qui arte gratiæ timet, non caſu naturæ, voluntate, non neceſſitate, religione, non culpa. Vultis ſcire, cuius proprietatis hic timor ſit? omnes timores, quoſcumque inuaſerint, incremento conficiunt, hic ſolus ad hoc creſcit, vt immortalem, quem poſſederint, faciat, dum vitia arcet cautela virtutis. Quod hic verſ. 23. Tobias ſenior iuniori Tobiæ ſeriò perſuadet. 1.

Perfectus timor voluptate ſua ſe parit. S. Zeno ſer. de Timore. Hic v. 23.

Matth. 26. Euãgeliſta narrat intrepidã,& grandiloquam Petri aut conſtãtiam aut arrogantiam, de non negando vnquam Magiſtro. O non bonum prolapſionis omen! Tunc dicit Diſcipulis 2.

IESVS:

Matth. 16. v. 33 34 & 35.

Iesvs: omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte. *Respondens autem Petrus, ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi* Iesvs: *Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam Gallus cantet, ter me negabis. Ait illis Petrus. Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Christus prædicit Petro, quòd illa eadem nocte scandalum patietur, & infide illum negabit, & pertinaciter in oppositum verbis reluctatur? Petri ne amor in Christum tantus erat, vt velut cœco amore, perspicuæ discerederet prophetiæ? Firmitate propositi, Christi prædictionem frustrare præsumit? Profectò si cassam fore putat Christi Dei prophetiam, frustrà illum confessus est Dei filium, nisi fortè existimaret, Dei verba posse falsitatis argui. An non præstaret pauidè timere? Qui ad alias leuiores metuendi causas expauit, nunc intrepidus constantiam præsumit? S. Chrysostomus præfata Matthæi verba expendens, sic eleganter fatur: Lucas verò addit, quia quanto magis Christus casurum Petrũ significabat, tanto magis affirmabat id se nunquam passurum. Et subdit Chrysostomus ad rem opportunè: *Quid hoc est ô Petre? quando vnus ex vobis me tradet, Christus dicebat; tunc ne esses ille timebas, & nullius rei conscius, cogebas vnum de Discipulis interrogare ipsum, nunc verò liquidissime ipso clamante, quia omnes vos in scandalum incidetis, contradicere audes? Vnde id tibi accidit?* Verùm Chrysostomus in dubio, dubij solutionem insinuauit. Scilicet quandò Christus vniuersatim prædicit: *Vnus vestrum me traditurus est*, Petrus etsi suæ innocentiæ conscius, anxiè tamen inquietatur, & pauidè *timet*, ne ipse Magistrum proderet; & quando Magister illi dicit: *Ter me negabis*; non hæret, sed confidit; non *timet*, sed præsumit. Qui dum casum *timebat*, non cecidit; cecidit, dum non *timuit*. Quisquis labi non metuit, lapsum infaustè ominatur, & de securitate periculum construit. Qui aufert timorem, ruinam intrepidus ædificat; & dum cautelam negligit, lapsum securitas præsagit. Qui verò cadere timet, cautè attentus incedit, præcauens prolapsionis minas, atque ex omni cautela cadendi periculum redimit, tutus in timoris asylo. Vnde Petrus proditionem generatim prædictam, quam non commisit, anxiè *timuit*: negationem verò disertè ipsi pronunciatam dum pauidè non *metuit*, infidè incurrit. Time ne cadas, qui nisi timueris, iam penè cecidisti, pigro cautelæ neglectu. Pauidus delinquendi timor, constantiam virtutis armat, aduersum validos vitiorum impulsus.

Petrus dum non metuit, imbecillus cadit qui nuper eum timuit, inconcussus stetit.

Lucæ 22. Chrysost. in Matth. 26. homil. 83.

3. Matthæi 8. Ascendente Iesv in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius: & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat. *Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum, dicentes: Domine, salua nos, perimus.* Accedamus & nos ad contemplandas Discipulorum angustias, videamus & Petrum contra fluctus audentem, & in nauicula contritum, qui sicco vestigio maria calcabit. Adsurgunt vndæ, effrænes ferociunt venti, & minax fluctuum collisio pericula despumās, naufragia de diuortio alte pandi, & vectorum ostendit sepulcra. Iactatur vndequaque scapha, & crebro fluctuum verbere sæuè tunditur, atque per compagum rimas, naufragij minas sorbet: mors ostentatur, mortis expectatione pendent. Quorsùm hæc velut ludicra in mari tragœdia? Quare frustrà tumet mare, mox pacatissimè tranquillandum? Scilicet Christus aliquando in naui Discipulos ore docebat cœlestem doctrinā, & de cœlo allatam politiam; nunc Timorem vda fluctuum lingua præclarè erudit, pernecessariam sanè moralibus eruditionem. Quod eleganter inibi docet Basilius Seleucus: sic enim inducit Christum ad mare loquentem, quò atroci procella Discipulos timere doceat: *Esto mihi Discipulorum præceptor, ô mare, & pro flagro fluctuum terrorem inijce. Vsque ad spem stet terror: nam terreri volo, non occidi.* At cùm procella præualeret, & terrorem de terrore excitaret; victi Discipuli, obnitētes recurrunt ad portum, qui in scapha erat, & adstantes clamant: *Magister, Magister, salua nos, perimus. O timorem naturæ magistrum! O periculum, quo docetur, vbi salutis sit ancora! O mare exanimatos metu Discipulos præceptori concilians! Magister, Magister.* Scilicet in re virtutis, tanti refert conceptus de periculo timor, vt Christus cœlestis Discipulorum præceptor, dum metus edocendus est, mare etiam constituat præceptorem. O! cœlestis Magister alium quoque designat Timoris Magistram, quo suos Discipulos metuendi disciplinam edoceat; Christus Deus, qui reliquarum virtutum idoneus magister est, alium etiam Timoris præceptorem Discipulis suis constituit, qui metum pariter edoceat; Tanta eruditione metus indiget; Tam necessarius est timor ad declinanda cautè vitia, & virtutes animosè sectandas, vt dum Christus tātisper dormit, ne vel breue tempus, eius Discipuli sine Timoris disciplina transigant, mare substituat Timoris præceptorem. *Esto mihi Discipulorum præceptor, ô mare. O Timorem naturæ magistrum! O mare exanimatos metu Discipulos præceptori reconcilians! Magister, Magister.* Vocem *Magistri* consultò Discipuli tunc ingeminant, vt duplicatam *Timoris* disciplinam testentur, pernecessariam ad vitij fugam, & virtutis cautelam. Discant bis casum timere, ne semel cadant. Non citò petit ruina, qui ruinam timet.

Matth. 8 v. 25. Marci 4 v. 36 Lucæ 8. v. 22

Dormiens Christus, periculum pro se substituit Timoris præceptorem.

Seleuc. ser. 22.

Iob. 7. Eximius hic virtutis athleta, & viuum patientiæ simulacrum, siue nouas calamitates timens, siue delinquendi periculum sibi metuens, sic votiuè Deum orat: *Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* Putabit forsan aliquis, hæc Iobi verba non valdè sibi, nec cū re ipsa cohærere. Porrò si Iob maneat liber excussa calamitate, iam aduersarius Dæmon calamitate non feriet; Quid ergo calamitate exēptus, diuinæ proximitatis tunc effugium exoptat? Quin & positus iuxta Deum, in protectionis diuinæ asylo, à cuiusuis hostis impugnatione securus; magnum non est, si aduersarios nō timeat. In præsentiæ diuinæ securitate, quid Iobus timeat, qui à Deo (vt putabat) elongatus, sic viriliter aduersus infernales atrociter hostes depugnabat? Num Iobus tunc timeret ab effugij securitate? Clemens Alexādrinus profundo, vt assolet, stylo ità ad rem appositè fatur: *Pulchrum est periculum ad Deum transfugere.* Ecquod periculum est in transfugio ad Deum, vbi amœnior securitas est? Quis audebit, aut eualebit lacesse, quē Deus sub alis fouet, & in suæ protectionis arce constituit, velut in tutissimo præsidio, & securitatis asylo? Forsan Iobus ibi non timet calamitatis strages, sed securitatis periculū. Adeò enim securus erit in protectionis diuinæ effugio, vt adsuetus securitatem metu exēptam timere, quādo *iuxta Deum* poni expetit, & in diuinæ protectionis effugio constitui, pulchrū de 5.

Iob 7. v. 1.

Pulchrum periculum est ad Deum transfugere.

Clem. Alex. in Adh. ad Gent.

de securitate periculum quodammodo præcaueat. *Pulchrum est periculum ad Deum transfugere.* Porrò in hac vita mortali, securitas periculum extruit, & tutior periclitatur securitas, quæ periculum non timet. O time non timere; omnis nunc securitas cauto timenda est.

§. CCI.

Naturale principalis beneficentiæ miraculum est, vt quantò quis suas opes liberalius impertit, tantò opulentior euadat.

1. Sicut ille qui cuncta ambit Oceanus, quas ingerit aquas terris, recipit à terris, quibus eas per occultos terræ meatus locuplete vsura subinde restituit: ita quidquid in ciues manat à Principe, redundat in Principem; qui quò plus donat, eò magis, ac magis ditescit, fœneratio liberalitatis commercio. Exinde duplex commodum de suâ beneficentiâ Principi obuenit, & dignam scriptis liberalitatem erga ciues donatiuis exhibet, & cùm per illum ad ciues locuples muneratio peruenerit, ex illis ad Principem multipliciter reuertitur, & largiùs donando, opulentiùs ditescit. Principis enim munus dando non consumitur, sed dilatatur, & magis dum transfertur, acquiritur: ac miro modo, & transmittitur, & retinetur: siquidem stupendo commercio, & accipientis lucrum, & tradentis augmentum est. (Inde Tobias hic non tam computat, quæ habet, quàm quæ largè pauperibus erogauit.) Profectò sicut terrenus Princeps cœlestem Principem, & regum Regem expressiùs adumbrat; sic eius generosiorem liberalitatem gloriosiùs exprimit. Deus enim noster sic omnipotenter munificè diues est, vt opulentius donatiuum sic ad homines exeat, vt adhuc secum sit, nouo, & stupendo genere ad nos transeat, & apud se remaneat; transfundatur, nec elabatur, & quo dirigitur perueniat, & vnde donando emittitur, non recedat. Imò tantum se habere in beneficentiæ suæ thesauris quodammodo putetur, quantùm liberalissimè hominibus erogauit: nec tam quod indonatum habet, quam quod nobis dono dedit, computasse videatur, quæ est liberalitatis meta, & velut naturale generosioris beneficentiæ miraculum.

Quicquid in ciues manat à Principe redundat in Principem.

Hic v. 23.

2. Paulus Gentium Doctor, de tertij cœli gymnasio eruditus, de sublimissima Dei natura, & præluстribus eiusdem attributis expressiùs afflatus; sic ad Romanos scribit: Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura: Omnis, qui credit in illum, non confundetur. Nam qui ob rem Christi, idest, Dei confunditur, bonum suum erubesceret. Pergit Apostolus indifferentem Dei beneficentiam deprædicans: Non enim, inquit, est distinctio Iudæi, & Græci: *Nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum.* Hæc sententiosa Pauli verba hoc pulchro glossemate Anselmus Laudunensis illustrat: *Idem*, inquit, *Dominus id est, Creator omnium, diues in omnes qui fide, & opere inuocant illum; aliis non diues.* Nempè Deus noster, licet sit Dominus omnium creationis iure, & omnipotentiæ thesauris infinitè locuples, erga eos qui fide, & opere eum inuocant,

Ad Roman. 10 v 12.

Anselm. in Glossa interlin ibi.

& eius liberalitatem indigentia, aut supplicatione excitant, & opulenta munera extorquent, *diues* est; *aliis non diues* nominatur. Quasi dicat Apostolus: Nemo putet, dum Deus noster suos precariè supplices beneficè diuitat, quòd sui inopia illos locupletet, hoc enim egenæ hominum opulentiæ elogium est: nam homo quò plura dona aliis impertit, de eorum abdicatione minùs habet. Dei autem thesaurus vsqueadeò est arcanè opulentus, vt quò plus liberalitate expendit, ditior putetur: indeque velut locupletior existat, vnde iam penè exhaustus credi quodammodo potuisset. Quod eloquenter tradit Eusebius agens de septem fratribus, qui simul cum matre apud Machabæorum historias, vitam pro Deo suo profudisse narrantur. Ecce, inquit, septem fratres, ætas ad omnem perturbationem timoris obnoxia, & ad omnem vim doloris infirma, horribilia, & inaudita tormenta ante oculos exposita, virili pectore despiciunt, & matrem tanquam oblatam mortis occasionem, velut pignus immortalitatis inuadunt. Quod corpore accipiunt, mente non sentiunt: foris cedunt, intùs triumphant: quos cruciat manifesta pœna, pascit docta victoria: etsi exuri videntur in cortice, illæsi permanent in radice: etsi circa superficiem solidi roboris temporaria mors desæuit intra conscientiæ medullas vita recipit. O locupletes diuinioris gazæ opes in hanc electi tunc populi gentem velut effusas! Putas tam opulenta cœlestium donorum largitate, Dei ærarium tantisper imminutum? pergit his verbis idem Eusebius: *Ac sic auidissimus prædo potest domum perfringere, ad thesaurum non potest peruenire: quem dum conatur expugnare, multiplicatur. Quanto enim persecutor in nece confitentis immanior, tantò Deus in remuneratione perseuerantis est ditior.* Scilicet Deus immetatè beneficus, qui erga fideles se inuocantes *diues* est, quantò acerbior est calamitas, & persecutor immanior sic opulentis largitionibus velut ditescit, vt tunc, tunc quidem, *Deus in remuneratione perseuerantis Ditior* nominetur. Profectò quemadmodum Deus noster, se *aporiatum* dicit, cùm non adest qui occurrat beneficia recepturus: ita appellatur *Diues in omnes qui inuocant illum*, & quanto calamitosior, & indigentior est homo, cui vberius benefacit, tanto opulentior, & *in remuneratione Ditior* nominatur, quasi de largitionibus generosiùs ditescat, quæ est velut liberalitatis hyperbole.

1. Mach. 7. v. 1. &c.

Quo plura dat Deus, eo ditior nominatur.

Martyris elogium.

Euseb. hom. 4 de Epiph.

Isaiæ 59. v 16

Tametsi in pluribus veteris Testamenti monumentis, aliqua Sanctissimæ Triados mentio sparsim adumbrata sit; (sed quantula fuit illa gutta ad rigandam Christianæ fidei sitim?) sed abditissimi huius mysterij notitia, nullibi opinor explicatiùs traditur, quàm Matthæi 18. vbi de sua omnipotenti potestate agit Christus Deus: *Data est mihi*, ait, *omnis potestas in cœlo, & in terra. Euntes ergò docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Scio quæri solere, & à primis viris dubitari contra Arianos, (hinc pro sua hæresi friuolè argutantes) an hæc potestas Christo data, intelligatur de illa, quam illi pater Deus æterna generatione Filio Deo communicauit, an de illa eadem, quam habebat quatenus Deus, & sibi quà homo est, hypostatica vnione attribuit. Sat locupletes patroni, & valida in vtramque partem argumenta sunt, ego autem in re adeò graui non satis me præstrictim euoluo. Video tamen communiter 3.

Math 18. v. 18. & 19.

Patres, verba illa: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, de potestate à Patre Deo per æternam generationem Filio communicata, accipere. Ergò adsimiliter (vt bene aignit noster Maldonatus) illud, *Data est mihi omnis potestas*, potest intelligi. Itaque Pater Deus in æterna generatione omnia *tradidisse*, siue *dedisse* æterno Filio perhibetur. Audiendus est hác super re ad rem præsentem S. Zeno Veronensis sic subtiliter fatus: *Hic est Deus noster, qui se digessit in Deum. Hic Pater, qui suo manente integro statu, totum se reciprocauit in Filium, ne quid sibimet derogaret.* Scilicet Deus noster per æternam Filij generationẽ, sic suam essentiam, attributa & perfectiones Filio communicauit, vt se in Deum digesserit, & diuinitatis statu sibi integrè manente, se reciprocarit in Filium. Sed nota rationem ob quam ait Zeno quòd Pater Deus se reciprocauit in Filium, dum eandem naturam, eadem attributa, & omnem potestatem in cœlo & in terra illi *dedit*. *Hic est*, inquit, *Pater, qui suo manente integro statu, totum se reciprocauit in Filium, nequid sibimet derogaret.* Nempe cùm Pater Deus omnes suæ diuinitatis gazas, & essentiæ perfectiones, & potestatis excellentiam, per æternam generationem Filio *dat*, se in illum reciprocando; nil ipse eorum quæ tribuit vllatenùs amittit; sed in suo integro manet, *ne quid sibimet derogaret.* Nam si totam suam diuinam essentiam non communicaret Filio, nec omnia attributa illi tribueret; nec in suo integro statu maneret, & *aliquid sibimet derogaret.* O diuinæ naturæ opulentiam de communicatione præstantiam! Vel communicatio quæ in Deo necessariò reperitur, adeò est auaritiæ expers, & vbertim (vt sic loquar) benefica; vt omnem suam naturam; & omnes suas perfectiones alij personę Pater tribuens, sic tunc manear in integro suo statu, & perfectione, vt si illas omnes non tribueret, *aliquid sibimet derogaret.* Itaque dum Pater Deus æterna generatione se reciprocat in Filium, suam naturam diuinam, sua augusta attributa, & suam omnipotentem in cœlo & in terra potestatem, Filio tribuens; ipse Parer Deus manet in suo integro statu, nihil, omnia hæc dando, perdens, imò si horum quicquam Filio, non tribueret, *aliquid sibimet derogaret.* Sublimissime quidem Zeno thema præsens illustrat. O arcanè augustam, & sublimissimè ineffabilem Dei supermunificentiam! (fas sit ita loqui de rebus humana tenuitate maioribus.)

Maldon. ad ea Matth. verba. — *Zeno ser. 1. de Genesi.* — *Pater Deus totum se reciprocauit in Filium, nequid sibimet derogaret.*

4. Exhodi 6. Deus iam iam educens Hebræos ex dira Pharaonis oppressione, & eos in terram promissionis inducens, ita Moysen alloquitur: *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente.* Hebraïcè *beel schaddai*. Sunt Duo Dei nomina, nempè *el*, & *Sadai.* Quod Vulgatus extulit, *In Deo omnipotente.* Cum Deus se maximè ostentat liberalem, dicit se esse *omnipotentem* quasi Omnipotentia sit vigor, vel potiùs promptuarium liberalitatis: Imo quando Deus sua implet largiùs promissa, Israelem oppressum vindicat, oppressores gloriosè opprimit: tandemque populum suum spoliis Ægyptiorum onustum, ad paradiseam promissionis terram educit; tunc tunc quidem, *in Deo omnipotente*, & id olim promisisse, & nunc præstitisse perhibetur. quasi tunc vel maximè *omnipotens* appareat, cùm largiùs donat, & beneficentiùs munerat. Hinc Cornelius exscribit & exponit; *In Deo, largo seu liberali*, ac si largitas esset omnipotentiæ synonymum, aut omnipotentia liberalitatis appendix. Lipomanus pro, *in Deo omnipotente*, legit, *In Deo Deo*, Hebræo quidem idiotismo, quo duplex substantiuũ superlatiuo æquipollens (si barbare loqui liceret, dixisses, quòd tunc Deus ostenditur Deissimus) Nec natura diuina, neque Dei Omnipotentia incrementum admittit: nam infinitè summum non recipit augmentum: verùm quoad nos, cùm Deus magis *largum & liberalem* se præbet, tunc maximè *Omnipotens*, & se ostendere *in Deo Deo*, idest, maximè Deo, perhibetur.

Exhod. 6. v. 3. — *Cum Deus beneficentior ostenditur, maximè omnipotens, & Deus Deus nominatur.* — *Cornel ibi.*

§. CCII.

Laudabilis est, qui Dei iram metuit; sed forsan laudabilior, qui Dei etiam indulgentiam timet.

1. RIdebunt profani homines hominis profani illustre paradoxon: *Optauerint tibi alia parentes tui, sed ego tibi contra, omnium tibi eorum contemptum opto, quorum illi copiam.* Qui immortalitatis candidatus es, si aduersam times fortunam, citiùs prosperam, & toto humanæ felicitatis pondere incumbentem, time. Bracteata est mundi felicitas, fragilis, mentita, fugitiua; & quæ breuem vitam in æternam mortem commutat. Quid fucato, & falsato corporis oblectamento, animi cruciatus æternaturos mercaris? Sub persona felicitatis, gehennæ obses persæpe latet. O caue, ne fallaris incautus! Mallem tibi in hac vita Deum iratum, ærumnas tibi durè immittentem, quam blandè adridentem fortunæ bonis Hæc lenocinia vitiorum sunt, & gehennæ minæ; illa verò dissimulata cœli vota, & beatitudinis obsides, & gloriæ pignora; & quæ temporali incommodo peccata redimunt, & æternam emunt felicitatem O qui metuis Dei seueritatem, largiorem etiam in hac vita indulgentiam time!

Senec ep. 33. — *Aduersa fortuna speranda est, prospera verè timenda.*

2. Lucæ 16. diues ille opibus æquè, ac tormentis famosus, induebatur purpura, & bysso. Si autem subtilium pretiosarumque vestium cultus, culpa non esset, nequaquam sermo Dei hoc tam vigilanter exprimeret: nemo quippe vestimenta pretiosa, nisi ad inanem gloriam quærit, nemo enim vult ibi pretiosis vestibus indui, vbi ab aliis non possit videri: ambitionem, aut luxum comptior vestis mundinatur. Et epulabatur quotidie splendidè. Vbi solerter intuendum est, quòd celebrari sine culpa conuiuia vix possunt; penè semper epulas comitatur voluptas: nam cùm corpus in refectionis delectatione resoluitur, cor ad inane gaudium relaxatur: expletus delicatè venter, ad ventris appendices voluptates hiat. Ad opulenti diuitis postes Lazarus iacebat, mendicitate, citiùs, quàm nomine notus, vt criminosam opulentiam de pauperis mendicitate redimeret, & mendici inopia inanes diuitias largior benignitas diuitaret. Diues immisericors moritur, & extructum in inferno sepulchrum inuenit. Moritur, & mendicus, & in cœlesti Abrahæ sinu ab Angelis gloriosè collocatur. Æstuat in gehennali incendio diues, & aquæ guttulam ad linguæ refrigerium exposcit. Eleuans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans

Laudabilior est, qui Dei indulgentiam timet. mans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Attentiùs aduerte quid illi Abrahamus respondit, quod moralissimam spirat eruditionem. *Fili*, inquit, *recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Ecquis non miretur hoc Abrahami responsum? Quasi dicat Abrahamus: Non opus est, vt tibi exponam tuæ damnationis causam, quam in recordatione inuenire, expromptum est. *Recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Verùm vt notanter aduertit Chrysostomus: *Non quia diues fuerat, torquebatur, sed quia misertus non fuit.* Quare ergo non luxuriantis immisericordiæ, sed opulentæ fœlicitatis meminit, cùm acerbæ damnationis causam exponit? Cruciatur diues: quia opulentè fortunatus fuit: Quod de largiori Dei beneficentia venit, ad damnationem imputatur: Sic periculosa est mundana prosperitas. Quis vnquam timuit humanam felicitatem quam prouidentia Dei larga manu fœlicibus dispensauit? Dei timemus iram, quæ mundiales calamitates minatur? Dei autem benignitatem, quæ cuncta spondet prospera; quis vnquam timuit? Verum enimverò audiendus est Abrahamus, causam damnationis reddens: *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris:* Quo tacitè, sed profundè quidem Tertullianus alludere videtur, sic aiens: *Quanto autem laudabilior..... qui timuerit etiam indulgentiam Domini.* Quasi dicat: Nil in humanis rebus casu accidit, sed Diuina prouidentia res omnes ad sui gloriam, & hominis vtilitatem dispensat: homines autem Deum iratum timere solent, ne infœlicitentur fortuna aduersa: cum autem audio dictum fuisse Diuiti damnato: *Recordare, quia recepisti bona in vita tua*, &c. prosperiorem fortunam exosus, felicitatem magis metuo, & Dei in me temporaria largiorem beneficentiam timeo: *Quanto autem laudabilior, qui timuerit etiam indulgentiam Domini.* Scilicet mundialis fœlicitas suspecta sit de vitiorum lenocinio: solet enim esse vitiorum fomes, & malitiæ officina: & cum maioribus donis maior etiam accrescit donorum ratio, opulentior gratitudinis obligatio. O caue, ne Dei beneficentia per te suis offendatur beneficiis, & aduersùs te armetur; sisque non tantùm Diuinæ iustitiæ, sed etiam Diuinæ indulgentiæ reus! *Quanto autem laudabilior, qui timuerit etiam indulgentiam Domini.*

Lucæ 16. v. 25

Chrys ser. 2. in ad Philip.

Tertul. de Cultu fem. c. 7

3. Geneseos 15. etsi in regione peregrina, magnis opibus, & ingenti gloria fulgebat Abrahamus: præsertim postquam è domesticis seruis acie instructa, à quatuor Regibus victoriam eripuit: tunc spoliorum trophæis, & gloria triumphi opulentus Abrahamus cunctis spectabilis ouat. Sed audi Sacrum Historiographum: *His itaque transactis, factus est sermo Domini ad Abraham per visionem dicens: Noli timere Abraham, ego protector tuus sum.* Magna lis est inter commentatores, ad quænam Abrahami gesta referatur illud: *His itaque transactis*, qui propè conueniunt, ad victoriam nuper narratam referenda esse. Sed valde communem expositionem incommodat, quod tunc illi dixerit Deus: *Noli timere Abraham.* Quid tunc timeat, qui sic tunc timetur? Quando spoliis

Genes. 15. v. 1

diues est, victoria nobilis, triumpho sublimis gloria opulentus, tunc timor illi eximendus erat? an potius quando rusticana stipatus cohorte, armatas, & victrices quatuor Regum phalanges inuadere ausus est? Eleganter de more Chrys. *Attende* inquit, *immensam Dei curam: Noli timere Abrahã ego protector tuus sum. Multam habet, & hoc verbum emphasim. Ego qui a Chaldæis te euocaui, ego qui te huc duxi, ego qui te a periculis Ægypti liberaui, ego qui semel, atque iterum promisi tibi, atque semini tuo daturum me terram hanc, ego qui in dies magis, & magis omnibus te clarum ostendo; ego protego te, hoc est scuti vice tibi ero.* Nempè tunc, tunc quidē debito timore eximitur Abrahamus opportunè, quādo opulētiora à Deo accepisse beneficia commemoratur, quasi timor sit amplioris collati beneficij stipendium. Securus ab hostibus victoriæ beneficio manet Abrahamus, sed sublimiorem fœlicitatem timet, & de acceptata sumptuosiùs felici securitate timendi causas extruit. Non timet deuictorum hostium arma; sed augustè sublimia Dei beneficia, tanto impetu veniētia, timet. Et qui victores hostes imperterritus non timet, dum inclyta victoria tot retrò beneficiis accrescit, tunc opportunissimè ait illi Deus: *Noli timere Abram, ego protego te.* Et quasi hoc parū esset, apud LXX. interpretes futuram exinceps protectionem pollicetur, sic enim exscribunt: *Ego protegā te.* Vulgatus vero viuacius rem totam expressit, aiēs: *Ego protector tuus sum.* Semper tibi adero, iram meam non est cur timeas, nec largiorem time benignitatem, etsi aliis in laude sit, quòd *timuerint etiam indulgentiam Domini.* Heu quàm verè dixit Philo! *Quidam fingunt sibi prolixas felicitates: at hæ sunt magnorum malorum initia.* Inde timet Abrahamus, ne à tam prolixè opulenta felicitate atrocior miseria initium sumat. Vnde hîc vers. 23. Tobias cùm securum esse iubeat filium in paupertate, & aduersa fortuna, vbi primum illi indicauit, ingentem pecuniæ summam apud cognatum Gabelum sibi asseruari; confestim addit: *Noli timere fili mi.* Quasi timere posset opulentiam, qui in paupertatis latibulo securus versabatur.

Chrysost. inibi

Cùm feliciter adridet fortuna, Abrahamo dicitur, ne tunc timeat.

Philo lib. de Ioseph.

Hic vers. 23.

Lucæ 21. postquam Christus Deus prænias tremendo iudicio calamitates recensuit, hac similitudine exponit quàm sit timenda mundialis felicitas cùm gratiùs adridet: *Videte*, inquit, *ficulneam, & omnes arbores: cum producunt iam ex se fructus, scitis quoniam propè est æstas*, &c. Ad quæ Euangelistæ verba ita scribit opportunè Gregorius: *Sicut ex fructu arboris vicina æstas cognoscitur; ita ex ruina mundi propè cognoscitur regnum Dei* (nota verba, quæ subtexit.) *Et ex hoc ostenditur, quia fructus mundi ruina est. Ad hoc enim germinat, vt quæcumque germine aluit, cladibus consumat.* Nimirùm cùm Deus indulgenter tibi felicitatem permittit, campi tibi vernant, florent, autumnant, & florida mundi gratiā spebus cumulatiùs impleris; scito, quòd ex flore, & fructu arboris, agnoscitur vicina æstas, quæ fructus aridè torreat. *Et ex hoc ostenditur, quia fructus mundi ruina est: ad hoc enim germinat, vt quæcumque germine aluit, cladibus consumat.* Profectò sublime in mundo fastigium, ruinarum minæ sunt; & sublimis quisque sibi, & proximis casuro similis impendet. Florete tibi mundus videtur, quid tot fructuum spebus exultas? O infamiam aduersùs experientiam nimis pertinacem! *ad hoc enim germinat, vt quæcumque germine aluit, cladibus consumat.* O time hanc floridā Numinis indulgentiam

4. Lucæ 21. v. 29. & 30.

Greg. hom. 1 in Euang.

Ad hoc mundi gratia germinat, vt quæcumque germine aluit cladibus consumat.

ſiam! Mundi flores, ruinis, & cladib s fructificant.

§. CCIII.

Virtutis meritum, quod præmio non vacat, integrum putatur, & plenum.

1. Tertul. lib. de pœnit. c. 6. Attentior Dei prouidentia, vt homines ad virtutis facinora extimulet, magnifica proponit vniuerſatim præmia, quibus deſides potentius inuitet, & blandius allectet. *Quidam autem ſic opinantur, quaſi Deus neceſſe habeat præſtare etiam indignis, quod ſpopondit, & liberalitatem eius faciunt ſeruitutem.* Sic putatur fore præmium bono operi indiuiduum; Dei *liberalitas* in mercede reddenda, *ſeruitus* æſtimatur; Sic merces putatur tanquam meriti neceſſaria ſequela, vt Deus quadam præmiandi neceſſitate, & velut ſeruitute nobis indulgeat, & ad benè operandū excitet: Aſt optimè merentes, optare præmium, non arroganter, aut auarè præſumere oportet: *Qui enim optat, honorat:* qui præſumit, ferè ſuperbit. In illo verecundia, in iſto commoditas apparet. Ille ſatagit hic ſæpè negligit. Ille mereri cupit, at hic vt debitum ſibi iam deſidioſus repromittit. Profectò non crudo operi, ſed operi virtutis ſapore condito, ſtat virtutis ſuæ fructus, & indubia à Deo merces; quæ non tam meriti videtur appendix, quàm ipſi merito quodammodo corporata, & medullitus conuiſcerata. Sic Dei in præmiando *liberalitas* velut quædam beneficentiæ libera *ſeruitus* euadit, vt reddenda merces, fit quodammodo aliqua meritorum portio, & quaſi pars quædam meritiuæ virtutis. Adeò vt vacuum quodammodo apud homines putetur meritum, quod præmio ſuo viduatur O ſatagede bene merendi ſtudio, & certiſſimæ mercedis cupiditatem neglige! Mercedem aſpice, non tanquam merendi incentiuum, ſed tanquam meriti menſuram. Non deerit præmium, quod meritum velut integret cumulétque, ſi meritum integrum vndequaque non deſit.

Liberalitas promittentis, ſponſione in ſeruitutem redigitur?

Tertul. ſup.

2. Gentium Doctor, laboribus Euangelizandi bene ſaginatus, & necdum bene ſatur; inter totcalamitatū procellas feliciter naufragus; ita ad Coloſſenſes ſcribit: Nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, *Et adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea pro corpore eius; quod eſt Eccleſia.* Locus planè ſudatus, quippe in quo, & interpretum, & concionatorum diu multumque ſudauit induſtria. Porrò in ipſo verborum cortice, & Paulinæ ſententiæ limine ſtatim difficultatis moles exurgit. Nimirùm quomodo Paulus in carne ſua *adimplere* potuerit, quæ deſunt Paſſionum Chriſti? Num ea eſt Chriſti Dei paſſio, quæ defectum habeat? Quid tam perfectè conſummatum in merendi ſtadio, quàm Paſſionis curſus; & crucis meta. Defectum perfectio neſcit, conſummatio ignorat. O quàm deuenuſtari videtur Chriſti Paſſio, ab eiuſdem Præcone laudatiſſimo! Sed eſto, Chriſti Dei paſſio defectum habeat. Num talis tantuſque eſt Paulus, vt defectum illum in corpore ſuo valeat adimplere. Non Paulum hic ſubolet, ſed Saülum qui quod ſibi glorioſiùs adiicere, Chriſto detrahere videtur. Ita aduerſus hanc Apoſtoli ſententiam, communiter Patres, & commentatores addubitant, vt inde genuinum verborum ſenſum enucleatius emedullent. Omitto nunc eorum interpretationes, vt citius reſcribam elegantem in primis expoſitionem, quā ex Chryſoſtomo, & Theophylacto adducit Ferdinandus de Salazar, in Marianæ Conceptionis luculenta defenſione, vbi ſic ait: *Alia verbis Pauli ſententia ſubeſt, quæ ex Chryſoſtomo, & Theophylacto non obſcurè depromitur. Adimpleo, inquit, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea. Id eſt, cùm multa mihi bona Chriſtus ſuis paſſionibus promeruerit, in hoc viro, vt eidem operam meam adiungens, ea in me ipſo adimpleam, & perficiam.* Argutè quidem. Nimirùm Chriſtus Paſſione ſua multa gratiæ bona Paulo promeruit, quæ ipſe, & vbertim accipiebat, & in Gentium conuerſionem impendebat feliciter, ingenii ſui, & aliorum profectu. Præmium ergo, quod Chriſti Paſſio promeretur, dum tandem aliquando præſtatur, dicitur Paſſionis externa *adimpletio*, quaſi Paſſio, quæ eſt conſummatum, & perfectum Chriſti meritū, mercede ipſi debita quodammodo compleatur. Itaque dum Paulus ex Paſſionis Chriſti meritis, in ſe copioſum demetit præmium, & tot gratiarum dotibus adornatur; ſe ſecundum hanc ſententiam *adimplere* dicit, quæ deſunt Paſſionum Chriſti, ac ſi prædines præmium) ſit opulentioris meriti velut complementum: nam meritum deſiderat præmium, & merito largiendum deeſt præmium, (litteraliſſimam tamen huius loci expoſitionem inibi tradidimus,) quod ampliùs iam iam clarabitur: nam vulgò non putatur virtus, quæ præmio viduatur in gloria.

Præmium, meriti cōſummatio ſententioſè dicitur.

Ad Coloſſ. 1. v. 24.

S. Chryſoſt. Theophyl Salazar c. 24 n 170.

4. Matthæi 19. poſtquam Chriſtus Deus multa de diuitiarum abdicatione, & paupertate Euāgelica ſublimiùs edocuerat, reſpondens Petrus, dixit ei: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis?* Id eſt, quam mercedem ſpondet geminatum hoc meritum? Chriſtus verò hanc Apoſtolis mercedem copioſam aſſignat. *Amen dico vobis, quod vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis, & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Et omnis qui reliquerit domum, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Heus, tu ne es ille Petrus, qui plus cæteris Chriſtum amas? Rerum diuitē abdicatione, & generoſâ ſequelâ Magiſtri, non eius honorem, & complacentiam; ſed vtilem mercedem expectas? Sic merus Chriſti amor, in ſuam vtilitatem degenerat. Defœcatior virtus, commodi ſui oblita, ſolam ſpectat Dei gloriam; & immunerata ſtat adhuc flecti-neſcia, vtilitates ſuas generoſè negligens. Dein cur Chriſtus Deus qui Apoſtolos ſic ad omnes ſanctitates efformābat, vt eſſe poſſent Chriſtianæ virtutis idea, & perfectionis meta; hanc velut auaritiam præmij in Apoſtolorum Summate non ſtatim retundit; ſed largis pollicitationibus potiùs confouet? Belliſsimè quidem Caſsiodorus, etſi aliorsùm fatus, vtrique dubio his verbis reſpondet: *Omnia ſiquidem bona ſuis ſunt iuncta cum fructibus, nec credi poteſt virtus quæ ſequeſtratur à præmio.* Nempe quamuis proprio fruatur honore, quod eſt natura laudabile, fitque ipſa virtus, ſat opulenta virtutis merces, atque ipſum meritum bene merendi diues præmium, quod ſuperuacuè à muneratore precariò requirat, tamen conſultiſsimè Petrus Eccleſiæ caput, & fidelium pædagogus, non mercedis accipiendæ quaſi auaritiam, ſed taxandi, & velut

Matth. 19. v. 27. 28. & 29

Vix creditur virtus, quæ ſequeſtratur à præmio.

Caſſiod. lib 1 Variar. Epiſt. 3

velut integrandi meriti appetentiâ, de præmio eiusmodi paupertati & sequelæ destinato, curiosiùs Magistrũ interrogat: adeo Christus Deus huiuscemodi virtutibus magnificâ spondet mercedẽ, Deo muneratore dignissimam. *Omnia siquidẽ bona suis sunt iuncta cũ fructibus, nec credi potest virtus quæ sequestratur à præmio.* Sciant, sciant Apostoli, & in ipsis fidelĩũ Ecclesia, quanta vltrò pauperes maneant præmia: quàm vberi mercede sequela Christi muneretur: non vt spe lucri duntaxat operentur, fiantque vtilitatum nundinatores; sed præmium sit census operis eiusque complementum.

4. Nazianz. Orat. 18. In re perfectioris sanctitatis opinatissimum est illud Nazianzeni dogma: *Virtutem mercedis expertem esse oportet.* Non quod virtus debito sibi præmio viduanda sit: sed quia perfectior virtus sic pietatis opera consummat sine respectione ad præmiũ, ac si mercedis expers omninò foret. Porrò consummata virtus nullâ vel pia mercedis auaritiâ tangitur, nobiliori enim allicitur operis incentiuo: non autem negatur mercede facinoris appendice, quæ operis nobilitatem taxat, & amplificet. Quid in re virtutis adæquè excensum, quã martyriũ, quod magnanima charitas ad Dei gloriam imperat, & dira patiendo morte consummat, Tyranno fortiter detriumphato? Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis, quod si mercedem martyr patiendo expectaret, à charitatis fastigio descisceret, in quoduis aliud virtutum nomen. Sed non inde orbatur præmio, quò innotescat augusti operis amplitudo. Victoriam intẽdit, & hostiũ spoliis opulẽtè ditatur, pro victoriæ nobilitate. Victoria est autem (ait Tertullianus agens de martyribus) pro quo certaueris, obtinere. *Ea victoria habet & gloriam placendi Deo, & prædam viuendi in æternũ.* Vis nosse quam sit consummata Martyris virtus, quæ plagas in se vltrò excipiens, incolumẽ tyrannum de triũphat, Dei gloriam vincẽdo expectãs? considera diuitẽ prædã, quam in trophæo erigit, quæ non expectata, aspectabilem victoriam euulgat, taxans facinoris amplitudinem. Tyrannũ vicisti dira cruciamenta in corpore tolerando, nec tã terrena eius castra, quã cœlum diripis. *Ea victoria habet gloriã placendi Deo, & prædam viuendi in æternum.* Quis victoriam auaritiæ insimulet, quòd post victoriã, deuictorum captet spolia? Sed trophæa opulentis onusta spoliis victoriæ nobilitatẽ publicãt, & victoris virtutem taxant. Metiri licet diuitem victoriæ nobilitatẽ, ex prædiuite & prænobili facinoris mercede? quod Dei gloriam vincendo spectans, empyreã cœli gloriam prædæ nomine & mercedis titulo capit. Oportuit enim sic munerari martyrium, etsi ad munus non spectet martyr: vix enim *credi potest virtus, quæ sequestratur à præmio.* Profectò virtutis meritum, quod præmio non vacat, integrum putatur ac plenum.

Quomodo virtutem mercedis expertem esse oporteat.

Tertull. Apol. cap. 5.

§. CCIV.

Arduum nimis est, virtutis molestias sine humana Mercede aut comite, aut pedissequa diuferre.

1. Politico-Christ. lib. 2. c. 17. Nimis validum incitamentum præmia sunt, etiam apud bonos. Quid tam crebrò resonat in ore Dei, quàm præcelsa virtutis præmia? Languet impræmiata virtus. Sed languida virtus est, quæ ad remunerationem spectat, aiunt quidam quos Spirituales vocant: diuinæ amicitiæ nundinatores præmium creat, & pietatis mercenarios. Sublimiùs fige scopum, quem excelsa virtus collimet. Diuiniorem Dei gloriam specta: & vt heliotropium perpetuò ad Solem, sic animi votis Deum specta, opulentiori virtutis vsurâ. Benè est, non id abnegauero; sed vt gloriam Dei operando spectes, mercede comite validè incitaris: & præmium ad currendum calcat, nõ curriculi meta & currendi finis: animos virtuti ingerat, ne languescat, viam sternat, difficultatum impedimenta submoneat, ne per ardua semper feratur, & passim exanimis impingat. O quàm est arduum virtutem sine mercede aut comite aut pedissequa, diu sectari! Sat est difficilis & ardua virtus: quid pia linimenta, & leuamina submoues? O time, ne degeneret in tetricam, & inde nauseã excitet, & lenium abeat in merum virtutis cadauer! Quid difficultate in difficultatibus exaggeras? Tobias iunior, probitatis moribus factus iuuenis, spe humani præmij, à sanctissimo Patre ad virtutem validè extimulatur: non vt certa merces sit laboris motiuum, sed acre ad laborandum calcar, & validum incitamentum. *Nullum opus certum est mercedis in arte. Nullus timor iustus est periculi dubij,* ait Tertullianus.

Ad excelsiorẽ virtutem, validum incitamentum est præmium.

Hic vers. 13. Tertul. de Resurr. car. c. 11.

2. 1. Corinthiorum 15. ita de se scribit Paulus: *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus,* quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. *Gratia autem Dei sum id, quod sum,* (id est, quòd sum Apostolus, & Doctor Gentium.) *Et gratia eius in me vacua non fuit.* (Ambrosius exscribit: *Gratia eius in me pauper non fuit,* quod alias enucleabimus.) *Sed abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Magna hinc inter seueriores interpretes lis oboritur, quare Paulus, qui se Apostolorum *minimum* nuper appellauit, nunc, an mosè dicat, *abundantius* reliquis Apostolis *laborasse*? Hieronymus respondet: *Subitus calor, longum vicit teporem; Paulus Apostolus de persecutione mutatus, nouissimus in ordine, primus in meritis est: quia extremus licet, plus omnibus laborauit.* Nam vt ait Gregorius: *Fit plerumque gratior Deo, amore ardens post culpam vita, quam securitate torpens innocentia.* An comparatione ad Paulũ torpebat Petri sedulitas? Ioannis fortè torpebat sapientia? torpore lassescebat Thomas, orbi semel totus vbique Apostolus; Reliqui forsan languebant Apostoli, vastissimas regiones peragrando beatis calamitatibus? (Num Paulus omnibus iunctim Apostolis, plus se laborasse animosè dicit? Et quo modo in breuiori tempore, *abundantiùs* omnibus laborauit? Argutè Cæsarius ita scribit ad præscripta Pauli verba: *Abundantiùs illis omnibus laboraui. In hoc plus illis laborauit, quia illi ex prædicatione victum secundum Euangelium accipiebant, Paulus non est vsus hac potestate, sed labore manuum suarum viuebat.* Absit, vt Paulus reliquis Apostolis detrahat, quia à Fidelibus donatiua accipiebant; quod benè & optimè fieri posse, in confesso omnibus est. Verùm cùm ipse Paulus mundiale omne aut prædicationis stipendium, aut humanum virtutis præmium abiecerit, & de propriæ industriæ artificio victitarit; idcircò animosè pronunciare audet: *Abundantiùs illis omnibus laboraui.* Nam vbi magni labo-

Gratia Dei ex operatione nostra diues est.

Ambros ibi. 1. Cor. 15. v. 10

3. Hieronym. in epist. ad Paulinum Greg. p. 3. Pastor. c. 29.

Paulus plus omnibus laborauit; qui sine humano præmio laborauit!

Cæsarius ad ea Pauli verba.

ris insanas molestias, præmium aliquod non consolatur, aut præmiatio laboré fallitur; humanitas sæpe degrauat, vt vnius Pauli labores, reliquorum laboribus possint exæquare, & de meriti præstantia superare: Quia *extremus licet, plus omnibus laborauit: & nouissimus in ordine, primus in meritis est.* Tam est arduum absque mercede laborem comitante, diu multumque laborare, vt Paulus Apostolorum nouissimus, quia sine respectu ad præmium laborauit, factus sit in meritis primus? Sic improbi laboris molestias exarmat spectatum præmium, etsi non intentum? Pedissequa merces sic alleuat insanam laboris molem? Sic fatigat laboris molestia, quam assecla merces minimè consolatur? Paulus Dei gloriam in euangelizandi labore vnicè spectabat, eandem reliqui spectabant Apostoli: sed Paulus quia humanæ mercedis leuamenta respuit, plus cæteris dicitur laborasse? Da Paulum, & dabo qui possit diu absque mundiali mercede comite, labori incumbere, quin succumbat labori.

4. Ioannis 19. tandem Christus Deus inter nequam acerbissimè & probrosissimè cruci affigitur Scripsit autem causæ titulum Pilatus: & posuit super crucem. Erat autem scriptum: IESVS Nazarenus, Rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt: quia propè ciuitatem erat locus, vbi crucifixus est IESVS: & erat scriptum Hebraïcè, Græcè, & Latinè. *Dicebant ergò Pilato Pontifices Iudæorum: Noli scribere, Rex Iudæorum: sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum.* Et quæ tanta est agrestis Iudæorum atrocitas, vt adhuc Christo inter duos latrones crucifixo non parcat? Liuidis verberum vibicibus fœdatum erat virginale Christi corpus, augustum caput aduncis spinis terebratum, faciei pulchra maiestas sputis squalidè saliua a, manus & pedes diris clauorum mucronibus transfixus, & iam iam erat moriturus, quid ergò adhuc sic insanè ferociunt, vt vel crucifixionis titulo inuideant, & illum oblitterare moliantur? Quid ab emortuis litteris timent, qui viuum corpus sic acerbè & contumeliosè occidunt? Plures causas hîc addensant interpretes, quas recensere longum esset. Audiendus est Chrysostomus, qui hac super re ita eloquenter fatur: *Tanquam tropheo cuipiam litteras Pilatus insculpsit, clara voce & victoriam & regnum profitentes... Hoc autē ægre ferebant Iudæi. Atqui quid hoc vobis nocebat? Nihil. Nā si mortalis erat & imbecillis, & moriturus, quid scripturam timuistis, quòd esset Rex Iudæorū?* Scilicet nihil timent à regno hominis, quem putabant imbecillum, & iam iā cōtumeliosè moriturum videbant: sed inuidiosa eorum malitia sedulò satagit, acerbissimæ Passionis præmiū inscribatur in crucis titulo. Audierāt in Scripturis suum Messiam regnaturum à ligno, timent ergò ne in acerbissimæ & probrosissimæ mortis cruciamento, dum in dura cruce patibulatus iam occumbit, gloriosa Passionis merces ostentetur; ne dum legitur laboris præmium, leniatur laborandi sensus. Non videat dum patitur, præclaram patiendi remunerationem, ne sic dulcescat patiendi acerbitas, vt doloris sensum fallat. Vnde præclarè dixit Chrysostomus, quod hic titulus cruci præfixus, nihil nocebat Iudæis: nam si mortalis erat Christus, & imbecillus putabatur, & iam iam erat moriturus, quid emortuam tituli scripturam timerent, qua Iudæorum Rex titulatur? Iudæorum autem rabiosa inuidia *hoc ægre ferebat*, ne eiusmodi titulum, quo inscribitur, Rex Iudæorum, *tanquam tropheo cuipiam litteras insculptas præclara voce profitentes.* Passionis suæ præmium, haberet. Deleatur dum patitur, proposita patiendi merces, ne vllum habeat in Passione leuamen! Abscondatur sperandum præmium, ne de opulēta mercede tormenta frustrentur. Fella, & aceti acerbitatem in cruce offerunt; titulum, qui præmia offert, auferre satagunt, ne acerbiores cruciatus præmium mitigaret, & aculeatos exarmaret dolores. O sic Passionis fella, dum præmium spem adipat, acerbiora cruciamenta mellit! O Iudaïcæ crudelitatis hyperbolen! O illustre præmiationis trophæum, de Iudæorum opinione erectum! Sic spes opulentæ remunerationis, dirioris supplicij acerbitates mitigare putatur? sic putant acerbum sine præmio pati!

Margin: Ioann. 19. v. 21.

Margin: *Iudæi satagunt, vt Christo patienti, Passionis præmium abscondatur, vt sine leuamento excrucietur.*

Margin: Chrysost. homil. 84. in Ioann.

5. Geneseos 4. paradiso pulsus Adam, cognouit vxorem suam Euam: quæ concepit, & peperit Caïnum, & mox Abelum. Hoc parentes attonitos reddidit. Vidit Eua spectaculū inopinabile, naturam numero propagatam, & partitā corpore genitorum. Factum est autem post multos dies, vt offerret Caïn de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui: & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. *Ad Cain verò, & ad munera illius non respexit: iratusque est Caïn vehementer, & concidit vultus eius.* Prima in orbe munera, quæ Deo oblata perhibentur, sic fastidit Deus; Sic grauatè tulit Caïn, quod eius munera non acceptentur; Sic confestim animo cadit: sic virtutem abiicit; sic inhumanam impietatem exinceps sectatur. Et sanè si specie tenus vibretur censura, nemo non mirabitur, quod prima sibi ab hominibus oblata dona sic Deus repudiauerit, & absque vlla remuneratione spe seuerius dimiserit. Quā super re sic ad rem præsentem philosophatur Basilius: *Cainus sacrificationem mulctæ loco ducens, reiectaneis sacrificiis honorem detulit honorato, adulterina mente cauponans pretium.* Nempè Caïni obsequium falsata pietas inauspicatò dedicauit: nam quod Deo detulit, *mulctæ loco ducens*, perdidisse putabat. Inde adulterata mente inutilia, superuacua, & *reiectanea* Deo offerens, illiberali & sordido animo, primitiua & electa sibi aduersans, auari muneris *pretium cauponatur*; dum quasi futuræ remunerationis titulo, apud se retinet, quod Deo offerre debuisset. O! quæ virtutis constantia in eo inueniatur, qui comitem aut pedissequam præmij spem illiberalis abiicit? Qui fiducia remunerationis excussâ, reiectanea donat, ne se electioribus spoliet, cùm ex electioribus oblatis oppidò electiora, & pretiosiora sperare debuisset; adulterata mente præproperè cauponans pretium operis; spe viduatus in virtute nutat, labitur, corruit; & ad Caïni capessendos errores temerarius adsurgit. Exinde impiè auarus Caïn, præmij spem abiiciens, & adulterata mente reiectanea Deo offerens, oblationis pretium sordidè cauponatur; atque in virtutis lassescens, viam vitiorum temerarius arripit.

Margin: Genes. 4. v. 5.

Margin: *Cain præmij spem abiiciens adulterata mente reiectanea offerēs, oblationis pretium cauponatur.*

Margin: Seleu. Basil. Orat. 4.

§. CCV.

§. CCV.

Patientia in facultatum detrimentis exercitatio largiendi est: quia non piget donare eum, qui non timet perdere.

1 NEmo nascitur diues, quisquis exit in lucem iussus est lacte, & panno esse contentus. Ab his initiis nos regna non capiunt: in his auaritia infantat suos immeratâ opum ambitione. Hue ergo cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta, omnia alia vota propè remissurus Deo, vt contentus sis te ipso, & ex te nascentibus. Redige te ad parua, ex quibus cadere non possis. Quid ergo? non licet diuitias in sinu positas contemnere? quidni liceat; *Et ille ingentis animi est, qui illas circumfusas sibi multum diuque miratus, quod ad se venerint, ridet; suasque magis audit esse, quàm sentit.* Multum est non corrumpi diuitiarum contubernio. Magnus est ille, qui in diuitiis pauper est, sed securior, qui caret diuitiis. Nemo benè opibus vtitur, nisi qui paratus est ad illas amittẽdas. Epicuri est, aut Metrodori, aut alicuius ex illa officina. Et quid interest, quis dixerit? Omnibus dixit: *Qui eget diuitiis timet pro illis. Nemo autem sollicito bono fruitur.* Adiicere illis aliquid studet, dum de incremento cogitat; quin & sæpè aliorum detrimento, vt de alieno etiam dispendio compendium diuitiarum faciat. Exinde illiberalis, & sordida diuitiarum cupiditas, anxiè securitatem periculi sui timens, dum metuit perdere, nescit erogare; nec alienæ succurrit indigentiæ, dum timet propriam. Qui æquo animo potest diuitias perdere, potest, & magnanimus dare.

Benè dictũ est, qui diuitias magis audit ad se venisse, quàm sentit.

Senec. ep. 10

Idem ep 14.

2. Matthæi 5. in opinatissima illa concione in monte habita, vbi Christus Deus de cœli gymnasio rudes homines ad cultissimam Euangelij politiam erudiuit; inter alias virtutum sparsim præceptiones, miram charitatis patientiam iubet. Ego autem dico vobis, inquit, *non resistere malo,* sed siquis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe ei, & alteram: *Et ei, qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei, & pallium.* Magna planè præceptio, & quæ mutuam concordiam velut insensibili patientiæ lenitate negotiatur. Vel rupeâ tolerantiâ opus est, vt quis æquo animo se interula expoliari permittat: quid ergo difficultatem difficultate exaggerat; an non satis erat. *Non resistere malo,* violento furacitatis impetu interiorem *tunicam* deprædanti? eccur furi *pallium* non petenti, illud sponte offerre præcipitur? O propè intolerabiles præceptiones, & quæ piæ arduitate violationem suadere videntur! Imò si penitiùs rem explores, tota difficultas est in primæ iussionis obsequio, quod ad alteram exequendam facile viam sternit, nam qui pacis studio *tunicam* auferenti non restitit, *pallium* inde facilè donabit. Audi Tertullianum alto stylo præfata Matthæi verba subtiliter elucidantem: *Patientia in detrimentis,* inquit, *exercitatio est largiendi, & communicandi. Non piget donare eum, qui non timet perdere. Alioquin quomodo duas habens tunicas, alteram earum nudo dabit; nisi idem sit, qui auferenti tunicam etiam pallium offerre possit?* Peregregiè. Nempè qui patienter fert bonorum dispendium, violentam rei familiaris læsuram, & insperatum opum detrimentum, *videtur exercere largitorem in dando*, ait Commentator. Porrò sicut piget donare eum, qui timet perdere, ita expromptum est ei, qui non metuit amittere. Mutuò ista concatenãtur, & alterum ex altero dependet. Nam qui facultates suas exponit patienter in amittendo, sponte in largiendo adæquè exponet: arduitas enim donandi, difficultas amittendi est. Quem pigeat donare, qui non grauatur amittere? ergo *Patientia in detrimentis, exercitatio est largiendi, & communicandi.* Bonorum iactura, meditatio largitatis est, & misericordiæ inopinata exercitatio, præstruens de propinquo liberalitatem, & dũ bona, quæ non piget amittere, infeliciter perdit, nil pigeret feliciter donãdo perdidisse: dolor enim amittendi, retinaculum donandi est, & totum auaritiæ negotium. Qui patienter perdidit, quod in pauperes erogare posset, inopinatum eleemosynæ meritum antenertit, & dum quod donaret, amittit, donantis stipendia non perdit aliquo misericordiæ priuilegio. *Patientia in detrimentis, exercitatio est largiendi, & communicandi. Non piget donare eum, qui non timet perdere.* Ecce tibi quàm sit procliue per virtutum consequentias largiùs donare ei, qui amittere non metuit, & inde graue non est vltrò largiri *pallium* ei, qui patienter tunicam à se auferri non recusat. Opulentia amitti parata, largitatis thesaurus est, è peruerso beneficus: nam patiens amissio, exercitatio largiendi est.

Matt. 5. v 40.

Patientia in detrimentis, exercitatio largiendi.

Tertull. de Patient. c. 7

Ludou. de la Cerda ibi

Sanct. Tobias in hoc cap. 4. se *pauperem vitam gerere,* æquo animo suffert, & placito sore refert. Sed fortè dira, qua tunc laborabat egestas, pergrauis illi erat, non tam ob suam, & indiuiduæ vxoris, & charæ sobolis penuriam, (qua sic premebantur, vt ingenua coniux, alienæ textrinæ operam dare cogeretur, vt pauculam familiam tenui saltem victu vtcumque sustentaret) sed quia ipse hactenus faciendis eleemosynis semper assiduus, inopiæ malo obstrictus, à consueta pietate diu abstinuisse cogeretur. Inde fors mirabitur quispiam, toties bonorum iacturam, æquo semper animo Tobiam pertulisse Primò in Assyriam captiuitatem abductus, auita maiorum hæreditate mulctatur, postmodum regia familiaritate opulentus, de Successoris furaci inuidia bonis omnibus exspoliatur, fitque iterata regiorum ministrorum præda: benefici Archiachari cognata opitulatione exilio destituitur, & tandem oculis misere orbatur, vt velut stips exanimalis, vel potiùs viua tolerantiæ columna, inopiam pati posset, subleuare non posset. Magnum planè est, quod exagitatus tot plagis, & bonorum non tantùm detrimentis, sed etiam iacturis: adhuc *immobilis,* sine tolerantiæ iactura permanserit, non modo oppressus propria egestate, sed etiam aliorum, cui assidua pietate opitulari solebat. *At vbi nunciatum est Regi, iussit eum occidi, & tulit omnem substantiam eius. Tobias verò cum filio, & cum vxore nudus latuit:* nec vlla eius vox querula auditur in frequenti facultatum dispendio, quo & suæ sustentandæ familiæ, & aliorum inopiæ subleuandæ facultas amputatur. An patientia Tobiæ in repetitis bonorum detrimentis, erat largiendi exercitatio, aut aliqua communicandi meditatio? Saltem nescio quid occultum arcanioris eleemosynæ, in bonorum iacturâ patienter tolerata, idem Septimius subolet, sic tempestiuè fatus: *Iam qui minutum sibi aliquid aut furto, aut vi, aut etiam ignauia, non constanter sustinere constituit: nescio an*

3. Hic v. 23.

Tobiæ c. 1 & 2. addito tex. Græco.

Qui minutum aliquid sibi auferri grauatur, non facile eleemosynis facit.

Tobiæ 2. v. 14.

Et cap. 1 v 22 & 23

Septim de Patient c. 7

an facile, vel ex animo ipse rei suæ manum inferre posset in causa eleemosynæ. Nempe vel ipsa bonorum Tobiæ iactura, quæstuosum detrimentum pauperum est, & ipsius patientia in facultatum dispendio, eleemosynarum votum, quod largam benignitatem spondet. In Tobia, vel ipsa diuitiarum amissio, votiua largitio est, & misericordiæ obses: etiam dum cum facultatibus facultatem largiendi perdit piæ largitionis exhibet documenta, & etiam non habendo, quàm dare posset, ostendit. Nam *patientia in detrimentis, exercitatio est largiendi, & excommunicandi. Non piget donare eum, qui non timet perdere. Iam qui minutum sibi aliquid, aut furto, aut vi, aut etiam ignauia, non constanter sustinere constituit: nescio, an facile, vel ex animo ipse rei suæ manum inferre posset in causa eleemosynæ.* Ergo dum Tobias in repetita bonorum iactura, & reculæ domesticæ iterato dispendio, *immobilis permanet*, quæstuosum periculum pauperibus facit: nam eiusdem pietatis in pauperes iudicium præbet, seu sponte in largiendo, seu in patienter amittendo.

4. 1.Cor.6.v 10

Paulus 2. ad Corinthios 6. ita describit: *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei Ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus,* & angustiis, &c. *Quasi tristes, semper autem gaudentes: Sicut egentes, multos autem locupletantes.* Non miror, quod Paulus qui vltrò omnia *detrimentum* fecit, *in necessitatibus* hilaris sit, & ex animo gaudeat. Mirissimum verò est, quòd cùm tot *detrimentis* ad egestatem redactus sit, & *semper gaudeat*, & *multos locupletet.* Esto Paulus non grauatè tot *detrimenta* ferat, quo pacto qui egenus est, *multos locupletare* eualet? An Paulus sic diues paupertate sua est, vt amplæ paupertatis diuitiæ in alios quoque vbertim exundent? Arguitè admodum Damascenus in Parallelis, ita ex Nazianzeni sententia loquitur: *Nihil apud Deum tam magnum atque amplum censetur, quod non pauper quoque dare potest.* Nempè Paulus qui omnia *detrimentum* fecit, eáque adeò toleranter sustinet, vt *in necessitatibus* gaudeat, *Sicut egens multos autem locupletans* perhibetur, quasi patientia in detrimentis sit largitionum meditatio. Vnde mihi *apud Deum tam magnum, atque amplum censetur, quod non pauper quoque dare potest.* Et Tobias excidio patriæ paterno censu exhæredatus, exilio egenus, captiuitate miser, tot *detrimentis* depauperatus, quasi repetita bonorum *detrimenta* forent largitionum meditatio, *in captiuitate positus, omnia quæ habere poterat quotidie concaptiuis fratribus, qui erant ex genere suo impertiebat.* Porrò pauperi, cui cum paupertate sua benè conuenit, nihil deest, & ex propriis *detrimentis* largitatem edificit, quia non piget donare eum, qui non timet perdere. Exinde *nihil apud Deum tam magnum, atque amplum censetur, quod non pauper quoque dare potest.* O, in detrimentorum schola beneficentiam edisce!

Nil tam magnum est, quod nō pauper quoque dare potest.

Damasc lib. 3 Parall c.137.

---

§. CCVI.

Exiguum est quod ingenuus homo naturæ suæ debet: ne ergo gula, libido, & ambitio probrosa tributa multiplicent.

1. TV nobis te, quem vexat vexabitve fortuna, (aut asperis durè patientiam exercēs, aut tota felicitatis mole grauanter incumbens) virum eximiè bonum perpetuò præstabis, si sarcinas contrahas. Nihil ex his, quæ potenter possidemus, aut impotenter optamus, necessarium est, si ad legem naturæ reuertamur. Esto, diuitiæ paratæ sint, & ad manum copiosè suppetant, (lubricæ sunt, & vt facile eunt, non facilè sæpè redeunt) aut gratuitum est, quo egemus, aut vile. Panem, & aquam natura desiderat, nemo ad hæc pauper est. Res est inquieta opulentorum felicitas: ipsa se exagitat, & mouet cerebrum, non vno modo grauis. Feliciter diues est, non qui aliis videtur esse, sed qui sibi; qui se, & suo contentus est, & votorum expers, domi natis, aut facile vbique parabilibus expletur. Quæ extra nos sunt, aliena sunt, & aleæ subiecta, incerta, quæstuosa, sollicita, nemo sollicito bono fruitur, nec se quæstuoso periculo tuetur. Heu! humana auaritia ad superuacua laborat, & sumptuosa vectigalia frustrà pendit. Vera ingenuitas, nemini contumeliosè vectigalis, & de nobili magnanimitate, timoris expers, paupertas est. *Noli timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus,* inquit Tobias, & quod filio dixit, omnibus dixit; quia omnes in filio instruit. Nil timeat, pauper, se ipso ingenuè contentus: multa timeat diues; quia qui multis indiget, pluribus vectigalis est, & exactoribus inde subiectus.

Pauper se cōtentus, ingenua fruitur felicitate.

Senec. ep 15

Hic v.23.

2. Iacobus in suæ Epistolæ Canonicæ cap. 1. inter multas Christianorum virtutum sententias, quas densè adglomerat, & proficuè spargit; sic diuites & pauperes alloquitur: *Glorietur autem,* ait, *frater humilis in exaltatione sua: diues autem in humilitate sua.* Prolixum sanè foret omnes hîc expositiones recensere, loci præsertim difficilis, & cuius posterius hemestichium, sensum hiulcum & suspensum habere videtur. Vnde nonnulli interpretum aliquid de suo addunt, vt idoneum sensum reddat, verbis præcedentibus, & subsequentibus cohærentem. Proceres interpretum pauperis exaltationem exponunt ipsam pauperis dignitatem, ingenuo paupertatis titulo præcellentem. Itaque idem verbum *glorietur*, per Ceuma repetendum est, & ita moralissimè luculentus euadit sensus. Nempe: *Glorietur frater humilis in exaltatione sua*, id est, homo tenuis, & pauper, se, & suo contentus quasi ingenuè felix *gloriari* potest. Similiter etiam *diues glorietur in humilitate sua*, id est, si quando propter fortunæ inconstantiam accidat, vt ab opulentæ felicitatis gradu cadat, redactus ad humilem, & gregarium pauperum statum, lætanter exultet, & exultanter *glorietur*; excussis iam inhonoris diuitum sarcinis, sub quarum pondere sæpiùs æstuant: ingenua enim paupertas illos iam exemit à multis superuacuis pensionibus, quibus diuites obærati sunt. Neque verò (vt gregale vulgus blatterat) paupertas vilis est, & opulentia nobilis. Pulchrè Nyssenus, cuius verba vice commentarij subscribam: *Exiguum est*, inquit, *quod naturæ debes: quid aduersus te ipsum multiplicas tributa?* Nempe agri tributo onusti, viliores sunt; & hominum capita stipendio censa, ignobiliora: nam hæ sunt notę captiuitatis. Sic diuites, quo magis diuites, magis tributarij sunt; quia eo magis tributarij sunt, quo pluribus indigent. Necessitas paruo contenta est, opulentæ ambitioni nihil sufficit. Itaque diuitum gula, luxus, ambitio, fastus, peridoneè tributorum nomine censentur, quæ domina siue volupfas, siue superbia exigit, aut deliciarum, aut vanæ gloriæ titulo. O quoties de securâ paupertatis

Iacobi 1.v.9 & 10.

Diuitiæ quò opulentiores sunt, eò magis tributaria sunt.

Nyss in lib. de Orat.

pertatis speculâ licet contemplari diuites, his crebris admodū exactionibus nimis vexari! quas quia sæpe soluendo non sunt, aut anhelâ defatigatione æstuant, aut opulētæ nobilitatis fidem infidè violant, & infideliter frangunt. O quantis non indigemus! O quantis est onusta tributis mūdana opulentia! *Exiguum est, quod naturæ debes*: (& vbiuis facile parabile) *quid aduersus te ipsum multiplicas tributa?* Meliùs est minùs egêre, quàm plus habere. Quò ditior est quisque, eò pluribus indiget: indigentiis tributa pendimus. Quid ergo aduersus te tributa multiplicas. *Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua*, (id est, in humili paupertate) *diues autem in humilitate sua*: nam diuitiarum ignobili tributo exemptus, potest Ioui ipsi de ingenua felicitate controuersiam facere.

5. David ille nuper opilio, regiâ gaza, & gloria opulentus, illis consiliosè diffidens, certis in Deū spebus totum se credit, Psal. 15. sic concinnè modulatus: Conserua me Domine, quoniam speraui in te. *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Quasi bonorum indigentia diuinitatem desuescat; & qui verè sibi sufficit, verus ille Deus sit; quia ab indigentia, indigentiæq; consequentiis immunis est, & liber à cuiusuis necessitatis tributo. Itaque ab indigētia nobilis immunitas, Dei elogium est, & diuinitatis argumentum. Diuinitati autem æmulatione quadam vicinatur, qui paucioribus eget: nam indigentia ignobile mortalitatis tributum aut probat, aut facit. Argutè Philo: (aliàs à me ad aliud diuersissimum thema expēsus) *virtutis studiosus*, inquit, *paucis indiget, in confinio mortalis, & immortalis naturæ positus.* Nimirum homo ex multimodis rebus coalescit exinde forsan rerum horizon, à sapientibus retrò Philosophis nominatur. De luto sui limi cognationem habet cum elementis exanimalibus, & cum animalibus brutis, de animi generositate cum Angelis affinitatem contrahit: de *spiraculo vitæ*, quo à Deo animatur, naturali ad eum similitudine imprimitur; quam supernaturalium virtutū studio, explicatiùs repræsentat; & similiùs exprimit: indeque limi sui vilitatem, & necessitates limi appendices, generosè dediscens, deterioris suæ partis oblitus, potiorem sapit, sublunarium rerum minimè indigam, & indigentiæ quotidianis exactionibu simmunem Ergo *virtutis studiosus paucis indiget, in confinio mortalis, & immortalis naturæ positus.* Nempe quo immortali Dei naturæ, virtutum æmulatione homo generosiùs accedit, sigillo Deitatis magis, ac magis expressus, eò pauciorum indigus est, & dum iam valde *exiguum est, quod naturæ debet*; non modò aduersus se ipsum opulentiæ tributa non multiplica, sed paucissimis indiget, quippe qui *in confinio mortalis, & immortalis naturæ positus* est. Indigentia vilem, & caducam mortalitatem probat: nam mortalitatis sequela indigentia est, à qua homo tandem flaccescit, tabescit, cadauerascit. At in minori indigentia, aliquis immortalitatis vigor scintillat, & dum minimo eget, ingenuè probatur *in confinio mortalis, & immortalis naturæ positus.* O redige te ad pauca, ne plura mortalitati tributa pendas, dum indigentiam multiplicas! Redige te ad pauca: nam quò paucioribus indiges, nobilem tui immortalitatem vindicas, de immortalis naturæ æmulatione generosam. *Exiguum est, quod naturæ debes: quid aduersus te ipsum multiplicas tributa?*

Psal. 15. v. 2.

De mortalitatis ignominia venit, pluribus indigere.

Philo alibi diuersum, expensus.

4. 1. Corinth. 1. ita scribit Apostolus: *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo IESV: quod in omnibus diuites facti estis in illo... ita vt nihil vobis desit in vlla gratia.* Benè notant Interpretes, quòd hic τὸ *diuites*, non denotat mundiales diuitias, sed gratiæ opulentiam, qua vir perfectus paupertate etiam sua diues est. Et sanè si Paulus de terrenis diuitiis loqueretur, non dixisset, *ita vt nihil vobis desit*: nam auaro diuiti tam deest, quod habet, quàm quod non habet. S. Ambrosius (si Ambrosij sunt commentarij in epistolas Pauli) sic ad rem exponit præfata verba: *Diuites facti estis, non in vno, sed in omnibus, vt nihil desiderandum supersit, vt plena sit voluptas, dum non stimulatur auiditas.* Nempe suos Corinthios Paulus *diuites* appellat, non quia multa bona habeant, paruum enim naturæ sufficit, sed quoniam siue in paupertate, siue in mediocri sufficientia, *nihil illis deest in vlla gratia*, adeò vt nihil desiderandum supersit. Vnde infert Ambrosius, quod *plena sit voluptas, dum non stimulatur auiditas.* O bonam Corinthiorum opulentiam, quibus nihil deest in vlla gratiâ, nā quisquis paruo contentus est, & cœlestibus donis abundat, plena ei subest voluptas, *dum nulla exstimulatur auiditas.* Porrò gula, libido, opulentia, ambitio, res inquietæ nimis sunt, & quia nūquam exsatiātur, quò plus habeas, plus habere percupis, quātò magis illis indulges pluribus inhiant, & commoditatum, honorum, aut deliciarum plura tributa multiplicāt. Ast qui vita frugali contentus viuit; & Deo, quàm mundo viuere mauult, *nihil desiderandum superest, vt plena sit voluptas, dum non stimulatur auiditas*, quæ superuacua commoditatibus tributa impetiosè multiplicat.

1. Cor. 1. v. 4. 5 & 7.

In vita frugali plena est voluptas, dum non extimulatur auiditas.

S. Ambros. ibi.

5 Ioannis 6. in vasta eremo hominum immunera multitudo impransa esurit: Dixit ergo discipulis suis IESVS: Facite homines discumbere. Discubuerunt ergo viri quasi quinque millia. *Accepit ergo IESVS panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: Similiter & ex piscibus quantum volebant.* Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. *Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis.* Addunt Biblia antiqua: *Et ex duobus piscibus.* Sed benè notat Caietanus hanc clausulam omninò expungendam esse. Imò acutè addubitat Chrysostomus, Quare *piscium reliquiæ nulla superfuerunt?* Et sane mirissimum est, & diligenti expensione dignissimum, quare cùm tanta fragmentorum copia ex panibus superfuerit, ex piscibus post saturam cibationem nihil superfuisse dicatur. Ecce in piscibus cōtrahitur multiplicationis miraculum, quod in panibus ampliatur? Forsan aliquis te ad Eucharistiam referat Chrysostomus piscium superfluentem copiam, quæ hîc desideratur, post resurrectionem inuenit. Verùm non nemo theologicè imprimis peritus, sic rem ethicè meditatur, vt ex prioribus Euangelistæ verbis, difficultati argute respondeat. Nimirùm Christus per Apostolorum manus copiosè dedit discumbentibus ex panibus; similiter etiā ex piscibus: sed additur, *Et ex piscibus quantùm volebant.* Inde qui hominum ingenium agnoscit, non mirabitur, si ex piscibus nihil superfuerit: Porrò ve fami vsque ad satietatem satisfiat, copiosa cibatione opus est: & tamen multæ supersunt reliquiæ: quibus autem datum est, *quantùm volebant*

Ioan. 6. v. 11. & 13.

Nec miraculum sufficit, vt alicui detur quantum vult.

Caietan. ibi.

S. Chrysost. homil. 41. in Ioann.

bant, nihil omninò superfuisse dicitur, & quidem mortalissimè. Nam fames suos habet saturitatis terminos; gula verò nullos, intermina, & immensa est. Quia datur *ex piscibus quantum volebant, piscium reliquia nulla superfuerunt*. O! nec miraculū sufficit, vt alicui detur *quantum* vult? Res gulæ ad alias hominis auiditates extendi potest.

§. CCVII.

Diuitiarum fallacia, & paupertatis opulentia monstratur.

1. Tertul. lib. de Patient. c. 7. Tertullianus, vetustus & locuples auctor, vt fastidium diuitiarum excitet, & paupertatis concupiscentiam suggerat, ita scribit: si detrimēto, inquit, rei familiaris animus concitatur, omni penè in loco de contemnendo sæculo scripturis Dominicis commonetur: nec maior ad pecuniæ contemptum exhortatio subiacet, quàm quod ipse Dominus in nullis diuitiis inuenitur. *Semper pauperes iustificat, Diuites prædamnat.* Ita detrimētum patientiæ fastidium opulentiæ præministrauit, demonstrans per abiectionem diuitiarum læsuras quoque earum computandas non esse. Cupiditatem omnium malorum radicem spiritus Domini per Apostolum pronunciauit. Eam non in concupiscentiā alieni tantùm constitutam interpretemur: *nam quod nostrum videtur, alienum est: nihil enim nostrū, quoniā Dei omnia, cuius ipsi quoque nos.* (Quò adludit Chrysol. aiēs: *De diuite quid dicam, qui quantò plus habet, tantò plus debet?* Itaq; si damno affecti impatienter senserimus, non de nostro amissum dolētes, affines cupiditatis deprehendimur. Alienum quærimus, cum alienum amissum dolentes ægrè sustinemus. In confesso itaque nobis sit, vel nostra reputare aliena; ne aut auita aut inopinata paupertate exasperemur, sed cum Tobia hîc patienter feramus. Qui enim facultatum detrimentis concitatur, & terrena cœlestibus anteponit, & de proximo in Deum peccat, & opū inconstantiam imperitus ignorat. S. Hieronymus exponēs illud Matthæi 13. *Fallacia diuitiarū suffocat verbum, & sine fructu efficitur*, ita scribit: *Eleganter adiunxit: Fallacia diuitiarum suffocat verbum. Blandæ enim sunt diuitiæ, aliud agentes, aliud pollicentes.* Sic & paupertas, aliud agit, & aliud pollicetur. Rerum omnium penuriam habere videtur, & vberem spondet omnium abundantiam.

Christus semper pauperes iustificat, diuites prædamnat.

Chrysol. ser. 26. *Diues, quò plus habet, eò plus debet.*

Diuitiæ fallaces sunt, & aliud agentes, & aliud pollicentes. Matth. 13. Hieron ibi.

2. Matth 10 v. 8. 9. & 10. Matthæi 10. conuocatis IESVS duodecim Apostolis, atque miraculorum facultate cōcessâ, mittit illos prædicare Euangelium: & in primis auaritiam arcens, ait illis: *Gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta.* Qui diuitias detruncaerat, quæ per aurum & argentum & æs signantur, propemodum & vitæ necessaria nunc Discipulis amputat; quasi penuria omnium indiga, sit Euangelicæ prædicationis stipendium; sicque nō tam prædicare, quàm esurie deficere cogentur. Audi S. Hieronymi ad hæc verba commentatiū, ænigmati similem: *Nolite possidere aurum, &c. Si enim sic prædicant, vt pretium non accipiant, superflua est auri & argenti, nummorumque possessio.* Imò si Discipuli sic prædicant, vt pretium non accipiant, idcircò necessaria est auri & argenti, nummorumque possessio; ne rerū penuriâ laborātes, à prædicandi laboribus desistāt. Quæ est hæc ratio Hieronymi? Inuisa quidem est hominibus, vitæ subsidia inconsultè hiantibus cognatâ auaritiæ libidine; sed notissima arcanè philosophātibus in re Euangelicæ paupertatis. Nimirùm quia pretium non accipiunt, sed *gratis* iubentur laborare, ideò *superflua est auri & argenti, nummorumque possessio*: qua satis diuitem thesaurum deferant, dum rerum omnium egeni mittuntur. Paupertate sua diuites, cunctas regiones Discipuli peragrent; satque annonæ deferunt, in annonæ penuriâ, quā præferunt. Porrò extrema pauperies, aliud agit, & aliud pollicetur: nam dum rerum omnium penuriam videtur afferre, copiosiorem spondet abundantiam. Exinde quia Discipuli *sic prædicant, vt pretium non accipiant, superflua est auri & argenti, nummorumque possessio.* Nisi forsan malis: Non paupertatem, siue rerum inopiam, facultatum habendarum cupiditatem exacuere; sed ipsam possessionem, quæ appetentiam exsatiare debuisset: non enim tam indigentia opes negotiatur, quàm opū possessio sitim diuitiarum accendit. Vnde quia Discipuli *sic prædicant, vt pretium non accipiant, superflua est auri & argenti, nummorumque possessio.* De quo forsan alibi, sat nunc intendisse digitum.

Qui prædicationis pretium accipere prohibetur, superuacaneè viaticum defert.

Hieron ibi.

Nō tam paupertas, quam opulentia opes biat.

Geneseos 15. Abrahamo tot Regum inopinato victori, Sodomorum rex spolia offert opima. Cui respondit Patriarcha: Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum, quòd à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt. His itaque transactis, factus est sermo Domini ad Abraham per visionē dicens: *Noli timere Abram, ego protector tuum sum, & merces tua magna nimis.* Ob quodnam meritum hæc magna merces Abrahamo promittitur? ecquod præclustre virtutis facinus, tantam Dei largitatem sibi spondeat? Ambrosius respectās ad tot opum nuper repudium, largioris beneficentię meritum agnoscit, sic inquiens: *Et quoniam sibi mercedem ab homine nō quæsierat Abraham, à Deo accipit; ideò sequitur: Et merces tua magna nimis. Et velut quadam vsuraria largitate cōpensat, vt vberiora restituat ei, qui captus non fuit oblatione præsentium.* Præsentium contemptus, vsuraria negotiatio est, munificentiori largitate pēsandus. Nimiopere muneratur, cui Dei beneficētia vberiora dona, nō tam largiri, quam *restituere* dicitur. Nimis ditatur à Deo, qui diuitias habere ab hominibus contempsit. Opū nuper repudium, valdè Abrahamum opulentat. O piè vsurarium diuitiarum contemptū, cui vberiora dona, non tam Deus donare, quā *restituere* perhibetur! O nimis verè! Opum abdicatio, aliud habet, & aliud pollicetur. His pollicitationibus benè attentus Tobias, hæc filio suo suggerit: *Noli timere fili mi: pauperē quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus si timuerimus Deū.* Vltrò pauper spontaneis egenorum largitionibus, multa sibi bona votiuè spondet. 3.

Gen. 15. v. 1.

Ei qui exigua pro Deo reliquit, vberiora restituit Deus. Ambros. lib. 2. de Abrah.

Hic v. 23.

1. Regum 2. Anna Samuëlis inopinata mater, in præclustri suo Cantico hanc diuinioris prouidentiæ laudem occinit: *Dominus pauperem facit, & ditat: humiliat, & sublevat.* Deus enim fortunæ bona multipliciter versat, dum nuper pauperem opulenter postmodum locupletat. Veterùm politiores interpretum pro τὸ *pauperem facit*, 4.

1. Reg. 2 v. 7.

De paupertatio, interitus est.

Exhod.15.v.9. Caiet ibi. cit, exscribunt, interficit. Sic Exhodi 15. dum inquit Pharao: *Interficiet eos manus mea*, Caietanus vertit: *Depauperabit eos manus mea*. Heu! depauperare, interficere est? Ast si depauperatio interitus est, quando depauperatus ditabitur? Opinor, post mortem, sera defuncti hominis opulentia est. Hinc augurari liceat paupertatis diuitias, quasi Deus depauperando locupletet, & de egestate facultates adaugeat. Opportunè Cyrillus Ierosolymitanus ita scribit: *Qui ad apparentiam diuites sunt, multaque possident, in animo pauperes sunt: quàm plura enim congregant, tanto magis eorum, quæ desunt, concupiscentia tabescunt, Fidelis autem vir (quod est maximè paradoxum) in paupertate diues est.* Scilicet ipsa paupertas abundans est, diues est, opulenta est, & diuitiarum priuilegio potitur. *Dominus pauperem facit, & ditat*; imò depauperando diuitat & indigentia locupletat. Nam *fidelis vir (quod est maximè paradoxum) in paupertate diues est.* Cùm hominem depauperat Deus, illum interficit; sed vitali morte, ad veram opulentiam, locuplete.

Bonus vir in paupertate diues est.

Cyrill. Cathec. 3.

5\. Matth 19 v. 27. Matthæi 19. cùm Christus Deus longo ad Discipulos sermone, diuitiarũ pericula exposuisset; tunc respondens Petrus, dixit ei: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Memoriæ Discipuli benè hæret, quòd omnia reliquerit; sed præmij paupertatis malè obliuiscitur. An non cœli Magister dudum docuerat Discipulos: *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum?* O piè vsurarium paupertatis commercium! reculas tuas deseris *omnes*, & eiusmodi abdicatione regnum mercaris. Peridoneè Gregorius: *Æstimationem pretij regnum Dei non habet, sed tantum valet, quantum habes.* Humanum excedit captum, dignè æstimare quantum valeat Empyrea glòria, & æternatura Dei fruitio, mortales æternum beatura, perenni, & summa felicitate. Vis nosse, quanti istiusmodi æternum gloriæ pondus æstimetur? non taxatur oblati pretij magnitudine, nec quia plurima, ipsasque opulentissima donasti, sed quia nihil tibi reliquisti, quia nihil reseruasti tibi, quia tibi residui superest nihil. *Æstimationem pretij regnum Dei non habet, sed tantum valet, quantum habes. Ecce nos reliquimus omnia.* O piè superbas consummatæ paupertatis opes! O sumptuosas inopiæ glorias! O indigentiæ stipendia opulentissima! O piè fallacem inopiam, quæ aliud agit, & aliud pollicetur?

Regnum Dei tantum valet, quantum habes.

Matth. 5. v. 3

Greg. hom. 5

Saluianus Massiliensis obiter perstringens parabolam illam Diuitis epulonis, qui *paruam refrigerij guttam tam magno ambitu postulabat*, & egestuosi Lazari, qui *membrorum suorum vlceribus auari Diuitis canes pauerat*, vtriusque vicissitudinem his verbis ethicè expendit: *O grauissimum, & lugenda conditio! Pauper (Lazarus) beatitudinem emit mendicitate; Diues supplicium facultate: Pauper cum penitus nihil haberet, emit æternas diuitias egestate.* Ecce tibi summa olympij regni opulentia, *tantum valet, quantum habes*; vnde facultatum abdicatione acquiritur. Item *Pauper beatitudinem emit mendicitate*: & cùm penitus nihil habeat, habet egestatem, qua æternas diuitias mercari licet. Si non habes diuitias, quas abdicare possis, vt cœlũ acquiras, nõ deest tibi egestas, qua nihil penitùs habens, empyreum beatitudinis regnum emas. Æstimationem pretij regnum Dei nõ habet, sed tantum valet, quantùm habes: imò tantum valet, quantùm non habes. *Pauper cum penitus nihil haberet, emit æternas diuitias egestate.* 6.

Lucæ 16. Saluib. 3 ad Eccles.

Pauper cùm nihil habet, emit æternas diuitias egestate.

Lucæ 8. Sic Christus Deus loquitur: *Videte quomodo audiatis. Qui enim habet, dabitur illi, & quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo.* Profectò quomodocumque *audiant*, sicut intellectu facile est, quod ab aliquo auferatur quod habet, ita est arduum percipere, quod ab eo qui reipsa non habet, sed habere existimat, id quod habere *putat*, auferatur. Nam qui ad eam egestatis miseriam redactus est, vt nihil omninò habeat, quantumvis plura se *putet* habere nullius rei ablationi obnoxius est. Tertullianus quo solet ingenij acumine, ita hunc locum percommodè ad rem exponit: *Etiam quod putat habere, auferetur ab illo. Quid aufertur, vtique quod dabitur.* Nempè vsque adeò est certum, vt qui in summa egestate est, aliquid accipiat, vt quasi iam illud acceperit, quod paupertatis titulo, illi *dabitur*, cõfestim auferri possit, ac si antequam habeat, iam haberet. Sic homo in paupertate diues est, & in egestate sua abundat, opulẽtiæ paupertatis priuilegio! quasi dum nihil habet, iam habere incipiat. Rectè igitur cùm hæc doctrina traditur; præmitti debuit: *Videte quomodo audiatis.* 7.

Lucæ 8 v. 19

Qui nihil habet, iam habere incipit.

Tertull. lib. 4 cont. Marc. c. 19.

SYNOPSIS
CAPITIS QVINTI.

Obsequium pollicetur filius: sed illud in repetendâ pecuniâ inuenit impeditum, quod neque viam nouit, neque apparet modus, quo à sibi ignoto Gabelo illam recuperet. Sed syngraphum offert pater, ne debitum possit abnegare Gabelus; iubetque conduci aliquem, qui expertum iuuenem sine errore deducat. Obuius illi occurrit Angelus ea forma, vt videretur strenuè accinctus ad cursum, qui dixit genus suum ex Israëlis stirpe esse, exploratam habere viam, & cognitum Gabelum.

Deducitur

Deducitur ad seniorem Tobiam, qui omnia faustè de adolescente ominatus, pacta mercede filium suum, remque totam illi commendat. Qui itum, reditúmque prosperum spondens, in viam sese dat cum iuuene Tobia, à parentibus viatico sufficienter instructo. Mæret & illacrymat mater abeuntis filij desiderio, quam Tobias consolatur, spe de felici reditu concepta.

CAPVT QVINTVM.

1 TVNC respondit Tobias patri suo, & dixit: Omnia quæcumque præcepisti mihi faciam pater. 2. Quomodo autem pecuniam hanc requiram, ignoro: ille me nescit, & ego eum ignoro: quod signum dabo ei? Sed neque viam, per quam pergatur illuc, aliquando cognoui. 3. Tunc pater suus respondit illi, & dixit: Chirographum quidem illius penes me habeo: quod dum illi ostenderis statim restituet. 4. Sed perge nunc, & inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum salua mercede sua: vt dum adhuc viuo, recipias eam. 5. Tunc egressus Tobias, inuenit iuuenem splendidum, stantem præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum. 6. Et ignorans quod Angelus Dei esset, salutauit eum, & dixit. Vnde te habemus bone iuuenis? 7. At ille respondit: Ex filiis Israël. Et Tobias dixit ei: Nosti viam, quæ ducit in regionem Medorum? 8. Cui respondit: Noui: & omnia itinera eius frequenter ambulaui, & mansi apud Gabelum fratrem nostrum, qui moratur in Rages ciuitate Medorum quæ posita est in monte Ecbatanis. 9. Cui Tobias ait: Sustine me obsecro, donec hæc ipsa nunciem patri meo. 10. Tunc ingressus Tobias, indicauit vniuersa hæc patri suo. Super quæ admiratus pater, rogauit vt introïret ad eum. 11. Ingressus itaque salutauit eum, & dixit: Gaudium tibi sit semper. 12. Et ait Tobias: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video? 13. Cui ait iuuenis: Forti animo esto, in proximo est vt à Deo cureris. 14. Dixit itaque illi Tobias: Num quid poteris perducere filium meum ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum? & cum redieris restituā tibi mercedem tuam. 15. Et dixit ei Angelus. Ego ducam, & reducam eum ad te. 16. Cui Tobias respondit: Rogo te, indica mihi, de domo, aut de qua tribu es tu? 17. Cui Raphaël Angelus dixit. Genus quæris mercenarij, an ipsum mercenarium, qui cum filio tuo eat? 18. Sed ne forte sollicitū te reddam, ego sū Azarias Ananiæ magni filius. 19. Et Tobias respondit: Ex magno genere es tu. Sed peto ne irascaris quod voluerim cognoscere genus tuū. 20. Dixit autem illi Angelus. Ego sanum ducā, & sanum reducam filium tuū. 21. Respōdens autem Tobias, ait: Bene ambuletis, & sit Deus in itinere vestro, & Angelus eius comitetur vobiscū. 22. Tunc paratis omnibus, quæ erant in via portanda, fecit Tobias vale patri suo, & matri suæ, & ambulauerunt ambo simul. 23. Cumque profecti essent, cœpit mater eius flere, & dicere: Baculum senectutis nostræ tulisti, & transmisisti à nobis. 24. Nunquam fuisset ipsa pecunia, pro qua misisti eum. 25. Sufficiebat enim nobis paupertas nostra, vt diuitias computaremus hoc, quod videbamus, filium nostrum. 26. Dixitque ei Tobias: Noli flere, saluus perueniet filius noster, & saluus reuertetur ad nos, & oculi tui videbunt illum. 27. Credo enim quod Angelus Dei bonus comitetur ei, & benè disponat omnia, quæ circa eum geruntur, ita vt cum gaudio reuertatur ad nos. 28. Ad hanc vocem cessauit mater eius flere, & tacuit.

§. CCVIII.

Commentarius Litteralis.

Vers. 1. Tunc respondit Tobias patri suo, & dixit: Omnia quæcumque præcepisti mihi, faciam pater.

Vers. 2. Quomodo autem pecuniam hanc requiram, ignoro: ille me nescit, & ego eum ignoro: quod signum dabo ei? Sed neque viam, per quam pergatur illuc, aliquando cognoui

TVnc respōdit.] Scilicet postquā Tobias senior fecerat loquendi finem, beneque perceperat patris monita; tunc, tunc quidem, & vrbane, & opportune respondet. Nā Salomonis vox est: *Qui prius respondet, quā audiat, stultum se esse demōstrat, & confusione dignum.* Prouerb. 18. v. 13. *Omnia*, &c. quicquid erga Deū, erga matrem, erga mercenarios, erga egenos, & reliquos proximos, erga viuos, & defunctos, & erga me ipsum, facere iussisti, nec grauate audiui, neque cūctanter exequar. Quàm fuerint difficilia hęc pręcepta, quę filio senior Tobias dictauit, moralissime expendit Mauden. hic sect. 1. *Pater.* honoris vocabulū est, & qui sæpe in illo colloquio *filius* audierat, cōgrue *Patris* nomē reuerenter

1.
Prouerb.
Vrbanitas, & obedientia iunioris Tobiæ cōmendantur.
Mauden.

Matthæ. Iustinian. Hieronym. reuerenter vsurpat. Quomodo autem Christus Matthæi 23.v.9. dixerit: *Patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim pater vester, qui in cælis est*, explicat Iustinianus hîc ex S.Hieronymo in ad Ephesios 3.v.15.

2. Arabs. Hebræus. *Debita pecunia dum soluitur, acquiri dicitur.* *Quomodo pecuniam hanc requiram, ignoro.*] Arabs: *sed hanc pecuniam nescio quomodo acquiram.* Rationem reddit: Ille me nescit. Et vt eodex Hebræus habebat, vigesimus tunc erat annus ex quo data fuerat illa pecunia. Quare grauatè admodum ferret Gabelus illam à se post tam longum tempus exigi; quia forsan existimaret illam iam diu esse remissam. Saltem ignoraret, quisnam esset, qui pecuniam exigeret. Debitores autem aucupari solitant occasiunculam, qua vel debitum negent, vel solutionem procrastinent. *Quod signum dabo ei?* Idoneum exigit instrumentum, quo debitorem conueniat, & cogat ad solutionem, qui filio creditoris soluere non tenetur, quod postea Iurisconsulti statuerunt, *l. Vero procuratori, & ibi Gloss. ff. de solut.*

Vers. 3. Tunc pater suus respondit illi, & dixit: Chirographum quidem illius penes me habeo: quod dum illi ostenderis statim restituet.

Vers. 4. Sed perge nunc, & inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum salua mercede sua: vt, dum adhuc viuo, recipias eam.

3. *Chirographum sufficiens est instrumentum ad declarandum debitum.* Hebræus. *Tunc pater, &c.*] Geminam difficultatem proposuerat iunior Tobias, vtrique facit satis eius pater. Ad priorem: *Quod signum dabo ei?* respondet. *Chirographum quidem illius penes me habeo.* (Hebræus exscribit, *marsupium*, id est, sacculus, in quo Chirographum erat.) Quasi dicat: Si Gabelus obtenderit, te non agnoscere, aut palam debitum negauerit (quod non puto) obsignatis tabellis poteris eum illo contendere: nam sub legitima Chirographi cautione decem illa argenti talenta illi mutuò dedi. Et quidem postea iure Cæsareo cautum est vt priuata scriptura debitum declaret, *l. vltim. Cod. si cert. pet.* Quod verò de loco obiicit, ac via sibi ignota, quasi magnum capessendi itineris impedimentum; iubet vt quàm primum exeat in forum, virumque perquirat viæ gnarum, qui illum ad Rages Principem, & notissimam Mediæ ciuitatem sine errore deducat, proposita laboris mercede. Mandat, vt quærat *Virum* rem planè difficilem: nam vt ait Herodotus in Poly hymn. *Homines permulti, viri perpauci.*

Homines multi, viri pauci. Herodotus.

Fidelem.] Nempe qui secundùm nominis etymologiam, faciat, quod dicit, seu promittit: nam vt ait S. Augustinus Epist. 19. & lib. de Mendacio, cap. 2. *Fides appellata est in Latina lingua, ex eo quod fit, quod dicitur.* Sed vnde dignosci poterat fidelitas mercenarij, hominis, inquam, antea incogniti? Nempe ex habitu, ex verbis, ex genere, id postea coniectauit, vt constat ex pluribus huius capitis versiculis.

Augustin.

Vers. 5. Tunc egressus Tobias, inuenit iuuenem splendidum, stantem præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum.

4. Arabs. *Tunc, &c.*] hoc est: confestim, ac patrem audiuit quantocius exiuit domo, fidelem virum sibi socium quæsiturus. *Inuenit iuuenem.* Arabs, *adolescentem*, nempe Angelum specie adolescentis, assumpto corpore ad speciem humanam conformato. An Angeli ex aëre, quem sua possunt addensare virtute, an ex alia subtili materia, idonea sibi corpora ad speciem adaptent, tractant Theologi in materia de Angelis, & passim Scripturæ interpretes Legi potest Beda in lib. quæst. de Angel. quæst. 9. Apparet autem specie *adolescentis*, aut *iuuenis*, vt ad longissimam viam peragendam aptior videretur: pueri enim, & senes inidonei sunt ad longum iter pedestre. Quin, & plures docent ex doctrina S. Dyonisij cap 5 cœlest. hierar. iuuenili specie Angelicæ naturæ conditionem aptè significari, quæ tẽpore nõ senescit, ne cœcitate cõsumitur. Exinde Angeli iuuenili forma ferè sẽper apparent, & specie iuuenum depingi solitant.

Cur Angeli specie iuuenum appareant. Beda. Dionysius.

Splendidum.] Apparet Angelus Raphaël *splendidus*, non quidem luce fulgens. quia communem hominum formam apparenter induit: tunc enim fulgoribus micant, quando Angeli haberi cupiũt. Apparuit ergo *splendidus*, id est (vt Arabs exscribit) *speciosus, decorus*, hoc est, illustris viri personam oculis repræsentans, quod vox *splendidus* apud latinissimos etiam significat. Et quidem idoneè satis cum *vir fidelis* perquiritur, *decorus*, & *splendidus* apparet, vt ex nobili, & decoro aspectu, fausta quæque de illo Tobias ominetur. *Præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum.* Vocula *quasi* non similitudinem, sed veritatem denotat, vt alias persæpè in Bibliis. *Præcinctus*, seu, *accinctus*, vt Arabs legit, quò significetur non tantùm paratus, sed strenuus ad iter agendum: nam veteres virum fortem appellabãt *accinctum*, desidem verò, *discinctum*.

5. *Homo splendidus, idem est, ac venustus.* Arabs. Cicero 1. de fin. *Vir fortis, accinctus; homo deses, discinctus nominatur.* Liuius Bell. Maced. Persius Saty. 3.

Vers. 6. Et ignorans quòd Angelus Dei esset, salutauit eum, & dixit. Vnde te habemus bone iuuenis?

6. Iustinian. *Salutauit eum*] Ambiguum est qua salutatione vsus sit. Variæ salutationum olim, & nunc formulæ copiosè traduntur à Iustiniano hic n. 1. & 2. de quo nonnihil agemus ad versiculum 11. *Vnde te habemus?* idest, de quo loco, aut gente es? Quærebat enim virum fidelem, & ita de patrio solo, & genere congruè sciscitatur. *Bone iuuenis.* Bonum appellat, id enim nobilis, & ingenua forma, & vultus ad modestiam compositus præ se ferebant. Quod etiam si abesset, fortè non aliter appellasset: sic enim ignotos in auspicio sermonis nominare solemus. *Iuuenis.* Hebræus, & Arabs, *adolescens.* Præferebat Angelus eam ætatem, quæ pueritiam excedens, ætatem iuuenilem, aut adolescentiam nominamus. Quam quidam putant inchoari à duodecimo anno, & trigesimo primo terminari: alij à quartodecimo, aut decimoquinto vsque ad trigesimum: alij denique à decimoseptimo ad annum vsque quadragesimum sextum. De discrimine ætatum consuli potest Iul. Pollux libr. 2. Qua strictim annorum ætate Angelus apparuerit, definite non constat, putauerim excessisse adolescentiæ auspicium, nec postremam adolescentiæ ætatem ostentasse.

Hebræus. Arabs. *Quo anno incipiat, & finiatur adolescentia.* Pollux.

Vers. 7. At ille dixit respõdit: Ex filiis Israël. Et Tobias dixit ei: Nosti viam, quæ ducit in regionem Medorum?

Verſ. 8. Cui reſpondit: Noui: & omnia itinera eius frequenter ambulaui, & manſi apud Gabelum fratrem noſtrum qui moratur in Rages ciuitate Medorum, quæ poſita eſt in monte Ecbatanis.

Verſ. 9. Cui Tobias ait: Suſtine me obſecro, donec hæc ipſa nunciem patri meo.

7. Hi verſiculi intellectu faciles, & expediti ſunt. Si quid tamen ſuboſcurum videtur, Commentarij luce clarandum eſt. Angelus ſe eſſe dicit, *ex filiis Iſraël*, id eſt, Iſraëlita, aut quia iuſtorum gens Iſraëlitarū nomine cenſetur, aut quia Iſraël, idem ſonat (vt plures cenſent) ac videns Deum; Raphaël autem dum etiam in terras mittitur, ſemper videt faciem patris. Quod autem Tobias ſubdit: *Noſti viam, quæ ducit in Regionem Medorum?* (Syrus. Græcus.) ſic vertit Syrus: *Et quæſiuit ab eo, ſi poſſet ſecum ire in Rages Medorum, & ſi experimento cognoſceret loca.* Syro conſentiunt Græci codices: *Et dixit ei: Si poſſum ire tecum in Rages Mediæ, & ſi peritus es locorum.*

8. (Homo frater Angeli dicitur, & quare.) *Frequenter ambulaui.*] Quomodo Angeli loca mutent, alius ſcholæ negotium eſt. Tò *ambulare*, laxè accipitur. *Fratrem noſtrum*, id eſt, eiuſdem nobiſcum intellectualis naturæ: nam vt ait Sanct. (Nyſſen. Iuſtinian.) Gregorius Nyſſen. de vita Moyſis: *Frater quodammodo hominis eſt Angelus, ob intellectualium connexionem.* Et quidem ſicut idem Angelus cap. 7. v. 3. dixit ſe eſſe ex tribu Nephthali, ita potuit ſe hîc Iſraëlitam nominare. Adi quæ ad prædictum caput num. 1. obſeruauimus. Addit Iuſtinianus, quia Angeli, & homines eundem habent patrem, Deum inquam, & naturæ creatione, & gratiæ adoptione. Sic Angelus appellatur *Filius Dei*, Danielis 3. (Daniel.) v. 92. *Donec hæc ipſa*, &c. Nil inconſulto patre ſtatuendum putauit, etſi rem ex animo contigiſſe crederet. Addit Græcus, reſpondiſſe Angelum: *Vade, & ne tardaueris.*

Verſ. 10. Tunc ingreſſus Tobias, indicauit vniuerſa hæc patri ſuo. Super quæ admiratus pater, rogauit vt introïret ad eum.

Verſ. 11. Ingreſſus itaque ſalutauit eum, & dixit: Gaudium tibi ſit ſemper.

Verſ. 12. Et ait Tobias: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video?

Verſ. 13. Cui ait iuuenis: Forti animo eſto, in proximo eſt vt à Deo cureris.

Tunc ingreſſus.] Putat Iuſtinianus, quòd iunior Tobias vix è domo egreſſus fuerat, quando Angelum reperit: vnde non regreſſus domum dicitur, ſed *ingreſſus*. (Iuſtinian. Salian. Menoch.) Veroſimiliùs cenſent Salianus, & Menochius, in loco vbi conduci ſolent mercenarij, inuentum fuiſſe: nam ſuprà verſ. 5. dicitur eum inueniſſe *ſtantem præcinctum*. Nempè Tobias è foro regreſſus, in domum ſuam *ingreſſus* eſt, hæc omnia patri ſuo renunciauit: quæ ſenior Tobias cum admiratione audiuit. Et fortè ſuſpicatus eſt, aliquid ibi ineſſe diuinum, cùm omnia tam importunè ad ſuum conſilium ſtatim contigerant. *Rogauit vt introïret ad eum*, id eſt, dixit filio, vt eum ad ſe vocaret. Hoc eſt, vt rogaret iuuenem illum, vt ſecum domum introïret. Itaque Tobias non *rogat* filium; ſed dixit filio, vt roget Raphaëlem. LXX. *Voca ipſum ad me, vt cognoſcam cuius tribus ſit, ac fidelis ad eundum tecum.*

Gaudium tibi ſit ſemper.] Hebræi in ſalutatione pacem precabantur, aientes שלום לך 9. (Hebræorum, & Græcorum vulgaris ſalutatio, qualis.) *Salom lexa*, hoc eſt, *pax tibi*, ſeu *pax tecum*, pacis nomine omnem felicitatem deprecantes. Græcum autem χαῖρε (quæ erat apud Græcos ſalutandi formula) idem valet, quod *gaude*, vel *gaudium tibi ſit*. Fortè vulgaris ſalutatio apud Aſſyrios; (apud quos exulabant Hebræi) propiùs ad Græcos accedebant. Aut Angelus aduertens Tobiæ triſtitiam ex cœcitate, ex cōtumeliis ab vxore auditis, ex vnici filij diſceſſu, *gaudium* mœrenti adprecatur, ad præſentem rerum articulum opportuna ſalutatione, quæ prope tantum valet, ac *pax*: nam ſicut *pacis* nomine omnem felicitatem optabant, ſic *gaudium* felicitatem denotat. Nec putauerim Raphaëlem, qui ſe Iſraëlitam oſtentabat, peregrinam ab Iſraëlitis ſalutationem vſurpaſſe. Quo etiam modo gaudium apprecando, Gabriel (Sanct.) Angelus ſalutauit Deiparam, vt hîc num. 4. Sanctius obſeruauit. Addit Arabs: *Gaudium magnum*, (Arabs. Græcus.) Hebræus *ſalutem* exſcripſit. Fortè vt benè valentibus *pax* optabatur in ſalutatione, ægrotis ſalutem precabantur.

Quale gaudium mihi erit,] &c. Non aſſentiar 10 Carthuſiano, qui putat, hæc verba ſic debere (Carthuſian.) intelligi: Non cupio in hac vita gaudium, cùm cœcus nunc viuam, & propediem præſentibus gaudiis moriturus ſim, futura deſidero. Profectò ipſa Tobiæ reſponſio ſatis indicat, hærentem animo triſtitiam: eſtque velut quidam gemitus, po- (Salian.) tiùs quàm querimonia, hominis tot calamitatibus iactat, vt adnotat Salianus. Neque enim virum pium, & fortem dedecet calamitatis ſenſus: (Senſilis Tobiæ patientia, non ſaxea.) non Stoicum ſtuporem vera virtus ædificat, ſed patientiam ſenſilem in aduerſis cudit, contra ſubſultus impatientia, vt in Iobo, & Ieremia oculis cernere licet, & in Chriſto Deo. Hac ſuper re vbertim Iuſtinianus hîc n. 2. & 3. Scilicet adver- (Iuſtinian.) ſorum tempeſtatibus Sanctorum conſtantia quatitur, non naufragium facit patientia, nec labat fiducia. Ait ergo Tobias tot mœrendi cauſis agitatus: *Quale gaudium mihi erit?* Quonammodo gaudij, & ſalutis, quam mihi fauſtè optas, compos eſſe poſſum, *Qui in tenebris ſedeo?* nimirùm cœcus; exinde deſes, iners, & ad quodvis munus inhabilis. Nota ſcripturæ phraſis: *Sedere in tenebris.*

Et lumen cœli non video.] Arabs: *Et non video* (Arabs.) *lumen Solis.* Lucis elogia, & nuncupatim eius hilaritatum, tradunt copioſè interpretes ad illud Geneſeos 1. verſ. 4. *Et vidit Deus lucem quod eſſet bona.* Et nos inibi aliqua §. 13. libr. de benedict. Patriarch. & in Iudithæ cap. 14. §. 2. Hebræus tex- (Auctor in Iudith. & de Bened. Patr. Hebræus.) tus ſic totum verſiculum exſcribit: *Si ſalus mecum, quare totum iſtud inuenit me? En ego nihil video.* Vbi aduerte, quod *ſalus* ſubſtituitur pro *gaudio*.

§. CCIX.

§. CCIX.

Commentarius litteralis.

Verſ. 14 Dixit itaque illi Tobias: Numquid poteris perducere filium meum ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum? & cùm redieris, restituam tibi mercedem tuam.

Verſ. 15. Et dixit ei Angelus: Ego ducam & reducam eum ad te.

1\. Aliquid humano maius in hoc iuuene fortaſſis videre ſibi videbatur Tobias, cùm quicquid votis expetebat, tam expromptè, tamque opportunè in eo reperit: quod diuinioris eſſe prouidentiæ opus meritò coniectat, Sed tamen hominem eſſe, adhuc cenſebat, cùm laboris mercedem illi ſpondet. Quænam fuerit vrbs *Rages* exponemus ad cap. 9. v. 3. Poſt laborem pollicetur mercedem reddendam? quia non ante, ſed poſt laborem mercedem accipit, qui ſuam operam alteri locat, vt conſtat ex Matthæi 20. verſ. 8. Tum etiam, quia vt laboris mercedem compenſaret, expectanda erat pecunia mutuò Gabelo donata. ſic res Tobiæ tunc erat anguſta. Quam mercedem Tobias Angelo promiſerit, tradunt Græci codices his verbis: *Dicito mihi, quam tibi ero mercedem daturus? Drachmam die, & neceſſaria tibi, ſicut & filio meo; & adhuc adiiciam tibi ſupra mercedem, ſi ſani reuerteritis; & benè ſenſerunt ſic.* Drachma autem nummus eſt argenteus, idem valens ac Iulius Romanus ſimplex, aut regalis Hiſpanicus. Si enim eſſet drachma aurea, nimis opus mercenarij diurnum exceſſiſſet, vt vulgò notant interpretes. Hâc pactâ mercede pollicetur Angelus itum, & reditum incolumem, quod ille certò ſciebat futurum. Sed ſpecie hominis apparens, & more humano loquens, promittere tantùm creditus eſt; ſe nauare ſolertem operam, vt ſoſpes eat, & redeat, etſi ſenior Tobias aliquid ineſſe humano ſublimius ſuſpicatus eſt. Arabs: *Ego ducam; & reducam incolumem cum ſanitate.*

Matthæi 20.

Quâ Angelus mercede operam ſuam locauerit.

Arabs.

Verſ. 16. Cui Tobias reſpondit: Rogo te, indica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu.

Verſ. 17. Cui Raphaël Angelus dixit: Genus quæris mercenarij, an ipſum mercenarium, qui cum filio tuo eat?

Verſ. 18. Sed ne fortè ſollicitum te reddam, ego ſum Azarias Ananiæ magni filius.

Verſ. 19. Et Tobias reſpondit: ex magno genere es tu. Sed ne iraſcaris quod voluerim cognoſcere genus tuum.

2\. Etſi ſenior Tobias benè omnia ominari poſſet de ſplendido illo iuuene, qui ſibi cœlitùs videbatur immiſſus; ne tamen inidoneum vnico filio daret ſocium ad longum, & periculoſum iter; adhuc ſatagit ex genere indicium ſumere. Audierat à filio eſſe Iſraëlitam, nunc tribum, aut familiam vrbanè ſciſcitatur. Reſpondet Angelus, inſolitum eſſe genus operarij quærere, potiùs quam ipſum opus. Quemadmodum in architecto, in pictore, in aratore, non genus quærimus, & nobilitatis ornamenta ſed artis peritiam. Verùm ne illiberalis videatur, & peramantem filij patrem relinquat ſollicitum, reſpondet Angelus: *Ego ſum Azarias Ananiæ magni filius.* Sciebat enim Angelus, gratum fore eiuſmodi reſponſum ſeniori Tobiæ, qui piâ familiaritate illos diu nouerat. Sed grande hinc oritur litigium, an Angelus mentitus ſit? vel quo pacto verum dixerit, qui falſum nequiuit pronunciare? Mitto Vitaherum & Druſium, & ſimiles Hæreticorum quiſquilias aut humani generis ſordes, qui mentitum fuiſſe Angelum, ignauè & impudenter blaterant; quo ſuggillare cœlum, & Angelorum nitorem ſpurco ore infuſcare præſumunt. Verum dixit Angelus, nec aliter potuit. Scilicet Angelus nomen ſortitur è munere, vt notum eſt: ergò Angelus, quia medicinam attulit Tobiæ, dicitur Raphaël, id eſt, medicina Dei: & quia ille ipſe Angelus auxilium à Deo attulit, eidem Tobiæ diù cœco, filio iter agenti, & ingreſſo fatalem Saræ thalamum, à quo Dæmonem abegit, & innoxiam virginem à probro ſterilitatis, & à ſeptem virorum ſuſpectâ cæde liberauit *Azarias*, id eſt, *Dei auxilium*, verè fuit, dicique inde potuit. Quod autem homines etiam dicantur ea habere nomina, quæ re implent, tametſi eo nomine nuſquam appellentur, conſtat ex Iſaiæ 9. v. 6. vbi agens de Chriſto, ait: *Et vocabitur nomen eius, Admirabilis, Conſiliarius, Fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis.* non quia his nominibus nuncuparetur, ſed quia rem horum nominum, opere impleuit. Sic etiam dicitur, *Emanuel*, non quia ſic nominaretur, ſed quia fuit *Emanuel*, id eſt, *nobiſcum Deus.* Ergo Angelus ab allato Dei auxilio, rectè *Azarias*, hoc eſt, *Dei auxilium* nominatur; Sicut Hieronymus in Matthæi 23. Zachariam oſtendit, ex nominis interpretatione, Barachiam eſſe. quod hîc, & 2. Reg. cap. 12. Serarius adnotat, Alias rationes alij adducunt quas nec vacat, nec iuuat impugnare.

Quo modo verè dixit Raphaël, ſe eſſe Azariam Ananiæ filium.

Iſaias.

Hieronym. Serar.

3\. *Ananiæ magni filius.*] Ex nominis etiam interpretatione probatur, Angelus vera dixiſſe. Porrò Ananias gratiam Dei, Deive miſericordiam ſignificat. Hoc autem nomen eſt Dei qui Deus miſericordiarum ab Apoſtolo nominatur. Quod autem ſancti Angeli appellentur filij Dei, obuium eſt in ſacris litteris. Danielis 3. v. 92. Iobi 1. v. 6. & cap. 2. v. 1. & c. 38. v. 7. Tunc Tobias, qui cognouerat aliquem Ananiam præluſtri genere & celebri probitate apud Iſraëlitas, illum quaſi ſibi notum maximè commendat, aiens: *Ex magno genere es tu*, addunt Græci codices: *Cognoui ego Ananiam, & Ionatham filios Semei magni, quomodo ibamus vna in Hieroſolyma ad adorandum offerentes primogenita, & decimas geniminum: & non errauerunt in errorem fratrum noſtrorum.* Ex his conſtat quomodo poſſimus vti verbis ambiguis contra aliorum mentem. De quo agunt copioſè qui caſus conſcientiæ tractant; & aliquid hîc Iuſtinianus libat.

Raphaël verè ſe dicit Ananiæ filiũ.

Daniel. Iob.

Græcus.

Iuſtinian.

Verſ. 20. Dixit autem illi Angelus: Ego ſanum ducam, & ſanum tibi reducam filium tuum.

Verſ. 21. Reſpondens autem Tobias, ait:

Benè ambuletis, & sit Deus in itinere vestro, & Angelus eius comitetur vobiscum.

Vers. 22. Tunc paratis omnibus, quæ erant in viâ portanda,, fecit Tobias vale patri suo, & matri suæ, & ambulauerunt ambo simul.

4. *Ego sanum ducam*, &c.] Iterat promissionem factam vers. 15. quò sollicitum de vnico filio patrem securiorem reddat. Recognosce, quæ ad præfatum versiculum adnotauimus: *Benè ambuletis.* Pius pater prosperam viam peregrinanti filio apprecatur. Arabs habet: *Iter facite in bono.*

Arabs.

Sit Deus in itinere vestro, & Angelus eius comitetur vobiscum.] Nimirum talem suis peregrinis exoptat comitatum, qualem habuit Hebræus populus, cùm egressus ex Ægypto per deserti auia peregrinatus est; quem ducebat Deus, & eius Angelus in columna nubis & ignis præibat. Quàm fouerit Deus Hebræum populum in via hac obuium est in sacris litteris. Exodi 23. v. 20. Deuter. 32 v. 11. & c. 29. v. 5. & Psalm. 90. v. 11. & in hoc lib. Tobiæ cap. 10. v. 11. Consule hic Sanctium, & Iustinianum.

Exodus Deuter. Tobias.

5. *Tunc.*] id est, paternâ benedictione acceptâ nullâ interpositâ morâ, iunior Tobias, *Paratis omnibus, quæ erant in viâ portanda.* Nempe chirographo, quo fidem debiti facerent, & quod Gabelo post acceptam pecuniam restituerent; & aliis etiâ ad longi itineris viaticum necessariis, scilicet pane, & obsonio: neque enim tunc erant sicut apud nos diuersoria: sed viator in humeris, vel in iumento necessaria ad victum deferebat.

Quid Tobias ad viam præparauit.

Fecit vale patri suo.] amicâ salutatione patrem priùs, dein matrem tenerè compellans. Adde oscula, & amplexus, quod fieri solitat in charorum discessu.

Vers. 23. Cúmque profecti essent, cœpit mater eius flere, & dicere: Baculum senectutis nostræ tulisti, & transmisisti à nobis.

Vers. 24. Numquam fuisset ipsa pecunia, pro qua misisti eum,

Vers. 25. Sufficiebat enim nobis paupertas nostra, vt diuitias computaremus hoc, quòd videbamus filium nostrum.

6. Anna procul à se dimisso filio, nullum videt reliquum domi solatium quo tot calamitatum acerbitatem leniat. Ditâ captiuitate, & egestate premitur, cœcus maritus oneri est; vna vnici filij præsentia erat tot aduersorum leuamen: eo orbata, conceptam tristitudinem fusis lacrymis euaporat: *Baculum senectutis* appellat filium. *Baculus* est stirps, seu scipio, quo nutantes imbecillium gressus firmantur: sic filij ope, & solatio, senum parentum leuamen, & sustentaculum iure censentur: *Filij masculi columna sunt familiarum*, ait Euripides in Medæa.

Filius est parentum baculus.

Euripides

Nunquam fuisset ipsa pecunia.] Arabs: *Sed hac pecunia pereat.* Syrus: *Argentum argento non perueniat.* Lxx. *Argentum argentum non anteuertat, sed peripsema filij nostri sit.* Biblia regia sic etiam vertunt ex Græco textu: *Argentum argentum vtinam non præcessisset, sed reliquia filij nostri fiat.* Concinit Vatablus: *Argentum non accessit argento, verùm pro filio nostro fuisset reiectaneum.* Hoc est, argentum mutuò datum non accedat, aut succedat argento soluendo. Scilicet nunquam ad talem pecuniam exigendam filius noster perueniat, sed contemnat illam, quasi rem vilissimam, & reiectaneam Quod ex Arabicâ translatione diximus: *Sed hac pecunia pereat.* Hispanè diceres: *Mal aya dinero, que tan caro cuesta cobrale. Oiala nunca se cobre.* Has iracundiæ voces extorsit absentis filij mœror, & desiderium adiuncto obuij periculi metu. Sic calamitosa mater vnico filio orbata, miserè contabescebat, & expostulans dicebat: Faciliùs se laturam communem egestatem præsente filio, quàm illius absentiam in summâ rerum opulentiâ: qui est sensus illorum verborum *Sufficiebat nobis paupertas nostra, vt diuitias computaremus hoc, quod videbamus filium nostrum.* Neque incommodat, quòd non cœcus pater, sed ipsa filium videret. Nam *videre* in hoc loco est, præsentem habere, & cum illo conuersari. Notũ enim est *τὸ videre* sumi etiam pro reliquorum sensuum vsu. Quâ super re agebamus in lib. de Benedict. Patriar. §. 35.

Arabs. Syrus. Lxx. Biblia reg.

Præsentiam filij fra dimi. *tiis æstimat querula mater.* Vatablus.

Vers. 26. Dixitque ei Tobias: Noli flere: saluus perueniet filius noster, & saluus reuertetur ad nos, & oculi tui videbunt illum.

Vers. 27. Credo enim quòd Angelus Dei bonus comitetur ei, & benè disponat omnia, quæ circa eum geruntur, ita vt cum gaudio reuertatur ad eos.

Vers. 28. Ad hanc vocem cessauit mater eius flere, & tacuit.

Non erat saxeum, & insensibile Tobiæ cor, & quod non grauiter sociaretur discessu vnici filij, & quidem perquam optimi, cuius absentia reliquas exaggerabat calamitates. Sed ipse magis consolationis indigus, nimis mœrentem, & querulam vxorem, non reprehensione exasperare, sed consolatione placare, blandè, & piè procurat in itu, & reditu secunda pollicitus, quæ de viæ socio feliciter fuerat ominatus, aiens; Bono animo esto, lachrymas inhibe, compesce singultus: *Saluus perueniet filius noster.* Sed ne propheriæ spiritû afflatus, putaretur se talia promisisse, confestim subiungit: *Credo enim quod Angelus Dei bonus comitetur ei:* Nam Prophetæ futura, quæ vaticinabantur, quasi præsentia videbant, & indubiè prædicebant: nec vti solebant verbo *credo*, quòd ambiguam potest significationem habere; sed verbo *scio*, aut *video.* Obuia sunt exempla in Bibliis. Non negauerim Sanctio, aliquid humano maius de opportuno viæ comite coniectasse; sed quod speciali prouidentiæ (quam sæpe circa miraculum expertus erat) posset adscribi: nam hominem putabat, quem mercede conduxit. 7.

Sanctius.

Angelus Dei bonus.] qui ad bonum excitat, beneque omnia nostra disponit. Profectò sunt etiam mali Angeli, qui adhuc dum mali sunt, Angeli Dei nominantur propter creationem, dominium, & ministerium. Sic S. Gregorius 8. Moral. cap. 6. *Quomodo*, inquit, *si malus est dæmon, spiritus Domini dicitur? Domini est propter potestatem; malus autem propter eius voluntatem.* Et S. Hieronymus ad illud Psalm. 34. v. 6. *Angelus Domini* 8.

Gregorius. *Angelus malus, Angelus Dei etiam dicitur.* Hieronym.

Iustinian. Sanct. Vasquez. *En hoc loco non videtur probari efficaciter, custodem Angelum singulis hominibus designari.*

mini persequens eos, ita scribit: *Angeli mali Domini dicuntur: quia dominus illos creau t, & Dominus illos habet in potestate.* Comitetur ei. Tametsi haud dubium sit vnicuique hominum à Deo dari custodem Angelum, (an verò malus etiam singulis hominibus à Satana destinetur, tractat Iustinianus hic, & P. Sanctius ad Iob. cap. 40. v. 10. & P. Vasquez 1. part. dist. 245. cap. 1.) non admodum efficaciter ex his Tobiæ verbis videtur euinci, dum ait: *Angelus Dei bonus comitetur ei*, posset enim alludere ad id quod nuper dixerat vers. 21. *Bene ambuletis, & sit Deus in itinere vestro, & Angelus comitetur vobiscum*, quod communiter interpretes intelligunt ad aliquo speciali Angelo, quem Deus viæ comitem destinet, sicut destinauit Hebræo populo, dum ex Ægypto in terram promissionis egressus est. Vnde sicut ex Angelo tunc apparente in columna nubis, aut ignis, non probatur Angelus custos custodiæ singulorum hominum designatus; sed aliquis alius ex specialiori prouidentia, vniuersatim omnibus destinatus: ita neque ex isto, quem speciatim Tobias precatur, viæ ducem. Quod autem Vulgatus dixerit: *comitetur ei*, non *eum*, durior syntaxis Gordono hîc videtur. Sed Ciceronianum est, Tusculana 5. vt notauit Serarius. Vnde dicere necessarium non est, *ei* poni pro *eum*, vt voluit P. Saà.

Gordonus. Serarius. Sà.

Arabs. *Tobiæ vxor desiit à fletu.*

Ad hanc vocem.] Arabs: *Propter hæc verba.* Nempe eo spiritu Tobias vxori dixit hæc omnia, vt suam expectationem redderet valde probabilem. Quare spe meliori erecta, lacrymas inhibuit, & aliquandiu plorare desiit. Quod Vulgatus scripsit: *Cessauit mater eius flere, & tacuit.* Græci Codices habent: *Cessauit plorans.* Syrus: *Siluit à fletu.*

Græcus. Syrus.

---

§. CCX.

Homo dum cessatione à muniis, otio vacat; sibi & aliis nemo putatur, quasi homo de operatione sua constet.

1. HOmo ad laborem natus, deuitet otium, quo ab humanitate degenerat. Mens feriis distenta rebus, grauibusque, & variis lassata, & aduersùs vitia vegetior exurgit, & rationis vigorem sibi vendicat. Ventorum, ac tempestatum rationē obnubilantium, causa, iners otium est. Hinc fœdæ pectoris iactationes, titubans rationalitatis vertigo, & fluctus decumanis atrociores, ac vix è tabula salus. Eripitur menti Deus sol magnus: succedunt tenebræ, & in vicem lucis nox alta, & densæ vndique nebulæ: atque exinde errorum deuia, discursum scopuli, & miseræ rationis mortes, otio inconstanter naufragæ. Vt in humano labore sedulitas, hominem suum comprobat, & rationalem eius industriam loquitur, ita otium iners, & ignauè ab opere cessans, hominem dediscit suum, velut à ratione degenerem; ac si nuper inter homines homo, nemo iam sibi, & hominibus sit, & de otij ignauia, tanquam mentis inops insanire putatur. A Iustiniano est: *Sicut aqua, quæ caret decursu, & iacet in foueis, putrescit, & humano vsui aliena efficitur, repleturque animalibus venenatis, & noxiis: & ita corpus otij tabe confectum, concupiscentiarum, & voluptatum carnalium parit, ac nutrit insaniam.* Homo otiosus in *insaniam* deficit, meliori sui parte,

Otiosus comparatur aquis, quæ in fouea putrescunt. Apud Politico- Christ. lib. 1. cap. 27.

ratione, inquam, viduatum, & velut in fouea stagnantes segniter aquæ, non viuæ, sed emortuæ dicuntur, ex quarum velut cadauere, brutæ, & noxiæ bestiolæ nascuntur: ita in homine otioso, ratio ignauè stagnat: paritque irrationales appetentias, belluis confines, & rationali homine non dignas. Itaque vita hominis operatione constat, vt hominem suum sapiat: à qua si otiando cesset, velut cadauer rationis est, exanimali corpore cumulatæ. Vide hîc quàm se actuosum Tobias iunior Patri exhibeat, vt de otij exilio, Patris indefessos labores viuaciùs æmulētur. Hic v. 1.

2\. Iobus cap. 7. sic lugubri planctu gemit: Dies mei velocius transierunt, quàm à texente tela succiditur, & consumpti sunt absque vlla spe, (sicut enim retroacti non redeunt anni, ita nec annorum morbus vnquam recuratur) Memento, quia ventus est vita mea, (ô fugax ventorum inconstantia!) nec reuertetur oculus meus, vt videat bona. Non aspiciet me visus hominis: oculi tui in me, & non subsistam. Capularem se Iobus dicit, tam de senij longæuitate, quàm de multimoda ærumnarum calamitate. Et inde subdit: *Sicut consumitur nubes, & pertransit: sic qui descenderit ad inferos*, ad sepulcrum inquam) *non ascendet.* Magnum hinc litigium inter vetustos retrò interpretes, an Iobus hîc resurrectionem mortuorum agnouerit, quam nunc abnegasse videtur S. Chrysostomus hunc locum enucleatè versans, illum excusat, quia nulla huius mysterij notitiâ instructus erat, in rudi illo æuo, quod legem scriptam diu præcessit. Maius sententiarum diuortium est, inter eos, qui cùm verè censeant, (vt par est de tanto viro existimare) sanctum Iobum agnouisse rediuiuam corporum resurrectionem, ad eiusdem animæ interim separatæ contubernium; quid sibi velit, cùm nunc dicat: *Qui descenderit ad inferos*, (ad sepulturæ subterraneam fossam) *non ascendet.* Didymus in Græcorum Patrum Latina iam catena, nostri Pauli Comitoli præstantissimi opera; ita locum exponit, ad rem præsentem peregregiè opportunus: *Alij quidem sententiam hanc nequaquam tolli his verbis a Iobo resurrectionem mortuorum; sed hoc doceri, esse vitam hominum caducam: ad hæc eum, qui semel est in hac vita functus, ad illam ipsam mortalem non amplius rediturum, neque vsitata eius munera exequuturum.* Hęc Didymus, etsi Chrysostomo tandem consonet. Scilicet qui semel mortuus est, & in sepulcro diu cadauerascit, tametsi aliquando è rediuiuis fauillarum cineribus, ad vitam rediturus sit, redintegratio corporis cum anima nexu; tamen quia huius vitæ *vsitata munia executurus* non est, ideò moralissimè affirmat Iobus, quod *qui descendit ad inferos, non ascendet*; sed eius vitam consummptam esse, & pertransiisse, *sicut consumitur nubes, & pertransit*, quasi vita hominis operatione constet; & vbi cessatum est à pristinis muniis, non eadem vita moraliter censeatur. Huic mundo nemo existimatur, & æternum pristini hominis cadauer, qui à muniis huius mundi perpetuò otiabitur? *El ser del hombre* (*dice Didymo*) *es su obrar: y assi en dexando de obrar lo mismo, no es tenido por el mismo.* Non quia reapse ille ipse qui moritur, non resurgat; sed quia ille ipse, qui resurget, otiabitur à muniis, quæ dum viueret, exequebatur, adeò vt quodammodo dici possit, ambo vnus, ac si hominis nota, & indiuiduus character, operatio sit; sitque huic mundo nemo, quia muniis huius mundi prorsùs vacat, quasi operatio

Iob. 7. v. 9.

Qui hominis munia non exequitur, vix homo putatur.

Didymus in Catena ad eum locum.

operatio sit hominis subsistentia, & vitæ typus, qui viuentes cudit.

3. Ioannis 1. Messiæ dignitatem à contribulibus contribuli Ioãni oblatam, trima abdicatione ritè ab se repudiat. Sed arrogantes Pharisæi de pia humilitatis insolentiâ excandescentes, in Ioannem dignitatum contemptorem inuehũtur. Quid ergo (aiunt) baptizas, si tu non es Christus neque Elias, neque Propheta? Et respondit eis Ioannes, dicens: Ergo baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis: quia per carnẽ Dominus apparens, & visibilis extitit corpore, & inuisibilis maiestate. *Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est. Ac si dicatur*, ait S. Gregorius, *antepositus est mihi. Post me ergo venit, quia postmodum natus: ante me autem factus est, quia mihi prælatus*; quasi dignitas natu minoris, etsi non annosiorem, seniorem tamen faciat; & natu minor, dignitatis priuilegio statim natu maximus euadat. (de quo alibi) Et sanè adhuc post Gregorij expositionem difficultas hæret, quo pacto Christus triginta tunc annos agens, dicatur à Ioanne, post se *venturus*. Venturus erat tunc Christus, an dudum venerat? Imò nec sibi videtur nec Ioannes constare: nam quomodo venturus dicitur, qui *medius* inter ipsos versari perhibetur? Quid est, quòd qui medius inter ipsos conuersari, dicitur, adhuc *venturus* denunciatur? An non veriùs Ioannes dixisset: *Qui post me venit*? Cur ergo est, quòd Ioannes dicit? *Qui post me venturus est*? Fallor, nisi rem Tertullianus dilucidè tetigit, ad thema præsens peridoneè: *Iste igitur*, inquit, *Dei radius, vt retrò semper prædicebatur, delapsus in virginem quãdam, & in vtero eius caro figurata, nascitur homo Deo mistus. Caro spiritu instructa nutritur, adolescit, affatur, docet, operatur, & Christus est*. Scilicet IESVS de carne Mariæ coagulatus, de eius formatus visceribus, de eius substantia consummatus, nascitur homo Deo mistus, id est, de verbi hypostasi verus homo Deus, Christus IESVS; & tamen etsi à primo arcanæ suæ conceptionis momẽto, Christus erat, vtpote diuinitate vnctus: sed cùm *affatur, docet, operatur*, tunc, tunc quidem potissimum, *Christus*, dicitur. Non quia eousque Christus non erat; sed quia nondum Christi munia operabatur. *Affatur, docet, operatur, & Christus est*. Exindè cùm Saluator necdum docebat, necdum concionabatur ad turbas, nec miracula operabatur; adhuc venturus à Ioanne dicitur: *Qui post me venturus est*, inquit, ac si antequam mundum doceret, & miracula operaretur, necdum plenè Christus appareret, arcano velut otio à ministerio suo cessans, quousque grandiori id præstaret ætate. *Affatur, docet, operatur, & Christus est*. Altè quidem de more Tertullianus.

Quare Christus, qui iam venerat, venturus à Ioanne dicatur.

Ioan 1 v. 27. Greg. hom 7. in Euang.

Magis ratione dignitas natu maximum facit.

Tertull. Apol. cap. 21.

4. Psalm. 103. regius Vates à creaturis aspectabilibus ad non spectatum creatorem mentis aciem attollere docet. Nam quocumque oculos quis circumferat, beneficentiæ fontes semper patere videt. Sol ad diuinum imperium excurrit, ac per terram incedentibus radios effundit: Lunæ facies lucet, & noctis horrorem lenit, crescit, & decrescit pro sua inconstantia. Inclusus ignis elementaris elementorum temperationẽ bene temperatam occulte reddit. Aër aut de diei iubare splendidus, aut de noctis caligine sordidus, vices alternat. Aqua aut vaste iacet in maribus, aut properanter currit in fluuiis, aut micanter ridet in fontibus, aut in lacubus pigre stagnat, humanis vsibus vbilibet deputata. Sed nota quid de terra Psalmographus prædicet: *Qui fundasti*, inquit, *terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in sæculum sæculi*. Vulgò Cõmmẽtatores variis commentis vexant hunc locum, vt exponãt, quæ sit hæc firmissima, & incõcussa terræ stabilitas, quæ illam sic valide fundat, vt in æternum non labascat; neque ad vllam partem inclinet. Eleganter Seleuciensis Basilius hac super re peraccõmodus fatur: *Qui fũdasti terram super stabilitatem suam. Terra*, inquit, *pro fulcimento pedes subit, potestati vsibusque hominum substrata est: emicãtes verò fructus eius producit homini*. Putaret quiuis, quòd prçualida terræ firmitudo, qua fundata est constantia flecti nescia, eò robuste adnititur, & firmiter decumbit, ne animantium pedibus substrata, oneri tantò imbecille succumbat; & tot animalium, exanimaliumque partionibus effœta lassescat. Ast terra, cuius munus est teri, & ab animantibus granatè proculcari, & variis fœtibus perpetim sobolescere, fundata dicitur super stabilitatem suam, quasi suum obire munus, & ab officio suo non cessare, sit eius subsistentia, robur, & firmitudo, adeò vt inde robustè fundetur, vnde subrui posse credebatur, de subeundi sui muneris vexatione robustior. Nam *terra pro fulcimento pedes subit*, ac si de aduerso sibi suo munere viuescat, adipetur, roboretur, subsistat.

Terra pro fulcimento pedes subit.

Psalm. 103 v. 5.

Basil Orat. 9.

---

§. CCXI.

Quod mihi præstare perdifficile videtur, videtur facile vt alius præstet.

1. Caligat impiorum mens & iudicium ad videnda æstimandaque egregia opera eorum, qui *fidem conuersatione decorantes*, impensiùs pietati militant. Leuia æstimant & facilia virtutum ardua facinora, quæ sancti viri identidem patrãt, ipsi nũquam. Crebrà ieiunia, perpetua subiectio, volũtaria paupertas, asperior vestis, & molestior districtioris vitæ disciplina, non magni ab eis æstimantur, qui quam magno constent, de experiẽtia non norunt, *quippe naturam quoque merita mutant*, verissimum censent cum Hildeberto, sed eius mentem aliò deflectũt, & de vitiorum antidoto, pietatis venena conflant; deliciisque dissoluũtur, vnde debuissent asperitates induere, vt tẽtationem machinas exarmarent. Exinde euenit, vt in re virtutis ita dimicent, vt Tartarei hostes virum aggressi, mulierem inueniant, de fœminea imbecillitate expugnatu faciem. Profectò periculosè in se delicatus est, quisquis id quod in alio inamœnum videt, nec ipsummet exasperat, asperũ non putat. Scio quidem, scio sæpè deliciosam vitiositatem abuti egregiis Sanctorum exemplis, & de suæ inexperientiæ genio aliorum ardua facinora iniquè contemnere, quousque experientia molestias arctioris vitæ propiùs denunciet.

Theophyl. Alex. epist. 1. Pasch.

Hild epist. 70.

Merita naturam hominis demutant.

2. Geneseos 18. è peregrino tentorio Angelos conuiuas, in mensâ quoque peregrinantes, Abrahamus vrcanè deducit. *Dixitque Dominus: Num celare potero Abraham quæ gesturus sum: cùm futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ? Scio enim quod præcepturus sit filiis suis, & domus sua post*

Genes. 18 v. 17. 18. & 19.

post se vt custodiant viam Domini. In priori huius Biblici tractatus parte, tacitè describuntur præillustria Abrahami merita, ob quæ opulentissimam Dei benedictionem promeruit: in posteriori verò clausula, leges, & præceptiones insinuantur, quibus numerosam posteritatem natura, & adoptione suam, ad omnem pietatem extimulet. Sed ambiguum est apud commentatores, quænam sint hæ leges, aut præceptiones, quibus Abraham posteros instituit: Moyses enim electi Abrahamidum populi eximius extitit Legislator. Audiendus tamen est Philo Hebræorum disertissimus, qui postquam docuit Patriarcharum vitam fuisse *animatas rationalesque leges*, ita ad rem philosophatur: *Meritò quis dicere possit, leges scriptas nihil aliud esse, quàm vitarum Patrum commentarios, in quibus eorum dicta factaque narrantur.* Bellum planè dubium hinc disquirendum exoritur: quare scriptæ leges dicantur *commentarij* vitæ Sanctorum Patrum? Porrò *commentarium* est quædam glossa seu expositio alicuius textus obscurioris, qui eiusmodi expositione perspicaciùs claratur: quomodo ergo descriptæ leges egregia Sanctorum facta quodam velut commentario exponere dicuntur? Num lex scripta, vitæ Sanctorum Patrum interpretatio idoneè dicatur? ô peregrinum commentarium! imò opportunissimum: nam quod egregia facta obscuriùs, dicunt, scriptæ postmodum leges clariùs loquuntur, & explicatiùs denunciat. Scilicet ardua virtutis facinora, quæ Patriarchæ animosè ediderunt, cùm aliena à nobis sint, non valde apparent difficilia: ast cùm lata lege seriò nobis præcipiuntur, & ad similia patranda opera vinculo præceptionis obligamur; tunc, tunc quidem cùm à nobis adsimile virtutis facinus patrandum sit, facti difficultas sentitur, & tota ponderis mole decumbit. Alio operante, obscurè nobis apparet operis difficultas; cùm verò per operis faciendi præceptionem adigimur ad similem operationem; iam perspicaciùs cernitur quàm sit arduum illud pietatis facinus, quod lege mandatur. Ecce tibi quo pacto idoneè dicatur, *Leges scriptas nihil aliud esse, quàm vitarum Patrum commentarios, in quibus eorum dicta factaque narrantur.* Facile enim, & exprompium putabatur virtutis egregium facinus, quod ad alium duntaxat pertinebat: quando verò eius patratio ad nos spectat, confestim eius ardua difficultas clariùs apparet, & inde scriptæ leges, quæ nos ad similia facta obligant, vitarum Patrum *commentarij* argutè censentur. *No es tenido por dificultoso lo que à de haçer el otro, hasta que corra por mi quenta haçer otro tanto.* Quid illustriùs? Hinc pensanda est Tobiæ iunioris eximia virtus: qui cum quotidie videret probitatis exempla à Patre tranquilla constitutione exhibita; etiam postquam ea tot arduis præceptionibus, velut quodam commentario exposita sunt, non exhorruit; sed alacri proposito vltrò subiuit.

Philo lib de Abraham.

Quare lex scripta dicatur, vita Patriarcharum commentarium.

Hic v. 1.

3. Paulus ad Hebræos 5. tametsi Dei arcana de paradisi schola plenius didicit, quo fieret, & Doctor Gentium, & Ecclesiæ magister, sic de Christo Deo loquitur: *Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex his, quæ passus est, obedientiam,* &c. Non possum hic non perstringere pulchram Remigij expositionem: *Cum esset*, inquit, *filius Dei in veritate didicit obedientiam ex his opprobriis, & tormentis, quæ passus est*, quasi opprobria, & tormenta sint Christi gymnasium, Obedientia ex calamitatibus discitur; Sed de hoc forsan alibi.) Venio ad rem super qua sic fatur Anselmus, præfatam Pauli sententiam his verbis exponens: *Et quidem cùm esset, idest, quamuis esset secundum diuinitatem Filius Dei, didicit obedientiam, secundum quod homo est. Idest Christus non solum preces obtulit, sed & obedire didicit in Passione, idest, expertus est in se ipso laborem obedientiæ. Non enim scire potest afflictionum labores, qui afflictionis experimentum non habuit.* Nimirùm Christus, quamuis esset secundùm diuinitatem verus Dei filius, & inde nullius notitiæ indigus, sed de diuinitatis perspicacia omniscius, obedire tamen didicit in passione, qua homo est, expertus in seipso obedientiæ laborem. *Non enim scire potest afflictionum labores, qui afflictionis experimentum non habuit.* O quàm diuersa est notitia, qua alienas afflictiones de propriis æstimamus, & qua easdem speculatrice mentis perspicacia contemplamur! Vel Christus Deus tot scientiarum notitiis instructissimus, de passionis suæ experimento discit, quàm grauiter torqueant humanarum afflictionum labores; De propriæ experientiæ magisterio ediscendus est alienę calamitatis census, & sensus Passionis experimentum, est optimum alienæ passionis æstimandæ gymnasium; Sic proprios dolores homo persentit, alienos negligit; Christus si ab aliquo discere potuit, sensum doloris, & arduam practicæ virtutis disciplinam, ab experientia discere debuit. De proprio malo, viuaciùs sentimus alienum. Tantùm experientiæ licet! *Non enim scire potest afflictionum labores, qui afflictionis experimentum non habuit.* Exinde Christus *quamuis esset Filius Dei, didicit ex his, quæ passus est.* Num experientia propriæ Passionis in Christo, fuit Passionis Martyrum illustris commentarius?

Ad Hebr. 5. v. 8.

Remigius ibi.

Opprobria, & tormenta sunt Christi gymnasium.

Ansel ad eũ locum Pauli.

Scire non potest afflictionũ experimẽtum non habuit.

4. Ioannis 6. in vasta solitudine hominum innumera multitudo impransa iacet. IESVS autem de eorum inedia sollicitus, ne fame pereant, dicit discipulis, *date illis vos manducare.* Philippus difficultatem exaggerat, quam nec Andręas minuit, nec reliqui inficiantur. Dixit ergo eis IESVS: Facite homines discumbere. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia. Quinque autem panes, & duo pisces duntaxat ad conuiuium suppetebant. *Accepit ergo IESVS panes & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus; similiter, & ex piscibus quantùm volebant.* Cùm alia exemplaria habeant, *Quantùm volebat*, ambiguum valde est apud Interpretes, ad quemnam referendum sit τὸ *quantum volebat*, aut *volebant*. An ad Christum, qua quantum ipse volebat, escas ad multitudinem cibandam multiplicat? An ad tot hominum millia, qui nimis famescebant? an potius ad Apostolos, qui dapes hominibus ministeriali officio distribuebant? Caietanus qua solet ingenij subtilitate, sic locum percommodè exponit: *Similiter*, inquit, *& ex piscibus quantum volebant. Putant aliqui legendum esse. Quantum volebat IESVS. Crediderim ergo significari, quòd tam panes, quàm pisces IESVS multiplicabat quantùm volebat Discipulis ad distribuendum turbis: quemadmodum principalis dispensator dat propositis mensarum quantum petunt; illi autem petebant ad affluenter dandum.* Nimirum Discipuli nuper se excusant à tot millium cibatione, quasi re nimis ardua, & vltra illorum prouidentiam posita: ast cùm ab alio conuiuij impensas fieri aduertunt, ex quinque duntaxat panibus, & duobus piscibus largissimè petunt, *quantum volunt*, inquam, *ad affluenter dandum.* Cibatio ab ipsis tunc in deserto præstanda

Ioan. 6 v. 11.

Quantùm volebant Apostoli, vt affluenter darent, Christus dare vult.

Caiet. ibi.

da, sic illis videtur ardua, vt nec minutum panis frustulum singulis impertiri præsumant: cùm verò conuiuij parandi cura in alium incumbit, penuriæ, & arduitatis immemores, non modo petunt quæ frugaliter sufficiant ad sedandam famem; sed quantum *volunt*, petunt: *petebant* enim *ad affluenter dandum.* Quin & inde liberaliter Christi beneficentia eximiè elucet: nam quantùm Discipuli *volebant ad affluenter dandum*, tantum *IESVS volebat*, quę exaggeratior beneficétię hyperbole est: nam cuique perfacilè est largius expetere, quod non ipse, sed alius præstiturus est. Exinde consultissimè dicitur, *quantum volebant* Discipuli, inquam, & *quantum volebat IESVS*: quasi IESVS impensas facturus, tantum præstare *voluerit*, quantum *volebant*, qui impensarum nihil præstabant.

---

§. CCXII.

Vera via absconditur ab eis, qui peruersa via tendunt in cœlum.

1. DE illis ago, qui cùm bonis omnibus animitus destituantur, viam sibi ad virtutem apparenter sternunt, & fucatis artibus ad cœlum nituntur. Scio præcipitia hypocritarum studiis adiacere, & fragosam eis ad empyrei fastigium viam esse. In cœlum videntur rectà ire, & toto cœlo aberrant. Quid quæris in mentita virtutis apparentiam, tranquillitatem? ratam Oceanus spondere solet, & quid ambientium animi, nisi reciprocis æstibus iactata maria? Quæris sub falsata modestia, & virtute subdole mentita, cœlum conscendere? Esto, videaris rectà pergere, & de virtutis studio tibi blandiaris: similis tamen es illis, quibus in scena sceptra, & diademata porriguntur. Cum elati, & cothurnati incedunt, non, vt primũ exierunt, excalceantur, & ad statutam suam redeunt? Profectò vbi reducta fabulæ, quam agunt, cortina est, expurpurati, & exsericati, nulla mentitæ iam opinionis prærogatiua, sibi quisque redde tur, & quàm longè à virtutis meta, & cœli fastigio absit, non tran slucebit, vt hactenus; sed perspicuè cunctis apparebit. Dum oculis pateat, neminem tam vasto spatio à cœlo absentari, quã qui peruersa via cœlum conscendere nitebatur. Metam celat, vt cursum contendat, & dum peruerse it, maturius repedat, & in barathrum præceps ruit, gressibus, quibus in cœlum ire præsumebat. Domini, & ad Dominum viæ, hîc ab Angelo demonstrantur. Hæ sunt viæ Domini, iusti ambulabunt per eas. Qui per eas non vadit, quò celerius it, vastius exerrat.

Hypocrita nõ it in cœlum, sed à cœlo lõgiùs errat.

Hic v. 1.

2. Geneseos 11. erat terra labij vnius, & sermonum eorundem; nec linguæ discordia, animorum diuortium hactenus fecerat; nec dispersérat ambitio, quos vniloqua lingua deuinxerat. Cúmque proficiscerentur de Oriente, inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt in eo dixitque alter ad proximum suum: *Venite, faciamus ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum,* &c. Sanè hoc est, quod humanum genus pessimum perdit, quia non vult naturæ suæ mensuram agnoscere, sed semper maiora desiderat, & quæ supra suam sunt dignitatem votis concipit. Nescit modum auaritia gloriæ; & ambitionis vota ca-

Gen 11. v. 4

ptum naturæ transcendunt. Sibi extraneus est, qui dum maiora se quærit, à se peregrinatur. Humanæ ambitioni satis non est sublunaris meta, & cœli fastigium vertice contingere exambit. *Venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum.* Quid nunc culpantur homines, quòd cœlo propiùs appropinquare satagunt? An non præstat, homines terrigenas, limi sui sordes (vt possunt) excutere, & terræ squalore abdicato, propè cœlum sublimius habitare, quasi coloniam in cœlum duxerint? Cur studium se à terra absentandi, & appropinquandi cœlo, in hominibus sic damnatur? Pulchrè inibi Rupertus respondet: *Inueni* (inquit Deus) *in quo dignè quod merentur, iuxta modum culpa retribuam eis. Quoniam peruersa via tendunt in cœlum, veram viam abscondam ab eis.* Expensione dignissimum est, quòd non dicitur Deus abscondere cœli viam ab iis, qui per eam incedere negligunt, aut peruersæ criminositatis ductu, rectà proruunt in gehennæ barathrum, sed ab iis, qui *peruersa via tendunt in cœlum*, qui pietatem obtendunt ambitioni, delicias necessitate colorant; male consultis, & perniciosè decretis, litteratos consultores, sed aut ambitiosè candidatos, aut auarè subornatos prætexunt; qui hypocrisis fuco latentem malitiam bonitatis colore pingunt, & scenicas personatè dotes ingeniantur; quo magni appareant, & prope cœlum habitare mentiuntur. *Cuius culmen pertingit ad cœlum*, sed superbiæ gressibus sic altè ascensiones in corde suo disponunt. Ab his, ab his inquam, vera cœli via dignè abscousa est: *quoniam peruersa via tendunt in cœlum.* Multi (heu plures quàm par erat!) passionum calcare stimulati, latam perditionis viam ingrediuntur, & quã maximis itineribus ad inferna, per voluptatum amœnitates descendunt: qui tamen non sic caligare permittuntur, vt viam cœli, à qua declinant, non crebrò respectent, & per eam incedere frustrà suspirent. Ast qui peruersa via ire in cœlum annititur, quo magis progreditur, eo sibi magis viam abscondit.

Vera cœli via absconditur ab eis, qui peruersa via tendunt in cœlum.

Rupert. ibi.

3. Matthæi 7. per bona opera (rumpantur licet Hæreticorum illa) regia sternitur in cœlum via. Dei verbum non est otiosum, ne garrulitatis insimuletur; sed habet opus, quod humana mente concipitur, manu peragitur, quo tandem itur in cœlum, quo non peruenitur tumente velorum, seu verborum aura, turgentibus inflata buccis? actuoso operum remigio, sudatis pietatum transtris; Rectore, & directore sermone, sed remige manu, pede item remige. Putas oris duntaxat afflatu in cœlum ire, audi Christum Deum ethicè loquentem: *Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Non itur in cœlum per verba, sed per opera, qui verbigerando viam ad cœlum sternere parat, egregiè nugatur. Nam, vt Sanct Hilarius inibi docet: *Cœlestis regni iter, obedientia voluntatis Dei, non nuncupatio repertura est.* Quid? putas subnixum pretiuncula, quam non deuotio expressit, sed tumultuaria dearticulauit necessitas, te ascensurum in cœlos: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.* Arnobius ille Afer, vetustate nobilis, qua solet sermonis purpura, lib. 2. contra Gentes, ita scribit: *Neque illud obrepat, aut spe vobis erea blandiatur, quod Magi spondent, commendatitias se habere preces, quibus emollita ne-* *scio*

Matth. 7. v. 21.

Precatiunculis, quas extrema necessitas exprimit, ne mo in cœlum subuolare præsumat.

Sanct Hilar. Can 6 in Matth.

Arnob 2. contra Gent.

scio quæ potestates, vias faciles prabeant ad cælum contendentibus subuolare. Credite, nullam video precatiunculam, quæ sine vestrâ operâ, ac diligenti curâ, seruare vos possit, & rectà in cælos perducere. Superstitionis pede passim impingit per errorum auia, quisquis putat, nescio quâ aut verborum formulâ, aut fidei phantasia, aut fiduciæ præsumptione, recto itinere se in cælum tendere. Christus Deus *via* nostra in cœlum est, per hanc illi obsequendo, iter nostrum dirigamus. Hæc est via, iusti ambulant per eam. Qui ab eâ declinat, à viâ regiâ arroganter discedit, & per labyrinthæas errorum ambages, non rectè it, sed peruersè exerrat, & mendacij scalis cœli fastigia scandere præsumit. O! ne illud obrepat, quod friuolâ & aërea spe, impuni criminositati blanditur, & vitia blandè subornat; quod Magi, & Hæretici audacter spondent, & profligatissimis moribus perditissimi homines desperando præsumunt; extemporalis precatiunculæ, aut Iesuani nominis inuocatione, aut pœnitendę fiducię merito, *vias faciles in cælum præberi*, & similibus nugis, velut quibusdam suæ stoliditatis alis, tuto itinere ad cælum subuolare. O vtinam sibi persuaderent, se à recto fidei & cæli tramite longiùs aberrare, vt respectare rectum iter votis aliquando eualerent. Verùm dum Babylonis turrim obstinatè ædificant, cuius culmen pertingat in cælum: *quoniam peruersâ viâ tendunt in cælum, veram viam Deus abscondit ab eis.* O vide quàm sit periculosum peruersâ viâ in cælum tendere!

4. Adhuc enucleate oportet præfata Christi Dei verba: *Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est; ipse intrabit in regnum cælorum.* Quò seriò quisque sibi persuadeat, non de conceptis precatiunculis, quibus Deus non attendit; sed de diuinæ voluntatis executione, uobis ad cœlum viam parare, orationésque nostras inde exaudiri ad regni cælestis fœlicem adeptionem. Saluianus Massiliensis fortè alludens ad præscripta Matthæi verba: *Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine; sed qui facit voluntatem Patris mei, ipse intrabit in regnum cælorum*, iure miratur, *vt molestum sit despici à Domino preces nostras, cùm præcepta eius despiciantur à nobis. Fac nos pares Domino nostro esse: quis iustæ querimoniæ locus est, hoc pati quemquam quod fecerit? ...... Quid enim dignius ac iustius: Non audimus, non audimur: Non respeximus, non respicimur.* Quid tam præsumis de precatiunculis tuis quibus serò & frigidè ais: *Domine, Domine*; & in Domini viis ambulare negligis, dum eius *facere voluntatem* contemnis? Quid miraris preces tuas à Domino despici, cum per mandatorum viam, quâ eius exprimitur voluntas, incedere despicias? *Faciamus nos pares Domino nostro: Non audimus, non audimur: Non respeximus, non respicimur.* Ne tu Dei voluntatem facere negligens, tutò te credas his commendatitiis precatiunculis, quæ fide falsatâ & Dei audientiam, & iter ad cœlos securum spondent. Nemini subrepat, quòd *vias faciles præbeant ad cælum contendentibus subuolare. Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, intrabit in regnum cœlorum.* Hac itur ad astra. *Quoniam peruersâ viâ tendunt in cœlum, vera via absconditur ab eis.*

Matth. 7. v. 21.

Nō audimus Deum iubentem, nos audimur à Deo precantes: nō respeximus, non respicimur.

Saluian. lib. 3. de Guber. Dei.

§. CCXIII.

Sibi inuidet lucrum, quisquis ad illud captandum nimis properat.

Egestate & inopiâ crescit opum sitis; copiâ & opulentiâ pariter inaccrescit. Vtraque diuitiarum libido vbi impotenter animum inuasit, illum potenter excæcat, & parandi lucelli artificium, sit dissimulanter egestatis arbitrium. Auaritia nimis properat, & dum præmaturè festinat acquirere, perdere ocyùs discit. Latet in vsuris paupertas, & festinata opum acquirendarum audacia, inopiam inuenit, vbi opes quærere præcurrebat. Ludit fortuna in his felicitatis falsatæ nugis, & ad properantes humanæ auaritiæ artes nauseat, dum de maioris lucri certâ spe, certius facit paupertatis commercium. Non dico, diuitias bonis modis paratas, de austerioris Philosophiæ exemplo, in mare abiiciendas fore: neque enim probare possum indignabundam hanc mentem, ac tanquam nauseantis super auro stomachi vomitum. Tantùm hîc verò auarè festinatam opum acquirendarum cupidinem; quippe quæ (vt alia eius incommoda omittam) dum lucris ocyùs præuolat, lucrosos quæstus impedit, quæstuosam frustratur industriam, & sollertiùs paupertati è peruerso militat sub auaritiæ signis. Certiùs Tobias à Gabelo extorsit pecunias, quas perdiu non repetiit. 1.

Festinatā opum libido, egestati negotiatur.

Hic vers. 3.

Actorum 12. Herodes ille astutæ Vulpis haud degener soboles, Petri dispendio gratiam Iudæorum mercari satagit. In tetrum ergastulum Apostolus impingitur, æneis strictim vinculis religatus. In ipsâ autem (vt sic loquar) noctis meridie, splẽdidi Angeli præsentiâ obscurus carcer lucernatur. Fugitiuo obsequio ferreæ catenæ vltrò recedunt, & Petrus vinculis exolutus, impiger è carcere exilit eductore Angelo. Et exeuntes processerunt vicum vnum: & cõtinuò discessit Angelus ab eo: consideransque venit in domum Mariæ matris Ioannis, vbi erant multi congregati, & orantes: *Pulsante autem eo ostium ianuæ processit puella ad audiendum, nomine Rhode. Et vt cognouit vocem Petri, præ gaudio non aperuit ianuam, sed intrò currens nunciauit stare Petrum ante ianuam.* O puella insensata, aut præ gaudio attonita aut præ auaritiâ demens; quid Petrũ fugientem in viâ publicâ ad ianuam foris relinquis, vt intrò curras denuncias stare Petrum ad ianuam? Petrum inquam, expectatissimum, cuius causâ vnanima fidelium congregatio obnixè precibus instabat. Meritò hæc ancilla dum eiusmodi nunciũ sic defert, opprobrium *insaniæ* audit: non modò quia incredibilia narrare putabatur; sed etiã quia fugienti Apostolo cùm non aperit ianuam, latibulum negat, & effugium præcludit. O insaniam! præ gaudio adstantis Petri, Petrum diligẽtissimis inquisitoribus prodis, dum morosa ianitrix cunctaris fugæ asylum; Expositores huius loci, caussam diligentiùs indagant, ob quam hæc puella antequam ianuam Petro reseraret, intrò læta cucurrerit faustum nuncium deferre. Theophylactus hoc dubium pertractat, & ad litteram illud extricans, sic nos instruit ad mores: *Non aperuit*, inquit, *illi ianuam, sed intrò currens nunciauit stare Petrum ante ianuam, vt ob latum nuncium premium ferret.* Vide hîc auarè insanientis muliercula 2.

Actor. 12. 13. & 14.

Qui nimis properat ad lucrũ, lucri causã amittit.

Theoph. ib.

lierculæ dementiam, & vecordem lucelli cupidinem. Quodnam eſt lætum nuncium, ob quod delatum, euangelium *(las albricias)* accipere puella præcurrit! an non eſt, Petrum ſtare ante ianuam in publicâ viâ, è regio carcere recens fugitiuum? Ita ſanè. Aſt quæ dementia eſt, Petro properanter fugienti non aperire ianuam, & promptum præbere effugium, ſed illum exponere peruestigationi cuſtodum, *vt ob lætum nuncium præmium ferat?* Felicitatem rei nunciatæ periculo exponit, vt felicis nuncij præmium lucretur. Si regij carceris cuſtodes fugitiui Apoſtoli veſtigia perſequentes, illum interim comprehenderent, an non proſperitas nuncij perſpicuè infelicitaretur: & nõ modò læti nuncij lucrum perderet, ſed iterum comprehenſi Apoſtoli pœnas lueret? O cæcos auarè feſtinantis cupiditatis oculos! hæc puella reportandum ex nuncio lucrum videt; ad cauſam reportandi lucrum caligat: & quò maturiùs properet ad lucrum, lucri cauſam oſcitanter negligit. Ecce tibi feſtinantis auaritiæ ſtipendia.

3. Aggæus Propheta cap. 1. ſic loquitur ad Hebræum populum, qui è Chaldæâ redux, Dei templum reædificare recuſabat, vt proprias opes in propriis vſibus inſumerent, non in templi fabricâ, quaſi in re alienâ. Ergo irreligioſa Iudæorum auaritia, opum imminutione conſultè mulctatur. Et nunc, inquit Propheta, hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras. Seminaſtis multum, & intuliſtis parum: comediſtis, & non eſtis ſaturati: bibiſtis, & non eſtis inebriati: operuiſtis vos, & non eſtis calefacti: *Et qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum.....reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus: & intuliſtis in domum, & exſufflaui illud.* Quæ verba commentans Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromm. ita ad rem fatur: *Poſſeſſio enim quæ cum iniquitate acceleratur, minor redditur. Sunt enim qui ſeminantes* (id eſt, *diſpergentes*, vt ipſe ſe expoſuit) *multiplicant, & qui colligentes minus habent. De quo ſcriptum eſt: Qui colligit mercedes, colligit in ſaccum perforatum.* Nempe ſic feſtinata opum cupido, & lucri præceps auaritia, cupitam opulentiam auertit, vt citiùs qui opes diſpergunt, diſſipatione eas ditiùs cumulent, quàm qui poſſeſſionem auidè *accelerant:* quippe *qui colligentes minus habent. De quo ſcriptum eſt: Qui colligit mercedes, colligit in ſaccum perforatum.* Mirifſimum planè eſt, quòd qui plus colligit, reapſe minus habeat, & noua in dies cumulatione ſenſim cumulatæ opes minuantur. Verùm properans lucri cupido, arcanâ *accelerationis* vi ſacculum perforat, vt quo plus colligunt, minus habeant. Nam *poſſeſſio quæ cum iniquitate acceleratur, minor redditur. Sunt enim qui diſpergentes multiplicant, & qui colligentes minus habent. De quo ſcriptum eſt: Qui colligit mercedes colligit in ſaccum perforatum.* Accelerata opum congerendarum libido, adeò cæcè inconſulta eſt, vt propcrantior ampliùs poſſidendi cupiditas, ſit paupertatis votum, & minus habendi arbitrium. Porrò *feſtinata ſubſtantia minuetur.* Qui præcurrere ſatagit lucro, illud fugit, & præproperè fugitiuâ cupidine auertit.

Qui nimis feſtinat captare lucrum, illud condit in ſaculum pertuſum.

Aggæi 1. v. 6 & 9.

Clem Alex. lib. 3. Strom cap. 5.

4. Paulus 1. ad Timotheum 6. ſic illum alloquitur: *Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum.* Qui dixit, Diuitibus huius ſeculi, planè demonſtrat & alios futuri ſeculi diuites eſſe, qui quò circa temporaria lucra magis cunctantur, eò ad æterna celeriùs contendunt. Idcircò præſentis ſeculi diuites appellauit, vt diſcas, quod cum præſenti vitâ, ſollertiùs conquiſita copia diſſoluitur. *Neque in incerto diuitiarum*, inquit, incertas appellans diuitias, ad quarum poſſeſſionem dum properanter hias, eaſque ſolerti ambitione procuras, ipſæ fugitiuâ fraude euaneſcunt. S. Ioannes Chryſoſtomus exponens præſcripta Apoſtoli verba, *Neque ſperare in incerto diuitiarum*, ita eloquenter ſcribit: *Nihil enim tam infidum quàm diuitiæ: quòd fugitiuus eſt, & ingratus ſeruus fidem non habens: vel ſi innumera ei vincula iniicias, ſic quoque cum ipſis vinculis aufugit. Sæpiùs igitur peſſulis & foribus ipſum poſſidentes concluſerunt, ſeruorum adhibitâ cuſtodiâ: ille verò ſeruis ipſis perſuadens, cum ipſis fugit cuſtodibus, tanquam catenam eos trahens, & nihil profuit cuſtodia. Quid hoc infideliùs.* Quid ergo mirum ſi quò celeriùs properas ad diuitiarum lucra, earum iactura obtentionem anteuertat; quandoquidem diuitiæ iam poſſeſſæ, velut *fugitiuus & ingratus ſeruus fidem non habent.* Scilicet parum foret, quòd opes infidâ nimis fugâ, velut nequam ſeruus ſuum dominum fugiãt, niſi etiam ingratitudinis reatu propudioſo notarentur. Opulentia enim quaſi *fugitiuus & ingratus ſeruus fidem non habet*, An non auari idolum, eſt argenti nitor, & auri pallor? diuinos honores opibus exhibet, & velut numen adorat, dum eas habet; quærit, dum non habet. O vide quàm ſollicitâ ambitione inhiat diuitiis auarus, ſolers earum riualis! Terram profundè euertit, maria audacter traiicit, longinquitates exul contemnit conſcientiam vſurariè negligit, vt vel exiguum captet lucellum. Vilia ſunt illi omnia, cui opulentia valde pretioſa eſt. Illa verò tot impendiis, & obſequiis *ingrata*, amatorem fide fugitiuâ faſtidit; & tot laborum immemor, ſpes fruſtratur hiantes ingrato infidè ſupercilio quaſi opum cenſus, non tam poſſeſſio ſit, quàm fuga faſtidioſè *ingrata*: mauultque eſſe fugitiuæ ingratitudinis rea, quàm poſſeſſoris conſtanter domina; quandoquidem ipſa diuitiarum obtentio, ſic eſt fugitiua, vt poſſeſſionis titubatio ſit, & trãsfugij ſuſpecta: eſt enim *fugitiuus & ingratus ſeruus fidem non habens.* O ingratè falſatam diuitiarum fidem.

1. ad Timoth 6. v. 17.

Chryſ. ho. 2. ad Popul.

Terrena opes fugitiua sũt, & infida ingratitudinis reatu viles.

---

§. CCXIV.

Præmia, qui tollit, ferè virtutem ſuſtulit.

SVa cuique apud Principem (ſiue aliũ quempiam, qui præmiationi præeſt) virtus laudem, & præmia inueniat: & pro virtutum magnitudine, præmiorum magnitudo creſcat: nec irremuneratam, nec illaudatam, vllo modo virtutem ſuorum patiatur. Neque enim quiſpiam facilè gratuitò bonus eſt; vt dictum verè ſit: *Quis enim virtutem amplectitur ipſam, præmia ſi deſint?* ita pauciſſimi nudâ virtute contenti ſunt, vt, ſi hoc ſuſtuleris, illam tollas. Et Deus ipſe non præmiis ſuos allicit; & ditioribus factis opulentas ſponſiones exornat? Quis vaſtas inhabitare ſolitudines docuit, & extremam pauperiem pati? quis vltronea tormenta, cùm in ſecures, & ignes pueri, puellæque inuolarent? quis diademata, & purpuram, & opes & nobilitatem, & regiũm contemnere genus? tolle promiſſa cœlo præmia, quem virtutis amatorem inuenies? O nimis verè *Præmia qui*

1. Politico-Chriſt. lib 2 cap. 14.

Præmia, qui tollit, virtutem propè ſuſtulit.

qui tollit fere virtutem sustulit. Nullam ergo Princeps, si florentem Rempublicam volet, virtutem sine mercede transeat: quæ etsi ad rectè faciendum, perfectissimos quosque non omninò mouet, tamen dissimulanter allicit: & omnes mercedem saltem facinoris comitem, vel sequelam exoptant.

1. Regum 17. valida Philisthinorum manus, Israëlis fines inuadit: quibus: Saül obuiam occurrit, Hebræorum copiis ad repugnandum stipatus. Tres Dauidis fratres secuti fuerunt Regem, dum Dauid patris gregem in deserto pascebat. Tunc Isaï filiorum sollicitus, Dauidem è pascuis euocat, mittitque cum esculentis munusculis ad castra, vt sciscitetur qualiter se gerant fratres, & sibi renúciet. Impiger Dauid castris adest. Et Philisthim stabant super montem ex parte hac, & Israël stabat supra montem ex altera parte: vallisque erat inter eos. Et egressus est vir spiritus de castris Philisthinorum nomine Goliath, altitudinis sex cubitorum, & palmi. & cassis ærea super caput eius, & lorica squamata induebatur, & ocreas æreas habebat in cruribus: & clypeus æreus tegebat humeros eius: hastile autem hastæ eius erat quasi liciatorium texentium; ipsum autem ferrum hastæ eius sexcentos siclos habebat ferri: & armiger eius antecedebat eum. Stansque clamabat aduersùm phalangas Israël: Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen: si quiuerit pugnare mecum, & percusserit me, erimus vobis serui. si autem ego præualuero, vos seruietis nobis. Et aiebat Philisthæus. Ego exprobraui agminibus Israël hodie. Quod vt innotuit Dauidi, & audiens opulentum quod Rex promiserat præmium percutienti Philisthæum, nec contêtus semel audisse: *Ait Dauid ad viros qui stabant secum, dicens: Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc, & tulerit opprobrium de Israel? quis enim est hic Philisthæus incircumcisus, qui exprobrauit acies Dei viuentis? Referebat autem ei populus eundem sermonem, dicens: Hæc dabuntur viro, qui percusserit.* Et quasi parum foret semel, & iterum de promisso victori præmio interrogasse, tertiò ab obuiis militibus idem rogat. O nimis opulentiæ, & laudis auarum Dauidis animum! Audit Dei opprobria, & populi sui iactatas contumelias, videt periculum indecoræ seruitutis, & sic sollicitè de præmio disquirit? Ipsa virtus sat sibi præmium est. In conscientia, vel impræmiati facinoris fasces eminent, trophæa eriguntur, victoria plaudit, triumphus illustrior sumptuosiùs agitur. Tam sordido ne est animo Dauid, Dauid inquam, nuper ad regnum inauguratus, vt tanta toties sedulitate, de facinoris mercede sciscitetur? Sed adhuc moralissimè Dauid tertiò inculcat: *Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc?* Ad quæ verba pulchrè Lyranus, ita opportunus scribit: *Licet enim iam audisset Dauid, tamen volebat à pluribus requirere ad maiorem certitudinem. Nec quærebat ista Dauid cupiditate lucri, vel honoris principaliter, volebat enim pugnare cum eo propter gloriã Dei, & propter liberationẽ populi. Libertas autem à tributo, & alia Regis promissa, non alliciebant eum ad hoc, nisi tantum consequenter.* Vides quàm sollicitè Dauid de promisso præmio disquirat, de statuta victori mercede sciscitetur; non ambit promissæ opulentiæ lucrum, nec gloriæ humanæ ambitione tangitur, sed *propter Dei gloriam, & propter liberationem populi*, periculosũ aggreditur facinus, & tamen sollicitus de præmio sciscitatur, de mercede requirit. Gloriam Dei spectat, & patriæ liberationem intendit, sed sollicitus est de promissa mercede, eamque vult, quasi facinoris comitẽ, & victoriæ sequelam. Ob gloriam Dei prorsus mouetur, sed blandimento mercedis animatur. Nõ spectat præmium, sed illud non negligit. *No le monio à Dauid la grandeça del premio, à emprender tan ilustre y peligrosa haçaña; pero quiçà no la emprendiera, si no tubiera à vista el galardon.* Opulentum, & gloriosum præmium alliciebat, & obuia impedimẽta submouebat, tunc ipse Dauid viuide excitatus, Dei gloriam, & patriæ libertatem duntaxat intendebat; neque appendicem gloriæ opulentiam neglexit. O discant ex hac Dauidis schola, qui præmiationi præsunt, ne ardua, aut militiæ, aut sapientiæ, aut virtutis facinora, impræmiata negligant, quasi sublimiùs figenda sit boni operis intentio; (hoc prætexunt nomine incuriam Reipublicæ exitialem) quid si altiùs non figitur intentionis scopus? (quis mediocriter consiliosus, summam virtutem ab omnibus omninò exigit? Excitetur saltem præmio, vt præmio maiora sinceriùs prætendat. O quàm rarus est, qui diu bonus gratis est. An non hic consultiùs Tobias vel Angelo mercedem operis importuni large spõdet, & opulentioris post reditum præmij, spem ingerit, vt præmiationis voto, rem peragat strenuè? (Sic habetur in Græco textu.)

Sæpè inculcatur in libro Genesis, quod vbi Deus suo Abrahamo aliquod mandat virtutis facinus, confestim subdit præmium magnificum, quod ardui operis difficultates exarmet, & ad opus excitet opulentæ mercedis lenocinio. Dixit Dominus ad Abram. Egredere de terra tua, &c. *Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi*, &c. in alio loco: Noli timere Abram, ego protector tuus sum. *Et merces tua magna nimis.* Et alibi persæpe his opulentis promissionibus ad ardua virtutis opera valde roboratur mercedis illicio. Vnde Abrahamus appellatur à Basilio, *Diuinæ amicitiæ nundinator.* Sed sciscitari curiosiùs lubet, (quod alibi ad aliud thema notabamus) quid est, quod Deus dum arduum præ reliquis parricidij facinus Abrahamo mandat, operis difficultates, quas verbis duriùs exaggerat, præmio proposito non diminuit? Maiori præmio dignum facinus, impræmiatum cur proponit? Nullam pro mactando filio mercedem repromittit? Tolle, inquit, filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium, quem monstrauero tibi. Eccur vsque adeò amaram præceptionem, nulla mercedis promissione mellit, aut temperat? Verùm Abrahamus diuini præcepti, & voluntatis interpres fidelis, de mandati facinoris celsitudine, magnitudinem omissi præmij piè acutus rimatur, sic aiens apud Basilium Seleuciæ Præsulem: *Ausa sacrum facere dextera, beneficium spondet.* Nempe cùm Deus perarduum iubet virtutis facinus, præmium dum siler, non omittit: nam ipsum mercedis silentium, magnificam mercedem mihi loquitur. Præmium tacet, ne illud spectem, sed Dei præcipientis gloriam, ast mercedem dissimulatione tacitè prodit, quæ gratiæ facinus comitetur, non præeat. Lateat in facinore facinoris præmium, & velut cæcis litteris descriptum legatur

Dauid interrogat de præmio promisso facinori, quod propter gloriã Dei patrat.

1.Reg.17.v.26 & 27.

Lyranus ibi.

Hic v.4.

5.

Gen.12.v.2.
Gen.15.v.1.

Basil. Seleu. mox allegandus.

In ipso filij parricidio, parricidij præmium descriptum Abrahamus legit.

Basil Seleuc. orat. 7.

legatur, ne desit merces virtutis comes, & assecla indiuidua, Deus arduam iugulationem mandat, nec præmium manifestè promittit: Sed *ansa facrum facere dextera, beneficium spondet*, & præluſtrem mercedem pij facinoris ſequelam. Vis noſſe præmium audetis propoſiti executione viduatū? *Per memetipſum iuraui, dicit Dominus: quia feciſti hanc rem, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me: benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuū ſicut ſtellas cœli: poſſidebit ſemen portas inimicorum ſuorum, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ.* Nimirum vt Abrahamus alacer arduum pij parricidij opus intentat, mercedem, quam omiſit Deus, in ipſo opere deſcriptam agnoſcit: & mercede comite, propter Dei gloriam, gladium manu ſtrenuè accipit, dum *anſa ſacrum facere dextra, beneficium ſpondet*. Quid opportuniùs? Sed nota, quòd ſuprà §. 303. his Scripturæ locis ſpecie tenùs idem thema illuſtrauimus: ſed ſi penitus inſpiciatur, diuerſum præmij elogium traditur.

Gen. 22. v. 13

§. CCXV.

Homo perfectus, auidiùs capeſſit honores, quos ſuæ ignominiæ notis reſperſos videt.

1. INterim homo perfectus adeptuſque virtutem hoc ſemper tenet, hoc mordet; aduerſis non ſuccumbere, lætis non credere. Vir bonus nunquam accidentia triſtia excipit, & ciuem ſe eſſe. Vniuerſi ac militem credens, labores velut imperatos ſubit: & quicquid mali incidit, non tanquam malum aſpernatus eſt, & in ſe caſu delatum ſed quaſi delegatum ſibi, hoc qualecumque eſt, libenter, imò gratanter accipit, quantumvis aſperum durumve ſit. Neceſſariò itaque magnus apparuit, qui nunquam malis ingemuit, qui in contumeliis lætus eſt, & ſibi de aduerſis gratulatur: bene ſcius laruata eſſe fortunæ bona, & quæ foris mella offerunt, & fella medullitùs abſcondunt. Placidus ac lenis aſpera & dura captat, probè noſcens, quod ad veram felicitatem per obſtantia itur, male dulces autem voluptates, volatica ſeculi gaudia, & parùm fida honorum culmina, ſuſpecta illi ſunt, & de conſcientia virtutis, meras inſidias reputat: nec temporaria vlla felicitas illi adridet, niſi quam aliqua humanæ felicitatis ſpecies condit ac mellit. Ecce tibi Raphaël, vnus è ſeptē empyrei Regis facialibus, præluſtrem legationem ſub ſpecie mercenarij obit.

Vir bonus in malis non gemit, ſed de illis ſibi gratulatur.

Hier. 5.

2. Geneſeos 41. Ioſephus ille diu fortunæ pila fraterna impietate pius, caſtitate dehoneſtatus; nuper Patris delicioſum, & ſeruus, & fœdi ſceleris reus in duro ergaſtulo ſqualet, felicitatem, quam ſomnio perdidit, in ſomnio inſperatam inuenit, magno proſperitatis auctario Ergò obſcura Pharaonis ſomnia, & Ægypti Magis inuiſa, auſpicato Ioſephus clarat, ingenti palatinorum plauſu: & qui nuper ſordebat in vinculis; auro iam ſplēdet in præluſtri dignitatis faſtigio. Dixitque Pharao ad Ioſeph: Ecce conſtitui te ſuper vniuerſam terram Ægypti. *Tuliſque annulum de manu ſua, & dedit eum in manu eius, veſtiuitque eum ſtola byſſina, & collo torquem auream circumpoſuit.* Bene eſt; veſtium ornatu fulgeat, qui ſummam gerit dignitatem; & qui regno præſidet, Regis donetur annulo, vt diplomata obſignet. Sed quare torquem auream accipiat non facile diuinant interpretes. Quorſum catenam auream circumfert, qui dudùm in carcere catenatus durè obſtringebatur? Belliſſimè Philo in lib. de Ioſeph, hanc rem myſticè verſans, ita ſcribit: *Torquem auream tibi circumpono, quæ non ad gloriam ſolum, ſed ad pœnam pertinere videtur. Hanc torquem donaui tibi ornamentum in proſperitate, vinculum in aduerſitate.* Scilicet bene & optimè Ioſephus calamitatibus adſuetus, carceribus impactus, catenis diu adſtrictus; torque ſeu catena aurea donatur, dum fortuna illi proſperior adridet, & cum Regis familiaritate, excelſiori Ægypti præfectura ſublimatur; vt vel aureâ honoris catenâ, catenarum olim in carcere vicem in memoriam adducat, & in ſumma iudiciariæ poteſtatis ſublimitate, antiqui reatus calamitatem refricet. Catena ornetur in ſublimi honore, quò ipſa proſperitas illum priſtinæ infelicitatis admoneat: & in ipſo faſtigio, ſqualidæ olim vilitatis characteres legat: *Torquem auream tibi impono, quæ non ad gloriam ſolum, ſed ad pœnam pertinere videtur.* In ipſa ſublimiori dignitate catenis inornetur, vt ſe dudum abiectiſſime in carcere catenatum agnoſcat, & quod à carcere vindicat, carceris notas repræſentet. *Hanc torquem donaui tibi ornamentū in proſperitate, vinculum in aduerſitate.* Inde enim fiet, vt Ioſepho dulciùs ſapiat felicitas, quæ antiquæ infelicitatis notas geſtat inſcriptas dum ipſa nūc felicior fortuna, antiqui infortunij monimentum eſt. Forſan ſuſpecta foret Ioſepho proſperitas, calamitatis exors, ergo ſit ſummæ poteſtatis inſigne, quod fuit antiquæ vilitatis probrum, & nupertimo faſtigio, priſtinæ demiſſionis documēta agnoſcat, atque, in ipſa dignitate, indignitatis antiquæ notas relegat. *Recomienza en la maior dicha, huellas de ſu maior deſcredito, para que la reciua maior.* Ergo conſultiſſimè Pharao cù n Ioſephum nuper catenatum ad excelſius ſublimat dignitatis faſtigium, aureâ catenâ illum adornat, aiens: *Torquem auream tibi impono, quæ non ad gloriam ſolùm, ſed ad pœnam pertinere videtur. Hanc torquem donaui tibi ornamentum in proſperitate, vinculum in aduerſitate.* Niſi forte malis inſignè proſperitatis, aduerſitati ſæpè militare vnde ornamentum in proſperitate, vinculum in aduerſitate nominatur de quo aliàs.

Gen. 41. v. 41.

Philo in lib. de Ioſeph.

Ioſephus nuper in carcere catenatus, aurea ornatur catena.

Inſigne proſperitatis aduerſitati militat.

Marci 16. Recumbentibus vndecim diſcipulis apparuit Iesvs, *& exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis: quia iis, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt.* Non diſputo nunc an diſcumbentes ſeu epulantes, an potiùs conſternatos & iacentes Chriſtus inuenerit, & ideò fortè exprobrat incredulitatem eorum, quia cadentes animo, tantùm crediderat deſperationi, & reſurrectioni prædictæ à Domino nō crediderunt. Sed quid eſt, quòd poſtquam exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderūt; continuò dixit eis: *Eunter in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit?* &c. Incredulos vocat, & flectineſciæ diu incredulitatis eos notat, & tunc fidei Magiſtros conſtituit; eoſque mittit per vniuerſum mundum, vt omnes homines faciant fideles, ad eamque conuertant fidem, cui ipſi fuerunt durè infideles? 2.

Infide credētium, ſuam olim incredulitatem legunt Apoſtoli.

Marci 16. v. 15. &

Chrysolog. serm 83. infideles? S. Chrysostomus ad ea verba: *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, ita eleganter ad sem fatur: *Hoc est dicere: Estote vos spes omnibus, qui vobis ipsis desperationis causa fuistis: & incredulitas vestra quanta sit tunc probate, cum videritis auditui vestro mundum credere, qui credere vestro visui non potuistis, & cordis vestri quanta sit duritia tunc scitote, cum senseritis, non viso me, orbe toto gentes ferocissimas me fateri, quem positum vestris in oculis vos negastis.* Scilicet in ipsa felici felitate, qua videbitis vestrâ prædicatione agrestium populorum ferocissimos, & litteratioris olim sapientiæ peritissimos, fidem meam quam negastis, populariter suspicere, & suscipere; malignæ tunc vestræ fidei reprehensionem legetis. Quot fideles sudoribus vestris elaboraueritis, tot infidelitatis vestræ exprobratores inuenietis, vestræ prædicationis fructus, & vestrorum meritorum cumulatior gloria, vestræ vos incredulitatis arguent. Securi potestis orbis conuersi gloriam capessere, quæ inscripta est vestræ olim ignominiæ notis. Parùm est, quòd à conspectu Concilij ibitis gaudentes, quia digni habiti estis pro nomine meo contumeliam pati; in ipsa etiam prædicationis dignitate, & detriumphati orbis docere, vestræ ignominiæ recognoscetis insignia. *Et incredulitas vestra quanta sit tunc probate, cum videritis auditui vestro mundum credere, qui credere vestro visui non potuistis.* Sicut Ioseph nuper in carcere catenatus, in subliminatis fastigio, aureâ adornatur catena, vt illustriorem gloriam suæ ignominiæ notis respersam agnoscat. Pulchrè quidem Chrysologus. *Visales la gloria con apariencias de afrenta, para que ta admitan mas de gana.*

4. 1. Regum 17. cum Philisthæo cataphracto inermis Dauid strenuè duellat, misso igitur lapide galea rumpebatur (nisi fortè Philisthæi arrogantia galeæ munimen aduersus pulchrum iuuenem neglexit) plagam caput admittebat, & anima de corpore fugiebat. Itaque sternitur mortuus Goliath, cadit Philistinorum turris, & Dauidis erigitur trophæum perennante facinoris gloriâ. Neque Dauid gladium intulit ad pugnam sed inermis pugnator sublato Goliath gladio gladij dominum diuidit, armis in vsus debitos versis. Cùm igitur Philisthæus ensem fabricaret, id se in vsus Dauidis facere, & proprij iugulatoris baiulum in aduersarij habitu se Dauidi venire subsidio ignorabat. *Assumens autem Dauid caput Philisthæi attulit illud in Ierusalem, arma verò eius posuit in tabernaculo suo.* Circumtulit gigantæum Philisthæi caput Dauid per plures alias ciuitates, per quas transibat victor exercitus, ex quibus dicuntur egressæ mulieres, & epinicium tam Saüli, quàm Dauidi cantasse. Sed præcipuè Ierosolymam allatum dicitur vastum illud Philisthæi caput, eo maximè tempore, in quo arx Sió erat sub Iebusæorum potestate, tametsi vrbs ipsa frequentibus habitabatur Hebræis. Ergò vt tam illustris victoria omnibus tam amicis, quàm inimicis inclaresceret celebri fama victoris, insigne illud trophæum in Chanaanitidis metropoli, idoneè collocatur. Sed quare hostilium armorum perillustre trophæum in suo tabernaculo posuit victor Dauid? caput verò Goliath ostentauit? Prævalida robusti gigantis arma velut abscondit in tabernaculo suo, & Philisthæi caput tabo defluēte squalidum, ad victoriæ glotiã circumfert? Profectò armorum gloria publicitus perennaret

1.Reg. 17. v. 54. *Victor Dauid in summo triumphi honore ignominiæ notas exambit.*

P. Didac. de Celada in Tobiam.

in æuum, at deciduum & caducum caput, in tabum diffluit, & in matricem pulverem citò abiit. Sed præstat, præstat quidem, tabidum Philisthæi caput, quàm Calybea eius arma, ad clariorem victoriæ gloriam ostentare, quod sacer Historicus peregregiè adnotauit, sic fatus de victoria. *Et percussit Dauid Philisthæum in fronte, & infixus est lapis in fronte eius.... præualuit Dauid aduersus Philisthæum in funda & lapide.* Scilicet Dauid prævalida Philisthæi arma refutat ad trophæi gloriam; & manule caput, cui pastoritia funda obuium infixit lapidem in fronte, vt in præclarioris triumphi gloria, pastoritiæ vilitatis legantur characteres; & in trophæi celsitudine rusticani opilionis appareant notamenta. Vnde qui vastum gigantis caput Ierosolymitanis ostendit, simul *infixum in fronte lapidem* pastoritia funda vibratum ostentat. Non modo absimili Pharao suo Ioseph nuper in carcere sordidè catenato, dixit: *Torquem aureum tibi impono, quæ non ad gloriam solum, sed ad pœnam pertinere videtur.* Hos ambit Dauid honores, quos suæ ignominiæ notis respersos videt. Meracissima pie gloria, humilitati minimè renunciauit. 1.Reg. 17 v. 49.

---

§. CCXVI.

Amictus indicat qualis sit morum nostrorum constitutio.

Res parua, & tamen indicium de hac magnum, vt index animi vestis sit, hinc illud Clemens: *Amictus indicat qualis sit morum nostrorum constitutio*, ita de moribus habitus pronunciat, & dominum suum vestis prodit. Qualem credas animũ latere in viro, cuius corpus cultior mollities effœminat? Sanè cùm ab animorum imperio exquisitus vestium ornatus aut frugalis neglectus sit, è votis vestimenta induuntur, & aut virum suum loquuntur, aut molliculos fœmininosque mores publicant. In tanta vestis teneritudine, quis animi vigor? quę mentis cõstantia? Prostituta animitùs luxuria, quæ in medullis æstuat, amatores vestium lenocinio quærit; & qui animo scortatur, lasciuit in veste cum amictus indicat qualis sit morum nostrorum constitutio; & quis sit in animo describit in corpore. Nazianzenus in hac re benè, *Nos mollibus & circumfluentibus vestibus, pannisque ex tenuissimo lino & serico contextis deliciamur, in quibus ineptimus potius, quam splendorem nobis conciliamus.* Iuuenem *splendidum*, non vestium splendore, sed candore vultus & animi, qui frugali veste translucebat, Tobias eligit longi & periculosi itineris socium in veste descriptum per leges, quod virtutis characteribus expressũ latebat in pectore. Ambiguas & sæpè cœcas pietatis litteras, exterior vestis ad lectionem præclarè excitat, nam *amictus indicat qualis sit morum nostrorum constitutio.* 1. Politico-Christ l. 1 c. 15. *Ex veste desumitur hominis indicium.* Greg Naz. Hic v. 5.

2. Matthæus cap. 3. Ioannis in deserto voces, quibus populos ad pœnitentiam permouebat, & viam præstruebat Christo, altè buccinat. Pœnitentiam agite, aiens: appropinquauit enim regnum cœlorum. Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Sed quærunt interpretes vnde Ioannes tantam in concionando auctoritatem combibit? Audiendus est Euangelista, hæc subscribens: *Nemo potest esse testis alterius idoneus, nisi per vestes fuerit suas.* Matth. 3. v 4.

Ff

scribens: *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos, esca autem eius erat locusta, & mel siluestre. Tunc exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudea*, &c. Quæ verba hoc pulchro glossemate incertus Chrysostomus his verbis illustrat: *Postquam ostendit Ioannes quia ipse est vox clamantis in deserto, prudenter ipse Euangelista subiunxit: Ipse autem Ioannes habebat vestimentum, &c. In quo ostenditur: quæ sit vita ipsius: nam ipse quidem testificabatur de Christo; vita autem eius de ipso, nemo enim potest esse testis alterius idoneus, nisi fuerit suus.* Asperior vestis, qua spinosè Ioannes vtebatur, cilicina inquam, illa vestis, pilis camelorum intexta, vel potiùs ipse cilicio intextus, Præcursoris auctoritatem illi conciliabat; Vt Ioannes auctoritatem habeat perhibendi testimonium de Christo, priùs vestium suffragio idoneum se probat testem? Tantam auctoritatem frugalior & asperior vestis conciliat. Pergit magnus hic Doctor ad thema præsens adhuc tempestiuus: *Habebat*, inquit, *Ioannes vestem non mollem neque delicatam sed cilicinam, grauem & asperam, & conterentem corpus, potius quàm fouentem, vt de virtute animæ eius ipse habitus corporis loqueretur.* Nimirùm virtus, quæ verè virtus est, nec inani garrulitate humanos plausus capiat; tacita in animo mutè silet, ne publicatione vanescat, ast vestimentorum frugalitas, & exterioris amictus asperitas, linguata est, & absconsam in animo virtutem oculis loquitur. O altas, & eloquentes vestium voces, quæ muta taciturnitate quid animo subsit, modulatè buccinant! Frugalis animus transparet in veste, quæ rectorem & arbitrum sui explicatiùs publicat. Amictus indicat qualis sit morum nostrorum constitutio: & *de virtute animæ Ioannis, ipse habitus corporis loquitur.* Vide quid Ioanni vestis conferat; & illi reddit auctoritatem, vt sit idoneus Christi testis, ac de tecto Diuinitatis lumine testimonium perhibeat, vt omnes crederent per illum, & simul mira virtutum elogia, que animitùs latent in Ioanne, velut in speculo exhibet oculis spectanda. Exinde Ioannes cilicio intextus, ideã se virtutis exprimit; & quis, qualis, quantusque sit, vestium asperitate pronuntiat. O quàm multa vno oculorum ictu vestis demonstrat!

Imperf. homil. 3. in Matth.

De virtute animæ Ioannis, corporis vestimentum loquitur.

3\. Tertullianus qua solet verborum ac sententiarum grandiloquentia, sic in lib. de Cultu fœminarum fœminas Christianas alloquitur: Erga vestitum quoque, inquit, & reliqua compositionis vestræ impedimenta, proinde vobis curanda est amputatio, & decessio redundantioris nitoris. Nam quid prodest, faciem quidem frugi, & simplicitate condignam diuinæ disciplinæ exhibere, *cætera verò corporis laciniosis pomparum & deliciarum ineptiis occupare?* Hæ pompæ quàm de proximo curent luxuriæ negotium, & obstrepãt pudicitiæ disciplinis, dignoscere in facili est, quòd gratiam decoris cultus societate prostituat. adeò si desint, irritam & ingratam reddunt, velut exornatam & naufragam... *Ergò primò quidem vt lenones & prostitutores, vestitus & cultus, ne in vos admiseritis: tũ si quas vel diuitiarum suarum, vel natalium, vel retrò dignitatum ratio compellit, ita pompaticas progredi, temperate saltem ab huiusmodi curate.* Porrò si auita generosæ prosapiæ nobilitas, & retrò maiorum gloria diuitiis aucta, ad laciniosum pompaticè ornatum compellit; curate saltem illum temperare, quasi *lenonem, & prostitutorem*, & qui libidinis negotium de proximo curat, quasi æstuantis medullitus luxuriæ index, quo fit, vt retrò maiorum gloriam obscuretis meretriciæ libidinis documento. Quin frugali potiùs & honesto habitu cohonestatæ, quantum de continentia honoratis vestrum corpus, illorum gloriæ adiicitis. Humani generis Protoparentibus tunicas pelliceas fecit Deus, neque his vestibus illos dehonestauit, sed potius honorauit. Geneseos 3. illud: *Fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos*, hac opportuna ecphrasi Chaldæus exposuit: *Fecit Dominus Deus Adæ & vxori eius vestimenta honoris super cutem carnis suæ, & induit eos.* O noua synonyma, & quæ apud humanas aures peregrinantur egregiè! Taceat sumptuosior mortalium ambitio, quæ propriam vilitatẽ laciniosis vestium ineptiis dissimulare festinat, & mentitum honorem de indumentorum pretio fœnerari. Ambitiosior amictus & cultus, *leno* est, *prostitutor* est, propudij character est, & putidi animi documentum. *Tunica pellicea* idem sonat, ac *vestimenta honoris*: vestis enim muta lingua hominem suum loquitur, & quod in animi abditis tectius latet, publicitùs prodit. Cilicina Ioannis vestis frequẽti spinositate aspera, de virtute animæ eius modulatè loquitur & virtutes, quas gerit animo, foris describit: *pellicea tunica* Protoparentes *honorant.* At exquisita in amictu munditiès, mollis ac pretiosa vestis, & comptior ornatus, *lenones & prostitutores* sunt pudicitiæ, castitatis naufragium, & honoris iactura. Nemo in solitudinem ornatur: frequentiam hominum ornatus quærit, & negotium superbiæ & luxuriæ de proximo plerumque procurat. Hominis documentum capere ex vestibus licet, nam *Amictus indicat qualis sit morum nostrorum constitutio.* Quid de experientia verius?

3\. Tertull. de Cult. fœm. c. 9.

Pompaticus vestium ornatus, est pudicitiæ leno, & prostitutor.

Tunica pellicea Protoparentibus facta, emphaticè dicuntur, vestimenta honoris.

Gen. 3. v. 21. Paraphrast. Chaldæus.

4 Marci 5. dũ ibat Iesvs in domum Archisynagogi, vt prope desperatam filiam nouus è cœlo medicus persanaret; mulier quæ erat in profluuio sãguinis annis duodecim, fuerat multa perpessa à compluribus medicis, & erogauerat omnia sua, nec quicquam profecerat, sed magis deterius habebat: *Cum audisset de Iesv, venit in turba retrò, & tetigit vestimentũ eius: dicebat enim: Quia si vel vestimenta eius tetigero, salua ero. Et confestim siccatus est fons sanguinis, & sensit corpore, quia sanata esset à plaga.* Grande plane miraculum! sed fortè nõ impar prodigio animosa mulieris fides, quæ eã de Christi vestibus combibit opinionem. *Non enim* (ait inibi Chrysostomus) *fimbria, sed eius cogitatio eam saluã fecit. Dicebat enim: Quia si vel vestimenta eius tetigero, salua ero. Et cõfestim siccatus est fons sanguinis.* Vide nunc qualiter de Christo annunciet vestimentum, de quo sic sublimiter hæc mulier concepit, vt *eius cogitatio eam saluã fecerit.* Vel cogitatio vestimentorum Christi, desperato languori inopinatam salutem facit: O qualis est vestis, quæ *cogitata* sanitates impertit! Vel cogitatione sui vestimenti, se Christum probat. Saluatorem & salutarem demonstrat: O qualis est vir tus, quæ cogitata ægritudinem incurabilem curat! Tunica pellicea, dum Adamum prædicat pœnitentem, *vestimentum honoris* dicitur: & *de virtute animæ Ioannis, ipse habitus corporis loquitur*: & vestimentorum Christi *cogitatio*, eum Saluatorem demonstrat, miraculosæ sanitatis suffragio.

Marci 5. v. 28 & 29.

Cogitatio vestimentorum Christi ægritudinem incurabilẽ curat.

Chrysost. ibidem.

5\. Hæc pœnitentis Adami, hæc Ioannis Baptistæ,

stæ, hæc Christi Dei vestis fuit. De Beatorum autem vestimentis ita eloquenter Emisenus scribit: Ibi malus maculosæ conscientiæ tenebris, bonus verò pallio immortalitatis & beatitudinis vestietur. Ibi indumenta merita erunt, sicut dicit Dominus: Tunc iusti fulgebunt, & iterùm: Sacerdotes tui induantur iustitiam, vel illud. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato. Vbi ergò pro sanctorum corporum tunica lux fulgebit æterna, vestitus ibi nunquam vllis sæculis exuendus conuertetur in corpus, ibi indumentum transibit in præmium, ibi Angelica illa stola non iam erit amictus, non iam erit habitus, sed natura.* Arcano quidem ingenio & eloquio Emisenus; & fortè sumptuosas Beatorum vestes exaggeratiùs deprædicat.

Emisen homil. 10 ad Monach
Num lucida Beatorum indumenta transibunt in corpus.
Psal. 44. v. 10

---

§. CCXVII.

Sic corporis mole, ad vitia homo degrauatur, vt alis indigeat, quibus in via virtutis incedat.

1. OMne ex integro animal generabitur, dabi turque terris; homo post lauacrum, inscius scelerum, & melioribus auspiciis cœlo nascitur. Sed illi quoque innocentia plerumque non durat, nisi dum nouus est: citò nequitia surrepit. Virtus in arduo collocata, difficilis aditu, & inuentu est, rectorem ducémque desiderat: *Etiam sine magistro vitia discuntur.* Voluptas ab omni parte quæritur; nullum intra se manet vitium, quod adhuc in processu est, etsi iam diu vitiosi simus. Inuenit luxuria aliquid noui, in quod insaniat. Inuenit impudicitia nouam contumeliam sibi: inuenit deliciarum dissolutio, & tabes aliquid tenerius molliúsque, quo pereat. Nondum satis robur omne proiecimus: adhuc quicquid est boni moris extinguimus leuitate, & politurâ corporum. Muliebres munditias antecessimus, colores meritricios matronis quidem non induendos, viri sumimus. Tenero, & molli incessu suspendimus gradum, non ambulamus, sed repimus. Delicata videntur hæc vitiorum lenocinia, sed non est fœminina malitia, mascula est, robusta, & vegeta; quia in consummatæ nequitiæ malum velocissimè hac via incedimus, procliui inuitatæ naturæ impetu. O quàm egrè, & pedetentim ad ardua virtutis gressum explicamus! moliri nos incessum potiùs putes, quàm gradi: *Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.*

Seneca lib. 3. Natur. quæst. cap 30
Quam simus ad vitia procliues.
Sapient 9. v. 15.

2. Isaï 40. ita scribitur: Deus sempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ: non deficiet, neque laborabit Nec solùm Deus ipse non lassatur, sed & hominibus lassis vires, animosque restituit. Inde subdit: Qui dat lasso virtutem, & his, qui non sunt, fortitudinem, & robur multiplicat. Et addit: *Qui sperant in Domino, mutabunt* (Hebraïcè *integrabunt*) *fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ: current, & non laborabunt, ambulabunt, & nō deficient.* Benè præmittit Propheta, Deum, qui non laborat, neque lassatur, hominibus in via cœli lassis vires, animósque afflare, quibus procliue vitiorum iter declinantes, absque lassitudine ad ardua virtutis conscendant. Sed nescio an satis sibi consonent Prophetæ verba Nam esto, qui per arduas virtutis vias incedit, mutet, seu *integret* fortitudinem, vt integro robore de cœlo afflatus, cœli viam feliciter peragat. Quid est: *Assument pennas, sicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient?* Profectò pennæ alatos faciunt, & ad volandum remigia subministrant; non cursui, aut ambulationi deseruiunt, nam ad ambulandum, aut currendum volucres pennæ non iuuant, sed vegeti, & celeres pedes faciunt homines ad cursum pernicissimos. Quis vnquam assumit alas, vt ambulet, aut currat? Cursus negotium pedum est, alæ non incessum, aut cursum, sed volandi vim alatis subministrant. Quorsùm ad ambulandum pennæ, aut ad currendum alæ? Omittunt hanc difficultatem vulgò interpretes. Sed Sanctius erudita sagacitate sic eam extricare tentat: *A Domino*, inquit, *parata sunt aquilina, quibus immensa locorum spatia volatu semper integro, ac vegeto percurrant.* Vbi *currere* sumit pro *percurrere*, quod volatui etiam applicari potest. Sed nescio an in *ambulationem* possit quadrare hæc subtilior expositio. Dicitur enim *Assument pennas sicut aquilæ; current & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Et sanè paraphrasis Chaldaïca explicatiùs id tradit, sic exscribens: *Super alas aquilarum current.* Nempe etsi alati current, & ambulabunt, nec vllibi spatij volatu percurrendi mentio. Verùm enim verò tanta est humani corporis moles, sic grauatè ad ima deprimit, & præpedit incessum in ardua virtutis via, vt pennis aquilinis, non tam ad volatum, quàm ad cursum, aut incessum, opus sit. Sic tardi sunt humani pedes ad virtutem, vitiorum pondere degrauati, vt licet assumant pennas velut æquilæ, satis sit in via Dei ambulare, nedum currere. Tempestiuè Lorinus ad illud Sapientiæ: *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam*, refert Augustinum, pennas Aquilæ sibi à Deo dari postulantem, *vt onere pressus molis corporeæ, possit volare vsque ad decorem domus Dei, locum habitationis gloriæ eius* Pennas ambit ad volandum; sed Isaias tantùm ad gradiendum, aut currendum promittit: *Assument pennas sicut Aquilæ, current, ambulabunt.* Sic corpus quod vitiis corrumpitur, aggrauat animam, vt ad percurrēdam virtutis viam, alis egeat ad incessum, pennis aquilinis ad cursum. Ergo strenuè nos accingamus ad metiendum pietatis iter, ne lene putemus reluctari vitiis, & totam corporis portare molem, alatis pedibus gradimur, non volamus. Tanta, tamque iners est hominibus agnata pigritia! O vel alatam mortalium lassitudinem!

Isaiæ 40. v. 31
In via virtutis, alis vtimur ad incessum.
Sanctius ibi. num. 8
Chaldæus.
Sapient. 9. v. 15.
Lorinus ibi.

3. Geneseos 19. oppiparo derepentè conuiuio, hospitate officiosus, tres simul Dei Angelos Abrahamus excipit Lassi putabantur ex itinere, & velut æstuantes, diuerterāt enim in ipso feruore diei: Hospitalitatis officio abundè peracto, & fœcūda posteritatis spe largiùs remunerato, suos hospites Abrahamus vrbanè deducit, prolixior viæ comes. Frustrà deprecatus Sodomitis veniam, redire cogitur, & breue inde in Sodomam iter, duo Angeli arripiunt, vt Dei obsequium opere adimpleant, ad hoc enim munus eos destinauit, qui facit Angelos suos spiritus, *veneruntque duo Angeli Sodomam vespere, sedente Lot in foribus ciuitatis.* Non admiror sic promptum occurrisse Lotum, ac si de cœlo afflatus, suos hospites expectaret, nam de Abra-

Genes. 19. v. 1.
Apparentia corporis mo-

hami

les, Angeli quodammodo retardati in via. bami schola pietatem didicerat, qui votorum solertia beneficiendi occasiones rimatur & antevertit. Sed admirabilitate non vacat, quod vterque Angelus *vespere* Sodomam peruenerit. An non perbreue iter, breuiori temporis spatio peragere valuerût? Vel humana pigritia ante vesperem illuc peruenisset. Et vbi sunt volucres à cœlo pennæ, quibus ad celeritatem adornati, apparere solitant? Sic cunctanter agillimi spiritus,& ad nutum Deo parentes, diuina præstant obsequia? Sic spiritus alati pigrescunt, vt non ante vesperem,in proximam vrbê peruenerint? Quid velocissimos Angelos in via retardauit? An humani corporis mole, vel apparenter assumptâ, degrauantur? Saltem tardos gressus Angelorum sub humana specie apparentium, moralissimè perspicax, obseruauit aliorsùm Lyranus, aiens: *Veneruntque duo Angeli Sodomam vespere. Tantum enim tardauerant.* O tardum Angelorum apparentem hominum, in via incessum! Alati solent apparere, & ocyssimè ad exequendas Dei præceptiones volare: sed nunc moralissimè *tantum tardauerunt* in via, quam sub specie humana pedibus confecerunt. *Assumunt pennas sicut Aquilæ, current, ambulabunt*; nunc autem Angeli vel in assumpta hominis forma, volare non dicuntur; sed ambulando *tardare*, vt in hoc hieroglyphico,suæ molis pigrum onus,homines edificant. O quis nos à mole corporis huius liberabit! Alatus describitur Raphaël Angelus, Tobiæ comes, qui nusquam eum vidit in via volantem; sed inuenit,velut *iuuenem splendidum,stantem præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum*: & mox dicentem: *Omnia itinera eius frequenter ambulaui.*

Lyranus ad eum locum.

Hic v. 5.

4. Matth. 20 v. 21.

Matthæi 20. mater filiorum Zebedæi, filiorum ambitu vtrumque Regis Christi latus filiis negotiati, satagit: *Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.* Chrysostomus,cui communiter subscribunt interpretes, hanc sedium negotiationem ambitioni adscribit: *Videbant*, inquit,*se ipsos honoratos præ aliis, & audierant, quod super duodecim thronos sedebitis, vnde primatum ipsius cathedræ petebant accipere.* Verùm dubius Chrysostomus, qui sub imperfecti nomine circumfertur, aliter hac super re philosophatur: *Non dicimus, quod rectè peteret hæc mulier; sed hoc dicimus, quia non terrena, sed cœlestia filiis optabat.* Nempè intempestiuè petit, & negotiationis ambitu, aut sedulitate ambitionis negotiari cœlestia festinat;vt doceat nos tam sollicita cœli negotiatio, quæ ambitionis passim insimulatur, qua solertiâ & negotiosâ sedulitate res cœlestes,empyreamque beatitudinem procurare debeamus. Peridoneè Saluianus Massiliensis ita scribit: *Etiam si præterita mala non sint, quæ oporteat Sanctos redimere; sunt tamen perennia bona, quæ magno debent comparari: etiamsi pœna non sit quæ timeatur, est tamen regnum quod ambiatur.* Cœlestis regni empyrea gloria ambitione comparanda dicitur? Benè quidem, & optimè nos admonet magnus hic Doctor, vt cœleste regnum *ambiamus*: Exinde nuper dixerat, *Ambitiosa humilitate*;sic etiam passim dicitur *ambitiosus pœnitentiæ squalor*; eadem etiam ratione suprà etiam dixerat,*pœna ambitione*,& *paupertatis ambitu.* Nam sicut ambitio solerter negotiosa est, & opportunè importunè sedula, prættò diligenti negotiatione adest impigra,cursumque erubescit,si volare eualet actuosâ vbiuis celeritate: sic votiuum beatitudinis adipiscendæ desiderium, ambitionem æmulari debet, quò exsomni,negotiosâ & celeri sedulitate illam feliciter adipiscatur. Est quidem cœleste *regnum quod ambiatur.* Hinc forsan mater filiorum Zebedæi ambitionis insimulatur, *quia non terrena, sed cœlestia filiis optabat.* O bona piè cœlestium ambitio, solerter negotiosa, quæ currit, & non laborat; quæ si volare potest, cursum erubescit. O festinatâ negotiatione cœleste *regnum ambiatur.*

Chrysost. homil. 66. in Matth.

Imperf. homil. 35. in Matth.

Non desit virtuti actuosa quasi ambitionis sedulitas.

Saluian. lib. 2. ad Eccles.

---

§. CCXVIII.

Iners otium, laboris speciem repræsentans, dum merita colorat, laborantium mercede potitur.

1. Publ. Mim. Malus est vocandus, qui sua est causa bonus, ait apud Senecam Publius:(Non Christiane discutio ethnici hominis sententiam.)Neque enim virtus est humano genio,aut gloriæ vectigalis. Ne rectum facias, vt his dotibus doneris. Dabit hoc virtus etsi ad id non spectes,eò cumulatiùs, quò digniùs. Nil propè dixerim adæquè laudabile, quàm quod laudabile latet: quippe quo nec humanus plausus arrodit, nec popularis inuidia inquietat. Virtutum omnium merces in ipsis est; & rectè fecisse, sat grande virtutis præmium. Verùm apud homines(cùm solum videant quousque habent oculos) abscon̄sa non computantur ad laudem, neque ad præmium admittuntur, apparens duntaxat facinus,potiùs quàm verum muneratur. Heu exterior meriti species,census merendi est,& humanæ laudis promptuarium! Non tam eximius labor, quàm iners laboris indicium, prælustria laborantium præmia populariter vsurpat.

Exterior meriti species, præmia apud homines vsurpat.

2. 2. Reg. 12. v. 27 & 28. 2. Regum 12. Ioab Israëliticæ militiæ princeps, Rabbath regiam Ammonitarum vrbem, diu obsidet. Igitur pugnabat Ioab contra Rabbath filiorum Ammon,& expugnabat vrbem regiâ. *Misit Ioab nuncios ad Dauid, dicens: Dimicaui aduersum Rabbath, & capienda est Vrbs aquarum. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside ciuitatem, & cape eam:ne, cum à me vastata fuerit vrbs,nomini meo adscribatur victoria. Congregauit itaque Dauid omnem populum*, &c. Bonus dux, qui sui Regis gloriæ totus militat. Sed pulchella inde oritur quæstio, eccur Ioabus Dauidi suggesserit, vt congregaret reliquam partem populi, vt magno stipatus exercitu in Ammonitidem veniret? Profectò si eò iam res bellica deducta est,vt vt tantùm non sit capta vrbs, quid opus fuit populum nouo militum delectu grauare? Aut si id necessè erat,quo modo verè dixit Ioabus,iam propè esse vt vrbs caperetur? *Quæret aliquis*(ait Abulensis)*quare dixit Ioab,quod congregaret Dauid reliquam partẽ populi.* Dura obsidione diu oppressa erat vrbs,infelicibus præliis debilitata, fame arida,siti exæstuans,& expugnationi obnia;quid frustrà iuuat,Hebræum populũ numerosis bellatorũ suppetiis diuexare? Quæstionem proposuit Abulensis,quæstionem soluat. *Sed dicendum*, ait, *quod hoc dixit Ioab ad maiorem laudem Dauidis: scilicet vt magis coloraretur factum, & adscriberetur victoria ipsi Dauidi. Nam si Dauid iuisset ad pugnandum,*

Abul. 1 Reg. 12. q. 28.

Non verum Ioabi facinus, sed quod nouo delectu Dauid colorauit, victoriæ gloriam præripit.

dum, & non tulisset alios bellatores præter eos quos habebat Ioab: dato quòd caperet vrbem, non videretur quod aliquid egisset, quia ipse solus erat: sed adscriberetur victoria Ioab, tanquam ipse iam omnia illa dispesuisset. Si autem Dauid duceret secum magnum exercitum, & in bello caperet ciuitatem, putaretur quòd ipse cœperat eam viribus suis, quia habebat plus de exercitu, quàm Ioab, & sic adscriberetur ei victoria. Nempè Ioab in re sæcularis gloriæ peritissimus, cùm totam gloriam rei à se bene gestę, gestit in Dauidis sinū ingerere; non suggerit vt aulico duntaxat comitatu adsit, sed vt validis copiis stipatus aduentet: quę etsi superuacuæ erant ad expugnationem vrbis, erant tamen necessariæ ad victoriæ gloriam. Frustrà tot phalangibus armatur Dauid ad victoriam, sed necessariò ad victoriæ gloriam. Hic nouus exercitus non militat contra hostes, sed totus Dauidicæ gloriæ militat. Cesset licet inerter, laudem tamen victoriæ colorat. O inconsulta hominum laus, quæ Ioabi industriam & bellicos labores prętérit, & superuacuam tum Dauidis industriam, & apparentem laborem præmiat! Ioab, in quem totum periculosi belli pondus incubuit, ingloriè omittitur: & Dauid superuacaneo exercitu, & specie laboris fultus, illustrissimæ victoriæ gloriam capit, cum ciuitate, quam ipse labore suo non cœpit. Æstuat Ioab, & quasi Dauid sudasset, dum bellicum laborem colorasset, victorialis gloriæ præmio recreatur. Ergo strenuus miles consultissimè suggerit Regi, vt *cōgreget reliquam partem populi, vt magis coloretur factum*, bellici laboris specie. Tam imbecilla ac penè nulla sunt hominum iudicia? Quasi per anothemiam forent inspicienda singulorum merita ad præmia dignè distribuenda, ne qui non affert, sed repræsentat laborem, laborantium dignitatem vsurpet.

Geneseos 3. nuper creatus Adam in Paradisum voluptatis defertur, non modò topiarias delicias latè ostentantem, sed vberrimis frugibus, & edulibus arborum fructibus spontiua fœcunditate nitentem. Exul inde emittitur, quippe qui deliquerat. Sed Bonus Deus suo homini alimenta non negat: sed latum fundum, totum inquam, orbem, illi ad alimoniam præbet. Hâc tamen lege, vt terram excolat, aratro proscindat, & tandem fruges demetat, immensis agriculturæ laboribus. *In sudore*, inquit, *vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram de quâ sumptus es.* Gen. 3. v. 19. Nempè abundantem Deus tribuit annonam sibi & suis, velut præmium humani laboris in agricolatione impensi, quod peritè notauit Rupertus, aiens: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Id est, si sudaueris, si arando & serendo laboraueris, tūc demùm panem tuum, id est, tibi necessarium terra dabit.* Sed cur hominis vultui immensus agriculturæ labor adscribitur? Imò solus vultus in homine agriculturam exercente, vacat labore, dum reliqua hominis membra impensè laborent. Manus, pes, crura, & totum denique agricolæ corpus, stiuâ, ligone, runcino, falce, tribulo, & reliquâ agricolationis supellectili, nimis laborant adnisu, curuatione, industria: & sola agricolæ facies, à labore immunis, velut de speculâ quâdam reliqui corporis labores contemplatur. Quid ergo est, quòd vultui inerter orianti, nec reliquis membris adlaborāti, largior annonæ merces promittitur? An non præstaret, vt reliqua hominis membra, quæ in laborem obnixè incumbunt, alimoniæ præmio & honestarentur, & munerarentur? Luculenter Caietanus, quo solet ingenij acumine, præfatæ sententiæ expositionem, ad thema pręsens tempestiuè concinnauit. *In sudore vultus tui vesceris pane, &c. Describitur autem sudor in facie, quia ea pars facillima est ad sudandum ex magnitudine & humiditate cerebri: fluit enim, non ascendit sudor. Et appellatione panis, vniuersum alimentum intelligitur.* (Scilicet loquitur Scriptura de Deo antropopath s, seu accommodatè ad mores humanos. Sic dicitur pœnitere, irasci, laborare, & alia sexcenta. Ita more hominum perhibetur hic, externa laboris indicia in otiosâ facie munerare.) Itaque tametsi aratoris manus stiuæ rustico adnilu laborent, adlaborent & pedes adsurgente hrâ depresso sulco passim impingentes: licet exæstuet messor, dum torrente Sole, arcuato semper dorso, dentatâ falce æstuantes fruges laboriosus demetit: (quid dicam de reciprocante ferrei ligonis ictu, quo rustica gleba euertitur?) tamen quia iners agricolę vultus, præ reliquis membris immensum laborantibus, pigro licet, & alieno sudore madet, non suæ inertiæ mulctâ feritur, sed alieni laboris mercede potiùs muneratur. Faciei inertia apparenter laborans, dum alieno exundat sudore, æstuantium membrorum mercedem præripit, & verè laborantium stipendia vsurpat: & dum suum otium sudore colorat asciticij laboris fuco, laborantium præmia mereri videtur. *In sudore vultus tui vesceris pane. Describitur autem sudor in facie, quia ea pars facillima est ad sudandum ex humiditate cerebri: fluit enim, non ascendit sudor. Et appellatione panis, vniuersum alimentum intelligitur.* Vniuersum alimentum laborantibus debitum membris, pigra facies, alieni sudoris ambitiosâ ostentatione accipit. Moralissimè quidem Moyses, hoc loquendi modo humanos mores apprimè repræsentat, vt innotescat quis humanitùs laborantium mercede potiatur. Vultus iners ostentato sudore laboris præmia subornat: & otians tunc Dauid, superuacuo inerter exercitu victoriam colorans, triumphi gloriis perfruitur. Quin & Angelus Raphaël sub humanâ specie apparenter laborans, nunc argenteo dragmate, & heri sui cibo; postmodum dimidiâ opulenti census parte muneratur: ne vnquam apparentia laboris, etsi labore vacua, absque vberi præmio dimittatur. Vel ex piè largâ Tobiæ muneratione, dediscenda est inconsultè munerantium iners libido, quæ specie laboris contenta, munerandorum labores non disquirit ad præmium. Id Tobiæ in mentem venire nō potuit, superabat enim humanum fastigium. Tibi autem, si rem attentiùs exploras, pronum erit nosse, ecquis verè, ecquis apparēter laboret? An Ioabus tot pręliis, an Dauid collectâ ad speciē manu, victoriæ gloriam mereatur? An agricolæ manus, pedes, lacerti, impensè obnitentes; an deses vultus, alieno sudore madidus, laborantium præmia condignè rapiat?

Rupertus inibi.

Iners vultus, alieno sudore madēs, potiùs quam agricola lacerti laboris mercede muneratur.

Caietan. ad ea verba.

Hic v. 6.

---

§. CCXIX.

Non in splendore tantùm, sed in multiiugâ vtilitate gratia Lucis probatur.

Sanctus Ambrosius elegans lucis encomiastes ita de eâ fatur: Fiat, inquit, lux. Vnde vox

Ambr. lib. 1. Hexaëm. c. 9. Gen. 1. v. 3. Dei in Scripturâ diuinâ debuit inchoare, nisi à lumine? Vnde mundi ornatus, nisi à luce exordium sumere? Frustrà enim esset, si non videretur. Qui ædificium aliquod dignum habitaculo patrisfamilias struere desiderat, antequam fundamenta ponat, vnde lucem ei infundat explorat: *& ea prima est gratia: quæ si desit, tota domus deformior est: sed in cultu lux est, quæ reliquos domus commendat ornatus.* (& post pauca) *Sed bonus auctor ita lucem dilexit, vt mundum ipsum infuso aperiret lumine, atque eius speciem venustaret.* Et vidit, inquit, Deus lucem, quia bona est. Nec quod ignorabat vidit, nec id quod nesciebat antè, aut non viderat, comprobauit: *Sed bonorum operum proprium est, vt externo commendatore non egeant, sed gratiam suam cùm videntur ipsa testentur. Plus est quod probatur aspectu, quàm quod sermone laudatur. Suo enim vtitur testimonio, non alieno suffragio. Nec immeritò tantum sibi prædicatorem potuit inuenire, à quo iure prima laudatur; quoniam ipsa facit vt etiam cætera mundi membra digna sint laudibus.* (& ad rem opportunissimè pergit Ambrosius) *Itaque non in splendore tantummodò, sed in omni vtilitate gratia lucis probatur.* Peregregiè dicitur, quòd lucis gratia *in omni vtilitate* probatur, quasi aspectabilium creaturarum propè nulla sit vtilitas, quam lucis gratia non ingerit, de lucis ministerio vim placendi non mutuans. Vnde hîc ingressus Angelus salutauit Tobiam, & dixit: Gaudium tibi sit semper. Et ait Tobias: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Quasi vitæ fruge, & rerum aspectabilium lætâ viduetur vtilitate, qui lumen cæli non videt. Quare Lactant. Firmianus hæc refert: *Anaxagoras interrogatus, cuius causâ natus esset, respondit, Solis ac cæli videndi.* Sic cæli faculæ faculæ videndo spectatores beant?

Per amplum lucis elogiū.

Hic v. 12.

Lactant. lib. 3. Diuin. instit. c. 9.

2\. Matthæi 27. Christus Deus infamissimo & pœnalissimo adfixus patibulo est: clauis dirissimis eius manus pedesque perforantur; spineâ coronâ sacrum caput fodicantibus spiculis terebratur: illuditur, deridetur; & quasi per iocum, extrema quæque supplicia seriò patitur. *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam. Et circa horam nonam exclamauit Iesus voce magna, dicens: Eli, Eli, lamma sabathani? hoc est: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Ex his autem verbis ingenia contendunt hæretica, quod aut defecisse omninò Deum Verbum in animam corporis volunt, dum corpus officio animæ viuificat: aut omninò nec fuerit Christus homo natus, quia in eo Dei Verbum, modo Spiritus habitauerit prophetalis, quasi Iesus-Christus animæ solum & corporis homo communis, hoc habet sui exordium, quo esse cœpit homo, qui nunc à Dei Verbo contractâ rursus protectione desertus, clamet: Deus meus, quare me dereliquisti? Vel certè in anima Verbi natura mutata, paterno Christus in omnibus vsus auxilio, tunc inops eius, mortique permissus, solitudinem suam conqueratur, relinquentémque se arguat. Sed inter has impias infirmásque sententias, Ecclesię fides Apostolicis imbuta doctrinis, non patitur Iesum-Christum, ne filius Dei non & filius hominis intelligatur. Scilicet Hæretici nimis exaggerant querelam derelicti, Christumque soluunt, ne extenuasse querelas videantur. Catholici autem & veram Christi Dei humanitatem, & passionis

Matth. 27. v. 45. & 46.

Christus post factas tenebras, se à Patre derelictū conqueritur.

Hilarius ibi.

Dominicæ acerbitatem ex eiusmodi querelis recognoscunt. Sed solertiùs animaduertendum est, quo tempore, & in quo passionis articulo, qui hactenùs tot cruciamenta mutus sustinuit, magno, mœstissimoque clamore, derelicti querimoniam extulerit. Quæ tum pœnalissima doloris acerbitas has tunc querulas voces expressit? Pensiculatè Origenes his verbis hâc super re philosophatur: *Postquam autem vidit Christus super omnem terram Iudæam tenebras, hoc dixit, ostendere volens: Dereliquisti me Pater, id est, talibus exinanitum calamitatibus tradidisti, vt populus qui fuerat apud te honoratus recipiat quæ in me ausus est, & priuetur à lumine tuæ prospectionis.* Nempè quando Christo Deo cruci affixo, Sol fulgores suos contrahit, *& tenebræ factæ sunt super vniuersam terram* tunc, tunc quidem opportunissimè querulus exclamat: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Tunc quidem cùm videt se in tenebris, & dilectum olim populum *priuatum lumine* protectionis diuinæ. Geminæ tunc tenebræ vsque adeò acerbam Christi Dei mœstitudinem exaggerant, vt qui eousque contumeliis surdus, doloribus insensibilis, iniuriis mutus apparebat; nunc magnâ & querulâ voce se à Patre Deo derelictum exclamet: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* O! sic angitur de lucis absentiâ? Quid exaggeratiùs.

Orig. tract. 35. in Matth.

Exodi 10. Pharaonis peruicaciam nouis plagis emollire Dei omnipotentia satagit. Et dixit Dominus ad Moysen: *Extende manum tuam in cælum: & sint tenebræ super Terram Ægypti tam densæ, vt palpari queant. Extenditque Moyses manum in cælum: & factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa Terra Ægypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco in quo erat.* Quid est, quod è cælo lucere adsueto, tenebras Moyses accersit? Respondet inibi Lipomanus: *Ad cælum igitur leuat manus Moyses, & de æthere plaga accersitur & cælis, postquam tot clades in aëre, aquis, & terra nihil permouerunt impios.* Scilicet plagæ accersitæ ab elementis sæpè homini aduersis, non permouerunt impios ad resipiscentiam; consultissimè igitur supplicium euocatur è cælo, è cælo inquam, hominibus benefico, munifico. Profectò largior olim beneuolentia castigantis, seueriùs punit, estque emendationis artificium, & resipiscentiæ arbitrium. De quo aliàs. Addit sacer Historicus, quòd vbi densæ tenebræ oppansæ sunt, *Nemo vidit fratrem suum.* quæ verba sic exponit Caietanus: *Nec intelligo tanto rigore hanc litteram, vt triduo nullus alterum viderit, nullus comederit, nullus biberit..... Sed intelligo formaliter, videlicet quòd beneficio lucis cælestis nullus viderit alterum, nullus exierit domo: cum quibus stat quòd beneficio lucernarum domi se continentes, comedebant, & bibebant.* Nimirùm quod beneficio lucis cælestis non fit, non fieri perhibetur, quasi humana operatio, non modò bonitatis elogium, sed & velut naturam ipsam à cælesti luce fœneretur. O sententiam in paucis moralissimam! Humana lux operationum humanarum tenebras malignè lucernat: quæ luce diuinâ orbatæ, non tantùm cœco ductu caligant, sed quasi gradu suæ essentiæ carerent, non esse dicuntur, ac si essendi vigor sit à lucis diuinæ beneficio. Ferè non est, quod esse non prodest. Cæterùm pergit idem inibi Caietanus, exscribens & exponens præfata verba: *Nemo* (præ tenebrarum densitate) *vidit fratrem suum, nec mouit se de loco in quo erat,*

3\. Exod. 10. v. 21. & 22. & 23.

Beneuolum olim cælum, seueriùs punit, quā elementa sæpiùs aduersa.

Lipom. ibi.

Caietan. ibi.

Operatio humana à luce diuinā propè mutuat naturam.

4\.

Mundiales tenebræ hominem infra se constituūt.

Caietan. ibi.

erat, sic inquiens; *Et non surrexit quisquam de subter se tribus diebus.* Quasi qui in tenebris sedet, cælesti luce orbatus, sub se iaceat, se ipso depressior & minor, Te ipso inferior eris, & infra te descendes, nisi cælesti perfruaris luce Cęlestis luminis beneficio adsurgit, qui superne eleuatus: nam dum est in tenebris, *non surrexit quisquam de subter se.*

5. Tertullianus in lib. de Resurrectione carnis, de exemplo diei ac noctis, lucis ac tenebrarum, eam comprobat, sic opportunè aiens: *Dies moritur in noctem, & tenebris vsquequaque sepelitur. Funestatur mundi honor, omnis substantia denigratur. Sordent, silent, stupent cuncta: vbique iustitium est, quies rerum. Ita lux amissa lugetur.* Ecce tibi ob cœlestis lucis absentiam, cuncta sordent, stupent, squalent: atque atratis tenebrarum vestibus, lucis peragunt funus, & iusta Soli persoluunt, *Sic lux amissa lugetur.* Tempestiuè Gregorius Nyssenus: *Sol suum peragit circuitum: vicissim resplendens & obscuratus, illuminans eum qui super nos est, aerem, cum se terris ostenderit, & tenebras per occasum attrahens.* En Sol, etiam cùm splendidiùs micat, tenebris præproperè annuit, quibus atratus mundus. Solis funus, & lucis absentiam cognatâ tenebris mœstitudine postmodum lugeat.

Tertull. de Resurr. carn. cap. 12.

Solis absentiam cuncta lugent.

Nyssen. homil. 1. in Eccles.

Sol attrahit tenebras.

6. Quin & Sol, scuti ad instar est, quo aduersus hostiles ictus clypeamur. *Solem*, ait Tertullianus, *non in linteo depictum adoramus, habentes ipsum vbique in suo clypeo.* Nec tantùm aduersos hostium ictus securè prohibet, sed & hostes durè sauciat. Pergit idem Tertullianus adludens ad drachmam amissam Lucæ 15. *Non drachma,* inquit, *sed talentum, quibus exquirendis non lucerna spiculo lumine, sed totius Solis lanceâ opus est.* Ergò *induamur arma lucis.* Porrò sicut cœleste lumen modulatè obarmat, sic cæca tenebrarum caligo aut inermes inuenit, aut facit.

Tertull. Apolog. cap. 16.

Solis clypeus, & lancea.

Lucæ 15. v. 8.

Tertull. de Pudic. cap. 7.

Ad Rom. 13 v. 12.

7. Redeat iterùm noster Tobias mœstissimè aiens: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* quasi omni vitæ fruge viduetur, qui luce negatur. Rursùs etiam Tertullianus audiendus est in lib. de Resurr. carn. sic fatus: Age iam, inquit, quid de carne sentis, cùm pro nominis fide (loquitur de Martyribus) in medium extractâ, & odio publico exposita decertat: *Cùm in carceribus maceratur, teterrimo lucis exilio, penuriâ mundi, squalore, pædore, contumeliâ victus, ne somno quidem libera, quippe ipsis etiam cubilibus vincta, ipsisque stramentis lancinata,* Ecce tibi, inter tot machinationes tormentorum, quibus Martyr suppliciis erogatur, præcipuo censetur loco, quòd *Carceribus maceratur, teterrimo lucis exilio, penuriâ mundi.* Quale gaudium esse potest ei, qui penuriâ mundi, & teterrimo *lucis exilio* maceratur? Cùm Martyr in *tenebris sedet,* Tobiæ ad instar, tunc opportunè inducitur à Tertulliano, *lucis exilium,* an quo lux ipsa exulat, cùm virum eximiè bonum illuminare prohibetur; An ipse luce viduatus, *exul lucis* dicitur; quasi Iustorum patria, & natale solum, lux sit? O prælustrem Sanctorum patriam! O generosam lucis sobolem! Ergò vt filij lucis ambulemus.

Hic vers. 12.

Qui in tenebris est, lucis exul dicitur.

Tertull. de Resur. carn. cap. 8.

* * *

§. CCXX.

Dei Patris, ac Filij Dei opulentia, naturæ identitas est: inde infamatur discordia, tanquam prodiga opum iactura, & opulentia, quasi nouerca concordiæ.

Marcus Agrippa (ait Seneca) vir ingentis animi, dicere solebat, multùm se huic debere sententiæ: *Concordiâ paruæ res crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur. Hâc se aiebat, & fratrem, & amicum optimum factum.* Quos natura arctissimo sanguinis nexu, aut amicitiæ amplexu copulauit, insana opum auaritia distraxit; & dum opulentiæ student, egestati impensiùs militant discordiæ armis: *Concordia paruæ res crescunt,* dum amicitias conflat, opem impetrat, litigia dirimit, cum pacis iacturâ, diuortium facultatum fit. Quid inopiam dissidiis mercaris? Ecquem discordia, aut pauperem non inuenit, aut fecit? O altè cunctis hæreat hoc ethicum dogma, congerendi homini in paucis proficuum! *Concordiâ paruæ res crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur.* Ex adytis sacratioris politiæ hoc documentum stillatur. Piè auarus est, cui pax sacrosancta est, lucrosâ semper & societatis, & facultatis vsurâ: Diuitias cùm amicitiis fastidit, quisquis paci solertiùs non studet. Bonus Tobias cum exteris, & contribulibus, concordiæ perpetuò amator & in captiuitate regias opes inuenit; & rursùs bonorum proscriptione depauperatus, illas recuperauit, & locuplete Saræ dote Filio cælitus paratâ atque Gabeli gazis opulentatus; planè ostendit virum concordiæ insigniter studiosum depauperari posse, diu pauperem esse non posse. 1.

Senec. epist. 95.

Concordiâ res paruæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur.

Hic vers. 12.

Christus verè homo Deus, cū paupertinâ hominis substantiâ, diuinitatis opulentiam immiscuit, dum hypostaticâ vnione eius humanitas personæ diuini Verbi copulata est indiuiduo nexu. Hoc idoneo titulo Christi humanitas de se pauper & indiga, sic locupletata est, vt in Christo sint *omnes thesauri* sapiētię & sciētię Dei: hinc ipse qui recens natus in pręsepio stabulat; adolescens, filius fabri deputatus, vir factus pauperes socios, piscationis ministerio viles asciscit, atque nudus tandem in patibulo inter sontes moritur, atque alieno sepulchro tumulatur: postmodum autem dicit: Data est mihi *omnis potestas* in cœlo, & in terra; benè sciùs, quòd *omnia dedit ei Pater in manus.* Ecquis Christi diuitias mente comprehendere, aut verbis eloqui queat? Christi inquam, qui diues est in misericordiâ; cuius opes immensas beneficentior in dies largitio non imminuit. Vnde ergo Christus Deus sic opulentet locuples est? & quomodo in paupere humanitatis de se censu, thesaurus tot gazis opulentus, sic imminutus inuenitur, vt detrimentum non sentiat? Ioannes, qui in sinu eius recumbens, Dei penetralia profundiùs agnouit, id in suo Euangelio prodit, ita fatus, *Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est.* (Vide quid protinus subdat) *Ego & Pater vnum sumus.* Quid Deus Pater Deo Filio dederit, per me disputent alij: siue id sit Ecclesia: siue Diuinitas vtrique indiuiduè eadem, seu aliud quippiam certè magnum, prælustre, & opulentum. Notandum tamen negligenter est 2.

Ioan. 10. v. 29. & 30.

Diuinarum personarum opulentia, naturæ identitas est.

Apud Maldonatum ibi.

quod ad tantæ opulentiæ probationem subdit: *Ego, inquit, & Pater vnum sumus.* Conueniunt Catholici omnes contra Arianos, τὸ *vnum* diuinam naturam significare. Ita Alexander Alexandrinus Episcopus, Athanasius, Hilarius, Epiphanius, Nazianzenus, Basilius, Ambrosius, Cyrillus Ierosolym. Cyrillus Alexandr. August. Idacius, Marius Victorinus, Maxentius, Theodorus Mopsuestiensis, Chrysost. & alij passim. Verùm Tertullianus (Nouatianus inquam) sic super hoc loco philosophatur: *Quia dixit vnum, intelligant Hæretici quia non dixit vnus. Vnum enim neutraliter positum, societatis concordiam, non vnitatem personæ sonat. Vnum enim non vnus esse dicitur, quoniam nec ad numerum refertur, sed ad societatem alterius expromitur. Vnum autem quod ait, ad concordiam, & eandem sententiam, & ad ipsam charitatis societatem pertinet, vt merito vnum sit Pater & Filius per concordiam, & per amorem, & per dilectionem.* Non benè Tertullianus per τὸ *vnum*, meram concordiã intelligit: intelligitur enim diuinæ naturæ identitas, quâ Pater, & Filius, & Spiritus sanctus *vnum*, sunt in personarum distinctione, quamuis ex hac naturæ vnitate enascatur pax summa, & indiuidua concordia: & inde locuples Christi Dei opulentia, quam Euangelista huic vnitati, aut concordiæ præmisit, aiens: *Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est. Ego & Pater vnum sumus.* Audiendus est S. Gregorius Nazianzenus, qui hâc super re ita sublimissimè fatur: *Lumen, porro,* inquit, *hoc dico, quod in Patre & Filio, & Spiritu sancto intelligitur: quorum opulentia, naturæ identitas est.* Patris, & Filij, & Spiritus-sancti opulentia, à naturæ identitate & concordiâ inde secutâ; ortum habet. Existimaret quispiam non ita diuinis attentus, totum diuinæ opulentiæ cẽsum diuinâ omnipotentiâ cõstare, & Dei infinitos thesauros eâ censeri, quin alio quopiã ad summam opulentiã indigeat. Verùm Nazianz. Theologiæ apex, lynceis oculis vidit, & subtilissimè pariter ac moralissimè publicat, quòd si vnitas & concordia inter diuinas personas prorsùs deesset, neq; in aliquo essent vnum, confestim à summè locuplete diuinitatis censu, ad summam paupertatem redigerentur: si quidem diuinarum personarum *opulentia, naturæ identitas est.* Exinde si vel leuis discordia, & pacis imminutio inter diuinas oboriretur personas; discordię malo, & opulentiæ foret iactura, & egestatis cumulus. Adeò vt vbi primùm Euangelista Ioãnes thesauros Dei, in Christi manus traditos publicat, de eius ore referens: *Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est,* continuò subiungit: *Ego, & Pater vnum sumus:* ne quis putet, quòd identitate, & concordiâ amissâ depauperatus sit, nam vt profundè tradit Nazianzenus: *Personarum opulentia, naturæ identitas est.* Nimis pronum est diuina hæc ad humana traducere. O! vel infiniti omnipotentiæ thesauri, de leui diuisione, atque discordia inter diuinas personas, confestim dissiparentur! Paruæ hominum diuitiæ concordiâ crescunt, discordiâ verò opes maximæ sensim dilabuntur. Qui discordiæ studet, paupertatem dissidiis negotiatur.

Tertul. lib. de Trinit. cap. 22.

S. Gregor. Naz. Orat. 38.

3. Gentium Doctor ita Philippenses, homines superstitiosos, & Gentilium dogmatibus imbutos, vt mutuam concordiam inter se colant, Christi Dei exemplo erudit: Siqua ergo, inquit, consolatio in Christo, siquod solatium charitatis, siqua societas spiritus, siqua viscera miserationis: implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandẽ charitatem habentes, *vnanimes, id ipsum sentientes.* Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum. Mox hanc vnanimem concordiam ad Christi Dei exemplum tempestiuè suadet, aiens, *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Arduus explicatu locus, & quem non pauci expositores olim, & nunc innumeris commentis vexant. Semper tamen difficile est, quare dum Paulus ad pacis *vnanimitatem* Philippenses hortatur, adducat in exemplum, quod Christo Deo esse se æqualem aut eiusdem naturæ cum Patre, non sit ad *rapinam* imputatum. Quid concordiæ cum *rapina* absentiâ! S. Isidorus Pelusiota sic illum locum exponit. Accipe Isidori verba: Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, inquit Apostolus ad Philippenses scribens, hoc est, ad homines superstitiosos, & ethnicorum dogmatum propugnatores, & custodes, ac propter otium in illis collocatum sic affectos, vt Euangelij prædicationem minimè admittere vellent. Quoniam enim cùm Gentiles essent, supremum Deum suum patri suo eas partes, quæ ad gignendum destinatæ sunt, præcidisse didicerat, *ne alij filij existerent, regnique socij, & consortes; ac diuinitatis arreptiones, & dissidia de ea: ac bella orirentur, addubitabant an Dei Filius relictis cœli sedibus, nec vllam regni, atque imperij commutationem veritus, ad nos veniens carnem suscepisset. Huic igitur eorum ignorantia diuinus vir, atque arcanarum rerum doctor medicinam afferens, his verbis vtitur: Hoc sentite in vobis, quòd in Christo Iesu, qui, cùm in forma* (vnâ naturâ inquam) *Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Quod perinde est, ac si diceret: Deitatem, ac regnum haudquaquam per vim rapuit, verum ante sæcula innatum habuit.* Vide quo argumento probat Paulus (ex mente Isidori) neque per Filij ad hæc inferiora descensum, Patrem, aut Spiritum sanctum cœli regnum vsurpasse Filio, Christo Deo inquam; neque Filium in terris corporatum Dei rapuisse dignitatem: nempè quia Christus Deus eiusdem est cum Patre naturæ, quæ ipsissima vtrique inest, quâ persona Patris, ac Filij vnus Deus est, ideò nulla est inter eos *rapina*, regni, aut dignitatis. *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualẽ Deo.* Nam si eadem vtrique personæ natura foret, nec cæleste Filij regnum, tutum esset à Patris inuasione; neque Patris augusta dignitas, secura foret à Filij *rapina.* Itaque ex vnitate naturæ diuinæ, & summâ inde inter personas concordiâ, egregiè probat Apostolus nec Filium Deum per descensum ad terras imminutum esse regno cælesti, nec Patrem sublimissimâ dignitate. Vnde postquam ad vnanimem concordiam Philippenses adhortatus fuerat, exemplo id Christi probat, qui ideò nullam *rapinam* aut fecit, aut passus est: nam *personarum opulentia, naturæ identitas est.* (Quæ autem fuerit Pauli inibi mens, alibi copiosè dedimus) Vbi vnitas, pax & concordia non est, ibi rapina, opum sensim imminutio & tandem facultatum iactura. Si bonum pacis oscitanter negligis, time saltem egestatis malum. Concordiâ paruæ res crescunt, discordiâ maximę dilabuntur Hoc te dogmate, & bonum fratrem, & amicum facito, Quod non metuis de improbo, time de infausto.

Ad Philipp. 2. v. 5. & 6.

Ob naturæ identitatem, nec filius regno imminutus est, nec Pater dignitate.

Pelusiota lib. 1. epist. 139.

Lucæ 12. dixit ad Iesum *quidam de turba: Magister*

Lucæ 12. v. 13. Chryſ. ſerm. 161.

gifter, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem. Notanter id dixit quiſpiam de imperita turba: nam Chriſtus non *Magiſter* quæſtus, & diuiſionis eſt, ſed paupertatis, & indiuidui amoris. *Dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.* Non poteſt dicere fratri, Diuide, qui per Prophetam docuit: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Pulchrè Chryſologus: *Magiſter, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem. Hæreditas mundana ante poſteris infert iurgia, quàm confert cenſum: antequam diuidat facultates, ſcindit heredes: antequam debitas tradat ſingulis portiones, ſucceſſores ipſos deſecat, & dimittit in pares. Proinde non eſt hæreditas iſta, ſed pugna, & hæc nouerca filiorum eſt, non facultas.* Nimirùm diſcordia eſt opum iactura, & opulentia eſt iactura concordiæ: nam *hæreditas mundana ante poſteris infert iurgia, quàm conferat cenſum.* Parum foret, quod à fructu frumenti, & olei ſui multiplicati ſunt; niſi ante hæreditatem, quæ fructum conferat, vel fratres ſciſſione multiplicentur. Heu! vel primam poſſeſſionem, fratrum etiam diſcordia præcurrit? *Hæreditas mundana ante poſteris infert iurgia, quàm confert cenſum.* Concordia opulentiæ parens eſt, & diſcordia præpropera opulentiæ ſoboles.

---

§. CCXXI.

Gratiæ miraculum eſt, quòd fulgere adſuetus, aut fulgores intermittere, aut ad initia claritatis retrogredi, non recuſet.

1 PRimus homo perpetuam deſtinatus ad vitam, & de parente limo cœli ciuis effectus, de immodica gloriæ ambitione ad matricem vilitatis ſuæ originem, voluntario errore detruſus eſt, & quia faſtigium homine ſublimius ſectari præſumpſit, ſublimitatem perdidit, ſed feliciter degenerans, ad cœli proſapiam duce culpa, & humilitate culpæ ſequela, ope redemptricis gratiæ reuocatus eſt, & quod glorioſi fulgoris ambitione amiſit, ſqualoris obſcuritate redemit, & dum culpæ obſcuritas, lucem redemptionis extorſit, poſt nubila lux gratior affulſit. Eloquenter Ennodius agens de mundi opificio, ita fatur: Quis hæc omnia fecit ex nihilo, & per lucis ianuam à perpetuæ noctis furua denſitate diſcreuit; *fecitque perenniter laudanda diſpoſitione piiſſimus, poſt lucis claritatem non horreri tenebras reuertentes, poſt dierum dies? Quis te vel dignus, aut facundus laudator eloquitur, cuius terminata diſtributio, ſuccedente varietate fit gratior*: (penſita quæ ſubtexit verba) *quo iubente dulcior lux eſt, quæ aliquando deſinit, quàm ſi iugiter permaneret.* O bonam ambitioſè lucendi cupidis eruditionem, qua moraliſſimè edocti, non vbique, non perpetuò, & inceſſanter lucere exambiant! Poſt lucis claritatem, noctis tenebras non horremus; ſed *dulcior lux eſt, quæ aliquando deſinit, quàm ſi iugiter permaneret.* Luces intermittere, negotiatio prælucendi eſt, & dulcior fulgorum vſura. Luminibus orbatur Tobias, quò dulciùs poſtmodum lucem videat, dum de abſentiæ interuallo placendi gratiam opulentiùs mutuatur.

Dulcior lux eſt, quæ aliquando deſinit, quàm ſi iugiter permaneret.

Ennod. Bened. cer. 1.

Hic v. 12.

2. Lucæ 23. hora erat quaſi ſexta, cùm ſignante mundum Sole, Chriſtus Deus in Crucem agitur; & morti proximus, omnium vita pendet, vt propria morte omnibus vitam impertiret. *Erat autem ferè hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque in horam nonam. Et obſcuratus eſt Sol.* Eſto, funeſtetur cœli honos, mundi decus in probroſo patibulo occumbat; & indè Sol atratus lacinioſo tenebrarum amictu Auctoris ſui mortem funeſtè lugeat, opportuniùs forſan præſtaret obſequium, ſi ſplendidiùs micaret, quò latens Crucifixi diuinitas, & diſſimulata Iudæorum proderetur inuidia. An non præſtaret, hac opulentiori luce manifeſtiùs clarare? Chriſti Dei cauſa in cœcis meridie tenebris peragenda, & conſummanda eſt? An prælustris Sol ignominioſam ſui Auctoris mortem erubeſcit, & pudore ſuffuſus faciei ſuæ ſplendorem obuelat? An non præclariùs redderet pro Chriſto teſtimonium, ſiderea lucis lingua, quàm cœcis tenebrarum vocibus? Opportuniùs certè foret, ſeptemplicibus tunc radiis præfulgere, vt præclarius redderet de ſuo Auctore teſtimonium, & lucis ſuffragio Dominicæ cauſæ adſtipularetur. Verùm Petrus Damianus hunc Solis defectum ſagaciſſimè perſcrutans, ita ſcribit: *Immobile profectò, & immutabile eſt Chriſti myſterium, quia multiplex habet teſtimonium*, (& inter alia quæ refert auctorariſſima teſtimonia, addit) *Habuit teſtimonium Solis, quando ipſe obſcuratus eſt.* Nempè Sol propria vltrò obſcuritate dum miraculum exaggerat, de lucendi ceſſatione irrefragabilem conciliat ſibi auctoritatem. Obuium, & vulgare eſt, atque terrenæ ambitioni confine, ſplendores ambire, & ſemper lucendi gloriam inceſſanter præſumere. At quando in funeſta Chriſti Dei morte, *Sol obſcuratus eſt*, luces abſcondit, & ſponte lucere intermittit, tam inſolenti naturæ miraculo tantam ſibi auctoritatem conciliat, vt de radiorum obſcuritate fulgorum dignitatem exaggeret. Sic enim eſt arduum, quòd quiſpiam ad fulgendum idoneus, & fulgere diu adſuetus, fulgores deponens, obſcurari patiatur, vt Sol quò in Chriſti morte magis auctoratum exhibeat teſtimonium, tacere lucis lingua, linguam obſcuram aſſumat, & de morientis Chriſti diuinitate præclarius reddat teſtimoniū: de prodigij enim magnitudine creſcit atteſtātis auctoritas & teſtimonij dignitas. *Immobile profectò, & immutabile eſt Chriſti myſterium, quia habuit teſtimonium Solis, quando ipſe obſcuratus eſt.* O grande in re morali prodigium, & quod ab humanæ ambitionis natura nimis peregrinatur! O diſcant terrena à cœleſtibus, & intenta oculorum acie perſpiciant, quàm præclaram auctoritatem Sol fulgere aſſuetus, à ſpontanea fulgendi intermiſſione fœneretur! Splendidior, gratior, & *dulcior lux eſt, quæ aliquando deſinit, quàm ſi iugiter permaneret.* Inde *immobile eſt Chriſti myſterium, quia habuit teſtimonium Solis, quando ipſe obſcuratus eſt.* Hæc lucendi ceſſatio miraculi exaggeratio eſt; auctoritas è contrario ſublimior, & de fulgendi intermiſſione præclarior.

Lucæ 23. v. 44. & 45.

Sol dum obſcuratur, prælustre de Chriſti diuinitate teſtimonium reddit.

Petr. Dam. ſerm. 1.

3. 4. Reg. 20. lethali morbo languet Ezechias; ſed dum preces lacrymis madent, ſententiam iam iam cadentem auertit, atque de Prophetæ oraculo inſperatè ſuperſtes, viuas duntaxat ſibi celebrauit exequias. Aſt necdum vitæ ſuæ credens, ſigni optionem accipit, quo ſalutis fidem confirmet. Vis (ait illi Iſaias) vt aſcendat vmbra in horologio Achaz, decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus?

Grande miraculum eſt, quòd Sol, qui lineatim lucendo proceſſerat, ad lucendi initium vltrò reuertatur.

Isaiæ 38. v. 8. gradibus? Retrogressionem Ezechias mauult cui respondit Propheta: *Ecce ego reuerti faciam vmbram linearum, per quas descenderat in horologio Achaz in Sole, retrorsum decem lineis per gradus, quos descenderat.* Grandis inter commentatores

4. Reg. 20. v. 10. lis oritur ex Ezechiæ electione, dum ait: *Facile est vmbram crescere decem lineis: neque hoc volo vt fiat, sed vt reuertatur retrorsum decem gradibus.* An non æquè alienum est à natura, & stato cursu lucidi Sideris, aut solito ocyùs lucendo ire, aut vnde exierat, velociùs retrogredi? An magis est procliue Soli maturare gressus, quàm retrogrado cursu, ad sui ortus initium reuerti? Pulchrè ad-

Petr. Dam. ser. 20. modum idem Petrus Damianus, & appositè ad rem præsentem, ita scribit: *Et sicut tunc Sol lineatim quidem, ac morosè processerat, repentè autem ad ortus sui est retrorsum originem: sic nimirùm,* &c. Grande quidem prodigium, & quod consultissimè Ezechias elegit; nempè vt lucidum Sidus, quod *lineatim, & morosè* lucendo processerat tota fulgorum ambitione conspicuus; repentè reuertatur retrorsùm, & vnde splendendo ascenderat, repedando recurrat; atque spatia quæ lineatim ascendendo splendidè confecerat, velut negligens, retrogredi non recuset, toto ambitionis adnixu. Prodigiosum planè miraculum, & dignum quod auctorarissimo suffragio firmet inopinata Prophetæ verba. Porrò quid tam naturæ peregrinum, & à mortalium ambitione alienum, quàm spatia quæ lineatim, ac morosè lucendo confecerat, sic magnanima virtute negligere, vt vnde pedetentim lucendo processerat, eo vltrò reuerti, non recuset: *Et tunc Sol lineatim quidem, ac morosè processerat, repente autem ad ortus sui est reuersus originem.* O moralissimam Ezechiæ electionem, tanquam morum ideam omnibus spectandam! Præclarum sanè miraculum est, claritatem, in qua diù processeras, contemnere, & post longum lucendi cursum, derepentè ad initia reuerti generoso procedendi contemptu; quo non obscuratur, aut minuitur lucendi claritas, sed neglectu diminutionis, clariùs grandescit, difficultate miraculum exaggerante prælustri honoris auctario.

4. Geneseos 7. vt ergo omnis creaturæ ars delusa fuit, hominumque mentem vitiorum caries depasta est, quod distulerat diluuium immittit Deus, peregrinis aquis peregrinas obruens ęgritudines.

Gen. 7. v. 11 & 12. Anno igitur sexcentesimo vitæ Noë, *Rupti sunt fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt: & facta est pluuia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Supernè cœlum torrentes iaculabatur, infernè terra abyssos relaxabat & dum aquæ emergebant, ad aquas elementates creatæ res redigebantur. Nulla iam aridæ, marisque discretio, vnius fluenti alueo continebantur omnia, non iam scaturigines, & lacus, non fontes cum voluptate fluentes, sed immanibus vndis demergebantur vniuersa, non germinum species, non arborum flores, non vrbes, non planities vl-

In Noëtica eluuione nox noctem insolenter excipit, & in priscam confusionem mundus inclinat. la, non montium vertices, sed fluctus inter naufragium faciebant communi operta sepulcro, frequentissimæ gentes vnà cum animi improbitate in monumentis adæquè volutabantur, confusanea subcœlestium deuastatione. Ab hoc terræ naufragio cœlum supernè perstat immune? Au-

Basil. Seleu. Orat. 6. diendus est Seleuciensis Basilius, qui adhuc percommodè ita hac de re fatur: *Quando arca natura scintillam velut vlnis complexa occultabat, quando cœlum tanquam iudiciali voce reos inclamans tonitru crepitabat, quando terram rursùs abyssus, & tenebræ obtinebant, atque in priscam confusionem mundus inclinabat, quando Sol nubilus ceu muris intercipiebatur, quando sine luce cursum explebat, & neque vlla erat lunæ gratia, nulla in conspectu astra; sed noctem nox excipiebat, & rerum vniuersitas die erat viduata; terminique naturæ non sine perturbatione contra iniquitatem armabantur,* &c. Insolens planè miraculum hic apparet, quod quadraginta nihilominùs dies, dies die viduetur, dum sub densè nubilo Sole nox noctem excipiebat. Quid tam arduum, & peregrinum Soli (ab exordio mundi ratum suum cursum explere adsueto) quàm die suo orbari; adeo vt quadraginta dies sine die peregerit, veloci cursu pigram stitionem æmulante? Timuit tunc Sol ne *in priscam confusionem mundus inclinaret, quando nubilus ceu muris intercipi-batur*? Grande imprimis prodigium, semper fulgere adsuetum, tot dies fulgoribus propemodum viduari, & nubilum tenebris squalere, quasi metus foret, ad primordiale nunc malignę lucis initium retrogradi, & priscam nascentis mũdi confusionem, lucis malignitate auarè redaccendere. Quando hoc prodigium suspicitur, subcœlestia feruntur naufraga, elementa torpent, & cœlum perdiu nubilum peregrina nouitate confunditur. Tam est grande miraculum, quod fulgere adsuetus, aut fulgores intermittere, aut ad lucendi initia retrogredi non recuset?

---

§. CCXXII.

Simoniacus cum re Sacra Spiritum Sanctum prodit, enundinatur, cauponatur.

Tertullianus in Apologetico ita Gentium Deos, & eorum religione acerrimè vituperat: *Sed enim*, inquit, *agri tributo onusti, viliores: hominum capita stipendio censa, ignobiliora: nam hæ sunt notæ captiuitatis: Dij vero qui magis tributarij: magis Sancti; imo qui magis Sancti, magis tributarij: maiestas quæstuaria efficitur. Circuit cauponas religio mendicans, exigitis mercedem pro solo templi, pro aditu Sacri: non licet Deos esse gratis: venales sunt.* Et quasi his in re Sacra lucris, Simoniam infaustè ominarentur, Simonem Magum inter numina ab ipsis recensitum, protinus subdit: *Sed cum Laurentinam publicum scortum, inter Iunones, & Cereres, & Dianas adoratis: cùm Simonem Magum statua, & inscriptione Sancti Dei inauguratis*, &c. Scilicet Sanctissimi idolorum Sacerdotes, quæstum in rebus Sacris simoniacè exercere, indecorum putassent, nisi Simoniæ quæstuosum auctorem Sacra apotheosi donarent, quo suam sacrilegę furacitatem vtcumque colorarent. 1. Tert. in Apolog. c. 13. *Quare Simon Magus inter numina relatus sit.*

Michææ 3. enormiora Hebræi populi flagitia eidem exprobans Deus, ita Michææ calamo scribit: *Principes eius muneribus iudicabant, & Sacerdotes eius mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant.* Doctrina Sacerdotis ea est, quæ mercede conducitur: Puto, flectetur ad pretiosiora donantis arbitrium. Heu Prophetæ pecuniis subornati, in locum prophetiæ diuinationem substituent! Eleganter Hildebertus Turonensis 2. Michęę 3. v. 11. Hild. Ep. 47.

Quam mercede prophetat, prophetam conuertit in diuinatorem. ronensis hac super re ita scribit, exponens præfata Michææ verba: *Atalanta secundum Poetam bene curr bat, quã cùm declinaret ad aurum Hippomenis, victa succubuit. Legimus plures etiam perfectos hac infectos amurca, & conuersam esse in diuinationem multorum prophetiam Prophetarum. De eis enim sic Michæas ait: Sacerdotes Ierusalem in mercede docebant, & Propheta eius in pecunia, diuinabant.* Pergit Hildebertus qua solet eloquij facundia, & ingenij acumine, ad rem opportunissimus: *Quanta ergo sit pestis, cupiditas, qua virtutis abiuratio, nec etiam tardiores credimus ignorare. Turpe nimis Christum Dei* (Sacerdotem inquam, aut Prophetam) *hoc inquinari atramento, quo prophetia in diuinationem degenerat, exinanescit interior Spiritus vnctio, mysticus legis obscuratur intellectus, aufertur Euangelicæ sapor doctrinæ. Turpe inquam, nimis, animam Domino similem huic idolo substerni, hac hominem amittere maleficiis, quibus etiam sapientum oculi fascinantur.* Obuium est cuiuis tot conglobatas sententias expendere, moralium acuminum fœcundè grauidas.

Multiplex Simoniæ vituperium dens conglobatur.

5. Ioannis 2. propè erat Pascha Iudæorum, & ascendit IESVS Ierosolymam, & inuenit in templo vendentes boues, & oues, & columbas, & numularios sedentes. Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, Et his qui columbas vendebant, dixit: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Eccur ad eos duntaxat, qui columbas habebant venales, sermonem dirigit? erat ne horum enormius peccatum, quàm eorum, qui boues vendebant, & oues? quare in hos præsertim verborum fulmina vibrat? Sanct. Isidorus huic dubio sic acutè respondet: *Nolite facere domum meam, domum negotiationis, ad eos qui columbas vendebant, dixit Dominus; Sacerdotes qui Spiritus Sancti dona vendebant, significans. Quandoquidem in columbæ specie Spiritus Sanctus apparuit, eos, qui ex Deo cauponum ritu quæstum captant, insectans.* Itaque mirum non est, si reliquis negotiatoribus, & rerum venalium distractoribus omissis, eos seueriùs reprehendat, qui vendunt columbas, per quos designantur Sacerdotes, qui Sacra furacitate, *ex Deo cauponum ritu quæstum captant.* Non pudeat Sacerdotes rerum diuinarum administratores, diuina sordidè cauponari? E columba, idest, è Spiritu Sancto, *quæstum cauponum ritu captent?* Doctè quidem Isidorus!

Ioan. 2. v. 16.

Sacerdotes aliqui ex Deo, cauponum ritu quæstum captant.

S. Isid. Pelus. lib. 1. epist. 106.

4. Actorum 8. Cùm vidisset Simon Magus quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date, & mihi hanc potestatem, vt cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum: *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto.* Quæ verba hoc pulchro glossemate Tertullianus adornat, in libro de Idololatria sic fatus: *Nam exinde, & Simon Magus iam fidelis, quoniam aliquid adhuc de circulatoria secta cogitaret, vt scilicet inter miracula professionis suæ, etiam Spiritum Sanctum, per manuum impositionem enudinaret, maledictus ab Apostolo de fide eiectus est.* Quod Hildebertus de Simoniacis dixit: *Ex Deo cauponum ritu quæstum captant*, cum columbas, idest, Spiritum Sanctum distrahunt; hoc Tertullianus dixit ambiisse Simonem, cùm offert pecuniam, vt *Spiritum Sanctum per manuum impositionem enundinaret.* Verùm rem expresserit elegantiùs, non censeo: vterque quidem emphaticè, sententiam offerentes, quam emedullare procliue est. Pro Dei exquisito dono pecuniam recusant Apostoli, & hìc mercedem accipere ab inscio Tobia Angelus refutat, & silentio nunc innuit, quod disertis verbis postmodum declarauit.

Actor. 8. v. 10 & 21.

Simoniacus Spiritum Sanctum enundinat.

Tertul. lib. de Idolol. c. 9.

Hic v. 4.

5. Matthæi 26. tanquam effusam Magdalenæ beneficentiam in Christum, refuga Discipulus arguit, benignitatem erga pauperes obtendens. Sed quod laudatior mulieris largitas Iudæ detraxit loculis, de Magistri proditione compensare satagit. Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad principes Sacerdotum, & ait illis: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos.* O execrandæ auaritiæ sacrilegam impudentiam! Fidem Deo debitam auarus euacuat, vt Simoniacus dominici sanguinis pretio marsupium oppleat. S. Isidor. Pelusiota ita scribit ad Eusebium Episcopum, qui pecuniis subornatus, geminos Sacerdotio indignos, in collegium Sacerdotum adlegerat: *Hoc scias te*, inquit, *vt qui Simonum, qui se Dei Spiritum pecunia mercari existimant, numerum augeas, commune cum proditore tibi marsupium comparasse.* O furacitatem sacrilegè auaram! Parùm hoc, nisi Petrus Damianus addidisset, Simoniacos ipso etiam Iuda proditore flagitiosiores esse, præstantioresque de flagitij enormitate: *Iudas*, ait, *Dominum purum hominem credens vendidit. Vos autem nihil de Diuinitate Sancti Spiritus ambigentes, & commercium illi venalitatis adscribitis, & perpetrati flagitij commodum possidetis: quique furatis vltione plectendi, scelera commissa lucramini.* Quid illustrius?

Simoniaco idem cum Iuda proditore marsupium.

Matth. 26. v. 15.

S. Isid. Pelus. lib. 3. ep. 119

Quare Simoniacus sit Iuda ipso flagitiosior.

Petr. Dam. epist. 16 c. 50 in 3. tom. Bibl.

6. Nuper retulimus ex Actis Apostolorum, quod Simoni Mago, qui pro gratia Spiritus Sancti, Apostolis pecunias obtulit, respondit Simon Petrus: *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto.* Quid incommodat, quod Spiritus Sanctus, qui gratis donatus, ab hominibus *possidetur*, datis pecuniis *possideatur*? An non largior pecuniarum exhibitio, ardentius illius possidendi denotat desiderium! O quàm distat cœlestium negotiatio, à terrenorum commerciis! S. Isidorus ita scribit ad quempiam, qui Sacerdotium pecuniis emerat: *Profano modo*, inquit, *Sacerdotium accepisti, rem cœlestem pecunia suffuratus.* Scilicet terrena bona quantumuis aliena sint, oblato pretio ea mercaris, & facis tua emptionis commercio: at cœlestia bona vsque adeò gratis possidenda sunt, vt eadem oblato pretio *suffureris*: quasi oblata pecunia, quibus terrena possidentur, sit spiritualia *suffurandi* rapax arbitrium: *Profano modo Sacerdotium accepisti, rem cœlestem pecunia suffuratus.* Vnde Simon Petrus Simoni Mago pro re Dei pecunias offerenti, consultissimè dixit: *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto.* Hoc est, in Spiritus Sancti gratia, quam pecuniis mercari satagis: nam quod gratis debet possideri, pretio abalienatur, & pecuniarum oblatione furtum committitur.

Actor. 8. v. 20 & 21.

Simoniacus rem cœlestem pecuniis suffuratur.

S. Isidor. l. 1 epist. 111.

7. Redeat iterùm illa Michææ sententia, necdum satis ad rem emedullata: *Sacerdotes eius*, inquit, *in mercede docebant, & propheta eius in pecunia diuinabant.* Quid doceat Sacerdos mercede conductus, nisi errores? Propheta pecuniis subornatus, non prophetat, sed diuinat, & de muneratoris

Mich. 4 v. 11. Spiritum Sanctum, qui emit amisit.

Petr. Dam. lib. 8. epist. 11

ris nutu loquitur, quasi muneribus ipsis ab ipsius ore Spiritus Sanctus abigatur. *Et merito* (ait Petrus Damianus) *siquidem Spiritum Sanctum dum emit, amisit: vt qui exclusus erat ab anima, procul esset à lingua.* Pulchrè quidem.

8. Malac 2. v 7

Greg hom 7 in Euang.

Sacerdotium vendis, quod Angeli expetunt, simoniacè prodis.

Pelus. lib. 1. epist. 119.

Malachiæ 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est.* S. Gregorius Angelum Domini Sacerdotem vocari ideo putat, quia Angelicum debet obire ministerium. Sic autem ille homil. 7. in Euangelia: *Vtinam fratres charissimi, non ad iudicium nostrum dicamus, quia omnes qui Sacerdotis nomine censentur, Angeli vocantur, Propheta adtestante, qui ait: Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est. Sed huius altitudinem nominis etiam vos, si vultis, potestis mereri.* Satis se putat Gregorius Sacerdotibus adulari, si Angelos æmulentur. Isidorus autem quidpiam sublimius in Sacerdotali dignitate contemplatus, illam Angelos expetere, & pia quadam velut ambitione æmulari, ad rem præsentem subtiliter dixit, increpans quempiam Antistitem, qui pecuniis vendiderat Sacerdotium: *Ea, inquit, quæ ab ipsis Angelis expetuntur, prodis.* Nempe pecuniis auarè corruptus, *proditor* es Sacerdotalis dignitatis, quam Angeli *expetunt.* Idest, honoris causa expeterent, si id fieri posset. Multa bona, & naturæ, & gratiæ, & gloriæ, Angeli feliciter possident: at ea est Sacerdotalis dignitas, vt qui his affatim potitur, eam velut pia ambitione *expeteret*, si in eo foret statu, vt illam abire potuisset. Id ne quod vel Angelus sic *expeteret*, tu simoniaco lucello *prodis*? rem tantam sordida pecuniarum negotiatione *nundinaris*? O vilissimè sordidos rei Sacræ caupones!

---

§. CCXXIII.

In terris præstantissima cadunt merita, quæ cælum æmulatur.

Hominis è terra figulati improperia.

1. Nihil priùs, vel magis audimus à scelestis hominibus, (quò sua flagitia de limi sui fragilitate excusent) quàm vituperium carnis, in originem, in materiam, in casum, in omnem exitum eius, immundæ à primordio ex fœcibus terræ, immundioris deinceps ex seminis sui limo, friuolæ, infirmæ, criminosæ, onerosæ, molestæ: & post totum ignobilitatis elogium, caducæ in originem terræ, & cadaueris nomen, & de isto quoque nomine perituræ in nullum inde iam nomen, in omnis iam vocabuli mortem. Futile, friuolum hominis corpusculum, natura de terra figulauit; & inde fragile, & ad cognata terræ vitia velut obstinatè pronum Nec modo matricē homo sapit terram, sed matricem etiam terram inhabitat: terram, inquam, hominis patriam, nouercam virtutis, & scelerum conflatorium. Ast vituperationem veram, vera etiam laudatione depellas, hoc vno in primis nomine, quòd terra sit palæstra virtutis, & egregia meritorum officina, qua gratiæ typo, cœlestis hominibus cuditur beatitudo. Huic prærogatiuæ, si inuidia posset tangi cœlum, planè inuideret. Quid enim est tam terræ angustum, quàm in ea fabricari coronam è meritorum gemmis, qua terreni homines regnent in cœlo? An non cœleste granum dum *cecidit suprà petrā, natum aruit, quia non habebat terræ humorem?* Terram ambit cœlum? Sic res cœli, terræ penuria euanescit: sic in terra fructificat, cœlesti prouentu.

Cœleste semē terram expetit, vt fructificet.

Lucæ 8. v. 6

2. Math. 24. v. 29. Gen. 1. v 16 & 17.

Matthæi 24. instantis iam finalis iudicij diem, hæc cœli signa præmonstrant. *Statim*, inquit, *post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, Stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur.* Quare cùm districtiùs finalis iudicij examen proponitur, Sol, & Luna, etsi obscurati, in cœlo tamen manent; Stellæ autem è cœlo in terram cadere dicuntur. Quid peccarunt Stellæ, vt è cœlesti earum patria dimissæ, in terris cogantur exulare. Anastasius Sinaïta exponens illud Geneseos 1. *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti, & Stellas. Et posuit eas in firmamento cæli, vt lucerent super terram.* Hoc discrimen constituit inter locum, in quo Sol, & Luna creati sunt, & eum, in quo Stellæ sunt cōditæ, quod Sol, & Luna in terris formati sunt, Stellæ verò in cœlis. Sic enim ad ea verba fatur Anastasius. *Per terribile autem omnino, & occultum mysterium, Stellas quidem suprà per iussum Deus creauit in firmamento: Solem autem, & Lunam, cùm per se super terram, tanquam Adam, & Euam esset fabricatus postea eos in altum sublatos posuit in firmamento.* Nempe ex mente Anastasij, Sol, & Luna in terris creati sunt, & triduo in terra versati, die mundi quarta in cœlum, tanquam inquilini transferuntur. Secus Stellæ, quæ in firmamento formatæ, inibi vsque ad diem iudicij dicuntur permanere. Ergo Sol, & Luna in terris creati, cum districtius finalis iudicij examen proponitur, ad tempus non dabunt lumen suum, sed in cœlo, ad quod de terris ascenderunt, permanent. At Stellæ, quæ in cœlis creatæ, nunquam habitarunt in terris, dum horribile meritorum examen creaturis imminere vident, appropinquante iudicio, protinus celeri lapsu, sese certatim in terras demittunt: *Stellæ cadent de cœlo*: ne finali iudicio adsint, quin prius in terra versentur. O mysticam de re inanimata eruditionem, terrigenis hominibus peridoneam! Aduertunt Stellæ, quod Sol, & Luna velamine duntaxat posito, radios suos prohibent, nec è cœlo exulare iubentur. Siquidem in terris conditi, terram aliquando habitarunt, quasi in pugnæ palæstra, & meritorum officina. Igitur ipsæ protinus cœlum deserunt, & in terram præcipites cadunt, vt de terræ incolatu, finali iudicio, & meritorum examini, impunè adesse possint, & firma earum in cœlis statio perpetuetur. Moralissimè quidem sub sidereo Stellarum typo, homines terrigenæ erudimur, quàm limus noster debet esse pretiosus, & quàm solliciti versari in terris debeamus, ne vel vna boni diei particula nos prætereat. In terra exciditur corona, quæ in cœlis beatè fulget ad perpetuas æternitates.

Anast Sin. lib 4. in Hexaëm.

Cur Stellæ in cœlo creatæ, ante finale iudicij examen, in terrā cadant, secùs Sol, & Luna.

3. 1. Corinthiorum 6. ægrè tulit Paulus, quod Christiani à Christianis iudicati recusarent, ethnicorumque frequentarent Tribunalia. Audet aliquis vestrum, inquit, habens negotium aduersùs alterum, iudicari apud iniquos, & non apud Sanctos. An nescitis quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt. Et si in vobis iudicabitur *mundus* (id est, *mali Sacerdotes*, ait Chrysostomus. Vide quali elogio denotentur) indigni estis, qui de minimis iudicetis. Subdit Paulus ad rem tempestiuus. *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus? quantò magis*

Mali Sacerdotes, mundus appellantur.

Chrys. ibi.

1 Co. 6 v. 3.

Homo terrenus cælestes Angelos cur iudicabit.

magis sæcularia? O quàm multa paucis compendiauit Apostolus! um ratum sit contra aliquos apud Chrysostomum. *Angelorum* nomine, Sacerdotes minimè intelligi; non contendam cum Carthusiano, qui omnes Angelos intelligit; nec propè cum reliquis huius loci commentatoribus. qui nequam Angelos duntaxat interpretantur. Verùm quomodò Paulus, cæterique Apostoli, aut Sancti, Angelos iudicabunt? Quando hæc illis potestas concessa est? aut quam ob caussam sanctis hominibus potestas ad Angelos diiudicandos conceditur? An non Angeli naturam humanam valdè excellunt? Homo terrigena cælestes Angelos velut sibi subiectos, cur iudicabit?

Theophil. ibidem. Luculenter Theophylactus: *Nescitis quod Angelos iudicabimus? Quos condemnabimus, quando nos carne vestiti, incorporeis istis substantiis excellentiores fuerimus reperti.* Posteriorem verò

Carthus. ad eum locum. partem Paulinæ sententiæ, ita Carthusianus exponit, *Quantò magis sæcularia? Id est multò amplius digni sumus iudicare causas terrenas.* Quasi dicat. Nos corporei sumus, & è terræ limo carne vestiti: ergo cùm nos terreni in terræ palæstra, de fragilitate robusti, de passionibus propè impatibiles, de calamitatibus felices, de aduersariorum luctis sic victoriarum cumulauerimus merita, vt *incorporeis istis substantiis excellentiores fuerimus reperti*; non modò *causas terrenas*, sed Angelorum etiam causas iudicabimus. An non vides, quàm illustrem habeant prærogatiuam, eæ virtutes, quas homo à terræ limo formatus. in terrena merendi officina excudit? Quomodò autem viri sancti nequam Angelos, & bo-

Carthusian. Cornel. ibi. nos etiam iudicent, tradunt Carthusianus, & vidisti nunc Angelos à terrenis hominibus iudi-

Hic vers. 15. cari; vide hîc etiam Angelum terrigenæ Tobiæ sanctitate præstanti, obsequentissimè famulari, vt inde innotescat, quàm suspiciant Angeli virtutem de terrena fragilitate constantem, & de terrę limo eximiè cælestem.

4. Matth. 13. v. 45. & 46. Matthęi 13. *Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inuentâ vnâ pretiosâ margaritâ, abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.* Valdè industrius proponitur hic humanus mercator, qui pretiosiores quærit merces, nec labori parcit, vt lucro non

Hugo ibi. pareat: Hugo Carensis ita exponit præscripta verba: *Simile est regnum cælorum homini negotiatori, qui negotiando laborat, vt ditetur. Sic Sancti vigiliis, orationibus, & bonis operibus.* Benè est, proponatur *negotiatoris* nomine, pia quædam Sanctorum auaritia, in vigiliis, in orationibus, & in bonis operibus, qui solerter negotiando, impensè laborant, vt opulentè diuitentur: at quo pacto huic lucroso mercatori regnum cœlorum simile est? An cælum istiusmodi mercaturam exercet? Num cælites hæc lucra ambiunt: aut opes meritoria negotiatione partas hominibus inui-

Antiqua hominibus cum cælo Societas. dent? Quomodo igitur *regnum cælorum simile est homini negotiatori*, qui negotiando vigiliis, orationibus, & bonis operibus, laborat, vt ditetur? Mercatorum, aut potiùs meritorum auaritia cęlos tundit, & cęlites tangit? Peridoneè Clemens Alexandrinus tacitè fortassis adludens ad præfa-

Clem. Alex. in Adhort. ad Gent. ta Matthæi verba, *Simile est regnum cælorum homini negotiatori*, ita scribit: *Erat autem quædam antiqua hominibus ingenita cum cælo societas.* Hispanè diceres: *Tenian los hombres trato de compania con el cielo.* Nempè mortalium virtutes quâdam lucri velut societate, cælicolis etiam ad scribebantur: mortalibus, inquam, ad meritorum lucrum; cælicolis, ad humani meriti, & diuini obsequij complacentiam. Sic enim nostris bonis operibus cælicolæ adgaudent, ac si illorum consortes forent: sic ea æstimant, ac si illis pie inuiderent, & eiusdem meriti societatem ambirent. *Simile est regnum cælorum homini negotiatori, erat autem quædam antiqua hominibus cum cælo societas.* Itaque Mortales ex cælicolarum retrò meritis, & nunc gloriis, insignes capiunt accidentalis glorię vtilitates: Cęlicolę autem Mortalium prælustres virtutes, & sublimia facinorum merita, amico commercij fœdere, & arcanâ quâdam lucri societate, quodammodo exambiunt, & humanam meritorum negotiationem auidè expetunt. *Simile est regnum homini negotiatori,* &c. Porrò in terris tam præcelsè eximia excuduntur merita, vt ea cælum velut æmulari, aut ambire putetur.

---

§. CCXXIV.

De scelestissima hypocrisis vitio venit, vt vitiis militare virtus cogatur.

Sanctus Petrus Chrysologus exponens illa Matthęi verba: *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis,* &c. ita de hypocrisi fatur: Illa iustitia, inquit, quæ est hypocrisis, iustitia non est, mentitur oculis, fallit aspectum, *videntibus illudit, decipit audientes, seducit turbas*, trahit populos, famam vendit, emit clamorem, fit sęculo, Deo non fit, mercedem rapit præsentem, præmium non quærit in futuro, cæcat oculos, cæca ipsa non videns vult videri. Ergo *cum facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te, sicut hypocritæ faciunt. Benè tubâ, quia talis eleemosyna hostilis est, non ciuilis, non misericordiæ dedita, sed clamori: seditionis vernula, non alumna pietatis: ostentationis nundinatio, non commercium pietatis.* Itaque fugienda est hypocrisis, quæ captiua gloriæ, verecundiam pauperum non releuat, sed fatigat: quæ de gemitu inopis pompam suæ gloriationis inquirit, quę suam laudem dilatat pauperum ex dolore, quæ de miseriâ petentis famam suę obstentationis expandit. Fugienda est falsata iustitia, quæ non modò sanctitate inanis est, sed prauitate exundās; quæ dum videntibus illudit, decipit incautos, & tubâ canens ad virtutis speciem, clancularium hostilitatem aduersùs virtutes exercet; & dum sanctitates nundinatur, sua, & spectatorum vitia emit. Quid enim nocentiùs quàm mera vitiositas, virtutis specie tectiùs laruatâ, ad seductiones peridonea? Hanc morum pestilitatem ructabant Pharisæi: ructant (heu plurimi!) sanctitatum caupones, qui in virtutum commercio vitia nundinantur; & pietatis afflatu, vitiorum perniciem nocentiùs spirant: huius noxiæ vitiositatis Hebræam gentem insimulat Tobias, cui tot populi calamitates adscribit, dum grauissimas dicit sustinere ærumnas, *quia non ambulauimus sinceriter coram te.* Et idcircò, quam Azariæ modestia offerebat probitatem, tam attento examine senior Tobias hîc explorat.

1. Matth. 6. v. 1. & 2. Chrys. ser. 9.

Hypocrisis elegia adducuntur.

Hic v. 16. & 18.

Matthæi 16. reddit Christus Apostolo vicem pro testimonio, quod de se Petrus dixerat: Tu es Christus Filius Dei viui. Dominus autem dixit 2.

 ei:

ei: Beatus es Simon Bar-iona. *Et ego dico, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Ecclesiæ firmitas, cui Petrus præsidebit, hic stabilitur. Sed quid est, quod ait, *Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam?* Multa super hoc loco tradunt interpretes, vt exponant, quid per inferorum *portas* intelligatur. Quidam ad allegorias confugiunt, alij absque allegoriæ nubilo locum intelligunt. S. Hieronym. ita prædicta verba interpretatur: *Ego per portas inferi vitia reor atque peccata.* Itaque ex magni Hieronymi scholâ eruditi, tenemus, per *portas inferi* intelligenda esse vitia atque peccata: petne stigandum verò adhuc superest, quodnam vitiorum ac scelerum genus per *inferi portas* designetur. Cui dubio acutè his verbis respondet Origenes: *Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Sed & singulæ spirituales nequitiæ in cælestibus, portæ sunt inferorum, quibus contrariantur portæ iustitiæ.* Spiritualis nequitia in cælestibus, portæ sunt Tartarorum? Peregrinum sanè epitheton *nequitiæ* est, quod appelletur *spiritualis*, & *in cælestibus* esse dicatur (quem loquendi modum Paulus in Scripturis inuexit) Humana nequitia, *spiritualis* est, spiritumque sapit; an potiùs de corporis limo lutea est, corporea, & squalida? Ad hæc, si hæc spiritualis nequitia in cælestibus est, quo modo illa ipsa esse poterit inferorum ianua? In cælestibus erit inferorum porta? O hypocrisim argutè adumbratam! *Singulæ spirituales nequitiæ in cælestibus, portæ sunt inferorum.* Nulla enim nequior malitia est, & nocentior prauitas, quàm ea quæ scelera penicillo bonitatis pingit, & vitia specie virtutis colorat: quæ tanquam pietatis zelo sæuam sui vindictam exequitur: quæ ac si virtutem defendat, vitia tuetur: quæ velut spiritum redolens, & cælum fragrans, squalorem terrenum sapit: quæ apparenti virtute auctoritatem comparat, vt perniciosiùs virtutem ex insidiis euertat. Nequitia est, sed spiritualis videtur, & in cælestibus putatur residere; & tamen via est ad Tartara, & inferorum porta. *Singulæ spirituales nequitiæ in cælestibus, portæ sunt inferorum.* O caue à spirituali nequitia: nam impiè sæuit, quisquis prætextu pietatis ferit. *No ay malicia tan rematada, como la que se viste con capa de spiritu.*

Matth. 16. v. 18.

Spiritualis nequitia hypocritarum, sunt inferorum porta.

Hieronym. ibi.

Orig. Matth. 16. tract. 1. ante medium.

3. Matthæi 23. Christus Deus his grauissimis verbis hypocrisim Pharisæorum reprehendit: *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc ampliùs accipietis iudicium.* Ecce tibi ex simulata deuotione veram prædam. Sexus enim mulierum incautus est, & quia mollis etiam est, facilè flectitur de malo in bonum, & de bono in malum: nec percallere enalet eorum simulationes, sed facilè ad eorum dilectionem inclinatur velut deuotionis causâ: exinde fictis precibus vera lucra negotiantur. Tempestiuè incertus Chrysostomus his verbis verba præfata exponit: *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, &c. Pro eo quod figmentum accipitis sanctitatis: auaritiam enim vestram religionis colore depingitis, & quasi præstatis Diabolo arma Dei, vt ametur iniquitas, dum pietas æstimatur.* Quisquis obtentu pietatis impietatem negotiatur, religionis proditor, Dei arma Diabolo porrigit, dum virtutis æstimatione, vitiorum amorem excudit, apostatricis malitiæ ingenio. Nempe captiuam trahit virtutem, vt vitio militet, & pietatem euertat; & auaritiam facit virtutis stipendium, dum religio votiuè mendicans vicarium cauponatur, si fortè iactatum pietatis semen, ad propria commoda auaritiæ fructus erudiat. O hypocritarum proditrix culpa, quæ virtutum ferit mucrone virtutis; & *quasi præstat Diabolo arma Dei, vt ametur iniquitas, dum pietas æstimatur!*

Matth. 23. v. 14.

Qui vitia virtutis colore depingit, quasi præstat Diabolo arma Dei.

Imperf. homil. 44. in Matth.

Nuncio Dominicæ Resurrectionis accepto, insaniunt Sacerdotum Principes: *Et congregati cum senioribus consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus.* Non sunt contenti Sacerdotum Principes interfecisse magistrum, imò etiam quomodò discipulos perdere possint callidè moliuntur, & discipulorum crimen esse faciunt, virtutem Magistri. Planè amiserunt milites, perdiderunt Iudæi, sed discipuli magistrum suum non furto, sed fide; virtute, non fraude; sanctitate, non crimine; viuum non mortuum sustulerunt. Super hac copiosa pecuniarum summa militibus donata, ita ad litteram, & ad mores philosophatur Hieronymus: *Pecuniam copiosam dederunt militibus. Principes ergo sacerdotum, qui debuerant conuerti ad pœnitentiam, & Iesum quærere resurgentem, perseuerant in malitia, & pecuniam, quæ ad vsus templi data fuerat, vertunt in redemptionem mendacij: sicut & antè triginta argenteos Iudæ dederunt proditori.* O immane Pharisæorum piaculum! nuper pecuniæ pretio mercantur Christi Dei mortem; & post resurrectionem, eius mortem redimunt, & vitam nundinantur; Imò (quod valdè detestteris) & copiosis pecuniis ad religiosos Templi vsus piè donatis, impium mendacium redimunt, ad sacrilegij auctarium. Religiosa fidelium pietas, in irreligiosæ impietatis execrandos vsus impenditur; pecuniis Deo sacris impietas emitur. O sacrilegum pietatis stuprum! de religionis stipendiis, faciunt malitiæ censum: & religiosæ pecuniæ peniculo, & suam auaritiam dissimulant, & vaferrimæ inuidiæ malitiam colorant, dum *pecuniam, quæ in vsus templi data fuerat, vertunt in redemptionem mendacij.* O verè impios mendacij redemptores! 4.

Matth. 28. v. 12. & 13.

Sacerdotes pecuniam, quæ in templi vsus data fuerat, vertunt in redemptionem mendacij.

Hieronym. ibi.

5. Gentium doctor his verbis suos Ephesios instituit ad veram & infucatam virtutem: *Renouamini, inquit, spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitiâ & sanctitate veritatis.* Hoc est, in verâ iustitiâ & sanctitate; non mentitâ, non simulatâ, non falsatâ. Verâ, inquam, iustitiæ veste non hypocritarum ficto ornatu, suos Ephesios vestiri, corde cupit, & ore hortatur. S. Gregorius magnus de quibusdam, qui cùm morum probitate longè essent à philosophiâ, & assumpto pallio ambirent Philosophis aggregati, sic pulchrè fatur: *Eis, qui verè semetipsos despiciunt, non mente, sed veste copulantur. Quia enim præsentem gloriam amantes assequi non possunt, quasi despicientes sequuntur.* Heu scelus! virtutis vestem seruire cogunt vitio vanæ gloriæ, & propriam ambitionem amictu humilitatis adornant; & vestium ambitiosâ frugalitate, virtutis famam superbè aucupantur. O scenica hypocritarum virtus, quæ vera philosophantibus vitia repræsentat! In hos forsan non inidoneè quadrare potest illud quod non sine acetò dixit Saluianus: *Illi nouorum honorum religiosi ambitores.* Nimis multa paucissimis compendiauit Saluianus, quæ enucleatiùs emedullare pudor est.

Ad Ephes. 5. v. 23. & 24.

Hypocritæ gloriam, quã amantes assequi non possunt, quasi despicientes sequuntur.

Greg. lib. 31. Moral. c. 4.

Salu. lib. 5. de Guber. Dei.

Ioannis

6 Ioannis 6.Christus Deus nouus è cœlo magister ad terras veniens, abstrusiora Christianæ œconomiæ mysteria profundè tradit: quæ humanæ, idest, vitiatæ rationis fastum excellunt. Discipuli autem nonnulli auribus cœci, dum illam non capiunt, intellectam impudenti præiudicio respuunt. Ex hoc multi Discipulorum eius abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant. *Dixit autem IESVS ad duodecim: Numquid, & vos vultis abire?* Quis nisi infidè refuga, copiam sibi recedendi ex his verbis adstruat? O non bonus diuinæ voluntatis interpres, qui Dei voluntatem diuinæ iussionis obtentu negligit; & de pietate impietatem colorat! Profunde ad rem Tertullianus: *Non est bona, & solidæ fidei, sic omnia ad voluntatem Dei referre, & ita adulari ad vnumquemque, dicendo nihil fieri sine iussione eius.* Meræ sunt fidei insidiæ, & latentes subdolè scopuli ad virtutis naufragium. Diuinæ voluntatis refractarius est, obsequij prætextu. Nugacissimè friuola diuinæ voluntatis interpretatione, eius nutui *adulari* præsumit. Consultissimè dixit *Adulari*: nam Adulatio dum laudem obsequio exaggerat, non parum de mendacio trahit. Ergo hypocrita; Dei nutum falsò diuinat, vt cùm mendacium expolit, cautiùs veritati detrahat. Dum dixit Christus Deus: *Numquid, & vos vultis abire?* Permissio non est, exploratio est. Non bona obsequij interpretatio, non Discipulos, sed refugas facit: *Non est bona, ac solidæ fidei, sic omnia ad voluntatem Dei referre, & ita adulari ad vnumquemque.* O non benè inobsequentem, & malè *adulantem*.

Ne de nutu Dei, vitio potius quàm obsequio diuino adulemur.

Ioan.6.v.68.

Tertul de Exh.cast.c.2.

§. CCXXV.

Malitia conscientiæ, propriæ bonitatis laudes per linguam euaporat.

1. DEcantatissima Socratis sententia est, *Ad gloriam compendiaria vi pervenire posse eos, qui talei essent, quales videri vellent.* Nemo est, qui cognata hominibus ambitione, non cupiat bonus haberi hinc humanas laudes affectare solitat; pauci sunt, qui boni esse animitùs exoptent, & solerter procurent negotiatione virtutis. Medullitùs latens vitium probitatis larua celare præsumunt, & laudibus aliorum, non bonam sui conscientiam colorare. Hinc alienæ laudis ambitiosus titillatur pruritus, imò, & propriæ insana garrulitas, quæ suis laudibus propria plerumque vituperia dissimulare gestit. Eius, qui se laudat, non tantùm vana gloria vapulat apud omnes, sed etiam apud peritiores, rerum causas attentiùs rimantes, latentis ea in re vitij suspectus est, quisquis suas effutit laudes. Mala conscientia bonitatem ore euaporat, non bonum malitiæ medicamentum, & quod citiùs latentem intrinsecus morbum ostendit, quàm curat. Hei non tantum conscientiæ morbis, sed morborum remediis ægrotamus! Quantum propriis laudibus addis, tantum vituperiis accrescit, adeo vt sui laudator, nihil distet à vituperone. Bonum in opere proprio elogium, conscientiam prodit, & latens vituperium peritioribus tacitè buccinat, peruerso clamore. Propria laus, ænigma vituperii est: nam quicquid vitij accusat conscientia, ambitiosa garrulitas propriis laudibus dissimulare festinat.

1. Brus.lib.1.c.18.

Tales simus quales videri volumus.

2. Salomon, caput Prouerbiorum 4. in quo pulchras ad mores spissat sententias, hoc breui prœmiolo auspicatur: Audite filij disciplinam patris, & attendite vt sciatis prudētiam. Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis. *Nam, & ego filius fui patris mei, tenellus, & vnigenitus coram matre mea.* Locus in paucis impeditus, & in varios sensus à commentatoribus multifariam distractus. Porrò quid est, quod Salomon ait: *Ego filius fui patris mei?* Ecquis patris sui filius non est? Egregia planè Salomonis eruditio! Illud tamen planè arduum intellectu est, quomodo verè potuit dicere Salomon, se esse tenellum & *vnigenitum* coram matre sua, Bethsabee inquam. Nam præterquam quod 1. Paral. 3. de Dauide scribitur: *In Ierusalem nati sunt ei Simmaa, & Sobab, & Nathan, & Salomon, quatuor de Bethsabee*: dicere potuerunt Abulensis, Lyranus, Hugo, Vatablus, & Salmeron, hos tres Bethsabee filios, ex Vria susceptos, à Dauide adoptatos, quod copiosè impugnabam in cap. 3. Lucæ. At de puerulo ex adulterio ante Salomonem nato, 2. Reg. 12. quid, obiecto, dici potest? Planè ibi scribitur: *Et consolatus est Dauid Bethsabee vxorem suam* de puerulo defuncto: *ingressusque ad eam, dormiuit cum ea: quæ genuit filium, & vocauit nomen eius Salomon.* Quo pacto se dicit *Vnigenitum*, si alter eius frater præcessit indubiè, qui fuit necessariò primogenitus? Huius rationem Hieronymus his verbis reddit: *Quare Vnigenitum se nominat, quem fratrem vterinum Scriptura præcessisse testatur? Nisi quia ille mox natus sine nomine, quasi nunquam esset, de vita decessit.* Tantane est nominis prærogatiua; & vocabulorum momentum, vt censeatur nunquam fuisse, qui sine nomine è viuis decessit? Nisi fortè quod breui durat tempore, quasi nunquam fuerit reputatur, (quæ obseruatio plurium moralitatum grauida est, quas vnusquisque sine obstetricante commentario facilè in lucem edet.) Verum enimverò cum Salomon noster se fraterculum habuisse, ex propudioso matris adulterio natum, Hebrææ linguæ priuilegio, vtitur vocabulo ambiguo, dum matris suæ esse *Vnigenitum*, gloriatur, quo fraterculi adulterini latens in conscientia probrum, qua hactenus propria laude dissimulet. Fœdum matris suæ adulterium, Salomonis conscientiam molestè fodicabat corrosu perpeti, vnde cùm in suas laudes effertur; se *Vnigenitum* matris appellat, quo vulnus conscientiæ laudando prodit, & latens medullitus vitium ore publicat, aiens: *Ego filius fui patris mei, tenellus, & vnigenitus coram matre mea.* Hinc fortè Raphaël sub humana apparens specie, generosam prosapiam hic ore proprio pandere recusabat; ne propriis se laudibus apud prudentem, & attentum senem deuenustare videretur.

Prou 4 v.3

1 Paral.3.v.5

Qui sine nomine decessit, non putatur vixisse.

2 Reg 12.v.24.

Quod breui durat tempore, nō factum putatur.

S Hieron vt refertur in Extrau de signif cap. *Nam & ego.*

3. *Salomon propria sui laude conscientiæ probrum dissimulantes prodit.*

Hic v.17.

4. 2. Reg. 12. Ioab Dauidici exercitus princeps Regiam Ammonitarum vrbem dura obsidione cingebat, & propè vsque ad excidium strenuè oppugnabat; dum Rex Dauid cum pulchra Bethsabee scortabatur egregiè. Igitur pugnabat Ioab contra Rabbath filiorum Ammon, & expugnabat regiam vrbem. Misitque Ioab nuncios ad Dauid, dicens: Dimicaui aduersum Rabbath, & capienda est Vrbs aquarum. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside ciuitatem, & cape eam: *ne, cùm à me vastata fuerit vrbs nomini meo adscribatur victoria.* Congregauit itaque Dauid omnem populū, & profectus est aduersum Rabbath: cumque dimicasset, cepit eam. *Et tulit dia-* 2.Reg.12.v.30.

dema regis eorum de capite eius, pondo auri talentum, habens gemmas pretiosissimas, impositum est super caput David. Addit Iosephus ad Hebræorum traditione: *Ipse verò David tulit coronam regis Ammonitarum, habentem pondus auri talentum, & lapides pretiosos, & in medio sui sardonychem, quam semper David gestabat in capite.* Mirissimum sanè est, & attenta obseruatione dignissimum, Dauidem qui plura finitimorum regna pertinaci bello ipse exciderat,& regias vrbes per se expugnarat, adeò vt de capiendis euertendisque vrbibus inclytum sibi nomen fecerit: (vt inibi Sanctius adnotauit) dum hanc vrbem, non tam per se, quàm per Ioabum ducem cœpit, Regis illius vrbis coronam capiat,& eam *semper David gestet in capite.* Reliquas ipse vrbes propria virtute,& bellica industria expugnat, & tunc deuictorum Regum coronas negligit, & cùm ipse, non tam pugnaci, quàm honorario exercitu, Ioabi opera penè expugnatam vrbem expugnat, vt eius *nomini adscribatur victoria*, tunc, tunc quidem, *David tulit coronam regis Ammonitarum, quam semper David gestabat in capite?* O nimis perlucida hominum pectora, & quæ per ostentationis rimulas conscientiam exhalant! Nempe sciebat David illius victoriæ totam gloriam deberi Ioabo, à quo eam ipse emendicato acceperat, Ioabi honore sublimis. Ergo (vt tempestiuè notauit Abulensis) *David imposuit sibi illud diadema ad honorem.* Nam cùm alias vrbes regias per se ipse expugnauit, regalis coronæ decus neglexit, quãdo vero honorario potiùs exercitu, de Ioabi pugnis triumphat, tunc suæ inertiæ in illo bello benè conscius, *David tulit coronam regis Ammonitarum, quam semper gestabat in capite, ad victoriæ honorem.* Scilicet maiori triumphi ostentatione consolatur otij tunc lasciuientis inertiam, & de victoria, quam ipse non reportauit, ambitiosiùs triumphat. Quo notum sit quòd propriæ plerumque tenuitatis conscientia, in vanæ gloriæ officina, & ore laudes, & laudatorias opere ostentationes excudit. Si te laudare non erubescis de vanitatis probro, time saltem de infausto, de conscientiæ proditione time.

Margin: Ioseph lib. 7 Antiq cap 7 prope finē. — Sanct ibi — David l. de otij conscientia, laboris trophæa sumit. — Abulens. ibi q. 8.

5\. Geneseos 42. ita scribitur: Ioseph erat Princeps in terra Ægypti, atque ad eius nutum frumenta populis vendebantur, *Cumque adorassent eum fratres sui*, &c. Ferè conuenit inter expositores nunc impletum esse somnium, quod suprà c. 37 fratribus suis euulgauit, dicens: *Putabam, nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare; vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum.* Estò, fratres Iosephi illum quasi Ægypti Principem adorarunt: quid est, quòd manipuli fratrum, sublimiorem Iosephi manipulum adorarunt. Quænam est hæc manipulorum adoratio. Rupertus exponens præscripta Geneseos verba: *Cumque adorassent eum fratres sui*, ita subtiliter scribit: *Ecce enim re vera quodammodo manipuli eorum manipulum Iosephi adorant, dum non ob aliud, ignotum sibi Principem Ægypti adorant: nisi quia defecerunt manipuli eorum, ille autem de manipulis plenum habebat horreum.* Quomodo manipuli, qui fratribus desunt, possunt adorare manipulos, quibus Ioseph abundat in horreis? An quia alicuius boni defectus arcanè submittitur, & tacitè adorat idemmet bonum, quod gloriosè in alio supereminet. Opum defectus, dissimulatus diuitiarum cultus est. Ecquis non pluris æstimet, quod illi dolenter deest. O quàm futilia bona sunt, quæ à defectu æstimantur, ab exundantia vilescunt! Et vide oculis quam sumptuoso adpretiationis censu fratres Iosephi æstiment, quod ipsis deest, & in alio vbertim eminet. Manipuli, qui illis desunt, adorant manipulos, quibus Iosephus copiosè in horreis abundat, & vt aliquot manipulos sibi acquirant, & proprios reddant, molestæ peregrinationis subeunt impendia, magno mercantur, & adoratione redimunt.

Margin: Gen 42. v. 6 — Cap 37. v. 7 — Rupert. ibi — Manipuli, qui Iosephi fratribus desunt, adorant manipulum, qui Iosephus habet.

6\. Ennodius Ticinensis ita pulchrè fatur: *Iungitur quod de Sacrario mundi pectoris laudatio principalis debet effluere.* Nempe princeps laudatio de munda, ac pura conscientia, velut de quodam veritatis *Sacrario* ortum habeat, ne dum lingua piè laudare videtur, laudes potiùs eructet, & diffamiam laudatione procuret. Non profanat laudatoria lingua, quod de *Sacrario* mundi pectoris effluit.

Margin: Ennod. in Panegyr. Laudatio è sacrario mundi pectoris effluat.

---

§. CCXXVI.

Qui alis adornatur alienis, sat est si alatus ambulet; mirissimum, si pennatus currat.

1\. VAldè difficilis est veræ gloriæ adeptio, & difficilior custodia. Quomodo placere potest populo, cui placet virtus? Malis artibus popularis fauor quæritur: similem te illis facias oportet. Conciliari nisi turpi ratione amor turpium non potest. Profectò si te videro celebrem secundis vocibus vulgi: si intrante te clamor, plausus, & pantomimica ornamenta obstrepuerint, si tota ciuitate te fœminæ puerique laudauerint, quidni ergo tui miserear, cùm sciam quæ via ad istum fauorem ferat? Tecum delibera, alieno fauore, an propria virtute euectus sis: *Bonitatis verba imitari, maior malitia est, & malus, vbi bonum se simulat, tunc est pessimus.* Suum cuiusque est, quod illum facit bonum fortem, doctum eruditum Malignè fulget: qui de alieno lucet: assuta sapientia, imperitiam dissimulare potest; sed eruditionem mentiri non potest. Quod tuum est, in te elucet, quod autem alienum est, tuum non esse, perlucet, & per occultas rimulas se foras prodit, infirma operis inconstantia.

Margin: Bonitatis verba imitari, maior malitia est. Publ. Mim.

2\. Isaias cap. 40 sic de Deo fatur: Qui dat lasso virtutem, & his, qui non sunt, fortitudinem, & robur multiplicat. Deficient pueri, & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent. *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Non semel aliàs aliorsùm obseruauimus, Prophetarum disertissimum non videri satis idoneè, quibus aquilinas dat alas, non volatum, sed cursum, aut incessum tribuere. Quare aquilinas *assumunt* alas, si eas non explicant ad ocyssimum volatum? quorsùm pennas ad currendum, aut ambulandum assumunt? Quid? alis curritur. Puto, quod qui alis currit, pedibus volabit. Quid ergò est: *Assument pennas sicut aquilæ, current, ambulabunt?* Vidit hanc difficultatem Ioannes Mariana in notulis, aut nitulis in totam Scripturam, & sic ex Hebræo legit: *Ascendunt ala sicut aquilæ.* Ast vna duntaxat *ala*, volatui non deseruit, & fortè gressus

Margin: Isaiæ 40 v. 31. — Qui alis instruitur alienis, sat est, si ambulet; mirissimum, si currat. — Mariana. Vna duntaxat ala volatum impedit.

gressus impedit. Nisi fortè eum epithasi ponatur *ala* in singulari, cum pluraliuo verbo *ascendunt*, ad indicandum, quàm pari, consono, & vniformi adnisu alis vtantur. Verùm sic velociùs volare debuissent; non alis incedere, aut currere. Vnde Vatablus non legit, assument pennas sicut aquilæ; sed, *Sustollent alas, vt aquila*, idest, *nouas pennas in alis edunt*, vt ipse commentatur. Nempè antiquas alas nouis plumis adornant. Verùm ad cursum aut incessum, quare remigia alarum instruuntur? Incessus, & cursus, res pedum est; non alarum negotium. An ad cursum, aut ambulationem *alas sustollant*? Superuacuum plenè iuuamentum! Cæterùm valde fallor, nisi disertissimus Propheta ad rem præsentem subtilissimè alludit: neque verbum *assument* casu excidit, sed consiliosissimè apponitur. An non quod *assumitur*, aliundè sumitur? neque enim quod *assumitur*, adnatum, aut proprium est. Ergò qui pennas etsi aquilinas *assumit*, illas humeris adsuat, aut contexat, necesse est, & vt rem non sibi agnatam, sed quasi adscititiam gestet, Exindè mirum non est, quod qui pennas *assumit*, volare non dicatur, sat est *ambulare*, necdum *currere*. *Assument pennas sicut aquilæ current, ambulabunt.* Argutè quidem Prophetarum disertissimus! Quisquis quasi propriam, alienam sapientiam iactat, illam ructat. Alieno acumine benè obtusus, & malè acutus eris. Fauore alieno, in fastigio dignitatis eris; sublimis non eris. Sublimior laus non est res mutui, sed meriti proprij dignitas. Heu sæpè ex alienis æstimamur! Cui vilia sunt propria, aliena asciscit, & assuit. Viribus alienis onustus, citò lassescit: non tam robur gestat, quàm onus. Pennis alienis volare sperabas; sat est ambulare: caue ne passim impingas. Nemo alieno magnus est, gloriosus, opulentus: suum est hominis, quod illum sublimat.

Varabl ibi. n 49.

5. Geneseos 48. suo Iosepho ad se venienti, vrbanè, & peramanter languidus adsurgit Iacobus, charissimi filij præsentia confortatus. Verum vt ingens amor mentem excæcare, sic & exacuere memoriam solet, & vt donatiua illi præ reliquis fratribus præbenda, iure fundet, ius in Palæstinam illi olim donatam, è memoria, quasi ex charta recitat, sic ad Iosephum fatus: *Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ est in Terra Chanaan, benedixitque mihi, & ait: Ego te augebo, & multiplicabo, & faciam te in turbas populorum: daboque tibi terram hanc, & semini tuo post te in possessionem semiternam.* Eccur hoc procemiolum præmittit Iacobus suo Ioseph o vberiùs benedicturus? quare diuinæ tantùm benedictionis mentionem inducit? An non opportuniùs dixisset moribundus Iacob, à moribundo Isaaco benedictus: Sicut pater meus Isaac mihi in Dei nomine benedixit, ita ego filiis etiam meis benedico. Et tamen non ita ait, sed *Deus omnipotens benedixit mihi.* Quod inibi his verbis Rupertus adnotauit: *Non dixit Iacob: Pater meus Isaac benedixit, quamuis, & hoc factum sit; sed, Deus omnipotens benedixit mihi*: Cur tam altum silentium de summa suæ ab Isaaco benedictionis auctoritate. Et esto, Iacobus in reliquis vitæ periodis, nec verbum acceptæ ab Isaaco benedictionis fecerit; mirissimum sanè est, illius mentionem nunc omisisse: nam præsens rerum articulus id necessariò exigere videbatur. Nempè quemadmodum ipse Iacobus benedictus est à patre suo Isaac? sic Iacobus filiis suis adsimili forma, & exemplo benedicat. An non rei gerendæ opportunitas id exposcere videbatur. Verùm præfatam benedictionem profunda taciturnitate Iacobus consultissimè velat; nec primogenituræ, maioratus, aut benedictionis meminit, quæ Esaü maiori debita, ipse arte surripuit. De quo querulè, sed verè quidem expostulauit Esaü, sic aiens: *Iustè vocatum est nomen eius Iacob: supplantauit enim me en altera vice: primogenita mea ante tulit, & nunc secundò surripuit benedictionem meam.* Ecce tibi cur tam sublimem dignitatem disertissimus Iacob silentio obuelet, & vel data opportunitate prudens intermittat. Nam Esau maior natu erat, & natiuitatis iure, & primogenita, & benedictionem quam minor Iacobus habebat, sibi vendicabat. Ergò acsi benedictionis quasi alienæ bonum erubesceret, non modo illam non prædicat, sed etiam oblata opportunitate silentio obuoluit. *No toma Iacob en la boca, dignidad y honra, honra, que otro pueda decir, que era suya.* Angelus Raphaël hic vers. 17. & 18. humanam personam apparenter assumens, Azariam se nominat, Ananiæ magni filium, & tamen moralissimè hanc generis dignitatem, aliundè petitam, & sibi peregrinantem, dissimulare ambit; ne veri Azariæ honore fulgere videatur. Suum est cuiusque, quod illum honestat, aut deuenustat. Nemo de alieno magnus est.

Gen. 49. v. 3. & 4.

Cur Iacobus de paterna benedictione non se iactat, sed eius præclusum bonum quasi erubescit?

Rupertus ad eum locum.

Gen. 27. v. 36

Hic v. 17.

4. Exhodi 10 Moyse, & Aarone de Pharaonis aula contemptim eiectis, iubente Domino, extendit Moyses virgam super terram Ægypti: *Et Dominus induxit ventum vrentem tota illa die, & nocte, & mane facto ventus vrens leuauit locustas*, &c. S. Gregorius exponens ad mores, quid hæ locustæ significent, ita scribit: *Quid autem per significationem locustæ portendunt, quæ plusquam cætera animalia quæque animantia humanis frugibus nocent, nisi linguas adulantium, quæ terrenorum hominum mentes, si quando bona aliqua proferre conspiciunt, hæc immoderatiùs laudando corrumpunt?* Scilicet adulatio, fascinum virtutis est, dum florentem bonitatem laudibus constuprat, & immodicè prædicando corrumpit vana gloria assentationis. Heu tot nascentium virtutum placidas mortes, dum aurium titillatione vernans animarum pietas præmaturo funere tumulatur! Sed ad rem perinuestigandum est, quare ventus vrens locustam leuasse dicatur? Hac super re ita philosophatur Rupertus: *Ventus vrens leuauit locustam. Videlicet quia locusta proprium non habent volatum, sed vento in perniciem Ægyptorum sunt leuatæ.* O quoties ingenium, quod proprium non habet scientiæ volatum, volare, præsumit alienæ sapientiæ, & suffuratæ eruditionis pennis! Heu sæpè adulatio, (vt nuper ex Gregorio dicebamus) odiũ, inuidia, arrogantia, propriis orbata alis, volare alienis intentat, & falsato nocere volatu festinat! Qui alienis, & assutis vtitur pennis, volatum fastuosè mentitus, non volat, sed cadit, & passim impingit: imò aut humi repit, sibi relictus, aut de alieno sublimis, ex alto præcipitat turpi ruina. O rapaces locustas, vel nitens cœlum alieno volatu obnubilantes, vel agnato saltu vernantes frugibus campos nigro corrosu depopulantes! Profectò locusta, furax animaculum est, & cum in altum tollitur, de alieno volat: de suo cadit, & repens inglorio saltu cuncta terræ virentia atrociter vastat. Vitium, quod proprium non habet volatum, alienis volat pennis. Qui alienis adornatur alis, sat est, si alatus ambulet, mirissimum si

Exhod. 10 v. 13.

Gregor. 31. Moral c. 10

Adulatio nascentium virtutum præmaturum funus est.

Rupert. ibi.

Vitium, quod proprium non habet volatum, alienis volat pennis.

si pennatus curtat. Locusta, quæ de vento vtenti volat, saltuatim incedit.

5. Tertul Apolog. c 46. *Philosophus est interpolator, & furator veritatis.* Tertullianus in Apologetico aduersus Gentes, dissimulanter notat priscos Philosophos, quòd Sacros Hebræorum libros diripuerint, & eorum doctrinam malè restituerint adulteratã intelligentia *Quid adeo*, inquit, *simile Philosophus, & Christianus? graiia discipulus, & cœli? famæ negotiator, & vitæ? verborum, & factorum operator? rerum ædificator, & destructor? amicus, & inimicus erroris? veritatis interpolator, & integrator? furator eius, & custos?* Pulchra hæc clausula, totius discursus energia est. Quid aliud speres de eo, qui vel ipsam veritatem velut rem alienam furto redimet, & detinendo falsata mente corrumpit?

---

§. CCXXVII.

Escas, quas subditus ab alio quouis petit, à Superiore impetret, de præfectura stipendio.

1. *Annona abundantiam Imperator subditis pendit, quasi imperij vectigal.* Vetustus, eruditus, & argutus auctor, Tertullianus, inquam, non sine aceto suis Carthaginensibus primò blandiùs gratulatur de prosperitate pacis, qua altè gens bellicosa fruebatur: mox de annonæ abundantia, qua propudiosa Africæ metropolis florebat, magno Carthaginis incremento, sic aiens: *Hæc, & annona, & otia ab imperio, & à cœlo.* Pereruditus Tertulliani Commentator ita hunc locum exponit: *Hæc Annona ab imperio Augustorum, Seueri: Bassiani, Getæ; hæc Otia à cœlo. Vt dicat annonam prouenire ab Imperatorum beneficio, otia à cœli clementia.* Mirum est *otium* à bellis, non adscribi Imperatoribus, qui ad nutum belligerantur; & *annonæ* abundantiam, quæ cœli influentiis potiùs constat; non tam *cœlo*, quàm Imperatoribus tribui: quasi Imperatoris potiùs, quàm cœli munus sit, annonæ abundantiam subiectis prouidere; & largior ciborum abundantia sit debitum regiminis stipendium, & vectigale subiectionis pretium.

Tertull de Pallio c. Ludouicus de la Cerda ibi, num. 1.

2. Numer. 11. cùm Hebræa gens diu in vasta exerraret eremo tædio cœlestis mannæ, profanas Ægypti dapes suspirat. Vulgus quippe promiscuum quod ascenderat cum eis, flagrauit desiderio, sedens, & flens, iunctis sibi pariter filiis Israël, & ait: *Qui dabit nobis ad vescendum carnes?* Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepe, & allia Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man. Audiuit ergo Moyses flentem populum per familias, singulos per ostia tentorij sui, & Moysi intoleranda res visa est, & ait ad Dominum: Cur afflixisti seruum tuum? quare non inuenio gratiam coram te, & cur imposuisti pondus

Numer. 11. v. 13. vniuersi populi huius super me: *Vnde mihi carnes, vt dem tanta multitudini; flent contra me, dicentes: Da nobis carnes, vt comedamus.* Ardua in primis antinomia, & quæ commentatorum ingenia diù vexauit. Quomodo enim verè Moyses dicere potuit: *Flent contra me dicentes: Da nobis carnes, vt comedamus.* Porrò vt ipsemet Moyses nuper retulit, obmurmurans populus tantùm dixerat: *Quis dabit nobis ad vescendum carnes.* Hoc præludium non fugit sagacem Carthusiani in re Biblica sollertiam, & sic illud peritè proponit: *Iam dictum est, quod Hebræi dixerunt: Quis dabit nobis ad vescendum carnes; in quibus verbis non videntur carnes petisse à Moyse. Quomodo ergo Moyses ait: Flent contra me dicentes: Da nobis carnes.* De suo cerebro id Moyses addidit, aut molesti regiminis pertæsus in hunc sensum querulas populi voces interpretatur. An potiùs Moyses peritissimus Gubernator, & Gubernatorum idea; quod subiectus populus flebiliter desiderare audit, & ab alio quopiam exposcere; à se potiùs expeti genuine interpretatur. Non tantùm esculenta, & poculenta quæque, quibus subiectus populus indiget, præbere, principalis muneris esse putat, sed quicquid alimoniæ intemperanter desiderat à quouis accipere, à se peti moralissimè reputat, quasi subiectorum alimonia, sit subiectionis pretium. O quàm pigrè obedit seruus malè pransus, & peius cœnatus! Peruicaces exinceps subditos Moyses timet, quos de cibo querulos videt; ac si non audeat obsequia exposcere, à quibus de alimento querelas audit. Exinde cùm populus clamat: *Quis dabit nobis ad vescendum carnes*; à se peti Moyses asseuerat, dicens: *Flent contra me dicentes: Da nobis carnes.* Quod à quouis expetit subditus, à se expeti Moyses reputat, & desideria accipiendi à quouis, petitionem ad se factam moralissimè existimat. *El subdito con dar à entender su necessidad, ruega vastantemente al Superior la remedie.* Serò rogat Subditus, qui suam necessitatem, aut desiderium Superiori proposuit: cum in desiderio palam postulatio delitescat. Quod à quouis petit, à Superiore postulat. Angitur autem Moyses, dum dissimulatam populi petitionem intelligens, tantam multitudinem in deserto carnibus, pascere nullatenus eualeret.

Dionysius Carthus. ibi.

Quod subditus à quouis petit, à Superiore postulat.

3. Ioannis 6. Pauper ille Dominus paupertatem nudauit, vt suis hominibus abundantiam tribuat, Turba multa eum vsque ad desertum sequitur, pastorem oues, ægri medicum, rudes Doctorem, Hebræi subditi Messiam Principem. Verbo Dei animo adipati, triduò famescunt corpore. Subleuat Iesvs in cœlum oculos ad miraculi patrationem, non vt armet Arij blasphemiam; sed quo Iudæorum inuidiam exarmet. Ergo vt se exhibeat Hebrææ gentis Regem, & expectatissimum probet Christum; dum Discipuli dimissionem turbarum in vicina oppida exposcunt, ne præ annonæ penuria in eremo deficiant, mandat, vt turbæ discumbant, & necessitatis voces, per Discipulorum linguas, velut per traduces quosdam exaudiens, pauculos panes in manibus accipiens, dedit Discipulis, vt darent turbis: & manducauerunt omnes, & saturati sunt, dum panes parturiebant panes, & extemporariæ mensæ extemporario refertæ alimento, panes non de spicis erumpebant, sed de Domini manu efflorescebant. Vbi autem saturitate distenti, optare cibos cessauerunt, panum profusio contracta est, & Apostolicarum manuum promptuarium exatiatis iam turbis protinùs clausum. Illi ergo homines cùm vidissent quòd Iesvs fecerat signum, dicebant: Quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum. Sed vide effectum, qui annonæ abundantiam secutus est, & quem alimentorum vbertas negotiatur: *IESVS ergò cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit in montem ipse solus.* Eccur tunc

Matth. 14. Marci. 6. Lucæ 9.

Ioan 6 v 15.

Rex est, qui timet fieri rex.

tunc Christum quasi suum Regem acclamant? Quid noui tot hominum millia in Christo animaduerterunt, quod potiùs nunc eum suum Regem agnouerint? S. Augustinus ad regni fugam,

4\. Aug. Tract. 25. in Ioan.

regni stemma defert, sic inibi aiens: *Erat autem Rex, qui timebat fieri Rex*, quasi fuga dignitatis, sit illius character, & regni repulsa, sit Regis nota, ac si sceptri abdicatio, aut Regem inueniat, aut faciat. Bellè quidem sed thema præsens alios nos aduocat cum Euangelico textu, & Anselmi glossa: *Pro miraculo*, inquit, *panum volentes sub hoc esse, sub quo videbantur non egere.* Nimirùm numerosæ Hebræorum turbæ, non erant nesciæ, quod dum eorum parentes olim in eremo dixissent: *Quis dabit nobis ad vescendum carnes?* ac si cum Moyse eorum principe locuti essent, ab eisque carnium alimenta petiuissent, ipse palam confessus est, esum carnium à se postulasse, quo facto se esse Principem comprobauit. Nunc autem dum transferunt animum ad Christum, qui explorata se sequentium fame, illam tanto miraculo depellit, exatiatis tot hominum millibus, inde principatum Christo cognatum, benè arguũt, & indubiè probant, quasi Principis nota sit, sub illo *non egere.* Porrò corporis alimento, aliter animi obsequium, & cibus subiectionem subornat, dum ex cibatione Regem inaugurát. O hinc discant Præfecti subiectis annonam prouidere, (quod largè fecit hîc vers. 20. Tobias, vt habetur in textu Græco) Moyses quicquid subditi petunt ab alio, à se peti existimat: & Christus Deus dum popularis indigentiæ admonetur, statim ad miraculum vsque paruidet, quo verus Rex dignoscitur, & palam proclamatur. Regis nomen in aliis miraculis siletur, vt regium stemma huic duntaxat adscribatur. Grauatè admodum fert cibi indigentiam, qui seruit, ne indigeat. Cui necessaria alimenta negantur, obsequij fructu palam fraudatur: & Superior dum negligit alere, inobedientiam nutrit. Sub bono Rege nunquam malè indigebit populus, nec subditi sub strenuo Superiore, neque sub prouido hero mercenarius. Sibi obsequium inuidet, qui subiectis necessaria non prouidet.

Ansel. Laud. inibi.

Christus cum cibat turbas, Rex à turbis proclamatur.

Hic v. 20.

5\. Geneseos 41. cœperunt venire septem anni inopiæ, quos prædixerat Ioseph: & in vniuerso orbe fames præualuit, in cuncta autem terra Ægypti panis erat. *Qua esuriente clamauit populus ad Pharaonem, alimenta petens. Quibus ille respondit. Ite ad Ioseph: & quicquid ipse vobis dixerit, facite.* S. Ioãnes Chrysostomus præscripta verba elucidans, ita fatur: *Ite ad Ioseph. Quasi diceret Pharao. Quid me vrgetis; non videtis quod egò tantùm Regis habitum gesto?* Proprio ore fatetur Pharao, se *tantùm Regis habitum gestare*, re principandi vacuum. Qui tantùm Regis habitum gestat, & omnes regnandi curas à se ablegat, & familiari permittit, Pharaonis mores & politiam imitatur. Pharaonis inertiam, Iosephi solertia excusabat. At vbinam gentium inuenietur Iosephus alter, cui tutò possit omnis regni cura permitti? Accusat purpura, qui rem purpuræ negligit. Verùm notatione dignissimum est ad lemma præsens, quod famescens populus, ad Regem certatim accurrit, quasi Regum purpura sit stipẽdiaria annonæ populorum. Exinde Pharao Ægyptios ad Iosephum pro alimoniis remittens, se regia dignitate propemodum exuit, eaque, Iosephum induit. *Ite ad Ioseph. Quasi diceret Pharao: Quid me vrgetis? non videtis quod ego tantum Regis habitum gesto?* ac si annonæ prouisio sit regnantis nota & aliqua principandi inauguratio.

Gen. 41. v. 55. Regis tantum habitum gestat, qui omnes regiminis curas Priuato permittit.

Chrysost ibi.

Lucæ 22. fugitiuam Discipulorum fidem eis prædicẽs Christus, vt impleretur quod Propheta ante dixerat: *Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis*; hęc verba subiicit, specie tenus intempestiua: Quando misi vos sine sacculo, & pera nunquid aliquid defuit vobis? *At illi dixerunt. Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram.* Si discipulis sine pera missis nihil defuit, quare nunc Christus velut mutato consilio, portare peram inopinata conniuentia permittit? Audiendus est Beda, qui hac super re ita philosophatur: *Missis itaque Discipulis ad prædicandum, ne quid tollerent in via præcipit:* (sine sacculo, & pera) *instante verò mortis articulo, & tota illa gente Pastorem simul & gregem persequente, congruam tempori regulam decernit, vt tollant victui necessaria.* Nimirum quo etiam dispergendi gregis Pastor, & Princeps probetur, annonam, quam olim negauerat, nunc indulget. Vnde ipse probatur summus Pastor & Princeps; & discipuli, huius supremi Pastoris prophetatus grex. Porrò Pastoris nota est gregem pascere, & congruam illius alimoniam non negligere. Itaque portatio peræ, quam hactenùs non indulserat, nunc congruè permittit, quando grex dispergitur, quò innuatur esse eum Pastorem, de quo scriptum est: *Percutiam Pastorem, & dispergentur oues gregis.* 6

Lucæ 22. v. 36.

Christus nunc peram Discipulis portare permittit, quo probetur illius gregis Pastor.

Beda ibi.

---

§. CCXXVIII.

Laudatissimum Superioris elogium est, proprio periculo redimere alienum,

Illius Præfecti magnitudo fundata stabilisque est, quem omnes tam supra se esse, quam pro se sciunt: cuius curam excubare pro salute singulorum atque vniuersorum, quotidie experiuntur. Principum olim prouidentia, ne quid deesset suis, prouidebat. Fortitudo arcebat pericula, hostes suo periculo submouebat; clementia ignoscebat, beneficentia augebat ornabàtque subiectos. Officium erat imperare, non regnum. *Nemo quantum posset aduersus eos expetebatur, per quos cœperat posse.* Præfecti vigilia omnium domos custodit, omnium quietem illius labor; omnium delicias, illius industria; omnium vacationem, illius occupatio. Ex quo se Princeps regno dedit, sibi eripuit, & vbi cœpit supra omnes eminere, nulli imminet, sed potiùs se omnibus, & pro omnibus erogauit, vt proprio periculo redimeret alienum; nec tam sibi, quàm subiectis viuat aliis viuens, sibi moriturus. Auspicatò totiùs familiæ princeps inauguratur Tobias iunior, qui longo paternæ domus exilio, ærumnosa peregrinatione, & magnis laboribus ac periculis, illius inopiam subleuare, & felicitatem aliorum suis incommodis mercari didicit. Benè numerosæ exinceps familiæ præerit, qui alacri animo tot se molestiis pro illa præmaturè mancipat. 1

Sciant subditi, Superiorem tam esse suprà se quam pro se.

Senec. epist. 91.

Hic v. 21.

Matthæi 10. electis duodecim Apostolis, quos Christus Deus Euangelij Antistites reũciauit; misit illos in Iudææ vrbes, non tam annonæ viatico instructos, quàm miraculorum patrandorum virtute opulentos: Ecce ego mitto vos, inquit, si- 2

cut

cut oues inermes inquam, & ouina mansuetudine edoctos; sicut oues in medio luporum lupos significans omnes qui væsano furore in Apostolos sæuituri erant, ait Hilarius: vel (vt mauult Hieronymus) Scribas & Pharisæos, qui sunt clerici Iudæorum. Sed nota quibus præceptis Euangelij Antistites, & futuros Ecclesiæ Præsides Christus instruat: *Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Benè est, quòd futuri Ecclesiæ Præsides, sint simplices sicut columbæ, sed quid est, quòd iubentur esse prudentes sicut *serpentes*? Remigius ita locum exponit: *Pulchre Dominus Prædicatores serpentis prudentiam monet habere, quia primus homo per serpentem deceptus est, ac si diceret: Quia hostis callidus fuit ad decipiendum vos prudentes sitis ad liberandum.* Sed quæ est hæc astutia serpentis ad liberandum, in qua Apostoli prudentiam serpentium debent æmulari? *Serpentis astutia* (ait Hieronymus) *ponitur in exemplum, quia toto corpore occultat caput.* Debet ne idem imitari Ecclesiæ Antistes, qui est sibi subiectorum princeps & caput? caudam periculo opponet, vt se, qui est caput, à periculo liberet? O non bonam regendi politiam? Audiendus est hâc super re Bernardus, qui loquens de calliditate & prudentia serpentis, qui protoparentes decepit, concinens Remigio ita fatur: *Sic igitur ille insatiabilis homicida, primis parentibus nostris non vrsos, non leones delegauit, sed tortuosum, & callidum serpentem, qui per sinuosa volumina nunc caput cauda, nunc caudam capite tegere consueuit.* O stultam callidi serpentis astutiam! Puto, non bene caput cauda exili clypeatur. Quin & fatuè caput, princeps viuentium pars, periculo exponitur, vt caudam, propudiosum animantium membrum, tegendo protegat. Imò & hanc serpentis prudentiam Apostolos, Ecclesiæ futuros Præsides, imitari forsan Christus suadet. Porrò vbi primùm illos renunciauit Apostolos, mittens illos subiugare Euangelio Iudææ vrbes, quò subiectis ciuitatibus benè præsideant, ait illis: *Estote prudentes sicut serpentes*: nam serpens etiam *caudam capite tegere consueuit.* Segnis serpentium, id est, Præfectorum calliditas est, subditos pro se periculis obiicere, & quæsitas ad id causas colorare astutiæ penicillo. At se exponere periculo, vt subiectorum pericula auertat; & velut scuto subiectos armare Apostolici Præsidentis elogium est, atque vt viliora etiam membra defendat, se incommodis, dehonestamentis, & periculis obiicere. *Estote prudentes sicut serpentes, qui caudam capite tegere consueuerunt.* O bonam Superioribus eruditionem! Obuium est nunc Præfectis, suam ipsorum culpam, in subditos etiam innoxios deriuare, & illorum periculo suum redimere, atque communi inopia propriam opulentiam parare. Hi caput cauda tegunt, per auaritiæ, commoditatis, & gloriæ calliditatem. Bonus autem Antistes, prudens est sicut serpens, *qui caudam capite tegere consueuit,* dum nequid mali, aut incommodi, aut dedecoris vel vilissimum suæ reipublicæ membrum patiatur, se exponit periculo, vt subditi periculum arceat: se velut subiectorum scutum aduersis ictibus obiicit, ne imbellis subditus vulneretur: & vel *caudam capite tegere consueuit.*

Hilar. ibi. Hieronym. ibidem. Matth. 10. v. 16. Remig. ibi. Hieron. ibi. *Prudentia serpentium est; caudam capite protegere.* Bern. ser. de Quadru debito.

3. Psalm. 77. *Et elegit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium: de post fœtantes accepit eum pascere Iacob seruum suum, & Israel hereditatem suam, & pauit eos in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.* Quid, quæso, vidit Deus in Dauide, vt adhuc iuuenis, & opilionis ministerio abiectus in sui populi Regem electus, & à Samuële inauguratus sit? An non aderant alij è Summatibus populi, ad rem belli & pacis administrandam illustres, qui citiùs eligerentur, quam rudi & cruda ætate iuuenis, pastoritioque ministerio agrestis & rusticanus? Quid sic in Dauide inter greges præluceret, vt inopinatam Dei electionem subornaret? Audiendus est ipse Dauid, cum apud Saülem se duello idoneum ostendit: Dixitque Dauid ad Saül: *Pascebat seruus tuus patris sui gregem & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum, & illi insurgebant aduersùm me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos.* Ad quæ verba proculdubio alludens Basilius Seleuciæ sic ad thema præsens tempestiue loquitur, agens de eius in Regem electione, cum in pascendis gregibus iuuenis moraretur: *Dauidis,* inquit, *mores Deus vel in medio grege admiratus regiis ornat sceptris, & magno Samuele pueri confirmandi causa ministro constituto, oues adhuc sequentem diadematis coronat; peram purpura, virgam sceptro commutat, ac pro animantium grege Israelis turbas pascere iubet: Huic igitur, si videtur, hodie virtuti vacemus, atque virtutem discamus hic honoratam, & in cælo coronatam. simusque Dauidis imitatores vestigiis inhærentes.* O bona Pastoris iuuenis ad principatum prælu dia! Feritati vrsorum, atque leonum se se obiicit, vt de ferino rictu, & aduncis vnguibus vel ouiculam sibi commissam extrahat. O quàm est principatui idoneus, qui proprio discrimine subiectorum discrimina redimit! *Huius ergò mores Deus vel in medio grege admiratus, regiis ornat sceptris,* vt boni Principis maximum elogium de purpuræ nitore commendet. Huic igitur, huic virtuti Superiores vacent, dum hanc Dauidis virtutem sic honoratam discunt; fiántque Dauidis imitatores, eiusdem vestigiis inhærentes, & ne vel scabiosa pereat ouicula, cùm vrsis atque leonibus audacter rixari detrectent, sicque vel caudam capite protegant, quæ imitanda serpentium prudentia.

Psal. 77. v. 70. 71. & 72. *Dauid pro ouicula cum leonibus rixatus, meritò ad regnum eligitur.* 1. Reg. 17. v. 34. & 35. Basil. Seleu. Orat. 14.

Exhodi 10. grauissimam locustarum plagam grauatè admodum tulit Pharao. Quam ob rem *festinus* vocauit Moysen & Aaron, & dixit eis: Peccaui in Dominum Deum vestrum, & in vos. *Sed nunc dimittet peccatum mihi etiam hac vice, & rogate Dominum Deum vestrum, vt auferat à me mortem istam:* In comperto est, locustarum plagam, mortem appellasse. Sed mirabitur forsan aliquis, quod Pharao, qui in aliis plagis cunctanter nimis agebat, ad hanc auertendam plagam sic properanter festinasse. Bonus Princeps, quem grauis & publica calamitas sic vrit, vt *festinus* properet ad remedium; & propria sollicitudine subiectorum commoda incunctanter redimat. Sed attentiùs peruestigandum est? quare Pharao *festinus* Moysen & Aaronem accersat. Vulgatus habet: *Vt auferat à me mortem istam.* Vatablus luculentè rem expressit, *Rogate Dominum Deum vestrum, vt auferat à me duntaxat istam mortem.* Adhuc explicatius est Hebræo textu noster Mariana, in recenti æuo peritè veteranus; *Vt auferat à me solummodo mortem istam.* Egregius sanè Princeps, Pharao, qui plagam.

4. Exhod. 10. v. 17. *Pharaonianum est propria incolumitate subiectorum pericula mercari.* Vatabl. ibi Mariana inibi.

gam, qua totum regnum miserè vexatur, à se *solummodò auferri* supplicat. Bonus Princeps proprio periculo redimit alienum; Pharao autem propria immunitate, subditorum mercatur calamitatem. Per me, inquit, plaga in aliis, omnem regionem pestifero abrosu depopulans; dum mihi parcat, sæuiat in reliquos. *Rogate Dominum Deum vestrum, vt auferat à me solummodo mortem istam.* Ecce tibi non boni Principis ideam, quam in te exprimere fugias, quam in aliis auerseris. Porrò laudatissimum Superioris elogium est, proprio periculo alienum redimere, & proprio dispendio compendium facere subiectorum. Bonus Antistes prudens est sicut serpens, *qui caudam capite tegere consueuit,* quo fiet, vt caput obtegere cauda præcurrat.

---

§. CCXXIX.

Nouum onus in re virtutis, non degrauare, sed subleuare, gratiæ officiositas est.

1 *In re virtutis nouum pondus non degrauat, sed subleuat.* BOna mens, virtus inquam, nec commodatur nec emitur, & puto, si vænalis esset, non haberet emptorem (grauis, acerba, tetrica, & intolerabilis audit.) Aut vitium quotidie emitur, & quidem carò. O non tanti emas pœnitere; & voluptatis, atque ambitionis onere degrauari! Quid quiete animi otiosiùs. Quid ira laboriosiùs? Quid clementia remissiùs? Quid credulitate negotiosiùs? Vacat pudicitia, libido occupatissima est. Omnium denique virtutum custodia facilior est, vitia magno coluntur. Non est quod æstimes vllam esse sine labore virtutum, quæ cunctis voluptatibus graue simul bellum indicit. Sed nec putandum est, tot onerum mole amatorem virtutis premi. Rerum mundialium hoc vitium est: *Auis ipsa pondere grauata pigrescit, carina, quæ laborem non sentiunt repleta grauius mouentur,* ait Cassiodorus. (Cassiod. lib. 5. epist. 5.) Nouum autem pondus in re virtutis nõn grauat, sed subleuat; non deprimit, sed attollit, quod virtutis miraculum est, & gratiæ officiositate patratur. Ecquis succumbat oneri, quod mole non grauat, sed subleuat?

2. Lucæ 15. Prodigus filius, boni patris degener soboles, libidinis agitatus œstro, gazas paternas petulanter expetit, & testes scelerũ fugitans, exul errat, patria, & ratione extorris. Suis inuisus licenter scortatur, censumque luxuriando citiùs insumit. Famis latratus, vile suum pascendorum ministerium suadet. Vide hominem ingenuum porcis conuiuentem, qui squalentis cibi cupit, nec impetrat saginam. Verùm de egestatis eruditus gymnasio, meliora sapere incipit. *Surgam,* inquit, *& ibo ad patrem meum.* (*Super collum filij cecidit, Pater vt eum subleuaret.*) Tentat, si possit adsurgere, tot flagitiorũ oneribus degrauatus. Tandem vt vt potuit mole peccatorum pressus, gressus molitur ad patrem. Cùm adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est. *Et accurrens cecidit super collum eius.* (Lucæ 15. v. 20) Ecce grauis senex suæ auctoritatis velut oblitus, accurrit ad iuuenem, nec expectat, vt redux iuuenis prior ad se currat? An præcurrit, quia vidit iuuenem de longo itinere lassum, & de peccatorum onere degrauatum? At si ita res est, cur super collum defessi iuuenis, seni, & pergraue corpus demittit? tanto corporis pondere defessum, & degrauatum iuuenem deprimet, non attollet. Audiendus est Chrysologus, qui quo solet acumine, sic hac super re fatur. (Chrysolog. ser. 3.) *Cecidit super collum eius, non lapsu viscerum, sed compassionis. Cecidit super collum eius, vt amoris onere onus tolleret peccatorum. Cecidit super collum eius, vt erigeret sic iacentem.* Chrysologo concinit Ambrosius, ita scribens: *Quodam paterni amoris affectu super collum cadit, vt iacentem erigat, & oneratum peccatis, atque in terrena deflexum, reflectat ad cælum.* (Amb. lib. 7. in Lucam.) O obstrusam rerum cœlestium philosophiam à natura peregrinantem Videt pius senex lassatum iuuenem, & itineris labore, & peccatorum onere pressum, & maiori pondere pondus antiquum leuare conatur. *Cecidit super collum eius,* toto illum corpore grauans, vt tanta ponderis mole depressum iuuenem attollat. *Cecidit super collum eius,* vt nouo pietatis onere, antiqua onera subleuaret. Nõ manum porrigit, vt pene prostratum subleuet; sed *cecidit super collum eius, vt erigeret sic iacentem.* Scilicet dum pius senex cecidit super iuuenis collum, is meliora sapientis; non solùm arctis paternæ beneuolentiæ ligat amplexibus, sed tota diuinæ legis & auitæ pietatis sarcina grauat, & tot obseruationum mole onerat. Verùm quasi à peruerso auxiliaretur, onere onus tollit, sarcinis sarcinas leuat, & mole molẽ subleuat, nec degrauat, sed attollit, adeò vt videns iuuenem lassum, & penè prostratum, toto corporis pondere *ceciderit super collum eius, vt erigeret sic iacentem.* Eleganter quidem Chrysologus.

3. Christus Deus Matthæi 11. post longum sermonem ad Discipulos, & ad Iudæos habitum, in quo res cœli patenter hominibus reserauit; vt eos ad se alliciat, ita benignè (an potius ænigmaticè?) fatur: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* (Matth. 11. v. 28 & 29.) Venite dicit, non pedibus, sed moribus; non corpore, sed fide. Iste nãque est spiritualis accessus, quò quis Deo appropinquat. *Omnes* ad se vocat; sed & ne aliquis sit suæ benignitatis exors, indifferentem beneficentiam spõdet. (*Christus nouo onere antiqua subleuat.*) Sed quosnã ad se vocat? Eos nimirùm omnes, qui præ grauissimo onere anxiè laborant, & lassi æstuant. Quodnam sit hoc onus quo sic degrauantur? peritè Hilarius, cui penè subscribunt reliqui: (Hilar. can. 11.) *Legis etiam difficultatibus laborantes, & peccatis sæculi oneratos ad se vocat.* Hominibus sic grauatè laborantibus refectionem promittit, qua possint pergrauia, quæ subeunt onera, facilè ferre. Sed attentius aduerte ad leuamen, quod spondet. *Venite ad me* (dixerat) *omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Vide mihi leuamentum, quod pollicetur: *Tollite iugum meum super vos.* O grane leuamentum, & ipso quo degrauantur pondere quodammodo onerosius! Oneratos vocas, & sarcinatum mole oppressos, vt illos reficias, & exoneres; & super se tollere iugum tuum imperas? Peccatorum graui pondere & Mosaïcæ legis sarcinis opprimuntur, & nouum addis pondus, quò eos reficias, & subleues? Copiosè inibi S. Hieronymus antiquæ legis sarcinas cum Euangelij difficultatibus componit. (Hieronym.) Non moror hæc libramenta; sed mirissimum sanè est graui onere, onere antiquo oppressos fore subleuandos. Quod Anselmus Laudunensis hisce verbis luculenter edisserit. (Ansel. Laudun. ibidem.) *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, non tantum exonerabo. Tollite iugum meum super vos.* Hæc est diuinæ

uinæ gratiæ officiositas, & naturale miraculum, vt graui iugo exoneret, vt onere leuet, vt sarcinis erigat, vt pondere reficiat, & in quos grauis moles incumbit, graui mole erigere; & inde attolli, vnde opprimi putarentur. Sic grauis senex *cecidit super collum filij, vt erigeret sic iacentem*, & Christus, non tantùm eos, qui *onerati* sunt, *exonerare*, sed *& reficere* pollicetur, magni oneris suscepto pondere, dum confestim subiungit: *Tollite iugum meum super vos.* Scio litteralissimum sensum, quem ex Hilario perstringimus. Sic tamen nunc iuuat ad mores cum Anselmo velitari. Putauit hîc vers. 23. querula Tobiæ mater, quòd sublatus erat eis *baculus senectutis*, at diuinior tunc prouidentia eū magis magisque firmabat, vt ope, præsentia, & prole, caducam parentum senectutem firmiùs
Hic v. 23. fulcire posset. Et cap. 1. vers. 4. cùm Tobias patriæ extorris, & paterna hæreditate orbatus, inter hostes captiuus exularet, inibi census & honoris insperatum repetit auctarium.

4. Matthæi 23. Christus Deus hac acerbiori increpatione Iudæorum proceres sauciat, quasi Mosaïcæ legis transgressores. Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, *& reliquistis, quæ grauia sunt legis.* Quid est graue in lege Dei? Pergit Christus, no-
Matth. 23. v. 24. uus è cœlo Magister: *Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem deglutientes.* Non conuenit inter expositores, quid *culicis* nomine; & quid *cameli* vocabulo tropicè insinuetur, quod ad sacri textus sēsum adaptetur idonee. Per *culicem* quidē leuia, & minuta legis præcepta innui docet Hie-
Greg. lib. 1. Moral. c. 3. ronymus *culices* enim ait S. Gregorius, *susurrando vulnerant.* Bellè quidem. *Ordenes y instruciones tienen mas de molestoy ruidoso.* Sed quid est, *deglutientes camelum?* quidnam *cameli* nomine denotatur?
Hieron. ibi. Idem mihi Hieronymus: *Camelum puto esse magnitudinem præceptorum.* Putauerim, non benè *ca-*
Onus præceptorum nouis præceptis vltrò susceptis alleuatur. *melus* grauioribus præceptis assimilatur: nam magna præcepta grauia sunt; magisque habent ponderis, & oneris. Imò exinde forsan camelo comparantur: siquidem vt tempestiuè idem inibi Gregorius notauit, *Camelus* (per quem *magnitudo præceptorum significatur*) *sponte se ad suscipienda onera inclinat.* Nempe animal robuste oneriferum, & graue legis onus significat, & prævalidum grauissimi oneris baiulum. Quasi grauiora præceptorū onera, non degrauent pondere, sed *sponte suscepta*, oneris magnitudinem alleuent, & ipsa præcepta sint præceptorum baiula, & grauiorum onerum leuamentum. *Profectò sponte se ad suscipienda præceptorum onera inclinanti*, Christi iugum suaue est, & eius *onus leue.* Toto cameli pondere te putas onustum; & reliquorum etiam onerum robustum baiulum adsciuisti. Nam *camelus putatur esse magnitudo præceptorum*; sed *camelus sponte se ad suscipienda onera inclinat.*

5. Psalm. 113. sic occinit Deo regius Vates: In
Psalm. 113. v. 3. & 5. exitu Israël de Ægypto, domus Iacob de populo
Cur Deo, qui dudum fugiebat, post assumptā carnē Mare substernitur barbato. *Mare vidit, & fugit, Iordanis conuersus est retrorsum.... Quid est tibi mare, quod fugisti; & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum;* Quam ob rem Mare Deum fugit? Frustra fugitiui fluctus fluant, & refluant; nam quoquouersùs celeri fuga ferantur, Dei immensitate comprehē-
Cyrill. Ierosol. Cathec. 12. duntur. Quæ est hæc insolenter peregrina Maris fuga? S. Cyrillus Ierosolymitanus inter alias diuinæ corporationis causas, hanc tradit his verbis: *Venit Christus, vt miracula operaretur, ambulans super aquas Maris, quoniam ante carnis assumptionem Mare vidit illum, & fugit, Iordanis est conuersus retrorsùm. Assumpsit corpus Dominus, vt Mare videns sustineret, & Iordanus sine timore illum susciperet.* Meum Deum grauitatis, ac ponderis expertem, Mare fugit; & corporatum Deum, ac mole corporis grauem, non refugiet? Scilicet qui Deum hominem sustinet, tota præceptorum mole sibi incumbentem, non fugit onus, sed facilè illi substernitur. Itaque Mare merum Deum, grauitatis expertem, fuga sustinere recusat, at Deum inassumpta carne corporis mole grauem, sustinere ambit. Porrò graue onus in re virtutis non grauare, sed subleuare solitat. Deum Mare vidit, & fugit, at pòst carnis assumptionem spontè illum fluctuum suorum dorso suscipit, & illius ponderi vltrò substernitur.

---

§. CCXXX.

Ambitionem, sedulitate mentitur, qui ad obtinendam ambitam Dignitatem, Procerum patrocinium non adsciscit.

Insanus amor magnitudinis, & infinita crescēdi cupido quid non audet! Quibus sollicitudinibus, impensis, laboribus, humilitatibus ambitio parcissimò quot diuturnis incommodis fugitiuum honorem ambitiosi mercantur! Non illi vlteriùs ire volunt, sed non possunt stare, non aliter quàm in præceps deiecta pondera, quibus eundi finis est, inerter iacuisse. Iacebit tandem in fine felicior hominum ambitio, fortunæ vicibus notata; iacet quoque in principio, in medio magnatum cogitationum, quantumvis immodico cupiditati impulsu, omnia opulētis negotiationibus euertat, nisi sollicitum patronum, aut sanguinis necessitudine inueniat, aut munerum præstigiis emat; aut alia quavis via sibi asciscat. Hæc fortunæ mendacia, sollers patronus præbet, patrono destitutus, spem frustratur; & cùm audicos curiales sollicitudinibus, muneribus, atque intercessionibus fatigauerit; munere plerumque vacuus iacebit, fallacis ambitionis spebus duntaxat erectus. Adeò vt, de eo qui curiam negotiationibus diu implet, quo in aliquam Dignitatem promoueatur, iure ambigere possis, an illam verè exambiat, an negotiosa sedulitate ambitionem mentiatur. 1.

Sine magno patrono, vacat sedula ambitionis fructus, etsi spes non vacet.

Ioannis 5. in spatiosis probaticæ piscinæ porticibus, triginta supra octo annos languidus, paralysi prostratus iacet, expectans aquæ motum, vt in sollicitioris diligentiæ præmium, sanitatem reportet. Ergò in vastis illis quinque porticibus iacebat multitudo magna languentium, cæcorū, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum, expectabat & hic diuturniori paralysi languidus, etsi frustrata spe, qua tandiu sanitatem ambibat pertinaci desiderio. *Hunc cum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondet ei languidus: Domine, hominem non habeo, &c.* Non quæram, quod alij curiosiùs perquirunt; quare hunc paralyticum præ reliquis infirmis, Christus Deus sanandum elegerit; (de quo aliàs) sed quam 2.
Ioan. 5. v. 6. & 7.

ob

ob rem ab eo roget, an velit, sanus fieri? Ecquis diu infirmus salutem nō expetit, in quam animi votis totus suspirat? Imò ad piscinæ porticus, salutis accipiendæ gratiâ deferri procurauerat, vt desperatam à medicis sanitatem de cælo mutuaret. Quorsum hæc inidonea (quantùm apparet) interrogatio? Acutè hâc super re, sic fatur ad ea verba Theophylactus: *Stupenda paralytici constantia, annos habebat triginta octo,& quotannis liberari à morbo expectans assidebat, & impediebatur à Potentioribus præuentus, nec tamen destitit, neque desperauit: ideò & Dominus interrogat eum: Vis sanus fieri?* Profectò si tam stupenda est huius paralytici constantia in quærêdâ salute humanitùs desperatâ, vt quotannis liberari à morbo expectans, piscinę assideret, nec eam, à Potentioribus præuentus assequebatur; quid ergo est, quòd eum Christus interrogat, an sanari velit? an salutem exambiat? Verùm enimverò attentâ obseruatione responsum paralytici expendendum & enucleandum est: *Vis* (ait Christus) *sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine, hominem* (idest, *Ministrum*, ait Hugo) *non habeo.* Profectò qui aliquid obnixè expetit, & impensiùs ambit, nec tamen habet *hominem*, seu *Ministrum*, qui rem sollicitè procuret, bene & optimè ab eo quæri potest, an velit illud, quod habere intendit. Hic languidus totos triginta octo annos impenderat in sollicitâ, ne dicam, obstinatâ optatæ salutis negotiatione: & quotannis Probaticæ piscinæ assidebat: & tamen quia non habebat *hominem*, aut *Ministrum*, qui sedulam illi opem opportunè ferret; meritò ab eo quæritur. *Vis sanus fieri?* quasi dum sine *Ministro*, qui ei patrocinetur, non videatur expeti, quod reliquis negotiationum artibus ambitur. Nam adsciscendi patroni neglectus negat, quod tot annorum indefessa sedulitas affirmare videtur. *Domine*, inquit, *hominem non habeo: (id est, Ministrum) dum venio enim ego, alius ante me descendit.* Semper serò venit, (etsi triginta octo annis ibi assideat) qui *hominem*, seu *Ministrum* non habet: nam *impeditur à Potentioribus præuentus.* Perbene quidem Hugo! *Tarde llega siempre, quien sin arrimo llego el primero.*

Theophyl. ibi.

Qui sine Patrono diu Dignitatem ambit, ambiguum est, an eam habere velit.

Hugo Car. ibi.

Semper serò venit Dignitatis petitor, qui sine Patrono venit.

4\. Matth. 18. v. 10. Matth. 18. Honorum ambitione pulsantur Discipuli, cùm accesserunt ad Iesum dicêtes: *Quis putas maior est in regno cælorum?* Tunc aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnū cęlorū. *Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cęlorū.* Et postquā inde subtexuit, quæ possent parenthesi includi, rationem præfatæ sententiæ, his verbis tradit: *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei, qui in cælis est.* Videtur autem Christus, cum dicit: *Angeli eorum semper vident faciem patris mei*, aliquid singulare paruulorum Angelis attribuere, quasi cęteri minores sint, & quasi illi faciem Dei videant, alij non videant. Et quidem Origenes hinc suum confirmat errorem, ac si Angeli etiam beati propter negligentiam custodiendorū hominum, suam aliquando beatitudinem amittant. An verò Chrysostomus longè absit ab Origene, nec vacat, nec iuuat examinare. Ego certè crediderim aliquid discriminis inter paruulorum & cęterorum hominum Angelos indicari, quasi Angelus tutelaris seu patronus paruulorum, aliquam habeat excellentiam, supra reliquorum hominum Angelos, quâ paruulos suâ ope adiutos, maiores siue Summates fore cælestis regni negotietur, quod Christus intendisse videtur: & quod doctè tradit Ioannes Maldonatus (ô qualis genio, & eruditione, & eloquio vir!) *Maiores autem, inquit, & honorabiliores esse paruulorum quàm aliorum hominum Angelos ex effectu Christus probat, quia semper vident faciem Dei: non quòd alij Angeli non videant: sed quòd eâ phrasi Hebræi significent, Deo aliquem esse propinquum, & familiarem: Sumpta autem est ex aula consuetudine metaphora, vbi quò quis honoratior est; eò propinquior est Regi, eòque frequentius in eius conspectu versari solet.* Nempè Christus cùm videt Apostolos Petro inuidentes, ambitione Dignitatum pulsari, docet, non sęculi magnates, sed paruulos & humiles fore in regno cælesti *Maiores*, & empyreæ Curiæ optimates. Diligentiùs attende ad rationem: quâ id probat: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Idest, tutelaris seu patronus paruulorum Angelus, qui illius custodiendi, & promouendi curam suscepit, non est qualiscumque; sed aliquis ex his, qui olympio Dei throno propiùs adest, qui semper Deo assidet, & illi facialis assistit. *Sumpta enim est ex aula consuetudine metaphora, vbi quò quis honoratior est, eò propinquior est Regi, eòque frequentiùs in eius conspectu versatur.* Quasi dicat, sumptâ metaphorâ ex Principum curiâ: Nemo, nemo inquam, ambigat, paruulos seu humiles fore in cælesti regno *Maiores*, & præcelsâ Dignitate honorandos; cùm perspicuum sit, quòd Angeli eorum patroni, in empyreâ Dei auiâ ipsius faciales sint, propiùsque illi assistant arctiori familiaritate pręstantes. Cui regius Familiaris, est singularis patronus, non abibit Munere vacuus, sed certò sublimem Dignitatem obtinebit. O quàm ethicè de mundialis aulę œconomiâ, & Facialium patrocinio, euincit Christus, paruulos fore cælestis regni *Maiores*, & olympia Dignitate præcelsos! Sed viderint aulici patroni merita eorum, quorum suscipiunt patrocinium, & quos certò promouebunt. Taceo. Tobias hîc vers. 27. matri sollicitæ de rebus vnici filij, sic loquitur: *Credo quòd Angelus Dei bonus comitetur ei, & bene disponat omnia, quæ circa eum geruntur.* Et meritò sanè; nam secum comitem ac patronum ferebat Angelum, qui est *vnus è septem, qui adstant ante Dominum.* infrà cap. 12. v. 15. Qui tali patrocinio fultus est, puta in cælo, & in terrâ in pacis magnum.

Facilis Angelus ad patrocinium datus, prosperæ cuncta respondet.

Orig. hom. in Luc. 35.

S. Chrys. ad hunc Matt. locum.

P. Maldon. inibi.

Quid sit Facialis, diximus in Tract. app. d Iud. fi. §. 14. n. 68

Hic v. 27.

5\. Verùm imbecillè crescit, quisquis alteri homini innixus sublimatur. Arbustiua vitis, & hedera viriosiùs adhærescens, de diuortio parietis aut proximi tibicinis arbor fit; & nulli subnixa, viriliter adolescit. Lucæ 8. exiit qui seminat seminare semen suum: sed aliud cecidit secus viam, & conculcatum est: aliud supra petram: & defectu humoris exaruit: aliud inter spinas, à quibus suffocatum est. *Et aliud cecidit in terram bonam: & ortum fecit fructum centuplum.* Beda præscripta verba exponens, ea sic deriuat ad mores: *Fructum enim centuplum, fructum perfectum dicit: nunc denarius numerus pro perfectione semper accipitur.* (Obserua Bedæ rationem) *Denarius autem numerus per se ipsum multiplicatus in centenarium surgit. Vnde per centenarium magna perfectio significatur.* Qui per se (idest, meritis suis) multiplicatur & crescit, non Procerum subnixus fauore, robustè crescit, & *in centenarium surgit:* per

Denarius numerus, qui per se multiplicatur, ad centenarium perfectè surgit.

Lucæ 8. v. 8.

Beda ibi.

per centenarium autem *magna perfectio significatur*. Sed ô quàm pauculi sic excrescunt, & dignitatum fastigia tenent! Qui magno patrocinio non innititur, labascit, repedat, ruit, præcipitat.

---

§. CCXXXI.

Desiderij pretia in manibus constituta nescimus: post migrationem cupita dulcescunt.

1. Clem. Alex. l. 2. Strom. PAtrocinia suæ turpitudini homines fingunt, vt etiam honestè peccare videantur. Vide apud Clementem Alexandrinũ, cuiusdam Gnostici eloquenter subtiles in mente argutias, & turpes in moribus solœcismos: *Dicebat se per vsum voluptatis pugnare cum voluptate, per simulatam pugnam ad voluptatem transfugiens preclarus hic Gnosticus. Dicebat enim non esset magnum abstinere à voluptate, qui eam non esset expertus; sed eum qui in eâ versatus esset, non vinci: vnde propterea dicebat, se in eâ exercere,* O fatuas voluptatis argutias, quibus specie honestatis turpitudinem suam homines colorarent! Id faciendum non est: nec virtus ad aliena virij castra transfugere potest, quin in virium degeneret. Tametsi persæpè vsu venit, vt pœnitendus olim voluptatis vsus pugnet cum voluptate: dũ de experientiâ cognoscitur, quod tota ferè placendi gratia spe affulget, vsu fastiditur, sui nauseâ, & displicendi vsutâ. Sic voluptatis vsus, est voluptatis inops: dum de sui fugâ blanditur, & dulciùs de absentiâ adridet! Mundiales deliciæ auidiùs optatæ, excrementa potiùs voluptatis censenda sunt: dum vsu fastidium mouent, & placent de abscessu: quia votum de absentiâ cudunt, & incipiunt placere, dum rursùs sperari incipiunt, quasi placendi gratiam de discessu potiùs, quàm de vsu mutuentur. Cùm agitur de profectione chari Tobiæ, mater eius Anna itum velut insensilis, nec moratur, nec impedit: at vbi primùm profectus est, & se longiùs cœpit absentare; tunc, tunc maximè absentem suspirat, & lacrymis recedentem prosequitur: quas prudens maritus spebus sistit, & desideriis fallit quasi placendi lenocinium, quod nuper concilianit absentia, spe restauret. Cum gaudio, inquit, reuertetur ad nos. *Ad hanc vocem cessauit mater eius flere, & tacuit.*

Per vsum voluptatis pugnatur cum voluptate, & quare?

Hic v. 28.

2. 2. Regum 23. castra Philisthinorum erant posita in Valle gigantum. Et Dauid erat in præsidio: porrò statio Philisthinorum tunc erat in Bethlehem. Desiderauit ergo Dauid, & ait: *O si quis mihi daret potum aqua de cisternâ, quæ est in Bethlehem iuxta portam!* Benè ibi notauit Hugo Catensis, quòd est imperfecta locutio, *in quo etiam vehemens desiderium expressit.* Non litigabo nunc cum expositoribus, an eiusmodi locutione Dauid obtinere vrbeculam Bethlehem exoptarit, an aquam suis, an sibi anhelauerit. Potum sitienti sibi expetisse, communiter tradunt interpretes. *Irruperunt ergo tres fortes castra Philisthinorum, & hauserunt aquam de cisternâ Bethlehem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid: at ille noluit bibere, sed libauit eam Domino.* Quid est, *Libauit?* Respondet Hugo: *Idest, effudit.* Quod nuper in arduo positum, sic hianter expetiuit; modò sic negligit? Potus in acerrimo hostium præsidio, sic dulcescit, & desiderio arridet; & dum poculum tenetur manibus, sic *effunditur?* Aut non debuit ardenter desiderare, quod iam adeptum ita negligit, vt effundat; aut non debuit *effundere*, quod sic anhelâ siti desiderabat. O aquæ *effusionem* moralitatum grauidam! in quâ & pia erga Deum religio maximè elucet, & mundialium bonorum ingenium, voluptatis auarum proditur. Nempe quod in arduo desiderij arridebat, in manibus constitutũ dulciùs effundimus. Pulchrè Ennodius: *Vix dignoscitur superni qualitas beneficij, dum tenetur: post migrationem cupita dulcescunt: desiderij pretia in manibus constituta nescimus.* De mendicitatibus desiderij gratiam placendi combibunt mundialia bona. Quæ spebus blandè ardebant, in manibus posita fastidimus: & dum è manibus elabuntur, cum abscessu desiderium iam rursùs mouent & indè complacendi gratiam mutuantur. *Desiderij pretia in manibus constituta nescimus.* Qui nuper potum Bethlemiticum ardenter hiabat; obtentum, iam illibatum *effundit*, vt de amissione spebus dulcescat, qui effusioni vicinatur in manu. *Post migrationem cupita dulcescunt.* Gratum desideriis potum Dauidi propinant, manu aqualem apprehendit, & quasi militum sanguinem Deo libat; & insimul liquorem *effundit*, quò mysticè doceat, quòd *desiderij pretia in manibus constituta nescimus.* Cùm verò è manibus elabuntur, dum de absentiâ desiderium iam mouent, rursùs sui gratiam & concupiscentiam ingerunt: nam *post migrationem cupita dulcescunt*: & dum cœpit amittere, desiderare simul cœpit. O humanę cupiditatis prestigium! quod in manu fastidis, iam spebus suspiras!

Desiderij pretia in manu constituta nescimus.

Ennod. lib. 6. epist. 10.

Voluptabilia, quæ in manu fastidimus, de abscessu dulcescunt.

2 Reg 23 v. 16.

Hugo ibi.

Psalm. 118. Dauid ille regiis deliciis opulenter adsuetus, quâdam velut ecstasi ad cælestia abstractus, incolam se & peregrinum mundi appellat, & cælestium candidatum, etsi cæli sit exul. Itaque mundialium voluptatum tædio nauseans, cælestes voluptates suspirat? sed humano idiomate de illis loquitur, eo more fatus, quo de humanis deliciis sentire consueuimus. *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.* Quid est, concupiuit desiderare? imò concupiuit possidere, & perfrui; fruitio enim & possessio, illex concupiscentię est; non desiderium, quod adhuc spebus angitur. Nempe diuturnâ experientiâ edoctus Rex terrenas voluptates, desiderio placere, vsu fastidiri; & abscessu rursùs desiderari, & adridere; adspectu ad mundanas delicias, de cælestibus loquitur, aiens: *Concupiuit anima mea desiderare.* Hieronymus id magis expressit: *Desiderauit anima mea desiderare.* Symmachus τετέλεσται perfecta erat, quod sic exponit noster Lorinus: *Idest, consummata, velutique ad exitum perueniens, & perducta.* Sic possessionem velut negligit Dauid, & desideriorum desideriis deliciari percupit. Nempè de diuinis loquitur more humano. Sentit, vt debet; loquitur, vt vt potest, de humanæ voluptatis vsu eruditus. Nam *desiderij pretia in manibus constituta nescimus, vix dignoscitur superni qualitas beneficij, dum tenetur.* Vnde sæpe deliciarum putatur perfectus, dum *desiderare desiderat*, & totus desideriis mellitur, & spebus adipatur: & dum desiderat, quod non obtinet; & quod obtinet, de possessione fastiditur, ac de abscessu rursus desideriis arridet. Quod argutè expressit Cassiodorus sub aquarum nomine, quo mundana 3.

Psalm. 118. v. 20.

Hieron. ibi.

Lorinus ibi.

concu

Voluptas aquæ fontenti comparatur. *Cassiod lib 8 Variar epist. 30.*

concupiscentia,& voluptas significari solitat. Sic ergo aliorsum, sed opportunissimè fatur Aurelius Cassiodorus: *Gratiam unda non habet, nisi iugiter influit, & visa semper abscedit. Illa enim quæ pulchrè riuis exercitata ridet, quàm deformis est in lacunis; palus enim nec visu grata, nec iumentis accommoda.* Ecce tibi voluptas(aquæ nomine significata) gratiam placendi nisi in lapsu non habet, & dum fugitiuo cursu celeriter absentatur,& visa semper abscedit. Quo velociùs recedit,eo gratiùs adridet,cum festinatam possessionem vertit in desiderium, atque vsum recudit in votum. Porrò quia desiderij pretia in manibus constituta nescimus;tunc perfectè terrenis voluptatibus adipatur anima,cum deæderare desiderat:*Concupiuit anima mea desiderare*,vel,*Perfecta anima mea desiderauit desideoare.* O non tam voluptas, quàm voluptatis excrementum,quod de abscessu placet, dum absentia blanditur desiderijs. *Post migrationem cupita dulcescunt.*

4. Iuuat in transcursu præstrictim adnotare,præfata Cassiodori verba moralissimè otium excutere, & ad operosam laborum excitationem homines incitare,sub hac similitudine aquarum, quibus populi denotantur.*Gratiam*,inquit, *unda non habet, nisi iugiter influit, & visa semper abscedit. Illa enim quæ pulchrè riuis exercitata ridet, quàm deformis est in lacunis. Palus enim nec visu grata, nec iumentis accommoda.* Vides quàm gratè rideat aqua perenni cursu *exercitata*, quæ nimis est deformis dum in lacunis pigro otio segniter stagnat.An ideo Adamus in paradiso speciem laboris cœlitus assumit? An etiam Angelorum Summates in velut otio diuinæ contemplationis, die, ac nocte *requiem non habere* perhibentur?& apud

Cassio l.sup.

Ille ipse qui otio non placet, opere adridet.

Gen.2. v.15. Apoc 4. v.8. Isai.6.v.2.

Isaiam Seraphini illi prope Deum *stantes*, simul *volare* dicuntur?Iuuat hæc,non tam dixisse,quàm non omisisse,ne præscribat otij deformitas,& laboris venustas euulgetur.Ille ipse,qui otio turpis est,exercitatione pulchrescit.

Lucæ 14.opulenti illius hominis serui, ad cœnam magnam ciues inuitant; inuitati verò friuolas obtendunt excusationes,ne mystico fruantur epulo.*Alter dixit:Iuga boum emi quinque, & eo probare illa:rogo te habe me excusatum.* Augustinus per hæc quinque boum iuga,quinque corporis sensus intelligit,ac omnium sensuum voluptabilibus percommodè adaptat; & tandem subdit: *Vt noueritis autem istorum quinque sensuum non delectationem quæ mulcet, & ingerit voluptatem, sed curiositatem quandam notatam fuisse,non ait:Quinque iuga boum emi,eo pascere illa,sed eo probare illa.* Nimirum insensati homines sensuum voluptatibus addictissimi, cœli magnam cœnam fastidiunt, non vt sensuum concupiscentiam *pascant*, sed vt illam *probent*, idest, curiosè delibent, & perfunctoriam experientiam leuiter captent. Nempe mundialis voluptas auidè desiderio proposita, sensus quam gratissimè pascere spondet, falsatæ gratiæ lenocinio. Ast in manibus constituta nescitur,sicque ieiuno transit excursu,vt homo non pascere concupiscentiam,sed experimentum illius capere dicatur,curiosa citiùs quàm plena deliciarum experientia,quo rursùs de absentia placeat,& sensibus blandiatur. Vnde dum sensus voluptabilia percipiunt,*non ait: Eo pascere, sed eo probare illos.* Libamus potiùs voluptatem reperito experimento, quàm ea pacatè fruimur. Nausea stomachum mouet, & rursus de fastidio placet, multimodò sensuum ludibrio.

5. *Lucæ 14.v. 19.*

Augustin. de Verb Dom. serm.33.

Sensus non pascuntur voluptabilibus, sed illa probant.

SYNOPSIS
CAPITIS SEXTI.

Tobiam Tigrim pedes lauandi causa ingressum,fluuiale quoddam monstrum inuadit;quem hortatore Angelo branchiis apprehensum enecat, & exenterat:cuius carnes ad victum sale condit, & ad meliores vsus reseruat viscera.Cùm autem peruenissent ad Rages Medorum, (non ad illam eiusdem nominis, in qua habitabat Gabelus) hortatur eum Angelus,vt apud Raguelem sibi cognatum hospitaretur, addens vnicam illi esse filiam, eamque ipsi, & omnem patris substantiam deberi. Unde monet Tobiam,vt sibi illam à parente petat in coniugem.Horret coniugium iuuenis,benè conscius septem omninò maritos,quibus nupta fuerat,à Dæmone suffocatos.Sed metum eximit Angelus,& remedium ostendit,quo facile periculum auertat, edocens quid facere debeat,antequam coniugali operæ vacet.

CAPVT SEXTVM.

1. PROFECTVS est autem Tobias,& canis secutus est eum,& mansit prima mansione iuxta fluuium Tigris. 2. Et exiuit lauaret pedes suos, & ecce piscis immanis exiuit

exiuit ad deuorandum eum. 3. Quem expauescens Tobias, clamauit voce magna, di-
cens: Domine inuadit me. 4. Et dixit ei Angelus: Apprehende branchiam eius, & tra-
he eum ad te. Quod cùm fecisset, attraxit eum in siccum, & palpitare cœpit ante pe-
des eius. 5. Tunc dixit ei Angelus: Exentera hunc piscem, & cor eius, & fel, & iecur
repone tibi: sunt enim hæc necessaria ad medicamenta vtiliter. 6. Quod cùm fecisset,
assauit carnes eius, & secum tulerunt in via: cætera salierunt, quæ sufficerent eis, quouf-
que peruenirent in Rages ciuitatem Medorum. 7. Tunc interrogauit Tobias Ange-
lum, & dixit ei: Obsecro te Azaria frater, vt dicas mihi quod remedium habebunt ista,
quæ de pisce seruare iussisti? 8. Et respondens Angelus, dixit ei: Cordis eius particu-
lam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum siue à
viro siue à muliere; ita vt vltrà non accedat ad eos. 9. Et fel valet ad vngendos ocu-
los, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur. 10. Et dixit ei Tobias: Vbi vis vt manea-
mus? 11. Respondénsque Angelus, ait: Est hic Raguel nomine, vir propinquus de
tribu tua, & hic habet filiam nomine Saram, sed neque masculum neque fœminam vl-
lam habet aliam præter eam. 12. Tibi debetur omnis substantia eius, & oportet eam
te accipere coniugem. 13. Pete ergo eam à patre eius, & dabit tibi eam in vxorem.
14. Tunc respondit Tobias, & dixit: Audio tradita est septem viris, & mortui sunt: sed
& hoc audiui, quia Dæmonium occidit illos. 15. Timeo ergo, ne fortè, & mihi hæc
eueniant, & cùm sim vnicus parentibus meis, deponam senectutem illorum cum tristi-
tia ad inferos. 16. Tunc Angelus Raphaël dixit ei: Audi me, & ostendam tibi qui sunt,
quibus præualere potest Dæmonium. 17. Hi namque qui coniugium ita suscipiunt
vt Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus, & mulus,
quibus non est intellectus: habet potestatem Dæmonium super eos. 18. Tu autem cum
acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud, nisi
orationibus vocabis cum ea. 19. Ipsa autem nocte incenso iecore piscis, fugabitur Dæ-
monium. 20. Secunda verò nocte in copulatione Sanctorum Patriarcharum admitte-
ris. 21. Tertia autem nocte, benedictionem consequeris, vt filij ex vobis procreentur
incolumes. 22. Transacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini,
amore filiorum magis quàm libidine ductus, vt in semine Abrahæ benedictionem in
filiis consequaris.

§. CCXXXII.

Commentarius Litteralis.

Vers. 1. Profectus est autem Tobias, & canis secutus est eum, & mansit prima mansione iuxta fluuium Tigris.

1. PRofectus est.] Salutaris inquam, parentibus, & cum mœrore multo relictis, Angelo comite, iter arripuerat: nuper enim facta iam erat perfectionis mentio, quam mater querula lamentis fuerat prosecuta. *Et canis secutus est eum* Arabs: *Et canis eius sequebatur eum.* Domesticus canis notum dominum de more sequitur. Græci, & Syri codices: *Et canis pueri cum eo.* Etsi iunior Tobias tunc agebat vigesimum quartum ætatis suæ annum, vt docet Salianus, puer dicitur innocentia, & vitæ candore, aut quia adhuc erat sub patria potestate. Sic Geneseos 22. vers. 5. Isaac annum agens trigesimum quintum, aut trigesimum septimum, *puer* nuncupatur. Ast cur sacer Historicus rebus grauioribus hæc minuta intermisceret? Primò vt grauioribus fidem conciliet, quod interdum faciunt profanæ historiæ scriptores. Dein vt viam sternat his, quæ narranda erant c. 11. vers. 9. nempe expectatissimum iuuenem præcurrisse canem, præpropero nuncio parentibus pergrato. Hanc litteralem causam reddit Sanctius: mysticam tradit Iustinianus, scilicet Raphaël, & canis, itineris socios habuit Tobias: quia per Raphaëlem Angelus custos designatur, qui nos in via protegat; per canem verò conscientia, quæ latrat, & morsicat. Aliam offert causam S. Ambrosius in Hexaëm. lib. 6. cap. 4. *Muta specie bestia S. Raphael Tobia iuuenis, quem tuendum receperat, ad relationem gratiæ erudiebat affectum. Et verè quis non erubescat, gratam bene de se merentibus non referre, cùm videat etiam bestias fugere crimen ingrati? & illa imperitæ memoriam alimoniæ seruant, tu non seruas salutis acceptæ?* Obuiæ sunt vtilitates, quas canis præstat in via præsertim eas perstringit Sanctius n. 2. & 3. Multa de canibus ex vtraque eruditione corradere, expromptum foret; sed superuacaneum.

(Margin: Græcus Syrus. Arabs. Qui dicatur puer in Biblia. Salian. — Genes. — Tobias. — Sanctius Cur Tobias secum canem detulerit. Iustinianus. — Ambrosi. — Sanctius.)

2. *Et mansit prima mansione iuxta fluuium Tigris.*] Non crediderim, Tobiam & socium mansisse in aliquo oppido, illud enim sacer Historiographus nominasset; sed pernoctasse subdio, aut sub pellibus viatoriis ad ripam Tigris fluuij. *Mansio* apud Latinos significat hospitium qualecumque illud sit. Significat etiam iter vnius diei: *Mansionibus octo stat regio thurifera à monte excelso*, ait Plinius lib. 12. c. 14. Itaque in Rhageno itinere, prima die, tantum confecere viæ spatium, vt peruenirent ad fluuij ripam. Opinor domicilium habuisse Tobiam in suburbio, quod est versus fluuium: alioqui Niniue adeò amplam, quæ trium dierum iter habebat, non possent vno die traiicere, & peruenire fluuij ripam. *Tigris* fluuius nominatissimus, & vnus è quatuor illis, qui è paradiso defluebant, Genes. vers. 14. de eo sic Plinius lib. 6. cap. 27. *Oritur in regione Armeniæ maioris fonte conspicuo in planitie. Cuius quà tardior fluit, Diglito: vnde concitatur, à celeritate Tigris incipit vocari. Ita appellant Medi sagittam.*

(Margin: Quid significet mansio. — Suet. in Tito Vesp. c. 10. — Plinius. — Tigris fluuius vnde sic dictus. Genes. Plinius.)

Isidor. Rupert. Sanct. *guttam. Insluit lacum Arethusam omnia illata pondera.* Itaque Tigris fluuius rapidissimus est, & qui Medica lingua nomen habet à sagitta: inde puto à celeritate nomen dedisse feræ: quæ ideò Tigris nominatur. Consule hac super re Sanct. Isidorum libr. 13. Etymol. cap. 21. & Rupertum in Genes. lib. 2. cap. 29 & commentatores ad præfatum Geneseos locum, & Sanctium in Danielis cap. 10. vers. 4.

Vers. 2. Et exiuit vt lauaret pedes suos, & ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum.

3. *Tobias ad longum iter iumento videtur vsus.* *Lauaret pedes.*] Opportunè hic notant interpretes, non ex eo quod Tobias exierit ad lauandum pedes, rectè colligi, peditem confecisse iter: nam lauandorum pedum aliæ aderant causæ, præter abstergendas ex itinere contractas sordes, vt mox, dicemus. Verosimiliùs quidem est, iumento vsum, ad asportandum viaticum pro longo itinere, in regione vbi raræ, aut nullæ occurrebant caupon æ. Tum etiam quia vasti piscis salitæ carnes deferre humeris non valebat, his sarcinis nō adsuetus iuuenis, Exinde crediderim iumento vectum fuisse Tobiam. Itaque primi diei confecto itinere, cùm mansio figeretur ad fluuij ripam, exiit vt lauaret pedes. Olim enim moris fuit in Oriente hospitis aduenæ lauare pedes Geneseos cap. 18. vers. 4. & cap. 24. vers. 32. & cap. 43. vers. 24. & Iudicum 19. vers. 21. & 1. Reg. 25. vers. 41. Cùm autem Tobiæ defectu diuersorij, aut hospitis alicuius, pernoctandum esset subdio, ipsemet illa consuetudine ductus, ad fluuium successit. Addit Mauden ex Sanctio, id esse in ea regione vsitatum, & penè necessarium, quod esset illa regio calidissima, & in qua *incolæ quoque per æstus immensos super plenis aqua vtribus somnos capiunt*, vt in vita Alexandri tradit Plutarchus. Putant aliqui lauandi consuetudinem esse Hebræis familiarem, quia ipsi, sicut, & Arabes, graue aliquid exhalant, & hircum subolent. De quo Sanctius ad lib. 2. Reg c. 18. v. 24.

Genes. Iudicum. 1. Regum. *Cur Iudæi persæpè lauent pedes.* Mauden. Plutarch. Sanct.

4. *Et ecce*] Denotant hæc vocabula rem nouam, & inopinatam. *Piscis immanis.* Ne fortè τὸ *immanis*, non ad corporis molem, sed ad feritatem, & truculentiam imperitè referatur, exscribit Arabs: *Et ecce piscis magnus*, corporis, inquam, vastitate *Exiuit*. Syrus: *Saltauit, de flumine, & quæsiuit ingluuire eum*, quod Vulgatus dixit: *Ad deuorandum eum.* Constat inter commentatores hunc piscem esse cetum, cùm in omnes grandiores aquarum bellnas, ceti nomē quadret, vt ex Plinio libr. 9. docet Iunius libr. 1. de animalibus cap 13. De quo legi possunt Geneseos interpretes ad illud cap. 1. vers. 21. *Creauitque Deus cete grandia.* Sed à genere ad speciem veniendo S. Augustinus serm. 4. in festo SS. Petri, & Pauli, hunc piscem putat esse Christum: è contrario Beda relatus à Serario, censet Diabolum esse. Sed hæc allegorica sunt, & nos litteralissimum peruestigamus sensum.

Arabs. Syrus. *Quid cete in Sacris litteris significet.* Plinius. Iunius. Augustin. Beda.

5. *Theophylacti interpres.* Plinius. *Impugnantur sententia qua Tobiani piscis speciem determinant.* Rondelet. Interpres Theophylacti in Ionam Prophetam Balenam illum fuisse existimat; sed fallitur, quia Auctore Plinio lib. 9. cap. 7. Balenæ branchiæ non sunt, constat autem ex vers. 4. hunc piscem branchiis fuisse apprehensum. Dein, vt Rondeletius libr. 10. cap. 13. scribit, angustior est Balenæ gula quàm vt hominem capere possit; hic autem piscis, *Saltauit de flumine, & quæsiuit inglutire Tobiam.* Quin etiam vastiorem Balenæ molem fluuius nō capit. Carthusianus putat esse Crocodilum. Sed Crocodilus non est esculentus, sicut hic Tobiæ piscis. Et Crocodilus, Auctore Plinio lib 9. cap. 7. amphibius est, integrosque dies extra aquam versatur; hic autem è flumine extractus, confestim palpitare cœpit. Franciscus Georgius tom. 6 Problemate 185. ex Rabbinorum sententia, Lucium esse credidit. Sed Lucius piscis non est carninorus, qualis hic Tobianus piscis describitur. Receptior sententia est, fuisse Callyonimum (hoc est pulchri nominis) qui aliàs Vranoscopus appellatur: nam vt tradunt Galenus lib. 10. de simpl cap. 12. & Plinius lib. 32. c. 7. Vranoscopi fel virtutem habet ad oculos medicandos, vel etiam ad oculorum albuginem tollendam. Hanc interpretationem tradit Franciscus Vallesius de Sacra Philosophia cap. 42. Hieronymus Baptista de la Noza tract. 7. Euang. num. 79. Martinus del Rio libr. 2. Disq. Mag. q. 30. sect. 3. Serarius q. 1. Salianus tom. 4 anno m. 3335. n. 25. Menochius, & Tirinus hic. Sed huic commentationi obest, quod tradunt Rondeletius libr. 10 cap. 14. & Aldobrandus libr. 2. cap. 51. Vranoscopum raro pedalem longitudinem excedere; hic autem Tobianus piscis dicitur *magnus*, & *immanis*, quippè adnatabat, vt viuum hominem *deuoraret*, seu *inglutiret*: alimentumque plures dies ambobus præbuit, vt dicitur infrà vers. 6. Præsertim cum aliorum piscium fel, oculorum albugini medeatur, teste eodem Plinio nuper allegato, nempe Caracinus, & Scorpius. Quare incertum esse puto qualis is piscis specificè fuerit. Et eruditissimus Gaspar Sanctius magister meus, id se fatetur ignorare; imò, & omnes quotquot determinatam speciem assignant, palam diuinare fatetur, & incertis duci, vel abduci potius coniecturis. Idem censet David Mauden hic sect. 1. num. 2. Fabianus Iustinianus ad hunc vers. 2. num. 3. Gordonus opinionem Vallesij refert, nec vllam approbat. Imo nec ipse Vallesius suis se satis credit coniecturis. Malo cum his sapientissimis viris ignorare, quàm cum aliis pluribus scire quod nescio.

Carthusian. Plinius. Georgius. Gallenus. Plinius. Vallesius. Noza. Rio. Serarius. Salian. Menoch. Tirinus. Rondelet. Aldobrand. *Incertum quis piscis ille fuerit.* Plinius. Sanctius. Mauden. Iustinian. Gordonus. Vallesius.

Vers. 3. Quem expauescens Tobias, clamauit voce magna, Domine inuadit me.

6. Improuisum aquatilis monstri conspectum oppidò exhorruit Tobias, cùm illud allapsu innatare præcipiti ad se deuorandum, pauidus aduertit. Arabs sic transtulit: *Exhorruit, & clamauit voce magna: O Domine mi, irruit in me piscis ad deglutiendum me.* In periculo constitutus, operarium quem mercede cōduxerat, honorifico *Domini* vocabulo compellat. De periculi schola ediscenda vrbanitas est. Benè nouerat Angelus adnatantis præcipitanter belluæ truces minas, sed remedium distulit, vt de periculo faceret medicinam.

Arabs. *Periculum est vrbanitatis magister.*

Vers. 4. Et dixit Angelus: Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te: quod cùm fecisset, attraxit eum in siccum, & palpitare cœpit ante pedes eius.

Angeli vox, vultus, gestus constantiam repræsentabant, & adolescenti subito casu penè exanimi, eas vires indiderunt, eamque inspirauerunt auda-

audaciam, vt aggredi auderet, & valeret sternere aquaticam illam belluam, funestum illius exitium inhiantem. Admonet ergò vt branchiis, seu faucibus audacter manus iniiciat; tum quia ea pars aquatilibus imbecillior est; tum etiam quia elabi non potest si stringas, & premas, quod reliquarũ partium lubricitas non patitur. Obtemperat Tobias Angelica voce animosior, & fluuiale monstrum branchiis, quas pro faucibus habet, apprehensum, ex vdo regno suo in arentem extraxit ripam, & confestim monstrum exanime corruit, & piscis qui prædator venerat, adolescentis præda factus est. *Branchiarum* munus in piscibus tradit Aristoteles 2. de Historia animalium, aiens: *Branchiarum natura quasi ad spirandi vsum piscibus data est.* De piscium branchiis multa in hoc loco docet Philosophus scitu dignissima, sed huic versiculo exponendo superuacua.

Quæ sint in piscibus brãchia.

Aristoteles.

Vers. 5. Tunc dixit ei Angelus: Exentera hunc piscem, & cor eius, & fel, & iecur repone tibi: sunt enim hæc necessaria ad medicamenta vtiliter.

8\. Tunc Angelus Tobiam instruit quo pacto ex immani illo pisce, qui nuper strages spirabat, vtilitates captare valeat. *Exentera hunc piscem*, idest, vsque ad intima ipsius exta, & abscõsa viscera, eum seca, vt inde extrahas cor, fel, & iecur. Arabs *Et educ cor, & iecur, & repone tibi in peram: quoniam hæc iuuant ad medendum in necessitate.* Hîc multa disputant aliqui de natura cordis fellis, & iecoris. Obuia planè, & medica eruditio, & textui exponendo minimè necessaria.

Arabs.

Vers. 6. Quod cùm fecisset, assauit carnes eius, & secum tulerunt in via: cætera salierunt, quæ sufficerent eis, quousque peruenirent in Rages ciuitatem Medorum.

9\. Angelico præcepto Tobias paruit, & euiscerato, dissectóque pisce, partem carnium eius supposito igne assauit, opinor ad illum, & sequentem diem) dicitur enim: *Assauit carnes eius, & secum tulerunt in via; cætera salierunt.*) Nempè partem assi piscis in cibum illius noctis insumpserunt, & ad sequentis diei victum reseruarunt: è reliquo salsamenta fecit, quæ durare possent quousque ad vrbem Rages peruenirent. Exinde liquidò constat, prægrandem fuisse piscem, qui potuit multos dies vtrique alimenta præbere. Putauerim etiam exta piscis salita (ne in via putrescerent,) & in cassidili repôsita. Saltem autem ille, quo carnes conditæ sunt, emisse videtur ab aliquo, qui salem haberet proximè venalem: vt notauit Sanctius: tam ex flumine aquæ salsæ non erant. Quod autem piscis habeat carnes, etsi alias ab iis, quas ieiunij tẽpore interdicit Ecclesia, docet eruditè Serarius q. 2. & aduocat illud Pauli 1. Cor. 15. v. 39. *Non omnis caro, eadem caro: sed alia quidem hominum, alia verò pecorum, alia volucrum, alia autem piscium.* Reliquæ translationes nil offerunt notatu dignum nisi quod Græci codices pro vrbe *Rages*, adhuc *Ecbatana* exscribunt.

Carnes piscis assant, & saliunt ad longi itineris victum.

Sanctius.

Serarius. 1. Cor. 15.

Piscis carnes habet.

§. CCXXXIII.

Commentarius litteralis.

Vers. 7. Tunc interrogauit Tobias Angelum, & dixit ei: Obsecro te Azaria frater, vt dicas mihi quod remedium habent ista, quæ de pisce seruare iussisti.

Vers. 8. Et respondens Angelus, dixit ei: Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum, siue à viro siue à muliere; ita vt vltrà non accedat ad eos.

Monuerat Angelus, vt piscis exenterati viscera reseruaret ad vtiles medicinæ vsus, obtemperarat Tobias, eaque in cassidili reposuit: nunc ad quænam medicamenta sint idonea, opportunè interrogat. *Fratrem* Tobias appellat, quem Israëlitam putabat. *Cordis eius particulam*, &c. Græci, & Syri codices addunt etiam *iecur*, & ex vers. 19. constat, iecur etiam incendi iussum. Cætera ferè consentiunt vulgato. Sicubi dissentiunt, infrà commodiùs expedientur. Benè notat ex Serario Sanctius, quod Tobias hæc videtur ab Angelo interrogasse nõ eo die quo piscis occisus, & assatus fuit, & eius carnes ad longæ viæ annonam salitæ; sed aliquot post diebus, cùm propè esset Rages Medorum vrbs, vbi cum Raguelis filia nuptias celebrauit: quoniam cùm earum rerum rationem reddit Angelus, confestim monuit diuertendum in Raguelis domum eodem (quantum ex textu apparet) die, quo illa interrogatio facta fuerat. Illud verò, *tunc interrogauit*, nil officit: nam vt docet hîc Sanctius, similes voculæ non semper significant aliquid eo tempore factum esse, de quo proximè agebatur; sed de alio quodam, etsi remoto, de quo infrà incidet sermo. 1.

Græcus. Syrus.

Sanctius.

Vocula tunc non semper denotat proximum tempus.

Cæterùm cum textus dicat, *Cordis eius* (idest, piscis) *particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum*, grande oritur inter Theologos litigium, an quibusdam rebus ea virtus insit, qua dæmonas expellant. Quod si vellem persequi, longum facerem, & quidem extra rem. Attingam duntaxat an fumo, quem huius cordis vstulatæ particulæ exhalant, ea insit vis abigendi Dæmones, idest, quo pacto Dæmonem depulisse dicantur. Qua super re varios philosophandi modos excogitarunt Auctores, quos hic referre operæ pretium duximus, vt magis idoneum eligamus. 2.

Prima sententia est, suffitum hunc è corde piscis exhalatum, eo tantum esse adhibitum, vt Angelus se hominem persuaderet; nam forsan si id exhibitum non foret, non homo, sed Angelus putaretur, qui rem adeò mirabilem præstitisset. Secunda sententia censet, eiusmodi fumum signum fuisse temporis, quo Dæmon ab Angelo abigeretur. Vtramque opinionem refert Serarius ad cap. 8. q. 2. ex lib. de Dæmoniacis cap. 48. Cæterùm alij Doctores attentiùs expendentes Raphaëlis verba, quæ aliquam efficacitatem suffumigio huic videntur tribuere: putant (erit itaque tertia sententia) vim illi naturalem, & physicam inesse ad Dæmones. 3.

Prima, & secunda sententia proponitur.

Serar.

Tertia sententia asserit, rebus inesse naturalem vim qua directè Dæmones pellat.

mones directè expellendos; non è quatuor elementorum compositione pendentem, sed ex tota rei substantia, & ex proprietate à Deo indita in rerum primordio Nam sicut præuisis morbis medicas in rebus qualitates prouidit; ita præuisis diabolis infestantibus, contra eorum infestationes medicamenta præstruxit. Quin etiam congruebat, vt superbissimi spiritus, qui sic præ arrogantia tumuerunt, vilissimis reculis subderentur. Ita Petrus Gregorius Tolosanus Syntagmatis iuris lib. 34. cap. 22. Franc. Georgius in Problem. Pererius in Genes. cap. 14. n. 46. Faius in energumenico, Raymundus Lullus, Guido, & Brauus Chamissius apud Maura de Incantat. sect. 1. c. 2. & alij permulti, qui aliis rebus hanc inesse virtutem tradunt, quos eruditè referūt idem Maura ibi, & P. Martinus del Rio lib 6. disq Mag cap. 2. sect. 3. & passim Tobiæ interpretes ad hunc versiculum, & infrà ad cap. 8. vers. 2. & 3. Adde radicem illam, de qua Iosephus lib. 8. Antiq. c. 5. Sed eiusmodi radix suspecta est clancularia superstitionis, vt notant commentatores. Consule Pinedam nostrum in præuio Salomone lib. 3. c. 19.

Petr Gregor. Franc Georg Pererius Faius Lullus. Guido Brauus. Maura. Rio. Iosephus. Pineda.

4\. *Quidā qualitati supernaturali hunc effectum adscribunt.* *Vallesius. Loyerius. Maura Mauden.*

Quarta sententia tenet, virtutem quandam supernaturalem huic pisci diuinitùs inditam, qua cooperari posset Deo velut instrumentum physicum ad dæmonem abigendum; sicut Sacramentis inditur ad producendam physicè gratiam, & gehennali igni ad torquendos Dæmonas. Ita Vallesius de Sacra Philosophia c. 28. Loyerius lib. 8. de Spectris cap. 1. Maura de Incantat. sect. 1. c. 3. Mauden hîc sect. 7. n. 9. Scilicet cùm hi Auctores seriò putent, verba Angeli sonare aliquam physicam in Dæmonas efficaciam, nec illam in corporatis rebus inueniant idoneam; ad supernaturalem virtutem recurrunt.

5\. *Quinta sententia media graditur via.*

Quinta sententia media inter duas proximè relatas graditur via, docens expulsum fuisse Dæmonem partim virtute naturali piscis illius incensi, partim vi precum Tobiæ, & Saræ. Illa naturalis virtus fuit; hæc precaria, à Deo impetrans, vt Angelus infestum Dæmonem procùl abigeret. Hæc interpretatio ex infrà dicendis numer. 21. & 22. amplius clarabitur. Eam tenet Serarius ad cap. 8. quæst. 3. Iustinianus ad hunc vers. 8 quibus ferè subscribit Eusebius Nieremberg. 1. p. Curiosæ Philosophiæ lib. 1. c. 49. Ioannes Nider c. 1 2. apud Malleum Malef. tom. 1.

Serarius. Eusebius. Ioan Nid.

6\. *Vi morali id præstitum asserunt alij.*

Sexta sententia vim naturalem aut supernaturalem agnoscit nullam in hoc suffimento è pisce incenso; sed meram efficaciam moralem, qua Angelus ad eiusmodi incensionem abegit Dæmonem, & inde procùl relegauit, & religauit. Ita passim Doctores. In hac iudiciorum varietate, quid hac super re probabilius, vel improbabilius censeam; sequentibus conclusionibus aperio. Sit ergò,

7\. *Hæc suffumigatio non fuit adhibita, vt se esse Angelum dissimularet.*

Primum Assertum: Hæc fumigatio non fuit adhibita, ne Raphael se Angelum præmaturè proderet, sed adhuc humana specie, & habitu Azariam simularet. Primò quia etsi aliquod perpetrasset miraculum, non ideò Angelus putaretur: nam frequens erat prodigiorum patratio apud Hebrææ gentis Prophetas, & viros sanctitate illustres, quin exindè Angeli putarentur. Secundò quia si nulla, aut physica, aut moralis vis inerat cordi piscis incenso ad Dæmonas expellendos, vix posset Raphaël à mendacio excusari, aiens, quòd eiusmodi *fumus extricat omne genus Dæmoniorum*: non enim fumo inest virtus ad abigendos Dæmones; sed artificium ad dissimulandum ne Angelus agnosceretur, nec sine periculo superstitiosæ obseruationis, Tertiò quia in opposita sententia vacat energia huius verbi *extricat*, quod aliquam denotat efficaciam; in quo verbo explicando, & extricando tota huius loci difficultas sita est. Nullum pro hoc asserto patronum allego, quia opposita sententia nullum nisi ex relatione Auctorem palam agnoscit; sicut nec mox expugnanda.

8\. *Nec fuit tantum signum temporis, quo Dæmon ab Angelo pelleb atur.*

Secundum Assertum: Præfata suffumigatio non fuit tantùm signum temporis, quo Dæmon ab Angelo pellebatur. Quia de eiusmodi cordis particula igne accensa, dicitur, quòd *extricat omne genus Dæmoniorum*; si autem tantùm esset signum Asmodæi fugati è Saræ cubiculo, verè dici non posset, omne genus Dæmoniorum *extricare*. Secundò quia suprà in hoc cap. vers. 5. dicuntur hæc viscera esse vtilia, vt ex eis medicamenta fierent, ad abigendos inquam, Dæmones; quod autem merum est signum Dæmonis abacti, vix, aut nec vix quidem, potest dici vtile, vt ex eo medicamentum conficiatur. Ergò nisi præter rationem signi aliquam efficacitatem siue physicam, siue moralem huic suffimento concedant, planè vacat acri textus energia.

9\. *Datur in rebus naturalibus aliqua vis, indirectè agens in Dæmones.*

Tertium Assertum: Datur in rebus corporeis aliqua naturalis virtus, quæ indirectè agat in Dæmones, hominem infestantes. Nam cùm persæpè malus Dæmon non bona hominis temperie adiuuetur ad illum exagitandum; naturalis virtus, quæ medicamentis inest, eualet ad humores temperandos, & corporis passiones mitigandas, itavt minus subiiciantur actioni Dæmonum. Sic Saül 1. lib. Reg. cap. 16. modulata Dauidis cantilena leuabatur à Dæmonis vexatione, tametsi ibi etiam intercesserit supernaturalis virtus. Consule inibi Abulensem, & Sanctium. Sic magni nominis auctores docent, complures rerum corporearum species non parum contra Dæmones valere, quales sunt ruta, thapsia, chamæleontis iecur, artemisia, hypericon, lapis sardius, & chrysolitus, & alia innumera, quæ hîc interpretes congerunt. De quo latè Maura de Incantat. sect. 1. cap. 2. & P. Martinus del Rio l. 2. disq Mag. quæst. 27. sect. 3. & lib. 6. cap. 2. sect. 3. quæst. 2. Hæc conclusio adeò est communis, & certa, vt pigeat pro illa tuenda Auctores recensere. Eam tamē docent Paris. lib. de Vniuers. Carthusianus in Tobiæ cap. 8. Franciscus Victoria relect. de Magia, quæst. 6. Zacharias Vicecomes d. operis, p. 1. Tractatu de remedijs corporalibus, Leuinus Lemnius libr. 2. de occultis naturæ miraculis, Vallesius cap. 28. Sacræ Philosophiæ, Baptista Codranchus, & alij plures, quos citat, & sequitur Rio lib. illo 6. disp Mag. cap. 2. sect. 2. quæst. 3. eamque disertè docet Abulensis in lib. 1. Reg. cap. 16. Serarius, Sanctius, Menochius, Tirinus, Eusebius Nieremberg Fabianus Iustinianus, & alij Item Theophylus Raynaudus in Theologia naturali, dist. 2. quæst. 2 art. 1. num. 53. Sybillanus decade 3. cap. 8. quæst. 2. allegans Turrecrematam, & Lyranum: Eam etiam tenet Mengus in Flagello Dæmonum, cap. 3. Binsfeldius tractatu de Confessionibus Maleficorum, dub. 3. concl. 11. & 12. Angelus, verbo *Superstitio*, n. 6.

Maura. Rio. Parisiens. Carthusian. Victoria Zach. Vicec. Leuinus. Vallesius. Codranch. Abulens. Serarius. Sanctius. Menoch. Tirinus. Eusebius. Iustinian. Raynaud. Sybillanus. Turrecrem. Lyranus. Mengus. Binsfeldius. Angelus.

10\. *Thomas.*

Quartum Assertum: Nulla naturalis vis rerum corporearum eualet ad directè agendum in Dæmones: atque adeò suffumigatio illa directè & physicè non abegit Asmodæum. Ita S. Thomas, quem

Sanctius. Rio Hassia. Abulens. Raynaudus. Eusebius. *Nulla vi physica potuit sic abigi Dæmon ut non rediret.* Serarius Menochius. Tirinus Gordonus. Mauden. Iustinian. Franc. Picus. Abulens. Iob. cap 41. v.14.

quem allegat, & sequitur hic Sanctius, Martinus del-Rio lib. 2. disquis. Mag. quæst. 30 sect. 3. adducens Henricum de Hassia, & Abulensem, Theophilus Raynaudus, & Eusebius nuper laudati, Serarius in cap. 8. quæst. 3. Menochius, Tirinus, Gordonus, Mauden, Iustinianus. Consule hac super re Franc. Picum lib. 7. de Prænot. c. 4. Probatur primò ratione, quam ex Abulensi 1. Reg. 16. quæst. 46 adducunt, & magni faciunt interpretes: *impossibile est, quod minor potestas sibi subiiciat maiorem, & tamen non est potestas super terram, quæ comparetur potestati Dæmonum. Ideò non erit aliquid naturale, vel ceremoniale, per quod Dæmones possint ab homine cogi, vt veniant, aut respondeant, aut aliquid operentur*, &c. Secundò, inter rem corporatam, & rem omninò spiritualem supposito diuersam, grandis est improportio, nec apparet quonammodo corporatum agens possit operari in Angelum, aut in Dæmonem, qui prorsùs spirituales sunt. Vnde valdè desudat subtilioris Theologiæ sollers industria, in assignando modo, quo corporeus gehennæ ignis possit spiritales Dæmonas torquere, de qua re præter ordinarios Scholasticæ Theologiæ professores, legi potest Leonardus Lessius in prælustri tomo Opuscul. lib. 13. de Perfect. diuinis cap. 30. à num. 215. Tertiò, quia etsi demus aduersariis, quod minor potestas subiicere possit maiorem, & res materiata possit operari in spiritualem supposito diuersam; adhuc ea virtus insufficiens est ad effectum, quem eiusmodi fumus præstare dicitur. Sic enim interrogationi Tobiæ Angelus respondet: *Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum, siue à viro, siue à muliere, itaut vltra non accedat ad eos.* Ast quod medicamentum sic ægritudinem pellit, vt exinceps sanatum corpus morbum illum nunquam subeat, licet causæ adsint, quæ eiusmodi languorem conflent? Vnde vitæ arbor etiam in statu innocentiæ iterato esu degustanda erat, vt vitam protraheret, de quo copiosè egimus in Geneseos cap. 2. Quo enim pacto verisimile esse potest, Asmodæum de Saræ cubili abactum physica suffumigationis vi, sic fuisse exterritum, vt eiusmodi suffumigio euanescente, & diu transacto, nunquam redire vltrà auderet? Quod vmbratilem, laruam, & verum spiritum, nullo iam calente fumo, sic territat, vexatque? Belluæ, imò etiam homines periculo transacto, periculi locum subire exhorrent, nescij an in securo calle pristinum delitescat periculum, & insidietur incauto. Dæmones autem probè norunt euanuisse fumum, & cum illo vexationis causam. Quid ergo vetat, vt ad optatam hominis infestationem redeant?

Lessius.

11. Quintum Assertum: Nulla qualitas, seu virtus supernaturalis, & permanens his corporatis visceribus coæua, indita diuinitùs est, vt omne genus Dæmoniorum vexare, & abigere possint. Nobiscum sentiunt, qui vel in Sacramentis illam negant: qui illam non agnoscunt in gehennæ ignibus: qui obedientialem potentiam, vel in tenuibus reculis fatentur, vt quidvis ad quodvis possibile, instrumentariam Deo opem physicè præstare valeat. Adde his reliquos, quos aliter sensisse nuper retulimus. Prima ratio pro hac cõclusione: quia insolens est in scholis Theologicis supernaturalis virtus permanenter impressa rebus emortuis ad supernaturales effectus operandos, quam vel transeuntem permulti negant in Sacramentis. Quin etiam exptomptum foret mirissima quæque, quæ in rebus experimur, vt magnetis arcanam vim, marini fluxus, & refluxus arcanum, ventorum conceptacula, & his similia, in aliquam supernam virtutem, quæ homines lateat, insulsè referre. Præsertim cum ad id asserendum Scriptura non cogat, vt infrà numer. 13. liquidò patebit. Et quidem tametsi plures recentiores in Christo adstruant supernaturalem aliquam virtutem, seu permanentem qualitatem Dæmonum expultricem; superuacanea tamen communiter putatur. Nec vrget paritas de Christo Deo ad antropofagi piscis emortua viscera. Secundò, & principaliter, quia esto, supernaturalis aliqua inesset qualitas extis huius piscis, quæ excruciare, & abigere posset malignum spiritum: ast quomodo transacta fumigatione, eundem redire vetat ad amicum corpus, quod gratè obsidebat? ait enim Scriptura, eiusmodi fumum sic extricare Dæmones ab hominibus, *vt vltra non accedat ad eos*. Recognosce huius argumenti vim, quam nuper vibrauimus pro præcedenti asserto, num. 10.

Nulla supernaturalis vis permanens, huic inerat suffimento.

Lege Ripaldam de Ente super disp. 40. n. 12.

12. Sextum Assertum: verosimilior est sententia adstruens, expulsum fuisse Asmodæum, partim vi naturali eiusmodi suffumigij, partim supernaturali, aut Angelica Raphaëlis. Declaratur hæc conclusio, & declaratione probatur. Scilicet etsi certum sit rem materiatam non posse agere directò in Dæmonem; verosimiliùs tamen est, posse in illum indirectè agere (vt constat ex suprà dictis, num. 9.) Ergo cum Dæmon Asmodæus septem illos Saræ maritos infestaret, quia libidinis œstro perciti, non pudico, & maritali affectu accedere ad nouam coniugem moliebantur; potuit succensum piscis cor, eam physicè dispositionem inducere, quæ sic temperaret Tobiam iuuenem cum venusta puella versantem, vt libidinis facibus minùs æstuaret: ad quod saltem iuuare poterat. Et licet Sara nunquam Dæmonem subierit, adsimilem effectum in ea valuit operari. Nam etsi eximia vtriusque modestia, & temperantia, diuinæ gratiæ debeat adscribi; ad seruandam continentiam non parùm iuuat corporis modulata temperies. Addit noster Eusebius, nec dissentit Iustinianus ad vers. 14. Asmodæum sub humana forma, dum nouos maritos infestabat, Saræ apparuisse, illi amicè spectro blandiente; potuerunt ergo naturales illius fumi qualitates, necessarium frigus ad coagmentandam, & addensandam illam corporalem speciem sic efficaciter dissipare, vt non consisteret spectrum. Ecce tibi qualiter eiusmodi suffumigium sua agnata vi iuuare potuit ad *extricandum* Dæmonem. Cętera autem Raphaëli adscribenda sunt. Nempe Dæmonem inde expulisse, & in Ægypti deserto sic religasse, ne vltra eualeret Saram, eiusque nouum coniugem exinceps infestare. Quæ omnia ipse Tobias Raphaeli adscribit infrà cap. 12. vers. 3. aiens: *Et dæmonium ab ea ipse compescuit.* Quod Tobias, & Sara impetrarunt anteactæ vitæ titulo, & præsentis orationis merito. Sara præsertim, quæ ieiunij, & orationis instantia Angelicam opem nuper impetrauit. Ità hunc locum interpretatur P. Theophylus Raynaudus in Theologia naturali, dist. 2. quæst. 2. art. 2. num. 53. qui in hanc mentem haut inuitum trahit Serarium, nec videtur ab hoc sensu alienus esse in Notis ad 1. Reg. c. 16. P. Theophylo subscribit P. Eusebius 1. p. Curiosæ philos. lib. 1. c. 49. & hanc interpretationem

Verosimile est partim vi naturali fumi, partim Angelica virtute Asmodæum expulsum.

Euseb. Iustinian.

Tobiæ.

Raynaudus. Serarius. Eusebius. Lyranus. Turrecrem. Sybillanus. Binsfeldius

rationem tradit Lyranus, Turrecremata, Sybillanus, & Binsfeldius apud eundem Theophilum. Alioqui concedet Setarios in eiusmodi fumo potentiam naturalẽ partialem, qua simul cum Deo, aut Angelo, sic Dęmonem directè abigat, vt vltrà non redeat. Quod quam sit à ratione alienum, multis supra tradidimus, num. 1.

13. Septimum Assertum: Tametsi eiusmodi suffitus nihil physicum siue directè, siue indirectè ad expulsionem Dæmonis contulerit! nil sacro textui officit, quominus de eo verè dici possit, esse *necessarium ad medicamentum vtiliter*, vt habetur suprà, vers. 5. & in hoc vers. 8. *Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum siue à viro, siue à muliere, ita vt vltra non accedat ad eos.* Habuit enim eiusmodi fumus eam vim nõ agnatam, & physicam, sed extrinsecam, seu moralem, ortam non ex fumi natiua virtute, sed ex diuina permissione, aut Raphaëlis voluntate, qui vt se Angelum esse adhuc dissimularet, decreuit eo tempore, quo fumus exhalabatur, imbecilliorem se Dęmonem abigere, & procul religare, ne vltra posset redire ad pios coniuges infestandos. An non id impetrauit Saræ oratio? An non ideò Raphaël missus à Deo est? An non hanc Dæmonis expulsionem Tobias Raphaëli adscribit, aiens cap. 12. vers. 3. *Et Dæmonium ab ea ipse compescuit*? Et sane causæ etiam morali effectum tribui, obuium est apud Theologos. Sic Sacramentis (quæ vim duntaxat habent moralem) gratia in Sacramento collata tribui solitat. Sic luto, quo cœci oculos Christus liniuit, reddita à scribitur salus. Sic æneo serpenti (quem in eremo Moyses erexit) etsi vi sua non compescuit virus è serpentium morsibus, accepta diuinitùs salus ritè tribuitur. Quis autem renuat fateri, nouæ legis Sacramenta extricare peccata, & gratiam largiri? Ecquis nõ dicat, *luto* restitutos fuisse oculos? Quis peregrinetur ab hac locutione: Serpens in eremo erectus, & ab Israëlitis conspectus, amuletum fuit, quod venena compescuit? Quis renuat fateri, quod Ecclesiæ exorcismi Dæmones è corporibus expellunt? Itaque etsi causæ principali præcipuè tribuatur effectus, id non vetat, quod dispositiuæ, partiali, & morali etiam, iuxta communem loquẽdi modum tribuatur. Vnde cùm Angelus dixit, *Fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum*, intelligi non debet, vt dicat: *Extricabit omne genus Dæmoniorum*: (nam vnum Asmodæum *extricauit*) sed vim habet ad extricandum omne genus Dæmoniorum. Siquidem Raphaël Dei iussu obarmatus, exprom ptus adeat ad quemcunque Dæmonem procul abigendum, Asmodæumque tandem abegit. Et sanè vix credi potest, vt eadem huius suffumigij naturalis virtus esset omnium Dæmonum, etiam indirectè expultrix, nam Diabolorum alij hominis tristitiam captant, vt ad desperationem inducant, alij hilaritudinem, vt in audaciores spes euanescant, alij libidinis calorem præstolẽtur, vt ad lasciuiæ furorem extimulẽt, alia eiusmodi munia obeunt alij. Quæ etsi vnus obiret, incredibile tamen esset, vt hic fumus tam dissimile temperamentum induceret, vt mitigare, nedum expellere Dæmonem adhuc indirectè valeret. Exinde hanc commentationem reliquis pręferendam censeo.

Vera sententia est, fumum vi duntaxat morali Dæmonem abegisse.

Suprà cap. 3. v. 24. & 25.

Ioan. 9. v. 6.
Num. 21. v. 9.

14. Rogabis eccur hunc è corde fumum, potiùs quàm rem aliam Deus, Angelusue selegerit ad extricandum Dæmonem? Respondeo, ob arcanam in re significata rationem. Nimirum quia intuitu precum Saræ, & Tobiæ Dæmon expulsus est; idoneè satis eligitur fumus cordis, quo denotetur oratio centies in Bibliis *fumi* nomine designata. Nec oratio quęuis, sed ex flagranti animo, & succenso corde nuncupata, quod bellè cordis fumo designatur. Sic Baptismus aqua constat ex mera Dei voluntate, quia animi ablutionem importat. Confirmatio peragitur oleo; quo olim inungebãtur athletæ. Eucharistia pane, & vino perficitur, (etsi cõgruè posset in aliis cibis institui; quia spiritualis refectio denotatur. Similem ad modum de reliquis Sacramentis Theologi philosophantur. Quæ doctrina de Sacramentis valdè est affinis ei, quam nunc de Dæmonis per fumũ expulsione versamus. Sic pro humana tenuitate reddi solet ratio, cur Deus hanc rem potiùs quã aliam ad pręstandos supernaturales effectus seligere maluit. Quod cùm à Dei voluntate dependeat, sat nobis est aliquam congruentiæ ratiunculam designare, quæ tametsi omnia non suppeteret, non nimis eã peruestigando fatigarer, quis enim nouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit; Consule Sanctium hìc mysticas causas latè assignantẽm.

Cur fumus cordis eligitur, potius quam res alia, ad Dæmonem extricandum.

15. Obiicis: non id rogabat Tobias, sed duntaxat sciscitatus est, quænam vis natiua visceribus huius inesset: ergo Angelus eum fefellit. Minime quidem, nam Angelus non tenebatur ad eius mentem respondere, verum respondit, viderit ipse Tobias qualiter Angeli verba intellexit. Imò Angelus (fortè hæc obseruatiuncula alicui arridebit tametsi mihi non arrideat) vniuersatim non respondit, eiusmodi fumum habere vim ad omnes Dæmones excantandos, sed aspectu duntaxat ad ipsum Tobiam, aiens: *Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat*, &c. Si id à Tobia præstetur, quid sit euenturum docet, tacet verò, si id præstetur ab alio. Cætera, quæ obiectari solent contra hanc doctrinam, leuia sunt, & quæ quiuis ex dictis extricare potest.

Satisfit obiectiunculæ, qua vera sententia claratur.

---

§. CCXXXIV.

Commentarius Litteralis.

Vers. 9. Et fel valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur.

Vers. 10. Et dixit ei Tobias: Vbi vis vt maneamus.

1. Docuerat Angelus suum alumnum, *cor*, & *iecur* extracti piscis valere ad abigẽdos Dęmonas, nunc docet fel idoneum esse oculis medendis collyrium. *In quibus fuerit albugo.* Est albugo (vt docet Vallesius de sacra Philosophia cap. 42.) cicatrix quædam in extrema oculorum membrana. Vel vt alij malunt, quædam macula quæ colore, & consistentia albumen oui in oculis referens, aut visum impedit, aut prorsùs aufert. Quod an præstare possit naturaliter, videbimus infrà ad cap. 11. vers. 14. & 15. Et tradit Plinius lib. 32. cap. 7. quorundam piscium fel cicatricibus medetur, & superuacuas absumit oculorum carnes. Hinc liquido constat, quam in ocu-

Vallesius.
Piscis fel naturali vi oculorum albugini medetur.

Plinius.

lis infirmitatem ſenior Tobias contraxerit ex hirundinum deciduis fæcibus. Cumque albugo non ſemper viſum auferat, dubitari poſſet, an obſcurata tantùm fuerit oculorum acies, an prorsùs omnimodà cæcitate impedita. Hoc poſterius videtur magis congruere his, quæ de ipſo narrantur in hoc Tobiæ libro, vt communiter tradunt interpretes.

Et dixit ei Tobias.] Tunc inquam, non poſt
Iuſtinian. multos dies, vt putat Iuſtinianus, quod notauimus ſuprà §. 350. num. 1. Nam in Græcis codicibus disertè habetur, quòd poſtquam piſcis viſcera in caſidili repoſuit, ambulauerunt ambo pariter, & cum appropinquarent Ecbatanis, quæ pro vrbe Rages ponitur, vt multis probauimus ſuprà ad cap. 3. §.... n....) tunc Tobiam interrogaſſe ad quem medicinæ vſum vtilia forent piſcis exta, & tunc cum appropinquarent ciuitati Rages; ſciſcitatum fuiſſe: *Vbi vis vt maneamus*; ſcilicet nocte
Arabs. illa. Quod Arabs expreſſit: *Vbi pernoctemus nos?*

Verſ. 11. Reſpondénſque Angelus, ait: Eſt hic Raguel nomine, vir propinquus de tribu tua, & hic habet filiam nomine Saram, ſed neque maſculum, neque fœminam vllam habet aliam præter eam.

Verſ. 12. Tibi debetur omnis ſubſtantia eius, & oportet eam te accipere coniugem.

Verſ. 13. Pete ergo eam à patre eius, & dabit tibi eam in vxorem.

2. Cùm appropinquarent vrbi Rages, interrogauerat Tobias, quonam in ea vrbe diuertendum illis foret, ſcilicet an in publicũ diuerſorium, an in aliquam ſuæ gentis priuatam domum. Quod etiã abſque hoſpitali teſſera accidere poſſet: Cùm enim Hebræi in vaſtis illis regionibus diſperſi eſſent, pergratum erat cuique ſuæ gentis, ſuæ præcipuè tribus aliquem hoſpitio excipere priuato, & cum illo perhumaniter agere. Forſan id non ſemel in longa illa via acciderat, alioqui Tobias non interrogaret, quò nam diuertendum foret, ſi ad commune ſemper hoſpitium diuertiſſent. Hæc

Incertum eſt, an hoſpitalem teſſeram Hebræi haberit.

Sanct. dixerim contra Sanctium ad hunc locum nu. 46. tametſi in Media olim cauponæ pro peregrinis extarent, quas aut raras, aut nullas eſſe ſupra obſeruauimus §... n. 3. Imò indè præſens locus explicatur. Nempe cùm acceſſiſſent iam duo illi peregrini ad Rages vrbem Medorum, compertumque eſſet, nulla proſtare publica hoſpitia, ſuum comitem viæ expertum, interrogat Tobias: vbinam pernoctandum illis foret: an in perampla vrbe diuerſoria proſtarent? an Iſraëlita, aliquis, aut contribulis? An alio in loco pernoctandum foret? Reſpondet Angelus, apud Raguelem contribulem & propinquum ſuum. Græci codices reſponſum Angeli ſcribũt, nullâ præmiſsâ Tobiæ interrogatione Hanc vrbem Rages, in qua habitabat Raguel, aliam eſſe ab ea, vbi Gabelus morabatur, ad quam fuerat deſtinata profectio, ſuprà monuimus in cap. 1. §. 1. num. 4. Addit Angelus habere filiam
Græcus. vnicam, omnis paternæ ſubſtãtiæ hæredem. Adiiciunt Græci codices, eſſe pulchram & prudentem, quod valde in vxoribus viri expetunt.

3. *Tibi debetur omnis ſubſtantia eius.*] Quod benè
Arabs. Græcus. interpretatur Arabs: *Omnia bona ſua dabit tibi*, cum Sara filia ſua, ſi eam ducas vxorem. Explicatiùs Græci codices: *Loquar de ea, vt ipſa detur tibi in vxorem, quoniam ad te pertinet hæreditas eius, & tu ſolus es de genere eius.* Scilicet quia Sara vnica erat ſuis parentibus, & Tobias ſolus erat de tribu eius, in illis regionibus apud quas iam diu diſperſi exulabant Hebræi; ideò affirmat Angelus, Saram Tobiæ deberi in coniugium tradi, iuxta legem à Deo latam Numer. 36. verſ. 8. *Cuncta fœmina de eadem tribu maritos accipient, vt hæreditas permaneat in familia.* Quæ verba ſic exſcribunt, & clarant LXX. interpretes *Et omnis filia hæreditate accipiens hæreditatem de tribu filiorum Iſrael, alicui de familia tribus patris ſui erit in vxorem, vt hæreditatem accipiant filij Iſrael, vnuſquiſque hæreditatem patrum eius.* Itaque vt multis nuper tradidimus in Matthæi cap. 1. non quæcumque fœmina Iſraëlitis tenebatur tribus ſuæ viro nubere; ſed quæ paternam caperet hæreditatem. Nam cùm diſtributore Ioſue, vnaquæque Iſraelis tribus propriam ſortem accepiſſet in Terra promiſſionis, ne alicuius tribus ſors deuolueretur ad tribum alienam, æquum fuit lege præcaueri, vt puella quæ defectu fratrum paternam acciperet hæreditatem, connubia contraheret cum viris ſuæ tribus, vt vnuſquiſque filiorum Iſraël, patrum ſuorum accipiat hæreditatem. Cúmque Tobias, & Sara eſſent eiuſdem tribus, & familiæ (quo autem conſanguinitatis gradu, infra dicetur ad cap. 7. verſ. 2.) ritè nequibat Raguel eam Tobiæ denegare, neque illũ hæreditate auita defraudare. Raguel autem matrimonio locauit filiam vnicam ſeptem illis viris, aut alienigenis, aut ex aliis tribubus; quia cum diſperſi eſſent in captiuitate, nequibat idoneum ſuæ tribus virum reperire, cui filiam daret. At eam petente Tobia, ex ſua tribu, & familia, nullo pacto à lege implenda poterat excuſari. Vnde ait Angelus: *Tibi debetur*, &c An verò fœmina hæres teneretur accipere virum non modo ſuæ tribus, ſed etiam familiæ ſuæ, trademus infrà ad cap. 7. Quod autem fœmina, quæ in paternam hæreditatem non ſuccedebat, poſſet viro alterius tribus matrimonio iungi, conſtat ex Michole Beniaminita, quam Iudæus Dauid in vxorem duxit, plura alia exempla vſque ad lectoris nauſeam, interpretes adaggerant. Et ſanè Iudicum vlt. reliquæ tribus ſe iuramento obſtrinxerunt de non tradendis filiis ſuis Beniaminitis: & Leuitis (quia hæreditatis ſortem non acceperant) liberum erat ex aliis tribubus vxores ducere. Hæc obuia ſunt, qui plura noſſe hac ſuper re malit, adeat interpretes præfati cap. 36. Numerorum, & Matthæi in cap. 1. commentatores.

Cur fœmina paterna ſubſtantia hæres, tenetur ſuæ tribus viro nubere.

Numer. 36.

Iudicum.

Verſ. 14. Tunc reſpondit Tobias, & dixit: Audio, quia tradita eſt ſeptem viris, & mortui ſunt: ſed & hoc audiui, quia Dæmonium occidit illos.

Verſ. 15. Timeo ergo, ne fortè, & mihi hæc eueniant, & cùm ſim vnicus parentibus meis, deponam ſenectutem illorum cum triſtitia ad inferos.

Nimis peruulgatum fuiſſe oportet, quod ſic fama percrebuit, vt illam in Niniue (quæ valde diſſita eſt ab vrbe Rages) Tobias audierit, neque ignorauerit quòd à Dæmone ſeptem illi Saræ ſucceſſiuè viri perempti fuerint cæde miſerabili 4.

Expedita

Græcus. Syrus. Serar. Rio. *Quo pacto Dæmon potuit Saram diligere.*

Expedita est huius versiculi sententia in Vulgato interprete; in Græcis codicibus paulò impeditior, quibus adsentit Syrus, qui sic exscribunt: *Dæmonium diligit eam, quod non noceat cuiquam, nisi accedentibus ad eam.* Non audeo hîc inserere superuacuam huic loco explicando eruditionem, de Dæmoniis succubis, & incubis de quo fusè, & eruditè hîc Serarius per plures quæstiunculas, Martinus del Rio lib. 2. Disq. Mag cap 15. & alij complures; sed quo modo Dæmon verè dici potest piam Saram diligere, quod planè difficile est. Nam vt vbertim in hoc loco disputat Serarius, non eam amabat dilectione supernaturali, quia Dæmon hostis Dei est, non amore libidinis, quia spiritualis Dæmon pruritu in fœminas caret: non amore liberali & gratuito, quia non bonum, sed malum illi concupiscebat iratus hominum hostis, non amore bonitatis naturæ humanæ, cui potiùs inuidebat, & quam impensè oderat, quia nouerat diuinæ Incarnationis merito sibi fore superiorem per gratiæ dona. Oderat etiam Saræ mores quia sanctissimi erant. Nam etsi virtus de se vel inimicorum conciliet amorem; tamen tanta est Dæmonis, tamque obstinata nequitia, vt nullo virtutis actu allici possit. Quemadmodum homo dū perturbato exagitatur animo, se ipsum, & suã vitam, alioqui nimis amabilem, odio habet, malletque non esse. Ergo si nihil est in Sara, quod Dæmonis amorem conciliet, quo pacto verè dici potest, quod *Dæmon diligit eam?*

5. *Tobias loquitur non ex propria, sed ex Vulgi sententia.* Serar. Iustinian.

Vulgatis est interpretatio, & quæ locum apertè extricat, id Tobiam dixisse non ex propria sententia, sed ex vulgi, quam audierat, fama. Quando autem scriptura refert vulgares rumusculos, indubium est eos crebris sermonibus iactari, maximè autem dubium, an veri sint, an omninò falsi: quod aliunde petendum est. Quin & addit ex Serario Iustinianus, quod tametsi ex propria sententia Tobias locutus sit: *Numquid necesse est Sanctorum virorum opiniones omnes veras esse? Neque Scriptura quid ea quidem in re veri esset, ostendit; sed quid ille putarit.* Hæc ex Serario Iustinianus. Super hac doctrina late agebam in opere, quod diu elaborabam, cui titulus: *Biblia abbreuiata*, vbi vbertim tradebamus, quid quod alij in Scripturis referunt, vel asserunt, vel prophetant, indubiam habeat fidem.

Quid si loqueretur ex propria sententia.

Nam licet fide certum sit, rem illam dictam fuisse ab eo homine, quem Scriptura id dixisse denarrat, tamen an dubiè vera illa sint, nō conuenit inter Catholicos Doctores, neque facile est definire ex quo capite id dignoscendum sit. Aliqua enim, quæ in Scripturis Sancti viri pronunciarunt, suspectæ sunt veritatis apud quosdam Auctores. Vt puta cùm Genes. 21. v. 15. dixit Abrahamus pueris; & quod Iacobus fratri Esaü, Gen. 33 v. 14 Et S. Stephanum Actor. 7. memoria lapsum, dixit Cano. Multæ etiam Dei promissiones, & Prophetarum prædictiones, etsi absolutis verbis recitentur, à pluribus conditionatæ putantur. Ast huius temporis inuidia mentem auertit ab hac lucubratione, quam Bibliorū, & Theologiæ studiosis non inutilem putabam. Forte is labor comptiori, & eruditiori calamo seruatur. Redeo ad rem.

Genes. Actor.

6. Iustinian. *Duo alij modi quibus dici potuit Sara à Dæmone diligi.*

Addit Iustinianus non absolute in hoc loco docuisse Tobiam, Saram à Dæmone dilectam, sed secundum quid nempe ab effectu, in eo scilicet quod esset eius pudicitiæ propugnator, eos perimendo, qui impuro exciti amore ad illam accedebant. Quod fortè ipse Tobias insinuat, aiens: *Dæmonium diligit eam, quod* (id est, quia) *non nocet cuiquam, nisi accedentibus ad eam.* Quod autem ab effectu nomen tribuatur affectui, qui nec extare potest, perspicuum in Bibliis est. Sic Deus dicitur pœnitere, irasci, &c quia eos præstat effectus, ac si pœniteret, aut irasceretur. Denique aliam superaddit rationem, cui maximè fiderem, si exploratum foret, quod ipse, & noster Eusebius docent, Dæmonem sub humana specie Saræ apparuisse. Scilicet Dæmonium dicitur amasse Saram, quia ad modum impurè amantium se erga eam ostendebat, curabatque lasciuis spectris purissimum eius animum contaminare, quin & se eius amore adeò captum blanditiis simulabat, vt viros eius, ac si sui forent riuales amoris, enecarit. Sicut enim Isaiæ 33. v. 7. de Angelis specie humana apparentibus ait: *Angeli pacis amare flebūt:* ita Angelus hic nequam ostentabat amatorias blanditias, ac si ardenti extimularetur amore libidinis. Quæuis ex hisce quatuor expositionibus difficultatem satis enodat præsentem, petitam ex Græco textu, non ex Vulgato interprete.

Eusebius. Isaiæ.

7. *Quid Inferorum nomine significetur.*

Ad inferos.] Græcè εἰς τ̃ ᾅδην in sepulcrum. An vero semper *inferorum* nomine debeat locus subterraneus intelligi in Bibliis, vbi vel torquentur damnati, vel sancti olim Patres adseruabantur, quousque Christus Deus cœlos reseraret, magnum frequenter negotium lacessit Scripturæ interpretibus hîc, opinor, superuacuum. Qua super re erudite Martinus del Rio in Sacris Adagiis n. 197. & commentatores in illud Genes. 37. v. 35. *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Sensus itaque huius versiculi est, quod hæret Tobias in petenda ad coniugium Sara, tum sua, tum parentum causa. Scilicet ne sibi, quod aliis septem viris contingat; & sic vnici filij immatura, & velut vltronea morte, mortem suis parentibus tot calamitatibus iactatis afferret, ita Sanctius & Mauden, etsi contra sentiant aliqui.

Rio. Sanct. Madden.

---

§. CCXXXV.

Commentarius litteralis.

Vers. 16. Tunc Angelus Raphaël dixit ei: Audi me, & ostendam tibi, qui sunt, quibus præualere potest Dæmonium.

Vers. 17. Hi namque qui coniugium ita suscipiunt vt Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus: habet Dæmonium potestatem super eos.

1. Retulerat Tobias, quod vulgi rumoribus increbuerat de septem Saræ viris occisis à riuali Dæmone, & castę pulchræque puellæ infesto amasio; ei autem veritatem Angelus edisserit.

S Hieron. *Audire pro attendere.*

Audi me,] id est, diligenter attende. Nam vt docet S. Hieronymus in Ioëlis cap. 1. *Auditus in Scripturis sacris non est iste, qui in auribus resonat, sed qui corde percipitur: iuxta illud, quod Dominus loquitur in Euangelio: Qui habet aures audiendi audiat.* *Praualere*, id est nocere, ac si potentia præualuisset. Alioqui Dæmon viribus præualet

prævalet præ hominibus, nullique parceret, si Deus illi omnibus nocere permitteret. Ait enim S. Augustinus lib. 2. de Ciuitate Dei cap. 23. *Tantum possunt dæmones, quantùm secreto Dei arbitrio permittuntur.* August.

2. *Qui coniugium ita suscipiunt*, &c.] His verbis veram Angelus rationem reddit, cur septem illi Saræ viri, permittente Deo, perempti sint. Nimirùm quia neglecto matrimonij primario fine, propagandæ prolis; aut secundario, vitiatæ naturæ sedandi libidinis pruritum, salacissimè insanierunt ad venustissimæ puellæ lasciuos amplexus. *Deum à se, & à sua mente excludant*, non physicè; Deus enim vbique est per immensitatem, sed ethicè. Nec putauerim nouos Saræ maritos grauiter deliquisse accedere conantes ad venustissimam coniugem, allecti duntaxat eximiâ puellæ pulchritudine, & Veneris illecebris extimulatis; sic enim vulgò mariti accedere solent ad vxores, persæpe immemores futuræ prolis, aut aliùs honesti finis; contenti ad suam accessisse, etsi mero libidinis incentiuo instigati. Vnde facile non est expedire, quo sensu dixerit Angelus, quod qui matrimonia ineunt, & ad vxores accedunt suas, veneris tantùm illecebris exciti, *Deum à se, & à sua mente excludant*; cùm peccatum duntaxat graue, à Deo hominem moraliter auertat, ipsumque ab animo excludat. Verùm enimverò cùm eiusmodi salacissimus, & intemperans Veneris pruritus, honestum matrimonij finem à Deo institutum negligat, actioneque inhonestâ non Dei voluntatem, sed propriam potiùs voluptatem spectet, ideò dicitur *Deum à se*, id est, *à sua mente* quandantenus *excludere*; quatenùs eiusmodi inhonesta operatione Deum velut excludit, hoc est, non admittit, nec tanquam finem suarum actionum spectat. Itaque τὸ &, non est copulatiuum, sed exegeticum, & exponens quo modo eiusmodi impudici homines Deum à se velut excludant, id est non admittant, vel tanquam finem spectent, vt spectare debuissent, quò ritè ad nuptias accederent, & negotium sancti matrimonij subirent. Hæc commentatio loci difficilis, & à commentatoribus prope omissi, menti occurrit; quæ si non inidonea aliis videbitur, libenter amplectar, interim proposuisse sufficiat. Nec mirum eruditis videbitur, ob non lethale delictum, lethale vel grauissimum à Deo infligi supplicium. Sic Moyses ob leuem diffidentiam acerbè castigatus est; sic Oza, sic Dauid in populi recensione, sic etiam fortè noui Aroniani Sacerdotes, ob non ritè auspicatas diuini cultus Mosaïcas ceremonias; sic etiam septem Saræ noui coniuges, ob insanum Veneris pruritum, quo prima nuptiarum certamina aggredi moliebantur, præsertim cùm Sara esset à Deo Tobiæ destinata, vt habetur infrà cap. 7. vers. 12.

Quare non lethalis libido maritorum Saræ, Deum ab eorum mente exclusisse dicitur.

Ob leue delictum aliquando graue supplicium infligit Deus.

3. Ecce vera hîc ab Angelo redditur causa, quare septem illi Saræ mariti, ab Asmodæo occisi sint. Ex quo constat, non benè quosdam apud Lyranum censuisse, ideò atrociter interfectos, quòd idololatræ essent; aut ex alia tribu à Nephthalitica, vt tradit Carthusianus. Sic enim non minori in culpa forent Raguel, & Sara, quia in eiusmodi connubia contra Dei legem consensissent; imò & multò grauius inde peccassent, ideoque nō minùs plecti debuissent. De quo Serarius hîc quæst. 12. Et quidem verosimile est, aut idololatras fuisse Medos, aut saltem ex aliena tribu, aut familia. Quod palam manifestasse videtur Raguel: nam cùm c. 7. vers. 14. à contribuli Tobia expeteretur ad coniugium, respondit: *Et credo quoniam ideo fecit vos venire ad me, vt ista coniungerentur cognationi suæ secundùm legem Moysi.* Numer. 36. v. 6. Neque certum esse putauerim, scelestum esse, Israëlitas per vastissimam dispersos regionem, si connubia inirent cum alienigenis, vbi non aderant contribules, quod fecere filij Noëmi in terra Moab, Ruth. 1. vers. 4. Ruth. Quin & Mosaïcæ legis spectatus finis de permixtione hæreditatum in terra promissionis magna ex parte cessasse videtur, de quo rursùs sermo ad cap. 7. §. 394.

Lyran. *Causa ob quā occisi sunt Saræ olim mariti.* Carthusian. Serar. Tobias.

4. *Sicut equus, & mulus*] Hi viri salacissimi idoneè comparantur *equo*; quia apud Ægyptios hoc animal lasciuos adumbrat, teste Pierio lib. 4. Hierogl. de quo hæc habet Aristoteles lib. de Hist. animal. c. 22. Equus *est animal salacissimum omnium fœminarum, tum marium.* Et Ieremias c. 5. vers. 8. equum esse luxuriosi symbolum tradit his verbis: *Filij tui (Ierusalem) dereliquerunt me... in domo meretricis luxuriabantur; equi amatores, & emissarij facti sunt.* Mulus autem stolidum est animal, & valdè intemperans, à Græcis appellatum ἡμίονος id est, *semiasinus*, quia ex asino, & equa, aut ex equo & asina procreatur. Benè ergo animal fatuum, lasciuum, & sterile, opportunum est eorum symbolum, qui cæco libidinis impetu, absque adspectu ad suscipiendam prolem ad fœminas hinniunt. Nomine *muli*, Onagrum, id est, asinum syluestrem interpretatur Sanctius; nescio an satis ad litteram, cum *multum* dicat sacer Textus, non asinum, aut onagrum. *Quibus non est intellectus.* Non quod reliquæ mutæ animantes habeant intellectum; sed quia nonnullæ insignem aliquam sagacitatem habent, qua ingenium æmulentur. Sic *sensuum ingenia* apud Tertullianum legimus in lib. de Anima. Quibus videntur prædicti canes, simiæ, elephantes, & gallus, cui datam intelligentiam testatur Iob. 38. vers. 36. ob naturalem instinctum, quo certis horis edit ille cantum suum. Equus autem, & mulus, animalia sunt in paucis stolida.

Equi, & muli salacissimi sunt. Pierius. Aristoteles. Ierem. Sanct. *Cur equus, & mulus dicantur intellectu carere.* Tertullian. Iob.

Docet Angelus luxuriosis Dæmones prævalere, quod multis exemplis comprobant P. Serarius q. 10. & P. Martinus del Rio Disq. Magic. lib. 3. p. 1. q. 7. sect. 1. & Iustinianus ad hunc versiculum. Cur autem non prævaleat in lasciuos omnes, & in quos alios Dæmon prævaleat, longum foret recensere. Adi hîc Serarium q. 18. & quæst. 20. Serar. Iustinian.

Vers. 18. Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud, nisi orationibus vacabis cum ea.

Vers. 19. Ipsa autem nocte, incenso iecore piscis, fugabitur Dæmonium.

5. Explicauerat Angelus causā interfectionis septem virorum Saræ, vt eam fugiens, deuitet etiam infesti Dæmonis hostilitatem. *Tu autem*, qui patriarchalibus institutis pie eruditus, belluinos respuis mores, *Cùm acceperis eam*, (Addunt Græci codices: *Quoniam nocte hac dabitur tibi hæc ipsa in vxorem*,) ingressus nuptialem thalamum, *Per tres dies continens esto ab ea.* Arabs rem tradit explicatiùs: *Ingressus ad eam, ne cognoscas eam vsque ad tertiam diem: & ne occupaueris propter eam alia in re, nisi in oratione.* Scilicet monet Angelus, vt tot triduo, ex quo maior ex coniu Græcus. Arabs.

coniugali vsu voluptas capitur, se abstineant à concesso sibi concubitu; illudque non præmissis deliciis, sed Deo orationi impendant. Quod autem addit: *Et nihil aliud, nisi orationis vacabis cum ea*, facilem & lenem habet sensum, sed diriusculam syntaxim. Quid summi Pontifices, & sacri Canones iubeant, vel potiùs hortentur, de continentia coniugum, in primis nuptarum auspiciis, tradit hîc Iustinianus numer. 2. Cum dicit: *Nihil aliud*, non præcipit, quòd toto illo triduo nec cibum, nec somnos capiant, (reperit enim eos ancilla, *secum pariter dormientes*, infrà c. 8. v. 15.) sed quod frequentes & diuturnas ad Deum preces fundant, vt Cacodæmonis infestationem auertant.

Iustinian. Cum aliquid frequenter fit, nil aliud fieri dicitur.

Tobias.

6. Præter assiduam nouorum coniugum orationem vt *iecur* piscis in cubili succendant, Angelus adhortatur. Quam vim habeat eiusmodi suffitus, multis suprà tradidimus ad vers. 8. §. Porrò fumus symbolum erat orationis, quæ de incenso corde exhalata; facilè, quod rogat, impetrat. Sed aduerte, quod vers. illo 8. *cor* dicitur habere hanc medicam vim; in hoc vers. 19. *iecur* accendit iubet. At in Græco texto *cor*, & *iecur* scribitur; & in hoc loco additur, quod in præcedenti fuerat omissum. Quod frequens est in Scripturis, vt videret licet in libris Paralipomenon.

Græcus.

Vers. 20. Secunda verò nocte in copulatione sanctorum Patriarcharum admitteris.

Vers. 21. Tertia autem nocte benedictionem consequeris, vt filij ex vobis procreentur incolumes.

Admitteris.] Non tantum mereberis admitti, vt non benè censuit Iustinianus; sed orationis merito à Deo impetrabis, vt admittaris. Sed quid est, quod secunda nocte impetrabit, vt *in copulatione sanctorum patriarcharum admittatur?* Arabs, sic exscribit. *Copulaberis cũ vxore tua, vti patres sancti.* Quasi dicat: Prima nocte excantationem Dæmonis precibus impetrabis, secunda verò nocte assequeris, vt in societatem & numerum sanctorũ patriarcharum adscribaris, qui non prius ad vxorium thalamum accessere, quam preces ad Deum largas funderent. Consueuerunt enim Patriarchæ, vt S. Augustinus docet lib. 22. contra Faustum, c. 50. non nisi post dies aliquot à celebratis nuptiis, vxorum cognitionem differre. Hunc Patriarcharum pium morem probāt Sanctius & Iustinianus, exemplo Iacobi, Gen. 29. Sed neutra sententia mihi probatur & vtramque inibi olim oppugnabam. Exemplum Loti, Genes. 19. verosimiliùs rem probat, sed adhuc sub iudicelis est. Probabilem sectatur opinionem Sanctius. Quod si id in filiarũ nuptiis Lotus præstitit, crediderim piam illam consuetudinem à patruo hausisse Abrahamo, nec ab Isaaco, & Iacobo neglectam.

Iustinian.

Arabs.

In Patriarcharum numerum Tobias adscribitur.

August.

Sanct. Iustinian. Genes.

Patriarchæ post aliquot à nuptiis dies, vxores cognoscebant.

7. *Benedictionem consequeris.*] Arabs: *Tertia autem nocte suscipies benedictionem in filiis*, hoc est, gratiam fœcunditatis. Quanti fecerit Hebræa gens hoc fœcunditatis donum, obuium est, & nemini non notum; adeo vt mulier sterilis maledicta censeretur. Quare magni etiam æstimaretur apud Gentes reliquas, scribit Plato de legibus Dial. 4. *Genus*, ait, *hominum immortale, hoc modo in sempiternum perdurat, quod filiorum filios relinquendo, tunc & idem semper per generationem immortalitatem adipiscatur.* In filiis. Non esset necessarium aduertere, filiorum nomine filias etiã intelligi, & totam posteritatis turbam; nisi id negasset Carthusianus.

Arabs. Fœcunditas magni olim est habita. Plato.

Carthus.

Vers. 22. Transacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus; vt in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.

Duplex expositio affertur ab interpretibus, horum verborũ: *Vt in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.* Altera, vt dicat Angelus: Si eũ, quem dixi, animum ad nuptias afferas, & quem adduxere sancti Patriarchæ; habebis benedictionem semini Abrahæ concessam, quando Genes. 15. vers. 5. dictum illi fuit: *Suspice cœlum, & numera stellas, si potes, sic erit semen tuum.* Vel sic accipe præfatam sententiam: *Vt in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.* Videlicet eo, quo prædixi animo matrimonium tibi ineundum est, vt inter filios Abrahæ sis fœcundissimus. Valet enim hîc vocula *in* idem ac *inter*, & *semen* idem ac *filij*. Hoc indubium est, illud apud sacros, & profanos scriptores peruulgatum. Sic filij Israël dicuntur *in* Gentibus dispersi, hoc est, *inter* gentes. Et apud latinissimos tritum est, quod *in* primis doctus, idẽ valet ac *inter* primos, vt peritè obseruauit Sanctius. Hanc fœcunditatis benedictionem assecutus est Tobias, vt cap. vlt. traditur. Addit Hebræus textus: *Factum est, cum audisset Tobias omnia verba ista, colligata est anima Saræ. Ingressique Ecbatanas in domum Raguelis, inuenerunt eum iuxta portam domus eius, & cum salutassent eum pacifice, ille pacifice respondit eis.* Græci codices: *Et vt audiuit Tobias hæc, dilexit eam, & anima ipsius adhæsit valde ei.*

8. Duplex huius sententiæ interpretatio.

Genes.

Sanctius.

Hebræus.

Græcus.

---

§. CCXXXV.

Qui quantumvis leuia peccata committere ex proposito negligit, blasphemiæ reus est.

1. Magna pars est profectus, velle proficere. Velimus saltem vltra proficiendo progredi, etsi in via imbecillè impingamus & pigre residamus, & sceleftè retrocedamus. Hoc interest inter consummatæ virtutis virum, & alium qui procedit infirmæ voluptatis gressibus; quo inter sanum, & ex morbo graui & diuturno emergentem, cui sanitatis loco est, leuior accessio. Hic nisi diligenter attendit, subinde grauatur, & in eadem reuoluitur, sed protinus sanitatis desiderio, & nocitura submonet, & salutaria euocat, etsi cognatam imbecillitatem persæpe relabatur, nunquam tamen cum morbo sic paciscitur, vt perpetuas cum eo velit amicitias agere. Intemperantia ægritudines accersit, sed eas saltem voto arcet, adsurgere incipit, nouo post casum semper conatu, etsi languido, & repetitum lapsum ob imbecillitatem, malè ominante. Molestum est, fateor, semper vitam denuò inchoare, aut (si hoc modo magis sensus potest exprimi) malè viuunt qui semper viuere incipiũt. Quidam viuere tunc incipiunt,

Tentamus nõ velle errata quamuis leuia corrigere, & profectum facere.

incipiunt, cùm desinendum est. Si hoc iudicas mirum, adiiciam quod magis admireris: Quidam ante viuere desierunt, quàm inciperent; quia semper desierūt velle, aut incipere, aut proficere. Ergo tametsi voluptatis præstigio, aut langoris infirmitate, aut ignorantiæ ambiguitate, passim offendas, nunquam tamen tibi desit, velle non offendere; & quamuis irrito conatu sæpe ad surgendum adnitere, nam si non velis quandiu potes, fortè cùm optasses velle, velle non dabitur. O time, non velle vel leuia errata corrigere? Hominis est, cadere, nolle autem resurgere, Dæmonis elogium est, & obstinationis indicium.

2. Act. 9. v. 4. & 5. Actorum 9. Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in Discipulos Domini, Pontificis Iudæi diplomatis armatus, Damascum pergit Et dum iter faceret, contigit vt appropinquaret Damasco, & subitò circumfulsit eum lux de cœlo. *Et cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris? Qui dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego sum IESVS, quem tu persequeris.* Hinc profectò perspicuè constat, quòd verè circumfusa erat illi claritas, non infusa. Audiebat Paulus vocem Domini, sed faciem Domini non videbat, quoniam erudiebatur ad fidem, & vt ipse posteà docuit, fides ex auditu est. *Quis es?* inquit. Ignotum enim persequebatur, & ideò consecutus est misericordiam, quia ignorans in incredulitate hoc fecit. Discite ex hoc fratres (ait S. Bernardus) iustum iudicem Deum, nō modò quid fiat, sed quo modo fiat, considerare: *Et cauete deinceps ne quis parua reputet, quamlibet parua scienter delinquere conuincatur.* (Subdito erudito adeóquè ac melleo ore Bernardus, ad rem tempestiuus.) *Nemo dicat in corde suo leuia sunt ista, non curo corrigere, non est magnum si in his maneam venialibus minimisque peccatis, hæc est enim blasphemia in Spiritum Sanctum, blasphemia irremissibilis. Paulus quidem blasphemus fuit, sed non in Spiritum-sanctum, quia ignorans fecit in incredulitate. Non in Spiritum-sanctum blansphemans, ideò consecutus est misericordiam. Quis es Domine?* &c. Mirissimum sanè est, & diligenti examine dignissimum quod magnus hic Ecclesiæ doctor, & perfectionis Magister edocet, nempe qui dicit in corde suo: *Non est magnum si in his maneam venialibus, minimisque peccatis, leuia sunt ista, non curo corrigere*; idcircò *Blasphemiæ* damnetur. *Nam blasphemia* (vt docet Sanct. Thomas, Theologiæ sidus, & sapientiæ meta) *est contumeliam, vel aliquod conuicium inferre in iniuriam Creatoris.* Quomodo igitur qui in re virtutis oscitanter ignauus, seriò statuit in corde suo, non curare de venialibus minimisque peccatis; contumeliosus est in Creatorem aut conuicium infert contra Spiritum-Sanctum? Non qui repetito sæpiùs lapsu ex infirmitate grauiùs delinquit; sed qui in leuibus delictis permanere negligit, blasphemiæ damnatur? Quænam est hæc abstrusa in Creatorem contumelia, & cōuicium contra Spiritum-sanctum? An qui corde suo dicit, volo manere in venialibus delictis, *blasphemat* in Spiritum-Sanctum, quia eius dona aduertenter reiicit, & contemptim tractat? an quia ex consulto animi proposito eius diuiniorem gratiam nihili pendit, contumeliosè proculcat, & obstinatè refutat? An quia Patris & Filij infinitum amorem, beneuolentia in homines immeratè exundantem, velut effosâ largitate beneficiū quodammodo sistit, & quasi beneficiorum auarum denotat? an quia non ex imbecillitate aut ignorātia, sed ex consilij deliberatione parui pendet, eius Deitatem iteratis perpetim noxis impudenter offensare? Tu alias causas obstetricante ingenij sagacitate, ex his fœcundis Bernardi verbis, in lucem edito. Illud tamen quacumque ex causa magni momenti esse debet, ad detestandas noxas veniales, quod qui *dicit in corde suo leuia sunt ista, nō curo corrigere, non est magnum si in his maneam venialibus minimisque peccatis, hæc est blasphemia in Spiritum-sanctum, blasphemia irremissibilis.* O nemo se sistat in virtutis via! nam fortè idcircò Tobias ausus sequi Angelum, vbi typicè *mansit prima mansione, ecce piscis immanis exiuit ad deuorandu eius,* Hic v. 2.

Qui ex proposito venialia committere negligit, contra Spiritum-sanctum blasphemat.

S. Bern. Ser. 1. in conuers. S. Paul.

S Thom. 2. 2. q. 13. art.

3. 1 Cor. 10. v. 12. & 13. S. Ansel. ibi.

1. Corinth. 10. ita ad eos scribit Paulus, quò omnes erudiat: *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat nisi humana: fidelis autem est Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum vt possitis sustinere.* Sanct. Anselmus pro illis verbis, *Qui se existimat stare, videat ne cadat*, moralissimè exscribit, & exponit: *Stans videat ne cadat.* Sic bona conscientia ad futuram innocentiam facit, vt idem propè reputetur, *stans*, & *qui se existimat stare*? Sic conscientia peccati ad peccandum pertrahit; Sic bona conscientia clypeat ad non peccandum. Sat esto, hæc ad alia themata præstrictim adnotasse. Et ad rem præsentem disquirere lubet, quæ sit hæc *tentatio humana*, qua apprehendi, aut occupari homines dicuntur? Mitto plura, vt citiùs exscribam pulchram eiusdem Anselmi commentationem, qui ita sic inibi fatur: *Stans videat ne cadat. Non quod penitùs sine casu perseuerare possit. Sed hoc saltem videte, vt Tentatio, idest, peccati delectatio, vos non apprehendat, idest, rationem vestram in consensum non trahat, Nisi humana, idest, nisi de his leuibus peccatis, sine quibus humana vita non potest duci, vel non dæmoniaca, sed humana tentatio vos apprehendat.* Et post pauca. *Dæmonis est enim scienter, & voluntariè peccare, cùm nulla ad hoc fragilitate trahatur: hominis autem est per ignorantiam, vel infirmitatem peccare.* Videlicet humanum est, vt quis voluptatis præstigiis allectus, & concupiscentiæ blanditiis titillatus, & obscuratæ rationis nubecula delusus, tandem infirmitate nutans, in peccatum corruat. Ast diligenter cauere, *vt tentatio rationem vestram in consensum non trahat. Dæmonis est enim scienter, & voluntariè peccare.* Porrò cùm quis humana imbecillitate, aut ignorantia deliquit, non est valde difficile delictum per pœnitentiam retractare: at cùm Tentatio *rationem* in consensum trahit, & scienter, & voluntariè delinquitur, hoc, non tam humanum, quam dœmoniacum est, & blasphemiæ affine. Esto, humana infirmitas delictis obtemperet, sed *ratio* principatum suum seruet. Si ratio delictis ancillatur, & scienter, & voluntariè, & ex consulto diu proposito delinquitur, humana iam malitia diabolicam æmulatur. Hæc persuasio dœmoniacam sapit nequitiam, & gehennalem subolet pœnam de sceleris confinio. O fugæ has infernales pyræ minas de scienter consulta malitia scintillantes, & quæ gehennæ flammas dissimulanter reuerberant! ô te puta semiustulatum æternaturo igne, *Non dæmoniaca, sed humana tentatio vos apprehendat.* O salutare ad feriendam nostrā desidiam, telum, de Pauli pharetra exprompiū!

Idem ne est stans, & qui se existimat stare?

S. Anselm. supra. Non ratio sed imbecillitas, in peccati cōsensum trahatur. Qui secus facit, dæmoniacè delinquit.

S. Isidorus

4. S. Isidorus Pelusiota ita scribit Florentio, qui religiosam vitam professus, non erubescebat degenere pertinaciâ inidoneos arctiori instituto mores alere: *Athenas*, inquit, *non rectè miraris, & Porticum, & inambulationem, atque Atticam pompam, in quibus ob nugarum studium, olim assiduus eras; tu inquam, tu ues terrenas contempsisti, ac nihil eorum, quæ hic sunt, amare iussus es.* (Pergit ad rem Isidorus) *Qui vilem tuam vestem, ac philosophiam in solo habitu sitam conspiciunt: mentis autem peruersitatem ac lingua arrogantiam; aduersus diuinissimam religionem impias & contumeliosas voces iactant.* Ecce tibi, quia Florentius religiosam vitam profitebatur, & quâdam peritiæ elatione, litterariam academiæ pompam venditabat, mente & linguâ professioni suæ pertinaciter inidoneus; sic acerbè Isidoro increpatur, vt dicat, his minimè grauibus in viro religioso noxis, quas ipse velut leues negligebat, ita spectatores offendi, vt *aduersus diuinissimam* Christi Dei *religionem impias & contumeliosas voces iactarint*: quasi perfectius in Christianismo institutum, hos religiosorum defectus negligat. Quod aliorsùm de Gentilibus dixerat Tertullianus: *Suggillatio est in cælo iustitia vestra.* (De quo aliàs vbertim) Graue quidem malum, in viro religioso leues etiam noxas ex proposito contemni! Num blasphemiæ reus quodammodo est, an blasphemiæ reatum spectatoribus afflat? Leuibus culpis deturpatur perfectioris vitæ professio? *Suggillatio erit in cælo iustitia nostra.*

Isid. Pelus. lib. 1. epist. 227.

Non grauia etiam delicta, contumeliosa sunt aduersus religionem.

Tertull. in Apolog. c. 11.

§. CCXXXVIII.

Ad rem magnam dici, & haberi necessarium, humanæ arrogantiæ fastus est.

1. *Arcum intensio frangit, animum remissio.* An aliquid sic fatigare animum æstimas, quàm iners otium? Sed tibi viue, (qui tibi moriturus es) & satis occupatus eris. Valde negotiosum est sibi viuere. Sed dissimulata ambitio istis pessimis occupationibus nos ingerit, publici boni obtentu. Si definis honores ambire, publicis negotiis te immergere desines. Ingratum est à re publicâ otium, non quia est aliis inutile, sed quia non est ambitiosum tibi. Rogari cupis, suffragio tuo alios indigere expetis: eo in loco haberi ambis, vt res magnas gerere idoneus habearis, vt prudentia tua videatur reipublicæ necessaria, vt multorum oculi & spes abs te dependeant. Profectò nil tam indecorum putat humana ambitio, quàm inutilem & superuacuum censeri, & nulli rei putari necessarium, quasi aliena mei indigentia, foret mihi viuendi gratia, & vitæ splendor. Hinc otium, quod nulla aliorum necessitas inquietat, mors quibusdam est, & hominis viui sepultura. Hi profectò de ambitione viuunt, qui viuas exequias otio suo celebrari putant. O inanissimas superbiæ nugas, quæ mentitâ ambitione cælum inquietant, dum vel falsatâ necessitate astra ipsa tranquillant!

Seneca ex Publ. Mim.

Magni æstimant homines, aliorum ope indigere, ne quasi inutiles, & superuacui habeantur.

2. Iosue 10. magnus hic Israëlitici populi ductor, strenuè irruit in densas Amorrhæorum phalangas: quæ primo impetu malè concisæ, præsidium in fugâ quærunt: passim corruunt, prosternuntur, trucidantur. Sed è numeroso Amorrhæorum exercitu adhuc multi superstites elabi tentant, & in notas montium latebras diffugere moliuntur; cùm Sol vel Israëlitarum victoriæ inuidus, vel Amorrhæorum stragem miseratus, ad occasum ocyùs properat, vt succedaneæ tenebræ victis auxilientur, victores sistant. (Heu, inuidia, pietatis prætextu, vel cælos pulsat!) Strenuum Ducem hæ auxiliares noctis insidiæ minimè latuerunt, & ne instantium tenebrarum ope vllus hostium euaderet superstes; terris eousque imperitare adsuetus, cælis audet imperare, hac imperiali voce, vltra humanum fastum audaci: *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. Steteruntque Sol & Luna, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis.* Bene est, sistatur occiduus Sol, ne in occasum maturè præcipitans, obscura nox tenebrarum beneficio locum fugæ fugientibus præbeat Amorrhæis. Sed quid necesse fuit, Lunam pariter sisti, adipiscendæ victoriæ superuacuam. Quid conferat maligna Lunæ lux, vbi totâ lampade Sol affulget? Ergo suo cursui permittatur Luna, sicut reliqua stellarum cohors, quasi inutilis ad victoriam. Quorsùm superuacaneè Iosue Lunam aduocat? Verùm diligenter attende, quòd Sol, vt longiorem faceret diem, vsurpare debuit necessariò noctis spatium ad quod vltrà extenderetur, & (vt sic loquar) Lunæ etiam territorio præsideret. Constituit enim Deus Solem *in potestatem diei, & Lunam in potestatem noctis*: Solem elegit vt *præesset diei*, & Lunam vt *præesset nocti*. At res iurisdictionis nimis est sensilis & delicata in Præfectis, qui ægrè admodum ferunt, suam iurisdictionem ab alio Præfecto quadantenùs vsurpari; & inde validè ad resistendum armantur. Expende iam argutam strenui Ducis solertiam. Nullatenus Iosue Lunæ ope indiget ad victoriam; at quia Solem *Diei præsidem*, inducit in noctis spatium, & Lunæ territorium; vt Luna vltrò cedat iurisdictioni suæ, & in suâ ditione Solem præsidere patiatur, illam aduocat, & cum Sole sisti rogat, ac si foret *pro integrâ victoriâ* æquè necessaria, vt subtilis adnotat Caietanus. O solertissimam magni Ducis peritiam! Scilicet nouerat Iosue quàm acerbè ferant Præfecti, vt alius se in suam ditionem insinuet; ergò vt pacatè id ferat Luna, & vltrò iuri suo cedens, Solem admittat in noctis spatium; de sui necessitate *pro integra victoria* adulatur; vt ita vsurpatæ iurisdictionis iniuriam compenset. Sic magni æstimatur, se haberi, & aduocari quasi necessarium ad aliquod opus magnũ, vt vel mentito necessitatis nomine, vsurpatę iurisdictionis compensetur probrum. Quid exaggeratiùs dici, excogitarive potuit? Sciunt iudices, quàm sit res iurisdictionis delicatè sensilis, & iniuriæ impatibilis. O quot tragœdias excitat vel inuasæ iurisdictionis leuicula suspicio! Sed ad quidpiam magnum dici, haberique necessarium, humanæ ambitionis sinum pleniùs occupat.

Cedet Præfectus vsurpata ab alio iurisdictioni sua, dum publicetur, se esse ad rem magnam in primis necessarium.

Iosue 10. v. 12. & 13.

Psalm. 135. v. 8.
Gen. 1. v. 16.

Caietanus ibidem.

Matthæi 4. dicitur Iesus à Spiritu in desertum, vt tentaretur à Diabolo. Impransus, & incœnatus, totos quadraginta dies in eremi stadio perstitit. Tunc eum, opportunam nactus famis occasionem, Tentator inuadit. *Et accedens Tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Hæ-ne validæ versuti tentatoris machinæ, quæ hominem Deum subruant? hæ-ne callidæ vaferrimi Satanæ argutiæ, quæ corporatam Dei sapientiam decipiant? Quisquis esurien- 3.

Matth. 4. vers. 3.
Lucæ 4. v. 3.

ti lapides offert, planè stultescere videtur, & ridiculariè nugari. Imò quid, si expleto ieiunij curriculo, Christus omnipotenti verbo rudes lapides in delicatos panes conuertisset, vt inde famem saturaret? An non, vt alia exinceps patrauit miracula, hoc nunc etiam perpetrare potuisset? & qui posteà lautè de cælo pransus est, cur non potuit lapideos panes prægustare? Num qui aliàs annuit Dæmoni postulanti, cum immundis suibus demersionem in mare, potuit etiam conuersioni lapidum in panes adnuere? O fatuus Dæmon! cupit tentare, sed nescit. Non parum laborant interpretes, vt absconsam vim huius tentamenti timeantur, quorum commentationes mitti iuuat, ne longum faciam. Et sanè superbissimus Dæmon, vel in hâc tentatione mihi superbiæ suspectus est. Scilicet videt Christum in vastâ & inhabitatâ eremo valdè esurientem, dapes famelico non suppetunt in deserto; astutè ergo satagit panes offerendo, vt palam prodatur, & latè publicetur, vel Christum Deum eius ope indiguisse, & ipsum, ipsiusque industriam fuisse in eremo necessariam, vt homo Deus sustentaretur: quò magnum nomen apud homines captare præsumebat. Quid enim tam ambitiosè sublime, quàm eius ope, & industriâ Deum ipsum aliquãdo egere? Quo nomine & ipse Dæmon nimis sublimatur, & quodammodo Christus Deus illi subiici videtur. Fallor, nisi ethicam hanc mentem huius loci, Tertullianus breui sermone nimis profundè compendiauit. Attentiùs enim cernens Diabolum famescenti Christo, quasi suæ opis indigo, cibos offerentem, sic de Christo loqui ausus est: *Sub Diabolo esurit.* Quid succinctius? Sed quid sublimius? Esurit-ne Christus *sub Diabolo*, cùm Diaboli ope, seu industriâ quodammodo videtur indigere? Vocula *sub* plura videtur significare, quàm dicere. O audacissimam Diaboli superbiam, & Christi repulsâ dignissimam! Non valdè refert, quod Christus hoc miraculum aliis addidisset: sed multùm interest, ne, *Christus sub Diabolo esuriat*, & eius industriæ indigus reputetur. O, de aliena nostri necessitate, nostram famam & industriam altè struere, ambitionis negotium est; & superbiæ otium! Vix tibi vni sufficis, & aliis te videri necessarium exambis? Hinc Tobias cùm se indigum videt comitis operarij industriæ; etsi eousque *fratrem* appellarat, *Domini* vocabulo notanter honorat, quod videtur excedere fortunam mercenarij: *Domine inuadit me*: extruens operario de suâ necessitate, gloriosum *Domini* vocabulum.

Marci 5. v. 12. — *Arroganter exambit Diabolus, vt eius industriâ Christus indigeat.* — *Tertullian. aduersùs Hermog. cap. 8.* — *Hic v. 3.*

4. Matthæi 26. Christus Deus passioni proximus, cœpit contristari, & mœstus esse; & discipulis suis stipatus vadit in Gethsemani assumptisque Petro, & duobus filiis Zebedæi, factus in agoniâ prolixius orabat. Ex internallo autem Discipulos reuisens, eos semel & iterum dormientes inuenit. Cùm autem hostilis iam cohors Iudâ duce appropinquaret, tertiò ad eos venit, & inueniens altè stertentes, dixit illis: *Dormite iam, & requiescite: ecce appropinquauit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatoris. Surgite, eamus.* Et sanè præterquam quòd non valde videtur cohærere vtraque sententia: *Dormite iam & requiescite, & Surgite, eamus*, (nisi fortè *surgentes* & *euntes* dormituri essent, & potituri *quiete*, vt alibi ex Augustino adnotabamus) non est intellectu facile, quare Christus hortatur Discipulos vt dormiant & quiescant, quantò magis adesse oportebat inuadendo Magistro. Sapienter Chrysostomus causam reddit, quare tunc Magister somnum & requiem Discipulis indulserit: *Dormite iam & requiescite, &c. Et quidem tunc vigilare oportebat. Sed hoc dixit vt ostenderet, quoniam eorum non indiget auxilio.* Scilicet eos nuper gladiis armauerat, eos velut in satellitium assumpserat: dormientes excitauerat, & vt attentiùs vigilarent seriò iusserat. Sed procùl Satanæ fastus, & arrogantior mentis elatio, quasi Christus *indigeat eorum auxilio.* Exinde cùm iam appropinquat hostilis cohors, & periculi occurrit occasio, vana gloria his verbis excutitur: *Dormite iam, & requiescite*: non sum opis vestræ indigus. Nempe Discipulos in mœstitudine socios, & in periculo velut auxiliares aduocat: ne autem inde insolenter superbiant, confestim iubet, vt *dormiant, & requiescant; quoniam eorum non indiget auxilio.*

Matth. 26. v. 45. — *Discipulorũ nemo putet, Christũ eius ope indigum.* — *Chrysost. homil. 84. in Matth.*

5. Dormiant inquam, Apostoli, & requiescant, vt ostendatur, quoniam eorum auxilio non *indiget* Christus. Sed tunc Paulus in Apostolorum albo adscriptus non erat. Quâ super re Tertullianus scribit exaggeratior Pauli encomiastes: *Denique audiens posteà eum à Domino allectum iam in cælis quiescente, quasi improuidentiam existimo, si non antè sciuit illum sibi necessarium Christus: sed iam ordinato officio Apostolatus, & in sua opera dimisso, ex incursu, non ex prospectu adiciendum existimauit necessitate (vt ita dixerim) non voluntate.* Quid exaggeratius ad Pauli laudes adiici potuit?

Tertull. lib. 5 contr. Marc. cap. 1. Pauli elogium.

---

§. CCXXXVIII.

Diu eruditiori & districtiori doctrinæ magis assiduus, disciplinæ magis indigus sæpè inuenitur.

1. *Videte vocationem vestram fratres. Venire quidem sic ad eremum, summa perfectio est: non perfectè in eremo viuere, summa damnatio est.* Quid prodest si in loco quies teneatur, inquietudo in corde versetur? si in habitatione silentium sit, & in habitatoribus vitiorum tumultus, & colluctatio passionum? si exteriora nostra serenitas possideat, & interiora tempestas? Quid refert tanta frui sermonum disciplina, & assiduam morum elegantiâ in conuictorum exemplis crebrò cernere, si oculorum & aurium cæci, hæc negligimus? Rudis & cruda nimis est eorum natura, cuius rubiginem calentior diu doctrina non excoquit, & vitiorum scoriam non despumat. Quid est quòd ignitum de Spiritu sermonē, quasi verborum niues frigidus experiaris? Quid est, quò in opipato cælestium dapum epulo, mundum esurias, & mundialium deliciarum sitim bibas? qui extra mundum esse creditur diu mundi exul; votis insolenter peregrinantibus, mundum intra se clausum tenet. O paupertinam mentis inopiam! ô felices identidem gratiæ abortus! ô ipsâ felicitate infelix, & de diuitiarum opulentiâ inops! *At Dei paradisus animatas omnes arbores habet, rationeque præditas, quarum fructus virtutes sunt, & incorruptus intellectus.* Paradisi animata arbor, Dei manu plantata & exculta, bifero triferoque prouentu fœcunda, edulibus virtutum fructibus exundat: & tu de paradiseâ satione,

Euseb. homil. 4. de epiph. — *Non perfectè in eremo viuere, summa damnatio est.* — *Ecclesia paradisus animatas & frugiferas habet arbores.* — *Philo de Mũd. Opif.*

satione,& cultione infœcundiùs horres?

2. Matthæi 5. Christus Deus nouus de cœlo Magister, nouam morum politiam in montis gymnasio, Apostolorum collegio tradit; quos Euangelij prædicandi Magistros inaugurat. *Vos estis sal terræ*, inquit, *Quod si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Grande hoc Salis elogium valdè Apostolos sublimat, sublimat & Ecclesiæ Doctores, Apostolorum de doctrinæ præstantia, & morũ elegantia æmulos At non Doctores omnes hâc prærogatiuâ gaudent, vt acutè notauit Clemens Alexandrinus ad thema præsens opportunissimus: *Non omnibus*, ait *dictum est: Vos estis sal terræ* (audi huius discriminis rationem tanto Doctore dignam.) *Sunt enim aliqui ex his qui verbum audiunt, marinis piscibus similes, qui cùm ab ipso ortu in salso nutriantur, salibus tamen ad condiendũ indigent.* Nempe docens aliquis sæpe plus discit, & dicens ipse vna audit cum his qui eum audiũt, & sua ipse concione ad bonum permouetur; (nam vt egregiè notauit Philo, *Sapiens est sui met ipse discipulus & doctor per Dei gratiam*) suóque ipse sale salitur, ne fat lis euanescat. & cum aliis probitatem prædicauerit, ipse reprobos forsitan efficiatur. Hoc inquam, sæpè accidit. Ast quod rarissimum haberi posset, sæpè etiam euenit, dum ex abundantiori doctrina ignorantia nutritur, & de cultiori eruditione impolitior ruditas horridè stultescit. Nimirum cùm carnes abundantiori sale innutritæ, vnde putari possent iã exuccæ, inde corruptionis succum mutuantur. *Sunt enim aliqui marinis piscibus similes, qui cum ab ipso ortu in salso nutriantur, salibus tamen ad condiendum indigent.* Apostolico quidem sale opus est, & adstrice energia in primis viuido, vt qui diu in salso nutritus est, & corrupto vitiorum vdore adhuc adipatus madet, salibus condiatur. *Non omnibus dictum est: Vos estis sal terræ.* Qui diu assuetus est verbo Dei audiendo, surdasque illi præbet aures, nec opere verbum explet, non facile à vitiis reuocabitur: diuinus sermo foris perstrepit, intùs non auditur, verborum tempestas aures attonat, auditum non rigat. Porrò qui exteriori duntaxat virtuti diu assuetus est, virtus illi scena est, & velut fabula quædam, quæ rem personatam, seu personam scenicam repræsentat. O quis condiat saliatve eum, qui in salso diu enutritus, salibus maximè eget? *Sunt enim aliqui marinis piscibus similes, qui cum ab ipso ortu in salso nutriantur, salibus tamen ad condiendum indigent.* Fluuiales pisces mysticè salire hîc promptum est! vel viatori ad alia festinãti, at pisces marinos in salo ab ortu suo enutritos, arduum nimis. Desperata est eius salus, qui plus de remediis ægrotat. Quæ restat acquirendæ sapientiæ spes in eo, qui eruditione rudior fit; exercitatione virtutis, magis insolescit; & de abundantia salis, magis fit salium indigus?

Math. 5 v 13

Clem. 1. Strom c. 4. *Marini pisces in salso enutriti, salibus magis ad condimentum indigent.*

Philo de Mund. Opif. *Sapiēs est sui discipulus, & doctor.*

Hic vers. 6.

3. Matthæi 3. Ioannes Baptista, dum victus vestitusque asperitate virtutes prædicat, his verbis Christum annunciat: Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam, qui autem post me venturus est, fortior me est, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni. *Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Sub agricolæ metaphora Christus Deus inducitur, frugum dominus, iam ipse, inquit, ventilabrum arripuit, vt benè trituratas fruges euentilet, & grauiatis pondere leues stipulas à grano discernat. Tunc *congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Esto, triticum suum, tanquam rem valde vtilem cõgreget in electa horrea; quid deliquerunt paleæ, vt igni comburantur; quin & paleæ non prorsùs inutiles sunt. Ergò si nec de otij reatu, nec de vllo scelere paleæ arguuntur, cur tam atroci mulctantur supplicio, vt in nigras prorsùs fauillas pœnalissimè soluantur? Rabanus Maurus hac in re ita inibi fatur *Paleas autem comburet igni inextinguibili. Verum hoc inter & zizania distat, quod palea non alio quam triticorum semine prodeunt: zizania verò de diuerso*, &c. Doctè quidem. Nimirum zizania è degeneri semine ex diuturno consortio, aliquando conuertuntur in triticum: (de quo alias) *palea verò non alio quàm triticorum semine prodeunt*, cum tritico germinant, cum tritico adolescunt: & tamen in futiles friuolasque stipulas ignobiliter degenerãt. O! quid tam infelix, quàm quod de tritici semine, de quo triticum pullulat, inutiles paleæ luxuriosiùs frondescant? quod cum tritico in semine coagulatur, ex tritico excrescit, crescit diu cum tritico; & tamen triticum desuescens, trituræ & ventilabri opera longè à tritico secernitur, & triticeam naturam dediscens, in leues stipulas inutiliter euanescit; zizania ex tritici consortio, ad tritici naturam adsciscuntur, (verè, an figuratè hîc nõ curo) & paleæ è tritico prognatæ, quò magis adolescunt, magis distant à grano. Ecce moralissimũ palearum reatum, ob quem ad incendium prædamnantur: nam *hoc inter paleas & zizania distat, quod palea non alio quam triticorum semine prodeunt: zizania verò de diuerso.... paleas autem comburet igni inextinguibili.* Sapienti pœna diu stulta culpa mulctatur.

Math 3. v 12

Quo reatu palea damnantur ad ignem

inextinguibilem.

Rabanus apud Caten. ibi.

Lucæ 12. Discipulis in virtutum doctrina diu assiduis, ipso Christi ore assiduè doctis, sic nouus de cœlo Magister loquitur: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis & date eleemosynã. *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis.* Nouo modo, imò, cœlesti modo, qui hunc audit, vendendo comparat, recõdit erogando; dum amittit, acquirit, ait inibi Chrysologus. Qui ad rem opportunus pergit: *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt. Qui thesaurizantes corporaliter arguebat, ad totum cupiditatis fomitem in hos sacculos sine fine perquiri, Christe, quò te pertrahit amor tuorum? vt auarum lucrifacias, facis eum quod desiderat, non quod oportet, audire. Sacculos imperans, æternos thesauros, qui non deficiant, vis parari; vt auarus dum consueta percurrit ad lucra, aut virtutem capiat, aut à virtute capiatur.* O quam erãt rudes discipuli ad rem virtutis, quibus eam sub specie vitij proponere oportet! Solent interdum parentes suis paruulis petentibus noxia, ingerere salutaria sub specie noxiorum, *fallentes insipientiam*, non decipientes affectum. Scilicet non mirater, argutam Christi doctrinam rudes adhuc discipulos non capere, docet enim, quod vendendo comparant, erogando recondunt & amittendo acquirunt, id enim ænigmati simile videri necesse est. Ast admirabilitate plenum est, adeò cum illis quasi cum *pusillis*, agere, vt eorum *fallat insipientiam*, dum specie vitij virtutem colorat 4.

Lucæ 12 v 33 Chrysol. ser. 25.

Cana est hominibus ad rem virtutis infantia.

colorat. Hac pia vel ut fraude suos discipulos vitij sapore ad virtutem Christus infantat, & ad opulentas misericordiæ sanctuares erudit. *Christe, quò te pertrahit amor tuorum? Saeculos imperans, æternos thesauros, qui non deficiant, vis parari; vt auarus dum consueta percurrit ad lucra, aut virtutem capiat, aut à virtute capiatur.* O argutam gratiæ officiositatem! ô canam hominum ad rem virtutis infantiam!

§. CCXXXIX.

Regius Minister, dispensator est, non dispensationis arbiter.

1. *Regius minister dispensator est, non dispensationis arbiter.* Hic vers. 6. PRincipales in re nummaria Ministri, Principis commodis seriò studeant. Sed vt eorum præfectura non debet esse subiectorum præda, & proscriptio populorum; ita neque ob propriam desidiam, neque vt multorum gratiam concilient, regium censum profundere debent, nec tantillū imminere. Dispensatorem agit, non Dominum, merumque Domini vocabulum, re Domini vacuum, Principi relinquit, qui ministeriali fungens munere, vltra heri arbitrium, rem eius dispensat. Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur, nam de mammona iniquitatis amicos facere, & multorum gratiam ære alieno mercari, nimis promptum est. Sequester es dispensator, seu administrator; arbiter dispensationis non es cum re quam aliis largiris, rei etiam suæ arbitrium Domino suffuraris. Magnum planè furtum, magno luendum. Vide hîc quam sedulum dispensatorem rei Tobianæ Azarias agat. Partem capti piscis ad cibum assat, reliquum ad heri annonam salit; nec quid cuiquam erogasse dicitur. Rem Domini seruandam Domino curat, ad ministrorum eruditionem, quàm hîc ad sedulam fidelitatem informamus.

2. Geneseos 40. illibatæ pudicitiæ, & cœlestis somnij reus, Iosephus tetro carceri diu astringitur. Duo etiam Regis ministri, pari pœna in dispari merito mulctantur, Videruntque ambo somnium nocte vna iuxta interpretationem congruā sibi. Adest Iosephus liberali forma, & obsequio, & sciscitatus insolentis mœstitiæ occasionem, ad obscurum somnium referunt, futurorum prognosticum. Sed Iosepho interpretationem pollicenti, narrauit prior Præpositus pincernarum somnium suum, dicens: Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores vuas maturescere, calicemque Pharaonis in manu mea, tuli ergo vuas, & expressi in calicem quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni. Extemplo Ioseph, post triduum fore vt in pristinum statum restituatur, feliciter præsagit. Videns autem pistorum magister quòd prudenter somnium dissoluisset, ait: Et ergo vidi somnium,
Gen. 40. v. 17. & 18. *Quod tria canistra farinæ super caput meum: & in vno canistro quod erat excelsius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, auesque comedere ex eo.*
In Pistoris somnio, eius crimen descriptum legit Iosephus. *Respondit Ioseph: Hac est interpretatio somnij: Tria canistra, tres adhuc dies sunt, post quos auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce, & lacerabūt volucres carnes tuas.* Multus est Abulensis in Com-
Abul. ibi. mentario huius capitis, vt peruestiget, quid in adsimili somnio Iosephus viderit, quod ad tam dissimilem exitum manuduceret. Nō dubium est, quin cuiusmodi somniorum interpretatio Iosepho cœlitùs inspirata fuerit, sed lubet sciscitari quidnā in re ipsa somnij significarit huius regij Ministri miserabile exitium. Lipomanus locuples, & eruditus Lipom. ibi.
auctor, rem videtur insinuare, sic inibi aiens: videbam; *quod tria canistra farinæ habebam, &c. Quoniam verò eadem vox Chiuar etiam foramen significat, sunt qui interpretentur tria canistra foraminata. Quæ vtraque expositio propter verborum πολύσημον non videtur improbanda.* O inauspicatum regij Ministri somnium, & mortalissimum infelicitatis augurium! In canistro *foraminato* omnes regis cibos regius Minister portat. Puto, per foramina, & patulas vimineæ cistellæ rimas, cibi dilabentur, & effluent; atque vbiuis reliquias regiarum dapum sparsas, in terra relinquet, aut ad suæ inertiæ testimonium, aut ad suæ dissipatricis beneficentiæ monimentum. Quin & non modo foraminata canistra, Regis panarium ignauè dissipant, dum cibi qui fiunt arte pistoria in terram elabuntur; sed etiam ex eiusmodi *canistro foraminato aues comedunt.* Nec in cœli volucres, id est, in rem pietatis, quæ cœlum spectet, quæ cœlum sapiat, & cœlum fragret, expendat regius Minister quæ eius curæ, & administrationi traduntur. Ad Principis, seu herij arbitrium dispensetur res suæ fidei credita, abigendæ sunt aues etiam cœli, & obturanda canistrorum foramina, ne quid inscio, aut inuito Domino, dissipetur. Qui secùs faxit, hanc sententiam iam iam cadentem meritò audit: *Tria canistra (foraminata inquam) tres adhuc dies sunt, post quos auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.* Ecce tibi in ipsa re somnij apparent cœcæ quædam, & criminis, & supplicij notæ, quibus Ministri, & dispensatores erudiantur, in sua, aliorūve commoda, per vtilitatis, aut gloriæ auaritiam, res suæ administrationi creditas, clancularia furacitate deriuent. Heu! quod principales ministri impunè dissipant, innoxij populi de tributis persoluunt, solutionem sciunt, & vtilitatem nesciunt. Quod Rex barbarus sic castigat, cœlestis Rex seriò in suis præcauet.

Matthæi 14. sequebatur turba multa Saluatorem, pastorem oues, ægri morborum depulsorem, serui animarum liberatorem, & triduanæ famis obliti, verbo Dei copiosè saturantur. Sed pauper ille Dominus, in deserti improuisā mensâ, postquam Discipulorum paupertatem nudauit, abundantiam tribuere parat. Iubet ergo IESVS turbam discumbere, & acceptis quinque panibus & duobus piscibus, aspiciens in cœlum benedixit, & fregit, *& dedit Discipulis panes, Discipuli autem turbis. Et manducauerunt omnes, & saturati sunt.* Addit Euangelista Ioannes, quòd postquam omnes turbæ vsque ad satietatem manducauerunt ex quinque panibus, & duobus pisciculis, per Apostolorum manus administratis, *dixit IESVS Discipulis suis. Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his, qui manducauerant.* Plures è Sanctis Patribus, nec pauci Interpretum proceres, subtili perquirunt sagacitate, quare tam sollers reliquiarum colligendarum cura tunc fuerit impensa? Quid quæso, incommodi foret, si ad miraculi
3. *Fidelis & sollicita alienæ annonæ dispensatio ab Apostolis dicitur.* Matth. 14. v. 19 & 20. Ioann. 6. v. 12. & 13.

redun

redundantiam ibi ciborum reliquiæ omitterentur? quid si ibidem negligerentur? Item cur Apostolis præsertim id iubet Christus? An non tunc Apostoli valde fatigati erāt tot hominum millibus ministrando? eccur hic non vtitur ministeriali aliquorum opera, qui diuturno accubitu non fessi, & abundanti cibo recreati fuerant? Basilius Seleucus sic argutè hac de re philosophatur: *Dixit IESVS Discipulis suis: Colligite quæ superauerunt fragmenta*, &c. *Pari cum Apostolis numero sunt cophini, vt singuli singulos baiulando, laborem, miraculi testem subeant; humerusque, dum teritur, rei gestæ sensum ingerat, & memoria fatigatione conseruetur.* Sed plus, opinor, populus artificio memoriæ egebat, quàm Apostoli, meliùs in Magistrum animati, & obseruatores doctrinæ, ac miraculorum diligentes. Scilicet Apostoli fuerāt annonæ dispensatores, quod Matthæus diligens, & attentus ad rem notauit, aiens: *Et IESVS dedit Discipulis panes, Discipuli autem turbis*: ergo erudiantur administratores Apostoli, quomodo panarium Domini sui administrandum sit, nihilque reliquiarum, aut propter desidiam, aut propter inconsultam beneficentiam, negligendum. Ergo illos ipsos, qui panes administrarant, quasi Christi dispensatores, admonet Christus, vt ea quæ superauerunt fragmenta colligant, ne pereant: *& sustulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos. Pari cum Apostolis numero sunt cophini, vt singuli singulos baiulando, laborem ministerij testem subeant, humerusque, dum teritur, rei gestæ*, (& administrationis sedulò, & fideliter gerendæ) *sensum ingerat, & memoria fatigatione conseruetur.* Itaque nunc Christus Deus in suis Apostolis, quos præstandæ annonæ Ministros elegit, reliquos dispensatores ad omnem sollicitudinem, & fidelitatem informat, ne quid per negligentiam, aut inconsultam liberalitatem perire sinant, & cophinorum grauatè baiulos facit, vt sedulæ administrationis *memoria fatigatione conseruetur.* Hæc eruditio, si ex Pharaonis rigoribus non benè discitur, de Christi placida schola ediscenda est. *Es muy dulce ser uno liberal à costa agena.* Ministrorum iners desidia, inconsultam beneficentiam fouet, & inconsulta beneficentia, inerti desidiæ militat, & altervtra vices cum altera reciprocando, furacitatem colorat.

Basil. Seleuc. Orat. 33.

4. *Princeps, etsi opibus, non liberalitate fraudetur à Ministris.* Cassiod. lib. 5 epist. 24.

Ambiguum erat, an quædam hæreditas ad regium spectaret fiscum, quam præsumpti hæredes præmaturè occuparunt regio dissimulante Præfecto, ad quem Cassiodorus Regis nomine scribit, ne se hæreditate fraudari patiatur. Videri posset illiberalis auaritia, & æquissima liberalitas est. Audi Regem sic disertè scribentem ad suum Præfectum: *Rogari enim in talibus causis, non fraudari Principem decet.* Scilicet ægrè tulit Rex, aut fraudari opibus, aut liberalitate. Si iura hæredibus fauent, fiscum litigando vincant, quod gloriosum Principi erit. Si litigare recusent, Principem rogent, & rogatus supplicibus annuet. Præfectum autem in re ambigua arbitrium esse regij census non decet: regius enim minister, Dispensator est, non dispensationis arbiter.

5. Gen. 45. v. 18 *Princeps, qui sua manu dat nunquam prodigè donat.*

Genesis 45. hæc dicit Pharao Iosephi fratribus: Tollite inde patrem vestrum, & omnem cognationem, & venite ad me: *Et ego dabo vobis omnia bona Ægypti, vt comedatis medullam terræ.* Omnia regni sui bona dat Rex Pharao regij Familiaris cognationi? fiscum ne exhauriet, vt cognatos sui Familiaris ditet? Regnum depauperabit, vt sui Familiaris cognationem opulentet? Quis nisi Pharao omnia sui regni bona sui Priuati cognationi promittat? Sed aduerte, Regem non dixisse Iosepho: Tu tuis cognatis omnia bona Ægypti meo nomine dabis? sed *Ego dabo vobis omnia bona Ægypti.* Scilicet donet Rex per se ipsum, etiam quòd effusiùs largiri statuit; sciat ipse quid donet, manúque sua donum præbeat, & nunquam erit prodiga largitio. *Passe el don por su mano, y nunca sera nota do de prodigo.* Dona in relationis suggestione exigua, re autem magna, Regem, & regnum depauperare solitant, liberalitatem, vel ex Pharaone Principes ediscant.

§. CCXL.

Humanus morum corrector, sic Deum in correptione æmuletur, quod sic curet vulnus, vt etiam honestæ cicatricis curam agat.

1. *Agat curam Superior, non tantùm curādi vulneris, sed etiam honestæ cicatricis.*

NVllum animal morosius est, nullum maiori arte tractandum quàm homo: nulli magis parcendum. Morbis medemur, nec irascimur. Atqui, & hic morbus est animi, mollem medicinam desiderat, ipsumque medentem minimè infestum ægro. Luctetur cum vitiis, resistat. Aliis morbum suum exprobret, quosdam molli curatione decipiat, citiùs meliùsque sanaturus remediis fallentibus. *Agat Princeps curam, non tantùm salutis, sed etiam honestæ cicatricis. Nulli Regi gloria est ex seua animaduersione.* Fœdum morbum tandem sanasti, sed aut morbi indagatione, aut seueriori obiurgatione, aut contumeliosa castigatione, fœdam cicatricem reliquisti, qua omnium oculis deformis apparet, qua ipse sibi displiceat, qua visa alij curationem exhorrent, potius quàm morbi fœditatem. Abolita culpa, quid facit in correctore, culpæ memoria, quasi superstit *malitiæ character*? Pœnitentiæ fumus, qui veras lachrymas ciet, & extorquet; ita Dæmonium, & peccatum abigit, & excantat, vt illudmet vltrà non redeat: quid ergo eius adhuc stigmata denotas, & vestigia recognoscis? Iam ingenuus est per gratiam pœnitentiæ, & emendationis, quare illum velut stigmaticum seruum tractas? ô agat superior curam, non tantùm sanandi vulneris, sed etiam honestæ cicatricis, aut nullius (si fieri potest) relinquendæ, Dei in curatione æmulus.

Sen. lib. 1 de Clem. c. 17.

Philo de Sacrific. Abel, & Cain. Hic v 8.

2.

4. Regum 5. Naaman Syrus, lepræ contagione fœdus, audita miraculorum fama, quæ Eliseus patrabat, supplex sanitatis exorator ad eum venit. Cumque ante eius vestibulum staret, misit ad eum Eliseus nuncium, qui illi diceret, vt septies se in Iordanis fluentis ad lepræ emundationem ablueret. Seruorum suasione tandem Naaman Prophetæ obsequitur. *Descendit, & lauit in Iordane septies iuxta sermonem viri Dei, & restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli, & mundatus est.* Non solum depulsus est morbus ille dirus, & fœdus; sed omnis à corpore deformitas, imò, & morbi vestigia, & antiquorum vlcerum argumenta, quod optima similitudine sacer, exprimit historicus: in corpore enim pueriti non est squammosa cutis, nulli apparens vibices, nul- 4. Reg. 5. v 14 Sanct ibi.

la fœditas, quia nullum (vt plerumque fit) antecessit vlcus, aut maligna qualitas, quæ notatam relinquet, & maculatam carnem. Hic ergo pœnitentiæ optimum aliquod symbolum interpretes recognoscunt, & peccatorum lauacri illustre miraculum: quasi hac mirabili lepræ curatione pœnitentiæ Sacramētum adumbretur. Quod ex Iordanis etiam nomine Sanctius coniectatur, & hæc verba Chrysostomi ad thesim præsentem luculēta, subdit: *Pœnitentia*, inquit, *ita delet peccata, vt nec eorum remaneat vestigium. In corporibus quidem hoc non licet; quin etiam si millies medicus elaboret, & imponat vulneri remedia, vulnus quidem tollit, cicatrix vero permanet, vulneris circumferens argumentum, aspectus deformitatem. Et licet in infinitum medicus contendat, non tamen cicatricem delere potest: ipsa namque naturæ repugnat imbecillitas, & artis impotentia, vilitasque medicamentorum. Deus autem cum delet peccata, neque cicatricem relinquit, neque permittit remanere vestigium; sed cum sanitate pulchritudinem quoque restituit, cum liberatione à pœna, dat, & iustitiam, & præuaricatum non præuaricato similem reddit. Si namque infinita quis habens vulnera pœnitentiam egerit, & aliquid fecerit boni, sic ea Deus delet, vt neque cicatricem, neque vestigium, neque peccatorum ostendat indicium.* Longiusculè præter morem, fateor. Sed quid intermitterem, & lectori inuiderem? Singulæ penè sententiæ Chrysostomi, sic thema præsens illustrant, & eloquenter enucleant, vt expensoris otietur glossa. O vtinam humanus morum corrector sic subiectorum culpas perquirat, errata corripiat, & scelera mulctet, vt corporis medicum desuescens, Dei (cuius vicarias gerit vices) medicinalem operam æmuletur: qui sic cum pœnitentibus, & emendatis agit, sic propudiosa delicta abolet, *vt neque cicatricem, neque vestigium, neque peccatorum ostendat indicium, & præuaricatum non præuaricato similem reddat*, quasi pœnitentia, & emendatio innocentiam æmuletur. Sæpè enim pœnitentia emendationis augmentum est, ac vere pœnitens de lapsu cautior resurgit, & non relabendi propositum densè adaggerat.

Deus verò pœnitentibus peccatorum cicatricem nõ relinquit, sicut humanus medicus.

Chrysost homil. 80. ad Popul.

3. Chrysostomo Chrysologus concinit, succincto stylo, nec impari elegantia. Illustrans enim illud Lucæ 15. quando pius Pater adolescentem prodigum diu errantem excepit: *Et misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum*, ita scribit: *Sic pater iudicat, sic emendat, sic peccanti filio dat oscula, non flagella. Delicta non videt vis amoris, & ideo pater peccata filij redemit osculo, clausit amplexu: ne nudaret pater filij crimina, pater filium ne fœdaret. Pater sic curat filij vulnera, ne filio cicatricem, neuum filio ne relinquat.* Nota hęc vltima verba ad rem pręsentem in primis tempestiua.

Lucæ 15. v. 20

Chrys ser. 3.

Pater Prodigi filij vulnera sic curat, vt neque cicatricem relinquat.

4. Lucæ 7. Christus Deus Pharisæi conuiuio rogatus discumbit. *Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix*, vt cognouit quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum: & stans retrò secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat, quo lachrymarum balneo, non tam Christi pedes, quàm sua olim peccata deleuit. Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se dicens: *Hic si esset propheta, sciret vtique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Hic legisperitus manifestè rem pœnitentiæ, & vim lachrymarum charitate calentium, arroganter ignorat. Imò quia est propheta, & magnus ille Propheta à Moyse prædictus, planè scit iam non esse *peccatricem*, postquam pro lauacri obsequio peccatorum maculas abluit. Nuper erat mulier in ciuitate *peccatrix*, sed post vberes pœnitentiæ lachrymas, Magdalena exinde est, *peccatrix* vltrà non est, neque hoc famoso elogio vsquam iam appellatur, quid antiquum nomen, cum re nominis abolitum, probrosè resculpis? *Peccatrix* nuper erat, sed post pœnitentiæ lachrymas, simul cum peccato *peccatricis* nomen naufragium fecit. Ad cœlestem medicum venit, qui nec vulneris cicatricem reliquit. Sic per talem pœnitentiam aboleuit peccatum, quasi nunquam hactenus deliquisset. Audiendus est Cæsarius Arelatensis Episcopus, qui sic pulchrè de Pœnitentia scribit: *Nos ergo quibus adhuc esse sub imerita breuitate conceditur curare maculas, lauare culpas, subuenire præteritis, consulere futuris, & facere infecta de factis, totis viribus annitamus, vt quod viuimus ad vitam possit aptari.* Libra attentiùs illa verba, cùm de pœnitentia conscientiam à peccatorum sordibus emaculante loquitur, *Facere infecta de factis.* Num tanta pœnitentiæ vis, vt facta scelera infecta idest, non facta reddat? Pœnitentia peccatum abluit, delet, & extirpat; sed quod factum fuit, non fuisse factum præstare non potest. Imò potest, potest quidem quò ad pœnales, & probrosos culparum effectus. Pœnitentia enim perfecta, potest antefacta scelera *facere infecta de factis*: sic enim per pœnitentiam, & emendationem delentur, vt nulla debeat manere in emendatore scelerum memoria, nulla in reliquis recordatio, nullum exinceps probrosum peccati nomen, nulla cauterionis cicatrix, nullum commissæ olim culpæ vestigium, argumentum, indicium, nullum pristinæ malitiæ stigma, quasi pœnitentia, & emendatio, innocentiam recudat, sic *facit infecta de factis*: Neque enim dantur *malitiæ characteres*. Sic sunt efficaces gemitus, sic lachrymæ sunt efficaces quæ peccata in ossibus scrutātur, quæ in medullis persequuntur, vt ea funditùs excaudicent. Nil intactum fletus, nil incuratum medicabilis pœnitentiæ dolor relinquit, qui sic culpis medetur, vt nullam earum cicatricēm relinquat, cùm post perfectam pœnitentiam nil criminis resideat, quod contra nos in die discussionis allegat. O sic subiectos curent humani morum correctores! Hæc pædagogia de cœlo est.

Luc 7. v. 39

Pœnitentia infecta de facto delicta facit.

Cæsar. hom. 17.

5. Matthæi 8. Centurionis puerulo ad pristinam sanitatem restituto; *Cùm venisset IESVS in domum Petri, vidit socrum eius iacentem, & febricitantem, & tetigit manum eius, & dimisit eam febris & surrexit, & ministrabat eis.* Ecce tibi, quæ res ad domum Petri inuitauerit Christum: vtique non discumbendi voluptas, sed iacentis infirmitas: non prandendi necessitas, sed salutis occasio; diuinæ virtutis opus, non humani pompa conuiuij. Videris quomodo dimittit febris, quem tenuerit Christus: ibi non stat infirmitas, vbi auctor salutis assistit. Addit ad rem Chrysologus: *Sed ministrare illam ad indicium redditæ sanitatis admisit. Christus sic fugat morbos, vt vires pristinas mox reducat. Vbi curat ars, ibi infirmitatis residet lassitudo: vbi sanat Virtus, ibi languor vestigium non relinquit.* O sic curat nouus è cœlo medicus Christus, vt neque morbi relinquat vestigium, nec fœdi vulneris cicatricem. Impossibile est, quod peccator, quantumuis feruidæ

Matth. 8. v. 14 & 15.

Vbi sanat virtus, languor vestigium nõ relinquit.

Chrys ser. 18.

uidæ pœnitentiæ incendio antiqua peccata extinxerit, eximatur olim peccatoris non bono elogio. At sic abolentur delicta, sic peccata gratiæ officiositate expunguntur, sic delentur malitiæ characteres, vt propè *faciat infecta de factis*. O pulchrum sanitatis cœlitùs factæ notamentum! *Vbi curat ars, ibi infirmitatis residet lassitudo; vbi sanat virtus, ibi languor vestigium non relinquit.* Ergo humanus morum æmendator, sic Deum in correctione emuletur, quòd sic curet vulnus, vt etiam honestæ cicatricis curam agat.

---

§. CCXLI.

Diu olim languidus, etiam post sanitatem malè sanus putatur.

1. ORigenes Adamantius in caput 19. Geneseos, his verbis filias Loth ab incestu defendit: Quamuis, inquit, graue eis crimen videretur furari concubitum patris, grauior eis tamen videbatur impietas, si humanæ (vt putabant) posteritatis spem, seruata castitate delerent. Propter hoc ergo consilium ineunt, minore (vt ego arbitror) culpa, spe tamen argumentoque maiore patris mœstitiam vel rigorem vino molliunt, & soluunt. Singulis ingressæ noctibus, singulæ suscipiunt ab ignorante conceptū. *Vltra non repetunt, non requirunt. Vbi hic libidinis culpa? vbi incesti crimen arguitur? Quomodo dabitur vitio, quod non iteratur in facto? Vereor proloqui quod sentio, vereor inquam, ne castior fuerit harum incestus, quam pudicitia multarum.* Audaciusculè quidem Origenes, quasi qui semel peccat, vix quodammodo peccare videatur. Non repetitum crimen, velut assutum reputatur; & facile excutitur, quod repetitionis vsu non inoleuit. Inolita verò consuetudine scelera, quantumvis per pœnitentiam radicitùs extirpentur; fibras tamē, non malitiæ, sed procliuitatis relinquunt, citoque redeunt, adeò vt sit miraculi ad instar, non iterùm labi, lapsibus assuetum. Sic est volupe ad consueta redire lapsu perperi! Sic quod crebra inoleuit consuetudine visceribus quasi corporatur.

Origenes ibi. *Vitio dandum est, quod non iteratur in facto.*

2. Geneseos 19. Angelico ductu & auspiciis, Sodomæ stragē fugit Loth, ne supra Iustum pariter iniustorum ruina voluatur. Eduxerunt itaque eum Angeli, & posuerunt extra Sodomam: ibique locuti sunt ad eum, dicentes: Salua animam tuam, nec stes in omni circà regione: sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas. Dixitque Loth ad eos: Quæso Domine mi, quia inuenit seruus tuus gratiam coram te, & magnificasti misericordiam tuam, quam fecisti mecum, vt saluares animam meam, nec possum in monte saluari, ne apprehendat me malum, & moriar. *Est ciuitas hæc iuxta*, (Segor inquam) *ad quam possum fugere, parua, & saluabor in ea. Dixitque ad eum: Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem pro qua locutus es.* Dicto citiùs cursum contendit Loth: & vix in vrbeculam ingressus est, cum flammeis de cœlo globulis ager Sodomiticus ardet, paradisea vrbis venustate in vagum cinerem, & euanidam fauillam miserè redacta. Mox vt defæuit sulphureus ex æthere nymbus, *Ascendit Lot de Segor, & mansit in monte.... timuerat enim manere in Segor.* Non conuenit inter expositores, quam ob rem ita pauidè Loth timuerit manere in vrbecula Segor quam ipse in effugium elegit; & in qua Angelica promissione tutus erat, & tutamen expertus in communi illius regionis incendio. Mauult ad eum montem confugere, quem nuper quasi malignè refutauit, & vrbem relinquere, in qua se incolumen expertus erat? Quid vrbem Angelica fide securam, deserit, vt suspecti de periculo montis dorsum ascendat? Reprobatum à se locum mauult ad securitatem, quam à se auidè electum, & experta incolumitate securum; Discreditne Loth verbis Angeli? an in maiori periculo periculi quærit asylū? Hieronym in qq Hebraïcis super Genesim, hanc exagitat, & his verbis eruditè tempestiuus etiam respondet: *Quæritur quare cum primum fuga montis Segor prætulerit, & eam in habitaculum suum voluerit liberari, nunc de Segor rursùm ad montem migret? Respondebimus veram esse illam Hebræorum coniecturam de Segor, quod frequenter terræ motu subruta, Bale primum, & postea Salissa appellata sit. Timueritque Loth, dicens: Si cum cæteræ adhuc vrbes stabant, ista sæpe subuersa est, quanto magis nunc in communi ruina non poterit liberari?* Scilicet videbat Loth suis oculis vrbem Segor liberatam diuinæ promissionis auxilio, sciebat Dei promissionem nullo rerum euētu posse vllatenus cassari. Ast quam sciebat diuina stipulatione securam, timet nunc frequenti olim subuersione periclitari. Perpendit Loth *humana ratione* (vt loquitur Caietanus) malignam loci cōsuetudinem; & licet illam videat omnipotenti Dei verbo sisti, frenarique loci genium, & experientia nouerat, incolumem à communi naufragio seruari, fides diuinæ promissionis citiùs nūtat, quam sibi seriùs persuadeat antiquos loci mores mutandos, ne redeant ad ingenium. Dediscenda est Lothi diffidentia; sed ex ea moralissimè ediscendum est, quàm altè hæreat, & medullitus antiquæ consuetudinis mores corporentur. Excisi pullulant, renascuntur excisi, & adhuc extirpati, nescio quas vitij fibras mox redituras relinquunt. Nutet in diuinæ promissionis fide iustus Loth, quo odium aduersùs prauam consuetudinē altiùs fundet. De Lothi imbecillitate contra auitos mores, robustiùs pro pietate armemur.

Gen. 19 v. 30.

Citiùs putat Loth diuinam promissionem cassari, quam hominem ad antiquam consuetudinem non redire.

Hieron in qq. Hebr.

Caietan ibi.

Ioannis 5. erat Ierosolymis piscina quædam Probatica, quinque porticibus vndique obuallata, in quibus ingens languentium iacebat multitudo, expectantium aquæ motum, nam qui prior in cœlitùs turbatam aquam mergeretur, ope Angelica salutē referebat, quasi dignum humanæ diligentiæ stipendium. *Erat autem quidam homo triginta & octo annos habens in infirmitate sua.* Hunc cum vidisset IESVS iacentē, & cognouisset quia iam malum tempus haberet, vltrò ei sanitatem benignissimè spondet, aiens omnipotenti verbo: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Ad, dubitant hìc politiores interpretes, quare IESVS languidum grauari grabato iusserit, nam ad miraculi manifestationem sat erat vidisse hominem tot annis paralysi languidum, è lectulo *surgere* & expeditè palam *ambulare*. Quid necesse fuit recens sanum nouis sarcinis degrauare; *Ad superabundantiam diuinæ sapientiæ* putat Chrysostomus. Sed non facile apparet, vnde in grabati portatione appareat sapientiæ diuinæ largior exuberantia. Verùm enim verò, vt peritè notauit Hugo 3.

Ioannis 5. v. 8.

Chrysost homil. 36. in Ioan. Hugo Car. ibi.

Catensis: *Ille languidus (triginta & octo annos habens in infirmitate sua) significat quemlibet peccatorem. Specialiter tamen significat inueteratum in peccatu. De talibus enim profundis peccatoribus sanat Dominus aliquando.* Consectariè autem addit Strabus Fuldensis, in re morali versanda disertissimus: *Per grabatum autem in quo iacebat languidus significatur praua consuetudo, per quam iacet homo in peccato.* Ergò opportunè cùm languidus peccatis inueteratus, & triginta & octo annos habens in praua consuetudine, qua in delictis iacebat, dum integram sanitatem denuò recipit, lectum languoris sui portare iubetur, vt secum gestet grabatum, in quo iaceat, si diu olim languidus & labi adsuetus, iterùm relabatur Nam etsi *multū inter sanationem Domini, & quæ à medicis infertur, distare probetur*, vt ibi Beda obseruauit; prauæ tamen consuetudini vis tanta inest, inclinans ad lapsum; vt vel à Domino integrè sanatus, & diuturni morbi languore liber, egeat secum baiulare grabatum, si fortè pristinum languorem incurrat. Portet imbecillitatis suæ insigne, cicatricis probrum, & semper paratum lectum, relapsionis leuamen. Diu peccatis adsuetus, Dei gratiâ integrâ malitiæ sanitatem accepit; *surgit, & ambulat*: sed adhuc pristini & inueterati languoris lectulum secum portet, ne desit exinceps in quo iaceat. O cautelam moralissima eruditione plenam! Perfectè sanus es, sed lectum languoris tui baiula, ad tuæ imbecillitatis monimentum, ad non relabendi cautionem, ad leuamentum, ad non relabendi cautionem, ad leuamētum, si fortè denuò recidas, & praua instigante consuetudine, iterum atque iterùm relabaris. Sic est infirma salus quam diuturna olim infirmitas inquietat. Vide hîc vers. 8. quàm exquisitis remediis Raphaël Angelus vtatur ad diu infestantem Dæmonem excantādum, *ita vt vltra non accedat ad eos.* Miraculum Angelicæ medicinæ est, quod ita perdiu languidum sanet, vt non egeat, languoris sui grabatum secum vltra portare.

Strabus ibi. — *Inueterato languori adsuetus, secum portet grabatum, si fortè iterum relabatur.* — *Beda ad eum locum.* — *Hic vers. 8*

4\. Matthæi 3. magno verborum apparatu Ioannes ab Euangelista inducitur; qui manu & ore lychnum gestans & Saluatorem clarans, illum apertè demonstrat; atque de eo ita fatur: *Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Communiter interpretes per τὸ *ventilabrum* discretionem proborum ab improbis exponunt: sed inter eos non conuenit, quid sit hoc *ventilabrum*, quod in Ecclesiæ area conscientias euentilans, paleares improbos à proborum tritico discernat. Clemens Alexandrinus in Adhortatoria ad Gentes incusans eos, quibus praua peccandi consuetudo inoleuit, de æterna eorum salute parùm fidit, sic aiēs: *Mala autem consuetudo post excessum ex hac vita vanam pœnitentiam affert cum supplicio.* Et post pauca, ad rem percommodè: *Malum ventilabrum consuetudo.* Vis nosse, quod sit *ventilabrum*, quod discernit in Ecclesiæ area, paleas à tritico, id est, reprobos à prædestinatis; *Malum ventilabrum consuetudo* est. Quisquis tenaciter alicui vitio diu adhæret, reproborūm charactere inustus putatur, qua præproperè gehennæ candidatus. Praua nunc delinquendi consuetudo, notamentum est damnationis, quia vanæ aut nullæ exinceps pœnitentiæ augurium est. O, obstinatum vitium nunc desuesce, vt æternæ reprobationis in te notam expungas! Inueterati perdiu languoris nullum, aut tardum remedium; maligna, nec tuta salus.

Matth 3 v. 12 Praua consuetudo reprobos à prædestinatis discernere, dicitur. — *Clem Alex. in Adh ad Gentes.*

§. CCXLII.

An quauis mulier Euam in se circumferens, sit diabolicæ fraudis vasculum?

1\. De quamvis vulgò fœmina sic viuidè Tertullianus loquitur: *Euam te esse nescis? Viuit sententia Dei super sexum istum in hoc sæculo, viuat, & reatus necesse est. Tu es Diaboli ianua, tu es arboris illius resignatrix, tu es diuinæ legis prima desertrix, tu es quæ eum suasisti quem Diabolus aggredi non valuit. Tu imaginem Dei, hominem tam facile elisisti. Propter tuum meritum, id est mortem, etiam filius Dei mori habuit.* Ne putes vnam fuisse Adami Euā, fuit & Iobo Eua sua, & sua Eua Tobiæ fuit, quæ eius innocentiæ insidiabatur, & quem Diabolus aggredi non valuit, per fœminam elidere tentat. O viuax pestis de inferni contagio mortifera! Verum vt reliqua fæminarum vituperia interim omittamus, geminum duntaxat elogium perstrictim expendendum est, quo dicitur, & *Diaboli ianua*, & altera virorum *Eua*.

Tertull lib. de Hab. Muliebr c. 1. — *Non bonum fæminarum elogium.* — *Tobiæ 2 v. 21.*

Matthæi 26. audacter Petrus Christo respondet, quod etsi Discipuli omnes scandalum in illa Passionis nocte patiantur, se nunquam scandalizatum iri. Scilicet nesciebat tunc Petrus muliebres in atrio Pontificis aduersus se parari insidias Dæmonis astu. Petrus verò (inquit Euangelista) sedebat foris in atrio, & accessit ad eum vna ancilla dicens: Et tu cum IESV Galilæo eras. At ille negauit coram omnibus, dicens: Nescio quid dicis. *Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait his, qui erant ibi. Et hic erat cum IESV Nazareno. Et iterùm negauit cum iuramento: Quia non noui hominem.* Hic, hic tu ille Petrus, qui infernales Tartarorum phalangas prosternes: Sic ad vnius mulierculæ verbulum Petræ soliditas mollescit? Alacris illa nuper pollicitatio, constantiæ voto arroganter magnanima, fœmininæ voci sic muliebriter cedit? Parum velut obstinationem propositi non duntaxat voti turbatione, sed infidâ Magistri negatione, vox vnius ostiariæ mulierculæ imbecillæ exarmat? O Petre, nec dum nosti quā sint robustæ vires fœmineæ imbecillitatis ad hominum subuersionem! Id S. Maximus præfata Matthæi verba illustrans, perquam benè sic expendit: *Quod Apostolo Christus ante dixerat, ancilla destruxit, & magis præualuit ostiaria ad perfidiam, quam Apostolus ad cautelam. Non bona ostiaria quæ Petrum ideò in domū Sacerdotis includit, vt à fide Saluatoris excludat. Malè Adam induxit Eua, malè Petrum introduxit ancilla. Illa exclusit à Paradiso, hæc exclusit à Christo. Illa persuasione sua virū decepit, hæc interrogatione sua Apostolum circumscripsit. Illa ad præuaricandum Adā impulit, hæc Petrū cōpulit ad negādum. Et idem sexus in vtraque ostiariâ officium gerens, aut excludit à vita, aut includit ad mortem.* Procliue est cuipiam singulas Maximi sententias conceptuū fœcunde grauidas, ad hanc thesim expendere. Sat esto intendisse digitum, vt eas quisque possit sagaciùs enucleare. Inde tamē perspicuè constat, quam verè fœmina appelletur à Tertul

Matth 26. v. 71. & 72. — *Ancillæ ostiaria cum Eua multiplex similitudo adducitur.* — *Maxim homil. de 1 atr. & Petro*

à Tertolliano, *Diaboli ianua*: siquidem idem *sexus in vtraque ostiaria officium gerens, aut excludit à vita, aut includit ad mortem.* Quod iam iam sumptuosiùs expendimus.

3. Geneseos 3. Audit Adam Domini præceptum, vt ab vna duntaxat arbuscula manum contineat, quo reliquarum præbitorem agnoscat; & tunc quasi periculi expers in cæteris deliciabatur, & erat voluptas innoxia, carens admixtione serpentini veneni. Sed ad inuidiam excitus est Diabolus spectando, & eorum quæ viderat visione saucius, ferientem referire connititur, felicemque Adamum cum omni sobole infelicitate prætendit, & qua parte illum adoriatur astutè machinatur. Indubium illi foret, per mulierem parandas esse viro insidias: sed meram fœminam in Eua nõ videt: videt *sponsam diuina fictam manu, in dotem creaturam datam, sponsæ ductorem Deum*, & hominis euertendi spebus frustrari metuit. Tandem audet, fœminei sexus fragilitate subnixus. Igitur, Diabolus inuidia efferatus serpentem induit, & post aëris rectionem, serpentis rector cõstituitur, turpi facinori turpiter adrepens. Itaque serpentis facie personatus insidiosè meditata aggreditur, & Adamo tantisper ab vxore absenti, per vxorem insidias molitur, & per latus hominis structuram subruere inceptat. Vix primam superbię admouetat machinam, & mulier labefactata ruit, instructa labefactare virum. Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectúque delectabile, *& tulit de fructu illius, & comedit; deditque viro suo, qui comedit. Quid agis mulier? iussa es virum fouere, & ad insidias peruenisti? formata es in vitæ societatem, & mortis conciliatrix inuenta es? vt membrum sumpta es, & vt sagitta missa es?* Seleuciani Basilij verba sunt. An putas quod vna Eua fuit? Eheu vna plures est! Tot Euas videas, quot fœminas vides. Audi Tertullianum in lib. de habitu muliebri sic de quavis vulgò muliere fantem: *Ipsam se* mulier *circumferens Euam..... quo plenius id quod de Eua trahit, ignominiam dico primi delicti, & inuidiam perditionis humanæ, expiaret,* &c. O quàm fœminas peturgent hæc Tertulliani verba! Quævis vniuersatim mulier in se Euam circumfert: ignominiam primi delicti, periculum reliquorum, & perditionis humanæ inuidiam portat? Formata est, vt virum foueret, & viri fotu insidias subdolè parat? Datur in vitæ societatem, & mortis conciliatrix inuenitur? In membrum sumpta est, & de Diaboli pharetra velut sagitta missa est? *Tu es* (ô mulier) *quæ eum suasisti, quem Diabolus aggredi non valuit.* Tu in eum præualuisti, in quem portæ inferi præualere non poterunt. O vide in quavis vulgo fœmina alteram ipsam Euam, quæ trahit ignominiam primi delicti, & inuidiam perditionis humanæ, de serpentino Diaboli veneno latè propagatam!

Seleucus Orat. 3

Quævis mulier in se Euã circumfert.

Genes. 3. v. 6

Basil suprà.

Tertul. lib. de Hab. mul. c. 1

4. Hic vers. 8. dum Tobias Angeli comes appropinquaret Rages ciuitati Medorum, sic eum alloquitur: Obsecro te Azaria frater, vt dicas mihi quod remedium habent ista, quæ de pisce seruare iussisti? Et respondens Angelus, dixit ei: *Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum siue à viro, siue à muliere, itaut vltra non accedat ad eos.* Quid est, quod hic è pisce exhalatus fumus, omne dœmoniorum genus extricat siue *à viro, siue à muliere*? Et quid opus fuit dicere, hunc suffitum non modo à viris, sed à fœminis etiam omne dœmoniorum genus confestim extricare? An difficiliùs est à fœminis, quam à viris extricare dœmonia, & quæ necessitudo inter Dœmonem, & mulierem, vt difficiliùs à fœminis, quàm à viris Diabolus extrahatur? Est-ne aliqua malitiæ affinitas, siue fraudis cognatio? S. Maximus ancillam ostiariam cum Eua Protoparenti' seductrice, his verbis eleganter confert, ad rem præsentem opportunus: Sicut Adam fœmina circumscripsit, ita, & Apostolum fœmina circumuenit. *Vsitatus enim ad decipiendum sexus est, fraudis suæ vasculum in ostiaria Diabolus recognouit.* Fœmina est deceptionis officina, tentationum conflatorium, & diabolicæ fraudis vasculum? Fœmina est Diaboli organum, quod infernale virus euomit, & totam Diabolorum fraudem malitiosè despumat? O, quis Dœmonem abigat à suæ malitiæ instrumento, & fraudis suæ vasculo? O caue tibi à fœmina, quæ Adamum subuertit, Petrum seduxit, & diabolicæ fraudis cognata versutia, mortem blandiendo propinat! Heu mulierositas de inferno afflatur!

Hic v. 8.

Est-ne mulier diabolicæ fraudis vasculum.

Maxim. homil. 3 de Pœnit. Petr.

5. Geneseos 20. Abrahamo in Geraris peregrinãte, dixit de vxore sua Sara, *Soror mea est.* Rex verò eius pulchritudinem admiratus, tulit eam in vxorẽ: sed Deo matronalis pudicitiæ vindice, Patriarchæ intacta restituitur. *Sara autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt.* Cur prope vetula Sara nunc recens obnubitur sumptuoso velamine? An non iam Abrahamus rem totam verè excusauerat? Profectò pulchræ Saræ recens velamen, vel apparentem saltem reatum reuelare videtur. Verùm vt sententiosè aliorsùm dixit S. Isidorus Pelusiota: *Excusationem nescit natura, veniam fœmina non habet.* Nempe sic vsitatus ad decipiendum sexus est, tam certo esse putatur blandientis vltrò fraudis amatorium vasculum, vt mulieris *natura excusationem nesciat*, idest, plerumque eius non admittatur excusatio: exinde *veniam fœmina non habet*, hoc est nulla ei parcit lingua, rara illi indulget suspicio, adeò vt Euæ seductionem adhuc circumferre putetur. Ergo pergit Isidorus ita suo scribens Sosandro, qui post viduitatem secundas intentabat nuptias: *Non te*, inquit, *mulieris venenum corrumpat ad alterum voluptatis congressum, te tanquam præstigijs quibusdam illiciens, carnalesque blanditias, atque inutiles curas, & suspiciones docens.* Benè, ac verè Isidorus! quasi mulier sit blandientium *præstigiarum* officina, & *suspicionum* gymnasium.

Gen. 20 v. 16

Quo sensu dicatur, quòd veniam fœmina nescit.

S. Isid. Pelus. lib. 1. epist. 87

Idem ibidem epist. 213.

§. CCXLIII.

Acerbitatem tormenti non facit pœna, sed causa; qua cruciatus in supplicium degenerat.

1. L*Egem nocens veretur, fortunam innocens*, dixit ille quicumque, sublimiori quàm solet Comicus cothurno. Sed aliquando immunitatem à lege, legumque pœnis, audax fortunæ vicissitudo inquietat, & innocentiam, quasi leges violatione fatigauerit, velut pœnali cruciatu fatigat. Porrò innocentia cruciatibus obnoxia est; à supplicio autem immunis, impeccantiæ priuilegio tuta, quo procùl arcetur inhonorum supplicij nomen

Publ Mim. apud Senec.

Legis minas, nocens veretur fortunam innocens.

nomen, ablata re vocabuli. Vbi enim culpa vacat, etsi non otietur cruciatuum acerbitas, infame tamen pœnæ elogium peregrinatur: pœna enim de culpæ merito, & sceleris confinio, dissonam mutuatur. Itaque innocens cruciari potest, puniri nō potest: aduratur sensus cruciamentis, saluo innocentiæ decore, quod supplicij non patitur probrum, quia non patitur culpam, vnicam pœnæ matricem. Ergò innocens fortunæ casus varios timere potest, pœnales legum cautheres timere non potest; immunis est à pœna, qui culpæ exul est; nec sceleris stigmate notari valet, quem nec semiustulauit culpæ æstus. Ingenuè patitur, qui dum cruciatur, non punitur. Ast nil æquè in calamitatibus innocentes fatigat, quàm immeriti supplicij nomen. Dura pati, fortitudinis negotium est, res constantiæ, & magnanimitatis otium: supplicium autem ferre, de non bona culpæ cognatione, calamitatis exaggeratio est, honoris iactura, & aliquod innocentiæ apud homines stuprum. Crucietur Sara atroci Asmodæi, aut amore, aut odio non tamen eius puniatur innocentia. — Hic v. 14.

2\. Iobus olim magnus pietatis athleta, patientiæ simulachrum, & spirans tolerantiæ columna, Iob inquam vir fuit iustus, verax, simplex, innocens, & omnium sanctitatum moribus factus; ab vniuersis concupiscentiis huius mundi secretus, conuersatione limpidus, mente limpidior, vsque adeo circumspectus, atque irreprehensibilis, vt Dei sit testimonio laudatus. Ast vbi per Deum, integrum fuit Satanæ, in sanctum virum inhumanè sæuire, omnes tentamentorum artes validè in illum exacuit, si qua possit eius labefactare constantiam, & deprauare virtutem. Vniuersas eius facultates subitò rapina, igne, ferróque, vno momento disperdit. At vbi Diabolus aggressuris tantis, nihil se profecisse cognouit, omnem impietatis suæ rabiem in filios eius effudit: nam vna ad fraternum epulum congregatos in domo, concussis toto nixu quatuor angulis eius, in consulaneum aceruum parietibus, tectisque cadentibus, antequam perimeret, sepeliuit, immaturo funere, & ferali excidio. Quo nuncio accepto, Dei seruus scidit vestimenta sua, non vt Deo inuidiam faceret, sed vt expeditiùs cum hoste pugnaret. Audi Zenonem Veronæ antistitem hac de re pulchrè philosophantem: *Contempsit Iob in perditis facultatibus diuitem: dissimulauit in amissis liberis patrem, in pœna sui corporis iustum. Namque summo capitis à vertice vsque ad imos vngues pedum plaga inimici percussus, populosis vlceribus non distinctus est, sed totus vnum vulnus est factus.* Scilicet magnum Iobi encomium est, quòd diuitias, quas omnium sitis hianter anhelat, animo nimis sobrio neglexit. *Contempsit in perditis facultatibus diuitem.* Et quod maius est, in illa vnius funeris turba paternus dolor sufficit orbitati, cùm nescit quem primum plangat, quem priorem inueniat, cui primum iusti erudi funeris soluat, & pietatis iura supergressus, velut impietate quadam pia, *dissimulauit in amissis liberis patrem.* Ast quod maximum in Iobi tragœdia videtur, patitur, vt pœna dignus; cruciatur, vt flagitiorum reus; & dum grauissimè torquetur, puniri acerbiùs putatur: *Dissimulat in pœna sui corporis iustum*, & quæ athletæ exercitatio est, acerba ob reatum punitio creditur. Non modo lancinatur eius corpus sæuis vlceribus, & dira morsicatione corroduntur viscera; sed eius etiam innocentia dehonestatur, sauciatur, laniatur; dum patitur

Iob dissimulat in pœna sui corporis iustum.

Zeno ser. de Iob.

Iob. 1. v. 7. Ierem. 30. v. 14.

quasi reus, cruciatur quasi noxius, exulceratur quasi iniustus: *dissimulat in pœna corporis sui iustum*, & quem conscientia absoluit pœna damnat. Innocens excruciatur, sed nocentis infamia pœnalissimè feritur, ad tormenti hyperbolen; dum titulo iniustitiæ, iustè feriri perhibetur, quod calamitatem exaggerat: *Dissimulat in pœna corporis iustum*, vnicum in malis solamen.

1\. Petri 4. sic Christianos ad atrociores calamitates Apostolus adhortatur ad tormenta inquam, non ad supplicia. Communicantes, inquit, Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobamini in nomine Christi; beati eritis. *Nemo autem vestrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Christianus, non erubescat*, &c. Nimirùm nemo Christianorum grauatè ferat tristiores calamitates, carceres, exilia, lacerationes, & sæuissima quæque cruciamenta, quæ non tam de molestia faciunt dolorem, quàm de patiendi causa. Ergò nemo vestrum patiatur vt sicarius, vt prædo, vt maledicus. Quod si ob virtutem excrucietur, non erubescat, sed sibi exultanter gratulentur: siquidem se in pœna sui corporis Christianè iustum fatetur. Peregregiè Tertullianus velut commentans hęc Apostoli verba, sic alloquitur Romanorum præsides, vesanos Christianorum persecutores: Vestros iam, inquit contestamur actus, qui quotidie iudicandis custodiis (idest, in carcere vinctis) præsidetis, qui sententiis elogia dispungitis: tot à vobis nocentes variis criminum elogiis recensentur: quis Christianorum illic Sicarius? quis manticularius? quis sacrilegus, aut corruptor, aut lauantium prædo? quis ex illis etiam Christianus adscribitur: aut cùm Christiani suo titulo offeruntur, quis ex illis etiam talis, quales tot nocentes? *De vestris semper æstuat carcer, de vestris semper metalla suspirant, de vestris semper bestiæ saginantur, de vestris semper munerarij noxiorum greges pascunt*, (nota mihi quæ subtexit verba elegantissima.) *Nemo illic* (in carcere inquam) *Christianus, nisi planè tantum Christianus; aut si, & aliud, iam non Christianus.* Quasi dicat: causam Christianorum attentiùs dispicite, quam si penitiùs explorabitis, pronum erit aduertere, Christianos in carcere impactos, & tormentis consecratos, hoc vno nomine, quia Christiani sunt, excruciari. Comprehendi in custodiis, catenari in ergastulis, fatigari in tormentis possunt; sed puniri omninò non possunt: nam cùm hoc tantum nomine patiuntur, quia Christiani sunt, verum Deum colunt, & iustitiam sectantur; nemo illic *dissimulat in pœna sui corporis iustum.* Nemo in carcere patitur, vt homicida, vt fur, vt maledicus, de paganis semper æstuat carcer, semper metalla suspirant semper bestiæ saginantur, & patibula gemunt: *Nemo in carcere Christianus, nisi plane tantum Christianus; aut si & aliud, iam non Christianus.* Gaudeat ergò quia innoxius patitur, nec quasi noxius puniri potest. Pœnalissima cruciamenta, communicans Christi passionibus, subest; sceleris pœnam, & propudiosum supplicij nomen subire non potest. Hinc vulgò scelerum rei, latere gestiunt, trepidant deprehendi, negant accusati, nec torti quidem facilè confitentur, & certè condemnati mœrent. Christianus verò quid simile? Neminem pudet, neminem pœnitet, nisi planè retrò non fuisse. Si denotetur, gloriatur, si accusatur, non defendit: interrogatus, vel vltrò confitetur

3\.

1\. Petri 4. v. 13. & 16.

Nemo olim in carcere Christianus, nisi tantùm Christianus, quod si aliud iam non Christianus.

Tertul. Apolog. c. 44.

confitetur, damnatus, gratias agit. Quid mali est, quod naturalia mali non habet! timorem, pudorem, tergiuersationem, pœnitentiam, deplorationem, quid hoc mali est, cuius reus gaudet? cuius accusatio votum est, & pœna felicitas? Nec mirùm, non enim de scelere punitur, sed excruciatur ob iustitiam; nec in tormento dissimulat iustum, sed probat: neque enim pariter vt homicida, vt fur, vt maledicus, &c. & inde *gaudet Nemo illic Christianus, nisi planè tantùm Christianus; aut si & aliud, iam non Christianus.* Quid illustrius? Pœnam non facit tormentum, sed tormenti causa; non corporis molestia, sed animi culpa.

§. CCXLIV.

Mundana felicitas absque labore non obtinetur; obtenta verò, nouos labores semper spondet.

1. NEmini vnquam tam prosperè fortuna adludit, vt eius pectus aliquando impleuerit. Immortalis animus, & cælestium candidatus, terrena desiderare potest, terrenis satiari non potest: nam cum humanâ (quam vocat) felicitate, vlterioris felicitatis sitim bibit? & rei ambitæ adeptio, quæ est auspicium possidendi) non est finis desiderandi, sed vlterà ambiendi initium, & fallax irritamentum. Istæ, quæ voluptates vocantur, vbi transcenderint modum, pœnæ sunt: & etiam citra modum, in nauseam continuò vertuntur. Dicat ergo quisque sibi: Honoris, gulæ, libidinis & opulentiæ voluptas fragilis est, breuis, incerta? fastidio subiecta: quò auidiùs hausta est, eò in contrarium recidens: cuius subindè necesse est, vt pœniteat, aut pudeat. Inquieta res est, ambitio, & incertus eius exitus, certo labore emptus: quin etsi prosperè succedat, honor obtentus, non sedat fruitione animum, sed ad rursus ambiendum magis inquietat. Belluina res est, corpus implere, & immoderatiùs saginare: ingluuies enim exsomni lecto, fœdè cruditates ructat, crepans impari gulæ molestiâ. Res humilis est libido, membrorum turpium ac vilium ministerio veniens, exitu fœda, ipsum voluptatis suę bonum erubescens. Incerta res est opulentia furax, fugax, sollicita, volatica; quæ fastidiens antiquum possessorem, nouos riuales quærit & genio inconstantiæ, vltrò ad non quærentes veniat. Limo concretus homo, lutum suum sapit, cœnum suum subolet. Humano labori terra stat, terræque homo pellitus vt metallo datus: nemo prudens inter diræ seruitutis ærumnas, exoticas delicias quærit. Quod in terrâ ignauè requiris, in cælo affatim inuenies, de mendicitatibus egenæ creaturæ saturari hias? Si planè deliciari cupis, cælestia suspira, & suspiriis mortalibus, totam immortalium deliciarum gratiam redimes.

Voluptas possessa, ad vlteriorem possidendam inquietat.

2. Psalmo 127. Sic regius Vates de cælo afflatus pangit: Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius: ostendens non ex trepidatione nostrâ, neque ex ex terrore ei[9], qui terribilis sit, beatos esse qui timeant; sed ex eo quòd in viis Dei incedant: timor enim non in metu, sed in obedientia est, & timoris testimonium est obsequela. Pergit Dauid: *Labores manuum tuarum quia manducabis; beatus es, & bene tibi erit.* S. Zeno Veronensis sic locum exscribit: *Labores fructuum tuorum, quia manducabis: beatus es, bene tibi erit*, & pulchrum proponit dubium, quod non facile quisque extricet: *Est autem contuendum propheticum hunc sermonem ab vsu communis opinionis discrepare: in hac enim vita conuersatione, qui manducant laborum suorum fructus, manducant ex fructibus elaborati operis sumenter. At verò Propheta ait: Labores fructuum manducandos. Non consequitur sensus humanus dicti huius intelligentiam: ex laboribus enim fructus est, non ex fructibus labor.* Sic humanæ conuersationis vsu venit, vt quisque impenso proscindendæ telluris labore, sementis prodigè faciendæ, noxiarum aberruncatione herbarum è segete, frugum æstuanter metendarum, & sedulæ trituræ, euentilationisque industriâ; fructus congreget, quibus toto exinceps anno vbertim pascatur. At post fructus in horrea conditos, qualis tunc labor? quæ operosa industria? Imò lęta succedit annonę possessio, industria cessat, labor otiatur; nilque nisi fruitio superest, & otiosa saturitas. Et tamen ait Propheta: *Labores fructuum tuorum manducabis.* O nimis bene! In mundiali enim fruge, ex laboribus fructus est, & rursus ex fructibus labor. In congerendis diuitiis immensus labor est, in conseruandis auara sollicitudo, incerta possessio, fugax amissio, & alia sexcenta opulentiæ incommoda. In ciborum deliciis, breuis palati voluptas est: & gula, opum, & salutis iactura, & vitiorum magno luendorum protiramentum. Ambitio nimis sudat, vt ad fastigium dignitatis ascendat: sed vix ascendit, cum aut precipitanter cadit, aut maiorem ascensum irrequieta ambitio instanter molitur, aut nauseat ad obtentæ dignitatis labores. Labores fructuum suorum semper homo manducat, & laboriosè vorat, quos vix vnquam nisi in sepulcro digerit. Humanæ spei fructus, fructus nouos anhelat; & quæ è re successerunt vota, votorum non finis, sed inquieta mutatio est. Ante possessionem labor præiuit, nouus post possessionem labor, priorem sequitur; eò maior, quò rem maiorem iam exambit. Et ita homo perpetuo labore perenniter æstuat, æstu laboriosæ ambitionis semper anhelus, dum cum humana felicitate, vlterioris & vlterioris felicitatis sitim bibit. *Labores fructuum tuorum quia manducabis, beatus es*: sed mundanâ beatitate, quæ aliam semper, atque aliam suspirat. *Vna dicha alcançada, son prendas para empeñarse en procurar otra: y no perdonar à trabajo por alcançarla.* Quod non tantùm improbis euenit, etiam probis, non admodum probè cupientibus accidit. Felicitas immanis piscis enecti, & argenti iam propè redempti, ad nuptiarum felicitatem inuitauit Tobiam; sed non absque maioris periculi metu, vt habetur hic vers. 14.

Psalm. 127. vers. 2.

S. Zeno ser. de Psal. 127.

Labores fructuum suorum quomodo quis semper manducare possit.

Hic v. 14.

3. Lucæ 12. Christus Deus hâc similitudine turbas erudit: Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit. Diuitis inquam, non facturi quidem ex vbertate fructuum aliquid boni; vt magis diuinæ beneficentiæ longanimitas pateat, quę vsque ad malos suam benignitatem extendit. Quæ vero sunt, quæ hic homo benefactori recompensat. Et cogitabat intra se, dicens: *Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos?* Et dixit: Hoc faciam; Destruam horrea mea, & maiora faciam: & illùc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ

Luc. 12. v. 17 & 19. & 20.

Stultus pronunciatur, qui post perceptos sæculi fructus, dicit animæ suæ, vt requiescat.

animæ meæ: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte*, &c. Vide huius diuitis, quem opulentia premit, sollicita consilia, & curas steriles, in tantâ frugum fœcunditate, *Quid faciam?* inquit. Conqueritur adæquè vt pauper, vt notauit Basilius. *An non*, ait, *quem premit inopia, dicit: Quid faciam? vnde victus? vnde calceamenta? talia & locuples profert. Vrgent enim ipsius animam diuitiæ à promptuariis emanantes.* Ecce tibi præmium laborum Diuitis, vt fructus colligat, & cùm opimos vel vltra vota collegit, subsecutum laborem, anxias curas, & sollicitudines angoris refertas, quæ paupertatis labores æmulantur. Sed quid est, quòd postquam vberes in capacioribus horreis fructus congregauit, dicit animæ suæ; *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.* An eius anima adeò erat hebes & stolida, vt ignoraret ex locuplete illo prouentu, se tot habere bona? Et tamen *stultus* appellatur, quasi fatuè id dixerit. Porrò anima si sapit, aut non prorsùs stultescit, planè ignorat, ex vberioribus terræ fructibus, sibi *requiem* parari, nec laborum exinde initia nasci. *Labores fructuum tuorum manducabis*: neque enim labor duntaxat fructus vberes præit, sed etiam subsequitur. Ergo qui post copiosos fructus in capacioribus horreis congregatos, dicit animæ suæ: *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce*, &c. iure optimo *stultus* pronunciatur; quia sic stultescit, vt nesciat huius sæculi frugem præambulo labore parari, subsecuto labore possideri: quod si sapit eius anima, probè scit. Et licet ignauè nesciret, id ille manifestè indicauit angoris sui, post perceptos vbertim fructus, indicio; dum in similes pauperibus querimonias erupit, aiens: *Quid faciam?* quò verissimum esse ostendit: quòd vt labor fructus parit, ita & fructus laborem parturiunt. *Labores fructuum tuorum manducabis.*

(S. Basil. M. hom. 6.)

4\. S. Hieronymus ad illud Marci 1. *Postquam autem traditus est Ioannes*, &c. *Paupertati Christianorum regnum tribuitur sempiternum. Honor autem terrenus spuma aquæ glaciali, vel fumo, seu sono comparatur.* Appositè terrenus honor & mundialis voluptas, *spumæ aquæ* comparatur: spuma enim est aqua vehementi collisione aut verberatione graciliter crispata, & inde pulchrè nitens: quasi aqua ex inflicto verbere, aut coactâ collisione, despumans iras spumosa albicet. O pulchrum honoris & voluptatis hieroglyphicum, Hieronymiano ingenio dignum! De prauiâ molestiâ, aqua in spumam cogitur, spumosa nitet. *Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ*, ait Oseas: *honor* enim *terrenus spumæ aquæ comparatur.*

(Marci 1. v. 14. S. Hier. ibi. *Honor terrenus spumæ aquæ comparatur.* — Osee 10. v. 7.)

5\. Canticorum 4. *Veni de libano sponsa mea, veni de libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Mirissimum sanè est, quòd cùm Sponsa ad augustiorem euocatur *coronam* & beatæ felicitatis verticem; è vertice illorum montium euocetur, in quorum descensu, ferarum latebræ occulantur. Quare quæ à vertice summoque montium fastigio euocatur, per leonum ac pardorum cubilia, & per antra belluarum descendat necesse est? neque horribilis alioqui earum occursus illam infestat, imò securiorem & feliciorem reddit augustæ *coronæ* felicitatem. *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Id ipsum sub aliâ metaphorâ pulchrè subest in nomine *Amana*, & *Sanir*. Nam vt doctè notauit noster Sanctius, *à capite Amana* significat in Hebraicâ origine, *à principio fidei*; *Sanir* verò, *lucerna scopulum, seu dentem* significat. Ecce tibi *scopulos* seu Syrtes, quæ horribile naufragiũ minitantur, blandiuntur tranquillitatis gratiæ: nam qui *scopulus* ad naufragium videtur, *dens* anchoræ est, qui nauem in portu feliciùs fundat, grato securæ tranquillitatis lenocinio, quasi de periculo præuio felicitas prosperetur, quod velut *à principio fidei* ediscere oportebat ad tranquillam calamitatum perpessionem.

(Cant. 4. v. 8. *Scopulus naufragium minitans, dens ancoræ est, qui tranquillitatem fundat.* — Sanct. ibid. n. 62.)

§. CCXLV.

Ea est hominum peruersitas, vt ex quibus fructum capit, calumnias captet.

1\. ITa amicum habeas, posse vt fieri inimicum putes. Amicos res optimæ parant, aduersæ probant, beneficæ fundant. Sed non parùm sæpè queri possumus de non bono naturæ nostræ genio, quo Dei, & hominum beneficia corrumpimus, & vt essent contraria, effecimus. Heu quoties beneficentia negotiatur loco gratitudinis, odium; & amica fœdera bellum procurant! Scilicet peruersi homines, amicitiæ securitate tuti, malitiæ cognatæ libidine ad nocendum protrantur: & vnde putaretur beneuolentiam hausisse, odij, & malitiæ venena eructare videntur. O quoties arctior necessitudo in simultates degenerat, & beneuolentior nuper amicitia, acerbiora audenter odia alit! quasi de beneuolentiæ fomite, infestioris discordiæ nequitia peruersè nutriatur; & pacis amico fœdere, bella inimica fœderentur. Ergo sic amicum para, posse vt fieri inimicum timeas; siquidem vel ipsum beneuolentiæ fœdus, infestationem sæpè negotiatur. O scelus! Quid tàm turpe, quàm cum eo inimicitias gerere, cum quo amicè egeris? Amicitiæ fomite inimicitias nutris?

(Publ. Mim. — *Amicus sic est parandus, vt posse fieri inimicum putemus.*)

2\. Geneseos 11. postquam Noëmi arca naturæ scintillam velut vlnis circumplexa occultabat: postquam cælum tanquam iudiciali voce reos inclamans tonitu crepitabat: postquam terram rursùs abyssus, & tenebræ obtinebat, atque in priscam confusionem mundus inclinabat: postquam Sol nubibus, ceu muris intercipiebatur: postquam sine luce cursum explebat, neque vlla erat lunæ gratia, nulla in conspectu astra; sed noctem nox excipiebat, & rerum vniuersitas die erat viduata; terminique naturæ non sine perturbatione contra impietatem armabantur: cum naufrago mundo hominum impietas perit. Tunc arca supra extemporalis oceani dorsum subuecta mundi habitabilis simulacrum erat, nauigans vrbs, creaturis grauida, communem secum partum circumferens, vniuersum mundum conceptum circùm agens, aluus vnica varios creaturæ complexa partus, animatorum mater exanimis; stato partionis tempore, octo homines cum cæteris animantibus in terras vltrò sospites effudit. Sed noui mundi habitatores noui eluuionis naufragio attoniti, timore alterius diluuij inertes ab humanis operibus cessant, ne suo labore alteri naufragio materiam extruant. Tunc benignissimus

mus Deus mortalium vices miseratus, pauculam hominum gentem, bono animo esse iubet,& his verbis tranquillat: *Arcum meum ponam in nubibus,& erit signum fœderis inter me, & inter terram. Cumque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus: & recordabor fœderis mei vobiscum. . . . & non erunt vltra aquæ diluuij*,&c.

Genes.9.v. 13.& 14.

Arcus cælestis fœderis cum terrâ, cælo periculū minitatur.

Penè conuenit inter expositores Iridem hîc denotari; quod signum & sibi, & hominibus exhibet Deus, concordiæ cum hominibus initæ de non iterando vltrà mundi naufragio, quantumuis adsimilis hominum malitia, adsimilem diluuij pœnam exposcat. At subtiliter quærunt interpretes, quare cælestem arcum in nubibus apparentem, potiùs elegerit in signum amicitiæ, quam Deus cum hominibus init? Quid inest Iridi peculiare, vt illam malit Deus, quam quiduis aliud in cælo terrisue apparens? Neque enim cæli arcum in signum amicitiæ cum hominibus à se initæ, elegisset Deus, nisi in illo aliquid speciale eluceret, quod proprietatem aliquam humani fœderis seu amicitiæ humanæ præsentaret. Bellissimè quidem pariter ac moralissimè cæli arcum præeligit Deus in signum pactæ cum hominibus concordiæ. Non enim duntaxat, *Arcus instrumentum iaculandæ sagittæ est*, vt inibi notauit Ambrosius: sed quod nemo non videt, binæ huius cœlestis arcus extremitates tangunt terras; & arcuata Iridis medietas, quâ sagittæ eiaculandæ sunt, versus cælum vergit, non versus terrā. Vnde terrâ incolumi ab ab huius arcus iaculis, cælo sagittas homo quodammodo minatur, cælis bella parat, & periculum (vt vt potest) cælo vibrat. Res profectò admiratione dignissima, quòd dum Deus amicitias init cum homine, & æternatura cum eo sancit fœdera; Signum amici fœderis, quod præ reliquis eligit, est arcus versus cælum extétus, &, qui ipsum cælum sagittare, videatur. Quasi dicat Deus: tametsi exinceps omnis caro corrumpat viam suam, in mei pacti asylo tuti eritis ab alterius diluuij calamitoso naufragio. At amici fœderis signum quod vobis offero, humanos moralissimè describit mores, dum fœderis signum, terram contra cælos armat. *Arcum meum ponam in nubibus,& erit signum fœderis inter me,& inter terram.* Quid opportunius? Exinde hic iunior Tobias, vel ab amicissimo Angelo, sub humana specie illi apparente, solerter sibi cauet. Qui non timet ab Angelo, timet ab Amico?

Ambrof. ad ea verba.

Hic vers.14.

3. Matthæi 14. nec vastum maris æquor, sistere potuit frequentis turbæ sequelam, quam diuersissimus affectus stimulabat, vt Christi vestigia insequerentur. Discipuli turbarum dimissionem negotiantur, vt in propinquis oppidis cibos emere possint, ne triduanâ fame pereant. Iesus autem respondit Discipulis: Non habent necesse ire: date illis vos manducare. Responderunt ei: non habemus hîc nisi quinque panes, & duos pisces. Qui ait eis: Afferte mihi illos huc. Et cum iussisset turbam discumbere super fœnum, *Acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens, in cælum benedixit, & fregit, & dedit Discipulis, panes, Discipuli autem turbis.* Et manducauerunt quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & paruulis; & in miraculi defensionem superfuerunt duodecim cophini fragmentorum pleni. Magnum planè prodigium, & dignissimum, vt inde & agnosceretur Messias, & Rex Israël acclamaretur. Sed quid est, quòd priùs *aspicit in cælum*, vt sublimissimum miraculum patret? *Numquid velut indigus abundantiam postulat?* (ait Basilius Seleucus) *Numquid oculorum eleuatione de cælo accersit auxilium? numquid aliunde mutuatur beneficentiæ potestatem? An Ario materiam suppeditat, & Eunomij linguam armat, blasphemias aduersus Christum conquirentem?* (Obserua quæ Seleucus subdit eleganter ad rem tempestiuus) *Non equidem, sed Iudæorum calumniam opprimere occupat: semper enim Iudæus amans est criminationis: & ex quibus fructum capit, querelas captat.* Scilicet cùm Christus Deus largissimè beneficus, vellet in eremo tot hominum millia, quinque panibus & duobus pisciculis, vsque ad fastidium exatiare; solerter præcauet, ne qui beneficium accepturi erant, cognatæ ingratitudinis genio obmurmurent, se inuito cælo miracula patrare. Insaniat licet indè Arius, furat Eunomius, & malitiosa Hæreticorum audacia acerbiùs oblatteret, cælum priùs aspicit, ne turba *ex quibus fructum capit, querelas captet.* O peruersum hominum ingenium! non tantùm ab eo quem læseris, sed ab eo etiam cui largiùs benefeceris, cauendum tibi est? Vnde fructum capis, calumnias captas? Nec largitas tuta est in beneficentiæ asylo? O tibi inuidet, qui beneficentiam erga se corrodit! Sic cautè benefaciendum est, ne ex amuleto venenum sugant? O scelus, eò inhumaniùs, quò totam constuprat humanitatem! Ecquis sistet ingratè vituperonum linguas, quæ de beneficiis ad maledicentiam armantur? O, cautè beneficia exhibito!

Matth.14.v. 19.

Ioan.6.v.11.

Homo ex quibus fructum capit, querelas captat.

Basil. Orat. 33.

4. Lucæ 22. ad orationem exsomnem seriò Discipulos Christus adhortatur; & ecce turba: *Et qui vocabatur Iudas, vnus de duodecim, antecedebat eos: & appropinquauit Iesu, vt oscularetur eum.* O ineffabilis Saluatoris humanitas! præscit infidam fraudulenter malitiam, & proditori patientiam osculi non negauit: nec fastidiuit squalida Iudæ ora, qui ad æternam eius salutem ardenter hiabat. Præfata Euangelistæ verba sic ad lemma præsens Cyrillus exponit: *Et appropinquauit Iesu, vt oscularetur eum. Immemor enim gloriæ Christi, putauit forsitan posse latenter agere, ausus præcipuum dilectionis signum, organum efficere doli.* Immemor *gloriæ* Christi dicitur Iudas, qui toties viderat eum conscientiæ abdita reserantem, & cæcas cordis litteras coràm præclarè legentem. Hæc ne dicetur antonomasticè *gloria* Christi, hominum arcana animirùs abscónsa peruiis oculis medullitùs penetrare? Itaque Iudas dominicæ perspicaciæ cæcè immemor, ex Christi Dei patientia vrbanissimè humanâ, inhumanam sæuitiam barbaricè excudit, *ausus præcipuum dilectionis signum, organum efficere doli.* Quid tam malitiosè agreste, & crudeliter barbarum, quàm violare mitissimam Saluatoris patientiam venenata Proditoris oscula minimè tecusantem? Osculum, signum amicitiæ est, & beneuolentiæ notaculum; quid ergo, ô Iuda, charitatem adulteras, cùm eius virgines notas amicâ subdolè fraude constupras? Impressum beneuolentiæ signum, in cruentos sæuè dolos vafertimè excudis? In officina amoris fraudū odia componis? amicum charitatis signaculum fraude resignas: Ea est Iudæ peruersitas, vt ab osculo mitissimè accepto, quod amicitias spondet, & init, dolos captet, & instrumentum inimicæ cædis extruat, *ausus præcipuum dilectionis signū, organū efficere doli.* O peruersè infidum Proditoris ingeniū!

Lucæ 22. v. 47.

Iudas præcipuum dilectionis signū, doli organū efficit.

Cyrill. apud Caten. inibi.

§. CCXLVI.

Bonus vir, & pacis ciuiliter studiosus, negotiosè satagit, ne discordiæ suspectus videatur.

1. CONcordia, & reciproca semper beneuolentia, pietatis est signaculum, virtutis compendium, sacramentum communitatis, & specialis Christianismi integritas, Illud Iacobi 1. *Vt sitis perfecti & integri, in nullo deficientes*, sic aliqui exponunt, vt τὸ *integri* opponatur multis, idemque valeat, *vt sitis integri*, ac dissidiis, ac voluntatum diuertio minimè distracti: nam discordia vnitatem dissipat, prohibetque quominùs corpus *integrum* sit. Illa verba Hemoris ad Sichimitas, qui Iacobi, Iacobæorumque mores pu-blicat: *Viri isti pacifici sūt*, sic Aquila exscribit, & explicat: *Viri isti consummati atque perfecti sunt.* Ac si vir pacificus sit homo *integer*, consummatus, atque perfectus, in nullo deficiens, per arcanas virtutum consequentias. Qui verò in communitate rixis tumultuat, & dissidiis pacem interturbat, & concordiam inquietat, non tantùm à virtutis perfectione, sed ab humanitate quoque degenerat. Hinc viri sancti olim & nunc magno rei suæ dispendio, pacis compendium mercati sunt, quo *integri atque perfecti* inuenirentur, ne vel discordiæ suspicione; vt pace, sic & *integritate* imminuti forent. Rem in paucis arduam Azarias Tobiæ comes, ab eo expetit; at Tobias concordiæ peramans, ne videretur discordare à sodali, & submissè & vrbanissimè dubij rationes proponit; & tandem ad nutum paret, ne concordiam redimens, vel specie tenus à charo comite dissidere, & concordiam dirimere videretur.

(Iacobi. 1. v. 4. — *Vir pacificus, homo integer, perfectus, & consummatus dicitur.* — Genes. 34. v. 21. Aquila ibi. — Hic v. 14.)

2. Geneseos 13. & 14. vberrima Palæstinæ pascua ægrè sufficiunt Abrahami & Loti alendis gregibus. Inde facta est rixa inter pastores gregum Abraham & Lot. Dixit ergò Abraham ad Lot: Ne quæso sit iurgiū inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos. Ecce vniuersa terra coram te est, *recede à me obsecro*: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. Elegit ergò Lot regionem Sodomiticam fœcundiore amænitate vernantem: *diuisique sit alterutrum à fratre suo.* Postmodum autem finitimi Reges bella mouent aduersus regem Sodomæ, & reliquos Pentapoleos Dynastas. Signa conferunt, fugatur, & male conciditur Sodomæorum exercitus; præda abducitur opima, nec non & Lot, & eius substantia. *Quod cùm audisset Abraham, captū videlicet Lot fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo: & persecutus est vsque Dan, Et diuisis sociis, irruit super eos nocte: percussitque eos*, &c. Cum delectu quidem numerauit Abraham electissimos ad prælium milites; sed sine satis præuio (vt apparet) consilio, incunctanter victores hostes adoritur. Quid sic Abrahamum perurgebat, vt cum exiguâ manu propè inermis, hostes, quibus quinque nihilominùs Reges resistendo non fuerant, inuadere intrepidus auderet? Captiui infeliciter Loti vicem doleat, & cognati captiuitatem aliorsùm redimere, consilio maturè inito, negotietur: rem autem vsqueadeò periculosam sic adoriri, temeritatis citiùs, quàm pietatis speciem repræsentat. Quid ad hæc compulit prudentissimum, consiliosissimum, & pacatissimum virum? Bellissimè S. Ambrosius considerans improuisum hoc bellum à prudenti Abrahamo initum, adspectu ad diuisionem iam dudùm factam, Abrahami factum vindicat, & commendat egregiè. Porrò Patriarcha primus diuisionem à Loto nuper expetiuerat: (aiens: *Recede à me obsecro*) exinde haberi poterat de discordiâ suspectus: ergò, ait Ambrosius. *Probatur diuisionis affectus, quandò sic amabat nepotem, vt pro eo nec belli declinabat periculum.* Arduum sanè periculum vltrò subit Abrahamus, & improuisum aduersus victrices hostium manus adoritur prælium, quò discordiæ suspiciones eximat: & tanto discrimine suspectam violatæ contoncordiæ iacturam redimit. Amat vitæ periculum, ne concordiam odisse videatur. Opinionem Pacifici carò emit. Sed magnum semper pretium, magnam rei æstimationem exaggerat à pretio, rei census est. Parùm fuit, quòd dum Abrahamus, à Loto diuisionem expetiuit, aiens. *Recede à me, obsecro*; præmiserit: *Ne sit iurgium inter me & te*: adhuc enim sinisteritati suspicionum obnoxius esse poterat, cùm ipse primus diuortium expetierit. Ast vt suspectæ discordiæ vulnus sanet, inimica subire hostium vulnera non recusat: tantumque periculum vitæ promptus ambit, quò violatè concordiæ suspiciones excutiat: *Probatur diuisionis affectus, quandò sic amabat nepotem, vt pro eo nec belli declinabat periculum.* O de Abrahami schola discant homines, quanti sit facienda non tantùm res concordiæ, sed concordiæ etiam opinio; quam vt illæsam seruaret, sinistrasque dissidij suspiciones elueret, tanto se vitæ periculo Abrahamus exposuit!

(Genes. 14 v. 14. — *Abrahamus se vitæ exponit periculo, ne videatur discordiæ suspectus.* — Ambr. apud Caten.)

3. Genesis 1. in primâ mundi nascentis die, cælum & terram creat Deus; tunc aquæ aut in vastis terræ finibus profundè iacent, aut supra terras altè stagnant. Sed hactenùs cuncta tenebris obsita, sordidè squalent, quousq; è claro Dei ore, vi omnipotentis verbi, lux micat collustrans vniuersa. *Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quòd esset bona.* Vix autem lucem vidit bonam, eiusque bonitatem Deus adprobauit, cùm protinùs subdit: *Et diuisit lucem à tenebris* Valdè sudat Interpretū industria, vt huiusmodi *diuisionis* energiam exponat. Porrò tametsi Deus lucem à tenebris non diuideret, lux ipsa suâpte naturâ à tenebris diuisa foret: quis enim tenebras luci admisceat? neque enim luci ad tenebras vllum potest esse commercium: nam contraria de oppositionis genio non miscentur, sed propriæ diuortio naturæ longè dissident. Vnde hæc *diuisio*, quæ post creatam lucem facta à Deo dicitur, otiari prorsùs videtur: ipsa enim claræ lucis natura, vbi primùm fulget, tenebrarum excrementa despumat, defæcato semper splēdore. Chrysostomus præfata verba exponens, de hâc lucis à tenebris *diuisione* loquens, aliquod in eâ imperium agnoscit, ad rem præsentem non inidoneum. Ita inibi scribit Chrysostomus: *Et diuisit* Deus *lucem à tenebris. Nam ab initio cuique suos terminos præfixit, quos perpetuò absque impedimento custodires.* Nempè lux recèns creata, bona erat, bonaque suo auctori apparuit: ast cùm eodem, quo creata est, momento, dissidium cum tenebris fecerit, iussio *diuisionis* illi intimatur; vt dum lux cum tenebris discordiam exercet, mandatum ei impositum *custodire* videatur,

(Gen. 1. v. 4. — *Bona lux, dissidium cū tenebris, specioso obsequij nomine colorat.* — S. Chrysost. ibi.)

videatur, & cognata cum tenebris dissidia specioso obsequij nomine nobiliter coloraret. Bona est lux, & tanquam bona à Deo laudatur, sed ne alicui dissidiorum rea, aut discordiæ suspecta forsan videatur, diuortium illi à tenebris *præfigitur* exerta Dei voce, quo dum longo semper interuallo ab eis dissidet, diuinâ præceptionem *custodire* putetur; & cognatam perpetuo discordiam honesto obsequij titulo incessanter excuset. Scilicet dum agnatæ *diuisionis* affectus, ad iudiciorum reuocetur examen, bona lux, & à Deo dignè laudata, à discordiæ vindicetur affectu; & quod à natura venit præceptioni imputetur. Sic præcauet Deus ne bona lux, dissidiorum suspiciones incurrat? Parùm est, paci studere, Pacifici præclarum nomen magno etiam emendum est. O iuri tuo sæpè cede, ne prælustre Pacifici vocabulum cum re pacis inhonorè perdas, ingenti opinionis iacturâ.

4\. Geneseos 49. Iacob Iacobææ familiæ princeps, & duodecim tribuum auctor, morti iam vicinus, sic duodecim filios, totidem triduum patriarchas alloquitur: *Congregamini, vt annunciem quæ ventura sunt vobis in nouissimis diebus. Congregamini, & audite filij Iacob, audite Israel patrem vestrum.* An non omnes eius filij præsentes tunc aderant moribundo patri? quid ergo semel & iterùm illos vt pariter *congregentur*, tam sollicitè hortatur? Illos præsentes alloquitur, & vt vnà *congregentur*, seriò mandat, quasi exgreges & dispersi forent? Ecquod in his Iacobi verbis sacramentum latet? Rupertus præscripta verba exponens, ita ad rem scribit, *Congregamini videlicet, vt & corporibus congregemur in eisdem parietibus, in eadem domo Dei, in eadem schola Christi; & quod magis expedit, mentibus cōgregemur in vnitate fidei, in societate spiritus, in vinculo pacis.* Nimirùm duodecim illi Patriarchæ è quorum numerosâ vbertim posteritate Dei populus conflatus est, Ecclesiam typicè præfigurabant, & quoniam dissidia olim inter eos fuerant, & de Iosephi tragœdia fuerat concordia non leuiter læsa; eos, vt benedictionem à cœlo largitam, à paterno ore audiant, in vnum priùs *congregat*; ne discordiæ suspecti habeantur, & inde idonei vt diuinam cœlitus benedictionem excipiāt. In vinculo pacis *congregari* debet, quisquis benedictionem à Deo expetit, & expectat. Qui non *congregatur* in societate spiritus, & exgrex est, atque mutua discordia à fratribus alienus; iure alienus erit à benedictionibus. Discordia maledictionis affinis est, & concordia benedictionis illex. Bonus Pater Iacob, & pacis ciuiliter studiosus negotiosè satagit, ne eius benedicenda posteritas, discordiæ suspecta sit, & pristinæ simultatis rea, vnde corpore ac mente eos prius *congregare*, id est, *vinculo pacis, & societate spiritus* adunare solerter negotiatur, ne discordiarum suspecti, benedictionem auertant.

Gen. 49. v. 1. & 2.

Iacob filios suos discordia suspectos, prius in vnum cōgregat, vt benedictionem excipiant.

Rupert. ibi.

§. CCXLVII.

Non admittatur introrsùm maliloquus sermo, nisi priùs ad aurium margines tenuiter excolatus.

1\. Vnica *virtuti ansa aures sunt*, ait Plutarchus, eadem tamen ansa vitio patulè porrigitur. Ergò attēde cui simul cū aure assensum præbeas; ne fides petulanter temeraria, in maliloquijs perniciosè scortetur. Detractio iuxta ac adulatio vitanda, duæ hominum pestes, quæ vbi obsederunt aures, aditum virtuti claudunt, eò magis, quo magna semper hominum pars his lenocinijs oblectatur; tantoque altiùs in pectus descendit, quanto blandius excipitur. Adulatio veritatem mentitur, detractio obtenebrat: & vtraque dum libidine mentiendi aures constuprat, virginem fidem adulterat. Nemo prudens faciles in fidem aures extendit, & alienæ linguæ permittit. Adulatio audientis gloriam fingit, detractio gratiam auditoris architectatur, quid autem tam volupe, quam aliorum decremento se etiam grandescere, & reliquos detractione infra se videre, & se adulatione supra se ipsum? Quisquis beneuolas aures eiusmodi linguis præbet, in vitia ruet, tanquam si equum in præcipitia calcaribus agas. Vir cautè prudens, nulli præbet vtramque aurem, quam nouit esse fidei patrimonium; ne grata audiendi prurigine, facile admissa per aures, sera tandem pœnitentia excludat. Dei prouidentiæ, & Tobiæ prudentiæ adscribendum est, quod inhonestus rumusculus, qui per obuias & incautas aures serpebat, nimirum Saram occidisse septem omninò viros; (*Numquid*, ait petulās ancillula, *occidere me vis, sicut iam occidisti septem viros*?) ea inquam, fama, Tobiæ auribus sic defœcata & depurata est, vt hic vers. 14. tantum dicat: *Audio quia tradita est septem viris, & mortui sunt, sed & hoc audiui, quia Dæmonium occidit illos.* Non quicquid auribus excipit, vir bonus audisse dicitur.

Virtuti, ac vitio ansa aures sunt.

Tobiæ 3. v. 10. Hic vers. 14.

Regius Vates Psalm. 111. postquam præcelsa Sanctorum merita magnifice proposuit, aiens: Beatus vir qui timet Dominum; in mandatis eius cupit nimis, &c confestim eximiam Dei erga virum iustum prouidentiam, & actuosam gratiæ officiositatē modulatur his verbis: *In memoria æterna erit iustus: ab auditione mala non timebit.* Multimoda expositione τὸ *auditionem* commentatores accipiunt. Illa autē electissima ad mores est, quæ τὸ *ab auditione mala*, vniuersatim vsurpat, pro quolibet maliloquio de non bonę linguæ genio. Quasi dicat Psalmographus: Tametsi notum sit, quod præcipua vitijs ansa, aures sint, dum faciles se credulant alienæ garrulitati, maledicentiæ, adulationi; tamen eximiè iustus ea prudentiæ sagacitate alienū sermonem excernet, vt proficuis attentus, tanquam surdus fit nugis, detractionibus, & malignæ verborum garrulitati; quæ dum aures blande titillat, animum dirè sauciat, ingēti ruinæ periculo. *Ab auditione mala non timebit*: de gratię enim officiositate veniet, vt quod natura dedit auribus, gratia consummatè perficiat, sagacissima alieni sermonis secretione. Nā vt subtiliter iuxta ac eloquenter dixit Palladius, auriū ingentia pericula exponens; artificiosa aurium fabrica, dum periculi nos admonet, ad attentius prudentię examen euocat. *Porrò*, inquit, *cauernas aurium flexuosas, atque tornatiles Deus fecit, ex ipso habitu admonens, non cito in eas irrumpere debere sermonem, vt dum maiori temporis mora circū foramina vertitur, mendacij materiam cū malitia sordibus ponat ad ripas, ipsas, & margines auriū tenuiter excolatus.* Scilicet Deus tortuosū flexuosis cauernis ex interuallo effossis, aditū aurium consultissimè fabrefecit, ne obuia quæque lingua maledicentiæ suæ squalorē in,

Psal. 111. v. 7.

Ad aurium margines tenuiter excolatus sermo admittatur.

Palladius in Dialogo cū Theodoro de vita Chrys.

Plutarch lib. de Audit.

in illas commeatu peruio exonetaret, si omnibus sermonibus facile paterent. Ergò sic autes humanæ fabricatæ sunt, siquid sordidum, siquid cœnulentum, siquid impurum, sermonibus audiendis inesset, ipsis aurium anfractibus adhæresceret; & audiendus sermo longiùs eundo depuratior, insolitas sordes defœcaret, quò maledicentiæ & mendacij scoriâ deposita, aures quod purum est, admitterent, quod reiectaneum & expurium oppilata audientia refutarent. Itaque cum naturæ in fabricãdis auribus artificium, gratiæ genius perficit & consummat; non est cur Iustus ab *auditione* mala vllatenus timeat. Summo qui sic *tenuiter excolatus* ad aures peruenit, & extrinsecus depositis malitię sordibus, intrò sic commeat; mentem perficit, non fidem adulterat, exindeque vir iustus *ab auditione mala non timebit*, quia ad bonum duntaxat auritus est, ad malum æquè surdus; non aurium defectu, sed audientiæ virtute. O cautè obstruamus hos multimodæ malitiæ aditus, & expromptiorem vitiis ansam auferamus, prudenti sagacitatis cautelâ.

3. Euangelicus Vates Isaïas cap. 50. recensita Hebræi populi malitiâ, quâ Dei minas lacessiuit, & comminata supplicia impotenter extorsit: confidens in medio iniquissimi populi, pollutis labiis & prauissimis moribus venenati, ita fatur: *Dominus dedit mihi linguam eruditam vt sciam sustentare eum, qui lassus est verbo: erigit mane, mane erigit mihi aurem, vt audiam quasi magistrum.* Quæ est hæc *lingua erudita*, qua de nouo adornatur Isaias, culto semper eloquio prælustris Vates, & aulica elegantia excultus? Quid *aurium erectionem* cum linguæ eruditione coniungit? Quæ est hæc aurium cũ lingua cognatio? Puto, aures cum alieno ore, potiùs quàm cum proprio cognationem habere. Nunc nec vacat nec iuuat litteralissimum huius loci sensum examinare, adducam tamen singularem Origenis expositionem ad rem moralem, quam pertractamus in paucis opportunam: *Isaias dicit: Eruditio Domini apparuit mihi autem auris, quæ per eruditionem aperitur: non semper aperta est sed aliquando aperta, aliquando clausa.* Eruditamne linguã appellat *aurem auris*? Alia prorsùs est linguæ eruditio, alia eruditio aurium. Quæ est *lingua eruditio*, quã sibi datã Propheta prædicat; & qua Dominus *aurem auris* Isaïæ aperuisse dicitur? Existimauerim, quòd dum Dominus apparuisse dicitur Prophetæ *aurem auris* non vt semper aperta sit, sed aliquando aperta, aliquando clausa, ita vt dum audit sermonẽ populi polluta labia habentis, sermo ille prudentiæ discretione excolatus & defœcatus per autes admittatur; simul etiã dicit, datã illi esse *linguam eruditam*. Nempè linguam populi olim pollutam, sordidam, prauam, barbaram; iam sibi esse *linguam eruditam*, ex quo Dominus illi *aurem auris aperuit*, eumque de negotio *auditionis* erudiuit. Quasi dicat Propheta: Ex quo tempore Dominus aures meas erudiuit, dum mihi *aurem auris* aperuit, maledica lingua populi polluta labia habentis mihi iam *lingua erudita* est, nam verba quæ circa meas aures perstrepunt, barbara sunt, sordida sunt, inerudita sunt, at dum non citò in aures meas pollutus eorum sermo irrumpit; sed longa temporis mora circa aurium fossas, & foraminum anfractus vertitur, mendaciique materiam cum malitiæ sordibus ponit, ad ripas ipsas & margines aurium tenuiter excolatus; iam maledicorum, adulantium, & vituperonum lingua etsi in se impura, barbara, inerudita, & sordida sit, mihi tamen pura, erudita, & sincera est, prudenter attenta scoriæ excretione. Itaque qui Deus *aurem auris* aperit, id est, cuius lingua, quantumvis in maliloquiis impurè scorteturj pura iam est, erudita est, casta & munda est. Omnia munda mundis. (Sic liceat Origenis ductu ad mores velitari. Litteralem & genuinum Isaiæ sẽsum alibi dedimus.) Et, qui non faciles aures, & difficiliorem assensum maliloquiis præbet, lingua populi quantumvis maledici, erudita, pura, & casta est, & *ab auditione mala non timebit.* Sententiosè Chrysologus: *Decipi non potest, qui non est facilis auditu.*

Isaiæ 50 v. 4.

Cui Deus aurem auris aperit cuiusuis lingua etsi maliloqua, pura & erudita est.

Orig in c. 4. Exhodi.

Chrysol. ser. 79.

4. Matthæi 24. sub mundi finem acerbissima Christianorũ persecutio his verbis à Christo Deo prenunciatur: *Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos: & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.* Notanter addubitant ad hũc locum interpretes, quo pacto tunc Christiani odio erunt *omnibus gentibus.* Esto, *Gentes* oderint, quos nouerunt Christianos; quo autem populi extremis terrarum angulis positi, qui nomẽ Christi hactenùs ignorarunt, exosos habebunt Christianos? Origenes ad præscripta Christi Dei verba ita addubitat, promens τὸ *omnibus*, quod est in hoc loco difficillimum: *Et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Quomodo etiã in vltimis partibus terræ commorantibus gẽtibus, odio habetur populus Christi? Nisi fortè & hoc aliquis dicat propter exaggerationem positum.* Sic vltra notionis metas, odium maledicentiam extendit, vt notionem præcurrat maleuolentiæ? Gentes etiam quæ Christi nomen ignorant, Christianos tunc oderunt? Parum est quod *secta* (Christiana) *oditur in nomine sui auctoris*, ait Tertullianus, *clausis oculis in odium eius impingunt.* Ergo qui *clausis oculis* in odium rei, cui detrahitur, inconsultus fertur, non admittat sermonem, nisi *ad margines aurium tenuiter excolatum*; nam detractionis serpentis malitia, *in vltimis partibus terræ commorantibus gentibus, odio habetur populus Christi.* Exinde Gentes *id quod sciunt, eo quod ignorant, corrumpunt.* O vtinam Deus *aurem auris* nobis aperiat; vt aures quæ audiunt maliloquium, ipsę aliç sint ab eis, quæ maliloquium admittunt.

Matt. 24. v. 9.

Rei notitiam præuertit odium, quod maledicentia negotiatur.

Orig Tract. 27. in Matt.

Tertull. in Apolog. c. 3.

---

§. CCXLVIII.

Augustioris gloriæ sublimitas, ab aliquo simul dehonestamento credibilius commutuatur.

1. FAbius Maximus quoniam cum Annibale confligere detrectabat, sed mora copias illius, & pecuniarum, & commeatus egentes attenuabat, sequens illum per aspera, montuosaque, ac subinde obiter se se opponens; à nonnullis per ludibrium dicebatur, *Annibalis pædagogus.* Hoc conuicio nihil Fabius commotus, pergebat suum institutum sequi, dicens apud amicos: Qui dicteria, conuiciaque metuebat, eum sibi videri timidiorem iis, qui fugiunt hostes. Sensit hoc turpius esse timiditatis vitium, quò leuius est periculum. Nihil autem leuius dictis. Sed leuissima hæc in ducem strenuum dicta, hoc graue tulere gloriæ commodum, quod dum inuidiosus, & maledicus

Plutarch. in Rom. Apoph.

Fabius obmurmuratur quasi hostis Annibalis pædagogus.

ledicus quisque credit contumeliosam Fabio Annibalis pædagogiam, præilustrem etiam fine puluere victoriam de potentissimo hoste, simul de Fabio prædicat,& ne leuiculo defectui discredat, vnà cogitur illustrissimum triumphum credere; & illum simul cum iniuriola publicare. Adeò enim vulgo maledico procliue est, de alienis defectibus garrire, vt ne discredat leuibus dehonestamentis, quæ maledico ore verset, illustrem etiam credat gloriam,& generosioris gloriæ triũphos ore verset;quasi augustioris gloriæ sublimitas,à præuio, aut comitante defectu credibilitatem mutuetur. Sic est hominum genius alienæ
Hic verſ.14 gloriæ auarus! Non satis vulgò credita, & publicata foret Saræ opinatissima virtus,nisi his dehonestamentis eius gloriosior fama foret admixta, ad euulgationis,& credibilitatis vsuram.

2\. Lucæ 24. Discipulorum fidem, quam Passionis turbo validè inquietauit, Resurrectionis gloria cœpit tranquillare.Stetit ergo IESVS in medio eorum. (In medio stat, in nullam partem propiùs inclinans,exactior Superiorum idea.) Et dicit eis: Pax vobis: ego sum, nolite timere. At quo magis timorem pellit,& pacem verbis afflat, eo turbantur,& terrentur magis. Conturbati vero,& conterriti, existimabant se spiritum videre. Potiùs se corporeis oculis spiritum videre putabant,quàm alienam gloriam credant. Sic sublimior aliorum gloria,incredibilis nobis est: Tunc vt pacatos Discipulorum animos reddat IESVS,
Luc.24.v.39 ait illis: *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum.* Quis nam: Non eum agnoscunt,& vt se certò cognoscendum præbeat, ait, *Ego ipse sum*: Hoc sanè ambigunt,ecquis nam ille ipse sit, qui tanta gloria sublimis ipsis coram apparet. Perquam benè Eusebius Emissenus (si Emisseni sunt,qui eius nomine circumferuntur sermones) ita fatur: *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum. Cognoscite vel vulnerum cicatrices, si me nec in persona, nec in voce cognoscitis.* Diuturna, & familiari conuersatione notissimus erat Discipulis Magister,Christus Apostolis;nota eius præsentia, vox,habitus,gestus, nota omnia: sed dum eum Resurrectionis gloria auctum vident, adduci non possunt, vt vel oculis suis credant præcelsam tanti triumphi gloriã,etsi à se opinatissimam. Verùm nota mihi subtile persuasionis arbitrium, quo homines ad gloriosæ Resurrectionis fidem flectit: *Cognoscite*, inquit, *vulnerum cicatrices, si me nec in persona, nec in voce cognoscitis.* Quasi dicat Christus: Personam,& vocem meam vobis quam notissimam non plenè agnoscitis, ac si Resurrectionis gloria in me peregrinetur, (sic creduiitas humana dedidicit alienum decus:) *Ast cognoscite vulnerum cicatrices*, Passionis vestigia, & probrosæ contumeliæ stigmata recognoscite; si fortè contumeliarum documenta credibilitati opitulentur,& vestram erigant fidem. Quid vulnerum cicatricibus cum Resurrectionis decore,dotibus gloriæ conspicuo; Si vox,& persona Christi satis illis nota erat, quid opus est residuo Passionis probro, gloriosæ Resurrectionis decus comprobare; mortis stipendium erit vitæ insigne, & perspicuum credendæ Resurrectionis argumentum. O rusticanum hominum ingenium, cui sic aliena gloria incredibilis est, vt de probroso dehonestamento, gloriæ credibilitatem struat; & in vulnerum cicatricibus, Resurrectionis insignia! Gloriosum decus credibilitatem ex ignominia fœnerabitur. *Videte P.Didac.de Celeda in Tobiam.*

Cicatricum ignominia, Resurrectionis credibilitatem eur adstruit.

Emiss.in fer ad fer.3 post Pascha.

manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum. Cognoscite vulnerum cicatrices, si me nec in persona, nec in voce cognoscitis. Præclarè quidem in hac Emisseni obseruatione descriptum legitur, quàm sit humanum ingenium alienæ gloriæ auarum, cùm gloriæ celsitudo ex ignominiæ vilitate credibilitatem mutuetur.

Matthæi 9. Ecce princeps vnus accessit,& adorabat IESVM,dicens; Domine filia mea modo defuncta est: sed veni, impone manum super eam, & viuet. Sed resurrectionem puellæ differt hæmorroissæ curatione. Et cum tandem venisset IESVS in domum Principis, & vidisset tibicines,& turbam tumultuantem, dicebat, *Recedite non est enim mortua puella,sed dormit. Et deridebant eum.* Benè notat inibi Chrysostomus, quòd propter hoc tardiùs vadit in domum Principis, & plura loquitur mulieri curatæ, vt permittat mori puellam, & sic manifesta fiat resurrectionis demonstratio. Cæterùm non facilè se expediunt Interpretes, vt vindicent illa Saluatoris verba: *Non est mortua puella,sed dormit.* Et sanè Christo propiùs accedente, iam mors desuescens cognata mortis elogia, somnus erat, nam tam facilè erat Christo eam à morte excitare,quã à somno. Sed quare Christus tam grande patraturus miraculum, vt se verè Deum probet,mortuos ad vitam ore euocans, se tunc derideri permittit: *Et deridebant eum.* Profectò *Deus non irridetur*, quasi non irrideri sit Dei elogium singulare.Inauspicatò puellæ resurrectionem aggreditur, qui eiusmodi prodigium ab irrisione inchoat. Et sanè mirissimum est,quod saltem eiusmodi contumeliam non excusserit; sed quasi illi adnuerit, ad patrandum miraculum se confestim accinxerit. Peridoneè Chrysostomus rem hanc subtiliùs expendens ita inibi scribit: *Et deridebant eum. Non autem increpauit derisionem, vt & ipsa derisio, demonstratio fiat mortis, quia enim multoties postquam facta sunt miracula non credunt homines, antea eos conuincit propriis responsionibus.* O arcana tanti miraculi apud homines *demonstratio*! Paucul os testes eligit; innumeros spectatores reiicit, quasi ad prodigij attestationem superuacuos, qui ex *derisione* etiam miraculi adstruit probationem, & quidem apud homines potentissimam. Porrò sic est pronum humanæ credulitati, opprobria aliena credere,& illis plena mente adsentiri;vt probrosæ *derision* augustius miraculum annectatur; quo fit, vt qui *irrisioni* credat, adnexo miraculo non discredat, neque enim discredent miraculo, ne non credant probrosæ *irrisioni*. Inde Christus *non increpauit irrisionem*, vt ipsa derisio sit contumeliosa mortis *demonstratio*, & qui probrosè credunt morti, gloriosæ resurrectioni credere compellantur; & qui *irridendo* respondent, ad confitendam miraculi gloriam *propriis responsionibus conuincantur.* Sic volupe hominibus est; alienos, quos putant defectus, aut contumelias indubiè credere,& de eis maledicè irridendo garrire. Gloriæ credibilitas de probro adstruitur. Incredibilis est gloria, quam humana malitia non irridet; Clauorum cicatrices gloriosæ Resurrectionis fidem comprobant, & inopinata puellæ resurrectio, de circumstantium irrisione publicatur, comprobatur, & eius fama latiùs propagatur. O maledica hominum ingenia, quæ de infamia famam ædificant, quasi malitia sit bonitatis suffragium, & defectus gloriæ stipendium! Nulla sine næuo pulchritudo existimatur.

3\. (at "Matthæi 9")

Matt 9. v.24

Irrisioni annectitur gradius miraculum, vt fiat credibilium.

Ad Gal. 6 v.7.

Chrysost hómil.32. in Matth.

4\. Ioannis 1. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Hinc elogia Ioannis sparsim in Euāgeliis recensentur, vt ex attestātis auctoritate, eius testimoniū maiorem auctoritatē apud homines fœneretur. Sed audi Ioannis de Christo testimonium sæculis opinatissimum: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Hic est, de quo dixit: Post me venit vir, qui ante me factus: quia prior me erat: *Et ego nesciebam eum, sed vt manifestetur in Israel, propterea veni ego*, &c. Quis non miretur, quod cum Ioannes expectatissimum testimonium de Christo tandem præbet, vt omnes crederent per illum, velut inidoneè addit: *Et ego nesciebam eum?* Profectò de eo qui nescitur, non benè testimonium perhibetur. Aut non debuit Ioannes testifi ari de eo, quem nesciebat: aut si iam scit, se de eo nesciisse, non debuit dicere: nam testium elogium, notitia est, quam non debuit nescientia deuenustare. Imò venustauit, egregiè, aiens, *Et ego nesciebam eum.* Eleganter Chrysostomus super præfatis Baptistæ verbis sic philosophatur: *Nesciebam eum*, inquit, *Quomodo ergo dignus est fide testis? Quomodo alios docet, qui nescit? Non*, inquit, *nescio, sed nesciebam: vt hoc verbo maximè sibi crederetur.* Scilicet cùm Ioannes illustrius de Christo testimonium perhibet, consultissimè dixit: *Ego nesciebam eum*, vt, dum hactenus nescientiam publicat, maiorem credibilitatem inueniat: nam augustioris gloriæ sublimitas, ab aliquo simul dehonestamento credibilitatem mutuatur. Ne homines dissimulant hominis nescientiæ, eius testimonio, licet de re valde ardua, & inuisa credent. Vnde Ioannes peritè ait: *Ego nesciebam eum, vt hoc verbo maximè sibi crederetur.*

Ioan. 1 v. 31.

Ergo nesciebam eum ait Ioannes, vt hoc verbo maximè sibi crederetur, & quart.

Chrys. in c. 1 Ioan.

5\. M. Felix Ennodius de suo Theodorico imperatoriis moribus augustè inclyto, ita scribit: *Stat ante oculos nostros Bulgarum ductor, libertatem dextra tua adserente, prostratus: nec extinctus, ne periret monumentū; nec intactus, nec vinceret arrogantia.* Seruetur deuictus Bulgarus, quo de suæ ignominiæ credibilitate, victoris Theodorici gloriam buccinet; quæ eo videbitur credibilior, quo de aliorum contumelia fide n mutuatur. Citò tanta gloria periret, nisi in aliena describeretur infamia ad famæ æternitatem.

Ennod. in Paneg.

Gloria Theodorici de Bulgarum infamia credibilitatem mutuatur.

§. CCXLIX.

Tanta putatur pulchritudinis dignitas, vt quascumque contumelias arceat, & abscondat.

1\. PYthagoricum dogma est, *Pulchritudinem esse quid reuerendum.* Exinde non modo sui desiderium, & amorem, sed cultum etiam, ac reuerentiā pulchritudo excitare solitat. Quare forma, quæ eleganter decora, & pulchrè venusta esset, digna imperio antiquis censebatur, vnā de Pseudo-Philippo Florus ait: *Regiam formam, & regium nomen animo regio impleuit.* Modestiùs tamen suo Theodosio Pacatus adulatur, dum virtuti tribuit imperium, & formæ imperandi decentiam adscribit: *Virtus tua*, inquit, *meretur imperium, sed virtuti addidit forma suffragium; illud præstitit, vt oporteret te Principem esse, hac vt deceret.* Hinc tanti apud omnes, fœminas præsertim, pulchritudo æstimatur, vt quævis alia naturæ ornamenta, quæ fœmineam asciscant dignitarem, venustatis comparatione deputent. Cum qua id mortalium rerum comparetur, quod immortale aspicientibus desiderium parit, quod aspectu sui non satiat? Quod cum remotum est, animis obuersatur? Quod cœlestium æmulam obtinet in corpore humano dignitatem? Hoc venustatis honestamento sic fœminæ superbiunt, ac si pulchritudinis gratia sit magnum sui decus, & corpora sua ad summam sui sexus dignitatem, feliciter consecraret.

Philippus regiam formam & regium nomen animo regio impleuit.

Pacatus in Panegyr. ad Theodos.

Venustatis elogium.

2\. Geneseos 20. reliquias Sodomitici incendij, quasi corporum contagium, & libidinis minas fugitans Abrahamus, peregrinatur in Geraris. Dixitque de Sara vxore sua, *Soror mea est.* Misit ergò Abimelech rex Geraræ, & tulit eam Sed Deus incunctanter Regi mortem minatur, ipse ignorantiam causatur; vxorem restituit viro suo, & locupletibus honorariis munerat. Tulit igitur Abimelech oues, & boues, & seruos, & ancillas, & dedit Abraham: reddiditque illi Saram vxorem suam intactam. *Saræ autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, & quocumque perrexeris.* Pluribus commentis hunc locum interpretes onerant, nec facilè expediunt impeditam in paucis sententiam. Chrysostomus sic præfata verba exscribit, & exponit: *Saræ autem dixit: Ea quæ dedi fratri tuo tua erunt in honorem vultus tui. Quid est, In honorem vultus tui; Pro his, quæ per ignorantiam attentaui.* Scilicet Sara formæ venustate præclustris, putata Abrahami soror, rapta est in Palæstini regis gynæceum, vt ornaretur ad nuptias. Percrebuit ergo in regia Geraræ vrbe, Saram pulchritudinis lenocinio tenerè à Rege adamatam, in eius palatio aliquot dies commoratam fuisse. Hinc suspicionum licentia in re Veneris sæpè audax, bonam matronalis pudicitiæ opinionem posset deuenustare. Præsertim cùm ipsamet palam euulgarit, se Abrahæ sororem esse, dissimulato coniugij nomine, quod eo consilio factum, vt faciliùs posset aliti, suspicax salacis populi malitia suspicari posset. Hoc pudicæ Saræ dehonestamentum planè indecorum, restaurare cupiens Abimelech, Dei minis perterritus, *Saræ dixit: Ea quæ dedi fratri tuo erunt in honorem vultus tui, pro his, quæ per ignorantiam attentaui.* Quasi dicat Rex: Raptus, quem per ignorantiam attentaui, indecorè probrosus tibi erit, & licentiæ suspicionum perniciosus; sed vt famæ tuæ compensem detrimentum, ecce mille argenteis te munero *in honorem vultus tui*, idest, vt exquisitis ornamentis vultus tui pulchritudinem sumptuosiùs honores, dum venustatem ornatu gloriosiùs exaggeras. Itaque Abimelech, fœminarum ingenij benè scius, famæ detrimentum, auctario venustatis redimit; & honoris dispendium, comptioris venustatis compendio mercatur; dum quod bono nomini detraxit, pulchritudini adiicit. Tanto enim in pretio vultus elegantia apud fœminas habetur, vt pulchritudinis augmentum, tanta putetur auctoritate earum corpora velut consecrare, aliqua cum cœlitibus affinitate, vt terras suspiciones sistat, probra eluat, propudia oblitteret, & indecora quæque venustatis elegantia expiet. Exinde vt aliquale hoc Saræ probrum, Abimelechus vbertim

Gen. 20 v. 16

Chrys. hom. 45. in Genes.

Ad restaurandam honoris iacturam auctario pulchritudinis Sara donatur.

tim compensei, *Sara dixit: Ea quæ dedi fratri tuo erunt in honorem vultus tui, pro his, quæ per ignorantiam attentaui.* Quid illustrius? *Recompensolé en augmentos de hermosura, lo que le habia quitado de credito.* Nimirùm putabat Rex, Saram Matronam honestissimam, reliquarum mulierum ingenium de censu pulchritudinis æmulari. Ast vtraque & Abrahami, & Tobiæ Sara, virtute pariter ac venustate præstantes *lineas formæ, quæ ad imaginem Dei facta est, aptata in pignus similitudinis,* maximi faciunt; vernantem verò faciei elegantiam, vtpotè quæ citò deflorescit, pietatis ingenio sapienter depretiant.

Diodochus de Perfect. spir cap.78. Hic v.14. apud Græcum textum.

3. Tametsi fœminis, quæ excellenter formosæ sunt, difficile est imperare voluptati, Juditha tantum specimen exhibuit continentiæ, vt pulchritudine animæ pulchritudinem corporis occultaret. Cum verò res Bethulica, id est, Hebræa, pertinaciter pugnaci Holofernis obsidione, desperata foret; propè sepultam pulchritudinem in cilicij & cineris capulo, exquisitioris ornatus, & pretiosiorum monilium lenocinio, resuscitam exuscitat, vt sæui hostis funera certiùs & ornatiùs concelebret Venustatur Hebrææ gẽtis honor, populi Dei vindex, & pulchra Assyriorum pernicies; nec tam veretur armatas alienorum phalanges, quam licentiam suspicionum in suis: & de qua nemo erat *qui loqueretur verbum malum*; dum agnatam venustatem comptiùs adornat, malitiosam suorum curiositatem timet: *Vos autem,* inquiens, *nolo vt scrutemini actum meum.* Siquidem humanæ malitiæ procliue erat suspicari, vel libidinis affectu, vel saltem incontinentiæ periculo, in salacium iuuenum frequentiam, pulchram & ornatam puellam descendere magnum planè diuturnæ continentiæ probrum! Verum postquam speciosissima puella omnibus ornamentis suis se comptiùs expoliuit, nouam formæ gratiam è cœlo accepit, ad defensionem facinoris mutuatam: *Cui etiam Dominus contulit splendorem.* Qualis fuerit hic splendor, qui in Judithæ facie emicuit, docet inibi Lyranus: *Cui etiam Dominus,* inquit, *contulit splendorem, augendo eius pulchritudinem.* Mirissimum planè est, quod fœmina quæ in pulchra iuuenta eundo ad Assyriorum castra, malitiosis suspicionibus obnoxia erat, nunc de cœlo illius pulchritudo amplietur, nouo, vt venustatis, & sic periculi, & suspicionum auctario. Dum oris pulchritudo sumptuosiùs exaggeratur, nonne de periculi augmento, contumeliosa alienæ malitiæ suspicio crescit? Imò euanescit; nam eximiè excellens augustioris formæ elegantia putatur arcere terræ contumelias, cum plurimum è cœlo trahere videatur, & cum cœlitibus cognationem habere, quò mundanam contumeliam longiùs eliminat. *Cui Dominus,* inquit, *contulit splendorem, augendo eius pulchritudinem,* exaggeratior hic venustatis nitor de cœlo venit; nam *augustissima species plurimum creditur trahere de cœlo, siue diuinus ille animus venturus in corpus, dignum priùs metatur hospitium, siue cum venerit, fingit habitaculum pro habitu suo,* dixit aliorsùm Latinus Pacatus. Nimirùm periculosus, & inde contumeliosus videri posset Judithæ itus & reditus inter lasciuientes Assyrios, sed nouo & insolito faciei nitore eius venustas à Deo exaggeratur, quo pulchra Assyriorum fraus & Holofernem detriumphet, & tuta fit à contumeliosâ suppliciorum audacia, in eximiè gratioris formæ asylo.

Judith augustiori speciei venustior, humanas arcet contumelias.

Judith 10. v. 4. Lyra ibi.

Pacatus in Panegyr. ad Theodosiũ

Quæ tam eleganti floret aspectu, & cœlestis lucis flores spectatoribus ore spargit, nil subolet terrenum, & terreno squalori assimile. *Augustissima species plurimum creditur trahere de cœlo,* &c. Dum Judith nouo de cœlis splendore pulchritudinis nitet, cœlum sapit, cœlum fragrat, & omnia terræ dehonestamenta desuescit, de augustioris venustatis stipendio.

Matthæi 13. multa opprobria à conciuibus suis Christus audit. *Unde huic,* inquiunt, *hæc sapientia & virtutes? Nonne hic est fabri filius?* &c. Audi rem miram, & quidem inter paradoxa Tertulliani computandam; sed quæ valdè exaggerat ad lemma præsens, quàm potenter pulchritudo contumelias arceat. Nimirum Tertullianus, in lib. de Carne Christi, arguit contra Hæreticos existimantes Christum Deum non habuisse corpus terrenum, sed cœleste; & sic fatur: *Vnde huic doctrina & signa ista? etiam despicientium formam eius, hæc erat vox. Adeò nec humanæ honestatis* (τὸ honestas sumitur pro pulchritudine. Lege Pamelij scholia) *corpus fuit, nedum cœlestis claritatis. Tacentibus apud nos quoque Prophetis de ignobili aspectu eius, ipsæ passiones, ipsæque contumeliæ loquuntur* (nota diligentius verba, quæ subtexit.) *Passiones quidem humanam carnem, contumeliæ verò inhonestam probauere.* Quasi dicat; Tam longe abfuit Christus, vt corpus sidereum assumeret, & cœlestis claritatis; vt simile nobis terrenum corpus habuerit, & *ignobili* fuerit *aspectu.* Probat vtrumque, nam passiones humanam carnem euincunt, non cœlestem; *contumeliæ verò inhonestam* (id est, non pulchram) *probauere.* Nam si valde pulcher foret, tot opprobriis nũquam oneraretur. Tantane putatur pulchritudinis dignitas, vt quascumque contumelias arceat? Non probauerim Tertulliani doctrinam, sed istiusmodi discursu valdè exaggerat quam magno censu apud eum fuerit pulchritudo ad arcendas contumelias. Siquidem ex contumeliis in Christum iactatis probat, pulchro corpore conspicuum non fuisse.

4. Matth. 13. v. 54 & 55. *Exaggeratiuũ Tertulliani argumentum pro pulchritudine.*

Tertull lib. de Carne Christ. c. 9. Pamel. ibi n. 91. & 92.

§. CCL.

Multimoda Diaboli contra hominem hostilitas proditur.

MAlus Dæmon charitatis auarus, spe anticipat victoriam, & infidam suam fidem operatione nutrit, conuersatione manifestat. *Fide huius mundi Dæmones consignati sunt,* sententiosè dixit Hildebertus. O quàm est falsata & mendax sæcularis mundi fides, & mentita fidelitas; cui Dæmon consignatus est, eaque homines secum pariter consignari obnixè satagit! *Versipellis est ille, atque in conatibus suis varius, ac multiplex,* ait Nazianzenus. Deus bone, in quantos se fraudis vsus diues malitiæ Dæmon dispergit! Cum voluerit sæuit vt bestia, palpat vt aulicus, mollescit vt fœmina; promittit beneficus, malus postmodum promissorum interpres. Ad crimina imponder instigat, & depictis astutè virtutis imaginibus, pietate falsata ad vera pertrahit vitia, & virtutem ferit mucrone virtutis, verique adstipulatione mendacium repræsentat, Proinde fide huius mundi consignatus, de fallendi principatu sumptuosiùs eminet.

1. Hildeb. ser. 1. *Dæmon fide huius mundi consignatur.*

Naz. Orat 13

2. Marci 5 v. 5. *Dæmon viuos homines tumulat, & mortuos in tumulis inquietat.*

Marci 5. Venit Dominus trans fretum in regionem Gerasenorum, & exeunti ei de naui statim occurrit homo de monumentis habens spiritum immundum, catenis, & compedibus frustrà vinctus: *Et semper die ac nocte in monumentis erat.* Auctor mortis, mortis mansionem affectat; & humanæ necis auidus, quos crudelitate sua occidere non potest, viuos gestit feraliter funerare. Sed nota cum Chrysologo fraudulentam huius Dæmonis hostilitatem: *Confusus hostis, & ad vtrumque peruersus ingerit in sepulcris viuos, mortuis apponit cibos, mera fundit, vt & viuos enecet, & mortuos inquietet.* Nec mortui, in mortis asylo (sepulturâ inquam) tuti sunt à confusâ Dæmonum hostilitate? Viuos homines in sepulcris tumulat, & mortuos in tumulis *inquietat*? ô irrequietam Diabolorum malitiam!

S. Chrysol. 17.

3. Marc 5. v. 7. *Dæmon cum verum dicit, mendacij semina spargit.*

Pergit Euangelista: Videns autem IESVM à longè, cucurrit, & adorauit eum; & clamans voce magna dixit: *Quid mihi, & tibi IESV fili Dei altissimi? adiuro te per Deum, ne me torqueas.* Quid mihi, & tibi? quod puniendo, & iudici, quod regi & desertori, quod inuasori & Domino. Quid mihi & tibi IESV fili Dei altissimi? ô Diabole, si agnoscis filium, vtique non nescis hæredem: si hęredem nosti, hęreditatem rapere astutus prędo cur præsumis? Verùm etsi malus Dæmon benè Dei Filium agnoscat; sed malitię ingeniũ in eiusmodi confessione Chrysologus peracutè cognoscit. Audiendus ergo est Chrysologus: *Adiuro te per Deum, ne me torqueas. Timet tergiuersator, & simulat, fatetur filium, sed ne Deus intelligatur solita arte contendit, adiurat Deum per Deum, vt alterum videri ipsum faciat, vt adstantium decipiat fallat auditum.* Vides insuspicabilem Dæmonis vafritiem Deum confitendo negat, & confessionem adulterat, dum Deum per Deum adiurans, diuinitatem scindere satagit, quasi Deum quem adiurat, & per quem adiurat, diuersum faciat numen, quò Deorum pluralitatem adstantibus ambigue propinet, & ipsa veritate fallat incautos. Etiam dum vera loquitur, insidias veritati parat, & de veritatis supellectile falsitatem adornat. Versipellis est ille, & in conatibus suis varius, incertus, & multiplex. Aliter per Basilium Seleucum hic vapulat Dæmon: *Quid mihi, & tibi IESV fili Dei altissimi? Filium Dei vocat, cum interim filium ignoret Deũ.* Ecce tibi, mẽdacij auctor mentitur veritatẽ.

S Chrysol. ser. 17.

Basil. Seleu. orat 23.

4. Tertull de Habitu mu. c 10.

Tertullianus agens de rerũ fucata eximiè gratia, quæ præter natiuum decorem ad delicta dissimulanter alliciunt, sic ait: Non ergo natura optima sunt ista, quæ à Deo non sunt auctore naturę. *Sic à Diabolo esse intelliguntur, ab interpolatore naturæ.* Pertinet *interpolator* ad artem mangoniam, quæ rebus dolo quodam & fuco nouam formam inducit. Itaque vno verbo *naturæ interpolator*, dicitur Diabolus. Nam (vt ipse Doctor arguit) quis corpus monstraret mutare, nisi qui & hominis spiritum malitia transfigurauit? Ille indubitatè huiusmodi ingenia concinnauit, vt in nobis quodammodò manus Deo inferret. *Quod nascitur opus Dei est: ergo quod fingitur Diaboli negotium est. Diuino operi Satanæ ingenia superducere quàm scelestum est.* Et in alio loco non sine bile, ita fatur, *Quale est enim vt à Diabolo semper operante & adiiciente quotidie ad iniquitatis ingenia, Dei aut cessauerit, aut proficere desiterit?* Et alibi: *Alioqui in modico consisteret & Diaboli ingenium de malitia, & Dei Domini disciplina qua nos aduersus Diaboli latitudines munit.* Vides quam crebrò malitiæ ingenium, quo homines Diabolus decipiat, Tertullianus inculcat. O quãta hominibus cautela opus est, quorum iuratus hostis quotidie adiicit *ad iniquitatis ingenia*! Sed peruestigate oportet, quænam sint hæ *Diaboli latitudines.*

de Cult. fœm. c 5. *Diabolus quotidie adiicit ad malitia ingenia.*

de Veland. Virg. c. 1.

de Idol c. 2.

Matthæi 7. Intrare per angustam portam: (ait Christus Deus!) *Quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quam arcta via est, quæ ducit ad vitam.* Vnde sic est lata, & spatiosa via, qua itur ad perditionem? Eleganter Chrysostomus inibi: *Quia Diabolus tumore illo, quo se toto cœlo extendere voluit primus aperuit perditionis viam, ac postmodum omnibus peccatis inuolutos, & vniuersam mundi sarcinam baiulantes in eam recipit. Contra verò angusta est via Domini, quia Christus omni humilitatis ratione collectus, primus eam patefecit: proinde solos eos, qui subtiles ac spirituales fuerint, admittit.* Ecce tibi, quas adumbrauit Tertullianus, *Diaboli latitudines.* 5. Matth. 7 v. 13

S Chrys ibi. *Quo pacto Diabolus latam fecerit perditionis viam.*

6. *Dæmon humanorum affectuum Dynasta dicitur.*

Caro confusaneo passionum tumultu exæstuans, concupiscentiæ illecebris, ad voluptabilia omnia velut impotenter fertur (tanquam effrenis equus rectore excusso) rationi aurigationi contumax. Vnde hominis malum, culpa vnde, vitiorum vis vnde, vnde criminum furor, vnde corporum bella, vnde cõflictus animæ, vnde vitæ tempestas, vnde mortis naufragium? *non ne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* S Cyrillus Alexandrinus Diaboli in humanas passiones sceptrum agnoscit, sic fatus: *Coercet*, inquit, *nos, cogitque ad suam voluntatem sceleratam ac nefariam agmen Dæmonum, eorumque antesignanus Satanas affectuum Dynasta, atque imperio, seu virga propemodum verberans.* Audis Dæmonem dici, *affectuum Dynastam*, qui virga seu imperij sui sceptro humanas passiones quasi ad nutum moderatur. Parùm est, quod Dæmonia dicantur à Tertulliano, *Magistratus huius sæculi.* Et alibi: *Ipse Christus à Diabolo tentatus, Præsidem & artificem tentationis demonstrauit*; nisi *affectuum Dynasta.* & velut Despota princeps diceretur. Eos enim quasi per anotomiam pernoscens, sic tempestiuè tentationem modulatur, vt humanum arbitrium libero obsequio spontè ad seruitium trahat, tyrannica affectuum dynastia, ad prauitates omnes viuacius inclinante. Capit Dæmon (ait Chrysologus) satietatem, voluptatem percipit, quando nos luxus soluit, libido stimulat, pompa rapit, impellit ambitio vrget ira, furor implet, succendit inuidia, cupiditas inflammat, curæ sollicitant, lites vexant, lucra capiunt, vsuræ vinciunt, chirographa ligant, premunt sacculi, elidit aurum. Quando moriuntur virtutes, viuunt vitia, voluptas effluit, honestas perit, misericordia deficit, abundat auaritia, regnat confusio, succumbit ordo, prosternitur disciplina. *Ista militant aduersus militem Christi: ista sunt Satanæ cohortes, ista Diaboli legiones.* Heu humanæ affectiones, quibus coaliti sumus, Satanæ sunt arma, & Diaboli milites, cui velut antesignano ad nutum parent? ô malus *affectuum Dynasta*!

Iacob. 4 v. 1. S Cyr lib. 1. in Isai.

Tertul. de Idol c. 18 de orat c 8.

Passiones nostræ sunt Diaboli legiones.

S. Chrysol. ser. 12.

Proinde seriò nos admonet Paulus: *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli, quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem; sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum* 7. Ad Ephes. 6. v. 11 & 12. *Diaboli multimoda ad tentandum peritia.*

tenebrarum harum. Quasi hominis pugna non tam sit aduersus carnis, & sanguinis concupiscentiam; quàm contra eius motus, & humanos affectus à Diabolo excitos: à Diabolo, inquam, qui est mundi Rector, tentationum præses, *& affectuum Dynasta*: quibus non tam despotico imperio, quàm fraudis arte, & perima tentandi principatur.

Leo ser. 7 de Natiuit.

Nouit (ait S. Leo) *cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ. Nouit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi causas quærit nocendi, vbicumque viderit studiosius occupari.* Planè eleganter.

8\. *Diabolus est luxuriæ dux, & adulterij nundinator.* Basil. Seleuc. Orat. 8. Hic v. 14. Seleuc Orat. 10.

Cæterùm tametsi Dæmonis astutia ad vitia omnia sollerter pertrahat; ad libidinem tamen intentius allectat. Vnde à Basilio Seleuco appellatur; *Luxuriæ dux Diabolus. adulterij nundinator, & lasciuiæ nymphagogus.* Quod cernere hic licet in salacissimis Saræ maritis, quos Asmodæus ad omnem luxum potenter instigauit. Sed quem blandum conciliatorem nouerunt, posteà *agrestiorem aduersarium* experti sunt, & votiuas corporis delicias, corporis, & animæ strage luerunt.

9\. Tertul. lib. de Anim. c. 57.

Tertullianus in libro de Anima sæuam Diaboli hostilitatem sic describit: *Ratio fallaciæ solos non refugit Christianos, qui spiritualia nequitiæ, non quidem socia conscientia, sed inimica scientia nouimus: nec inuitatoria operatione, sed expugnatoria operatione tractamus multiformem luem mentis humanæ, totius erroris artificem, salutis animæque pariter vastatorem.* Nota hæc postrema Dæmonum aduersus homines elogia; at esto ea velut extento digito demonstrasse.

Dæmonum aduersus homines hostilitas.

§. CCLI.

Supplex alienæ opis indigentia, malè obnoxia fit indignationi opitulantis.

1\. PRincipi cui omnia licent, multa proinde non licent. Ex quo se Rex regno dedit, sibi eripuit, & siderum modo (quæ irrequieta semper cursus suos explicant) nunquam illi licet, nec subsistere, nec quicquam suum facere. Ingenuum se subiectorum seruum putat, & quo plus potest, eo suam potentiam magis omnibus vectigalem existimat; de potestatéque sua debitum metitur. Profectò illius magnitudo generosa, & stabilis est, quem omnes tam suprà se esse, quàm pro se sentiunt: cuius curam excubare pro salute singulorum, atque vniuersorum quotidie experiuntur; cuius aures alienis supplicationibus, non grauari, sed deliniri, & ad vberem benignitatem rigari sentiunt: cuius animus incessanter benefaciendo non insolescit, sed blandius mitescit, generoso munificentiæ genio. Porrò sordidi, & illiberalis animi est, aduersus sibi supplices supercilia attollere, & alienam miseriam sua indignatione grauare, & quia misero aliquando suppetias tulit, illi petulanter insultare. O quàm carò quorundam hominum fauor emitur! præstaret tuo fauore non redimi miseriam, quàm perpetuum benefactoris fastum, fastidium, supercilium, imò, & sæpè hostilitatem experiri. Malè beneficus est, qui aliis benefaciendo, illos indignationi suæ obnoxios fecisse præsumit. An Tobias, quia ignotum Azariam mercede conductum, quasi *Dominum* tractauit, hîc aliquam hostilitatem timet, quasi vrbanæ beneficentiæ stipendium?

Indigus humanæ beneficentiæ, sæpe benefactoris indignationi obnoxius fit.

Hic v. 14. & 15.

Iob cap. 6. opum iactura egenus, filiorum orbitatibus improles, plagarum cruciamentis calamitosis, & inopinata alternantis fortunæ vice quasi de cœlo attonitus; plus excruciatur inimico amicorum solatio, & de consolatione dolentius mœret, & tristius expostulat: lugubribusque querelis causam ab amicis sciscitatur, quare illum insolentius infestent, & amico ore illum hostiliter persequantur. *Nunquid dixi: afferte mihi, & de substantia vestra donate mihi? vel Liberate me de manu hostis, & de manu robustorum eruite me?* Quæ Iobi verba hoc pulchro, & tempestiuo glossemate elucidat Chrysostomus, ita scribens: *Verum vllam vobis,* inquit, *aliquando molestiam exhibui? aut vos leniter vnquam offendi, vt me tam crudeliter tractaretis? aut etiam suasi vobis, vt aduersus hostes meos suppetias mihi ferretis? aut vero vobis ipsis supplex fui, vt ad meam solandam inopiam vestras opes conferretis? Verumenimvero nec vestra prius opera indigui, neque nunc egeo.* Non miraret, quòd Sanctus Iob causas peruestigans, cur illum tam duré Amici persequerentur, & *tam crudeliter tractarent*; ipsos interroget, an vllam aliquando *molestiam* illis exhibuerit, & vel leniter illos vnquam *offenderit*: nam iniuria Summatibus illata, fœcunda iniuriarum sæuius inferendarum matrix est, & expromptum sæuitiæ conceptaculum, ardore vindictæ inhumanum. Porrò vel leuis offensa, non leuis crudelitatis officina est, quæ vltionem acerbius procudit. Verum nota mihi alias, quas subdit duræ aduersus se indignationis causas, quas à se remouere satagit: *Suasi,* inquit, *vobis, vt suppetias mihi ferretis? aut verò vobis ipsis supplex fui? Verùm enimverò cùm nec vestra prius opera indigui, neque nunc egeo,* quare *me tam crudeliter tractatis?* O nouam, & inopinatam persequendi causam, vt hominibus familiarem, sic ab humanitate peregrinantem! quasi qui supplex alicuius est, illiusque ope eget, indiguitve; eiusdem iræ, aut indignationi obnoxius sit. Miseria alterius tui indiga, & submissè tibi supplex, dum misericordiam à te exigit benignitatis titulo; titulus indignandi, infestandi, & persequendi tibi erit? Quod beneficentiam extorquet, ius infestandi negotiatur? quia tui indigus est, *crudeliter tractandus est?* Inhumanitas, humanitatis, erit appendix? O non bonas tuæ virtutis consequentias! Nobilis virtus, ignobile, & infame vitium procreabit. Sat est de aliena miseria tuam felicitatem adornare, quin crudelitatem tuam alienæ indigentiæ penicillo colores. O inhumanitatis causam ab omni humanitate alienam. Indigentia alienæ opis malè opitulantis indignationi obnoxia est. Benignitas, titulus crudelitatis non est. O quàm altè Iobus percalluit inhumanum insolescentis humanitatis ingenium! *Suasi,* inquit, *vobis, vt suppetias mihi ferretis, aut vero vobis ipsis supplex fui: Verum enimvero cum nec vestra prius opera indigui neque nunc egeo,* quare *me tam crudeliter tractatis.* Verba sunt humanitatis vitia quasi per anotomiam noscentis. *Porque le veo, que tiene necessidad de mi, me parece, que tengo titulo para tratale como quisiere.*

2\.

Iob 6 v. 21. & 22.

Chrys. apud Catenam.

Olympiod.

Si nil Iobus ab amicis petiit, cur indignantur contra ipsum?

Geneseos 14. victor nobili pompa, opimis onustus spoliis, & tot detriumphatorum Regum glo 3.

gloria clarus, è bello redux excipitur Abrahamus. Quinque vindicatæ Pentapoleos reges obuiam triumphatori exeunt: & postquam de victoria gratulatum est, homines sibi sub eƈtos præda hostium abductos, vrbanè expetunt, reliquas diuitis spolij opes vltrò Abrahamo præbent. Dixit autem Rex Sodomorum ad Abraham: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Tunc Abrahamus interposita iuramenti religione, manubiarum

Gen. 14. v. 22. & 23. opulentiam seriò refutat, aiens: *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cæli, & terræ, quod à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt.* Nemo interpretum non miratur hanc magnanimam Abrahami liberalitatem, propè prodigalitati confinem, & de vanæ gloriæ arrogantia suspectam. Quare contemnit quod iure belli victoria fecit suum? Præsertim quo tempore plus opibus indigebat Abrahamus ad repugnandum contra aduersarios reges, si fortè erubescentes, se ab alie-

Is qui dat, contrarius fit ei, qui accipit. nigena propè inermi, & subigendæ glebæ, potiùs quàm peritiæ militari assueto, ignobiliter deuictos, vires reconcinnarent, & pugnare periculosiùs restaurarent. An eiusmodi opulento spoliorum repudio, exquisita largitate vicinis Pentapoleos regibus adulari voluit, & eorum gratiam diuitis spolij cessione subornare? An potiùs quando se animaduertit quatuor deuictis Regibus hostiliter inuisus, opes amicorum Regum contempsit, ne eorum opulentiæ indigus crederetur, & ex indigentia, eorum hostilitatem fœneraret? Fallor, id

Clem Alex. 3. Strom. c 5. non expressit Clemens Alexandrinus ita aliorsùm fatus: *Sicut homo, inquit, componitur ex contrariis, nempe ex calido & frigido, humido, & sicco: ita etiam ex iis qui dant, & ex iis qui accipiunt.* Nimirùm consultissimè Abrahamus cùm deuictorum Regum lacessiuit potentiam, vt bellum aduersus se restaurarent; consultissimè inquam, confœderatorum Principum opes vltrò oblatas, constanter recusat, ne si putaretur eorum indigus, de indigentia ab ipsis subleuata, eorum hostilitatem contra se armaret, quasi indigentia, opitulantem aduersus se armet, & dum quis quasi indigus opem accipit, datoris indignationi obnoxius fit, acceptionis titulo. *Sicut* enim *homo componitur ex contrariis, nempe ex calido, & frigido, humido, & sicco: ita etiam ex iis qui dant, & ex iis qui accipiunt,* ac si is qui dat contrarius fit ei qui accipit. Vnde Abrahamus opulentiora Regum donatiua recusat, ne eis vllatenus indigere videatur, & inde indigentiæ consequentias subeat. Quid accommodatius.

4. Exhodi 8. nimis angitur Pharao squalidè molesta ranarum plaga: vocauitque Moysen, & Aaronem, & dixit eis: Orate Dominum vt auferat ranas à me, & à populo meo, & dimittam populum

Exhod 8. v. 9. vt sacrificet Domino. *Dixitque Moyses ad Pharaonem: Constitue mihi quando deprecer pro te, &c.*

Caiet. ibi. Caietanus sic vertit, & exponit hæc verba: *Iuxta Hebræum habetur: Gloriare super me, & dic quando*

Lipom ibid. *deprecer.* Lipomanus: *Gloriare contra me, vel de me,*

Oratio inimici copiosissimam à Deo gratiam impetrat. *quando orem pro te.* Quasi dicat Moyses: Ne putes, ô Pharao, te à me deuictum, & detriumphatum, cùm dura plagarum molestia te vrget, & cogit, vt me supplex roges, quod plagas oratione mea auertam abs te: tantam enim gratiam consequeris ex beneuola erga te hostis tui oratione, & gratia, vt vel *contra me*, aut *de me*, à quo te hostiliter superatum putas, *gloriari* possis, quando pro te orabo. Sic beneficè Deus exaudit offensorum preces pro se offendentibus nuncupatas: Vel aliter tempesti-

uè ad rem: me quem aduersarium putas, supplex *Pharao Moysen rogans, gloriam de supplicatione captat.* rogas plagarum veniam; ne, ô Rex, aut supplicando erubescas, aut existimes, te ingloriè recessurum à me, quem sæpè falsata fide rogasti; *Gloriare super me*, vel *contra me*, vel *de me*, & nunc rogando, & mox rogata impetrando. Vnde Mariana sic

vertit ex Hebræo: *Gratificare super me, quando deprecer pro te.* Vide quàm humanè, beneuolè, & *Mariana ibidem.* gratanter Moyses excipiat, vel infidum sæpè supplicem, suæ opis indigum, & calamitatem precibus auertentem. Scilicet Moyses mauult se toties sapienter decipi, quam supplicem asperiùs semel excipi *Gratificare super me*, vel *Gloriare contra me*, vel *de me*, vel fraudulentus rogator sæpe audit à præbitore benefico: nam supplex alienæ opis indigentia, malè obnoxia fiet indignationi opitulantis.

---

§. CCLII.

Consultior Magistratuum prudentia, procul arcet criminatricem improborum linguam.

Virorum improborum indecorus, & turpis sermo, sub malæ vitæ merito benè gemit. Porrò quan- 1.

do mens humana excita in aliquid familiare sumit impetum, aut intùs commota à se ipsa, aut

Quod mens concipit, & parturit, vox obstetricans in lucem edi-tur. receptis à te externa formis, concipit, & parturit cogitationes: quas volens parere non potest, donec per linguam, cæteráque instrumenta, vox eas excipiens, obstetricis more producat in lucem, hæc vox cogitationes elucidat, fideli mentis commentario. Exinde improborum perspicuus sermo inuidiam occultæ mentis vltrò trahit, in bibula cogitationum voce impressam, & malæ mentis non malus etiam sermo, delirare putatur. Placet vulgò obtrectatorum maliloquentia, (titillant enim aures humanas alieni defectus) sed destituta sancta auctoritate loquentis, impropriè loqui apud prudentes putatur, & fide falsata; vtpotè cui nunimè adstipulatur vita proferentis. Quapropter auditorum aures tædio laborant; & subindè adhibenda fides impingit, adeò improbus non persuadet, vt molestus etiam sit auribus, quasi inanes atque adeò inanimes (vt propriè dicam) orationes conlateret, graui indignas audientia. Diem frustrà perdit, perdit & famā alienam, qui ab improbo quicquam nosse auet. A maleuola, & garrulè iniqua lingua, nil fit prudentis auditus, de squalido improbiore, malè rigatur prudentia ad sinceram agendorum rectionem. O! qui in reipu-

blicæ guberna. ulo sedet, vitet hos scopulorum Exhod. 11. v. 7. latratus. Prælustre quidem tunc Israëlitarum priuilegium, inter tot egressionis prodigia numerandum. *Apud omnes filios Israel non mutiet canis.* Li- Lipomanus.

pomanus sic vertit ex Hebræo: *In omnes filios Israel non acuet canis linguam suam.* Oleaster verò: Oleaster ibi.

Non iudicabit canis. O quàm multa paucis.

Exhodi 4. Moyses, aut humilis, aut pusillani- 2.

mis, plus fortassis æquo, principatui acceptando flecti nesciens resistit: linguæ impedimentum causatus, quo inidoneus sibi videbatur, vt verba faceret ad populum, & ad Regem. Tandem Moysi

conniuet Deus, & ait illi: *Aaron frater tuus le-* Exhodi 4. v. 14. & 16.

uites, scio quod eloquens sit..... ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum. Quare vt Aaron ad

Delatio improborum, indigna est, quæ à probis audiatur.

ad Pharaonem, & ad populum inoffensè loquatur, additur, quòd est *Leuita?* Fortè Moyses ignorabat ex quâ tribu eius germanus frater esset oriundus. Vacat ergò energia illius vocis *Leuita.* Imò necesse fuit illam addere, vt probitas loquentis denotetur, quod acutè animaduertit Philo, qui tandem hâc clausulâ suam sententiam obfirmat: *Fertur in quadam optimè constituta ciuitate morem esse hunc, vt quoties aliquis impuræ vitæ ciuis sententiam vult proferre ad senatum aut populum, non sinatur per se ipsum hoc facere; sed à magistratu cogatur eam apud aliquem honestum virum deponere. Qui mox adsurgens, promit quod audiuit, silente interim altero: & quæ tum primùm didicit, quamuis aliena profert, auctorem commenti vix in auditorum spectatorumve habens numero.* O vide mihi quanti facienda sit vitæ probitas ad rei delatæ suadelam! In republicâ *optimè constituta* aures etiam negantur improbo, ne eas sermone deprauet, & virginem veritatem constupret. Maligna rei gestæ aut gerendæ notitia speratur à maligno, qui narrationis fidem sibi malignitate detraxit. Puri alioqui latices, per impurum ducti canalem, impurè profluunt; sermo mores eructat, & ore malitiam despumat. Adeò vt etiam dum opus est narrationem audire, deponenda sit apud honestum virum; qui fiat relationis sequester, & quasi delationis arbiter ad mendacij frustrationem. Sileat homo impuræ vitæ, & auctor veri forsan commenti, nullo habeatur numero apud auditores, qui putam indagant veritatem: & delationem substituat apud honestum virum, quò sermo decore honestetur, & inoffensè audiatur. *Quoties aliquis impuræ vitæ sententiam vult proferre, non sinatur per se ipsum hoc facere, sed à magistratu cogatur eam apud aliquem honestum virum deponere.* Inde Aaron dum loquendi munus obit, consultissimè additur *Leuita*, quo mores sacerdote digni priùs innotescant, ne eius audientiam, Dei populus fastidiat & detrectet. O bonam Magistratibus eruditionem! Papæ! sermo, loquentis fugit malitiam, & sermocinantis mores subolet. Præstaret, præstaret sæpè, vt veritas ipsa fidem audientium infortunata non inueniret, cùm ab homine impuro profertur. Sed nescio quæ prurigo defectuum audiendorum, probos etiam Magistratus titillat, vt has male dulces maliloquentiæ voluptates non modo non fastidiant, sed citiùs auidè captent, magno veritatis, & iustitiæ dispendio. Delator priùs suos mores proluat, ne polluat alienos.. O salubrem Præpositis eruditionem!

Philo lib. Quod deter. potior. insid.

5. Ioannis 13. ante diem festum Paschæ, sciens Iesus quia venit hora eius vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, &c. & quidem morte cruentissima, & probrosissimâ: quam illi Diabolus (id est, *Criminator*, vel *Calumniator*,) per Iudam, callidum suæ malitiæ administrum vaferrimè moliebatur; *Cùm Diabolus*, inquit, *iam misisset in cor vt traderet eum Iudas Simonis Iscariota.* Sed esto, per se terrena Dei Filius visitauerit, quid necesse fuit per subdolas Diaboli calumniatoris insidias iniustè necari? Quæ sublimior diuinioris prouidentiæ œconomia has anteuisas Diaboli fraudes & scelestissima crimina ad salutem hominum ordinauit? Scilicet mortem in cruce subit Christus Deus, primariò vt hominem à crimine liberet: & per criminatoris Diaboli insidiosas fraudes, & flagitiosa scelera crucifigi permisit, vt eundem hominem à Diaboli etiam criminatione secundariò

Ioann. 13. v. 2.

Eiusdem criminis reus, falsarius accusator est.

eriperet: ne cùm ipse Diabolus in falsatâ Christi calumniâ deprehenditur, exinceps audeat homines impudenter calumniare, aut saltem fidem suæ fraudis apud homines non inueniat. Tempestiuè Emisenus: Sub abiectione, inquit, formæ seruilis latuit Deus, vt dolosum supplantatorem suis vicissim fraudibus irretiret: vt ille qui procrimine ambitionis illicitæ obnoxium tenebat hominem, dum Dominum crucifigit, maioris reus criminis appareret: ac sic auctoritatem amitteret, dum vincit culpam decepti hominis inmanitas deceptoris: nec possit vlteriùs obiicere homini apperitæ diuinitatis iniuriam. postquam parricidalem in Deum cœcus extendisset audaciam: ac sic captiua esse cœpit impunita feri prędonis impietas. *Sicut ergò mendacem quemquam non potest reum tenere falsarius, sicut nec adulterum accusare audet incestus, nec homicidam paterno sanguine cruentus: sic Diabolum* (id est, *Criminatorem*, seu *Calumniatorem*) *dominari in hominem sacrilegæ cupiditatis excessu sequentis sacrilegij prohibuit magnitudo: sic inquam, in homine Diabolus cælestis Regis offensam vltrà exaggerare non potuit, postquam ipse cruci Regem celi per societatem carnis affixit.* Nempe permittitur infernalis *Calumniator* subdolâ fraude militari Passioni dominicæ, ne primæuam deceptionem vltrà possit hominibus obiectare: Diabolus sacrilegæ & immanissimæ culpæ reus per Euangelistæ scripturam palàm culpetur (*cùm Diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas*) vt multiplex impuri Criminatoris in homines calumnia, exauctorata vilescat; & de propriâ vitiositate non modo auditorum fidem, sed & audientiam auertat, & morû improbitate falsarius habeatur. Vide quàm fœdè de purissimâ Sarâ loquatur procax ancillula, & quàm inoffensè de eâdem re modestus Tobias: piæ aures refutant petulantis mulierculæ audientiam, & pietas boni iuuenis plenam fidem aut inuenit, aut fecit. Abditi in animo mores, in verbis describuntur; & latens animitùs vitium lingua prodit, absconsamque viscerum malitiam os euaporat, & in obuias aures garrulè effutit. O! prudenti malefida est improbi lingua, quam protinùs aut ore, aut silentio, aut renutu debet inhibere.

Emis. de Pascha hom. 11.

Hic v. 15.

Matthæi 26. cùm esset Iesus in Bethaniâ in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autem discipuli indignati sunt, dicentes: *Vt quid perditio hec?* (Ioannes autem vnius Iudæ meminit: nam per syllepsim, pro vno multi solent appellari, ait Hieronymus) potuit enim istud venundari multò, & dari pauperibus. Sciens autem Iesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me. *Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangeliû in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius. Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicitur Iudas Iscariotes* ad principes sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Scilicet honoris iacturam, quam fecit vnius detractio, perenni laude in ipso Euangelio scriptâ, & indubiâ fide aduersus vituperium credendâ, compensatur. Sic est difficile denigratam detractione famam, ad nitorem pristinum reuocare? (quod hîc pręstrictum notare sat esto, alibi forsan vberiùs enucleandum) Sed ad lemma præsens benè notat Chrysostomus, premens illud *tunc*, ita ad 4.

Matth. 26. v. 13.

Quàm sit difficile restaurare famam detractione inuitiatam.

ad præfata Matthæi verba scribens: *Tunc, scilicet quando hoc audiuit, quoniam prædicabitur hoc Euangelium: timuit enim, nam virtutis ineffabilis erat quod dictum est.* O quàm acerbè vituperonem nunc Iudam Christus ferit! Nempe illum retundens, grauissimè sauciat prædicandâ perenniter laude eius, cui vituperio detrahitur: & præclarâ huius facti famâ Euangelio impressâ, peracerbè facti vituperatorem excruciat, & totâ diffamatæ mulieris gloria detractorem infelicitat; de temporario vituperio, *virtute ineffabili* æternaturam laudem eliquans. *Amen dico vobis vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.* Quod adeò Iudæ animum acerbè perculit, vt ad infidam proditionem exacueret. Nam tunc, *scilicet quando hoc audiuit, quoniam prædicabitur hoc Euangelium; abiit vnus de duodecim, qui dicitur Iudas,* &c. O, sic criminatricem improborum linguam Christus frænat, sic procul arcet, & acerbè castigat!

§. CCLIII.

An iudicij finalis dies, adspectu ad damnatos, perpetuus dicitur, quia gehennæ ignis perpetuò culpam inquirit?

1. Publ. Mim. apud Sen. QVotidie damnatur, qui semper timet. Sed quid non timeat, cuius vita curiosiùs apud tribunalia disquiritur? Delicta qui discutit, prodit, & proditrice disquisitione præmaturè condemnat. Iudicis lata sententia semel nocentem ferit: at qui illam diu cadentem timet, toties damnatur, quoties damnationis memoria subit: toties damnatur, quoties an damnationis reus sit, morosiùs disquiritur. Acerbissimum sanè est, diu ex alieno iudicio pendere; testium inuidiæ, odio, æmulationi obnoxium esse. Nemo, nemo, inquam, satis putatur innocens, de quo an sit nocens quæritur. Supercilium iudicis, iudicialium ministrorum inofficiositas, diuturna testium absque delectu depositio, vaga testimoniorum licentia, causæ indies procrastinatio, sententia diu iamiã cadens; quæ dum perdiu imminet, antequam semel, aut nunquam cadat, diutiùs ferit; grauior prædamnatio est. Lanius est, non medicus, qui vt curandum morbum penitiùs agnoscat, anotomiam languentis facit. Qui semper inquirit, nunquam non reum damnat, etsi tandem absoluat: siquidem inquisitionis condemnatione prædamnat. Quis miretur Saram nimis grauatè tulisse ancillæ opprobrium, eamque crudelis flagitij appellari; cùm adhuc inter probissimos quosque de eius innocentiâ reatuve disquiratur? Angelo opus est, qui criminosæ discussionis morbo mederi possit.

Delictorum discussio, præpropera damnatio est.

Hic vers. 15 & 16.

2. Matthæi 5. Euangelij mores corpore pariter ac mente sinceros, Christus edocet, grauioris mulctæ incusso metu. Sed attentiùs notanda pœna est: Ego autem, inquit, dico vobis: *Quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca; reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue; reus erit gehennæ ignis.* Nimirùm ira animo vultuve tenus efferuescens, *Iudicij*, quo disquiratur, rea, dicitur. Quod si quis conceptam animo iracundiam per linguam asperiùs euaporauit, reus *Concilij* pronunciatur. Hoc est vt in grauiori Senatorum concessu, causæ meritum disquiratur. Si autem ità peritus contumeliosissima in fratrem verba effutiat, cùmque *fatuum* nominauerit; non iam *Concilij, Iudicijve*, quo eius delictum ad punitionem discuriatur, reus dicitur; sed districtâ iam sententiâ *reus gehennæ ignis* pronunciatur. Notatione dignissimum est, quòd ira interior, & contumelia per *raca* expressa, *Iudicij* (*Concilium* grauius iudicium est) rea dicatur: in Iudicio autem crimen discutitur. Grande siquidem supplicium est, sic damnari, vt eius crimen seriò discutiatur. Et sanè suspicari liber adhuc in gehennâ, damnatorum crimina quodammodò inquiri ad gehennalis pœnæ exaggerationem. Audiendus est hâc super re Emisenus, qui acutè pertractans, quo pacto misera damnatorum viscera atrocissimis doloribus obnoxia, & solis cruciatibus pœnalissimè consecrata, ignis arbiter depasta non deuoret; nec finem in ipso optatissimi interitus confinio vnquam inueniant, sic opportunus fatur: *Illa enim non casualis, sed rationabilis & pœnalis exustio, quia culpam iubetur inquirere, substantiam nescit absumere.* Profectò multâ cum emphasi *rationabilis* dicitur, pœnalis gehennæ exustio; siquidem inferni *inquisitor ignis* (vt loquitur Cassianus) adhuc damnatorum *culpam iubetur inquirere*; & inde substantiam nescit absumere: quasi infernalium pœnarum æternitas huic etiam inquisitioni quodammodo ascribatur. Itaque acutissimè contemplatur Emisenus gehennæ ignem non modò densis incendij vaporibus, & adglomeratis flammarum spiris, æstuantia damnatorum viscera perpetuò coquere, & nunquam decoquere, ob latam æternæ damnationis sententiam, propter crimina nunquam expianda; sed quò (adspectu ad hominum æstimationem) pœnalem illius vim exaggeratiùs expendat, inducitur rationabilis & pœnalis gehennæ exustio, ac si adhuc damnatissimã tetrò *culpam iubeatur inquirere*: exindeque adhuc *inquisitor ignis* meritò nuncupetur. Quasi non tam damnatos cruciaret, nisi eorum culpam adhuc inquireret. Ac si non plenè apud homines explicaretur atrox eius vis adustiua, nisi adhuc induceretur culpas curiosiùs perquirens, criminum indagatione perpetuâ. Quasi necdum satis damnatam culpam castigaret, nisi eam etiam post damnationem, adhuc scrutaretur. Ecce tibi quo pacto qui damnatur ad gehennam, etiam *iudicij* quodammodo reus est; cùm rationabilis ac pœnalis exustio *culpam iubeatur inquirere*, & miser damnatus *inquisitorem ignem* æternùm pati.

Gehennæ ignis culpam adhuc inquirit.

Emis. hom. 1. ad Mona.

Cassia. Coll. 15. cap. 10.

3. Ioannis 5. Christus agens de sublimi potestate illi à Patre concessâ, vt iudicio finali cum summâ auctoritate præsit, hæc subdit: *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei: & qui audierint viuent*, &c. Grande in primis dubium, de qua resurrectione hîc agat Christus, aiens: *Et nunc est.* Ammonius, Augustinus, & Beda hunc locum de sola spirituali resurrectione, idest, de iustificatione interpretantur. Alij eodem moti verbo, non ad generalem illam, sed ad particularem eorum, quos Christus dum in hac vita esset, suscitauit, resurrectionem referunt, vt Cyrillus, Leontius, Chrysostomus, Theophylactus & Euthymius. At Ioannes Maldonatus, cui olim Ioannis Euangelium exponens, assentiebam, multis probat præfata verba de generali resurrectione in qua singulorum discutientur scelera, & cui Christus

Ioã. 5. v. 25.

Quam ob rem Iudicij dies dicatur perpetuus.

Maldon. ibi.

cum

cum summa potestate præerit, esse intelligenda. Ast quo pactò de generali iudicio dicitur: *Et nunc est?* Adest ne iam timenda generalis vltimique iudicij dies, in qua peruestiganda sunt omnia hominum crimina vel in cordis penetralibus admissa? Profunde de more Tertullianus, huc fortassis dissimulanter adludens, ita fatur in lib. de Spectaculis: *At enim*, inquit, *supersunt alia spectacula, ille vltimus & perpetuus iudicij dies*, &c. An bene cohæret, quòd *vltimus* dicatur iudicij dies, & simul *perpetuus* nominetur? Non definio quoto temporis interuallo duraturum sit: an in ictu oculi? an in vna dieculà? an pluribus ipsisque quam longis diebus? Hoc vnum indubiè perspicuum est, neque *nunc* finale iudicium celebrari, neque *perpetuum* fore: quo igitur pacto de eo dicitur, *Et nunc est*, & simul additur, *ille vltimus & perpetuus iudicij dies?* An timor illius diei, in quo iudiciaria potestate, singulorum delicta rigidè examinanda sunt, Iudicium anticipat, & præproperè repræsentat? An etiam *perpetuus* dicitur, quia quod nimis in finali iudicio pœnale est, nempe districtior criminum inquisitio, quodammodo perenniter durat? *illa enim non casualis, sed rationabilis & pœnalis exustio, quia culpam iubetur inquirere, substantiam nescit absumere.* Scilicet finale iudicium, in quo districtius ritu iudiciali singulorum scelera examinantur, moralissimè dicitur, & *nunc* peragi; & simul *perpetuum*; siquidem quod nimis acerbum in illo est, incessanter quodammodo perseuerat. Quid exaggeratiùs? Hinc ergo taxare licet, quam sit pœnale & acerbum diu tolerare examen iudiciarium, & morosiorem vitæ scrutationem. Non viua corpora, sed cadauera anotomiam patiuntur, id est, humanam lanienam. Nemo indemnis ab examine euadit, nam etsi iudicis tandem absoluatur sententia, examinis tamen condemnationem præmaturè subit.

Tertul. lib. de Spect. cap. 30.

Emiss. Sup.

4. Alia suppetit ratio, quare finalis iudicij dies *perpetuus* dicatur, quam tradit Tertullianus in Apologetico cap. 48. quò Tertulliani in hoc loco interpres sit alibi Tertullianus Qui agens de gehennali incendio æternùm duraturo, ita scribit: *Non enim absumit quod exurit; sed dum erogat, reparat: adeo manent montes semper ardentes; & qui de cœlo tangitur, saluus est, vt nullo iam igne decinerescat*, (nota quæ addit verba) *Et hoc erit testimonium ignis æterni, hoc exemplum iugis iudicij pœnam nutrientis.* Nimirùm iudicij finalis mora (quota illa sit) appellatur, *perpetuus dies?* & *iuge iudicium*? quia iudicium ibi latum perpetuum damnatorum pœnam iugiter *nutrit*; & quem erogat, æternùm reparat, & sententiæ fulmen in eo iudicio vibratum, durat in effectu perpetuo, quo miseri damnati æternum decinerescunt.

Tertull. in Apolog. *Iudicium finale dicitur iuge, quia pœna perpetuò nutrit.*

---

§. CCLIV.

Qui præstantioris patrocinio destituitur, maximis culpis, & criminibus obnoxius fit.

1. Multi felicem comitantur, & exsomnis clientum turba, superbarum ædium stertentis domini postes salutatura, diem præuenit, noctem lucernat. Sportulam quærunt, herum fastidiunt. *Mel musca sequuntur, cadauera lupi, frumentum formicæ. Prædam sequitur ista turba, non hominem.* Vili etiam obsequio arrogantia ambitionis faciliùs proficit, & feliciùs promouetur. Clientum maior pars ambitione ducitur, insano dignitatum studio, aut modicum sportulæ subsidium sedulitate mercatur. Alij patronum quærunt, non vt nouos quærant honores, sed ne ab antiquis excidant, & auitam sibique debitam tueantur dignitatem. Heu! Patrono opus est, ne antiquus dehonestetur honos, ne virtus vitij arguatur, & innocentia criminosè culpetur? Tantùm Patrono licet, vt bonum etiam virum habeat innocentiæ debitorem? Sceleribus obnoxius est, qui Patrono destituitur est? O inania, ac friuola hominum iudicia! Summatum patrocinium, rumusculos, quos inquietat inuidia, sedat, diffamiam: quam alienum odium sollicitat, sistit; & vitij notam, de qua vituperonum lingua garrit, in ipso faucium meatu potenter præcludit. Virtus bono viro, sui obseruantiam debet; bonus autem vir debet Patrono virtutis famam, An non hîc innocentiæ opinionem, Patrono Azariæ Sara debet?

Seneca lib. de Rem. fort.

Virtus magno Patrono, virtutis opinionē debet.

Hic v. 16 &c 21.

Genesis 45. Iacobi familia, in dira Chananitidis sterilitate, præ annonæ penuria nimis famescit. Semel & iterùm frumentatum it in Ægyptum; vbi quasi terræ exploratores vulgo tractantur; Beniamin furati scyphi reus sistitur. Iacobæorum causa in tribunalibus ventilatur, fama scelerum serpit; Iudas copiosè perorat, & nedum suorum innocentiam suadet. Tunc magnus apud Ægyptios vir Iosephus, eleuauit vocem, quam audierunt Ægyptij, omnisque domus Pharaonis: *Ego sum*, ait, *Ioseph frater vester...... nolite pauere*, &c. Benè est, Iacobi familia, quæ quasi tot scelerum rea stat, magnum Patronum nacta sit, & pauorem venditi impiè fratris excusserit; quare de perduellionis, & furti obiecto crimine, nec leniter iam sollicita est? Enucleate, opinor, rem tetigit Philo Hebræus, sic moralissimè pariter, ac verissimè aliorsùm fatus: *In vniuersum enim scire oportet, quod qui præstantioris ope destituitur, fit obnoxius magnis culpis, & criminibus.* Aurea plane verba, & proficuæ moralitatis fœcundissimè gravida, ne quorundam virtus deserta Patrono, bonæ opinionis pariatur abortum. Nimirùm vbi magnus Patronus Iacobæis adfuit, nulla veterum criminum mentio fit, stitio fœdæ causæ indicitur, & vitæ innocentia impunè gaudent; Ij, ij inquam, qui nuper Patrono destituti, sub iuramento in tribunalibus asserebātur, & exploratores esse, & ingratissimi furti reos, quin & fratris scelestissimè perditi. *In vniuersum enim scire oportet, quod qui Præstantioris ope destituitur, fit obnoxius maximis culpis, & criminibus.* Profectò non mirarer, quod qui præstantioris ope destituitur, leni quiete domi otiaretur, nec ad Reipublicæ honores ascenderet, quos ambitio Potentiorum ope suffulta, obtinet, nam qui Summatum auxilia negligit, negligi vniuersatim solet; perraro enim dignitas se fugientes persequitur. At mirissimum valde est, quod scelestus, de Potentioris ope innoxius euadat? & qui fœdis sordet criminibus, de innocentiæ splendore fulgere videatur, patrocinij iubare micans, quasi Procerum patrocinium, vitia expungat, virtutes excudat; scelera deluescat, probitatem afficiet; imbonitatem excantet, bonitatem ingerat. Athe-

Gen. 45, v. 4. & 5.

Patrono destitutus, magnis criminibus fit obnoxius.

Philo in lib. Quod deter. pot. insid.

P. Didac. de C elada in Tobiam. Ll niensium

nienſium patrocinio, Minerua draconem parturit, & virgo eſt. Opinatiſſimo Plinij Conſulis ſuffragio, Traianus molliculus pulchellorum conſtuprator, continentiæ laude micanter ſplendet. Quis de culpis eorum, quos Magnorum patrocinium tuetur, mutire audeat? Magnis diſplicere, errare eſt, mentiri eſt, quin & periculum eſt: Qui autem Patrono deſeritur, virtute delinquit, ſanctitate peccat, & bonitate imbonus eſt, quiuiſque impunè illum audet ſceleſtius culpare, inſana detrahendi libidine, in alienam famam luxuriante. *In vniuerſum enim ſcire oportet, quod qui præſtantioris ope deſtituitur, ſit obnoxius maximis culpis, & criminibus.* Conſultiſſime quidem Philo.

3. Cant 5. v 7.

Canticorum 5. Sponſa cœleſtem ſponſum inviban ç ſubdio moratur: declinauit ab ea ſponſus, inciuilitatem auerſatus. Tunc ſponſa (id eſt anima) nullo ſtipata ſodalitio, ſola per vrbem vagatur, vt ſuum ſponſum quærat, & blanditiis deliniat. *Inuenerunt me*, inquit, *cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem, percuſſerunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.* Per hos cuſtodes, ſeu vigiles, Hugo Cardinalis ſecutus plures ex Patribus, & quem plures ex interpretibus ſequuntur; Angelos intelligit, qui ob leues ſponſæ, ſeu animæ ſanctæ defectus, illam percuſſerunt, vulnerauerunt, & expoliarunt. Quę fuerit hæc multiplex ſponſæ noxa, ob quam male tractata ſit. Expoſitores latè tradunt, quod nihil nunc ad nos, qui explorare feſtinamus, quo modo Angeli, vel homines Angelorum æmuli, Angelorum vocabulo figuratè intellecti, qui ſponſam quaſi plurium defectuum ream, nunc male accipiunt; poſtmodum eiuſdem ſine vllo næuo pulchritudinem, & venuſtum inculpatæ innocentiæ nitorem, venerabundi admirentur, dum in hæc vbera erumpunt: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens innixa ſuper dilectum ſuum?* Quæ verba ſic ad rem præſentem elucidat Gillebertus: *Ac ſi dicat: Non eſt cum illa ſicut heri, & nudiuſtertius non iam amplius circuit ciuitatem; non diſcurrit per vicos, per plateas, per vigiles: non vagabunda vagatur, ſed itinere recto aſcendit. Quæ eſt in hac ipſa hac tam ſubita nouitas?* Vultis ſcire, Quæ ſit *in hac ipſa* hęc tam ſubita nouitas, ad quam illi ipſi homines Angelicæ perſpieaciæ æmuli, ſic peregrinantur? Nempe cum ſponſa (id eſt, pia anima) diſcurrit per vicos, per plateas; vel Angelici homines ſignificati per vigiles, ſeu cuſtodes ciuitatis, illam inuenere ſolam; & inde defectus, quos in ea agnoſcunt, illi exprobrant, nec abſque mulcta dimittunt. At *hac ipſa*, in qua nuper dum ſola verſaretur, plures nęuos agnoſcunt, non abſque contumelioſi ſupplicij dolore dimiſſa eſt; *hæc*, inquam, *ipſa*, cùm *innixa ſuper dilectum ſuum* cernitur, non iam *ſicut heri, & nudiuſtertius, ſed itinere recto aſcendit deliciis affluens.* Moraliſſimè quidem ad humanam eruditionem! Scilicet, ſi roget aliquis: Cur ille ipſe, qui heri, & nudiuſtertius dum ſolus verſabatur, plurium defectuum reus, exinde ſupplicio dignus apparebat; nunc recto itinere incedere, & virtutem bono odore, & ſanctitatis deliciis affluì videtur? *Quæ eſt in hoc ipſo hac tam ſubita nouitas?* an non *hic ipſe* eſt, qui nuper fuit? Planè ille ipſiſſimus eſt. Aſt heri, & nudiuſtertius, in nullius clientelam adſcitus erat, nulla cum Proceribus familiaritate aſpectabilis; ſed ſolus, & vnicus vagabatur: dum autem *innixus* ſuper principem Salomonem iam incedit, recto itinere aſcendit adeò vt eius pulchritudo, & virtutis candor, vel ipſoſmet Angelicos viros in admirationem rapere videatur. Nimirum innocens eſt de patrocinio, qui nuper de ſolitudine reus erat. *In vniuerſum enim ſcire oportet, quod qui præſtantioris ope deſtituitur, ſit obnoxius maximis culpis, & criminibus.* Quaſi virtus ſit, patrocinij ſtipendium, & culpabilis reatus, ſolitudinis meritum, ſeu appendix. Peritè ergo Gillebertus in ſenſu morali præfata verba ad inſtruendos hominum mores deflectit. Non quod Angeli, & *vigiles* ſiniſtrè cenſeant? ſed quia homines quantumvis *vigiles*, & Angelorum æmuli, ſic aliquando cenſere ſoleant.

Hugo ibi. *Qui nuper exerrare videbatur, patrono innixus, recto itinere incedere dicitur.*

Cant 8. v. 5.

Gillebertus ſer. 15. ſuper Cant.

Geneſeos 41. Magorum nemo Pharaonis ſomnium ediſſerit. Tunc *reminiſcens* pincernarum magiſter fatetur peccatum ſuum & Pharaoni ſuggerit Ioſephi in interpretandis ſomniis ſpectatam impaucis peritiam, ac *poſt duos annos* expetitum patrocinium ei ſedulus impendit. Et *protinus ad Regis imperium eductum de carcere Ioſeph totonderunt, ac veſte mutata obtulerunt ei:* Sera quidem eſt, ſed vinam vera confeſſio, poſt peccatum fatetur, quod ante peccatum cauere debuerat. Quam citò oblitus fueras, quod tuus fauſtus interpres anxiè poſtulauerat: *Memor eſto mei.* Scis nempe tunc temporis hunc fuiſſe ſermonem: *Sed obtuſas aures habebas faſtu potentiæ:* ait inibi Ambroſius. Surditas agnatus humanæ potentiæ morbus eſt. Qui ab officio, vel ſilentem pauperem debuiſſet audire, clamantem putat elinguem, & mutum. Muta eſt apud homines omnis miſeria, quia nimis ſurda omnis potentia eſt. Sed *poſt duos annos* tandem patrocinij beneficio è carcere Ioſephus educitur, & cauſa indiſcuſſa excutiens reatum, & velut innocentiæ veſtes induens, Regi ſplendidus adeſt. Qua ſuper re ita pholoſophatur Auguſtinus: *Cum Ioſeph in omnibus gratiam Dei meruiſſet, ſubreptum eſt illi vt ab homine auxilium peteret. Pro qua re additi ſunt duo anni, quibus adhuc teneretur in carcere, tanquam diceret ei Deus: Ego tibi oſtendo, vt magis à me, quam ab homine debeas auxilium poſtulare. Sine enim vlla dubitatione credendum eſt, quod pro caſtigatione ſancti Ioſeph, non permiſit Deus magiſtrum pincernarum, vt in mente haberet, quod ei ſanctus Ioſeph quando de carcere dimiſſus eſt, ſupplicauerat.* Sic velut exambit Deus humanas preces? Sic quaſi inuidet homini, cui ſupplicatio fit? Sic dure punit, qui ſpem reponit in homine, præſertim aulico? Profectò ab hominum diuortio, firmior ſpes in Deo fundatur. Verùm licet inde biduano carcere punitus ſit, tamen huius Principis patrocinio derepente reatu abſoluitur, nulla ſeruitutis mentio fit, & heræ ad ſtuprum ſollicitatæ recordatio nulla. Et qui patrocinij exors, toto biennio vinctus tenebatur in carcere velut flagitiorum reus; optatum patrocinium tempeſtiuè nactus, repentè excuſſo reatu, innocens Regi ſiſtitur. *In vniuerſum enim ſcire oportet, quod qui præſtantioris ope deſtituitur, ſit obnoxius maximis culpis, & criminibus.*

4.

Gen. 41 v. 14. *Potentia faſtu obtuſas habet aures.*

Ambroſ. de Ioſeph Patriar. *Ioſephus patrocinij beneficio, cum catenis reatum excuſſit.*

Aug. ſer. 82. de Tempore.

§. CCLV.

§. CCLV.

Sic lasciuia delicta quasi ex licito fieri creduntur, vt magis reprehendatur eorum reprehensor, quam factor.

1\. PRælustre nomen sine actu atque officio suo, nihil est. Quid enim est aliud Christianismus sine meritorum sublimitate, nisi sublimissimi honoris titulus sine homine? Quid prodest sanctum nomen, (nisi fortè ad reatum exaggerandum) vbi effusior criminositas diu præscribit? Periurium ipsum sermonis genus putatur, non criminis; superba arroganter ambitio, honesti generis prærogatiua; maledicentia perniciosè garrula, aut honesta recreatio, aut acuti & eruditi ingenij demonstratio; libido autem sic impudenter reconsuescit, vt cognatam probrositatem minimè erubescat. Ita de sui æui moribus dolenter conqueritur Saluianus. Vnde tanta delinquendi impudentia? *Nisi fortasse credimus, sapienter nos Deum spernere: & hoc ipsum quod Christi mandata contemnimus, summam prudentiam indicamus. Nam tanto consilio omnes peccata sequimur, quasi summi consilij conspiratione peccemus.* Hæc exaggeratiùs acri vir ingenio Saluianus scripsit, ne malitia longa diu delinquendi consuetudine, insolenter præscribat, sicut præscripsit in septem illis sacrilissimis honestissimæ Saræ viris, qui ita lasciuè vel coniugium susceperunt, vt Deum à se, & à sua mente excluderent, & suæ libidini ita vacarent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus; & quicquid lubet, licet: nec pene oblatrat ratio, nec conscientia fere morsicat; sed de luxuriandi consuetudine, sic malitia inoleuit, vt quasi *summi consilij conspiratione peccetur.*

Sapienter nos Deum delictis spernere putamus.

Saluian. lib. 4 de Guber. Dei.

Hic vers. 17

2\. Lucæ 11. Christus Deus, quibus præualebat omnipotentiæ viribus surdum & mutum Dæmonem excantat. Tunc de inuidiæ & maledicentiæ genio, rumusculus à Scribis & Pharisæis in vulgus spargitur, in Beelzebub Dæmoniorum principe hunc Dæmonem fuisse abactum. Quò eiusmodi rumusculum per linguarum & aurium traduces latè serpentem, sistat Christus, plura ad turbas verba facit, & inter alia, hæc ad rem præsentem intermiscet: Cùm immundus, inquit, spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. *Et cum venerit, inuenit eam scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* Quæ est hæc domus mundata & ornata, cuius ornatus & munditia Dæmones, vt in ea habitent, gratanter inuitat? Immundus ne Dæmon munditia & ornatu gaudet? Puto lutosum vitiorum volutabrum, expetita immundi Dæmonis mundities est. Exinde Ambrosius secutus plures, & quem plures sequuntur, putat per hanc domum *scopis mundatam & ornatam*, intelligi Synagogam, Iudæos inquam, qui criminum cœno diu squalidi, infidelitatis & vitiositatis sordibus sese de munditia & ornatu morum peruersè gratulantur, quasi ex cœca delinquendi consuetudine, sordida quæque munda ipsis sint; & criminosè illicita, licita reputentur. Cæsarius Arelatensis Episcopus, præfatum Lucæ locum exponens, hac opportuna clausula contra sui æui mores, tacitè exponit, agens de effusiori hominum libidine, ad quam immundus spiritus acriter stimulat, eosque tanquam *nudam & ornatam domum* reputat sibi: *Quod peius est*, inquit, *ita peccata ista in consuetudinem missa sunt, & tanti sunt qui illa faciunt, vt iam quasi ex licito fieri credantur.* O pudor! Ita peccandi increbrescit consuetudo, sic luxuriæ pestis maligna contagione latè grassatur, vt libidinis impudentia præscribere præsumat, contra naturæ leges, & Deum Legislatorem? *Domus scopis mundata & ornata* censetur, quam *immundus spiritus* squalidè inhabitabat? Tanta est vniuersatim lasciuiendi consuetudo, vt libido naturæ, & Dei legibus prohibita, à quibusdam Hæreticis & Paganis (quasi rationem desuescant) dicatur licita; & à nonnullis de diuturna malitiæ præscriptione, propemodum non illicita reputetur? O cauterizatam luxuriæ ignibus conscientiam! O rationem, quam libidinosi incendij exæstuans fumus, sic terra fuligine infuscat! *Ita peccata ista in consuetudinem missa sunt, & tanti sunt qui illa faciunt, vt iam quasi ex licito fieri credantur?* O time has lasciui incendij scintillas, quę in conscientiam eiaculatę, rationem funestè obscurant! Facile imposturam facit quod delectat. Voluptatis comœdia, tandem tragœdia est. Caue tibi ne sensim sic lasciuiæ assuescas, vt agrestes barbarorum mores malignitate transcendas. *Puritatem nos fugimus, illi amant: fornicatio apud illos crimen atque discrimen est, apud nos decus*, acerrimè dixit nuper laudatus Saluianus. Sic aliquorum impudentia vniuersitatem constuprat.

Ambr. lib. 7. in Lucam. *Tanta est luxuriandi consuetudo vt quasi ex licito fieri credatur.*

Lucæ 11. v. 25. & 26.

Cæsar. hom 16.

Apud Barbaros luxuria crimen est, apud nostrum quosdam, decus.

Salu. lib 7. de Gub. Dei.

Geneseos 19. putidam præpostere Sodomam, sub noctem ingrediuntur Angeli, continentiæ vindices & lasciuiæ punitores egregij. De Abrahami moribus hospitalitatem edoctus, illos iustus Loth excipere meruit, ingressique domum illius fecit conuiuium, & coxit azyma, & comederunt. Priùs autem quam irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum à puero vsque ad senem, omnis populus simul. Vocaueruntque Loth, & dixerunt ei: Vbi sunt viri qui introierunt ad te nocte? *educ illos huc, vt cognoscamus eos.* Egressus ad eos Loth, post tergum occludens ostium, ait: Nolite, quæso fratres mei, nolite malum hoc facere. (attentius adnota quid viri lacissimi Loto responderint.) *At illi dixerunt: Recede illuc. Et rursus: Ingressus es, inquiunt, vt aduena; numquid vt iudices? te ergo ipsum magis quam hos affligemus.* O irrationales minas! Quid in eos peccauit iustus Loth, vrbanissimè aiens: *Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere?* Homines de obscœnitatis volutabro squalidi, quid in homine iusto reprehendere, & punire audeant? Apud quos sic impunè lasciuitur, quid reprehensione ab ipsis facienda dignum inueniant? Peracute Augustinus exponens præscripta verba: *Te ergò ipsum magis quam hos affligemus*, ita scribit. *Tantum excæcauit eos pessima* lasciuiendi *consuetudo vt magis reprehenderetur ab eis reprehensor flagitiositatis, quàm factor,* Bene quidem, & optime alterutrum alteri correspondet, vt qui quasi ex licito lasciuiunt, & impune luxuriantur, qui illorum libidinē reprehendit, reprehensione & punitione dignus censeatur. 3.

Gen. 19. v. 9. *Magis reprehenditur reprehensor luxuria, quam factor.*

Aug. apud Lipom. ibi.

Vbi vitia inolescunt, peccat qui rectè facit; & sola virtus, crimen & discrimen est. Huc, huc deducit obscœna libidinis *consuetudo*! sic voluptuosus lasciuiendo præscribit luxus, vt inter homines ratione præditos, quasi rationem salacitate dedišcant, non vitij sectator, sed vitij reprehensor, acri obiurgatione, & pœnalissimo supplicio dignus censeatur. *Tantùm excæcauit eos pessima consuetudo, vt magis reprehendatur ab eis reprehensor flagitiositatis, quam factor.* Verùm puritatem illi fugiunt. Lotus amat: fornicatio apud hunc, & crimen, & discrimen est; apud illos decus, & potentiæ gloria. *Ita est peccata ista in cõsuetudinem missa sunt, & tanti sunt qui illa faciunt, vt iam quasi ex licito fieri credantur.* Sic libidinis gloria recrudescit; sic de concupiscentiæ præstigiis ratio excæcatur, voluptatis lenocinio? O propudia!

4\. Ps. 67. v. 28. Psalm. 67. sic pangit regius Vates: *Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu.* Adolescentulus dicitur, id est, ætate adolescens. Et sanè cum adolescentia sit effusior ad libidinem; & tribus Beniamin salacitate famosa fuerit in Gabaa, vt habetur Iudicum 19. idcircò forsan non inidoneè de intemperantia posset saltem accommodatitiè exponi. Consonat *τὸ in mentis excessu*, Augustinus, *In ecstasi*; alij; *in sopore*; alij *in extensione* quod verbum ad prolis propagationem posset aptari. Porrò libidini, ad alium sexum amore velut attonitæ, *mentis excessus*, stupor, seu ecstasis attribuitur, quo maxime ardore adolescentia seu iuuentus dementatur. Adeò vt sic insaniat ad Venerem, vt hebetatâ ratione, lasciuiam defendat, vt velut ex licito luxuriari videatur. Amantium aut amentium insaniam his verbis elegāter tradit Tertullianus, alibi aliorsùm à nobis expensus: *Potentissima carnis concupiscentia ætatis officia defendit, decoris messem requirit, gaudet de contumelia sua.* Nimirum per carnis concupiscentiam iuuenis, sic à mente propemodum abalienatur, vt in mentis excessu, libidinem excusare impudenter audeat, dum *ætatis officia defendit*, ac si effusior Beniaminitarum scortatio sit iuuentutis officium, & adolescentiæ destinatum munus. Inde effusiùs luxuriando, *decoris messem requirit*, quasi vegeti decoris fructus sit impotentior salacitas. Eóque amentiæ deducta est, vt quasi carnis concupiscentia irrefragabili ratione defenderit luxuriam velut ætatis officium, & pulchritudinis fructum, *gaudeat de contumelia sua*, malè sedato pungentis conscientiæ aculeo. O insanè libidines præstigias! O obcæcatam rationem de fumantis concupiscentiæ fornace hasce fauillaceas nugas seriò euaporante? *Tu verò* (concludit postmodum idem Tertullianus) *spirituali affectione carnalem concupiscentiam humabis, temporalia & volatica desideria inmicantium bonorum compensans delenda.* O lætum concupiscentiæ funus, quo libido simul humatur, ne exinceps *gaudeas de contumelia tua*! Contumeliam vocat ipsum coïtum, quem Ambrosius vocat *conuicium, & opprobrium*. Hieronymus *fœditatem, & sordes nuptiarum.* De quo eruditè noster Cerda ibi. Qui adducit etiam Aldhelmum, qui nubentes vocat, *Neuorum maculis deformatos, sæcularis scoria atramento fœdatos.... lurida fœtantis cloaca volutabra.* Hæc dixit Adhelmus non quò nuptias ethicè culpet, sed quò virginitatem de munditie præferat.

Iudic. 19.

Iuuenum concupiscentia, libidinē quasi ætatis offic a defendit.

Tertul. lib. 1. ad Vxor. c. 4.

Nuptiarum licitæ sordes traduntur; quò praniteat virginitas.

Cerda ibi n. 48. Aldhelmus de Virgin. c. 4. & 25.

§. CCLVI.

Libidinis tantilla apparentia, & citissima vanescentia, hominis illusio & ludibrium est, nudam mox rationem flagellans.

S. Augustinus dat vapori *tantillam apparentiam, & citissimam vanescentiam*, inde Tertullianus volaticam libidinis voluptatem, carnis vapori exagitari dicit, de quibusdam scribens: *Post libidinum vaporata momenta cœlum suspirasse.* Nempe auidissime deperibant fœminas, & in illas vehementer exarserunt; sed illud *momentum*, & breuis libidinis impetus elanguit, exhalauit, euaporatusque est, tuncque attentius cogitare cœperunt vnde cecidissent; & vili libidinis commercio nundinatum cœlum, protinùs suspirarunt. Breuissima voluptatum libido est, vilis obscœna, pœnitenda, & quæ ipsum quod cupit bonū, etiam dum fruitur, erubescit, & seriò auersatur tædio. Vaporis tantilla est apparentia, & citissima vanescentia, sic & libido postquam cōfusiones suas despumauit, primo feruore lassatur, & languet, & vaporis adinstar disparens, in fastidium abit, quod nuper erat in amoris pretio. Tarda cogitatio sequitur Venerem, quæ carò pœnitentiam emit, dum defœcata iam ratio *post libidinum vaporata momenta cœlum suspirat*, quod lasciuiendo amisit, gehennam timet, cuius vapore ad momentum exarsit. O breuem insaniam, qua corda amantium belluino stupore furunt; & dum mentem irrationali furore desuescunt, *sue libidini ita vacant, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Salaces enim homines sic luxurie obbrutescunt, aut saltem obscuratum habent rationis lumen, vt libido aut somnium sit vigilantium, aut maligna dormientium vigilia, quæ hominem momentanea, & flebili voluptate ludificat.

1. Aug. epist. 3.

Tertull. de Habitu mul.

Homo post libidinis euaporata momenta, cœlum suspirat.

Hic v. 17.

2\. Dauid Psal. 37. malè sanatas pristinæ salacitatis relictas cicatrices, adhuc flebilis dolet, & luctuosiùs angitur: Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie *insipientiæ meæ.* Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem, tota die contristatus ingrediebar. *Quoniam*, inquit, *lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea.* Quæ sunt hæ lumborum illusiones, quarum causâ à facie insipientiæ suę, sic querulus anxiè dolet? Hugo Carensis sic præfata verba exponit: *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, id est, delectationibus carnalibus, quæ non vocandæ sunt delectationes, sed potiùs illusiones.... Quid enim insanius quam momentanea delectatione æternis se mancipare suppliciis? Et intelligitur hoc tam de lumbis mentis, quam de lumbis carnis.* Pulchre libido dicitur corporis & mentis illusio, & quasi aliquod vigilantium somnium, aut anceps dormientium vigilia, qua anima pariter ac corpus voluptatis momentaneo vapore obscœne ludificatur, cumque corporei vaporis flamma deferbuit serò cognoscit homo se corpore pariter ac mente fuisse delusum. Nam vt eleganter dixit Cyprianus in lib. de Bono pudicit. *Impudicitia semper est detestanda, obscœnum ludibrium reddens ministris suis.* Sententiosè dicitur *ludibrium obscœnum*, quo lumbi mentis & corporis

Psal. 37. v. 8.

Hugo ibi.

Sententiosè dicitur libido. Rationalis hominis obscœnum ludibrium.

Cypr. in lib. de Pudic.

corporis illusione propudiosâ egreglè ludificantur, perstringuntur, & eluduntur in turpi Veneris lusorio. Nam postquam homo lasciuus despumauit confusiones suas, confestim ipse sibi redditus, clarata iam ratio, (quam libidinis vapores obnubilarant) non tam voluptatem, quàm voluptatis excrementum inuenit, deliciarum fęces, petulantem mentis iniuriam, ac dedecus sumptuosum Præteriit in momento quod delectat, diu manet quod confundit; & de leuiculæ & volaticæ voluptatis fauillâ, delicti pudor & confusio renascitur, conscientiæ morsus, & arrha relapsus voluptuosæ deliciæ spebus hianter conceptæ, fugitiua voluptatis imaginatione præteruolant; & quos libidinum vaporata momenta delectarunt, pudenda protinùs verecundia inuadit: corporis dehonestamento verecundantur, obscœno mentis dedecore tangũtur, famam laceratam sentiũt, cœlum amissum dolent, & minas æternaturi pœnalissimè ignis pauidè perhorrescunt, Detersa iam ratio, & æstuantibus lasciuiæ vaporibus libera, dum animaduertit *lumborum tam mentis quam carnis illusiones*; ipsum opinatissimum & optatissimum voluptatis suæ bonum erubescit, & se *obscœno ludibrio* contumeliosè delusam gemit, ac de turpi amentia libidinis, sera cognitione verecundatur. O! sic insanit humana ratio, potissima hominis pars, vt velut somniatæ *illusioni* credat, & *obscœno ludibrio* credat se se? Sic nobilissima hominis mens, de Angelicæ naturę confinio illustris, lasciuiæ instinctu in pecuinos mores degeneret? Humanam mentem dediscit, quisquis *sua libidini ita vacat sicut equus & mulus, quibus non est intellectus*.

5. Ecclesiastici 9. à mulierum consuetudine viros auertere Sapiens studet, ne cum modica voluptate magnam sui contumeliam subeant, insigni rationis dedecore: *Non des*, inquit, *mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam & confundaris*. Variè hunc locum accipiunt interpretes, & multimodè exponunt. Et quidem non inidoneè, per τὸ *potestatem animæ*, hominis arbitrium potest intelligi, quo sui iuris est, & nullius seruitio animitùs mãcipatus. Per τὸ *virtutem*, potissimam hominis partem, mentem inquam, & rationem accipere, pronum est. Quasi dicat Sapiẽs: Pudicitiam cole, stude continentiæ; nam si insanę lasciuiæ habenas laxas, dabis mulieri *potestatem animæ tuæ*, & ipsa voluptatis blanditiis, quasi quibusdam præstigiis ingredietur *in virtutem tuam*, id est, in mentem; & illi luxuriæ vaporibus obscuratæ propè ad nutum dominabitur, quod in rationalis hominis magnam confusionem cedet: *Ne ingrediatur in virtutem tuam, & confundaris*. Obuium enim est vesanos mulierum amores, amantes amentes reddere; nec modò obtenebrare rationem, sed illam ad tempus sensim suffurari, Vide mihi quam probrosè *confundatur* ratio hominis, qui se obscœnè libidinibus erogauit: *Postquam factum fuerit*, (ait Chrysostomus) *& libidinis voluptas parùm cesserit*, (id est, deferuere incipiat) *conscientiæ accusatio inuadit, nudam rationem flagellans*. Nempe humana mens furiis libidinum obsessa, conscientiæ assiduas mortificationes ferè non percipit; & ingenio sensuum intentius occupata, se se à contumeliæ, ac doloris sensu defendit. At humana mens post libidinum vaporata momenta, vbi impetibus concupiscẽtiæ exuta, se sibi restituit; iam *nuda Ratio*, repetita conscientiæ verbera acerbè & probrosè fert, dũ festiua nuper libidinis, fugitiua, & propudiosa voluptas *nudam Rationem flagellat*. Quid. est, quod libidinis conscientia Rationem accusatione inuadit, & *nudã Rationem* probroso verbere flagellat? An non potiùs carnis concupiscentia, & temeraria sensitiui appetitus petulantia congruẽtiùs à conscientia, tanquam à pædagogo vapularet? indemni carne, scelerum incentiuo, Ratio flagellabilur? Bene quidem, & optimè *Ratio*, quæ in belluinos mores lasciuiendo degenerauit; & sanè *nuda*, ad pudoris contumeliam, & grauiorem doloris sensum, flagris cæditur, ad modum puerorum insolentium; vulnus *nudæ Rationi* inflictum, hominem admoneat libidinem furiis vulneratæ Rationis: & de flagellationis *confusione* ediscat, quòd cùm homo effusiùs lasciuit, meliore sui parte pene obbrutescit, dũ in pecuinos mores lasciuien lo degenerat Ergo *ne des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam & confundaris*: nam *postquam libidinis voluptas parum cesserit, conscientiæ accusatio inuadit, nudam rationem flagellans*. O time, ne ingenua hominis Ratio, tanquam seruus stigmaticus assiduis verberibus impudenter assuescat, ingenti suę nobilitatis iactura, & ingeniti honoris inhonoro dispendio! Quantum libidini erogas, tantum inuidet, & de irrationalitate insaniùs gratulatur. Bruta mentis hebetudo, stipendia Veneris sunt; nam *sua libidini ita vacat, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus*.

Ecclesiastici 9 v. 2.

Postquam libido deferbuit, conscientia accusatio nudam rationem flagellat.

Chrysost. in Psalm. 84.

4. Prouerb 2. Si sapientia, inquit, intrauerit cor tuum, & scientia animæ tuæ placuerit; consilium custodiet te, & prudentia seruabit te: *Vt eruaris à muliere aliena, & ab extranea, quæ mollit sermones suos*. Hæc vltima clausula sic exscribitur à Rodolpho: *Quæ verba sua polit*, quasi polita verba, sit sermo meretricius. Symmachus; *Cuius verba lubrica* ac si sermo meretricius, sit continentiæ titubatio, prolapsionis metus, & male dulces Veneris minæ. Verùm prius hemistichium, *vt eruaris à muliere aliena*, ita LXX. interpretes vertunt: *Fili ne te comprehendat malum consilium*. Nimirum sensus trahitur è superioribus versiculis, vbi scribitur, *Si sapientia intrauerit cor tuum, & scientia animæ tuæ placuerit, consilium custodiet te*, &c. Quasi pulchra fœmina pelliciens ad concupiscẽtiæ blanditias, sapientiam perdat, scientiam corrumpat, *consilium* euertat, & mentem inuitiet Profectò vt eruditè pariter & acutè noster Ferdinandus de Salazar inibi ex Platone notat, *Venus* dicitur à *ve*, priuatiua particula, & νοῦς id est mens, nempe, *sine mente*. Et ad improbandum addit ex Chrysostomo: *Hi verò qui in deliciis & luxuria vitam ducunt, sensus ipsi tardi, graues, obtusi, & quodammodo consepulti*. Inde percommodè Galenus: *Nimiam Venerem mentis spasmum afferre* dicit. Rectè Venus dicitur *sine mente*; quia à deliciis luxuriæ sensibus consepultis, *mentis spasmum affert*. Quasi libido sit mentis stupor, animi illusio & ludibrium, à qua homo obstupescit, hebescit, obbutrescit, meliore sui parte, ratione inquam, ferè probrosè viduatus.

Prou. 2. v. 16.

Libido mentis spasmum affert.

Salazar ibi, n. 173.

Chrysost. in hom. *quod nemo læditur*, &c.

Galen. lib. 14. Part. c. 10.

P. Didac. de Celada in Tobiam.

§. CCLVII.

Intueri non possunt diem iudicij, qui nimiæ cupiditatis delectantur ardore.

1. Nil tam difficile opprimitur, quàm quod per malum voluptatis armatur, voluptas enim animi vigore elumbat, & ad strenuè repugnandum hominem imbecillum reddit, & pro nutu Veneris sponte captiuum. Adeò vt dum pœnitentiæ merito effugere festinat libidinis seruitutem, sæpè fit, vt recogitata voluptas præterita, pro pœnitentiæ amaritudine parturiat subortam delectationem, quam satagit detestari, quasi ex insidiis adoriatur incautum. *Omne peccatum* (ait Hieronymus) *vt furtum, post factum pœnitudinem habet, & licet vnitet furtum, mordet conscientia. Voluptas sola, ac libido etiam in ipso tempore pœnitendi præteritos stimulos patitur, & titillationem carnis, & incentiua peccati; vt per hac qua corrigi cupimus cogitantes, rursùs fit materia delinquendi.* Tantum est Veneris imperium, seu vis venereæ voluptatis, vt dum etiam durè detestanda proponitur, blandè alliciat. Pœnitentiæ ductu cogitare incipis postremi iudicij rigores, & de sententia iam iam cadente, gehennalis incendij minas atrociter pœnalissimas, quas fugaci voluptate mercaris; & protinus incutiendus exinde horror euanescit, & voluptas detestanda, in ipso detestationis auspicio, cognatis vltro blãditiis allicit; & sic animum occupat, ac penè exhaurit, vt horrorem iudicij confestim excutiat, & totus in libidinem effluat. Hi, hi inquam, sunt obsequentissima Asmodæi mancipia. *Hi namque qui sua libidini ita vacant, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem Dæmon super eos.* O homines fidei inopes, Veneris nugas, & Dœmonum ludibria! vt leuiculam momento voluptatem captes, horrendum Dei iudicium non vides?

Detestata libido per pœnitentiam, adhuc detestatione placet.

Hieronym. epist. 147.

Hic verf. 17.

2. Generale sub Noëmo diluuium, (in quo mundus, quibusdam virtutis merito exceptis, aquis obrutus) generale mundi iudicium adumbrasse, notius est, quam vt probatione egeat. Qua super re ita S. Petrus loquitur: *In quo* (spiritu inquam) *& his, qui in carcere erant, spiritus veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam.* Nimitùm cùm Noëmus prædicaret magnum Dei iudicium salacissimis illius æui hominibus, (in quo *omnis caro corruperat viam suam*) illi esse dicuntur *in carcere, id est, in carnalibus desideriis*, vt exponit Anselmus. Hi inquam homines libidine famosi, *increduli* nominantur, *quando expectabant Dei patientiam* (seu *lenitatem*) *in diebus Noe cum fabricaretur arca, in qua pauci salui facti sunt.* Quis non miretur homines infide incredulos, tam fidenter expectaret? Minis diuini iudicij per Noëmum interminatis, non credunt; & diuinam potiùs *patientiam*, & *lenitatem* sperant? Cæci sunt ad Dei iudicium, quod prophetico ore Noëmus comminatur; & oculatissimi ad Dei lenitatem, qua subnixi petulanter lasciuium? Sic impudens libido, luxuriæ lethargo alte sopita, ad tot strages profundè cœca est? Sapienter Romana synodus sub Symmacho (de opulẽtia, an de libidine?) ita scribit: *Non intueri possunt diem iudicij, dum nimiæ cupiditatis delectantur ardore.* Scilicet sicut concupiscentia nimis perspicax est ad captandas carnis delicias, & veneris illecebras; sic libidinis fumo nimis excæcatur, vt *non intueri possit diem iudicij.* Sic enim concupiscentiæ vaporibus mens oculatior caligat, vt cupiditatis ardore homo exæstuans, ad iudicij minas cœcis oculis, quin & auribus, vix attendat Dum totus est ad libidinis otium, aut negotium, insanis cupiditatibus immergitur, ita bruta passione perstringitur; vt quasi omnem intelligentiæ facultatem libido exhauserit sibi imminens Dei iudicium non videat. *Non intueri possunt diem iudicij, dum nimia cupiditatis delectantur ardore.* Lasciuis surdus est iudicialis tubæ clangor; cœcum est horrendum illud tribonal, à quo nulla superest appellatio? Dœmonum horrifica spectra dispatent; gehennalis flamma mitior est, & pœnalis æternitas, momentaneæ minarum nugæ videntur. Sic cœca libido finalis iudicij fidem obtenebrat? Horrendum iudicium tibi propheticè denunciatur, & libidinis collyrio, Dei lenitatem prospectas? *Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam* (*lenitatem*) *in diebus Noe. Non intueri possunt diem iudicij, dum nimiæ cupiditatis delectantur ardore.* Exinde Paulus postquam continua mortificatione concupiscentiam defœcauerat, velut virgine continentia florens; ita ad suum Timotheum de se fatur: *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die.* Quænam est hæc *dies*, quam velut omnibus notam, innominatam relinquit? Magna quidem cum emphasi *diem* hanc subticet Paulus. Audiendus est S. Anselmus inibi. *In illa die. Nempe in illa notabili die communis iudicij, de qua sedule cogito.* Scilicet tam frequens, & assidua erat in Pauli memoria terribilis illa communis iudicij *dies*, tam sedulè de illa, dies noctesque cogitabat, vt quasi cæteri homines nil aliud mente voluerent, quam tremendam vniuersalis iudicij diem, dum absolutè dicit, *in illa die*, nulla etiam iudicij mentione facta, terribilis iudicij diem intelligat. Ad eum modum interpretatur Origenes illud Magdalenæ, *Si tu sustulisti eum*, nullius hactenùs facta mentione. Sic Paulus qui in carne velut expers carnis viuebat, præsentem sedulè habebat horribilem illam communis iudicij *diem*!

1. Petri 3. v. 19 & 20.

Ansel. Laud. ibi.
Glossa ibi.

Intueri non possunt, diem iudicij, qui nimia cupiditatis delectantur ardore.

Syno Rom. sub Symm.

1. ad Tim. 4. v 8
Anselm ibi.

3. Leuitici 14. multa iubet Legislator super lepræ contagio dignoscendo, & à vitiligine secernẽdo, ac tandem iudicando quid facto opus sit, ne in concines omnes pestilenter serpat. Sin autem, inquit; postquam eruti sunt lapides (è domo hac pestilitate infectâ) & puluis erasus, & alia terra lita, & ingressus Sacerdos viderit reuersam lepram, & parietes respersos maculis, *lepra est perseuerans, & domus immunda, quam statim destruent, & lapides eius ac ligna, atque vniuersum puluerem proiicient extra oppidum in locum immundum.* Multa Sancti Patres, & vulgò interpretes ex hoc loco ad mores deriuant, dum quid per hanc lepram significetur, & quamobrem tam duro mulctetur supplicio solerter perquirunt. Pœnalissima quidem mulcta est, leprosam leprosi domum funditus destrui, & lapides eius ac ligna, & vniuersum puluerem proiici extra oppidum in locum immundum, re prorsùs desperata. Itane à curatione

Leuit. 14. v. 44. & 45.

Anima voluptatis sordibus tota operta, malum Dei non sentit.

curatione desperatum est lepræ contagium, vt Medicorum sedulitate, & saluiari medicamentorum vi sanari non possit. Vndenam lepræ contagio inter insanabiles morbos deputatur? Ecquid in Dei lege adumbrat hæc lepra, vt quasi irremediabilis ægritudo, de eius curatione desperetur?
Diadoch. de Perfect. c. 17. Tempestiuè Diadochus ita hac de re philosophatur: *Anima quandiu expers curationis est, lepra voluptatis tota operta, metum Dei non sentit.* Nimirùm homo diù salax, blanda Veneris prurigine titillatus, dum hac scabie prurit, & *lepra voluptatis* totus operitur, expers curationis vulgò putatur. Quare ergo libidinis scabies inter propè irremediabiles morbos habetur. Quia *anima lepra voluptatis tota operta, metum Dei non sentit.* De cupiditatis otio venit, vt negotium diuini timoris excutiatur. Obsurdescunt aures ad Dei minas libidini fulminatas; oculi caligant ad cernendas duras pœnas blandæ libidini interminatas; sensus humani torpent nescio quo voluptatis præsumpto stupore, ne gehennæ scintillas timore præsentiant: mens (quam occupatissima absorbuit libido) ad æterna hebetatur, ad transitoria nimis intenta; ad Dei iudicium cœca, ad voluptatis illecebras oculata. *Non intueri possunt diem iudicij, dum nimia cupiditatis delectantur ardore: nam anima lepra voluptatis tota operta, metum Dei non sentit.* Ergò qui habent aures audiendi audiant Salomonem his verbis à libidine consultiùs dehortantem: *Ne des,* inquit, *alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, ne fortè impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena, & gemas in nouissimis quando consumpseris carnes tuas, & corpus tuum.* O quàm irremediabiliter *in nouissimis* luxuria gemet!

Prouerb. 5. v. 9. 10. & 11.

4\. Psalmum 50. Dauid pangit lugubri planctu, & piè ambitioso pœnitentiæ squalore, *cum venit ad eum Nathan Propheta, quando intrauit ad Bethsabee*, qui est Psalmi titulus. Ergò Dauid infusus lachrymis, sacco, & cinere volutatus, ita offensum Deum supplex alloquitur: Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me: *quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Nempe luxuriæ stimulis agitatus, hactenus stupidus non curabat de flagitij, scelere, quousque Prophetæ voce suum peccatum *cognoscit.* Vnde in has lugubres voces, quas dolor expressit, mœstus erumpit: *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.* Nemo, aut Concionatorum, aut Interpretum non offendit in huius sententiæ limine, nam Dauid peccato suo, & Bethsabæam dehonestauit, & immeritum Vriam adulterio, & cœde scelerosius offendit. Quo igitur pacto verè dicit Dauid Deo: *Tibi soli peccaui*; Nuper dixerat: *Iniquitatem meam ego cognosco*; & confestim sic loquitur, quasi eam adhuc ignoraret, aiens, *soli* Deo peccasse, quin in se etiam peccauit, (*& peccatum meum contra me est semper*,) & peccauit in Vriam. Chrysostomus præfata Dauidis ad Deum verba inibi exponens, ita scribit: *Tibi soli peccaui, & malum coram te fecit. Quid est quod dicit?* (Respondet Dauid) *Non timebam eum, qui iniustitiam passus est: miles erat meus; iudicare me non poterat, sed sollicitus sum propter te.* Nempe Dauid, ex sententia Chrysostomi, non dicit se peccasse aduersus Vriam, quem atroci iniustitia læsit enormi honoris, & vitæ dispendio; quia cum ipse esset rex, & supremus regni dominus, Vriam

Psalm. 50 v. 6 *Non tam in eum, quem lædimus, quàm in iudicem, cuius metum negligimus, peccare dicimur.*

Chrysost. in Psalm. 50

non timebat, nec vllo supplicij metu tangebatur. O! non censemur peccare aduersus eum, qui illatam sibi iniuriam vindicare non eualet? *Tibi soli peccaui*, idest, *non timebam eum, qui iniustitiam passus est: iudicare me non poterat, sed sollicitus sum propter te.* Prætereà, cùm delinquimus, non tam dicimur peccare contra eum, quem iniustè offendimus, quàm aduersus Superiorem, quem inferendi supplicij neglectu, pœnæ excusso timore contemnimus, atque eius auctoritatem peccando vilipendimus. O bonam Præpositis eruditionem! *Tibi soli peccaui*, idest, *non timebam eum, qui iniustitiam passus est: iudicare me non poterat, sed sollicitus sum propter te.* Quin, & Dauid tot mensium spatio, cæcus erat ad intuendum iudicium Dei, quem atroci salacitate scelerosiùs offenderat. Quia *intueri non poterat diem iudicij, dum nimia cupiditatis delectatur ardore*: nam *anima lepra voluptatis tota cooperta metum Dei non sentit.* Gratulor Nathan Prophetæ, & quòd Dauid *iniquitatem suam cognoscit*; & Dei timore concussus, eius iudicium seuerissimum metuat.

---

§. CCLVIII.

Blanda libido hominem recudit in petram, à qua diuina resilit gratia.

QVis neget omnes affectus à quodam quasi naturali fluere principio: Curam nobis nostri natura mandauit. Sed huic vbi nimium indulseris, vitium est. *Voluptatem natura necessariis rebus admiscuit, non vt illam peteremus, sed ea sine quibus non possumus viuere, gratiora nobis illius, faceret accessio.* Sed diligenter caue, ne voluptatem habens, habearis à voluptate. Hæc est cognata libidinis ambitio, non haberi ab homine, sed hominem habere, illum possidere, illique ad nutum dominari. Nihil interest quàm magnus sit affectus, quem voluptate lasciua impressit; patere nescit, consilium non capit, surdus est ad rationis voces; & cœleste ab eo auxilium resilit, dum gratiæ officiositatem inhumanè refutat. Nescias an aliquod sit vitium, quod sic hominem ad malitiam obduret, quã luxuriæ mollities. Imbecilla teneritudo censetur, & blanditie obdurationẽ induit, & velut obstinationem mollitie negotiatur. O quàm est arduũ gratiæ facinus; libidinẽ diù inolitã ablegare! 1.

Senec ep. 116.

Natura necessarias operationes voluptate mellit.

2\. Lucæ 8. hanc parabolam eruditione grauidam, turbis Christus proponit. Exiit qui seminat seminare semen suum. (Suum dicit: nam assuta sapientia paupertatem Concionatoris prodit.) Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatus est, & volucres cœli comederunt illud. *Et aliud cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem.* Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, &c. Eruditè aduertit Hieronymus hanc esse primam parabolam, quam cum interpretatione sua Christus proposuit: cauendumque esse vbicumque Dominus exponit sermones suos, ne vel aliud, vel plus vel minus præsumamus intelligere, quàm ab eo expositum est. Vnde subdit Beda: Quæ verò tacita nostræ intelligentiæ Christus dereliquit, esse diligentiùs

Luc. 8 v. 6

S. Hieron. in Matth. c. 13.

Bed. in Matt. c. 13 gentiùs peruestiganda. *Via*, inquit, *est mens sedula, malarum cogitationum meatu trita, atque arefacta. Petram diuitiam proteruæ mentis. Terram, leuitatem animæ obedientis: Solem, dicit feruorem persecutionis sæuientis.* Verùm cum Beda docet, *Petram esse duritiam proteruæ mentis*; adhuc curiosius explorare iuuat, vnde hæc mentis duritia proueniat. Qua super re ita fatur Hugo Carensis:

Hugo Car. ibid. *In rationabilibus autem possibile est petram fieri terram pinguem.* Et protinus exponit quinam sint via, petra, & spinæ, aiens: *Via desides, Petra imbecilles, spinæ iniqui.* Profectò ænigmati simile est, quod *petræ* durities *imbecilles* significet. Quinam sunt isti *imbecilles*, qui petræ duritiam æmulantur, nisi qui carnis imbecillitate laborant? qui imbecilli, & molles sunt ad libidinis blanditias, & petræ duritiam imitantur, ad cœlestis gratiæ impulsibus resistendum. Nempe quò magis emolliūtur libidine, & carnis imbecillitate flaccescūt, eo duriores sunt, velut *petra*, quæ *duritiam proteruæ mentis* significat, vt nuper ex Bedæ commento notabamus. Rem profecto mirissimam, æquè ac verissimam! Quid enim tam obuium est, quàm eos, qui carnis imbecillitate emolliuntur, quasi petram mollitudine obdurescere, *& duritiam proteruæ mentis*, quadam velut obstinatione referre? Ipsa lasciuiæ imbecillitate, obstinatæ mentis durior proteruia procuratur? Fluxa carnis teneritudine, ad malitiam indurantur; & blando luxuriæ lenocinio, petræ duritiem, velut obstinatione proteruia peruersè æmulantur? Verum cum per *petram*, carnis *imbecillitas*, quæ *duritiam proteruæ mentis* procurat, moraliter innuatur; ne diuinus sator, qui suprà petram seminauit, imperitiæ arguatur; aut homo luxuriosus, ob duritiam proteruæ mentis, quam imbecillitas carnis inducit, omninò desperet, addidit Hugo: *In rationabilibus autem possibile est petram fieri terram pinguem.* Possibile est hoc arduum gratiæ facinus, sed quia nimis videtur difficile, idcircò ab ipsis lasciuis, impossibile

Carnis fluxa imbecillitas, petram de proteruia obstinatione æmulatur.

Lucæ 14. v. 20 nominatur. An non ille nouus maritus, qui salaci voluptate extimulatus, nuptias iniit; non sicut alij vrbanè, gratiam refutat, sed agresti respondet impudentia: *Vxorem duxi, & ideò non possum venire?* Impossibile dicit, quia imbecillitate libidinis, petræ duritiam proteruæ mentis velut obstinatione imitatur. O! ne desperes, quia *in rationabilibus possibile est petram fieri terram pinguem.* Animosè aude, & cœli gratia robustus, velis, & poteris, qui imbecillè volens, posse non putas.

3\. 1. Reg. 16 v. 6 & 7 1. Regum 16. Dominus Saülem pertæsus, præcipit Samueli, vt pergat in Bethlehem, victimas immolandi prætextu, & plenum oleo cornu deferens, aliquem è filiis Isaï, Israëlis regem inauguret. Venit ergo in Bethlehem, & sanctificauit Isaï, & filios eius. & vocauit eos ad sacrificium. *Cumque ingressi essent, vidit Eliab, & ait: Num coram Domino est Christus eius? Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius: quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominum ego iudico: homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Sagacipri peritia hìc commentatores indagant, quare Deus puerulum, & natu minimum Dauidem elegerit, & Eliab natu maximum repudiauerit:

Lyra ibi. Hebræorum quidam apud Lyranum putant, ob arrogantem Eliabi superbiam; alij propter

S. Chrys. homil. in Psal. 50 insanam eius iracundiam, qua immeritum fratrem acerbiùs reprehendit. Verùm Chrysostomus aliam causam ex Sacræ Scripturæ visceribus depromptam, his verbis tradit: *Ne respicias vultum eius, &c. Numquid magnitudinem corporis quærimus? Ingenuitatem animæ desideramus. Nolo pulchritudinem corporis, honestatem mentis requiro*, quasi honestatem Dauidis elegerit, & adulti Eliabi inhonestatem pulchritudinis appendicem, repudiauerit. Nunc audiendus est Basilius Seleucus, ita ad rem dilucidè fatus; *Prouidi in filiis Isai mihi regem, Vidi, ô Propheta, animam Gratiæ receptricem: Vidi, ô Propheta, animam ad spiritus receptionem bene compositam.* Nempe *requirens honestatem mentis*, & eam in paruulo Dauide reperiens, *animam gratiæ receptricem*, se inuenisse denunciat. Quam cum in adulta, & pulchra iuuentutis lasciuientis ætate, minimè in Eliabo reperiret; quasi eius anima ægrè foret Gratiæ receptrix, Eliabum refutat. Vnde opportunissimè pergit Seleucus ad præfata Samuelis verba de Eliabo dicta; *Num coram Domino Christus eius? Et cornu inurgens Prophetâ, reiectaneum vt vngeret, cogebat. Sed oleum fluere recusabat, ne cum errante Propheta faceret, & fluxa natura sursum detinebatur Gratiæ legibus obsecuta*, (attentius nota, quæ subdit) *capitique à quo resiliebat Gratia, relinquebat aridum.* Scilicet Gratia animam ipsius receptricem, de honestate mentis requirens, Eliabi luxuriantis caput à quo *resiliebat Gratia*, aridum reliquit. Profectò qui carnis *imbecillitate* mollescunt, *petra* ducuntur, *ob duritiam proteruæ mentis*; quid ergo mirum si ab eis gratia *resiliat*, & diuini verbi granum arescat, maligno, aut nullo virtutis prouentu: ô infelices Gratiæ aborsus, malè obstetricante lasciuia! ô petras obstinatè præduras de blanditia luxuriæ!

Basil orat. 14

Ab hominis mente salaciter luxuriantis, diuina Gratia resilit.

Itaque contra impudenter salaces, qui Veneris blandimento petræ duritiam æmulantur, & propter mentis proteruiam, ab eorum anima Gratia resilit, dicitur: *Habet potestatem Dæmonum super eos*, vt docetur hìc vers. 17. ô vilissima ad nutum Dæmonis mancipia, de gehennæ stigmatibus impressa! ô homines delicata duritie mollissimè obduratos, & durissimo Inferni supplicio propter carnis blanditias infeliciter destinatos! ô vide, quod etsi obstinatione libidinis, *petra* sis; *In rationabilibus possibile est petram fieri terram pinguem.* Ne vnquam obstinatè dicas: *Vxorem duxi, & ideo non possum venire.* Vel nimia coniugum salacitas sic damnatur: (Qua de re egimus in huius Vers. 17. litterali commentario.) Et sanè mirissimum est, quod vel carnis concupiscentia matrimonij priuilegio licita, sic hominem hunc absorbuerit, quasi de gratia voluptatis ingratiam necessitatis induxerit. *Vxorem duxi*, inquit, *& ideo non possum venire.* Sic carnis voluptas attrahit, vt propè abstrahi non possit? Inurbanè agrestis est illa vox, *Non possum*, ac si libido duram necessitatem inducat. Percommodè Tertullianus scribit ad amicum, qui dudum vxore viduatus, vt concupiscentiæ veniam daret, secundas nuptias animo moliebatur: Quanquam, & huiusmodi, inquit, cum fide sua colloqui debeat vnusquisque, eiusque vires consulere; tamen quoniam in ista specie *carnis necessitas* cogitatum mouet quærere apud eandem conscientiam quæ fidei resistit, opus est fidei extrinsecus consilium, *tanquam aduocatum aduersus carnis necessitatem. Quæ quidem necessitas circumscribi potest.* Notanda est hæc vltima sententia, & moralitatis, & ingenij plena. Carnis enim æstuantem concupiscentiam (tametsi exag

4\. Hic v. 17.

Lucæ 14. v. 20

Libidinis velut necessitas, officiositate gratiæ circumscribitur, vel decipitur.

Tertull. de Exhor. cast. c. 1.

exaggeratius) semel, iterum, & tertiò *Necessitatem* appellat. Sic carnis stimulus est durus exactor, blandè ad libidinem pertrahens! Verùm magnus hic doctor confestim duritiem vocabuli *Necessitas*, blandiùs mitigat, & arguté temperat, aiens, quod carnis *necessitas circumscribi* potest, idest, decipi, circumueniri, aut falli; quæ est actuosior gratiæ officiositas, quando pio quodam astu sic concupiscentiæ velut *necessitatem circumuenit* seu decipit, quo eam ita frangat, edomet, ac molliat, vtique vt non resiliat, qui est pius quidam gratiæ fallus. *Quæ quidem carnis necessitas circumscribi potest*. Altè quidem Tertullianus! *Engañe la gracina al deleite: y sepase que es voluntad, loque es tenido de muchos por necessidad.*

§. CCLIX.

Sic humana ratio deliciis obbrutescit, vt voluptas, & natura emendatrix, & viuendi gratia putetur.

1\. Philo lib. de Mundi opif.

Voluptas tamquam lasciua meretricula amatorem appetit.

VIrtutis studiosos omninò scire oportet, quod *Voluptas tanquam lasciua meretricula amatorem appetit, quærens stupri conciliatores, per quos illum ceu hamo capiat.* Sunt autem humani sensus huius cupidinis sequestri, quos postquam inescarit, facilè mentem subiugat, quæ res externas intrò admittat. Illis internunciis, & ostentantibus singulatum formas, & ei suum affectum imprimentibus: nam ceræ similis, recipit per sensus imaginationes, quibus apprehendit corpora, quod per seipsam non valet. Cæterùm voluptas suas præstigias, ac fraudes subdolè plerumque abscondit, nec semper se prodit, vt faciliùs, & feliciùs incauto insidietur, dum in latibulo apparentis alicuius boni insidias molitur. Exinde cum sui plurimos studiosos propugnatoresque voluptas habeat, quod suaui affectu colorat, facile conciliat ad gratiã, cupidinis lenocinio: menti ac rationi, mente, & ratione quæque haud digna persuadet. Adeo vt non tantum virtutis, sed etiam *vitij domicilium mens, & ratio videatur* (vt aliàs tradidimus.) Vnde septem illi pulchræ Saræ salaces viri, sumptuosò nuptiarum, & prolis suscipiendæ vocabulo, voluptuosæ duntaxat libidini vacare præsumunt. Quod

Hic v. 17. hîc Angelus explicatiùs edocet.

2\. Geneseos 25. infantilis quondam lucta in insolescente materni vteri palæstra, Iacobi, & Esaü pugnaces exinceps rixas præproperè ominatur. Infelix foret virtus, (in Iacobo adumbrata) nisi vitij pateretur insidias; virtuti enim victoriam eriperet, qui hostem denegaret. Ergo Esaü vitij typus, factus est vir gnarus venandi, fugaces delicias aucupio studiosè captans. Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis, sibi priùs viuit, Coxit autem Iacob pulmentum: ad quem cùm venisset Esaü de agro lassus, ait: Da mihi de coctione hac rufa, quia oppidò lassus sum. Cui dixit

Gen 25. v 32 & 34 Iacob: Vende mihi primogenita tua. *Ille respondit: En morior, quid mihi proderunt primogenita? Et sic accepto pane, & lentis edulio, comedit, & bibit, & abiit.* Quæ verba sic exponit Caietanus

Caietan ibi. *Verba sunt turbati vehementi concupiscentia illius cibi, simul, & lassitudine* An in opulenta Isaaci domo cibi facile parabiles deerãt, quibus filius primogenitus oppidò lassus recreari, & refici posset? Peregrinarum dapum concupiscentia, citiùs quàm lassitudo, & necessitas, lautos fratris cibos hiat. Perbellè Philo Hebræorum disertissimus sic ad rem fatur: *Tertia*, inquit, *virtus est temperantia, resistens voluptatibus, quæ sibi videntur imbecillitatem humanam corrigere.* Non inidoneè opinor, alicubi voluptatem definiuimus, quod sit *Elatio animi*, vide mihi in hoc loco voluptatis elationem. Forte non tam sæpè noceret, si patenter in voluptabilia ferretur toto concupiscentiæ impetu: nam exerta impudentia, communis inuidiæ metu malum aliquando erubesceret. At cum sic voluptas tumet, vt non modo suam dissimulare malitiam intentet, sed *humanam imbecillitatem corrigere* præsumat, arrogantissimè planè insolescit. Deterrima ægritudo voluptas est, dulci veneno lethalis, & humanarum ægritudinum se remedium esse impudenter garrit? Dum intemperantiæ impudentiam excusat, maiori impudentia naturam humanam se *corrigere* iactat? de excusatione nunc impudentiæ, impudentia nimis exaggeratur. Tolerabilior foret Voluptatis inuerecundia, si palam in delectabilia raperetur; at voluptas (idest, *elatio animi*) arrogantius turget, & ita insolescit, vt imbecilla naturam fulcire, titubantem firmare, sauciam curare, mutilam redintegrare, & errantem *corrigere* præsumat Voluptas tota mollescit, flaccescit tota, tota dissoluitur, & imbecillitatem emendabit? Opinor non benè imbecilla imbecillioribus firmantur. O! non tam morbo, quàm remedio laborauit. Qua humanitas tota mollescit, mollitiem corriget? Quæ teneritudines homini inspirat, & imbecillitates afflat, humanam imbecillitatem *corriget*? O non bonam humanæ imbecillitatis correctricem! Rem concupiscentiæ agit Esaü cum delicioso pulmento ad voluptatem condito, & voluptabilium symbolo, lassitudinem erigere, & *humanam imbecillitatem corrigere* studet. *Da mihi*, inquit, *de coctione tua rufa, quia oppido lassus sum, &c. Verba sunt turbati vehementi concupiscentia illius cibi simul, & lassitudine. Sed temperantia resistat voluptatibus, quæ sibi videntur imbecillitatem humanam corrigere.* O caue hasce voluptatis insidias! Infirma iacet humana natura primæui delicti morbo animitus sauciata; sed voluptatibus magis languet, & imbecillius in omnes prauitates dissoluitur. *El mayor achaque nuestro es, el deleite, y presume emendar los demas, y corregir la naturaleza.*

Philo lib 1. Legis alleg.

Voluptas impudenter putatur, humanam imbecillitatem corrigere.

Sapientiæ 2. impiorum lasciuientium, & voluptates auidè captantium, hæc verba referuntur. Venite fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis: *Nemo nostrum exors sit luxuria nostra, vbique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors.* Benè ibi Hugo Carensis, *Quasi dicant: Non plus habebimus de hac vita. Ecce illi monent ad voluptates, & delicias*, quasi humana iucunditas sit causa viuendi; frustràque viuat, qui iucunde non viuit, cum in his quæ præsentia habentur illecebræ gaudij blandientis existant, vt illo homo bonus à bono Deo factus, perfruatur. Adeò vt plures olim inueniri sint, quos magis periculum voluptatis, quàm vitæ amittendæ, a Christianismo auocarit. Cuius rei rationem reddit Tertullianus: *Nam mortem*, inquit, *etiam stultus vt debitum non extimescit, voluptatem etiam*

3\.

Sapient. 2. v. 9.

Hugo ibid.

Voluptas, humana vita gratia putatur.

Tertul lib. de Spect c 2.

etiam sapiens vt tantam non contemnit, cum alia non sit,& stulto,& sapienti vita gratia,nisi voluptas. Nempe si absit *voluptas*, quæ est humanæ *vitæ gratia*,nec stultus,nec sapiens, aut mortem horret,aut vitam amat. Vide quanta voluptatis vis, nam stultus qui præ stoliditate videbatur voluptatem contempturus,& sapiens præ virtute,non modo non contemnunt, sed prorsus magni æstimant. Adeo mors neglectui est,si vitæ absit voluptas!adeo voluptas potens est,si dominetur, vt *alia non sit,& stulto,& sapienti vita gratia, nisi voluptas!* Quàm sapiens argumentatrix profanis hominibus videtur ignorantia concupiscentiæ,præsertim cum aliquid de gaudiis,& de fructibus sæculi metuit amittere! Stultus, & sapiens magis timent vita,quàm voluptate viduari, quasi *vitæ gratia*,& viuendi finis,sit voluptas? Parùm foret, quod voluptas præsumeret naturam redintegrare, reconcinnare,emendare,nisi adeo arroganter insolesceret,vt ambiat esse *vitæ gratia*, & causa viuendi. O! sic voluptas Epicuræos inuenit,aut facit? O quàm parùm sæpè ratio voluptati obstrepit, dum aut stultè ignorando, aut malitiosè dissimulando,ad superbas argutias obbrutescit! Tanta est enim vis voluptatum,vt ignorantiam protelet in occasionem, & conscientiam corrumpat in dissimulationem;aut vtrumque. Atheorum,& Epicuræorum vox est:Voluptas est pars nostra; sors nostra,voluptas est,naturæ emendatrix,causa viuendi, & *vitæ gratia*.

2. Ecclesiastes cap. 2. his verbis lasciuientem persequitur vanitatem,iis enumeratis,quæ ad luxum,effusamque spectant voluptatem. Dixi ego inquit,in corde meo:Vadam, & affluam deliciis, & fruar bonis,& vidi,quod hoc quoque esset vanitas. *Risum reputaui errorem, & gaudio dixi: Quid frustra deciperis?* Benè notant interpretes, quod his duabus dictionibus, *risu*, & *gaudium* comprehendit omne voluptatis genus immoderatum:indicia enim sunt perceptæ voluptatis,quę sunt verba Lorini. Vetus translatio per *Tò errorem*,exponit,*amētiam*;Chaldæus,*derisionem*,Symmachus,*tumultum*,Theodotion, & Olympiodorus: *Risui dixi: Circumuagare à me longius, & absiste.* Taumaturgus: *Et risum quidem, qui temere feratur,cohibui.* Quæ omnes expositiones eo tendunt,vt voluptatem,quasi deridendos temerarios,tumultuarios, aut amentes reddat homines, cohibendam,& frænandam esse. Sed voluptatis ingenuum,viuaciùs expressit Vulgatus,cui Aquila consentit,voluptatem appellans *errorem*, quasi de blandientis voluptatis genio, sic mens tumultuet animus temerè de rebus censeat, vt ipsa ratio eius lenocinio corrupta, in errorem inducatur. Qua de re, vtpotè nimis ethica in Ethicis luculenter agit Aristoteles, ita fatus: *In vniuersis autem cauendum est maximè à voluptate: non enim incorrupti iudicamus de ipsa.* Aurea planè sententia,& Aristotele dignissima quam explicat exemplo Helenæ fœminarum venustissimæ. *Vt ergo*, inquit, *Troianorum senes erga Helenam sese habuerunt, sic & nos ad voluptatem ipsam esse affectos, in omnibusque illorum dicere vocem oportet.* Nempe foràs quamprimum exeat tam venusta fœmina tot tragœdiarum rea;vt in eius causa incorrupti iudicemus. Sic pulchritudo, sic voluptas voluptabilibus capitur, sic mens voluptate subornatur, & potenter voluptabilibus corrumpitur, vt *non incorrupti iudicemus de ipsa!* Risum (idest, voluptatem) *reputaui errorem.* O quàm facile imposturam facit, quod delectat! Adeo vt non tantum virtutis,sed etiam vitij,mēs & ratio, voluptatum præstigiis seducta videatur. Vitæ gratia putatur, & ingratia animi est: creditur naturæ emendatrix,& iudicij error est. Risum idest voluptatem,*reputaui errorem:non enim incorrupti iudicamus de ipsa.* Quid si Aristoteles hanc ethicè sententiam, à sapientia Salomonis mutuauit? Profanum os non adulterauit vnionem,adhuc in cœno scintillat margarita.

Eccles. 2. v. 2

Lorin ibi.

Cauendum est à voluptate,non enim incorrupti iudicamus de ipsa.

Aristoteles 2. lib. Ethi. c. 9.

---

§. CCLX.

Sapiens ignis,velut pœnarum arbiter, suam sistendo vim recognoscit, quanta castis corporibus reuerentia debeatur.

1. CVm Collatinus cum paucis familiaribus ad Lucretiam vxorem venisset,à Sexto Tarquinio vi stupratam; quærenti marito ex more: *Satin salua? Minimè, inquit Lucretia, quid enim salui est mulieri amissa pudicitia? vestigia alieni viri Collatione in lecto sunt tuo. Sed corpus tantum violatum est; animus insons est; mors testis erit.* Nil saluum est homini amissa pudicitia. Mitior sæpè est spontanea mors,quàm atrocium calamitatum multiplices sustinere ærumnas, quæ impudicis imminent: à quibus in castitatis asylo quiuis tutus est. Quid salus est homini amissa castitate. Ibi conscientia laniatur, mens obbrutescit corpus bestiali impetu violatur, fama simul cum sensu profligatur. At castitas,decus est animi,honos corporis,virtutum custos, & humanarum aduersitatum tutamentum. Venerandam pudicitiam homines reuerentur, Angeli suspiciunt, Diaboli timent,& atrox gehennæ incendium, nec semiustulare propè audet. Castitas vbique secura est,& arcanum Dœmonum excantamentum,qua ignita eius tela frigent,frustrantur,eludunt, ô! splendidis pudicitiæ armis se modulatè Christianus clypeet.

Erasm. 6. Apoph. Quid tutum est homini amissa pudicitia.

2. In hoc cap. 6. valdè timet iunior Tobias cognatæ pulchellæ,& honestæ Saræ connubia, quæ pronubus Raphaël cum eo cōciliare satagit. Audio,inquit,quia tradita est septem viris, & mortui sunt,sed & hoc audiui,quia dœmonium occidit illos. Timeo ergo ne forte mihi hæc eueniant. Tunc Angelus Raphaël dixit ei: Audi me, & ostendam tibi qui sint, quibus præualere potest Dœmonium. Hi namque qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, à sua mente excludant, *Et suæ libidini ita vacent, sicut equus, & mulus quibus non est intellectus: habet potestatem Dœmonium super eos. Tu autem*, &c. & castæ pudicitiæ leges ritusque latè præscribit, vt dœmonum potestatem declinare, ac superare possit. Et quod Angelus sapienter suggessit,Tobias feliciter præstitit,insonte animo,& sic ignitas Dœmonum minas securè frustrante. Quàm non sudet pudicitia gehennæ æstu, qui tortoribus diabolis ministeriale exhibet instrumentum, eloquenter edisserit Eusebius,sic fatus: Nullum in gehenna spiramen nullus liber anhelitus, claustris desuper vrgentibus,relinquetur: truduntur illuc valedicentes rerum naturæ, vltrà nescientur à Deo,qui Deum scire noluerunt, morituri vitæ, morti sine fine victuri.

Hic vers. 17 & 18.

Eusebius de Epiph. hom. 3 *Rationabilis gehennæ ardor, sponte castis præberet obsequium.*

victuri. Felices qui nunc bene agunt......Illic Isti (si forsan ibi essent: casum fingit, vt castitatis elogia pandat) *velut per amœnos gurgites incendii naturam suam mutantibus transmeabunt, intacta ignibus corpora ipsis honorificanda pœnis, quia non sunt onerata peccatis.* (Pensita quæ subiicit verba) *In illos enim sæuis æstibus nil licebit, quos ante libidinum flamma non attigit, & quibus puritas contulit reuerentiam, inferre nesciret rationabilis ardor iniuriam: alioquin iram fugiens vaporibus viam faciet, & quia non inuenies vbi necesse habeat exercere iudicium, spontè præbebit obsequium.* Quid elegantius? Vbi nota, quod rationabilis gehennæ ardor in eos qui libidini vacant, *necesse habet exercere iudicium.* Contra pudicos verò sæuis æstibus nil licebit, quos ante libidinum flamma non attigit. Fremat licet Dæmonum furor, & furat atrox eorum potentia, ferale supponant incendium, sufflent ambabus plenè buccis gehennæ pyram, rationabilis ardor non audebit semiustulate pudicos. *In illos enim sæuis æstibus nil licebit, quos ante libidinum flamma non attigit,* quasi libidinis humanæ flamma, gehennæ flammam flabellet, & succendat. Inferni ignis ad impudicos ardet, ad castos friget. Castitas sibi gehennam extinguit, vt libido sufflammat. Nam *quibus puritas contulit reuerentiam, inferre nesciret rationabilis ardor iniuriam.* In inferno etiam castitatis *reuerentia* est? Quin & rationabilis flamma pudicis *spontè præbebit obsequium.* O quàm in inferno peregrinarentur obsequia! Sæuus, & agrestis Diabolorum furor, feralia atrocium perpetuò pœnarum instrumēta, crudele ingenium erga castos desuescerēt, & *spontè præbebunt obsequium.* Sic castitas rationabilem reddit gehennæ ardorem, vt ad præbenda sibi peregrina obsequia, mirabiliter erudiat? Sic pudicitia, Dæmonis *potestatem* deponit, exarmat? Heu libidinis æstum Impudici æternum in inferno sudant! Aduerte tamen, quod non potest negare Eusebius, nempe gehennę ardorem torquere posse aliorum flagitiorum lethaliter reum, etsi à reatu impudicitiæ immunem: sed exaggerat diuinam gratiam erga homines pudicos, quæ tandem illos à reliquis flagiriis plerumque eximit. O quàm rarus erit in inferno, qui non sit etiam lasciuiæ reus!

5\. Daniel. 3. v. 23. & 24. *Arbiter ignis agnoscit quanta castis corporibus reuerentia debeatur.*

Danielis 3 trium puerorum fides, & pudicitia tenebrosos non sensit ignes, sed stupenda refrigeria in medio camini æstuantis inuenit. Cessit virtutum meritis natura flammarum, ac traditos sibi reos mirum in modum rorantibus obumbrauit incendiis; longè positos autem, & circumstantes sacrilegi Regis consumpsit ministros. *Viri autem hi tres, idest, Sidrach, Misach, & Abdenago, ceciderunt in medio camino ignis ardentis, colligati, & ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino.* O quantum lætitiæ in præsenti obtinent merita religionis, & priuilegia castitatis! Audi Emissenum hac super re bellè philosophantem, & præsens thema mirè comprobantem:

Emiss. hom. 3 Epiph.

Ecce horrendum nescio quid anhelantes globi, & per quadraginta cubitos ebullientes extrinsecus sæuiunt, intrinsecus parcunt: extra fornacem sapiens ignis irascitur, & intus in fornace famulatur. (Accipe rationem Emisseni pietate, & ingenio dignissimam) *Quanta castis corporibus reuerentia debeatur, arbiter ignis agnoscit, & ingesta sibi pabula circumfusus allambit: nihilque sibi licere miratur in corpora Dei timore, & castis ieiuniis consecrata, & pretiosum depositum non violat occulta dispensatione, sed vindicat.* Ecce tibi pœnalis flamma horrendum anhelans, in tortores petulantes extrinsecus sæuit, castis verò iuuenibus intrinsecus parcit, & arbiter ignis vltrò præbet pudicis obsequium. Acer ignis erogata sibi pabula circumfusus allambens, stupet nil sibi licere in corpora castitate consecrata, & velut suorum effectuum arbiter, vrendi vim cohibet, & ea reuerenter allambit, nec castos iuuenes leniter vstulat, sed mirabiliter vindicat. *Quanta castis corporibus reuerentia debeatur, arbiter ignis agnoscit, & ingesta sibi pabula circumfusus allambit*: suamque naturam velut desuescens, admiratur nil sibi licere in corpora castitate sacra, & sapiens ignis extra fornacem aduersus impudicos irascitur; intùs in ipsa sæua fornace pudicis famulatur, debitum obsequium reuerenter exhibens pudicitiæ. Sic castitas voracis, & agrestis elementi famem mitigat, atrocitatem sedat, & iras in obsequia vertit: ô pudicitia humanarum calamitatum medica antidotus! ô quàm securus est homo in pudicitiæ arce! ô de pœnalissimi ignis magisterio eruditi, id homines ediscant; & quandam velut impatibilitatem de pudicitiæ bono feliciter mutuentur. Quis sæuiat in castos quandoquidem feralissimus, & pœnalissimus ignis, velut pœnarum *arbiter* constitutus, rorantibus obumbrat incendiis.

4\. Luc. 9. v. 5.

Lucæ 9. Christus Deus Apostolos suos mittens prædicare Euangelium, his verbis instruit: In quamcumque domum intraueritis, ibi manete, & inde ne exeatis. *Et quicumque non receperint vos: exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem pedum vestrorum excutite in testimonium super illos.* Profectò iis, qui illos benignè receperint, non mediocris boni remuneratio docetur hospitij, vt non solum pacem tribuamus hospitibus, verumetiam siqua eos terrenæ obumbrant delicta leuitatis, *receptis Apostolicæ prædicationis vestigiis auferantur,* vt expendit Ambrosius. Hoc ergo emolumento priuantur, qui inclementer Apostolos excipiunt. Vel Apostolorum *vestigia* remittunt delicta? Inde aduersus ingratos vestigiorum puluis excutiendus est, ne vel eorum vestigia eos reiicientibus salutaria efficiantur. Addit Beda ad rem tempestiuus: *Puluerem pedum vestrorum excutite. Excutiendus puluis pedum, ne gestis inanibus pulueri comparandis, mentis castæ vestigium polluatur.* Vel leuis terræ puluisculus Apostolorum pedibus tenaciùs inhæresçens, casta polluet Apostolorum vestigia? Sic est castis corporis reuerenda auctoritas, vt leui etiam puluere, qui vestigiis adhæsit, egregiè deuenustetur; ô quanta reuerentia castis debetur corporibus, & vt in illa sæuis æstibus nihil liceat leuis etiam puluisculus terrenorum affectuum excutiendus est, ne sanctam vestigiorum auctoritatem deuenustent. Si ergo casta corpora sic diffitentur matricem puluerem ex quo concreata sunt, quid mirum si terrenum puluerem castis vestigiis adhærentem sollerter excutiant; natiuum enim desuescunt limum, vt homo castus in corpore etiam corpore vacet, & in angelificata carne fiat Angelus terrenus, aut homo cœlestis, & de Angelorum consortio reuerendus.

S. Ambr ibi. *Excutiendus est pedum puluis, ne mentis castæ vestigium polluat.*

Beda ad præfata verba.

§. CCLXI.

Qui lasciuia laborat lepra, hominem dediscit, & velut energumenus habetur; ac si deditus iam foret Satanæ in carnis interitum.

1. Tertull. in Apolog.c 22. ATrocem Dæmonum aduersus homines hostilitatem, his verbis Tertullianus graphicè describit: operatio, inquit, eorum est hominis euersio, sic malitia spiritualis à primordio auspicata est in hominis exitium. Itaque corporibus quidem, & valetudines infligunt, & aliquos casus acerbos; animæ verò repentinos, & extraordinarios per vim excessus. Suppetit illis ad vtramque substantiam hominis adeundam subtilitas, & tenuitas sua Multum spiritualibus viribus licet, vt inuisibiles, & insensibiles in effectu potiùs quàm in actu suo appareant. *Eadem igitur obscuritate contagionis adspiratio Dæmonum: mentis quoque corruptelas agit furoribus, & amentiis fœdis, ac sæuis libidinibus cum erroribus variis: quorum iste potissimus, quod eos ipsos captis, & circumscriptis hominum mentibus commendat, vt sibi & pabula propria nidoris, & sanguinis procuret*, &c. Ecce tibi quas contagiones Dæmonum adspiratio afflet ad humanæ carnis mentisque corruptelas, nimirùm cùm exquisitæ dæmonis Asmodæi deliciæ sit *nidor*: idest, feminstulatæ carnis teterodor, (quod à victimarum crematione ad libidinis æstum transferre licet) idcircò homines agit *furoribus, & amentiis fœdis, & sæuis libidinibus cum erroribus variis, vt sibi pabula propria nidoris, & sanguinis procuret.* An non hîc Asmodæus furoribus, & amentiis fœdis, & sæuis libidinibus, hos septem salacissimos Saræ maritos exagitauit? adeo vt propè ambigere quis possit, an sæuam illis libidinem afflauerit, an potiùs afflata libido, Dæmonis instar sit, mentem occupans, & carnis cócupiscentiam ad omnem lasciuiam velut impotenter instigans.

Dæmō amentiis fœdis, & sæuis libidinibus afflat.

2. Marci 9. Immundissimum, & sæuissimum quempiam Diabolorum Discipuli excantare nequibant, quem Christus Deus valido omnipotentiæ adnisu tandem expulit, magna turbarum admiratione, & plausu. Et cùm introiisset domum, discipuli interrogauerunt eum: Quare non potuimus eiicere eum? Et dixit illis IESVS *Hoc genus In nullo potest exire nisi in oratione, & ieiunio*, quasi oratio sit obstinatissimi Dæmonis excantandi energia. Ergo cùm iunior Tobias valde timeret Saram ducere, ne à Dæmone occideretur: sicut alij septem viri, in nuptiarum auspicio funestè perempti; tunc Angelus Raphaël dixit ei: Audi me, & ostendam tibi qui sunt quibus præualere potest Dæmonium. Hi namque qui coniugium ita suscipiunt, *vt Deum à se, & à sua mente excludant*, & suæ libidini ita vacent, sicut equus, & mulus quibus non est intellectus: *habet potestatem dæmonium super eos. Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum per tres dies integros continens esto ab ea, & nihil aliud nisi orationibus vacabis cum ea.* Nimirùm qui æstu libidinis sufflammati intemperanter lasciuiunt, *habet potestatem dæmonium super eos.* Quo autem Dæmonem libidinis instigatorem excantare possis, triduana oratione opus est. Qua super re audiendi sunt Patres Concilij Ancirani, qui de lasciuis hominibus cum aliorum scandalo obscœne conuersantibus, ita opportunè scribunt: *Hos eosdem non solum leprosos crimine factos, sed & alio isto suo morbo replentes, placuit inter eos orare, qui à nobis energumeni intelliguntur.* Nimirùm qui furiis libidinum agitati, inolita cupiditate diu impudenter lasciuiunt, & alios non boni exempli pestilitate eandem concupiscentiæ scabiem perniciosè affricant; placuit inter eos recenseri, *qui à nobis energumeni intelliguntur.* Quid? inolita diu libido, intestinus Dæmon est? Effusior cupiditas; Dæmoniacum inuenit, aut facit; Asmodæus libidines afflat, an libidinosus medullitus occupet? O noua synonyma, Lasciuos, & Energumenos! Scilicet qui suæ libidini ita vacant, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, ita *habet potestatem Dæmonium super eos*, vt Anciranis Patribus consultissimè placuerit, eiusmodi homines inter eos orare, qui *energumeni* dicuntur, quasi idem sit, & impotenter libidinosus, & potenter energumenus. Sic furiis libidinum exagitantur, vt inter Dæmoniacos numerentur: Nec tantum inter Dæmoniacos, sed etiam inter eos, qui ita pertinaciter obstinato Dæmone obsidentur, vt nisi præuia oratione excantati non possint, quo animitus hærere moralissimè designatur. Exinde Christus Deus præuiam requirit orationem, quam etiam ad pellendum Asmodæum libidinis præsidem, Raphaël expetit; nam fœdis libidinibus diu salaces, *placuit inter eos orare, qui à nobis energumeni intelliguntur. Hoc genus Dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in oratione.* Quid exaggeratius?

Marci 9.v.28. *Hic v.17. & 18.* *Diu lasciuus inter energumenos computatur.* *Concil. Ancir. can 17.*

3. Leuitici 13. & 14. Multa ibi legislator tradit de lepra, quæ ibi commentatores ad serpens libidinis vitium ethicè detorquent. Si post lepræ inquit, abolitionem, in vetustatem aliquid ex illa reuixerit, rursùm in carne eius quod emortuum habebatur, immundum iudicatur, nec expiabile à Sacerdote. Ita mœchia de pristino recidiua, & vnitatem noui coloris à quo fuerat exclusa commaculans, propè immundabile est vitium. Item de domo: Si quæ maculæ, & cauositates adinuentæ Sacerdoti in pariete fuissent, iubet auferri de domo omnia. Sin autem postquam eruti sunt lapides, & puluis erasus, & alia terra lita, ingressus Sacerdos viderit reuersam lepram, & parietes respersos maculis *lepra est perseuerans, & immunda domus, quam statim destruent, & lapides eius ac ligna, atque vniuersum puluerem proiicient extra oppidum in locum immundum.* Quæ verba sic applicat Tertullianus homini salacissimè impudico. (Teneo quod dicit, quo dictis tendat non approbo) *Proiicient*, ait, *extra oppidum in locum immundum. Hic erit homo caro atque anima, qui post introitum Sacerdotum reformatus denuo resumit scabra, & maculas carnis, & abiicitur extra ciuitatem in locum immundum; deditus scilicet Satanæ in carnis interitum.* Nimirùm qui carnis lepra, idest, concupiscentiæ scabie, Venerisque prurigine extimulatus, diu in cœnulento cupiditatis volutabro sese versat, luxuriæ lepra obscœnè deturpatus, proiiciatur extra ciuitatem in locum immundum; *deditus scilicet Satanæ in carnis interitum.* Nam qui suæ libidini vacant, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, *habet potestatem Dæmonium super eos:* exindè eiusmodi homines furiis libidinis exciti, in locum immundum proiecti, tradūtur *Satanæ in carnis*

Qui ægrotat lasciuia lepra deditus est Satanæ in carnis interitum. *Leuit 14.v. 44 & 45.* *Tertull. de Pudicit. c.20.*

carnis interitum: quod accidit septem prioribus Saræ maritis, qui ab Asmodæo libidinis præside exagitati, in ipsâ libidinis ianuâ, mortis tabulam perlegerunt, & in recidiuo luxu funestè tumulati sunt. Itaque quod de impudicis dixit Raphaël, *Habet potestatem Dæmonium super eos*, ait Tertullianus: *Proiiciatur in locum immundum, deditus scilicet Satanæ in carnis interitum.* Et Concilio Ancirano placuit eiusmodi homines libidine notos, cupiditatis ludibria, & diabolorum nugas, inter eos computari, *qui à nobis energumeni intelliguntur.* O quis rabiosas insolitæ libidinis furias excantabit? Impudicus à Dæmoniaco, exiguâ, opinor interuallatur distantiâ. O maximam Dæmonum in lasciuos potestatem!

4. Exodi 8. dixit Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum vt sacrificet mihi: *Sin autem nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis.* Gregorius Nyssenus allegatus ibi in Catenâ, his verbis mysticè hanc *ranarum* plagam interpretatur: *Pro ranarum quoque specie deformi atque loquaci, cui dubia vita (nam & aquaticum & terrestre id animal est) cuius saltus repens, cuius aspectus turpissimus, &c. varios malitiæ corruptionisque fœtus, qui ex fœtido hominum corde, quasi ex putrido limo nascuntur, intelligimus.* (Nota quæ subtexit verba ad rem percommoda) *Verè namque sordida luxuriosaque vita ex corrupto fœtidoque limo passionum profecta, dubium quoddam animal est. Homo natura est qui ita viuit, electione verò pecus, pecudeque sordidius. Vnde fit, vt dubium quoddam animal hac vita efficiamur.* Luculentè dixit Nyssenus luxuriæ veneficio hominem reddi *dubium quoddam animal*, quod ambigas an sit aquaticum, an syluestre, an aëreum. Contemplare aliquem è procis ardenter amasium, iam nocturnis imbribus, aut niue madidum, velut animal aquaticum: iam de Brontis Steropisque chalybiâ aduersus hostiles incursus obarmatum, velut feram terrestrem: iam caloris vtriusque æstu semiustulatum, velut igneum animal: iam vanissimas sæpè spes, velut aëra, camœleontis adinstar, inanissimè captantem. Planè homo à libidine, quasi hominem desuesceret, *dubium quoddam animal* euasit. Vel aliter. Vide salacem hominem pecudi pruritu luxuriæ in hircum, furoris sæuitiâ in tigridem, sagacitate in canem, astu in vulpem, inciuilitate in asinum, &c. & vt summatim dicam, in *dubium quoddam animal*, inhumanum fluxum, durum, delicatum, sæuum, placidum. O caue Veneris, velut cuiusdam Circes, metamorphoses! O! quis tuto se credat homini, qui naturam humanam libidine diffitetur, & à se ignobiliter degenerat! O terrestres cupidinis polypos!

Exod. 8. v. 2.

Nyss. apud Caten.

Libido hominem facit dubiū quoddam animal.

---

§. CCLXII.

Strenuè vincit quisquis sui percussoris armis illum referit.

1. DEo *nihil impossibile pronunciatur: nam vbi opus molitur, impossibile Deus demolitur,* (sententiosè dixit Basilius) dum periculo seruat, & securitate periculum facit; dum dissolutione ligat, & ligaminibus dissoluit; dum aduersarij machinis ipsum labefacit aduersarium; & argutâ eius ratione eum manifestè refutat. *Validus absque dubio* (ait Emisenus) *vtitur priuilegiis, qui causam de aduersarij affert instrumentis. Speciosa victoria est, contrariam partem cartulis suis velut propriis laqueis irretire, & testimoniorum suorum vocibus confutare, & æmulum telis suis euincere, vt pugnatoris argumenta tuis probentur vtilitatibus militare.* An non præcelsior Dei potentiâ in Iudithâ, & in Dauide eminet, & apparet? hic in floridâ iuuentâ ludicris citiùs quàm seriis idonea, suo ipsius ense robustum iugulat Philisthæum, illa comptæ venustatis gratiâ teneritudine, trucem Gentibus Holofernem ipsius acinace obtruncat. Speciosa planè victoria; in qua pugnatoris tui arma tuis probantur trophæis militare. De inuidiosa, & immani Diaboli astutia, immanis piscis à magno fluuio Tobiam deuoraturus emergit; parùm ergo foret, vt apprehēsâ eiusdem branchiâ, eum qui turbidis viuebat in aquis, in puro aëre tumulare; nisi de inimicis eius visceribus, quibus conuiscerandus putabatur, potentissima aduersus dæmonem arma pararentur, & vnde Tobiam detriumphasse præsumebat, eius triumphum è peruerso adornaret, dum Tartarei pugnatoris arma, Tobianis probantur vtilitatibus militare.

Basil. Orat. 38.

Emis. hom. 2. de Pascha.

Magnificè vincit quisquis pugnatoris sui argumēta, suis probantur vtilitatibus militare.

Hic vers. 1.

2. Ioannis 20. Cùm esset ergò die illo vna Sabbatorum, venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio discipulorum. Quid mirum si Dominus ad discipulos glorificatum corpus clausis stupentibus intromisit, qui illæso materni pudoris gnaculo, ianuam mundi huius intrauit, cuius ortum natura nesciuit? Non dubites si potentiam exercere videas triumphantem, quem tam stupenda perspicis egisse nascentem. Cùm dixissent alij discipuli: vidimus Dominum: respondit Thomas, & dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam manus meas in latus eius, non credam. Quàm bona infidelitas quæ sæculorum fidei militauit! Quia ergo illo tempore tanti mysterij nouitas ambiguâ fide versabatur, meritò curiosæ perscrutationis non est exclusa sedulitas. Ostendit ergo ei Iesus manus & latus. *Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.* Mirentur alij Thomæ hactenus infidelitatem; ego potiùs mirarer fidem, quæ denuò ad credendum apparet. Hominem Thomas videt, & Deum credit? è vulnerum stigmatibus Deum probat? per cicatricum tinnulas diuinitas illi transflucet? è passionis mortiferæ notaculis Deum immortalem agnoscit? Hinc, hinc profectò meus ædificatur stupor cum Eusebio, qui sic argutè hac de re fatur: *Ostendit ergo manus, & latus. Necessarium enim erat, vt manifestarum præsens expressio cicatricum, crucifixi corporis faceret fidem: quia splendor nouæ lucis pristinam obduxerat veritatem, & agnitionem quodammodo claritas obscurauerat.* (mitto hæc, etsi moralitatum grauida) *Visis ergo cicatricibus respondit Thomas, dicens: Dominus meus, & Deus meus. Nouo genere vestigia vulnerum, diuinitati præbent testimonium.* O stupendam Christi resurgentis potentiam! Vestigia vulnerum, & cicatrices crucifixo corpori impressæ, hominem exprimunt, quidem sæuis vulneribus immanissimè patibulatum; quo igitur modo cicatrices inuulnerabilem diuinitatem arguunt! Deus impatibilis est, quia beatus est, quia immutabilis est, quia Deus est: quî ergo fieri potest, vt per cica-

Ioann. 20. v. 28.

In Christo vestigia vulnerum diuinitati præbent testimonium.

Euseb. de Pascha, homil. 9.

trices Christi diuinitas ad Thomæ credulitatem transpareat? Augusta diuinitas, an damnata à Iudæis Humanitas cicatricibus comprobatur? O profundam, & inuestigabilem diuinæ sapientiæ, & prouidentiæ œconomiam, humano captu oppidò sublimiorem! liuidis cicatricibus diuinitatis claritas velut obscuratur, & tamen eædem cicatrices latentem in Christo Diuinitatem quodammodò clarant, & quasi ab oppositorem euincunt, arcano manifestationis auctario. Exinde
1. Tertu Apolo *visis cicatricibus respondit Thomas, dicens: Dominus meus, & Deus meus. Nouo genere vestigia vulnerum diuinitati præbent testimonium*; & de liuido cicatricum horrore honor diuinitatis prælucet, atque stupendo suffragandi genere, inde probatur diuinitatis fastigium, vnde humanitatis infirmitas comprobatur, ac patiendi notaculis Impatibilis euulgatur. O Dei prouidentiam omnipotenter sapientem, quæ oppositis quodammodò opposita fundat! *Vulnera factorum suorum signa suscepit*, (de quodam opinatissimo duce dixit Cassiodorus) *vulnera, inquam, opinio inseparabilis, sine assentatore præconium, propria lingua virtutis; quæ licet ad præsens, periculum ingerat, reliquum tamen vitæ tempus exornat. Eget enim astipulatoribus corpus ixasum, quærit alios, qui visa diuulgent, de fortitudine probata non ambigitur, quæ tali testimonio comprobatur.*

[C]icatricum [i]n Duce, ...

Cassiod. lib. 8. epist. 10.

3. Matthæi 27. tandem hora diei nona Christus Deus in cruce moritur, & qui spiraculo vitæ vitam homini dedit, in cruce spirando, amissam hominum vitam restaurauit. Cùm autem serò factum esset, venit quidam homo nomine Ioseph: Et accepto corpore Ioseph inuoluit illud in sindone munda: *Et posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra. Et aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti.* Vita iam mortua tumulatur, vt mors vitâ moriatur. *Mortuos certè liberaturus erat Christi tumulus*, (ait Seleucus) *& mors futura mortis exitium, & Passio passionum officina medica.* Tumulus qui mortuos auarè tenet, mortuos iam benignissimè liberat, & mors ad mortis exitium potenter armatur, atque Passio passionum medica officina facta est. (Hæc perstrinxisse sat. Confestim igitur Christus *descendit ad inferos*, & æterna inferorum nox Christo descendente resplenduit. *Siluit stridor ille lugentium, & catenarum disrupta ceciderunt vincula damnatorum: attonita mentis obstupuere tortores, omnis simul impia officina contremuit, cùm Christum repentè in suis sedibus vidit*, ait Emisenus. *Inuasor est iste, non debitor; effractor, non præuaricator: iudicem videmus, non supplicem. Venit iubere, non succumbere..... Illusus est præliator noster in mundo, nesciuit quam hic stragem procuraret inferno.* Et quasi parùm foret, Dæmones terræ inquilinos; & qui proprio inferorum relicto domicilio, peregrinantur in terris, in terris vicissè; eos in suo inferni regno inuadit, deuincit, detriumphat, & trophæa erigit spoliis opima. Pergit idem Emisenus, ad rem præsentem opportunior: *Per conditionem quidem mortis traditus putabatur inferno, sed de inferis rediit cum sui triumpho, vt sic dixerim, gladio percussoris armatus.* Hæc est triumphi summa, & gloriosiùs vincendi meta, diu victorem in suo regno, & præmunitâ arce potenter superare, & ipsomet *percussoris gladio* ad eius stragem valenter *armari*. Quid ad virtutem potentiùs? quid ad gloriam illustrius? quid ad victoriæ pompam sumptuosius, quàm de victrice victoris manu gladium excutere, & ipsius iugulum potenter referire? O arcanam Dei potentiam, cui etiam militant aduersariorum arma! *Gladio percussoris armatus* redit ab inferis Christus, ad augustiorem triumphalis gloriæ nobilitatem, vt pugnatoris sui machinæ suis trophæis probentur militare.

Math 27. v. 60.

Basil. Seleu. Orat. 13.

Damnum in suis sedibus Christus detriumphat.

Emis. hom. 1. de Pasch.

Christus resurgens, gladio percussoris armatur.

Idem hom. 6. de Pasch.

Iudicum 14. Descendit Samson cum patre suo, & matre sua in Thamnatha. Cumque venissent ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis sæuus, & rugiens, & occurrit ei. Irruit autem Spiritus Domini in Samson, & dilacerauit leonem, quasi hœdum in frusta discerpens: & post aliquot dies reuertens, declinauit, vt videret cadauer leonis, & ecce examen apum in ore leonis, ac fauus mellis. Quem cùm sumpsisset in manibus, comedebat in via. Postmodum in septendiali nuptiarum conuiuio hoc problema coram interpretandum proposuit, tanquam rem extricatu impossibilem: *de comedente*, inquit, *exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo, nec poterant per tres dies propositionem soluere. Propositi* problematis medullam appositè ad thema præsens, enucleauit inibi Lyranus, sic aiens: *In illa parte leonis inuenit mel, quod est comestibile, quæ est instrumentum comestionis, scilicet in ore.* Nimirùm leo sæuus, & rugiens in Samsonem irruit, vt illum feroci rictu, & ore minaciter dentato deuoraret: ergo in leonis ore, cuius ipse erat cibus futurus, melleum cibum inuenit: & de ore, à quo deuorandus ipse erat, reperit quid ipse deuoraret: atque ipse rictus leonini futurus expetita esca, de illo ipso rictu dulcem escam mirificè extraxit. *In illa parte leonis inuenit mel, quod est comestibile, quæ est instrumentum comestionis, scilicet in ore.* Leonis ipsum voraturi dentes, & ora, quid Samson dulciter voraret, affatim ministrarunt; & vnde putabatur ipse futura escatilis præda escatilem inde prædam extraxit, ipso leonis rictu cibos ipsi copiosè suggerente. Sat id perstrinxisse.

4. *Samson in ipso leonis ore ipsum voraturo, quid ipse voraret inuenit.*

Iudicum 14 v. 14.

Lyranus ibidem.

Matthæi 28. *Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulcrum.* In vesperæ obscuritate lucescentem quærunt charitatem? In vesperæ obscuritate videtur quærere, qui in sepulcro viuentem quærit. Profundè ad rem, hac super re philosophatur Seuerianus: *Venit Maria ad sepulcrum, sicut ad resurrectionis vterum, vt iterum Christus ex sepulcro nasceretur fidei, qui carni fuerat genitus ex ventre, & eum, quem clausa virginitas ad præsentem tulerat vitam, clausum sepulcrum ad vitam redderet sempiternam.* Nempe mortis conceptaculum, vitæ redditur officina.

Math. 28. v. 1.

Antithesis de Christi sepulcro.

Seuer. serm. de Passione.

---

§. CCLXIII.

Quem Princeps exertâ vi coëgit, exinceps non amabit.

SVbditus, si sapit, nunquam Superiorum iras prouocabit, imò declinabit, non aliter quàm in nauigando procellam. Temerarius gubernator contemnit minas Aquilonis pertinaciter reflãtis, qui pelagus exasperat, & in vortices agit. Idem facit sapiens, nocituram Potentiam vitat, si possit; si non possit, aut non irritat, aut obsequio mulcere procurat. Non magnanimitas, sed temeritas, 1.

Potentiorum

Principes, quos coegerunt, semper auersantur.

Potentiorum prouocat iras, & iudiciariæ tempestati se obiicit. Si hanc procellam vitare idoneum censes, hoc primum satagit cautus, ne vitare videatur, pars enim securitatis in hoc est, ne videaris eã fugere, quia quisquis fugit, damnat. Nec fugere potes, nec tolerare vales? adhuc tolera, & supra patientiæ vires audenter præsume. Audi Apostolum: *Qui Potestati resistunt, sibi ipsi damnationem acquirunt.* Quod si vim semel admoueat, semper timebis, etiamsi illum obsequentiùs placaueris. Potentes, quos læserunt, & oderunt: & quos semel auersati sunt, & vi exerta ad obsequium compulerunt, semper fastidiunt, & auersantur. O! obsequiis anteuerte irati Principis minas, nam si vi te semel coëgerit, dubios saltem odij characteres nunquam delebis. Nausea erga sibi immorigeros in Potentibus perennare solitat, irreparabili subiectorum malo.

Ad Rom. 13.

2\. Matthæi 26. Iudas ille Apostolici collegij refuga, & contumeliosus Magistri proditor; immemor gloriæ Christi, putauit forsitan posse latenter agere, ausus præcipuum dilectionis signum, organum efficere doli, dum beneuolentiç osculo Filium hominis tradit, hoc est, amoris pignore vulnus infligit, & pacis instrumento mortem irrogat. Seruus dominum, discipulus magistrum, creatura auctorem, electus prodidit electorem. Et confestim Iudas accedens ad IESVM, dixit: Aue Rabbi. Et osculatus est eum. *Dixitque illi IESVS: Amice, ad quid venisti?* Magna, ô Rex gloriæ significatio potestatis, dum de scientiæ dissimulatione adstruis peritiam correctionis; magna eruditio virtutis, & regiminis eruditior politia. Consilium proditionis aperitur, & adhuc patientia non negatur. Quousque tandem Iuda, Christi abuteris patientia? quousque tandem, ô Christe, de tolerantiæ longanimitate, & proditionis dissimulatione, tibi propè contumeliosus es? Quæ est, tua hæc tam longa patientia? ea obduratur Iudas & de antidoto venenum conflat, gratiæ officiositatem contemnit, & ad eius blanditias obstinatus, obsequia refutat, indeque deprauatur, vnde credi poterat conuertendus. Vsquequò, Domine, tua tibi patientia detrahis? Potestatem exere, publicam increpationem seueriùs adorna, iustitiæ iras vibra, proditorem diu à te toleratum, tandem prode, experiatur tuæ potestatis asperiorem vim, vt sentiat ingratus, quod molitur hypocrita. O sublimissimam peritioris politiæ disciplinam! Mundi summus Rector vim tandiu dissimulanter protelat, vt etiam in fine possit eum blando *amici* nomine compellare, nam si durius cum proditore eò vsque ageret de restauranda beneuolentia proditor forsan diffideret. Luculenter Theodohadus Rex Cassiodori calamo hęc scribit ad quosdam sibi male subiectos: *Compellat rationabiliter proprius animus, ne vos vrgeat terror armatus: odium siquidem excitat, qui iustè insultat imperiis. quem iam coëgero, non amabo.* Quasi dicat Rex: (cuius rudem pueritiam peritia Cassiodori disertissimè infantat) Deponatur tumultus, morigerum suscipiatur obsequium, nemo exinceps nostris insultet imperiis, nec mente manu ve quicquam aduersus Principem moliatur. Consultior politia non festinat castigare nocẽres, iniuria memoriam exasperat, & cõceptas iras his minis lingua euaporat, ergò satagite, vt obsequium vestrum regium furorem in faucibus præcludat, & virgines seruentur ab vltione manus, ne vos vrgeat terror armatus, & illata vis odium excitet

Math. 26 v. 50

Quem Princeps iam vi coegit, exinceps non amabit.

Cassiod. lib. 11. var. ep. 8.

meum, nam *quem iam coegero, non amabo.* Qui vltro obsequitur, amorem sollicitat, ast qui vi ad parendum cogitur, beneuolentiam auertit, dum odium excitat vix vnquam reuocabile *Si el Principe llega à desembainar, no espereis que Iamas os tenga cariños, siempre os traira entre ojos.* Coactio odij mater est, & amoris nouerca: *Quem iam coegero, non amabo.* Igitur cunctanter diu agit Christus cum infido Proditore, ne apertam vim exerat contra illum, vt tunc etiam cùm Magistrũ infidus prodit, blanda *amici* compellatione vix possit nominari, & suam illi spondere amicitiam, nam *quem iam coegerit, non amabit*, aut saltem, non amare vulgò putabitur, cum agnatum sit Potentibus de vi ac coactione odium mutuare. O time molestias, Principalis coactionis appendices! Parùm foret Raphaeli cœlestis regni Summati, malignum spiritum Saræ cubile pertinaciter infestantem, ad indecoram inde fugam *cogere*; nisi postmodum aduersus eũdem pœnale foueret odium, tum contumeliosã vinctione, & tetro ergastulo adhuc molestè fatigat.

Tobiæ c. 8. v. 3. Hic vers. 19.

3\. 1. Ad Corinthios 4. Paulus Gentium doctor, grauissimè inuehens in quosdam Pseudoapostolos, qui turgentes enerui elegantiæ lepore, virtute morum destituto, subnixi limatulo stylo, & pompaticè garrula fabricatæ eloquentiæ facundia, ipsum Paulum, & inde Christianam doctrinam & probitatem omnem despiciebant; his verbis concludit: Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute. *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* Mirũ plane est, quòd Apostolus suis per Euangelium subditis optionem offerat, vtrùm velint, se durùm sceleromastygem contra eos venire, an in lenitate miris, & in mansuetudine tranquillus aduenter. Ecquis dubitet, quod reus malit videre Patrem blandum delicti correptorem, quam in seuerum Iudicem, atrocia quæque minitantem, incurrere? Ast Subditorum mores, aut blandum Superiorem cudunt, aut in asperum & minacem recudunt. Subiectorum vita, ad suum arbitrium Præsidem format, aut de probitate tranquillũm, aut de improbitate seuerum; (de quo forsan alibi) Nunc verò expendenda est Pauli optio, quam delinquentibus Corinthiis offert: *Quid vultis?* inquit: *In virga veniam ad vos, an in charitate?* Vel lippis perspicuum est, quod istiusmodi in optione disiunctio, aduersatiuum sensum reddit, & inde intellectu difficilem, & explicatu arduum. Vultis, ait, vt ad vos veniam in districtioris vindictæ virga, qua puniam flagitia vestra? an potiùs vultis, vt ad vos perueniam, adhuc peramanter vos diligẽs, & de mea venia, ant vestra correctione tranquillus? Quid ergò! si Paulus ad scelestos tunc Chorinthos in *virga* venerit, in *charitate* non veniet? Si duris suppliciis flagitiosos ad resipiscentiam cogat, illos iam non diligit? Sic punitio amorem exuit? Pauli ne charitas ea est, quæ castigando excidat? O malum! acerbior punitio, charitatis iactura est? In atroci suppliciorum procella, charitas naufragium patitur? Vidit hanc difficultatem Anselmus Laudunensis, & aduersatiui sensus vi coactus, Pauli charitatem cum hisce minis ita componit: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate? In virga*, inquit, *correctionis, vbi etsi sit, non tamen videtur esse charitas.* Vel Pauli charitas dum sibi subiectos durè punit, etsi non excidat, & in acerbæ castigationis naufragio pereat; saltem tecta tunc est, abs-

Subditorum mores Superiorem, aut mitem aut seuerum cudunt.

1. Cor. 4. v. 21

Nam Paulus quos castigat, non amat.

Ansel. Laud. inibi.

P. Didaci de Celada in Tobiam.

consa est, nobilitata est suppliciorum tempestate? Paullini amoris priuilegium est, non cōmutasse cum punitione charitatem? Si tamen eius verba, vt sonant, audiantur, aduersatiuè quidem sonant. *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate?* Ita vt prope dicere ad sceleſtos Corinthios cum rege Theodohado vel Paulus possit: *Compellat rationabiliter proprius animus, ne vos vrgeat terror armatus: odium siquidem excitat, qui iustis insultat imperiis. Quem iam coegero, non amabo.* Sic punitio de ingratia exinceps suspecta est? sic coactio odium subornat? ô cohibe pœnitendam in Principes temeritatem, quam perpetuo aut terrore, aut supplicio vix vnquam lues! Præstat dissimulare modica, quam grauissima perdiu tolerare.

Cassiod. sup.

4. Adhuc enucleatiùs emedullare iuuat nuper laudatam Pauli sententiam: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate?* quasi subiectorum mores Superiorem aut placidum aut seuerum excudant. Exhod. 6. dum Deus se ostendit erga Hebræos beneficentior, acerbior aduersus Ægyptios, sic Moysen alloquitur: *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicaui eis.* Conuenit inter expositores, nomen *Adonai* in hoc loco substitui pro ineffabili nomine *Iehoua*, quod Tetagrammaton dicitur, & innominabile putabatur, & quidem *Iehoua* in Hebræo scribitur. Exinde pulchra oritur quæstio, quare cum Deus maximè beneficus Israëlitis ostenditur, & Ægyptiis acerbissimus, tunc, tunc primò & maximè se nomine ineffabili hoc nomine Tettagrammato? Lyranus hac super re ita scitè fatur: *Aliqua nomina de Deo dicuntur per respectum ad creaturas, vt Creator, Dominus, & similia, &c. Sed nomen Dei Tetragrammaton significat diuinam essentiam puram & nudam prout in se existit, circumscripto omni alio.* Nempe cum *Creator* dicitur, specialem complacentiam in opere suo denotat; cum *Dominus* appellatur, aliquam vtilitatem ex creaturarum seruitio importat, &c. At cum iudex proponitur, in iudiciis magnis puniturus rebelles Ægyptios, & opulentis beneficiis cumulaturus Hebræos; nomine absoluto, & independente à creaturis effertur, & quo significetur *diuina essentia pura & nuda prout in se se existit, circumscripto omni alio.* Ex quo fiet, vt quisque sibi imputet aspectum quem Deus ad illum habet. *Quid vultis,* ô Ægyptij? in virga veniat Deus ad vos, an in *charitate,* sicut ad electum populum? Nemini deest cœleste auxilium, omnibus nunc proponitur *Iehoua,* id est, nomen Dei Tetragrammaton, quod *significat diuinam essentiam puram & nudam prout in se existit, circumscripto omni alio.* Vestrum, vestrum est, aut illam induere grata beneficentia, aut rigoribus peracerbis armare. Quasi dicat cum Paulo Deus, qui per illum loquitur: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate? Compellat rationabiliter proprius animus, ne vos vrgeat terror armatus, odium siquidem excitat, qui iustis exultat imperiis. Quem iam coegero, non amabo.*

Exhod. 6. v. 3. *Cum Deus proponitur Ægyptiis acerbus Hebrais beneficus, tur Iehoua nuncupatur.*

Lyran ibi.

* *
*

§. CCLXIV.

Qui virginem ducit, viuam coniugem accipit, antenuptiale verò stuprum viuas plangat exequias, languet insipidè virtus sine castitate.

DE experientia edoctus monet Salomon: Ne attendas fallaciæ mulieris. Fauus distillans labia meretricis; in nouissimis autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps. *Pedes eius descendunt in mortem, & ad inferos* (ad sepulturam) *gressus illius penetrant. Per semitam vitæ non ambulant.* Obscœnum planè ludibrium est, quandoquidem breuicula, & volatica voluptatula, animæ, & corporis mortem emis. *Gratuita nobis videntur, quæ carissime constant. Ea sola putamus omni, pro quibus pecuniam soluimus: ea gratuita vocamus, pro quibus nos ipsos impendimus, adeo nihil est cuique se vilius. Videamus hoc quod concupiscimus, quanti deferatur; sæpe maximum pretium est, pro quo nullum datur.* O vecordiam! pœnitendæ libidinis causâ corpus tuum tradis probro, dedecori, infamiæ, ipsique adeò morti, pedibus tuis ad tumulum festinas, & concupiscentiæ pretio mortem ipse mercaris: O cadauerosas Veneris delicias, quæ per semitam vitæ non ambulant, sed pedibus suis *descendunt ad mortem.* 1.

Prou. 5. v. 5. *Homo libidinis pretio mortē emit.*

Senec. epist. 42.

Matthæi 1. secundæ tesseradecadæ seriem Euangelista decurrit, quæ Regum recensione constat, eorum soliis eminet, sceptris stat, & coronis micāter collucet. Ideò autem à Dauide incipit, quia in Iudæ tribu primus regnauit. *Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ.* Et cur eam proprio nomine non designat? *Quærendum est,* (ait inibi Rabbanus) *quare Euangelista Bersabee proprio nomine non nominauit, sicut cæteras mulieres.* An non postmodum legitimo matrimonio Dauidi coniuncta fuit? Tantæ Reginæ nomen sic velle fuit apud Euangelistam, vt illud obliuioso neglectu sic omiserit? An non sicut & legitimi exinceps thalami, sic & pœnitentię putatur comes? sic est superstes memoria delicti, vt alta obliuione delinquentis nomen aboleat? Profectò quæ aliquando in luxuriæ stabulauit prostibulo, iam in regni solio micanter præfulget. Adhuc post pœnitentiam Bersabee, adulterij stipendium narratoris obliuione persoluit? an quia per adulterium vitam nouæ coniugis tumulauit, & occisa castitate, nominis cadauer duntaxat reliquit? Cæsarius Arelatensis ad castimoniæ laudem his verbis viros adhortatur: Si enim, inquit, nullus vir est, qui sponsam suam vellet ante nuptias adulterinum habere concubitum, sed omnes homines virgines vxores accipere volunt: qua fronte ante nuptias concubinas habere non erubescunt? (& sententiosè subdit.) *Quomodo aliquis viuam coniugem vult accipere, cum ipse sit mortuus?* Qui ducit virginem, viuam coniugem ducit, qui verò stupratam, adulteratam, prostitutam, quantumvis clandestina scortione; mortuam coniugem accipit. Mirabaris in Euangelistæ narratione, Bersabee nomen suppressum, duntaxatque dixisse: *Ex ea, quæ fuit Vriæ?* quibus verbis antenuptiale innuitur adulterium, & honesto 2.

Matth. 1. v. 6.

Rabanus in Catena ibi.

Qui virginē ducit, viuam coniugem accipit.

Cæsar. hom. 14.

honesto nomine in honestum denotatur stuprum: excuties tamen admirationem, si attentius consideres, stupri consequentias esse, & nominis cadauer,& nouæ nuptæ nuptiale funus. Qui virginem ducit,*viuam coniugem accipit*; qui verò constupratam; cum pudoris interitu, pariter cense tumulatam.Viuit pudore coniux; & nouæ nuptæ vita, virginitate censetur; qua amissa, nuptiali interitu cadauerascit, & viua morte sepelitur, cum illibatus pudor, & infucatus virginitatis flos, sit sponsæ vita, & opulentior fœminarum dos. Qui virginem ducit sponsam, *viuam coniugem vult accipere*. Profectò negotiosa hîc cœlestis Paranymphi sedulitas eò tota incumbit, vt funestas aliis cum Sara nuptias Tobiæ cunctabundo persuadeat. Timet fatalem sep'em viris hactenus vxorem; sed de illibata Saræ virginitate post tot frequentata connubia, vitam feliciter spondet: *Transacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini*.

Ibid. v. 22.

3. Geneseos 38.Thamar illa vtroque Testamento famosa, & generosâ è Iuda sobole augustior; Her, & Onan maritis vita functis, iustam Selæ ætatem ad nuptias, diu frustrà præstolatur. Ergo diuturnis fraudata spebus, deposito viduitatis habitu, assumpsit theristrum, æstiualia inquam, ne libidinis æstum vestis dissimularet. Quò nurum dissimulet, meretricem in biuio simules, socero Iudæ inuisa placet, & ad vnum coïtum mulier concepit, & surgens abiit, depositoque habitu, quem sumpserat, *induta est viduitatis vestibus*.Latens aliquandiu facinus, vteri tumor prodit, sed re cognita ex arrhabonis indicio, pœna stupri liberatur, nam agnitis muneribus, ait Iudas; Iustior me est: quia non tradidi eam Sela Filio meo. *Attamen vltra non cognouit eam*.Non tracto nunc, an vterque, an alteruter eiusmodi congressione deliquerit, aut aliunde possit excusari? An etiam de Chananitidis ritu, sicut frater defuncti mariti tenebatur eam ducere, ducere eandem socer ritè possit? Hoc vnum ratum sit, neque Iudam cum Thamare stuprata iniisse nuptias, neque eam exinceps ad coïtum cognouisse. S.Ambrosius rem hanc accuratè pertractans, id tempestiue notat: *denique Thamar nunquam postea virum experta est, amictum viduitatis sumpsit à coitu*.Nempe vt Iudam alliceret ad sui concupiscentiam, festiuo & nuptiali olim theristro se ornauit egregie, & ad venustatis illicium, vestium addidit cultum, quò sumptuosiùs lasciuiret.Post congressum verò sic infaustè sibi ominata est, vt *amictum viduitatis à coitu sumpserit*, & lugubri se veste exinceps funestaret, & viuas sui plangeret exequias S.Basilius magnus de Virginitate aliosùm scribit: *Ex ipso coniugij fine totam nuptiarum tragœdiam prudenti ratione collegit*. Nimirùm in nuptiali scena lætior præscribitur comœdiæ suggestus,cuncta prospera hilariter spondens; sed lugubris plerumque tragœdia est: & Thamar ante nuptias tectiùs violata,*amictum viduitatis sumpsit à coitu*: exinde Iudas *nuptiarum tragœdiam* consilio prudentiori recusat. Tragica,ac lugubri veste cadauerosa à coïtu Thamar, consultè vestitur, quasi corpus suum velut cadauer, aut cenotaphium funestè amiciret,& præproperè tumularet.Cùm quis pudicam,& honestam ducit, *viuam coniugem accipit*, ac si sponsarum vita virginitate constet; & de pudoris iactura mortem fœneret, & *nuptiarum tragœdiam* subeat. Heu funestè tragicam antenuptialis stu-

Gen. 38. v. 26. *Mulier impudica, nuptiarum tragœdiam ambit.*

Ambros. lib. 3 in Lucam.

Basil de vera Virginitate.

P. Didac. de Celada in Tobiam.

pri voluptatem! Si laudatam Iudæ prudentiam æmularentur riuales,nubiles fœminæ virum passæ, ne nuptiarum subirent tragœdiam, Thamarem imitatæ, *amictum viduitatis sumpsissent à coitu*.

S.Augustinus ad ea verba Psalmi: *Qui exaltas me de portu mortis*,ita ad rē scribit:*de cupiditatibus, quibus itur ad mortem:mors autem est ipsa lætitia in perfruendo*.Carnis cupiditas,mortis ianua sententiosè appellatur. Lætam in nuptiis comœdiæ clausulam expectas,& de scena nuptiarum,*tragœdiam* subis.O calamitatem magno emptam!*Pedes eius descendunt in mortem, & ad inferos gressus illius penetrant*. 4.

Psal. 9. v. 15. August. ibi. *Cupiditas est ianua mortis.*

Matthæi 4. post prolixum diu ieiunium, malè pius Tentator esurienti Christo duros offert lapides, quos in recentes conuertat panes. O Dæmonem auare liberalem! lapides esurienti offers? Vide ne nimis acutus tentandi prodas astutiam, & fraudem detegas.Tu obuios lapides tentando duntaxat præbes, quicquid voluptabile prædurus lapidibus adiicietur, de hominis falsata spe, aut phantasia delicias inaniter præsumente, est. Qui tentationi tuæ adnuit,tibi lapides debet, sibi mentitam in lapidibus saginam, ad voluptatis gratiam spebus compositam.Sed notatione dignissima sunt verba,quibus tentationem Christus excussit. *Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane viuit homo,sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*.Quæ verba exponens Gregorius Nyssenus sic profundo stylo scribit: *Non in solo pane viuit homo.Non alitur virtus pane,nec per carnes benè se habet anima, & pinguescit:aliis epulis vita sublimis educatur,& crescit*. (Nota attentius quas bono viro epulas Nyssenus apponat.) *Nutrimentum boni* hominis,*Castitas,panis,sapientia,pulmentum,iustitia potus, impassibilitas,status,delectatio,bene sapere*. Ecce tibi pingues,delectabiles,& succulentos animæ cibos, quibus ad omnes sanctitates bonus vir adipatur. Scilicet *Bene sapere*, gustui blanditur,& ad virtutis alacritatem eximiè delectat. *Impassibilitas* vtriusque fortunæ vicibus magnanimè flecti nescia *statum* boni hominis seruat,ne aut efferatur prosperis,aut succumbat aduersis. *Iustitia*, quæ quod suum est vnicuique tribuit, velut *potus* fit. Sic expromptus, & facilis debet esse homo ad exercendam iustitiæ rem,vt non lentè mandere,sed quasi potum haurire videatur. O acrem bibendi apparentiam! sic debemus sitire iustitiam, & ius suum vnicuique tribuendo, totam sitim bibere. Dein *Sapientia* appellatur *pulmentum*, quod grata varietate delectat,nutrit, ac reficit.Denique peridoneè ad rem, *Castitatis* in viro,aut in fœmina aspectabilis,*panis* nominatur. Porrò *panis* cum reliquis pulmentis omnibus comeditur, eorumque saporem inuidit, adeò vt cæteræ dapes absque pane,cito fastidium moueant, & absque pane desipiant, quasi *castitas* sit reliquarum virtutum sapor, atque virtutes reliquæ sine castitate insipidæ sint, & insulsè scatiles. O quam languet ad interitum animæ vita, quæ non aliter castitatis pane! *Nutrimentum boni, Castitas, panis*. 5.

Matth. 4. v. 4.

Greg. Nyss. apud Caten. ibi. *Castitas panis anima est inde reliqua virtutes, velut pulmenta, sine castitatis pane ferè desipiunt.*

§. CCLXV.

Characterem virginalis animi, à beneficè pia hospitalitate coniectare licet.

1. CVm aliquis tormenta fortiter patitur, omnibus virtutibus vtitur, cùm vna in promptu sit, & maximè appareat patientia. Cæterùm illic est fortitudo, cuius patientia, & perpessio, & tolerantia rami sunt. Illic est prudentia, sine qua nullum initur consilium: quæ suadet, quod effugere non possis, quam fortissimè ferre. Illic est constantia, quæ deiici loco non potest, & propositum nulla vi extorquere dimittit. Illic est vbiuis ille comitatus virtutum. Quicquid honestè fit, vna virtus facit, sed ex consilij sententia, atque dissimulato aliarum virtutum consortio, & longâ earum catena. Abstrusa æquè ac mirabilis est virtutum inter se connexio, & quæ in magno apparenter rerum diuortio, morum honestates mirè reciprocat, arcana quadam honestatum consensione. Cùm prope Rages ciuitatem Medorum perueniissent Raphaël Angelus & Tobias iunior, solerter satagit Angelus, vt ad Raguelem diuertant, ibique experiantur eius, Annæ coniugis, & Saræ filiæ, & pietatem, & hospitalitatem egregiam, & vt cum Sara connubia ineat; quæ postquā septies infeliciter maritata erat, adhuc (quod videri poterat incredibile) illibata virgo permanserat. *Transacta autem tertia nocte accipies virginem cum timore Domini.* Ex beneficentiæ & hospitalitatis studio, virginitatis in Sara indicium (postquam septies cum viris salacissimis nuptias celebrarat sumendum erat? O abstrusas virtutum consequentias!

Abscõsa, & mirabilis virtutum connexio.

Hic vers. 22.

2. Geneseos 24. dum Abrahamus senescit ad capulum, Isaacus senectutis filius, & benedictæ posteritatis spes, iuuenescit ad nuptias. Prudens Patriarchæ sedulitas Eliezerem seruum in primis industrium aduocat, & ad Mesopotamiam mittit, vt ex sua familia sponsam Isaaco quærat. Alacer pergit seruus, & rectà perductus est in Haran vrbem Nachor. Cumque camelos fecisset accumbere extra oppidum iuxta puteum aquæ vespere, tempore quo solent mulieres egredi ad hauriendā aquam, dixit: Domine Deus, Domini mei Abraham, occurre, obsecro, mihi hodie, & fac misericordiam cum Domino meo Abraham. Ecce ego sto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egrediuntur ad hauriendam aquam. *Igitur puella, cui dixero: Inclina hydriam tuam, vt bibam: & illa responderit: Bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac.* Necdum intra se verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur, filia Bathuël, filij Melchæ vxoris Nachor fratris Abraham, habens hydriam in scapula sua: *puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro,* quæ quod Eliezer votiuè exoptabat, abundè præstitit, idcircò protinus nuptiarum fœdera feliciter iniit. Nemo interpretum non notat, quod hoc signum eligendæ puellæ & ingenuæ & virginis ad generosas Isaaci nuptias, superstitionem redolet. Esto, puella, quæ prima omnium occurrat, benefica in hominem peregrinum sit, & in eum piè hospitalis; inde ne habeat reliquas nobilitatis & honestatis dotes, quæ ad prælustre cum Isaaco connubium requiruntur? An non meritoria aliqua illius ciuitatis fœmina posset sic de homine, etsi ignoto & peregrino, bene mereri? Eloquenter Chrysostomus præfata verba, quæ superstitionem potiùs quàm religionem præferre videntur, sic ad thema præsens illustrat: *Vide serui prudentiam. Nam quia sciuit Patriarcha hospitalitatem, & quia virginem inde ducendam congruebat, iisdem esse præditam moribus, quibus Iustus; nullam aliam coniecturam inquirit, sed characterem virginalis animi ab hospitalitate colligere vult.* Aurea sanè verba pulchro schemate Chrysostomus claudit. Bona Rebecca & generosis Isaaci nuptiis dignissima! *Puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro.* Vnde prudens Eliezer, ingenuæ ac virginalis pudicitiæ, sumit auspicium, & morum augurium in fœmina sibi hactenus ignota? O idealem hominis sagacitatem! *Characterem virginalis animi ab hospitalitate colligere vult.* Audis dari Virginitatis *characterem*! Putas, velut sacramentalem, & indelebilem? O sublime & arcanum virginis pudicitiæ sacramentum! Aduerte in cōiugata etiam Rebecca & Sara, adhuc superstitem fuisse velut *characterem virginalis animi,* nempè venerabilem verecundiam, & beneficam pietatem. O quot viduæ & coniugatæ quasi virgine continentia florent: & quot corpore virgines, oculis, verbis, animoque scortatur! Sed ne te prætereat, pietatem, beneficentiam, hospitalitatem, & misericordiam, dici *virginalis animi characterem*; ex beneficentiâ enim hic sagacissimè prudens Abrahami seruus, *virginalis animi characterem* moralissimè in Rebecca coniectauit: per occultas in re morum pietatis consequētias, quibus hospitalitas, & benignitas, *virginalis animi characterem* cudunt recuduntve.

Gen. 24. v. 14.

Sup. Vers. 16. *Hospitalitas & beneficentia, virginalis animi characterem excudunt.*

Chrysost. ibidem.

Virginitatis character.

3. Iosue Hebrææ malitiæ Princeps renunciatus, confestim in Iericho exploratores submittit. Et dixit eis: Ite, & considerate Terram, vrbemque Iericho: *Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis nomine Rahab.* Grande hinc inter expositores litigium, & diu sententiarum diuortium, quod nulla ætas in concordiam adducet, an scilicet hæc Rahab Ierichuntina, quæ piè exploratores excepit, & postmodum superbas cum Salmone Iudæ Principe nuptias iniit: (ex qua Dauid, & cæteri Iudæ reges, & ex qua tandem Deipara, & Christus Deus extitit) fueritne meretrix, & quæ corpus corpore aleret; an hospita, quam *Hospitalariam* Abulensis appellat. Communiter interpretes existimant, Rahab verè fuisse meretricem, & profligatâ pudicitiâ corporis prostitutione victitasse. Verùm Rabbini Ionah, & Radak, & alij, è Catholicis Lyranus, Vatablus, Titelmanus, Pagninus, & Arias Montanus, non *meretricem*, sed *hospitam* fuisse censent; & pio hospitalitatis officio, impudicum *meretricis* nomen detergunt, emaculant, & honestant. Ambrosius hæc super re ita scribit: *Rahab illa typo meretrix, mysterio Ecclesia figurauit: quæ multorum conuenarum copulam non recusat, & quo coniunctior pluribus, eò castior, immaculata virgo sine ruga, pudore integra, amore repleta, casta meretrix, vidua sterilis, virgo fœcunda.* Quid est, quod *casta meretrix*, & *virgo fœcunda* Rahab in typo nominatur? an quia beneficentia & hospitalitatis meritum erga exploratores, vel amissam pudicitiam restaurat, castitatis honorem redintegrat, & quasi virginem continentiam recudit? Sic pia hospitalitas antiquum meretricis nomen

Iosuè 2. v. 1. *Rahab pia hospitalitatis priuilegio, casta meretrix nuncupatur.*

Abulens. in Matth. 1.

Ambr. lib. 3. in Lucam

nomen absorbet, & decoquit? Sic hospitalis beneficentia impudici nominis scoriam despumat, & continentiam virginitatis æmulam respicit? In quæ floret piæ hospitalitatis nota, nota dehonestamenti nó appareti? Quia à Salmone Iudæ Principe, (ex quo tota Hebræi populi generositas prognata est) *virginem ducendam congruebat, iisdem esse praditam moribus, quibus Iustus, nullam aliam coniecturam inquirit, sed characterem virginalis animi ab hospitalitate colligere vult.* Ecce tibi Rahab in mysterio, *casta meretrix, pudore integra, virgo fœcunda,* & quę beneficę hospitalitatis gloria, abluit meretricis propudia, & de piæ hospitalitatis officina *virginalis animi characterem* insculpit, velut virgine continentia exinceps indebili. O princeps fœmina, Principis Salmonis digna coniux, & de beneficentiæ priuilegio, velut *felix luxuria suffragio.*

Ennod dict. 21.

4. Rahab illa iuxta nominis sui epitheton, adhuc dilatanda est. Non disputo (vt passim interpretes) an meretrix fuerit, an hospita, quam putauerim, & hospitam fuisse, & meretricem. Iosue 2. cap. dixit exploratoribus: Ite, & considerate terram, vrbemque Iericho. *Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis nomine Rahab.* Hæc Rahab, quæ Salmoni Principi nupsit, & ex qua regium Israëlis solium, bis meretrix fuit, & corporis scortatione, & animi fornicatione. Porrò idololatria hoc impuro elogio in Bibliis denotatur. Exinde bis cæca fuit, & corporis libidine, & idololatrica animi fornicatione. Et sanè quòd luxuria cæca sit, probare pudet. Idololatria autem mentis cæcitas erga verum numen est, de scortatione cum idolis veniens. Sed qui est, quod Rahab dudum idololatra, & meretrix, vbi primum exploratores Iosuanos hospitio perhumaniter excepit seipsam desuescens, & cœpit esse casta, & superbo Salmonis connubio idonea, & veri Dei notitia, & religione inoculatur. Percommodè Euagrius apud Damascenum, velut tacitè adludens ad præfata Iosue verba: *Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis nomine Rahab,* &c. ita sententiosè fatur: *Peregrinus, & pauper Dei sunt collyrium, qui eos excipit, confestim visum recipiet.* Nempe hospitalitas, quia exploratores strenuę opis indigos, humanissimè excepit, cæcæ meretricis idololatræ aspectum redaccendit, quasi cœlesti quodam, ac diuino *collyrio* oculos ad visum inungeret. De hospitalitatis priuilegio pristinos Deos, & mores dediscens, *casta meretrix* euasit; & digna, quæ populo Dei adscripta, inter castas veteris Testamenti heroïnas meritò censeatur. Hæc principis Salmon vxor fuit, Ecclesiæ typus, Regum matrix, Deiparæ, & Christi conceptaculum, Matronarum decus, casta meretrix, felix luxuriæ suffragio; quam inopinata humanissimè hospitalitas, velut *collyrio* quodam ad vtriusque castitatis nitorem accendit. *Peregrinus, & pauper Dei sunt collyrium, qui eos excipit, confestim visum recipiet.* Quod est hospitalitatis priuilegium, & officiosæ gratiæ velut naturale miraculum!

Iosuë 2 v. 1

Hospitalitas Dei est collyrium, quod luxuria cæcitatem sanat.

Euagr. apud Damasc. l. 3 Parall c 37

Tertullianus in lib. de Præscrip. ita fatur: *Contesserationem hospitalitatis, quod ius non alia ratio regit, quam eiusdem Sacramenti vna traditio.* Hic locus alibi enucleatus, hìc pro hospitalitate non tam exscribendus, quàm non omittendus fuit. Multa sub *tessera* vocabulo emedullanda delitescunt, ex latiori huius nominis significantia. 5.

Tertul. lib. de Præscrip. Hospitalitatis tessera.

SYNOPSIS
CAPITIS SEPTIMI.

Ingreditur Tobias cum comite Angelo in Raguelis ædes: quem cùm primùm ex facie, mox explicatiùs ex Raphaëlis relatione, maioris Tobiæ filium esse pernosceret; valdè ipse lætatus est, & familia itidem tota. Cognato hospiti hospitium præbet liberale, & lautam curat apparari cœnam. Tobias tamen ab Angelo edoctus, antequam mensæ discumberet, Saram sibi in vxorem à patre desponderi rogat. Hæret pater, cædis reliquorum memor, ne fortè adsimile infortunium cognato infaustè contingat. Sed opportunè Angelus bono animo esse iubet, & Tobiæ Deum timenti Saræ nuptias deberi affirmat. Annuit Raguel, & nuptiis rite celebratis, post hospitalem cœnam, Tobias, & Sara in thalamum nuptialem à matre præparatum, inducuntur.

CAPVT SEPTIMVM.

1. INGRESSI sunt autem ad Raguelem, & suscepit eos Raguel cum gaudio. 2. Intuensque Tobiam Raguel, dixit Annæ vxori suæ: Quam similis est iuuenis iste consobrino meo. 3. Et cùm hæc dixisset, ait: Vnde estis iuuenes fratres nostri? At illi dixerunt: Ex tribu Nephthali sumus ex captiuitate Niniue. 4. Dixitque illis Raguel: Nostis Tobiam fratrem meum? Qui dixerunt: Noui-

mus. 5. Cumque multa bona loqueretur de eo, dixit Angelus ad Raguelem: Tobias, de quo interrogas, pater istius est. 6. Et misit se Raguel, & cum lachrymis osculatus est eum, & plorans suprà collum eius, dixit: 7. Benedictio sit tibi fili mi, quia boni, & optimi filius es. 8. Et Anna vxor eius, & Sara ipsorum filia lachrymatæ sunt. 9. Postquam autem locuti sunt, præcepit Raguel occidi arietem, & parari conuiuium. Cumque hortaretur eos discumbere ad prandium, 10. Tobias dixit: Hîc ego hodie non manducabo neque bibam, nisi priùs petitionem meam confirmes, & promittas mihi dare Saram filiam tuam. 11. Quo audito verbo Raguel, expauit, sciens quid euenerit illis septem viris, qui ingressi sunt ad eam, & timere cœpit ne fortè, & huic similiter contingeret. Et cùm nutaret, & non daret petenti vllum responsum, dixit ei Angelus: 12. Noli timere dare eam isti, quoniam huic timenti Deum debetur coniux filia tua: propereà alius non potuit habere illam. 13. Tunc dixit Raguel: Non dubito quòd Deus preces, & lachrymas meas in conspectu suo admiserit. 14. Et credo quoniam ideo fecit vos venire ad me, vt ista coniungeretur cognationi suæ secundùm legem Moysi, & nunc noli dubium gerere quòd tibi eam tradam. 15. Et apprehendens dexteram filiæ suæ, dexteræ Tobiæ tradidit, dicens: Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob vobiscum sit, & ipse coniungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis. 16. Et accepta charta, fecerunt conscriptionem coniugij. 17. Et post hæc epulati sunt, benedicentes Deum. 18. Vocauitque Raguel ad se Annam vxorem suam, & præcepit ei vt præpararet alterum cubiculum. 19. Et introduxit illuc Saram filiam suam, & lachrymata est. 20. Dixitque ei: Forti animo esto filia mea: Dominus cœli det tibi gaudium pro tædio quod perpessa es.

---

§. CCLXVI.

Commentarius litteralis.

Vers. 1. Ingressi sunt autem ad Raguelem, & susceperit eos Raguel cum gaudio.

Vers. 2. Intuensque Tobiam Raguel, dixit Annæ vxori suæ: Quàm similis est iuuenis iste consobrino meo!

Vers. 3. Et cùm hęc dixisset, ait: Vnde estis iuuenes fratres nostri? At illi dixerunt: Ex tribu Nephthali sumus, ex captiuitate Niniue.

1. CVm propè vrbem Rages, seu Ecbatana peruenissent, hortatori Angelo annuerat Tobias de petenda Sara in vxorem. Ergo ingressi vrbem, diuerterunt in Raguelis domum. Addunt Græci codices: *Et Sara occurrit ei, & salutauit eum ipse eos, & introduxit eos in domum.* (Græcus.)

Cum gaudio.] Nempe hilari vultu, & læto animo Raguel peregrinos excepit, etsi nondum notos, nisi vt Israëlitas; quod ex salutatione agnoscere potuit; fortassis etiam ex habitu, vt putat in hoc loco Carthusianus. Alacri ergo animo hospites Raguel suscepit; nam vt ait S. Prosper sent. 112. *Cum bonum facis, hilariter fac: si enim tristis facis, magis de te fit, quàm facis.* (*Bonum opus alacri animo faciendum.* Carthusian. Prosper.)

2. *Dixit Anna.*] In Hebræo, & Græco est, *Edna. Similis est iuuenis iste.* Benè Tobiam appellat iuuenem, qui tunc agebat vigesimum quartum ætatis suæ annum; tot enim à quarto Ezechiæ anno (quando eum natum Chronologi obseruarunt) numerantur. *Similis* dicitur Tobias iunior seniori Tobiæ, tantum corporis lineamentis; necdum mores nouerant. De similitudine filiorum ad patres, agit Aristoteles libr. 4. de Gener. animal. cap. 2. & 3. Anima, cap. 4. (Hebræus. Græcus. *Vigesimum quartum annum nunc agebat Tobias.* Aristoteles.) *Consobrino.* Hæc vox *consobrinus* propriè significat duarum sororum filios; sed cùm promiscuè etiam accipi soleat pro patruele, aut amitino, haut exploratum est, an Tobias, & Raguel fuerint propriè *consobrini*, an patrueles, aut amitini. Hoc vnum in confesso est, quod secundo consanguinitatis gradu erant propinqui, & inde Tobias iunior, & Sara, tertio gradu nexi erant, qui gradus, sicut nec secundus transuersalis, connubia apud Hebræos arcebat. *Fratres.* Quos Israëlitas putabat, more Hebręorum appellat *fratres*, sic enim propinquos omnes appellant. Hieronymus contra Heluid. fratres quatuor modis in Scripturis dici tradit. Itaque peregrini, vnde essent, interrogati, responderunt; *Ex tribu Nephthali, ex captiuitate Niniue.* Nam cum essent Hebræi per diuersas ciuitates in captiuitate dispersi, aiunt se esse ex tribu Nephthalica, & captiuitate Niniue. Tobias, qualis re ipsa erat; Angelus verò, qualis apparebat se esse, responderunt. Quod vero res, talis in Scriptura dici soleat, qualis apparet, perspicuum est. Sic Gabriel Angelus dicitur apud Danielem: *Vir Gabriel*, & apud Ezechielem strenui Tyri bellatores, dicuntur *Pygmei*; quia è sublimi turri apparebant Pygmei: & Luna dicitur, *Luminare magnum*, etiam adspectu ad reliqua astra, quia sic terris apparet: ergo dicere potuit Angelus, se esse Nephthalitam, & è Niniues captiuitate, quia sic apparebat. (*Res talis esse dicitur, qualis apparet.* Hieronym.)

Vers. 4. Dixitque eis Raguel: Nostis Tobiam fratrem meum? Qui dixerunt: Nouimus.

Vers. 5. Cumque multa bona loqueretur de eo, dixit Angelus ad Raguelem: Tobias, de quo interrogas, pater istius est.

Fratrem.] Raguel Tobiam appellat, non gente tantùm, vt suos nominauerat hospites, sed etiam fratrem cognatione: erant enim consobrini, 3.

brini, aut patrueles. Vnde non tantum dicit *fratrem*, sed *fratrem meum*. Addunt Græci codices quæsiisse etiã de bona ipsius valetudine. Nec Angelũ duntaxat dixisse: *Tobias, de quo interrogas, pater istius est*, sed, *Dixit Tobias: Pater meus est*, quo res foret testatior, & inde certior: valde enim id referebat ad petẽdas filiæ nuptias iã optatissimas.

Græcus.

Vers. 6. Et misit se Raguel, & cum lachrymis osculatus est eum, & plorans super collum eius, dixit:

Vers. 7. Benedictio sit tibi, fili mi, quia boni, & optimi viri filius es.

Vers. 8. Et Anna vxor eius, & Sara filia ipsius lachrymatæ sunt.

4. *Misit se.*] idest, non se potuit cohibere, quin his auditis, in amplexus, & oscula rueret. Lxx. *Et prosiliit Raguel.* Syrus: *Et saltauit Raguel.* Arabs: *Et proiecit spiritum suum in eum*, opinor, eodem sensu, vt Iustinianus adnotauit. *Cum lachrymis.* Nimirum præ lætitia: nam cor ingenti perfusum gaudio, dulces per oculos stillat guttas, sic enim & mœrentes, & gaudentes aliquandò lachrymas fundimus. Quod autem cognati diu absentes, vbi suos oculis cernunt, illachrymari soleant, in suauia oscula, & charos amplexus ruere, vulgare est in Sacris Litteris. Vnius Geneseos liber, plura suggerit exempla. quæ cum aliis intermitto, ne locum onerare videar facile parabili eruditione. Dein quod adspectu ad Patrum merita, Deus immeritis etiam filiis largius benedicat, tradit hìc Iustinianus. Quid autem sit, *Benedicere*, & quibus modis accipiatur, copiosè tradidimus in Procœmio ad librum de *Benedictionibus Patriarcharum*, quem nuper edidimus.

Lxx. Syrus. Arabs. Iustinian. *Gaudium lachrymas exprimit.* Genes. Iustinian.

Vers. 9. Postquam autem locuti sunt, præcepit Raguel occidi arietem, & præparari conuiuium. Cumque hortaretur eos discumbere ad prandium,

Vers. 10. Tobias dixit: Hìc ego hodie non manducabo neque bibam, nisi priùs petitionem meam confirmes, & promittas mihi dare Saram filiam tuam.

1. Opiparum Raguel hospitibus apparari conuiuium præcipit, vt ab itinere lassos recrearet. Arietem duntaxat Vulgatus recenset. Addunt Lxx. *Et susceperunt eos promptè, & immolauerunt arietem ouium, & apposuerunt obsonia plura.* Syrus: *Et apposuit cibaria ampla.* Ergo cum eos Raguel perhumaniter hortaretur ad prandium, dixit Tobias, se minimè accubiturum, nisi prius ab annuente patre sibi desponderetur Sara filia. Rem hanc aliter denarrat Vatablus: *Tum Tobias Rагueli: Iniice mentionem, inquit, Azaria frater, eorum, de quibus egisti in itinere, vt res conficiatur. Ita ille Rагueli rem aperuit.* Non dissentiunt Lxx. Interpretes, neque alij Græci codices. Nempe id dixisse fertur Tobias, quod ipso hortatore Angelus dixit. Suspicatur hìc Sanctius, moris esse apud Hebræos, vt cùm quidpiam citissimè fieri desiderant, constanter affirment, se gustaturos esse nihil, quousque res perficiatur. Quod probat ex Genes. 24. vers. 33. & 1. Reg. 14. vers. 24. & ex Actor. 23. vers. 12. Simile quid cernere licet in his Tobiæ verbis.

Lxx. Syrus. *Amplum apparatur peregrinis conuiuium.* Vatablus. Sanctius. Genes. 1. Regum. Actorum.

Vers. 11. Quo audito verbo Raguel, expauit, sciens quid euenerit illis septem viris, qui ingressi sunt ad eam, & timere cœpit, ne fortè, & huic similiter contingeret. Et cùm nutaret, & non daret petenti vllum responsum.

Vers. 12. Dixit ei Angelus: Noli timere dare eam isti, quoniam huic timenti Deum debetur coniux filia tua: propterea alius non potuit habere illam.

Audita Tobiæ petitione, etsi eius adimpletio maximè foret in votis, hæret tamen Raguel, & consilij inops, ancipiti cogitatione fluctuat; nam quantùm merita efflagitantis Tobiæ ad assensum alliciebant, tantùm exprompti periculi timor auertebat, ne cognato hospiti, cui prospera quæque desiderabat, in probabile inferret vitæ discrimen. Cunctabatur ergo, & responsum dare dubius differebat. Addunt Græci codices Raguelem cunctationis causam aperuisse, edocens septẽ prioribus viris fatale fuisse Saræ filiæ connubium, in ipso nuptiarum limine. Quamobrem valdè S. Ambrosius lib. 3. offic c. 14. Raguelem laudat: *Qui contemplatione honestatis, cum rogaretur, vt coniugium daret, vitia quoque filiæ non tacebat, ne circumuenire petitorem tacendo videretur.* Siue id verbis expresserit, siue cunctatione insinuauerit, siue de re infausta planè tacuerit; opportunè adest Angelus, & ad verba, vel ad mentem Raguelis respondens, omnem procul amouet metum, & securum esse iubet, quia Tobiæ timenti Deum, & in omni pietate enutrito, debebatur eius filia, ideóque septem illis viris Saræ fuerat fatale connubiũ. Quibus verbis neque ignotam sibi esse reliquorum cœdem, nec stragis ignotam causam ostendit, quo fluctuantem Raguelis animum sedaret, atque ad petitis nuptiis vltrò adnuendum flecteret, τὸ *debebatur*, sic accipe, non vt significet, equum est, vt propinquo potius detur, quàm extraneo, vt inidoneè Menochius, sed iure generaliter *debitam* significat, ex lege à Deo lata, Numer. 27. versic. 8. An verò Mosaica lex Raguelem tunc obligaret; an excusaretur ex oblatis circumstantiis, perstringemus §. sequenti. Nunc autem illam petente cognato, & contribuli Tobia, hæres filia generatim debebatur. Vnde ait Angelus: *Huic timenti Deum debetur coniux filia tua. Alius non potuit habere*, hoc est, reliquis aliis diuiùs vetitum est, ne eam haberent, quia huic iure, & pietate debetur.

6. Græcus. Ambrosius. *Filiæ vitia pandit Raguel, ne circumuenire Tobiam videatur.* Menochius.

---

§. CCLXVII.

Commentarius Litteralis.

Vers. 13. Tunc dixit Raguel: Non dubito, quòd Deus preces, & lachrymas meas in conspectu suo admiserit.

Vers. 14. Et credo quoniam ideo fecit vos venire ad me, vt ista coniungeretur cognationi suæ secundùm legem Moysi, & nunc noli dubium gerere quòd tibi eam tradam.

Tametsi Angelus orationem suã nulla ratione fulciret; oris tamen majestas, verborũ suauitas, 1.

nitas, grauitas in dicendo, actionum prudentia, & torum quæ dicebat eximia probab litas, & præcipuè quæ interiori animitus suggerebat afflatu; persuaserunt, vt confestim Raguel Tobiæ votis assenserit, aiens; Exinde credere, Deum suis annuisse precibus, & lachrymis; ideoque inauspicata fuisse superiora connubia, quia Mosaïca religione prohibente, alienigenis puella locabatur. *Credo*; Arabs: *Et puto*, idest, verosimiliter conditio, & animo firmiter hæret. *Cognationi suæ.* An sumatur hîc *cognatio* pro tribu, quæ ex pluribus cognationibus, aut familiis constat, quemadmodum sumitur Numer. 35. vers. 36. an strictè pro familia, & speciali cognatione eiusdem tribus, vt accipitur Numer. 1. vers. 26. constabit, ex iam iam dicendis.

Arabs.

Cognatio sumitur pro familia an pro tribu?

Numer.

2. Itaque cum Raguel dicat: *Et credo quoniam* Deus *ideo fecit vos venire ad me, vt ista coniungeretur cognationi suæ secundum legem Moysi.* ex interpretum consensu hîc alluditur ad legem latam Numer. 36. vers. 8. &c. occasione filiarum Salphaad: *Cunctæ fœminæ*, ait, *de eadem tribu maritos accipient, vt hæreditas permaneat in familiis.* Hinc celebris oboritur quæstio, an hæc lex vniuersatim de omnibus fœminis intelligenda sit, vt necesse fuerit omnes nuptui tradi viris tribus suæ. Affirmant Origenes, & Seuerianus, allegati in Catena Græca, Theodoretus quæst. vltima in Numeros, Procopius, Lyranus, & Abulensis ad eum Numerorum locum. Præter allegatos Auctores, citat pro ea P. Lorinus Chrysostomum, Theophylactum, Euthymium, Hilarium, Hieronymum Epiphanium, Eusebium, Nicephorum, Damascenum, Ambrosium, Bedam, Eucherium, Anselmum, Druthmarum, Gratianum, Emissenum, nostrum Ioannem Bonifacium, Pinedam, Seraphinum Capponum, & Carolum Sigonium. Hæc sententia difficilis communiter visa est, propter rationes pro secunda sententia adducendas.

Numer. 36. v. 8.

Fœminæ tenebantur nubere viris suæ tribus.

Apud Lorinū in cap. 36. Num.

3. Secunda sententia adstruit eas duntaxat fœminas obligari ad nubendum viris suæ tribus (& similiter viros teneri eiusmodi fœminas ducere) quæ hæredes paternæ hæreditatis existunt. Ita apud eundem Lorinum, Hugo, Burgensis, Caietanus, Marzilla, Oleaster, Vatablus, Masius, Canus, & è nostris Cornelius, Mariana, Sà, Barradas, Regius, Maldonatus, Salianus, Toletus, Suarez, Serarius, Morales, Bellarminus, Gretserus Canisius, Magalianus, & Sanctius hic, & Bonfrerius in 36. Numeror. Mitto alios. Ratio est, quia quæstio hac super re Moysi proposita, eo tendebat, vt impediretur, ne hæreditas filiarum Salphaad, quibus deerant fratres, ad aliam deuolueretur tribum, si alienæ tribui copularentur; vnde dicitur: *Cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient; vt hæreditas permaneat in familiis.* Quod explicatiùs tradunt aliæ translationes. Hebraïcè ita scribitur: *Omnis filia quæ possederit hæreditatem de tribu filiorum Israel, vni de familia tribus patris sui erit in vxorem.* Et LXX. Interpretes: *Et omnis filia hæreditate capiens hæreditatem de tribu filiorum Israel, alicui de familia tribus patris sui erit in vxorem, vt hæreditatem accipiant filii Israel, vnusquisque hæreditatem patrum eius.* Ergo filia hæres hac duntaxat lege tenetur, non reliquæ mulieres, quæ in hæreditatem paternam non succedunt, quibus integrum erat cum aliis tribubus connubia miscere, quod repetitis exemplis obfirmant Suarez, Sanctius, & Lorinus. Nam Deuter. 21. vers. 11. nuptiæ permittuntur cum alienigena bello capta, & Iudicum vltim. vers. 1. cæteræ tribus iuramento se obstringunt, se Benjaminitis non daturos filias suas in coniugium, quod aliàs licitum erat: Leuita ille de monte Ephraim, Bethleemitidem vxorem duxit de tribu Iuda, & Dauid duxit Michol Benjaminitam. Mitto alia exempla, quæ obuia sunt, & à nemine non transcripta. In eiusmodi nuptiis dispensationem agnouit Abulensis. Sed vnde eam probat? Ideo Bellarminus noster hac in parte reiecit. Sed benè notat Petrus Vincentius Marzilla plerumque fœminas etsi non hæredes nubere suæ tribus viris, quo auerterentur litigia, quæ obuenire possent, si fortè defunctis sine hærede fratribus, ad eas hæreditas deuolueretur.

Filia hæres duntaxat tenebatur suæ tribus viro nubere.

Numer. 36. v. 8.

Suarez Sanctius.

Lorinus.

Abulensis. Bellarm. Marzilla.

4. Cæterùm P. Toletus, Maldonatus, Regius, Sanctius, Canisius, quibus adstipulantur Hilarius, Eucherius, Theophylactus, Euthymius, & Bernardus, quos allegat Lorinus. Et nouissimè eam tradit P. Laurentius A ponte vir sanè pius, & in primis eruditus, tom. 1. in Matth. ad cap. 1. & vers. 16. num. 12. seriò censent, puellam paterni census hæredem, non tantum viro suæ tribus; sed etiam suæ familiæ propinquissimo teneri ex Mosaïca lege nubere. Rationes, quæ pro hac sententia adduci solent, non valde vrgent, & omnes videntur eò tendere, vt adstruant traditā à Matthæo Iosephi genealogia, tradi etiam sponsæ Virginis progeniem. Vnde, vt vbertim olim tradidimus Matthæi 1. ad vers. 16. hoc fundamentum sa● firmum non est. Non enim conuenit inter Sanctos Patres, & interpretes, quo gradu consanguinitatis B. Virgo, & Iosephus iuncti essent. Alij enim secundo gradu, tertio alij, alij quarto illos nectunt Et sanè præfata lex Numerorum vltimo cap. à Moyse lata, ad id nullatenus cogit, vt docet P. Alfonsus Salmeron tom. 3. tract. 27. Tesseradec. 1. allegans Abulensem, & Paulum Burg. P. Franciscus Suarez 2. tom. in 3. p. Præf. ad quæst. 27. d. 2. sect. 3. P. Lorinus in cap. 36. Numer. Porrò nimis restrictum videtur, nec satis congruere verbis ipsius textus, vt hæres filia nubat propinquiori suæ familiæ. Sic enim ibi habetur: *Et hæc lex super filiabus Salphaad à Domino promulgata est: Nubant, quibus volunt, tantum vt suæ tribus hominibus.* Quomodo nubent, quibus volent, propinquissimo paternæ familiæ nubere coguntur? Sat fuit propositum auertere incommodum, ne hæreditas vnius tribus ad aliam transiret. Ruthæ exemplum, quod adduci solet, non est ad rem, cùm esset alienigena, & ageretur de semine quod excitandum erat cognato, quæ est alia oppido diuersa ratio.

A ponte.

Filia hæres nō tenebatur nubere propinquiori.

Salmer. Abulensis. Burgens. Suarez Lorinus.

Numer. 36. v. 6

5. Itaque in opinione prima asserente omnes fœminas teneri nubere viris suæ tribus, responderi posset, ideò Angelum dixisse Tobiæ: *Tibi debetur omnis substantia eius*, idest, Saræ, & Raguelis, & in hoc vers. 14. *Ideo fecit vos* Dominus *venire ad me, vt ista coniungeretur cognationi suæ secundum legem Moysi*: quia in exilio, quo Hebræi dispersi erant per Assyriorum prouincias, non facile aderat vir ex Tribu Nephthali, cui Sara secundum legem nuberet. In secunda etiam, quia in tanta dispersione, nemo in Rages, & omni Media propinquior Tobia aderat. Vnde constat septem priores Saræ maritos, aut idololatras fuisse (quod verius putamus) aut saltem ex aliis tribubus: erat enim Sara paterni census

Cur Sara teneretur Tobiæ nubere.

census vnica heres, inde tenebatur suæ Nephthaliticæ tribus viro nubere. Respondet P. Salianus, quod tametsi ex iure communi omnes tenerentur suæ tribus viris nubere, ne confunderentur sortes cuique tribu in Chananitide assignatæ: at cum in exilio hæc ratio cesset, & omnis Saræ dos, aut mobilibus constaret, aut hæreditate in terra captiuitatis; videtur etiam ratio legis Mosaycæ cessasse. Verùm saltem ex matrimonio cum Sara, Tobias, & eius posteritas acquirebat ius ad auitam hæreditatem in terræ promissionis sortibus. Solutionem autem captiuitatis prope diem præstolabantur Hebræi. Quod autem Tobias, & Raguël essent ex eadem tribu Nephthali disertè constat ex cap. 6. vers. 11. Vnde Sara Tobiæ nubens, iungitur *cognationi* suæ, id est, tribui suæ quod lex Moysis præcipiebat. Vnde *τὸ cognatio* pro tribu accipienda est; si quidem coniungitur cum obligatione ex Mosayca lege. Sic accipitur Numer. 35. vers. 36. etsi alibi strictiùs pro familia accipiatur.

Salian. ad ann. m. 3339

Vers. 15. Et apprehendens dexteram filiæ suæ, dexteræ Tobiæ tradidit, dicens: Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob vobiscum sit, & ipse coniungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis.

Vers. 16. Et accepta charta, fecerunt conscriptionem coniugij.

6. *Dexteram*] Vulgare est in omni ferè natione consertis manibus fœdera firmari omnia, nuptialia etiam, quod ex vtraque eruditione, sacra scilicet, & profana tradunt Sanctius, & Iustinianus in hunc locum: nam per manus consertas etiam hodie *fides*, & *constantia* significatur, vel potiùs fidei constantia. Et quidem *dextera* potiùs quàm sinistra: quia dextera præstantior, & valitior est, quod tradit Aristoteles lib. 31. Problem. cap. 12. & 13. & 19. & 25. Inuocat etiam Raguël Deum Abraham, Deum Isaac, & Deum Iacob: quia cum religiosè colebat; & horum Patriarcharum nuptiæ fuerant felicissimæ; quibus Deus promiserat, eius posteros sic fore fœcundos, vt stellis cæli præ numerosa, & illustri posteritate compararentur, Genes. 15. vers. 5. & Danielis 3. vers. 35. Addit hîc Iustinianus ex Pererio in cap. 3. Exod. disp. 8. ter repetitum Dei nomen, adũbrare Trinitatis mysterium, sed piè magis, quàm solidè.

Sanctius. Iustinian. *Consertis manibus fœdera fanciebantur.* Aristoteles. Genes. Daniel. Pereira.

7. *Et accepta charta, fecerunt conscriptionem coniugij:*] Quas tabulas matrimoniales appellat Augustinus lib. 9. Confess. cap. 9. Græci codices habent: *Sumens librum scripsit syngrapham, & obsignauit:* etiam testes adhibitos habet Hebræus textus. Scilicet proditur hinc legitima formula, qua in matrimoniali fœdere Hebræi vtebantur, qui proprio syngrapho, quod inter illos conuenerat, adhibitis etiam testibus, obsignabant. Consule Philonem lib. de spec. legibus, & Eliam in Tisbi, in voce *ketubah*. Nimirùm in nuptiali charta scribebatur mutuus futurorum coniugum consensus, & promissiones, firmabantque eas testibus, & syngraphis, quas subscribebant sponsus, & spõsæ pater, vt notat Iustinian. ad hũc vers. n. 4. quod non obscurè videtur textus innuere, dũ res tota cum Raguële. & per Raguëlem tractari perhibetur. Cur verò tam citò persuasus sit pater filiam suam Tobiæ tradere. P. Tirinus hîc luculenter perstringit, obuiæ sunt causæ, & nemini non notæ.

Augustinus. *Modus ineundi nuptiale fœdus apud Hebræos.* Philo. Elias. Iustinian. Tirinus.

Vers. 17. Et post hæc epulati sunt, benedicentes Deum.

8. Paratum distulerant conuiuium dum fœdus agebatur nuptiale, quo feliciter peracto, opiparæ mensæ accubuerunt, *Benedicentes Deum.* Ob filiam feliciter locatam pio, & contribuli marito, gratias Deo pariter omnes agunt. Alij existimant significari solemnem Hebræorum ritum, nil in mensa gustandi ante esculentorum benedictionem, de quo agit Steuchius Antiq. conuiual. lib. 2. cap. 37. & Sanct. & in Iob. cap. 1. & in lib. 1. Reg. ad cap. 9. vers. 13. Aut certè illud: *Benedicentes Deum*, nuptialis, & hospitalis conuiuij conditionem denotat. Nempe nil fuit in hoc geniali conuiuio à Dei timore alienum, cui Raphaël Angelus, pius Raguël, & religiosus Tobias assidebant; cibi erant frugales, nulla ebrietas, vociferatio nulla, aderat honesta hilaritas, & modesta lætitia. Hæc videtur simplicior loci huius expositio, etsi non negauerim, conuiuij cibos priùs ab aliquo ritè benedictos: & ob felix connubium gratias tunc, & semper exinceps Deo egisse.

Quid hîc significet: Benedicentes Deum. Steuchius. Sanctius.

Vers. 18. Vocauitque Raguël ad se Annam vxorem suam, & præcepit ei, vt præpararet alterum cubiculum.

Vers. 19. Et introduxit illuc Saram filiam suam, & lacrymata est.

Vers. 20. Dixitque ei: Forti animo esto filia mea. Dominus cæli det tibi gaudium pro tædio, quod perpessa es.

9. Gaspar Sanctius exponens illa verba: *Præcepit ei, vt præpararet alterum cubiculum*, eruditè notat, quòd non adfuit noua vxor Sara in illo suo nuptiali conuiuio; quia id moris non fuit apud Hebræos, neque apud alias nationes, vt probat in cap. 2. Iob, & super Cantica ad cap. 3. Inde censet, quòd cùm Raguël vxori iubet, *vt paret alterum cubiculum*, iubetur Anna præparare in Gynæcæo cubiculum, vbi mensa sterneretur filiæ, & honestis matronis, siquæ tunc erant: quod suspicatur fuisse apud Hebræos legitimum in nuptialibus sacris. Verùm enimuerò, esto verum sit, nuptiale conuiuio non adesse sponsam, (quod mihi semper arduum fui visum) non satis idoneè videtur intelligi *τὸ alterum cubiculum*, de tricliniari pro feminis conclaui apparando. Neque Anna iam diu matrona regendæ familiæ assueta, egeret hâc viri sui præceptione: nam id in conuiuiis nuptialibus (in Sanctij opinione) legitimum erat: neque id ignoraret Anna, quæ septies nihilominus, triclinium pro filia similiter apparauerat. Ad hæc verisimile non est, vt in conclaui vbi diu feminæ epulabantur, thalamus strueretur nuptialis. At constat, quod dum Anna in nuper præparatum cubiculum introduxit Saram filiam, amarè fleuit, non immemor stragis, quam ediderat Dæmon in septem priores filiæ maritos: ergo ploranit ex recordatione excidij facti in cubiculo, vbi thalamus instruebatur, non ex epulo matronis exhibendo: sicut non illacrymauit dum viri mensis assidebant. Adde Arabicam

Sanct. *Femina à conuiuio abesse à nuptiali conuiuio, & seorsim epulari.* Iob. Cantic. *Impugnatur Sanctij interpretatio.* Arabs.

bicam translationem, in qua Raguël præcipit Annæ, *vt pararet alterum cubiculum cum strato alio.* Denique Sara non sic opploraret, cùm intrabat in hoc tricliniare cubiculum, nisi timeret, forè vt eousque vitis suis fatale, & sibi probrosum, & infaustum: ergo sermo est de cubiculo, vbi nuptialis thalamus erat instructus; non de conclaui apparato ad fœminarum conuiuium.

10. Nempè cùm Raguël verbis Angeli, & Tobiæ probitate animosior factus, meliora speraret de hoc connubio, iubet amouere pristini cubiculi infaustum omen, in quo tot Saræ maritos dæmon vsque ad necem infestarat; & thalamum nuptialem in alio cubiculo exstruere. Ita Lyranus, Hugo, Dionysius, Iustinianus, Mauden, P. Menochius, & Salianus. Itaque horret Sara, & præ horrore lacrymatur, dum octies iubetur in nuptialem thalamum intrare, quem septies viris fatalem, & sibi infaustum experta erat. At pia mater, & filiæ peramans, constantiâ masculinâ virum induit: & licet prona foret ad consimiles lacrymas, meliora viriliter sperare iubet, & longam antiquamque pristinæ calamitatis molestiam, nouo gaudio compensatum iri fidenter sperat, quò filiæ lacrymas sisteret. Aliter Vatablus ex Græco hunc locum exscribit, aiens: *Rursum Raguël vocatâ Edna vxore sua; Para soror, inquit, alterum cubiculum, & hanc introducas. Quæ cùm fecisset, vt ille iusserat, & introduxisset eam lacrymantem, lacrymas filiæ solata est, & dicit: Bono animo esto filia, Dominus cæli, & terræ hanc tuam tristitiam in gaudium conuertet, quam ob rem secura sis, ô filia.* Itaque Sara Angeli verbis, & patris voluntati piè obsequens, animos exhausit: sed adhuc timet thalamum tot virorum stragibus incestatum; quod etiam sequenti capite pater timuit.

Lyranus. Hugo. Carthus. Iustinian. Mauden. Menoch. Salianus.

Vatablus.

---

§. CCLXVIII.

Præfecti, oculorum præfecturam mutuâ consensione æmulentur: vt tanquam in duobus luminibus vnus inueniatur aspectus.

1. NEgotiosa res est, ars artium, & scientiarum scientia, & quæ multorum iuuamine eget, (vnus ne cum multorum vitiis signa componat?) hominem regere, animal varium, multiplex, versipelle: qui in fronte sæpè pietatem præfert, & in cordis recessu impietatem molitur, foris nitet, intùs squalet; vultu & sermone palpat, & meræ insidiæ sunt, & prauitatis minæ, doloso frontis cinere contectæ. Taceo exertam vniuersitatis malitiam, à delicto, & in delicto impudentiam edoctam. Puto vel vnicæ ciuitatulæ, etsi plures Præfecti præsint, vix satisfacitur, vt ciuium peruersitatem sensim grassantem sistere valeant. Vereor tamen, ne sicut plures Præfecti sunt communitatibus necessarij, adæquè perniciosi sint de mutuâ inter se ipsos discordiâ, dum super celsioris fastigij ambitione, aut super zelo ampliandæ iurisdictionis, aut super opinionum discordiâ, mutuò diffident, altercantur, tumultuant. Adeò vt sæpè multiplex Magistratus, Reipublicæ alioqui pernecessarius, non tam sit criminum stitio, quàm criminositatis rixa, & contentio vitiorum. Et sanè dum sæuè inter se Præfecti dimicant, subditorum vitiositas impunè insolescit. Ecce tibi quàm sit vniuersitatibus expetenda Præpositorum amica concordia, quam prima Dei erga homines præfectura patenter demonstrat. Nam eiectis Adamo & Euâ de paradiso voluptatis, Deus sceleris vindex, *Collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Plures inquam, Cherubini, scientiæ antistites, & paradisi Præfecti, aduersùs homines constituti sunt; & vnodumtaxat *gladio* armati, ne alteruter diuerso potestatis ense accingatur, ac vterque; sed vnum ac eundem rigorum stringant gladium. O bonam Superiorum ideam!

Mutua ... iorum inter se se consensio commendatur.

Genes. 3. v. 24.

Canticorum 4. rex Salomon, principis & pulchræ sponsæ tener amasius; vel potiùs cælestis sponsus Ecclesiæ peramans, quam virtutum suarum candore, & sui sanguinis rubricetâ ad omnem pulchritudinem venustauit, his eam verbis magnificè laudat: *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es!* Pulchritudinem ingeminat, vt eam exaggeratiùs commendet, & quidem cũ admiratione, vt omnem formositatis metam laudãdo transcendat. Vnde tanta Ecclesiæ venustas? aduerte ad verba quæ subdit: *Oculi tui columbarum.* Benè ex S. Gregorio docet Laurentus Ceruariensis, *oculorum* nomine Ecclesiæ Prælatos, & vniuersitatũ Præfectos congruenter censeri: nam oculis fulmineus inest splendor, & ad illuminandum aptus, & ad feriendum idoneus, murmurantes autem palumbi, socio fœdere incedunt gemini, proprias diligunt cohortes; quicquid ad simplicem pertinet vitam, adunationis gratiam non refutant. Sed quis non miretur, tantam communitatis venustatem, ab *oculis*, tanquam geminis Prælatis mutuari? Duo Reipublicæ præsides, rixa præfecturæ erit, de sententiarum diuortio, iurisdictionum æmulatione, & dissidiorum tumultu. An non multorum principatus, monarchiam dissoluit, & polictariam constituit, illaudatiorem vulgò regiminis politiam? O non admodum bonã de Superiorum multiplicatione præfecturam, dissidiis, & tumultibus obnoxiam! Multiplicitas Præsidentium, subditorum vitiositati occurrit? sed non fugit discordantis præfecturæ malum, iuge discordiarum seminarium. O bonam Præfectis eruditionem! *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es!* Vnde tanta vniuersitatis pulchritudo, & morũ venustas; quia Præpositos velut *oculos* habet. Arguitè quidem Cassiodorus, cùm Theodohatus ad Romani imperij consortium adscitus esset, ne Romani perniciosa regnantium dissidia pertimescerent, his verbis & metum excutit, & de oculorũ similitudine pulchram regiminis ideam demonstrat, ita scribens: Ad tam amplum imperium duo aduocantur, *Vt tanquam in duobus luminibus vnus esset aspectus.* O vnus plures in duobus oculis visus, numerum in vnitate seruans! Indiuiduo aspectu duo oculi vident, & neuter sine altero nictat, nec alteruter sine vtroque cernit, alterutrius è palpebris motus, alterius titubatio est, & æmulus ad intuendum conatus. Duo lumina sunt, vnus autem in duobus luminibus aspectus, de alterutrius defectu distortus, aut luscus; de vtriusque indiuiduo coniectu, ambo integrè vnus, & feliciter perspicax, de concordiâ duitatis. Qui non sic lumina ad videnda corrigit obiecta, aut limis videt oculis, aut de eorum diuortio distortè caligat. O pulchra morum venustas in communitate,

2.

Cant. 4. v. 1. Laur. Ceru. verbo, Oculi.

Optima plurium præfectura, oculorum aspectũ de vnitate æmulatur.

Cassiod. lib. 10. epist. 4.

te cui geminatus Præfectus oculorum adinstar ad gubernationem adsciscitur, *vt tanquam in duobus luminibus vnus esset aspectus.*

3. Lucæ 10. v.1 Lucæ 10. *Designauit Dominus, & alios septuaginta duos; & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum, quo erat ipse venturus.* Benè notat Beda, quod septuaginta duo mittuntur, quia totidem mundi gentibus Euangelium prædicandum erat, vt quomodo duodecim priùs propter duodecim tribus Israël, ita & hi propter exteras gentes destinarentur imbuendas. Sed cur *bini* mittuntur, & non singuli, vt ita tot nationes Euangelio subiugarent, & illis ad morum informationem præsiderent? Quid alteruter altero indigebat? Quid quod vni prouinciæ geminato Discipulorum numero, supererogatur, alij detrahitur? An non præstaret, vt septuaginta duo discipuli septuaginta duas nationes singulatim Euangelizando peragrarent; nec *bini*, sed singuli mitterentur? S Gregorius putat, *binos* mitti, quia charitas nisi inter duos haberi non potest: quasi fraterna prædicatorum charitas sit Euangelij suadendi vigor. S. Basilius censet, ideo *binos* mitti, ne singuli adspectu ad nationes conuertendas, sibi de virtute blandiantur, sed de socij comparatione humilitatem prædicatoribus necessariam, promptè fœnerent. Origenes verò ob concordiam Præsulibus congruentem mundo edocendam, *binos* mitti existimat. *Eduxit enim*, ait *Deus Israelem de Ægypto per manus Moysi, & Aaron, Iosue quoque, & Caleb concordantes; pacauerúntque prouocatum à duodecim exploratoribus populum: vnde dicitur: Frater à fratre adiutus, vt ciuitas vallata.* Nimirum *bini* mittuntur, sicut Moyses, & Aaron, Iosue, & Caleb, vt mundi Præsules inter se *concordantes*, feliciter præsint vniuersis, mutuo concordiæ iuuamine *Astra ipsa* (inquit Cassiodorus) *mutuo reguntur auxilio, & vicario labore participata mundum suis luminibus administrant. Ipsi quoque homines duplices manus, socias aures, oculos geminos Diuina tribuerunt, vt robustiùs perageretur officium, quod duorum futuras societate compleadum.* Itaque consultò mittuntur *bini*, qui in homine *geminatos oculos* imitentur, sic in visione *concordantes*, vt in duobus luminibus vnus sit aspectus. Luscus erit, qui secus videat. Surdus etiam, qui alterutra tantum aure sonos excipiat. Sicut, & mancus, qui vna etsi præualida manu duntaxat vtatur. Mittit ergo Christus Deus *binos* discipulos, qui nationibus præsideant, vt in præsidentia mutuò *concordantes*, sint tanquam *duplices manus, sociæ aures, oculi gemini.* Quod videre licet in vtroque Tobia moribus vno, quos Deus habitare fecit *vnius moris* in domo sua, ad moralissimam suæ gentis eruditionem. *Quam similis est iuuenis iste consobrino meo,* Tobiæ patri inquam.

Discipuli mittuntur bini, sicut duplices manus, sociæ aures, oculi gemini.

Orig. in Catena ibi.

Prou. 18. v. 19

Cassiod. lib. 10. var. epist. 3.

Psal. 67. v. 7.

Hic v. 2.

4. Exhodi 9. v. 8. Exhodi 9. post tot plagas, quæ cor adamantinum frangerent, adhuc proteruus Pharao Dei populum recusat dimittere. *Et dixit Dominus ad Moysen, & Aaron: Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cœlum coram Pharaone.* &c. Caietanus: *Iuxta Hebræum habetur: Tollite vobis plenos pugillos vestros sufflationis fornacis.* Sufflatio pugillo capitur? plena manu apprehenditur *sufflatio* ignita? Insufflationis ardore Moyses cauterem facit Ægypto? Bonus Præfectus Moyses, qui manu apprehendit ardorem plagæ, quâ subditos adurat. Verùm notatu dignissimum est, quod aduertit Augustinus præfata verba exponens: *Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cœlum. Dicitur vt Moyses fauillam spargat in cœlum: ambo iubentur sumere, sed Moyses spargere:* Quid necesse fuit vt Aaron simul cum Moyse sumat plenas manus cineris, seu fauillæ de fornace, si solus Moyses illum. Contra cœlum spargere debuit ad miraculi patrationem? Planè otiatur Aaronis industria, quandoquidem vnius Moysis solertia ad plagam exigitur. Quid est, quod vterque Præfectus miraculum inchoat, & alter duntaxat illud consummat? An Deus intendit, vt sit indiuidua vtriusque Præsidentis gloria, an vt indiuidua inter vtrumque consensio denotetur. Scilicet frustrà vterque plenas manus cineris de camino tolleret, si alteruter sufficeret. Item incassum alter tantam fauillam spargeret in cœlum, si vterque ad sparsionem faciendam expressè requireretur. Itaque ambo inchoant opus, vnus duntaxat illud expressè consummat, quo vtriusque in præsidendo consensus denotetur. Vterque incipit, alter perficit; nam quod perficit alteruter, vterque perfecisse putetur. Inchoëtur opus ab vtroque, ne alter censeatur operis exors: consummetur ab altero tantùm ne vlla in vtroque, aut alterutro dissonantia inueniri putetur; sed consonus inter ambos Superiores consensus; sicut *duplices manus, sociæ aures, oculi gemini.* *Ambo iubentur sumere, sed Moyses spargere,* nam vtroque annuente fit, quod alteruter in regimine præstat.

Caiet. ibi.

Cur Aaron cum Moyse inchoat miraculum, quod Moyses consummabat.

S. Aug q. 31. in exhod.

---

§. CCLXIX.

Qui aliud ore, & fronte gerit, aliud versat in corde, dissimili à se comparatione degenerat.

1. INter linguam, & cor magnum humanæ conuersationis geritur sacramentum. Sed inter prudentes huius sæculi, (vafertimè astutos potiùs dixeris) nihil tam longo interuallo distat; etsi munus linguæ sit fidele cordi ministerium, & interpretis vices propius præstare. Profectò aliud corde abscondere, aliud ore promere, ita hodie frequentatum est, vt, si mens ori respondeat, inter viros numerari vix, aut nec vix quidem merearis, nec alia certius via, pectori concredita scies, quàm si tacitus tecum cogites quid aduersetur verbis. Vbi proinde videris prolixè omnia spondentem, opulentisque verbis promissa ditantem, vltroque operam suam deferentem, alia omnia cogita, amicum ore refert, hostem circumferet animo, Amicos etiam amplexus dabit, & decrescet infrà genua. Fuge Iudæ, & Ioabi oscula factis animum metiri, non verbis: dissimilis est cordi frons; & cognatum mendacij deprehensi ruborem, etiam vrbanè frustratur. Porrò datam fidem fallere, mille licèt iuramentis firmatam, elegantiæ quoddam genus apud ipsos est. Si quis veris adsuetus, simplicioris est ingenij, & semel totus videtur, inter fatuos computatur, & ineruditos censetur ingenio, ô tempora! ô mores! Infortunata est candidior veritas; est & sua fortuna mendacio. Ecquis seriò censeat esse generosum in falsitatem, etsi nobiliter degenerare?

Quàm distet cor ab astutorum lingua.

2. Ioannis 2. nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater IESV ibi. Vocatus est autem, & IESVS

& discipuli eius ad nuptias. Neque enim ad dignitatem respiciebat suam, sed ab beneficium nostrum. Qui enim non dedignatus est formam serui accipere, neque dedignatus est ad nuptias venire seruorum. Ecce filius Virginis venit ad nuptias, qui cùm apud Patrem esset, nuptias instituit. Vini defectum pia Mater præsentit, & precibus necessitatem anteuertit, sed differtur in opportunum tempus. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex secundum purificationem Iudæorum, Dicit eis IESVS: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vsque ad summum. Et dicit eis IESVS: Haurite nunc, & ferte architriclino Et tulerunt.

Ioan. 2. v. 9 *Aqua in vinum cõuersa, nobili à se cõparatione degenerant.*

Vt autem gustauit architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat vnde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam: vocat sponsum, &c. Hinc iam prodeunt nobis Christi Dei prædicanda miracula, & latentem sub homine diuinitatem operum virtute demonstrant, physica aquæ in vinum mutatio, fidem erudiat, erudiat, & mores, sic enim hâc super re mysticè philosophatur Eusebius: *Aquæ*, inquit, *hydriæ implentur, & cum exterius in specie sua maneant, ea quæ interius sunt nobili à se comparatione degenerant.* Nempe statuuntur aquariæ hydriæ, aquis nuper opplentur, aquis exundant: sciunt hoc ministri, qui hauserant aquam, sciunt qui adstabant coram spectatores; & ipsa hydriarum figura aqualem præferens, aquam se continere spectantibus denunciabat, & aquæ elementum intrinsecus latens in extrinseca vasis specie legebatur. Ast cùm aqua in vinum demutatur, & ieiunium aquæ elementum, de miraculo inebriatur, & nobili transformatione vilis aqua transit in vinum generosum; tunc aqua *degenerare* dicitur. *Ea quæ interius sunt nobili à se comparatione degenerant.* Scilicet aquis hydriæ vsque ad summum exundantes, cùm *exterius* in specie sua maneant, aquam ad potum, & lauacrum large spondent: (quis non putet aqualem continere aquam, qua nuper adimpletus est?) verùm cum de miraculo aqua in aquariis hydriis contenta transeat in generosum vinum, tametsi vini nobilior substantia sit, opprobrium suum hydria sentit, & de nobili etiam mutatione *degenerare* dicitur: quia aliud *exterius* promittit, & aliud continet *interius*, etsi valdè nobilius, & generosius. Aquariæ hydriæ aquis coram impletæ, dum de miraculi virtute pretiosum continent vinum *degeneres* appellantur: Ecquis in melius *degenerare* dicitur? quando aliquis nobiliter *degenerat*? Bellissimè quidem hydriæ, quæ *exterius* aquam se continere præferunt, cùm etiam de miraculo *interius* nobili vino oppletæ sint, & sibi dissimiles, (quippè quæ aliud extrinsecus præferant, & promittant, aliud medullitùs contineant) *nobili à se comparatione degenerant.* In viscerum secreto nobiliorem iam substantiam continent, sed quoniam ab exteriori fronte discorpant, *degeneres* moralissimè nuncupantur.

Euseb. hom. 2. de Epiph.

3. Actor. 6. v. 15 *S. Stephani elogium.*

Actorum 6. cùm Sanct. Stephanus plenus foret gratia, & sapientia, & doctrinæ, ac miraculorum fœcundus, Christi fidem mirificè propagaret, acri inuidentiæ œstro vesani agitantur Iudæi, & Sanctum Leuitam atrociter raptant, & in Scribarum Concilio malitiosè sistunt. Audit placidè Stephanus falsata testium aduersus se suffragia, accusatorum rabiem, & iudicum inuidiam pacatus sustinet, dum cædem illi moliuntur atrocem. *Et intuentes eum omnes, qui sedebant in Concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* Aduerte concepta semel iniquitas inquantum captiuos possideat sensus: impietatis suæ fœditatem in Stephani decore Iudæi conspiciunt, & tamen peragere triumphum eius in sua immanitate non desinunt. Aspectu Angeli facies impiorum cæduntur, & lapidantium conscientiæ, lapidari lumine repercussæ, agnitionis suæ facculis lapidantur. Hoc genere vitare non possunt etiam oculorum fidem, importunissimum criminis sui testem. Videmus itaque humanam Iudæorum mentem tanta præditam esse ratione, vt nullus sit etiam in medio facinoris tempore, cui in Stephani vultu suum facinus legere non liceat, Solis radiis descriptum. *Viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* Sed adhuc commentatorum animos vellicat, quod impiis Iudæis nimis gratiæ indultum videtur, cùm empyrea Angeli facies in vultu Stephani illis ostendatur. Quando Iudæi magis probantur cœlesti visione indigni, tunc Angelicus in Stephano vultus illis ostenditur? Imò tunc Stephanus (quod Sanctorum plures meritò præstitere) toruo vultu sceleris atrocitatem exprobrare, & omnipotentis vindictæ minas fulminare debuisset: quare ergo Angelico vultu impios tunc recreat, cum minaci aspectu terrere debuisset? Alias rationes reddant alij, Emissenus vero sic eloquenter tempestiuus respondet: *Viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli. Abundantia cordis transit in decus corporis, in exterioris gloria candor interioris exundat, & abscondita pectoris ornamenta, speculum frontis irradiant.* Nimirùm in eo rerum articulo, in quo magnanimus quisque, aut conterri, aut consternari, aut saltem excandescere debuisse, naturæ subsultibus; tunc Stephanus corde erat tranquillo, & placido: tali ergo eum vultu indigni accusatores exteriùs aspiciunt, quali erat mente interius animatus. Qui Angeli tunc animum in corde gestat, appropinquantis gloriæ candore conspicuum, os prę se gestet Angelicum, ne frons exterior interiorem faciem adulteret, & vultus deneger, quod in corde medullitus geritur. Indigni planè erant vesani Iudæi, in quo cœlestis splendor de Stephani reuerberat facie: sed facies Stephani mentiri nescia, non aliud in exteriori gerit facie, aliud in corde gestat. Placido tunc corde, & lumine charitatis candente, inter sæuientes hostes versabatur Stephanus: ergo in *frontis speculo* candor animi irradiet, & qui in animo tunc Angelum refert, Angelicum vultum ore gestet, ne vnquam facies à corde degeneret. Hinc *viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli. Abundantia cordis transit in decus corporis: in exterioris gloria candor interioris exundat, & abscondita pectoris ornamenta, speculum frontis irradiant.* Simile quiddam hîc videre licet in iuniori Tobia.

Quod in corde geritur, in frontis speculo irradiat. Em. ss. hom. de S. Steph.

Hic vers. 1.

4. Lucæ 20. v. 20. S. Chrys. ser. 31. *Quàm astutè in Christum Iudæi desæuiunt.*

Lucæ 20. Principes Sacerdotum, & Scribæ populi, *Obseruantes miserunt insidiatores, qui se Iustos simularent, vt caperent IESVM in sermone.* Vide hîc prælustre semen Abrahæ, de vaferrimæ fraudis ignominia, quàm ignobili à se comparatione degeneret. Quod ad præfatam Lucæ sententiam his verbis eleganter Chrysologus adnotauit: *Verè, sicut scriptum est, Progenies viperarum summittebant capita, adulabantur lingua, vulnera dabant dolis, blasphemiis venena fundebant, & quasi non sufficeret ad odium contemptus, despectus ad iniuriam, sic Christum prosequebantur insidiis, tentabant dolis, interrogatione pulsabant, appetebant contumeliis, & tota cupidi simulatione*

tione vallabant, obiiciebant curandos in sabbato, vt si non curasset, fieret de impossibilitate contemptus; de lege maneret calumnia, si curasset, Speculum cordis in ore Stephani irradiat; in Pharisæorum ore, malitiæ specula ex insidiis latet. Aquæ hydriæ in vinum conuersæ, nobili à se comparatione degenerant: Abrahæ posteri, ex hominibus viperas facti, à tanta generositate, ignobili vafrámento desciscunt. Inter cor, & linguam totum Christianæ œconomiæ peragitur sacramentum.

---

§. CCLXX

Vel temporaria parentum insania, filiorum cerebrum tentare putatur.

1. Plutar. lib. de liber. educand. *Ebrius pater ebrium filiũ generat.* CVm Diogenes quendam ex tumulantia alienata mentis adolescentulum desipere cerneret: *Adolescentule, inquit, ebrius te seminauit pater.* Ergo si quis illustrium esse natorum pater optat, id ei proponendum maximè est, vt ne vitiis vilibus, aut abiectis se se deuinciat, quæ filij, velut næuos exprimant. Porrò sic à parentibus non degener soboles, ab illustrium moribus planè degenerat. O! non tantùm naturæ dotes, sed & morum vitia, filij à parentibus indole arripiunt, hauriunt, exprimunt: Pius pium, sobrius sobrium; ebrius ebrium, amens amentem generat: Parentum mores erunt velut filiorum character, qui manante generatione in liberos quodammodò transfunditur: Vel prototypi næuum perfectior, imago referat, necesse est. Sic parentes filiorum mores excudunt. Sic Tobias senior alterum se Tobiam genuit: quod nulla huius libri pagina non denarrat.

Hic v. 2.

2. Iobi 2. sanctum virum, patientiæ metam, & virtutis typum, etsi charâ sobole atrociter orbatum, & opulento viduatum censu, adhuc Satanas ad sæuiora cruciamenta expetit, sic Deum alloquens: Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua: alioqui mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem; & tunc videbis quòd in faciem benedicat tibi: *Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce in manu tua est, veruntamen animam illius serua.* Verba specie tenus simplicia, sed si penitiùs inspiciantur, ethicæ eruditionis profundè grauida Quid est, animam illius serua? Malus, ne Dæmon sancti Iob animam seruet? Egregius planè Iobi custos. S. Chrysostomus sic locum commentatur: *Vide, inquit, quemadmodum non dicit solùm, animam eius ne tangas; sed illud duntaxat: Animam eius serua. Scilicet magnum illi metum iniicit. Animæ, inquit, eius incolumitatem à te reposcam. Obserua igitur, ne quid in vita ratione patiatur.* Litteralissimè quidem, etsi plures dissentiant. Aliter Olympiodorus super his verbis philosophatur, aiens: *Rursus simulacrum hoc aureum Diaboli igne probat Deus, sed moderatione tamen adhibitâ... Illudque, animam illius serua, pro illo est, Diuinam imaginem ne attenta*, &c. Benè quidem, & optimè. Ast ne te prætereat, quòd *Diaboli igne*, dicitur Iobus probari. Puto, gehennali igne Dæmon exuritur. Quæ ergo ex Iobi plagis de gehenna accenditur? an singulatim aliqua? an iunctim omnes? Sat esto, intendisse digitum. Pergo ad rem cum ipso Olympiodoro, qui sic fatur

Iob. 2. v. 6.

Diaboli igne probauit Deus Iobum.

Chrys. apud Olymp.

Olymp. in Catena.

Non dementatur Iobus, propter donandam sibi à Deo sobolem.

Olimp. sup.

Didac. de Celada in Tobiam.

ad præfata verba: *Animam illius serua. Certè, inquit, corporis illi facit potestatem; de eo tamen minimè assentitur, ut cum corpore animam subducat;* (id est, dementet, quæ est ipsius, & Græcorum interpretum commentatio) *maximè quòd ex procreatione, ac fœtu, duplicata erant illi bona restituenda, & quæ perierant, reuocanda.* Scilicet sollicitè præcauet Deus, ne Iobus diris calamitatibus orbatus, & *Diaboli igne* tactus, mente obscuratâ, & debilitatâ rationis vi, in amentiam *subducatur*: non quia illi non foret aliquod commodum, per mentis alienationem dolores frustrate, & Diaboli cruciamenta sic eludere: sed quia calamitate transactâ, nobiles ex eo filij procreandi erant, & generosa prosapia in æuũ numerosè propaganda. Squaleat Iobus in sterquilinio prostratus; ad summam egestatem redactus, testâ vlcerum saniem radat; cuncta Diaboli tormenta acerbè patiatur: attamen rationis alienatione nec ad breue tempus dementiam subeat; ne futura feliciter soboles, patris infeliciter referat næuum, & tentatæ mentis probrum exprimat: aut saltem insani aliquando parentis filij dicantur, non bono mentis elogio, & prudentiæ opinione. Sic vel temporariâ patris dementia, insanire putantur filij: sic paterno mentis stupore, soboles obbrutescit: Ne vel vna die Iobus insaniat, ne eius filij aliquando insaniæ notentur. Ebrio adolescenti Diogenes dixit: *Adolescentule, ebrius te seminauit pater.* Nemo ergo ex Iobi filiis adsimile probrum vnquam audiat: *Adolescentule, aliquando demens te seminauit pater.* Ergo consultissimè Deus, cùm Satanæ in Iobi corpus facultatem concedit, nihil erga mentis alienationem permittit, *quòd ex procreatione, ac fœtu duplicata erant illi bona restituenda.*

Consule Sanctium ibi.

3. Prouerbiorum 30. sic de se loquitur Salomon *Verba congregantis filij Vomentis. Visio quam locutus est vir cum quo est Deus..... Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum.* Locus in paucis impeditus, & in quo Hebræi ferè omnes vulgatam lectionem carpunt, quòd propria quorundam virorum nomina dissoluerit, & in nomina, aut dictiones appellatiuas conciderit. Non cursim componam hoc litigium, sed duntaxat expendam, cur Salomon mortalium sapientissimus, quantumuis se dicat Numine afflatum, se appellat *stultissimum virorum* Ecquis id de Salomone credat, cuius vel nomen omnigenam sapientiam altè buccinat? Et quæ est causa, vt hîc Salomon insipientem se nominet? Scrutemur priorem sententiam, si fortè ex illius intelligentia, aliqua lux posteriori accendatur. *Verba*, inquit Salomon, *congregantis*, id est, eius qui plurimam in semetipso sapientiam, & prudentiam, tum ex Dei infusione tum etiam vsu, atque periculo rerum congregauit. Rursus nonnulli ex Hebræa origine exscribunt: *Verba peregrinantis.* Quasi hæc exquisita sapientia in Salomone velut inquilina habitet, in eoque planè peregrinetur. Sed ad rem obserua quod protinùs subdit: *Filij vomentis.* Quid est quòd Salomon se nominat, *Vomentis filium*? Ecquis est hic *Vomens* Salomonis pater? & quis est hic *vomitus*, qui arctam cognationem Salomoni conciliat? Hugo Carensis aliàs à nobis aliorsum expensus, sic ad rem præsentem dilucidè fatur: *Filius vomentis, id est, Bersabée, & alludit ad interpretationem: interpretatur enim Bersabée, Puteus satietatis. Vbi autem satietas, ibi vomitus. Vel meliùs: Filius*

Prouer. 30. v. 1. & 2.

Salomon se se vindicat ab insaniâ, quia eius pater vel simulatè aliquandò insaniuit.

Nonnulli apud Salazar ibi.

Hugo Car. ad eum locum.

vomentis, id est, Dauidis, qui vomitu saliua sua si-
1.Reg.21.v.13.& 14. *simulauit insaniam coram Achis rege Geth.* Tempestiuè quidem Hugo. Nimirùm cùm Salomon diuinam, & humanam sapientiam in se congregatam ostentat, vulgari probro respondere præcurrit, de insania patris per fatuam saluationem simulata, coram Achis Gethorum rege. Quasi dicat: Nemo putet, sapientiam, & prudentiam diu à me studiosissimè congregatam, (quâ mortalium sapientissimus audio) in me *peregrinari*, extrinsecùs assutam esse, & temporariam fore, atque dementiæ affinem. Non eo inficias, sed planè fateor, quòd *filius Vomentis* sum: nam pater meus Dauid, saliuâ in barbam profluâ, insanire visus fuit, sed simulatâ consultissimè insaniâ, non verâ mentis alienatione. Malitiosè suspicax maledicentia erit, siquis seriò putet, quia pater meus aliquando sapientissimè desipuit, filio *peregrinari* sapientiam, esséque *stultitia* proximam. Vel simulata patris insipientia exprimi timetur in filio: Nec opinatissima Salomonis sapientia tuta est à vituperonum suspicionibus, ob patris amentiam sapientissimè ad breue tempus simulatam. Hæc Salomonis superuacanea sibi apologia, necessaria est ad eruditionem parentum, qui plerumque de se mores filiorum excudunt. Hinc pronum est præstructam doctrinam ad parentum eruditionem pleno alueo deriuare. Non ego plenam concionem extruo, sed moralem commentationem, cui sat est moralitates delibare.

4. Cassiod. lib. 2. epist. 11. Eloquenter Theodoricus Rex apud Cassiodorum hac super re scribit: *Omne facinus auctores solos insequitur. Error matris transit in filios, & nouo infelicitatis euentu fit dedecus proprium scelus alienum.* Qui tibi propudium non times, saltem immeritæ tibi posteritati, ne nouo infelicitatis genere, in ea fiat dedecus proprium scelus alienum: & quæ commercium nesciuit, sciat solutionem. Pergit epist. 15. *Prouidentia nostra ratio est, in tenera ætate merita futura tractare, & ex parentum virtutibus probis indicare successus.*

5. Exodi 2. vagientem Hebræorum infantem, in fiscella scirpeâ viuis exequiis tumulatum, filia Pharaonis è flumine extrahit, perbellum infantulum miserata; quem ab aquis Moysen appellauit, non bono sibi augurio. Adest tempestiua infantis sororcula vltrò nutricem offerens; cui dixit
Exod 2. v 9. filia Pharaonis: *Accipe puerum istum, & nutri mihi: ego dabo tibi mercedem tuam.* Qui præmium offert, negat amantem. Charitatis prærogatiua nescit munerum commercia. Conceptum remunerationis votum, aborsus amoris est: nam opulenta amoris merces, est ignorare mercedem. Sed mercenaria Moysis mater dissimulat amantem, & puerulum filiæ Pharaonis nutrit: *Nouum miraculum* (exclamat Augustinus) *genus facit misericordia filia parricida.* (videaut è an sincera misericordia sit, an admixta parricidali contagio, quod de patris moribus arripuit) *Nam dum paruulum seruat ignara, patrem decipit incauta. Dignum malitia eius sceleris erat, vt filia prouisione periret, qui genitrices interdixerat parturire.* Ecce tibi filia Pharaonis, vt regni malitiæ quoque paternæ hæres quæ etiam dum aliquam misericordiam facit, inhumanos genitoris mores non desuescit. Nam tunc, tunc etiam, dum pia videtur in alios, incauta sæuit in suos, & cùm seruat extraneos, suum patrem cæde præcoquâ perimit. Non tracto nunc, an idem Pharao fuerit, qui flumine præfocabat infantes, & qui in mari naufragium fecit: sed Augustini acumen ad mores laxiùs enucleamus.

Pharaonis filia dum paruulum seruat ignara, patrem perimit incauta.

August in qq. super Exod.

§. CCLXXI.

Res munda, mortalis visus contagionem refugiat, ne humanus oculus eius toxicet puritatem.

PVdor magisterium probitatis est, schola virtutum, vitiorum lupatus, passionum cauea, gratiæ nitor, color puritatis, dignitas generis, index pudicitiæ, custos honestatis, & præclustre humanitatis decus. Quod Deus vult, quod lex præcipit, quod religio docet quod pietas suadet; verecundia pudore consignat, & virtutis penicillo colorat. Et tamen S. Ambrosius ait in locis publicis *intutam esse verecundiam*; fortè de oculorum fascino. O quàm est tenera virtutis perfectæ valetudo, cui de causâ erubescendi, suspectus etiam est rubor, & *intuta esse verecundia* putatur! O quàm sunt noxij obuij spectatorum oculi, qui rem sæpè videndo adulterant, deprauant, toxicant, & de solo aspectu insuspicabilem læsuram faciunt! O præstigiatores rerum sensus! ô inuerecunda oculorum adulteria! 1. *Intuta est verecundia de erubescendi causa.* Ambr. lib. 3. de Virg.

In totâ hâc Tobiæ historiâ creberrimus est angeli Raphaëlis occursus, qui Saræ & Tobiæ auxilio venerat. Ille de cælo lapsus, ille diuinitùs missus gloriabatur, quod sanctissimis hominibus militaret. *Iuuenis splendidi* figuram Angelus assumit, & oculis humanis sese obuius præbet: sed humanorum sensuum læsuram non deuitat: nam quasi mercenarius operator dudùm conductus, nunc quasi exul. & captiuus tractatur: quousque tandem negotio feliciter peracto, à terris in cælum redux, ab oculis mortalium feliciter euanuit. Nazarius in Panegyrico, agens de Angelis, qui postquam opportunam Constantino magno tulere opem sub humanâ specie, auxilio prosperè exhibito subitò humanis oculis disparuerunt, ita scribit: *Et quamuis cælestia sub oculis hominum venire non soleant, quòd crassam & caligantem aciem simplex & inconcreta substantia naturæ tenuis eludat: illi tamen auxiliatores tui aspici audirique patientes, vbi meritum suum testificati sunt, mortalis visus contagium refugerunt.* Nota auxiliatores Angelos *aspici, audirique patientes*; & postquam tulere opem, *mortalis visus contagium refugisse.* Mortalis hominum visus *contagium* videndo affricat: O quàm multa in compendium hoc vno verbo Nazarius redegit! Contagionem ab humano visu natura Angelica *pati* reapse non potest, à quâ peste tuta etiam est in inuisibilitatis asylo. At licet incapax sit *patiendi* humanos oculos, tamen quia in assumpto apparenter corpore, humano aspectui specie tenus obuersatur; dum tandem aliquando disparet, *mortalis visus contagium refugisse*, dicitur, & velut oculorum fascinum. 2. Hic vers. 3. *Angelus mortalis visus contagiũ refugit.* Nazarius in Panegyr.

Genesis 1. *In principio creauit Deus cælum & terram.* Alij exscribunt, *in Verbo*: quo denotari etiam videtur, mundum sensibilem cum suo ornatu, & cultu, & lucis præsertim dote; ab insensibili mundo, quæ est diuina rerum idea, ortum habuisse. Discrimen autem rerum in æternâ Dei 3. Gen. 1 v. 1.
ideâ

Philo in lib. de Mundi Opif paulo post initium. Idea,& in temporaria sui existẽtia, apprimè edisserit Hebræus Philo,ita in lib. de Mundi opificio hac de re scribens:Cæterum,inquit,inuisibile illud,& intelligibile diuinum Verbum, imaginem dicit Dei, & huius imaginem lucem illam, &c. *Quam non temerè appellare possumus vniuersalem lucem, à qua Sol, Luna, cæteraque stella hauriunt singula pro viribus conuenientes sibi splendores sincera illius,& pura lucis*, (pensiculatè nota quæ subtexit verba, ad rem præsentem in paucis tempestiua) *qua obscuratur quam primum vergit ab intelligibili ad sensibilem. Sincerum enim nihil sensu percipitur.* Nempe res, quæ menti obuersatur,adhuc pura,sincera,& limpida est, elogiique sui nitorem seruat: at illa ipsa nuper defœcata,& splendida,*obscuratur quam primum vergit ab intelligibili ad sensibilem:sincerum enim nihil sensu percipitur.* O!sic res ipsas humanus sensus infuscat,obscurat,denigrat: Sic crassus hominis sensus percipiendus rebus sordes allinit,& suæ caliginis squalorem affricat: *Sincerum nihil sensu percipitur.* O meretrices animalitatis potentias, quæ tot rerum adulteria,aut admittere,aut facere non cessant!

Res obscuratur, vbi primum ab intelligibili ad sensibilẽ transit.

4\. Tert. de Veland. Virgin. c. 3. Tertullianus agens de Virginum facie tectiùs velanda, ob petulantiam ostentatiuæ virginitatis in cuius decorem periculosè impingant spectatorum oculi luctuoso pudicitiæ naufragio; ita scribit sublimiori cothurno: *Propter huiusmodi igitur capita nundinantia* (sic vocat virgines detectas) *trahuntur virgines sanctæ in Ecclesiam, erubescentes quod cognoscantur in medio, pauentes quod detegantur accersita quasi ad stuprum. Non minus enim,& hoc pati voluit. Omnis publicatio virginis bona, stupri passio est. Et tamen vim carnis pati minus est; quia de officio naturæ venit, sed cum spiritus ipse violatur in virgine sublato velamine, didicit amittere quod tuebatur...... Denudasti puellam à capite, & tota iam virgo sibi non est: alia est facta.* Quasi virgo riualium oculos aperta facie admittens, libidine velitetur, & stuprum patiatur, ac si pudicitiæ dicatum corpus prostituat,& ostentatiua venustate scortetur:eiusdem sæpè libidinis est, videre, & videri. Argutè S.Cyprianus, Tertulliani hærens vestigiis: *Dum liberius euagari virgines volunt, esse virgines desierunt, furtiuo dedecore corruptæ.* Furtiuo dicit stupro corrumpi,quæ faciem publicat, & spectatorum oculos liberius admittit. Sic alterius sexus obuia nictatio,& aspectus admissus, furax pudicitiæ est?Sic publicatio pulchritudinis illam prostituit? O *furtiuum* dedecus publicitate patratum! Putauerim tamen, quod qui vltrò spectatorum admittit oculos,non *furtiuum* patiatur stuprum, cui sponte faciei prostitutione consentit. Vidistin oculorum contagium, & sensuum adulteria?

Virgo,qua alterius sexus oculos lasciuè admittit, furtiuo stupro corrupta dicitur.

Cypr. de habitu Virgin.

5\. Geneseos 2.cum Adam alterius generis haberet ad nutum seruitia, à congeneri natura solatium in vniuerso non videbat. Iterùm igitur velut deliberatio Dei, vt quod formabatur in honore esset,æqualem gloria cum eo coniungit, ne sit honore defectior mulier, néve genere notho posteritatem dedecoret. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam,in mulierem.* Cur igitur, inquis,post Adamum Eua, & non cum Adamo efformatur? cur non æquæuum vtriusque opificium? At in aliis omnibus suffecit vox vna ad naturas repræsentandas, & ad sexum dimetiendum,quando simul conformabantur masculus,& fœmina:Adam vero solus fœmina destitutus est. Et formandi rationem,non facile in opere descriptam inuenias. Cur soporem in Adamum immittit, vt ex eius costa mulier efformetur? Abalienari à sensu, & mente Adamus debuit, vt nuptias pateretur:Nisi altè sopitus, & profundè stertens, vxorium non subiisset iugum:Saltem dum formatur vxor mox futura, vir dormit, vt semisopitus, & oscitans contrahat nuptias; quas forsan si plenè vigilasset, prudens respuisset. O magnum huius somni sacramentum!Allegoricum eius sensum tradit Apostolus;moralem verò Chrysologus his verbis pãdit:*Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam, cumque obdormisset*, &c. (sic verò ille) *Soporatus est Adam, vt de viro virgo sumeretur.* O quàm multa breui! Nempè dum mulier efformatur, sopitur Adami sensus, & oculi somno caligant, vt cœcus sit ad illius visionem,quæ prorsùs virgo debuit efformari.*Sopitus est Adam, vt è viro virgo sumeretur*, ac si vigilans Adamus, & mulieris ante nuptias formationem oculis spectasset, ab oculorum congressu ,non prorsùs virgo mulier formaretur;Nam denudata puella, planè publicatur, *tota iam virgo sibi non est,alia est facta.* Ergò dum mulier fingitur, altè dormit Adam, & oculorum suspenditur incursus, ne denudata oculis prostitueretur. Itaque moralissimè dum Eua formatur, sopitus est Adam, *vt è viro virgo sumeretur.* O periculosos nunc sensuum congressus! O sæpè salacem oculorum velitationem, quæ dum pudorem fascinat, pudicitiam publicat. Quod in felici innocentiæ statu tutum Protoparentibus foret, eorum posteris intutum est, de oculorum stupro.

Gen. 2. v. 21 & 22.

Soporatus est Adam,vt è viro virgo sumeretur.

Chrysol. s.

6\. Lucæ 12. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, *& vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptiis.* Quia semper nuptiis amicæ sunt faces: præclaro luminum testimonio nuptiarum cum Christo castitas celebratur. Sicut enim fugit lucem illicita qui præsumit, sic multiplici coruscat in lumine licita qui requirit. Sed quorsum tot lumina accenduntur in nuptiis, in quibus sponsa maritale velum assumens, sponso obnubitur, solemni desponsationis notaculo; Sanct Chrysologus exponens præfata Lucæ verba, ita scribit: Ex quo inquit,ad desponsandam suam Ecclesiam Christus aduenit, thalamus ornatur sponsæ: *Et ornatur auro fidei, argento sapientiæ, virtutum gemmis, sanctitatis velis, verecundiæ rosis, liliis castitatis, pudoris violis: & ad alta cœli pudicitiæ templum, fastigium virginitatis attollit.* Pudicitiæ templum Deo Sacrum,& numine plenum, agnoscit Chrysologus quasi res sacratissima sit pudicitia. Sed quam *aurum fidei*, Deo, aut marito debitæ, verecundiæ rosæ, pudoris violæ ad venustatem pulchrè comunt; & *sanctitatis velum* sumptuosius adornat. Reliqui ornatus specialem tribuunt sponsæ venustatem; at *velum*, quod sponsæ oculos prohibeat, & arceat spectatorum oculos, *sanctitatis velum* nuncupatur. Nimirum velamen, quod oculorum scortationem vetat, & nundinantem pulchritudinem abscondit; totam pudicitiam oppignerans, sanctitatem integrat. Ergo anima, quæ sponsæ nomine, Christi nuptias exambit, quo ad alta cœli, pudicitiæ templum attollat fa-

Luc. 12. v. 36

Chrys. ser. 22.

Velum, quo facies absconditur, dicitur sanctitatis summa.

ſtigium, ornetur verecundiæ roſis, pudoris violis, virtutum gemmis, argento ſapientiæ, fidei auro, & (vt vno verbo ornamentorum omnium ſumma tradatur) *ſanctitatis velo*, quaſi velum, quo facies pulchritudinem tegit, ſit virtutum compendium, & ſanctitatum omnium diſſimulata perfectio; quæ dum ſpectatorum oculos abigit, ſanctitatem feliciter ingerit, & dum innatam venuſtatem abſcondit, peregrinam ſanctimoniam publicat. Profectò res munda, mortalis viſus contagionem refugit, ne humanus oculus, eius toxicet puritatem.

7. Matth. 25. v. 1. *Virgo abſconditur in denſis tenebris caſtitatis.* Matthæi 25. *Simile eſt regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas exierunt obuiam ſponſo, & ſponſæ.* Quis non miretur, pudicitiam quæ de receſſu viget, quæ abſconſione floret, quæ rarò humanos oculos innoxiè patitur; facibus prælucere in manu accenſis, & obuiam ſponſo, & ſponſæ foras exire. Hac ſuper re ſic acutè Clemens Alexandrinus philoſophatur: *Hac ratione ſunt etiam prudentium Virginum lampades, quæ nocte ſunt accenſæ in denſis tenebris caſtitatis.* Scilicet alto ſtylo, *in denſis tenebris caſtitatis*: non quod caſtitas tenebroſa ſit: nam lampades manu geſtat, & *pulchra eſt caſta generatio cum claritate*, ſed quia in ſeceſſu abſconſa, quaſi lucis refuga, tenebras amat, ne in hominum oculos incurrat incauta, & dum pulchritudinem aſpectibus offert, obuiæ ſpectatorum luxuriæ faciem proſtituat. Exinde *in denſis tenebris caſtitatis* virgines lampadibus prænitent. (Clem. Alex. 5. Strom. c. 2.)

§. CCLXXII.

Praua noſtra de aliis æſtimatio, ſic manet in nobis, vt ad alios impreſsè tranſeat.

1. Familiare eſt hominibus, qui dedecore, calumnia, alióve dehoneſtamento affliguntur; inuidiam rerum, quibus vexantur, non ad cauſam, ſed ad voluntatem perſonaſque dirigere, & aliis inuidiam facere, vt immeritò ſe dehoneſtari cauſentur, quaſi non tam merito ſuo laborent, quàm aliena opinione, quæ non pro rei dignitate, ſed pro opinandi libidine, demerita rebus excudit. Sed heu quoties noſtra inuidia, aut maleuolentia, aut ignorantia, errante penicillo res alienas adulterato colore depingit, & noſtræ affectionis malitiam rebus ipſis peruersè affricat! Bonus erit, quem eſſe bonum malè exiſtimas? Malus erit, quem eſſe malum, non bene cenſes? O! alienis affectibus æſtimamur, & mentita aliorum opinio noſter cenſus eſt. O dubiè hæſitās, aut liberè exerrans noſtra dubietas, aut opinatio, dum ſcortatur opinandi libidine, virginem aliorum famam conſtuprabit? O quoties non re noſtra, ſed aliena opinione laboramus, & alieni erroris inſignibus denotamur, & rerum inuidiam, non in cauſam, ſed in aliorum opinionem errore deluſam, meritò dirigimus! Mentis tuæ errore alius errat; & ſuo vitio alter inuitiatur; dum aliena ignorantia, in aliis vitia inſculpit, & errante charactere imprimit. Sæpè qui culpa vacat, tuæ duntaxat ignorationis reus eſt, de tuo cenſu, vulgò cenſetur. (*Sæpe de alienis erroribus æſtimamur.*)

2. Exhodi 16. in deſerto Sinaï Hebræus populus annonæ penuria languidè fameſcit. Dixit autem Dominus ad Moſem: Ecce, ego pluam vobis panes de cœlo. Factum eſt ergo mane, & ros iacuit per circuitum caſtrorum. Cumque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudinè minutum, & quaſi pilo tuſum in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram. *Quod cum vidiſſent filij Iſrael dixerunt adinuicem: Manhu? quod ſignificat: Quid eſt hoc? ignorabant enim quid eſſet, Quibus ait Moyſes: Iſte eſt panis, quem Dominus dedit vobis ad veſcendum.* Exhod. 16. v. 15. Etſi aliquid apud Caietanum, Hebræas voces מן הוא *Manhu*, interpretentur, *Donum*, alij *Præparationem*: Scriptura tamen eiuſmodi interpretamentis refragatur, & ab ignoratione factum nomen palàm ediſſerit, inquiens: *Quod cùm vidiſſent filij Iſrael, dixerunt ad inuicem: Manhu? quod ſignificat: Quid eſt hoc?* Vnde cœleſtis hic cibus. *Manna* ab omnibus vniuerſatim nuncupatur. Audiendus ergo eſt Theodoretus, qui perornata expenſione hanc nominis ſignificantiam his verbis ditat: *Cur, inquit, Manna vocatum eſt? Quia cùm mox illud conſpexiſſent, ſe mutuo interrogabant, quid eſſet. Itaque hanc ei appellationem indiderunt: ſic enim Manna interpretatur. Neſciebant enim quid eſſet. Itaque factum eſt, vt interrogatio vicem nominis haberit.* Scilicet hoc prælustre donum eſt, & eſculentæ ſuauitatis compendium, & quod Deus illud promittens, *Cæli panem* indigitat, & à Moyſe, *Panis quem dedit Dominus*, ſumptuoſiùs nuncupatur (nullumque eſt grande eſculentorum elogium, quod in illud non quadret) & tamen communis ſpectatorum ignorantia, quam interrogando quid eſſet, planè fatentur, nomen illi impoſuit, ac ſi dubitatio ſpectatorum, nomen Mannæ affluerit, & vocabulum expreſſerit, & quaſi in rem ipſam transfuſa, rei character exiſtat. *Neſciebant enim quid eſſet. Itaque factum eſt, vt interrogatio vicem nominis haberit, quia cum mox illud conſpexiſſent, ſe mutuo interrogabant, quid eſſet.* Suæ ignorationis vitium, in rem ipſam transferunt: In tuæ dubitationis officina, rei nomen cuditur, ignorantiæ elogio: Vultis noſſe, quid ſit hic cœleſtis cibus? eſt, *Manna*, ideſt, ignoratio eorum, qui illud propiùs viderunt. *Que quiere deçir Manna? la ignorancia de los que le vieron.* O! tua ignoratio, vile rei optimæ nomen dabit: Tua inſcitia, typus erit, quo rei imprimatur character: Tua ignorantia, alterius cenſus erit: Sic noſtra æſtimatio in res ipſas transfunditur, vt illis nomen faciat, & æſtimationis menſuram. O vtinam hinc diſceremus, noſtræ æſtimationis, & iudicij audaciam caſtigare, ne temerè de aliis cenſeant: ſic enim tua in te manet, de aliis concepta opinio, vt ad eos tranſiens, illis ſtigmata inurat. *Sicut enim ex vſu prolatiuum hominis verbum, ita à loquente ad audientem transfertur, vt nihilominus in eo de quo progreditur corde teneatur, ſicut ſermo quem loqueris, & à te exit, & tecum eſt, nouo, & ſtupendo genere, & tranſit, & remanet, transfunditur, nec elabitur, & quo dirigitur peruenit, & vnde emittitur non recedit.* Ita, & non bonum tuum de aliis iudicium, à te non exit, & ad alios prodit; tibi aſſiſtit, & ad alios proceſſit: in te manet, & nomen aliis facit, quaſi foret aliorum proprietas, & morum elogium. *Manhu? quod ſignificat: Quid eſt hoc? Ignorabant enim quid eſſet. Itaque factum eſt, vt interrogatio vicem nominis haberit.*

(Caiet. ibid. — *Manna ſpectatorum ignorantiam in nomine profert.* — Theodor. q. 30 in Exhod. — Emiſſenus de Natiuit. Domini homil. 1.)

Geneſeos

Geneſeos 30. Rachel venuſtate & coniugio princeps Iacobi vxor, cernens quod infœcunda eſſet, inuidit ſorori ſuæ Liæ, quæ quatnor nihilominùs filios iam pepererat; & ait marito ſuo: Da mihi liberos, alioquin moriar. Petitionis audaciam venuſtatis elatione ſuffultam, refutat Iacobus. At illa: Habeo, inquit, famulam Balam: ingredere ad illam, vt pariat ſuper genua mea:& habeam ex illa filios. Deditque illi Balam in coniugium, quæ ingreſſo ad ſe viro, concepit & peperit filium; & appellauit nomen eius, Dan. Rurſúmque Bala concipiens, peperit alterum, *Pro quo ait Rachel: Comparauit me Deus cum ſorore mea, & inualui: vocauitque eum Nephthali.* Nempè Rachel præ habendæ prolis impatientia, ne æmulam ſororem, quatuor filiorum iam matrem, ſibi die fœcunditatis elogio præferri videret; oblita vxorem, æmulam ſe eſſe meminit, & Balam ancillam ſuam nuptiali thalamo cum marito coniungit. Cúmque ei Bala ſecundum filium peperiſſet, fœcundæ ſorori inſultans, ait: *Comparauit me Deus cum ſorore mea, & inualui.* Quæ Rachelis verba, ſic exſcribit Hieronymus: *Habitare fecit me Deus habitatione cum ſorore mea, & inualui*, quaſi habitare hactenùs, non poſſet cum ea, quæ in aliqua re ſibi præferri videbat. Sic eſt toleratu difficile, cum his qui nos valde excellūt, ſimul habitare! Magnum Racheli foret, æqualem cenſeri ſorori Liæ, & faſtuose id detrectat. *Cui cadit fragilitas humana, quæ de ſe ſuperbe confiſa ſocios deſpicit, non vult habere collegam.* Mitto hæc ad alia themata, & venio ad alios qui apud Lipomanum, ita locum hunc ad rem præſentem explicatiùs, & opportuniùs tranſtulerunt: *Coniunctione Dei adiuncta ſum cum ſorore mea, imò excellui eam, vocauitque eum Nephthali*, mirifſimus planè eſt hic æmulationis error. Nempe Lia quatuor iam omninò filios pepererat, futuros duodecim tribuum proceres; Rachel autem adhuc improles, & ſterilis, duos habebat adoptione filios, qua ratione poſſet quotquot vellet habere, adhuc innupta & virgo, & quaſi parum foret cum fœcundiſſima Lia *comparari* ait: *Coniunctione Dei adiuncta ſum cum ſorore mea*, id eſt, inſigni æqualitate illi par ſum, in fœcunditatis elogio. Addit: *Et inualui*, ſignificantius ad rem Lipomanus: *Imo excellui eam.* Adhuc ſterilis naturalem quatuor filiorum matrem de fœcunditate *excellit*? Parùm hoc foret, ſi hæc exiſtimatio arroganter elata, & ſorori iniurioſa, mente ſua Rachel retinuiſſet, aut ore garriret, niſi eam in tenella infantis carne velut inſculperet, Nephthali vocabulo impoſito: *Coniūctione Dei, inquit, adiuncta ſum cum ſorore mea, imò excellui eam. Vocauitque eum Nephthalim*, quo nomine hanc ſuam exiſtimationem Rachel expreſſit, vt conuenit inter expoſitores. Sic noſtram exiſtimationem de nobis erroneè magnificam, ſed de aliis demiſſè ſordidam, & in nobis falſato iudicio retinemus, & a l alos impreſſè tranſmittimus? Arrogantia matris errore, de inſania æmulationis emanante, tenella Nephthalimi caro, adulterino Rachelis cenſu inſculpitur? O quàm frænare oportet noſtratum de aliis opinionum licentiam, nam iudicium quod in nobis manet, vix in nobis non ſic retinetur, vt in alios non elabatur, & cœcas noſtræ exiſtimationis notas non exprimat infamiæ charactere. Bonum erat *Manna*, bonus *Nephthalim*; & hic maternæ æmulationis errorem, illud ſpectatorum ignorantiam adulterato nomine repręſentat. Rerum eſſe vitium ſæpè putamus, quod noſtrum eſt. O, iudicij tui temeritatem cohibe!

Gen. 30. v. 8.

Vix poteſt quis habitare cum eo, qui valde eum excellit.

Hieron in qq. Hebr.

Chryſol ſer. 167.

4.

Lipomanus ibi.

Rachel in nomine Nephthali ſuum prauum iudicium inſculpſit.

Hic v. 3.

---

§. CCLXXIII.

Maleuolentia non videt quod eſt, ſed quod ſubeſt.

Maleuolentia(& inuidia) nō videt quod eſt, quod ſubeſt tantum videt. Solemne pulchra autora orientem, aut tota lampade in meridie ſplendentem, prorſùs non videt, quiſquis cadentem videre mallet. *Vt eſſe Phœbi dulcius lumen ſolet, iam iam cadentis.* O non benè ſani maleuolæ inuidiæ oculi, cœci ad claritudinem, & ad caliginē perſpicaces. *Inuidia quidem indeterminata eſt* (ait Plutarchus) *perinde atque ægritudo oculorum, quæ ad omnem ſplendorem turbatur.* O noctuas, quas ſplendor excœcat, caligo inocu'at! Nil illuſtre in æmulo vides, & nil obſcurum non vides? Sic vider, quiſquis per maleuolæ inuidiæ dioptram videt. Eſto, mala peruideas, eaque maleuolentia ingenio ſuſpicionis exaggeret, & deterius deprauet, bona, quæ ſublimius eminent, cur non vides? Puto, non oculo mentis, ſed affectuum cœcitate cernis, videſque non quod eſt, ſed quod ſubeſt. Sublimia tranſis, vt infima denotes. Imò infima exaggeras, & multiplicas. Lippientibus enim ſingularis lucerna multiplex eſt. Cœcus ille Euangelicus Marci 8. dum melius habere incipit, *Aſpiciens, ait: Video homines velut arbores ambulantes.* Eleganter ad hæc verba Chryſologus: *Video homines quaſi arbores, imperfectis ocelis grandeſcunt formæ.* Proximus cœcitati eſt, qui in pauco videt multum; & quidem imperfectius, & deterius.

1. *Maleuolentia non videt, niſi quod ſubeſt.*

Plutarch lib. de Odio & Inu.

Marci 8. v. 24. Chryſol. ſer. 176.

Matthæi 4. baptizato Chriſto, per cœli rupturam, curiæ cœ'eſtis proceres nouum baptizati Dei ſpectaculum admirantur; & Dei filius à patre Deo diſertè proclamatur. Tunc ductus eſt Iesvs à Spiritu in deſertum, vt tentaretur à Diabolo. *Et cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit. Et accedens tentator,* &c. Audit Diabolus, quod Chriſtus voce de cœlo elapſa, palam filius Dei proclamatur, & quia eum videt hominem, Deum dediſcit, an non poteſt eſſe ſimul homo Deus? Dein ſic eſt Dœmon ieiunij refuga, vt quem videt totis quadraginta diebus ieiunantem, inuadere non audeat: Sic etiam humanæ neceſſitatis rimulas Dœmon obſeruat, vt eſuriem ſpectet quo filium Dei à virtutis propoſito deiicere præſumat: Verùm obſeruanda attentiùs eſt oculatior Diaboli cœcitas, qua maleuolam inuidentiam oſtendit, & quam incertus Chryſoſtomus peracutè his verbis notauit. *Poſtea eſuriit: & accedens tentator, &c. O cœcitas Diaboli manifeſta! quomodo ſuſpicatus eſt eum non eſſe filium Dei, quem poſt quadraginta dies eſurientem ſenſit, & per quadraginta dies eſurientem non intellexit? Nam ſicut eſurire hominis eſt, ita per quadraginta dies non eſurire, hominis non eſt.* Benè quidem, & optimè arguto verborum penicillo, maleuolentiæ deſcripſit ingenium. Profectò perſpicaciſſimè cœcus Tentator dicitur, qui poſt quadraginta ieiunij dies Chriſtum eſurientem ſenſit, & per quadraginta dies ieiunantem, eſurire non intellexit. Eſurientem

2. Matth. 4. v. 2.

Dæmon vidit Chriſtum poſt ieiunium eſurientem, & in ieiunio non eſurientem minimè intellexit.

Imperfectus homil 5. in Matth.

post ieiunium cernis, & in quadraginta dierum ieiunio, non esurientem minimè vides? Et quidem multò mirior res est, in diuturnissimo non esurire ieiunio, quàm post longum ieiunium tandem esurire. Videt quod à naturæ imbecillitate prouenit, & ad sublimissimas à Deitate vires cœcus est: Aut non debuisset videre esuriem post ieiunium, aut in ieiunio non esuriem videre debuisset. Scilicet hac tentatione inuidæ maleuolentiæ ingenium graphicè depingitur; quod ad naturæ, aut morum defectus oculatissimum est, & ad virtutis facinora egregiè caligat: cœcum ad sublimitates, perspicacissimum ad imbecillitates. Quæ est in humanis tam perfecta pulchritudo, quæ næuo careat? & quis tam insane malitiosus, vt ad venustissimam pulchritudinem cœcus, tantummodò næuum quem notat, videat? O Dœmonis semitas! An non plura suppetunt aspectabilia in tuo æmulo, quæ si non laudare velis, videre debes? Quid tantum exploras ea, quæ infirmitatis speciem præferuntur? Innumeras natura. & gratia addensauit dotes, & eas inuisas præteris, & cognatam naturæ infirmitatem peruides? *O cœcitas* Diaboli *manifesta! quomodo suspicatus est eum non esse filium Dei, quem post quadraginta dies esurientem sensit, & per quadraginta dies non esurientem non intellexit?* O caue tibi ab hac propudiosa maleuolentiæ cœcitate! Bonus bona videt, beneuolentiæ oculis. Sicut Raguel hîc verf. 5. Secùs reliqui Tobiæ contribules, cap. 2. verf. 16.

Hic verf. 5.

3. Ioannis 5. languidus ille de morbi diuturnitate, potiùs quam de nomine notus, qui hominis defectu, octo, & triginta annos solutis paralysi membris in grabato iacebat, inopinata felicitate Christi verbo vegetus surgit: Dixit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo. Dicebant ergo Iudæi illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. *Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogauerunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula?* Non morabor lectorem sciscitando, an hic paralyticus culpam violati sabbati in sui beneficum sanatorem reiecerit, & eum propria excusatione accusauerit; atque insperatum beneficium ingrata accusatione quantocyùs rependerit? Nec discutiam, an tantum sanatori debeatur obsequium? Illud tamen sagaciorum commentatorum industria mouet, quod inuida Iudæorum maleuolentiâ paralytico interrogatione respondet. Dixerat paralyticus: *Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: tolle grabatum tuum, & ambula.* Duo, inquam, dicit: & se fuisse sanatum à Christo, & iussum fuisse grabatum tollere, Iudæi verò quasi nihil de mirissima desperati morbi sanitate dixisset, tantùm repetunt, quod defectum esse putabant, & ad miraculum cœci, & ad sabbati quasi violationem perspicaciter attenti, sic aiunt: *Quis est ille homo, qui dixit tibi: tolle grabatum tuum, & ambula?* Quod Hugo Carensis his verbis subtiliter obseruauit: *Non dixerunt*, ait, *Quis est, qui te sanum fecit: sed hoc bonum tacuerunt! quod eos torquebat; & eam, quæ æstimabatur, transgressionem, in medium ducunt. Quis est, inquiunt, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula?* Nempe stupendum miraculum coram ipsis patrat Christus, & diu inutilem de inueterata paralysi hominem, ad perfectam sanitatem omnipotenti verbo derepente restituit, atque laxa diu membra solidè ex improuiso addensat, spectatorum admiratione, plausu, stupore. Ergo inuidiosi Iudæi hæc sublimissimè augusta, coram patrata, & ipsius paralytici suffragio inuulgata, nec vident, nec intelligunt, & inuisa transeunt, & negligunt, ea verò quæ æstimabatur legis transgressio, & sabbati sacrosancti violatio, ab eis tantummodo cernitur, illam commemorant, & commemoratione incusant, & indigniter culpant. O luscos, qui dimidiato aspectu videtis, ad bonum cœci, ad malum quod putatis, nimis, & vnicè perspicaces! *Non dixerunt, quis est, qui te sanum fecit: sed hoc bonum tacuerunt, quod eos torquebat; & eam, quæ æstimabatur, transgressionem, in medium ducunt.* O, de improbitatis schola probitatem discamus, & de alieno vitio ad virtutem erudiamur. Pernoscamus hos malitiæ mores, & maleuolentiæ aspectus sit nobis de cœcitate suspectus. Vide hoc oculorum vitium in Pharisæis, huius admonitionis collyrio inoculatus, in te emenda, quod execratis in alio. Hei quoties præclarissimam aliorum famam adulter maleuolentiæ aspectus, obscurè infuscàuit! *Ad hanc vos dementiam* (inquit Ennodius) *malorum actuum per gradus suos incrementa traxerunt, vt hoc credatis esse lacessere, quod conuincere, nec apud vos habeant à veritate differentiam odia, quæ plerumque, contra meritum impetiti, studiis, non rationi obsequentia vota concinnant.*

Ioann. 5 v. 11 & 12.

Maleuolentia, spectatum miraculum non videt, & quem suspicatur defectum, peruidet.

Hugo ibi.

Ennod in Libello &c.

4. Marci 6. tragicis petulantiis puellæ choreis, ferale Herodis natalitium de truculenta Ioannis cæde atrociter inter regias epulas funestatur. *Cùm dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnam fecit Principibus, & tribunis, & primis Galilææ*, vt tot haberet enormioris flagitij testes, quot proceres in conuiuio discumberent. Sed videamus quid conuiuæ censeant de scelerosо audacter facinore, quod spectatorum oculos incestauit. Pulchrè Chrysologus ita de hoc nefario spectaculo philosophatur, his verbis scribens: *Herodes cœnam fecit Principibus, tribunis, & primis Galilææ, vt habeat facinoris sui arbitros, quot habuit Præsides disciplinæ.* Mitto nunc regni Præfectos, viros principes, & excelsè prænobiles dici, *Præsides disciplinæ*. Profectò expensione dignissimum est quod truculentæ, & immanissimæ cædis, spectatores, & testes; non sic eos appellet; sed *facinoris sui arbitros.* Quare ij, qui adfuere conuiuio, in quod illud ferale impaucis ferculum, vbi obtruncatum Baptistæ caput cruentè ministratur; non dicuntur atrocissimæ cædis oculati testes, aut funesti spectatores; sed *facinoris sui arbitri?* Profectò notum est, eos dici *arbitros* iudices, qui de re sibi commissa, non secundum iuris apices, nec legum spectato rigore; sed ex æquo, & bono, pro suo arbitrio sententiam ferunt. Exinde iudicis arbitri sententia, testium depositioni non semper paret, & à iuris rigore plerumque exorbitat, verosimili ad nutum arbitrij licentia. Eheu, eos, qui spectatores adsunt cruenti enormiter flagitij, sententiosè *sceleris arbitros* appellat Chrysologus quasi qui non vrgentur oculorum testimonio, nec horroris suffragio, nec humanitatis lege, nec compassionis iure, nec rationis ductu; sed legibus exoluto arbitrij priuilegio! O iniquos Herodiani sceleris

Marci 6. v. 21

Chrysol. ser. 174.

Oculatus spectator, mali erit spectati sceleris arbiter.

sceleris *arbitros!* In re oculis spectatâ, arbitrij priuilegio censendum est? Hunc flectet affectus, odium, aut amor: illum negotiosa ambitio, aut assentatio blanda. Heu oculorum ex arbitrio censuram! O quam frequenter lugente reo, varios & multiplices de eadem re census, & sensus rideas, dum quot spectatores, tot videas *sceleris arbitros!* Vtinam in re humani iudicij, otiosè vacet arbitrium; & oculorum, testium, iuris, atque meræ rationis cogente suffragio census peragatur; ne tot exerceret temeraria iudicia, pro arbitrij licet incerta. Non benè censuræ dux, arbitrium constituitur.

5. Lucæ 11. Erat Iesus eiiciens Dæmonium, & illud erat mutum. Et cum eiecisset Dæmonium, locutus est mutus, & admiratę sunt turbæ: Simplex turba candidè de re iudicauit, & sincerum tulit suffragium. Sed vide qualiter Pharisæorum odiū de oculata Dæmonis excātatione iudicauerit maleuolentiæ censu. *Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Simile quid accidit Christianis, qui monstrato crucis signo dæmonas fugabant. Quod videns Iulianus Augustus iam apostata, dudum Christianus, in odiorum Christi officina architectatam rationem reddit, sic impiè aiens apud Nazianzenum: *Abominationi Dæmonibus fuimus, non terrori: vincit quod peius est.* Nequior adsimilis miraculi interpres. Et nota mihi quale iudicium de tribus perspicuè exploratis maleuolentia ferat. Porrò prauus affectus, arbiter censuræ est.

Lucæ 11. v. 15. *Iulianus dicebat, Christianos abominationi esse dæmonibus, non terrori.* Naz. Orat. 1. in Iulian.

§. CCLXXIV.

Quisquis aliorum correpturus est vitia, nullam habeat in veste, vel in epulis voluptatem.

1. Seuetissimè nos aduersus peccantes gerimus, & ipsi eadem committimus. Turpe est, quod obiicitur, in obiiciente cognosci. Attentiùs examina, si tu adhuc prauus sis, & tui similibus ignosce. Ast si iam esse malus desiisti, ne aliis locum emendationis deneges, ne non tam scelera, quàm sceleratos extirpes. Moderatio sit in verbis, asperitas tota de vitæ tuæ asperitate veniat. Erga se nimis blandus & mitis; immitis & austerus esse solet in alios. Ille dexterrimus in reprehensione est, & crimina feliciter emendat, qui de occursu suo criminosus suffundit: qui idem ipsissimus est, & cùm eum audis, & cùm eum vides: cuius vita, citiùs quàm lingua improbos mores carpit, & pœnitenda prædamnat. Non modò de conscientiæ inculpatâ innocentiâ, sed etiam de opinatissimâ innocentiæ & sanctitatis famâ, ad exarmanda vitia reprehensio armatur, & prauos mores pertinaciter rebelles ducit captiuos, atque emendationis trophæa erigit, sumptuoso Virtutis triumpho. Tot sanctitatum titulis, quos hîc Raguel compendiauit, egebat Tobias, vt assiduus foret pietatis adhortator, & acerrimus impietatis reprehensor, vt sæpè in hàc historiâ sparsim denarratur. Quasi inclyta obiurgantis fama sit energia obiurgationis & vigor emēdationis. Heu nostras inde friuolas, infœcundas, & penè nullas obiurgationes! Verba circa aures corripiendorum austerè perstrepunt; sed mollis vita corripientis blandè silet.

Reprehensoris disciplina eruditur.

Hic vers. 5.

2. Matthæi 3. Ioannes Baptista de eremi confragoso durus vitiorum obiurgator adest. Videns enim multos Pharisæorum, & Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Acerbior planè obiurgatio, & quæ non tam vitia frangere, quàm vitiorum reos irritare posset. Vnde tanta vis inerat verbis Ioannis, ad corripiendos, emendandosque agrestes Iudæorum mores? Et vnde Ioanni tam agrestis victus & cultus? quod signatè Euangelista notauit, aiens: *Ipse autem Ioannes habebat vestimentū de pilis camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem eius erat locusta, & mel siluestre.* De pilis enim camelorum cilicinum habebat vestimentum, non de blandiori lanâ, aut sumptuoso serico: aliud austeræ vestis indicium est, aliud luxuriæ mollioris: seruis enim Dei non conuenit habere vestimentum ad carnis delectamentum, sed tantùm ad tegumentum nuditatis: habebat enim Ioannes vestem mollem neque delicatam, sed duram, grauem, & asperam, & conterentem corpus potiùs quàm fouentem, vt de virtute animi eius ipse habitus corporis loqueretur. Verùm tametsi Ioannes ad domandam carnis concupiscentiam his asperitatibus non egeret, *Sub hoc autem habitu vestimentorum, & vilitate ciborum, ostendit se peccata totius generis humani deflere,* vt notauit Remigius. Aliam Rabanus Maurus causam adnectit, ad rem præsentem in primis tempestiuam, sic ad præscripta Matthæi verba dilucidè fatus: *Potest & habitus & victus Ioannis qualitatem internæ conuersationis exprimere: nam austerioribus vtebatur indumentis, quia vitam peccantium increpauit.* Scilicet Respublica Hebræorum, vitiis flagrabat; vt ergò ore spargeret verborum niues, quibus morum incendia obiurgatione restingueret, agresti vtitur victu & cultu, quò proficuè *vitam peccantium increparet.* Videbat Ioannes irremediabiliter serpentem malitiæ pestem, fas & nefas promiscuè misceri de hypocrisis artificio pietatem constuprari, & inuidiæ ac maliloquij ingenio virtutem inuitiari, & gregatim omnes ad vitia impudenter ruere; exindè ne ieiuna sit reprehensio, illam ieiuniis adipat; ne obiurgatio foret inermis, illam vestium spinositate obarmat: *nam austerioribus vtebatur indumentis, quia vitam peccantium increpauit.* Heus tu, qui benè pransus & meliùs cœnatus, durâ increpatione delicatus abstinentię vindex es: qui mollissimè indutus, & ambitione elatus, mundi suadere penuriam, & frugalitatis vel leues defectus carpere præsumis. Non tam fastigio dignitatis quàm sumptuoso merito auctoritatis, quam frugalitas acquirit, efficaciam suasionibus ingeris, & obiurgationis suadelam moliris. Nisi austerior secū corrector sit, austera feriatur correctio: *nam Ioannes austerioribus vtebatur indumentis, quia vitam peccantium increpauit.* Viderint Superiores, qui mollibus assidui, subiectorum defectus durè obiurgant. Reprehendentis delicatior vita, sacra reprehensionis ridiculariè profanat: asperior enim victus & vestitus, velut ius, & energia obiurgationis est. Sed vide mihi temporum malignitatem quod debuissent in Nazianzeno, perito morum obiurgatore, laudare, id acerrimè vituperant. *Quin hac quoque* (ait ipse) *fortasse nobis exprobrauerint (iam enim exprobrauerunt) quod nec mensâ lautâ & opiparâ, nec augustâ veste vestimur, nec magnificè*

Match. 3. vers. 4.

Ioannes austeriori habitu & victu vtitur, quia vitam peccantium increpauit.

Remig. ibi.

Rabanus ad eum Matthęi locum.

Naz. Orat. 28.

gnificè in publicum prodimus, nec eos, à quibus conuenimur, fastuosè excipimus. Scilicet nequam homines vigorem sermonis elumbare gliscebant.

3. Iudith. 8. dira obsidione Bethulia cingitur, aquæ penuriâ ciues arescunt; nec repugnare iam eualent hactenus victrices Holophernis phalanges. Misera plebs de deditione agit cum Oziâ militiæ principe, qui re propè desperatâ, tandem multitudini adnuit. Ægrè id tulit Iudith. Hæc itaque cùm audisset, quoniam Ozias promisisset quòd transacto quinto die traderet ciuitatem, misit ad presbyteros Chabri, & Charmi. Et venerunt ad illam, (adfuisse etiam videtur Ozias, vt constat ex vers. 28.) & dixit illis: *Quod est hoc verbum, in quo consensit Ozias, vt tradat ciuitatem Assyriis si intra quinque dies non venerit vobis adiutorium? Et qui estis vos, qui tentatis Dominum?* Ambigunt interpretes an vrbanè se gesserit Iuditha, dum Oziam populi principem, & vrbis Senatores ad se aduocat; & non potiùs ipsa in eorum ædes pertexit. Maius autem de reprehensione litigium est an, & quare dicantur Deum tentasse? Et esto, tentauerint, quid attinebat ad Iuditham Summates vrbis acerbè reprehendere? è viduæ mulieris arbitrio, an ex consulto Senatu cum Ozia Præside, id dependebat? Quo modo priuatæ feminæ reprehensionem sic pacatè Proceres audiunt, & sic obsequenter eius monitis obtemperant, atque insidæ consensionis emendationem, temporis protelationi pollicentur? Vnde tanta correptionis energia? Suspicari liceat in verbis hanc correptionem proximè præcedentibus, rationem reddi ad mores peridoneam: sic enim de Iuditha sacer historicus præfatur: *Et habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ.* Audiendus est Maximus, qui de Ioanne populum & Regem increpaturo (de Iuditha citiùs, principem Oziam & populum reprehendente) ita fatur: *Vestimentum habens de pilis cameli, & zonam pelliceam circa lumbos suos, vt increpaturus (increpatura) hominum mala, nullam penitus haberet vel in veste, vel in epulis voluptatem.* Scilicet Iudithæ mentem tanta diuinæ legis æmulatio possidebat, vt diffidentis populi prauitatem masculo vigore corriperet; & austerioris vestimenti & cibi auctoritate, Principem intrepida increparet errantem, & errati emendationem feliciter persuaderet. Cilicij amictu, & ieiunij media, nacta est Iudith reprehendendi auctoritatem, & suadelæ energiam. Victus & vestitus pretiosa mollities, Præsulis reprehensionem effeminat: femina autem cibi & vestimenti molesta austeritate, eam sibi in verbis auctoritatem vendicat, vt audeat Principem cum senatu corripere, & emendationem correptione extorquere: Iudith *increpatura hominum mala, nullam penitus habeat vel in veste, vel in epulis voluptatem.*

Iudith. 8. v. 10. & 11.

Iudith increpatura Procerū vitia, nullam habet in veste, vel in epulis voluptatem.

Iudith. 8. v. 6.

Max. hom. 2. de Ioanne.

4. Lucæ 4. licet Saluatoris conciues mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius; tamen agitari inuidiæ œstro, illum opprobriis lacerare, nihil pensi habuerunt. Quibus ipse respondit: Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua: *In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israël, quandò clausum est cælum annis tribus, & mensibus sex, &c.* Magnus Propheta Elias, qui dicitur surrexisse tanquam ignis, impios obiurgationibus exurens; & pios virtutis calore sufflammans; verbi Dominus, & voluntatum arbiter. Vnde Eliæ verbis tanta inerat virtus? Audiendus est inibi Chrysostomus sic aptè ad rem inibi exscribens: *In diebus Eliæ, quandò clausum est cælum. Ipse quidem terrestris Angelus, cælestis homo: qui nec tectum, nec mensam, neque amictum habebat, clauem cælorum gerit in linguâ.* Ecce tibi Elias pilis camelorum indutus, vel potiùs cilicio intextus, agresti vestium aspetitate nudus, ad laceram spinositatem indutus: ieiunio diu satur, nauseans ad Regum delicias, vitæ exul, cæli præproperè incola, mundi penuria opulentus; recuditur in terrestrem Angelum, aut in hominem cælestem refingitur, qui *clauem cælorum gerit in linguâ.* Lingua scilicet qua velut claue cælos ad nutum claudit & aperit; hominum corda aut efficiosus ad gratiam reserat, aut seuerus claudit ad gratiam, puniendis aut præmiandis hominibus præpositus, gratiæ sequester, & ingratiæ arbiter. Nimirum tali debuit vti habitu & victu, qui peccantium vitam venerat increpare.

Lucæ 4. v. 25.

Elias sine mēsa & amictu, clauem cælorum gerit in linguâ.

Chrysost. ibi apud Caten.

---

§. CCLXXV.

Bona virtutum fama, quasi vox omnipotentis Dei loquentis & scribentis, sententiosè putatur: è contrario infamia, pessimorum criminum matrix est.

Opinionem quidem & famam eo loco habeamus, tanquam quæ non ducere, sed sequi debeat. Conscientiæ satisfaciamus, nil in famam desudemus: sequatur vel mala, dum bonam merearis, non durabit; virtutis enim splendor has nubeculas citò clarat. Laudatores æstimandi sunt, non numerandi. Tantundem est si lauderis ob turpia, quàm si à turpibus. Horum etiam vituperia bonam famam non inquietant. Stat inconcussa & flecti-nescia aduersus linguatas lupororum machinas; & dum communis vniuersatim laudatio præualet, obscurus obtrectatorum tumusculus euanescit, & bona fama latiùs propagatur, quæ magni æstimanda est. *Curam habe de bono nomine:* nam honestus rumor, sumptuosum virtutis patrimonium est; damnùmque appellandum cum malâ famâ lucrum; nam bonum nomen fragrat cælum, vitiis præualet, virtutes afflat, iustitiam honestat; & cæli viribus potenter armatum, & vituperonem impudentiam cohibet, & calcat ad pietatem addet, virtutum trophæa gloriosiùs erigit, nobili sanctitatis triumpho. Nunquam bonæ famæ satis victoriatum est. Licuit Tyranno sanctum Tobiam patrio solo extorrem, captiuum agere, licuit bonis omnibus expoliatum, fugitiuum mortis, imò & vitæ facere, & sæuis calamitatibus charæ vitæ tædium efficere. Licuit vxori præclaram eius pietatem calumniis onerare. Sed adhuc in longinquis admodum regnorum interuallis bona eius fama propagatur ad exemplum, durat ad honorem, triumphat ad gloriam; & arcanâ quâdam omnipotentis Dei prouidentiâ, stat inconcussum boni nominis elogium immortalitatis æmulum. 1.

Boni nominis sedula cura habenda est.

Eccl. 41. v. 15.

Hic vers. 5.

Propheta Ezechiel cap. 10. de cœli adytis ineffabili visione instructus, homines ethicè instruit, Cherubim, ait, stabant à dextris domus templi inquam, & nubes impleuit atrium interius. Et eleuata est gloria Domini super Cherub. ad limen domus: & repleta est domus nube, & atrium repletum 2.

pletum est splendore gloriæ Domini. Tunc pennati illi Cherubini, sub quorum alis erat *similitudo manus hominis*, dum volaturiunt ante Dominum, alas validè concutiunt. *Et sonitus alarum Cherubim audiebatur vsque ad atrium exterius, quasi vox Dei omnipotentis loquentis.* Scilicet sonus ille quem alæ Cherubinorum edebant, claré resonabat in exteriori atrio templi, *in quo stabant homines secundum legem immundi*, ait Carthusianus, quasi parùm foret gloriosè resonare in atrio interiori, vbi aderant Sacerdotes religiosi, & Deo & virtuti consecrati; nisi etiam audiretur in exteriori atrio, vbi laici, profani, & immundi homines stabant. Sed disquirere exploratiùs lubet, quis, qualisve fuerit eiusmodi alarum, seu humanarum manuum celebris sonitus, qui sic longè latéque audiebatur, vt vsque ad profanos & immundos homines perueniret. Audi Prophetam: *Quasi vox*, inquit, *Dei omnipotentis loquentis*. Illustris planè in mysterio disciplina! Sonitus quem edunt manus hominis sub alis absconsæ, vocem Dei omnipotentis loquentis imitantur. Dilucidè ibidem, Hugo Carensis in re morali opportunè disertus: *Sonitus alarum est fama virtutum Sanctorum, & exempla eorum.* Alibi expensum est τὸ *exempla*, nunc, τὸ *fama* enucleanda est. Nempe sonitus quem edunt, non Cherubinorum ora, sapientiæ disciplinis erudita, & polito facundiæ ingenio nitentia; sed quem alatæ manus opere virtutis efformant, nec duntaxat occupat atrium interius, sed ad exteriùs atrium vbi profani & immundi homines stabant sonora gloria peruadit, est *fama virtutum Sanctorum, & exempla eorum.* Hæc, hæc inquam, gloriosa virtutum fama, dicitur, *quasi vox Dei omnipotentis loquentis.* Quid illustrius? Bona virtutis fama per traduces linguarum & aurium in hominum mentes latè serpens, est *quasi vox Dei omnipotentis loquentis*? Præclara virtutis fama Sanctorum, ministeriali hominum lingua vniuersatim increbrescit, & latè propagatur; sed *quasi vox Dei omnipotentis loquentis*, & audienda, & excipienda est. Ecquis obicem apponere pòssit, & sistere eualeat *vocem Dei omnipotenter loquentis*? Frustrà maledici oris obscurus labor, ô momi, ô vituperones, ô sycophātæ. Quisquis celebrem Sanctorum famam obloquendo sistere, & denigrare vituperiis intentat, *Dei voci omnipotenter loquentis* obsistere præsumit. Præualebit, præualebit quidem, bona Sanctorum fama, & præclarum sapientiæ & virtutis nomen, aduersus inuidiæ technas, & maledicentiæ insidias. O! tanto ardore vires contendit malitia ad infuscandam illustrem Sanctorum famam, vt necessè sit, quod *Dei vox omnipotenter loquens*, valide obsistat? *Sonitus alarum*, id est, *fama virtutum Sanctorum, & exempla eorum, est quasi vox Dei omnipotentis loquentis.* Cùm bona virtutis fama euulgatur, quasi vox Dei omnipotentis loquitur. Toto omnipotentiæ adnixu opus est, ne boni nominis laus impediatur, tanto obnixu celebri Sanctorum famæ obtrectatorum inuidia reluctatur?

Ezech. 10. v. 5

Carthus. ibi.

Bona Sanctorum fama, est quasi vox Dei omnipotentis loquentis.

Hugo Car. ad eum locum

Quanto obnixu celebri Sanctorum famæ obtrectatorum inuidia reluctatur.

2. Prouerb. 22. v. 1.

Bona fama, est bonum nomen in libro vitæ descriptum.

Prouerbiorum 22. homines de bonæ famæ præstantia, his verbis Salomon erudit: *Meliùs est bonum nomen, quam diuitiæ multæ: & super argentum & aurum gratia bona.* Hugo, Caietanus, Iansenius, Rodolphus, quibus cum communi interpretum consensu annuit Salazar, per bonum nomen, bonam vtique famam intelligunt. Et iure quidem optimo, id enim indubiè Sapiens significat. Verum idemmet Hugo à Venerabili Beda edoctus, per *bonum nomen*, non modo bonam famam apud homines in terris intelligit, sed etiã in cœlis, ita fatur: *Nomen bonum, est nomen scribi in libro vitæ. Et hoc meliùs est, quam diuitiæ mul[tæ]. Vnde Beda: Siquis mundum vniuersum lucraret merito totum contemneret, vt eius nomen scriberetur in cœlis eiusque memoria inter Angelos fulgeret æterna*, quasi celebris virtutum famæ bonum nomen, non tantùm scribatur in memoria & opinione hominum in terris, præclara pij honoris euulgatione; sed etiam *bonum nomen*, id est, bonam famam habere, per quandam bonę famæ appendicem seu honorariam extensionem, sit in cœlis, *nomen scribi in libro vitæ.* O grande bonæ famæ decus, & elogium prælustre! Hactenus putabatur fama, ore multorum celebrata laudatio; sed vltra has metas sublimiùs iam procedit, & Dei digito *in libro vitæ* describitur. Nuper *Sonitus, alarum*, id est, *fama virtutum Sanctorum, quasi vox Dei omnipotentis loquentis* existimatur, nunc *bonum nomen* ipsius Dei omnipotentis scribentis digito, ipsiusque Solis iustitiæ radiis *in libro vitæ* describi perhibetur. O! quis virtutis fama conspicuum, de libro vitæ delere præsumat? ô cesset mortalium maledicentia, eius infuscare famam, qui illustri celebritatis laude, in cœlesti vitæ libro ad gloriæ immortalitatem descriptus est!

Hugo Card. ibi.
Beda apud eundem.

Profectò sicut bona fama virtutes omnes afflat; sic fama non bona multiformis malitiæ suspecta est. Geneseos 37. Ioseph cùm sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer: *Accusauitque fratres suos apud patrem crimine pessimo.* Ad quæ verba ita scribit Chrysostomus: *Alia littera: Detulerunt, inquit, Iosephum de pessimo crimine apud patrem suum.* Idemne est? *Accusauit* Ioseph *fratres suos apud patrem crimine pessimo*, vti habet Vulgatus; ac fratres *detulerunt Iosephum de pessimo crimine apud patrem suum*? Opinor valde affinem esse sensum rei specie tenus diuersissimæ. Scilicet Ioseph apud patrem accusauit fratres, & inde fratres Iosephũ apud patrem accusant. Nempe forte silet Vulgatus quod intelligere expromptum erat. Porrò recriminatio, delati criminis sequela est. Non bonus zelus hominis accusati, vices reciprocat cum zelo bono pij delatoris. Fructus piæ delationis, falsa & impia aduersus se delatio sæpè est. Non fuit omittenda hæc Præsulibus opportuna eruditio. Verùm peruestigare oportet, quodnam sit hoc *pessimum crimen*, cuius accusantur Iacobi filij. Quidam Sodomiticum, alij bestiale crimen censent. Incestum Rubeni cum patris sui vxore non nemo suspicatur, alius simultates ac rixas inter fratres, aut impias in pium parentem oblocutiones, vel prodigos è paterna substantia sumptus. Neque enim vllum est tam agreste ac immane scelus, quod sub *crimine pessimo* non possit denotari. Litem hanc sapienter componit Lipomanus ex Hebraïca origine ita scribens: *Hebraice est: Et attulit Ioseph famam eorum malam ad patrem suum* דבה *dibba enim famam vel infamiam proprie, non crimen significat. Propterea alij, infamiam eorum malam verterunt.* Quasi idem sit *infamia*, ac *crimen pessimum*, tot criminibus fœcundè grauidum. Heu in quot *pessima crimina* effrenis proruit, qui recuperandæ famæ spem omnem abiecit! Porrò sæpè infamia, temerariæ impudentiæ matrix est, & flagitiorum libido; vti bona fama, passionum censura, & virtutis asylum.

4. Gen. 37. v. 2.

Chrys. ibi.
Idemne est, Ioseph accusauit fratres de crimine pessimo; ac fratres Iosephum accusarunt.

5.

Infamia est pessimorum criminum matrix.

Lipom. ibi.

Ium. Hæ virtutes velut omnipotenter allinit; illa pessimorum criminum officina est.

§. CCLXXVI.

Spontiua operantis voluntas, ardui operis difficultates exarmat.

1. Tertul. lib. de Pœnit. c. 3. TErtullianus in lib. de Pœnitentia, alto stylo, vt assolet, ita de humana voluntate fatur: Quid, inquit, quod *voluntas facti origo est*? Viderint enim siqua casui, aut ignorantiæ imputantur; quibus exceptis iam non nisi voluntate delinquitur. Cùm ergò facti origo est, non tantò potior ad pœnam est, quantò principalis ad culpam? *Quæ ne tum quidem liberatur, cum aliqua difficultas perpetrationem eius intercipit. Ipsa enim sibi imputatur, nec excusari poterit per illam perficiendi infelicitatem operata quod suum fuerat.* Cùm ait *infelicitatem*, fortassè loquitur cum aspectu ad labores, qui cum frustrantur effectu, dicuntur *infelices*. De quo vbertim noster Cerda in Georg. Ego sanè potiùs existimauerim, τὸ *perficiendi infelicitatē* dixisse cum aspectu ad voluntatem, de qua agit, & quę *origo facti* nuncupatur. Porrò cùm *perpetratio* rei intentæ quomodocumque intercipitur; tunc quidem *infelix* dicitur voluntas, quia voluntario frustratur affectu, quasi vniuersatim voluntatis *felicitas*, sit *perpetrare* opus quantumvis arduum & molestum in quod vltrò voluntarium sumit impetum, ac si in voluntate mensura opinatę *felicitatis*, non adspectu ad rem molestam aut voluptuosam, sed ad voluntarium eiùs impetum, sumenda sit. Sic vel pœnalissima molestia, dum vltrò cupitur, grata est, quasi à *perpetratione felicitatem* mutuetur, & à voluntaria appetitione placendi studium combibat. Graue non est quicquid vltrò subimus. Fatalium sæpè nuptiarum aleā alacri studio Tobias hîc expetit, Saræ amore arduas difficultates blādiùs exarmante, vnde felicitatem periculi sui studiosè subit.

Felix dicitur voluntas, quæ licet per ardua, quod optat, assequitur.

Ioann. Ludouic. de la Cerda.

Hic v. 10.

2. Matthæi 16. Petrus adhuc rudis Christi discipulus, nec ad cœlestia dogmata dedolatus; peruerso Magistri studio abusiuè excitus, Crucem auertere satagit, & inde redemptione mundum fraudare. Verus amor putari posset, & meræ insidiæ sunt, nam dum Crucis machinam amolitur, Christianismi arcem euerteret. Ergo IESVS conuersus, dixit Petro: Vade post me satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum. Sed confestim consultissimè Crucis duritiem emollit, & laborum lenit asperitatem his verbis: *Tunc IESVS dixit discipulis suis; Siquis*, inquit, *vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Quasi dicat (ait Chrysostomus) Tu dicis mihi: Propitius esto tibi. Ego autem dico tibi, quoniam non solùm me prohibere à passione nociuum tibi est, sed neque saluari poteris, nisi patiaris, & moriaris, & vitæ abrenunccies semper. Addit notanter Chrysostomus ad rem præsentem peridoneè: *Et vide quod non coactiuum fecit sermonem, non enim dixit: volueritis oportet vos hæc pati; sed Siquis vult: hoc autem dicens magis attrahebat, qui enim libertati auditorem dimittit, magis attrahit: qui verò violentiam infert, multoties impedit.* Non hîc intermittam, quòd sæpè coactio inobedientiæ adulatur; & dum necessitatem inducit libertatis priuilegium inquietat; atque coactionis nodis persæpè arbitrij licentiam extricat. Exinde Christus Deus consiliosissimè in re tanta, tāque ardua, non dixit: *Oportet hæc pati*: Necesse est hæc subire, & crucis tolerare labores: sed, *Siquis vult. Hoc autem dicens magis attrahebat*, nam voluntas, quæ ad pericula vltrò it, non solùm difficultates detriumphat; sed & eas sic spontiua appetentia mellit, vt velut grato proposito voluptatis illicio, blandè pelliciat, & potenter attrahat. Nil est volenti arduum. Velis, & poteris: velis, & gratè difficilia quæque exequeris. Voluntas, leniendæ molestię artificium est. Seguiter sculpis, quod molestè peragis.

Matth. 16 v. 24.

Quod volumus, etsi molestum, iucundè exequimur.

Chrysost homil. 56. in Matth.

Geneseos 16. Abraham suscepto ex ancilla filio inopinatè auctus, domestica tranquillitate imminutus est. Superbis cum hero nuptiis tumescit Agaris vterus, & cum vtero intumuit ancilla. Sordida ingenia felicitate insolescunt. Sara princeps Abrahami coniux, ancillarem fastum, & fastuosum Agaris supercilium acerbè tulit. Dixitque ad Abraham: Inique agis contra me, ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns quod conceperit, despectui me habet. Cui respondit Abraham: Ecce ancilla tua in manu tua est, vtere ea vt libet, *affligente igitur eam Sarai, fugam iniit.* Cumque inuenisset eam Angelus Domini, dixit ad illam: Agar ancilla Sarai, vnde venis? & quò vadis? Quæ respondit: A facie Sarai dominæ meæ ego fugio. *Dixitque ei Angelus Domini: Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius.* Generale se *humiliandi* vocabulum aspectu ad Hebræam originem, pressiùs interpretatur Caietanus, his verbis appositè locum exponens: *Humiliare sub manu illius. Iuxta Hebræum habetur: affige te sub manu eius. Ex eo quod eadem dictio habetur hic, & superiùs dicendo: Affligente igitur eam Sarai.* Res profectò notatione dignissima. Fugam Agar iniit, quia eam *affligebat* Sarai, & reuerti ab Angelo iubetur, vt se *affligat*? Ratio, quæ Agarem fecit fugitiuam, reducem faciet? Nimirum moralissimè nos cum Agare instruit Angelus, dum nos edocet quanta sit propriæ voluntatis efficacia ad leniendas vitæ asperioris molestia. Quasi dicat: Fugam inisti, ô Agar, vt fugeres quam censebas intolerabilem ærumnam, nempe aliena Saræ manu *affligi*: igitur *afflige* te tua manu & arbitrio, & inde pernosces, quam sit leue malum quod vltrò expetitur, & spontè toleratur, quasi ferè totus ærumnarum labor, non à re, sed à coactione sit. Propria se *affligentis* manus, *afflictionem*, exarmat. Eandem alteram *afflictionem* tibi subeundam edico, sed experientia nosces, quam sit tibi leue, te vltrò *affligi*; sicut experta es quam sit toleratu arduum, aliena *affligi* manu. Pulchrè igitur Agaræ, quæ *affligente eam Sarai, fugam iniit*, dicit Angelus: *Afflige te sub manu Sarai.* 3.

Genes. 16 v. 6

Genes. 16 v. 9

Caiet. ibi.

Affligi à se leue est, ab alio pœnalissimum.

Matthæi 26. instante iam passione, in noctis intempestæ horrore vltrò venit IESVS cum discipulis suis in villam, quæ dicitur Gethsemani, & dixit illis: Sedete hic donec vadam illuc & orem. *Et assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari, & mœstus esse. Tunc ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Itaque humanitas passibilis à Dei filio suscepta est, & deitas in Christi Dei passione impassibilis permansit. Passus est enim Dei filius non putatiuè, sed verè omnia quæ 4.

Matth. 26 v. 37 & 37.

Scriptura

Christus non timuit mortē, quia vltrò illam subiit.

Scriptura testatur, secundum illud quod pati poterat, secundum scilicet substantiam assumptam. Sed grande hinc exoritur dubium, an ex mortis timore hanc tristitiam, & mœstitudinem Christus subierit: Quid hac de re seriò cēsendum sit, in commentario super Matthæum multis olim tradebamus. Singularem autem Hilarij sententiam ad thema præsens recitare operæ pretium est. *Quid enim Iesus* (ait Hilarius) *in mortis Sacramento doluisse existimandus est, qui pro se morientibus vitam rependit? Deinde quem dolorem mortis timeret, potestatis suæ libertate moriturus? Si etiam passio honorificatura eum erat, quomodo tristem eum metus passionis effecerat?* Triplicem his verbis rationem addensat Hilarius, vt à Christo Deo metum passionis arceat, mitto primam, & tertiam ad alias theses: secunda vero rem præsentem eleganter demonstrat, aiens: *Quem dolorem mortis Christus timeret, potestatis suæ libertate moriturus?* Quid tam pœnale, & peracerbum, quàm Christi Dei passio, & probrosissima in cruce mors, terribilium terribilissima; & tamen licet grauissimum dolorem Christus senserit, eam patiendo, (neque enim eam putatiuè, sed verè passus est) tamen seriò censet Hilarius, quòd *dolorem mortis Christus non timuit, potestatis suæ libertate moriturus.* O sic, qui potestatis suę libertate vltro tormenta subit, illorum metum spontiuo proposito exarmat? Tot dolores, probra, & cruciamenta Christus non timuit, quia spontanea voluntas timoris causas excussit? O arcanum spontanei voti Sacramentum! Hæc Hilarij expositio, ad mores tempestiua apparet; sed quam inibi reiecimus, (alios Patres secuti) dum litteralissimum sensum tradebamus. Et Petrus Chrysologus eloquenter ad rem opportunus, exponens illud Isaiæ 53. *Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet*, ita scribit: *Tacet, qui volens patitur: clamat, qui laniatur inuitus. Nec potest de morte queri, qui mortem dignatus, non coactus assumit.*

Hilar. lib. 10. de Trinit.

Isai 53. v. 7. Chrys. ser. 13

5. Tobiæ 3. perpetititius hic senex tot diris calamitatibus oppressus, sicut & S. Iob, proponitur magnanimæ patientiæ idea. Sed quid est, quod dum acerbas calamitates patienter tolerat, tam lugubribus mœstissimè querimoniis patientiam quodammodo deuenustare videtur? præsertim dum anxia sollicitudine calamitatem auertere, aut morte frustrari satagit: Et nunc Dominę (inquit) memor esto mei, & ne vindictam sumas de peccatis meis. *Et nunc Domine secundum voluntatem tuam fac mecum, & precipe in pace recipi spiritum meum: expedit enim mihi mori magis quàm viuere.* Idem penè versiculis sequentibus ingeminat Sara, adsimili calamitatum turbine iactata. Qui tam solerter pati reluctatur votiua tergiuersatione, proponetur quasi tolerantiæ exemplar; dignusque censebitur, quem Angelus ad id è cœlo missus, à calamitate defendat? Verum enimvero valde fallor, nisi hîc consummatæ patientiæ indicium proponitur, cùm reluctans calamitatibus voluntas ostenditur, & tamen secundum voluntatem Dei secum agi precatur: Audiendus est in re simili Cassiodorus, ita profundè fatus: *Nòn est defensio, quæ præstatur inuitis: suspectum est quod patimur volentes.* Quid est, quod suspectum est, quando *volentes patimur*? Spontanea patiendi voluntas, suspectam reddit tolerantiam, & patientiam volūtate adulterat; Saltem auida patiendi voluntas, sic calamitatis acerbitatem mitigat, sic exarmat tribulationum difficultates, sic mellit miseriæ fella, vt quodammodo *suspectum sit quod patimur volentes.* Vix pati sæpè putamur, dura quæ vltrò subimus, & spontè toleramus, quasi votiua patiendi voluntas, calamitatis subeundæ, acerbitatem sic leniat, vt penè blandiatur gustui, quod illum exacerbare putabatur. Vnde reluctantem animum lugubribus querimoniis ostendit Tobias, ostenderat Iob, ostendit, & Sara; ne de spōtiua patiendi auiditate, arduo patiendi merito quicquam detrahi putetur, *Suspectum est, quod patimur volentes.* His suspicionibus eximitur patientia Tobiæ, patientia Iobi, & Saræ patientia; dum animi de se reluctāris tergiuersatio proponitur, & tamen rei maximè arduæ patientia non negatur, quod est consummatæ patientiæ documentum, & magnanimæ indicium tolerantiæ.

Tobiæ 3. v. 6

Suspectum non est, quod patimur volentes.

Cassiod. lib. 5 epist. 33.

---

§. CCLXXVII.

Obedientia in minoribus necessitas est, in Maioribus verò dignitas.

1. Laudatur strenuus ille vir Epaminondas, qui post amplissima munera, Thebis inuidiosè atque contemptim decretus Thelearchus, (vile inquam, officium obire) non neglexit munus, inquiens: *Non modo magistratu virum ostendi, verum etiam magistratum viro.* Et ita personæ amplitudine ipse euexit, & clarum reddidit ministerium alioqui sordidum: simulque ostendit, quòd vir magnus non modo nō obscuratur vel rei sordidæ obsequio, sed generosè claratur. Porrò si inuitus pares, seruus es; si autem volens, imperantis administer; illiusque de muneris præstātia æmulus. Et sanè siue infimus sit, siue medianus, siue summus, in gradu suæ dignitatis tandiu stabit, quandiu sciet ferre obedientiæ frænos: quos si aliquando sublimitatis fastu, aut parendi fastidio abruperit, vel casu aliquo discussos reponi sibi passus non erit; Reipublicæ contextus in partes multas cōtemptim dissilietidemque Proceribus dominandi finis erit, qui parendi fuerit. Auita nobilitate, aut recenti dignitate illustres, pro suæ ingenuitatis tuendæ decoro, Præpositorum obsequia sæpè detrectant, quasi dignitatis priuilegio exēpti sunt ab eiusmodi obsequelæ stipendio: non animaduertētes, se pręposítis obsequendo, & obedientię subiectionem honorare, & rursùs ab obsequio ad se honorem reuerti, sublimioris gloriæ auctario. Vnde hîc Tobias mercenario suo Azariæ ad nutum parens, inopinatæ felicitatis gloriis cumulatur, quæ in singulis exinceps huius historiæ paginis denarrantur.

Plutarch. in Polit.

Magnus vir & obsequium honorat, & vicissim ab obsequio honoratur.

Hic v. 1.

2. Geneseos 37. Ioseph pulchræ matris soboles, & corpore pariter ac animo, virtutum effigies, patris corculum, & in tot ærumnis familiare deliciolum; mente candida, & doli tunc per ętatem nescia visum à se somnium Patri ac fratribus sincerè denarrat, quod fraternum amorem, inuidiæ fomite vertit in odium, & lugubrem sibi ac Patri tragœdiam inscius composuit: *Aliud quoque vidit somnium, quod narrans fratribus, ait: Vidi per somnium quasi Solem, & Lunam, & Stellas vndecim adorare me.* Quod cum patri suo

Gen. 37. v. 9

& fratribus retulisset, illud Iacobus de se, & vxore, & vndecim reliquis filiis, idoneè interpretatus est, aiens: *Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram?* Somnium hoc Iosephi, magnis Sacramentis grauidũ, eius Pater *tacitus considerabat*. Ego autem tacitus præterire non possum, quare cum eius pater Iacobus, & mater Rachel, & vndecim fratres, omnes propè natu maiores, Iosephum minorem adoraturi per somnij Sacramenta obseruantur, non tam rei terrenæ, quàm cœlestis, sublimissimæ, & præclarissimæ speciem tunc induant? Cum auctoritatis prærogatiua longè excellentes, ad minoris Ioseph obsequia demittuntur, tunc Soli, Lunæ, & Stellis comparantur? Imò tunc potius Iosephus, cuius obsequio submittebãtur reliqui, apparere debuit quasi Sol, & Luna, aut aliquod è sidereis astris, quod mundo præsidet. Et tamen cùm illi obsequia præstant, tunc *quasi Sol, & Luna, & Stella* insolenter apparent: O pulchrum generosi obsequij ænigma, ad instruendos Procerum mores in paucis opportunum! Scilicet cùm Maiores dicuntur parere Minori, tunc velut prælustria cœli astra micantes apparent, quasi dignitatem de obsequio fœnerẽtur. Perbellè Emissenus quo solet subtili ingenio, & nitido eloquio, his verbis ad Monachos fatur: *Nullus ille senior tam indoctus appereat, vt putet quod eum non deceat obedientia, qua Deum decuit. Humilitas enim atque obedientia in iunioribus adhue necessitas, in senioribus vero dignitas.* Nempe *senior ille* (multa cum emphasi acuminis, & aculei benè pungentis, hoc pronomen apponitur) ætate grandior, eruditione felicior, munerũ rectè administratione reuerendus, & cæteris auctoritate maior, ne fit adeo imperitè indoctus, vt putet, quod eum non deceat obedientia, quæ Deum decuit: nam humilitas, & obedientia in iunioribus necessitas est, *in senioribus verò dignitas*, in dignioribus auctoritas; cùm de Christi æmulatione, tum de instituti obligatione; tum etiam quoniam qui auctoritatem obsequio negligit, de obsequelà Minori exhibita, ampliorem dignitatem mutuatur, humilitatis arbitrio, & obedientiæ officiositate. *Vidi per somnium, quasi Solem, & Lunam, & Stellas vndecim adorare me.* Dũ Maiores submitti Minori videntur, tunc, tunc quidem, splendore siderum æmulo generosiùs micare dicuntur. *Humilitas enim atque obedientia in iunioribus adhuc necessitas, in senioribus vero dignitas.*

Obedientia in iunioribus necessitas est, in senioribus verò dignitas.

Emiss hom 3 ad Monach.

3. Ioannis 14. Christus Deus mortem iam iã sibi instantem Discipulis renunciat. Mœrent quasi filij, genitoris discessum, & licet rapuit tunc vnusquisque quod potuit de bonis intestati parentis: maiores tamẽ gratiæ diuitias rati, Christi hærere lateri, & præsentia perfrui, anhelo corde turbãtur. Tunc sic altè Christus illos affatur: *Audistis quia ego dixi vobis: vado, & venio ad vos Si diligeretis me, gauderetis vtique quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est.* Mirè hîc sudãt interpretes, vt hanc rationem non esse in doneam ostẽdant Omitto Chrysostomi, ad Discipulorũ tunc ruditatem conniuentiam, & sublimem Hilarij subtilitatem, in adstruenda indè Patris ac filij æqualitate. Et sanè huius rationis vis adeo excellit hominis fastigium, vt eius energia, nisi ad oppositum comprobandum, vix apparere videatur. Mœrent Apostoli dum audiunt ingruentem iam chari Magistri properantem mortem per Passionem morte ipsa atrociorem: & Christi studio solliciti trepidant; quo ergo pacto mœsti Discipuli peramantes Magistri sui, tristitiam in gaudium commutarent, si considerarent, quod vadit ad Patrem, *quia Pater*, inquit, *maior me est*; Imò inde etiam magis contristari debuissent, qui eum peramanter diligunt; quia vadit ad eũ, qui maior est; & inde adspectu ad eum, & in eius conspectu, minor apparebit. Num quo quis aliquem impensiùs diligit, de eius minoritate, an potius de sublimitate congaudeat. Quid ergo est: *Si diligeretis me, gauderetis vtiq; quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est*; S. Augustinus, Doctorum aquila generosior, irrefutatis oculis Diuinitatis splendores explorans, nec inde ad ea quæ sunt hominis in Christo, caligans; his verbis sublimissimè fatur: *Ipse ergo Filius Dei, æqualis Patri in forma Dei, quia seipsum exinaniuit, non formam Dei amittens, sed formam serui accipiens, maior est etiam seipso, quia maior est forma Dei, quæ amissa non est, quàm forma serui, quæ accepta est. Secundum hanc formam serui, puer Christus etiam parentibus minor erat, quando paruus maioribus subiectus erat.* Ecce tibi quàm sublimissimã reputet Christus obsequendi dignitatem, siquidem ait, quod qui verè eum diligit, gaudere debet, quia ad Patrem vadit, quia Pater maior ipso est, secũdum formam serui, secundum quam minor est, paternis præceptis obnoxius, & obedientiæ vectigalis. Tanta est obsequendi sublimitas in dignioribus, vt Christus ad Patris dexteram, sibi de forma serui, in qua minor est, & obsequi potest, sumptuosiùs gratuletur. *Humilitas enim atque obedientia in iunioribus adhuc necessitas, in senioribus vero*, (idest præstabilioribus) *dignitas*. Exinde dixit Christus Apostolis: *Si diligeretis me, gauderetis vtique quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est. Secundum hanc formam serui puer Christus etiam parentibus minor erat, quando paruus maioribus subiectus erat.*

Ioan. 14. v. 28

Chrys hom 74.

Hilar lib 9. de Trinit

Quare Christus cupit esse, vbi minorem apparere, necessum erat.

Aug. T. act. 78. in Ioan.

4. Iacobi 1. *Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea... hic beatus in facto suo erit.* Videtur parum sibi cohærere Iacobus dum præcipientis *legem* dicit, & *perfectam libertatem* in obedituris agnoscit. Imò lex nescio quam seruitutem subiectis imprimit. Audiendus est Paulus ad Romanos 8. *Lex enim spiritus vitæ* (est hendyades, *spiritus vitalis* inquam) *in Christo Iesu liberauit me à lege peccati, & mortis.* Pro τὸ *liberauit me à lege pecati, & mortis.* Græcè habetur, *Manumisit me à lege*, &c. quod verbum apud Iurisconsultos, ad seruos qui libertate donantur, spectat. Scilicet lex antiqua cum Hebræis velut cum mancipiis agebat, at lex Euangelica adeo est ingenua, vt vel ex seruis liberos faciat. Nam licet lex de se aliquam seruitutem importet; tamẽ lex Euangelica subiectos *manumittit*, & nobili libertate donat: (*In legem perfectæ voluntatis*) indeq; magis subiectos obligat, vnde credi poterãt exoluti, quod de officiositate Euangelicæ gratiæ venit Percommodè Arnobius: *An vlla est religio verior, officiosior, potentior, quam Deum Principem nosse*, &c. Vide quanta sit dignitas huic legi perinfectæ libertatis officiosiùs parere, quæ dũ strictiùs obligat: officiositate gratiæ *manumittit*, & ingenua libertate donat. Non quia liberum sit non parere; sed quia non vt serui, sed vt filij vltrò ad obsequium eunt. *An vlla est hæc religione verior, officiosior, potentior.* Ecquis quantumuis magnus, & potens obsequium recuset.

Iacob. 1. v. 25

Euangelica lex, dum præcipit, manumittit.

Ad Roman. 8. v. 2.

Græc text.

Arnob. lib. 2 aduers. Gent.

§. CCLXXVIII.

§. CCLXXVIII.

Semel falsitas, aut fraudulentia diu linguam infamat.

1. FAcinorosa conscientia instar est vlceris in corpore, vtpotè quæ pœnitentiam relinquat lancinantem iugiter, peruellentemque animam. Nam cum omnes alias tristitias tollere ratio solita sit, solam hanc feram pœnitentiam facit sua sponte inciuabilem præ pudore, & quasi mordicus impetentem se, atque excarnificantem. Malitia enim coniunctum sibi, assiduèque ipsam torquentem gestat dolorem, pudorem, ac diffidentiam sui. Ecquis, transacto præsertim cœco feruore delicti, irrationabile factum non erubescat? Quis sibi fidat, qui sibi infidus deprehensus est? Quemadmodum enim facinorosus quisque, vltimo affligendus supplicio, corpore suo propriam fert crucem: ita improbitas ex se ipsa supplicium sibi struit ipsi, calamitates ingentes, passiones molestissimas, inutiles pœnitentias, indesinentes perturbationes, & formidines innumeras. Nec aliorum duntaxat formidat in se potentiam, sed suam etiam velut impotentiam formidat. Nec sibi deinceps satis fidit, qui sibi, & rationi aliquando extit infidelis. Sic apud se deuenustatur rationalis mens, quæ scelus non cohibuit; sic etiam dehonestatur corpus, quod sceleri ministeriale officium flagitiosè exhibuit! Nec bonitas ei tuto creditur, qui semel ad malitiam expromptus fuit? Sanctum etiam ac legitimum cum Tobia coniugium, prudenter timetur à bona Sara, quæ nuptias cum viris infidelibus, aliquoties infestauit, zelotypo Dœmonis astu illius ergo funestante connubia.

Suspectum semper est, quod semel malitiam exeruit.

Hic v. 11.

2. Marci 14. prædicêti Christo discipulos omnes in nocte illa scandalum ignaue passuros, cõstantiam in fide charo Magistro debita, audacter Petrus spopondit. Et reliquis infidè fugientibus, ipse subfugit; Magistrum enim sequebatur à longè. Sed quo propius dissimulanter accederet, ingressus est in Pontificis domum, quo Iesum deduxerant vinctum. Et cum esset Petrus in atrio deorsùm, venit vna ex ancillis summi Sacerdotis & aspiciens illum, ait: Et tu cum Iesu Nazareno eras. Ignotum alioqui hominem, esse Christi discipulum ex facie cognoscit, vel in facie scintillat Christianismus? At ille Magistrum dediscens, suam infideliatem negatione didicit. Eadem interrogatio iteratur, & responsum adsimile. Et post pusillum rursùs qui astabant, dicebant Petro verè ex illis est: nam & Galilæus est. *Ille autem cœpit anathematizare, & iurare, quia nescio hominem istum, quem dicitis.* Et statim gallus iterum cantauit Et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Iesus: Prius quam gallus cantet bis, ter me negabis: *Et cœpit flere.* Benè *cœpit* flere, qui nuper malè *cœpit* negando anathematizare. Respexit Dominus Petrum, & apertis oculis, oculis inquam, lachrymantibus linguæ errorẽ emendare cœpit. Ergò Petrus prorupit ad lachrymas, nihil voce precatus. Inuenio quod oculis fleuerit; non inuenio quod aliquid ore dixerit. An non præstaret, vt quem sermone palam negauerat, sermone coram profiteretur, & ore veniam errati postularet? Bellissimè S. Maximus ita super hac re philosophatur: *Ideo,* inquit, *Petrus iam non vtitur sermone quo fefellerat, quo peccauerat, quo fidẽ amiserat, ne per id ei non credatur ad confitendum, quo vsus fuerat ad negandum, ac per hoc mauult causam suam flere, quam dicere, & quod voce negauerat, lacrymis confiteri.* Nempe Petrus lingua negauerat, timet ergo negatrici linguæ confessionem credere, *quia sermo in precando fortè fallit, lachryma omnino non fallit.* Lingua ad malitiam effusior, vel ad satisfactionem Petro suspecta est. Ex oris negatione, velut malitiæ characterem linguæ impressum, si non clarè legit, saltem cautè veretur; & qui verbis deliquit, nõ se tuto verbis credit: nec fidelem putat linguam ad confessionem, quæ ita infide effutiit negationem. Taciturnitate ora obsignat, vt lacrymis delictum deleat, quod suspecta iam voce pudor est confiteri. Loquantur fidelius lacrymæ, ne lingua fidei inops, confessionem erubescat. Silentio emendare præsumit, quod incautè loquendo deliquit, & inde fidelibus oculis linguæ infidæ committit officium. Lacrymę itaque tacitę quodammodo preces sunt, quæ veniam non postulant, & merentur; causam non dicunt, & misericordiam consequuntur. Lingua iam mihi suspecta, ad bonitatem forsan fallet, quæ sic me ad malitiam fefellit. *Ideo Petrus iam non vtitur sermone quo fefellerat, quo peccauerat, quo fidem amiserat; ne per id ei non credatur ad confitendum, quo vsus fuerat ad negandum.* Quod semel infidum deprehenditur, etsi in illo non duret infidelitatis reatus; diffidentiæ tamen metu, & solerti cautela diu deuenustatur. Quis semel infideli deinceps tuto se credat? *No fia Pedro la confession de Christo, à la lengua que le nego, y assi substituye lagrymas en lugar de palabras.*

Marci 14. v. 72.

Petrus sermone quo fefellerat, non vtitur ad confessionem.

Max de Pœnit. Petri hom. 3.

Geneseos 32. Iacob è Mesopotamia redux in Chananitidem, pauidè timet fratem Esaü; plus metuens conscientiam fraudis, quàm numerosum offensi fratris satellitum. Fraudem vix negare poterat, dicente Patre: *Venit germanus tuus fraudulenter*; neque eam excusare quibat, cuius causa fugam in Mesopotamiam iniit. Ergo ad preces confugit, aiens: Erue me de manu fratris mei Esaü, quia valdè eum timeo. Et præmissis muneribus, atque vltra vadum traductis omnibus, quæ ad se pertinebant, mansit solus. Et ecce vir luctabatur cum eo vsque mane, (quem multi putant fuisse Angelum fratris Esaü) Qui cum videret, quòd eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit. Dixitque ad eum: *Dimitte me*, iam enim ascendit aurora. Respõdit. *Non dimittam te nisi benedixeris mihi. Ait ergo: Quod nomen est tibi? Respondit: Iacob. At ille, Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* Quare cum Iacobus timet fratrem suum Esaü, ipsius Esaü Angelus illi apparet, & cum eo luctatur? & cur Esaü Angelus Iacobo nomen mutat, & Israëlis nomen tunc illi facit? Quid vocabulum *Iacob* ad irritandum Esaü facit? quid nomen *Israel* ad illum placandum conducit? O friuola vocabulorum prælia? Cùm anxiè Iacobus timet fratrem Esaü, tunc Iacobi nomen, in nomen Israël cur demutat? Opportunè ad thema præsens sic præscripta verba commentatur Abulensis: *Non dimittam te,* (inquit Iacob) *nisi benedicas mihi: idest, donec confitearis quod benedictiones, quas pro Esaü requiris, mihi debitæ sunt. Quia resistere non potuit Angelus, compulsus est benedicere. Non inquit, compellabitur Iacob, idest, supplantator*

3.

Genes. 32. v. 27. & 28.

Iacob mutat nomen, ne adhuc sit fallacia suspectus.

Abul. ibi q. 5

tator, & deceptor, quasi benedictiones ex fraude obtineret. Sed vocabitur Israel. Interpretatur Israel, vir videns Deum, vel fortis cum Deo. Scilicet Iacob notatus fuerat geminatæ fraudis, dicente Esaü: *Iustè vocatum est nomē eius Iacob: supplantauit enim me en altera vice: primogenita mea ante tulit, & nunc secundo surripuit benedictionem meam.* Ergo cum Iacobus panidè timet fratrem Esaü, arcanè fraudis memorem, non audet coram eo apparere, nisi eius tutelaris Angelus palam fateatur, sibi deberi benedictiones, quas à Patre accepit, & mutetur nomen Iacob, quod *supplantatorem*, aut *deceptorem* significat. Sic vel vnica fraus de mysterio arcana, & à mendacio immunis, Iacobum virum candidum, & simplicem deuenustauit, vt necesse illi fuerit suspectum Iacobi nomen mutare, & Esaii fratris Angelum luctando, & victoriando cogere, vt palam fateatur, sibi, non fratri Esaü deberi acceptas arte benedictiones, & nullatenus illis fraude potitum: Sic vir simplex, & minimè malus, dubij alicuius doli suspectus: putatur fraudis reus, & fraudulentum exinceps fore existimatur: Nomen Supplantatoris illi medullitus extrahendum est, & proprij Angeli suffragio declarandum, sibi benedictiones deberi, easque arte; non fraude acquisiuisse: Tā altè hæret fraudis opinio, in eo qui semel astutiæ insimulatus est: Semel astutus, perpetuæ fraudis charactere inuritur. *Non, inquit* Angelus, *compellabitur nomen tuum Iacob, idest, supplantator, & deceptor, quasi benedictiones ex fraude obtineret.* Petrus iam non vtitur sermone, quo fefellerat; ne per id ei non credatur ad confitendum, quo vsus fuerat ad negandum. Nec Esaü de fratre Iacobo fraudulentiæ suspecto, credit fraudulentum non esse, donec supplantatoris relinquat nomen, & proprij Angeli suffragio innotescat, non per fraudem, sed per Dei dispensationem benedictionibus potitum.

Gen. 27. v. 36

4\. Hinc fortè Plato cum suæ scholæ autoramento existimabat; vnquam sensui credendum fore, quia semel aut iterùm falsitatis conuictus est. *Vnde ista tormenta cruciandæ simplicitatis, & suspendendæ veritatis?* Sibi respondet Tertullianus: Certè Plato in Timæo irrationalem pronunciat sensualitatem, & opinioni implicatam. Itaque mendacium visui obiicitur, quòd remos in aqua inflexos vel infractos asseuerat aduersus conscientiam integritatis, quòd æquissimam porticum angustiorem in vltimo infamet, quod cœlum tanta sublimitate suspensum mari iungat. Perindè auditus fallaciæ reus, vt cùm cœleste murmur putamus, & plaustrum est: vel tonitru mediante, pro certo de plaustro credimus sonum. Sic odoratus, & gustus arguuntur; siquidem eadem vnguenta, eademque vina posteriore quoque vsu depretiantur. Sic & tactus deprehenditur; siquidem eadem pauimenta manibus asperiora, pedibus leuiora creduntur, & in lauacris idem calidus lacus feruentissimus primò, de hinc temperatissimus renunciatur. Adeò inquiunt, sic quoque fallimur sensibus, dum sententias vertimus. Hucvsque Tertullianus, à quovis facilè expendendus.

Tertul. lib. de Anim. c. 18. & 17

Quinque sensuum fallacia, proditur.

§. CCLXXIX.

Dignissimo cuique tantum decerpitur de fruge peritiæ, quantum accesserit de fauore.

1\. PAr quidem discipulis incipiens magister est, & tyroni militi nouitius agminum ductator: ætas etiam sua meritis est, qua hactenus infabricata elimantur peritia: expertis honor debetur ingeniis, vix mediocrem cultum exigunt non probati, & inter exordia doctor, nulla est ab auditoribus sorte sublimior. Illa sunt vera præconia, quæ longus sudor elicuit: *blandimentum est, non iudicium quoties laborem gloria ingesta præcesserit.* Inter maculas numeret, quoscumq; triumphos ante discussionem campi miles adquirit. Laureata imperitia, ambitionis trophæum est, & gloriosum affectatæ ignominiæ notaculum. Immerenti Diadema pro calceo est, quo imperitum caput splendidè calceatur coronæ stemmate. Ecce nec illos decet ante meritum prædicatio, à quibus iustè poscitur post laborem. Iustè quidem posciitur muta lingua, & meritorum voce; sed vt iniustè, ita & crebrò negatur: & res meriti facta est negotiosi fauoris industria; adeò, vt quod exploratum meritum placeat species blandimenti fit, & gratia acceptantis. Quod perspicuum bonum ad gratiam arrideat, alieni iudicij beneficium est, & impensus bonitati fautor, qui meritorum arbiter factus est, de nutu meritta cudens, inuidiæ, aut beneuolentiæ, aut ignorantiæ, aut auaritiæ typo. Sic sunt inania, ac penè nulla hominum iudicia, vt aliis debeas, quod qualis sis habearis: Sic humanus de aliis census, petulanter scortatur vaga iudiciorum libidine: Vsqueadeo adulterata æstimatione, corrupta erat bonæ Saræ opinio, vt stupeat eius pater, atque fauori imputet, quod pia, ingenua, locuples, & venusta puella ad peregrini hominis nuptias expetatur: Innocentia innocenti mirè placet, rectum de Sara iudicium Tobiæ debebatur.

Blādimentum est, non iudicium, quoties laborem gloria ingesta præcessit.

Ennod. ibi allegandus.

Hic vers. 11

2\. Esther 6. Rex Assuerus exaltauit Aman, qui erat de stirpe Agag, hominem inuidia sordidum, Regi infidum, & clācularium regni proditorem, Mardochæus vero genere, religione, pietate, & prudentia nobilis, quique Regem ab aulicorum insidiis strenuè liberauit, pro foribus palatij iussus aderat, diu inglorius. Accidit autem vt Rex noctem traduceret insomnem, & tædio nocturnæ vigiliæ nauseans, iussit sibi afferri historias, & annales priorum temporum. Quæ cùm illo præsente legerentur, ventum est ad illum locum vbi scriptum erat quomodo nunciasset Mardochæus insidias Bagathan, & Thares eunuchorum Regem Assuerum iugulare cupientium, *Quod cum audisset Rex, ait: Quid pro hac fide honoris, ac præmij Mardochæus consecutus est? Dixerunt ei serui illius, ac ministri: Nihil omnino mercedis accepit.* Tunc supra omnes regni Dynastas Mardochæus exaltatus est, & præmiū, quod meritis debebatur, ministrorum fauore obtinetur. In Mardochæi manu silebant merita, quovsque ministrorum ore, & censu, ad gratiam Principis acceptantur. Inuisa latebat innocentia, peritia, & fides Mardochæi, vsquequò de ministrorum

Esther 6. v. 3.

Tantùm decerpitur de fruge innocentia, quantum accesserit de fauore.

ftrorum fauore placuit, quasi placendi gratiam, non tam à bonitate sua quam ab alieno fauore mutuaret. Pulchrè Ennodius sic tépestiuè aliorsùm fatur; *Nostra è diuerso prolixo distat calle conditio, quibus tantum decerpitur de fruge innocentiæ, quantum accesserit de fauore.* Aman impiè infidus, larua fabricandæ fidelitatis tectus. Regi placuit, & primum thronum post Regem occupauit. E diuerso auté Mardochæi despicati æquè ac fidelis prolixo distat calle conditio, *cui tantum decerpitur de fruge innocentiæ, quantum accessit de fauore.* Mardochæi bonitas, innocentia, fidelitas, oculorum neglectu ingloria omittitur, & fauori debet, quod Regi placuerit, & sicut diu apud homines sordluit, adhuc squaleret, nisi de opportuni relatoris propitio ore, & iudicio, adornata niteret. Tantùm decerpitur de fruge innocentiæ, sapientiæ, peritiæ, *quãtum accesserit de fauore*, (à quo ô malum!) olim, & nũc vim placendi bonitas fœnerat. Eximia bonitas fauore viduata, inuisa latet, illaudata negligitur, impræmiata sordet; sed de fauoris lenocinio adornata, micanter scintillat ad gloriam, & ad summas Reipublicæ dignitates acceptatur idonea, quæ nuper de se quasi inidonea, indecoro neglectu omittebatur. Bonus Mardochæus, bonus Tobias, quibus etsi bonitatis laude prælustribus, *tantum decerpitur de fruge innocentiæ, quantum accesserit de fauore*, quasi fauor sit meritorum typus, quo dignitas ad placendũ cuditur, & inconsultum aliorum iudicium sit bonitatis arbiter, & iniustus meritorum sequester.

Ennod dict. 5.

3. Geneseos 1. prima Mundi die cœlos affabrè tornatos, è nihilo condit Deus; terram supra inanitatem suam fundat, aquæ elementum altè stagnare facit, & vagum aërem spatiosè terris oppãdit inaspectabili obiectu. Lucis inopia caligant omnia, & infectæ tenebræ cuncta squalidè occupant. Imò nec in vasto cœli globo, nec in spatio sublunarium ambitu, aliquis spectator adest, needum enim Angeli creati fuerant, nec homo efformatus. Hactenus Mundus vni Deo theatrũ est, qui vel tenebrosa perspicuè videt. Postmodum lucem accendit: Tenebræ erant super faciem abyssi, & opifex Spiritus ferebatur super aquas. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux. *Et vidit Deus lucem quod esset bona: & diuisit lucem à tenebris. Appellauitque lucem Diem, & tenebras Noctem.* Quas laudes nos diximus ipsâ luce dignas, quæ suæ bonitatis testẽ ipsum iam suum habuit Creatorem? Nam & apud nos oratio cedit oculis iudicioque ipsorum quippe quæ tantum dicere nequeat, quantum aspectus antecedens testatur. Sed quid est, quod vix enata lux sic opifici Deo placet, & tãquam eximiè placens de bonitate laudatur; & vbi primum vidit, quod esset *bona*, eam à tenebris festinata segregatione separauit? Quid est: *Separauit* lucem à tenebris? num clara lux cum cœcis tenebris misceri potest? Glossa ibi: *Præfixit Deus tã tenebris, quam luci proprios terminos, loci, temporis, motuum, ac nominum.* Mirissimum planè est, & quod in re ethica sacramento non vacat, tam properanter lucem segregatã à tenebris, cum quibus misceri non potest, quantumvis ad congressionem nitatur. Quis enim hominum tam lippus exinceps foret, qui lucem, quã Deus *bonam* pronunciauit, cum tenebrarũ imbonitate confundat? Appositè inibi S. Ambros. *Fit ergo inter lucem, & tenebras discretio, vt separata lucis natura, atque tenebrarum, nihil videantur inter se habere confusum.* Nimirum ante hominũ creationem Dei sedulitas præcauet, vt hominibus intimetur, quòd lux à tenebris protsùs *discreta* est, ne de proprio ipsorum nutu *bona* lux, & non bonæ tenebræ confundantur, ne lux, quæ de agnato sibi elogio, & *bona* est, & *bona* à Deo pronunciatur, bonitatis prærogatiua cõfusaneo hominum aspectui vllatenus debeat. Sibi, & factori lux de bonitate gratuletur, non superbè caliganti hominum iudicio, qui de nutu rem taxant, & quibus debet *bonitas*, quod illis arrideat, & eisdem placeat, ne *bona lux* tantum decerpat de bonitatis fruge, quantum asserit de fauore. Consultissimè *ergo fit inter lucem, & tenebras discretio, vt nihil videantur inter se habere confusum.* Porrò si aliquid confusaneum in luce foret, exertum suæ *bonitatis* elogium spectatoribus deberet; tantamque bonitatem habere videretur, quantam mutuaret de fauore. Sed non semper bonitatem, quã habet à fauore mutuauit, super quo grauibus nimis Propheta expostulat: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.*

Discretio fit lucis à tenebris, ne sua bonitatis confusum spectoribus debeat.

Gen 1. v 4. & 5.

Glossa ibi.

Ambr ibi.

Isaiæ 5. v. 20.

O crebrò resonet in Electorum auribus consultissima illa Aurelij Cassiodori vox, quæ & Rempublicã benemeritis, & electores laudibus adornet: *In lucrum cedunt, quæ benemeritis conceduntur; & de ipso munere magis acquiritur, cum optimis dignapræstantur.* Sibi inuidet, qui optimis neglectis, te pusillos, fauore magnos promouet, sublimitate ipsâ postmodum infelices.

5. Cassiod. lib. 4 epist 24. *In lucrum cedunt, quæ benemeritis, conceduntur.*

Exhodi 10 extendit Moyses virgã super terram Ægypti, & Dominus induxit ventũ vrentem tota die illa, & nocte, & mane facto, ventus vrens leuauit locustas. Quæ ascenderunt super vniuersam terrã Ægypti, *Operueruntque vniuersam superficiem terræ, vastantes omnia. Deuorata est igitur herba terræ, & quicquid pomorum in arboribus fuit, nihilque omnino virens relictum est in lignis, & in herbis terræ, in cuncta Ægypto.* Quæ sunt istæ locustæ omnia vastantes, & vernantes tunc campos (tot, inquam, spes fructuũ) atrociter deuorantes? S. Prosper sic respondet: *Locustarum multitudo vexans omnia radicitusque exterminans, falsarius est, multa variaque confingens, qui rodit vt locusta famam, vitam, actus que alienos donec totum aduersus quem falsa confingit, radicitus exterminet.* Parùm foret, quod *Falsarius* obmurmurator famam denigret alienam, aliorum actus; imò & *vitam* sic rodit & deuorat, vt radicitus exterminet. O malum fallatæ detractionis atrocissimum? Verùm Anselmus Laudunensis aliter de his locustis philosophatur: *Deuorata est igitur herba terræ, &c.* id est, *fauoribus elata.* Nempe omnis apparenter terrenus flos, viror omnis, omnisque terræ venustas, *fauoribus elata* (quippe quæ subnixa est, non cõdigno ad sublimitatem merito, sed empto Procerum patrocinio) non tantum languet, & marcescit propudiosâ macie; sed nigro corrosu miserè vastatur, & radicitus deuoratur. Exiguus meritis, *fauoribus elatus*, dũ in fastigio est, magnus dicitur, sed pusillus adhuc est. Quid tãtùm iuuat mendaciter dici, quo tantummodò verè esse prodest? Ad Reipublicę verticẽ ascendisti, vt tenuitas tua *fauoribus elata*, & patrociniis suffulta, ostentui habeatur, omnium oculis, & linguis prostitura. Quid humanũ fauorem exambis, à quo tibi tantoperè cauendum foret?

5. Exhod. 10. v. 15. *Obmurmurator falsarius, famam, & vitam radicitus deuorat.*

Prosp. 1. p. c. 36.

Ansel. Laud. ibi. *Fauor humanum patrocinij obsequio, candidati famam deuorat.*

foret? *Deuorata est igitur herba terræ*, &c. id est, *fauoribus elata*. Fauoribus efferri, abrodi est, deuorari est, deuastari est; ipsâ muneris sublimitate personæ exiguitatem prodente; dum amplo muneri imparem euulgat, & committendis erroribus prostituit. Quin & dignissimo cuique tantùm decerpitur de fruge peritiæ, quantum accesserit de fauore.

---

§. CCLXXX.

Timor Dei dum eum honorat, diuinæ iustitiæ patronus dicitur.

1. Seneca in Troade. Hieronym. epist. 127.

Cvipiam quærenti, *Victor timere quid potest?* consiliosissimè responsum est: *Quod non timet*, prudenter! ideali eruditione ad morum disciplinam. Nam vt dixit Hieronymus: *Timor virtutis est custos securitas ad lapsum facilis*. Qui præsumit, minùs veretur, minùs præcauet, plùs periclitatur. Timor fundamentum securitatis est, præsumptio impedimentum timoris. Qui securus agit, non est sollicitus, non possidet firmam, ac tutam securitatem. Timor, non est spei tirubatio, sed securitatis asylum, dediscit enim perire, qui ne pereat, discit præcauere. Vbi metus nullus, ibi nulla securitas, vbi autē metus integer, probatio securitatis de periculo inuenitur. Vnde prudentis cautela timoris, & timendi causas arcet, & Deum, quem timet, sumptuosius honorat, indeque decantatissima illa Poëtę sententia: *Primus in orbe Deos fecit timor*, quos sub Pauoris, Pallorisque nomine Tullius Hostilius Romanorum Rex figurauit, & coluit, de quo amœniores litteræ vsque ad lectoris nauseam.

Timor virtutis est custos: securitas ad lapsum facilis.

2. Exhodi 9. adhuc obstinatè flecti-nescius Pharao, tot hactenus plagis minimè cedit. Dixitque Dominus ad Moysen: Mane cōsurge, & sta coram Pharaone, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi. *Quia in hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum.....vt scias quia non est similis mei in omni terra.* Solerter peruestigandū est, quomodo Deus illa vice omnes simul plagas in cor Pharaonis vibrarit; & quo pacto inde eius augusta diuinitas gloriosè comprobetur. Litteralissimè notant attentiores Interpretes, his verbis nō innui (sicut eousque) aliquā iam iam imminentē Pharaoni plagam; (neque enim tunc Ægyptus grassantis pestilentiæ contagio infecta fuit) sed continere impendentium calamitatum cumulum, quo Pharaoni timorem acrioribus minis Deus incutiat, non quo Pharaonis corpus sauciet. Scilicet cùm Deus timorem sui extorquere intentat, dicit: *In hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuū.* Consultissimè quidem cùm timor immittitur, nō ait, Mittam plagas meas in corpus; sed *in cor tuum*. Cor enim timore concutitur, non verò corpus timore feritur, vt inibi apprimè notauit Caietanus. Sed expēsione dignissimum est, quo pacto cùm timorem immittit Deus, dicat *In hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum.* Num omnes plagas, seu calamitates, quas omnipotentia vibrare potest timorem immittens, vibrat, & fulminat? Ita facile exhauritur infinitus plagarum thesaurus, in tota Dei omnipotentia ad punitionem impiorum seruatus? Verùm enimverò quisquis Dei iram attentiùs, ac viuaciùs timet, omnes omninò diuinæ omnipotentiæ plagas *in corde suo* timet; eiusque cor omnibus omninò plagis vna sauciatur. Humanum corpus impar est sustinendo infinitas plagas, ergo eas omnes in timore quasi addensat, & abbreuiat Deus quò acerbius timētium corda opinione vulneret. Porrò *cor* pauidū tot plagas formidat, quot tota Dei omnipotentia eualet fulminare. Exinde cùm timorem sui immittit Deus, consultissimè ait: *In hac vice immittam omnes plagas meas super cor tuum.* Et tempestiuè additur, dum tantum sui timorem ingerit Deus, *Vt scias, quod non sit similis mei in omni terra.* Ingens enim Dei timor magnā in Deum gloriam reuerberat, quod peregregiè notauit Tertullianus, sic de Exomologesi, seu exteriori pœnitentium confessione, fatus: *Hæc omnia exomologesis, vt pœnitentiam commendet, vt de periculi timore Dominum honoret; vt in peccatore ipsa pronuncians, pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat.* Itaque asperioris pœnitentiæ ambitiosus squalor, quem incussus Dei timor extorquet, & diuinæ misericordiæ adulatur, dum temporali pœnitentiæ afflictione, æterna gehennæ supplicia redimit, & leuia in peccatore pronuncians, grauissima frustratur, & expungit: tum etiam pœnitentium timor diuinam iustitiam commendat, cùm *de periculi timore Dominum honoret*. Quo autem pacto timor humanus diuinam iustitiam commendet, & honoret, iam iam explicatius traditur.

Exhod. 9. v. 14.

Timor omnes Omnipotentiæ plagas sibi imminere existimat.

Caietanus. ibi.

De periculi timore, ab homine Deus honoratur.

Tertull. de Pœnit. c. 9.

Geneseos 3. Adam nimis vxorius, & gulę illecebris, & auaritia gloriæ & scientiæ ambitione. Dei præceptiones contēptim proculcat. *Et cum audissent vocem Domini Dei deambulātis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.* Quid est quod post peccatum hominis in paradiso Dominus iam non stat, sed deambulat? nisi quod irruente culpa se à corde hominis motum demonstrat, quem iam in suo præcepto stabilem non videbat. Quid est quod ad auram post meridiem, nisi quòd lux feruentior veritatis ab eo abscesserat, & peccatricem animam culpæ suæ frigora constringebant? Increpauit ergo Adamum deambulans, vt cœcis mentibus nequitiam suam non solum sermonibus, sed etiam rebus aperiret, quatenus peccator homo, & per verba (quod fecerat) audiret, & per deambulationē amisso æternitatis statu, mutabilitatis suæ inconstantiam cerneret; & per auram feruore charitatis à se expulso, torporem suum animaduerteret, & per declinationem Solis agnosceret, quòd ad tenebras propinquaret. Hæc ante increpationis verba, rebus ipsis Deus Adamo fugienti denunciat. Sed attentiùs audiamus oculis, quid ipsâ re fugæ Adamus præuaricator Deo loquatur, priusquam ore respondeat. Leontius in Serm. de Creatione, ad illud: *Abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei*, &c. ita luculenter scribit, inducens fugientem Adamum sic cum Deo loquentem: *Cum rem cum tali reo habeas, non habeo causæ dicendæ libertatem, suscipe timorem, qui peccatum meum purget, & qui sit patronus tuæ iustitiæ. Vincere te ostendi fugiens sententiam tuam. Crimen fuga detexi, ostendi errorem defendi non posse.*

1. Gen. 3. v. 8.

Adami fugitiuus timor, fit diuinæ iustitiæ patronus.

Leontius in ser. de Creat. & Lazaro apud Photium

Nempe

Nempe Adamus pauidè fugitiuus timorem fuga præfert, qui crimen detegit, dum ostendit errorem defendi non posse qui fuga publicatur. Sed notanda est Leontij sententia acuminis plena: *Suscipe*, (inquit Adamus) *timorem*, qui peccatum meum purget. Et quasi hoc parùm foret, addit: *Et qui sit patronus tuæ iustitiæ*, ac si peccatoris seuerius puniendi timor, sit diuinæ iustitiæ *patronus*. Diuinæ iustitiæ rigor in Adamo cum tota sobole puniendo, alicui forsan videbitur nimis acerbus, & summæ Dei clementiæ indecorus: ergo ipsius inconsulta à Dei oculis fuga suum prodat timorem, & grauiorem propalet conscientiæ reatum, quo diuinæ iustitiæ seueriùs castiganti opportunè *patrocinetur*, dum timor timendi causas de adytis conscientiæ apertiùs resignat. Scilicet magnus timor de reatus opinione medullitùs conceptus, exercendis rigoribus *patrocinium* offert, & dum pauidè timentem sceleris arguit, iustitiæ adulatur: *Suscipe timorem, qui sit patronus tuæ iustitiæ*: nam *de periculi timore Deum honorat*, vt nuper ex Tertulliano expendebamus.

4. Lucæ 21 v. 25 26. & 27.

Lucæ 21. Tremenda quæ præcedent signa, extremè formidandam supremi iudicij diem, adstantium timorem, & summam Iudicis majestatem, quando exerta diuinitate orbem iudicabit; his verbis Christus prænunciat: *Et erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis, & in terris pressura Gentium arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi: nam virtutes cœlorum mouebuntur, & tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & maiestate.* Præuium creaturarum pauorem, *furoris proœmia* appellauit Eusebius. Arescent homines præ timoris magnitudine; nam vt sententiosè dixit Ennodius: *Vincitur humana mentis auctoritas præuisione periculi, labascit fortium conscientia, quoties formidanda oculis ingeruntur.* Et quasi parùm foret, quòd vel insti homines arescant præ *timore*, præ *expectatione* etiam arescent: nam vt eleganter idem Ennodius edisserit? *Plus timendum est, quoties desideria nostra spes vicina succendit.* Vel potiùs (vt acutè dixit Hildebertus) *vtrumque posuit spem, & timorem. Spes sine timore præsumptio est, timor sine spe desperatio.* Parum est homines in velut *furoris proœmio* ante venturum Iudicem timore corripi, & expectatione concuti: *Non solum autem mortales fluctuabunt cùm alterabitur mundus, sed etiam Angeli stupebunt in mutationibus vniuersi*, ait inibi Theophylactus. Quare cùm Deus venturus est omnium Iudex, acerbiores æternaturæ gehennæ pœnas seuerissimè incussurus; tot præambulis creaturarum timoribus præstruitur? Num tantus præuiè timor facit ad magnam iudicis *maiestatem*, qua diuina iustitia rigores exercebit? Redeat iterum Leontius nuper laudatus: *Suscipe timorem, qui sit patronus tuæ iustitiæ.* Nimirùm iustitia Dei, vt summos rigores, in miserrimè damnatos exerceat, humani timoris patrocinia præmittit: nam timor testis est conscientiæ, & præcoqua sententia seuerus Iudex, qui tribunalium rigores honestat. Itaque incussus orbi pauor *de periculi timore Deum honorat.* Ergo viuorum, atque mortuorum iudex aderit, *cum potestate magna, & maiestate*, idest, *in gloria digna Deo*, vt commentatur Chrysostomus, qua in exerta diuinitate fulgebit, & quam creaturarum timor, *iustitiæ patronus honorabit.*

Timor vincit humana mentis auctoritatem.
Eusebius in Catena ibi.
Ennod in Panegyr.
Plus timet spes vicina.
Idem lib 1 epist. 10.
Hildeb ser 1
Spes timori iungenda.
Theoph ibid
Cur vltimum iudicium tot creaturarum timoribus præstruitur.
Leont. sup.
Chrysost in Catena.

Tertullianus in lib. de Pœnit. cap. 5. ita scribit: *Si idcirco te deliquisse pœnituerat, quia Dominum cœperas timere, cur quod metus gratia gessisti, rescindere maluisti, nisi quia metuere desisti? Neque enim timorem alia res, quam contumacia subuertit.* Ad quæ verba eruditè notat Commentator, quod *Timere Dominum, & Dei timor est in Tertulliano, gratum esse, & honorare Deum, & illi opponitur contumacia, & contemptus Dei.* O bona synonyma, Dei timor, & honor Dei! Item, Dei timor, idem est, ac *gratum* esse. O arcanum gratitudinis genus! Hoc genere gratitudinis præmaturè Tobias hîc gratificatur Deo optimæ coniugis gratiam, quam aliis innumeris Deus vbertim cumulauit: hoc etiam timore Deum sumptuosiùs honorauit.

5. Tertul. de Pœnit c. 5. Cerda ibi. n. 42.
Timere Deum idem est, ac gratum esse, & Deum honorare.
Hic v. 12.

§. CCLXXXI.

Obstringitur ne diuina misericordia aliquo benignitatis debito, in deplorata necessitatis articulo, opem calamitoso ferre?

Languent per inertiam saginata, ne labore tantum, sed mole, & ipso sui onere deficiunt. Non fert vllum ictum illæsa felicitas. At vbi assidua fuit cum incommodis suis rixa, callum per iniurias duxit, nec vllo malo cedit: sed etiamsi succederit, de genu pugnat. Miraris tu si Deus ille bonorum amantissimus, qui illos quàm optimos atque excellentissimos vult, aduersam illis fortunam cum qua exerceantur, assignat? Ego vero non miror, si aliquando delectatur spectando magnos viros colluctantes cum aliqua ingenti calamitate. Miraret tamen si eos strenuè decertantes, ope destitueret, qui suprà id quod possunt, homines tentari non patitur. Cùm boni viri partes penè fractas vides, tunc audentiùs cœleste auxilium spera: nam consultior Dei prouidentia, occasiones timatur, quo opportunius auxilietur in necessitatis articulo, ad diuinioris gloriæ auctarium O! quis tunc ignave desperet, cum audentius erat illi sperandum, deploratæ necessitatis suffragio. 1.

Cur Deus iustos calamitatibus exercet?

Ioannis 11. Languet Lazarus periculoso morbo, abest Christus, sed sorores perbreui Epistola, Christi pulsant affectum, interpellant amorem, conueniunt charitatem, & necessitatem necessitudine cupiunt submonere. Sed Christus dilecto Lazaro decertanti cum lethali morbo, non lāgoris medicinam, sed resurrectionis gloriam mox parauit. Dat locum morti, solemni pompa effertur cadauer, ambitioso planctu funestatur Lazarus, conditur in sepulchro, fœtidè computrescit. Mox adest Christus, nec tam ad infirmi opem, quàm ad consolationem defuncti parabatur. Martha autem infidè fidelis, vt audiuit quia Iesvs venit, deuotione alacri occurrit ei, dicens: *Domine, si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus.* O mulier, Deum confiteris, dum credis sanare desperatum posse, & addis, Si hîc fuisses? Deum nec absentant loca, quemadmodum nec tempora repræsentant. Pulchrè Chrysologus super his Marthæ verbis ita fatur: *Domine, si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus. Hæc mulier non credit, sed credere conatur, cuius credulitatem incredulitas confundit.* Et quomodo mulier, quæ credit, *quia tu es Christus filius Dei viui*, incre- 2.

Ioan. 11. v. 21
Chrys. ser 63
Quare Martha credulitatem incredulitate confundat.

dula censetur,& credulitatem nunc incredulitate confundere dicitur? Quæ indubiè credit Iesum Christum esse filium Dei, Deumque verum, quare incredulitatis arguitur, quia dicit: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus?* Plura significat, quàm dicit Chrysologus. Scilicet, ait Christus: tot signis,& prodigiis suadentibus, me Deum putas, sed cùm aduerteris me articulo necessitatis abfuisse, quin opem opportunè ferrem Lazaro extremè periclitanti, abduceris ab hac fide: vnde *credulitatem incredulitas confundit; conarisque credere, sed non credis*, Deum esse, qui in tempore extremæ necessitatis periclitanti amico non adfuit, quasi elogium sit Dei, & diuinitatis character, in extremæ necessitatis articulo subuenire indigenti. Putas me, iam opportunitate auxilij quodammodo transacta, importunum ad ferendam opem adesse, & inde discedis me esse Deum, quod miraculorum admiranda sublimitas persuasit. Post defunctum, & humatum,& deploratum fratrem adesse, qui in maiori periculo abfuit, à Deo alienum censes quasi in vrgenti necessitate adesse, sit diuinitatis nota, & eiusdem prouidentiæ indiuiduum elogium. Vnde dum Martha ait: *Domine si fuisses hic*, (opportunus in maiori necessitate) *frater meus non fuisset mortuus*, quibus verbis *credulitatem incredulitate confundit*. Sic putat procliue esse Deo, in maiori periculo calamitosis succurrere, vt quia potens tunc succurrere, abfuit, an Deus sit ambigat, dum credulitatem incredulitate confundit. Subtiliter planè Chrysologus! Sed Dauid explicatiùs.

3. Psal 9.v.10 — Regius Psaltes Psalm. 9. postquam multa Dei epitheta addensauerat, quibus diuinitatis elogiũ, vt vt potest ab hominibus, agnosceretur, ita pangit: *Et factus est Dominus refugium pauperi: adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.* (Ad Galat. 4. v.4.) Quæ verba Theodoretus, & Haymo interpretantur de Christi aduentu *in plenitudine temporis*, cùm pauperem naturam nostram ob multam transgressionis mendicitatem assumpsit. Hieronymus, & Augustinus vniuersè de illo, qui sit animo pauper,& flagello tribulationis abstrahitur à rerum istius mundi amore, vt præ diuinis æstimet se mendicum. Verum *pauperis* nomine extremè calamitosum intelligi, constat ex Hieronymo, qui loco *pauperis*, vertit *oppressum*, & Chrysostomus, *fractum*, seu *attritum*, Caietanus, *contritum*, interpretantur. Itaque proprium Dei elogium, & quasi diuinitatis character est, quod in opportunitate, dum pauper calamitosus, contritus, & fractus, maiori indiget ope, tunc illi tempestiuus subueniat. Ioannes Lorinus, Sanctorum Patrum expositionibus imbutus, hanc conflat huius loci expositionem, pietatis, & ingenij plenam. *Apertè refugium excelsum,& eleuatio respondet humiliato, conculcato, contuso, contrito. Refugium est Deus, & pater, & omnium Iudex: attamen pauperis dicitur, orphani, viduæ; quoniam destituuntur humanis auxiliis, & ad Deum recurrunt magis.* Nempè Deus extremè calamitoso suam opem imploranti, dicitur auxiliator *in opportunitatibus*, quasi *pater, & omnium Iudex*. An non in dies videmus, quàm eliquentur patris viscera, vt charo filio iam periclitanti opẽ ferat? Multa breui compediauit *patris* nomine, quod & blandam amoris teneritudinem, & exsomnem opitulandi curam denotat. Sed opinor, maiori emphasi addit, Deum auxilium ferre *in opportunitatibus*, vt *Iudex*, quasi ex iustitiæ debito misericordia teneretur extremè indigenti fauere, & opem ferre periclitanti. Dei Misericordia dum largiori beneficentia dona sua liberaliter impertit, liberè agit, nullo adstricta benefaciendi debito. At Dei iustitia, aliquod debitum in remuneratione importat, siue ex diuina promissione, siuè ex meritorum condignitate, siue aliunde exortum. Itaque cum Deus in vltimis necessitatibus,& humanitus desperatis imploratus opportunè auxilium fert calamitoso, sic opitulationem impendit, quasi ex iustitia, aut ex infinitæ misericordiæ debito tunc quodammodo auxiliari teneatur. *Factus est Dominus refugium pauperi, conculcato, contuso, contrito Refugium est Deus,& pater,& omnium Iudex, in opportunitatibus.* Ergo extrema calamitas non excutiat spem, sed negotietur fiduciam, & auxilij securos faciat in periculi asylo; nam tunc, tunc quidem Deus arcano quodam misericordiæ velut debito, extremè ærumnosis auxiliari solitat. Quod hic vers.13. pius Raguel palam expertus est. Hic v.13.

P. Ioannes Lorin. hanc expositionẽ conflat ex aliis Scripturæ locis. & huius versiculi translationibus, & Patrum inibi cõmentariis, *Debet-ne Dei misericordia extremè periclitanti succurrere?*

4. Ennod in euchar. de vita sua. *Miseria suffragio gratiã extorquens.* — Magnus Felix Ennodius in Eucharistico de vita sua, ita Deum alloquitur. *Votiua febris mea necessitas, & exustio amplectenda medullarum, dederunt mihi, & timere Deum de ambitione sospitatu, & in ipso gaudere de reditu*, (& post pauca) *Ad medicinam tuam venire, nisi suffragio vulneris non valemus.* Scilicet febris necessitate, & vulneris suffragio, ad medicinam venit, & salutem inuenit. Sic necessitas veniam exorat: Quàm potenter diuinam opem Calamitosus deprecatur, linguato calamitatis vigore! Exhodi 2. *Ascendit clamor eorum* (filiorum Israël) *ab operibus.* Quæ verba sic exponit Caietanus: *Prius descripsit, quod suspirauerunt, & clamauerunt filij Israel oppressi ab oneribus: modo describit, quod clamor tanta fuit vis, vt ascenderet ad Deum ex seruitiis. Docet namque vt afflictio tam crudelis seruitutis, vires prabuerit clamori ad perueniendum ad aures summi iudicis.* Audis ipsam calamitatem vires orationi præbere: Acerbitas tribulationis vigor est orationis. Ærumnarum vigore preces armantur, & calamitatum suffragio oratio impetrat. *Ad medicinam tuam venire, nisi suffragio vulneris non valemus.* (Exhod 2.v. 23. Caiet. ibi.)

5. Exhod.6.v.5 — Exhodi 6. dira patitur Hebræa gens sub Ægyptio iugo; & spe populariter excussa, virorum obliti, muliebriter gemunt lugubri eiulatu, qui cœlos tundit. Et ait Dominus ad Moysem: *Ego audiui gemitum filiorum Israel, quo Ægyptij oppresserunt eos, & recordatus sum pacti mei*, &c. Quando Deus suorum recordatur. Quando *audiui gemitum filiorum Israel, quo Ægyptij oppresserunt eos.* O Deo dignum encomium! Profectò cum homo videt amicum calamitate oppressum, confestim omnes necessitudine desuescit, illiusque ingratè obliuiscitur. Quando autem vices fortuna venit, mox animum illius memoria subit, quasi prosperitas recordationem suggerat, calamitas obliuionem. Deus verò, vt felicium altè obliuiscitur, sic infelicium festinè recordatur. O beatam calamitatem, quæ quodammodo ars est diuinæ memoriæ, & beneficæ recordationis illex! Imò vidisse miseriam, illam propemodum abstulisse est: vt oppressorum gemitus audisse, exaudisse sit. Audiendus est Lipomanus, qui sic præfata verba exponit: *Ego, audiui gemitum filiorum Israel, &c. Gemitus*, inquit, *piorum sunt efficacissima orationes apud Deum,*

Audire Dei, exaudiri est, & extremè calamitosis gratificari

Lipom ibi.

Deum, maxime autem pauperum & oppressorum. Audire autem Dei est exaudire, & gratificari orantibus. Adeò velut exsomni cura attentus & expromptus adest Deus oppressorum gemitibus, vt eos audire, sit eosdem exaudire, & *gratificari* calamitatem deprecantibus. Sic diuinis blanditur auribus muta calamitatis vox, & gemitus in gutture extrangulatus, vt Deus dum audit calamitatem, calamitoso *gratificari* dicatur. Quis calamitate oppressus spem abiiciat, cum gemitum audiri, exaudiri, sit & gementibus *gratificari*. Hoc tempestiuissimo verbo vsus fuit eruditus hic doctor, quo plura significat, quàm dicit. *Audire Dei est exaudire, & gratificari orantibus.*

---

§. CCLXXXII.

Benè & consultè cœpta, meliùs sæpè reuocantur: quod non est leuitatis vitium, sed aliquod Consilij numen.

1\. Consilij mutatio, leuitatis iudicium, & inconstantiæ ludibrium vbique audit; cùm sæpè consultioris prudentiæ elogium censeri debeat; ne quis in cœpto errore adhuc pergens, longiùs & periculosiùs exerret. E maiori mundo hanc veritatem mundus minor, homo inquam, ediscat Tertulliani calamo descriptam. Neque enim mundus, si non vt mundus, inquit. Proinde diuersa in vnum ex demutatione diuersa sût. Denique diuersitatis discordiam vices fœderant. Ita mutádo erit mundus omnis, qui ex diuersitatibus corporatus, & vicibus temperatus. Nostra certè mutatio (quod clausis, vel in toto, Homericis oculis liquet) totum versiforme est: dies & nox inuicem vertunt; Sol stitionibus annuis, Luna modulationibus menstruis variat: siderû distincta confusio interdum deiicit quid, interdum resuscitat; cœli ambitus nunc sub diuo splendidus, nunc nubilo sordidus; aut imbres ruunt, & siqua missilia cum imbribus, deinde substillum, & denuò sudum. Sic & mari fides infamis, dum de flabris æquè mutantibus, de tranquillo probum, de fluctris temperatum, & ex templo de decumanis inquietat. Sic & terram, si recenseas, temporatim vestiri amantem, propè sis eandem negare, memor viridem, cum conspicis flauam, mox & visurus canam. Cæterum quoque eius ornatus quid? Non aliud ex alio mutat, & montium scopulæ decurrêdo, & fontium venæ ebullando, & fluminum viæ obumbrando? Ne ergo homo, minor mundus inquam, mundi maioris ornatum erubescat. Re tandem penitiùs inspecta. Sapientis est mutare consilium, quod hic Raguelus consultissimè mutauit; & inde vel inopinatam felicitatem assecutus est.

Tertull. lib. de Pallio.

Mutationis existimata leuitas, maioris mundi ornatus censetur.

Hic v. 14.

2\. Geneseos 38. dolo bono, an malo, cum commentatoribus non litigabo, viduam Thamarem in paternam domum Iudas remittit, diu cunctando Selam filium, post duorum immatura funera, illi copulare. Quod grauatè ferês Thamar, nacta tondendarum ouium occasionem, in biuio sedet, commutato viduitatis habitu cum theristro, & reliquis meretriciis ornamentis. Quæ pro coïtu arrhabonem mercedis accipiens Iudæ annulum, armillam, & baculum; ad vnum coïtum concepit, & abiit depositóque habitu, quem sumpserat, induta est viduitatis vestibus. Ecce autem post tres menses nunciatum est Iudæ: Fornicata est Thamar nurus tua. Dixitque Iudas: *Producite eam vt comburatur. Quæ cum duceretur ad pœnam, misit ad socerum suum dicens: De viro, cuius hæc sunt, concepi, cognosce cuius sit annulus, & armilla, & baculus. Qui, agnitis muneribus, ait: Iustior me est: quia non tradidi eam Sela filio meo.* Ex hoc furtiuo & incestuoso coïtu, tota Hebræorum nobilitas censetur, & Regum Iudæ generosa sublimitas. Quid in tanto vitiatæ stirpis squalore elucere potuit, vt ex fœdissimi concubitus notha sobole, regium stemma Iudæ deputaretur? Proh malè res cum Hebræis agitur! Quem homines perhorrebant, Deus ad populi sui regnum vltrò recipiebat. An non inde Hebræa gens generosum regni sui decus erubescat? Ecquod est hîc tantum Iudæ meritum, quod tot spurcitias & ignobilitates emaculat? Dilucidè Isidorus Pelusiota hac super re ad rem præsentem philosophatur: *Propter integrum,* inquit, *iudicium, & rectam sententiam, regiam dignitatem Iudas obtinuit: quoniam plerique delicta sua occultantes, alios condemnant, hic autem se ipsum condemnauit, eamque quæ stuprum admisisse credebatur, supplicio & cruciatu liberauit, ob eam causam haud iniuria, regiam dignitatem est assecutus.* Nimirùm etsi plura in hoc fœdo concubitu, & Iudæ ac Thamaris negotio concurrebant, ob quæ vterque cum prole inde propudiosâ, indecorè abiici posset, ne vnquam honores capesseret: at vsqueadeò generosa res est, & principe digna, sententiam idoneè mutare, & iudicium malè cœptum, meliori mente retractare, nec contentiosè belligerari pro consilio semel cœpto, pertinaciter tuendo; vt in de regiam dignitatem Iudas cœlitus obtinuerit. Mater meretricio & æstiuali habitu in biuio sedet, vt faciliùs adeatur, pater libidinis æstu furens, incestuosè scortatur, fœdifragus de non impleta sponsione audit, & tamen Deus tot morum propudia velut dedignês, tanti facit proprio consilio obstinatè non hærere; sed illud, veritate detectâ magnanimiter postmodum retractare, & propria sui iudicij côdemnatione alienam redimere; vt quod apud imperitos, leuitatis argueretur, apud Deum æquum rei æstimatorem, inde *regiam dignitatem Iudas obtinuit.* O bonam Magistratibus eruditionem! *Væ illis, qui delicta sua velut procero fune nectût!*

Genes. 38. v. 24. 25. & 26.

Quo merito Iudas regiam dignitatê obtinuerit.

Isidor. Pelus. lib. 2. ep. 48.

Tertull. de Pœnit. c. 11.

3\. Prouerbiorum 1. in ipso auspicio libri moralissimi, eius scopus euulgatur: Parabolæ, inquit, Salomonis, filij Dauid, regis Israël. Ad sciendam sapientiam, & disciplinam: *ad intelligenda verba prudentiæ.* Sed pernoscere cupit prudentiæ studiosus, vbinam sit hoc vtilissimæ sapientiæ gymnasium. *Sapientia, ait, foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba sua, dicens: Vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia, cupient & imprudentes odibunt scientiam?* Notatione dignissimum est, quod non tantum tradat, quid prudentia homines doceat, sed vbi id doceat, diligenter enunciet. Quid refert, quod *foris prædicet*, an in vrbis meditullio? quid interest, quod in viarum initio, aut fine, (id est, *in foribus ciuitatis*) an in plateis, & capite turbarum clamitet? Forte res prudentiæ & consilij localis est; nec re duntaxat,

Prou. 1. v. 20. 21. & 22.

Consilij ara bene sub terra defoditur. taxat, sed etiam capiendi consilij loco erudit? Quorsùm tam expressa & accurata mentio fit loci, vbi prudentia suggerit capessenda consilia? Opinor, quidem, quia multum per omnem modum id refert. Eruditè Tertullianus Romanorum religionem erga Consum, cōsiliorum Deum, his verbis & refert, & reprobat: Quanquam & Cōsualia, inquit, Romulo defendunt, quod à Conso dicauerit Deo, vt volunt, consilij eius scilicet, quo tunc Sabinarum virginum rapinam militibus suis matrimonia excogitauit. Probum planè cōsilium, & nunc quoque apud ipsos Romanos, iustum & licitum, ne dixerim penes Deum. *Et nunc ara Conso illi in Circo defossa est ad primas metas, sub terra, cum inscriptione eiusmodi: Consus consilio.....potens. Sacrificant apud eam nonis Iulijs Sacerdotes publici.* Non est cur reprehendat Tertullianus, quòd ædes Consi subterranea sit, & eius ara sub terra defossa, nam vt doctè notauit Plutarchus omne consilium arcanum esse debet, mysterij adinstar, & inde occultè tectum. Quod verò *ad primas metas Circi* collata sit ædes Consi seu consilij, merito reprehensionis non vacat. Nam vt doctè notauit Tertulliani Commentator: *Primæ metæ carceribus scilicet propinquiores.... Hæ primæ metæ dictæ sunt Martiæ; nam ibi ædes sacra Deæ Martiæ amoris.* Nempe cùm bonum rei gerendæ consilium, potissimum sit negotium prudentiæ, quæ valdè è circunstantijs dependet: exindè locus, tempus, & cæteræ affinitates rei agendæ, maxime faciunt ad consilij negotium. Itaque benè Consi seu cōsilij ara, sub terra latet, vt consilium tectiùs abscondatur. Malè autem propè ædem Martiæ, Deæ amoris statuitur, ne vtatur malo cōsiliario, affectu inquam. O quàm sunt pœnitenda consilia, quæ affectus suggerit! De amoris aut odij confinio, prudentia plerumque inuitiatur, stultescit, deprauatur. Sed esto, ad ædem Martiæ, Deæ amoris, semel Consilium impinget; quid *ad primas metas, carceribus scilicet propinquiores,* collocatur? Dum gerendi negotij inchoatur cursus, consulenda est prudentia, & consiliū ineundum est: quod si in ipso cursu impingit in affectum, & indè ab vltimis metis exerrat, nullo consilij numine, in medio curriculo (quin etiam prope terminum) ad rectum iter, à quo deuiauerat, reuocandum est. Incœpto semel errore, semper procedet: Nullo vtetur iam duce in toto cursus sui processu. Quare habenas cursuum moderatrices semper in manu gestat? Qui nullum iam Consilij Numen habet, sed post inchoati negotij initium, post se illud dimisit; sæpè non it, sed errat; non currit in Circo, sed ad præcipitium currendo properat. Non tantùm iuxta carceres, ne fortè ibi sit Martia affectuū Dea, sed in medio etiam curriculo, & vsque ad vltimam postremissime metā, Consilij numen coram habendum est? ne exiguus in principio error, diu errando ad vltimum præcipitium infeliciter deducat. Benè *ara Conso in Circo defossa est*: malè autē *ad primas metas* tantum; ne error in principio paruus, magnus & irreuocabilis fiat inde non Romuli, sed Salomonis prudentia non solum in viarum initijs; sed etiam *foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba sua*, vt in quocumque curriculi, hoc est, negotij agendi articulo, possit aut se sistere, aut vltrà consultè progredi, aut aliorsum cursum flectere, ne quis existimet in auspicio rei gerendæ duntaxat consilium requiri, quasi semel consiliosè cœptum, sit pertinaciter irreuocabile. O quoties bene incœpta, male prouehis! Quia proprium iudicium ritè cœptum consultiùs reuocauit, *regiam dignitatem Iudas obtinuit.* Sic est generosum pro rei merito, proprium iudicium reuocare! Sapientis est mutare consilium.

Tertull. de Spect. c. 5.

Plutarch in vita Romuli. 4.

Cerda ibi. n. 68. & 81.

Malè Consilij ara ad primas metas collocatur, & quare?

5\. 1. Reg. 15. re malè gesta contra Amalech factū est verbum Domini ad Samuelem, dicens: *Pœnitet me quod constituerim Saul regem, quia dereliquit me, & verba mea opere nō impleuit.* Quæ verba sic exponit Tertullianus pulchrè Superiores erudiens: *Quoniam quidem dixerit Deus: Pœnituit quod regem fecerim Saul, præscribens scilicet pœnitentiam.* Nempe cum Deus Saulis electionem antropopatos retractare dicitur, humanis Principibus pœnitentiam *præscribit*, in his quæ sinistrè cedunt. O bonam Superioribus *præscriptionem*! Bona Principum quasi leuitas, quæ iustitiæ constantiam procurat.

1. Reg. 15. v. 11. Tertull. l. 2. contr. Marc. c. 24.

Pœnitentia Superiorum præscribitur.

---

§. CCLXXXIII.

Quod in proximo est vt fiat, dum factum non est, adhuc longè abest vt fiat.

SI *contemptor omnium, quibus torquetur vita dum ornatur*, eò perductus est, vt cœcus sit ad aspectabilium ambitionem surdus ad voluptabilium illecebras, ad maliloquium mutus, & vniuersatim ad omnem rem vitij velut viuum cadauer; adhuc timeat clancularias naturæ insidias, cupiditatis præstigias, pestilentem ambitionis auram; ne quod diu composuerat, citò turbetur, & dū propè metam erat, sensim repedans, ad carcerem relabatur. Licet adnuamus Senecæ, quòd *nec de malignitate naturæ queri possumus: quia nullius rei difficilis inuentio est, nisi cuius hic vnus inuenta fructus est, inuenisse. Quicquid nos meliores beatosque facturum est, aut in aperto, aut in proximo posuit*: tamen quod in aperto, aut in proximo est, si non apprehēdatur, non tenetur, quod verò non tenetur, adhuc in arduo & in confragoso est quousque possideatur. O quoties qui *in proximo* erat, vt ad consummatæ virtutis metam peruenire, eò relabitur, vnde cursum incœperat; & rursùs inchoat, quod iam fermè consummasse putabatur! *In proximo* putabat Tobias, pacatum ex ærumnosâ vita discessum, & in pace eius spiritum iam iam recipi censebat; cum prolixior illi vita præparatur. Qui tantum non mortuus est, adhuc viuit; & forsan diutiùs viuet, quàm hactenus vixerat. De quo sic Raguel sperare putatur, mox an euenerit, dubie ambigit.

1. Quod in proximo est, nondum est.

Senec. lib. 7. de Benef. c. 1.

Tob 4. v. 2.

Hic v. 14.

2\. Lucæ 15. adolescentis prodigi appositissima parabola, adeò moralitatum grauida est, vt obstetricante Sanctorū Patrum pia sagacitate felici partu ad erudiendos mores nimis sobolescat. Censu igitur accepto, discedit à patre, lasciuit egregiè, & voluptates diu quærens, ægestatē inuenit. Paternæ affectionis desertor, porcis deputatur, porcis addicitur, lutulenta porcorum fame torquetur, vt sentiat seuerum iudicem, qui fugit pientissimū prouisorem. In se autem reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo. Surgam, ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui

Qui iam venit, adhuc longè est vt perueniat.

peccaui in cœlum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenariis tuis. *Et surgens venit ad patrē suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius*, &c. Horum verborum sententia, si specie tenus vibretur censura, valdè expedita apparet. Si verò eam penitiùs scruteris, non parum videtur impedita, nec satis sibi cohęrens. Porrò si prodigus adolescens, surgens iam *venit* ad patrem suum, quomodò cùm adhuc *longe* esset, vidit illum pater ipsius? Aut nondum iam *venit*, qui adhuc *longe* est; aut si adhuc *longe* est, nondum aduenit. Quo pacto ritè componi potest, quod quis ibi vbi est, ita sit, vt ab eo loco longâ tunc distantia distet, & indè à *longe* possit videri? Quæ est hæc præsentia absens, siue præsens absentia? Fortè per ipsam præsentiam, à loco, cui quis adest, longè absentatur. Vidit hanc difficultatem Chrysologus, & qua subtili pollebat ingenij sagacitate, sic illam proponit, & appositè ad rem præsentem eleganter exponit: *Surgens*, inquit, *venit ad patrem, cum autem esset longe: Quomodo longe est is, qui venit? quia nondum peruenit.* O quam multa paucissimis verbis strinxit Chrysologus. Scilicet qui *venit*, quovsque perueniat, adhuc *longe* est Magna, inquam, interuallatur distantia, venisse, & peruenisse. Qui iam venit, cursus sui metam tenere forsan putabitur, quia iam venit, & tantū non peruenit; qui enim venit, propè est vt perueniat; nam modico interuallo distat venisse, ac peruenisse. Verùm vtcumque res habeat in re physica; at in re morali, quod etiam *in proximo* est, si tamen nondum tenetur, adhuc *longe* est. *Quomodo longe is, qui venit? quia nondum peruenit.* Valde abest, negotium fecisse, ac perfecisse; venisse ad patrem, & ad patrem peruenisse. Vltimum rei ethicæ complementum, quod *in aperto, aut in proximo positum* videbatur non propè est, vt statim apprehendatur; sed postquam eò ventum est, adhuc *longe* est. *El cuerdo, nada tiene per hecho, hastaque lo este.* O quam distat, fecisse, ac perfecisse; venisse, ac peruenisse! *Quomodo longe est is, qui venit? quia nondum peruenit.* Bellè quidem Chrysologus!

Lucæ 15. v. 20.

S. Chrysol. Ser. 5.

3. Isaiæ 9. Euangelicus hic Vates sicubi apertè hîc maximè de Christo Deo, mūdi Redemptore prophetat; & præsaga mente, cœlitus clarata, eius infantiā hominibus absconsam, & simul Passionem coram peractam, his verbis arcanè coiunit: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius.* Benè est, Christus Deus natus sit rex; sed quia crux fuit Iesuani regni gloriosum insigne, & principandi notaculum; eo careat, dum puer est; neque enim crucem ab infantia tulit, nec in pueritia Redemptoris elogium consummauit, sed tandem in cruce dixit: *Consummatum est.* Opinor, quod Propheta puero adhuc Iesu Redemptionis consummatæ insignia præmature præbuisse videtur, cùm non paruulus, sed iam perfectus vir, præcellum Redemptionis opus consummarit, & Redemptoris vocabulum planè adimpletit. Nunquid Christus Deus adhuc in infantia, aut pueritia crucis est baiulus? Nunquid ab infātia tenellum humerum duræ cruci supposuit? Quid ergo est? *Paruulus natus est nobis..... & factus est principatus super humerum eius?* Sudata aliorsum Bernardi verba huic themati recenter adaptare conabimur: *Crucem, inquit, quam imperij nomine*

Isaiæ 9. v. 6.

Quare Christo adhuc infanti, crucis dolor copulatur.

Ioan 19. v. 30

S. Bernard.

significauit, natiuitati statim adiungit: quia profectò à natiuitatis exordio passio crucis exorta est. O quanta charitas! Vix natus est Iesus, & ecce recenti ortui crucis ignominia, crucis dolor copulatur. Scilicet nemo, nemo inquam, existimet, Christum Deum adhuc infantulum, à consummanda redemptione, & cruce humeris baiulanda, *longe* abesse, etsi triginta tres nihilominus anni desint; à paruula enim ætate mysticæ crucis passio exorta est: & stato exinceps tempore, vsqueadeò certè auspicatam iam in præsepio redemptionem in cruce consummabit, vt *recenti ortui crucis dolor copuletur.* Exinde cōsultissimus Propheta, ne Christo recens nato inchoatum Redemptionis opus per crucem consummandum, tantummodo proponeret, vt non putaretur ab hominibus adhuc à consummatione *longe* abesse, & aleam subire, quam reliqua hominum opera subeunt, *recenti ortui crucis dolorem copulauit.* Scilicet Propheta consultissime respectu humanæ existimationis, dum Iesum adhuc *paruulum* proponit, baiulum crucis, (qua redemptionem consummauit) inducit, aiens: *Paruulus natus est nobis.... & factus est principatus super humerum eius*; non quia paruulus crucem baiulauit, & redemptionem peregit, sed vt innueret, redemptionem, quam tunc feliciter inchoauit, ita certissime passione consummandam, & cruce perficiendam, vt in ipsa inchoatione, consummationis notaculum inducat, & puerulum Iesum insignibus peractæ redemptionis adornet, præpropera rei consummātæ perfectione. *Paruulus natus est nobis... & factus est principatus super humerum eius: recenti ortui crucis dolorem copulauit.*

4. Gentium doctor morti proximus, ita de se ad suum Timotheum scribit: Ego enim iā delibor, & tempus resolutionis meæ instat. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex:* Communiter censent interpretes contra Cardin. Baronium, hæc verba à Paulo dicta, non cùm primò in carcerem detrusus fuit, sed post plures annos, iam martyr designatus, & morti vicinus. Exinde magnum exoritur dubium, quo pacto sibi Paulus cohæreat. Porro de se Apostolus indubitanter affirmat, quod in agone feliciter certauit, & cursu consummato ad metas vsque peruenit aiens; *cursum consummaui*: quo igitur modo vere addere potuit, *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ*? Percommode Anselmus sic exponit præfata verba: *Cursum, inquit, peregi. Et in reliquo, id est, in eo spatio, quod restat amodò & vsque in æternum reposita est mihi corona iustitiæ... quam reddet mihi Dominus in illa optata die resolutionis meæ.* Scilicet iam certasse in agone dicit, & cursum vsque ad metas peregisse, at quia parum restabat, quasi parum aut nihil hactenus fecerit, qui *cursum consummasse* dicitur; consultissime addit: *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in optata die resolutionis meæ.* Profectò quod in proximo est vt fiat, dum factum non est, adhuc longe abesse, vt fiat existimatur. Inde ait Paulus: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui: in reliquo, id est, in eo spatio, quod restat amodo reposita est mihi corona iustitiæ.*

2. ad Timot. 4. v. 7. & 8.

Paulus cursum consummauit, sed in reliquo positam sibi coronam, dicit.

S. Ansel. ibi.

§. CCLXXXIV.

§. CCLXXXIV.

Quod improbis conniuentiæ titulo conceditur, iniquè probis negatur.

1. NEmo tam facilè, tamque fatuè malus est, vt si probitati iungantur præmia, non incumbat illi; si verò improbitati socientur pœnæ, non fugiat illam: vt si non impellat amor repellat timor; si non inuitent præmia, deterreant damna, ac licet natura illum ad vitia non ducat, sed rapiat; frenum tamen impotenti huic dominæ iniiciet, & magnis illius conatibus, maioribus occurret, nisi delinquendi temeritas à delicto impudentiam edocta, effrenis ad delicta feratur, imperterrita libidine. O quoties aliqua Rectoris prudentia, scelestissimis indulgenter conniuet, vt qui virtuti mortui sunt, viuant ad medicinam; & sic correctionem indulgentiæ lenitate negotiari præsumit. Adeò vt seueriùs sæpè agat cum probis, qui leuiter delinquunt, quam cum scelestissimè impiis, & duro supplicio dignissimis. Flectere vult curua, non frangere, nec leuem flexuram in rectis negligere. Exinde non semel probitas acerbioris supplicij rea est; & prauitas, quasi delinquendi licentia impunè insultat, grauioris malitiæ priuilegio tuta Hæc Præfectorum in flagitiosos conniuentia, nisi rarò, & cautè fiat, nutrix vitiorum est, & virtutis nouerca, nam sic esse innocentem, reatus, aliquis erit; & esse nocentem, impunitatis priuilegium hoc calcar addet ad vitium, illud alacritatem virtutis compescet. Magis improbum esse, erit intercessio ad veniam, & ad remissiorem disciplinam suffragium: Duriùs tractabitur, quia bonus est: Sat ardua est virtus, ne exquisito politiæ artificio degrauetur.

Ne improbitati, quam probitati, plus per Rectorem liceat.

2. 4.Regũ 20. Ezechias probissimus Iudæę rex, graui vlcere ægrotat, & de Isaiæ oraculo iam iam moritur, sed oratione lacrymis infusâ, vitæ restituitur. Protinùs hæc in Dei nomine Regi Propheta denunciat? Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas, & ecce sanaui te, die tertio ascendes in templum Domini, &c. Dixitque Ezechias ad Isaiam: Quod erit signum quia Dominus me sanabit, & quia ascensurus sum die tertia templum Domini? *Cui ait Isaias: Hoc erit signum à Domino, quod facturus sit Dominus sermonem, quē locutus est: Vis vt ascendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus?* Non examinabo nunc, quare improbissimus Achaz, Ezechiæ pater, ausus non fuerit oblatum ab Isaia signum à Domino petere, ne illum tentaret, vt probissimus Ezechias, non oblatum vltrò expetit, quin ideò Dominum tentasse dicatur. An quia plura licent iustis iustitiæ priuilegio? Mitto hęc, vt penitùs scrutemur, quare Isaias optionem signi offert Ezechiæ? Porrò Rex tantummodo petit à Deo signum, quod sit certum promissorum pignus. quid ergò necesse fuit signi optionem illi offerre? Quandò forsan timere posset Ezechias signi increpationem, optionem signi vltroneam à Deo accipit: *Vis*, inquit, *vt ascendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus?* Vidit hanc difficultatem magnus ille eruditione, & sanctitate, & eloquio vir, Gaspar Sanctius, Magister in re Biblica meus; & ad litteram ap positus, & opportunus ad mores, ita inibi fatur: Non petierat Ezechias signum reuocandæ salutis, imò & vitæ quam iam amisisse videbatur, & accessionis quindecim annorum ad transactam ætatem, & tamen offert liberaliter Deus. *Imò sicut fecerat Isaia cap.7. eius parenti Achab, optionem dat, malit ne vt vmbra ascendat decem lineas, aut vt totidem gradus redeat retrorsùm.* Scilicet Achaz Iudæorum regno improbissimo & sceleratissimo optionem signi obtulit Deus, aiens. *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra*: ergò par signi optio offerenda erat Ezechiæ, probitate & religione opinatissimo, & quem Scriptura magnificis vbique laudibus præclarè commendat. Sanctus rex Ezechias nec signo, neque signi optione indigebat, vt Isaiæ prophetanti crederet; at probarissimo Regi offerendum erat, quod improbissimo oblatum est, ne Achazij improbitati, magis quam probitati Ezechiæ Deus indulgere videatur, Priuilegio impietatis hanc conniuentiam extorquet Achaz, ergò pius Ezechias ea non fraudetur. Fateor, Ezechias hac signi optione minime egebat, sed Præfectorum politia indigebat hac regiminis eruditione, ne malitia insultet, & virtutis alacritas indecore sistatur. *Fuera desforçer la virtud, darle mas priuilegios al vicio.* Hanc politicam eruditionem debes cuipiam perornati ingenij viro, qui perelleganter elaboratos in Iosuë commentarios iam iam parturit, magno rei ethicæ, pariter ac Biblicæ compendio.

4.Reg.20.v.9

Negandum non erat probo Ezechiæ, quod improbo Achaz concessum fuit, ne insultet improbitas.

Sanctius ibidem n.7. Isaiæ.7.v.10.

Geneseos 30. Rachel venustate nobilis, & mariti gratia propè vnica Iacobi princeps coniux; Lia enim eo nesciente, & non gratè ferente, ad eum introducta est. Cernens, inquam Rachel quod esset sterilis, *inuidit* sorori suæ Liæ quæ iā ferè pari coniugij tempore, iam erat quatuor omnino filiorum superba mater. Itaque Rachel liberorum flagrans desiderio, obnixè à merito postulat, vt Balam ancillam suam in coniugium adsciscat, vt saltem ex ea prolem suscipiat, quo sterilitatis probrum consoletur. Iacobus autem, qui vel Liæ nuptias ægrè tulit, Balæ coniugium detrectare forsan voluisset, sed improbæ Rachelis æmulationi conniuens, fastidioso ancillæ connubio adsentit. *Deditque illi Balam in coniugium, quæ ingresso ad se viro, concepit, & peperit filium, &c.* Ecce tibi Iacobus, qui vnius Rachelis maritus esse cupiebat, Labani soceri, & suæ Rachelis improbitati cedens, tres iam vxores alebat. Neque adhuc fit nuptiarum finis. Nam *sentiens Lia quod parere desiisset, Zelpham ancillam suam marito tradidit, &c.* Hinc à nõnullis incontinentiæ notatur Iacobus, quod trium vxorum iam maritus, quartam, ipsamque ancillam denuò introduxerit, & quidem simplici, exosæ Liæ rogatu, nulla necessitate nouas & & superuacuas ancillæ nuptias colorante. Qua de causa fœcundæ Liæ tam facilè adnuit, vt eius ancillam superuacuè in vxorem adsciscat? Eccur fastidiosæ coniugi, & propè inidonea postulanti renuere non audet? Doctè Augustinus hac super re ita scribit: *Rachel cùm esset sterilis, ancillam suam, de qua filios ipsa susciperet, marito dedit. Quod etiam maior soror eius quamvis peperisset, imitata, quoniam multiplicare prolem cupiebat, effecit. Nullam Iacob legitur petiisse, præter vnam, neque vsus plurimũ nisi gignendæ prolis officio; vt neque faceret, nisi vxores eius id facere flagitassent.* Nempè Iacob 3.

Gen 30.v.4. & 5.

Suprà v.9.

Quod inuidia Rachelis conceditur, Lia negari non potest.

Aug lib.16 de Ciuitate c.38

Iacob nullam præter Rachelem expetiuit vxorem;Balam autē eius ancillā,querulis ipsius precibus, de *inuidia* improbis, inuitus propè suscepit. Sed mox Lia, etsi ea re ad fœcunditatem non indigeret,sterilem sororem *imitata*, nouum etiam ancillæ suæ coniugium à marito flagitauit: cui protinus Iacobus adnuit, ne vxori fœcundæ duriùs negaret, quod infœcundæ blandius concesserat.Noluit *inuide* æmulationi Rachelis plus indulgere,quàm Liæ fœcundiori voto propagādæ sobolis. Æquum ne foret, vt plus infœcundæ Racheli liceret *inuidia* priuilegio, quàm fœcundæ Liç,multiplicandę prolis desiderio?ô bonus familiæ suæ Rector Iacobus, qui iniquum putauit probitati negare, quod inuidentiæ concesserat!Bonus etiam familiæ suæ Præfectus Raguel, qui Saram filiam, quàm septem virorum libidini concesserat, iunioris Tobiæ probitati negare non audet. Audierat Raguel ab Angelo: Noli timere dare eam isti,quoniam huic timēti Deum debetur coniux filia tua. Tunc respondit Tobiæ Raguel: *Et nunc noli dubium gerere, quod tibi eam tradam.* Quod septem ex ordine salacissimis viris Raguel adnuerat,quantumuis nunc de infausto timeret,probissimo,&contribuli Tobiæ abnuere erubescit.

Hic v.14.

4. Lucæ 15 v. 12

Quod filio Prodigo cōceditur,non postulanti filio frugi vltrò admittur.

Lucæ 15. Homo quidam habuit duos filios: *Et dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Et diuisit illis substantiam suam.* Non morabor lectorē hîc disquirens,quid nomine *substantiæ* intelligatur, (de quo legi potest Theophylactus) Indubium tamen est,esse aliquid magnum, sublime,& pretiosum.Neque disceptabo cum politioribus Interpretum, an æquum fuerit, vt iuueni Prodigo prudens Pater copiosam concesserit substantiam. Hoc vnum admirari licet cum Chrysologo, ad præfata verba, *Et diuisit illis substantiam suam*; quòd Prodigus adolescens substantiam petit,non senior,& frugi filius: cur ergo impetita substantia huic non petenti similiter conceditur? *Petente vno*, inquit, *ambobus totam substantiam mox diuisit ..... Tenebat pater seruare substantiam filiis,non negare.* Esto, teneretur pater seruare substantiam filiis,nō negare:annuat ergo adolescenti Prodigo illam petenti;filio autem bono,& frugi non petenti,cur illam vltrò largitur? Profundè,inquam, Chrysologus: *Tenebat pater seruare substantiam filiis, non negare.* Porrò quod nequam filio conceditur conniuentiæ causa, vel non postulanti filio frugi concedendum est: nam quod improbis conniuentiæ titulo conceditur,iniquè probis negabitur.Exinde *petente vno, ambobus totam substantiam mox diuisit. Tenebat pater seruare substantiam filiis,non negare.* Nimirum ratio quæ ad filium frugi pariter munerandum viget, ipsius petitionem anteuertit.

Chrysolog.

§. CCLXXXV.

Fides promissione data,Virgo seruetur:secus is cui sponsio fit, aduersus sponsorem sponsione armatur.

1. Politico-Christ. lib. 1 c. 15.

FIdem datam seruare Principis est. Seruauit Alexander Seuerus de quo Lampridius: *Certum est eum nunquam id quod proposuerat fefellisse: cùm diceret: Nolle ab aulicis suas vendi dispositiones.* Tardus interim lentusque in promittendo sit Princeps: fidem datam seruabit:omnis enim Principis sponsio pro iurata esse debet,& sacrosancta promissio omnis. Monet Isocrates Principem:*Verbis tuis maior sit fides, quam aliorum iuratis.*Turpe Principi,concessa negare.Abiectissimi animi mentiri,& fallere,& venalem fidem habere, nimis hæc scenicam leuitatem sapiunt; constantiæ repugnant,quam regiam virtutem meritò dixerim. Certè vt nihil vilius in magno Principe, quàm plebeiam in promissis leuitatem imitari:ita nihil gloriosius,quam Dei constantiam præ se ferre:habet enim hæc virtus aliquid diuino simile. Nemo fuit tam barbaricè agrestis,apud quem promissorum Dei notauit fides Facilitis Deum negauerint,quàm eius fidelitatem non inconcussam putent. Hanc imitetur Princeps,& quisquis principales in se mores exprimere seriò exambit.Raguel vir princeps,cùm Tobiæ Saram filiam vel inuitus spondet: *Et nunc*, ait, *noli dubium gerere, quòd tibi eam tradam*, ne vel dubium promissionis adimplendæ, promissoris fidem quadantenus deuenustet.

Principis est fidem datam seruare.

Hic v.12.

2.

Geneseos 9. exigua hominum gens eluuioni superstes,ad humana exercenda munia ignauè torpet,ne de suis laboribus spolia diluuio alteri struat.Ne verò inertes cessent,sic ad Noēmū,& filios fatur Deus:Statuam pactum meum vobiscum,& nequaquā vltrà interficietur omnis caro aquis diluuij,neque erit deinceps diluuium dissipans terram. *Dixitque Deus: Hoc signum fœderis quod do inter me,& vos, & omnem animam viuentem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas. Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me,& inter terram.* Aliàs notabamus cur in nubibus ponatur signum non futuri diluuij.Scilicet,vt indè diluuij securitas existat,vnde eluuionis periculum timeri poterat. E nubibus diluuium ruit, non futuræ similis ruinæ in nubibus signum appareat.Sed nūc disquirere curiosiùs oportet, quamobrem Deus Iridem selegerit in suæ promissionis signum? Cœli arcus quid habet peculiare, vt inter res omnes cœlestes terrestresve,Dei fidelitatem obfirmet? Quid habet speciale iris, vt à Deo promissionis fidem extorqueat,& homines diuinæ fidelitatis reddat securiores? Profectò nō bonum serenitatis signū est cœlestis arcus,*in quo colores diuersi* (sic addubitat Ambrosius) *tanquam radiorum Solis nunc nutilantium, nunc lumine lucentium clariore figurantur;vnde & pluuia futura significatur, eo quod inconstantia quadam serenitatis versicolora specie demonstretur.* Hoc potiùs inconstantiæ symbolum, & velut ludentis prope terram Solis vestigium, in signum constantiæ diuinarum promissionum idoneè inducitur? Imo in rebus creatis nihil æquè idoneum adduci potuit, ad diuinæ promissionis firmitatem denotandam.Porrò Iris arcuatam habet figuram, inde arcus cœli vulgò nominatur.Et si accuratius attendamus,extremitates cœlestis arcus terras contingūt,& arcuatim versus cœlum arcus porrigitur:quasi sagittæ cōtra cœlum,cœlique habitatorem eiaculandæ forent.Nempe cùm Deus seriò hominibus terrigenis aliquid promittit, & adimplendæ sponsionis signum præbet;bellicū cœlestis arcus instrumentum in terris ponit,ea figura opportunè dispositum,vt tela,& sagittas aduersus cœlum vibret,& potenter eiaculetur,si forsan(quod absit)cœlum

Gen 9.v.12. & 13

Deus promissione sua homines aduersus se armat.

Ambr.lib de Noë & Arca c.38

& fratribus retulisset, illud Iacobus de se, & vxore, & vndecim reliquis filiis, idoneè interpretatus est, aiens: *Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram?* Somnium hoc Iosephi, magnis Sacramentis grauidũ, eius Pater *tacitus considerabat*. Ego autem tacitus prætenire non possum, quare cum eius pater Iacobus, & mater Rachel, & vndecim fratres, omnes propè natu maiores, Iosephum minorem adoraturi per somnij Sacramenta obseruantur, non tam rei terrenæ, quàm cœlestis, sublimissimæ, & præclarissimæ speciem tunc induant? Cum auctoritatis prærogatiua longè excellentes, ad minoris Ioseph obsequia demittuntur, tunc Soli, Lunæ, & Stellis comparantur? Imò tunc potius Iosephus, cuius obsequio submittebãtur reliqui, apparere debuit quasi Sol, & Luna, aut aliquod è sidereis astris, quod mundo præsidet. Et tamen cùm illi obsequia præstant, tunc *quasi Sol, & Luna, & Stella* insolenter apparent: O pulchrum generosi obsequij ænigma, ad instruendos Procerum mores in paucis opportunum! Scilicet cùm Maiores dicuntur parere Minori, tunc velut prælustria cœli astra micantes apparent, quasi dignitatem de obsequio fœnerẽtur. Perbellè Emissenus quo solet subtili ingenio, & nitido eloquio, his verbis ad Monachos fatur: *Nullus ille senior tam indoctus appareat, vt putet quod eum non deceat obedientia, quæ Deum decuit. Humilitas enim atque obedientia in iunioribus adhuc necessitas, in senioribus vero dignitas.* Nempe *senior ille* (multa cum emphasi acuminis, & aculei benè pungentis, hoc pronomen apponitur) ætate grandior, eruditione felicior, munerũ retrò administratione reuerendus, & cæteris auctoritate maior, ne sit adeo imperitè indoctus, vt putet, quod eum non deceat obedientia, quæ Deum decuit: nam humilitas, & obedientia in iunioribus necessitas est, *in senioribus verò dignitas*, in dignioribus auctoritas; cùm de Christi æmulatione, tum de instituti obligatione; tum etiam quoniam qui auctoritatem obsequio negligit, de obsequela Minori exhibita, ampliorem dignitatem mutuatur, humilitatis arbitrio, & obedientiæ officiositate. *Vidi per somnium, quasi Solem, & Lunam, & Stellas vndecim adorare me.* Dũ Maiores submitti Minori videntur, tunc, tunc quidem, splendore siderum æmulo generosiùs micare dicuntur. *Humilitas enim atque obedientia in iunioribus adhuc necessitas, in senioribus vero dignitas.*

Obedientia in iunioribus necessitas est, in senioribus verò dignitas.

Emiss hom 5 ad Monach.

5\. Ioannis 14. Christus Deus mortem iam iã sibi instantem Discipulis renunciat. Mœrent quasi filij, genitoris discessum, & licet rapuit tunc vnusquisque quod potuit de bonis intestati parentis: maiores tamẽ gratiæ diuitias rati, Christi hærere lateri, & præsentia perfrui, anhelo corde turbãtur. Tunc sic altè Christus illos affatur: *Audistis quia ego dixi vobis: vado, & venio ad vos Si diligeretis me, gauderetis vtique quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est.* Mirè hìc sudãt interpretes, vt hanc rationem non esse in doneam ostẽdant Omitto Chrysostomi, ad Discipulorũ tunc ruditatem conniuentiam, & sublimem Hilarij subtilitatem, in adstruenda indè Patris ac filij æqualitate. Et sanè huius rationis vis adeo excellit hominis fastigium, vt eius energia, nisi ad oppositum comprobandum, vix apparere videatur. Mœrent Apostoli dum audiunt ingruentem iam chari Magistri properantem mortem per Passionem morte ipsa atrociorem: & Christi studio solliciti trepidant; quo ergo pacto mœsti Discipuli peramantes Magistri sui, tristitiam in gaudium commutarent, si considerarent, quod vadit ad Patrem, *quia Pater*, inquit, *maior me est*; Imò inde etiam magis contristari debuissent, qui eum peramanter diligunt; quia vadit ad eũ, qui maior est; & inde adspectu ad eum, & in eius conspectu, minor apparebit. Num quo quis aliquem impensiùs diligit, de eius minoritate, an potius de sublimitate congaudeat. Quid ergo est: *Si diligeretis me, gauderetis vtiq; quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est*; S. Augustinus, Doctorum aquila generosior, irrefutatis oculis Diuinitatis splendores explorans, nec inde ad ea quæ sunt hominis in Christo, caligans; his verbis sublimissimè fatur: *Ipse ergo Filius Dei, æqualis Patri in forma Dei, quia seipsum exinaniuit, non formam Dei amittens, sed formam serui accipiens, maior est etiam seipso, quia maior est forma Dei, quæ amissa non est, quàm forma serui, quæ accepta est. Secundum hanc formam serui, puer Christus etiam parentibus minor erat, quando paruus maioribus subiectus erat.* Ecce tibi quàm sublimissimã reputet Christus obsequendi dignitatem, siquidem ait, quod qui verè eum diligit, gaudere debet, quia ad Patrem vadit, quia Pater maior ipso est, secũdum formam serui, secundum quam minor est, paternis præceptis obnoxius, & obedientiæ vectigalis. Tanta est obsequendi sublimitas in dignioribus, vt Christus ad Patris dexteram, sibi de forma serui, in qua minor est, & obsequi potest, sumptuosiùs gratuletur. *Humilitas enim atque obedientia in iunioribus adhuc necessitas, in senioribus vero*, (idest præstabilioribus) *dignitas.* Exinde dixit Christus Apostolis: *Si diligeretis me, gauderetis vtique quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est. Secundum hanc formam serui puer Christus etiam parentibus minor erat, quando paruus maioribus subiectus erat.*

Ioan. 14. v. 28

Chrys hom 74. Hilar lib 9. de Trinit

Quare Christus cupit esse, vbi minorem apparere, necessum erat.

Aug. Tract. 78. in Ioan.

4\. Iacobi 1. *Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea.... hic beatus in facto suo erit.* Videtur parum sibi cohærere Iacobus dum præcipientis *legem* dicit, & *perfectam libertatem* in obedituris agnoscit. Imò lex nescio quam seruitutem subiectis imprimit. Audiendus est Paulus ad Romanos 8. *Lex enim spiritus vitæ* (est hendyades, *spiritus vitalis* inquam) *in Christo Iesu liberauit me à lege peccati, & mortis.* Pro τὸ *liberauit me à lege pecati, & mortis*. Græcè habetur, *Manumisit me à lege*, &c. quod verbum apud Iurisconsultos, ad seruos qui libertate donantur, spectat. Scilicet lex antiqua cum Hebræis velut cum mancipiis agebat, at lex Euangelica adeo est ingenua, vt vel ex seruis liberos faciat. Nam licet lex de se aliquam seruitutem importet; tamẽ lex Euangelica subiectos *manumittit*, & nobili libertate donat: (*In legem perfectæ voluntatis*) indeq; magis subiectos obligat, vnde credi poterãt exoluti, quod de officiositate Euangelicæ gratiæ venit. Percommodè Arnobius: *An vlla est religio verior, officiosior, potentior, quam Deum Principem nosse*, &c. Vide quanta sit dignitas huic legi perinfectæ libertatis officiosiùs parere, quæ dũ strictiùs obligat officiositate gratiæ *manumittit*, & ingenua libertate donat. Non quia liberum sit non parere, sed quia non vt serui, sed vt filij vltrò ad obsequium eunt. *An vlla est hac religione verior, officiosior, potentior.* Ecquis quantumuis magnus, & potens obsequium recuset.

Iacob. 1. v. 25

Euangelica lex, dum præcipit, manumittit.

Ad Roman. 8. v. 2.

Græc text.

Arnob. lib. 2 aduers. Gent.

§. CCLXXVIII.

§. CCLXXVIII.

Semel falsitas, aut fraudulentia diu linguam infamat.

1. FAcinorosa conscientia instar est vlceris in corpore, vtpotè quæ pœnitentiam relinquat lancinantem iugiter, peruellentemque animam. Nam cum omnes a-iàs tristitias tollere ratio solita sit, solam hanc feram pœnitentiam facit sua sponte inciaabilem præ pudore, & quasi mordicus impetentem se, atque excarnificantem. Malitia enim coniunctum sibi, assiduéque ipsam torquentem gestat dolorem, pudorem, ac diffidentiam sui. Ecquis, transacto præsertim cœco feruore delicti, irrationabile factum non erubescat? Quis sibi fidat, qui sibi infidus deprehensus est? Quemadmodum enim facinorosus quisque, vltimo affligendus supplicio, corpore suo propriam fert crucem: ita improbitas ex se ipsa supplicium sibi struit ipsi, calamitates ingentes, passiones molestissimas, inutiles pœnitentias, indesinentes perturbationes, & formidines innumeras. Nec aliorum duntaxat formidat in se potentiam, sed suam etiam velut impotentiam formidat. Nec sibi deinceps satis fidit, qui sibi, & rationi aliquando extit infidelis. Sic apud se deuenustatur rationalis mens, quæ scelus non cohibuit; sic etiam dehonestatur corpus, quod sceleri ministeriale officium flagitiosè exhibuit! Nec bonitas ei tuto creditur, qui semel ad malitiam expromptus fuit? Sanctum etiam ac legitimum cum Tobia coniugium, prudenter timetur à bona Sara, quæ nuptias cum viris infidelibus, aliquoties infestauit, zelotypo Dœmonis astu illius ergo funestante connubia.

Suspectum semper est, quod semel malitiam exercuit.

Hic v. 11.

2. Marci 14 prædicéti Christo discipulos omnes in nocte illa scandalum ignaue passuros, cōstantiam in fide charo Magistro debita, audacter Petrus spopondit. Et reliquis infidè fugientibus, ipse subfugit; Magistrum enim sequebatur à longè. Sed quo propius dissimulanter accederet, ingressus est in Pontificis domum, quo Iesum deduxerant vinctum. Et cum esset Petrus in atrio deorsùm, venit vna ex ancillis summi Sacerdotis & aspiciens illum, ait: Et tu cum Iesu Nazareno eras. Ignotum alioqui hominem, esse Christi discipulum ex facie cognoscit, vel in facie scintillat Christianismus? At ille Magistrum dediscens, suam infidelitatem negatione didicit. Eadem interrogatio iteratur, & responsum adsimile. Et post pusillum rursùs qui astabant, dicebant Petro verè ex illis est: nam & Galilæus est. *Ille autem cœpit anathematizare, & iurare, quia nescio hominem istum, quem dicitis.* Et statim gallus iterum cantauit Et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Iesus: Prius quam gallus cantet bis, ter me negabis: *Et cœpit flere.* Benè *cœpit* flere, qui nuper malè *cœpit* negando anathematizare. Respexit Dominus Petrum, & apertis oculis, oculis inquam, lachrymantibus linguæ errorē emendare cœpit. Ergò Petrus prorupit ad lachrymas, nihil voce precatus. Inuenio quod oculis fleuerit; non inuenio quod aliquid ore dixerit. An non præstaret, vt quem sermone palam negauerat, sermone coram profiteretur, & ore veniam errati postularet? Bellissimè S. Maximus ita super hac re philosophatur: *Ideo*, inquit, *Petrus iam non vtitur sermone quo fefellerat, quo peccauerat, quo fidē amiserat, ne per id ei non credatur ad confitendum, quo vsus fuerat ad negandum, ac per hoc mauult causam suam flere, quam dicere, & quod voce negauerat, lacrymis confiteri.* Nempe Petrus lingua negauerat, timet ergo negatrici linguæ confessionem credere, *quia sermo in precando fortè fallit, lachryma omnino non fallit.* Lingua ad malitiam effusior, vel ad satisfactionem Petro suspecta est. Ex oris negatione, velut malitiæ characterem linguæ impressum, si non clarè legit, saltem cautè veretur; & qui verbis deliquit, nō se tuto verbis credit: nec fidelem putat linguam ad confessionem, quę ita infide effutiit negationem. Taciturnitate ora obsignat, vt lacrymis delictum deleat, quod suspecta iam voce pudor est confiteri. Loquantur fidelius lacrymæ, ne lingua fidei inops, confessionem erubescat, Silentio emendare præsumit, quod incautè loquendo deliquit, & inde fidelibus oculis linguæ infidæ committit officium. Lacrymę itaque tacitę quodammodo preces sunt, quæ veniam non postulant, & merentur; causam non dicunt, & misericordiam consequuntur. Lingua iam mihi suspecta, ad bonitatem forsan fallet, quæ sic me ad malitiam fefellit. *Ideo Petrus iam non vtitur sermone quo fefellerat, quo peccauerat, quo fidem amiserat; ne per id ei non credatur ad confitendum, quo vsus fuerat ad negandum.* Quod semel infidum deprehenditur, etsi in illo non duret infidelitatis reatus; diffidentiæ tamen metu, & sollerti cautela diu deuenustatur. Quis semel infideli deinceps tuto se credat? *No fia Pedro la confession de Christo, à la lengua que le nego, y assi sustituye lagrymas en lugar de palabras.*

Marci 14. v. 72.

Petrus sermone quo fefellerat, non vtitur ad confessionem.

Max de Pœnite ri hom 3.

3. Geneseos 32. Iacob è Mesopotamia redux in Chananitidem, pauidè timet fratrem Esaü; plus metuens conscientiam fraudis, quàm numerosum offensi fratris satellitum. Fraudem vix negare poterat, dicente Patre: *Venit germanus tuus fraudulenter*: neque eam excusare quibat, cuius causa fugam in Mesopotamiam iniit. Ergo ad preces confugit, aiens: Erue me de manu fratris mei Esaü, quia valdè eum timeo. Et præmissis muneribus, atque vltra vadum traductis omnibus, quæ ad se pertinebant, mansit solus. Et ecce vir luctabatur cum eo vsque mane. (quem multi putant fuisse Angelum fratris Esaü) Qui cum videret quòd eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit. Dixitque ad eum: *Dimitte me*, iam enim ascendit aurora. Respōdit. *Non dimittam te nisi benedixeris mihi. Ait ergo: Quod nomen est tibi? Respondit: Iacob. At ille, Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* Quare cum Iacobus timet fratrem suum Esaü, ipsius Esaü Angelus illi apparet, & cum eo luctatur? & cur Esaü Angelus Iacobo nomen mutat, & Israëlis nomen tunc illi facit? Quid vocabulum *Iacob* ad irritandum Esaü facit? quid nomen *Israel* ad illum placandum conducit? O friuola vocabulorum prælia? Cùm anxiè Iacobus timet fratrem Esaü, tunc Iacobi nomen, in nomen Israël cur demutat? Opportunè ad thema præsens sic præscripta verba commentatur Abulensis: *Non dimittam te*, (inquit Iacob) *nisi benedicas mihi: idest, donec confitearis quod benedictiones, quas pro Esaü requiris, mihi debita sunt. Quia resistere non potuit Angelus, compulsus est benedicere. Non inquit, compellabitur Iacob, idest, supplantator*

Genes. 32. v. 27. & 28.

Iacob mutat nomen, ne adhuc sit fallacia suspectum.

Abul. ibi q. 5

tator, & deceptor, quasi benedictiones ex fraude obtineret. Sed vocabitur Israel. Interpretatur Israel, vir videns Deum, vel fortis cum Deo. Scilicet Iacob notatus fuerat geminatæ fraudis, dicente Esaü: *Iustè vocatum est nomē eius Iacob: supplantauit enim me en altera vice: primogenita mea ante tulit, & nunc secundo surripuit benedictionem meam.* Ergo cum Iacobus panidè timet fratrem Esaü, arcanè fraudis memorem, non audet coram eo apparere, nisi eius tutelaris Angelus palam fateatur, sibi deberi benedictiones, quas à Patre accepit, & mutetur nomen Iacob, quod *supplantatorem*, aut *deceptorem* significat. Sic vel vnica fraus de mysterio arcana, & à mendacio immunis, Iacobum virum candidum, & simplicem denenustauit, vt necesse illi fuerit suspectum Iacobi nomen mutare, & Esaü fratris Angelum luctando, & victoriando cogere, vt palam fateatur, sibi, non fratri Esaü deberi acceptas arte benedictiones, & nullatenus illis fraude potitum: Sic vir simplex, & minimè malus, dubij alicuius doli suspectus: putatur fraudis reus, & fraudulentum exinceps fore existimatur: Nomen Supplantatoris illi medullitus extrahendum est, & proprij Angeli suffragio declarandum, sibi benedictiones deberi, easque arte; non fraude acquisiuisse: Tā altè hęret fraudis opinio, in eo qui semel astutiæ insimulatus est: Semel astutus, perpetuæ fraudis charactere inuritur. *Non, inquit* Angelus, *compellabitur nomen tuum Iacob, idest, supplantator, & deceptor, quasi benedictiones ex fraude obtineret.* Petrus iam non vtitur sermone, quo fefellerat; ne per id ei non credatur ad confitendum, quo vsus fuerat ad negandum. Nec Esaü de fratre Iacobo fraudulentiæ suspecto, credit fraudulentum non esse, donec supplantatoris relinquat nomen, & proprij Angeli suffragio innotescat, non per fraudem, sed per Dei dispensationem benedictionibus potitum.

Gen. 27. v. 38

4. Tertul. lib. de Anim. c. 18. & 17

Quinque sensuum fallacia, proditur.

Hinc fortè Plato cum suæ scholæ autoramento existimabat; vnquam sensui credendum fore, quia semel aut iterùm falsitatis conuictus est. *Vnde ista tormenta cruciandæ simplicitatis, & suspendendæ veritatis?* Sibi respondet Tertullianus: Certè Plato in Timæo irrationalem pronunciat sensualitatem, & opinioni implicatam. Itaque mendacium visui obiicitur, quòd remos in aqua inflexos vel infractos asseuerat aduersus conscientiam integritatis, quòd æquissimam porticum angustiorem in vltimo infamet, quod cœlum tanta sublimitate suspensum mari iungat. Perindè auditus fallaciæ reus, vt cùm cœleste murmur putamus, & plaustrum est: vel tonitru mediante, pro certo de plaustro credimus sonum. Sic odoratus, & gustus arguuntur; siquidem eadem vnguenta, eademque vina posteriore quoque vsu depretiantur. Sic & tactus deprehenditur; siquidem eadem pauimenta manibus asperiora, pedibus leniora creduntur, & in lauacris idem calidus lacus feruentissimus primò, de hinc temperatissimus renunciatur. Adeò inquiunt, sic quoque fallimur sensibus, dum sententias vertimus. Hucvsque Tertullianus, à quovis facilè expendendus.

§. CCLXXIX.

Dignissimo cuique tantum decerpitur de fruge peritiæ, quantum accesserit de fauore.

PAr quidem discipulis incipiens magister est, & tyroni militi nouitius agminum ductator. ætas etiam sua meritis est, qua hactenus infabricata ellimantur peritia: expertis honor debetur ingeniis, vix mediocrem cultum exigunt non probati, & inter exordia doctor, nulla est ab auditoribus forte sublimior. Illa sunt vera præconia, quæ longus sudor elicuit: *blandimentum est, non iudicium quoties laborem gloria ingesta præcessit.* Inter maculas numeret, quoscunq; triumphos ante discussionem campi miles adquirit. Laureata imperitia, ambitionis trophæum est, & gloriosum affectatæ ignominiæ notaculum. Immerenti Diadema pro calceo est, quo imperitum caput splendidè calceatur coronæ stemmate. Ecce nec illos decet ante meritum prædicatio, à quibus iustè poscitur post laborem. Iustè quidem poscitur muta lingua, & meritorum voce; sed vt iniustè, ita & crebrò negatur: & res meriti facta est negotiosi fauoris industria; adeò, vt quod exploratum meritum placeat species blandimenti sit, & gratia acceptantis. Quod perspicuum bonum ad gratiam arrideat, alieni iudicij beneficium est, & impensus bonitati fauor, qui meritorum arbiter factus est, de nutu merita cudens, inuidiæ, aut beneuolentiæ, aut ignorantiæ, aut auaritiæ typo. Sic sunt inania, ac penè nulla hominum iudicia, vt aliis debeas, quod qualis sis habearis: Sic humanus de aliis census, petulanter scortatur vaga iudiciorum libidine: Vsqueadeo adulterata æstimatione, corrupta erat bonæ Saræ opinio, vt stupeat eius pater, atque fauori imputet, quod pia, ingenua, locuples, & venusta puella ad peregrini hominis nuptias expetatur: Innocentia innocenti mirè placet, rectum de Sara iudicium Tobiæ debebatur.

1. *Blandimentum est, non iudicium, quoties laborem gloria ingesta præcessit.*

Ennod. infrà allegandus.

Hic vers. 11

2.

Esther 6. Rex Assuerus exaltauit Aman, qui erat de stirpe Agag, hominem inuidia sordidum, Regi infidum, & clancularium regni proditorem, Mardochæus vero genere, religione, pietate, & prudentia nobilis, quique Regem ab aulicorum insidiis strenuè liberauit, pro foribus palatij iussus aderat, diu inglorius. Accidit autem vt Rex noctem traduceret insomnem, & tædio nocturnæ vigiliæ nauseans, iussit sibi afferri historias, & annales priorum temporum. Quæ cùm illo præsente legerentur, ventum est ad illum locum vbi scriptum erat quomodo nunciasset Mardochæus insidias Bagathan, & Thares eunuchorum Regem Assuerum iugulare cupientium, *Quod cum audisset Rex, ait: Quid pro hac fide honoris, ac præmij Mardochæus consecutus est? Dixerunt ei serui illius, ac ministri: Nihil omnino mercedis accepit.* Tunc supra omnes regni Dynastas Mardochæus exaltatus est, & præmiū, quod meritis debebatur, ministrorum fauore obtinetur. In Mardochæi manu silebant merita, quovsque ministrorum ore, & censu, ad gratiam Principis acceptantur. Inuisa latebat innocentia, peritia, & fides Mardochæi, vsquequò de ministrorum

Esther 6. v. 3.

Tantùm decerpitur de fruge innocentiæ, quantùm accesserit de fauore.

ſtrorum fauore placuit, quaſi placendi gratiam, non tam à bonitate ſua, quam ab alieno fauore mutuaret. Pulchrè Ennodius ſic tẽpeſtiuè aliorſùm fatur; *Noſtra è diuerſo prolixo diſtat calle conditio, quibus tantum decerpitur de fruge innocentiæ, quantum acceſſerit de fauore.* Aman impiè inſidus, larua fabricandæ fidelitatis tectus, Regi placuit, & primum thronum post Regem occupauit. E diuerſo autẽ Mardochæi deſpicati æquè ac fidelis prolixo diſtat calle conditio, *cui tantum decerpitur de fruge innocentiæ, quantum acceſſit de fauore.* Mardochæi bonitas, innocentia, fidelitas, oculorum neglectu ingloria omittitur, & fauori debet, quod Regi placuerit, & ſicut diu apud homines ſorduit, adhuc ſqualeret, niſi de opportuni relatoris propitio ore, & iudicio, adornata niteret. Tantùm decerpitur de fruge innocentiæ, ſapientiæ, peritiæ, *quãtum acceſſerit de fauore*, (à quo ô malum!) olim, & nũc vim placendi bonitas fœnerat. Eximia bonitas fauore viduata, inuiſa latet, illaudata negligitur, impræmiata ſordet; ſed de fauoris lenocinio adornata, micanter ſcintillat ad gloriam, & ad ſummas Reipublicæ dignitates acceptatur idonea, quæ nuper de ſe quaſi inidonea, indecoro neglectu omittebatur. Bonus Mardochæus, bonus Tobias, quibus etſi bonitatis laude præluſtribus, *tantum decerpitur de fruge innocentiæ, quantum acceſſerit de fauore*, quaſi fauor ſit meritorum typus, quo dignitas ad placendũ cuditur, & inconſultum aliorum iudicium ſit bonitatis arbiter, & iniuſtus meritorum ſequeſter.

Ennod dict. 5.

5\. Geneſeos 1. prima Mundi die cœlos affabrè tornatos, è nihilo condit Deus; terram ſupra inanitatem ſuam fundat, aquæ elementum altè ſtagnare facit, & vagum aërem ſpatioſè terris oppãdit inaſpectabili obiectu. Lucis inopia caligant omnia, & infectæ tenebræ cuncta ſqualidè occupant. Imò nec in vaſto cœli globo, nec in ſpatio ſublunarium ambitu, aliquis ſpectator adeſt, necdum enim Angeli creati fuerant, nec homo efformatus. Hactenus Mundus vni Deo theatrũ eſt, qui vel tenebroſa perſpicuè videt. Poſtmodum lucem accendit: Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & opifex Spiritus ferebatur ſuper aquas. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux. *Et vidit Deus lucem quod eſſet bona: & diuiſit lucem à tenebris. Appellauitque lucem Diem, & tenebras Noctem.* Quas laudes nos dixerimus ipsâ luce dignas, quæ ſuæ bonitatis teſtẽ ipſum iam ſuum habuit Creatorem? Nam & apud nos oratio cedit oculis iudicioque ipſorum quippe quæ tantum dicere nequeat, quantum aſpectus antecedens reſtatur. Sed quid eſt, quod vix enata lux ſic opifici Deo placet, & tãquam eximiè placens de bonitate laudatur; & vbi primum vidit, quod eſſet *bona*, eam à tenebris feſtinata ſegregatione ſeparauit? Quid eſt: *Separauit* lucem à tenebris? num clara lux cum cœcis tenebris miſceri poteſt? Gloſſa ibi: *Praſixit Deus tã tenebris, quam luci proprios terminos, loci, temporis, motuum, ac nominum.* Miriſſimum planè eſt, & quod in re ethica ſacramento non vacat, tam properanter lucem ſegregatã à tenebris, cum quibus miſceri non poteſt, quantumvis ad congreſſionem nitatur. Quis enim hominum tam lippus exinceps foret, qui lucem, quã Deus *bonam* pronunciauit, cum tenebrarũ inbonitate confundat? Appoſitè inibi S. Ambroſ. *Fit ergo inter lucem, & tenebras diſcretio, vt ſeparata lucis natura, atque tenebrarum, nihil videantur inter ſe habere confuſum.* Nimirum ante hominũ creationem Dei ſedulitas præcauet, vt hominibus intimetur, quòd lux à tenebris prorsùs *diſcreta* eſt, ne de proprio ipſorum nutu *bona* lux, & non bonæ tenebræ confundantur, ne lux, quæ de agnato ſibi elogio, & *bona* eſt, & *bona* à Deo pronunciatur, bonitatis prærogatiua cõfuſaneo hominum aſpectui vllatenus debeat. Sibi, & factori lux de bonitate gratuletur, non ſuperbè caliganti hominum iudicio, qui de nutu rem taxant, & quibus debet *bonitas*, quod illis arrideat, & eiſdem placeat, ne *bona lux* tantum decerpat de bonitatis fruge, quantum afferit de fauore. Conſultiſſimè *ergo fit inter lucem, & tenebras diſcretio, vt nihil videantur inter ſe habere confuſum.* Porrò ſi aliquid confuſaneum in lucẽ foret, exertum ſuæ *bonitatis* elogium ſpectatoribus deberet; tantamque bonitatem habere videretur, quantam mutuaret de fauore. Sed non ſemper bonitatem, quã habet à fauore mutuauit, ſuper quo grauibus nimis Propheta expoſtulat: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.*

Diſcretio ſit lucis à tenebris, ne ſua bonitatis cenſum ſpectoribus debeat.

Gen 1. v 4. & 5.

Gloſſa ibi.

Ambr ibi.

Iſaiæ 5. v. 20.

5\. O crebrò reſonet in Electorum auribus conſultiſſima illa Aurelij Caſſiodori vox, quæ & Rempublicã benemeritis, & electores laudibus adornet: *In lucrum cedunt, quæ benemeritis conceduntur; & de ipſo munere magis acquiritur, cum optimis dignè præſtantur.* Sibi inuidet, qui optimis neglectis, re puſillos, fauore magnos promouet, ſublimitate ipsâ poſtmodum infelices.

Caſſiod. lib. 4 epiſt 24. *In lucrum cedunt, quæ benemeritis, conceduntur.*

5\. Exhodi 10 extendit Moyſes virgã ſuper terram Ægypti, & Dominus induxit ventũ vrentem tota die illa, & nocte, & mane facto, ventus vrens leuauit locuſtas. Quæ aſcenderunt ſuper vniuerſam terrã Ægypti, *Operueruntque vniuerſam ſuperficiem terræ, vaſtantes omnia. Deuorata eſt igitur herba terræ, & quicquid pomorum in arboribus fuit, nihilque omnino virens relictum eſt in lignis, & in herbis terræ, in cuncta Ægypto.* Quæ ſunt iſtæ locuſtæ omnia vaſtantes, & vernantes tunc campos (tot, inquam, ſpes fructuũ) atrociter deuorantes? S. Proſper ſic reſpondet: *Locuſtarum multitudo vexans omnia radicituſque exterminans, falſarius eſt, multa variaque confingens, qui rodit vt locuſta famam, vitam, actuque alienos donec totum aduerſus quem falſa confingit, radicitùs exterminet.* Parùm foret, quod *Falſarius* obmurmurator famam denigret alienam, aliorum actus; imò & *vitam* ſic rodit & deuorat, vt radicitus exterminet. O malum falſatæ detractionis atrociſſimum? Verùm Anſelmus Laudunenſis aliter de his locuſtis philoſophatur: *Deuorata eſt igitur herba terræ, &c.* id eſt, *fauoribus elata.* Nempe omnis apparenter terrenus flos, viror omnis, omniſque terræ venuſtas, *fauoribus elata* (quippe quæ ſubnixa eſt, non cõdigno ad ſublimitatem merito, ſed empto Procerum patrocinio) non tantum languet, & marceſcit propudiosâ macie; ſed nigro corroſu miſerè vaſtatur, & radicitus deuoratur. Exiguus meritis, *fauoribus elatus*, dũ in faſtigio eſt, magnus dicitur, ſed puſillus adhuc eſt, Quid tãtùm iuuat mendaciter dici, quo tantummodò verè eſſe prodeſt? Ad Reipublicę verticẽ aſcendiſti, vt tenuitas tua *fauoribus elata*, & patrociniis ſuffulta, oſtentui habeatur, omnium oculis, & linguis proſtitura. Quid humanũ fauorem exambis, à quo tibi tantoperè cauendum foret?

Exhod. 10. v. 15. *Obmurmurator falſarius, famam, & vitam radicitus deuorat.*

Proſp. 1. p. c 36.

Anſel. Laud. ibi. *Fauor humanus patrocinij obſequio, candidati famam deuorat.*

foret? Deuorata est igitur herba terræ, &c. id est, *fauoribus elata.* Fauoribus efferri, abrodi est, deuorari est, deuastari est; ipsâ muneris sublimitate personæ exiguitatem prodente; dum amplo muneri imparem euulgat, & committendis erroribus prostituit. Quin & dignissimo cuique tantùm decerpitur de fruge peritiæ, quantum accesserit de fauore.

---

§. CCLXXX.

Timor Dei dum eum honorat, diuinæ iustitiæ patronus dicitur.

1. Seneca in Troade. Hieronym. epist. 127.

Cupiam quærenti, *Victor timere quid potest?* consiliosissimè responsum est: *Quod non timet*, prudenter! ideali eruditione ad morum disciplinam. Nam vt dixit Hieronymus: *Timor virtutis est custos securitas ad lapsum facilis.* Qui præsumit, minùs veretur, minùs præcauet, plùs periclitatur. Timor fundamentum securitatis est, præsumptio impedimentum timoris. Qui securus agit, non est sollicitus, non possidet firmam, ac tutam securitatem. Timor, non est spei titubatio, sed securitatis asylum, dedidicit enim perire, qui ne pereat, discit præcauere. Vbi metus nullus, ibi nulla securitas, vbi autẽ metus integer, probatio securitatis de periculo inuenitur. Vnde prudentis cautela timoris, & timendi causas arcet, & Deum, quem timet, sumptuosius honorat, indeque decantatissima illa Poëtę sententia: *Primus in orbe Deos fecit timor*, quos sub Pauoris, Palloris que nomine Tullius Hostilius Romanorum Rex figurauit, & coluit, de quo amœniores litteræ vsque ad lectoris nauseam.

Timor virtutis est custos: securitas ad lapsum facilis.

2. Exhodi 9. adhuc obstinatè flecti-nescius Pharao, tot hactenus plagis minimè cedir. Dixitque Dominus ad Moysen: Mane cõsurge, & sta coram Pharaone, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi. *Quia in hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum.....vt scias quia non est similis mei in omni terra.* Solerter peruestigandũ est, quomodo Deus illa vice omnes simul plagas in cor Pharaonis vibrarit; & quo pacto inde eius augusta diuinitas gloriosè comprobetur. Litteralissimè notant attentiores Interpretes, his verbis nõ innui (sicut eousque) aliquã iam iam imminentẽ Pharaoni plagam; (neque enim tunc Ægyptus grassantis pestilentiæ contagio infecta fuit) sed continere impendentium calamitatum cumulum, quo Pharaoni timorem acriotibus minis Deus incutiat, non quo Pharaonis corpus sauciet. Scilicet cùm Deus timorem sui extorquere intentat, dicit: *In hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuũ.* Consultissimè quidem cùm timor immittitur, nõ ait, Mittam plagas meas in corpus; sed *in cor tuum.* Cor enim timore concutitur, non verò corpus timore feritur, vt inibi apprimè notauit Caietanus. Sed expẽsione dignissimum est, quo pacto cùm timorem immittit Deus, dicat *In hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum.* Num omnes plagas, seu calamitates, quas omnipotentia vibrare potest timorem immittens, vibrat, & fulminat? Ita facile exhauritur infinitus plagarum thesaurus, in tota Dei omnipotentia ad punitionem impiorum seruatus? Verùm enimverò quisquis Dei iram attentius, ac viuaciùs timet, omnes omninò diuinæ omnipotentiæ plagas *in corde suo* timet; eiusque cor omnibus omninò plagis vna sauciatur. Humanum corpus impar est sustinendo infinitas plagas, ergo eas omnes in timore quasi addensat, & abbreuiat Deus quò acerbius timẽtium corda opinione vulneret. Porrò *cor* pauidũ tot plagas formidat, quot tota Dei omnipotentia eualet fulminare. Exinde cùm timorem sui immittit Deus, consultissimè ait: *In hac vice immittam omnes plagas meas super cor tuum.* Et tempestiuè additur, dum tantum sui timorem ingerit Deus, *Vt scias, quod non sit similis mei in omni terra.* Ingens enim Dei timor magnã in Deum gloriam reuerberat, quod peregregiè notauit Tertullianus, sic de Exomologesi, seu exteriori pœnitentium confessione, fatus: *Hæc omnia exomologesis, vt pœnitentiam commendet, vt de periculi timore Dominum honoret; vt in peccatorem ipsa pronuncians, pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat.* Itaque asperioris pœnitentiæ ambitiosus squalor, quem incussus Dei timor extorquet, & diuinæ misericordiæ adulatur, dum temporali pœnitentiæ afflictione, æterna gehennæ supplicia redimit, & leuia in peccatore pronuncians, grauissima frustratur, & expungit: tum etiam pœnitentium timor diuinam iustitiam commendat, cùm *de periculi timore Dominum honoret.* Quo autem pacto timor humanus diuinam iustitiam commendet, & honoret, iam iam explicatius traditur.

Exhod. 9. v. 14.

Timor omnes Omnipotentiæ plagas sibi imminere existimat.

Caietanus, ibi.

De periculi timore, ab homine Deus honoratur.

Tertull. de Pœnit. c. 9.

Geneseos 3. Adam nimis vxorius, & gulę illecebris, & auaritia, gloriæ & scientiæ ambitione. Dei præceptiones cõtẽptim proculcat. *Et cum audissent vocem Domini Dei deambulãtis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.* Quid est quod post peccatum hominis in paradiso Dominus iam non stat, sed deambulat? nisi quod irruente culpa se à corde hominis motum demonstrat, quem iam in suo præcepto stabilem non videbat. Quid est quod ad auram post meridiem, nisi quòd lux feruentior veritatis ab eo abscesserat, & peccatricem animam culpæ suæ frigora constringebant? Increpauit ergo Adamum deambulans, vt cœcis mentibus nequitiam suam non solum sermonibus, sed etiam rebus aperiret, quatenus peccator homo, & per verba (quod fecerat) audiret, & per deambulationẽ amisso æternitatis statu, mutabilitatis suæ inconstantiam cerneret; & per auram feruore charitatis à se expulso, torporem suum animaduerteret, & per declinationem Solis agnosceret, quòd ad tenebras propinquaret. Hæc ante increpationis verba, rebus ipsis Deus Adamo fugienti denunciat. Sed attentiùs audiamus oculis, quid ipsâ re fugæ Adamus præuaricator Deo loquatur, priusquam ore respondeat. Leontius in Serm. de Creatione, ad illud: *Abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei,* &c. ita luculenter scribit, inducens fugientem Adamum sic cum Deo loquentem: *Cum rem cum tali reo habeas, non habeo causæ dicendæ libertatem, suscipe timorem, qui peccatum meum purget, & qui sit patronus tuæ iustitiæ. Vincere te ostendi fugiens sententiam tuam. Crimen fuga detexi, ostendi errorem defendi non posse.*

2. Gen. 3. v. 8.

Adami fugitiuus timor, fit diuinæ iustitiæ patronus.

Leontius in ser. de Creat. & Lazaro apud Photium

Nempe

Nempe Adamus pauidè fugitiuus timorem fuga præfert, qui crimen detegit, dum ostendit errorem defendi non posse qui fuga publicatur. Sed notanda est Leontij sententia acuminis plena: *Suscipe*, (inquit Adamus) *timorem*, qui peccatum meum purget. Et quasi hoc parùm foret, addit: *Et qui sit patronus tuæ iustitiæ*, ac si peccatoris seuerius puniendi timor, sit diuinæ iustitiæ *patronus*. Diuinæ iustitiæ rigor in Adamo cum tota sobole puniendo, alicui forsan videbitur nimis acerbus, & summæ Dei clementiæ indecorus: ergo ipsius inconsulta à Dei oculis fuga suum prodat timorem, & grauiorem propalet conscientiæ reatum, quo diuinæ iustitiæ seueriùs castiganti opportunè *patrocinetur*, dum timor timendi causas de adytis conscientiæ apertiùs resignat. Scilicet magnus timor de reatus opinione medullitùs conceptus, exercendis rigoribus *patrocinium* offert, & dum pauidè timentem sceleris arguit, iustitiæ adulatur: *Suscipe timorem, qui sit patronus tuæ iustitiæ*: nam *de periculi timore Deum honorat*, vt nuper ex Tertulliano expendebamus.

4. Lucæ 21. Tremenda quæ præcedent signa, extremè formidandam supremi iudicij diem, adstantium timorem, & summam Iudicis majestatem, quando exerta diuinitate orbem iudicabit; his verbis Christus prænunciat: *Et erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis, & in terris pressura Gentium arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi: nam virtutes cœlorum mouebuntur, & tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & maiestate*. Præuium creaturarum pauorem, *furoris proœmia* appellauit Eusebius. Arescent homines præ timoris magnitudine: nam vt sententiosè dixit Ennodius: *Vincitur humana mentis auctoritas præuisione periculi, labascit fortium conscientia, quoties formidanda oculis ingeruntur*. Et quasi parùm foret, quòd vel iusti homines arescant præ *timore*, præ *expectatione* etiam arescent: nam vt eleganter idem Ennodius edisserit? *Plus timendum est, quoties desideria nostra spes vicina succendit*. Vel potiùs (vt acutè dixit Hildebertus) *vtrumque posuit spem, & timorem. Spes sine timore præsumptio est, timor sine spe desperatio*. Parum est homines in velut *furoris proœmio* ante venturum Iudicem timore corripi, & expectatione coneuti: *Non solum autem mortales fluctuabunt cùm alterabitur mundus, sed etiam Angeli stupebunt in mutationibus vniuersi*, ait inibi Theophylactus. Quare cùm Deus venturus est omnium Iudex, acerbiores æternaturæ gehennæ pœnas seuerissimè incussurus; tot præambulis creaturarum timoribus præstruitur? Num tantus præuiè timor facit ad magnam iudicis *maiestatem*, qua diuina iustitia rigores exercebit? Redeat iterum Leontius nuper laudatus: *Suscipe timorem, qui sit patronus tuæ iustitiæ*. Nimirùm iustitia Dei, vt summos rigores, in miserrimè damnatos exerceat, humani timoris patrocinia præmittit: nam timor testis est conscientiæ, & præcoqua sententia seuerus Iudex, qui tribunalium rigores honestat. Itaque incussus orbi pauor *de periculi timore Deum honorat*. Ergo viuorum, atque mortuorum iudex aderit, *cum potestate magna, & maiestate*, idest, *in gloria digna Deo*, vt commentatur Chrysostomus, qua in exerta diuinitate fulgebit, & quam creaturarum timor, *iustitiæ patronus honorabit*.

Lucæ 21. v. 25. 26. & 27.
Timor vincit humana motus auctoritatem.
Eusebius in Catena ibi. Ennod in Panegyr.
Plus timet spei vicina.
Idem lib 1 epist. 10. Hildeb ser 1
Spes timori iungenda.
Theoph ibid
Cur vltimum iudicium tot creaturarum timoribus præstruitur.
Leont. sup.
Chrysost in Catena.

5. Tertullianus in lib. de Pœnit. cap. 5. ita scribit: *Si idcirco te deliquisse pœnituerat, quia Dominum cœperas timere, cur quod metus gratia gessisti, rescindere maluisti, nisi quia metuere desisti? Neque enim timorem alia res, quam contumacia subuertit*. Ad quæ verba eruditè notat Commentator, quod *Timere Dominum, & Dei timor est in Tertulliano, gratum esse, & honorare Deum, & illi opponitur contumacia, & contemptus Dei*. O bona synonyma, Dei timor & honor Dei! Item, Dei timor, idem est, ac *gratum* esse. O arcanum gratitudinis genus! Hoc genere gratitudinis præmaturè Tobias hîc gratificatur Deo optimæ coniugis gratiam, quam aliis innumeris Deus vbertim cumulauit: hoc etiam timore Deum sumptuosiùs honorauit.

Tertul. de Pœnit. c. 5. Cerda ibi. n. 42.
Timere Deum idem est, ac gratum esse, & Deum honorare.
Hic v. 12.

§. CCLXXXI.

Obstringitur ne diuina misericordia aliquo benignitatis debito, in deplorata necessitatis articulo, opem calamitoso ferre?

1. Languent per inertiam saginata, ne labore tantum, sed mole, & ipso sui onere deficiunt. Non fert vllum ictum illæsa felicitas. At vbi assidua fuit cum incommodis suis rixa, callum per iniurias duxit, nec vllo malo cedit: sed etiamsi succederit, de genu pugnat. Miraris tu si Deus ille bonorum amantissimus, qui illos quàm optimos atque excellentissimos vult, aduersam illis fortunam cum qua exerceantur, assignat? Ego vero non miror, si aliquando delicatur spectando magnos viros colluctantes cum aliqua ingenti calamitate. Mirarer tamen si eos strenuè decertantes, ope destitueret, qui suprà id quod possunt, homines tentari non patitur. Cùm boni viri partes penè fractas vides, tunc audentiùs cœleste auxilium spera: nam consultior Dei prouidentia, occasiones rimatur, quo opportunius auxilietur in necessitatis articulo, ad diuinioris gloriæ auctarium O! quis tunc ignave desperet, cum audentius erat illi sperandum, deploratæ necessitatis suffragio.

Cur Deus Iustos calamitatibus exercecat?

2. Ioannis 11. Languet Lazarus periculoso morbo, abest Christus, sed sorores per breui Epistola, Christi pulsant affectum, interpellant amorem, conueniunt charitatem, & necessitatem necessitudine cupiunt submonere. Sed Christus dilecto Lazaro decertanti cum lethali morbo, non lãgoris medicinam, sed resurrectionis gloriam mox parauit. Dat locum morti, solemni pompa effertur cadauer, ambitioso planctu funestatur Lazarus, conditur in sepulchro, fœtidè computrescit. Mox adest Christus, nec tam ad infirmi opem, quàm ad consolationem defuncti putabatur. Martha autem infidè fidelis, vt audiuit quia Iesus venit, deuotione alacri occurrit ei, dicens: *Domine, si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus*. O mulier, Deum confiteris, dum credis sanare desperatum posse, & addis, Si hîc fuisses? Deum nec absentant loca, quemadmodum nec tempora repræsentant. Pulchrè Chrysologus super his Marthæ verbis ita fatur: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Hæc mulier non credit, sed credere conatur, cuius credulitatem incredulitas confundit*. Et quomodo mulier, quæ credit, *quia tu es Christus filius Dei viui*, incre-

Ioan. 11. v. 21
Chrys. ser. 63
Quare Marthæ credulitatem incredulitate confundat.

dula censetur,& credulitatem nunc incredulitate confundere dicitur? Quæ indubiè credit Iesum Christum esse filium Dei,Deumque verum,quare incredulitatis arguitur,quia dicit: *Domine, si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus?* Plura significat,quàm dicit Chrysologus. Scilicet, ait Christus:tot signis,& prodigiis suadentibus, me Deum putas, sed cùm aduertis me atticulo necessitatis abfuisse, quin opem opportunè ferrem Lazaro extremè periclitanti, abduceris ab hac fide: vnde *credulitatem incredulitas confundit; conarisque credere, sed non credis*, Deum esse,qui in tempore extremæ necessitatis periclitanti amico non adfuit, quasi elogium sit Dei, & diuinitatis character, in extremæ necessitatis articulo subuenire indigenti. Putas me, iam opportunitate auxilij quodammodo transacta, importunum ad ferendam opem adesse, & inde discedis me esse Deum, quod miraculorum admiranda sublimitas persuasit. Post defunctum, & humatum,& deploratum fratrem adesse, qui in maiori periculo abfuit, à Deo alienum censes quasi in vrgenti necessitate adesse, sit diuinitatis nota, & eiusdem prouidentiæ indiuiduum elogium. Vnde dum Martha ait: *Domine si fuisses hîc*, (opportunus in maiori necessitate) *frater meus non fuisset mortuus*, quibus verbis *credulitatem incredulitate confundit*. Sic putat procliue esse Deo, in maiori periculo calamitosis succurrere, vt quia potens tunc succurrere, abfuit, an Deus sit ambigat,dum credulitatem incredulitate confundit. Subtiliter planè Chrysologus! Sed Dauid explicatiùs.

3. Psal 9.v.10 — Regius Psaltes Psalm. 9. postquam multa Dei epitheta addensauerat,quibus diuinitatis elogiū, vt vt potest ab hominibus,agnosceretur,ita pangit: *Et factus est Dominus refugium pauperi: adiutor in opportunitatibus,in tribulatione.* Quæ verba Theodoretus, & Haymo interpretantur de Christi aduentu *in plenitudine temporis*, cùm pauperem naturam nostram ob multam transgressionis mendicitatem assumpsit. Hieronymus, & Augustinus vniuersè de illo, qui sit animo pauper,& flagello tribulationis abstrahitur à rerum istius mundi amore, vt præ diuinis æstimet se mendicum. Verum *pauperis* nomine extremè calamitosum intelligi, constat ex Hieronymo, qui loco *pauperis*, vertit *oppressum*, & Chrysostomus, *fractum*, seu *attritum*, Caietanus, *contritum*, interpretantur. Itaque proprium Dei elogium, & quasi diuinitatis character est, quod in opportunitate,dum pauper calamitosus, contritus, & fractus, maiori indiget ope, tunc illi tempestiuus subueniat. Ioannes Lorinus, Sanctorum Patrum expositionibus imbutus, hanc conflat huius loci expositionem, pietatis, & ingenij plenam. *Apertè refugium excelsum,& eleuatio respondet humiliato, conculcato,contuso,contrito. Refugium est Deus, & pater, & omnium Iudex: attamen pauperis dicitur, orphani, viduæ; quoniam destituuntur humanis auxiliis, & ad Deum recurrunt magis.* Nempè Deus extremè calamitoso suam opem imploranti, dicitur auxiliator *in opportunitatibus*, quasi pater, *& omnium Iudex*. An non in dies videmus,quàm eliquentur patris viscera,vt charo filio iam periclitanti opē ferat? Multa breui compediauit *patris* nomine, quod & blandam amoris teneritudinem, & exsomnem opitulandi curam denotat. Sed opinor, maiori emphasi addit, Deum auxilium ferre *in opportunitatibus*, vt *Iudex*, quasi ex iustitiæ debito misericordia teneretur extremè indigenti fauere, & opem ferre periclitanti. Dei Misericordia dum largiori beneficentia dona sua liberaliter impertit, liberè agit,nullo adstricta benefaciendi debito. At Dei iustitia, aliquod debitum in remuneratione importat, siue ex diuina promissione,siuè ex meritorum condignitate, siue aliunde exortum. Itaque cum Deus in vltimis necessitatibus,& humanitus desperatis imploratus opportunè auxilium fert calamitoso, sic opitulationem impendit,quasi ex iustitia, aut ex infinitæ misericordiæ debito tunc quodammodo auxiliari teneatur. *Factus est Dominus refugium pauperi, conculcato, contuso, contrito Refugium est Deus, & pater, & omnium Iudex, in opportunitatibus.* Ergo extrema calamitas non excutiat spem, sed negotietur fiduciam, & auxilij securos faciat in periculi asylo; nam tunc, tunc quidem Deus arcano quodam misericordiæ velut debito, extremè ærumnosis auxiliari solitat. Quod hîc vers.13. pius Raguel palam expertus est. Hic v.13.

Ad Galat. 4. v.4.

P. Ioannes Lorin. hanc expositionē conflat ex aliis Scripturæ locis, & huius versiculi translationibus, & Patrum inibi cōmentariis. *Debet-ne Dei misericordia extremè periclitanti succurrere?*

4. Ennod. in euchar. de vita sua. — Magnus Felix Ennodius in Eucharistico de vita sua, ita Deum alloquitur. *Votiua febris mea necessitas, & exustio amplectenda medullarum, dederunt mihi, & timere Deum de ambitione sospitatis, & in ipso gaudere de reditu*, (& post pauca) *Ad medicinam tuam venire, nisi suffragio vulneris non valemus.* Scilicet febris necessitate, & vulneris suffragio,ad medicinam venit, & salutem inuenit. Sic necessitas veniam exorat: Quàm potenter diuinam opem Calamitosus deprecatur, linguato calamitatis vigore! Exhodi 2. *Ascendit clamor eorum* (filiorum Israël) *ab operibus.* Quæ verba sic exponit Caietanus: *Prius descripsit, quod suspirauerunt, & clamauerunt filii Israel oppressi ab oneribus: modo describit, quod clamor tanta fuit vis, vt ascenderet ad Deum ex seruitiis. Docet namque vt afflictio tam crudelis seruitutis, vires præbuerit clamori ad perueniendum ad aures summi iudicis.* Audis ipsam calamitatem vires orationi præbere: Acerbitas tribulationis vigor est orationis. Ærumnarum vigore preces armantur, & calamitatum suffragio oratio impetrat. *Ad medicinam tuam venire, nisi suffragio vulneris non valemus.*

Miseria suffragio gratiā extorquemus.

Exhod 2. v. 23. Caiet. ibi.

5. Exhod.6.v.5 — Exhodi 6. dira patitur Hebræa gens sub Ægyptio iugo; & spe populariter excussa, virorum obliti, muliebriter gemunt lugubri eiulatu, qui cœlos tundit. Et ait Dominus ad Moysem: *Ego audiui gemitum filiorum Israel, quo Ægyptij oppresserunt eos, & recordatus sum pacti mei*, &c. Quando Deus suorum recordatur. Quando *audiui gemitum filiorum Israel, quo Ægyptij oppresserunt eos.* O Deo dignum encomium! Profectò cum homo videt amicum calamitate oppressum, confestim omnes necessitudine desuescit, illiusque ingratè obliuiscitur. Quando autem vices fortuna venit, mox animum illius memoria subit,quasi prosperitas recordationem suggerat, calamitas obliuionem. Deus verò, vt felicium altè obliuiscitur, sic infelicium festinè recordatur. O beatam calamitatem, quæ quodammodo ars est diuinæ memoriæ, & beneficæ recordationis illex! Imò vidisse miseriam, illam propemodum abstulisse est: vt oppressorum gemitus audisse,exaudisse sit. Audiendus est Lipomanus, qui sic præfata verba exponit: *Ego audiui gemitum filiorum Israel, &c. Gemitus*, inquit, *piorum sunt efficacissimæ orationes apud Deum*,

Audire Deo exaudiri est, & extremè calamitosis gratificari

Lipom ibi.

Deum, maxime autem pauperum & oppressorum. Audire autem Dei est exaudire, & gratificari orantibus. Adeò velut exsomni cura attentus & expromptus adest Deus oppressorum gemitibus, vt eos audire, sit eosdem exaudire, & *gratificari* calamitatem deprecantibus. Sic diuinis blanditur auribus muta calamitatis vox, & gemitus in gutture extrangulatus, vt Deus dum audit calamitatem, calamitoso *gratificari* dicatur. Quis calamitate oppressus spem abiiciat, cum gemitum audiri, exaudiri, sit & gementibus *gratificari*. Hoc tempestiuissimo verbo vsus fuit eruditus hic doctor, quo plura significat, quàm dicit. *Audire Dei est exaudire, & gratificari orantibus.*

---

§. CCLXXXII.

Benè & consultè cœpta, meliùs sæpè reuocantur: quod non est leuitatis vitium, sed aliquod Consilij numen.

1. CONsilij mutatio, leuitatis iudicium, & inconstantiæ ludibrium vbique audit; cùm sæpè consultioris prudentiæ elogium censeri debeat; ne quis in cœpto errore adhuc pergens, longiùs & periculosiùs exerret. E maiori mundo hanc veritatem mundus minor, homo inquam, ediscat Tertulliani calamo descriptam. Neque enim mundus, si non vt mundus, inquit. Proinde diuersa in vnum ex demutatione diuersa sũt. Denique diuersitatis discordiam vices fœderant. Ita mutãdo erit mundus omnis, qui ex diuersitatibus corporatus, & vicibus temperatus. Nostra certè mutatio (quod clausis, vel in toto, Homericis oculis liquet) totum versiforme est: dies & nox inuicem vertunt; Sol stitionibus annuis, Luna modulationibus menstruis variat: siderũ distincta confusio interdum deiicit quid, interdum resuscitat; cœli ambitus nunc sub diuo splendidus, nunc nubilo sordidus; aut imbres ruunt, & siqua missilia cum imbribus, deinde substillum, & denuò sudum. Sic & mari fides infamis, dum de flabris æquè mutantibus, de tranquillo probum, de flustris temperatum, & ex templo de decumanis inquietat. Sic & terram, si recenseas, temporatim vestiri amantem, propè sis eandem negare, memor viridem, cum conspicis flauam, mox & visurus canam. Cæterum quoque eius ornatus quid? Non aliud ex alio mutat, & montium scopulæ decurrẽdo, & fontium venæ ebullando, & fluminum viæ obumbrando? Ne ergo homo, minor mundus inquam, mundi maioris ornatum erubescat. Re tandem penitiùs inspecta. Sapientis est mutare consilium, quod hîc Raguelus consultissimè mutauit; & inde vel inopinatam felicitatem assecutus est.

Tertull. lib. de Pallio. *Mutationis existimata leuitas, maioris mundi ornatus censetur.*

Hic v. 14.

2. Geneseos 38. dolo bono, an malo, cum commentatoribus non litigabo, viduam Thamarem in paternam domum Iudas remittit, diu cunctando Selam filium, post duorum immatura funera, illi copulare. Quod grauatè ferẽs Thamar, nacta tondendarum ouium occasionem, in biuio sedet, commutato viduitatis habitu cum theristro, & reliquis meretriciis ornamentis. Quæ pro coïtu arrhabonem mercedis accipiens Iudæ annulum, armillam, & baculum; ad vnum coïtum concepit, & abiit depositóque habitu, quem sumpserat, induta est viduitatis vestibus. Ecce autem post tres menses nunciatum est Iudæ: Fornicata est Thamar nurus tua. Dixitque Iudas: *Producite eam vt comburatur. Quæ cum duceretur ad pœnam, misit ad socerum suum dicens: De viro, cuius hæc sunt, concepi, cognosce cuius sit annulus, & armilla, & baculus. Qui, agnitis muneribus, ait: Iustior me est: quia non tradidi eam Sela filio meo.* Ex hoc furtiuo & incestuoso coïtu, tota Hebræorum nobilitas censetur, & Regum Iudæ generosa sublimitas. Quid in tanto viriatæ stirpis squalore elucere potuit, vt ex fœdissimi concubitus notha sobole, regium stemma Iudæ deputaretur? Proh malè res cum Hebræis agitur! Quem homines perhorrebant, Deus ad populi sui regnum vltrò recipiebat: An non inde Hebræa gens generosum regni sui decus erubescat? Ecquod est hîc tantum Iudæ meritum, quod tot spurcitias & ignobilitates emaculat? Dilucidè Isidorus Pelusiota hac super re ad rem præsentem philosophatur: *Propter integrum, inquit, iudicium, & rectam sententiam, regiam dignitatem Iudas obtinuit: quoniam plerique delicta sua occultantes, alios condemnant, hic autem se ipsum condemnauit, eamque quæ stuprum admisisse credebatur, supplicio & cruciatu liberauit, ob eam causam haud iniuria, regiam dignitatem est assecutus.* Nimirùm etsi plura in hoc fœdo concubitu, & Iudæ ac Thamaris negotio concurrebant, ob quæ vterque cum prole inde propudiosâ, indecorè abiici posset, ne vnquam honores capesseret: at vsqueadeò generosa res est, & principe digna, sententiam idoneè mutare, & iudicium malè cœptum, meliori mente retractare, nec contentiosè belligerari pro consilio semel cœpto, pertinaciter tuendo; vt inde regiam dignitatem Iudas cœlitus obtinuerit. Mater meretricio & æstiuali habitu in biuio sedet, vt faciliùs adeatur, pater libidinis æstu furens, incestuosè scortatur, fœdifragus de non impleta sponsione audit, & tamen Deus tot morum propudia velut dediscẽs, tanti facit proprio consilio obstinatè non hærere; sed illud, veritate detersâ magnanimiter postmodum retractare, & propria sui iudicij eódemnatione alienam redimere; vt quod apud imperitos, leuitatis argueretur, apud Deum æquum rei æstimatorem, inde *regiam dignitatem Iudas obtinuit.* O bonam Magistratibus eruditionem! *Væ illis, quæ delicta sua velut procero fune nectũt!*

Genes. 38. v. 24. 25. & 26.

Quo merito Iudas regiam dignitatē obtinuerit.

Isidor. Pelus. lib. 2. ep. 48.

Tertull. de Pœnit. c. 11.

3. Prouerbiorum 1. in ipso auspicio libri moralissimi, eius scopus cunlgatur: Parabolæ, inquit, Salomonis, filij Dauid, regis Israël. Ad sciendam sapientiam, & disciplinam: *ad intelligenda verba prudentiæ.* Sed pernoscere cupit prudentiæ studiosus, vbinam sit hoc vtilissimæ sapientiæ gymnasium. *Sapientia, ait, foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba sua, dicens: Vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia, cupient & imprudentes odibunt scientiam?* Notatione dignissimum est, quod non tantum tradat, quid prudentia homines doceat, sed vbi id doceat, diligenter enunciet. Quid refert, quod *foris prædicet*, an in vrbis meditullio? quid interest, quod in viarum initio, aut fine, (id est, *in foribus ciuitatis*) an in plateis, & capite turbarum clamitet? Forte res prudentiæ & consilij localis est; nec re duntaxat,

Prou 1. v. 20. 21. & 22.

Consilij ara bene sub terra defoditur.

taxat, sed etiam capiendi consilij loco erudit? Quorsùm tam expressa & accurata mentio fit loci, vbi prudentia suggerit capessenda consilia? Opinor, quidem, quia multum per omnem modum id refert. Eruditè Tertullianus Romanorum religionem erga Consum, cõsiliorum Deum, his verbis & refert, & reprobat: Quanquam & Cõsualia, inquit, Romulo defendunt, quod à Conso dicauerit Deo, vt volunt, consilij eius scilicet, quo tunc Sabinarum virginum rapinam militibus suis matrimonia excogitauit. Probum planè cõsilium, & nunc quoque apud ipsos Romanos, iustum & licitum, ne dixerim penes Deum. *Et nunc ara Conso illi in Circo defossa est ad primas metas, sub terra, cum inscriptione eiusmodi: Consus consilio.....potens. Sacrificant apud eam nonis Iulijs Sacerdotes publici.* Non est cur reprehendat Tertullianus, quòd ædes Consi subterranea sit, & eius ara sub terra defossa, nam vt doctè notauit Plutarchus omne consilium arcanum esse debet, mysterij adinstar, & inde occultè tectum. Quod verò *ad primas metas Circi* collata sit ædes Consi seu consilij, merito reprehensionis non vacat. Nam vt doctè notauit Tertulliani Commentator: *Primæ metæ carceribus scilicet propinquiores.... Hæ primæ metæ dictæ sunt Martiæ; nam ibi ædes sacra Deæ Martiæ amoris.* Nempe cùm bonum rei gerendæ consilium, potissimum sit negotium prudentiæ, quæ valdè è circunstantiis dependet: exindè locus, tempus, & cæteræ affinitates rei agendæ, maxime faciunt ad consilij negotium. Itaque benè Consi seu cõsilij ara, sub terra latet, vt consilium tectiùs abscondatur. Malè autem propè ædem Martiæ, Deæ amoris statuitur, ne vtatur malo cõsiliario, affectu inquam. O quàm sunt pœnitenda consilia, quæ affectus suggerit! De amoris aut odij confinio, prudentia plerumque inuitiatur, stultescit, deprauatur. Sed esto, ad ædem Martiæ, Deæ amoris, semel Consilium impinget; quid *ad primas metas, carceribus scilicet propinquiores*, collocatur? Dum gerendi negotij inchoatur cursus, consulenda est prudentia, & consiliũ ineundum est: quod si in ipso cursu impingit in affectum, & indè ab vltimis metis exerrat, nullo consilij numine, in medio curriculo (quin etiam prope terminum) ad rectum iter, à quo deuiauerat, reuocandum est. Incœpto semel errore, semper procedet: Nullo vtetur iam duce in toto cursus sui processu: Quare habenas cursuum moderatrices semper in manu gestat? Qui nullum iam Consilij Numen habet, sed post inchoati negotij initium, post se illud dimisit; sæpè non it, sed errat; non currit in Circo, sed ad præcipitium currendo properat. Non tantùm iuxta carceres, ne fortè ibi sit Martia affectuũ Dea, sed in medio etiam curriculo, & vsque ad vltimam postremissime metã, Consilij numen coram habendum est: ne exiguus in principio error, diu errando ad vltimum præcipitium infeliciter deducat. Benè *ara Conso in Circo defossa est*: malè autẽ *ad primas metas* tantum; ne error in principio paruus, magnus & irreuocabilis fiat inde non Romuli, sed Salomonis prudentia non solum in viarum initiis; sed etiam *foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba sua*, vt in quocumque curriculi, hoc est, negotij agendi articulo, possit aut se sistere, aut vltrà consultè progredi, aut aliorsum cursum flectere, ne quis existimet in auspicio rei gerendæ duntaxat consilium requiri, quasi semel consiliosè cœptum, sit pertinaciter irreuocabile. O quoties bene incœpta, male prouehis! Quia proprium iudicium ritè cœptum consultiùs reuocauit, *regiam dignitatem Iudas obtinuit*. Sic est generosum pro rei merito, proprium iudicium reuocare! Sapientis est mutare consilium.

Tertull. de Spect. c. 5.

Plutarch in vita Romuli. 4.

Cerda ibi. n. 68. & 81.

Malè Consilij ara ad primas metas collocatur, & quare?

5\. 1. Reg. 15. re malè gesta contra Amalech factũ est verbum Domini ad Samuëlem, dicens: *Pœnitet me quod constituerim Saul regem, quia dereliquit me, & verba mea opere nõ impleuit.* Quæ verba sic exponit Tertullianus pulchrè Superiores erudiens: *Quoniam quidem dixerit Deus: Pœnituit quod regem fecerim Saul, præscribens scilicet pœnitentiam.* Nempe cum Deus Saulis electionem antropopatœs retractare dicitur, humanis Principibus pœnitentiam *præscribit*, in his quæ sinistrè cedunt. O bonam Superioribus *præscriptionem*! Bona Principum quasi leuitas, quæ iustitiæ constantiam procurat.

1\. Reg. 15. v. 11. Tertull. l. 2. contr. Marc. c. 24.

Pœnitentia Superioru præscribat.

---

§. CCLXXXIII.

Quod in proximo est vt fiat, dum factum non est, adhuc longè abest vt fiat.

1\. *Si contemptor omnium, quibus torquetur vita dum ornatur*, eò perductus est, vt cœcus sit ad aspectabilium ambitionem surdus ad voluptabilium illecebras, ad maliloquium mutus, & vniuersatim ad omnem rem vitij velut viuum cadauer; adhuc timeat clancularias naturæ insidias, cupiditatis præstigias, pestilentem ambitionis auram; ne quod diu composuerat, citò turbetur, & dũ propè metam erat, sensim repedans, ad carcerem relabatur. Licet adnuamus Senecæ, quòd *nec de malignitate naturæ queri possumus: quia nullius rei difficilis inuentio est, nisi cuius hic vnus inuenta fructus est, inuenisse. Quicquid nos meliores beatosque facturum est, aut in aperto, aut in proximo posuit*: tamen quod in aperto, aut in proximo est, si non apprehẽdatur, non tenetur, quod verò non tenetur, adhuc in arduo & in confragoso est quovsque possideatur. O quoties qui *in proximo* erat, vt ad consummatæ virtutis metam perueniret, eò relabitur, vnde cursum incœperat; & rursùs inchoat, quod iam fermè consummasse putabatur! *In proximo* putabat Tobias, pacatum ex ærumnosâ vita discessum, & in pace eius spiritum iam iam recipi censebat; cum prolixior illi vita præparatur. Qui tantum non mortuus est, adhuc viuit; & forsan diutiùs viuet, quàm hactenus vixerat. De quo sic Raguel sperare putatur, mox an euenerit, dubie ambigit.

Quod in proximo est, nondum est.

Senec lib. 7. de Benef. c. 1.

Tob 4. v. 2.

Hic v. 14.

2\. Lucæ 15. adolescentis prodigi appositissima parabola, adeò moralitatum grauida est, vt obstetricante Sanctorũ Patrum pia sagacitate felici partu ad erudiendos mores nimis sobolescat. Censu igitur accepto, discedit à patre, lasciuit egregiè, & voluptates diu quærens, ægestatẽ inuenit. Paternæ affectionis desertor, porcis deputatur, porcis addicitur, lutulenta porcorum fame torquetur, vt sentiat seuerum iudicem, qui fugit pientissimũ prouisorem. In se autem reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo. Surgam, ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui

Qui iam venit, adhuc longè est vt perueniat.

peccaui in cœlum,& coram te,iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de
Lucæ 15. v. 20. mercenariis tuis. *Et surgens venit ad patrē suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius,& misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius*,&c. Horum verborum sententia,si specie tenus vibretur censura,valdè expedita apparet. Si verò eam penitiùs scruteris, non parum videtur impedita,nec satis sibi cohærens. Porrò si prodigus adolescens, surgens iam *venit* ad patrem suum,quomodò cùm adhuc *longe* esset, vidit illum pater ipsius? Aut nondum iam *venit*,qui adhuc *longe* est; aut si adhuc *longe* est,nondum aduenit. Quo pacto ritè componi potest,quod quis ibi vbi est,ita sit,vt ab eo loco longâ tunc distantia distet, & indè à *longe* possit videri? Quæ est hæc præsentia absens, siue præsens absentia? Fortè per ipsam præsentiam, à loco,cui quis adest, longè absentatur. Vidit hanc difficultatem Chrysologus, & qua subtili pollebat ingenij sagacitate,sic illam proponit, & appositè ad rem præsentem eleganter exponit: *Surgens*,inquit,*venit ad patrem, cum autem esset lon-*
S. Chrysol. Ser. 3. *ge: Quomodo longe est is, qui venit? quia nondum peruenit.* O quam multa paucissimis verbis strinxit Chrysologus. Scilicet qui *venit*, quousque perueniat,adhuc *longe* est Magna,inquam,interuallatur distantia,venisse,& peruenisse. Qui iam venit,cursus sui metam tenere forsan putabitur, quia iam venit,& tantū non peruenit;qui enim venit,propè est vt perueniat; nam modico interuallo distat venisse,ac peruenisse. Verùm vtcumque res habeat in re physica; at in re morali, quod etiam *in proximo* est, si tamen nondum tenetur,adhuc *longe* est. *Quomodo longe is,qui venit? quia nondum peruenit.* Valde abest,negotium fecisse, ac perfecisse; venisse ad patrem,& ad patrem peruenisse. Vltimum rei ethicæ complementum, quod *in aperto,aut in proximo positum* videbatur non propè est,vt statim apprehendatur;sed postquam eò ventum est,adhuc *longe* est. *El cuerdo,nada tiene per hecho,hastaque lo este.* O quam distat,fecisse,ac perfecisse;venisse,ac peruenisse! *Quomodo longe est is,qui venit?quia nondum peruenit.* Bellè quidem Chrysologus!

5. Isaiæ 9.v.6. Isaiæ 9. Euangelicus hic Vates sicubi apertè hîc maximè de Christo Deo, mūdi Redemptore prophetat;& præsaga mente, cœlitus clarata,eius infantiā hominibus absconsam, & simul Passionem coram peractam, his verbis arcanè coniunxit: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius.* Benè
Quare Christo adhuc infanti,crucis dolor copulatur. est,Christus Deus natus sit rex;sed quia crux fuit Iesuani regni gloriosum insigne, & principandi notaculum;eo careat, dum puer est;neque enim crucem ab infantia tulit,nec in pueritia Redemptoris elogium consummauit, sed tandem in
Ioan 19.v.30 cruce dixit:*Consummatum est.* Opinor,quod Propheta puero adhuc Iesu Redemptionis consummatæ insignia præmature præbuisse videtur,cùm non paruulus, sed iam perfectus vir, præcellum Redemptionis opus consummarit, & Redemptoris vocabulum planè adimpletit. Nunquid Christus Deus adhuc in infantia, aut pueritia crucis est baiulus? Nunquid ab infātia tenellum humerum duræ cruci supposuit? Quid ergo est? *Paruulus natus est nobis..... & factus est principa-*
S. Bernard. *tus super humerum eius?* Sudata aliorsum Bernardi verba huic themati recenter adaptare conabimur: *Crucem*,inquit,*quam imperij nomine* *significauit, natiuitati statim adiungit: quia profectò à natiuitatis exordio passio crucis exorta est. O quanta charitas! Vix natus est Iesus,& ecce recenti ortui crucis ignominia, crucis dolor copulatur.* Scilicet nemo, nemo inquam,existimet, Christum Deum adhuc infantulum,à consummanda redemptione,& cruce humeris baiulanda, *longe* abesse, etsi triginta tres nihilominus anni desint; à paruula enim ætate mysticæ crucis passio exorta est: & stato exinceps tempore, vsqueadeò certè auspicatam iam in præsepio redemptionem in cruce consummabit, vt *recenti ortui crucis dolor copuletur.* Exinde cōsultissimus Propheta, ne Christo recens nato inchoatum Redemptionis opus per crucem consummandum, tantummodo proponeret, vt non putaretur ab hominibus adhuc à consummatione *longe* abesse,& aleam subire,quam reliqua hominum opera subeunt,*recenti ortui crucis dolorem copulauit.* Scilicet Propheta consultissime respectu humanæ existimationis, dum Iesum adhuc *paruulum* proponit, baiulum crucis, (qua redemptionem consummauit)inducit, aiens: *Paruulus natus est nobis.... & factus est princ patus super humerum eius*; non quia paruulus crucem baiulauit, & redemptionem peregit, sed vt innueret, redemptionem, quam tunc feliciter inchoauit,ita certissime passione consummandam, & cruce perficiendam, vt in ipsa inchoatione, consummationis notaculum inducat,& puerulum Iesum insignibus peractæ redemptionis adornet,præpropera rei consummādæ perfectione. *Paruulus natus est nobis... & factus est principatus super humerum eius:recenti ortui crucis dolorem copulauit.*

Gentium doctor morti proximus,ita de se ad suum Timotheum scribit: Ego enim iā delibor, & tempus resolutionis meæ instat. *Bonum certamen certaui,cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex*: Communiter censent interpretes contra Cardin. Baronium, hæc verba à Paulo dicta,non cùm primò in carcerem detrusus fuit,sed post plures annos, iam martyr designatus,& morti vicinus. Exinde magnum exoritur dubium, quo pacto sibi Paulus cohæreat. Porro de se Apostolus indubitanter affirmat, quod in agone feliciter certauit, & cursu consummato ad metas vsque peruenit aiens;*cursum consummaui*: quo igitur modo vere addere potuit, *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ*: Percommode Anselmus sic exponit præfata verba: *Cursum, inquit, peregi. Et in reliquo, id est, in eo spatio,quod restat amodò & vsque in æternum reposita est mihi corona iustitiæ...quam reddet mihi Dominus in illa optata die resolutionis meæ.* Scilicet iam certasse in agone dicit, & cursum vsque ad metas peregisse,at quia parum restabat, quasi parum aut nihil hactenus fecerit, qui *cursum consummasse* dicitur; consultissime addit: *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in optata die resolutionis meæ.* Profectò quod in proximo est vt fiat, dum factum non est, adhuc longe abesse, vt fiat existimatur. Inde ait Paulus: *Bonum certamen certaui,cursum consummaui:in reliquo,id est, in eo spatio, quod restat amodò reposita est mihi corona iustitiæ.*

4. 2. ad Timot. 4. v. 7. & 8. Paulus cursum consummauit,sed in reliquo positam sibi coronam, dicit. S. Ansel. ibi.

§. CCLXXXIV.

§. CCLXXXIV.

Quod improbis conniuentiæ titulo conceditur, iniquè probis negatur.

1. NEmo tam facilè, tamque fatuè malus est, vt si probitati iungantur præmia, non incumbat illi; si verò improbitati socientur pœnæ, non fugiat illam: vt si non impellat amor repellat timor; si non inuitent præmia, deterreant damna, ac licet natura illum ad vitia non ducat, sed rapiat; frenum tamen impotenti huic dominæ iniiciet, & magnis illius conatibus, maioribus occurret, nisi delinquendi temeritas à delicto impudentiam edocta, effrenis ad delicta feratur, imperterrita libidine. O quoties aliqua Rectoris prudentia, scelestissimis indulgenter conuiuet, vt qui virtuti mortui sunt, viuant ad medicinam; & sic correctionem indulgentiæ lenitate negotiari præsumit. Adeò vt seueriùs sæpè agat cum probis, qui leuiter delinquunt, quam cum scelestissimè impiis, & duro supplicio dignissimis. Flectere vult curua, non frangere, nec leuem flexuram in rectis negligere. Exinde non semel probitas acerbioris supplicij rea est; & prauitas, quasi delinquendi licentia impunè insultat, grauioris malitiæ priuilegio tuta. Hæc Præfectorum in flagitiosos conniuentia, nisi rarò, & cautè fiat, nutrix vitiorum est, & virtutis nouerca, nam sic esse innocentem, reatus, aliquis erit; & esse nocentem, impunitatis priuilegium hoc calcar addet ad vitium, illud alacritatem virtutis compescet. Magis improbum esse, erit intercessio ad veniam, & ad remissiorem disciplinam suffragium: Duriùs tractabitur, quia bonus est: Sat ardua est virtus, ne exquisito politiæ artificio degrauetur.

Ne improbitati, quam probitati, plus per Rectorem liceat.

2. 4.Regū 20. Ezechias probissimus Iudææ rex, graui vlcere ægrotat, & de Isaiæ oraculo iam iam moritur, sed oratione lacrymis infusâ, vitæ restituitur. Protinùs hæc in Dei nomine Regi Propheta denunciat: Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas, & ecce sanaui te, die tertio ascendes in templum Domini, &c. Dixitque Ezechias ad Isaiam: Quod erit signum quia Dominus me sanabit, & quia ascensurus sum die tertia templum Domini? *Cui ait Isaias: Hoc erit signum à Domino, quod facturus sit Dominus sermonem, quē locutus est: Vis vt ascendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus?* Non examinabo nunc, quare improbissimus Achaz, Ezechiæ pater, ausus non fuerit oblatum ab Isaia signum à Domino petere, ne illum tentaret, vt probissimus Ezechias, non oblatum vltrò expetit, quin ideò Dominum tentasse dicatur. An quia plura licent iustis iustitiæ priuilegio? Mitto hęc, vt penitùs scrutemur, quare Isaias optionem signi offert Ezechiæ? Porrò Rex tantummodo petit à Deo signum, quod sit certum promissorum pignus. quid ergò necesse fuit signi optionem illi offerre? Quandò forsan timere posset Ezechias signi increpationem, optionem signi vltroneam à Deo accipit: *Vis*, inquit, *vt ascendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus?* Vidit hanc difficultatem magnus ille eruditione, & sanctitate, & eloquio vir, Gaspar Sanctius, Magister in re Biblica meus; & ad litteram appositus, & opportunus ad mores, ita inibi fatur: Non petierat Ezechias signum reuocandæ salutis, imò & vitæ quam iam amisisse videbatur, & accessionis quindecim annorum ad transactam ætatem, & tamen offert liberaliter Deus. *Imò sicut fecerat Isaia cap.7. eius parenti Achab, optionem dat, malit ne vt vmbra ascendat decem lineas, aut vt totidem gradus redeat retrorsùm.* Scilicet Achaz Iudæorum regno improbissimo & sceleratissimo optionem signi obtulit Deus, aiens. *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra*: ergò par signi optio offerenda erat Ezechiæ, probitate & religione opinatissimo, & quem Scriptura magnificis vbique laudibus præclarè commendat. Sanctus rex Ezechias nec signo, neque signi optione indigebat, vt Isaiæ prophetanti crederet; at probatissimo Regi offerendum erat, quod improbissimo oblatum est, ne Achazij improbitati, magis quam probitati Ezechiæ Deus indulgere videatur. Priuilegio impietatis hanc conniuentiam extorquet Achaz, ergò pius Ezechias ea non fraudetur. Fateor, Ezechias hac signi optione minime egebat, sed Præfectorum politia indigebat hac regiminis eruditione, ne malitia insultet, & virtutis alacritas indecore sistatur. *Fuera desfauorecer la virtud, darle mas priuilegios al vicio.* Hanc politicam eruditionem debes cuipiam perornati ingenij viro, qui pereleganter elaboratos in Iosuē commentarios iam iam parturit, magno rei ethicæ, pariter ac Biblicæ compendio.

4.Reg.20.v.9

Negandum non erat probo Ezechiæ, quod improbo Achaz concessum fuit, ne insultet improbitas.

Sanctius ibidem n.7. Isaiæ.7.v.10.

3. Geneseos 30. Rachel venustate nobilis, & mariti gratia propè vnica Iacobi princeps coniux; Lia enim eo nesciente, & non gratè ferente, ad eum introducta est. Cernens, inquam Rachel quod esset sterilis, *inuidit* sorori suæ Liæ quæ in ferè pari coniugij tempore, iam erat quatuor omnino filiorum superba mater. Itaque Rachel liberorum flagrans desiderio, obnixè à merito postulat, vt Balam ancillam suam in coniugium adsciscat, vt saltem ex ea prolem suscipiat, quo sterilitatis probrum consoletur. Iacobus autem, qui vel Liæ nuptias ægrè tulit, Balæ coniugium detrectare forsan voluisset, sed improbæ Rachelis æmulationi conniuens, fastidioso ancillæ connubio adsentit. *Deditque illi Balam in coniugium, qua ingresso ad se viro, concepit, & peperit filium, &c.* Ecce tibi Iacobus, qui vnius Rachelis maritus esse cupiebat, Labani soceri, & suæ Rachelis improbitati cedens, tres iam vxores alebat. Neque adhuc fit nuptiarum finis. Nam *sentiens Lia quod parere desiisset, Zelpham ancillam suam marito tradidit, &c.* Hinc à nōnullis incontinentiæ notatur Iacobus, quod trium vxorum iam maritus, quartam, ipsamque ancillam denuò introduxerit, & quidem simplici, exosæ Liæ rogatu, nulla necessitate nouas & superuacuas ancillæ nuptias colorante. Qua de causa fœcundæ Liæ tam facilè adnuit, vt eius ancillam superuacuè in vxorem adsciscat? Eccur fastidiosæ coniugi, & propè inidonea postulanti renuere non audet? Doctè Augustinus hac super re ita scribit: *Rachel cùm esset sterilis, ancillam suam, de qua filios ipsa susciperet, marito dedit. Quod etiam maior soror eius quamvis peperisset, imitata, quoniam multiplicare prolem cupiebat, effecit. Nullam Iacob legitur petiisse, præter vnam, neque vsus pluribus nisi gignendæ prolis officio; vt neque faceret, nisi vxores eius id facere flagitassent.* Nempè Iacob

Gen 30.v.4. & 5.

Supra v.7.

Quod inuidiæ Rachelis conceditur, Lia negari non potest.

Aug lib.16 de Ciuitate c.38

Iacob nullam præter Rachelem expetiuit vxorem; Balam autē eius ancillā, querulis ipsius precibus, de *inuidia* improbis, inuitus propè suscepit. Sed mox Lia, etsi ea re ad fœcunditatem non indigeret, sterilem sororem *imitata*, nouum etiam ancillæ suæ coniugium à marito flagitauit: cui protinus Iacobus adnuit, ne vxori fœcundæ dutiùs negaret, quod infœcundæ blandius concesserat. Noluit *inuidæ* æmulationi Rachelis plus indulgere, quàm Liæ fœcundiori voto propagādæ sobolis. Æquum ne foret, vt plus infœcundæ Racheli liceret *inuidia* priuilegio, quàm fœcundæ Liç, multiplicandç prolis desiderio? ô bonus familiæ suæ Rector Iacobus, qui iniquum putauit probitati negare, quod inuidentiæ concesserat! Bonus etiam familiæ suæ Præfectus Raguel, qui Saram filiam, quàm septem virorum
Hic v. 14. libidini concesserat, iunioris Tobiæ probitati negare non audet. Audierat Raguel ab Angelo: Noli timere dare eam isti, quoniam huic timēti Deum debetur coniux filia tua. Tunc respondit Tobiæ Raguel: *Et nunc noli dubium gerere, quod tibi eam tradam.* Quod septem ex ordine falacissimis viris Raguel adnuerat, quantumuis nunc de infausto timeret, probissimo, & contribuli Tobiæ abnuere erubescit.

4. Lucæ 15 v. 12 Lucæ 15. Homo quidam habuit duos filios: *Et dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Et diuisit illis substantiam suam.* Non morabor lectorē hîc disquirens, quid nomine *substantiæ* intelligatur, (de quo legi potest Theophylactus) Indubium tamen est, esse aliquid magnum, sublime, & pretiosum. Neque disceptabo cum politioribus Interpretum, an æquum fuerit, vt iuueni Prodigo prudens Pater copiosam concesserit substantiam. Hoc vnum admirari licet cum Chrysologo, ad præfata verba, *Et diuisit illis substantiam suam*; quòd Prodigus adolescens substantiam petit, non senior, & frugi filius: cur ergo impetita substantia huic non petenti similiter conceditur? *Petente vno*, inquit, *ambobus totam substantiam mox diuisit ..... Tenebat pater seruare substantiam filiis, non negare.* Esto, teneretur pater seruare substantiam filiis, nō negare: annuat ergo adolescenti Prodigo illam petenti; filio autem bono, & frugi non petenti, cur illam vltrò largitur? Profundè, inquam, Chrysologus: *Tenebat pater seruare substantiam filiis, non negare.* Porrò quod nequam filio conceditur conniuentiæ causa, vel non postulanti filio frugi concedendum est: nam quod improbis conniuentiæ titulo conceditur, iniquè probis negabitur. Exinde *petente vno, ambobus totam substantiam mox diuisit. Tenebat pater seruare substantiam filiis, non negare.* Nimirum ratio quæ ad filium frugi pariter munerandum viget, ipsius petitionem anteuertit.

Quod filio Prodigo cōceditur, non postulanti filio frugi vltrò adnuitur.

Chrysolog.

---

§. CCLXXXV.

Fides promissione data, Virgo seruetur: secus is cui sponsio fit, aduersùs sponsorem sponsione armatur.

1. Politico-Christ. lib. 2 c. 15.

FIdem datam seruare Principis est. Seruauit Alexander Seuerus de quo Lampridius: *Certum est eum nunquam id quod proposuerat fefellisse*: cùm diceret: *Nolle ab aulicis suas vendi dispositiones.* Tardus interim lentusque in promittendo sit Princeps: fidem datam seruabit: omnis enim Principis sponsio pro iurata esse debet, & sacrosancta promissio omnis. Monet Isocrates Principem: *Verbis tuis maior sit fides, quam aliorum iuratis.* Turpe Principi, concessa negare. Abiectissimi animi mentiri, & fallere, & venalem fidem habere, nimis hæc scenicam leuitatem sapiunt; constantiæ repugnant, quam regiam virtutem meritò dixerim. Certè vt nihil vilius in magno Principe, quàm plebeiam in promissis leuitatem imitari: ita nihil gloriosius, quam Dei constantiam præ se ferre: habet enim hæc virtus aliquid diuino simile. Nemo fuit tam barbaricè agrestis, apud quem promissorum Dei nutauit fides Faciliùs Deum negauerint, quàm eius fidelitatem non inconcussam putent. Hanc imitetur Princeps, & quisquis principales in se mores exprimere seriò examouit. Raguel vir princeps, cùm Tobiæ Saram filiam vel inuitus spondet: *Et nunc*, ait, *noli dubium gerere, quòd tibi eam tradam*, ne vel dubium promissionis adimplendæ, promissoris fidem quadantenus deuenustet.

Principis est fidem datam seruare.

Hic v. 12.

2. Geneseos 9. exigua hominum gens eluuioni superstes, ad humana exercenda munia ignauè torpet, ne de suis laboribus spolia diluuio alteri struat. Ne verò inertes cessent, sic ad Noēmū, & filios fatur Deus: Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquā vltrà interficietur omnis caro aquis diluuij, neque erit deinceps diluuium dissipans terram. *Dixitque Deus: Hoc signum fœderis quod do inter me, & vos, & omnem animam viuentem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas. Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Aliàs notabamus cur in nubibus ponatur signum non futuri diluuij. Scilicet, vt indè diluuij securitas existat, vnde eluuionis periculum timeri poterat. E nubibus diluuium ruit, non futuræ similis ruinæ in nubibus signum appareat. Sed nūc disquirere curiosiùs oportet, quamobrem Deus Iridem selegerit in suæ promissionis signum? Cœli arcus quid habet peculiare, vt inter res omnes cœlestes terrestresve, Dei fidelitatem obfirmet? Quid habet speciale iris, vt à Deo promissionis fidem extorqueat, & homines diuinæ fidelitatis reddat securiores? Profectò nō bonum serenitatis signū est cœlestis arcus, *in quo colores diuersi* (sic adducitur Ambrosius) *tanquam radiorum Solis nunc rutilantium, nunc lumine lucentium clariore figurantur; vnde & pluuia futura significatur, eo quod inconstantia quadam serenitatis versicolora specie demonstretur.* Hoc potiùs inconstantiæ symbolum, & velut ludentis prope terram Solis vestigium, in signum constantiæ diuinarum promissionum idoneè inducitur? Imo in rebus creatis nihil æquè idoneum adduci potuit, ad diuinæ promissionis firmitatem denotandam. Porrò Iris arcuatam habet figuram, inde arcus cœli vulgò nominatur. Et si accuratius attendamus, extremitates cœlestis arcus terras contingūt, & arcuatim versus cœlum arcus porrigitur: quasi sagittæ cōtra cœlum, cœlique habitatorem eiaculandæ forent. Nempe cùm Deus seriò hominibus terrigenis aliquid promittit, & adimplendæ sponsionis signum pręb et; bellicū cœlestis arcus instrumentum in terris ponit, ea figura opportunè dispositum, vt tela, & sagittas aduersus cœlum vibret, & potenter eiaculetur, si forsan (quod absit) cœlum

Gen. 9. v. 12. & 13

Deus promissione sua hominis aduersùs se armat.

Ambr. lib. de Noë & Arca c. 38

promissis non stetisset. Videat persæpè cœlum, dum aliquid spódet, qualiter soluere debeat terrigenis promissorum fidem, quorum adimplendorum signum idoneè eligitur arcus in nubibus extentus, qui tela cótra cœlum ipsum minitatur. His bellicis armis Deus terram aduersus cœlum mysticè obarmat, dum promissionem dato fœdere sancire decreuit. Quod forsã subinsinuat Ambrosius dũ de hoc cœli arcu accuratiùs tractans, de eo inquit, quod est: *Quædam mensura, & quoddam diuinæ virtutis examen*, quasi per cœlestis arcus exhibitionem, diuinæ fidelitatis virtus ad examen vocetur, & promissionum adimpletionem velut gratia vi à Deo extorqueat, armis in cœlum vibratis. Diuina promissio imbecillitatem humanam vel aduersus cœlũ, ad extorquendam rei promissæ fidelitatem obarmat; *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signũ fœderis mei.*

Ambr. supr.

3. Gen. 17. v. 2. Genesis 17. postquam nonaginta, & nouem annorũ esse cœperat Abraham, apparuit ei Dominus: dixitque ad eum: *Ego Deus omnipotens: ambula coram me, & esto perfectus. Ponamque fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis.* Nimirùm inopia naturæ, qua laborabat Sara, Patriarcham principe posteritate prohibebat: nunc autem celebri promissione generosam, & numerosam è vxore sterili sobolem pollicetur. Et dum pactum cum Abrahamo init, quo illius spem fundet, se *omnipotentem* consultò indigitat, ne ab omnipotentia promittentis nutet accepturi spes. Profectò tot difficultates ad promissa adimplenda occurrere solent, vt vel Deus post fidem promissione oppigneratam, se omnipotentem opportunè appellet, vt ostendat, se toto *omnipotentiæ* adnisu in promissionis adimpletionem sedulò incubiturum. Verùm eiusmodi pactum, ait Deus ad Abrahamum, *ponam inter me & te.* Pacta autem ad vtilitatem scribuntur eorum, qui munere digni sunt: vt sit præstãdæ gratiæ signum, quod medium statuit Deus inter se, qui largitur, & hominẽ qui fruitur, Philo Iudæus pulchro glossemate illustrans præfata promissionis verba, *Ponam fœdus meum inter me & te*, ita eloquenter, atque subtiliter fatur: *Eximia porrò beneficentia est, quod nullum aliud medium interiectum sit inter Deum, & Animum, præter Gratiam virginem.* Scilicet inter Deum promittentem, & Abrahæ animum, cui beneficium promittitur, nihil prorsùs medium est, præter promissionem, quam *Gratiam virginem* sentẽtiosè appellat. Eccur fidelitas rei promissę pręstandæ, *Gratia virgo* nominatur? O quàm multa breui sermone strinxit Philo! Profectò nimis tenera est Virginitatis valetudo, & facili sublapsu lubrica; adsimiliter fidelitas in promissis. Et sanè Virginitas acri libidinis fomite, & subdolis concupiscentię illecebris oppugnatur, crebris tentamẽtis inquietatur, & integro corpore, sępè scortatur affectus ad voluptatem pronus, quin & ex leui occasiuncula nó bonam sui suspicionem ingerit, qua in aliorum opinione facile diffamatur. Ad eundem modum, ait Philo, res promissionis se habet. *Virgo* promissio, seu promissionis fides, nimis delicata est quæ non tantùm, non stando promissis constuprari creditur; sed transacta occasione, nescio qua humanitatis nostrę malignitate, nos promissæ beneficentiæ plerũque pœnitet, contenti largitate sermonis, re infœcũdi. Imò & aliena, aut suspicione, aut opinione sponsionis non adimplendæ deuenustatur. Itaque inter promittentem, & eũ cui promissio fit, interiecta est *Gratia virgo*. Arguté quidem Philo. Procliue autem cuique est, alias huius comparationis analogias quęrere, & ad informandos mores deriuare. Ratum tamen sit, quàm scrupulosa, tenera, & sacrosancta sit datæ fidei conditio, quę vel propria mente, aut aliorum non bona opinione quodammodo constupratur.

Deus cum promittit, se omnipotẽtem appellat.

4. *Promissio. Gratia virgo sententiosè dicitur.*

Philo lib. de Nomin. mutat.

Id solerter præcauet Rex Theodoricus apud Cassiodorũ, ita scribens ad Arelatenses, qui auata rerum penuria miserè laborantes, de annona sibi à Rege promissa ignobiliter ambigebant: *Releuate nunc animos*, inquit, *& de nostra promissione recreati, habetote fiduciam: quia non minus est quod nostris verbis, quam quod horreis continetur.* Ne venerabilis degeneret promissio, vel ora conuertet in horrea. 5.

Cassiod. lib. 3 epist. 44.

Lucæ 11. his verbis Discipulos suos Christus alloquitur: *Petite, & dabitur vobis; quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit*, &c. Hæc Christi Dei verba, quibus humanam fiduciam diserta sponsione erigit, sic inibi exponit Ambrosius: *Petite, & dabitur vobis. Qui enim promittit aliquid, spem debet afferre promissi, vt mandatis obedientia deferatur, promissis fides, & ideo subdit: Omnis enim qui petit, accipit*, &c. Scilicet parùm foret, quòd Dominicis promissionibus spem deferamus, dum sponsione diuina subnixi, animos ad fiduciã erigimus spe firma, & titubationis nescia: sed cui promissio facta est, diuina sponsione suffultus, *promissis fidem* exhibeat. Nam dum ritè postulamus, sic promissa ambimus orãtes, vt spei nostræ fidem facere piè præsumamus. Porrò quia Christus Deus dixit: *Petite, & accipietis*: & *Omnis qui petit accipit*, quisquis ritè postulat, diuina promissione subnixus, spẽ impetrationis erigit, *vt mandatis obedientia deferatur, promissis fides.* Non disputamus nunc subtiliorem in re Theologica quæstionem, an fidei diuinæ obiectum sit reuelata Dei promissio, illi enim nequit subesse falsum. Sat esto, rectè nos posse fide diuina credere, fore vt nobis indubiè eueniat impetratio, quam ritè orantibus, ipse nunc Christus disertè promisit. Habeamus ergo fiduciam; quia nó minus est quod in Dei verbis, quàm quod in nostris manibus continetur. Sic diuinæ promissionis gratia virgo seruabitur. 6.

Lucæ 11. v. 9. & 10.

Amb. lib. 7. in Lucam.

Diuinam promissionem nõ modò spe, sed etiam fide honoremus.

Exinde Deus fidem in promissis virginẽ seruans, virginem in humanis votis promissionem requirit, scrupulosus votorum exactor. Pulchrè Tertullianus sic de Deo loquitur: *Sacrificiorum quoque onera, & operationum, & oblationum negotiosas scrupulositates nemo reprehendat*, quasi negotiosè *scrupulosus* videatur Deus, cùm vota hominum ad impletionem acceptat. 7.

Tertul. l. 2. contr. Marc. cap. 18.

Deus quasi scrupulosè acceptat humana vota.

---

§. CCLXXXVI.

Humilis propriæ insufficientiæ cognitio velut arcana sufficientiæ officina, inopinatum ad dignitates meritum cudit.

1. **M**Entiri prærogatiua, est dignitatis repulsa: qui nouit ambire, ignorat mereri. Patrem te sublimitati censes? meritum (quod fortè inerat tibi)

tibi) elatione corrupisti: existimata à te celsitudinis æqualitas, non magnitudo, sed timor est.

Meriti prærogatiua est honoris repulsa. Qui honorem quasi indignus repellit, in humilitatis officina dignitatem cudit, & dum humili sublimitatis repulsa electorum fatigat votum, producit affectum: atque fugiendo tenet, quod sectando perderet. Qui non vult angeri, recusat agnosci, sed hæc est natura virtutum, vt quanto studiosiùs abscondi optat, tanto clariùs innotescat, & occultatio ipsi proditio fit. O piè ambitiosa dignitatum fuga: honorum enim repulsa, & humilis dignitatum neglectus, aut benemeritum inuenit, aut facit benemeritum. Qui totum propria æstimatione reliquit, totum dignius obtinet. Depretiatione sui, pretium honorum comparatur, & vnde emit, ipsum est quod emit; quia verus meritorum honor, non alibi quàm in ipsis meritis continetur. Mereri vult, non sublimari, qui de propriæ tenuitatis notione, verum, non præsumptum dignitatis meritum negotiatur. Bonus Raguel, qui dum se sublimi Tobiæ affinitate indignum feliciter censet, de tot Saræ filiæ infortuniis; dignus redditur, cuius familia patriarchali nobilitetur connubio opibus, prole, pietate, & generositate in paucis fortunato. *Hic vers. 15*

2. Exhodi 3. Moysis apud Madianitas fugitiui, prælustres mores vel in medio grege honorans Deus, de pastoritia sedulitate ad sui populi principatum transferre satagit, & peram purpura cōmutare festinat. Moyses contrà rem sollertius cunctatur, & inopinatum sibi recusat imperium: & rubi potiùs se spinositate implicari, quàm principatu expediti diu morosus putat. Indubiè audit Dei voces, sed non dubiè se censens munere indignum, illud constanter (ne dicam pertinaciter) abiicit. Veni, (inquit Deus) & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum, filios Israël de Ægypto. Præcelsum sanè munus, pariter ac arduum. Quid tam sublime, quàm populo Dei cum summo imperio principari? quid tam difficile, quàm Pharaonis domare peruicaciam, & dominatricis Ægypti frangere potentiam? Verum Moyses sese colligens, dum fastigium dignitatis cum sua tenuitate metitur, ambitionis inops, nec humilitatis prodigus, dixit ad Deum: *Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto?* Non de superbiæ officina, quæ politura humilitatis ambitionem elaborat, hæc prodit honoris recusatio; sed de vera sui cognitione: nam dum se Moyses penitius explorat, imparem se tanto muneri inuenit. Quasi dicat: An non aspectu etiam ad diuinos oculos perspicaciter omnia peruidentes, tanto principatui impar sum? Ita quidē. Sed cur Deus indignum palam eligit? cur sic persistit in semel, & iterum renunciata indigni electione? An non cognoscit Deus, quod verè dixit Moyses: *Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto?* Pulchrè ad thesim præsentem inibi Lipomanus: *Dum Moyses agnoscit suam insufficientiam fit Domino donante sufficiens.* Nempè propriæ cognitionis tantum est meritum, vt suæ insufficientiæ cognitio, sufficientem non inueniat, sed faciat: quasi propriæ indignitatis notio merita mutet, & dum verè insufficientem agnoscit, de sufficientia benemeritum faciat. Scilicet quod verè negat cognitio, verum cognoscendo asserit, & meritum quod non reperit, tribuit. Itaque Moyses electus in Principem populi, dum se tanto obeundo muneri insufficientem agnouit, sufficientem fecit, &

Propria insufficientia vera cognitio verè sufficientē ad dignitates obeundas facit.

Exho. 3. v. 11

Lipom ibi.

de indigno dignus euasit, quasi propriæ indignitatis cognitio sit merendi arbitrium; quo de agnitione insufficientiæ, sufficiens euadit. *Dum Moyses agnoscit suam insufficientiam, fit Domino donante sufficiens.* O quam egregiè hîc vapulat humana arrogantia, quæ ambitionis fastu tumens, sublimissimæ dignitatis fastigium sibi longè impar præsumit! Artificium dignè merendi, suæ insufficientiæ cognitio est: ac si propriæ vilitatis æstimatio, merita excudat, opulento meritorum stipendio. Vilior sui sensus, benemerendi inopinata officina est, quæ idoneos Deo ministros arcanè elaborat.

Iudicum 6. Hebræus populus Dei sui refuga, in suæ sortis meditullio peregrinos hostes inuenit, factus Madianitarum præda, & finitimorum fabula. Venit autem Angelus Domini, & sedit sub quercu, quæ erat in Ephra, & pertinebat ad Ioas patrem familiæ Ezri. Cumque Gedeon filius eius excuteret atque purgaret frumenta in torculari, vt fugeret Madian (procliue est hinc Gedeonem cognoscere ministerio vilem, timore fugitiuum) Apparuit ei Angelus Domini, & ait: *Dominus tecum virorum fortissime.* (Irridet Angelus Gedeonis fortitudinem, an illam prophetat?) *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian. Qui respondens ait: Obsecro, mi Domine, in quo liberabo Israel? ecce familia mea minima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei.* Itaque electus in suæ gentis Ducem, (quem exinceps gloriosè gessit) absconditus præ hostium panore inuenitur, & rusticano abiectissime ministerio occupatus deprehenditur, & minimus in paterna domo, & Manassæa familia. *Humilitatem prætendit*, ait Hugo, *propter quod sublimari meretur.* An non vides hîc Gedeonem è familiæ, & fratrum minimo, repente maximum euasisse? *minimum* se omnium agnoscit, propter quod ad Hebræi populi ducatum sublimari meruit. De adsimili Israëlitarum Duce sic eloquenter Ennodius loquitur: *Qui nullis gradibus dum peritiam meditatur, effloruit; nec per ætatis alicuius scientiam ad messem perfectionis ascendit: qui diu militem infabricato portauit ingenio*, (trutina attentiùs verba quæ subscribit, ad rem opportunissima) *Officium Ducis iussus arripere, quia verecundè renuit constanter impleuit.* Nempe Gedeon areæ, & torculari dudum intentus, nullis gradibus peritiam militarem hactenus meditatus erat, & in agresti rusticanaque vita, futurum militem infabricato diu abscondit ingenio. Ast derepentè *officium Ducis iussus arripere* (Vade, inquit, & in hac fortitudine tua liberabis Israël de manu Madian) *quia verecundè renuit* (aiens *in quo liberabo* Israël? ecce familia mea minima est, & ego minimus in domo patris mei) *constanter impleuit.* Cùm Gedeon in populi Ducem eligitur se ad tantum exequendum munus reperit insufficientem, & inde dignitatem detrectat. Sed *dum agnoscit suam insufficientiam, fit Domino donante sufficiens*: atque *officium Ducis iussus arripere, quia verecundè renuit, constanter impleuit.* Si Principatum diu ambiret, si illum protinùs acceptaret, impar tanto muneri forsan censeretur. Ast dum se insufficientem agnoscit, sufficientem effecit; quasi de cognita indignitate dignus; inde euadens idoneus, vnde à seipso inidoneus æstimatur. Humilis propriæ insufficientiæ cognitio, velut arcana sufficientiæ officina, inopinatum ad dignitates meritum cudit.

3.

Iudicum 6. v. 14. & 15.

Gedeon principatum, quē verecundè renuit, constanter impleuit.

Hug. Card. inibi.

Ennod. dict. 4.

4. Exhodi 4. Tametſi virga illa, vel potiùs miraculorum officina, inſtructus erat Moyſes; geminato etiam prodigio ſublimem poteſtatem auſpicatus: principatum adhuc conſtanter recuſat, plura ſuæ inſufficientiæ documenta contentioſè allegans, vt ſpontè oblatam dignitatem quaſi obſtinatè refutet. Et ait Moyſes, *Obſecro Domine non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius, & ex quo locutus es ad ſeruum tuum impeditioris, & tardioris linguæ ſum*, &c. Ad quæ verba ſic in Paſtorali Magnus Gregorius eleganter fatur: *Moyſes præeſſe tanta multitudini, & noluit, & obediuit. Superbus enim fortaſſe eſſet, ſi ducatum plebis innumeræ ſine trepidatione ſuſciperet, & rurſum ſuperbus exiſteret, ſi auctoris imperio obedire recuſaret*. Eſto, ſuperbus foret Moyſes, ſi tanti ducatus faſtigium, aut ambiret ſuperbus, aut non trepidaret elatus: at ſi oblatum non acceptaret ducatum, quamobrem *ſuperbus* foret? Porrò dignitates ambire, ſuperbiæ res eſt; eaſdem autem recuſare, vt priuatus quis viuat tanquam aliquis è gregaria plebe, humilitatis negotium, aut otium eſt. Verum enimverò ſic vile eſt apud eximiè probos præcelſum Dignitatum culmen, ſic ſublime priuatam vitam agere, vt honores reſpuere ſuperbiæ aliquando adſcribi poſsit. Sic æqua proborum æſtimatione vileſcit mundanus honor, futilis, præceps, caducus, fragilis, fugitiuus! Sic piè ſuperbit abiectior humilitas, contemnens magnanima has ambitionis nugas! Ambitioſior elatio vilitatem faſtigij negotiatur ſub ſpecioſo Dignitatis titulo: qui autem illam conſtanter abiicit, (dummodo Auctoris imperio pertinax obedire non recuſet) pia quadam velut ſuperbia ſuprà Dignitatem ſublimis, illam humilitatis pedibus proculcat, tanto maior, dignior que effectus, quanto has friuolas ambitionis nugas generoſiùs proterit, & conſtanti repudio ſe illis maiorem palam exhibet. Hinc Nazianzenus Moyſen æmulatus, oblatos vltrò honores conſtanter abiecit, poſſeſſos velut contentioſè neglexit, ſic fatus: *Quod ſi grauauimus, potiùs repudiando, quam accipiendo graues fuimus*. O quàm eſt Dignitate dignus, qui conſtanter honores repudiãdo, electores fatigat! Qui ſibi ſuffragium negat, omnium ſuffragia condignè promeretur. O vtinam foret Dignitas repudij ſtipendium, & *quemadmodum nulla ratione fieri poteſt, vt quiſpiam quemlibet greſſum vrgeat, vmbram ſuam prætereat; quantum enim eam aſſequeris, tantum etiam illa ſemper anteuertit*, ſic etiam qui vmbraticos honores ambitu inſequitur nunquam aſſequeretur; ſed ipſi iugiter anteirent fugitiuo prægreſſu, vt candidatum ambitionis moleſtiis punirent labore ſemper irrito.

Exho.4.v.10 *Qui dignitates repudiat; piè ſuperbit.*

S.Gregor. in Paſt.1.p.c.7.

Vir perfectus, potius repudiand quàm con ... nis Dignitates, grauis eſt.

S Naz Orat. 27.

Idem orat.2. Theolog.

§. CCLXXXVII.

Potentes arrogantiæ arbitrio, ſuam diſsimulant læſionem, ne qua lædi poſsint, imbecillè manifeſtent.

1. INter inſaniam publicam, & illam quæ medicis curanda traditur, nihil intereſt, niſi quòd hæc vero morbo laborat, illa opinionibus falſis. Altera cauſas furoris traxit ex valetudine, altera animi mala valetudo eſt, imprudentia furorem progignente, ex cauſis quæ rationem perſtringunt. Furit Rex, Princeps, Primas, grauiter offenſus, quia iniuriæ magnitudo dignam iram extorſit, ne Poteſtas multa contemptui exponatur. At mora omnis, etſi odio ſæpè eſt, facit ſapientiam. Honeſtè ſeruit, qui tempori ſuccumbit. Potentes autem non dedecet, quod honeſtum: honeſtius autem ſæpè eſt, apparenter ignorare quod ſcis, quàm neſcienter prodere, quod conſultior prudentia ſapientius ignoraret. Porrò ſicut *dimiſſum quod neſcitur, non amittitur*: ita iniuria quæ diſſimulatione neſcitur, ferè non offendit. Morbus ignorantiæ putatur, & ſapientiſſima morum ſanitas eſt. Dum vulnus Princeps ſentit, vulnerabilem ſe prodit, & qua parte lædi poſſit, ipſe palam oſtendit. Dolorem animi, quem prudens diſſimulatio tegit, inconſultior ira prodit. O quàm ſatagit dignior prudentia ne ſenſu doloris ſe vulnerabilem oſtendat! Quin & arrogantior Potentium faſtus conſultam æquanimitatẽ in proſperis, & aduerſis affectat, ne lædi ſe poſſe videatur. Propè iam læditur, qui lædi poſſe creditur. Dei auxilio, & Angelo munitus, adhuc ſe Raguel vulnerabilem oſtendit? Adhuc domum ſuam à Dæmonibus infeſtari publicat, dum ne infeſtetur, ſollicitus præcauet.

Cõſultior Potentium æquanimitas, ſe inuulnerabilem oſtendit.

Publ.Mim. apud Senecam.

Hic v.18.

Exhodi 8. Squalida ranarum plaga fœdè conſpurcatur Ægyptus; limpidi Nili latices, & pigri fœtidè ſtagnantes lacus, ranarum horrore adæquè ebulliunt, & adæquè infeſtantur paganorum caſæ, ciuium ædes, & Regis palatium, indifferenti omnium calamitate. (O benè! Hæc terrena plaga Cœlum flagrat.) Permoleſta animalcula Regis cubile, lectum, cibum ſqualide infeſtant, & ſucceſcens numeroſitatis, miniſtrorum vincit induſtriam. Vocauit autem Pharo Moyſen, & Aaron, & dixit eis: Orate Dominum vt auferat ranas à me, & à populo meo, & dimittam populum vt ſacrificet Domino. Dixitque Moyſes ad Pharaonem: Conſtitue mihi quando deprecer pro te, & pro ſeruis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ, & tantùm in flumine remaneãt. *Qui reſpondit: Cras. At ille, Iuxta, inquit, verbum tuum faciam.* Nemo interpretum non quærit, quare liberationem à moleſtiſſima plaga, qua ædes conſpurcabantur, & terra computreſcebat, tandiu procraſtinauerit? An non è re Ægypti foret, vt continuò ranæ abigerentur in fluuium. Quod egregiè notauit Ambroſius ſic addubitans: *Conſtitue mihi tempus quando pro te orem, vt exterminet Dominus ranas; cùm debuerit in tanta poſitus neceſſitate rogare, vt iam oraret, nec differret, reſpondit, Craſtina die.* An Pharao optatiſſimam liberationem biduo diſtulit, ſi fortè cunctando poſſet nullum beneficium de inimici manu recipere. An quod nuper abſens in ſpe placebat, cùm iam ſub noſtro arbitrio eſt, continuo faſtiditur. An dum ranarum plagam ex alieno arbitrio venientem, inuitus ſuſtinet, moleſtiſsimè fert; cùm autem iam toto biduo illam eligit, mitiorem eſſe putat. Sic quæ vltrò patimur, toleratu facilia ſunt: Non inidonea hæc fortè videbuntur ad alias theſes locupletandas: at Ambroſius propoſito à ſe dubio ſic ad rem tempeſtiuus reſpondet: *Reſpondit, Craſtina die. Itaque Pharao vbi impetrabat immemor fiebat gratiæ, exaltatus mente carnis ſuæ*, &c. Vide mihi *exaltata* arroganter mentis politiam. Scilicet Pharao nimis angebatur infeſta ſui, & ſuorum plaga, ſed vt angorem, & horrorem diſſimulet, & quodammodo negligere, vel ſaltem parnipendere videatur, biduo prorogari plagam vltrò

2.

Exho.8 v.10 *Graue eſt vel vtilia de inimici manu accipere.*

Ambr apud Lipom.ibi. *Aſpera quæq; de vltronea ſuſceptione mitiſcunt.*

Liberatio, quæ in ſpe placet, in poſſeſſione faſtiditur.

3. *Callidè Pharao plagarum ſenſum diſſimulat, ne grauiter ſe lædi poſſe putetur.*

strò finit, ne eiusmodi plaga valdè lædi putetur. quo arrogantiæ arbitrio politica calliditate vtitur ad iniuriæ frustrationem. Quasi tacitè dicat Pharao *ex alterius mente carnis*: Ne putetis, ô Moyses, & Aaron, nimis esse mihi acerbam hanc ranarum molestiam, quam aliquot horis sustinui tametsi in meo ponatis arbitrio illarum exterminium, toto biduo adhuc per me duret leue est, quod abigere non curo, quod exterminare negligo non me frangit plaga, quæ etsi per vos confestim auferetur, per me diutiùs stat. Hæc dissimulanter iactat Pharao *mente carnis suæ exaltatus*. An quod elatè effectata æquanimitas potest, vera virtus de consultiori virtutis prudentia non eualeat? Simulata arrogantia, & superbiæ æquanimitas extorquet, quod sincera patientiæ virtus in prudentiæ officina non elaboret? Multa viro magno, etiam cum dolore dissimulanda sunt: se tanquam inuulnerabilem sæpè ostendat, ne aditus vulneri pateat. Intùs doleat, foris rideat, in omnibus philosophetur.

4. Danielis 4. Videbam, & ecce arbor (Nabuchodonosor inquam) in medio terræ, & altitudo eius nimia. Magna arbor, & fortis: & proceritas eius contingens cœlum. Videbam in visione capitis mei super stratum meum, & ecce vigil, & sanctus de cœlo descendit. *Clamauit fortiter, & sic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos eius: excutite folia eius, & dispergite fructus eius: fugiant bestiæ quæ subter eam sunt, & volucres de ramis eius.* Mirum planè est, quòd volucres in hac mystica arbore degentes, non vbi primum validum clamorem audierunt, confestim auolarint, & celeri penna aliò migrarint. Porrò vel tenuis strepitus prope arborem dubiè resonans, pauidas inibi auiculas nidificantes, procul abigere solet: quid ergo est, quòd dum iam securis arboris robustum succindit truncum, iamque arbor cædua gemit, iamque eius præscinduntur rami, & folia excutiuntur; adhuc necesse sit, vt volucres ab ea procul abigantur? Non id mirater de *bestiis* subter eâ versantibus, per quas vulgò interpretes, simplices quosque è vulgo, & agrestem ac penè brutum populum intelligunt. At volucres timidiores sunt: & vel periculi vmbram fugitiua celeritate præcauent: quid ergò est, vt propè expectent foliorum excussionem, & securim iamiam ramos præscindentem? O insolentem, & periculosam Volucribus moram, ab earum ingenio nimis peregrinantem! Verùm enimuerò Lyranus hanc mysticam arborem, eiusque mysteria reserans, de hac re ita fatur: *Succidite arborem, quia Nabuchodonosor de regno abiectus est. Præcidite ramos eius, idest, filios. Excutite folia, id est, decorem regni. Fugiant volucres de ramis eius. Quia multi recesserunt de dominio Nabuchodonosor de Principibus, qui designantur per volucres ad alta tendentes.* Ecce tibi Principum genium, vel sub figura pauidarum volucrum etiam impauidum, de effectatæ æquanimitatis arrogantia. Dedifcunt periculum, ne se lædi posse manifestent adhuc hærent ramis, etsi iam iam propè succisæ arboris gemitum præsentiunt. Nec pauent dum arbor succiditur, dum folia excutiuntur, dum præscinduntur rami; sed adhuc imperterritæ stant, quousque nuncupatim abigantur, nec vltrà non diffugere possunt. Ecce tibi Principum ingenium apprimè adumbratum, de consultæ æquanimitatis flecti-nescium, de ingenio superbiæ arroganter magnanimum. Nisi fortè ad aliam thesim diuitandam malis, fidelium Procerum hîc mores describi, qui vel iamiam exciso Principi suo sic tenacissimè hærent: neque ruinam fugitiua prouidentia declinant.

Daniel. 4. v. 11.

Regni Principes, per volucres designati, cur tam serò diffugiunt.

Liranus ibi.

Fideles regni Proceres Regi suo vsque ad ruinam tenacissimè hærēt.

5. Matthæi 4. Dæmoni panem lapidibus fabricandum, auarè offerenti, sic respondet Christus: *Scriptum est: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*, Ad quæ verba sic alto stylo scribit Nyssenus: *Non alitur virtus pane, nec per carnes benè se habet anima & pinguescit: aliis epulis vita sublimis educatur & crescit.* Et mox subdit quænam sint hæ animarum epulæ, aiens: *Nutrimentum boni*, viri: *Castitas, panis; sapientia, pulmentum; iustitia, potus impassibilitas status.* Aliàs notabamus quare *Castitas* dicatur animæ *panis*, & *Iustitia* appelletur *potus*: nunc negligendum non est quare *Impassibilitas sublimis vitæ*, & generosi animi, *status* nominetur. Et sanè *impassibilitas* strictiùs accepta, cœlicolarum elogium est, & rarò peregrinatur in terris. At magnanima patientia, quæ aut de Principum simulata constantia venit: aut de quodam virtutis fastu Sanctis contingit, sic iniurias negligit, vt homo propè *impassibilis* in offensis appareat: ne si læsuram vel nutu manifestet, de sublimi *statu* deiici videatur; Hanc *impassibilitatem* Socrates de composita æquanimitate, dum cicutam haurit, ambitionis ingenio mentitus est. Hanc sanctissimi Patriarchæ, Martyres, Virgines, Confessores in passionibus suis velut impatibiles exprimunt, ne de sublimissimo magnanimæ constantiæ *statu* deturbari viderentur Bona *impassibilitas*, quæ generosæ animæ *statum* seruat! *Impossibilitate*, quæ *statum* seruat, *vita sublimis educatur.*

Matth. 4. v. 4.

Nyss. apud Caten. ibi.

Impassibilitas generosa animæ statum seruat.

§. CCLXXXVIII.

Homo vbi primùm in lucem editur, molestiarum adit hæreditatem, & cognatas calamitates sibi sagacissimè insidiantes patitur.

1. MAgis vrgent sæua inexpertos. Graue est non assuetis ferre ceruicibus iugum. Ad suspicionem vulneris tyro pallescit, audacter veteranus cruorem suum spectat. Hominem suum Deus quem probat, quem amat indurat, recognoscit, exercet, Eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis seruat. erratis enim siquidem iudicatis exemptum. Veniet ad illum diu felicem sua portio. Quisquis videtur dimissus esse, dilatus est. Nec in ipsa flebilium dilatione, aduersitatibus immunis est. Nā qui virtutem, velut rem tetricam auersatur, eneruatam felicitatem supra se incumbentem: & delicias continuò marcescentes, & in contrarium abeuntes: & dignitates sollicitudinibus crudas, ferre vix potest. Imo & cùm omnia quæ excesserint modum noceant, periculosissima felicitatis intemperantia est. Mouet cerebrum, in vanas mentem imagines euocat, multum inter falsum ac verum mediæ caliginis fundit. Quid ni id satiùs sit, perpetuam infelicitatem, quæ aduocat ad virtutem, sustinere, quàm infinitis ac immodicis bonis rumpi? Nemo necdum corpore exemptus, obuiis incommodis exemptus est. Vt omnia tibi forinsecus mala pareāt, tu tibi ipsi molestus eris,

Seneca libi de Prouid.

Nemo flebilibus exemptus est, vsque ad sepulchri asylum.

vel de virtutis sequelâ aut desertione, aut de libidinis ambitionisue æstu, aut de domesticâ tuæ
Hic vers. 18. opinionis mortificatione. Quisquis viuit, vsque ad sepulturæ asylum, vitæ incommodis obnoxius est. An non Raguel hîc suâ etiam felicitate angitur: quem nuper repentinum infortunium lacerauit, nunc ipsa fortuna vexat.

2. Iobi 5. v. 6. 7. Iobi 5. inter alias sententias, quæ de crudâ illius æui sapientiâ profert Eliphazus, hanc de experientiæ sapore conditam, ad leniendum Iobi dolorem, tempestiuè iactauit: *Nil in terrâ sine causâ fit, & de humo non orietur dolor. Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum.* Quæ Iobi verba eleganter exponit Chrysostomus apud Græcam Olympiodori Catenam, quam noster Comitolus latinitate donauit. *Firmum itaque*, ait, *à naturâ Eliphazus petit argumentum, proprium dicit esse hominis vexari ærumnis. Statim igitur vt homo est susceptus in lucem, laborum, atque molestiarum adit hæreditatem, difficultatibus atque miseriis illius vita completur. Atque hoc nomine deteriore est nostra natura statu, quàm earum rerum, quæ è terrâ gignuntur.* Quasi dicat, nimis querulus est Iobus, quia tribulationem etsi acerbam patitur, cùm proprium sit hominis vexari ærumnis, qui continuò ac in lucem editur, *laborum atque molestiarum adit hæreditatem*, & malè prophetis lacrymulis, difficultates atque miserias, quibus illius vita per omnia viuendi spatia complebitur, verè præsagit. Hâc hæreditatem protoparens noster Adamus nobis reliquit, qui primâ suæ conditionis die, pellitus orbi vt metallo datus est. *Proprium* dicit esse hominis vexari ærumnis: nam vt sententiosè dixit Philo: *Quicquid natum est, expectet mala fatalia, sed Dei voluntas cognatas nobis calamitates subleuat.* Bellè quidem ait, quòd homo natus ad laborem, & qui vbi primùm in lucem editur *molestiarum adit hæreditatem, calamitates cognatas* habet. O difficilem cum calamitatibus cognationem! Parùm foret, esse hominis *proprium* ærumnis vexari, tribulationibus asperari, ægritudinibus æstuare, laboribus premi, aduersis excruciari; omnium pœnalissimum est, *cognatas calamitates* habere. Quæ est hæc hominis cum ærumnis cognatio? miseria sanguine iuncta homini est? eodem cum calamitatibus sanguine homo concretus? de limi fragilitate, an de peccati stipendio molesta hæc cognatio exurgit? Nemo, nemo inquam, putet, labores quasi inquilinos, apud se peregrinari: ærumnis ærumna succedens, tribulatio è tribulationibus prognata, humanitatis consequentias agnosce. Quin & fortuna ipsa, quæ incumbente felicitate vexauit, fœcundior malorum est, præpropero felicitatis abortu. Vices fortuna rotat rotatu perpeti; & cùm blandiùs adridet, aduersitatis minas puta, & infortunij præsagium. Iratam times, time etiam propitiam; vel potiùs ad vtramque animum obdura, & patientiam arma, ne incautum opprimat. A natiuitate molestiarum adis hæreditatem, & *cognatas calamitates* non adoptasti modò in Protoparentis voluntate, sed velut sanguine concretas in imis visceribus nutris. Nemo iura sanguinis desuescit, nec vlla industria cognationes rumpere, quantumuis adnitatur, eualet. *Quicquid natum est, expectet mala fatalia; sed Dei voluntas cognatas nobis calamitates subleuat.*

Chrysost. apud Catenam ibi.

Cognatio homini est cum calamitatibus.

Philo lib. *Quid sit rer. diui. hæres.*

3. Psalm. 45. v. 2. Psalmographus *Filiis Core pro arcanis*, psalmum 45. concinnè modulatur. Scrutari liceat hæc abstrusa Prophetæ profundissimi arcana, moralitatum grauida: *Deus noster*, subdit, *refugium & virtus: adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.* Quasi dicat: Nulla hominis industria, solersue sagacitas eualet cognatis calamitatibus eximi: solus Deus tutum præstat effugium ab intestino tribulationis malo, quod sollicitè nos quærit, & nimis inuenit. S. Basilius magnus præfata Dauidis verba enucleatiùs expendens, acutè obseruat, quo pacto de examinali & cæcâ tribulatione idoneè dici possit, quòd tanquam oculata solerter quærit, & quasi animata sagaciter inuenit. Sic ait ad præscripta Psalmi verba Basilius: *Quicumque per viam angustam & arctam, declinatâ latâ & spatiosâ viâ ambulauerit à tribulationibus inuenitur. Quasi enim animalia viuam animam spirantia apprehendunt nos tribulationes.* Scilicet sicut quædam animalia, etsi fatuâ brutâque naturâ sint, ingenio sensuum, & arcani instinctus sagacitate, vias obsident, cuniculos telluris obseruant, vel leuia vestigia captant & odore præsagiunt alia animalcula in prædam sibi destinata; & cognatæ antipathiæ genio, illa attentè obseruant, sagacissimè perquirunt, & feliciter capiunt, adeò vt brutæ naturæ opus, perspicacioris ingenij solertiam excellat. Sic tribulationes *quasi animalia viuam animam spirantia*, peruersâ antipathiæ necessitudine fraudulenter instigata, exsomni industriâ homini insidiantur, vt illum inueniant, vexent, & lacerent, eúmque velut cupitâ prædam incessanter dilanient. Et sanè inter plura animantium genera, hæc peruersa antipathiæ necessitudo inuenitur, & aduersus ad nocendum instinctus. Ita, ait Basilius, inter tribulationes & hominem, hæc velut vitalis sapienter sagacitas reperitur, vt hominem sollicitè quærat, quæsitum inueniat, inuentum incessanter excruciet, non bonâ necessitudine in malum. *Adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Quasi enim animalia viuam animam spirantia apprehendunt nos tribulationes.* Ecce tibi tribulationis cum homine, & aduersa antipathiæ necessitudo, & molesta calamitatum *cognatio*. Vbi affinis est miseria, & tanta cum ærumnis necessitudo, quis duraturas delicias expetat? Homini agnata est tribulatio, & felicitas in eo insolescit, ac cognatâ vi in peruersum abit, fortunæ inconstantiâ.

Tribulationes velut sagacissima animalia, hominem auidissimè quærunt, & nimis inueniunt.
Basil. inibi.

Iob 14. ita miseram hominum vicem querulus opplorat: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis.* Pro τὸ homo Hebraïcè habetur, *Adam*: & pro τὸ *muliere*, habetur *Issa*, quæ Geneseos 2. dicitur *virago*, seu virissa, quia de viro assumpta est. Non latuit inibi nostrum Pinedam, hæc vocabula cum emphasi hoc loco posita. Et Philippus quidem obseruat, in præfatis verbis Iobum adlusisse ad Euam. Itaque quilibet homo hîc dicitur *Adam*, vt ærumnarum cumulus exponatur: nec sicut ille generosè à Deo olim satus; sed Adam alter, *Euæ* filius, ad miseriarum hyperbolen, quasi ab vtero, *laborum atque molestiarum adieris hæreditatem.* Neque hic nouus *Adam* in singulis hominibus insculptus, vitæ diuturnitate viget, sicut primus Adam, sed *breui viuens tempore*, nascitur moriturus. Porrò sicut heliotropium natiuâ vi perpetuò ad Solem; sic homo ad vitæ occasum à vitæ ortu magnâ ex parte cadauerascens, ad matricem puluerem quammaturè festinat. Nam hominis vita, mortis inchoatio est, seu ancipitis vitæ inconstans titubatio. Sed quod abbreuiatur vitæ, ærumnis laxatur: *Repletur*, inquit, *multis miseriis*. Vox Hebræa

4. Iob 14. v. 1.

Philipp ibi.

Homo miseriis velut cibo & potu sustentatur.

Hebræa רגז *ragaz*, pro quâ *miseriis* vertit Vulgatus, significat etiam inquietari, commoueri, conturbari aliquo vehementi doloris affectu, aut tristitiæ, aut doloris, aut iræ: ex quâ vocis fœcunditate, hominum *miseriæ* fœcundissimè amplificantur. Verbum autem Hebræum שבע *sabagh*, quod *replere* exscribitur à Vulgato, *satiare* significat: & frequenter transfertur ad ærumnas, labores, amaritudines, quæ vexant patientiam hominis, eiusque vitam molestiis *replent*. Ergò expectatâ Hebrææ vocis significantiâ eruditè ad rem sic fatur Pineda noster: *Sed illud*, inquit, *non prætereundum, cùm miseriis dicitur homo plenus & satur, videtur, in cibum & potum illi datas: tum etiam intimè mortalibus inesse: nam instar cibi & potus in hominis substantiam conuertantur, & intimos omnes viscerum recessus peruagantur.* O quàm fœcundè Hebræi verbi significatio rem amplificat! Tanquam cibum & potum homo cæcâ appetentiâ *miserias* hianter esurit: *miseriis* velut cibo alitur: velut conuerso cibo in substantiam aliti, *miserias* sibi conuiscerat: Non iam dicit Rex Israël de Michæâ propheta, sed cœli Rex de omni homine mandat: *Sustentate eum pane tribulationis, & aquâ angustiæ*: siquidem *cum miseriis dicitur homo plenus & satur, videtur, in cibum & potum illi datas.* Sic homo animitùs miserias alit, eisque medullitùs sustentatur. Sic sunt cognatæ, vel agnatæ hominibus miseriæ.

Pineda ibi.

3.Reg.22.v.27.

5. Genes.39.v.7. Lipom.ib.

Geneseos 39. *Iniecit Domina sua oculos suos in Ioseph.* Quid in hoc nequam sæculo à calamitatibus tutum? omnia vel è peruerso nocent; dediscuntque naturam, vt lædere discant. *Ioseph* (ait Lipomanus) *quandiu cum fratribus erat, periclitabatur ex odio*: cùm verò apud Ægyptios & barbaros Dominos, ipse exul, seruus, inualidus, pauperculus, ex amore periclitatur. Scilicet sæuum odium peregrinatur in fratribus ad Iosephi perniciem; & blandior beneuolentia insolescit in Ægyptiâ & barbarâ Dominâ ad eiusdem ruinam. Natura aduersus se fraterno armatur odio; armatur & barbaries amore, vt Iosephus gratiæ athleta, inopinata iacula è peruersis patiatur affectibus: quò homo ad patientiam erudiatur, agnoscens, quàm illi sint cognatæ calamitates.

---

§. CCLXXXIX.

Flagitiosa olim vitia, perfectioni nunc virtutum sæpe gratulantur.

1. ÆQuè effectuum facilitas, quàm difficultas nocet. Facilitate capimur, cum difficultate certamus. Affectibus ad rem virtutis egemus, & effectum non bono sæpè ductu passim ad vitia impingimus. Hinc opinor, nullum est vitium sine patrocinio, nulli non initium exorabile, & ob hoc latiùs funditur; cùm ducatur affectu, qui in virtutis ac vitij confinio situs est. Sæpè vitium virtutem mentitur, & specie vitij virtus latet, atque res morum humanis obtutibus variè obiicitur, ambiguo vtriusque censu. Nec semel obiicitur felicium vitiorum turba, quæ verâ prauitate probitatem ostentant. Humanos oculos hæ præstigiæ fallunt, dum quidam offensis gratiam mercantur, & meritis offendunt, non bono commercio. Et quod mirere magis sæpè nescio quid boni in quorundam etiam delictis elucet, quod & diuinis oculis quodammodò blanditur. Pudor in ipsâ offensâ, verecundiæ effigiem repræsentat: nimius virtutis zelus, etsi in vitium degeneret, velut laciniæ virtutum sunt, quæ terram sordidè verrunt, & cœlos sublimiter tangunt. Quin & in ipso peccati affectu, aliqua non semel bonæ indolis energia scintillat, quæ prauitate euacuata, trânslataque ad rem virtutis, generosè excellit. In Raguelis hîc diffidentia, benignitatis vigor præclarè nitet. Hic vers.18

Nonnulli offensis gratiā mercantur.

2. 2. Regum 24. dixit Dauid ad Ioab Hebrææ militiæ principem: Perambula omnes tribus Israël à Dan vsque Bersabee, & numera populum, vt sciam numerum eius. Præstaret nescire, quod scire non prodest, nisi ad curiositatem, elationis fomite instigatam. Curiosum arroganter Regis mandatum, crudè Ioabus excipit, & cunctanter exequitur. Sed vix recensitionis catalogus coram Dauide recitatur, cùm vix consummato scelere, statim conscientia delicti regium Dauidis animum generosè prodit. *Percussit autem cor Dauid eum, postquam numeratus est populus: & dixit Dauid ad Dominum? Peccaui valdè in hoc facto: sed precor Domine, vt auferas iniquitatem serui tui, quia stultè egi nimis.* Continuò supplicij optionem illi Propheta Gadus Dei nomine offert; ipseque consultissimè eligit in offensi Numinis manus incidere, aiens: *Coarctor nimis: sed melius est vt incidam in manus Domini, quàm in manus hominum.* Numquid donati sibi pœnam poposcit erroris? Quod si fecisset, impudentiæ notaretur, qui indulgentiæ diuinæ fuisset ingratus. Sed plurimum suffragatur reo verecunda confessio: & pœnam quam defensione euitare non potuit, pudore subleuauit: *Nec fefellit sanctum Dauid fides sua,* (ait Ambrosius) *sed in ipsa quoque offensione gratiam diuinæ miserationis emeruit.* Nam qui minatus fuerat mortem triduo exercere in terra, ne vnum quidem diem passus est prætetire, sed ad horam prandij libenter indulsit, quasi ipso fuerit irritatus flagitio, & eodem quodammodo ad miserationem delinitus, dum Dauid *in ipsa quoque offensione gratiam diuinæ miserationis emeruit.* Scilicet (procul calumnia) sicut nonnulli non modò re delicti, sed delinquendi etiam modo acerbiùs Dei iustitiam irritant, & effronti scelerum impudentia diuinum lacessunt furorem temeritatis vindicem: ita aliquando ipsa infelicitas delinquendi felix est pudoris suffragio, aut pœnitentiæ merito, aut ostentatæ indolis priuilegio; & in ipso delicto velut inscripti veniæ characteres leguntur: siquidem Dauid *in ipsa quoque offensione gratiam diuinæ miserationis emeruit.* Peccare, hominis est; audax verò malitiæ temeritas, scelerum impudentia, impudens impunitatis præsumptio, reproborum est nota, & damnationis priuilegium, quo vel Dei benignitas ad acerbā exasperatur vltionē. Profectò fortunata est quorumdam malitia, quæ cumulatiori sanctimoniæ ex opposito occasionem præbet, & vberiorem Dei misericordiam quodammodo allectat, vt manum lapsis porrigat, & imbonitatem bonitate cumulet: cùm Dauid *in ipsa quoque offensione gratiam diuinæ miserationis emeruit.* Est ne etiam sua delictis fortuna? est etiam felix peccantium turba? Neque id mirum: nonnullis enim contigit degenerare nobiliter.

2.Reg.24.v.10.

Dauid in ipsā offensione gratiam diuinæ miserationis emeruit.

Ambr. in Psalm 37.

Psalmo 51. Dauid malitiam hominum modulatè incusat, qui aut impietate duri sunt, aut lasciuia 3.

ciuiâ moles; quorum diuitiæ peccatum, itinera lubricum; finis, interitus; domus in sepulcro, gloria in inferno. Gloria enim impio est iniquitas sua: neque solùm operatio eum nequam, sed & malitiæ fama delectat. Vnde illud in Psalmo habemus: *Quid gloriaris in malitiâ, qui potens es*
Psal. 51. v. 3. *in iniquitate?* Male impudentia delinquendi, in ipsâ operatione delicti, & in ipsâ etiam malitiæ famâ delectatur. Sed non malè opinor, nonnulli pœnitentiæ merito incluti, in suis retrò delictis, piè nunc gloriantur; sibique de pristinâ malitiâ gratulantur; qui debent per humilitatis, & pœnitentiæ scalam ad perfectionis fastigium ascendisse. Hinc forsan S. Paulinus, etsi aliorsum fatus, *Vitiorum virtutem* agnouit, quasi aliquotum virtus vitiis indiguerit, quibus quodammodo sublimaretur. Vnde ad suum Seuerum ita post multa eloquenter subdit: *Conuertat Deus & inopiam, & abundantiam nostram; vt iustitia, qua indigemus, abundemus; & iniquitate, qua abundamus, egeamus.* O peregrina, & sanctissimi, & sapientissimi viri vota! Benè est, ardenter exoptet, vt Iustitiâ, quâ egemus, vbertim abundemus: homo enim in peccatis coalitus, & flagitiis innutritus, virtutis indigus est, de mendicitatibus creaturæ, & immerentis dona gratiæ, & ad illa suis viribus impotentis. Sed quid est, quòd in posteriori sententiæ parte addit: *Et Iniquitate, qua abundamus, egeamus?* Et quis vnquam *iniquitate indiget?* Puto, qui *iniquitate eget*, gloriabitur in malitia. Ast non quam operatur, sed quam sic operatus fuit, quòd *in ipsa quoque offensione gratiam diuinæ miserationis emeruit*, dum in peccandi pudore, in probæ indolis demonstratione, in nimij etiam zeli ardore, & in ipsa quoque inopinatâ pœnitentiæ felicitate, veniam prælegit, & in pœnitudinis actuosa sedulitate fastigium perfectionis inuenit. An non inuenire liceat in Petro Ecclesiæ vertice, in Paulo Gentium doctore, in Magdalena Apostolorum Apostolâ, in Augustino sapientiæ, & sanctitatis Magistro, velut *vitiorum virtutem?* Ergo *Conuertat Deus & inopiam, & abundantiam nostram, vt iustitia, qua indigemus, abundemus; & iniquitate, qua abundamus, egeamus.* Subtiliter quidem Paulinus.

An aliqui vitiis eguerint ad eminentiam virtutis.

Paulinus epist. 2.

Ambr. sup.

4. Matthæi 9. Paralytico sanitati integrè restituto, stupentibus gloriosè turbis: *Cum transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et surgens, secutus est eum.* Deteriùs sedebat in telonio Publicanus iste, quàm Paralyticus iacebat in lecto. Quia ille carnis patiebatur paralysim, iste mentis: in illo fuerat compago turbata membrorum, in isto totus ordo fuerat sensuum dissipatus: ille iacebat captus carne, sedebat corpore & animo iste captiuus: ille doloribus succumbebat inuitus, iste vitiis voluntarius seruiebat. Ergò cùm transiret inde Iesus, *vidit hominem.* Vidit plus diuinis oculis, quàm humanis. *Vidit hominem*, vt hominis excusaret peccata, dum humana fragilitas tacitè intercedit ad veniam: inde vidit hominem, vt peccata hominis non videret. Vidit opus suum, vt despiceret opera peccatorum. Vidit illum Deus, vt ille videret Deum. Vidit illum Christus, vt ille pecuniæ latebras non videret. Vidit illum Christus sedentem in telonio, iacentem in peccatorum barathro, cupiditatum pondere altè oppressum; vt quò profundiùs iacebat ad vitium, sublimiùs resurgeret ad virtutem; & de infimissimæ profunditatis ruinâ, summum teneret virtutis fastigium: Verùm Chrysologus præscripta Euangelistæ verba illustrans, ita fatur: *Matthæum Publicanum sic in Apostolum commutauit, vt qui erat fraudator pecuniæ, fieret gratiæ distributor: & de impietatis schola, ad pietatis magisterium perueniret; fieretque doctor misericordiæ, qui auaritiæ fuerat institutor.* Scilicet parùm foret, quòd Matthæus fieret de fraudatore pecuniæ, munificus gratiæ distributor; & de sordidæ auaritiæ pernicioso institutore, præilustris misericordiæ doctor; nisi *de impietatis schola ad magisterium perueniret*, quasi flagitiosior olim vitiositas, Matthæo fuerit magisterium virtutis, pietatis schola, & perfectionis gymnasium, quò consummata virtus è peruerso eruditur ad sanctitatum sublimitates. Nimirùm vitium temerariè audax est, & libidinum calcaribus extimulatum, per errorum præcipitia effreni impetu fertur immetatâ concupiscentia. Virtus verò cùm limites plerumque agnoscat, opposita inquam, vitia; & per sibi obstantes concupiscentiæ propensiones eat; cunctatiùs pergit: ergò vt animosiùs audeat, intra pietatis etiam cancellos, *de impietatis schola, ad pietatis magisterium* Matthæus eruditur quo generosa audacia, & pia quadam velut temeritate, audentior in arduas virtutum materias perferatur: & virtutis metas non transiliens, vitiorum audaciam piè æmuletur. Idcircò Matthæus *de impietatis schola, ad pietatis magisterium peruenit.*

Matth. 9. v. 9.

Num Matthæus de impietatis schola, ad pietatis magisterium erudiatur.

Chrysolog. serm. 30.

---

§. CCXC.

Insana curiositatis libido, zelotypiam negligit, & à paradisijs delitiis oculos auertit, vt vel rem friuolam exploret.

CVriositas est libido scrutandi ac sciendi secreta retrusaque. Nullus autem occulit si- 1.
quid habet boni: quandoquidem plerumque simulantur adesse bona, quæ non sunt. Proinde ferè curiositas est appetitus noscendi aliorum mala; & indè liuori, inuidiæ, odio, & maledicentiæ obnoxius; ergò vel hoc nomine cohibendus est, & ad rei proficuæ studium transferendus. *Et quemadmodum*, ait Plutarchus, *venatores non sinunt canem aberrare, & quemlibet odorem persequi, sed loris retrahunt, reuocantque olfactum eius seruantes purum & integrum officio peculiari, vt acriùs inhæreant vestigiis, Naribus inquirens vestigia summa ferarum: sic oportet & curiositatem, ad quiduis spectandum audiendumve excurrentem atque oberrantem cohibere atque retrahere, quò seruetur ad vtilia.* O quàm impotenter ferimur ad noscenda, quæ nihil interest cognouisse, ignorasseve! Nescio quo male dulci lenocinio ad has nugas vltrò raptamur. *Dulcis quædam est amaritudo, nec cohiberi potest curiositatis titillatio velut vlcus semetipsum cruentans, dum fugitur.* Curiositas sibi grauis est, cæteris hominibus molesta, Deo inuidiosa. *Euclides à quodam interrogatus, Quales essent Dij? Cætera quidem ignoro, respondit: at curiosos illis odio esse, certò scio.* Hoc curiositatis vitium in viris femininum est, in fœminis virile, vegetum, masculum, quippe quod

Curiositas multimode vituperatur.

Plutarc. lib. de Curiositate.

Idem ibid. Maxim. serm. 21.

quod vires de imbecillitate mutuatur, & de impotentia robustius euadit. Scrupulosas filiæ Saræ nuptias toties funestas, fiducia erectus, & timore anxius, nunc Raguelus peragit, sed cum intempestâ nocte rei euētum sciscitari vellet, exploratricem submittit fœminam; vt quid acciderit, curiosiùs rimetur, muliebri sexui curiositatis primas cedens, in rei optatissimæ explorandæ sedulitate. Nec fœmineę curiositatis eum spes fefellit, nam sagacissima mulieris curiositas vicit pauorem, quem ex cubili toties à Dœmonibus infestato, & tot stragibus formidando, audacissimus quisque cōciperet, curiositate terrores frustrante. Curiositas in muliere, reliquorum affectuum triumphus est.

Hic v. 18. Infrà c. 8. v. 15

2. Genesis 16. Abrahami spem tot cœlitùs promissionibus peramplæ posteritatis grauidam, Saræ coniugis sterilitas, sterilem diu fecit. Fluebat ætas genituræ idonea, & improles Patriarcha, quasi sui hæres erat. Prouectæ ætatis niuibus corpus vtriusque friget, dum fiducia promissionibus incalescit. Gemebat Sara suæ sterilitatis malum, quo naturę inopia prolem optatissimam denegabat. Igitur Sara vxor Abraham, non genuerat liberos: sed habebat ancillam Ægyptiam nomine Agar, *Dixit marito suo: Ecce, conclusit me Dominus, ne parerem: ingredere ad ancillam meam, si forte saltem ex illa suscipiam filios.* Cumque ille acquiesceret deprecanti, tulit Agar Ægyptiā ancillam suam, & dedit eam viro suo vxorem. Ecquis est tam fœminei ingenij ignarus, qui hoc Saræ commentum non miretur? Vix crederet quispiam, vt Abrahamo id obnixè postulanti, tandē acquiesceret Sara precibus deuicta; & ipsamet Sara adhuc venustate celebris, & mariti sui peramans, nouas nuptias marito conciliat? Dilecta vxor ad non incōptę puellę amorem allicit maritum, & in illius sinum coniicit? O inopinatum precibus lenocinium, eius rei, quam lacrymis, & iurgiis auertere debuisset! Ecquid Saram impulit ad rem, etsi tunc honestam, ab vxorio ingenio nimis peregrinantē? Mitto alias causas, quas hîc expositores addēsant; nec disputo, quęnā sit textui magis idonea, (de quo inibi egimus vsque ad lectoris fastidium) Chrysostomus præfata verba exponens, ad hāc thesim tempestiuus interpres, ita scribit: *Ingredere ad ancillam meam &c. Hîc fortassis suspicabatur Sara, sterilitatem illam non à se solam esse, sed etiam à Patriarcha: ideo volens te ipsa illum certis coniecturis docere, ancillæ cedit.* O vide hîc quam sit sui impotēs curiositatis affectus in fœminis, cùm zelotypiæ insaniam vincat! Contendunt apud Saram in affectuum stadio, & zelotypię furor, & curiositatis libido, vterq; affectus de fœminarū genio potenter armatur, diu inuicem rixantur prolixo & contētioso duello, sed victrix curiositas superbū de zelotypia triumphū agit, & tanquam victoriæ trophæum inopinatas mariti nuptias incredibili sedulitate cōciliat, vt timari possit, an secū Patriarcha infœcunditatis morbo laboret. Itaque mauult Sara dilectum maritum, ipsâ nuptias conciliante, in alterius fœminæ videre sinu, amplexu, thalamo, quam fœmineam curiositatem nō exequi. O fœmineæ curiositatis impotentiam, quæ vel zelotypiæ insaniam cohibere potuit!

Genes. 16. v. 2.

Curiositas in fœminis, impotentior est, quam zelotypiæ furor.

Chrysost. inibi.

3. Vetus quæstio est, Sanctorum retrò Patrum erudita contētione celebris, an vlla præter homines animantia, intra voluptatis paradisum versarentur. Porrò Adamū extra paradisum è limo formatum, illicò Deus in paradisum tulit: Eua autem in paradiso condita est. Vterque autē in paradiso versatur, cum scribitur: *Sed serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Dominus vt non comederetis de omni ligno paradisi?* Ex hoc igitur serpentis ad mulierem colloquio, videtur liquidò constare, aut serpentem intra paradisum versari, aut mulierem extra paradisi septa forsan exiisse. Hanc quæstionem luculenter tractat Rupertus, & ad præsentem thesim opportuna clausula concludit: Quæritur, inquit, quomodò serpens in paradiso esse potuerit, si nō nisi hominis habitatio credenda est, eidem pro magna gratia Creatoris data, boni operis & diligētissimæ custodię conditione interposita. Nam si serpentibus communis erat paradisus, consequitur, quod & lupis atque leonibus cæterisque bestiis non careat ille deliciarum locus; & proinde nec tantæ beatitudinis existimabitur, vt meritò paradisus voluptatis, vel ab ipso Domino Deo plantatus fuisse dicatur. Quid ergò? si serpens intra paradisum non erat, mulier extra paradisum vagata est? Pergit Rupertus: *Libera nobis relinquitur facultas asserendi, quòd non serpens in paradiso fuerit; sed mulier corpore & oculis vaga, dum incontinenter deambulat, forte prospectans, qualis extra paradisum mundus haberetur, & serpens, vtpote astutus, dulcedini terræ propius vel ambitiosius innititur, locus datus est, & occasio porrecta vnde tentaret.* Alij alia in hoc Ruperti loco obseruent, & ad mores acutè deriuent: mihi autem obseruatione dignissimum est, & admirabilitate plenum, quòd Eua nec totas sex horas in paradiso voluptatis versans, & topiarias eius delicias necdum plenè oculis captans; *mulier corpore & oculis vaga*, sic explorare ambierit, qualis foret mundus vltra paradisi septa. Ecquod tam iucundum oculis spectaculum, quam voluptatis paradisus, Dei benefico consilio ad opulētas felicioris status delicias consitus? Tam citò nauseat mulier ad aspectabilem paradisum, & hiat ad curiosis oculis explorandum mundum reliquum, vsque adeò deliciis imparem, vt exilij nomine ad illum ablegādi sint? Verùm ex Ruperti sententiâ, *mulier corpore & oculis vaga*, paradiseis deliciis præfert curiositatis libidinem. Sic tædio est vel paradisus, vbi curiositas titillat appetitum: Inuisum mundum curiosis oculis explorare, gratius spectaculum est, quam paradisus ipse voluptatis: O quas rationi imposturas, curiositatis libido facit! Ecquis paradisi dispendio, curiositatis compēdium quærat?

Genes. 3. v. 1.

Mulier paradisi dispendio curiositatis compendium hianter quærit.

Rupert. lib. 3 in Gen. c. 2.

Rup. sup.

4. Lucæ 22. ducitur IESVS in domum principis sacerdotum: Petrus verò sequebatur eum à longe: & indè confestim Magistrum negaturus. Commune quod labitur, fidei quod pœnitet. Iam in domo Pontificis ignis ardebat, accessit Petrus vt calefaceret se, quia clauso Domino calor mentis etiam in ipso refrixerat. *Quem cùm vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit: Et hic cum illo erat.* Opportunè inibi notat Ambrosius, quòd fœminę fuit negotium aut otium prodere Petrum latere cupientem. *Qui sibi vult, inquit, quod prima eum prodit ancilla, cum viri vtique magis eum potuerint recognoscere, nisi vt & iste sexus peccasse in necē Domini videretur, vt & ille sexus redimeretur per Domini passionem?* Vide nunc quam se fœminea curiositas scelerosè prodat. Viri qui foco adstabant, & nuper in horto Petrum viderant ferientem gladio Pontificis seruum, non aduertunt,

Fœmineus sexus per curiositatem in necem Domini peccasse videtur.

Lucæ 22. v. 56.

Ambr. l. 10. in Lucam, ad præfata verba.

aduertunt, se eum inibi licet sub maligna luce vidisse, at hæc muliercula curiositatis agitata stimulis, fuisse cum Christo in horto indubitanter affirmat. O masculam mulierum curiositatem! Quid agatur in horto, ex ædium angulo magis exploratum habet absens muliercula, quàm viri qui præsentes aderant? O mulierem in passione Domini carnificum per sagaciorem curiositatem adiutricem! Dedecebat enim quod insana mulierum curiositas foret exors ab execrāda nece Domini. Ergò male sagax huius mulierculæ curiositas, ad auctarium cruciamentorum Christi, Petrum subruat, & negatorem faciat, vt per insanè perniciosam curiositatem, *& iste sexus peccare in necem Domini videretur.* Postrema Ambrosianæ sententiæ verba alibi copiosè expēdebamus, exponētes, quare iste sexus peccasse in necē Domini videatur, *vt redimeretur per Domini passionem?*

5. Tertul. lib. 1. ad Vxorem c. 8. Tertullianus lib. 1. ad vxorem, mulierum vitia his verbis proscribit; *Loquaces, otiosæ, vinosæ, curiosæ contubernales. Per loquacitatem irrepunt verba pudoris inimica, per otium seueritate deducunt*: (id est, de seueritate ducunt) *per vinolentiam quiduis mali insinuant, per curiositatis æmulationem libidines conuehunt.* Quasi curiositas sit libidinum impudicarum vehiculum ad voluptatum commercium. O quam rarò sagacior fœminarum curiositas, & cuncta explorādi libido mulieribus agnata, exors lasciuiæ est! Ergò fœmina curiositatem cohibeat, ne corpore dūtaxat continens sit, *sed & cogitatio virginescat, ne figuras operum in se ferat malorum, nam & figura pars est scortationis*, quæ sunt Nazianzeni verba, alibi expendenda. *Figuras* appellat blandas cogitationes, quæ ante consensum, concupiscentiæ blādiuntur male dulci voluptatis lenocinio.

Fœminarum curiositas libidines conuehit.

Nazianz. alibi expendendus

§. CCXCI.

Densè conglobantur lacrymarum elogia, quæ Tobiæ & Saræ lacrymas adornent.

1. Apud Eliam Cret. in orat. pro Gorgonia. SEntentiosè pariter ac verè dixit Ioannes Climacus: *Lacrymæ insi diuinitus data essent, pauci inuenti essent, qui salutem consequerentur.* Nam auaritiæ febris, vindictæ furor, & libidinis feruor, nisi lacrymarum imbre rigarentur, ad gehennalem æstuarent mortem. *Felix Sacramentum aqua nostra*, (inquit Tertullianus) *qua ablutis delictis pristinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur. Nam fere viperæ, & aspides, ipsique reguli serpentes, arida & inaquosa sectantur. Sed nos pisciculi secundum ἰχθὺν nostrum Iesum Christum in aqua nascimur, nec aliter quam in aqua permanēdo salui sumus. Ita quintilla monstrosissima, cui nec integre quidem docendi ius erat, optime norat pisciculos necare, de aqua auferens*, de aquæ absētia animæ vitam perdens, dum spiritum intercludit.

Tertul. de Bapt. c. 1. *Nisi diuinitùs data essent lacrymæ, pauci salutem consequerentur.*

2. Ad Hebræos 5. de Christo sese pro mundi redemptione in ara crucis offerente, ita scribit Apostolus: Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte *cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia.* An non sat erat ad mundi redemptionem, proprium sanguinem in cruce effudisse? quid opus fuit effusum cruorem miscere lacrymis? Nimirum lacrymas, idest, cordis perlucidum sanguinem, effuso cruori consultissimè adsociat, siue vt redemptrices etiam

Ad Heb. 5. vers. 7. *Lacryma, Passionis Domini est vicaria.*

effūdat lacrymas; siue quia, vt ait Augustinus, *Lacryma passionis Domini est vicaria.* Scilicet Christi lacrymæ, eius effuso sanguini admixtæ, innuunt virtutem nostris lacrymis concessam, vt vicarias Dominicæ passionis vices obeant, quo redemptio exundans peccatorum naufragiū feliciter operetur. *Ita de sanctē* (Spiritu inquā) *sanctificata natura aquarū, & ipsa sanctificare concepit.*

S. August. ser. 11 ad fratr. in eremo.

Tertull. de Bapt. c. 4.

3. 4. Regum 20. ægrotanti Ezechiæ regi, mortis nuncium Isaias propheta detulit. Tunc Rex humani consilij inops, ad diuinum recurrit præsidium. Orat, illacrymat, gemit, & in lacrymarum arbitrio desperatam salutem inuenit. *Fleuit itaque Ezechias fletu magno.* Et antequam egrederetur Isaias mediam partem atrij, factus est sermo Domini ad eum, dicens: Reuertere, & dic Ezechiæ. *Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: & ecce sanaui te.* O lacrymam, salutis medicè officinam, & ingeniosum vitæ conceptaculum! Pulchrè Tertullianus: Primis aquis præceptum est, inquit, animas proferre, primus liquor quod viueret edidit, ne mirum sit si in baptismo (in lacrymis etiam) aquæ animare nouerunt. *Nam ipsius quoque hominis figurandi opus socialibus aquis absolutum est de terra materia, non tamen habilis nisi humecta & succida.* Pergit argutus hic Doctor quo solet ingenij acumine: *Quanta vis eius* (aquæ inquam) *& gratia, quot ingenia, quot officia, quantum instrumentum mundo ferat.... quæ vitam æternam gubernat, & in cœlesti procurat.* Ecce tibi in Ezechia, quanta sit lacrymarum vis, quanta gratia, quot officia, *quot ingenia* ferat, quæ corporis vitam in cœlesti procurat. *& æternam gubernat.* O quam multa paucis compendiauit Tertullianus.

4. Reg. 20. v. 5. Tertull. lib. de Bapt. c. 3. *Quanta sint lacrymarum ingenia, & officia, quæ vitā æternam gubernant.*

4. Lucæ 7. Lautum Pharisæus epulum Christo apparat, copiosæ apponuntur dapes; sed Magdalena lacrymis pocula adornat, & coronata, ad pedes vsque exundant. *Et stans retrò secus pedes eius lacrymis cæpit rigare pedes eius.* Eccur dum peccata sua plāgit, retrò accedit, & spectatorum oculos fugit? An præcauet, ne lacrymæ delicta prodant? pulchrè Cæsarius sic ad rem præsentem scribit: *Sint autem efficaces gemitus, qui peccata in ossibus scrutentur, qui in medullis persequantur. Nil intactum fletus, nil incuratum medicabilis pœnitentia dolor relinquat, quod contra nos in die discussionis assurgat.* O bene inquisitrices lacrymas, quæ delicta in ossibus scrutantur, & in medullis hostiliter persequuntur! Peccata quidem lacrymæ scrutantur, non vt prodant, sed vt deleant; non vt publicent, sed vt expungant; non vt tanquam facta cernantur, sed quasi non facta reputentur. *Nos ergo* (adhuc loquitur Cæsarius) *quibus adhuc conceditur curare maculas, lauare culpas, subuenire præteritis, consulere futuris, & facere infecta de factis*, &c. O Pharisæe cœcè perspicax, etsi hæc mulier olim fuerit obscœnè peccatrix, & ante fletū *retrò* idcirco accesserit, tamē postquam lacrymis sua olim delicta in ossibus scrutata est, & in medullis plorando persecuta; iā culpas abluit oculorū diluuio, iā subuenit præteritis, iam cōsuluit futuris, & infecta fecit de factis. Perperā ergo post fletū, anteacta scelera malitiosus incusas. Quid oculis videre præsumis, quod iam Dei oculos ad malitiam effugit? Quid accusas, quod Christus excusat? Hic diuini amoris flammam magis accensam Christus agnoscit? (*Quoniam dilexit multum, cui autem minus dimittitur, minus diligit*) & tu peccatorum niues adhuc persentis? *Cucurrit ad pedes IESV*: (ait Drogo)

Luc. 7. v. 38 *Lacrymæ in ossibus scrutantur delicta, & in medullis persequuntur.* Cæs. ho. 17.

Lacrymarum imbre, amoris carbo fortiùs exardescit. Sup vers. 47. Drogo de Sacr. Dom. Passio

Drogo) *effundebat super eos, torrentes lacrymarum ad lauanda sui Domini vestigia, non alias quam oculorum suorum vndas attulit.* (Pergit adhuc) *Vbi affectus vehementer incăduit & vberauit, carbo lacrymarum imbre respersus, fortius exarsit.*

5. Luc. 16. v. 24.
Lacrymarum gutta, gehennæ coniunxeret incendia.

Lucæ 16. purpuratus ille Diues, lautis diu conuiniis deliciosè saginatus, eleuăs oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarū in sinu eius, & ipse clamans dixit: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Forsan huius lacrymarum aquæ guttam ad restinguĕdam gehĕnæ flammam exposcit Diues auarus, alioqui exiguum nimis refrigerium tam sumptuose postulasset, guttula enim, quam humecta extrema pars digiti sudat, maligne rigaret gehennæ incendium. Ast vel vna lacrymarum gutta infernalem damnatorum pyram valeret extinguere. *Quænam est illa aqua,* (inquit, S. Maximus) *quæ consumit flammas, nec ipsa consumitur à peccatoribus, sed gehenna consumit incendia?* O bona pœnitentium lacryma, de officina charitatis expressa; quæ gehennæ consumit incendia, & ipsam bonorum cœlestium sitim bibit! Hanc lacrymarum guttam, si damnatorum aliquis sitiret, & dănata conscientia eiusmodi lacrymis respergeretur, quę acerbis gehennę cruciatibus cōsecrata erat, gloriis cōsecraretur empyreis.

S. Maxim. hom. 1. de Eleemosy.

6 Luc. 7. v. 47
Chrysol. ser. 94.
Beatiores facit lacryma, quam innocentia.
Ambr. in Psalm. 37.

Lucæ 7. illa Christi apologia, quam pro peccatrice muliere Euangelista scribit, hac opportuna clausula finit. *Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Ad quæ verba argute Chrysologus: *Ergo peccandum satis est, vt maior charitas comparetur.* Minime quidem, audiendus tamē est Ambrosius, qui eos, qui sua flagitia opplorauerunt, sic cum Deo loquentes inducit: *Plus acquisiuimus, qui plus peccauimus, quia beatiores facit tua gratia, quam nostra innocentia. Tantam enim gratiæ abundantiam profusæ lacrymæ comparant, vt excedant aliquando flentes peccata sua, eos qui nunquam peccauerunt nec gratiam amiserunt.* Eleganter quidem Ambrosius. Cui concinit S. Maximus ita de flente Porro scribens: *Videte quantum fletus profuit Petro antequam fleret lapsus est, postquam fleuit electus est: & qui ante lacrymas preuaricator extitit, post lacrymas Pastor assumptus est.*

Maxim homil. 3. de Latr.

4. Psalm 142. v. 6.
Treuet. ibi.
Lacrymarum imbre velut marito, fœcundatur terra cordis nostri.
Claud Marius lib. 1. in Genes.

Regius vates Psal. 142. sic Deum alloquitur: *Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Hieronymus: *Anima mea quasi terra sitiens ad te.* Id est, vt exponit Treuetus: Mens mea ad te se habet sicut terra sitiens. Sicut terra sitiens expectat, & quærit à Deo imbrem; sic anima mea. Quis nam est hic imber, quem Iusti anima aliquando fructibus viduata, anxiè sitit hiăte appetentia? Modulatè Claudius Marius Victor sic pangit: *Tum se decoctis tellus pinguissima glebis in fœtus mouit varios, quos imbre marito,* &c. Anima bonorum operum sterilis, quasi terra sine aqua, sitit lacrymarum inbrem, quo maritata, in fœtus mouetur varios, eosque pingui gleba fundit multifariam repetito prouentu. O bonum lacrymarum imbrem, aridæ animæ fœcunde maritum ad omnium sanctitatum prouentum. Hic lacrymarum imber, priùs quā Tobias, Saram hîc maritat, & ad omnes virtutes, & felicitates copiosè rigat, dum *lacrymas quasi euaporando dolori permittit.*

Hic vers. 19. Paulinus ep. 35.

8. Iacobi 4. *Miseri estote, & lugete, & plorate.* Sara autem nunc anticipauit obsequium: *Et introduxit illuc Saram filiam suam, & lacrymata est.* Sed postmodum felicem de lacrymis fructum experta est. Bene admonet Paulinus, *Amaritudinem luctus vno ferendam die. O diuitiæ bonitatis Dei, non pietatis propensæ inuidus, sed infirmitatis nostræ conscius.* Quid necesse fuit, vt nos admoneret Paulinus, quod Deus humanis lacrymis minime inuideat? Sat esto, Paulinū acunē insinuasse. Forsan id dixit vir in primis eruditus, quia Dœmones in idolis adorati, tametsi quædam Christianorum mysteria æmulabantur, (de quo agit Tertullianus in lib de Baptismo) lacrymas tamen sæpe acerbant; ne eorum cultores aliquam pietatem lacrymarum imbre rigarent. Audiendus est Clemens Alexădrinus in Adhort. ad Gentes sic fatus: *Cum erraret Ceres ad quærendam filiam Proserpinam, circa Elusinem defatigatur, & mœrore affecta sedet super puteum. Hoc in hodiernum vsque diem prohibetur iis, qui initiantur, ne videantur ij, qui sunt initiati mysteriis imitari eam, quæ lugebat.* Sane falsata ridicularie Numina sunt, quæ à sua imitatione suos cultores ablegant. Et quidem sine lacrymis Deos suos fingere ambitiosa nesciuit antiquitas. Sed nota, quod huius Deæ cultores, qui eius mysteriis erant initiati, *lugere* vetabantur, quasi muta idolorum simulacra Dœmonibus animata, lacrymas hominibus inuiderent. Vnde de Deo nostro ait Paulinus, quod moderatas in charorū funere lacrymas vult: arcens verò immoderatas non est *pietatis propensæ inuidus.* Cuiusmodi inuidiæ reus putabatur falsorum numinum male ambitiosum vulgus.

Iacobi 4. v. 9
Paul. ep. 35
Eccli. 38. v. 18
Deus non inuidet humanis lacrymis.
Dij Gentium suis cultoribus lacrymas inuident.
Clem Alex. in Adh. ad Gent.

Tobiæ 7. innoxia Sara sæuè oppugnatur à Dœmone Asmodæo, sufflammădę libidinis Medię præfecto, qui septem ex ordine maritos luxuria incensos peremerat; eamque eodem incendio inuolnere frustra moliebatur. Quibusnam armis munita Sara, cubile ab Asmodæo infestatum ingredietur, vt eius ictus possit arcere? Audi sacrum textum: *Et introduxit illuc Saram filiam suam, & lacrymata est.* O bonum è lacrymarum vdore conflatum scutum, *quo possit omnia tela nequissimi ignea extinguere!* Ad quæ Pauli verba proculdubio alludens Clemens Alexădrinus in Adhort. ad Gentes, ita profunde scribit: *Ignita Mali iacula extinguamus aquis à Verbo tinctis cuspidibus.* O quam periculose nullum hominis pectus, peccati fomite exæstuans, exponetur igneis Asmodæi telis! Ergo aquea lacrymarum arma, velut Oceanum illis opponamus; his enim Sara potuit *omnia tela nequissimi ignea extinguere*, & lacrymarum *aqueis à Verbo tinctis cuspidibus* gehennalem aduersarium referire, proculcare, vincire, & intemeratę pudicitię trophęa gloriosiùs erigere. O bona arma quæ non in ignita Vulcani chalybia, sed in madida oculorum officina excuduntur!

9. *Ignita Asmodæi iacula extinguit Sara aqueis lacrymarum armis.*
Tobiæ 7. v. 16
Ad Ephes. 6. v. 16.
Clem. Alex. in Adh. ad Gent.

---

§. CCXCII.

Dei misericordia, sicut inter sua scelera defendentes, quodammodo laborat; ita non se excusantibus præsto adest.

Vitia nostra, quia impensè diligimus, impēsiùs defendimus; & alte hærentis malitiæ arbitrio, malumus ea excusare, quam exuere. *Nolle in causa est, non posse prætenditur.* Nullum inest homini vitium, quod aliunde patrocinium 1.

Seneca epist. 117.

non

non quærat. Et sanè vitiositatis adhuc amor, excusationum conceptaculum est. Dum honestare iniquum factum cupis, inhonestiorem te prędicas; dum quæ coloras vitia, adhuc tibi placere, haut dubiè prodis, & dissimulanter publicas. Tegere ambis malitiam; sed per friuolarũ excusationum rimulas, euidentiùs transparet, ingenti malignitatis auctario, nec impari tui dedecore. Omitte, omitte excusationes, quæ prauitatem nõ extenuant, sed exaggerant, & quibus *peccatum peccans* redditur. *Pone Domine custodiam ori meo & ostium circunstantiæ labijs meis*, obnixè à Deo Propheta expetit. Ecquod malum timet à lingua, velut ab omnigeno prauitatum promptuario? *Ne declines*, inquit, *cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.* Vbi excusationes intercedunt, non vnum, sed multiplex inuenitur peccatum; exin se pluratiuo *excusationum* nomine effertur, quin & excusatio (quæ deformior sæpe ipso peccato est, & obstinatiorem malitiam denotat) excusatione potiùs eget, ac si peccato ipso turpior appareat. Quidam apud Lorinum exscribunt: *Ad excusandas iustificationes in peccatis.* O grande piaculum, & sacrilegio affine! Excusatio *iustificare* peccatum præsumit? ô peruersum malitiæ sacrilegè obstinatæ sacramentum, quo peccati malitia non eluitur, sed vberiùs exundat, operatorio excusationis merito!

Excusatio iustificare peccata præsumit, velut sacramẽto vberioris malitiæ.

Psal. 140 v. 4

2. Geneseos 3. malesuada serpentis astutia, de gulę studio sapientiam Deo similem pollicẽtis, Eua seducitur. seducta Eua maritum nimis vxorium, ad præcepti præuaricationem pellicit. Heu ridiculatio & puerili gulæ lenocinio vniuersitas hominum profligatur, deprauatur, proculcatur! Adest confestim Deus, & repetita interrogatione, ingenuę confessionis incentiuum offert, quò veniam immanissimæ præuaricationis pœnitudine redimat. Itaque Adamus de reatu conuictus, animaduersæ nuditatis indicio; pro sapienti sceleris confessione fatuam excusationem substituit: *Dixitque Adam: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc fecisti? Quæ respondit: Serpens decepit me, & comedi.* Scutum propriæ defensionis (verba sunt Gregorij) primus ille peccator tenuit, qui requirẽte Domino cur lignum vetitũ contigisset, non ad se culpam retulit, sed à muliere quam Dominus dederat, se accepisse respondit, vt quasi reatũ suum obliquè in auctorem relideret, qui ei mulierem dederat, quæ talia persuaderet. Hoc scutũ etiam requisita mulier tenuit, quãdo neque ipsa ad se culpam retulit, sed serpentis illud persuasionibus replicauit, dicens: Serpens decepit me, & comedi, vt ipsa quoque reatum suum obliquè in creatorem reduceret, qui illuc intrare serpentem persuasurum talia permisisset. Serpens verò iam non requiritur, quia nec eius pœnitentia quærebatur. Hi autem quorum pœnitentia quæsita est, scutum nequissimæ defensionis cõtra iustissimę correptionis verba protulerunt. *Vnde nunc vsque in vsum peccantium trahitur, vt culpa cum arguitur, defendatur, & vnde finiri reatus debuit, inde cumuletur.* Nempe Deus cùm interrogãdo de crimine, ad veniam per illius confessionem alliceret; ipsi pœnitendis excusationibus aggestis, dum gestiũt colorare flagitium, illud flagitiosiùs incrementant; *& vnde finiri reatus debuit, inde cumulatur*, opulenta vsura prauitatis, cuius detestabile ab excusationibus incrementum, his verbis argutè Rupertus expressit, dum magnus hic Doctor cõsiderans Deum interrogationibus confessionis opportunitates misericorditer offerentẽ, & ipsos se obnixè excusantes, ita fatur: *Intereà reos circumuolando laborabat Misericordia, sed vndique obstructa resistit, aditumque illi denegat vitiata creatura.* Eleganti sanè epithasi τὸ *laborat* à Ruperto appositum est. Scilicet dum Dei Misericordia Adamo & Euæ culpam suam impẽsiùs excusantibus, veniam dare festinat, tunc, tunc quidem *laborare* dicitur. Admirabilitate dignum non foret, si diuina Iustitia *laborare* diceretur, sese interim velut cohibens, ne conceptum vindictæ furorem, in male peccantes, & se peiùs excusantes, acerbiùs fulminaret; ad rigores enim scelere dignos, tota sui epitheti procliuitate Iustitia propendet. At benigna Misericordia, & tota vis Dei benefica, dum scelera sua solerter excusantibus veniam offert; tunc, etsi iuxta suam propensionẽ operetur, & valdè sit ei volupe; adhuc tamen impensiùs *laborare* perhibetur. Res plane quæ ab ingenio Misericordiæ peregrinari videtur. Porrò Dei Misericordia, infinita ad benefaciendũ propensio est, & quæ immensâ (vt sic loquar) benefaciendi, & ignoscendi concupiscentia fertur, at sic excusata iniquitas Misericordiæ diuinæ præcludit aditũ, & obturata resistit, vt quasi fertur violenta, *laborare* dicatur, cum excusatis sceleribus, aut scelestis scelerum excusationibus veniam offert. *Inter reos circumuolando laborabat misericordia.* Sic vnde finiri reatus debuit, excusationibus *cumulatur*?

Greg. lib. 33 Moral c. 31.

Genes. 3 v. 12 & 13.

Inter excusata reorum delicta laborat Dei Misericordia.

Rupertus ibi.

Danielis 13. flammeus amor repulsa flabellatus, sub dolosis odij cineribus acriùs viuescit. Hinc tota Susannæ tragœdia, dũ cõceptus seniorum amor, in odium recuditur implacabile. Sistitur venusta & ęquę honesta puella, inhonestatis rea, quia maluit inhonestatis dici rea, quam esse, putatitio reatu verum redimens. Funesto suorum comitatu, bonis omnibus luctuoso, ad iniquum tribunal velata facie defertur, defendebat enim ab ignominia velamen obiectũ oculis, quod aliquod miseris leuamentum est, illud tamen aufert luxuriosa senectus, vt ex pulchro Susannæ aspectu aliquid capiat voluptatis. Faciem reuelare potuit Iudicum non exatiata libido; sed iniquissima probrosæ cædis sententia, Susannæ ora ad multiplicandas verè excusationes reserare non potuit. Quæ muto ore, sed linguatis in cœlum oculis, lacrymarum redemptrice facundia, obiectum crimen defendit dum taciturnitate sua Dei misericordiam ad sibi ferendam opem exprompti us allectat. *Quæ flens suspexit in cœlum: erat enim cor eius fiduciam habens in Domino.* Iamiam luxuriæ senilis astu rapitur ad funestam stragem, qua studium castitatis pariter cum Susanna patibulandum erat, & miserrimè funestandum. Nec abest Dei Misericordia, in puero Daniele inopinata solertia opportunissima. Pulchra hinc exurgit quæstiuncula, ecquid tam inopinatè tempestiuam diuinę Misericordiæ officiositatem prouocauit, an innocentis defensio? an deuenustatæ pudicitiæ priuilegiũ? an Susannę oratio, cœlos inuidia pulsans? an venerabilis taciturnitas, quæ in tanto discrimine ad excusationes muta, promptiori misericordiæ blandiebatur? Audiendus est hac super re Ambrosius sic de Susanna fatus: *Accusabatur, & tacebat. Ducebatur ad mortem, & silentio se tegebat, ne nudaret pudorem. Intra se tamen loquebatur Deo*, (attentiùs ad rem, libra quæ subdit Ambrosius verba.) *Quæ si voluisset loqui forsitan non esset audita.* Ecce tibi 3.

Dei misericordia præsto adfuit Susannæ, quia non se excusauit.

Daniel. 13 v. 35.

Ambr. Psal. 37

bi quid veræ etiam excusationes delicti falsò impositi præstent. Verè se potuit Susanna coram hominibus excusare, si fortè falsatam senum imposturam eludere defensionibus posset; maluit autem consultissima puella, humanarum excusationum neglectu, diuinæ Misericordiæ blandiri, quàm turpissimam criminositatem, oris defensione depellere. *Quasi voluisset loqui, forsitan non esset audita.* Sic inter excusationes humanas diuina *laborat.* Misericordia; velut excusationum fastidio, forsan non subuenisset Susannæ, si se defensionibus obarmaret. Profectò quantùm se innocens Susanna excusationibus defensaret, tantùm videretur detrahere fiduciæ, quam in Dei Misericordiæ vnicè collocauerat. Nec leuis apud homines excusatio in pulchro Susannæ resonet ore, ne in ferendo auxilio, vel innocétiæ extremè periclitanti, diuina Misericordia *laborare* dicatur.

Tobiæ 3. v. 11. Sara Susannæ æmula apparet, & de vocali silentio, & opportuna ope cœlitùs allata. Petulantis ancillæ improperia grauatè audit, & mox triduani in secessu silentij taciturnitatem imperat, nec

Hic v. 19. vlla obiecti falsò criminis auditur excusatio, silentio ora obsignante. Quin & hîc obiecta olim crimina, non linguæ defensione, sed euntibus guttatim lachrymis, eluit.

4. Lucæ 18. Duo homines ascenderunt in templum vt orarent: vnus Pharisæus, & alter Publicanus. Pharisæus stans hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum: raptores, &c. *Et Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare; sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo*, &c. Vterque stat, vterque orat, & in pari vtriusque habitu, dispar negotiatio in vtroque inuenitur: Quid ergo arcanum latet in hoc opinatissima Publicani oratione, præter ea, quæ extrinsecus apparent? Subtiliter Augustinus præfata verba commentans, ita fatur: *Publicanus à longè stans, percutiebat pectus suum. Tundere autem pectus quid est, nisi arguere quod latet in pectore, & euidenti pulsu occultum castigare peccatum.* Scilicet parum foret, quòd Publicanus extrinseca non diffiteretur peccata, (tametsi ad ea saltem extenuenda nulli desint argutiæ) sed pectus tundit, vt latentem in pectore malitiam prodat. Itaque Publicanus suam malitiam non diminuit, sed aggrauat; non minorat, sed amplificat; non ad ambitionem excusat, sed ad veniam accusat, *& euidenti pulsu occultum castigat peccatum.* Consultissimè quidem ingenua scelerum confessio, quæ excusationis ignara, vel latentia pandit delicta, *euidens pulsus* nominatur; quia velut arteria, animæ valetudinem, aut ægritudinem perspicuè demonstrat. Porrò qui ingenuè vel occulta, confitetur flagitia sine excusationum ambitiosa nimis obumbratione, perfectæ sanitatis exhibet documentum

Lucæ 18 v. 13

Confessio sine excusationibus euidens animæ pulsus est.

Aug ser. 8. de Verb. Dom.

§. CCXCIII.

Mala propria peracerbè sentimus, aliena ferè negligimus.

1. Seneca de Vita beata c. 20. Vtri perfecti idea.

DE Stoicorum schola hoc venit dogma, sanè animosum; sed quod in ore citiùs quàm in manu inuenias: Vir sapiens, atque perfectus, hanc sibi vitam proponere, sic secum agere debet: *Ego mortem eodem vultu videbo, quo audiam. Ego laboribus quanticumque illi erunt, parebo, animo fulciens corpus. Ego diuitias, & præsentes, & absentes æquè contemnam, nec si alicubi iacebunt, tristior; nec si circa me fulgebunt, animosior. Ego fortunam non venientem sentiam, nec recedentem. Ego terras omnes tanquam meas videbo, meas tanquam omnium. Quo enim meliùs genere negotium meum agere potui?* Sublimissimo quidem Seneca cothurno! Sed non præstant Philosophi quæ loquuntur etsi multùm præstant, quòd loquuntur, quòd honestatis fastigium mente concipiunt: verba tamen dant, etsi bona verba, ac bonis forsan cogitationibus plena, re tamen vacua. Quæ nos circumstant, & circa nos sunt, nec ad nos vllatenus pertinent; sed ad alios; etsi sanguine, aut familiaritate coniunctos; ea æquanimitate ferre solemus. At quæ nostra sunt, ægrè à nobis diuelli sentimus, & qui fortes ad aliorum aduersa sumus, nimis sumus ad propria delicati. O vtinam de charitatis genio, quæ aliis aduersa acciderunt, sic nos ferirent, ac propria mala Patientissimi sumus ad aliorum incommoda; ad nostra verò, nimis sensibili teneritudine molles. Erga aliorum calamitates, quæ nunc exhibetur *charitas, patiens est*; erga nostras autem, delicatissimè impatiens. Sic de proprij amoris niuibus, beneuolentia in alios persæpe gelascit! Communia etiam mala negligimus, cùm nos propria vrgent. Sic dum leuiter aduersis tangimur, profundè ferimur, vt ad aliena sentienda sensum excutiant?

Ad ferenda propria mala delicati sumus, ad aliena fortes.

Frequens est Christus in Euangelio, vt Patris Dei mentionem ingerat, siue dum illustriora patrat miracula, siue cùm ad populum concionatur, quod apud Ioannem sparsim persæpè legere obuium est. *Propterea ergo magis quærebant IESVM Iudæi interficere: quia non solùm soluebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Hoc verbum malè sauciabat Iudæorum animos: nam grauatè admodum ferebant, fabri (vt putabant) filium, natura eum Dei summi filium arroganter nuncupari. Præterquàm quòd inde metuebant Romanorum iras, suæ Reipublicæ, & religionis euersionem. Itaque nil æquè sic verberabat eorum aures, quàm diuinæ filiationis mentio, quam Reipublicæ, & religioni exitialem putabant. Verùm expensione dignissimum est, quod accidit Ioannis 2. Propè erat Pascha Iudæorum, & ascendit IESVS Ierosolymam, & inuenit in templo vendentes boues, & oues, & columbas, & numularios sedentes. Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque, & boues, & numulariorum effudit æs, & mensas subuertit. Et his qui columbas vendebant, dixit: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis...... Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis quia hæc facis?* Benè notat Origenes, quòd præsens historia in nullo minorem potestatem prætendit his, quæ ab eo miraculosiùs edita sunt, quin imò constat hanc maiorem demonstrare potentiam miraculo, quo aqua nuper conuersa est in vinum: eò quòd illic inanimata subsistit materia, hîc verò tot millium hominum domantur ingenia, & planè demonstratur, quòd IESVS, vel suo nutu poterat iracundiam hostium præfocare, sedareque insolentes mentium turbines. Sed curiosiùs peruestigandum est ad rem præsentem, quid in hoc facto Iudæorum animos acerbius exasperauit, quorum Christus furorem compescuit.

2.

Ioan. 5. v. 18

Iudæi dum propria detrimenta nimis sentiunt, aliena, etsi communia, nimis negligunt.

Ioan 2. v. 16 & 18.

Duo in hoc facto præſtitit, quod eos poſſet offendere; & illos flagellis cecidit, pecunias cum menſis euertit, oues, & boues abegit, & ſe Dei filium nuncupauit, aiens. *Nolite facere domum Patris mei*, &c. quod nimis irritare Iudæorum zelum ſolitat. Verùm dum verberum vibices probroſè dolent, dum ſuas pecunias in pauimento ſparſas obuiæ rapacitati obnoxias vident, dum proprias pecudes longè abactas, amarè nimis anguntur, *Ecce Patrem vocat, & non iraſcuntur*, notat inibi argutè Chryſoſtomus. Et vbi nunc eſt acer ille frequenter furor, quem acerbus doloris ſenſus exprimebat, cùm Chriſtus *Patrem ſuum dicebat* Deum? Quid nunc tranquillauit immanem frequenter iracundiæ turbinem, quo id audire auerſabantur? ecquis nunc hic ſtupor ad blaſphemiæ (vt ipſi putabant) audientiam? Nempe dum dolent ſe flagris contumelioſè cæſos, dum rei propriæ detrimenta ſentiunt; ſic toti ſunt ad mali proprij ſenſum, vt vel Reipublicæ, & Religionis mala negligant, & propè non aduertant. *Ecce Patrem vocat Deum, & non iraſcuntur* O nimis verè! Mala propria peracerbè ſentimus; aliena verò, etſi communia ſint, & Rempublicam, imò & Religionem perſtringant, velut inſenſibili quodam neglectu ſæpè tranſimus. Bonus Raguel, quiſ dum ob domeſticum malum angitur, de alieno etiam periculo timet, & dolenter excruciatur ob malum tunc Tobiæ imminens: tandem vt propriam calamitatem excutiat, Tobianæ calamitatis diſcrimen intrepidus quodammodo neglexit: cuius indicium eſt, funeratores poſtmodum præparaſſe. Propriam contumeliam Sara hîc etiam opplorat, & cognati Tobiæ periculum non recuſat.

Chryſ. hom. 22 in Ioan.

Hic v. 19.

3\. Geneſeos 31. Iacob ampla familia, & opibus auctus, & agreſtis ſoceri tædio, & chari patris videndi deſiderio, de reditu in Palæſtinam ſeriò cogitat. Verùm probè noſcens efferos Labani mores, clam diſcedere ſatagit; coniugum tamen priùs voluntatem explorat; ne inuitas è paterna extrahat domo. Non ignorabant Rachel, & Lia quàm acerbè id patri accideret, & de lucri auaritia, & de auctoritate contempta, & de cognato filiorum amore, ipſis etiam feris agnato. Sed penſita quid vno ore reſponderint: Reſponderuntque Rachel, & Lia: Nunquid habemus reſidui quicquam in facultatibus, & hæreditate domus patris noſtri? *Nonne quaſi alienas reputauit nos, & vendidit, comeditque pretium noſtrum?* Omnia ergo quæ præcepit tibi Deus, fac. (Non poſſum non in tranſcurſu notare hanc rationem, de humanæ politiæ adytis expromptam: Nil hæreditatis, nil lucri, nil honoris inde ſperamus, ſed potiùs diſpendia diu experta: ergo quæ præcepit Deus, protinus exequamur. Quid? ſi aliquid forſan eſſet ſpei reſiduum, reditum cunctanter morarentur, tametſi à Deo intimatum?) Itaque clanculum cum ſuis diſcedit Iacob; idque peracerbè admodum Labanus tulit, & quammaximis itineribus illum perſequens, in Galaaditide inuentum, ſic ægrè querulus durè affatur: *Quare ita egiſti, vt clam me abigeres filias meas quaſi captiuas gladio? Cur ignorante me fugere voluiſti?* Quæ verba his exponit Caietanus: *Quare ita egiſti, vt clam me. Iuxta Hebræum habetur, & furatus es cor meum? Quare abſconditus es vt fugeres, & furatus es me?* Et ſanè, vt doctè obſeruauit ibi Lipomanus: *Repetitiones iſtæ magni doloris exprimunt acerbitatem.* Sicne Rachel, & Lia tanti doloris acerbitatem in patre contemnunt? Sic nihili faciunt, cor patris ſui acerbo dolore rapere, & præ mœſtitudine luctuoſa duriùs vulnerare? Sed diligenter aduerte, quid Rachel, & Lia præmiſerint, quo facile patris ſui calamitatem negligerent: *Nonne*, inquiunt, *quaſi alienas reputauit nos?* Quaſi dicant: Ipſe ſe à nobis *alienauit*: ergo iam nos patris noſtri ærumnas tanquam *alienas* ſentimus, nec velut proprias reputamus: vnde, quoad nos attinet, rumpantur eius ilia, & cor præ dolore tabeſcat: quandoquidem eius malum, tanquam *alienum*, & non proprium ſentimus. O! vel abalienati patris acerbum dolorem ſic filiæ negligunt? O quàm eſt lenis alieni doloris ſenſus! *A cada vno ſi, que le duelen deueras ſus trabajos: los ajenos mas cuerdamente ſe ſienten.*

Gen. 31. v. 15

Dei præcepta humanis commoditatibus exertè poſtponuntur.

Gen. 31 v. 26 & 27 Caietanus ibi.

Abalienatæ filiæ, acerbum patris dolorem negligunt.

Lipom ibi.

Geneſeos 44. Poſtquam Ioſeph fratres ſuos lauto conuiuio excepit; illis abeuntibus priuſquam valè diceret, præcepit diſpenſatori domus ſuæ dicens: Imple ſaccos eorum frumento, quantum poſſunt capere, & pone pecuniam ſingulorũ in ſummitate ſacci. *Scyphum autem meum argenteum..... pone in ore ſacci iunioris*: Quare in ſacculo Benjamini dilectiſſimi *Scyphus* reponitur? S. Ambroſius reſpondet: *In nullius alterius ſacco ſcyphus argenteus inuentus eſt, niſi Benjamini. Ioſeph ſcyphum miſit, vt fratrem, quem diligebat pia fraude reuocaret.* Scilicet Benjaminus conuiuio lautè cibatus, maiorum fratrum prælatione turgens, pecuniis auctus, infatia frumenti annona ſatur, recedit à Ioſepho Chriſti Dei typo. Igitur quem longiùs à ſe ablegat felicitas, pulchra calamitatis fraude reuocat. Pulchrè infamiam appellat *piam fraudem*, quâ ſibi chariſſimos ad ſe reuocat Deus. Sub doloſis infamiæ cineribus, abſconſam crede diuinioris beneuolentiæ ſcintillam. Lipomanus aliam offert cauſam rei præſenti non inidoneam, ita ſcribens, *Scyphum meum pone in ore ſacci iunioris. Adhuc exercere pergit Ioſeph fratres, & tentare quo affectu ferantur in fratrem ſuum Benjamin. Subornat cauſam odij in fratrem, illudque exulcerat ob furtum.* Nempe periculum amoris, aut odij erga fratrem Benjaminum non facit in fraude pecuniarum, quas in ore ſacci omnes repererunt: tunc enim ob ſuum quiſque furti probrum ægrè doleret, probroſo reatui grauatè obnoxius. Ergo peritè Ioſephus reliquos fratres reatu eximit, & vnum Benjaminum flagitij arguit, vt *cauſam odij in fratrem subornet*: indéque dignoſcat, an Benjamini calamitatem, qua ipſi exortes ſunt, grauatè ferant, & viriliter defendant. Plus ſignificat, quàm dicit in hoc verbo *ſubornat*, quod cuique pronum eſt enucleare adſpectu ad humanos affectus.. 4.

Gen. 44. v. 2

Ambr. de Ioſeph Patri. Infamia dicitur pia fraus, qua reuocamur ad Deum.

Lipom ibi. Cur Ioſephus cauſas odij ſubornet erga ſuum Benjaminum.

---

§. CCXCIV.

Prauiæ ſuſpiciones de rei cuiuſuis falſitate, verum etiam aſſenſum non leuiter poſtmodum inquietant.

QVis humani cordis pelagus tanget, bilingui ore profundum. Omnium hic ſimulantium mos eſt, vt ferè in magnis verborum, & rerum officiis ſimulatio lateat, eò tectior, quò veroſimilius mentitur veritatem. Hinc prudens quiſque falli timens, non facilem verbis rebuſque aſſenſum præbet, & vel ab infucato rei & ſermonis candore præcauet. Concedo tegi veritatem verborum, & rerum apparentium ſpecie, vt cineribus ignem 1.

Nō licet prudenti facilem præbere aſſenſum.

ignem, verum erumpet, eo potentius, quo densius tecta. Sed adhuc prudentia cauet: nam vt din fraus latere non possit, si propius inspexeris; primo tamen occursu improuidos ferit: ingeniosior enim ad excogitandum simulatio veritate, vt seruitus libertate est. Sed non adprobauerim quod Christianæ politiæ antistes hoc æuo opinatissimus, eloquenter suggerit: *Non fallent*, inquit, *si fidem negaueris; minus etiamsi contraria dictis cogitaueris. Nec magna hac habent opus arte. Affirmant? negant crede: negant? affirmasse. Spondent? nihil spera: iusiurandum interponunt? minus etiam assentire: quoque fortius, & splendidius addixerint, hoc plus insidiarum metue.* Non inquam, huic politico dogmati assensero: nam si illos affirmatione negasse, & negatione affirmasse putes, veritate ipsa sæpè decipieris, infelici credibilitatis abortu. Præstat nec facilè nec temerè assensum flectere, nec contraria dictis, factisve vel leuiter præproperè cogitare, sed suspensum tenere iudicium incerto adsensu, quousque rationum momenta ad bilancem prudentiæ consultius librentur. Nam si verum re ipsa audis, & dum primò illud excipis, incredibile falsumve putaueris; etsi postea eadem rei veritas perspicuè innotescat, adhuc te primæ fidei titubatio inquietabit, & primi dissensus nubecula perspicuam veritatem infuscabit, magno fidei dedecore, & notæ veritatis iniuria: quæ huius paragraphi thesis esto, *Quien entra dudando, tarde, y mal se deja persuadir la verdad.*

Politico-Christ. lib. 1. c. 1.

2. Actorum 12. Iacobo atrociter perempto, necdum Herodiani furoris procella desæuit, sed Petro Ecclesiarum vertici adhuc sæua minatur. In obscurum, & sordidum carcerem Apostolus impingitur, & qui tartarea vincula dissoluere ualet, ferreis arctè catenis stringitur. Ecclesia interim capitis sui malo funestè illachrymat, mœret, angitur, & in sacco, & cinere volutata validis precibus cœlum tundit, Deum tangit, & misericordiam extorquens, calamitatem auertit. Dormienti enim in carcere Petro, exsomnis adest Angelus, qui tetrum ergastulum cœlesti splendore clarat, & Dei beneuolentiam clariùs elucidat. Recedentibus vltrò vinculis alacer exurgit Apostolus, cui inter attonitos custodes libero, ferreæ pandunrur carceris portæ. Petro sospite ministerialis disparet Angelus, & ipse fugitiua sagaciter industria latibulum quærit expromptiùs. Consideransque venit in Domum Mariæ matris Ioannis, vbi erant multi congregati, & orantes. Pulsante autem eo ostium ianuæ, processit puella ad audiendum, nomine Rhode. *Et vt cognouit vocem Petri, præ gaudio non aperuit ianuam, sed intrò currens nunciauit stare Petrum ante ianuam. At illi dixerunt ad eam: Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere...... Petrus autem perseuerabat pulsans.* O stultam puellæ inconsiderantiam! præ gaudio, Petro fugienti ianuam non aperiens, fortè importuna cũctatione illum obiiceret quæsitoribus, & ipsa in gaudium inconsideratè effusa, sibi & reliquis gaudendi causam eriperet, gaudiumque commutaret in luctum. O! quid moraris inopinatæ felicitatis occursum? exoptatæ prosperitati præ illius gaudio fores præcludis? gaudium sæpè gaudendi causas inquietat. Hæc attonitè inconsiderata puellæ cunctatio, communiter à commentatoribus culpatur, & quasi Apostolicæ proditionis ignoranter rea damnatur. Verum singulariter Theophylactus hac in re ita philosophatur: *Vide*, inquit, *puellæ reuerentiam, ac pietatem. Præ gaudio non aperuit. Ac rectè id ab illa factum est, ne illi* (idest, fideles ibi congregati) *statim Petro viso attoniti, fidem non haberent.* Ecce tibi, quæ videbatur muliercula inconsiderantia, facta est credendi schola. Nimirum impossibile censebant, Petrum strictim in penitiori ergastulo vinctum, & exsomni custodum militia obsessum, effracto, aut effosso carcere, ibi adesse: vnde si illum derepentè coram vidissent, præ rei insolentia attoniti, incredibile putarent neque oculis primò crederent. Ergo consultissimè puella à primo, & repetino rei factæ dissensu sollerter præcauet, & sensim credulitatem struit; ne si Petri adstantis ardua creditu sospitas, tota simul coram oculis obiiceretur, miraculi non extorqueret assensum; sed primus veræ rei obiectus foret mendacij suspectus, cuius ambiguitatis resides posteà in animo reliquiæ, adhibendam postmodum miraculo plenam fidem inquietarent, & primi dissensus nubecula rei credibilitas obscuraretur. Vnde *rectè id à puella factum est, ne illi statim Petrò viso attoniti, fidem non haberent.* Argutè quidem Theophylactus, humanæ credibilitatis genium velut per anatomiam prænoscens! Qui præiudicium narrandi sibi mendacij defert, aut ambiguæ fidei esse putat, quod primo audit, in re posteà perspicuè comperta malè exinceps quiescit, non bona veri assensus titubatione, quam pristina persuasio semper inquietat. Inauspicatò sæpè credit, qui auspicium adhibendæ fidei incredulitate anteuertit. O nimis verè! Vnde Sara ægrè verbis Angeli credit, quia oppositum præiudicauit verosimilius.

Qui cum præiudicio falsitatis audienda, rem verè audit, ægrè illi adsentit.

Actor. 12. v. 14. & 15.

Theophyl. inibi.

Hic v. 19.

3. Matthæi 2. Cùm natus esset IESVS in Bethlehem Iuda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam, dicentes: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? vidimus enim Stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Bene accensæ cœlorum faculæ insolenti iubare Christi diuinitatem, & regnum publicant, fidei nostræ lucido æquè ac felici auspicio. Sed quid est, quod nascenti Christo nouæ in cœlo stellæ accenduntur; ipso autem moriente, olim accensæ palam extinguuntur. *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam*, &c. An non ille ipse est, qui in præsepio nascitur, & qui in cruce moritur; cur ergo natiuitas de cœlo claratur, & eiusdem mors sidereo vidüatur obsequio? Non fugit hoc dubium sagacem Augustini industriam, & sic ea de re fatur: *In his terris de longinquo Magi peregrini puerum Christum nondum verba per mentem adorauerunt, vbi ciues illi iuuenem miracula facientem crucifixerunt: quasi plus fuerit videre nouam stellam in eius natiuitate fulgentem, quam Solem in eius morte lugentem.* Esto, æquale sit prodigium, Solem in meridie lugere, quàm nouam stellam hilariori luce in nocte, Christo adridere; eccur cœlestes faculæ natiuitatem sic illustrant, secùs eiusdem mortem? An non æquo fidei lumine mors, quàm natiuitas, egent? pari ergo illustratione clarentur. Ast Christi Dei natiuitas, & nouus in terris ortus primum visibiliter credendorum mysterium est, & fidei auspicium: inde ergo Angeli de cœlo cateruatim ad præsepium accurrant glorioso obsequio, candidaque Pastorum simplicitas fidele ferat natiuitatis suffragium: litterarum Iudæorum concilium Rege sciscitante, Christi Dei in Bethlehem ortum è Prophetarum archiuis euulget, & sidereæ faculæ insolenter in æthere accendantur, ne fidei initium obscuritate impingat;

Matth. 2. v. 2.

Cur in Christi ortu sidereæ faces accenduntur, & olim accensæ in passione extinguuntur?

Matth. 27. v. 45.

S. Aug. ser. 3. de Temp.

sed cœlesti luce illustretur, felici credēdi auspicio. Tanta luce præniteat Christianæ fidei principiū, ne in principio notare possit assensus, aut cautè timidus, aut obstinatè subdolus: nam rei ab initio dubiæ, aut non satis verosimilis, diu hæret residuus falsitatis opinatæ metus, & certus alioqui assensus exinceps titubat. Ergo consultissime ad Christi Dei ortum præclariùs illustrandum, sidereæ accenduntur de nouo faces, & in eius morte, vel retrò accensæ extinguuntur, quasi ad rei credibilitatem supernacuæ. Sic difficile est de mendacio suspectæ olim veritati, firmum postmodum adsensum præbere plena fide?

4. *Ethnici non credendo credunt, Haretici credendo non credunt.* Tertullianus in lib. de Carne Christi acerrimè disputat cum Hæreticis asserentibus Christi Dei corpus non fuisse verum, sed aut sidereum, aut imaginarium, & cum nescio quem ethnicorum errorem proposuisset, ita ad lemma præsens tempestiuus fatur: Ergo, inquit, Dei filius in tantum humilitatis exhaustus, etsi resurrexit in exemplum spei nostræ, cur nihil tale de nobis probatum est? *Merito ethnici talia, sed merito, & Haretici. Nunquid enim inter illos distat? nisi quod ethnici non credendo credunt, at Haretici credendo non credunt.* (Tertul. de Carn. Christi c. 15.) Nimirùm auita idolorum religio sic ethnicorum mentem te indiscussa ad sequelam exhausit, vt reliquas religionum sectas contemptim negligant. Secus Hæretici, qui dudum benè Christiani, aliqua mysteria credunt, de aliquibus ambigunt, aliis planè discredunt. Exinde ethnici, qui animum velut impercussum numisma ad fidem afferunt, dicuntur, *non credendo credere.* At Hæretici, quibus falsata ratiocinatione argutantibus, nihil in Christiana religione sanctum, & inconcussum est; etiam *credendo non credunt*: nam mala fide hallucinantur. Ethnici nulla fide accedunt, Hæretici mala: mallem nullam, quàm malam fidem adduci Hinc *ethnici non credendo credunt, at Haretici credendo non credunt.*

§. CCXCV.

Hominum gens illius beneficentiæ rea est, cuius, & ingrata.

1. (Tertul. in Apolog c. 40) SEmper humana gens (Tertullianum legis) malè de Deo meruit; primò quidem vt inofficiosa eius, cùm intelligeret ex parte; non requisiuit, sed & alios insuper sibi commenta est, quos coleret: dehinc quod non inquirendo innocentiæ magistrum, & nocentiæ iudicem, & exactorem, omnibus vitiis, & criminibus inoleuit. Cæterum si requisisset, sequeretur vt cognosceret & recognosceret requisitum, & recognitum obseruaret, & obseruatum magis propitium experiretur quàm iratum. Eundem ergo nunc quoque scire debet iratum, quem & retrò semper priusquam Christiani nominarentur, (ad rem obserua quid inde concludat) *Humana gēs illius rea est, cuius & ingrata.* Cuius bonis vtebamur antè editis, quam Deos sibi fingeret; cur non ab eo etiam mala intelligat euenire, cuius bona esse non sensit? *illius rea est, cuius & ingrata.* O timeat ingratitudo ne sit beneficiorum rea! Blandimentum diuinæ liberalitatis, tot tantisque naturæ, & gratiæ beneficiis opulentè beneficum, si incurrat in ingratos; blanditias benignitatis exuens, seueriorem induit austeritatem, & in acerbioris supplicij minas nobiliter velut degenerat. O malum! Beneficiis, quibus Deus bonos felicitat, ingratos duriùs castigat, & de Misericordiæ blandimento, Iustitiæ rigores exaggerat. O caue à Misericordia, dum iustitiæ rigoribus aduersus ingratos durè militat! An inde Sara opulentum Dei beneficium, Angeli ore testatum, cum lachrymis excipit? Time Iustitiæ seueritatem; sed time etiam blandientis misericordiæ munificam benignitatem. Illam metuat, præterita culpa, hanc futura ingratitudo formidet. (Hic v. 19.)

2. (Exhod. 14. v. 22.) Exhodi 14. gens Hebræa ex Ægyptiaca seruitute in libertatem feliciter ingenuam plenè asseritur, dum Pharao cum Ægyptiis phalangibus subit naufragium, vbi sospites Israëlitæ portum inuenerunt: *Et ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus à dextra eorum, & laua.* Inde per vastam eremum per columnam nubis, & ignis, ductu Angeli in optatissimam promissionis terram prosperè deducti: vbi petra pro lagena, & cœlum pro panario fuit, ne viaticum peregrinantibus deesset. Quæ bibliorum pagina tot largius exhibita beneficia non deprædicat, & gloriosiùs inculcat? Tantis, tamque munificis largitionibus olim, & nunc penè Hebræus populus insolescit. Viderit antequam ingratitudinis artificio beneficia in supplicia recudat, & vnde largius muneratus fuit, pœnas consecratit ingratus. *Verumtamen Iudae* (verba sunt Zenonis) *quid monumentis tui criminis gratularis? In Ægypto seruisti, diu non forte peregrini, sed merito. Ereptus es inde; non tua euasisti virtute. Columna nubis te perduxit per diem, vt ostenderet cæcum: Ignis columna per noctem, vt admoneret arsurum. Angelus praeuius tua castra promouit, vt etiam praesenti Deo probareris ingratus. Per mare pedibus ambulasti, vt patereris in terra naufragium. Ad hoc sane in eremo aquam de petra bibisti: manna de cælo gustasti, vt cum esses ad egestatem postmodum deuolutus, praeteritorum bonorum recordatione acrius torquereris.* (Zeno ser. 1. de Exhodo.) (*Hebræa gens per mare pedibus ambulauit, vt pateretur in terra naufragium.*) Doctè pariter, & acutè Veronensis Præsul. Singulæ Zenonis sententiæ, singulares offerunt thematis probationes; in quibus perspicuè apparet, quod maiora beneficia, ad probrosiorem pœnam ingrato militant. Nempe Hebræi populi assertio ab Ægyptiaca captiuitate, ignauam Hebræorum impotentiam, & propudiosam diu seruitutem denotat, & diuinior tunc potentia, illorum imbecillitatem exprobrat. Columna nubis qua per diem ducitur, planè cæcum demonstrat, & ignis columna per noctem ductrix arsurum præmonet, beneficiorum non tam claritate illustrandum, quàm igne vstulandum. Addit: Quid, ô Iudæe, superbis, quòd Dei beneficio obtines, vt in illo ipso pelago, vbi Pharaonem naufragum vidisti, tu sicco vestigio sospes euaseris? Gloriari inde posses, si debita gratitudine gratiam rependisses: at sospitatis miraculum, luctuosum calamitatis prodigium ingrato ominatur. *Per mare pedibus ambulasti, vt paterreris in terra naufragium.* Liberatio à naufragio in pelagi vndis, portentosum in terra sæpè naufragium, tibi auguratur ingrato, vt ereptio à naufragio, sit naufragiorum fœcunda, & quidem in terra, ne vllibi securus existas absque naufragij pauore. Nemo nisi ingratus Iudæus in terra naufragium timet; quia ille in pelago ereptus, ereptori ingratus extitit: Gens Iudæa *illius rea est, cuius & ingrata. Per mare pedibus ambulauit, vt pateretur in terra naufragium.* Procliue est cuique singulas sententias ad rem emedullare perstrinxisse sat esto.

Matthæi

Matth. 24. v. 30.

Matthæi 24. magna finalis iudicij dies præsẽtatur,& peramplum omnium hominum theatrum corâm obiicitur: *Et tunc parebit signum Filij hominis in cælo: & tunc plangens omnes tribus terræ: & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & maiestate.* Esto,veniat Christus Deus viuorum ac mortuorum omnium iudex,cum virtute multa & maiestate,in nubeo splendide throno, Angelorum stipatus satellitio;quorsùm *signum* crucis ibi erigitur? quare Passionis suæ stigmatibus notatus apparet?Imò,quam ob rem hîc omittitur beata iustorum exultatio,& luctuosus hominum plãctus duntaxat denarratur? Crucis gloriosum iam decus,& sacrorum stigmatum gloria,non iam cient lacrymas, sed gloriæ iubilum, vtpote copiosæ redemptionis sumptuosa instrumenta, & iugis incessanter gratiæ conceptaculum. *Et tunc*,ait, *plangens omnes tribus terræ.* Opportunè Eusebius ita hac de re philosophatur:Cogitemus, inquit, illius iudicis aduentum,qui vtinam sic nos paratos inueniat, quomodo nemo potest dubitare quòd veniat. *Quod si requiras quomodo veniat? Illo vtique corpore,quod pro nostra salute susceptum,pro nostris criminibus addictum, pro nostra absolutione damnatum, & pro nostrorum vulnerum medicina,lancea clauisque confixum est.* (Adhuc attentiùs obserua quæ subnectit verba.) *Prima enim erit in reos intoleranda sententia, reuerendarum præsentia cicatricum. Quid igitur illo tempore facturi sumus, quandò contra illos crucifixi Domini liuores, nota peccatorum nostrorum, ac macula libidinum profitentur? Aut quo putas vultu respicit redemptio nostra perditionem nostram? Tanto grauiora erunt humana delicta, quantò maiora se ostenderunt diuina beneficia..... Illa vtique clauorum signa bonis salutaria, malis terribilia, quæ vsque ad diem iudicij non delentur, sine dubio obiicienda seruantur.* Plusculùm immoratus sum verba Eusebij rescribens;scilicet notationem,& eius elucidarium vna ebibens,& propinans. Sed non te prætereat illa in paucis illustris sentẽtia: *Prima erit in reos intolanda sententia, reuerendarum præsentia cicatricum*; cùm notæ peccatorum, & maculæ libidinum profitentur contra impiè ingratos, crucifixi Domini liuores, & vulnerum stigmata. O quàm grauatè ingrati homines ipsâ beneficiorum mole obruuntur! Primam sententiam, ipsa crux exaggeratiùs benefica, & decolor cicatricum liuor, tacitâ præsentiâ in reos seueriùs vibrat. Ostensa opere beneficia, oris sententiam anteuertant, vt prædamnent beneficia, quem peccata damnabunt. Timeat peccator iratum Deum;paueat ingratus Deum olim liberaliùs beneficum;ne ipse ingratitudinis reus,ante sententiam de ore iam cadẽtem,ab ipsis olim beneficiis acerbius nunc prædamnetur. Caue ab irata Iustitia, caue etiam à contemptâ Misericordia Nisi te beneficia absoluant,proculdubio damnabunt.

Prima erit in reos sententia,reuerẽdarum præsentia cicatricum.

Euseb ad Monach homil. 4.

4. Gen. 40. v. 20

Geneseos 40. postquam vtriusque Ægyptij Principis somnum cõgrua interpretatione Iosephus exposuit, dies tertius natalitius Pharaonis erat: *Qui faciens grande conuiuium pueris suis, recordatus est inter epulas magistri pincernarum, & pistorum principis. Restituitque alterum in locum suum*, &c. Regis gratia erga pincernarum Principem,memoriæ Pharaonis duntaxat adscribitur: Sic satis erat *recordatio* ad restituendam principi vincto Regis gratiam, mirissimum est, quod amicorum nemo eiusmodi memoriam Pharaoni suggesserit. Eccur aulicorum nemo, conserui & amici calamitosam miseratus vicem,Regis obliuia tempestiua *recordatione* expunxit. & proclinem Pharaonis gratiam *recordatione* redemit?Agrestis & barbara videtur eiusmodi conseruorum obliuio; sed consultissima, & ipsius ingrata obliuione planè dignissima.Quod insinuare videtur ipse sacer Historicus. Nam postquam pincernarũ Princeps felicem audiuit somnij interpretationem è Iosephi ore,interpreti suo ipsius memoriam spondit, & tamen *succedentibus prosperis Præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui.* Scilicet qui mox obliuioni tradit,quod pariter secum vincti Iosephi, & de se optimè meriti intererat; condignè promeruit, vt illius prius obliuiscerentur amici & conserui.Serò pincernarum Princeps daret ingratæ obliuionis pœnas, nisi ante suã ipsius obliuionem,obliuione suorum puniretur. Præproperè obliuiscantur conserui & amici,eius,qui post triduum,& exinceps,boni interpretis sui obliuiscetur.Nimirum suam ingratæ obliuionis culpam anteuertat insolentior obliuio,nisi citius præcurreret,nimis tardaret consimilis obliuionis supplicium. Sapiens pœna obliuionis anteuertat ingratum,quę obliuij reatum præcoqua punitione condemnet.

Ingrata obliuione punitur qui postmodum ingratè obliuiscetur

beneficij oblitus sui.

Inibi. v. 23.

5. Lucæ 4. v. 34. & 35. Cyrill. apud Caten ibi.

Lucæ 4. In synagogâ erat homo habens dæmonium immundũ,& exclamauit voce magna, dicens: *Quid nobis,& tibi IESV Nazarene? venisti perdere nos? scio te quis sit, Sanctus Dei & increpauit illum IESVS,dicens:Obmutesce,& exi ab eo.* Dæmõ ne is est,qui sic Christi laudes prędicet? Quam ob causam illum magnificè publicant summi Dei filium?Et quare eiusmodi veras & magnificas laudes Saluator cohibet?Percommodè Cyrillus: *Scio enim te quia sis Sanctus Dei Putauerunt enim Dæmones quod per huiusmodi laudem facerent ipsum inanis gloriæ amatorem, vt abstineret ab eorum contrarietate, vtpote pro gratia gratiam recompensans.* Vide mihi quam altam Dæmones imbiberint de gratitudine mẽtem,vt sibi seriò persuaserint,extorsuros à Christo inimicitiarum inducias, ne putetur ingratus. Illum summi Dei filium nominant,& palam cum laudibus publicant augustum eius elogium hominibus hactenùs prę sublimitate incredibile;vt eiusmodi inopinato obsequio, inimicitias deponat, ne fiat ingratitudinis reus. *Putauerunt enim Dæmones quod per huiusmodi laudem faceret,vt abstineret ab eorum contrarietate,vtpote pro gratia gratiam recompensans.* O, sic arctè putatur obstringere gratitudinis obligatio?homo enim illius beneficentiæ putatur reus,cuius & ingratus.

§. CCXCVI.

Solus verè homo est, qui res bonas expectat, & bona spe se sustentat?

NEscit erudire desperatio, non magis quàm fouere, & animos addere. Spes vna difficilium victrix est,hac triumphi steterunt,& imperia,& quicquid in vtroque bello magnum.Ergò spes ab ipsa difficultate alacritatem sumat,à vulneribus,à sanguine. Imbecillis animi est, profutura proiicere, aut difficultatibus territi;stolidi, desperare, si primis conatibus non respondeat euentus. Quot ab improbis initiis legimus magnos? Paulum quis nescit, Matthæum, Zachæum

1. Politico-Christ. lib. 1. c. 5.

Nunquam spes ponenda

chæum Publicanum, Magdalenam, & magnam cæli partem? quot enim in eo Sauli, Pauli, quot aliquando Publicani, & Magdalenæ? Etam Latroni reserari in cruce Paradisum videmus; & ab vngulis, prunis ardentibus, liquata pice, ferro, fornacibus iudices, carnifices, tyrannos ad martyrij coronam vocari. Hæc & alia istiusmodi exempla, in vtraque eruditione obuia, fiduciam nutriũt, qua fouetur, & propè constat humanitas tota; secus in matricem puluerem ruitura imminet, nisi spei ancora egregie fulciatur, hac flebilis Sata erigitur, tot nuper stragibus adlueta.

Hic v. 10. 2. Geneseos 4. perempto atrociter Abelo, Caïni insidiis imparato, virtus simul corruit, impietas ouat detriumphata pietate: & flebiles parentes in defuncto Abelo virtutum cadauera luctuosè deplorãt. Cognouit autem Adam vxorem suam: & peperit filium, vocauitque nomen eius Seth, dicens, posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Caïn. *Sed & Seth natus est filius, quem vocauit Enos: iste cœpit inuocare nomen Domini.* Lxx. interpretes ex scribunt: *Hic sperauit inuocare nomen Domini.* Omitto plura, quæ hîc ad rem præsentem commentatores adaggerant, vt citiùs describam, & copiosiùs expendam, quę Philo Iudæus subtiliori ingenio commentus est. Sic ergo præfata verba exponens, argutè philosophatur: Quoniam igitur, inquit, principium parandorum bonorum spes est, etiam hanc tanquam publicam viam ostendit, & aperit anima veri boni studiosa, (Moyses inquam) *qua primum amicum spei nominat hominem, vocabulum totius generis commune tribuens ei per excellentiam nam Chaldæi hominem Enos vocant: ac sic solus vere homo sit, qui res bonas expectat, & bona spe se sustentet. Vnde manifestum est, quod spe carentem non hominem existimat, sed bestiam humana forma præditam, cui desit spes proprium ornamentum humanæ naturæ.* Quid luculentius? Porrò sicut dixit Tertullianus (locum integrum oculis explora.) *Patientiam Dei esse naturam effectam, & præstantiam ingenitæ cuiusdam proprietatis*: ita censuit Philo, spem ita esse homini cognatam, vt in hominis naturam quodammodo abierit, de elogij cognatione. Vnde subtiliter notat, quod postquam dixit sacer Historicus: *Sed & Seth natus est filius, quem vocauit Enos*: (id est, homo) *hic sperauit inuocare nomen Domini*, confestim subiungit: *Hic est liber generationis Adam: In die qua creauit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum.* Expende magni viri subtilem ethicè commentarium: *Quam ob rem*, inquit, *cùm vellet egregie laudare hunc bene sperantem, postquam dixit: Hic sperauit in Patrem, & in factorem omnium, subiecit: Hic est liber generationis hominum quamuis iam & patres, & aui quidam erant. Sed illos mixti generis autores censebat, hunc autem puri putique, quod rationale..... Bene sperantem, hominem per excellentiam nominat, secretum à vulgo ignobili, & indigne tali appellatione.* Longiusculè fateor, sed quid demerem? O peregrina in paucis synonima! homo idem est, ac bene sperans? spebus homo coalescit, & constat? sic homini cognatum est, bene sperare? Qui pusillanimus in re quantumvis difficili desperat, ferè homo integer non est; Sic qui benè sperat, hominẽ se rationalem probat; & qui spes abiicit, naturam humanam dedidicit; Itaque rem moralem spectans Philo, quodammodo censuit, spem hominis esse naturam effectam, & præstantiam ingenitæ cuiusdam proprietatis: *Nam Chaldæi hominem Enos vocant, ac si solus vere homo sit, qui res bonas expectat, & bona spe se sustentet.*

Gen. 4. v. 26

Lxx. interp. *Solus vere homo est, qui bene sperat.*

Philo lib. de Abrahamo.

Tertul. de Patien. c. 3.

Genes. 5. v. 1

3. Lucæ 2. Virgo Deipara vtero Deum gestãs, è ciuitatula Nazareth peruenit in Bethlehem. *Factum est autem cùm essent ibi, impleti sunt dies, vt pareret. Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit*, &c. Ait sermo diuinus; Et peperit Filium suum primogenitum, quis ergo Hæreticorum ogganire audeat, carnem Saluatoris nihil habuisse de Maria? Quod si nihil Christus de Matris consanguinitate traxisset, sed per Virginis trãsiisset vterum, quasi per corpus alienum, quid egit illis nouem mensibus intra illud materni corporis genitale secretum? Illic vtique de eius ossibus, & medullis Spiritu operãte collectus, illic natura stupente coalitus, & illic per legitima nascendi spatia de carne carnis incremẽta mutuatus est. Dicitur enim, *Impleti sunt dies, vt pareret, & peperit Filium suum. Quod si nihil attracturus erat de propria parentis materia, quid opus erat longa nouem omnino mensium hospitij mortalis iniuria?* Hucusque Emisenus Imò ex hac diuturniori mora in Matris vtero, esse verum hominem argumentari licet, ex præfato spei elogio, quasi spes sit veri hominis insigne, quod Christus in ventre Matris non neglexit. Audiẽdus est Tertullianus sic fatus: *Nasci se Deus in vtero patitur Matris, & expectat; natus adolescere sustinet, & adultus non gestit agnosci.* Tertulliano Hieronymus hærens ita scripsit: *Dei Filius pro nostra salute hominis factus est Filius, nouem mensium in vtero vt nasceretur expectat.* Scilicet, quasi parùm foret ad probandum se hominem quod qui pugillo Mundum concludit, præsepis continetur angustiis, iungere libet & alias naturę contumelias, vterum de die in diem insolescentẽ (vt ex Tertulliano loquitur Hieronymus) fastidia sustinet, illacrymans egreditur, pannis inuoluitur, blanditiis delinitur. Hæc tibi non sufficiunt, vt verus homo probetur? ex spe hominibus cognata id probaret licet: *Nasci se Deus in vtero patitur Matris, & expectat.* Non modo spe fouetur ab vberibus matris suæ, sed in eius vtero, & genitali sacrario, legitima nascendi spatia sustinens, totis nouem mensibus ante natiuitatem *expectat*; quò ante partum, in matris vtero adhuc inuisus, ex præpropera spe, præmaturè cognosceretur homo. *Ac si solus vere homo sit, qui res bonas expectat, & bona spe se sustentet.* Exinde *Dei Filius pro nostra salute hominis factus est Filius: nouem mensium in vtero, vt nasceretur expectat.* O nouum veri hominis indicium! *Vnde manifestum est, quod spe carentem non hominem existimat*, ait Philo. Sic est Spes hominibus conuisceratą? Qui spe caret, hominem desuescit, & in quoduis aliud vocabulum degenerat? O! quæuis fortuna spem non excutiat, ne sub humana forma mores ab homine alienos alere videaris. Plane rationalem hominem desperatio dedidicit.

Lucæ 2. v. 6. & 7.

Emisenus homil. 1. de Natiu. domini.

Christus in Matris vtero nasci expectat, & ex spe homo comprobatur.

Tertul. lib. de Patient. c. 3.

Hieronym. ad Eustoch. & aduersùs Heluid.

4. Exhodi 6. Hebræus populus Ægyptiaca seruitute oppressus, humanam rationem velut dediscens; prodigia quæ corãm videt, non sentit, & tot promissionum alacrem olim spem, nunc palam excusserat. *Narrauit ergo Moyses omnia filiis Israel: qui non acquieuerunt ei propter angustiam spiritus, & opus durissimum.* Sic dura calamitas Israëlitarum angustat spiritum: Rupertus præscripta verba exponens, ita scribit: *Filij Israel perfectæ fidei spem non habentes firmam, gemebant sub afflictione inimicorum.* Vide oculis quàm sit

Exhod. 6 v. 9

Rupert. ibi.

Christianus in ærumnis habet spei fidem; Hebræus non habet fidei spem. Tertullian. alibi expensus.

sit vberior gratia recentis Christianismi, quàm Iudaismi veteris, ad calamitates tolerantiùs perferendas de nascentis Ecclesiæ Christianis Tyrannorum persecutione oppressis, inquit in Apologetico Tertullianus: *Confirmantes fidem spei nostra.* De Hebræa autem gente sub Pharaone duriùs afflictata, ait Rupertus: *Fidei spem non habentes.* Nimirum Christiani in ærumnis habent *spei fidem.* Hebræi autem nec habebant *spem fidei.* Pulchra sanè antithesis, & quæ rem viuidè exponit. *El Christiano persequido, tiene fè de la esparança; pero el Hebrao, aun no tubo esparança de la fè.* Christianus animosâ fiducia vit auxilium, quod à Deo in afflictione sperat, velut fide credit. Sic certò auxilium piè præsumit! Hebræus autem calamitate oppressus, vel rem fidei non sperat. Christianus verè homo est, ratione præditus; quippe qui in tribulationibus *bona spe se sustentat.* Hebræus velut homo degener, sic *spiritum angustat,* & rationalem naturam diffitetur, vt spem excutiens, & fide labascens, elogium hominis desuescat, & velut exanimalis truncus saxeaue columna, ærumnarum pondera sustineat. O miseros in calamitatibus Hebræos, oculorum & aurium cæcos! Porro spei nutatio, humanitatis quodammodò titubatio est, *ac si solus verè homo sit, qui res bonas expectat.*

---

§. CCXCVII.

Vix datur verum bonum, quod æmulantis mali impugnationem non habeat: inde persecutionum aliquot prædicantur elogia.

1\. *Emisen. homil. de Stephano.*

EVsebius Emisenorum Episcopus, pietatis, ingenij, & eloquentiæ antistes; ita de S. Stephano scribit: Quid agit, inquit, fidei magnitudo, quæ non vincitur à malo, sed vincit in bono malum? Dum pro impiis Deo plenus exorat, etiam de alieno peccato iustitiam suam cumulat, & coronam suam perfecta Christi charitate multiplicat.... *Nam qui pro inimicis sub ipso tempore consummata persecutionis orauit, beatitudinis suæ causa persecutorem dilexit. Nec nimirum si eis nescit irasci, per quos sibi videt aulam regni cœlestis aperiri, per quos se æternis sæculis intelligit consecrari.* Porrò temporalis & mœsta persecutio, gaudiorum fertilis, & æternitatis fœcunda est. Ad ea Matthæi verba: *Beati qui persecutionem patiuntur,* ita Nyssenus pulchrè fatur: *Fructuum, qui sperantur, flos afflictio est: iam verò anima sancta visis floribus, qui æternitatis fructum inamissibilem promittunt, gaudio perfusa annunciat: Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit.* Bene ergò Anna hîc Saræ filiæ mœstissimè oplorantì, ex crebrò repetitis tot ærumnarum floribus, lætitiam profusè exundantem fidenter spondet, quasi florum fructum.

Stephanus persecutorum peruerso officio gratus extitit.

Matth 5 v. 10 Greg. Nyss. ibi.

Cant 2. v. 12.

Hic vers. 20

2\. Matth 18. v. 7

Matthæi 18. in hæc inemendanda verba Christus Deus dolenter erupit: *Væ mundo à scandalis. Necesse est enim vt veniant scandala.* O festinemus virtutis gressibus exire de mundo, & adhuc viuentes coloniam ducere in cœlum, vt cœlestis patriæ nobiles inquilini, terreni mundi *scandala* declinemus! S. Hilarius humilitatem Dominicæ Passionis, mundi scandalum fuisse putat, quia sub deformitate crucis, æternæ gloriæ Dominum erubuit accipere. *Ideo vero necesse ait venire scandala, quia ad sacramentum reddendæ nobis æternitatis, omnis in eo Passionis humilitas esset complenda:* & à nobis etiam probrosæ & acerbæ deformitas crucis libenter suscipienda. Explicatiùs plures interpretes per *scandala* exponunt persecutores, Satanæ inquam, Angelos, tentandis hominibus præpositos; (vt hic Asmodæus, & alij alibi plures) aut homines vicarias Diabolorum vices in persecutionibus gerentes: Audiendus est hac super re Origenes, qui his verbis sententiosè philosophatur: *Venientia scandala sunt Angeli Satana nec tamen putes secundum naturam vel substantiam esse huiusmodi scandala: Sed libertas arbitrij in quibusdam genuit scandalum; nolens suscipere pro virtute laborem* (attentius pensita quæ subdit verba.) *Non potest autem esse verum bonum nisi habeat impugnationem mali.* Porrò boni æmulum, malum est, quisquis à malo impugnationem nō patitur, malo creditur militare, & ad malorum castra defecisse. Nunc hominum bonitas aut in lubrico, aut in ambiguo est: ergò de mali impugnatione asserenda, seu excudenda est. Æmulatio inimicitiæ sequela est; nec putatur defœcata bonitas, quam æmula malitia non decoquit, vt despumet cum persecutione malitiam, & humanorum affectuum excrementa *Non potest esse verum bonum, nisi habeat impugnationem mali.* Sæuior persecutor deprauare connitens, tot bonitatis testes adhibet, quot afflat ærumnas; & nescius oppressæ virtuti suffragatus. Indè Stephanus *Beatitudinis suæ causa persecutorem dilexit. Nec mirum si eis nescit irasci, per quos sibi videt aulam regni cœlestis aperiri, per quos se intelligit æternis regnis consecrari.* Ergò Stephanus pro eis orat, peruerso gratus officio; piè officiosus his qui è peruerso auxiliantur, benè scius, quod *non potest esse verum bonum, nisi habeat impugnationem mali.* Tempestiuè disquirit Tertullianus, *an Deus sola bonitate* censendus sit? an etiam quia Marcioni, & eiusdem fæcis hominibus displicet dum vero Numini controuersiam faciunt? *Porrò nil sine æmulatione decurret..... Proinde enim æmulationi occurrant necesse est officiales sua in ea quæ æmulantur, ira, discordia, odium, dedignatio, indignatio, nolentia, offensa.* quibus oppugnatum bonum apprimè commendatur.

Hilar. Can. 18. in Matth.

Non potest esse verum bonum nisi habeat impugnationem mali. Orig Tract. 5 in Matth. apud Caten. ibi.

Deus de sola bonitate censetur, an etiã de mali impugnatione?

Tert. 1 adu. Marc c. 25.

3\. 2 Machab. 7. v. 3. 4. & 5.

2\. Machabæorum 7. inclytum septem fratrum simul cum pia matre martyrium denarratur, in quos Tyrannus hominem oblitus, barbarica rabie ferocit. *Iratus itaque Rex iussit sartagines, & ollas æneas succendi: quibus statim succensis, iussit ei, qui prior fuerat locutus, amputari linguam, & cutem capitis abstracta, summas quoque manus & pedes ei præscindi, cæteris eius fratribus, & matre inspicientibus. Et cùm iam per omnia inutilis factus esset, iussit ignem admoueri, & adhuc spirantem torreri in sartagine: in qua eum diu cruciaretur, cæteri vna cum matre inuicem se hortabantur mori fortiter,* felicissimæ morti feliciter inuidentes festa inuicem gratulatione Tyranno insultantes. *Gaudeat terra* (ait Emisenus de S. Blandina fatus) *nutrix cœlestium militum, & tantarum parens fœcunda virtutum. Ecce profanus hostis nunquam ei tantum prodesse potuisset obsequio, quantum profuit gladio, nam quantum contra eam iniquitas abundauit, tantum in ea gratia nunc & benedictionis exuberat.* Idem cense de quouis istorum septem fratrum, idem de piè strenua matre, quæ in senili & muliebri infirmitate, post septem filiorum opima holocausta, profanis tribunalibus

Profanus hostis, non tam obsequio, quã persecutione prodest.

Emis. hom. de S. Bland.

Felix, qui meritis sua gloriam persecutori debet.

natalibus nouam de se hostiam oblatura deferetur. Senilis infirmitas per iniurias & afflictiones furentium ministrorum, ita celerem sortitur exitum, post filiorum strages, vt eam intelligeres ad tempus illud soli martyrio reseruatam. (Pergit idem inibi Emisenus, ad rem opportunè) *Felix cui in ipso vita limine constituto, finem suum non tam natura contigit debere quam gloria.* Profectò mors est vitæ stipendium, omnes enim morti nascimur vectigales. Ergò *profanus hostis nunquam ei tantum prodesse potuisset obsequio, quantum profuit gladio,* quantum profuit ignibus, & sæuis atrociter stragibus. Nam mori, naturæ est; sic mori, gratiæ. Qui vtcumque obit, natura cedit, eique naturale vectigal exoluit; qui autem sic moritur, gloriæ moritur. Naturæ mortem debes, Persecutori gloriam. *Felix cui finem suum non tam natura contigit debere, quam gloria.* Igitur esto Persecutoribus peruerso gratus officio. Nec mirum si pia mater cum tot trucidatis pignoribus, Tyranno nesciat irasci, per quem sibi videt aulam regni cœlestis aperiri, per quem se intelligit æternis regnis consecrari.

Idem. ibid.

4. Matthæi 24. finalis iudicij prodigiosa signa, splédidum apparatum, & insolitam iudicis pompam ad gentium stuporem, Euangelista denarrat. Et post multimodum in cœlo prodigium, & atrocissimam Antichristi persecutionem, ait: tunc parebit signum filij hominis in cœlo; & nunc plangent omnes tribus terræ: *Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multa, & maiestate.* Nube ascendit in sumptuoso Ascensionis triumpho, nube etiam descendet in districtioris iudicij gloria. *Et quia crucem audierant,* (ait Chrysostomus) *ne rursus existimarent aliquid turpe esse futurum, subiungit: Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multa, & maiestate.* Hanc Christi Dei finaliter iudicaturi virtutem multam, & excelsam *maiestatem,* variè exponunt interpretes, quos hîc percensere longum foret. Sanctus Augustinus Christi iudicis potestatem & maiestatem in illo iudicandi orbis theatro, his verbis luculenter explicat: *Ideò cum potestate magna & maiestate, quia maior potestas & maiestas illius apparebit Sanctis, in quibus magnam virtutem dabit, ne tanta persecutione vincantur.* Scilicet quoniàm Sanctis magnam virtutem dedit Christus, *ne tanta persecutione vincantur;* sed vt potiùs Persecutores deuincerent, detriumpharent, proculcarent, tanta potestate & maiestate splendescent, vt eam in ipsum Christum augustè reuerberent; Tanta ne splendet potestas, & maiestas in eo, qui persecutionem deuicit, & persecutores patiendo superauit; vt cum Christus Deus apparere affectat *cum potestate magna & maiestate,* illam quodammodò mutuasse dicatur ab his, qui constanter persecutiones superarunt? Et vbi est exerta tunc in iudicando diuinitas? vbi Angelicæ militiæ apparatus? vbi crebra in cœlis prodigia, quæ venerabilem orbis stuporem ædificent? Tanta ne est *potestas & maiestas* eius, qui *persecutione non vincitur,* vt Christus ob huiusmodi largitam Sanctis suis potestaten, sublimior tunc illis, & augustior appareat? *Ideò cum potestate magna & maiestate, quia maior potestas & maiestas illius apparebit Sanctis, in quibus magnam virtutem dabit, ne tanta persecutione vincantur.* Hunc sensum plane luculentum verba Augustini habere videntur; illum saltem non recusant, & mores ædificant, ad præcelsam persecutionum tolerantiam.

Matth. 24. v. 30.

S. Chrysost. homil 77. in Matth.

In maiestate apparet Christus, quia Sancti persecutione non vincuntur

S. August. ep. 80.

5. Lucæ 13. Contendite intrare (in cœlum inquam) per angustam portam: *quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.* Ad quæ Domini verba sic fatur Augustinus: *Vix videntur grana quando area trituratur; Sed tanta massa processum est de area, vt impleat horreum cœli.* Nempè cùm fruges iam demessæ, in area iacentes Solibus torrentur, pedibus proculcantur, triturantur, ventilantur, vix vllum apparet granum, quia paleis intermixtum absconditur, & humanos oculos erubescit, tot repetitis tribulationibus iactatum. Quid autem contemnis inuisa tribulationibus grana, & specie tenus penè nulla? *Sed tanta massa processum est de area, vt impleat horreum cœli.* Nullum transportabitur in cœli horrea granum, quod in persecutionis & tribulationis area nunquam trituratur: ô beatas persecutiones, quæ cœli horrea copiosè cumulant!

Luc. 13. v. 24. S. Aug. serm. 32 de Verb. Dom.

De inuiso sub tritura grano implendum est cœli horreum.

6. 1. Corinth. 9. *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem vt corruptib lem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* O quanta mutuò à se ipsis tolerant ludicra inhumanè persecutione, hæc vanæ gloriæ mancipia! Audi Tertullianum ad præscripta Apostoli verba alludentem: *Pugni quassant, calces arietant, cæstus dilaniant, flagella dilacerant, nemo tamen agonis præsidem suggillauerit, quod homines violentia obiectet iniuriarũ actiones extra stadium. Sed quantum liuores illi & cruores & vibices negotientur intendis, coronas scilicet, & gloriam & dotem, priuilegia publica, stipendia ciuica, imagines, statuas, & qualem potest præstare sæculum de fama æternitatem, de memoria resurrectionem. Pictes ipse non queritur, dolere se non vult, corona premit vulnera, palma sanguinem obscurat, plus victoriatum est quam iniuriatum, hunc tu læsum existimabis, quem vides lætum?* Strenua ethnicorum in tot calamitatibus constantia, sugillatio foret Christianorum, nisi his atrociores ærumnas pro empyrea gloria pati pia ambitione hianter suspiremus. Magnanimitatem spirant singulæ Tertulliani sententiæ, quas enucleando persequi, longum foret.

1. Corint. 9. v. 25.

Gloria ambitio quantis se tradat calamitatibus.

Tertul. in Scorp. c. 6.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

R. P.
DIDACI
DE CELADA
IN
TOBIAM
Pars Altera.

LIBRI TOBIÆ PARS ALTERA.

SYNOPSIS CAPITIS OCTAVI.

Tobias post geniale conuiuium thalamum ingressus, obsecutus Raphaëlis monitis, partem iecoris piscis assat, cuius suffitu Asmodæum eliminat: quem procul in Ægypti a solitudine Angelus adligat. Et postquam nouus vterque coniux vsque ad multam noctem orationem protraxisset; & Raguel oppleßet, quam ad sepulchrum aperuerat fossam, in qua Tobiam conderet, siquid ei funestum accideret, per ancillam exploratricem vtriusque incolumitatem pernoscens, gratias Deo lætanter agit, lautúmque apparat conuiuium, amicos & notos hilariter conuocans. Mox bonorum medietatem dotis nomine nouis coniugibus assignat; & quod erat in censu reliquum, tabellis scriptis consignatísque legitimè spondet, post obitum hereditariè obtinendum.

CAPVT OCTAVVM.

1. POSTQVAM verò cœnaverunt, introduxerunt iuuenem ad eam.
2. Recordatus itaque Tobias sermonum Angeli, protulit de cassidili suo partem iecoris, posuítque eam super carbones viuos.
3 Tunc Raphaël Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Ægypti. 4. Tunc hortatus est virginem Tobias, dixítque ei: Sara, exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & secundum cras: quia his tribus noctibus Deo iungimur: tertia autem transacta nocte, in nostro erimus coniugio. 5. filii quippe sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi, sicut gentes quæ ignorant Deum.
6. Surgentes autem pariter, instanter orabant ambo simul, vt sanitas daretur eis.
7. Dixítque Tobias Domine Deus patrum nostrorum, benedicant te cæli & terræ, maréque & fontes, & flumina, & omnes creaturæ tuæ, quæ in eis sunt. 8. Tu fecisti Adam de limbo terræ, dedistíque ei adiutorium Heuam. 9. Et nunc Domine tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam coniugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum. 10. Dixit quoque Sara: Miserere nobis, Domine, miserere nobis, & consenescamus ambo pariter sani. 11. Et factum est circa pullorum cantum, accersiri iussit Raguel seruos suos, & abierunt cum eo pariter vt foderent sepulchrum. 12. Dicebat enim: Ne fortè simili modo euenerit ei, quo & cæteris illis septem viris, qui sunt ingressi ad eam.
13. Cúmque parassent fossam reuersus Raguel ad vxorem suam, dixit ei. 14. Mitte vnam ex ancillis tuis, & videat si mortuus est, vt sepeliam eum antequam illucescat dies. 15. At illa misit vnam ex ancillis suis. Quæ ingressa cubiculum, reperit eos saluos & incolumes secum pariter dormientes. 16. Et reuersa, nuntiauit bo-

nem nuntium: & benedixerunt Dominum, Raguel videlicet & Anna vxor eius.
17. & dixerunt: Benedicimus te Domine Deus Israël, quia non contigit quemadmodum putabamus. 18. Fecisti enim nobiscum misericordiam tuam, & exclusisti à nobis inimicum persequentem nos. 19. Misertus es autem duobus vnicis. Fac eos Domine pleniùs benedicere te: & sacrificium tibi laudis tuæ & suæ sanitatis offerre, vt cognoscat vniuersitas gentium, quia tu es Deus solus in vniuersa terra. 20. Statímque præcepit seruis suis Raguel, vt replerent fossam, quam fecerant, priusquam elucesceret. 21. Vxori autem suæ dixit vt instrueret conuiuium, & præpararet omnia, quæ in cibos erant iter agentibus necessaria. 22. Duas quoque pingues vaccas, & quatuor arietes occidi fecit, & parari epulas omnibus vicinis suis, cunctísque amicis. 23. Et adiurauit Raguel Tobiam, vt duas hebdomadas moraretur apud se.
24. De omnibus autem, quæ possidebat Raguel, dimidiam partem dedit Tobiæ, & fecit scripturam, vt pars dimidia, quæ supererat post obitum eorum: Tobiæ dominio deueniret.

§. CCXCVIII.

Commentarius litteralis.

Vers. 1. Postquam verò cœnauerunt, introduxerunt iuuenem ad eam.

1. *Postquam verò cœnaverunt.*] Nuptiali cœnâ peractâ, de qua cap. præced. sermo factus est, *Introduxerunt iuuenem ad eam.* Introductus est Tobias ad Saram in nuptialem thalamum. Hinc Sanctius, quem sequitur Mauden colligit, Saram in geniali illa cœna non accubuisse pariter cum sponso, & patre, & aliis viris; sed cum matre, & fœminarum cœtu locum habuisse separatum, in quo sumeret genialem cœnam, quâ peractâ deductus est adolescens ad sponsam. Cæterùm esto, id verum sit, (tametsi à nobis improbatum est §.... num. 9. ex verbo autem *introduxerunt* inidoneè colligitur; non enim introductus est Tobias in cubiculum tricliniare, sed in thalamum. Et licet pariter cœnaverint, cùm ex his qui vnà mensis accubuerunt, vnus Tobias ad secretum & nuper præparatum cubiculum tanquam maritus ad vxorem *introductus* fuit; rectè sacer Historicus dixit, quòd cœnâ peractâ *introduxerunt* iuuenem ad eam. id est, Tobiam recens vxoratum, ad Saram propriam iam vxorem. Nec loquendi modus significat diversum ad cœnandum, sed ad cubandum locum.

Sanct. ibi. n. 1 Mauden in Paraphrasi.

Quid sit Tobiam introduci ad Saram.

Vers. 2. Recordatus itaque Tobias sermonum Angeli, protulit de Cassidili suo partem iecoris, posuítque eam super carbones viuos.

2. *Recordatus itaque Tobias sermonum Angeli.*] Nam Tobias etsi itinere fatigatus, & optatis nuptiis lætus; temperantiæ adsuetus, non sic ventrem cibis oneraverat, vt liberam non servaret mentem ad ea, quibus à Raphaële instructus fuerat, vt Salianus, & Menochius adnotarunt. *Protulit de cassidili suo.* In confesso est apud omnes, *Cassidile* esse vas aliquod viatorium, in quo gestantur quæ ad victum spectant. Si Budæo fidem adhibemus, bulga, vel penicula fuit ad modum retis facta, sic appellata vel à *cassi*, quâ aucupes ac piscatores vtuntur, quasi opere reticulato contextum sit: vel à *casside* seu *cassida*, quâ ad capitis munimentum milites vti solitant. Communiter Interpretes alterutram, vel vtramque etymologiam adprobant. Græcus codex id omittit. Arabs pro *de cassidili suo*, exscribit, *de crumenta sua.* Translatio antiquissima Hispanica, *Lauera* vertit. Benè notat Sanctus quod *Cassidile est*, sacculus, pera, mantica, qualus, aut alia vasa ex spartea, viminea, palustrive materia, quibus gestantur, quæ ad victum, & leuiores vsus sunt necessaria. *Partem iecoris.* Biblia Complutensia & Regia, partem etiam *cordis* addunt. Nam supra c. 6. v. 5. *cor & iecur* pariter adservari iussa sunt ad Dæmones extricandos. Tametsi de iecore duntaxat & hîc & illic Hebræus textus mentionem faciat, verosimilius est (vt notat Menochius) vtrumque fuisse adhibitum: Menochio adsentit Tirinus, adsentit & Salianus. *Super carbones viuos.* Hoc est, eam piscis partem super carbones cadentes Tobias posuit. Biblia Sixtiana sic exscribunt: *Sumpsit cinerem thymiamatum, & superposuit cor piscis & iecur, & fecit fumigare.* Complutenses & Regii codices, non re, sed verbis dissident.

Cassidilis significatio, & etymologia. Salianus. Menochius. Budæus de Asse.

Sanct. ibi.

Bibl. Comp. Regia.

Hebr. text. Menoch. ibi. Tirinus. Salianus. Bibl. Sixt.

Vers. 3. Tunc Raphaël Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Ægypti.

Tunc Raphaël Angelus apprehendit dæmonium.] 3.
Ex his sacri textus verbis constat dæmonem non expulsum naturali huius suffimenti virtute, qua super re copiosè agebamus supra §.... n... Græci codices habent: *Quando olfecit dæmonium odorem fugit in superiora Ægypti.* Indicat Hebræus textus, thalami ostium ad certam forsan egressionis ac fugæ suæ notam edendam, patuisse. Neque sic locus intelligendus est, vt eiusmodi suffimentum dæmonem vi sua duntaxat effugauerit, & iam effugatum Angelus religauerit. Sed iuxta suprà dicta, quod suffimentum vi morali dæmonem expulerit, non autem relegaverit. Vtrumque autem Angelus virtute sua physicè præstitit, & expulsionem ad eiusmodi suffimenti præsentiam, & alligationem in Ægyptia solitudine, pro suo, id est, Dei nutu: neque enim vllibi mentio fit, quòd fumus ex incenso pisce habuerit vim nisi ad extricandos dæmones, non ad procul relegandos. Vnde ad odorem fumi Angelus apprehendit Asmodæum, & illum illinc abduxit in superiorem Ægyptum, vbi eum alligavit. Idcirco Vulgatus vtrumque munus Angelo adscribit; quia alterum sine instrumento, cum instrumento alterum præstitit. Ait enim quòd in ipso Tobiæ & Saræ cubiculo *Raphaël Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Ægypti.* Exinde qui censent virtute fumi dæmonem fugatum esse absque Angeli opera; & iam fugatum, ab Angelo religatum

Græci codices. Hebræus apud Iustin. ibi.

Raphaël & eliminauit, & relegauit Asmodæum.

religatum fuisse, Græco textui, potiùs quàm vulgato adhærere videntur. *Tunc*, id est, vbi primum *olfecit dæmon odorem.* non quòd dæmon odoratu carens, olfecerit incensi iecoris odorem: sed quia vbi fumi odor olfactu sentiri potuit, tunc dæmon odorem illum mente percipiens, illinc abactus est ab Angelo.

4. *Angelus apprehendit dæmonium.*] Sicut nuper de *olfactu* locutus est, ita etiam *de apprehensione* adsimiliter figuratâ locutione fatur. Neque enim ad veritatem verborum opus est fingere, quòd Angelus humanâ specie apparentet corporatus; sic etiam corporatum dæmonem iniectâ manu violenter apprehenderit.

Quomodo dæmon religatus dicatur In Ægypti deserto *Et religauit illud,*] non quidem manibus, quod inane & inutile foret in adscititio apparenter corpore. Id autem Angelus præstitit imperio ac virtute sua. Nam vt docet S. Th. 1. p. q. 109. a. 4. boni Angeli etiam ex ordine infimissimo dæmonibus dominantur. De quo inibi Theologi copiosè agunt. (quod hîc non tam dicendum, quàm non omittendum erat.) Et quidem quantumvis compedes aut manicæ absint, ligari dicuntur alicuius manus aut pedes, cùm nô ad proprium nutum, sed ad alienum imperium moueri aut vagari sinuntur. Ita ad Raphaëlis imperium in Ægypti deserto dæmon religatur. De hac alligatione legatur Sanctius ad Iobi c. 1. v. 12. Quam alligationem aliqui Theologi in 4. dist. 44. & 50. tam esse acerbam Dæmonibus putant, vt eiusmodi alligationi infernalis gehennæ molestias adscribant. Plura qui volet de Asmodæi, & Dæmonum alligatione, consulat Serarium hîc. q. 7. & 8. (S. Thomas. — Theologi in 4. d. 44. — Serar.)

5. *Quis locus fuerit Ægyptus superior.* *In deserto superioris Ægypti*] Ad hujus historiæ capute 1. geminam bipartiri Galilæam adnotauimus: ita nunc Ægyptus dispescitur. Cuius ea pars quæ Australior est, & multiiugis montibus arduè edita, è qua Nilus effluit, & quæ perrarò aut nunquam cælestibus fovetur pluuiis; *superior Ægyptus* nominatur Hæc teste Ptolomæo, vocatur *Thebaïs*, cuius vastitatem, ariditatem, horrorem, & squalorem eruditè hîc tradit Serarius, qui hac super re vbertim. Qui putat illa Domini verba Matthæi 12. v. 43. *Ambulat per loca arida & inaquosa*, de hoc *superioris Ægypti deserto* intelligenda esse. Porrò cùm excantantur maligni spiritus ad istiusmodi tesqua & horrentia loca abigi solitant. Quandiu ligatus malus iste dæmon? Diuinabit sanè quisquis aliquid certò affirmauerit. Illud indubium, Saræ domum exinceps nunquam infestasse: nam ideò à Raphaële potenter abactus & religatus dicitur. Nec est verosimile post mille annos ibi perseuerasse, cùm Thebaïs tunc tot probatissimis Monachis & Eremitis sanctissimè exculta fuerit. Notare tamen hîc oportet, quòd licet Angelus Raphaël Asmodæi eliminationem præstiterit: tamen id præstitit ad præsentiam suffitionis ex fumante piscis corde & iecore, ob rationem suprà traditam §...n. 14. (Serar. hîc q. 9.)

Vers. 4. Tunc hortatus est virginem Tobias, dixítque ei: Sara, exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & secundum cras: quia his tribus noctibus Deo iungimur: tertiâ autem transacta nocte, in nostro erimus coniugio.

6. *Tunc hortatus est Virginem Tobias.*] Dæmone suffumigationis & Angeli operâ procul eliminato, Tobias memor eorum quæ ei nuper dixerat, totos tres dies orationi impendere satagit. *Virginem* vocat, quò innotescat, illibatam à septemillis viris salacissimis fuisse relictam, funesta singulorum strage maritalem congressum anteuertente. *Dixitque ei: Sara, exurge, & deprecemur Deum hodie*, &c. Vocula *exurge*, negotium facessit interpretibus, vt definiant, quam hic vim habeat. Fabianus Iustinianus censet, quod idem est, ac prompto & alacri animo exite. ita vt æquipolleat interiectioni, quâ alios ad opus excitare solemus. Sic Dauid post iniunctam Salomoni Templi fabricam: *Surge igitur*, inquit, *fac, & erit Dominus tecum.* Et Petro oranti cœlitùs dictum est: *Surge Petre, occide, & manduca.* Hoc est prompto & alacri animo exite ad tantum opus. Non negauerim Iustiniano τὸ *exurge* ambiguæ esse significationis & interdum more interiectionis significantiam sortiri, sicut *age, veni*, &c. quod ex contextu internoscendum est. Verùm Biblia Sixtiana ita hunc locum exscribunt: *Vt autem clausi sunt vtrique; surrexit Tobias de lecto, & dixit: Surge soror, & deprecemur, vt misereatur nostri Dominus.* Regia & Complutensia: *Ascendit Tobias super lectum, & dixit: Surge*, &c. τὸ *ascendit super lectum*, idem est ac surgere; nam dum aliquis desinit iacere in lecto, & exurgere iam incipit, à cubatione ascendit ad lecti caput. Quod explicatiùs tradit Vatabl. *Surrexit*, inquiens, *è cubili Tobias, simul & Exurge soror, inquit*, &c. Et statim: *Cùm ergo surrexissent vnà*, &c. Itaque cùm verbum *exurge* ambiguum sit, ex tanta reliquarum translationum consensione verosimilius apparet, post suffitionem iecoris aquaticæ belluæ, Saram in lectulo cubasse, quod disertè tradit Menochius. An in eodem lecto cum marito? variant interpretes, & alterutrum dubiè affirmant. Pauculi negant, vt vtriusque pudicitiæ consulant. Insolens autem videtur in tanta prolis auiditate Hebrææ gentis in ipso nuptiarum auspicio nouis coniugibus geminos apparari lectulos; tametsi suprà adnotauimus non statim post nuptias solitos congredi. Et sanè infrà v. 15. posteà inuenti sunt ab exploratrice ancilla, *secum pariter dormientes.* nam etsi τὸ *pariter* referri possit ad tempus, reliquæ iunctim voces, vtrumque in eodem lecto dormiisse sonant. Et mox dicitur: *Surgentes autem pariter.* (*Vocula exurge, ambigua significationis est.* — Iustin. ibid. — 1. Paral. 22. v. 16. — Actor. 10. v. 13. — *Tobias & Sara in eodem lecto pariter dormiunt toto illo triduo.* — Bibl. Sixt. — Vatabl. ibi. — Menoch. ib.)

7. *Deprecemur Deum hodie, & cras, & secundum cras.* Arabs ita vertit: *Vt oremus ad Deum hodie, & cras, & postridie.* Vatabl. *Tam hodie quàm cras & perendie.* Quod suprà monuerat Angelus c. 6. à vers. 18. *Quia his tribus noctibus Deo iungimur.* Arabs, *iungemur Deo.* Scilicet oratione, vt commentatur Iustinianus, & Menochius. quasi oratio sit velut aliqua nuptialis cum Deo coniunctio. Quæ litteraliter expositiorem moralem insigniter adornat. *Tertiâ autem transactâ nocte, in nostro erimus coniugio.* Vide quàm adamussim Tobias pareat Angeli monitis, quæ habentur c. illo 6. à v. 18. allegato. Hinc Euaristi Papæ non præceptio, sed adhortatio nouis coniugibus dicta: *Biduo, vel triduo orationibus vacent, vt bona soboles generentur, & Domino in actibus suis placeant.* Qua super re legi potest Serarius hîc quæst. 19. (Arabs. — Vatabl. — *Oratio est velut nuptialis cum Deo coniunctio.* — Euar. epist. 1 — Serar.)

Vers. 5. Filii quippe sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi, sicut gentes quæ ignorant Deum.

8. *Filij quippe sanctorum sumus.*] Hæc vox *sanctus* iterum

Sanctus accipitur pro eo, qui veram religionem colit. iterum redit c. 12. v. 1. & exposita est supra ad c. 2. v. 18. n. 9. Adnotare tamen oportet hîc accipi pro his, qui veri Dei cultum profitentur, licet moribus sancti non sint: nam *sanctos* opponit *Gentibus*, quæ verum Deum ignorant. & inde ad consuetudinem vxorum accedunt, *sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.* Exinde peridoneè colligit Sanctius priores illos septem Saræ maritos, quos in prima nocte, & ipso præcoquæ libidinis æstu Dæmon occidit, fuisse Gentiles; vel si Hebræi erant, à patria religione desciuisse, seu Gentibus non fuisse absimiles: nam antithesis adspectu ad illos videtur fieri. Filij quippe *sanctorum* sumus & ideò, non possumus ita coniungi, sicut *Gentes* quæ ignorant Deum; & idcirco cæco libidinis impetu, sicut equus & mulus, ad fœminas æstu salacissimo accedunt.

Sanct. inibi.

Vers. 6. Surgentes autem pariter, instanter orabant ambo simul, vt sanitas daretur eis.

9. *Surgentes autem pariter.*] Hinc confirmatur, quod nuper n. 6. diximus, Tobiam priùs è lecto surrexisse, & vt Sara pariter surgeret vrbanè & piè admonuisse. Nec adducat vt assentiam Iustiniano adserenti, vtrumque coniugem *surrexisse* animo ad orationem; aut è sella, in qua forsan sederant. Hoc non videtur satis solidum. Illud verbis sacri Historici aliqualem vim inferre videtur. Nam cùm Tobias Saræ coniugi dixerit: *Sara exurge, & deprecemur Deum;* & posteà subdatur: *Surgentes autem pariter, instanter orabant ambo simul.* Manifestè innuitur, non hortatum fuisse tunc, vt mente surgeret ad orationem, aut è sella surgeret, vt stans vel genuflectens oraret; sed vt è lecto exurgeret. Præsertim cùm id reliquæ translationes disertè tradant. *Instanter orabant ambo simul, vt sanitas daretur eis.* Pius vir piam adæquè vxorem facilè ad suum consilium adduxit: quæ vltrò acquieuit eius votis, animaduertens tunc de cognati & chari coniugis vita seriò agi, post tot nuper maritorum strages, quibus & ipsa probrosè *Instantia in oratione, est impetrationis fiducia.* infestabatur. *Instanter orabant.* Id est, multi erant in oratione, in eâque diu intentiùs perseuerabant, vt rem adeò cupitam feliciter impetrarent. Cùm autem dicitur, *Surgentes orabant*, non insinuatur, an stantes, an genu flexo orauerint. Vtro- *Iustinian. ib.* que enim modo Iudæos orasse alibi tradidimus, & hîc Iustinianus tradit. Tantùm enim indicat, è lecto ad orandum surrexisse. Idoneè dicitur, *In-* *Ad Rom. 12. v. 12.* *stanter orabant*, quod ad Romanos monet Paulus, aiens: *Orationi instantes.* Ad quæ verba adlu- *Greg. in septem Psalm. pœnit. apud Iustinian.* dens, inquit Gregorius: *Habes in hoc perseuerantiæ documentum, vt si primò non exaudiaris, ab oratione non deficias; imò precibus, & clamori insistas: vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci.*

§. CCXCIX.

Commentarius litteralis.

Vers. 7. Dixítque Tobias: Domine Deus patrum nostrorum, benedicant te cæli & terræ, maréque & fontes, & flumina, & omnes creaturæ tuæ, quæ in eis sunt.

QVemadmodum Tobias senior orationem suam à diuinis laudibus auspicatus fuerat supra cap. 3. ita Tobias iunior de schola boni patris benè institutus suæ orationi adsimili auspicio benè ominatur. Familiaris est sacris Bibliis prosopopæia, quâ mutæ, & insensibiles creaturæ ad diuinas laudes quasi vocali aspectu prædicandas, passim inducuntur. Psal. 18. sic pangit regius Vates: *Cæli enarrant gloriam*, &c. ad quæ verba ita scribit Chrysostomus: *Quomodo, ait, cæli enarrant gloriam Dei, dic mihi, vocem non habent, os non possident, ipsis non est lingua, quomodo igitur narrant? Per ipsum aspectum: cùm enim videris pulchritudinem, magnitudinem, celsitudinem, situm, formam, per tantum temporis perennare, tanquam vocem audiens adoras eum, qui tam pulchrum, & admirabile corpus creauit. Tacet cælum, sed ipsius aspectus vocem tubâ clariorem emittit per oculos, non per aurem docens:* quasi creaturæ spectatorum oculis pro lingua vtantur ad Dei laudes veriùs, & sumptuosiùs prædicandas: *Dominum Deum patrum suorum* aduocat: tunc quia inter Gentes ipse habitans, auitam religionem protestatur: tum etiam vt commemoret suorum parentum sanctitatem, diuinam erga ipsos beneuolentiam, & beneficentiam, & largiores beneficiorum sponsiones, in posteris adhuc adimplendas. 1. *Creaturæ spectatorum vtuntur oculis pro voce ad Dei laudes prædicandas.* *Psal. 18. v. 2.* *Chrys. ibi.*

Vers. 8. Tu fecisti Adam de limbo terræ, dedistíque ei adiutorium Heuam.

Cùm eò spectet Tobiæ oratio, vt à se, & ab vxore calamitatem auertat, quam septem alii viri funestâ successiuè strage subierunt; Deo proponit, se matrimonii auctorem fuisse, & Protoparentum pronubum; cùm Adamo de terræ limo recens formato, confestim Euam ei dederit in adiutorium ad sobolem procreandam: nam illis dictum à Deo est: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Quâ de re vbertim inibi Commentatores, quos curiosus Lector audire potest. Biblia Sixtiana ita præfata verba exscribunt: *Tu fecisti Adam, & dedisti ei adiutricem Euam firmamentum vxorem eius. Ex his natum est hominum semen. Tu dixisti non bonum esse hominem esse solum, faciamus ei adiutricem similem ei.* Syrus codex sic locum exponit: Tu fecisti Adam, dedistíque ei adiutricem Euam, *Et ab inter vtrosque natum est semen hominum.* Quasi dicat Tobias: legitimas nuptias ambio, quas tu sanxisti, & suasisti. Vox *Adam*, Hebraïcè אדם, idem est ac *homo* apud Latinos, quæ vtrumque sexum significat: hîc tamen pro homine è limo terræ formato, pro Adamo, inquam, indubiè accipitur. Pro *limo terræ*, Hebraïcè in Genesi scribitur עפר *aphar*, quâ voce puluis denotatur. Hic autem puluis non fuit purus, & dissipabilis; sed humore terræ compingibilis, quasi terra limosa. Plura, qui hac de re volet, adeat Geneseos Interpretes, ita inibi vel ad Lectoris nauseam multa congerunt, quæ si hîc digererem aliena eruditione hos Commentarios opplerem. Non ambio adducere quàm multa possem, sed quàm idonea ad extricandam, & clarandam sacri Historici sententiam, Sanctorum Patrum, & antiquorum Interpretum vestigiis inhærens. Non quantum capiat vtcumque textus, sed quantum textui satis sit, adducere exopto. 2. *Matrimonium à Deo institutur & suadetur.* *Gen. 1. v. 28.* *Vxor, viri firmamentum dicitur.* *Bibl. Sixt.* *Syrus.* *Gen. 2. v. 7.*

Vers. 9.

Verſ.9. Et nunc Domine tu ſcis, quia non luxuriæ cauſa accipio ſororem meam coniugem, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſæcula ſæculorum.

3. *Nuptiarum ſcopus.* Adhuc perſiſtit Tobias in oratione, Dei miſericordiam aduocans, vt immeriti ſupplicii acerbitatem auertat. Fateor, inquit, nuptias in eo, ſed quas tu in mundi exordio inſtituiſti. Sed neque in aliis, quæ matrimonia dehoneſtare ſoliſtant, eorum abuſu, quicquam à me peccatum eſt. Probat; quia iuxta legem accipit contribulem, & quidem cognatione proximâ (quod indicat *Sororis* nomen, de quo mox dicemus.) Neque æſtuantis libidinis fomite inſtigatus, quod ſeptem ſucceſſiuè maritis exitiale fuit. Sed poſteritatis cauſa, quem matrimonii ſcopum præfixiſti. Neque poſteritatem percupio, vt in numeroſo filiorum & nepotum grege inſolenter gloriari poſſim; ſed in quo *benedicatur nomen tuum in ſæcula ſæculorum.* Porrò ſicut in lege veteri ſterilitas probroſa erat, ſic fœcunditas ambitioſè turgebat inſolenti ſuperbiâ, quod Phenennæ aduerſus Annam arrogantia inſolens demonſtrat. 1. Reg. 1. (1. Reg. 1.)

4. *Vxores appellantur ſorores & quare.* Sororem appellat coniugem, quia conſanguinitate ei iuncta erat. Moris enim Hebræorum fuit conſanguineos amico *fratrum* nomine compellare. Quod adeò obuium, ac vulgare eſt, vt comprobare pudeat. Legi poſſunt huius loci Interpretes, præſertim Auguſtinus cuius verba Iuſtinianus refert. Addit Sanctius ex cap. 4. Cantic. ad illud: *Vulneraſti cor meum ſoror ſponſa*, &c. vxores etiam alienigenas, *ſorores* à maritis nominari ſolitas; cùm nuptiarum fœdere ſuam familiam abiurent, & in ſponſi familiam cooptentur. Conſulatur hîc Sanctius num. 12. & 13. & 14. (Sanct. hîc. & Cant. 4.)

5. *An olim matrimonia inter fratres cũ ſororibus vetita fuerint.* Itaque cùm Tobias hîc poſt nuptias Saram coniugem appellet *ſororem*; nonnulli ex nuperrimis Commentatoribus tractant, an olim licita haberentur connubia fratris cùm ſorore. Multi putant inter fratres non vterinos, nuptias quondam non fuiſſe vetitas. Ita S. Hieronymus de qq. Hebr. in Geneſ. ſuper cap. 20. Clemens Alex. 2. Stromat. & Gentianus ibi, Lipomanus in Caten. ad Geneſ. cap. 20. Dominicus Sotus lib. 2. de Iuſt. & iur. q. 3. Caietanus in Geneſ. cap. 11. & Oleaſter ibi, Abulenſis ibidem id probabile cenſet, cenſet & Salianus ad ann. mund. 2049. num. 7. Verùm oppoſita ſententia communior, & verior eſt. Patronos magnos cenſu numerat idem Salianus nuper allegatus, n. 8. agens de Abrahamo, & Sara. Rationem quâ hanc ſententiam olim in Commentariis ſuper Geneſi validè adſtruebamus, deſumpſimus ex ipſa Geneſeos hiſtoria. Porrò ſi matrimonia inter propriè *fratres* licita forent, neque Abrahamus cap. 12. apud Ægyptios, & cap. 20. apud Amalech Gerarorum Regem; neque Iſaac cap. 26. apud eius in regno ſucceſſores, fratris, & ſororis nomine, nomen mariti celare potuiſſet: ergo communis Gentium ſenſus fuit, matrimonia inter fratrem, & ſororem celebrari non poſſe. Poſſet enim quiuis dicere Abrahamo, & Iſaaco: eſto, Sara aut Rebecca ſoror tua ſit; quid ergo vetat, vt ſimul coniux habeatur? Et ſanè ſi inter fratres licita, & permiſſa forent connubia, in tanta inter eos conſuetudine à teneris annis, intuta nimis foret pudicitia. Neceſſitas excuſauit Adami filios, non potes. Quomodo autem Geneſeos 20. v. 12. Abraham appellauerit Saram, *Sororem* ſuam, petendum eſt ex dictis n. 4. Legatur ibi Pererius n. 19. Sat hæc libaſſe. τὸ *In ſæcula ſæculorum*, longiſſima tempora denotat, & quæ mentis proſpectui non patent. (Hieron. Clem. Alex. Gent. Lipoman. Sotus. Caietan. Oleaſter. Abulenſ. Salian. — Geneſ. 12. & 20. & 26. — Perer. ibid.)

Verſ.10. Dixit quoque Sara: Miſerere nobis, Domine, miſerere nobis, & conſeneſcamus ambo pariter ſani.

6. *Votum in oratione nuncupatum ab vxore, marito tribuitur.* Græci codices hanc Saræ precationem intermittunt; imò Tobiæ illam adſcribunt. Sic enim habent Biblia Sixtiana: *Præcipe miſerere mei, & ei conſeneſcere. Et dixit ſecum, Amen. Et dormierunt vtrique nocte.* Itaque textus Græcus hanc duntaxat voculam *Amen*, Saræ adtribuit, vt notat Salianus. Sed quid eſt, quod vxoris oratio marito adſcribitur? An tam arcto nuptiarum vinculo, *vterque* coniux vnus iam eſt, vt vel orationis vota, quæ vxor nuncupat, marito deputentur? Sed de hoc aliàs dum rem moralem tractabimus. *Conſeneſcamus ambo pariter ſani*, quod eſt ſolemne amicorum votum in nuptiarum congratulatione. (Bibl. Sixtian. Salian. ann. 3335.)

Verſ.11. Et factum eſt circa pullorum cantum, acceſſiri iuſſit Raguel ſeruos ſuos, & abierunt cum eo pariter vt foderent ſepulchrum.

7. *Secundus galli cantus habetur præcipuus.* *Et factum eſt circa pullorum cantum.*] Etſi gallus perſæpè in noctibus cantet, duo maximè tempora denotantur, quæ adſueto cantu præcipuè diſtinguit. Primò enim cantat in tertiæ vigiliæ auſpicio, hoc eſt, quando à media nocte Sol ad diem faciendum inclinare incipit: dein ab inchoatione quartæ vigiliæ, id eſt, tribus horis ante lucis exortum, Hic anthonomaſticè galli cantus ab vtraque eruditione nominatur: nam à ſomno homines excitat, & vt ad diurnum laborem ſe præparent, arcanè euocat, de quo legi poteſt Sanctius hîc n. 18. & 19. qui inde doctè exponit illud Marci 13. v. 35. *Vigilate ergo, neſcitis enim quando Dominus domus veniat, ſerò, an media nocte, an galli cantu, an manè.* Hinc rectè colligit vir eruditus, hîc ſermonem eſſe de ſecundo galli cantu. Fauet quòd illâ nocte multum temporis impenſum eſt in nuptiali cœna, in iecoris ſuffumigatione ad excantandum Dæmonem, & in prolixa vtriuſque coniugis oratione. Vnde veroſimiliùs videtur, quod poſt primum galli cantum, id eſt poſt mediam noctem, in lecto ſic cubuiſſe, quales exploratrix ancilla illos poſtmodum inuenit. Apud Græcos codices Gallorum cantus ſilet Arabs, *Propè galli cantum*, nempe eâ noctis parte, quæ inter gallicinium & diluculum media eſt. (Sanct. Marci 13. v. 35. — Arabs.)

8. *Acceſſiri iuſſit Raguel ſeruos, &c.*] Tametſi Raguel nuper dixerat: *Non dubito, quòd Deus preces & lachrymas meas in conſpectu ſuo admiſerit*; verùm quia res erat grauiſſima, & toties malè ceſſerat, funeſto ſeptem virorum fato, non mirum ſi vir prudens vacillauerit, & ſuo, ac filiæ honori conſultum maturè feſtinarit. *Et abierunt cum eo pariter, & foderunt ſepulchrum.* Nempe ſub gallicinium ſeruos ſuos acceſſit, qui ſepulturam effodiant, ſi fortè nouo marito aliquid fatale, ſicut & cæteris, ab infeſto Dæmone contigerit, vt cum mortuo corpore mortis cauſam tumularet. Syrus, (Tobiæ 7. v. 13.)

Syrus. *Et dixit filiis domus suæ, ite, facite sepulchrum in nocte.*

Et abierunt cum eo pariter, vt foderent sepulcrum.] Abiisse cum Domino serui dicuntur, vt fossam aperirent. Abire autem ille dicitur, qui procul ab aliquo loco abscedit. Et mox effosso iam sepulchro Raguel rediisse dicitur. Inde colligunt communiter Interpretes, sepulchrum extra vrbem paratum fuisse, saltem extra domum: quod satis efficaciter euincitur, præsertim cùm id in more positum fuisse apud Hebræos, notum sit.
Serar. q. 10. Bene hîc addubitat Serarius, an reliquos septem viros occultè Raguel sepelierit? & meritò negat: nam cùm illi sponsi essent noti, in illorum mortem à Magistratibus vtique inquisitum foret. Tobiam autem occultè humari voluit, quia hospes erat, alienigena, & ignotus; & inter paucos famulos sepulturæ negotium occultare poterat.

Vers. 12. Dicebat enim: Ne fortè simili modo euenerit ei, quo & cæteris illis septem viris, qui sunt ingressi ad eam.

9. Syrus. Ambr. l. 3 de Offic. c. 14. Addit Syrus codex: *Et si mortuus est, sepelite eum in monumento hoc, ita vt nemo sciat, & non sit nobis opprobrium.* Quibus verbis Raguelis animus explicatiùs aperitur. *Septem viris.* Sex tantùm Saræ viros Ambrosius numerat; ex hoc autem loco planè constat, septem nihilominus præter Tobiam fuisse; cùm Raguel timeat, ne Tobiæ accidat, quod *illis septem viris, qui ingressi sunt ad eam,*
Serar. in c. 7. q. 2. Iustin. hîc num. 3. Non adducar vt assentiam Serario, & Iustiniano asserentibus, hos septem Saræ viros fuisse illos septem fratres, seu cognatos, qui eandem duxerunt successiuè vxorem; de qua interrogarunt Sadducæi, cuiusnam eorum futura sit hæc vxor in resurrectione mortuorum.
Matth. 22. v. 24. *Sadducæi non meminerunt septem Saræ maritorum.* Porrò vt constat ex hoc loco, Sara non septem, sed octo maritos habuit: satísque ambiguum est, an fuerint Hebræi, an potiùs Gentiles: nec vel leuiter insinuatur, quod reliqui post primum, eam duxerint, vt defuncti fratris, aut cognati semen suscitaret. Nec, opinor, Sadducæorum intererat, vt res ita cum Sara aliáve fœmina accidisset, cùm aliquando cum pluribus, persæpè cum paucioribus viris id ipsum in dies apud Hebræos contingeret. Septenarius autem numerus pro pluribus solet accipi. Quod si Sadducæorum interearat; vt *septem* omninò forent; parum idoneum exemplum attulissent, cùm octo nihilominus maritos Sara numerarit.

---

§. CCC.

Commentarius litteralis.

Vers. 13. Cúmque parassent fossam reuersus Raguel ad vxorem suam, dixit ei.

1. *Hebræi, & alienationes, extra vrbes cadauera sepeliebant.* GRæci codices pro τὸ *ad vxorem suam*, exscribunt, *in domum suam*: eodem planè sensu. Scilicet domum rediens, dixit vxori. Quod autem in more positum fuerit apud Hebræos, & apud alias Nationes, defunctorum cadauera extra vrbes sepelire, eruditio est nimis facilè parabilis.
Iustin. hîc. Legi potest Iustinianus in hoc loco num. 1. 2. qui ex cap. 19. Numer. rationem reddit, cur Hebræi extra vrbes sepulchra effoderint: videlicet ne legalem immunditiam contraherent. Itaque cùm dicitur, quod Raguel post effossum Tobiæ sepulchrum, domum *rediit*, hunc morem innuit, vt adnotabamus §. præcedenti num. 8.

Vers. 14. Mitte vnam ex ancillis tuis, & videat si mortuus est, vt sepeliam eum antequam illucescat dies.

Græci codices habent: *Mitte vnam ancillarum, & videant, si viuit.* Sic ad obsequium certatim eunt, vt vnam ancillam mittens, reliquæ vltrò 2.
pergant. Obseruatio ad rem ethicam, citiùs quàm ad litteralem spectans. Est enim enallage temporis, Hispanis etiam familiaris: *Enuiad vna de las criadas, que vean loque passa* Græcus: *Mitte quampiam ancillarum exploratum.* Et, vt habet Syrus, *cum pace*, id est, quietè, abscondite, sine strepitu; vt ego tumultum auertens, *sepeliam eum antequam illucescat dies.* Nimirum Raguel vrget opus, vt Tobiæ corpus procul arbitris sepulturæ mandetur.

Vers. 15. At illa misit vnam ex ancillis suis. Quæ ingressa cubiculum, reperit eos saluos & incolumes secum pariter dormientes.

Vers. 16. Et reuersa, nuntiauit bonum nuntium: & benedixerunt Dominum, Raguel videlicet & Anna vxor eius.

Mittitur exploratrix ancilla, quæ videat, an nouus sponsus Tobias obierit, sicut reliqui hactenus Saræ mariti. Sed quo pacto in multæ noctis densis tenebris id explorare potuit? Insolens non foret, si noui coniuges funestarum cædium conscij, nec prorsus exempti metu stagis non absimilis, lucernâ consolarentur timorem, aut præcauerent periculum: nam tenebræ metum exaggerant; lucis armis vmbrarum spectra exarmantur. Et quidem ancilla quamuis sagacissima, absque luce explorare certò non potuit, fuisse *saluos & incolumes, secum pariter dormientes.* Verùm Syrus codex sic locum exscribit & expo- 3.
nit: *Et misit Anna puellam, quæ aperuit portam cubiculi, tenens lucernam in manu sua.* Sà ibid. Syrus.

Secum pariter dormientes.] dicit *secum*, id est, *simul*, vt noster Emmanuël Sà notauit. Arabs & Syrus: *Saluos dormientes simul*, Hebræus, *Vnà dormientes in pace & tranquillitate.* Hebræus. Tametsi voculæ *pariter, simul, vnà*, possent ita accipi, vt significent eodem tempore: tamen ipse contextus insinuat in eodem thalamo dormiisse, ita quidem super lectum reclinati, vt nullâ ex eis, quæ nuditatem operiunt, veste nudarentur, vt communiter obseruant Interpretes. Sic vtriusque pudicitiæ toto illo triduo consultum est. Ergo ancilla præ gaudio exultans, insperatum nuncium Dominis suis quammaturè detulit. quod traditur hîc vers. 16.

Vers. 17. Et dixerunt: Benedicimus te Domine Deus Israël, quia non contigit quemadmodum putabamus.

Benedicimus te, Domine Deus Israël.] Nempe 4.
re propè desperatâ, postquam fossam ad sepulchrum

Deus benedicit homini, & homo Deo. crum aperuerat, audiens Raguel optatissimum nuncium, & ferè inopinatum, de Tobiæ incolumitate, subitò cum vxore in diuinas laudes lætitiâ delibutus erupit. τὸ *Benedicimus*, hîc sumitur

Luc. 2. v. 28. pro gratias agere. Sic Lucæ 2. *Benedixit Simeon Deum*, quia quæ sibi beneficè spoponderat, cumulatiùs impleuit. Itaque & homo benedicit Deo, & Deus homini. Dei benedicere, bona polliceri aut tribuere est: homo etiam benedicit Deo, quando illi beneuolum & gratum animum ostendit. Has, & alias *Benedictionis* in sacris literis acceptiones tradidimus in Præludio ad librum de *Benedictionibus Patriarcharum*, à num. 4. *Deo Israël* gratias agit, nempe Deo, quem eius parentes coluerunt. Porrò etsi alibi sæpè *Deus Israël* compelletur, præcipuè id faciendum erat, cùm Idololatris permixti essent, qui varia inanium Deorum nomina frequentiùs vsurpabant. Quare pius Raguel consultè præcauet, ne tantum beneficium ab alio, quàm ab Israëlis Deo, accepisse puretur; ne videretur gentilium idolis gratias agere. Nominatim autem dicitur *Deus Israël*, nam etsi Deus deitatis iure, omnium vniuersalim Deus sit: tamen quia ab Israële, & eius numerosa sobole, speciali cultu adorabatur, & ita se Deus persæpè in Bibliis nominat, ideò *Deus Israël* peculiariter nominatur. *Non contigit quemadmodum putabamus.* Septies enim expertus Raguel generorum strages funestas & fatales, mirùm non est si aspectu ad demerita sua, nuper concepta spes non parùm vacillaret, & prudenter in Tobia timeret, quod toties in aliis peruiderat. Gordonus

Gordon. ibi. bene exponit τὸ *Putabamus*, id est, suspicabar.

Vers. 18. Fecisti enim nobiscum misericordiam tuam, & exclusisti à nobis inimicum persequentem nos.

5. *Fecisti enim nobiscum misericordiam tuam.*] Eliminando scilicet Asmodæum Dæmonem, qui tot tragœdiis nos, domúmque nostram dirè infestabat, funestis virorum stragibus, & filiæ nostræ ineluctabili infamiâ, Dei misericordiam appellat,

Diabolus appellatur inimicus. quia magnam, & Deo dignam. *Et exclusisti à nobis inimicum persequentem nos.* Experientiâ ipsa exploratum, sicut hominum corpora, ita etiam & quasdam domos à Dæmonibus obsideri & infestari. Infestabatur ergo Raguelis domus, à quo tempore salaces illi septem Saræ mariti eius nuptias ambibant. Nec putauerim fore, vt Raguel infestum fugeret Asmodæum, si domicilium aliò transmigraret, nam Dæmonis exitialis riualitas Saram innuptam & illibatam Tobiæ seruabat

Matt. 13. v. 39. peruerso officio quod innuitur suprà cap. 3. v. 19. *Et exclusisti à nobis inimicum.* Hominis *inimicus* appellatur Dæmon, non quia ille solus inimicitias cum eo gerat, alii enim homines se etiam aduersarios exhibent: sed quia multimodam pertinaciter hostilitatem aduersus homines agat, magnâ corporis & animi pernicie. Ita appellatur Matthæi 13. v. 39. Vulgaris est hæc eruditio, & in Bibliis ac priscis Scriptoribus obuia, & quàm in ethicis paragraphis ad mores infrà adornabimus. Legi interim potest Iustinianus hîc num. 5.

Vers. 19. Misertus es autem duobus vnicis. Fac eos Domine pleniùs benedicere: & sacrificium tibi laudis tuæ, & suæ sanitatis offerre, vt cognoscat vniuersitas gentium, quia tu es Deus solus in vniuersa terra.

Misertus es autem duobus vnicis.] Nullus siquidem angor, & dolor parentes adæquè infelicitat, quàm vnigeniti fatalis calamitas, quod traditur Ieremiæ 6. v. 26. & Zachariæ 12. v. 10. Syrus habet: *Misertus es duobus vnicis, & patribus eorum.* 6. *Iere. 6. v. 26. Zach. 12. v. 10. Syrus. Arabs.*

Fac eos Domine pleniùs benedicere te.] Arabs, *Vt benedicant tibi abundantiùs.* Porrò familiare est sanctis viris, vt dum gratias agunt pro acceptis beneficiis, aut accipienda postulant; ea non ad proprium commodum, sed ad honorem largitoris expetere. Hinc solemnis illa vox: *Da gloriam nomini tuo.* & aliæ adsimiles, quæ in Bibliis passim leguntur. *Et sacrificium tibi laudis tuæ, & suæ sanitatis offerre.* Putat Sanctius *sacrificium laudis*, quod *Sanct. ibi.* offerendum esse dicit à genero, & filia, esse illud quod vocatur pacificum, & quod pro felici successu, vel obtento, vel obtinendo offerri solet, quod etiam gratulatorium dicitur, vel gratiarum actionis, de quo agitur Leuit. 3. & 7. & apud Ri- *Leuitic. 3.* beram de Templo, lib. 4. cap. 4. Verùm cùm pro- *Ribera.* cul absint à Dei templo, in quo duntaxat poterant eiusmodi sacrificia offerri, iuxta Leuitici 17. v. 2. & 3. non apparet verosimile, id quod videbatur impossibile, votis apprecari. Præsertim cùm vox *sacrificium*, persæpè in Bibliis pro operibus *Quid nomine sacrificii significetur?* quibusdam piis accipiatur. Psalm. 46. & 50. ad *Psalm. 46.* Roman. 12. & ad Hebræos 13. legatur Augustin. *Ad Rom. 12.* lib. 5. de Ciuit. Dei. quare hîc *sacrificii* nomine, *Ad Hebr. 13.* gratiarum actionem, & pia incessanter opera in *August.* genero, & filia votiuè expostulat. *Vt cognoscat vniuersitas Gentium, quia tu es Deus solus in vniuersa terra.* Poterant enim verum Israëlis Deum cognoscere Gentiles ex speciali prouidentia erga Tobiam & Saram, quos abacto omnipotenter Dæmone infestissimo, feliciter liberauit, & in miraculosa liberatione insignes suæ diuinitatis, potestatis, & prouidentiæ notas edidit: quod reuulgata cunctis colligere, procliue erat.

Vers. 20. Statímque præcepit seruis suis Raguel, vt replerent fossam, quam fecerant priusquam illucesceret.

Post gratiarum actionem, cùm res nuptialis hactenus funesta, in pacato iam esse comperit Raguel, forsan ante lucem oppleri iubet nequod superioris cautelæ maneat vestigium. Syrus codex sic locum exscribit: *Dixit pueris suis: ite, abscondite, sepulchrum, antequam exeat Sol.* Biblia Sixtiana: *Iussit autem famulos exaggerare sepulcrum.* Quoad litteram attinet, idem est sensus: nam aggerem supra fossam extruere, idem est, ac sepulchrum abscondere: modus autem loquendi ad rem moralem sacramento non vacat. 7. *Idem est sepulchrum abscondere, ac illud exaggerare. Syrus. Bibl. Sixt.*

Vers. 21. Vxori autem suæ dixit vt instrueret conuiuium, & prepararet omnia, quæ in cibos erant iter agentibus necessaria.

Vxori autem suæ dixit, vt instrueret conuiuium.] 8. Scilicet maritus de more rem domesticam vxori committit. Syrus: *Et ait vxori suæ: Præpara panem* *Syrus.* *multum.* Frequens est in sacris litteris vt *panis* nomine reliqua etiam edulia denotentur. Quod autem nuptiæ conuiuiis celebrentur, obuium est. Legatur

Struchius. Legatur Struchius Antiquit. conuiual. lib. 1. c. 24.

Et prepararet omnia, quæ in cibos erant iter agentibus necessaria. Quinam sunt hi, qui iter acturi sunt? & quonam ituri? Dionysius Richel putat, quòd Raguel loquitur de seruis, quos mittere intendebat ad Gabelum, qui chirographum deferrent, & debitam pecuniam acciperent: nolebat enim vt Tobias iret. Hugo, & Iustinianus censent sermonem esse de itu in Niniuem: sciebat enim filiam & generum non post multos dies inde profecturos: cúmque olim in vsu non forent diuersoria, necesse erat, vt iter agentes secum cibos deferrent ad viaticum. Quod ex Serario latè inibi tradit Iustinianus. Perplacet Sanctius, cui adsentit Menochius, qui existimat, Raguelem hîc loqui de præparatione ciborum ad iter in Rages ciuitatem Medorum, vbi tunc agebat Gabelus, à quo erat exigenda pecunia, & idem ad nuptias accersendus. quò proculdubio pergeret Tobias, nisi Azarias (Angelus inquam) longo hactenus experimento fidus comes expertus, eo labore Tobiam liberasset, cùm illud in se negotium recepisset, vt intereà dum coniugalia sacra celebrantur, & Tobias nuptialibus indulget deliciis ipse à Gabelo pecuniam exigeret, & secum ad lætitiæ societatem adduceret. Qui tamen venir ante peractos septem nuptiarum dies. Nec forsan Tobias alteri quàm Raphaëli chirographum crederet, & negotium adeò graue, & cuius causâ tot labores longi & periculosi itineris susceperat, alterius fidei permitteret. Et sanè cùm quatuordecim, & eò ampliùs dies, Raguel moliretur domi retinere filiam cum genero; cúmque paranda erant, quæ ad tot nuptialia conuiuia, & ad perfectionem in Rages (quisquis iter acturus esset) necessaria essent; tam festinatò agere de reditu in Niniuen, quem sedulò cunctari studebat, verosimile non videtur. Vnde non placet Salianus, qui de itu ad Rages, & reditu ad Niniuen, agi putat.

(Margin: Dionys. ibi. *Ad quod iter viaticum præparetur.* Hugo inibi. Iustin. ibid. num. 2. Sanct. ibi. n. 30. Menoch. *Cibi parantur ad itum in Rages.* Salian. ann. mun. 3325. num. 45.)

Vers. 22. Duas quoque pingues vaccas, & quatuor arietes occidi fecit, & parari epulas omnibus vicinis suis, cunctísque amicis.

9. Syrus habet: *Duos tauros, & quatuor masculos arietum.* Quod satis indicat Raguelis domum fuisse locupletem. Hinc modum in conuiuiis præstruit Iustinianus: Raguelus quippe sic in nuptiali epulo modum tenuit, vt nec auaritiæ sordidè studuisse putetur, nec immoderatâ luxuriâ sumptuosius effluere.

(Margin: Syrus. Iustinian. ibid.)

Vers. 23. Adiurauit Raguel Tobiam, vt duas hebdomadas moraretur apud se.

10 *Adiurare* est, Dei nomine, & numinis religione interpositâ, aliquem ad aliquid præstandum obstringere: siue is qui adiuratione vrgetur, illud facere spoponderit, siue secùs; siue iureiurando ad id præstandum adstrictus sit. Exempla passim in Bibliis occurrunt. Matthæi 26. v. 63. & Marci 5. vers. 7. adiuratio inuenitur absque vlla præuia Christi iuratione aut sponsione. Et Genesis 24. v. 37. & cap. 50. v. 5. adiuratus dicitur is, à quo adiuratio promissionem cum iuramento extorsit. Vnde Sà sic locum exponit: Adiurauit Raguel Tobiam, id est, coëgit iurare, vel ab eo precibus extorsit. Sanctius verò, & Salianus existimant, Tobiam à Raguele adiuratum, iurasse etiam duas illas hebdomadas apud socerum peractum antequam vxorem in Niniuen aueheret. Oppositum apparet verosimilius: nam verbum *adiuro* id non semper significat, vt liquidò constat ex illo loco Matthæi 26. & Marci 5. vbi à summo Pontifice, & à Dæmone *adiuratur* Christus, qui nullum tunc iuramentum nuncupasse legitur. Nec contextus id exigit, nec Latina translatio, (vt putat Sanctius) Quia sicut Pontifex Christo dixit: *Adiuro te per Deum viuum*, & tamen Christus non iurauit, etsi adiuratus fuit: sic etiam & hîc sacer Historicus dicere potuit, *Adiurauit Raguel Tobiam*, quin Tobias aliquo se iuramento obstringeret. Et quidem cùm in Vulgato aliquis locus anceps & obscurus est, non exiguam facem illi reliquæ Translationes accendunt. Biblia autem Sixtiana sic locum exscribunt: *Et dixit ei Raguel, antequam consummarentur dies nuptiarum, cum iuramento non exire eum, nisi completi fuerint quatuordecim dies nuptiarum.* nec dissentiunt Biblia Complutensia, & Regia, vbi nulla mentio Tobiam iuramenti: tantùm enim dicitur, Raguelem iurasse, quòd Tobias non exiret inde. Super hoc verbo *adiurare*; cap. 9. plura adducentur. §.... n.... Et sanè apud profanam literaturam, *adiurare*, est vehementer iurare. Duas hebdomadas. Tametsi vna duntaxat hebdomada impendi soleat in genialibus nuptiarum epulis; (quod obuium est in sacris literis) at duplicata lætitia & nuptiarum & expulsi dæmonis, festa epithalamica iure geminat, ad vberioris gaudii ostentationem. Ita Salianus & Menochius.

(Margin: *Quid adiurare significet?* Sà ibidem. Sanct. ibid. num. 32. Salian. ann. mun. 3335. num. 45. Biblia Sixt. Bibl. Comp. & Regia. Salianus. Menochius.)

Vers. 24. De omnibus autem, quæ possidebat Raguel; dimidiam partem dedit Tobiæ; & fecit scripturam, vt pars dimidia quæ supererat, post obitum eorum Tobiæ dominio deueniret.

Syrus codex ita locum exscribit: *Dimidium opum nunc sume, & dimidium postquam mortuus fuero.* Scilicet cap. 7. v. 16. Raguel scripturam fecerat, quâ connubiale fœdus conscriptum & obsignatum fuerat, nulla facta dotis mentione. quasi Tobias ambierit ducere Saram; non Saram prædiuitem, & opulentâ dote locupletem: exinde celebratis iam nuptiis, dotem socer de nutu assignat. Assignat autem omnium bonorum quæ possidet, dimidiam partem statim genero tradendam; & quod residuum in censu superest, post vtriusque Saræ parentis obitum Tobiæ obuenturum. Quam dotis tabellam ritè obsignat, quò restarum omnibus sit filiam cum genero iam tunc ex asse heredes institui. 11.

(Margin: *Quid dotis nomine Sara acceperit?*)

---

§. CCCI.

Quàm sit vxorium iugum maritis pergraue.

Gentium Doctor de cæli gymnasio eruditus, in Epist. quam ad Corinthios scribit, totam in ea erudiens Ecclesiam, nuptiis prætulit cœlibatum. *Existimo*, inquit, *hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic* 1.

sic esse. Instans hæc necessitas, sunt ærumnæ, angustiæ, calamitates, à quibus virginitas exempta est, & quæ coniugatis duriùs impendent. Nempe (vt inibi exponunt Ambrosius, Anselmus, Chrysostomus, Theophylactus) vrgens rei vxoriæ difficultas, molestia, afflictio, onera & tædia vteri, partionis dolores, educatio liberorum, curæ, timores, zelotypia, rixæ familiares, familiæ apparatus, opum, affinitatum, statuum curandorum & augendorum sollicitudo, mariti dominatio, bilis, nausea, ægritudo, paupertas, prodigalitas, diffamia, orbitates, & ex his perpetua animi distractio & angor, & circa hæc incessanter occupatio. Quæ omnia Apostolus infrà appellat *tribulationem carnis*, quam coniugij voluptati tempestiuius opponit. Vnde addit: *Alligatus es vxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem*. Quæ Pauli verba exponens Hieronymus, ita contra Iouinianum scribit: *Qui vxorem habet, & debitor dicitur, & seruus vxoris; & (quod malorum seruorum est) alligatus*. Nempe seruilis est maritorum conditio, & grauis vxoribus famulatus. Mancipia iure Gentium, seruitia dominis præstant; maritus autem nuptiali vinculo, vxori, tanquam *malus seruus alligatur*. O sæpè durissimam & pœnalissimam vxoribus debitam seruitutem! Tobias senior coniugi asperioris ingenij alligatus fuit; iunior verò Tobias ei cuius maritos Dæmon atrociter infestabat.

Maritus vxori, tanquã malus seruus alligatur.

1. Corinth. 7. v. 27

Hier. l. 1. cõtra Iouin.

Hic vers. 1.

2. Geneseos 2. ad recens efformatum Adam, occultâ quadam tesserâ ducta feruntur animalia; sub specie quidem expetendorum nominum; reuerâ autem, vt ipsa comparibus adsociata, Adamo ingererent comparis desiderium. *Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius*. Exin sopore ad sensuum stuporem immisso, ex vna è costis viri fœmina ædificatur ad ruinam Adami. Verùm illa verba, quæ paulò ante scripta sunt: *Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi*. ita nonnulli ex Hebræa origine transcribunt: *Faciamus ei adiutorium ex aduerso eius*. Adiutorium est, & stare ex aduerso dicitur: ô adiutricem hostilitatem! Adiutorium est ad prolem generandam, hostis ad interturbandam pacem, & domestica bella inimicè excitanda, & *adiutorium ex aduerso eius*. Matthæi 19. cùm Christus Deus de non dimittenda vxore nouum sanxisset edictum, *Dicunt ei discipuli eius: Si ita est causa hominis cum vxore sua, non expedit nubere*. Graue pondus vxor est, quod deponere non licet. Quid si iracunda sit, si litigiosa, si leuicula, si non bonis adsueta moribus? ô domesticas lites! ô fœda iurgia! *Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere*. Ad quæ verba, hæc subdit Chrisostomus: *Leuius est contra concupiscentiam præliari, & contra se ipsum, quàm ad mulierem malam*. Nempe idcirco quis vxorem ducit, & propriam libertatem cum vxoria seruitute commutat, vt libidinis fomitem interstinguat, & concupiscentiam sedet: sed viderit, qui mulierem malam ducit, quod dum *adiutorium ex aduerso eius* eligit; esto, libidinis concupiscentiam frænet; *leuius* tamen *est contra concupiscentiam præliari, & contra se ipsum, quàm ad mulierem malam*. Quid, vt leuiorem concupiscentiam excitias, grauiorem lacessis? vt pacem habeas cum Venere, quid Martem prouocas? leuior pugna cum libidine est, quàm cum muliere non bonâ, iracundâ, iurgiosâ. Quid grauius prælium leuiori redimis, inæquali ærumnarum commercio? *Leuius est contra concupiscentiam præliari, quàm ad mulierem malam*.

Gen. 2. v. 18.

Cornel. ibi.

Matth. 19. v. 10.

Leuius est cõtra concupiscentiam præliari, quam ad mulierem malam.

Chrysost. homil. 63. in Matth.

3. Vel aliter. *Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere: leuius enim est contra concupiscentiam præliari, & contra se ipsum, quàm ad mulierem malam*. Graue est bellum contra concupiscentiam, sed grauius contra fœminam. Exinde de cunctis hostibus acriori hostilitate aduersis, triumphum agit, qui fœminam & concupiscentiam vincit. Hildebertus Turonensis ad quandam virginem, quæ dura concupiscentiæ prælia votiua continentia susceperat, ita eleganter scribit: *Memineris ab eis longè fieri, quarum vicinia importunum, & procax lenocinium est:* (id est, Tu fuge à re: tu enim periculum tibi molitis) *sub hoc virtuti difficilè prouidetur. Illud attendere frequentius masculæ mentis robur effeminat: neminem inueneris cum quo sit periculosius congredi: huiusmodi hostis meliùs fugâ, quàm certamine superatur*. (Pende diligentiùs verba, quæ subdit) *Caro & mulier, cumulata infirmitas. De omni hoste simul triumphat, cui datur de carne & fœmina triumphare*. Sic est difficile de carnis concupiscentia, quæ ad libidinem æstuat, & de muliebri ingenio, quod ad lites & iurgia hiat, pacis reportare victoriam, concordiæ domesticæ trophæa erigere, & de obortis passim simultatibus triumphum agere. *De omni hoste simul triumphat, cui datur de carne & fœmina triumphare*.

Matth. 19. v. 10.

S. Chrys. sup.

De omni hoste triũphat, cui datur de carne & fœmina triumphare.

Hild. ep. 56.

Virgo periculosum secum gerit bellum.

4. Geneseos 16. bona fœmina, & mariti peramans Sara fuit; & Abrahamus spectatæ sanctitatis vir: & tamen ex occasione insolescentis vtero Agaris, querulus extitit domi tumultus. *Dixitque Saraï ad Abram: Iniquè agis contra me: ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns quòd conceperit, despectui me habet. iudicet Dominus inter me, & te. Cui respondens Abraham: Ecce, ait, ancilla tua in manu tua est, vtere eâ vt libet*. Valde grauis, & parum vrbana querela, & quæ inconstans & querulum fœminarum ingenium prodit. *Mulier* (ait inibi Chrysostomus) *numquid ipse ad ancillæ congressum festinauit? A te persuasus, & tuo mandato obtemperans, hoc tandem fecit. Quâ te iniuriâ maritus affecit? Quare iniustitiam improperas? Da improuidum & leuem maritũ*, (pergit Ambros.) *qui morigerari nesciat, & diuortij causas Sara exhibet*. Inde prælustrissimis laudibus Abrahami prudentia passim cõmendatur, quæ domesticæ concordiæ sumptuosiùs studuit. Ecce (ait Abraham) *ancilla tua in manu tua est, vtere eâ vt libet*. Ancilla quidem est Agar, sed vera vxor, etsi secundaria: ancilla quidem, sed quæ vterum gerit, & prænobilem Patriarchæ sobolem in ventre gestat; prolem inquam, improli hactenus Abrahæ auidè expetitam. Et tamen quasi hæc leuia forent, Saræ coniugi Abrahamus conniuet, *vt iurgia tollat auara*, ait Claudius Marius Victor. Profundè coniugium iurgia appellat *auara*, *auara* inquam, opum: nam vbi pax non est, diuitiæ dilabuntur: *auara* gaudij, *auara*, concordiæ, *auara*, pietatis: nil enim ex his floret inter domesticos tumultus. Quin & coniugatorum *iurgia auara*, dicuntur, id est, sterilia & infœcunda: (sicut terra sterilis, *auara* dicitur) nam discordia, & iurgium inter coniuges, aut steriles inuenit, aut facit.

Gen. 16. v. 5. & 6.

Chrysost. ibidem.

Ambr. apud Catenam ibi.

Iurgia inter coniuges, sententiis dicuntur auara.

Claud. Marius lib. 3. in Gen.

5. Iobi 2. *Dixit autem illi vxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, & morere*. (eadem propè dixeris de vxore Tobiæ, qui in hoc etiam beato Iobo à Scriptura comparatur) Oppressit Diabolus filios & filias Iobi, qui condolere

Iob. 2. v. 9. Hic v. 12. & 13.

dolere poſſent: & vxorem reliquit, per quam illum oppugnaret; obtinere præſumens quod olim ab Adamo per Euam. Inde illam Nazianzenus vocat, *calamitatum cumulum, & plenum doli instrumentum.* atque aliis ſexcentis iſtiuſmodi elogiis eam Patres Græci onerant in Olympiodori catena. Addit Appollonius: *Hac mulier affinitate attingit Diabolum.* Verùm Origenes contemplatus Diabolum imporem cæteris machinis Iobi conſtantiam ſubruere, ſic eum loquentem opportunè inducit: *Confugiam*, inquit, *ad antiqua mea arma, per quæ Adam ſubductum ſupplantaui: ibi ſerpentem me induens ad Euam locutus ſum, deinde per Euam locutus Adam ſeduxi. Habet etiam Iob vxorem, quâ me induens ſubtiliter per illam eum ſeducam.* Ecce tibi nequam vxor eſt plenum Diaboli inſtrumentum, & calamitatum cumulus: habet enim de malitiæ exaggeratione affinitatem cum Diabolo: & qui induit ſerpentem vt Protoparentes ſubuerteret, vxorem nunc callidè induit, vt Iobum ſubruat. *Habet etiam Iob vxorem quâ me induens, ſubtiliter per illam eum ſeducam.* O non bonam boni mariti vxorem! *Cur te ipſam vas Diaboli effeciſti? cur te ipſam habitationem maligni preparaſti? cur Diabolus locutus eſt per os tuum, infatuans primùm mentem tuam, atque anima tua intellectum?* Verè facta es, *adiutorium ex aduerſo eius. Mulier*, (ait Chryſologus) *via mortis, ſepulchri titulus, inferni ianua, lamenti neceſſitas tota.*

Nazian. in or. in laud. Athanaſ. & in Catena. Appol. ibi. — *Origenes lib. 2.* — *Non bona vxor affinitatē habet cum Diabolo qui illam induit, vt facilius maritum ſeducat.* — *Orig. ſup.* — *Chryſol. ſerm. 79.*

6. Quàm grauatè ferat maritus quaſcumque vxoris noxas, etiam quæ contra fidem matrimonij non ſunt, in hoc verſ. 22. Tobias indicat, qui cùm audiret vxorem iurgia excitantem, & audaciùs obloquentem, quaſi impudicitiæ rea inueniretur, *erubuiſſe ad eam* dicitur. Nimirum noua matrimonij dogmata exponens Chriſtus Deus, Matthæi 19. ita fatur: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Ad quæ Euangeliſtæ verba hanc pulchellam quæſtionem excitat Origenes, cui bellam ſubtexit ſolutionem: *Si ſecundùm legem*, inquit, *adultera lapidatur, non ſecundum hoc intelligitur res turpis propter quam Moyſes permittit libellum repudij; neque enim in cauſa adulterij oportebat libellum dare repudij.* (nota quid Origenes huic dubio reſpondeat) *Sed forſitan Moyſes omnem culpam mulieris turpem rem appellauit.* Scilicet nil æquè ſauciat mariti animum, quàm vxoris delicta, quæ ſanctam matrimonij fidem impudenter proculcant: exinde quò dignè exaggeretur, quàm acerbè ferat maritus vxoris culpas, ex mente Origenis, *forſitan omnem culpam mulieris Moyſes turpem rem appellauit.* Hinc ad coniugis iurgia, quaſi ad rem turpem, conſultiſſimè Tobias *erubuiſſe* perhibetur, quò palam innuatur quàm grauiter ob vxoris culpas, mariti animus lancinetur.

Hic verſ. 22. apud text. Græc. — *Matth. 19. v. 9.* — *Omnis vxoris culpa, forſan res turpis appellatur.* — *Orig. tract. 7.*

7. Matthæi 19. cùm Chriſtus Deus indiſſolubilem matrimonij nexum explicatiùs tradidit, rudes tunc Apoſtoli, perpetuas nuptiarum moleſtias faſtidiosè exhorrent. *Dicunt ei Diſcipuli eius: Si ita eſt cauſa hominis cum vxore, non expedit nubere.* Tam citò faſtidiunt homines connubia, quibus tam ardenter inhiant, naturæ inſtinctu auidiùs æſtuante: Mallent nullam iam concupiſcentiæ voluptatem, quàm repudij priuilegio non expuendam, expertæ libidinis nauſeâ: Pulchrè Tertullianus fortè ad hunc locum tacitè alludens: *Prima felicitas*, inquit, *prima virginitas eſt, non noſſe à quo poſtea optabis liberari, in totum.* Sic optati connubij, ſic etiam venuſtæ vxoris nauſea inacreſcit poſt primos nuptiarum congreſſus, & expertas matrimonij moleſtias, vt virginitas connubij exsors, dicatur *prima felicitas*, quia connubium non noſcit, à quo quamcitò in totum *optabit liberari?* Sic eſt experientiæ tædioſum, quod tam apparet ſpebus delicioſum? *Si ita eſt cauſa hominis cum vxore, non expedit nubere.* Sic homo percupit nuptiarum iugum excuſſiſſe?

Matth. 19. v. 10. — *Quàm citò inacreſcit experti connubij nauſea.* — *Tert. de Exhort. caſt. c. 1.*

§. CCCII.

Inſipiens cognatâ ſtultitiæ obſtinatione, & ſuæ opinioni adhæreſcit, & conſilia ſapientum contemptim aſpernatur.

Sanitatis initium eſt, ſi qui laborat, ſentiat ſibi opus eſſe remedio. Qui adeò ſtolidus eſt, vt non videat quibus eget, proptere quod non credat ſe eſſe ægrotum; etiam ſi præſtò ſit qui medeatur, tamen recuſat, nec admittit curationem. Exinde inter corporum morbos pernicioſiores ſunt hi, qui ſui ſenſu vacant: id genus ſunt lethargus, amentia, morbus comitialis, & illæ potiſſimùm febres, quæ vitioſum humorem vehementer exacerbant, ac ſenſum velut in organo perturbantes, mouent chordas non mouendas mentium. Quapropter Medici concedunt quidem, vt ægrotet homo, at ita, ſi qui ægrotat, non ignoret ſe malè habere. Id quoque accidit in animi morbis. Nam ſtulti (omitto temulentos) etiam cùm deſipiunt, ſibi non videntur errare; ſed ſapienter & officiosè ſe facere putant: adeóque tenaces ſunt malè conſulti propoſiti, & ſic conſiliis ſuis pertinaciter hærent, quâdam ſtultitiæ obſtinatione, vt politiorem ſapientum peritiam, à vero exerrare, & planè deſipere, ſeriò cenſeant. Hinc ſtulti veros ſapientes fugitant, contemnunt, horrent, dum illis inuident, non ſapientiam, ſed ſapientiæ opinionem apud imperitum vulgus: eóſque acriùs vrit, quòd eorum opiniones & conſilia magni æſtimentur, ſua verò quaſi inidonea communiter habeantur. Inde ſtultitia, immedicabilis animi morbus iure cenſetur. 1.

Qui noſcit ſe ægrotare, curari poteſt: inde inſipientia, morbus immedicabilis eſt.

Sanctus Iob, & ſpirans patientiæ columna, veræ tunc ſapientiæ meta; ad plures alias vicis ſuæ calamitates mutus, de hac altè conqueritur, aiens: *Stulti quoque deſpiciebant me: & cùm ab eis receſſiſſem, detrahebant mihi.* τò *deſpiciebant* eleganter vertunt Septuag. interpret. *auerſati ſunt.* Propriè Hebraïzantes, *abominati ſunt.* Conqueritur igitur Iob ſe ab iniquis, petulantibus, & ſtolidè inſipientibus, per ſummam ſtultitiam, & irriſionem, contumeliis impudenter appeti, & contumelioſè deſpici: quia obſtinata eorum ſtoliditas, eius veram ſapientiam *deſpiciebat, auerſabatur, abominabatur*, quaſi nugacem & friuolam ſtultitiam. Audiendus eſt hac ſuper re Philo Iudæus, qui ſic profundè ad rem præſentem ſcribit: *Quid autem ſi hic quoque dogma introducitur valde neceſſarium? quòd omnis ſapiens ſtulti eſt redemptio mercéſque.* Sententioſè quidem de more Philo. Euulgetur, inquit, hoc dogma omnibus perneceſſarium, quòd *Sapiens eſt ſtulti redemptio,* 2. Iob. 19. v. 18.

Sapiens ſtulti eſt redemptio. — *Philo lib. de Sacrif. Abel.*

Sapiens stulti est merces seu damnum.

demptio, eum enim ignorantiâ redimit: *El sabio es la redempcion del ignorante.* Stultus autem redemptionis beneficio ingratus, illud insipienter ignorat; & dum plus putat se sapere, magis desipit. Sed explorare lubet aliam huius dogmatis propositionem ad thema præsens non inidoneam: *Sapiens Stulti est merces.* Nam stultus stultitiæ merito, sapientem prometetur, qui illum ab insipientia redimat? stipendium insipientis erit sapiens? Hoc dogma est, an ænigma? Ecquod meritum in insipientia est, quod mercedis loco sapientes acquirat, & sapientibus muneretur? Ego quidem putauerim cum Latinissimis, quòd τὸ *merces* hîc (vt aliàs persæpè) non significat præmium, sed damnum, detrimentum, & quasi pœnalissimum supplicium. Itaque *Sapiens stulti est merces*, id est, damnum, & detrimentum, & velut acerbum cruciamentum, quod stultus *auersatur*, & *abominatur*: nam cùm se putet vnicè sapientem, verè sapientes *contemnit*, eorúmque; opiniones, & consilia contemptim vilipendit, & execratur tanquam inconsulta, & à peritiæ regulis longè aberrantia. Porrò sicut Sapientis character est, nosse se parum scire; ita insipientis est elogium, putare se nihil ignorare, & reliquos in sui comparatione insipientes esse. Hinc sapientissimum Iobum olim familiares & amici, eius opiniones, decreta, & consilia imprudenter depretiant, & execrantur, & suis ipsi sensibus tenacissimè adhærent: *Stulti quoque*, inquit, *despiciebant me, auersabantur, abominabantur me: sapiens* enim *stulti est merces*, id est, ab eo proprium detrimentum, damnum, & pœna putatur, dum sapientis peritiam, & consultam opinionem communiter sequi videt; suam verò, cui obstinatè hæret, vniuersatim contemni, & ab omnibus subsannari. Sed non inde sententiam mutat insipientiæ obstinatione; quia inter animi morbos, immedicabilis ægritudo stultitia est: & vnde putat se benè valere, perniciosiùs ægrotat, arcens sapientes stultorum medicos, & insipientiæ redemptores. *Quien persuadirà à vn necio, que lo es? No fuera el necio, si no se tuuiera à si solo por discretos y à los demas por desentendidos.* Hinc obstinatio in propria sententia, est contemptus alienæ.

3. Exodi 16. Dei populus annonæ penuriâ languet in eremo, inediæ otium linguas exacuit, & latrante ob famem ventre, in Moysen canina abie oblatrant. Malè de obmurmuratione colorata preces, Deus beneficentior exaudit, & obtrectationis velut oblitus, necessitatis vocibus adnuit. Manè quoque (inquit sacer Historicus) ros iacuit in circuitum castrorum, Manna inquam. Cúmque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum, in similitudinem pruinæ super terram. *Quod cùm vidissent filij Israël, dixerunt adinuicem: Manhu? quod significat: Quid est hoc? ignorabant enim quid esset. Quibus ait Moyses: Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum.* Moyses populi rector & doctor, has escas de cælo datas appellat, Panem, quem Dominus dedit, & Dauid eum vocat, Angelorum panem, & adhuc Mannæ nomen retinet, quod ignaua populi inscitia de ignoratione fecit? Theodoretus inibi aliàs aliorsum expensus, ita de hac re philosophatur: *Quare vocatum est Manna? Eò quòd Israëlitæ statim vbi conspexissent illud, à se mutuò quærebant. Quid est hoc? Vnde talem appellationem indiderunt. Videntes enim filij Israël, dixerunt alteri, Quid est hoc? Ignorabant enim quid esset, Vnde in nomen versa est interrogatio.* Vt de hîc obstinatam inscitiæ contentionem contra sapientum peritiam. Moyses huius cibi præminister, eum nominat, *Panem, quem dedit Dominus*; & regius Psaltes, legis interpres & sequester optimus, eum, *Panem Angelorum* vocat; & adhuc *Manna* dicitur nomenque popularis ignorantiæ retinet? *Ignorabant enim quid esset. Vnde in nomen versa est interrogatio.* O pertinacem perseuerantiam in nomine, quod ignoratio fecit! Ecce tibi contentiosam æmulationem inter sapientiam & peritiam Moysis & Dauidis, & inter stulti vulgi ignorantiam & inscitiam: & tamen adhuc præualet vulgi ignorantis *consilium nominis*, & *Manna* populariter appellatur. *Ignorabant enim quid esset. Vnde in nomen versa est interrogatio.* Sic inscitia est propositi sui tenax. Vide hîc vers. 2. quàm facilem se iunior Tobias exhibeat Azariæ monitis, etsi in re valdè periculosa, sapienti feliciter obsequio.

Manna Hebræa insipientia nomen retinet.

Exo 16. v. 15.

Psalm. 77.

Theodor. q. 30. in Exod.

Hîc v. 2.

Numerorum 23. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur: nec vt filius hominis, vt mutetur.* quasi 4.
variatio sit homini cognata, & immutabilitas Dei sit elogium singulare. *Ego enim Dominus, & non mutor. prece, vel pretio, vel animi mutabilitate: & ideò volo*, quod est ibi Hugonis commentum. Porrò apud Deum non est transmutatio, nec vicissitudo obumbrationis: nam eius mens præclaro semper lumine perspicua, constanter eodem modo eadem cognoscit; & istiusmodi cognitionis ductu eadem vult, absque vlla aut arbitrij læsione, aut voluntatis retractione. Quod instinctu rationis naturalis Christiano cothurno docuit Seneca: *Necesse est ei eadem placeant, cui nisi optima placere non possunt.* Exinde immutabili consilio, & quod variationi non est obnoxium, Deus decernat necesse est: neque enim est Deus vt filius hominis, vt mutetur. (pergit idem Seneca agens de hac Dei immutabilitate: numerum Deorum pluratiuum ego in singularem mutabo) *Sua illi in legem æterna voluntas est, statuit, quæ non mutaret, nec vnquam primi consilij Deum pœnitet. Stare illi, & deficere in contrarium non licet: sed non ideò quia vis sua illum in proposito tenet, ex imbecillitate permanet; sed quia non licet ab optimis aberrare.* Disertè quidem maximus in re ethica Philosophus! Scilicet quia Deum dedecet ab optimis exerrare, ideò in consilio semel arrepto, inuariabili constantiâ perdurat; non *ex imbecillitate*, quâ consiliatrici virtuti non obsistat. Quasi *ex imbecillitate* etiam possit oriri nimia propositi constantia, & arrepti consilij flecti-nescia obstinatè pertinacia. Porrò de sapientiæ genio, Sapientis elogium est, mutare consilium: nam humana tenuitas, quantumuis ignorantiâ eruditione detersâ, quæ consiliosè putabat optima, in contrarium deficere potuerunt, & vergere in prauitatem. Ergo bona erit leuitas, quæ humanæ ignorationis admonita, non erubescit mutare consilium, & prudenti velut inconstantiâ propositum frangere, & in melius mutare, neglecto inconstantiæ pudore. Puto, à vero sæpè exerrare, hominis elogium est: igitur qui homo est, nihil in se ab homine alienum putet. *Si lex tua errauit*, inquit Tertullianus, *puto ab homine concepta est, neque enim de cælo ruit. Miramini hominem aut errare potuisse in lege condenda, aut resipuisse in reprobanda?* Consilium tuum ab homine conceptum est, neque semper de cælo in mentem tuam irruit. Benè consultum, sed iam pro

Num. 23. 19.

Malach. 3. v. 6.

Hugo ibi.

Deo eadem placent, quia ei nisi optima nunquam placent.

Seneca lib. Quæst. natur. cap. 1.

Idem lib. 6. de Benef. cap. 23.

Insipientium constantia, ignobiliter in obstinationẽ degenerat.

Tert. Apol. cap. 3.

pro occasionis articulo, aut pro circumstantiarum conuentu, sapientum censu inidoneum censetur: benè sistes, quod malè exerrat. Nemo quasi insolens mirabitur, hominem errare potuisse in capessendo consilio; admirabitur prudentiam, si peritè resipiat. Insipientium constantia, ignobiliter in obstinationem degenerat.

---

§. CCCIII.

Adeò fragilis est humana castitas, vt & se ipsam, & detriumphata impudicitiæ documenta pertimescat.

1. TErtullianus in lib. de veland. Virginibus, alto, vt assolet, stylo, ita scribit: *Sed enim vera & tota & pura virginitas nihil magis timet, quàm semetipsam: etiam fœminarum oculos pati non vult, alios ipsa oculos habet.* Percurro singula epithera: *Vera*, id est, infucata, non mentita, non specie tenus, *tota*, non diminuta, *pura*, non corrupta, (& vt sic loquar) virginitas virgo. *Nihil magis timet, quàm semetipsam.* Ipsa castitas vera & tota & pura, à seipsa timeat, an potiùs à libidine; quæ dirâ hostilitate, vel aperto Marte, vel clancularis insidiis, illam dehonestare, constuprare, & incestare præsumit? Honestas, vel ab ipsa honestate cauere debet? Tertulliani Commentator (cui iuuenilem operam olim nauabam) ita exponit præfatam Authoris sententiam: *Virginitas nihil magis timet, quàm semetipsam*, id est, *suam fragilitatem.* Sic est tenera pudicitiæ valetudo; sic citò deflorescit pudicitiæ flos: ipse, periculum sui est; & à sua imbecillitate habetur velut vltronea ruina, & lubricæ subsistentiæ suæ titubatio. Heu! vel sanum iam esse pudicitiæ vlcus, per recordationis blandimentum, impudicitiæ insidiatur! O! cum valetudine ipsa periculum inualetudinis bibitur? *Vox turturis audita est in terra nostra* obuium est, *turturem* esse castitatis, & continentiæ hieroglyphicum. Exinde quod vox turturis in *terra nostra* audiatur, sententiosè admiratur Ambrosius: *Benè addit Propheta*, inquit, *Nostra, quasi admirans, quod vbi antea impudicitia, ibi castitas.* Prudenter! Lucæ 23. Christus suæ crucis baiulus, ducitur ad supplicij locum. Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo, vt interficerentur. *Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Caluaria, ibi crucifixerunt eum: & latrones.* Quæ Lucæ verba tropologicè inibi his verbis profundè Beda exponit: *Duo autem latrones cum Christo crucifixi, significant eos, qui continentia arctioris instituta subeunt.* Benè est, qui ex instituto arctiorem continentiam seruare studet aduersus concupiscentiæ subsultus, dicatur cruci affixus, & quidem propè Christum: sed quare latronibus adsimilatur? Latro erit, & fur dicetur: qui ex instituto continentiam arctiorem sedulus seruat? Sic libido quasi rem suam carnis voluptates exigit, vt si per continentiam eis defraudetur se furto lædi conqueratur: An qui ex instituto arctiorem continentiam seruat, latronibus comparatur, quia libidinis instigatione veritas concupiscentiæ voluptates sæpè oculis, memoriâ, aut appetitu clanculario fortè delibat? O quoties integra

Tert. lib. de veland. Virg. cap. 15.

Castitas vera & tota & pura, vel à se ipsa timet.

Lud. Cerda ibi. n. 233.

Qui ex instituto arctiorē continentiam seruat, cur latronibus comparatur?

Cant. 2. v. 4.

Ambr. lib. de Isaac & ani. cap 5.

Lucæ 23. v. 33.

Beda ibi.

votiuè castitas, furaci libidinis illicio fraudatur re suâ, enormi sæpè læsione! Facilè imposturam facit, quod voluptuosè delectat.

David ille sanctitate felix; salaci mox adulterio famosus postquam dulcem lasciuiæ procellam, amaro lachrymarum nymbo auertit, & putidum libidinis vlcus salutari pœnitentiæ pharmaco obduxit; adhuc luctuosè querulus illachrymat: *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.* Quod nunc Dauid scortationis cum Bersabee scelus opploret, plures inibi tradunt interpretes. Sed attentâ expensione dignissimum est, quòd non dixit, vulnus deploratæ olim libidinis, *putruisse*, & *corruptum* fuisse; sed ipsas sanati iam vlceris *cicatrices.* Vocabulum autem quod in Hebræa, & Græca origine scribitur pro *cicatrice* significat liuorem, vomicam, vibicem, plagæ in cute vestigium, vel ex plagæ incussione cutem sigillatam, Quid ergo est, quòd post sanatum per pœnitentiam luxuriæ vulnus, non vulnus ipsum, sed vulneris *cicatrices putruisse* dicuntur? P. Gabriel Vasquez in re scholastica pariter ac Biblica peritissimè disertus, agens de reuiuiscentiâ peccatorum, quam post iustificationem seriò negat; apprimè notat, non ipsum vulnus, sed *cicatricem* ipsam, seu sanati vulneris signum *computruisse*, sic fatus: *Si intelligamus per cicatrices, indicium, & vestigium peccati verè iam sanati; explicari debet locus de iis, qui eadem peccata semel dimissa iterum committunt; non quidem eadem numero, sed similia. Sic enim cicatrix peccati putrescere videtur, & in nouum vulnus conuerti.* Quasi lasciui vlceris iam diu sanati *cicatrix* seu signum, in nouum denuò vulnus computrescat; & deforme etiam antiquæ obscœnitatis indicium, arcanâ libidinis pellaciâ, in noua sauciandæ castitatis vulnera trahat. Audiendus est hac super re Hugo Victorinus, qui ad mores elucidans præscripta Psalmi verba: *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ*, ita appositè scribit: *Rectè priùs dicitur, Putruerunt, ac deinde adiungitur, Corruptæ sunt cicatrices meæ. Priùs enim praua desideria ad mentem redeunt: & sic quodammodò cicatrices obducta interiùs computrescunt. Deinde verò cùm voluntas mala vsque ad operationem ire permittitur, iam ipsæ cicatrices quasi ex superabundanti saniæ corrumpuntur.* Nimirum vel ipsa olim sanatæ luxuriæ *cicatrix*, & antiquæ obscœnitatis signum, quod de fœditate putida horrorem incussisse debuerat, cùm fœditatem etiam suam oculis ostendit, ad luxum allicit; dum *praua* olim *desideria ad mentem redeunt*, & castitatem inquietant, & de fœdo vlceris indicio, pulchrum obscœnitatis lenocinium colorant. Vnde non demùm putrescere dicitur sanatum vulnus, sed sanati vulneris *cicatrix*; cùm peractæ libidinis indicium offert, nouum fomitem suggerit, & igniculos ad luxum subministrat, dum ipsa *cicatrix*, vel vlceris signum, in nouum resulcatur vlcus, & in aliam vulneratæ pudicitiæ plagam recrudescit. *Aun la cicatrix, que es indicio deque està sana la llaga, la haçe de nueuo?* Sic est tenera pudicitiæ valetudo, vt vel sanitatis indicium, languorem subornet? dum salutem ostendit, morbum facit? Signum sanati vlceris in nouum vlcus recrudescit. *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.*

In probatissimo Ioseph Patriarcha thesis nostra egregiè comprobatur cuius Scriptura pulchritudinem

2.

Psal. 37. v. 6. Lorin. ibi.

Cicatrix de sanata libidinis indicio in libidinis vlcus resulcatur.

Vasq. 1. 2. disp. 208. c. 6. num. 37.

Hugo Vict. in Psalm. 37.

3.

chritudinem admirata, expressos pro virtute sudores, velut pudicitiæ ideam describit, vt iis inscribantur, qui in Iosephum oculos defixerint. O quanta est continentiæ dignitas! Vt seruus venditus est, & vti domino domina supplicat. Obturat ipse aures impudicis vocibus: & tenacibus mulierculæ manibus retentum permittens pallium libidinis effugit ansas, fugâ vsus pro armis tradit vestem, vt temperantiam teneat. Luxuriæ verò dux Diabolus simul cum muliercula deuictus aliò rursus arma vertit; amorem in iram conuertit, & ex impudenti desiderio tela procudit, linguámque accusatricem suscitat illa vestem ostentans fidem facit; & Ioseph honestatis reus in durum mittitur ergastulum. *Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius.* Hæc Iosephi ferrea vincula, quæ in carcere subiit, vitandi stupri causâ, ad rem castitatis, quam nunc versamus, moralissimè transfert Chrysostomus, sic inibi scribens: *Nam post adulterii calumniam ipsi conflatam, carcerem habitauit, ac statim vinculis ferreis adstrictus est; sic enim Symmachus transtulit, In ferrum venit anima eius; ac si dixisset, Ad necem periclitatus est; vel potius per ferrum tentationis vim, ac fomitem intellexit.* Diligenter pensanda sunt hæc vltima verba, in quibus tota sententiæ energia sita est. Nempe compedes, & catenæ, quas in duro ergastulo Iosephus subiit, ob declinati adulterii honestissimum reatum; licet libidinis detriumphatæ trophæa ostentent; tamen vsque adeò est blanda lasciuiæ pellacia, vt *per ferrum tentationis vim, ac fomitem intellexerit.* Vel signa victoriæ, & triumphi notacula, etiam dum carnem duritie domant de abdicatæ occasionis repudio, recordationi fomitem subministrant? Non modo victum fuisse, sed etiam vincere; dum victoriæ signa ostentat, scintillas libidinis flabellat, & concupiscentiam inquierat? O sæuissimum hostem, qui dum vincit, obscœnè pessundat hominem; & dum etiam ab homine vincitur, de victoriæ notis periculum non leue facessit! O caue ab aduersario, qui etiam cùm in triumphum agitur, periculosè repugnat; & de sui ruina suam extruere victoriam molitur. Vnde Sara vel de septem maritorum incontinentia, suam asserit, & commendat castitatem, quæ de periculo prærogatiuam inuenit: quippe quæ nec suis victoriis, nec alienis ruinis, discrimen excitauerit sibi, vt vinceretur. Ad tantum verò triumphum non solùm Asmodæus abactus est, sed etiam procul religatus, *Tunc*, inquit, *Raphaël Angelus apprehendit Dæmonem, & religauit illud in deserto superioris Ægypti.* vt habetur hîc v. 3.

Catena ipsa pro non commisso adulterio, libidinis fomitem Iosepho suggerebant.

Psalm. 104. v. 18.

Chrysostom. ibi.

Hîc vers. 3.

4 Lucæ 8. obuiam it Christo Deo homo quispiam, qui habebat dæmonium iam temporibus multis. Is, vt vidit Iesum, procidit ante illum & exclamans dixit: *Quid mihi, & tibi est Iesu Fili Dei altissimi?* Multa paucis hîc Diabolus compendiauit, quæ copiosè amplificat Seleucianus Basilius, recensens mala, quæ à sua natiuitate Christus Dæmoni intulit, de quibus imprudenter querulus, ait: *Meretrices prædas nostras, tibi per pœnitentiam prædatus es.* Quid est, quod Christus Deus impudicos, dum per pœnitentiam ad se redeunt, *prædari* dicitur? Porrò quod quis prædam agens furto possidet, non quasi rem suam, sed tanquam alienam habet. Num olim impudicus, etiam postquam ad Deum per pœnitentiam redit, ac si res Diaboli foret, quasi *præda* furtóve acquisitus, à Christo Deo possidetur? Minimè quidem, si ad præsentem, in gratia statum attendatur. At post conuersionem etiam, sic sæpè est in lubrico ad vlteriorem, & vlteriorem lapsum, vt de periculo redeundi ad ingenium, & insolitam scortandi licentiam *præda* citiùs, quàm propria Christi professio nominetur. Non enim tantùm concupiscentiæ illicio trahitur ad luxum; sed nonnunquam etiam ipsa peccatorum recordatione, quâ peccata per pœnitentiam plangit, velut blandimento quodam ad libidinem prolectatur; & vnde lasciuiæ fluxus sisti debuit, inde vberiùs exundat. (de quo alibi latiùs) Exinde impudicus per pœnitentiam iustis aggregatus, Christi præda nominatur. *Meretrices prædas nostras, tibi per pœnitentiam prædatus es.* Sed infrà hic locus magis emedullabitur.

Lucæ 8. v. 28.

Basil. Seleu. Orat. 23.

Impudicus verò etiam pœnitens, cur non tam possessio, quàm præda Christi dicatur.

Infrà ad c. 4. v. 13. §.

5. Itaque bellè dixit Tertullianus, quòd Castitas *nihil magis timet, quàm semetipsam*, id est, *suam fragilitatem.* Nam vt ait Saluianus: *Viris in plebe positis, & mulierculis ipso sexu infirmioribus, talem, ac tam perfectam Deus viuendi regulam dedit.* Audis mulierculas sexu ipso infirmiores? de cunctis hostibus vnâ triumphat, cui datur de carne, & fœmina triumphare. Et Petrus Damianus, *dulcem procellam luxuriæ agnouit.* Pergit: *Mollis concupiscentia voluptatum, quæ noxiis blandimentis constantiam capta mentis effeminat.* Sic enim libido masculam constantiam elumbat! Et Clemens Alexandrinus in luce castitatis tenebras vidit: *Hac ratione*, inquit, *sunt etiam prudentium virginum lampades, quæ nocte sunt accensæ in densis tenebris castitatis.* Sic pudicitiæ lux, luxuriæ tenebris vicinatur? Sed obiter perstringere lubet, quare *castitatis tenebras* dixerit Clemens Alexandrinus. Has forsan tenebras clarat Saluianus; dum pudicitiam oculorum pupillæ his verbis compatat: *Saluator iussit ab eis cautissimè etiam minima vitari: Scilicet vt quàm pura est pupilla oculi, tam pura esset Christiani hominis vita: & sicut salua intuitus incolumitate, pulueris labem in se oculus non reciperet, sic vita nostra labem in se penitùs impudicitiæ non haberet.* Sic pura, & splendida castitas, velut oculorum pupilla, vel leui *impudicitia* puluisculo infuscatur, cæcatur, tenebratur? Præclarior castitas, confinis est impudicitiæ tenebris, nisi circumspecta admodum cautela, vel cogitationum puluisculum diligenter excutiat. Natura enim nostra nimis puluetat. Ecce tibi quàm est de hominis pulureo limo, caduca, & defectiua castitas.

Salu. lib. 2. ad Eccles. *Dulcis est luxuria procella.*

Petr. Dam. Homil. 1. de Pass.

Clemens 5. Strom. *Pudicitia lux luxuria tenebris vicinatur.*

Matt. 25. v. 7.

Salu. lib. 3. de Gubern. Dei.

6. Geneseos 24. Rebecca è Mosopotamia venit; cúmque Isaac eleuasset oculos, vidit camelos venientes procul. *Rebecca quoque conspecto Isaac, descendit de camelo....... Tollens citò pallium suum, operuit se.* Ad quæ verba ita scribit inibi Lipomanus: *Hoc igitur exemplo mulieribus Scriptura commendat verecundiam, gratiosúmque timorem, vt ea quæ tuta sunt pertimescant virgines.* Peridoneè quidem virginis timor dicitur *gratiosus.* Timor etiam superuacuus lenocinatur pulchritudini. O gratiam facilè parabilem, pudori cognatam, & quæ apprimè venustatem exaggerat! Hoc etiam superuacuo timore, Virgo Deipara in Verbi incarnatione venustatur.

Genes. 24. v. 64. & 65. Lipom. ibi.

Verecundus timor, virginum venustatem exaggerat.

Lucæ 1. v. 30.

7. Diadochus in re morum opinatissimus Auctor, agens de castitate sic fatur: *Oculus animæ prorsus non rapiatur errore, cùm anima tegumentum suum ad multam tenuitatem per continentiam retexit.*

Diadoch. cap. 71.

Corpus, quod est animæ indumentum, per continentiam retexitur.

retexit. Scilicet parùm foret, quòd anima continens sit; corpus etiam, quod est animæ tegumentum, seu vestis; sic purum, & castum esse debet, vt castitate *retextum* sit. Quasi castitas non tantùm sit corporis elogium, sed velut quædam illius pars. Consideratur enim corpus velut tela quædam, ex qua animi indumentum conficitur, quæ continentia, vel castitate velut purissimis quibusdam liciis intertexta esse perhibetur. *Cùm anima indumentum suum per continentiam retexit.*

§. CCCIV.

Ne fides claudicet, orantis desideria differuntur: sæpè enim deuenustat secutura largitionis genium, velox impetratio.

1\. MAgnus felix Ennodius in controuersia 5. acerrimè agit contra Tyrannum, qui præmij nomine parricidæ statuam inter viros fortes dedit; ita eloquenter de more fatus: *Quamuis virorum fortium effigies mansuro perenniter ære seruentur, & per hac Simulacra nesciant obitum vel sepulti: quamuis in æternitatem migret per has artes imago mortalium, & angustiam humanæ naturæ legem vincat industria: tamen virtutis pretium nec parricida aliquando meruit, nec tyrannus exoluit. Quando munus innocentum aut sceleratus elicuit, aut oppressor libertatis ingessit?* Ex his præmissis ita subdit arguté: *Statua sudoris fructus est iudicio reddenda purissimi: vt in vtroque congruus nitor nec suscipientem deuenustet, si indigno auctori prouenerit; nec si conferatur immerito, maculet largientem.*

Ennod. Controuers. 5. Ænei simulachri beneficio, heros iam sepultus nescit obitum.

Præmium nō meren ti donatum, & accipientem deuenustat, & maculat largientem.

Hæc huius magni Viri ratio sæpè cohibet largitatem, ne magnum munus immerenti donatum, aut accipientem deuenustet, aut maculet præbitorem: hic enim improbi iudicij reus erit; ille immeriti splendoris felicitate infuscatur. Ergo diu sæpè protrahitur miserorum mortalium supplex postulatio, vt diuturna supplicatio aut merentem inueniat, aut faciat: *vt in vtroque congruus nitor nec suscipientem deuenustet, si indigno auctori prouenerit; nec si conferatur immerito, maculet largientem.*

2\. Geneseos 21. Abrahamo Deus diuitiarum dat abundantiam, nec heredem dat; sed spe suspensum tenet, dum fidem exploret. Circumfluebant igitur vndequaque opes ingentes, sed inopia naturæ partum negabat, & Saræ sterilitas diuitiarum tantarum fructu prohibebat. Fluebant tempora, vt heres erat; diuitiæ crescebant, nec successor aderat; senium appetens liberorum spes accidebat; quam prolis expectationem sterilitatis malum extinxerat, eam fides innouabat, & diuturna precario fructu potitur suo. Tandem sterilis venit in obliuionem suæ conditionis; natura dum spe renouatur, senectæ obliuiscitur: acceptâ promissione habuit filium ante filij partum; & spes ipsa diuturna crebrò prece concepta, priùs Isaacum peperit, quàm Saræ aluus. *Visitauit autem Dominus Saram sicut promiserat: & impleuit quæ locutus est. Concepitque & peperit filium in senectute sua. Vocauitque Abraham nomen filij sui Isaac.* Eccur tandiu Abrahami votis adnuere Deus distulit, & Isaici natiuitatem tot annis procrastinauit? Et sanè Abrahamum læti hæredis felicitatem diu optasse, & postulasse manifestum est; sed præcedens diu supplicatio, dandi muneris felicitatem concinnabat. Pulchrè Felix Ticinensis ita scribit ad rem tempestiuus; *Deo gratias*, inquit, *qui circa magnitudinem vestram licet protuleris cupita, non repulit. Etenim ne fides claudicet, supplicantis desideria differuntur: quia deuenustat secutura hilaritatis genium velox impetratio.* Scilicet nasciturus erat Isaac, id est, *risus*, & lætitia parentum: ergo prorogetur eius ortus, & supplicantis desideria differantur, *quia deuenustat secutura hilaritatis genium velox impetratio.* Spes diu dilata, beneficij pretium ad hilaritatis gratiam exaggerat, & quò differtur, magis æstimatur, quasi a procrastinato desiderio vim gratiùs placendi combibat. Sed innotatum non dimittam illius sententiæ acumen: *Ne fides claudicet, supplicantis desideria differuntur* ac si clauda sit fides, quæ desiderij dilationem nesciens velocem impetrationem inuenit. Porrò morosior votorum dilatio, spem altè fundat, & diuturnitatis mora ad soliditatem confirmat, dum veloci possessione non citò euanescit. Profectò rei votiuæ velox fruitio, præpropetum spei cadauer est: spes enim velut sumptuoso sepulchro, possessione tumulatur.

Gen. 21. v. 1. & 2. & 3. Velox impetratio sæpè deuenustat donandi beneficij genium.

Ennod. lib. 7. epist. 15.

Ne fides claudicet, orantis desideria differuntur.

Matthæi 14. compulit Iesus Discipulos ascendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimissâ turbâ ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi. nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus. *Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans super mare, &c.* Quare suis Discipulis hiante diu naufragio propè periclitantibus, tandiu Christus opitulationem distulit? *Quartâ*, id est, vltima noctis vigilia venit ad eos, diuturna prece eius opem implorantes? Subtiliter Chrysostomus, præfata Matthæi verba exponens, ita scribit: *Tota autem nocte dimittit eos fluctuari: erigens eorum cor post timorem, in maius sui desiderium immittens eos.* (Addit ad rem Chrysostomus, postquam dixit, quòd Iesus de naufragij timore, maius sui desiderium spebus fecit) *Erudiens eos non citò solutionem inquirere aduenientium malorum.* Ad multam vsque noctem Discipulos periclitari dissimulat, vt periculosæ tempestatis magisterio eruditi, cor erigant in auxilij desiderium: sed expertum auxilium confestim non adest, *quarta vigilia* venit, vt diu desiderent, diu orent; & *ne fides claudicet supplicantium desideria differuntur, erudiens eos non citò solutionem quærere aduenientium malorum: quia deuenustat secutura hilaritatis genium velox impetratio.* 3.

Mat. 14. v. 2 9 Erudiamur non citò inquirere solutionem aduenientium malorum.

S. Chrysost. homil. 51. in Matth.

Oratio est aduenientium malorum arguta solutio, quæ tribulationis argumentum dissoluimus.

Matthæi 20. accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. Dic, inquit, vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo: ô desiderium in solam futuri cogitationem intentum! quæ temporis intercapedo remouebat à cogitatione, orationis fides intuebatur. Quid ergo Saluator? Omissa matre cum filiis verba facit. Potestis, inquit, bibere calicem, quem ego bibiturus sum? aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari? Mater regnum postulabat, obtentu facilè arbitrata, sperabátque, quod sperabatur ex sola postulatione rogantibus obuenturum. 4.

Cùm honor postulatur à Christo, quid ipse possit curiosè despicit.

turum. Sed nota quid eis Christus respondeat:
Matth. 20. v. 23. *Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Ad quae verba ita fatur Seleuciensis
Basil. Seleu. orat. 24. Basilius: *Quod si thronum quis petat, & sedere ad dexteram affectet, tunc quid possim curiosè dispicio.* (verba notatione dignissima, & alibi forsan latiùs expendenda.) *Si reperero quod his condignum*
Deus ne leviter effundat gratiam, quasi orationibus inattentus munus recondit. *sit, tunc est meum dare: vocant enim dantis potestatem accipientis merita. Ideò non est meum dare; sed Patris est dare. Pater, dum probat, non simpliciter gratificatur: exspectat mores nostros, donum dum parat; non leuiter effundit gratiam, sed munus recondit.* Nimirum quod postulauerant, obtentu facilè arbitrati sunt; sperabántque, quod sperabatur, ex sola postulatione statim rogantibus obuenturum: sed vocant dantis potestatem, accipientis merita: inde Christus cupita distulit, non abstulit: *non leuiter effundit gratiam, sed munus recondit: & ne fides claudicet, supplicantium desideria differuntur.* Diu desiderent, perdiu expetant, diuturnis animi votis supplicationes addensent: & ne videatur leuiter effundi gratia, munus postmodum donandum, supplicantium protelans merita, meritò differatur: *vt in vtroque congruus nitor nec suscipientem deuenustet, si indigno proueneris; nec si conferatur immeritò maculet largientem:* ideò precantibus discipulis *non leuiter effundit gratiam, sed munus recondit.*

5. Matthaei 15. Ecce mulier Chananaea à finibus Tyri & Sydonis egressa, clamauit ad Iesum, dicens: Miserere mei Domine fili Dauid: filia mea
Matth. 15. v. 23. malè à Daemonio vexatur. *Qui non respondit ei verbum.* O sub inhumanitatis obtentu silentium longè humanissimum! ô silentium pigritiae nostrae in orando vocalis accusator, & ad perseuerantiam in precando eximius incentor! ô fides! ô prudentia! ô Chananaeae pietas, quae dum post Christi renutum rogando perseuerat; & sublime orationis meritum, & diuinae largitatis eminentiam euulgat. *Curationis dilatio fidei specimen, sanationis prorogatio fuit voluntatis in muliere probatio: potiùs verò Domini silentium Chananaea com-*
Basil. Seleu. orat. 20. *mendatio*, ait Basilius Seleucus: quasi largitoris silentium, beneficii largitionem prorogans, sit
Christus gratificari distulit, vt fidem depraedicet. eximia rogantis panegyris Pergit Basilius: *Quid tandem Saluator? quid silentium pariat, aperit: ô mulier, magna est fides tua! Ideò tibi gratificari distuli, vt fidem tuam in exemplum proponerem. Non obticebam ex inclementia, sed vt praescius quiescebam: expectabam dum fidei tuae amplitudinem patefacerem: praesentes doceri volebam quantum in Chananaea margaritum lateret. Totam tibi curationis mensam explico. Tu quidem Iudaeos fide vicisti: ego verò datu meo tua postulata.* Nempe Christi silentium cunctando beneficii largitionem differt, vt cùm foenore donet: & dum postulatae curationis donationem prorogat, datu suo petentis postulata transit, & auctarium de dilatione reportat. Dei saepè in nostris precibus silentium, lucrosa negotiatio est, dum quod mora detrahit, vberior praebitoris largitas recompensat. Itaque nuper Sara tres omninò dies orationi vacat in secretiori domus suae cubili: nec Deus munerum suorum auarus, audientiam morosè differt; sed donationem procrastinat, vt datu suo eius vinceret postulata. Angelus enim Raphaël mittendus decernitur, qui daemonium compescat, probro eam eximat, & felices aequè ac foecundas ineat nuptias: quod suppliciis Sarae

P. Didac. de Celada in Tobiam.

votum longè excellit: & hîc tridui oratione feliciter consummatur. Hic v. 4.

Geneseos 1. *In principio creauit Deus caelum, & terram.* Receptissima Interpretum sententia 6. Gen. 1. v. 1.
est, his pauculis verbis totius mundialis opificii compendium tradi: quo summa Dei beneficentia in tempore exhibetur, omniàque iunctim benefica creationis opera praemonstrantur. Sed nullus Angelorum aut hominum praecessit, qui optaret, nedum rogaret, aut diuinam bonitatem prece sollicitaret. Repentè totus exurpit mundus. Forsan inde deuenustetur, quasi mora liberalitatem non compserit ad vberioris beneficii gratiam, & consultiorem praebitoris beneficentiam Pulchrè Tertullianus hîc ad rem praesentem fatur: Quid, inquit, tam bonum quàm notitia est fructus Dei? Nam etsi nondum apparebat, hoc bonum esse, quia nondum erat quicquam cui appareret, sed Deus praesciebat quid boni appariturum esset: *Et ideò in suam summam commisit bonitatem, appariturì boni negotiatricem, non vtique repentinam, nec obuentitiae bonitatis, nec prouocatitiae animationis, quasi exinde censendam quo coepit operari.* Ecce tibi, ne nimis velox gratia, apud homines deuenustet diuinae beneficentiae genium, etsi derepentè mundus apparuit, summa Dei bonitas appariturì boni negotiatrix in mundi opificio, non vtique *repentina* fuit, *quasi exinde censenda quò coepit operari;* mundi enim fabricandi consilium in hominum gratiam, in aeterna Dei mente ab aeterno beneficè voluebatur.

Mundi condendi voluntas beneficentior, repentina non fuit.

Tertul. lib. 2. adu. Marc. c. 3.

§. CCCV.

Multorum oratio, pia quadam velut ambitione, rem postulatam impetrare praesumit.

SAnctus Cyrillus Ierosolymitanus agens de Simone Mago, qui Deitatis nomen vsurpans, & 1.
cum Petro Romae decertans, ipsius, & fidelium Cyrill. Ierosl. Cate. 6.
precibus in terram exanimus corruit; ita scribit, *Genibus prouoluti serui Dei, & concordiam illam prae se ferentes, quam Iesus dixerat, si duo ex vobis consenserint de omni re, quamcumque petierint, fiet eis, consensionis telum precum interuentu in Magum eiaculati sunt, & in terram eum eiecerunt.* Ecce tibi de multorum orantium concordia Simon ille Dei nomen & numen, prodigiorum ambitione venditans, sumptuosiùs deiectus est. *Cùm probi* (ait, Tertullianus) *cùm boni coëunt, cùm pij, cùm casti congregantur,* (ad orandum inquam *non est factio dicenda, sed curia.* Notanter dicitur *curia*, multorum ad orandum conuentus. (de quo aliàs) Pergit inibi magnus hic Doctor: *Coïmus in coetum & congregationem, vt ad Deum quasi manu facta ambiamus orantes.* Sententiosè multorum oratio dicitur piè *ambitiosa*, quò innuatur & quàm andenter confidat, quàm actuosè negotietur, & quàm potenter, etiamsi supra votorum fastum, cupita extorqueat. Quod hîc cernere licet, dum de Tobiae & Sarae oratione dicitur? *In illo tempore exaudita sunt preces amborum in conspectu gloria summi Dei & missus est Angelus Domini sanctus Raphaël, vt curaret eos ambos; quorum vno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatae.* O quàm est negotiosa multorum oratio! Et iunior Tobias & Sara hîc *orantes ambo simul,* sospitatem

Matth. 18. v. 19.

Multorum ad orandum conuentus, dicitur, curia: & ambitiosa oratio.

Tertull. in Apol. adu. Gent. c. 39.

Tobiae 3. v. 24. & 25.

Hic vers. 6.

ſoſpitatem in tanto diſcrimine fœliciter impetrarunt.

2. Iuditha 8. c. Bethuliæ proceres, rei ſacræ & ciuili præſidentes, in domum ſuam acceſſit, cóſque ob intentatam vrbis deditionem ſeueriùs obiurgat. Et reſponderunt ei Ozias & Presbyteri: Omnia, quæ locuta es, vera ſunt. *Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier ſancta es, ac timens Deum.* Benè eſt, pia & ſancta fœmina pro peccatoribus preces ad Deum fundat. Sed ipſa etiam peccatorum orationem expoſcit, aiens: *Quod facere diſpoſui, probate ſi ex Deo eſt, & orate vt firmum faciat Deus conſilium meum.* Scilicet multorum preces à Iuditha expetuntur, vt patriæ liberationis votum, prece firmetur. quaſi quodammodo nutet beneficij largitiò, quam multorum precatio non fundat. Magnus Felix Ennodius aduerſus eum qui victoriâ potitus, præmij nomine Veſtalis virginis nuptias impiè poſtulauit, ſic eloquenter ſcribit: *Quæro à te,* inquit, *heroa magnanime, quid de patria tua mali depuleris, ſi hac, quæ timui, victor optaſti? Percunctor vtrum popoſceris ſuperos in illa neceſſitate fautores? Si feciſti, perfunctus periculis, Sacerdotibus eorum pro debita oblatione minitaris?* (expende accuratiùs quæ verba ſubtexit) *Si non adhibuiſti pia vota certamini, quid tibi debeo, quem ſine precibus ſuis generalis proſperitas comitata liberanit? Si intelligis, multum eſt quod debes numinibus, ſi ſtuduerunt ſupplici majus ſi dederunt victoriam non petenti.* Alienum à diuina prouidentia putatur, quod de multorum precatione non venit: Generalis proſperitas caſu quodam dedit, quod generalis oratio non extorſit. Sed nota attentiùs illa verba arroganti victori dicta: *Si non adhibuiſti pia vota certamini, quid tibi debeo?* quaſi nutet victoriæ felicitas, quam precum generalitas non fundauerit. Exoptata felicitas, quam præuiæ multorum preces non ſtabiliunt, beneficiit iturbatio, fortunæ ludus, & inſtabilis fortuna putatur: Communis oratio exoptatum beneficium citiùs acceſſit; & celeriùs acceſſitum, altè firmat: *Orate vt firmum faciat Deus conſilium meum,* ait Iuditha Presbyteris: & Ennodius inſolenti victori: *Si non adhibuiſti pia vota certamini, quid tibi debeo?* ac ſi foret velut caſſa & inſtabilis victoriæ felicitas, quam communis oratio non *firmauit.*

Iudith 8. v. 31.

Inſtabilis putatur felicitas, quam præuia multorũ oratio non obfirmat.

Ennod. Controu. 3.

3. Matthæi 18. Chriſtus Deus efficaciam orationis quam multi vnà fundunt, his verbis exponit: *Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis eſt. Vbi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Benè notat Origenes ad præfata verba, quòd *non dixit, In medio eorum ero: ſed ſum. Mox enim vt aliqui conſenſerint, Chriſtus inuenitur in eis.* Non enim eſt factio, *ſed curia,* vt nuper ex Tertulliano notabamus. Addit Origenes ad thema præſens eleganter opportunus: *Et iſta eſt cauſa propter quam non exaudimur orantes, quia non conſentimus nobis per omnia ſuper terram, neque dogmate, neque conuerſatione. Sicut enim in Muſicis niſi fuerit conuenientia vocum, non delectat audientem: ſic in Eccleſia, niſi conſenſum habuerit, non delectatur Deus in ea, nec audit voces eorum.* Benè quidem, & optimè multorum oratio, vocum conuenientiæ, quæ eſt in re muſices comparatur. Sicut enim harmonia conſtat multarum vocum modulato concentu, quo diſcors plurium ſonorum concordia, ſummo, mediano, & infimo tono ad muſices temperaturam aptatur. adeò vt ſi qua ex his vocibus deſit, aut abſurdè ſonet, totus harmoniæ perdatur concentus, nec audientium aures mulceat, ſed potiùs inconcinne obſtrepat: ſic in re orationis, multorum modulata vox, & concors eorum concentus requiritur, vt Dei aures ad impetrationem demulceat. Raucus & inconditus ſonat vocum ſtrepitus, verborum fragor inani ſono perſtrepit, ad ſurditatem potiùs quàm ad audientiam: *Sic in Eccleſia, niſi conſenſum habueris, non delectatur Deus in ea, nec audit voces eorum.* Pulchrè quidem Origenes!

Matth. 18. v. 19. & 20.

Multorum oratio, concentui in re muſica comparatur.

Orig. in Matth. 18. Tractat. 6.

In hoc § n. 1.

4. Marci 16. Chriſtus Deus in cælum aſcenſurus, miraculorum poteſtatem diſcipulis facit: *Signa autem eos, qui crediderint hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur nouis: ſerpentes tollent: & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt..... Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Verùm cùm huius poteſtatis auſpicium foret ſumendum, quiſpiam pedibus æger ſanitati reſtitutus eſt. Sed perſcrutari lubet, quo tempore eiuſmodi miraculum fit ab Apoſtolis patratum, id eſt, an ratione multorum id acciderit: ſic enim S. Lucas in Actibus Apoſt. rem conſultò denarrat: *Petrus autem, & Ioannes aſcendebant in Templum ad horam orationis nonam. Et quidam vir qui erat claudus,* &c. Verùm cùm hoc prodigium nullius Apoſtolicæ precationis interuentu patratum dicatur, ſaltem tempore communis in Templo orationis editum perhibetur. Sic ergo ad prædicta verba fatur Seleucienſis Baſilius: *Tunc temporis enim Petrus, & Ioannes aſcendebant in Templum circa horam orationis nonam, &c. Id primum in dictis cognitu neceſſarium eſt, quod in tantam dignitatis celſitudinem euecti Apoſtoli orationem minimè neglexerint: nam homines cùm eſſent, hinc quoque petito præſidio egebant. Quod ſi Apoſtoli precationis opem non excutiunt, ſed perpetuis rerum vſibus neceſſariam ſupplicationem oſtendunt; quantum nos crimen incurrimus, qui per incuriam hoc tam ſalutare proiicimus viaticum?* Bellè quidem Seleucus communem multorum orationem, *viaticum* appellat, quo fideles, qui à cæleſti patria peregrinantur, in terris victitant, (de quo forſan alibi) Sed valdè notandum eſt, quòd miraculoſa claudi ſalus, ſtupore adſtantium decantatiſſima, communi orationi propè adſcribatur à Baſilio, quam Petrus & Ioannes tanquam auxiliatem aduocarunt, cùm tempore communis orationis ſtupendum edidere miraculum. Maximè verò notanda ſunt verba, quæ his præmittit, ita ſcribens: *Videamus igitur hodie post Saluatorem diſcipulos miraculorum artem delibantes.* Nempè dum communis celebratur oratio, ad miraculi patrationem incumbere, *ars miraculorum* eſt. quaſi multorum preces ſit *ars* edendi *miracula.* O bonam artem, & omnibus facilè parabilem! Communis ad orandum conuentus, de conſenſione concors, de efficacia precatiè omnipotens; ſic piè velut *ambitioſus* orat, vt ob impetrationis felicitatem, dum arduum quiduis precatu extorquet, *ars miraculorum* dicatur. O, Templa identidem frequenta, & communibus votis deuotus aſſiſte; vbi tanquam in quodam pietatis & omnipotentiæ gymnaſio, *ars miraculorum* ediſcitur! ô exprompcam prodigiorum officinam!

Marci 16. v. 17. & 18. & 20.

Acto. 3. v. 1.

Baſil. Seleu. Orat. 21.

Communis oratio viaticũ appellatur.

Oratio multorum, miraculorum ars nuncupatur.

Matthæi 6. auſpicium Orationis Dominicæ, à Deo ſub nomine Patris, ad ferendam opem Ad-

yocato,

Matth. 6. v. 9. *Qui ad Patrē orat, cum orātium confraternitatem dicit, donorū largitionem importat.* Crysostom. homil. 20. in Matth.

uocato, initium sumit. *Sic ergo vos orabitis: Pater noster qui es in cælis; sanctificetur nomen tuum*, &c. Geminata hinc & pulchella quæstio oboritur; & quare non tantùm nobis, sed aliis etiam beneficia exposcimus: & cur Deum sub Patris vocabulo deprecemur. Quâ super re ita S. Chrysostomus scribit: *Pater noster, &c. Qui patrem dicit, & peccatorum remissionem, & adoptionem, & hæreditatem, & fraternitatem, quæ est ad vnigenitum, & Spiritus largitionem, per vnam hanc confessus est nuncupationem.* Nempe qui dum orat ad Deum, illum appellat *Patrem*; eiusmodi nuncupatione, *fraternitatem* cum reliquis eiusmodi opis adæquè indigis, denotat; & inde velut multorum orationem quodammodo ex *fraternitate* conflat. Exinde *& Spiritus largitionem per vnam hanc confessus est nuncupationem*. Ecce tibi orantium *fraternitas* vel dissimulanter insinuata, *Spiritus largitionem confitetur.* quasi precantium confraternitas, de accepta iam *largitione* sibi gratuletur: nam qui *Patrem* orando nominat, & *fraternitatem* dicit, & inde & *adoptionem, & hæreditatem, & Spiritus largitionem, per vnam hanc professus est nuncupationem.* Sic sunt velut *ambitiosè* potentes multorum preces.

6. Luc. 9. v. 18. *Christus solus orans, orat cum Discipulis.*

Lucæ 9. postquam Christus in deserto tot hominum millia vsque ad satietatem cibauit; *Factum est cùm solus esset orans, erant cum illo & Discipuli:* & interrogauit illos, dicens. Quem me dicunt esse turbæ? &c. Tunc congruo Petri ore magnum sæculis diuinæ corporationis sacramentum, Patre reuelante manifestat. quasi arcani Mysterii reuelatio fuerit Dominicæ orationis appendix. Planè quidem mirissimum est, quòd solus dicatur orare, quando astantibus Discipulis orat. quod subtiliter Augustinus notauit, aiens: *Potest autem illud mouere, quòd Lucas Dominum interrogasse Discipulos suos, quem illum dicerent homines, tunc dixit, cùm esset solus orans, & adessent etiam ipsi. Porrò autem Marcus in via dicit, illos hoc ab eodem interrogatos. Sed hoc eum mouet, qui nunquam orauit in via.* Existimauerim hîc velut compendio quodam quasi per antithesim tradi opinatissima orationis elogia. Nempe *solus* orare dicitur, qui orat cum Discipulis, & forsan in via: quia Christus in tanta hominum frequentia, nullo interpellante, quasi in secessu *solus* orabat. Dein ad impetrandam reuelationem Petro (qui est lingua fidei) faciendam de summo Christianæ Religionis sacramento non omninò solus orat; sed in multa Discipulorum frequentia, & forsan etiam (vt innuit Marcus) in publica via, vt non *vnius* duntaxat preces, sed multorum oratio præcederet ad tanti reuelationem Mysterii: & ineffabilis Petri confessio fieret sequela orationis multorum. *Solus* dicitur orare Christus, ne eius deuenustetur oratio, quasi ad rei magnæ impetrationem consortio multorum orantium indigeret. Et simul multi tunc orent, vt eius oratio à multorum simul orantium consortio, apud homines commendetur, tanquam impetrationis secura. *Cùm solus esset orans, erant cum illo & Discipuli.*

Aug. lib. 2. de Concord Euang. c. 53.

* *
*

§. CCCVI.

Beneficia, quæ hactenus à Domino accepimus, prece quodammodo soluimus; quasi gratiarum actio sit orationis complementum.

Licet humana lingua Auctoris sui beneficentiæ digno nequaquam respondere possit affatu; vult tamen diuino Mysterio profecisse, quòd facta est. Nam cùm cæteris animantibus hebetata caligantium crassitudo sit sensuum, verat in hoc dispensatione Dominica hominum factura præstantior, quod sola vberiùs potest sentire factorem: quæ tamen cernuis est socianda rectè pecudibus, si cælestis ignara muneris, velut elinguis, beneficia cælestia concludat. Sed quæ tam perspicax hominum mens, quæ diuinæ munificentiæ ignara non sit? Quo ergo lingua vtetur magistro, quo eruditore, vt diuinæ liberalitati gratias, oris officiositate peragat, si immeritè beneficam Dei liberalitatem ignorat? Beneficii largè accepti notitia gratitudinis igniculum ingerit, & dulcis memoria illius rependendi concupiscentiam flabellat, vt quod alta mente gratanter concepit, per linguam protinùs euaporet. Verum tam augusta est diuinæ beneficentiæ generositas, sic munerum fœcunda, vt eam ad vltra donandum non modò gratitudine quodammodo fœcundes, sed importunis etiam supplicationibus obliges. Sic sua Deus parturit beneficia, vt cum noua petis, antiqua & ignorata custodias; dum recenti supplicatione sic ore places, vt olim accepta, velut gratè compenses, dum idoneam frequentandæ liberalitatis occasionem precibus offers. Sic Deus cùm semel sua beneficia præbuit, eiusmodi præbitione ad vlteriùs donandum quasi obligatur, vt homo pro præteritis quodammodo gratus sit, qui indies nupertima exposcit? 1.

Lingua præcantiu, non est cælestis ignara munerum.

Regius Psaltes psal. 115. postquam innumera, ipsaque permagna beneficia à Deo accepta, vberiùs commemorauit; cùm tot beneficiorum gratiis obæratus, pernaturæ paupertatem soluendo non foret; ita pangit: *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi?* (quasi in humanæ naturæ censu, & opulentioris regni gazis, nil Dauid dignum inueniar, quò accepta à Deo beneficia dignè rependat. Sed nota quod subdit) *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Id est, cùm tot beneficia sim consecutus à Deo, quid retribuam illi pro tot tantisque erga me meritis? Quid post tot beneficia reddam, reddereve possim Deo? Et quasi derepentè aliquid improuisum & inopinatum illi occurreret, quod Deo redderet, exultanter addit: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Sanctus Cyprianus & Basilius de afflictionibus Martyrum hunc *calicem* interpretantur. Quasi dicat: Paratus ero ad quælibet perferenda pro te. Chaldæus verò de calice felicitatis æternæ, poculo nectareo. Nempe vt gratus existam, & acceptâ gratiâ temporaliter fruar, & futuræ æternùm gloriæ spem libabo: atque noua exinceps à Deo petam beneficia: subdit enim: *Et nomen Domini inuocabo*, quod Biblica phrasi orationem insinuat. Itaque cùm vix inueniat Dauid, quid Deo pro tot, ac tantis beneficiis retribuat; addit, alicuius gratitudinis loco, & beneficiis se gratanter vsurum 2.

Psalm. 115. v. 12. & 13.

Iustum est, vt quod à Domino accepimus prece soluamus.

rum, & noua semper beneficia petiturum. Huc videtur allusisse Ennodius, sic argutè fatus, ad rem præsentem peridoneus: *Iustum est*, inquit, *vt quod à te Domine, accepimus, prece saltem & voce soluamus.* Vide quàm multa paucis amplexus est. Prece Deo soluit Ennodius, beneficia, quæ eousque cumulatiùs acceperat. Puto, serò nuncupantur preces pro hactenus collatis beneficiis. Scio quid hac super re recentiores Theologi subtiliùs argumentur. Verùm oratio, res est, non accepti, sed accipiendi beneficii: beneficium enim acceptum, gratitudinis, non orationis negotium est. Tardè adsunt preces gratiæ dudum acceptæ. O ineffabile orationis Mysterium! *Iustum est, vt quod à Domino accepimus, prece saltem soluamus.* Porrò tanta, tàmque magnificè augusta est Dei liberalitas, vt dum futura beneficia prece deposcimus, præteritis gratificemur, dum occasionem diuinioris ostentandæ beneficentiæ vberiorem porrigimus. Parturit quippe Deus sua in homines beneficia, quæ dum munificentiùs impertit, benefaciendi velut concupiscentiam euaporat: ergo dum humanæ preces Dei benignitatem sollicitant, precandi lenocinio non solùm futuras extorquemus gratias, sed quadam precum officiositate, pro retrò acceptis beneficiis quodammodò grati sumus. Vnde Propheta, orationis encomiastes factus, cùm neque in paupertino naturæ censu, neque in regio Israëlis thesauro quid rependat pro tot beneficiis inueniat; in oratione inuenit, quod in rerum opulentia non reperit. *Quid, ait, retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Iustè, vt gratus sit, nomen Domini precibus inuocat: nam *iustum est, vt quod à Domino accepimus, prece saltem & voce soluamus.* quasi non modò multiplex gratia exinceps accipienda, sed iam olim multipliciter à Deo accepta, sit humanæ orationis stipendium. Sic humana oratio diuinæ bonitati blanditur: Tobiæ & Saræ preces, dum Deum calamitatis vindicem exorant, ante actæ vitæ merita refricant, & illorum patrandorum gratiam illustrant, & à gratiarum actione orationem auspicantur.

Ennod. in Bened. cer. I.

Hic vers. 7. &c.

3. Ioannis 11. Languet in Bethania Lazarus: citò aduocatus per epistolam, Iesus, serò venit; & funestè querulis condolet sororibus: quarum nutantem fidem verbis erigit, attonito dolori ignoscens. Cunctantes & quatriduani fœtorem causantes, secum Christus ducit ad Lazari sepulchrum, curiosâ consolatorum cateruâ vndique stipatus sepulchralem lapidem tolli iubet, obsequii stupor magna & insolita spectatoribus spondet. *Tulerunt ergo lapidem: Iesus autem eleuatis sursum oculis, dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me, ego autem sciebam quia semper me audis.* Hæc cùm dixisset, voce magnâ clamauit: *Lazare veni foràs.* Res sanè noua, & quæ Seleuciani Basilij admirationem egregiè mouit, ita ad præfata verba scribentis: *Quis vnquam nihil ante præfatus, orationis tale cepit initium? Gratias ago tibi, inquit, quoniam audisti me.* Et cur post orationem non dicit: In nomine patris mei prodi foràs? cur non dixit, Pater, eum vitæ restitue? *Sed his omissis omnibus in speciem precantis compositus, rebus ipsis auctoritatem manifestat.* Nempe Christus Deus vt Lazarum à mortuis euocet, sursum eleuat oculos, & in speciem precantis compositus, gratias agit antequam quicquam precetur, quò & orantis auctoritatem, & orationis efficaciam ostendat. Acutè Origenes considerans Christum habitu orantis, ante orationem gratias Patri agentem, quasi iam impetrasset, quod necdum postularat, ad præfata verba: *Gratias ago tibi quoniam audisti me*, ita scribit: *Sed præueniens illius orationem qui solus bonus Pater est, exaudiuit dicenda. Pro impletione igitur orationis subdit gratiarum actiones, dicens: Pater gratias ago tibi quoniam audisti me.* O mira Dei Patris liberalitas, qui in oratione dicenda, præmaturè audit, præueniens rogaturum! O stupenda orationis vis, quæ ante inchoationem gratiarum actione *completur*! Num gratiarum actio, complementum orationis est? an potiùs impetrati precibus beneficii, debitus appendix? Necdum *completa* est oratio, quæ dona à Deo postulat, nisi gratiarum actione simul plenè adintegretur? Gratitudo, integritas orationis est? *Pro impletione orationis subdit gratiarum actiones, dicens: Pater gratias ago.* Ecce tibi ineffabile orationis sacramentum, dum gratitudo, integritas orationis nominatur. *Iustum est, vt quod à Domino accepimus, prece saltem & voce soluamus.* O stupor! prece quodammodo soluimus, quod prece impetramus: gratiarum actio, pars quædam, seu integritas, siue *complementum* orationis est: Oratio quæ gratitudinem non imbibit, perfectè integra oratio non est: O grande orationis elogium! Cunctatio orationis, titubatio superest.

I oann. 11. v. 41.

B sil. Seleu. Orat 41. *Gratiarum actio velut complementũ orationis est.*

Orig. tom. 4. in S. Ioan.

Lucæ 11. dixit vnus ex Discipulis eius ad Iesum: Domine, doce nos orare, sicut docuit & Ioannes discipulos suos. Et ait illis: *Cùm oratis, dicite: Pater sanctificetur nomen tuum.* Profectò qui ad *Patrem* orat, securus impetrationis accedit; nam cùm filius filiationis titulo sit patris heres, rem ferè suam à *Patre* Deo petit. Hinc Christianorum exultet in oratione fiducia, quæ ritè petendo vota precibus apprehendit. Eleganter Augustinus exponens præscripta verba: *Cùm oratis, dicite Pater*, &c. ita ad rem præsentem scribit: *Ex malo seruo factus et bonus filius: ideò præsume non de tua operatione, sed dè Christi gratia.* (expende quæ subdit verba) *Non ergo hîc arrogantia est, sed fides: prædicare quod acceperis, non est superbia, sed deuotio.* Ecce tibi quâ fiduciâ debeas accedere, dum ritè ad Patrem Deum oras. nempe piè *præsumere* debes, id est, ante sumere, seu assumpsisse vel accepisse jam reputans, quod precum tuarum votis hianter exoptas. Pia hæc *præsumptio* in oratione ritè facta, & innixa Christi Dei solemni promissione, (*quidquid orantes petitis, credite quia accipietis*) *non arrogantia est, sed fides.* Bona oratio, æuæ de postulata gratia adipiscenda, sic *præsumere* debet, vt *arrogantia* specie tenus videri posset. At tamen *arrogantia* non est, sed *fides*. (quod alibi luculentè dixit Tertullianus, *Habentes fidem spei nostræ*) quasi quod spe optamus, fide euenturum nobis credamus. Vnde opportuniùs ad rem subdit, quòd dum quæ *arrogantia* videtur, *fides* est adipiscendi beneficij; quasi dum petis, iam impetraueris; *prædicare quod acceperis, non est superbia, sed deuotio.* Scilicet cùm Patrem Deum ritè oras, piè *præsume* te accepisse, quæ non est arrogantia, sed fides. imò si præproperè gratus, tunc *prædicas* ac si iam acceperis, non est arrogantia superbiæ, sed idonea fiduciæ deuotio. Quid in re orationis tam piè superbum, quàm adhibere gratitudinem, nostrarum precum comitem? Quod ritè petis, *prædicare quod acceperis, non est superbia, sed deuotio.* Nam Christi Dei vox est: *Quicquid*

4.

Luc. 11. v. 2. *Pia orationis præsumptio, non est arrogantia, sed fides.*

August. de verb. Dom. serm. 48.

Tertul. In Apolog. alibi expensus.

Quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. Vnde Christiana impetrationis fiducia, non est arrogantia, sed fides; non est superbia, sed deuotio. O arcanum orationis sacramentum!

---

§. CCCVII.

Perampla posteritas, & parentes ædificare; & parentem Deo propè confinem reddere, olim putabatur.

1\. GRatius est nomen pietatis, quàm majestatis: imò cui gratia pietatis exhibetur, sublimissimæ auctoritatis elogium non negatur, sed officiosiùs impenditur, Christus Deus solemnem precandi formulam tradens, sic orationem auspicatur: *Pater noster, qui es in cælis: sanctificetur nomen tuum.* Quæ Christi verba sic Tertullianus exponit: *Dicendo autem patrem, Deum quoque cognominamus. Appellatio ista & pietatis & potestatis est.* Quin & de gratia pietatis, majestatem æstimatione quodammodò auget. Exinde nescio quæ reuerentiæ cognatio inter pietatem erga parentes, & aduersus Deum intercedit. adeò vt dicere audeat Gregorius Nazianzenus: *Ille Deum abiurabit facile, qui parentem suum negat.* Est enim parens, quidam quasi Deus in terris, qui vitam filiis dedit, educationem, institutionem. Hinc impius in parentes filius, omnium scelerum reus putatur. *Quis possit accusare iam reliqua, si pietatis nomina putantur esse crudelia? Negligitur leuis reatus cùm tragœdia criminis magna tonuerit.* Inde etiam parentes non tantùm, etiam post obitum, perdurant in sobole, immortalitatis candidati; sed cum pietate sibi debita, gratam quandam majestatem perenniter sibi vendicant, generationis, & educationis iure; quam debita posterorum gratia, dulci perennitate soluit: quò enim est soboles magis ingenua, magis nascitur vectigalis, & paternæ reuerentiæ tributaria. Ergo liceat dicere de terreno patre, quod de cælesti Tertullianus dixit, seruatâ nominis analogiâ, non rei proprietate: *Dicendo autem patrem, Deum quoque cognominamus. Appellatio ista & pietatis & potestatis est*: est enim humanus pater, viua quædam Dei in terris similitudo. Hinc cum tanto discrimine, post septem maritorum funera atrocissimè luctuosa, Raguël & Anna, tam auidè vnicæ filiæ nuptias conciliant, piâ propagandæ sobolis ambitione. Et Tobias & Sara hîc id adstruunt Adæ exemplo, quod iam expendimus, & illustramus.

[Marginal notes: Matt. 6. v. 9. Tertull. de Orat. cap. 2. — Pater ex pietate & reuerentia colendus est, ac si foret terrenus quidā Deus. — Nazianz. in Sentent. — Cassiod. lib. 2. epist. 14. — Hic. v. 8. & 9.]

2\. Geneseos 3. malesuadus ille de infernali malignitate serpens, totas veternosæ nequitiæ conuoluens spiras, dolosis ore argutiis ambitionis venenum Protoparentibus propinat, quò illos cum tota posteritate ad omnes prauitates subdolè inuitet, dum mentem præuaricatione conspurcat. Et primò furtim demit mortis memoriam & terrorem, vt legis munimenta deprædetur: pœnam adulterat, quò ad legem perfringendam propellat; fiatque paradisus, ambitiosa præuaricationis officina. Nequaquam, inquit, morte moriemini. Scit enim Deus, quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri. *Et eritis sicut dij scientes bonum & malum.* Vnde tantus error sic infuscare potuit cælitùs claratam hominis mentem, vt sibi seriò persuaderet, se nuper creatum è guloso crudi pomi morsu, in dignitatem Creatoris reformandum, impossibili metamorphosi? Benè est, Regem se subcælestium creaturarum vidit, dum earum renunciatur Præses: dotis nomine terras accipit; paradisi Dominus constituitur; corpus tot naturæ elogiis, animum tot gratiæ prærogatiuis adornatum agnoscit, immortalitatis priuilegio per omnia augustus. Quidnam ex his prærogatiuis, sic rationem præstrinxit, vt diuinitatem à serpente promissam ambire præsumeret? nisi enim priùs per summam elationem insolesceret, sumptuosis diuinitatis spebus minimè tangeretur. Ecquod humanum elogium, viam sternere, & gradum ad diuinitatem præsumendam facere eualuit? Rupertus Tuitiensis, eruditus & subtilis doctor, rem hanc accuratè tractans, ita exponit præfata verba: *Eritis sicut dij*, sic de primis parentibus scribens: *Tantis ingrati beneficiis, Deo subesse despiciebant; & conscij quanta generationis forent patres & principes, iam sicut Dij, id est, re vera Dij haberi volebant.* (*Sicut* enim non semper pro similitudine, sed aliquando ponitur pro veritatis ostensione, vt illic: In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus *Sicut* consolati. *Sicut* consolati, inquit, id est, verè consolati. Hucusque Rupertus) Scilicet nondum se Adamus & Eua considerant, vniuersi Reges, creaturarum Præsides Paradisi incolas & Dominos, gazis naturæ, & gratiæ censu opulenter ornatos, augusto immortalitatis priuilegio illustres; tunc sic arroganter efferuntur, vt ambitu diuinitatis tangerentur. At dum *Deo subesse despiciebant; conscij quanta generationis forent patres & principes, iam sicut Dij, id est, re verà Dij haberi volebant.* Sic hominum Protoparentes præmaturè superbiunt ob peramplè illustrissimam futuram denuò posteritatem? Vterque Homo nuper à Deo factus, dum conscius animaduertit, se tot homines exinceps facturum, sic est arroganter elatus, sic intumuit superbiæ typho, vt augustum diuinitatis solium ambitione præsumeret. Hinc tanto olim censu fœcunditas fuit. Et licet non sic homines deinceps insanierint, vt de generis propagatione diuinitatem sibi vsurpare præsumpserint; tamen suam inde naturam, aut in præstabilius quidpiam reformare, aut recudere ambitiosè putabant, susceptæ sobolis priuilegio.

[Marginal notes: Gen. 3. v. 5. — Adam dū se consideraret omnium hominum patrem, consiniū cum diuinitate præsumit. — Rupert. lib 3. in Gen. cap. 1 — Psal. 125. v. 1.]

3\. Dum sacer Historicus recentionem texit generationum ab Adamo, per parentum traduces, vsque ad Abrahamum genere manante; ibi per plures annos se sistit, ob Saræ sterilitatem, quæ Patriarcham diu improlem fecit; quò spes liberorum naturaliter accisa, animosior foret fidei palæstra. Affluebant vndique diuitiæ, sed dum heres differebatur, ipsâ egestate molestiores erant, fructu suo viduatæ. Dolebat animitùs Patriarcha, & gratè querulus, hac super re cum Deo expostulabat. Angitur adæquè Sara tanquam tragœdiæ causa, & hoc commento vtriusque genus adniritur propagare: Igitur Sarai, vxor Abram, non genuerat liberos: sed habebat ancillam Ægyptiam nomine Agar, dixit marito: Ecce conclusit me Dominus, ne parerem: *Ingredere ad ancillam meam, si fortè saltem ex illa suscipiam filios.* Cúmque ille acquiesceret deprecanti, tulit Agar Ægyptiam ancillam suam, & dedit eam viro suo vxorem, &c. Prima omnium Sara hoc arbitrio propagandæ posteritatis, viuidam parentum

[Marginal notes: Gen. 16 v. 1. — In Hebræa lingua synonyma sunt, Suscipere filios, & ex filiis ædificari.]

parentum appetentiam expressit, zelotypiam negligens, vt aliquo modo parens diceretur. Verùm notanda sunt verba, quibus Sara se habituram liberos significauit: *Si fortè*, inquit, *ex illa suscipiam filios.* quæ Hyeronymus sic eruditè ad rem præsentem exponit: *Diligenter nota, quòd procreatio filiorum in Hebræo, ædificatio scripta est. Legitur enim ibi: Ingredere ad ancillam meam, si quomodo ædificer ex ea.* Filii ne ædificant parentes, an potiùs parentes condunt & ædificant filios? Parens, totius posteritatis architectus est, qui posterorum fabricam generatione molitur, & educationis sublimitate ad fastigium vsque perducit. An non parens idem ac conditor est? & quidem filiorum: filii enim vt formantur à parentibus, ita de re architectonica mutuato vocabulo, fabricari etiam dicuntur: quo igitur pacto parentum fabricam iam diu conditam, successores moliri dicuntur? ô! sic hominis infœcundi ædificium seu vita, labascere putatur, & de posterorum inopia ruinam minitari, vt, quasi ad parietinas redactum foret denuò *ædificari* dicatur? In Hebræa lingua Mysteriorum grauida, pulchra synonyma sunt, Filios *suscipere*, ac ex filiis *ædificari.* quasi filii ædificent, condant, & fabricent parentes. Sic improles homo, nemo hominibus putabatur: Sic olim magnificum erat, filios fœcundè procreare, vt sterilis haberetur maledictus! quò illustre virginitatis decus, qui est flos gratiæ, illibatus Euangelio seruaretur.

Hieron. in qq. Hebr.

4. Geneseos 44. in eloquenti illa Iudæ ad Iosephum oratione pro Beniamino furati scyphi reo: Interrogasti, inquit, priùs seruos tuos: Habetis patrem, aut fratrem: & nos respondimus tibi Domino meo: Est nobis pater senex, & puer paruulus, qui in senectute illius natus est; cuius vterinus frater mortuus est, *Et ipsum solum habet mater sua, &c.* Nunc superstes adhuc erat Rachel, quæ suum Beniaminum olim parturiens obiit? Quomodo Iudas verè dicere potuit, *Ipsum solum habet mater sua?* O pulchram materni amoris hyperbolen! Quondam sibi mortua est Rachel; sed adhuc viuit proli, & viuit in prole: sibi cadauerascit, filio viuescit. Diu defuncta, superstes dicitur charissimò filio; & frigidi matris cineres prolem adhuc fouent: *Ipsum solum habet mater sua.* Vel aliter. Ideò adhuc superstes dicitur Rachel, quia partitione Beniamini defuncta, morte suá emit filij vitam. Filio conuiuit, quæ vt filius viueret mortua est, à filii vita nouam sibi fœnerans vitam. Sic vitam non perdidit, sed mutauit; arcanè rediuiua iuuenescens in prole. Vita parentis, filius superstes est, quæ cum defuncto filio viuis exequiis tumulatur. Sic iuuat velitari ad mores. Litteralissimum sensum nuper inibi dedimus.

Genes. 44. v. 20. *Rachel mortua, adhuc in filio superstes est.*

5. Geneseos 1. primus homo recens formatus, Deo pronubo Euæ matrimonio iungitur; à quo tota gens hominum originem ducit. *Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Ad quæ verba alludens Tobias Saram ducens, ita Deum supplex alloquitur. *Tu fecisti Adam, & dedisti ei adiutricem Euam firmamentum vxorem eius. Ex his natum est hominum semen.* Nempe vxor tot liberos pariens, qui terram repleuerint immetatâ sobolis propagatione, mariti *firmamentum* nominatur. Parum est parentes filiis *ædificari:* fœcunda vxor mariti *firmamentum* est, & eius valida subsistentia. Nisi malis *firmamenti* nomine cælos innui. (quod in sacris litteris obuium est) quasi vxoris fœcunditas, dum numerosam sobolem fundit, marito instar *firmamenti* aut cæli sit. Sic parentes coplosâ posteritate venustantur, decorantur, sublimantur, vt vxoris fœcunditas, velut mariti cælum seu *firmamentum* sit? Hinc Adami & Euæ arrogantior superbia. Nimirum (vt nuper diximus ex Ruperto) *Deo subesse despiciebant; & conscij quanta generationis forent patres & principes, iam sicut Dij, id est, re verâ Dij haberi volebant.*

Gen. 1. v. 28. apud lxx. Interpret.

Vxor fœcunda velut firmamentum mariti sit.

§. CCCVIII.

Coniuges amissam in se virginitatem fœcundiùs quodammodo restaurant in sobole.

1. NOn benè, opinor, inde taxatur nuptiarum census, quòd naturali quâdam libidinis ambitione, homo amissæ immortalitatis candidatus existat: cúmque humani generis Protoparentes præuaricando, mortales ex immortalibus effecti fuerint, aliam propè immortalitatem per successionem generis exambierint, prioris æmulam. Verùm corporea filiorum procreatio, quæ genere manante perennat, non vitæ magis, quàm mortis occasio hominibus existit, dum in ipso vitæ auspicatæ vestibulo, inchoatæ iam mortis tabula inauspicatò legitur; cùm soboles mori exinde incipiat, vnde vitam caducam inchoauit, & quò vltrà viuendo procedit, eò velociùs festinet ad tumulum. Ergo nuptiarum arbitrium, non affectit immortalitatem, sed mortalitatem prodit, & funera latiùs propagat, & vitam mortis fœcundam. Potiorem nuptiarum causam assignauit Apostolus, ex malitia, quam arcet: bonum enim est, quòd malum prohibet, inde de libidinis venia nuptiæ commendantur, quasi concupiscentiam quodammodo expungat. *Melius est enim nubere, quàm vri.* Sed quale bonum est, quod de malo quod submouet, laudatiùs commendatur? quale bonum est, quod de virginitatis dispendio, bonitatis compendium facit? & virginitatis flore, caducæ sobolis fructum mercatur? Verùm cùm fide sanctum sit, matrimonium esse bonum, ac licitum, à Deo institutum, & eius in terris præsentia honoratum, & à Raphaële Tobiæ sollerter procuratum; nunc dabo operam, vt à iactura virginitatis nuptias vindicem, quam sæpè cumulatiùs propagant, dum in fructu vberiùs reddunt, quod in flore perdiderunt. Ait enim hîc Tobias: *Et nunc Domine tu scis, quia non luxuriæ causâ accipio sororem meam coniugem, sed solâ posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.*

Nuptiarum bonum, ex triplici caritatis elogio commendatur.

1. Cor. 7. v. 9.

Hic vers. 9.

2. Ioannis 2. *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus, & Discipuli eius ad nuptias.* Ecce inter cætera filius Virginis venit ad nuptias, qui apud Patrem existens, instituit nuptias, ait Augustinus. Et addit: *Quid autem mirum si in illam domum ad nuptias venit, qui in hunc mundum ad nuptias venit?* Ergo erubescat Tatiani, & Marcionis, cæterorúmque qui nuptiis detrahunt, hypocrisis plena perfidia, quam Christi præsentia sic prædamnat. Verùm quid est, quòd Christus Deus, Patre virgine æternùm satus, (prima Trias virgo est) & Matre

Ioan. 2. v. 1. & 2.
August. de Verb. Dom. serm. 41.
Tract. 8. in Ioann.

Matre virgine in terris natus; & ipsamet Virgo, vel ipsum nuptiarum bonum non erubescunt? Quid virginali iuueni, & virginis tenero pudori cum nuptiali turba? Esto, in aliis non reprobent coniugalem mensam, & thalamum; saltem virgineus pudor nonnihil deuenustari alicui forsan videbitur, ex amica nuptiarum præsentia. Quid Christo Virginis filio, quid Virgini virginis filij matri, cum interuentu nuptiarum? Vbi datur amittendæ virginitatis pignus, virgo inibi decenter assistat? Et vbi est secessus, virginitatis custos & index? Sed penitiùs explorare licet, an sit aliqua matrimonij cum virginitate cognatio, de cuius pudico confinio placeat nuptiis adesse.

Qui nuptias aufert virgines simul tollit.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus, & Discipuli eius ad nuptias. Audiendus est vice commentarij Nazianzenus ita subtiliter æquè, ac eloquenter fatus: *Non esset cælebs, nisi & nuptiæ: vnde enim in hanc vitam ingressa est virgo? & nequaquam coniugium pudicum, nisi virginem fructificaret Deo, & vitæ.* Scilicet nuptiæ de pudicitiæ prouentu aspectabiles sunt, & virginis Filij, ac Matris præsentia honorandæ, nam nuptialis thalamus, etsi iactura virginitatis, virginitatis fœcundus est, & virgines numerosè parturit: detrimentum, quod in se patitur, vberiùs restituit in sobole; & virginitatis flos dum nuptiis marcet, pulchrè vernat, & abundantiùs floret in liberis. Si vna Eua nunc virgo foret, nec Deo velut paranympho viro nuberet; vnde tam splendidus virginum chorus, quo Ecclesia nitet? *Non esset cælebs, nisi & nuptiæ: vnde enim in hanc vitam ingressa est virgo?* Magna laus deesset coniugio, nisi inde existeret sumptuosa virginitatis gloria. Quot celebratis nuptias, tot censere virginitatis propagines. Virginitas liberorum, stipendia nuptiarum sunt. Quod parentes nuptiis perdunt, in liberis abundantiùs restituunt, & pudico corporum commercio, pudicitiæ vsuras acquirunt; dum Deo, & vitæ abundantiùs reddunt, quod vt vberiùs redderent amiserunt. O discant homines è Nazianzeni, id est, Christi schola, hunc opinatissimum nuptiarum finem! Coniugii fructus vberes percepit, non tam qui copiosum numerat filiorum gregem, quàm qui virginem sobolem votiuè Deo consecrat. ô bonas nuptias virgini pudicitiæ vectigales! His nuptiis virgo Filius cum virgine Matre, lubens adest.

Greg. Naz. Orat. in dictum Euang. &c.

3\. 1. ad Timothæum 2. postquam Apostolus ad omnem frugalitatem fœminas erudiuit, ita moralissimè scribit: *Saluabitur autem mulier per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.* Quid est, quod docet Apostolus: Mulier nupta *saluabitur* per filiorum generationem? Quasi dicat, ait Lyranus: licet mulier non saluetur per doctrinam, quam illi in Ecclesiis non concedo, *Saluabitur per educationem prolis ad Dei seruitutem*, quasi solers liberorum educatio sit altera eorum generatio. Cæterum communiter interpretes, τὸ *Mulier saluabitur per filiorum generationem*, absque metaphora accipiunt: sic enim si commodè fieri potest, accipi debet. Ex quo sic contra arguit Strabus Fuldensis: *Videtur ex his verbis obesse mulieri, si filios non habuerit.* Damnatur ne hîc sterilitas, an pia coniugij contrahendi occasio coniugibus euulgatur? Peridoneè S. Hieronymus exponit præfata Pauli verba: *Saluabitur mulier per filiorum generationem:* sic aduersus Iouinianum scribens: *Tunc ergo saluabitur mulier, si illos genuerit filios, qui virgines permansuri sint: si quod ipsa perdidit, acquirat in liberis, & damnum radicis, & cariem flore compenset, & fructu.* Ergo filiorum numerus salus parentum est: *saluatur* enim mulier per filiorum generationem. O insperatam parentum felicitatem, quæ de prolis fœcunditate, quam perdiderat virginitatem, vberiùs restaurat in sobole, & de pudicitiæ carie amœnior vernat pudicitia copioso virginitatis prouentu. Quisquis nuptias vetat castitatis amore, virginitatem prohibet, quæ è nuptiis procreatur, nemo qui præcidit radicem fructus quærat, quos in radice iugulauit præcoqua morte. O nouum in coniugibus acquirendæ salutis titulum! *Tunc ergo saluabitur mulier, si illos genuerit filios, qui virgines permansuri sint, si quod ipsa perdidit, acquirat in liberis, & damnum radicis, & cariem, flore compenset, & fructu.* Itaque coniugium non modò amissam immortalitatem vtcumque recuperat, & libidinis veniam præmaturè largitur; sed cùm virgines procreat, virginem sobolem Deo sponso maritat, & dum virginitatis diuitias perdit, arcanum virginitatis thesaurum in liberis inuenit, quando de suis cineribus pudor renascitur, & de emortuis fauillis micantiùs scintillat. Non satis ampla foret matrimonij laus; si virginitatis gloria omninò viduaretur.

1\. ad Tim. 2. v. 15.

Lyran. ibid.

Amissam virginitatem coniuges restaurant in sobole.

Strabus ibi.

Hieronym. lib. 1. aduers. Iouinian.

Lucæ 1. Elizabeth annositate iam mortua, sanctum reuiuiscit in partum: & arida, atque exarata rugis membra medullis vitalibus in viscera fœcunda viridantur: ipsum quoque tempus, ipsum quo desiderat, reuocatur ad corpus: & vetustate nimia domus vteri dilapsa in faciem nouam subitò reparatur: stupet ordo, deficit consuetudo, miratur natura; & ipsa mater vix vtero credit inopinato. Erubescebat anus fœta, verecundabatur vetula primi partus, & puerperam senectus abscondit extrema, ne sterilitatis opprobrium risus fœcundæ senectutis augeret. *Et occultabat se mensibus quinque, dicens: Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.* Adhuc pergit Chrysologus præfata Euangelistæ verba exponens. *Honor coniugij, matrimonij dignitas, est procreatio dulcium liberorum: satis enim graue est, & satis triste, & virginitatis carere præmio, & filiorum solatia non habere, sustinere onera matrimonij, & ad fructum matrimonij non venire.* Chrysologo inibi consentit Ambrosius pulchro ingenij & eloquentiæ certamine: *Agant, inquit, partes gratias, quia generauerunt; matres quia coniugij præmiis honorantur; stipendia enim militiæ suæ filij sunt.* Nempe Ioannis natiuitas, & sterilitatis opprobrium ab Elizabetha abstulit, & honorem coniugij, & matrimonij dignitatem perpetuò virginis prolis procreatione contulit: satis enim graue est, & infeliciter triste, *& virginitatis carere præmio, & filiorum solatia non habere. Tunc ergo saluabitur mulier, si illos genuerit filios, qui virgines permansuri sint. Si quod ipsa perdidit, acquirat in liberis, & damnum radicis, & flore compenset & fructu.* Agat ergo gratias diu improles Elizabetha, quia coniugij præmiis honoratur: stipendia enim coniugalis militiæ virginescens proles est, quò virginitas, quæ emarcuit in radice vernet in flore, autumnet in fructu. 4.

Lucæ 1 v. 25. Chrysol. ser. 92.

Honor coniugii & matrimonii dignitas, est proles virgo.

Ambr. lib. 1. in Lucam.

§. CCCIX.

§. CCCIX.

Sæpè bonis noſtris actibus, potiùs quàm aſperioribus verbis, errantium mores reprehenduntur.

1. Clem.Alex.1 Pædag.c.9. QVemadmodum ſpeculum non eſt malum deformi (ait Alexandrinus Clemens) eò quod ipſum oſtendit, qualis ſit: ita neque is, qui reprehendit, ei malè vult, qui laborat animo. Ita quidem. Verùm cautè admodum reprehenſionis negotium peragendum eſt: nam perſæpè qui ſceleratum hominem incuſat, & carpit, & eius deformitatem ore velut ſpeculo repræſentat, quæ illi ad emendationem obiicit crimina, eadem, grauioráve ſibi ad exprobrationem accerſit, & in ſe quodammodo exprimit. Nam eiuſmodi homines à delicto & in delicto impudentiam edocti, obiecta ſibi ſcelera in correptores petulanter retorquere ſolent. *Reprehenſor velut ſpeculum ſceleratorum eſt, in quo ſuam deformitatem videant.*

Greg.lib.8. Moral. c.24. *Scelerati de alienis criminibus ambiũt innocentiam.* *Correptione exaſperatus* (inquit Gregorius) *protinus in contumelias reſurgit, & quæ mala exaggeret contra vitam correptoris dicit. Demonſtrare incomparabiliter magis reum, ſuum reprehenſorem deſiderans, vt innocentem ſe non ſuis actibus, ſed alienis criminibus oſtendat.* Hinc ſollers prudentia, quò reciproca deuitet conuicia, ne correptio euadat contentioſa vitiorum rixa, rebus potiùs oppoſitis quàm exaſperantibus verbis, mores reprehendit, & errantium delicta compeſcere, conſultiſſimè ingeniatur, quod eſt pulchrum emendationis arbitrium, in iis præcipuè qui adhuc medicabilibus ægrotant vitiis, de ſuo Baſilio erga ſqualidè ægrotos humaniſſimè pio, ita fatur Nazianzenus: Naz.Orat. pro Baſil. Hic v.11. *Quocirca ne labra quidem vir nobilis, & nobilibus ortus gloriáque clariſſimus, ægrotis admouere grauabatur. Ita non modo loquendo ſed etiam tacendo monitoris partes obibat.* Scilicet Baſilius *labra* ſordidè ægrotis admouendo, eos qui præ nauſea neque infirmos inuiſebant, vrbanè arguit. (Sed obiter Xauerium noſtrum deſcribit, qui ægrotantium purulenta vlcera ore lambere non exhorruit.) *Xauerius ægrotorum purulenta vlcera ore lambere non exhorruit.* Sic Raguelus hîc ſuo exemplo ſuos ſeruos admonet, vt expliciùs in aliis exſcriptionibus traditur.

2. Geneſeos 17. dixit Deus ad Abraham: Saraï vxorem tuam non vocabis Saraï, ſed Saram. Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium cui benedicturus ſum, eritque in Nationes, & Reges populorum orientur ex eo. Gen.17.v.17. *Cecidit Abraham in faciem ſuam, & riſit, dicens in corde ſuo: Putes ne centenario naſcetur filius? & Sara nonagenaria pariet?* Eſto, Abrahamus in cordis ſecreto *riſerit*, præ rei arduitate dubitans, an eiuſmodi pollicitationes implendæ forent; id tamen Deum non latuit, qui cordis etiam penetralia intuetur. *Iſaaci nomẽ Abrahami riſum vrbaniſſimè arguit.* An non oportebat, Abrahamum fidei patrem futurum, huiuſce diffidentiæ arguere? Sed vide mihi argutum correptionis arbitrium. Porrò infrà refertur, quòd viſitauit Dominus Saram ſicut promiſerat: & impleuit quæ locutus eſt; concepítque, & peperit filium in ſenectute ſua, tempore quo prædixerat ei Deus. Gen.21.v.3. *Vocauítque Abraham nomen filij ſui, quem genuit ei Sara, Iſaac.* O magnum vocabuli ſacramentum! Scilicet Iſaac *riſum* ſignificat, quò ambigentis *riſu* patris dubietatem corripiat. Quod Claudius Marius Victor modulatè notauit, ita pangens ad illa verba; Claud.Mar. lib 3.in Gen. *Et riſit, dicens in corde ſuo, &c. Sed tamen ignoſcam dubiis, puerόque futuro imponam nomen, quod culpam hanc arguat.* Nempe Abrahamus propè centenarius, à Deo audit, Saram nonagenariam ei parituram filium in effœta iamdiu ætate; ambigit de pollicitatione dubius fide, & præ dubietate *ridet*: ergo dum Deus promiſſionem adimplens ſuam, promiſſum illi donat filium, quòd appelletur *Iſaac*, id eſt *riſus*, iubet; vt ipſum nomen in tenella infantis carne inſculptum, priſtinam diffidentiam *riſu* expreſſam iugiter reprehendat, & dubietatem olim ſuam in puero deſcriptam crebrò legat, quò vrbaniſſimè delictum reprehendat: *Ignoſcam dubiis puerόque futuro imponam nomen, quod culpam hanc arguat.* O moraliſſimum conceptionis ingenium! de impletione ſponſionis dubitans, *ridet*; ergo adimpletio ipſa *riſum* geſtet in nomine, *quod culpam hanc arguat.* Pulchrè quidem Marius!

Marci 16. *Recumbentibus illis* (diſcipulis) *vndecim apparuit Ieſus: & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis: quia iis, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt.* 3. Marci 16. v.14. Alibi diſputabamus, quo tempore hæc diſcipulorum reprehenſio facta ſit: quia difficile creditu eſt, quòd Chriſtus Deus paulò ante ſuam Aſcenſionem glorioſam, durâ hac infidelitatis correptione ſuos Diſcipulos exacerbarit. Exinde P. Ioannes Maldonatus inibi ſeriò cenſet, Mald.inibi. Vnius Thomæ reprehenſionem per ſyllepſim ad reliquos ampliari: nempe cùm Ioan.20. Ieſus dixit Thomæ: Ioan.20.v.27 *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* *Conuicia, meliùs viuẽdo, quàm loquendo arguimus.* Itaque ſiue vnus, ſiue plures Diſcipuli dubitauerint de eius Reſurrectione, oſtendendo ſe viuum, cum illis loquentem, & conueſcentem, (etſi alia deeſſet reprehenſio, de quo non diſputo) vrbaniſſimè eos corripit, *& exprobari incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia iis qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt.* O exemplarem ſæpè corripiendi formam! Scelus commiſſum fuit, putaſſe Chriſtum hactenus in ſepulchro emortuum iacere; ergo dum ſe illis viuum oſtendit, eorum incredulitatem tacitus exprobrat, & dubietatem mirè corripit. Quò Paullini verba aliorſum ſcripta adludere videntur: Paull.ep.27. *Talium*, inquit, *conuicia, viuendo meliùs, quàm loquendo arguimus.* Conuiciantur Chriſto adhuc eſſe mortuum? ſe viuum oſtendendo optimè conuiciatores arguit, & corripit. Tibi exprobrant inſipientiam, inuerecundiam, incontinentiam, puſillanimitatem, aut quoduis aliud dedecus? ſat vituperones corripis, ſi te opere ipſo magnanimum, pudicum, & eruditum exhibeas. Opere citiùs, quàm ore contumeliam excuties: & dum tacita lingua mendaces oſtendis calumniatores, acerbiùs illos arguis, quaſi malitioſos fabricati mendacij architectos. O pacatam, & comptam reprehendendi diſciplinam, de Chriſti ſchola depromptam!

4. In hoc cap.3. verſ. 9. acerbè Sara puellam reprehendit, & tanquam domeſtici alicuius delicti ream, ſeueriùs obiurgat. At puella, potiùs exacerbata, quàm emendata euaſit. (iuxta nuper dicta ex Gregorio) *Ergo cùm* Sara *pro culpa ſua increparet puellam reſpondit ei dicens: Amplius ex te non videamus filium, aut filiam ſuper terram, interfectrix ſeptem virorum. Numquid & occidere me vis, ſicut iam occidiſti ſeptem viros?* Tob.3.v.9. Hæc probroſa æquè ac falſa conuicia muto ſilentio Sara audit, ad oratorium feſtina confugiens. Sara ne irrepre-

irreprehensam, & inemendatam benè petulantem dimittit puellam, quæ ob leuem in re domestica noxam, eandem nuper seueriùs reprehendit; Aut non debuit sic acerbè illam inertiæ nuper arguere, aut temerariam insanè petulantiam durâ reprehensione nunc debuit cohibere. Imò seueriùs illam corripuit, non garrulo ore, sed contrario iactatis opprobriis opere; dum Tobias in thalamo seruatus est sospes, & Sara multâ, feliciq́ue prole postmodum aucta est. Quid in re prope simili eloquenter docet Ennodius. Qui Parthenium suum sororis filium, iuuenili lasciuientem ætate, Romam mittens, vt sub Luminosi disciplina erudiretur; veritus ne Luminosus iuuenis Parthenij cognatas noxas seuerioribus verbis increparet, ita scribit: *Parthenio ad venerabiles disciplinas Romam petenti, pro ferratis calcaribus sufficit vos videre. Si ab humanitate non discrepat, sublimitatem tuam gerens ante oculos rebus ad virtutem potiùs quàm monitis excitatur.* Nimirum satagit Ennodius vt suus Parthenius cum peritiæ incrementis, patriæ, & ætatis vitia dedisceret: sed veritus, ne Luminosi *monitis*, & obiurgationibus iuuenilis Parthenij ætas fortè exasperata insolesceret, seriò præcauet, & institutorem consultissimè præmonet, vt *rebus ad virtutem potiùs quàm monitis*, & reprehensionibus *excitetur*. Parthenij ira, Luminosi mansuetudine mitescat: alumni libido, ambitio, petulantia, gerens ante oculos institutoris castitatem, modestiam, frugalitatem, & omnium virtutum ideam, ad virtutis disciplinam feliciùs erudiatur. Scilicet cupit Ennodius, vt sui Parthenij vitia, de Luminosi præsentia, & occursu meliùs quàm de obiurgatione suffundantur. *Quis æquo animo ferat monitorem, quod verbis destruit, actibus non vitare*; Quod si actibus implet; si alumnus ab humanitate non discrepat, ipsis *rebus ad virtutem potiùs quàm monitis*, & obiurgationibus *excitatur*. Ast peruicaces & refractarij vrbanum hoc correptionis genus contemnunt. Ab hoc reprehensio auspicium sumat, quod si inauspicatò succedat; acriori obiurgatione verberentur: nam dura ingenia ferro, & igne edomanda sunt.

Rebus ad virtutem, potiùs quàm obiurgationibus, excitetur.

Ennod. lib. 5. epist. 11.

Idem lib. 7. epist. 6.

5. Marci 1. dum Ioannes Baptista, & prædicans, & publicos mores seueriùs reprehendens auditur, induitur cilicinâ veste spinosus, syluestri cibo ieiunus; de mundi penuria supra humanum fastigium existimatus: Ecce ego mitto Angelum meum. *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Tali viuendi instituto opinatissimus, idoneus fuit, qui vitia hominum palam argueret. Ad quæ Marci verba ita fatur Hieronymus apud S. Thomæ catenam: *Multi benè agunt, sed non benè corrigunt, vt Heli. Multi benè corrigunt, sed non benè agunt, vt fuerunt Scribæ, & Pharisæi.* Quis ferat monitores Pharisæos, qui quod verbis adstruunt, actibus non deuitant? Pharisæos æmulatur, in vita mollis, in reprehensionibus durus. Qui benè corripit, & malè agit, Pharisæus dicitur. O ætatem Pharisæorum fœcundam! Hîc liceat eloqui id, quod habet instar prouerbii: *Pater qui non potest corrigi, corrigit filium*, quæ sunt verba Clementis Alexandrini in Adhortatoria ad Gentes. Vide quàm appositam emendatoris ideam Traianus exhibuit: *Corrupta est disciplina castrorum*, (ait Panegyrista) *vt tu corrector, emendatórque contingeres: inductum pessimum exemplum, vt optimum opponeretur.*

Marc. 1. v. 3. *Qui benè corripit, & malè agit, Pharisæus dicitur.*
Hieron. apud Catenam.

Clem. Alex. in Adhort. ad Gentes.
Plinius in Panegyr.

P. Didac. de Celada in Tobiam.

Marci 4. Christo cum Discipulis in scapha transfretante, facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis. *Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens: & excitauerunt eum, & dicunt illi: Magister, non ad te pertinet, quia perimus?* Quid est, quòd ad dormientem confugiunt vigilantes? credunt obsistere sæuientibus elementis eum, cui somnum dominari suâ compassione arbitrantur? opinantur irruisse taliter humanæ necessitatis soporem, vt nec fragore maris, nec clamore fluctuum, nec extremo imminente naufragio potuerit suscitari. Et vbi est illud: Ecce non dormitabit, neque obdormiet, qui custodit Israël? Pergit ad rem Chrysologus: *Per se non dormit, neque sibi dormitat majestas expers lassitudinis, quietis ignara: sed totum per me mihi agit, qui quoties speciem sui actus, sui vultus immutat, toties nostrarum varietates arguit, & culpas animarum. Audi Prophetam dicentem: Palpebræ eius interrogant filios hominum.* Dum sopore decumbit Christus, non tam sibi dormit, quàm mihi vigilat; & palpebris suis interrogat filios hominum, & culpas arguit. Nostram in re virtutis inconstantiam, arguit somnus in nuper vigilante: nostræ fidei soporem, aut torporem, Christi somnus condemnat, *qui quoties speciem sui actus, sui vultus mutat, toties nostrarum varietates arguit, & culpas animarum. Palpebræ eius interrogant filios hominum.* O quàm vrbanè Christi actiones, nostrarum defectum arguunt, & humanas culpas exemplo reprehendunt!

6.

Marc. 4. v. 38

Somno suo suos Discipulos Christus arguit, vrbana reprehensione.

Chrysolog. serm. 21.

Psalm. 10.

§. CCCX.

Terrena regio, vel cæli tractum sibi respondentem, suorum pestilitate morum, infestare putatur.

Potissima tibi cura sit, vt improborum consuetudinem fugias: magna enim pars probitatis est, à noxio cœtu recessisse: non quod virtutis magistra solitudo sit, sed quòd, vbi inhortator, ductor, comes, laudator abest, vitia subsidunt, quorum probari fructus est. Neminem censeo sanabilem, quousque vitiorum ductore, inuitatore, laudatore, comite caruerit: carebit si improborum familiaritatem, & contubernium vitauerit: vitasse, caruisse est. Tantum ad malignitatem consuetudo valet, vt qui socios auferat, vitia sustulerit. Quisquis prauo malignóque contubernio se adiunxerit, imbibit malignitatem. Retrahit se ergo à tali qui præcipitia non amat; nec dabit se in illud. Mores suos inhalat improbitas, & vicina quæque malitiæ contagione deprauat, toxicat, culpat. Nemo vel in bonæ indolis, vel in sincerioris innocentiæ asylo, tutus est à maligni socij peste, quæ per aures, oculos, & totam sensuum experientiam hauritur, serpente alienæ malitiæ contagio, & sensim in mores eunte: ô fuge propinquorum pestilentiam, quisquis eadem corripi pestilitate non amas! Qui deprauari non ambit, exuet se prauorum contubernio, & melioribus se dabit, ad quorum vitam, vitam effinget suam: ne mores quos nuper execrabatur in alio, citiùs in se exprimat, vicinæ imitatione malitiæ. *Gemmarum diuites venæ* (inquit Cassiodorus) *auri fulgore pretiantur & gloriam*

1.

Vitanda improborum consuetudo.

Politico-Christ. lib. 1. cap. 2.

Cassiod. l. 5. epist. 40.

pulchritudinis capiunt, qui nullâ degeneri vicinitate sordescunt.

2. Geneseos 19. adsunt pudicitiæ præposterè violatæ, vltrices è cælo Potestates, seuerioris excidij administræ. Iustus Lot fetus Sodomorum habitator, citò cogitur Sodomam deserere, & inde quantocyùs exulare. Recusat arduum montis effugium, & lassus exæstuans, in vrbecula Segor subsidere exposcit. Vix annuerat Angelus, & Lot ingressus est Segor. *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cælo: & subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terra virentia.* In confesso est hanc Pentapoleos regionem, introrsum sulphureos alere ignes, quos vastis terra hiatibus, præuio terræmotu atrociter euomit: de quo agit Hieron. in qq. Hebraicis super Gen. ad c. 14. & 19. & commentatores dum tractant, cur Lot post Sodomæ deflagrationem discesserit de Segor: tum etiam ad cap. 14. agentes de *puteis bituminis* Pentapolitanæ regionis: cùm inquã, id compertum sit, peruestigare oportet, quare hæc Sodomitica regio, quæ sulphureũ ignem medullitùs violenter alit, ad Sodomorum excidium sulphureos ignium globulos, non ex imis visceribus eructauit, quò tota deflagraret, & funditùs euerteretur? Quid necesse fuit peregrinos è sulphure ignes è cælo adsciscere, cùm agnati, ipsique voracissimi, in natiuo solo abundè suppeterent? Actior ne est ignis cùm in alieno solo peregrinatur, quàm dum in natiuo loco obuia quæque combutit: De cælo euocandus erit ignis sulphureus, vt incendio deuastet regionem, quæ sulphureo igne intrinsecùs ardet? An remissior erit flamma terrigena in suos, quam si de cælo, aduocata, in terras deśæuiat? Nisi fortè non ascẽdens naturaliter in cælum ignis, sed de cælo violentè descendens, in acerbiorem pœnam aduocatur. Imò saltem (vt opinor) Cælum agnatâ generositate mitiùs castigabit, quàm Terra, de rusticana ignobilitate agrestior & crudelior. Cur ergo ignis sulphureus, non ex inuiscerato illius regionis conflatorio, sed de peregrino cæli conceptaculo, notanter adsciscitur: *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cælo.* Ad quæ verba obseruat Caietanus, quod nuper addubitando notabamus: *Et adiungit*, inquit, *de cælo, ad differentiam conflagrationis naturalis, quâ pars aliqua terræ solet ardere accensâ terrâ in inferioribus. Hæc enim combustio, hæc flamma, ex superioribus, è cælis venit.* Sed quare è cælis venerit, cælis insolens, sulphureæ flammæ imber, Caietanus necdum satis exponit: fortè quia id iam olim Hugo exposuerat, ad prædicta verba ita fatus: *Igitur Dominus pluit sulphur & ignem de cælo. Et attende quatuor in hoc execrabili peccato: ardorem immoderatum, fœtorem, tenacitatẽ, & contagium. Vnde societas mala maximè declinãda & fugienda est.* Scilicet Sodomitica tellus intrinsecùs alit ignem sulphureum, quo pernicioso contagio tota culpatur regio, vt potè ignivoma flammæ sulphureæ: quid ergo mirum, si ille cæli tractus, qui Sodomiticæ regioni respondet, adsimili vitio denotari videatur: quasi terræ vitio cælum quodammodo inuitiari dicatur. O illustrem ethicè eruditionem! Porrò cælum (si auitam Philosophiam spectemus) peregrinas impressiones non patitur: at tanta est pestifera propinquitatis vis, & exemplaris malitiæ contagium vt Sodomiticæ regionis vitium, euomendi sulphureum ignem, ille cæli tractus repræsentet. *Pluit sulphur & ignem de cælo. Et attende contagiũ. Vnde societas mala declinanda & fugienda est.* Nimirum Sodomitica regio igne sulphureo in terræ visceribus flagrat: ergo moralissimè illa cæli plaga, quæ regioni Sodomiticæ respondet, adsimili dicatur infestari contagio: quasi pestilens regionis halitus, vel cæli tractum illi respondentem, cognatâ pestilitate propè toxicet, & pati contagione inuitiet; vel potiùs velut inuitiatum repræsentet (miraculosa enim fuit Sodomæ è cælo conflagratio) ô in re insensibili, necessariam homini, sensu & ratione prædito, eruditionem! Vel locus ipse pestilentiarios suos mores vicinis cæli locis inhalat, & malitiâ suâ afficit, venenat, toxicat: Inde Scriptura quasi rem mirissimam obseruat, quòd Tobias eosdem mores retinuerit in ambitiosè lasciuiente Assyria, quos in Terra promissionis piè nutrierat: & Raguelus hîc eandem stragem ex eodem cubili prudenter timet.

Genes. 19. v. 24. & 25.

S. Hieron. 1.

Vitium Sodomiticæ regionis tractum cæli, qui illi respondet, moralissimè repræsentat.

Caietan. ibi.

Hugo ibi.

Hic v. 12.

3. Ioannis 4. prolixiorem cum Samaritana Christus trahebat sermonem; & cùm abstrusiora cordis secreta palam illi inuulgaret, protinùs eundem quasi Prophetam acclamat. Dicit ei mulier: Domine, video quia Propheta es tu. Sed dum Prophetam suspicatur, nihil mundanum eum interrogat, non de corporis sanitate, non de diuitiis aut honoribus, non de prospera seu infelici fortuna, quæ illi aut adridebit prospera, aut infestabit aduersa. Quid ergo interrogat? *Patres*, inquit, *nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis quia Ierosolymis est locus, vbi adorare oportet. Dicit ei Iesus: Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis patrem. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus.* Quæstionem mouet apud interpretes, quòd Christus quæstioni propositæ non respondet: nec facilè est intelligere quid sit, Samaritanos adorare quod nesciunt. Quomodo quis quod nescit, potest adorare? Quid est, quòd dum Samaritana interrogat, an in Samariæ monte, an in monte Sion adorare Deum oporteat, Christus respondet: *Vos adoratis quod nescitis?* Pulchrè inibi Chrysostomus: *Samaritani quidem quod nesciebant, adorabant; quoniam localem & particularem Deum æstimabant.* Vide quid seriò sibi Samaritani persuaserint, Deum inquam, *localem* esse, & pro locorum & regionum varietate, ipsum etiam quodammodo enariari. quasi pro conditione loci, aut regionis, ingenium etiam Deus mutare videatur: & pro loci genio aut moribus, aliis mitis & placidus, quibusdam asper & austerus, nonnullis parcè imbeneficus, aliis largè munificus existat. ac si pro loci qualitate, Deus quoque ingenium euariet, & loci mores combibat, & in se exprimat. *Samaritani quidem localem Deum æstimabant.* O humanæ ruditatis moralissimè acutam æstimationem! Quasi parum foret, cæli plagã alicui regioni respondentem, propè adsimilibus terrenæ regionis moribus affici, & terræ proprietatibus imbui; simile quodammodo de Deo putant, dum *localem Deum* Samaritani æstimant. Vel Deus in suæ immutabilitatis asylo, à loci impressionibus non putatur immunis: Samaritanorum error, dum per vesanam hyperbolen nimis audet; nos ethicè erudit, quam noxiam pestilitatem propinqui contubernalium mores ad omnẽ malitiam eructent. An non de immutabili Deo sic

Ioan. 4. v. 20. & 21. & 22.

Cur Samaritani sibi persuadebant, Deum esse localem?

S. Chrysost. homil. 32. in Ioann. apud translationẽ, quâ vtitur S. Thom. in Catena ibi. Aliter scribitur locus in vulgari Chrysostomi translatione.

pangit

Psal.17. v.27. Luc.22. v.59. pangit regius Psaltes? *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: & cum electo electus eris: & cum peruerso peruerteris.* Quin & S.
Ambr. ibi. Ambrosius, quò longiùs absit à Samaritanorum errore, propè renuit Christum appellare localem. Porrò exponens illa ad Petrum verba: *Verè & hic cum illo erat: nam & Galilæus est*, ita pro Petro scribit: *Numquid negauit cum Dei fuisse se filio? Hoc est dicere: Nescio Galilæum; Nescio Nazarenum, quem Dei filium noui. Habent homines locorum vocabula, Dei filium patria non potest nuncupare, cuius maiestatem locus nullus includit.*

4. Matthæi 9. Paralytico sanitati restituto, *Cùm*
Matt.9. v.9. *transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et surgens, secutus est eum.* Subtiliter de more Chrysologus cunctanter expendit ad rem, illud, *cùm transiret.* Sic ergo ad præfata verba Chrysologus
Chrysolog. serm 28. scribit: *Cùm transiret*, inquit, *Iesus. Non dixit, Cùm staret ibi: transiuit, & pertransiuit inde Iesus, ne Matthæus remaneret ibi: transiuit inde Iesus, ne Matthæus ibi taliter permaneret.* Telonij locus,
In telonio non stat Iesus, sed transit, & pertransit. vbi Publicani diu ad rapinam sedebant, vbi sordida auaritiæ commercia tractantur, vbi opulentæ vsurarum nundinæ prostant, vbi vectigalia rapaciter exiguntur; hic, hic inquam, telonij locus velociter transitur, & pertransitur à Christo; quasi loci sit veritus contagionem, non sibi, sed nobis. *Cùm transiret*, inquit, *Iesus. Non dixit, Cùm staret ibi: transiuit, & pertransiuit inde Iesus.* O quàm velociter vitiosi diu loci pestilitatem declinat, cui vitiatus locus contagionem afflare nequibat! In transcursu, & quasi obiter teloniarij Matthæi vocatio peragitur, ne in telonio commorari Christus videatur. Sic terrena regio sanctissimos quosque, suorum pestilitate morum infestare putatur? *Non dixit, Cùm staret ibi: transiuit, & pertransiuit inde Iesus.* Quid exaggeratiùs?

---

§. CCCXI.

Qui mortem diu coram habet, immortalem mortem sustinere cogitur.

1. Iacob.3. v.6. IAcobus Apostolus in Epistola canonica cap.3. humanam linguam infamans, sic de vita hominis fatur: Lingua constituitur in membris nostris, *quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ.* Græcum verbum quod pro *rotâ* subest, significat celerem & incessabilem vitæ cursum, quo à natiuitate ad mortem vsque, velut currente rotâ perpetim agimur, & quamocissimè rotamur. *Rota* etiam nomine nimia præsentis vitæ fallacia denotatur: nam vt multipliciter illudat, mutat faciem: modò enim se breuem causatur, modò simulat longiorem; cùm peccare delectat, adhuc gemit altiùs pro breuitate sua. Sicut
Vita nostra, fugiens tenetur, & manens fugit, rota ad instar. Nazianz. in Sent. igitur rota nunquam stat, sed perpetuâ volubilitate circumagitur; ita in hac vitæ *rotâ*, nulla stabilitas, securitas nulla reperiri potest. *Rota est* (inquit Nazianzenus) *incertò fixa, breuis hæc & multiplex vita nostra: sursum mouetur, ac deorsum trahitur, neque enim stabilis est, quantumuis ita videatur, fugiens tenetur, & manens effugit, saltat plerumque, nec tamen fugere potest, stationem suam motu trahit, ac retrahit.* Ecce tibi vita nostra incertò fixa, fugiens tenetur, & manens fugit in mortem; & stationem suam motu trahit, ac retrahit, ne nunquam non mori incipiat, nec viuere desinat, perpetuo mortis timore, quæ est acerbior vitalitatis ærumna; dum perpetua vitæ titubatio, multipliciter repetita mors fit, & calamitatum hyperbole. De illo suo Christo, quem fingebant hæretici, qui sideream, aut apparentem duntaxat carnem induerat, de cælo expositus, semel grandis, semel totus, statim Christus, Spiritus, & virtus, & Deus; ita contra ipsos scribit Tertullianus: Tertul.lib.4 contr.Marc. c.21.
Nec statim, inquit, *lucem lacrymis auspicatus, & primo retinaculi sui vulnere, nec multum ablutus, nec sale & melle medicatus: nec pannis iam sepulturæ inuolucrum initiatus.* Quasi vix natus infans, dum infantiæ pannis obuoluitur, *sepulturæ inuolucrum initiatus* dicatur. Sic præproperè sui funeris insignia gestat; Adhuc rudi & crudæ memoriæ nota recordationis ingeritur, vt in se inscripta legat futuræ mortis notamenta; O præcoquam mortis recordationem in crudo adhuc memoriæ vsu!

Geneseos 3. malesuadi serpentis pollicitationibus falsatis, gloriæ auara ambitione seducta, 2.
insano diuinitatis voto se credidit Eua: & muliebri pellacia ad diuinioris sapientiæ præsumptum epulum, Adamum pellicit. Adest confestim Deus causæ inquisitor, & sceleris vindex: & præcepti transgressoribus condignâ pœnâ mulctandis, hoc supplicio seductorem serpentem dæmonem ferit: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum.* Ser- Gen.3. v.15.
penti dæmoni ob capitale Protoparentum seductorum scelus, capitale supplicium indicitur: supplicium enim quod capiti imminet, capitalis pœna est, vt morte luat, quod suadendo deliquit; & mortem subeat, qui mortem inuexit in mundum. Ast intellectu difficile est, quo pacto per *Serpens Diabolus ad timorem mortis damnatur.*
hanc capitalem pœnam serpenti dæmoni mors immineat. Porrò si dæmonis naturalia spectes, immortalis naturâ suâ est: si attendas ad gehennales cruciatus, quibus æternum mancipatur, æternam patitur mortem: quo igitur pacto nunc capite damnatur? quænam est hæc acerbissima mors, quæ per hæc verba Dæmoni fulminatur? Claudius Marius Victor in sacro Poëmate super Claud.Mar. lib.1. in Gen.
Genes. ita exponit præfata verba: *Ipsa conteret caput tuum*, capitalem in illis sententiam agnoscens, ita modulatè pangit:

Et quia te digna placuit, tibi primus vt esses
Inuentor mortis, pœnâ moriere perenni:
Humanique odium generis specialiter in te,
Ac genus omne tuum, bello experiere potenti.
Perpetuùmque tui, mors vt tibi longa timorem
Esse dabo.

Scilicet consultissimè & pœnalissimè Deus, Dæmoni pœnam irrogat capitis, vt qui primus fuit mortis inuentor, pœnâ & ipse moriatur æternâ, dum per sui capitis *contritionem*, mortem semper timens, pœnâ moriatur perenni. *Perpetuùmque tui, mors vt tibi longa timorem Esse dabo.* Prolixior interitus est, & mors longior, quam metus præproperè anticipat, & timor incessanter multiplicat. Itaque damnatissimus dæmon gehennalibus pyris æternùm consecratus, timori mortis pœnalissimè addicitur; & cui nihil videbatur superesse supplicij, ad perpetuum mortis timorem, adhuc acerbissimè condemnatur. Sic est pœnalissimè durum & pergraue, mortem incessanter timere; sic est intolerabile, diu timendo longam mortem pati. Damnatissimi Dæmonis pœnas, quas æternùm patietur, longæ mortis perpetuus

timor exaggerat; (Quænam dicatur immortalis Diaboli mors, alibi disseruimus) Heu quanto ca-

Hic verf. 13.

lamitatum sensu premitur Sara, & angitur Tobias, dum mortem votis accersunt, & spebus anticipant: præsertim dum hìc iuniori Tobiæ sepulchrum effoditur.

3.

Psal. 72. v. 4.

Psalmo 72. penè eius narasse vestigia Dauid asserit, dum zelans super inimicos, pacem peccatorum videt. Causam subdit: *Quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum.*

Cogitatio mortis est cõiuratio in illã & illius renutus.

Prius huius versiculi hemistichium sinceriùs exponit Hieronymus: *Non cogitauerunt de morte sua.* Alij propiùs accedentes ad Hieronymi expositionem: *Non fuerunt anxij & solliciti, nihil eis cura fuit, non exagitauit eos cogitatio de morte.* Nonnulli ex Hebræa origine: *Non sunt coniurati in mortem.* Quasi qui seriò, anxiè, & sollicitè *cogitat* de morte, in illam *coniuret*, illam exarmet & detriumphet. Verum Theodoretus inibi exponens Græci vocabuli significantiam, pro respectu seu cogitatione, *renutum* exscribit: ac si respectus ad mortem, seu cogitatio ipsa, quæ mortis cogitationem ingerit, *renutus*, seu renuitio mortis sit, illius tædium, auersio, & horror. Scilicet serò mortis *renutus* seu horror subsequeretur cogitationem mortis; ipsa mortis cogitatio, & simplex illius memoria, quæ ad intellectuale cogitatorium spectat, quasi voluntatis obeat vices, in illa tanquam in renuitionis officina *renutum* cudit, & mortis horrorem exprimit ac si synonyma sint *cogitatio* de morte, & illius *renutus*. *Parece que llega tarde la voluntad à tener horrores de la muerte, y hacerle desuios; el acordarse della, es darle de mano.*

Theodoret. inibi.

4.

Ærumna timor, potiùs quàm eius perpessio, homines exacerbat.

Ion. 2. v. 4.

Ionas Propheta sortilegij arbitrio ad naufragium damnatur. *Et tulerunt Ionam, & miserunt in mare, & stetit mare à feruore suo*, & decumani fluctus in flustra sedantur, & procella in malaciam versa est. Et præparauit Dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam. Et erat Ionas in ventre piscis tribus diebus & tribus noctibus. Et orauit Ionas ad Dominum Deum suum de ventre piscis, & dixit: Proiecisti me in profundum in corde maris: *Omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt.* Gurgites vocat (vt exponunt interpretes) aquarum vortices, quos sæua illa tempestas excitauit. Chaldæus vertit, & exponit: *Omnes maris tempestates.* Verùm si vbi Ionam *miserunt in mare, stetit mare à feruore suo*; quo modo nunc dicit, quòd deturbatus in mare, omnes maris gurgites, seu omnes maris tempestates subierit; tranquillum iam pelagus Prophetam excipit, & in fluctus decumanos se proiectum affirmat. An non tam calamitatem, quam actu subimus, quàm eandem, cùm illam timemus, tunc nos subire, & pati dicimur? non cùm ærumnam toleramus, sed quando illam exhorrescimus, tunc illam perpetimur? Quia Propheta timuit *omnes maris tempestates*, etsi iam illi mare tranquillatum fuerit, illas subiisse conqueritur; (sed de hac thesi aliàs vbertim) Illud verò maximè expensione dignum est, quòd Ionas in altum mare proiectus, dicat: *Omnes gurgites tui super me transierunt?* Quid est, iam *transierunt?* Imò tunc actu transeunt? An non etiã in ventre ceti adhuc sæuis fluctibus iactatur? Ita quidem, vt subtiliter expendit Lyranus, ita scribens: *Omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt. Transibant enim super piscem, & per consequens super Ionam in eo inclusum.* Nempe omnes maris gurgites, & omnes eius

Chaldæus ibi.

Ionas metu mortis excusso, omnes iam tempestates, quas subit, transiisse significat.

Lyran. ibi.

tempestates, iam *transiisse* dicit, cùm illas actu subit, & *transibant* per piscem, vbi ipse inclusus viuum subibat naufragium; quia mortis aberat metus, vbi in viuam marinæ belluæ scapham descendit. Necdum sæui maris gurgites *transierunt*, sed illis iactatur: adhuc squalentis alui horrore nauseat, tenebricoso carcere arctè stringitur, & calamitosis aliis iactatur ærumnis; sed dum mortis timor transiit, *omnes maris tempestates* transiisse dicit, etiam dum super se transibant, quia à metu mortis transibant immunes, quasi mortis iam excusso timore, nil valde acerbum Ionæ superfit. Exinde dum omnes super eum *transibant* tempestates, omnes iam tempestates pertransiisse significat.

Iobus cap. 9. sustinendo defessus tot calamitates, quas & Dæmon repetitis plagis, & amici acerbitate consolationis exaggerabant; sic querulus de Deo fatur: *Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat.* In quibus verbis aliquid videtur Iobus cognoscere propè minùs piè dictum, quàm diuinam deceret maiestatem, cùm defessus ferendo tam acres, atque diuturnos morsus, cum aliquo stomacho mortem optet, & inferri sibi à Domino postulet, vt defunctus vitâ, sit quoque tam acerbâ vexatione defunctus. Ad hæc addit P. Sanctius ad præfata Iobi verba: *Videtur autem ille toties mori, quoties votum habet mortis, aut moriendi causas, quales sine dubio plurimas habebat Iobus, cùm horribiles plagæ, & animi angores voluntatem acuerent moriendi.* Et post pauca: *Occidat me semel: quando grauis est, & propè necessaria moriendi causa; neque me non tam vitam, quàm immortalem mortem sustinere cogat.* Scilicet horribile mortis votum, & multiplex moriendi causa, nihil est aliud quàm repetita acerbè mors; nam qui præ animi angore mortem coram habet, non tam mortalem vitam, *quàm immortalem mortem sustinere cogitur.* Nec minùs eleganter Philo Hebræus seriò nos adhortatur, vt attentiùs inspiciamus singulas, quas frequenter singuli obimus mortes, ne postremam timeamus. Sed planè infelici suadela laborat. nam maiorem incutit mortis metum, vnde credi poterat excussisse: *Si quis, ait, est ætate prouectior, is fuit aliquando infans, mox puer, deinde pubens, deinde adolescens, postea iuuenis, posteà vir, postremò senex; sed non simul omnia. nonne infans puero cedit, puer pubenti, pubens adolescenti, adolescens iuueni, iuuenis viro, vir seni, senectus morti? Et fortasse singulæ ætates decedendo præmoriuntur, naturâ nos paulatim docente non timere mortem extremam omnium, quando priores facilè tulimus, infantiæ, pueritiæ, pubertatis, adolescentiæ, iuuentutis, virilitatis; quæ omnes ætates ante senectutem euanuerunt.* Imò inde mors postrema, (quæ vera & plena mors hominis est, non ætatum defectus) se magis horribilem ostendit, tot sui repetitis subinde simulacris; quò vel sui memoriâ crebriùs perimat: seque in plures simulat, ne semel occidat. dũ frequenti recordatione nos etiam pluries tumulat, postremi funeris horrore.

5.

Iobi 9. v. 23.

Qui mortem diu coram habet, dum viuit, immortalem mortem sustinere cogitur.

Sanct. ibid. n. 53.

Philo lib. de Iosepho.

Ioannis 11. Lazarus languoris malignitati permissus, tandem moritur: sed Christi voce quatriduanus resurgit è tumulo. *Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus instìtis.* quò exinceps signa mortis circumferens, mortis memoria animitùs adhæresceret. *Eadem virtute* (ait Basilius) *exiliebat quatriduanus mortuus lethi signa circumferens, & exutâ morte sepulcralem ornatum non exuerat; sed erat in institis è sepulcro partus,*

6.

Ioann. 11. v. 44.

Basil. Seleu. Orat. 35.

Mors transplantanda est ad vitam.

partus, *& post partionem fasciatus*, vt vitæ redditus, morti pendat memoria stipendium, iugi recordatione. Sat esto perstrinxisse Basilij acumen. Sub alia metaphora rem expressit Clemens Alexandrinus. qui cùm dixisset, quòd *homo* est *planta cælestis*: post pauca loquens de Christo ait: *Transplantans interitum*, mortem, inquam. Scilicet planta è seminario transferenda est in alium commodum locum, ne siluestrem faciat fructum: sic mors quæ aut senio, aut lethali morbo accidet, ad vitam *transplantanda* est, vt iugis eius recordatio animum fodicans, opimâ virtute adipet ad æternitatis fructus.

Clemens in Adhort. ad Gentes.

Genesis 1. prima mundi dies à nocte incepisse dicitur, non à clara luce: *Factum est vespere*, *& mane dies vnus*. quasi dies primò à Deo factus, à nocte exordium sumat. Clem. Alex. in Adhort. ad Gent. sic fatur de Christo: *Is occasum traduxit in orientem*. Quò ab occasu saltem meditato, in ipso lucis exordio, dies affulgeret illustrior, non mundo, sed Deo. Sat esto præstrinxisse Clementis sententiam conceptuum grauidam.

---

§. CCCXII.

Peruestigandorum criminum munus, peritia sapientioris sollertia est.

1. HOc in omni delictorum examine, tribunalium Antistes obseruabit, sciat potissimam curam adhiberi vt emendet malos, non vt eos inuiciet scelerum reatu. Exinde non tam præterita, quàm futura intuebitur in disquisitione malitiæ, quam non disquirit, vt curiosè noscat, sed vt cognitam peritè corrigat. Nemo enim prudens subiectorum peccata ad punitionem peruestigat, quia peccatum est, sed ne vltrà peccetur. Porrò cùm reuocari præterita non possint, futuris adhibetur medela. Caueat ergo diligenter ne ipso delictorum examine, quo tanquam præambulo remedio vtitur, moribus æger, periculosiùs ægrotet. Eheu sæpè non tam morbo, quàm morbi remediis laboramus! O! quid compagum & medullarum sacra penetralia velut per anatomiæ artem scrutaris, vt delictorum rimulis insidieris, fallaci sæpè coniecturâ? Morum medicus es, an famæ lanius? Fama atrociùs dilaniata incurabiles animi morbos aut inuenit, aut facit: & nimis curiosa Antistitis scientia, teneram morum valetudinem plerumque fascinat. Præstat ad speratam medelam ignorare, quàm ad faciendam ægritudinem scire. Hæc Præpositorum cuique expendenda, æstimandáque sunt. Ast si eò res deuenit, vt delictorum examen faciendum sit, & exactior morum disquisitio; hinc taxare licet, quanta cum prudentia, & sagaci industria id præstandum sit. Tota Raphaëlis peritia ad id sollerter nuper incumbit; humanum quippe captum longiùs excellit, & vel Angeli discretionem exigit quod nos hîc Raguelus moralissimè suo exemplo edocet.

Magnâ peritiâ Præses indiget ad morũ examen.

Hic vers. 14.

2. Matthæi 16. venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? Imperitas gregarij vulgi opiniones discipuli seriatim recensent, imperitiâ aliorum peritè instructi. Vos autem, ait Iesus, quem me esse dicitis? Tunc Petrus Apostolici collegij os, & fidei lingua, è cælo afflatus respondit: *Tu es Christus, filius Dei vivi*. Iesus autem incunctanter ad illum: Beatus es Simon Bar-iona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. *Tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis*. Profectò attentiori animaduersione dignissimum est, quòd cùm Petrus præstanti vir intellectu, ipsóque cælitùs diuiniori sapientiâ prudentiáque illustrato apertiùs dignoscitur: tunc quidem delictorum discretio, & conscientiæ reserandæ claues illi committuntur: ait enim Rabanus: *Claues autem regni cælorum, ipsam discretionem & potentiam nominat: potentiam, quâ liget & soluat; discretionem, quâ dignos vel indignos discernat*. Scilicet cùm Petrus sagacioris mentis notas edit, & diuinioris scientiæ notionibus illustratur; tunc donatur potentiâ, quâ dignos ab indignis discernat. & quâ dignorum infucata merita recognoscat, & indignorum reatum sapienter prudentérque scrutetur. Petrus inquam, dum sapientiæ vertex, scientiæ meta, & prudentiæ idea inuenitur, tunc idoneus deprehenditur, cui culparum *discretio*, & delictorum exactior inquisitio committatur. Sic enim Petri regimen erit iustitiæ plenitudo, debitæ pietatis fauor, falsati criminis venia, subiectorum solatium, & omnium credentium firmamentum. Pulchrè Petrus Damianus huc adludens, sic fatur de Petro: *Quem*, inquit, *pro Iustitia pietatisque plenitudine Saluator mundi humano generi, & patrem esse dedit, & iudicem*. Iustitiæ enim ac pietatis plenitudo est, vt Ecclesiæ Præsul, cui conscientiæ clauis traditur, cui *discretio* probitatis committitur, cui criminum inquisitionem Deus delegat; ea præstet mentis præstantiâ, eâ sapientiæ prærogatiuâ, eáque prudentiæ laude præ reliquis emineat. O quoties in delictorum examine, naufragium facit pietas, ne iustitia periclitetur! O viderint Præfecti, Præfectorúmque electores, quantâ mentis sagacitate, peritiâ, sapientiâ, industriâ opus sit, ad culparum disquisitionem penitiùs faciendam. O quoties districtioris iustitiæ prætextu, innocentis fama inuitiatur, denigratur, sauciatur: & ante latam iudicis sententiam, in ipso examine malè tumulatur. Sero absoluitur, qui inquisitionis præiudicio damnatur.

Matth. 16. v. 19.

Claues regni cælorum est discretio inter dignos & indignos.

Rabanus ibid.

Petr. Dam. homil. 4. in Nat. Apost.

Matthæi 25. magnum vniuersalis iudicij proponitur spectaculum, vbi infideles Christum inopinatum iudicem; fideles autem scelerati, contemptum, palpitantes videbunt. qui hanc cadentem sententiam audituri sunt: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius*. Putas ne quòd districtius delictorum examen, cum finali iudicio terminatur? Qui huius anathematis fulmine feritur, vlteriori culparum inquisitioni adhuc obnoxius est, ne disquirendorum criminum acerbitas damnatis æternùm desit. Porrò expositiuæ & scholasticæ Theologiæ Magistri, non parùm sudant in exponenda huius æterni æstus moritura æternitate. Siquidem cùm cœperit inexpiabilis damnatorum caro gehennæ æstibus penetrari, & more linquêtium metallorum, malitiæ adeps decoqui; quid est, quòd depascentibus flammis æstuantia medullitùs viscera ex parte consumi, & ex parte nutriri videantur? Profectò vt rata sit Iudicis sententia: *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, necesse est, vt inter medias gehennalis incendij flammas,

3.

Matth. 25. v. 41.

Gehenna ignis, quia adhuc culpas inquirit rationabilis dicitur.

flammas, damnata natura, & det igni pabulum, & ab igne quodammodo accipiat incrementum. Totâ æternitatis prolixâ morâ escas ardoribus corpora ministrabunt, & vt maneat sententia Iudicis, viscera ardoribus obnoxia, & tormentis irremediabiliter consecrata, etsi æternum depasta, ignis arbiter minimè deuorabit. Nota perenne infernalis incendij sacramentum, Emiseni diserto calamo apprimè descriptum: *Illa enim*, inquit, *non casualis, sed rationabilis & pœnalis exustio, quia culpam iubetur inquirere, substantiam nescit absumere.* (Verba conceptuum grauida, nuper aliorsum expendebamus) Nempe quia pœnalis gehennæ exustio culpam iubetur *inquirere*, ideò consultissimè *rationabilis* appellatur. Itaque ignis exanimale elementum est, acre, barbarum, vorax, agreste, brutum: at vbi culparum examen illi committitur, quasi sensuum sagacitate, & rationis polleret ingenio, inquisitor iam ignis, *rationabilis* nominatur. Siquidem eò ipso quòd peruestigandorum criminum illi negotium aut otium delegatur, confestim illi etsi non inesse, adesse tamen arcana quædam ratio videatur, quasi diuinâ mente ad exustionem præuia ducatur: quandoquidem si absque ratione exanimale elementum inquireret culpam, non tam puniret, quàm sæuiret, nec tam iustitia, quàm sæuitia foret, & laniena potiùs, quàm inquisitio: illa enim non casualis est, *sed rationabilis exustio, quia culpam iubetur inquirere.* Nec inde euadit mitior, sed prudentior, & iustior, quoniam dum vetam & inexpiabilem culpam *rationabili* inquisitione inuenit, pœnali exustione æternùm excruciat, supplicio perenni. Perita enim prudenter culparum indagatio, & rationabile flagitiorum examen, non impunitati, sed iustitiæ militat: non tribuit veniam delinquenti, quò exultent impunita flagitia; sed non punit innocentem indecoro examine; neque nocentem diri examinis lanienâ ante sententiam præcondemnat.

Emis. hom. 1 ad Monach.

4. Exodi 5. ingressi sunt Moyses & Aaron, & dixerunt Pharaoni: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Dimitte populum meum vt sacrificet mihi in deserto: *At ille respondit: Quis est Dominus vt audiam vocem eius, & dimittam Israël? nescio Dominum, & Israël non dimittam.* Cardinalis Caietanus ita exponit hunc locum: *Non quærit scire quis est Deus absolutè, sed quis relatiuè ad ipsum Pharaonem.* (quasi à se diuersus sit ipsissimus Deus absolutè in se, à se ipso relatiuè ad Principes. O insanum Pharaonis fastum!) *Contemptum verò miscet dicendo: Non noui Deum, & Israël non dimittam. Si animo inquirendi notitiam veritatis formasset quæstionem, non intulisset ex sua inscitia detentionem populi Israël.* O non bona inquisitio eius, quod ignorat: Fatetur se nescire, & ex sua *inscitia*, eius quod nescit *contemptum* infert: Superbiæ agnatum est, quod ignorat, contemnere, ne quid scitu dignum, nescire videatur. (*quod ignorant blasphemant*) Mauult præcipitato consilio prædamnare, & blasphemare quod nescit, quàm non damnare quod vult; quod si sciisset, damnare forsan non vellet. Inde adfectata per inquisitionem *inscitia* damnat quod notitia adprobaret. Quis non condemnet cæcum *inscitiæ* iudicium? Quis æquo animo ferat, quod dum de re omnium grauissima interrogat, contemptu prædamnet, antequam meritum damnationis noscendo agnoscat. Heu quoties non bonus Magistratus quærit de crimine sicut Pharao de Numine!

Exod. c. 5. 2. Caiet. ibid. *Alius est Deus in se, alius relatiuè ad non bonos Principes.*

Iudex dum quærit meritum causæ, ne illam prædamnet.

Opinor, serò damnabit, qui quærendo prædamnat. Heu olim & nunc causatum quæstiones! *Si animo inquirendi notitiam veritatis formasset quæstionem, non intulisset ex sua inscitia* iniustam *detentionem populi Israël.*

---

§. CCCXIII.

Præuius, aut comes periculi timor, de ipso periculo, periculi facit asylum.

NOn citò perit ruinâ, qui ruinam timet; præuia enim cautela de timoris genitura enata, & de eius magisterio erudita, dum præproperè periculum timere nosci, periculi causas auertere præcurrit. Qui imminens sibi discrimen non metuit, illud profectò negligit, aut fatuè stolidus est; inde neglecti stolidè periculi reus, acerbiores pœnas luet, dum periculum ipsum contra se armat acerbiùs, quod præstaret præambulo timore cautiùs exarmasse. Hostis contemptum despectus, strages contemptori propinat honoratur periculum dum timetur; cùm despicitur, irritatur. Præuius sæui discriminis metus, securitatem in discrimine negotiatur. O timeat, qui minùs timet timeat saltem non timere. Periculi inertet securus, in illo certiùs periclitatur: & qui diu periculum timuit, asylum de periculo ingeniatur, aut cautelæ arbitrio, aut aliquâ periculi arcanâ propitiatione, quâ periculum ipsum suos metu cultores benignè sospitat, gratanter beneficium, incolumitatem pro timore compensans. Vnde Tobias trepido periculi *pauore*, periculi acerbitatem redimit: & ipso metu metuendi causas auertit, de periculi sui exuuiis feliciter opulentus. quod hîc exploratrix ancilla demonstrat. 1.

Timor, arx securitatis est.

Hic vers. 15.

2. Danielis 14. eximius hic Propheta Babylonicæ superstitionis euersæ reus sistitur, & in leonum caueam laniandus concluditur. Consuetis dapibus fraudantur leones, vt eorum ingluuies propheticâ prædâ auidiùs saginetur. Cruenta Babyloniorum inuidia, specie religionis armata, viuas Danielis exequias celebrasse putabat, festo impiorum plausu, funesto piorum mœrore. In bestiarum aluo, velut in viuo sepulchro tumulatum credebant, cùm amico fœdere inter eos impunè conuersantem inueniunt. Famelici diu leones ieiuno Danieli parcunt, & vnde certa putabatur laniena securitas certior existit. Immanis leonum venter latrat rabidâ fame, sed continenti rictu in ieiuno ore linguarum obsequio Prophetam adlambunt, & propè ieiunij sui hebdomadem adimplent, atque de belluarum ieiunio Daniel viuit, earum fame abundè satur. Vt macilentum reficiat Prophetam adest Habacuc Propheta, de Iudæa è crine delatus Angeli ope: *Et clamauit Habacuc, dicens: Daniel serue Dei, tolle prandium quod misit tibi Deus..... Surgénsque Daniel comedit.* Non tam admiraret ieiunanti Prophetæ ieiunos etiam leones pepercisse, & de simili passione mitigatos, pari ediâ gregales. Plus mirari licet, quòd prandenti Prophetæ, rabide fame belluæ adhuc ignoscant, nec efferentur ad prædam. Grandius periculum è prandio imminet, & esculenta pietas bestiarum dentes exacuit Audiendus est hâc de re Zeno Veronensis, ita eleganter fatus: *Denique timoris suffragio Daniel populis terribilem inermis draconem necat: leonibus obiectus*

Daniel in periculo securus prandet, qui extra periculum pauidus solitus ieiunare.

Daniel. 14. v. 36. & 37.

Zeno serm. de Timore.

obiectus in periculo prandet, qui solet extra periculum ieiunare. Nempe Daniel nec Regis gratiâ, nec palatio velut arce securus; timore semper concussus, regij conuiuij lautas exquisitè dapes, ieiunus respuit: & diu patriâ extorris, velut humanæ opis exul, obuia efferatæ gentis pericula, ieiunij suffragio auertere procurat: ergo *in periculo prandet, qui solet extra periculum ieiunare:* & sextidui fame rabidos leones, prandio suo lacessit, qui præuij *timoris* auxilio populis terribilem draconem *inermis* necat. Qui pericula diu timuit, timore præuio timendi causas procul abigit, & de periculo asylum ædificat: sicque periculum præmaturè formidans, formidinis exarmauit causam, vt ipse in periculo *inermis*, periculum intrepidus exaggeret. Timoris suffragio Daniel populis terribilem *inermis* draconem ridet, minaces eius spiras deludit, & belluam cunctis horrificam animosè trucidat. nec veretur propè famelicos leones prandere, qui in Regis palatio inediam trepidus patiebatur: In periculo securus prandet, qui pauidus solet extra periculum ieiunare. Non citò perit ruinâ, qui ruinam timet.

3. Matthæi 26. in Passionis vestibulo Christus Discipulos suos Eucharistico saginauerat epulo, sacro balneo pedes mundauerat; & longiusculo sermone peracto, vnà omnes pergunt in montem Oliuetum, adsuetum orationi locum, ne latebris videatur deludere clancularias Proditoris insidias. Mœstus it in terris, qui Angelos in cælis exhilarat. Tristia, quæ imminent, mente in itu versat, & durus Propheta Apostolis existit: *Omnes vos,* inquit, *scandalum patiemini in me, in ista nocte. Respondens autem Petrus, ait illi: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi Iesus. Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis Ait illi Petrus: Etiam si oportuerit me mori tecum non te negabo.* Multiplex hic Petri incusatio à Patribus exaggeratur. primò cæteris se prætulit Petrus; quod arrogantiæ est. dein totum sibi imposuit, quasi ipse diuino auxilio inermis, validissimæ tentationi obsistere valeat, quod ruinæ omen est: præterea Christo contradicit, eiúsque perspicuam prophetiam se posse cassam reddere putat, quod superbiæ audacter temerariæ propè confine est. O Petre dudum te tutiùs peccatorem appellabas, & nunc propè impeccabilem præsumis; Cùm te peccatorem putabas, delicta cautelæ arbitrio declinasti: & cùm te ferè impeccabilem iactas, delicta securitate accersis, & præsumptione prophetas. Porrò securitas de præsumptione concepta, ruinæ argumentum est. Securitas cognata delictis est; timor verò has necessitudines rumpit. *Nam qui præsumit* (ait in re simili aliorsum Tertullianus) *minùs veretur, minùs præcauet, minùs periclitatur. Timor fundamentum salutis est: præsumptio impedimentum timoris.* (Explora attentiùs verba, quæ subiicit plena acuminis, ingenij plena) *Vtilius ergo si speremus nos posse delinquere: sperando enim timebimus, timendo cauebimus, cauendo salui erimus: contra si præsumamus, neque timendo, neque cauendo, difficilè salui erimus. Qui securus agit, non est sollicitus, non possidet tutam securitatem. At qui sollicitus est, is verè poterit esse securus.* Nota ad rem præsentem, electissimam illam sententiam: *Vtilius ergo si speremus nos posse delinquere,* quasi verè sit felix spei labor. sibi fictiò persuadere, se posse delinquere, & ab arrepto virtutis proposito degenerare infeliciter. Nam qui eiusmodi obortam spem humilitate infantat, pariter timorem fouet, & inde sollicitudinem nutrit: cauta verò sollicitudo veram securitatem generosè parturit. Humana securitas, quam præuia timoris sollicitudo non fundat, planè nutat, & lapsum in delicta procurat; éstque simillima ruinis, quæ supra id quod opprellere franguntur. præsumpta securitas dum in delicta prolabitur, planè frangitur, & malo suo perit. Itaque Petrus dum præsumit, minùs veretur, minùs præcauet, plus periclitatur: abiecit enim timorem, quod est fundamentum securitatis; & assumpsit præsumptionem, quod est impedimentum timoris. *Vtilius ergo illi foret, si speraret se posse delinquere: sperando enim timeret, timendo caueret, cauendo saluus esset.* Non citò perit ruinâ, qui ruinam timet. non est tuta absque timore securitas.

Mat.26.v.31. & 32.&c.

Consule Hugonem inibi.

Vtilius est si speremus, nos posse delinquere.

Tertull. de Cultu fœmin. cap. 2.

Exodi 14. quos nuper exire compulerat, nunc fide refugâ, armatus insequitur Pharao, & strages minitans, Israëlitarum excidium parat. Moyses Dei iussu virgam versus mare eleuat; in qua eleuatione pelagus diuinam præceptionem non dubio charactere scriptam, clarè legens, obsequenter recedit, vt peruiam fugientibus viam insolenter aperiat. Sed adhuc Israël Mare pedibus transmeare inhorrescit, donec Aminadab audenter viam aperit. *Et ingressi sunt filij Israël per medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus à dextra eorum & læua.* Ad quæ Exodi verba, ita ad rem fatur Eusebius: *Ideò filij Israël securi vel inter vndas transeunt vel sub vndas: cùm super eos prærupta vastorum gurgitum moles pendentibus dexterâ læuâque fluctibus imminerent, cùm creatura insensibilis elementi factorem suum sentiens transmeantibus circumfusa præberet viam, & in persequentes pararet refusa vindictam.* Nimirum Israëliticus populus Dei verbo subnixus, per medium sicci maris *securus* ingreditur. Sed non prorsus recedunt aquæ, siquidem *inter vndas, vel sub vndas transeunt, cùm super eos prærupta vastorum gurgitum moles prudentibus dexterâ læuâque fluctibus imminerent.* Vel in securitate non desit aliquis periculi timor, qui securiorem reddat securitatem Porrò Israëlitis transmeantibus adglomerati dextrorsum læuorsúmque fluctus minaciter impendent: & quod vocatur à Scriptura, *quasi murus à dextra & læua,* ab Emiseno dicuntur, *Præruptæ vastorum gurgitum moles, pendentibus dexterâ læuâque fluctibus imminentes.* vt quod instar *murorum* aut mœnium arcebat naufragium, velut naufragii periculum impenderet ne tutior securitas aliquo periculi metu destitueretur: quò, vnde periculum ad securitatem arcebatur, inde posset timeri periculum.

4.

Exod.14. v.22.

Emis.hom.3. de Pascha.

Tutior securitas aliquo periculi metu obfirmatur.

§. CCCXIV.

Gratior-ne venit inopinata felicitas, quia gaudij fructum spes non deflorauit.

1. QVid est præcipuum in rebus humanis? Tempestiuè respondet Seneca: *Erigere animum supra minas, & promissa fortunæ. Nil dignum putare, quod speres.* Quid enim habet dignum, quod concupiscas? Quod potest dare, tollere etiam potest; quod vt ad te transeat, aliquis amittit.

Seneca in Præfat. ad 3. lib. Natur. quæst.

Quæcumque magni à mortalibus æstimantur, etiam si quis casus domum attulerit, sic ea intueri debes, quasi exitura quâ venerint. Nulla est tam bona Fortuna, de qua nihil queri possis. Magna dedit? Sed pretiosa quæque possessione vilescunt, & sui nauseam possessio mouet. Citò dedit? Sed insperata, & vel spei auara, quantocyùs dando, vota anteuertit, & dulces spes defraudauit. Tardè dedit? Sed expectationis longæ molestiis, possessionis voluptatem compensauit, & spebus vendidit beneficium, caro equidem. Audio apud Tertullianum, quòd gratior fortuna dicitur, *Prosper error*; quin & *Cæca felicitas* (quod Ragueli, & Annæ hîc contigit) Benè equidem, & optimè *cæca* dicitur, non modò quia optimos quosque prætetit, & ad improbos plerumque diuertit; sed quia inuisa, & insperata venit, nec spei molestiis emit possessionis gratiam, exinde prosperior fortuna *cæca felicitas* nuncupatur; vt de inspiratione, placendi gratiam mutuetur. *Breuis, & vmbratilis voluptas*, dicitur à Saluiano *Breuis*, quia possessione fastiditur: *vmbratilis*, quia humanam spem obscuris vmbris præclarè fal it.

Cæca felicitas, gratior venit.

Tertull. de Anima cap.2.

Hic v. 17. & 18.

Saluian. lib.2. ad Eccles.

2. Geneseos 21. Abrahamus, & Sara vitæ longæ transactis cursibus, tandem Isaacum (ô qualem filium!) ediderunt. Sed quia vtriusque ætas ademerat spem sobolis, pignus succedaneum meruerunt. Sic meruit fides, quod ademerat tempus; & extorsit credulitas, quod natura negarat. Cùm audiuit se filium parituram, ridet Sara, cui iam auiæ teuerentiam senectus veneranda detulerat. Riserat etiam Abraham, dicens in corde suo: *Putas ne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet?* Verùm quod natura negarat, gratia dedit, & Isaac nascitur promissionum heres: *Visitauit autem Dominus Saram, sicut promiserat: & impleuit quæ locutus est. Concepitque, & peperit filium in senectute sua.* Ad hanc igitur gloriam fœcunditas desperata profertur. Vxor Abrahæ fœtus nescia, cùm visceribus frigente senio, nec sperare sobolem posset, nec portare confideret, matris suscepit officia, quæ vxoria munera iam nesciebat. Atque eo tempore partus profertur, quo calor genitalia iam relinquebat. Mira prorsus, & speranda sæculis post futuris diuinæ ordinationis propago, formata ad principium, ætas peracta reuocatur, & accingitur de sterilitate fœcunditas. Sed operæ pretium est attentiùs vestigare, eccur de vetula, effœta, infœcundâ, laudatior hæc soboles procreetur, quæ electo populo Patriarchas daret, hominibus virtutis idæam, redemptorem mundo, & corporatum Filium Deo largiretur? Ecce enim in Sara attractis ætate neruis, & deficiente sanguinis succo, arescentibus venis dura cum visceribus cutis, deformis, ac luridus pallor iam penè vultus perdidit humanos: nec vllus penè in membris voluptatis motus, nil in substantia resederat corporis; sed nihil tamen in vtero negabatur infanti. Et cuius ætatis auiam testaretur, matrem partus ornauit, cùm sub incer o affectionis vocabulo pietas nutaret: & cùm filium præferret vterus, nepotem senectus exoptaret. Nempe ita dissensione temporis, & naturæ contra opinionem nato Angelus Isaac nomen imposuit; vt firmaret lætitia, quod ætatis imbecillitas desperauit. Desperet partum natura, vt Isaacum, id est, lætitiam pariat, quod Veronensis Zeno his verbis argutè notauit. *Nouus sanè*, inquit, *parentum circa filium crescit affectus: qui ex promissione certior, ex tarditate dulcior, ex desperatione felicior putabatur.* Quasi aliqua boni obtinendi *desperatio*, voluptati possessionis adulerur ad gratiam, & ferè insperata bonitas, quam certa spes non priùs deflorauit, sit dulciùs placendi blandimentum. *Cæca felicitate* vota adipantur humana, & mundiale bonum, *ex tarditate dulcius, ex desperatione felicius putatur*, quasi placendi vsuram ex *desperatione* fœneretur.

Gen.17.v.17.

Gen.21.v.1. & 2.

Felicitas ex desperatione gratior venit.

Zeno ferm.2. de Abraham.

Vide nunc mihi Tobiam, & explora sollerter in quantam deuenerit malorum Iliadem; (adsimilem tragœdiam contemplari hîc licet in Sara, Raguelis filia) patriæ, imò & vitæ exul errat in regione hostili, barbarica, inhumana: auidè quæritur ad necem, misericordiæ martyr: nuper aulicâ dignitate opulentus & sublimis, vix tuta latibula rimatur; & dirâ paupertate oppressus, mercenariâ ingenuæ vxoris operâ vtcumque sustentatur. Videt charæ familiæ inopiam, sibi acerbam suæ gentis apostasiam, & aduersus se petulantem vxoris linguam; videt passim suorum strages, & auitam religionem propè à suis desertam. Imò hæc dira non videt, terrâ cæcitate mulctatus. Vide ad quantam calamitatem deuenerit, cui hæc asperiora vidisse, aliquod foret solatium! Angitur Tobias tot malis durè iactatus, & muto ore, ad Deum linguarâ mente vociferatur: anxiéque expetit, & ambitioso luctûs squalore procurat, vt eum Deus à tantis malis asylo sepulturæ tueretur. Mortem adprecatur, quod miserum miserorum effugium est. Non putat perpetitius Tobias, præter sepulturam, aliud tot calamitatum humanum extare remedium, & inde mortem precibus acersit: nec credit fortunam vela vertere posse, neque misero & calamitoso seni placidè adridere. Re humanitùs desperatâ, remedium diuinitùs paratur: decernitur cæco visus, pauperi opulentia, mœrenti gaudium, & charo filio felix connubium cum pulchra, & fœcunda morum etiam posteritate. Sed nullum adest variantis fortunæ indicium, adhuc pius senex lugubri planctu mœret, nec rimari eualet quâ ex parte remedium affulgeat. Quare nulla ingeritur spes futuræ vicissitudinis? Cur tandiu tot laborum baiulus premi onere tanto permittitur? Nec futuram felicitatem augurari ei liceat verosimili cōiecturâ? Putauerim sanè meliùs cùm Tobia actū, cùm humana humanæ prosperitatis spes illa affulsit nulla, vt insperata, & *cæca felicitas* dulciùs possessione placeret. Audiendus est Fauorinus aliorsum (contra augures inquam) hæc verba scribens, & ad rem præsentem opportunissimè. *Si felicia promittunt*, (augures) *eáque euentura sunt; tunc plane duo erunt incommoda: & exspectatio te spei suspensum fatigabit, & futurum gaudij fructum spes tibi iam deflorauerit.* Trita quidem, sed bella sententia! Sat tot malorum acerbâ mole degrauatur Tobias, quid suspensæ spectationis spebus vltrà fatigandus est? Cœca ad cœcum perueniat felicitas, quò dulcior & gratior de insperatione videatur. Cùm sperat sepulchri horrorem, lætâ eum prosperitas mulcet, quò gaudium cumulatius adueniat: insperata lætitia derepentè adsit; ne longa spes, placendi gratiam *defloret*: nesciat rem mundialem sperare, quò dulciùs possit in ea delectari: votis suis præcurrat felicitas, vt vberiùs felicem adimpleat totâ simul placendi gratiâ, quam nulla priùs spes malè officiosa delibauit. Itaque de naturæ *desperatione* vetus Isaac, id est,

3. Tobiæ 3.v.6.

Tobiæ occultatur futura felicitas, ne spes fructum gaudij deflorer.

Apud Agelliū lib.14. cap.1.

id est, risus siue lætitia nascitur: & vt dulciùs placeat, insperatâ felicitate Tobias adipatur: aliqua enim boni *desperatio* mellit possessionis gratiam voluptate inopinatâ, quæ rudem & crudum humani gaudij saporem erudit & condit ad voluptatem. Felicem rerum statum nec suspicari Tobiæ datur, ne *futurem gaudij fructum spes iam deflorarit*. O vide qualia sint mundialia bona, quæ de possessione fastidium pariunt, spe fatigant, & adeptionem expectatione deflorant. O quanti emimus vel cassæ spei molestias! *Si iudicandum se aliquis* (inquit Saluianus) *ab humana potestate esse cognouerit, aduocatos requirit, officialium atque apparitorum gratiam fauorémque mercatur; cùm tamen euentum iudicij comparare non possit: adeò vt si victoriam emere ipsam non valet, spem tamen victoriæ magno emit.* Ergo in cæli bona hiantibus votis studium nostrum defetatur, quorum spes beatam possessionem prægustans, eam minimè deflorat, sed ad omnes sanctitates adipat. Ne humanas spes, nimis semper futiles, tam magno emas.

Saluian. ad Eccles. lib. 3.

4. Redeat iterum Isaac cum toto illo suo gaudij suggestu, vel in ipso nomine feliciter descripto. Igitur de effœta parentum natura nascitur *Isaac*, id est, *risus*: dixitque Sara: *Risum fecit mihi Dominus: quicumque audierit, corridebit mihi.* verùm effusiorem in Isaaci ortu lætitiam his verbis Zeno Veronensis exponit: Sara, inquit, vxor Abrahæ non inferior, vitæ longè transactis cursibus, qualem filium ediderit, partus effusione percepit. *Sed quia vtrisque ætas ademerat spem sobolis, pignus succidaneum meruerunt.* Hæreo in attributo illo *succidaneum*, quod cùm à verbo *succedo* & originem & significantiam trahat, denotat id quod alteri succedit: quod forsan non bene quadrat in Isaacum, quem primum & vnicum Sara peperit. Et quidem peritè norant Grammatistæ, potiùs arietem, qui loco Isaaci successit, *hostiam succidaneam* dicendam fore. Cur ergo effusior lætitia de Isaaci ortu explicatur eum appellando *pignus succidaneum?* Cuinam successit hoc *succidaneum* pignus, tam lætanter exceptum? Opinor successisse parentum sterilitati, & ætati iam effœtæ & exhaustæ quæ proximè in verbis Zenonis præcesserat. Nempe *quia vtrisque ademerat spem sobolis, pignus succidaneum meruerunt:* succidaneum inquam, pignus ademptæ spei, & habendi humanitùs prolem excussæ iam diu fiduciæ: quò lætitia in eius ortu gratior venit; quippe quam humana nulla spes priùs deflorauit; sed vetulæ & infœcundæ Saræ inopinata humanitùs accidit. *Quia vtrisque ætas ademerat spem sobolis.* ideò *pignus succidaneum* ademptæ spei, Isaac, id est, *risus* appellatur; gratius venit, & effusiori excipitur gaudio. Nam gratior venit inopinata felicitas, quia gaudij fructum humana spes non deflorauit.

Gen. 21. v. 6.

Succidaneũ pignus humanæ velut desperationi gratius venit.

Zeno serm. 1 de Abrah.

Nebrisens. verbo, *Succidaneus.*

§. CCCXV.

Atrocior Dæmonum aduersùs homines peruersitas exaggeratur.

1. Sanctus Cyprianus agens de Diabolorum erga homines exitiali malitia, ita scribit: *Spiritus insinceri, & vagi qui posteaquam terrenis vitiis immersi sunt; & à vigore cælesti, terreno contagio recesserunt,* (saniter intellige hoc quorundam paradoxum) *non desunt perditi perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere.* Cypriano Minutius Felix similibus verbis adnuit: *Isti igitur spiritus posteaquam simplicitatem substantiæ suæ onusti, & immersi vitiis perdiderunt, ad solatium calamitatis suæ non desinunt perditi perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere, & alienati à Deo inductis prauis religionibus à Deo segregare.* Quibus eloquenter Lactant. Firmian. assentit, sic fatus: *Hi, vt dico, spiritus contaminati, ac perditi per omnem terram vagantur, & solatium perditionis suæ perdendis hominibus operantur. Itaque omnia insidiis, fraudibus, dolis, erroribus complent.* Altiori autem stylo sæuam hanc in homines hostilitatem Tertullianus edisserit, quâ malorum Iliadem atrociter æquè ac fraudulenter operantur. (quod cernere hîc licet) Vsque adeò dicimus (ait Tertullianus) esse substantias quasdam spirituales; nec nomen nouum est. Sciunt Dæmonas Philosophi, *Socrate ipso ad Dæmonij arbitrium exspectante.* Dehortatorium planè à bono omnes sciunt Poëtæ. Etiam vulgus indoctum in vsum maledicti frequentat. Nam & Satanam (quem aliqui putant esse hunc Asmodæum) Principem huius mali generis, proinde de propria conscientia anima eadem execramenti voce pronunciat..... Operario eorum est hominis euersio. *Sic malitia spiritualis à primordio auspicata est in hominis exitium.* Itaque corporibus quidem & valetudines infligunt, & aliquos casus acerbos; animæ verò repentinos, & extraordinarios per vim excessus. Suppetit illis ad vtramque substantiam hominis adeundam subtilitas, & tenuitas sua. *Multùm spiritualibus viribus licet, vt inuisibiles, & insensibiles in effectu potiùs, quàm in actu suo appareant..... Eadem igitur obscuritate contagionis adspiratio Dæmonum mentis quoque corruptelas agit furoribus, & amentiis fœdis, & sæuis libidinibus cum erroribus variis.* Hactenus Tertullianus ad rem Asmodæi Dæmonis, & salacium maritorum Saræ opportunissimè.

Cyprian. de Idol. vanit. *Dæmonum contra homines hostilitas multifariam declaratur.*

Minut. in Octau.

Lactant. lib. 2 cap. 14.

Hic v. 18. Tertull. in Apolog. c. 22

Dæmones insensiles, in effectu potiùs quàm in actu suo apparent.

Opinor, quòd qui Dæmonem resistendo repulit à tentatione, non clausit animum à cogitatione, quâ fabulosi spiritus, & præstigiatores tentationum motus circa homines obstrepant. Lucæ 4. rer Christo à Satana tentato, subdit Euangelista: *Et consummatâ omni tentatione, Diabolus recessit ab eo vsque ad tempus.* Hærent interpretes quomodo consummatâ iam omni tentatione, non in perpetuum, is qui tentatur, sed ad tempus relinquitur. Vltra omne, quid vltra testatio? O sic in homine æternat hostilis Diabolorum tentatio? non in Christo Deo, sed in puro homine inquam, cuius multiiugam perdurandi causam. Petrus Damianus assignat: *Cum hoc* (Diabolo) *quotidianus, & anceps congressus, ex hoc innumerum vulnus, nec ex facili cicatricem promittens; sub hoc casus frequens, & respiratio difficilis, de hoc rara, & nunquam secura victoria; huic voluntas semper iniqua, & fallendi principatus.* Post omnem tentationem adhuc tentat, qui sic tentando vulnerat, vt non inflictum vulnus ex facili *cicatricem* obducat. Vel antiquæ tentationis stigma, tentationem clanculum recentando, ad malè sanatam prauitatem subornant. Heu in fallendi principatu sub ipso semper vel *respiratio difficilis* est, & perdiu malè sana cicatrix!

2.

Luc. 4. v. 13.

Petrus Damian. ser. 56

3. Vel aliter concipe præfata Lucæ verba, quibus tentationes aduersùs homines adumbrat: *Et consummatâ omni tentatione, Diabolus recessit ab eo vsque ad tempus.* Nimirum Tertullianus in lib. de Pœnitent. sic de tentamentis Diaboli loquitur: *Tunc*

Luc 4. v. 13. *Dæmon tunc plurimum accenditur, dum extinguitur.*

Tunc maximè sæuit, cùm hominem planè sentit liberatum. Tunc plurimùm accenditur, cùm extinguitur. O non bonos Dæmones, vitæ ad tentandum malè fertiles! O infernalem phœnicem, de suis cineribus prodigiosè rediuiuum! Superasti omnem tentationem? quâ flagrabas tentationis scintillam, incendiorum minacem, in tentationis auctorem Diabolum quantocyùs excusisti, quo putabas illum extinctum? scito, heu scito! quod Diabolus, tunc plurimum ad tentandum *accenditur, dum extinguitur.* O viuax ad nocendum pestis! O viuum Diabolorum cadauer! Adhuc extinctus viuit Diabolus: Pulchrè Chrysologus agens de Dæmoniaco in sepulcris habitante, ita fatur: *Auctor mortis, mortis incubat mansiones: viuos gestit feraliter funerare, fürit interitus nostri auarus exactor.* Viuos homines sepelire festinat, qui *plurimùm accenditur, dum extinguitur.* Quod verò Dæmon appellatur, *Interitus nostri auarus exactor*, non sine emphasi dicitur, & alibi fors expendetur.

Chrysolog. serm. 17.
Dæmon est mortis nostræ auarus exactor.

4. Exodi 32. moram faciente Moyse, Hebræus populus aureum conflat vitulum, eique diuinos honores sacrilegus exhibet. Moyses autem è monte rediens, vidit vitulum, & choros; irarúsque valdè, proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis: *Arripiénsque vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Israel.* In simplici hac narratione multa arcanè adumbrata Sancti Patres, & Interpretes vident. Petrus Damianus hac de re ita scribit: *Quod Moyses tunc mysticè figurauit, cùm arripiens vitulum aureum igne combussit, fluctibúsque conspergens, Israëliticum ex eo populum propinauit. Quid est enim per figuram vitulus ille conflatilis, nisi corpus Diaboli?* Putaret aliquis, quòd fictum vituli nomen Israëlitis adoratoribus deglutiendum propinat, vt dum comestum, aut epotum Deum sibi concorporant, & vniunt, illum de intima appropiatione deprecient. Sic aliena & extranea in pretio apud nos sunt; & nostra apud nos vilescunt: Sed quid est, quòd Moyses *corpus Diaboli* sceleratis in fide Israëlitis hauriendum præbet in sacrilegi sceleris pœnam? An vt Diaboli corpus sibi concorporatum, perniciosiùs in illos de concorporatione sæuiat? Heu mitiùs in nos Diabolus sæuit, quàm nos aduersùs nosmetipsos! ergo conuisceretur illis *Diaboli corpus*, quò sæuiùs ad pœnam furat, & illos immitiùs sauciet pœnaliori supplicio. Saltem vt atrocioris piaculi condignas pœnas luant, *corpus Diaboli* in vitulo vorent, nutriantur *Diaboli corpore, corpus Diaboli* ipsis mysticè concarnetur, ad exaggeratiorem supplicij acerbitatem. *Quid enim per figuram vitulus ille conflatilis, nisi corpus Diaboli?* Scelestissimi alij parulo telluris hiatu ab Inferno viui sorbeantur: alij seueriſſimis iteratis plagis, Dei patiantur iras; atrocem cladem, & cruentas strages experiantur alij, ad flagitij vltionem: at in pœnam huius impiè atrocioris piaculi, Dæmonibus mysticè velut concarnentur, & sæuius Dæmonium medullitùs quodammodo patiantur, quæ est acerbioris supplicij hyperbole.

Exod. 32. v. 20.

Petr. Dam. serm. 3.
Israëlitæ in pœnam idololatriæ, diaboli corpore mysticè pascuntur.

5. Homo flagitiosè scelestus, *corpore Diaboli?* per figuram quasi potatur: ipse autem Diabolus hominis impietate etiam saginari dicitur. *Ieiunantibus nobis*, ait Chrysologus, *Diabolus esurit, qui nostris semper saginatur ex culpis.* Et apposite magis Tertullianus: Eadem, inquit, obscuritate contagionis adspiratio Dæmonum mentis quoque corruptelas agit furoribus, & amentiis fœdis, & sæuis libidinibus cum erroribus variis: quorum ille potentissimus, quòd eos ipsos captis, & circumscriptis hominum mentibus commendat, *vt sibi & pabula propria nidoris, & sanguinis procuret.* Impietatis nidore, & velut sibi esculento immolatorum sanguine Dæmones pascuntur? *Ij sunt*, inquit Porphyrius, *qui libatione, & nidore oblectantur, quibus spirituale corpus ipsorum pinguescit.* Scilicet homo impius *Diaboli corpore* per figuram saginatur: & rursus reciproco pabulo, humanis impietatibus Dæmonum velut *spirituale corpus pinguescit.* Homo impius, mensales Diabolorum deliciæ sunt, & delicatior sagina, quâ spirituale corpus ipsorum pinguescit: Cur auditur, Diaboli corpus, & saginari, pinguescere, potari, &c. metaphoricè dicitur: verum enim corpus Diabolus non habet.

Chrysolog. serm. 12.
Humana impietate mysticum Dæmonū corpus pinguescit.
Tertull. in Apol. cap. 22.

Porphyr. apud Cerdam ibi. n. 672.
Sanguinis nidore mysticū Diaboli corpus pinguescit.

Ioannis 6. Iudæ proditoris scelere offensus, hæc verba Christus Discipulis dixit: *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus Diabolus est?* Quomodo qui dudum homo erat, noua metamorphosi Diabolus nominatur? *Certè* (ait Isidorus Pelusiota) *cum contemptoribus Dæmonibus vobis certamen est.* Quasi parum foret de malitiæ contentione Diabolum pertinaciter æmulari; de peruersissimis, & superbissimis hominibus, qui diuinos honores ambierunt, ita scribit: Si enim, inquit, mendacium diuinitatis Diabolus operatur in hac etiam specie, à primordio mendax, sine dubio & eos ipse prospexerat, in quibus id mendacium diuinitatis ageretur. *Quale igitur habendum est apud homines veri Dei, quod à candidatis Diaboli introductum, & ipsis à primordio dicatum est?* Heu quò trahunt hominem flagitia, de Diaboli suggestione concepta, & de eius familiari arbitrio perpetrata! Homo veri Dei, eius naturalis imago, & humanitatis similitudo expressa; velut hominem desuescens, *candidatus Diaboli* fit; & ab arcana quadam malitiæ metamorphosi, quodammodo in Diabolum transformatur? Ambitiosum cum Dæmonibus homini certamen est? O infaustè *Diaboli candidatum!* O infelicem de malitiæ vicinia cum Dæmonibus affinitatem! Parum esset, quòd Diabolus suis alumnis occultâ contagione malitiam adspiraret, nisi eos etiam de consimilis malitiæ adflatu, Diabolorum redderet *candidatos.* 6.

Ioan. 6. v. 71.

Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 213.
Homo fit Diabolorum candidatus.

Tertull. de Coron. mil. cap. 7.

Idem Tertullianus in libr. de Carne Christi agens de serpente Dæmone Euam in paradiso decipiente sic eloquenter scribit: *Crediderat Eua serpenti, credidit Maria Gabriëli: quod illa credendo deliquit, hæc credendo deleuit. Sed Eua nihil tunc concepit in vtero ex Diaboli verbo. Imò concepit. Nam exinde vt abiecta pareret, & in doloribus pareret verbum Diaboli semen illi fuit. Enixa est denique Diabolum fratricidam.* Ecce tibi Diaboli ad Euam verbum, *semen* illi fuisse dicitur, vt hominem Diabolum, infernalem Cainum inquam, eniteretur. Quasi parum foret esse Diabolorum *candidatum*, Diabolus nominatur. *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus Diabolus est?* O scelestissimos Diabolorum *candidatos*, non benè homines, & malè Dæmones! *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere.* 7.

Tertull. de Carn. Christ. cap. 17.
Sermo Diaboli, Euæ fuit pro semine.

Ioan. 8. v. 44.

§. CCCXVI.

§. CCCXVI.

Gloriosus deuictæ tentationis fructus est, quòd tuæ gloriæ Tentator militarit.

Tertull. de Orat. c. 8. Cyrill. Alex. in Amos 7.

1 SEntentiosa Tertulliani vox est : *Christus à Diabolo tentatus, Præsidem & artificem tentationis demonstrauit.* Parum foret Dæmonem dici, *Præfectum fraudium,* nisi etiam *Præses*, à Cyrillo quoque diceretur. Porrò tantùm est tentandi negotium, eáque requiritur subdolæ sagacitatis peritia, vt vnius Præfecti, quantumuis versutissimo, non committatur ingenio. Apud Dæmonum gentem de propria ruina tabidam, & de hominum sublimitate inuidiosam, Tartareum Consilium consiliosis Senatoribus consultissimum stat, cui Diabolorum vaferrimus præficitur, qui *Præses tentationis* appellatur. Hic exsomni curâ hominum ruinis fraudulenter inuigilat, & malitiosam fraudium peritiam tentatoribus diabolis insusurrat, ne irrito vulnere tentatio succedat, ingenti Tartarorum dedecore. O quàm est attenta Diabolorum astutia, ne Dei gratia tentationem frustretur; indéque homo inueniat felicitatis compendium, vnde enorme dispendium inuenire debuisset! Quod in hoc vers. patenter elucet.

Consule cõment. litter. vbi Asmodæus dicitur Præses tentationis.

Dæmon est Tentationis Præses.

Hic v. 18. 2.

Iob 1. Dei amanti & spiritali auditori, Iobo inquam, durum bellum de inferno ingruit; cui Deus obtigit amoris diuini agonotheta, hostilitas autem aduersatrix fuit Satanæ malitia, acerrimæ inuidiæ stimulis acerbata, arena verò multiplex æquè ac ineluctabilis calamitas, quæ eum diu ærumnosissimè exercuit. Athletam quem ad tantam patientiæ exercitationem prouocabat Deus, in medium terrarum orbis stadium conicit, multis ante virtutum experimentis velut in palæstra eruditum. Nunc autem ad labores immensos tanquam in communi populorum theatro præsentari permittit, vt ad hoc quoque certamen expeditus, gratiæ trophæa de interni victoria gloriosiùs erigat. Itaque quâdam die cùm venissent filij Dei vt assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan. Cui dixit Dominus: Vnde venis? Qui respondens, ait: Circuiui terram, & perambulaui eam. Dixitque Dominus ad eum. Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra? Cui respondit Satan: Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet nisi in faciem benedixerit tibi. *Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce vniuersa quæ habet in manu tua sunt.* Adnuente Deo Iobum malus Dæmon inuadit. Pulchrum sanè & Deo dignum spectaculum, in quo fortis vir cum Satana decertat, & omnes eius insidias casso vulnere deludit. Ouat, triumphat Iobus, & propè insensili patientiâ clypeatus, Tartareos ictus valenter eludit. Aduersarius semel victus, pugnam frustra restaurat; & animosus virtutis pugil illustriorem de Tentatore triumphum iterum agit. Mœret audax Dæmon in inferorum detrusus latebras, se ab homine vinci erubescens. Sat grandis foret hæc pœna spiritui superbissimo. Adest & alia ipsa, illi fortè pœnalior, nimirum non extorsisse consensum ad peccatum, quod tot machinis intendebat: firma enim & inconcussa stetit Iobi constantia & virtus flectinescio robore sancta. Vis nosse quid acerbiùs ferat Diabolus cum fructu tentationis frustratur? audi Emisenum de non absimili casu sic eloquenter philosophantem: *Deinde*, ait, *vt antiquus ille religionis inimicus*, (Diabolus inquam) *etiam ante iudicium sentiat pœnam malitiæ suæ, per quam se sanctorum gloriæ intelligit militasse.* Scilicet totos inuidiæ & odij neruos pugnacissimus Dæmon contendit, vt tentationis aut subdolâ fraude, aut exertis machinis, Iobi subruat virtutem, & sanctitatis gloriam funditùs labefactet: cùm verò tandem triumphatorem videt; & se victum dolet, & palmam victori inuidet; & quò grauiùs excruciatur atrocioris inuidiæ laniena, per tentationem illam suam, se Iobi *gloriæ intelligit militasse*, & ad sublimissima gratiæ incrementa è pernicie adiuuisse. Consilio Tentationis tractabat, & extorquere præsumebat blasphemias in Deum, execrationes contra vxorem, contumelias aduersus amicos, & diram in tot calamitatibus impatientiam. Videt è contrario Iobum Tentationum ventis interstinxisse vitia, sanctitatem sufflammasse; & flabellasse virtutes & ad omnem probitatem velut suppetias attulisse: dolet, mœret, angitur, & irremediabili tormento excruciatur, quòd auctor ipse vitij, sit virtutis incentor; quòd qui malitiæ præest, sanctitati faueat; quòd dum ruinam molitur, fastigium ædificet; & quòd nequitiæ dux Tentationum ope, Sanctorum gloriæ feliciter militarit. O age hos de Diabolo triumphos, hæc de inferno trophæa erige, cum Iobo, cum Tobia, cum Sara. Sentiat qui tuam virtutem tentando impugnet, se tuæ gloriæ simul militare.

Iob. 1. v. 12.

Tentator Iobi, ipsius potiùs gloriæ, inscius militabat.

Emis. hom. de S. Steph.

Actorum 7. Tartarorum dux hominum ruinis nunquam satur, phalanges suas, Iudæos inquam, in Stephanum, gratiarum manibus factum iuuenem, atrociter armat. Raptatur ad concilium, vbi infernalis furor, & (quod fortè maius est) Pharisaicus, cum summa malitiæ potestate præsidebat. Apud impios iudices pius Leuita sistitur pietatis reus: & priùs falsis criminationibus tentatus, vibratis in se lapidibus ad necem duriùs tentatur. Et eiicientes eum extra ciuitatem lapidabant. *Positis autem genibus, clamauit voce magnâ, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* O! quid agit fidei magnitudo, quæ non vincitur à malo, sed vincit in bono malum! Dum Stephanus pro impiis Deo plenus exorat, etiam de aliena malitia bonitatem suam cumulatiùs exaggerat, & coronam suam de amore inimicorum adornat. Notum per ista sit quia partem & opera martyris suscepit, qui odium malis debitum generosi cordis benignitate calcauit. Sed quare iram improbis debitam pro tot iniuriis, quibus eius patientiam atrociter tentauerunt, seueriùs non rependit? ait enim: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Luculenter Eusebius prædicta verba exponens, ita scribit: *Qui pro inimicis sub ipso tempore consummatæ persecutionis orauit, beatitudinis suæ causâ persecutorem dilexit. Nec mirum si eis nescit irasci, per quos sibi videt aulam regni cælestis aperiri, per quos se æternis sæculis intelligit consecrari.* ô admirabilem etiam circa impios charitatem! Insanam excusat supplicatione Synagogam, passione confirmat & honorat Ecclesiam: memor fratrum, immemor persecutorum. Non attendit ad imposturam blasphemiæ, nec ad sæuos lapidum impressorum vibices, quia per hæc persecutorum tentamenta atrocissima; quibus in ipsum insanè ferociunt, *sibi videt aulam regni cælestis aperiri, & se æternis sæculis intelligit consecrari.* 3.

Act. 7. v. 59.

Stephanus orat pro persecutoribus, per quos se æternis gaudiis consecrari videt.

Euseb. hom. de S. Steph.

§. CCCIX.

Sapè bonis nostris actibus, potiùs quàm asperioribus verbis, errantium mores reprehenduntur.

1. Clem.Alex.1 Pædag.c.9. QVemadmodum *speculum non est malum deformi* (ait Alexandrinus Clemens) *eò quod ipsum ostendit, qualis sit: ita neque is, qui reprehendit, ei malè vult, qui laborat animo.* Ita quidem. Verùm cautè admodum reprehensionis negotium peragendum est: nam persæpè qui sceleratum hominem incusar, & carpit, & eius deformitatem ore velut speculo repræsentat, quæ illi ad emendationem obiicit crimina, eadem, grauiorave sibi ad exprobrationem accersit, & in se quodammodo exprimit. Nam eiusmodi homines à delicto & in delicto impudentiam edocti, obiecta sibi scelera in correptores petulanter relidere solent. *Correptione exasperatus* (inquit Gregorius) *protinus in contumelias resurgit, & quæ mala exaggeret contra vitam correptoris dicit. Demonstrare incomparabiliter magis reum, suum reprehensorem desiderans, vt innocentem se non suis actibus, sed alienis criminibus ostendat.* Hinc sollers prudentia, quò reciproca deuitet conuicia, ne correptio euadat contentiosa vitiorum rixa, rebus potiùs oppositis quàm exasperantibus verbis, mores reprehendit, & errantium delicta compescere, consultissimè ingeniatur; quod est pulchrum emendationis arbitrium, in iis præcipuè qui adhuc medicabilibus ægrotant vitiis, de suo Basilio erga squalidè ægrotos humanissimè pio, ita fatur Nazianzenus: *Quocirca ne labra quidem vir nobilis, & nobilibus ortus gloriáque clarissimus, ægrotis admouere grauabatur. Ita non modo loquendo sed etiam tacendo monitoris partes obibat.* Scilicet Basilius *labra* sordidè ægrotis admouendo, eos qui præ nausea neque infirmos inuisebant, vrbanè arguit. (Sed obiter Xauerium nostrum describit, qui ægrotantium purulenta vlcera ore lambere non exhorruit.) Sic Raguelus hic suo exemplo suos seruos admonet, vt expliciatiùs in aliis exscriptionibus traditur.

Reprehensor velut speculum sceleratorum est, in quo suam deformitatem videant. — Greg.lib.8. Moral. c.24. *Scelerati de alienis criminibus ambiũt innocentiam.* — Naz.Orat. pro Basil. Hic v.11. — *Xauerius ægrotorum purulenta vlcera ore lambere non exhorruit.*

2. Geneseos 17. dixit Deus ad Abraham: Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram. Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium cui benedicturus sum, eritque in Nationes, & Reges populorum orientur ex eo. *Cecidit Abraham in faciem suam, & risit, dicens in corde suo: Putes ne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet?* Esto, Abrahamus in cordis secreto riserit, præ rei arduitate dubitans, an eiusmodi pollicitationes implendæ forent; id tamen Deum non latuit, qui cordis etiam penetralia intuetur. An non oportebat, Abrahamum fidei patrem futurum, huiusce diffidentiæ arguere? Sed vide mihi argutum correptionis arbitrium. Porrò infrà refertur, quòd visitauit Dominus Saram sicut promiserat: & impleuit quæ locutus est; concepitque, & peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei Deus. *Vocauitque Abraham nomen filij sui, quem genuit ei Sara, Isaac.* O magnum vocabuli sacramentum! Scilicet Isaac *risum* significat, quò ambigentis *risu* patris dubietatem corripiat. Quod Claudius Marius Victor modulatè notauit, ita pangens ad illa verba; *Et risit, dicens in corde suo, &c. Sed tamen ignoscam dubiis, puerόque futuro imponam nomen, quod culpam hanc arguat.* Nempe Abrahamus propè centenarius, à Deo audit, Saram nonagenariam ei parituram filium in effœta iamdiu ætate; ambigit de pollicitatione dubius fide, & præ dubietate *ridet*: ergo dum Deus promissionem adimplens suam, promissum illi donat filium, quòd appelletur *Isaac*, id est *risus*, iubet; vt ipsum nomen in tenella infantis carne insculptum, pristinam diffidentiam *risu* expressam iugiter reprehendat, & dubietatem olim suam in puero descriptam crebrò legat, quò vrbanissimè delictum reprehendat: *Ignoscam dubiis puerόque futuro imponam nomen, quod culpam hanc arguat.* O moralissimum correptionis ingenium! de impletione sponsionis dubitans, *ridet*; ergo adimpletio ipsa *risum* gestet in nomine, *quod culpam hanc arguat.* Pulchrè quidem Marius!

Gen.17.v.17. — *Isaaci nomẽ, Abrahami risum vrbanissimè arguit.* — Gen.21.v 3. — Claud.Mar. lib 3.in Gen.

Marci 16. *Recumbentibus illis* (discipulis) *vndecim apparuit Iesus: & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis: quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* Alibi disputabamus, quo tempore hæc discipulorum reprehensio facta sit: quia difficile creditu est, quòd Christus Deus paulò ante suam Ascensionem gloriosam, durâ hac infidelitatis correptione suos Discipulos exacerbarit. Exinde P. Ioannes Maldonatus inibi seriò censet, Vnius Thomæ reprehensionem per syllepsim ad reliquos ampliari: nempe cùm Ioan. 20. Iesus dixit Thomæ: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Itaque siue vnus, siue plures Discipuli dubitauerint de eius Resurrectione, ostendendo se viuum, cum illis loquentem, & conuescentem, (etsi alia deesset reprehensio, de quo non disputo) vrbanissimè eos corripit, *& exprobari incrudelitatem eorum, & duritiam cordis, quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* O exemplarem sæpè corripiendi formam! Scelus commissum fuit, putasse Christum hactenus in sepulchro emortuum iacere; ergo dum se illis viuum ostendit, eorum incredulitatem tacitus exprobrat, & dubietatem mirè corripit. Quò Paullini verba aliorsum scripta adludere videntur: *Talium*, inquit, *conuicia, viuendo meliùs, quàm loquendo arguimus.* Conuiciantur Christo adhuc esse mortuum? se viuum ostendendo optimè conuiciatores arguit, & corripit. Tibi exprobrant insipientiam, inuerecundiam, incontinentiam, pusillanimitatem, aut quoduis aliud dedecus? sat vituperones corripis, si te opere ipso magnanimum, pudicum, & eruditum exhibeas. Opere citiùs, quàm ore contumeliam excuties: & dum tacita lingua mendaces ostendis calumniatores, acerbiùs illos arguis, quasi malitiosos fabricati mendacij architectos. O pacatam, & comptam reprehendendi disciplinam, de Christi schola depromptam!

3. Marci 16. v.14. — Mald.inibi. — Ioan.20.v.27 — *Conuicia, meliùs viuẽdo, quàm loquendo arguimus.* — Paull.ep.27.

In hoc cap. 3. vers. 9. acerbè Sara puellam reprehendit, & tanquam domestici alicuius delicti ream, seueriùs obiurgat. At puella, potiùs exacerbata, quàm emendata euasit. (iuxta nuper dicta ex Gregorio) *Ergo cùm* Sara *pro culpa sua increparet puellam respondit ei dicens: Amplius ex te non videamus filium, aut filiam super terram, interfectrix septem virorum. Numquid & occidere me vis, sicut iam occidisti septem viros?* Hæc probrosa æquè ac falsa conuicia muto silentio Sara audit, ad oratorium festina confugiens. Sara ne irrepte 4.

Tob.3.v.9.

irreprehensam, & inemendatam benè petulantem dimittit puellam, quæ ob leuem in re domestica noxam, eandem nuper seueriùs reprehendit; Aut non debuit sic acerbè illam inertiæ nuper arguere, aut temerariam insanè petulantiam durâ reprehensione nunc debuit cohibere. Imò seueriùs illam corripuit, non garrulo ore, sed contrario iactatis opprobriis opere; dum Tobias in thalamo seruatus est sospes, & Sara multâ, felicique prole postmodum aucta est. Quid in re prope simili eloquenter docet Ennodius. Qui Parthenium suum sororis filium, iuuenili lasciuientem ætate, Romam mittens, vt sub Luminosi disciplina erudiretur; veritus ne Luminosus iuuenis Parthenij cognatas noxas seuerioribus verbis increparet, ita scribit: *Parthenio ad venerabiles disciplinas Romam petenti, pro ferratis calcaribus sufficit vos videre. Si ab humanitate non discrepat, sublimitatem tuam gerens ante oculos rebus ad virtutem potiùs quàm monitis excitatur.* Nimirum satagit Ennodius vt suus Parthenius cum peritiæ incrementis, patriæ, & ætatis vitia dedisceret: sed veritus, ne Luminosi *monitis*, & obiurgationibus iuuenilis Parthenij ætas fortè exasperata insolesceret, seriò præcauet, & institutorem consultissimè præmonet, vt *rebus ad virtutem potiùs quàm monitis*, & reprehensionibus *excitetur*. Parthenij ira, Luminosi mansuetudine mitescat: alumni libido, ambitio, petulantia, gerens ante oculos institutoris castitatem, modestiam, frugalitatem, & omnium virtutum ideam, ad virtutis disciplinam feliciùs erudiatur. Scilicet cupit Ennodius, vt sui Parthenij vitia, de Luminosi præsentia, & occursu meliùs quàm de obiurgatione suffundantur. *Quis æquo animo ferat monitorem, quod verbis destruit, actibus non vitare*; Quod si actibus implet; si alumnus ab humanitate non discrepat, ipsis *rebus ad virtutem potiùs quàm monitis*, & obiurgationibus *excitatur*. Ast peruicaces & refractarij vrbanum hoc correptionis genus contemnunt. Ab hoc reprehensio auspicium sumat, quod si inauspicatò succedat; acriori obiurgatione verberentur: nam dura ingenia ferro, & igne edomanda sunt.

Rebus ad virtutem, potiùs quàm obiurgationibus, excitatur.

Ennod. lib. 5. epist. 1.

Idem lib. 7. epist. 6.

5. Marci 1. dum Ioannes Baptista, & prædicans, & publicos mores seueriùs reprehendens auditur, induicitur cilicinâ veste spinosus, syluestri cibo ieiunus; de mundi penuria supra humanum fastigium existimatus: Ecce ego mitto Angelum meum. *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Tali viuendi instituto opinatissimus, idoneus fuit, qui vitia hominum palam argueret. Ad quæ Marci verba ita fatur Hieronymus apud S. Thomæ catenam: *Multi benè agunt, sed non benè corrigunt, vt Heli. Multi benè corrigunt, sed non benè agunt, vt fuerunt Scribæ, & Pharisæi.* Quis ferat monitores Pharisæos, qui quod verbis adstruunt, actibus non deuitant? Pharisæos æmulatur, in vita mollis, in reprehensionibus durus. Qui benè corripit, & malè agit, Pharisæus dicitur. O ætatem Pharisæorum fœcundam! Hîc liceat eloqui id, quod habet instar prouerbii: *Pater qui non potest corrigi, corrigit filium*, quæ sunt verba Clementis Alexandrini in Adhortatoria ad Gentes. Vide quàm appositam emendatoris idæam Traianus exhibuit: *Corrupta est disciplina castrorum*, (ait Panegyrista) *vt tu corrector, emendatórque contingeres: inductam pessimum exemplum, vt optimum opponeretur.*

Marc. 1. v. 3. *Qui benè corripit, & malè agit, Pharisæus dicitur.*

Hieron. apud Catenam.

Clem. Alex. in Adhort. ad Gentes.

Plinius in Panegyr.

P. Didac. de Celada in Tobiam.

6. Marci 4. Christo cum Discipulis in scapha transfretante, facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis. *Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens: & excitauerunt eum, & dicunt illi: Magister, non ad te pertinet, quia perimus?* Quid est, quòd ad dormientem confugiunt vigilantes? credunt obsistere sæuientibus elementis eum, cui somnum dominari suâ compassione arbitrantur? opinantur irruisse taliter humanæ necessitatis soporem, vt nec fragore maris, nec clamore fluctuum, nec extremo imminente naufragio potuerit suscitari. Et vbi est illud: Ecce non dormitabit, neque obdormiet, qui custodit Israël? Pergit ad rem Chrysologus: *Per se non dormit, neque sibi dormitat majestas expers lassitudinis, quietis ignara: sed totum per me mihi agit, qui quoties speciem sui actus, sui vultus mutat, toties nostrarum varietates arguit, & culpas animarum. Audi Prophetam dicentem: Palpebræ eius interrogant filios hominum.* Dum sopore decumbit Christus, non tam sibi dormit, quàm mihi vigilat; & palpebris suis interrogat filios hominum, & culpas arguit. Nostram in re virtutis inconstantiam, arguit somnus in nuper vigilante: nostræ fidei soporem, aut torporem, Christi somnus condemnat, *qui quoties speciem sui actus, sui vultus mutat, toties nostrarum varietates arguit, & culpas animarum. Palpebræ eius interrogant filios hominum.* O quàm vrbanè Christi actiones, nostrarum defectum arguunt, & humanas culpas exemplo reprehendunt!

Marc. 4. v. 38

Somno suo suos Discipulos Christus arguit, vrbanâ reprehensione.

Chrysolog. serm. 21.

Psalm. 10.

§. CCCX.

Terrena regio, vel cæli tractum sibi respondentem, suorum pestilitate morum, infestare putatur.

1. Potissima tibi cura sit, vt improborum consuetudinem fugias: magna enim pars probitatis est, à noxio cœtu recessisse: non quod virtutis magistra solitudo sit, sed quòd, vbi inhortator, ductor, comes, laudator abest, vitia subsidunt, quorum probari fructus est. Neminem censebo sanabilem, quovsque vitiorum ductore, inuitatore, laudatore, comite caruerit: carebit si improborum familiaritatem, & contubernium vitauerit: vitasse, caruisse est. Tantum ad malignitatem consuetudo valet, vt qui socios auferat, vitia sustulerit. Quisquis prauo malignóque contubernio se adiunxerit, imbibit malignitatem. Retrahit se ergo à tali qui præcipitia non amat; nec dabit se in illud. Mores suos inhalat improbitas, & vicina quæque malitiæ contagione deprauat, toxicat, culpat. Nemo vel in bonæ indolis, vel in sincerioris innocentiæ asylo, tutus est à maligni socij peste, quæ per aures, oculos, & totam sensuum experientiam hauritur, serpente alienæ malitiæ contagio, & sensim in mores euntis: ô fuge propinquorum pestilentiam, quisquis eadem corripi pestilitate non amas! Qui deprauari non ambit, exuet se prauorum contubernio, & melioribus se dabit, ad quorum vitam, vitam effinget suam: ne mores quos nuper execratur in alio, citiùs in se exprimat, viciniæ imitatione malitiæ. *Gemmarum diuites venæ* (inquit Cassiodorus) *auri fulgore pretiantur & gloriam pulchri*

Vitanda improborum consuetudo.

Politico-Christ. lib. 1. cap. 2.

Cassiod. l. 5. epist. 40.

pulchritudinis capiunt, qui nulla degenerì vicinitate ſordeſcunt.

2. Geneſeos 19. adſunt pudicitiæ præpoſterè violatæ, vltrices è cælo Poteſtates, ſeuerioris excidij adminiſtræ. Iuſtus Lot ſerus Sodomorum habitator, citò cogitur Sodomam deſerere, & inde quantocyùs exulare. Recuſat arduum montis effugium, & laſſus exæſtuans, in vrbecula Segor ſubſidere expoſcit. Vix annuerat Angelus, & Lot ingreſſus eſt Segor. *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cælo: & ſubuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuerſos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia.* In confeſſo eſt hanc Pentapoleos regionem, introrſum ſulphureos alere ignes, quos vaſtis terræ hiatibus, præuio terræmotu atrociter euomit: de quo agit Hieron. in qq. Hebraicis ſuper Gen. ad c. 14. & 19. & commentatores dum tractant, cur Lot poſt Sodomæ deflagrationem diſceſſerit de Segor: tum etiam ad cap. 14. agentes de *puteis bituminis* Pentapolitanæ regionis: cùm inquã, id compertum ſit, perueſtigare oportet, quare hæc Sodomitica regio, quæ ſulphureũ ignem medullitùs violenter alit, ad Sodomorum excidium ſulphureos ignium globulos, non ex imis viſceribus eructauit, quò tota deflagraret, & funditùs euerteretur? Quid neceſſe fuit peregrinos è ſulphure ignes è cælo adſciſcere, cùm agnati, ipſique voraciſſimi, in natiuo ſolo abundè ſuppeterent? Acrior ne eſt ignis cùm in alieno ſolo peregrinatur, quàm dum in natiuo loco obuia quæque comburit? De cælo euocandus erit ignis ſulphureus, vt incendio deuaſtet regionem, quæ ſulphureo igne intrinſecùs ardet? An remiſſior erit flamma terrigena in ſuos, quam ſi de cælo aduocata, in terras deſæuiat? Niſi fortè non aſcẽdens naturaliter in cælum ignis, ſed de cælo violentè deſcendens, in acerbiorem pœnam aduocatur. Imò ſaltem (vt opinor) Cælum agnatà generoſitate mitiùs caſtigabit, quam Terra, de ruſticana ignobilitate agreſtior & crudelior. Cur ergo ignis ſulphureus, non ex inuiſcerato illius regionis conflatorio, ſed de peregrino cæli conceptaculo, notanter adſcitur: *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cælo.* Ad quæ verba obſeruat Caietanus, quod nuper addubitando notabamus: *Et adiungit*, inquit, *de cælo, ad differentiam conflagrationis naturalis, quâ pars aliqua terræ ſolet ardere accensâ terrâ in inferioribus. Hæc enim combuſtio, hæc flamma, ex ſuperioribus, è cælis venit.* Sed quare è cælis venerit, cælis inſolens, ſulphureæ flammæ imber, Caietanus necdum ſatis exponit: fortè quia id iam olim Hugo expoſuerat, ad prædicta verba ita fatus: *Igitur Dominus pluit ſulphur & ignem de cælo. Et attende quatuor in hoc execrabili peccato: ardorem immoderatum, fœtorem, tenacitatẽ, & contagium. Vnde ſocietas mala maximè declinãda & fugienda eſt.* Scilicet Sodomitica tellus intrinſecùs alit ignem ſulphureum, quo pernicioſo contagio tota culpatur regio, vt potè ignivoma flammæ ſulphureæ: quid ergo mirum, ſi ille cæli tractus, qui Sodomiticæ regioni reſpondet, adſimili vitio denotari videatur: quaſi terræ vitio cælum quodammodo inuitiari dicatur. O illuſtrem ethicè eruditionem! Porrò cælum (ſi auitam Philoſophiam ſpectemus) peregrinas impreſſiones non patitur: at tanta eſt peſtifera propinquitatis vis, & exemplaris malitiæ contagium vt Sodomiticæ regionis vitium, euomendi ſulphureum ignem, ille cæli tractus repræſentet. *Pluit ſulphur & ignem de cælo. Et attende contagiũ. Vnde ſocietas mala declinanda & fugienda eſt.* Nimirum Sodomitica regio igne ſulphureo in terræ viſceribus flagrat: ergo moraliſſimè illa cæli plaga, quæ regioni Sodomiticæ reſpondet, adſimili dicatur infeſtari contagio: quaſi peſtilens regionis halitus, vel cæli tractum illi reſpondentem, cognatâ peſtilitate propè toxicet, & pati contagione inuitiet; vel potiùs velut inuitiatum repræſentet (miraculoſa enim fuit Sodomæ è cælo conflagratio) ô in re inſenſibili, neceſſariam homini, ſenſu & ratione prædito, eruditionem! Vel locus ipſe peſtilentiarios ſuos mores vicinis cæli locis inhalat, & malitiâ ſuâ afficit, venenat, toxicat: Inde Scriptura quaſi rem miriſſimam obſeruat, quòd Tobias eoſdem mores retinuerit in ambitioſè laſciuiente Aſſyria, quos in Terra promiſſionis piè nutrierat: & Raguelus hìc eandem ſtragem ex eodem cubili prudenter timet.

Geneſ. 19. v. 24. & 25.

S. Hieron. 1.

Vitium Sodomiticæ regionis tractum cæli, qui illi reſpondet, moraliſſimè repræſentat.

Caietan. ibi.

Hugo ibi.

Hic v. 12.

Ioannis 4. prolixiorem cum Samaritana Chriſtus trahebat ſermonem; & cùm abſtruſiora cordis ſecreta palam illi inuulgaret, protinùs eundem quaſi Prophetam acclamat. Dicit ei mulier: Domine, video quia Propheta es tu. Sed dum Prophetam ſuſpicatur, nihil mundanum eum interrogat, non de corporis ſanitate, non de diuitiis aut honoribus, non de proſpera ſeu infelici fortuna, quæ illi aut adridebit proſpera, aut infeſtabit aduerſa. Quid ergo interrogat? *Patres*, inquit, *noſtri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis quia Ieroſolymis eſt locus, vbi adorare oportet. Dicit ei Ieſus: Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ieroſolymis adorabitis patrem. Vos adoratis quod neſcitis: nos adoramus quod ſcimus.* Quæſtionem mouet apud interpretes, quòd Chriſtus quæſtioni propoſitæ non reſpondet: nec facilè eſt intelligere quid ſit, Samaritanos adorare quod neſciunt. Quomodo quis quod neſcit, poteſt adorare? Quid eſt, quòd dum Samaritana interrogat, an in Samariæ monte, an in monte Sion adorare Deum oporteat, Chriſtus reſpondet: *Vos adoratis quod neſcitis?* Pulchrè inibi Chryſoſtomus: *Samaritani quidem quod neſciebant, adorabant; quoniam localem & particularem Deum æſtimabant.* Vide quid ſeriò ſibi Samaritani perſuaſerint, Deum inquam, *localem* eſſe, & pro locorum & regionum varietate, ipſum etiam quodammodo euariari. quaſi pro conditione loci, aut regionis, ingenium etiam Deus mutare videatur: & pro loci genio aut moribus, aliis mitis & placidus, quibuſdam aſper & auſterus, nonnullis parcè imbeneficus, aliis largè munificus exiſtat. ac ſi pro loci qualitate, Deus quoque ingenium euariet, & loci mores combibat, & in ſe exprimat. *Samaritani quidem localem Deum æſtimabant.* O humanæ ruditatis moraliſſimè acutam æſtimationem! Quaſi parum foret, cæli plagã alicui regioni reſpondentem, propè adſimilibus terrenæ regionis moribus affici, & terræ proprietatibus imbui; ſimile quodammodo de Deo putant, dum *localem Deum* Samaritani æſtimant. Vel Deus in ſuæ immutabilitatis aſylo, à loci impreſſionibus non putatur immunis: Samaritanorum error, dum per veſanam hyperbolen nimis audet; nos ethicè erudit, quam noxiam peſtilitatem propinqui contubernalium mores ad omnẽ malitiam eructent. An non de immutabili Deo ſic pangit 3.

Ioan. 4. v. 20. & 21. & 22.

Cur Samaritani ſibi perſuadebant, Deum eſſe localem?

S. Chryſoſt. homil. 32. in Ioann. apud tranſlationẽ, quâ vtitur S. Thom. in Catena ibi. Aliter ſcribitur locus in vulgari Chryſoſtomi tranſlatione.

Psal. 17. v. 27. Luc. 22. v. 59. pangit regius Psaltes? *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: & cum electo electus eris: & cum peruerso peruerteris.* Quin & S. Ambrosius, quò longiùs absit à Samaritanorum errore, propè renuit Christum appellare localem. Porrò exponens illa ad Petrum verba: *Verè & hic cum illo erat: nam & Galilæus est*, ita pro Petro scribit: *Numquid negauit cum Dei fuisse filio? Hoc est dicere: Nescio Galilæum; Nescio Nazarenum, quem Dei filium noui. Habent homines locorum vocabula, Dei filium patria non potest nuncupare, cuius maiestatem locus nullus includit.*

Ambr. ibi.

4. Matt. 9. v. 9. Matthæi 9. Paralytico sanitati restituto, *Cùm transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et surgens, secutus est eum.* Subtiliter de more Chrysologus cunctanter expendit ad rem, illud, *cùm transiret.* Sic ergo ad præfata verba Chrysologus scribit: *Cùm transiret*, inquit, *Iesus. Non dixit, Cùm staret ibi: transiuit, & pertransiuit inde Iesus, ne Matthæus remaneret ibi: transiuit inde Iesus, ne Matthæus ibi taliter permaneret.* Telonij locus, vbi Publicani diu ad rapinam sedebant, vbi sordida auaritiæ commercia tractantur, vbi opulentæ vsurarum nundinæ prostant, vbi vectigalia rapaciter exiguntur; hic, hic inquam, telonij locus velociter transitur, & pertransitur à Christo; quasi loci sit veritus contagionem, non sibi, sed nobis. *Cùm transiret*, inquit, *Iesus. Non dixit, Cùm staret ibi: transiuit, & pertransiuit inde Iesus.* O quàm velociter vitiosi diu loci pestilitatem declinat, cui vitiatus locus contagionem afflare nequibat! In transcursu, & quasi obiter teloniatij Matthæi vocatio peragitur, ne in telonio commorari Christus videatur. Sic terrena regio sanctissimos quosque, suorum pestilitate morum infestare putatur? *Non dixit, Cùm staret ibi: transiuit, & pertransiuit inde Iesus.* Quid exaggeratiùs?

Chrysolog. serm. 28.

In telonio non stat Iesus, sed transit, & pertransit.

§. CCCXI.

Qui mortem diu coram habet, immortalem mortem sustinere cogitur.

1. Iacob. 3. v. 6. IAcobus Apostolus in Epistola canonica cap. 3. humanam linguam infamans, sic de vita hominis fatur: Lingua constituitur in membris nostris, *quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ.* Græcum verbum quod pro *rotâ* subest, significat celerem & incessabilem vitæ cursum, quo à natiuitate ad mortem vsque, velut currente rotâ perpetim agimur, & quamocissimè rotamur. *Rota* etiam nomine nimia præsentis vitæ fallacia denotatur: nam vt multipliciter illudat, mutat faciem: modò enim se breuem causatur, modò simulat longiorem; cùm peccare delectar, adhuc gemit altiùs pro breuitate sua. Sicut igitur rota nunquam stat, sed perpetuâ volubilitate circumagitur; ita in hac vitæ *rotâ*, nulla stabilitas, securitas nulla reperiri potest. *Rota est* (inquit Nazianzenus) *incertò fixa, breuis hæc & multiplex vita nostra: sursum mouetur, ac deorsum trahitur, neque enim stabilis est, quantumuis ita videatur, fugiens tenetur, & manens effugit, saltat plerumque, nec tamen fugere potest, stationem suam motu trahit, ac retrahit.* Ecce tibi vita nostra incertò fixa, fugiens tenetur, & manens fugit in mortem; & stationem suam motu trahit, ac retrahit, ne

Vita nostra, fugiens tenetur, & manens fugit, rota adinstar.

Nazianz. in Sent.

nunquam non mori incipiat, nec viuere desinat, perpetuo mortis timore, quæ est acerbior vitalitatis ærumna; dum perpetua vitæ titubatio, multipliciter repetita mors sit, & calamitatum hyperbole. De illo suo Christo, quem fingebant hæretici, qui sideream, aut apparentem duntaxat carnem induerat, de cælo expositus, semel grandis, semel totus, statim Christus, Spiritus, & virtus, & Deus; ita contra ipsos scribit Tertullianus: *Nec statim*, inquit, *lucem lacrymis auspicatus, & primo retinaculi sui vulnere, nec multum ablutus, nec sale & melle medicatus: nec pannis iam sepulturæ inuolucrum initiatus.* Quasi vix natus infans, dum infantiæ pannis obuoluitur, *sepulturæ inuolucrum initiatus* dicatur. Sic præproperè sui funeris insignia gestat; Adhuc rudi & crudæ memoriæ nota recordationis ingeritur, vt in se inscripta legat futuræ mortis notamenta; O præcoquam mortis recordationem in crudo adhuc memoriæ vsu!

Tertul. lib. 4 contr. Marc. c. 21.

Geneseos 3. malesuadi serpentis pollicitationibus falsatis, gloriæ auara ambitione seducta, insano diuinitatis voto se credidit Eua: & muliebri pellacia ad diuinioris sapientiæ præsumptum epulum, Adamum pellicit. Adest confestim Deus causæ inquisitor, & sceleris vindex: & præceptis transgressoribus condignâ pœnâ mulctandis, hoc supplicio seductorem serpentem dæmonem ferit: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum.* Serpenti dæmoni ob capitale Protoparentum seductorum scelus, capitale supplicium indicitur: supplicium enim quod capiti imminet, capitalis pœna est, vt morte luat, quod suadendo deliquit; & mortem subeat, qui mortem inuexit in mundum. Ast intellectu difficile est, quo pacto per hanc capitalem pœnam serpenti dæmoni mors immineat. Porrò si dæmonis naturalia spectes, immortalis naturâ suâ est: si attendas ad gehennales cruciatus, quibus æternum mancipatur, æternam patitur mortem: quo igitur pacto nunc capite damnatur? quænam est hæc acerbissima mors, quæ per hæc verba Dæmoni fulminatur? Claudius Marius Victor in sacro Poëmate super Genes. ita exponit præfata verba: *Ipsa conteret caput tuum*, capitalem in illis sententiam agnoscens, ita modulatè pangit: 2.

Gen. 3. v. 15.

Serpens Diabolus ad timorem mortis damnatur.

Claud. Mar. lib. 1. in Gen.

Et quia te digna placuit, tibi primus vt esses
Inuentor mortis, pœnâ moriere perenni:
Humanique odium generis specialiter in te,
Ac genus omne tuum, bello experiere potenti.
Perpetuùmque tui, mors vt tibi longa timorem
Esse dabo.

Scilicet consultissimè & pœnalissimè Deus, Dæmoni pœnam irrogat capitis, vt qui primus fuit mortis inuentor, pœnâ & ipse moriatur æternâ, dum per sui capitis *contritionem*, mortem semper timens, pœnâ moriatur perenni. *Perpetuùmque tui, mors vt tibi longa timorem Esse dabo.* Prolixior interitus est, & mors longior, quam metus præproperè anticipat, & timor incessanter multiplicat. Itaque damnatissimus dæmon gehennalibus pyris æternùm consecratus, timori mortis pœnalissimè addicitur; & cui nihil videbatur superesse supplicij, ad perpetuum mortis timorem, adhuc acerbissimè condemnatur. Sic est pœnalissimè durum & pergraue, mortem incessanter timere; sic est intolerabile, diu timendo longam mortem pati. Damnatissimi Dæmonis pœnas, quas æternùm patietur, longæ mortis perpetuus

timor exaggerat; (Quænam dicatur immortalis Diaboli mors, alibi disseruimus) Heu quanto calamitatum sensu premitur Sara, & angitur Tobias, dum mortem votis accersunt, & spebus anticipant: præsertim dum hic iuniori Tobiæ sepulchrum effoditur.

Hic vers. 13.

3. Psalmo 72. penè eius nutasse vestigia Dauid asserit, dum zelans super inimicos, pacem peccatorum videt. Causam subdit: *Quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum.* Prius huius versiculi hemistichium sinceriùs exponit Hieronymus: *Non cogitauerunt de morte sua.* Alij propiùs accedentes ad Hieronymi expositionem: *Non fuerunt anxij & solliciti, nihil eis cura fuit, non exagitauit eos cogitatio de morte.* Nonnulli ex Hebræa origine: *Non sunt coniurati in mortem.* Quasi qui seriò, anxiè, & sollicitè *cogitat* de morte, in illam *coniuret*, illam exarmet & detriumphet. Verum Theodoretus inibi exponens Græci vocabuli significantiam, pro respectu seu cogitatione, *renutum* exscribit: ac si respectus ad mortem, seu cogitatio ipsa, quæ mortis cogitationem ingerit, *renutus*, seu renuitio mortis sit, illius tædium, auersio, & horror. Scilicet serò mortis *renutus* seu horror subsequeretur cogitationem mortis; ipsa mortis cogitatio, & simplex illius memoria, quæ ad intellectuale cogitatorium spectat, quasi voluntatis obeat vices, in illa tanquam in renuitionis officina *renutum* cudit, & mortis horrorem exprimit ac si synonyma sint *cogitatio* de morte, & illius *renutus*. *Parece que llega tarde la voluntad à tener horrores de la muerte, y hacerle desuios; el acordase della, es darle de mano.*

Psal. 72. v. 4.

Cogitatio mortis est cõiuratio in illã & illius renutus.

Theodoret. inibi.

4. Ionas Propheta sortilegij arbitrio ad naufragium damnatur. *Et tulerunt Ionam, & miserunt in mare, & stetit mare à feruore suo*, & decumani fluctus in flustra sedantur, & procella in malaciam versa est. Et præparauit Dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam. Et erat Ionas in ventre piscis tribus diebus & tribus noctibus. Et orauit Ionas ad Dominum Deum suum de ventre piscis, & dixit: Proiecisti me in profundum in corde maris: *Omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt.* Gurgites vocat (vt exponunt interpretes) aquarum vortices, quos sæua illa tempestas excitauit. Chaldæus vertit, & exponit: *Omnes maris tempestates.* Verùm si vbi Ionam *miserunt in mare, stetit mare à feruore suo;* quo modo nunc dicit, quòd deturbatus in mare, omnes maris gurgites, seu omnes maris tempestates subiecit; tranquillum iam pelagus Prophetam excipit, & in fluctus decumanos se proiectum affirmat. An non tam calamitatem, quam actu subimus, quàm eandem, cùm illam timemus, tunc nos subire, & pati dicimur? non cùm ærumnam toleramus, sed quando illam exhorrescimus, tunc illam perpetimur? Quia Propheta timuit *omnes maris tempestates*, etsi iam illi mare tranquillatum fuerit, illas subiisse conqueritur; (sed de hac thesi aliàs vbertim) Illud verò maximè expensione dignum est, quòd Ionas in altum mare proiectus, dicat: *Omnes gurgites tui super me transierunt?* Quid est, iam *transierunt?* Imò tunc actu transeunt? An non etiã in ventre ceti adhuc sæuis fluctibus iactatur? Ita quidem, vt subtiliter expendit Lyranus, ita scribens: *Omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt. Transibant enim super piscem, & per consequens super Ionam in eo inclusum.* Nempe omnes maris gurgites, & omnes eius tempestates, iam *transiisse* dicit, cùm illas actu subit, & *transibant* per piscem, vbi ipse inclusus viuum subibat naufragium; quia mortis aberat metus, vbi in viuam marinæ belluæ scapham descendit. Necdum sæui maris gurgites *transierunt*, sed illis iactatur: adhuc squalentis alui horrore nauseat, tenebricoso carcere arctè stringitur, & calamitosis aliis iactatur ærumnis; sed dum mortis timor transiit, *omnes maris tempestates* transiisse dicit, etiam dum super se transibant, quia à metu mortis transibant immunes. quasi mortis iam excusso timore, nil valde acerbum Ionæ superstit. Exinde dum omnes super eum *transibant* tempestates, omnes iam tempestates pertransiisse significat.

Ærumnæ timor, potius quàm eius perpessio, homines exacerbat.

Ion. 2. v. 4.

Chaldæus ibi.

Ionas metu mortis excusso, omnes iam tempestates, quas subit, transiisse significat.

Lyran. ibi.

Iobus cap. 9. sustinendo defessus tot calamitates, quas & Dæmon repetitis plagis, & amici acerbitate consolationis exaggerabant; sic querulus de Deo fatur: *Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat.* In quibus verbis aliquid videtur Iobus cognoscere propè minùs piè dictum, quàm diuinam deceret maiestatem, cùm defessus ferendo tam acres, atque diuturnos morsus, cum aliquo stomacho mortem optet, & inferri sibi à Domino postulet, vt defunctus vitâ, sit quoque tam acerbâ vexatione defunctus. Ad hæc addit P. Sanctius ad præfata Iobi verba: *Videtur autem ille toties mori, quoties votum habet mortis, aut moriendi causas, quales sine dubio plurimas habebat Iobus, cùm horribiles plagæ, & animi angores voluntatem acuerent moriendi.* Et post pauca: *Occidat me semel: quando grauis est, & propè necessaria moriendi causa; neque me non tam vitam, quàm immortalem mortem sustinere cogat.* Scilicet horribile mortis votum, & multiplex moriendi causa, nihil est aliud quàm repetita acerbè mors; nam qui præ animi angore mortem coram habet, non tam mortalem vitam, *quàm immortalem mortem sustinere cogitur.* Nec minùs eleganter Philo Hebræus seriò nos adhortatur, vt attentiùs inspiciamus singulas, quas frequenter singuli obimus mortes, ne postremam timeamus. Sed planè infelici suadela laborat. nam maiorem incutit mortis metum, vnde credi poterat excussisse: *Si quis, ait, est ætate prouectior, is fuit aliquando infans, mox puer, deinde pubens, deinde adolescens, postea iuuenis, posteà vir, postremò senex; sed non simul omnia. nonne infans puero cedit, puer pubenti, pubens adolescenti, adolescens iuueni, iuuenis viro, vir seni, senectus morti? Et fortasse singulæ ætates decedendo præmoriuntur, naturâ nos paulatim docente non timere mortem extremam omnium, quando priores facilè tulimus, infantiæ, pueritiæ, pubertatis, adolescentiæ, iuuentutis, virilitatis; quæ omnes ætates ante senectutem euanuerunt.* Imò inde mors postrema, (quæ vera & plena mors hominis est, non ætatum defectus) se magis horribilem ostendit, tot sui repetitis subinde simulacris; quò vel sui memoriâ crebriùs perimat: séque in plures simulat, ne semel occidat. dũ frequenti recordatione nos etiam pluries tumulat, postremi funeris horrore.

5.

Iobi 9. v. 23.

Qui mortem diu coram habet, dum viuit, immortalem mortem sustinere cogitur.

Sanct. ibid. n. 53.

Philo lib. de Iosepho.

Ioannis 11. Lazarus languoris malignitati permissus, tandem moritur: sed Christi voce quatriduanus resurgit è tumulo. *Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus institis.* quò exinceps signa mortis circumferens, mortis memoria animitùs adhæresceret. *Eadem virtute* (ait Basilius) *exiliebat quatriduanus mortuus lethi signa circumferens, & exutâ morte sepulcralem ornatum non exuerat; sed erat in institis è sepulcro partus,*

6.

Ioann. 11. v. 44.

Basil. Seleu. Orat. 35.

Mors transplantanda est ad vitam.

partus, *& post partionem fasciatus*, vt vitæ redditus, morti pendat memoria stipendium, iugi recordatione. Sat esto perstrinxisse Basilij acumen.
Clemens in Adhort. ad Gentes. Sub alia metaphora rem expressit Clemens Alexandrinus. qui cùm dixisset, quòd *homo est planta cælestis*: post pauca loquens de Christo ait: *Transplantans interitum*, mortem, inquam. Scilicet planta è seminario transferenda est in alium commodum locum, ne siluestrem faciat fructum: sic mors quæ aut senio, aut lethali morbo accidet, ad vitam *transplantanda* est, vt iugis eius recordatio animum fodicans, opimâ virtute adipet ad æternitatis fructus.

Genesis 1. prima mundi dies à nocte incepisse dicitur, non à clara luce: *Factum est vespere, & mane dies vnus*. quasi dies primò à Deo factus, à nocte exordium sumat. Clem. Alex. in Adhort. ad Gent. sic fatur de Christo: *Is occasum traduxit in orientem*. Quò ab occasu saltem meditato, in ipso lucis exordio, dies affulgeret illustrior, non mundo, sed Deo. Sat esto præstrinxisse Clementis sententiam conceptuum grauidam.

---

§. CCCXII.

Peruestigandorum criminum munus, peritia sapientioris sollertia est.

1. HOc in omni delictorum examine, tribunalium Antistes obseruabit, sciat potissimam curam adhiberi vt emendet malos, non vt eos inuiciet scelerum reatu. Exinde non tam præterita, quàm futura intuebitur in disquisitione malitiæ, quam non disquirit, vt curiosè noscat, sed vt cognitam peritè corrigat. Nemo enim prudens subiectorum peccata ad punitionem peruestigat, quia peccatum est, sed ne vltrà peccetur. Porrò cùm reuocari præterita non possint, futuris adhibetur medela. Caueat ergo diligenter ne ipso delictorum examine, quo tanquam præambulo remedio vtitur, moribus æger, periculosiùs ægrotet. Eheu sæpè non tam morbo, quàm morbi remediis laboramus! O! quid compagum & medullarum sacra penetralia velut per anatomiæ artem scrutaris, vt delictorum rimulis insidieris, fallaci sæpè coniecturâ? Morum medicus es, an famæ lanius? Fama atrociùs dilaniata incurabiles animi morbos aut inuenit, aut facit: & nimis curiosa Antistitis scientia, teneram morum valetudinem plerumque fascinat. Præstat ad speratam medelam ignorare, quàm ad faciendam ægritudinem scire. Hæc Præpositorum cuique expendenda, æstimandáque sunt. Ast si eò res deuenit, vt delictorum examen faciendum sit, & exactior morum disquisitio; hinc taxare licet, quanta cum prudentia, & sagaci industria id præstandum sit. Tota Raphaëlis peritia ad id sollerter nuper incumbit; humanum quippe captum longiùs excellit, & vel Angeli discretionem exigit quod nos hîc Raguelus moralissimè suo exemplo edocet.

Magnâ peritiâ Præses indiget ad morũ examen.

Hic vers. 14.

2. Matthæi 16. venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? Imperitas gregarij vulgi opiniones discipuli seriatim recensent, imperitiâ aliorum peritè instructi. Vos autem, ait Iesus, quem me esse dicitis? Tunc Petrus Apostolici collegij os, & fidei lingua, è cælo afflatus respondit: *Tu es Christus, filius Dei viui*. Iesus autem incunctanter ad illum: Beatus es Simon Bar-iona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. *Tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis*. Profectò attentiori animaduersione dignissimum est, quòd cùm Petrus præstanti vir intellectu, ipsóque cælitùs diuiniori sapientiâ prudentiáque illustrato apertiùs dignoscitur: tunc quidem delictorum discretio, & conscientiæ reserandæ claues illi committuntur: ait enim Rabanus: *Claues autem regni cælorum, ipsam discretionem & potentiam nominat: potentiam, quâ liget & soluat; discretionem, quâ dignos vel indignos discernat*. Scilicet cùm Petrus sagacioris mentis notas edit, & diuinioris scientiæ notionibus illustratur; tunc donatur potentiâ, quâ dignos ab indignis discernat. & quâ dignorum infucata merita recognoscat, & indignorum reatum sapienter prudentérque scrutetur. Petrus inquam, dum sapientiæ vertex, scientiæ meta, & prudentiæ idea inuenitur, tunc idoneus deprehenditur, cui culparum *discretio*, & delictorum exactior inquisitio committatur. Sic enim Petri regimen erit iustitiæ plenitudo, debitæ pietatis fauor, falsati criminis venia, subiectorum solatium, & omnium credentium firmamentum. Pulchrè Petrus Damianus huc adludens, sic fatur de Petro: *Quem*, inquit, *pro Iustitia pietatísque plenitudine Saluator mundi humano generi, & patrem esse dedit, & iudicem*. Iustitiæ enim ac pietatis plenitudo est, vt Ecclesiæ Præsul, cui conscientiæ clauis traditur, cui *discretio* probitatis committitur, cui criminum inquisitionem Deus delegat; ea præstet mentis præstantiâ, eâ sapientiæ prærogatiuâ, eâque prudentiæ laude præ reliquis emineat. O quoties in delictorum examine, naufragium facit pietas, ne iustitia periclitetur! O viderint Præfecti, Præfectorúmque electores, quantâ mentis sagacitate, peritiâ, sapientiâ, industriâ opus sit, ad culparum disquisitionem penitiùs faciendam. O quoties districtioris iustitiæ prætextu, innocentis fama inuitiatur, denigratur, sauciatur: & ante latam iudicis sententiam, in ipso examine malè tumulatur. Sero absoluitur, qui inquisitionis præiudicio damnatur.

Matth. 16. v. 19.

Claues regni cælorum est discretio inter dignos & indignos.

Rabanus ibid.

Petr. Dam. homil. 4. in Nat. Apost.

Matthæi 25. magnum vniuersalis iudicij proponitur spectaculum, vbi infideles Christum inopinatum iudicem; fideles autem scelerati, contemptum, palpitantes videbunt, qui hanc cadentem sententiam audituri sunt: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius*. Putas ne quòd districtius delictorum examen, cum finali iudicio terminatur? Qui huius anathematis fulmine feritur, vlteriori culparum inquisitioni adhuc obnoxius est, ne disquirendorum criminum acerbitas damnatis æternùm desit. Porrò expositiuæ & scholasticæ Theologiæ Magistri, non parùm sudant in exponenda huius æterni æstus non moritura æternitate. Siquidem cùm cœperit inexpiabilis damnatorum caro gehennæ æstibus penetrari, & more liquentium metallorum, malitiæ adeps decoqui; quid est, quòd depascentibus flammis æstuantia medullitùs viscera ex parte consumi, & ex parte nutriri videantur? Profectò vt rata sit Iudicis sententia: *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, necesse est, vt inter medias gehennalis incendij 3.

Matth. 25. v. 41.

Gehennæ ignis, quia adhuc culpas inquirit rationabilis dicitur.

flammas, damnata natura, & det igni pabulum, & ab igne quodammodo accipiat incrementum. Totâ æternitatis prolixâ morâ escas ardoribus corpora ministrabunt, & vt maneat sententia Iudicis, viscera ardoribus obnoxia, & tormentis irremediabiliter consecrata, etsi æternum depasta, ignis arbiter minimè deuorabit. Nota perenne infernalis incendij sacramentum, Emiseni diserto calamo apprimè descriptum: *Illa enim*, inquit, *non casualis, sed rationabilis & pœnalis exustio, quia culpam iubetur inquirere, substantiam nescit absumere.* (Verba conceptuum grauida, nuper aliorsum expendebamus) Nempe quia pœnalis gehennæ exustio culpam iubetur *inquirere*, ideò consultissimè *rationabilis* appellatur. Itaque ignis exanimale elementum est, acre, barbarum, vorax, agreste, brutum: at vbi culpatum examen illi committitur, quasi sensuum sagacitate, & rationis polleret ingenio, inquisitor iam ignis, *rationabilis* nominatur. Siquidem eò ipso quòd peruestigandorum criminum illi negotium aut otium delegatur, confestim illi etsi non inesse, adesse tamen arcana quædam ratio videatur, quasi diuinâ mente ad exustionem præuia ducatur: quandoquidem si absque ratione exanimale elementum inquireret culpam, non tam puniret, quàm sæuiret, nec tam iustitia, quàm sæuitia foret, & laniena potiùs, quàm inquisitio: illa enim non casualis est, *sed rationabilis exustio, quia culpam iubetur inquirere.* Nec inde euadit mitior, sed prudentior, & iustior, quoniam dum veram & inexpiabilem culpam *rationabili* inquisitione inuenit, pœnali exustione æternùm excruciat, supplicio perenni. Perita enim prudenter culparum indagatio, & rationabile flagitiorum examen, non impunitati, sed iustitiæ militat: non tribuit veniam delinquenti, quò exultent impunita flagitia; sed non punit innocentem indecoro examine; neque nocentem diri examinis lanienâ ante sententiam præcondemnat.

Emis. hom. 1 ad Monach.

4. Exodi 5. ingressi sunt Moyses & Aaron, & dixerunt Pharaoni: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Dimitte populum meum vt sacrificet mihi in deserto: *At ille respondit: Quis est Dominus vt audiam vocem eius, & dimittam Israël? nescio Dominum, & Israël non dimittam.* Cardinalis Caietanus ita exponit hunc locum: *Non quærit scire quis est Deus absolutè, sed quis relatiuè ad ipsum Pharaonem.* (quasi à se diuersus sit ipsissimus Deus absolutè in se, à se ipso relatiuè ad Principes. O insanum Pharaonis fastum!) *Contemptum verò miscet dicendo: Non noui Deum, & Israël non dimittam. Si animo inquirendi notitiam veritatis formasset quæstionem, non intulisset ex sua inscitia detentionem populi Israël.* O non bona inquisitio eius, quod ignorat: Fatetur se nescire, & ex sua *inscitia*, eius quod nescit *contemptum* infert: Superbiæ agnatum est, quod ignorat, contemnere, ne quid scitu dignum, nescire videatur. (*quod ignorant blasphemant*) Mauult præcipitato consilio prædamnare, & blasphemare quod nescit, quàm non damnare quod vult; quod si sciisset, damnare forsan non vellet. Inde adfectata per inquisitionem *inscitia* damnat quod notitia adprobaret. Quis non condemnet cæcum *inscitiæ* iudicium? Quis æquo animo ferat, quod dum de re omnium grauissima interrogat, contemptu prædamnet, antequam meritum damnationis noscendo agnoscat. Heu quoties non bonus Magistratus quærit de crimine sicut Pharao de Numine! Opinor, serò damnabit, qui quærendo prædamnat. Heu olim & nunc causarum quæstiones! *Si animo inquirendi notitiam veritatis formasset quæstionem, non intulisset ex sua inscitia* iniustam *detentionem populi Israël.*

Exod. c. 5. v. 2. Caiet. ibid. *Alius est Deus in se, alius relatiuè ad non bonos Principes.*

In lex dum quærit meritum causæ, ne illam prædãnet.

---

§. CCCXIII.

Præuius, aut comes periculi timor, de ipso periculo, periculi facit asylum.

Non citò perit ruinâ, qui ruinam timet; præuia enim cautela de timoris genitura enata, & de eius magisterio erudita, dum præproperè periculum timere noscit, periculi causas auertere præcurrit. Qui imminens sibi discrimen non metuit, illud profectò negligit, aut fatuè stolidus est; inde neglecti stolidè periculi reus, acerbiores pœnas luet, dum periculum ipsum contra se armat acerbiùs, quod præstaret præambulo timore cautiùs exarmasse. Hostis contemptim despectus, strages contemptori propinat honoratur periculum dum timetur; cùm despicitur, irritatur. Præuius sæui discriminis metus, securitatem in discrimine negotiatur. O timeat, qui minùs timet timeat saltem non timere. Periculi inerter securus, in illo certiùs periclitatur: & qui diu periculum timuit, asylum de periculo ingeniatur, aut cautelæ arbitrio, aut aliquâ periculi arcanâ propitiatione, quâ periculum ipsum suos metu cultores benignè sospitat, grataner beneficium, incolumitatem pro timore compensans. Vnde Tobias trepido periculi *pauore*, periculi acerbitatem redimit: & ipso metu metuendi causas auertit, de periculi sui exuuiis feliciter opulentus. quod hîc exploratrix ancilla demonstrat. 1.

Timor, arx securitatis est.

Hic vers. 15.

2. Danielis 14. eximius hic Propheta Babylonicæ superstitionis euersæ reus sistitur, & in leonum caueam laniandus concluditur. Consuetis dapibus fraudantur leones, vt eorum ingluuies propheticâ prædâ auidiùs s[?]ginetur. Cruenta Babyloniorum inuidia, specie religionis armata, viuas Danielis exequias celebrasse putabat, festo impiorum plausu, funesto piorum mœrore. In bestiarum aluo, velut in viuo sepulchro tumulatum credebant, cùm amico fœdere inter eos impunè conuersantem inueniunt. Famelici diu leones ieiuno Danieli parcunt, & vnde certa putabatur laniena securitas certior existit. Immanis leonum venter latrat rabidâ fame, sed continenti rictu in ieiuno ore linguarum obsequio Prophetam adlambunt, & propè ieiunij sui hebdomadem adimplent, atque de belluarum ieiunio Daniel viuit, earum fame abundè satur. Vt macilentum reficiat Prophetam adest Habacuc Propheta, de Iudæa è crine delatus Angeli ope: *Et clamauit Habacuc, dicens: Daniel serue Dei, tolle prandium quod misit tibi Deus..... Surgénsque Daniel comedit.* Non tam admiraret ieiunanti Prophetæ ieiunos etiam leones pepercisse, & de simili passione mitigatos, pari inediâ gregales. Plus mirari licet, quòd prandenti Prophetæ, rabide fame belluæ adhuc ignoscant, nec efferentur ad prædam. Grandius periculum è prandio imminet, & esculenta pietas bestiarum dentes exacuit Audiendus est hâc de re Zeno Veronensis, ita eleganter fatus: *Denique timoris suffragio Daniel populis terribilem inermis draconem necat: leonibus obiectus*

Dauid in periculo securus prandet, qui extra periculum pauidus solitus ieiunare.

Daniel. 14. v. 36. & 37.

Zeno serm. de Timore.

obiectus in periculo prandet, qui solet extra periculum ieiunare. Nempe Daniel nec Regis gratiâ, nec palatio velut arce securus; timore semper concussus, regij conuiuij lautas exquisitè dapes, ieiunus respuit: & diu patriâ extorris, velut humanæ opis exul, obuia efferatæ gentis pericula, ieiunij suffragio auertere procurat: ergo *in periculo prandet, qui solet extra periculum ieiunare:* & sextidui fame rabidos leones, prandio suo lacessit, qui præuij *timoris* auxilio populis terribilem draconem *inermis* necat. Qui pericula diu timuit, timore præuio timendi causas procul abigit, & de periculo asylum ædificat: sicque periculum præmaturè formidans, formidinis exarmauit causam, vt ipse in periculo *inermis*, periculum intrepidus exaggeret. Timoris suffragio Daniel populis terribilem *inermis* draconem ridet, minaces eius spiras deludit, & belluam cunctis horrificam animosè trucidat. nec veretur propè famelicos leones prandere, qui in Regis palatio inediam trepidus patiebatur: In periculo securus prandet, qui pauidus solet extra periculum ieiunare. Non citò perit ruinâ, qui ruinam timet.

3. Matthæi 26. in Passionis vestibulo Christus Discipulos suos Eucharistico saginauerat epulo, sacro balneo pedes mundauerat; & longiusculo sermone peracto, vnà omnes pergunt in montem Oliuetum, adsuetum orationi locum, ne latebris videatur deludere clancularias Proditoris insidias. Mœstus it in terris, qui Angelos in cælis exhilarat. Tristia, quæ imminent, mente in itu versat, & durus Propheta Apostolis existit: *Omnes vos*, inquit, *scandalum patiemini in me, in ista nocte. Respondens autem Petrus, ait illi: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi Iesus. Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus: Etiam si oportuerit me mori tecum non te negabo.* Multiplex hic Petri incusatio à Patribus exaggeratur. primò cæteris se prætulit Petrus; quod arrogantiæ est. dein totum sibi imposuit, quasi ipse diuino auxilio inermis, validissimæ tentationi obsistere valeat, quod ruinæ omen est: præterea Christo contradicit, eiúsque perspicuam prophetiam se posse cassam reddere putat, quod superbiæ audacter temerariæ propè confine est. O Petre dudum te tutiùs peccatorem appellabas, & nunc propè impeccabilem præsumis; Cùm te peccatorem putabas, delicta cautelæ arbitrio declinasti: & cùm te ferè impeccabilem iactas, delicta securitate accersis, & præsumptione prophetas. Porrò securitas de præsumptione concepta, ruinæ argumentum est. Securitas cognata delictis est; timor verò has necessitudines rumpit. *Nam qui præsumit* (ait in re simili aliorsum Tertullianus) *minus veretur, minus præcauet, minus periclitatur. Timor fundamentum salutis est: præsumptio impedimentum timoris.* (Explora attentiùs verba, quæ subiicit plena acuminis, ingenij plena) *Vtilius ergo si speremus nos posse delinquere: sperando enim timebimus, timendo cauebimus, cauendo salui erimus: contra si præsumamus, neque timendo, neque cauendo, difficilè salui erimus. Qui securus agit, non est sollicitus, non possidet tutam securitatem. At qui sollicitus est, is verè poterit esse securus.* Nota ad rem præsentem, electissimam illam sententiam: *Vtilius ergo si speremus nos posse delinquere.* quasi verè sit felix spei labor, sibi seriò persuadere, se posse delinquere, & ab arrepto virtutis proposito degenerare infeliciter. Nam qui eiusmodi obortam spem humilitate infantat, pariter timorem fouet, & inde sollicitudinem nutrit: cauta verò sollicitudo veram securitatem generosè parturit. Humana securitas, quam præuia timoris sollicitudo non fundat, planè nutat, & lapsum in delicta procurat; éstque simillima ruinis, quæ supra id quod oppressere franguntur. præsumpta securitas dum in delicta prolabitur, planè frangitur, & malo suo perit. Itaque Petrus dum præsumit, minùs veretur, minùs præcauet, plus periclitatur: abiecit enim timorem, quod est fundamentum securitatis; & assumpsit præsumptionem, quod est impedimentum timoris. *Vtilius ergo illi foret, si speraret se posse delinquere: sperando enim timeret, timendo caueret, cauendo saluus esset.* Non citò perit ruinâ, qui ruinam timet. non est tuta absque timore securitas.

Mat. 26. v. 31. & 32. &c.

Consule Hugonem inibi.

Vtilius est si speremus, nos posse delinquere.

Tertull. de Cultu fœmin. cap. 2.

Exodi 14. quos nuper exire compulerat, nunc fide refugâ, armatus insequitur Pharao, & strages minitans, Israëlitarum excidium parat. Moyses Dei iussu virgam versus mare eleuat; in qua eleuatione pelagus diuinam præceptionem non dubio charactere scriptam, clarè legens, obsequenter recedit, vt peruiam fugientibus viam insolenter aperiat. Sed adhuc Israël Mare pedibus transmeare inhorrescit, donec Aminadab audenter viam aperit. *Et ingressi sunt filij Israël per medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus à dextra eorum & læua.* Ad quæ Exodi verba, ita ad rem fatur Eusebius: *Ideò filij Israël securi vel inter vndas transeunt vel sub vndas: cùm super eos prærupta vastorum gurgitum moles pendentibus dexterâ læuâque fluctibus imminerent, cùm creatura insensibilis elementi factorem suum sentiens transmeantibus circumfusa præberet viam, & in persequentes pararet refusa vindictam.* Nimirum Israëliticus populus Dei verbo subuixus, per medium sicci maris *securus* ingreditur. Sed non prorsus recedunt aquæ, siquidem *inter vndas, vel sub vndas transeunt, cùm super eos prærupta vastorum gurgitum moles prudentibus dextrâ læuâque fluctibus imminerent.* Vel in securitate non desit aliquis periculi timor, qui securiorem reddat securitatem. Porrò Israëlitis transmeantibus adglomerati dextrorsum læuorsúmque fluctus minaciter impendent: & quod vocatur à Scriptura, *quasi murus à dextra & læua*, ab Emiseno dicuntur, *Prærupta vastorum gurgitum moles, pendentibus dextrâ læuâque fluctibus imminentes.* vt quod instar *murorum* aut mœnium arcebat naufragium, velut naufragii periculum impenderet ne tutior securitas aliquo periculi metu destitueretur: quò, vnde periculum ad securitatem arcebatur, inde posset timeri periculum. 4.

Exod. 14. v. 22.

Emis. hom. 3. de Pascha.

Tutior securitas aliquo periculi metu obfirmatur.

§. CCCXIV.

Gratior-ne venit inopinata felicitas, quia gaudij fructum spes non defflorauit.

Qvid est præcipuum in rebus humanis? Tempestiuè respondet Seneca: *Erigere animum supra minas, & promissa fortunæ. Nil dignum putare, quod speres.* Quid enim habet dignum, quod concupiscas? Quod potest dare, tollere etiam potest; quod vt ad te transeat, aliquis amittit. 1.

Seneca in Præfat. ad 3. lib. Natur. quæst.

Quæcumque magni à mortalibus æstimantur, etiam si quis casus domum attulerit, sic ea intueri debes, quasi exitura quâ venerint. Nulla est tam bona Fortuna, de qua nihil queri possis. Magna dedit? Sed pretiosa quæque possessione vilescunt, & sui nauseam possessio mouet. Citò dedit? Sed insperata, & vel spei auara, quantocyùs dando, vota anteuertit, & dulces spes defraudauit. Tardè dedit? Sed expectationis longæ molestiis, possessionis voluptatem compensauit, & spebus vendidit beneficium, caro equidem. Audio apud Tertullianum, quòd gratior fortuna dicitur, *Prosper error*; quin & *Cæca felicitas* (quod Ragueli, & Annæ hîc contigit) Benè equidem, & optimè *cæca* dicitur, non modò quia optimos quosque præterit, & ad improbos plerumque diuertit; sed quia inuisa, & insperata venit, nec spei molestiis emit possessionis gratiam, exinde prosperior fortuna *cæca felicitas* nuncupatur; vt de inspiratione, placendi gratiam mutuetur. *Breuis, & vmbratilis voluptas*, dicitur à Saluiano *Breuis*, quia possessione fastiditur: *vmbratilis*, quia humanam spem obscuris vmbris præclarè fal it.

Cæca felicitas, gratior venit.

Tertull. de Anima cap. 2.

Hîc v. 17. & 18.

Saluian. lib. 2 ad Eccles.

2\. Geneseos 21. Abrahamus, & Sara vitæ longæ transactis cursibus, tandem Isaacum (ô qualem filium!) ediderunt. Sed quia vtriusque ætas ademerat spem sobolis, pignus succedaneum meruerunt. Sic meruit fides, quod ademerat tempus; & extorsit credulitas, quod natura negarat. Cùm audiuit se filium parituram, ridet Sara, cui iam auiæ reuerentiam senectus veneranda detulerat. Riserat etiam Abraham, dicens in corde suo: *Putas ne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet?* Verùm quod natura negarat, gratia dedit, & Isaac nascitur promissionum heres: *Visitauit autem Dominus Saram, sicut promiserat: & impleuit quæ locutus est. Concepitque, & peperit filium in senectute sua.* Ad hanc igitur gloriam fœcunditas desperata profertur. Vxor Abrahæ fœtus nescia, cùm visceribus frigente senio, nec sperare sobolem posset, nec portare confideret, matris suscepit officia, quæ vxoria munera iam nesciebat. Atque eo tempore partus profertur, quo calor genitalia iam relinquebat. Mira prorsus, & speranda sæculis post futuris diuinæ ordinationis propago, formata ad principium, ætas peracta reuocatur, & accingitur de sterilitate fœcunditas. Sed operæ pretium est attentiùs vestigare, cccur de vetula, effœta, infœcundâ, laudatior hæc soboles procreetur, quæ electo populo Patriarchas daret, hominibus virtutis idæam, redemptorem mundo, & corporatum Filium Deo largiretur? Ecce enim in Sara attractis ætate neruis, & deficiente sanguinis succo, arescentibus venis dura cum visceribus cutis, deformis, ac luridus pallor iam penè vultus perdidit humanos: nec vllus penè in membris voluptatis motus, nil in substantia resederat corporis; sed nihil tamen in vtero negabatur infanti. Et cuius ætatis auiam testaretur, matrem partus ornauit, cùm sub incer o affectionis vocabulo pietas nutaret: & cùm filium præferret vterus, nepotem senectus exoptaret. Nempe ita dissensione temporis, & naturæ contra opinionem nato Angelus Isaac nomen imposuit; vt firmaret lætitia, quod ætatis imbecillitas despérauit. Desperet partum natura, vt Isaacum, id est, lætitiam pariat, quod Veronensis Zeno his verbis argutè notauit. *Nouus sanè*, inquit, *parentum circa filium crescit affectus: qui ex promissione certior, ex tarditate dulcior, ex desperatione felicior putabatur.* Quasi aliqua boni obtinendi *desperatio*, voluptati possessionis adulletur ad gratiam, & ferè insperata bonitas, quam certa spes non priùs deflorauit, fit dulciùs placendi blandimentum. *Cæca felicitate* vota adipantur humana, & mundiale bonum, *ex tarditate dulcius, ex desperatione felicius putatur*, quasi placendi vsuram ex *desperatione* fœneretur.

Gen. 17. v. 17.

Gen. 21. v. 1. & 2.

Felicitas ex desperatione gratior venit.

Zeno ferm. 2. de Abraham.

3\. Vide nunc mihi Tobiam, & explora sollerter in quantam deuenerit malorum Iliadem; (adsimilem tragœdiam contemplari hîc licet in Sara, Raguelis filia) patriæ, imò & vitæ exul errat in regione hostili, barbarica, inhumana: auidè quæritur ad necem, misericordiæ martyr: nuper aulicâ dignitate opulentus & sublimis, vix tuta latibula rimatur; & dirâ paupertate oppressus, mercenariâ ingenuæ vxoris operâ vtcumque sustentatur. Videt charæ familiæ inopiam, sibi acerbam suæ gentis apostasiam, & aduersus se petulantem vxoris linguam; videt passim suorum strages, & auitam religionem propè à suis desertam. Imò hæc dira non videt, terrâ cæcitate mulctatus. Vide ad quantam calamitatem deuenerit, cui hæc asperiora vidisse, aliquod foret solatium! Angitur Tobias tot malis durè iactatus, & muto ore, ad Deum linguatâ mente vociferatur: anxièque expetit, & ambitioso luctûs squalore procurat, vt eum Deus à tantis malis asylo sepulturæ tuetur. Mortem adprecatur, quod miserum miserorum effugium est. Non putat perpetitius Tobias, præter sepulturam, aliud tot calamitatum humanum extare remedium, & inde mortem precibus accersit: nec credit fortunam vela vertere posse, neque misero & calamitoso seni placidè adridere. Re humanitùs desperatâ, remedium diuinitùs paratur: decernitur cæco visus, pauperi opulentia, mœrenti gaudium, & charo filio felix connubium cum pulchra, & fœcunda morum etiam posteritate. Sed nullum adest variantis fortunæ indicium, adhuc pius senex lugubri planctu mœret, nec rimari eualet quâ ex parte remedium affulgeat. Quare nulla ingeritur spes futuræ vicissitudinis? Cur tandiu tot laborum baiulus premi onere tanto permittitur? Nec futuram felicitatem augurari ei liceat verosimili cōiecturâ? Putauerim sanè meliùs cùm Tobia actū, cùm humana humanæ prosperitatis spes illa affulsit nulla, vt insperata, & *cæca felicitas* dulciùs possessione placeret. Audiendus est Fauorinus aliorsum (contra augures inquam) hæc verba scribens, & ad rem præsentem opportunissimè. *Si felicia promittunt*, (augures) *eaque euentura sunt; tunc planè duo erunt incommoda: & exspectatio te spei suspensum fatigabit, & futurum gaudij fructum spes tibi iam deflorauerit.* Trita quidem, sed bella sententia! Sat tot malorum acerbâ mole degrauatur Tobias, quid suspensæ spectationis spebus vltrà fatigandus est? Cœca ad cœcum perueniat felicitas, quò dulcior & gratior de insperatione videatur. Cùm sperat sepulchri horrorem, lætâ eum prosperitas mulcet, quò gaudium cumulatius adueniat: insperata lætitia derepentè adsit; ne longa spes, placendi gratiam *defloret*: nesciat rem mundialem sperare, quò dulciùs possit in ea delectari: votis suis præcurrat felicitas, vt vberiùs felicem adimpleat totâ simul placendi gratiâ, quam nulla priùs spes malè officiosa delibauit. Itaque de naturæ *desperatione* vetus Isaac, id est,

Tobiæ 3. v. 6.

Tobiæ occultatur futura felicitas, ne spes fructum gaudij defloret.

Apud Agelliū lib. 14. cap. 1.

id est, risus siue lætitia nascitur: & vt dulciùs placeat, insperatâ felicitate Tobias adipatur: aliqua enim boni *desperatio* mellit possessionis gratiam voluptate inopinatâ, quæ rudem & crudum humani gaudij saporem erudit & condit ad voluptatem. Felicem rerum statum nec suspicari Tobiæ datur, ne *futurem gaudij fructum spes iam deflorarit*. O vide qualia sint mundialia bona, quæ de possessione fastidium patiunt, spe fatigant, & adeptionem expectatione deflorant. O quanti emimus vel cassæ spei molestias! *Si iudicandum se aliquis* (inquit Saluianus) *ab humana potestate esse cognouerit, aduocatos requirit, officialium atque apparitorum gratiam fauorémque mercatur; cùm tamen euentum iudicij comparare non possit: adeò vt si victoriam emere ipsam non valet, spem tamen victoria magno emit.* Ergo in cæli bona hiantibus votis studium nostrum deferatur, quorum spes beatam possessionem prægustans, eam minimè deflorat, sed ad omnes sanctitates adipat. Ne humanas spes, nimis semper futiles, tam magno emas.

Saluian. ad Eccles. lib. 3.

4\. Redeat iterum Isaac cum toto illo suo gaudij suggestu, vel in ipso nomine feliciter descripto. Igitur de effœta parentum natura nascitur *Isaac*, id est, *risus*: dixítque Sara: *Risum fecit mihi Dominus: quicumque audierit, corridebit mihi.* verùm effusiorem in Isaaci ortu lætitiam his verbis Zeno Veronensis exponit: Sara, inquit, vxor Abrahæ non inferior, vitæ longè transactis cursibus, qualem filium ediderit, partus effusione percepit. *Sed quia vtrisque ætas ademerat spem sobolis, pignus succidaneum meruerunt.* Hæreo in attributo illo *succidaneum*, quod cùm à verbo *succedo* & originem & significantiam trahat, denotat id quod alteri succedit: quod forsan non bene quadrat in Isaacum, quem primum & vnicum Sara peperit. Et quidem peritè notant Grammatistæ, potiùs arietem, qui loco Isaaci successit, *hostiam succidaneam* dicendam fore. Cur ergo effusior lætitia de Isaaci ortu explicatur eum appellando *pignus succidaneum?* Cuinam successit hoc *succidaneum* pignus, tam lætanter exceptum? Opinor successisse parentum sterilitati, & ætati iam effœtæ & exhaustæ quæ proximè in verbis Zenonis præcesserat. Nempe *quia vtrisque ademerat spem sobolis, pignus succidaneum meruerunt*: succidaneum inquam, pignus ademptæ spei, & habendi humanitùs prolem excussæ iam diu fiduciæ: quò lætitia in eius ortu gratior venit; quippe quam humana nulla spes priùs defloraùit; sed vetulæ & infœcundæ Saræ inopinata humanitùs accidit. *Quia vtrisque ætas ademerat spem sobolis*, ideò *pignus succidaneum* ademptæ spei, Isaac, id est, *risus* appellatur; gratius venit, & effusiori excipitur gaudio. Nam gratior venit inopinata felicitas, quia gaudij fructum humana spes non defloraùit.

Gen. 21. v. 6.

Succidaneū pignus humana velut desperationi gratius venit.

Zeno serm. 1 de Abrah.

Nebrisens. verbo, *Succidaneus.*

---

§. CCCXV.

Atrocior Dæmonum aduersùs homines peruersitas exaggeratur.

1\. Sanctus Cyprianus agens de Diabolorum erga homines exitiali malitia, ita scribit: *Spiritus insinceri, & vagi qui posteaquam terrenis vitiis immersi sunt; & à vigore cælesti, terreno contagio recesserunt*, (sanitèr intellige hoc quorundam paradoxum) *non desunt perditi perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere.* Cypriano Minutius Felix similibus verbis adnuit: *Isti igitur spiritus posteaquam simplicitatem substantiæ suæ onusti, & immersi vitiis perdiderunt, ad solatium calamitatis suæ non desunt perditi perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere, & alienati à Deo inductis prauis religionibus à Deo segregare.* Quibus eloquenter Lactant. Firmian. assentit, sic fatus: *Hi, vt dico, spiritus contaminati, ac perditi per omnem terram vagantur, & solatium perditionis suæ perdendis hominibus operantur. Itaque omnia insidiis, fraudibus, dolis, erroribus complent.* Altiori autem stylo sæuam hanc in homines hostilitatem Tertullianus edisserit, quâ malorum Iliadem atrociter æquè ac fraudulenter operantur. (quod cernere hîc licet) Vsque adeò dicimus (ait Tertullianus) esse substantias quasdam spirituales; nec nomen nouum est. Sciunt Dæmonas Philosophi, *Socrate ipso ad Dæmonij arbitrium exspectante.* Dehortatorium planè à bono omnes sciunt Poëtæ. Etiam vulgus indoctum in vsum maledicti frequentat. Nam & Satanam (quem aliqui putant esse hunc Asmodæum) Principem huius mali generis, proinde de propria conscientia anima eadem execramenti voce pronunciat..... Operatio eorum est hominis euersio. *Sic malitia spiritualis à primordio auspicata est in hominis exitium.* Itaque corporibus quidem & valetudines infligunt, & aliquos casus acerbos; animæ verò repentinos, & extraordinarios per vim excessus. Suppetit illis ad vtramque substantiam hominis adeundam subtilitas, & tenuitas sua. *Multùm spiritualibus viribus licet, vt inuisibiles, & insensibiles in effectu potiùs, quàm in actu suo appareant..... Eadem igitur obscuritate contagionis adspiratio Dæmonum mentis quoque corruptelas agit furoribus, & amentiis fœdis, & sæuis libidinibus cum erroribus variis.* Hactenus Tertullianus ad rem Asmodæi Dæmonis, & salacium maritorum Saræ opportunissimè.

Cyprian. de Idol. vanit.

Dæmonum contra homines hostilitas multifariam declaratur.

Minut. in Octau.

Lactant. lib. 2 cap. 14.

Hîc v. 18.

Tertull. in Apolog. c. 22

Dæmones insensiles, in effectu potiùs quàm in actu suo apparent.

2\. Opinor, quòd qui Dæmonem resistendo repulit à tentatione, non clausit animum à cogitatione, quâ fabulosi spiritus, & præstigiatores tentationum motus circa homines obstrepant. Lucæ 4. ter Christo à Satana tentato, subdit Euangelista: *Et consummatâ omni tentatione, Diabolus recessit ab eo vsque ad tempus.* Hærent interpretes quomodo consummatâ iam omni tentatione, non in perpetuum, is qui tentatur, sed ad tempus relinquitur. Vltra omne, quid vltra restat? O sic in homine æternat hostilis Diabolorum tentatio? non in Christo Deo, sed in puro homine inquam, cuius multiiugam perdurandi causam. Petrus Damianus assignat: *Cum hoc* (Diabolo) *quotidianus, & anceps congressus, ex hoc innumerum vulnus, nec ex facili cicatricem promittens; sub hoc casus frequens, & respiratio difficilis, de hoc rara, & nunquam secura victoria; huic voluntas semper iniqua, & fallendi principatus.* Post omnem tentationem adhuc tentat, qui sic tentando vulnerat, vt non inflictum vulnus ex facili *cicatricem* obducat. Vel antiquæ tentationis stigma, tentationem clanculum recentando, ad malè sanatam prauitatem subornant. Heu in fallendi principatu sub ipso semper vel *respiratio difficilis* est, & perdiu malè sana cicatrix!

Luc. 4. v. 13.

Petrus Damian. ser. 56

3\. Vel aliter concipe præfata Lucæ verba, quibus tentationes aduersùs homines adumbrat: *Et consummatâ omni tentatione, Diabolus recessit ab eo vsque ad tempus.* Nimirum Tertullianus in lib. de Pœnitent. sic de tentamentis Diaboli loquitur: *Tunc*

Luc. 4. v. 13. *Dæmon tunc plurimum accenditur, dum extinguitur.*

§. CCCXVI.

Gloriosus deuictæ tentationis fructus est, quòd tuæ gloriæ Tentator militarit.

Tertull. de Orat. c. 8. Cyrill. Alex. in Amos 7.

1 SEntentiosa Tertulliani vox est : *Christus à Diabolo tentatus, Præsidem & artificem tentationis demonstrauit.* Parum foret Dæmonem dici, *Præfectum fraudium,* nisi etiam *Præses,* à Cyrillo quoque diceretur. Porrò tantùm est tentandi negotium, eáque requiritur subdolæ sagacitatis peritia, vt vnius Præfecti, quantumuis versutissimo, non committatur ingenio. Apud Dæmonum gentem de propria ruina rabidam, & de hominum sublimitate inuidiosam, Tartareum Consilium consiliosis Senatoribus consultissimum stat, cui Diabolorum vaferrimus præficitur, qui *Præses tentationis* appellatur. Hic exsomni curâ hominum ruinis fraudulenter inuigilat, & malitiosam fraudium peritiam tentatoribus diabolis insusurrat, ne irrito vulnere tentatio succedat, ingenti Tartarorum dedecore. O quàm est attenta Diabolorum astutia, ne Dei gratia tentationem frustretur; indéque homo inueniat felicitatis compendium, vnde enorme dispendium inuenire debuisset! Quod in hoc vers. patenter elucet.

Consule cōment. litter. vbi Asmodæus dicitur Præses tentationis.

Dæmon est Tentationis Præses.

Hic v. 18.

2 Iob 1. Dei amanti & spiritali auditori, Iobo inquam, durum bellum de inferno ingruit; cui Deus obtigit amoris diuini agonotheta, hostilitas autem aduersatrix fuit Satanæ malitia, acerrimæ inuidiæ stimulis acerbata, arena verò multiplex æquè ac ineluctabilis calamitas, quæ eum diu ærumnosissimè exercuit. Athletam quem ad tantam patientiæ exercitationem prouocabat Deus, in medium terrarum orbis stadium conicit, multis ante virtutum experimentis velut in palæstra eruditum. Nunc autem ad labores immensos tanquam in communi populorum theatro præsentari permittit, vt ad hoc quoque certamen expeditus, gratiæ trophæa de inferni victoria gloriosiùs erigat. Itaque quâdam die cùm venissent filij Dei vt assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan. Cui dixit Dominus: Vnde venis? Qui respondens, ait: Circuiui terram, & perambulaui eam. Dixitque Dominus ad eum. Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra? Cui respondit Satan: Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet nisi in faciem benedixerit tibi. *Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce vniuersa quæ habet in manu tua sunt.* Adnuente Deo Iobum malus Dæmon inuadit. Pulchrum sanè & Deo dignum spectaculum, in quo fortis vir cum Satana decertat, & omnes eius insidias casso vulnere deludit. Ouat, triumphat Iobus, & propè insensili patientiâ clypeatus, Tartareos ictus valenter eludit. Aduersarius semel victus, pugnam frustrà restaurat; & animosus virtutis pugil illustriorem de Tentatore triumphum iterum agit. Mœret audax Dæmon in inferorum detrusus latebras, se ab homine vinci erubescens. Sat grandis foret hæc pœna spiritui superbissimo. Adest & alia ipsi, illi fortè pœnalior, nimirum non extorsisse consensum ad peccatum, quod tot machinis intendebat: firma enim & inconcussa stetit Iobi constantia & virtus flectinescio robore sancta. Vis nosse quid acerbiùs ferat Diabolus cum frustratu tentationis frustratur? audi Emisenum de non absimili casu sic eloquenter philosophantem: *Deinde*, ait, *vt antiquus ille religionis inimicus,* (Diabolus inquam) *etiam ante iudicium sentiat pœnam malitiæ suæ, per quam se sanctorum gloriæ intelligit militasse.* Scilicet totos inuidiæ & odij neruos pugnacissimus Dæmon contendit, vt tentationis aut subdolâ fraude, aut exertis machinis, Iobi subruat virtutem, & sanctitatis gloriam funditùs labefactet: cùm verò tandem triumphatorem videt; & se victum dolet, & palmam victori inuidet; & quò grauiùs excruciatur atrocioris inuidiæ lanienâ, per tentationem illam suam, se Iobi *gloriæ intelligit militasse,* & ad sublimissima gratiæ incrementa è peruerso adiuuisse. Consilio Tentationis tractabat, & extorquere præsumebat blasphemias in Deum, execrationes contra vxorem, contumelias aduersus amicos, & diram in tot calamitatibus impatientiam. Videt è contrario Iobum Tentationum ventis interstinxisse vitia, sanctitatem sufflammasse, & flabellasse virtutes & ad omnem probitatem velut supperias attulisse: dolet, mœret, angitur, & irremediabili tormento excruciatur, quòd auctor ipse vitij, sit virtutis incentor; quòd qui malitiæ præest, sanctitati faueat; quòd dum ruinam molitur, fastigium ædificet; & quòd nequitiæ dux Tentationum ope, Sanctorum gloriæ feliciter militarit. O age hos de Diabolo triumphos, hæc de inferno trophæa erige, cum Iobo, cum Tobia, cum Sara. Sentiat qui tuam virtutem tentando impugnet, se tuæ gloriæ simul militare.

Iob. 1. v. 12.

Tentator Iobi, ipsius potiùs gloriæ inscius militabat.

Emiss. hom. de S. Steph.

3 Actorum 7. Tartarorum dux hominum ruinis nunquam satur, phalanges suas, Iudæos inquam, in Stephanum, gratiarum manibus factum iuuenem, atrociter armat. Raptatur ad concilium, vbi infernalis furor, & (quod fortè maius est) Pharisaïcus, cum summa malitiæ potestate præsidebat. Apud impios iudices pius Leuita sistitur pietatis reus: & priùs falsis criminationibus tentatus, vibratis in se lapidibus ad necem duriùs tentatur. Et eiicientes eum extra ciuitatem lapidabant. *Positis autem genibus, clamauit voce magnâ, dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum.* O! quid agit fidei magnitudo, quæ non vincitur à malo, sed vincit in bono malum! Dum Stephanus pro impiis Deo plenus exorat, etiam de aliena malitia bonitatem suam cumulatiùs exaggerat, & coronam suam de amore inimicorum adornat. Nouum per alta sit quia partem & opera martyris suscepit, qui odium malis debitum generosi cordis benignitate calcauit. Sed quare iram improbis debitam pro tot iniuriis, quibus eius patientiam atrociter tentauerunt, seueriùs non rependit? ait enim: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Luculenter Eusebius prædicta verba exponens, ita scribit: *Qui pro inimicis sub ipso tempore consummatæ persecutionis orauit, beatitudinis suæ causâ persecutorem dilexit. Nec mirum si eis nescit irasci, per quos sibi videt aulam regni cælestis aperiri, per quos se æternis sæculis intelligit consecrari.* ô admirabilem etiam circa impios charitatem! Insanam excusat supplicatione Synagogam, passione confirmat & honorat Ecclesiam: memor fratrum, immemor persecutorum. Non attendit ad imposturam blasphemiæ, nec ad sæuos lapidum impressorum vibices, quia per hæc persecutorum tentamenta atrocissima, quibus in ipsum insanè ferociunt, *sibi videt aulam regni cælestis aperiri, & se æternis sæculis intelligit consecrari.*

Act. 7. v. 59. *Stephanus orat pro persecutoribus, per quos se æternis gaudiis consecrari videt.*

Euseb. hom. de S. Steph.

crari. Porrò cùm iam cæli incolæ celebrant interempti Martyris æternaturam coronam, necesse habet interemptor propriam lugere victoriam. Ergo in illa intentione certaminis, tot lapidibus immaniter vibratis non tentatur Martyris patientia, sed acuitur beneuolentia, dum Stephanus *beatitudinis suæ causâ persecutores dilexit.* O bonam eruditionem de persecutorum gymnasio, & de tentationum acerbitate ediscendam! Sat mœter infœlix, quòd per ipsum sic feliciter profeceris.

4. Geneseos 16. Agar illa Ægyptia, & Saræ ancilla, & Abrahæ iam secunda coniux; superbo Patriarchæ coniugio, & præpropero conceptu heræ arroganter insultat. Quod vsque adeò grauatè Sara tulit, vt ancillam molestè affligens ipsa Agar fugam inconsultam iniret. Cui exerranti in deserto Angelus apparet, & numerosam prosperè sobolem illi spondet: Ecce, ait concepisti, & paries filium: vocabísque nomen eius Ismaël. *Hic erit ferus homo: manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.* Quibus verbis pugnax auuectius finitimas gentes hostilitas apprimè declaratur. Verùm Chaldaica paraphrasis ita exponit præfata Angeli verba, quibus hostile Ismaëlis ingenium proditur: *Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum*, id est, *Ipse indigebit omnibus, & etiam omnes filij hominum indigebunt eo.* Idem ne est, *Manus eius contra omnes, ac ipse indigebit omnibus?* Eget-ne homo homine quem offendit, diripit, persequitur? Pulchra sanè aliorsùm eruditio! Quasi dicat: Cùm hominem hostiliter persequi intentas, animitùs considera te persequi eum, quo forsan citò indigebis, & è cuius auxiliari ope dependes: & ferox inde propositum mitigabitur, & persecutio intentata vertetur in blandimentum: cogeris enim adulari quem persequi exoptas, & duro aduersario blandè obsequi. Sic age cum inimico, ac si tota res tua ab illius arbitrio & gratia iam dependeret. O si cùm Ismaël extendere parat *manus contra omnes*, attentè consideraret in consultiori mentis recessu, quòd *ipse indigebit omnibus*, quos tunc non veretur hostiliter prouocare! Vel aliter ad lemma præsens in paucis opportunè: *Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum*, id est, *Ipse indigebit omnibus*, quos tanquam inimicos patitur. Indigebit quidem ad magnanimæ virtutis exercitium: (nam *miserrima est fortuna, quæ inimico caret*) indigebit, vt de persecutionis emolumento, *æternis sæculis se intelligat consecrari*: indigebit, ne desint quos virtute vincat, qui victoriæ militent, quibus ignoscendo triumphet. Exinde Stephanus velut peruerso gratus officio, *pro inimicis sub ipso tempore consummatæ persecutionis orauit, beatitudinis suæ causa persecutorem dilexit: nec mirum si eis nescit irasci, per quos sibi videt aulam regni cælestis aperiri, per quos se æternis sæculis intelligit consecrare.* Ad id Christiana virtus inimicis indiget.

Gen. 16. v. 12. Iniurioso offensore indiget Christiana virtus. Paraphrasis Chaldai.

Publ. Mim. apud Senec.

§. CCCXVII.

Dei liberalitas dum plus donat, ad plus exinceps donandum redditur obærata.

1. Beneficentiam, quà publicè, quà priuatim Princeps ostendat, & beneficiis quamplurimos obstrictos habeat. Ingentes compedes dona sunt, quibus nec fortissimus, nec prudentissimus, ac vix optimus ac integerrimus quisque se exoluat. Vbi verò semel aureis his vinculis animos irretiuerit, æternùm possidebit, & vel solâ verecundiâ, munifico adhærebunt largitori: pudet nimirum ingratum esse, & munerum memoria grauis testis est. Frequentia tamen munera largiatur: iterata beneficia fortiùs stringunt, vt repetita vincula arctiùs innectunt. Magnanimus benefactor largiendi causas non valdè examinat. semel donasse, plura & plura donandi, liberalissimo in causa est: quasi semel largiri, ad iterandas largitiones liberalitatem oppigneret, nobili benefaciendi auctatio. *O bonum, ô pium, ô inæstimabilis misericordiæ Dominum*, (exclamat Saluianus) *qui ad hoc nobis in præsenti religionis munera tribuit, vt ipsa in nobis postea, quæ nunc dat munera muneretur!*

Beneficia donata ad vlteriora donandum liberalē oppignerant.

Salu. l.7. de Gub. Dei.

Geneseos 16. Sarâ suadente Abrahamus ancillam Agarem ducit, quæ videns se concepisse, dominam insolenter despexit. *At illa* (inquit sacer Historicus) *concepisse se videns, despexit dominam suam.* Agaris ancillæ despectum Sara grauatè tulit, & superbientem ancillam vehementer afflixit; adeò vt Agar fugam inierit. Fugitiuæ Agari in deserto erranti Angelus Domini obuius occurrit, eique reditum seriò persuadet: & deinceps hæc subdit: *Ecce, ait, concepisti, & paries filium: vocabísque nomen eius Ismaël, eò quòd audierit Dominus afflictionem tuam.* Quid est, quod Agari dicit Angelus: *Ecce concepisti?* quasi id ignoraret Agar, *quæ concepisse se videns*, elatione arroganti tumens, causam dedit fugiendi. Scilicet ipse conceptus, qui fugæ occasionem dedit, reditum persuadeat. Parum foret Angelum persuadere Agari reditum, nisi ipsâmet occasione fugiendi, illum persuasisset: quæ arcana gratiæ officiositas est, dum illa ipsa ratio, quæ ad malum instigauit, ab illo nos reuocat: (de quo forsan aliàs) Vel aliter ad rem. *Ecce concepisti.* Scilicet Angelus conceptionis memoriam refricat, vt prioris beneficij recordatio habeatur pignus vlterioris beneficentiæ: nam beneficij accepti memoria plurium exinceps accipiendorum fœcunda est; & vsurariâ recordatione vlteriores sibi gratias spondet. Quasi dicat Angelus: *Ecce* ex magno Patriarcha *concepisti*, Dei quidem munere: nouum munus ampliora parturiet munera: ecce paries, & sanè filium masculum, cuius semen sic multiplicabitur, vt præ multitudine numerari non possit. Plus ego Ismaëli filio tribuam, quàm parentes habent in votis: conceptum semel dedisse, vlteriorum munerum obses est. Peregregiè aliorsum Cassiodorus: *Prosit ergo generi, quod potuit vnius deuotioni præstari. Quia maiora decet tribuere, quàm videamur à seruientibus accepisse. Hîc æqualitas æquitas non est: sed pars nostra iustissimè pensat, cùm reddendo plus fuerit onerata.* O nobile beneficentiæ onus! Conceptum è tanto Patriarcha accepisti, paries, & quidem filium, Ismaëlem inquam, cui primum è cælo nomen: qui erit amplissimæ Ismaëlitarum familiæ nobilis Patriarcha. *Ecce concepisti, & paries filium, &c. Prosit ergo generi, quod potuit vnius deuotioni præstari. Hic pars nostra iustissimè pensat, cùm reddendo plus fuerit onerata.*

2.

Ratio, quæ ad fugam incitat, reditum persuadet.

Gen. 16. v. 11.

Dei largitas reddendo beneficia, plus est onerata.

Cassiod. l.1. Var. ep. 36.

Matthæi 6. orandi formulam his verbis Christus tradit: *Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in cælis: sanctificetur nomen tuum*, &c.

S. Augustinus

S.August. de serm.Dom. in mont. l.2. cap.8. Augustinus exponens præfata Christi verba, ita scribit: *Quid charius debet esse filiis, quam pater? & supplex affectus cùm homines dicunt Deo, Pater noster, & quædam imperandi præsumptio.* Quare cùm supplex votorum affectus à nobis Deo tanquam patri proponitur, tunc, tunc quidem adest velut *quædam impetrandi præsumptio?* Eccur inuocatum Patris nomen piâ velut impetrandi arrogantiâ rem cupitam præsumit? Eloquenter S.Chrysostomus præfata Dominicæ orationis verba exponens, ita fatur: *Pater noster. Qui patrem dixit, & peccatorum remissionem, & adoptionem, & hæreditatem, & fraternitatem, quæ est ad vnigenitum, & Spiritus largitionem, per vnam hanc confessus est nuncupationem.* (attentiùs pende quæ ad rem præsentem verba subtexit) *Dupliciter orantium igitur erigit sensum, & dignitate eius qui inuocatur, & magnitudine beneficiorum quibus orans potitus est.* Scilicet cùm in auspicio orationis dicitur, *Pater noster*, geminato titulo erigitur orantis sensus piâ quadam impetrandi præsumptione: & auctoritate eius, qui inuocatur; & magnitudine beneficiorum, quibus se *potitum* insinuat, qui orando Deû tanquam patrem inuocat. Ecce tibi piam impetrandi velut *præsumptionem*, quam subtiliter Augustinus agnouit: nam sub nomine Patris, commemoratâ *magnitudine beneficiorum, quibus orans potitus est*, vlteriora & ampliora accipere exinceps beneficia sibi petitor spondet, & de acceptis accipienda *præsumit*. Sic largior Dei beneficentia, quasi ex donatis beneficiis amplius obærata, dona sua vlterioribus donis pensat, *cùm reddendo plus fuerit onerata.*

Oratio, quæ accepta beneficia commemorat, vlteriora impetrandi pia præsumptio est.

S.Chrysost. homil.20. in Matth.

4. Genesis 26. fame compulsus est Isaac habitare in Geraris: sed mox abundantiæ inuidia eum expulit regiâ vrbe. Igitur in Bersabee peregrinati coactus, ibi puteos effodit, pro quibus Abimelechi & Isaaci pastores acerbè rixati sunt. *Profectus inde Isaac alium effodit puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocauit nomen eius, Latitudo, dicens. Nunc dilatauit nos Dominus, & fecit crescere super terram.* Nimirùm vbi contentiones, rixæ, dissidia, & simultates cessauerunt, moralissimè statim dixit Isaac: *Nunc dilatauit nos Deus, & fecit crescere super terram:* nam inter contentiones, inimicitias, & rixas quis *crescere* præsumat? *Contentiones* incrementa sistunt, honorem inuitiant, censum absumunt. Arbitrium proficiendi, concordia est. Verùm Chaldæus Paraphrastes non legit, *Dilatauit, & fecit crescere*, de præterito; sed, *Dilatabit nos, & crescere faciet nos Dominus.* An hîc idem est præteritum ac futurum? ô bona liberalitatis synonyma, beneficium collatum, & quod oppignerat conferendum! Scilicet quem Deus prosperauit, magis ac magis prosperabit exinceps: dum largita dudum beneficia, vlteriora beneficia parturiunt; & donata nuper gratia, amplioris gratiæ donandæ pignus est. *Amamus nostra beneficia geminare* (ait rex Theodoricus) *magísque nos prouocant ad frequens præmium, qui initia nostræ gratiæ suscipere meruerunt. Nouis enim iudicium impenditur, fauor autem semel placitis exhibetur. Decorum est enim Principis arbitria non hærere, quia commendantur priora posterioribus donis.* Itaque qui initia regalis gratiæ suscipere meruerunt, non tam regiâ liberalitate, quàm Principis *iudicio* commendantur, quia magno eos munere dignos censuit: posteriora autem beneficia, quæ præbitoris largitas prioribus accumulat, & commendant priora, & Principis *arbitrium* condecorant: nam primâ largitione dignus probatur, qui geminatis exinceps cumulatur beneficiis. Indeque principalis scintillat genius, & decora prænitet liberalitatis auctoritas, *cùm reddendo plus fuerit onerata:* & vnde accipiens credi poterat soluendo non esse, inde creditor existit obæratus. Parum est Principi semel date: decus est liberalitatis, plus donando, plus ad donandum obligari. *Decorum est enim Principis arbitria non hærere, quia commendantur priora posterioribus donis.*

Gen.26.v.22. Congerendarum opum arbitrium concordia est.

Paraphr. Chaldæus. Cassiod l.2. Variat. ep.2.

Geneseos 17. postquam Abraham nonaginta & nouem annorum esse cœperat, apparuit ei Dominus: dixítque ad eum: *Ego Deus omnipotens:* ambula coram me, & esto perfectus. *Ponámque fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis.* Magna hinc inter Expositores exoritur quæstio, an hæc verba nouam pollicitationem Abrahamo factam contineant; an sit iterata antiquæ promissionis geminatio. Cardinalis Caietanus ita hunc locum exponit: *Ponã fœdus meũ, &c. Subiungitur hîc adimpletio fœderis iam initi...... est enim sensus: Et dabo executioni fœdus, quod est inter me & te: & non est sensus, quod faciam tecum nouum fœdus: sufficit enim illud scriptum superiùs.* Ponere fœdus dicitur Deus, cùm olim positum executioni mandat: Non tam poni dicitur fœdus, cùm fœdus initur, quàm cùm res fœdere promissa adimpletur? Ecquod nam fœdus tunc de nouo initur, quando antiqua promissio adimpletur? An id dicitur, quia diuini beneficij acceptio est velut quoddam nouum fœdus donandi vlteriora & ampliora munera? Fœdus promissionis iniri perhibetur, cùm antiqua adimpletur promissio, & diuinior liberalitas *reddendo plus fuerit onerata?* Exinde tunc, tunc sanè, Deus ostentatur *omnipotens*, hoc est, omnipotenter munificus, cum liberalitatis arbitria hærere non patitur; sed priora dona posterioribus ad largitatem commendantur; & cùm magna donat, ad maiora iisdem donandum, vel inito fœdere quodammodo obstringitur. 5.

Gen.17.v.1. Adimplendo largas promissiones, nouum liberalitatis futurã fœdus Deus init.

Caietan.ibi.

Sup.cap.15. vers.18.

Tobiæ 3. parum fuit, quod aduocatus in auxilium Angelus, ab aquaticæ belluæ deuoratione Tobiam eriperet; nisi in ipsius immanissimi piscis carnibus annonam inueniret; & in eiusdem extis remedium ad fugandum Dæmonem à futuræ vxoris cubili; & ad restituendos patri oculos singulare collyrium, per cohærentes liberalitatis consequentias. Appositè dixit Ennodius: *Diuina beneficia gradibus semper accedunt, & quibus bona conferunt, meliora pollicentur.* O Dei beneficia beneficiis grauida! Hanc Dei liberalitatem terreni Reges, excelsæ nobilitatis genio æmulari affectant. Inde diserto Cassiodori calamo ita scribit Theodoricus rex cuidam Præfecto, qui nescio quæ emolumenta Mediolanensibus subtraxerat: *Illa sibi vestris temporibus fuisse subtracta, quæ mos priscus indulserat, cùm præstante tempore Munificentia sit pro lege.* Diu & sæpè liberalem fuisse, erit munificentiæ lex, quâ Princeps alioqui exlex, arctè constringitur, & ritè obligatur: quod hîc cernere licet. Iudith cap. 9. in re humanitùs desperata, à Deo grandius beneficium exposcens, multis retrò sæculis accepta commemorat: & tandem concludit: *Tu enim fecisti priora, & illa post illa cogitasti..... Respice castra Assyriorum nunc, sicut tunc castra Ægyptiorum videre dignatus es*, &c. Mirabitur quispiam fortasse nouam Iudith allegationem: quis enim antiqua allegat debita, quibus soluendo non est, vt noua tunc à creditore

6. Tob.3.v.9. Dei beneficia vlteriora spondent. Ennod.l.9. epist.14.

Sæpè donasse erit liberalitatis lex, quâ Princeps obligatur. Cassiod.l.3. epist.39.

Hic v.19.

7. Iudith.9. v.4.& 6.

creditore beneficia extorqueat? ô arcana Dei beneficentiam, de cuius genio venit, vt quo plus homo recipit, quasi mendicâ acceptione largiùs donaret, Deum creditorem velut debitorem efficiat! Inde innumera olim accepta beneficia Iuditha prudenter commemorat, vt certiùs vlteriora impetret, & quasi debiti titulo à Deo exigat. Nam vt bellè dixit Chrysologus: *Qui dando debet, sibi magis ipsum facit obnoxium creditorem.* Itaque cùm Deus donando quasi debeat, ex debitoribus velut creditores facit: indéque debitum liberaliter amplificat, vnde donando fecisse putaretur. Non tam nostræ indigentiæ, quàm suæ infinitæ beneficentiæ quodammodo debet Deus, vt *donando debeat*, & ad plus donandum suis fiat obnoxius debitoribus. Hæc est summa allegationis, quam Iudith apud Deum sapienter facit, sic aiens: *Tu enim fecisti priora, & illa post illa cogitasti*, &c. *Nam qui donando debet, sibi magis obnoxium facit creditorem.* De materia huius §. egimus suprà in §. 60. num. 1. & 2. & 3.

Chrysolog. serm. 88.

§. CCCXVIII.

Cæcâ hominum dexterâ oculatior Dei prouidentia, intentum à se scopum sæpè collimat.

1\. PRopè est à te Deus, tecum est, intùs est. Ita dico, etiam cum allucinante retrò Philosophiâ, sacer intra nos spiritus sedet, malorum, bonorúmque nostrorum obseruator, & custos. Hic prout à nobis tractatus est, ita ipse sæpè nos tractat. Bonus vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adiutus exurgere? ille dat magnifica consilia, & recta: ille maiora humanis & sapere, & audire, ad mentis autem suggerit: ille incertam nostram prouidentiam, de omnisciențiæ suæ perspicaciâ sapientissimè per obstantia dirigit, & ad inuia, & inaccessa humanis oculis, rectà perducit. Vis istuc diuina descendit: animúmque excellentem, moderatum, omnia tanquam minora transeuntem, quicquid timemus, optamúsque ridentem, oculatior Dei potentia agitat, & perspicuas has beneuolentiæ notat cæcis abstrusæ prouidentiæ suæ litteris inscribit. Non potest res tanta sine adminiculo Numinis stare, nec humana cæcitas absque diuinioris perspicaciæ ductu non inoculari ad ardua gratiæ facinora; ad quæ egregiè perpetranda, & perspicaciùs virtutis scopum collimandum, consultissimè excæcatur Tobias; vt de eius corporea cæcitate collyrium nobis faceret, quo oculatior Dei prouidentia in illo videatur; dum de cæcitate corporis, virtutis accenduntur lumina, & occultior Dei prouidentia in illo perspicacior apparet. Et Tobias iunior hîc in rerum omnium periculo, inopinatam felicitatem inuenit, diuinioris prouidentiæ consilio.

Cæcis litteris oculatior Numinis prouidentia in homine scribitur.

Hic v. 24.

2\. 1. Regum 17. ad singulare cum armato Philisthæo certamen, descendit inermis Dauid, atque arma tanquam victoriæ impedimenta exuit; recusat thoracem, galeam abiicit, scutum deponit, manum hastâ liberat, bellicam stolam excutit, & stolâ pastoritiâ, & virgâ, ac perâ pastor iuuenis obarmatur ad victorialis gloriæ auctarium. Nil enim eiusmodi opus est armis, quæ quam partem bellicæ gloriæ sibi arrogent, victori detrahunt. Videant Dauidem pastoris habitu cum cataphracto Duce depræliantem, vt Gratiæ, non armis trophæum adscribatur. Videns Goliath puerum supra ætatis, & roboris fastum, maiora viribus audentem; & aduertens genarum florem, oculorum venustatem, & pulchram iuuentam duris belli studiis immaturam, & veneribus cupidinibúsque idoneam magis; in risum effusus est, rem humanis oculis cernens. Dauid contra Goliæ fastui Deum sibi auxiliatorem obiicit. *Carebat enim Philisthæus oculo fidei, quo auxiliatorem inconspicuum cerneret.* Occurrit ergo Philisthæo Dauid, aiens: *Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israël.* Ad quæ verba sic Seleucianus Basilius fatur eleganter: *Tu quidem contemptim intueris, ô bellator, quod ob oculos est, & rebus quas vides, pugnæ spes metiris: ego verò Deum tibi aduersarium oppono. Cognosces Deum cæcâ dexterâ prosperè bellantem.* Et misit manum suam in peram, tulítque vnum lapidem, & funda iecit, & circumducens percussit Philisthæum in fronte: & infixus est lapis in fronte eius, & cecidit in faciem suam super terram. Nunc iam obserua mihi, plena acuminis, ingenij plena Basilij verba. Dum iuuenis Dauid audenter fundam lapide obarmat, & eam peritè circumducens, in Philisthæi fronte lapidem altè refigit, *Cognosces*, inquit, *Deum cæcâ dexterâ prosperè bellantem.* Cæcâ dexterâ depugnatur, cùm primo lapidis iactu Philisthæus feritur in fronte, cadit in faciem, & cædi iugulum præbet? Deus cui à videndo nomen, cuius essentia, sua perspicacia est, quicquam cæcâ manu præstare potest? Quæ est hæc tam oculata cæcitas? Scilicet dum tenuitas humana virtutis facinora, & quæ humanum fastum longè superant, animosiùs audet; cùm valdè excellant ea quæ ob oculos sunt, & humanam perspicaciam transcendant; cæcâ humanæ prouidentiæ manu regi videntur. Homo enim videt quousque oculos habet. Deus autem, qui omnisciențiæ elogio, & prouidentiæ attributo, cuncta peruidet, & quò ipse vult certò destinat; *cæcâ* hominis *dextera*, & vltra id quod humana vota, & industria audere præsumerent, scopum perspicaciter collimat. Sæpè Deus *cæcâ* hominis *dexterâ* prosperè bellat, suos prospetat, & aduersarios debellat, dum cæcam Dauidis manum, vltra fastum pueri audentem, oculatissimè regit, & certò ducit ad exitialem Philisthæi ictum; quò Dei populus detriumphatis hostibus, erigat pietatis trophæa. O quoties nostræ prouidentiæ tenuitate, vel potiùs cæcitate vtitur Deus ad diuinioris prouidentiæ arcanam perspicaciam feliciùs euulgandam! Qui Dei fiducia subnititur, suprà quàm habet oculos videt, & audet, dum humana cæcitas diuinæ perspicaciæ prosperè auxiliatur. Oculo fidei multa patent humanis oculis inuisa. Sic lippi sumus ad diuinæ prouidentiæ arcana pernoscenda! Sed nostram Ionas orationem expectat.

Cæcâ dexterâ pugnat in Dauide Deus. 1. Reg. 17. v. 45. Seleucus Orat. 15.

Ionæ 1. durus in Niniuen Propheta mittitur, verùm attendens, Deum verbo minari, reipsa autem saluare percupientem, Gentium odio fugam præbuit futuræ denunciationi. Fugitans autem maris fluctibus impeditus est, cùm fugæ administram nauiculam circumplexum mare conferuum quærebat latentem, & occultam fugam procellæ ortu mare accusabat, & quid occulti consilij coqueret Propheta tempestas publicauit. Tunc palàm Ionas nautis, & vectoribus confitetur, 3.

quòd

quòd suam fugam elatis fluctibus persequitur mare Domino subseruiens. Ego, inquit, procellæ causa sum, adest, quod à mari conquiritur, mancipium, id in mandatis habet, vt me fugientem inuestiget, & prehenset. Tradite me in pelagus, vt saluemini. In manibus habetis tranquillitatem, si vultis. Vnius corpore salutem omnium redimite, & meo naufragio vestrum auertite. Et tulerunt Ionam, & miserunt in mare: & stetit mare à feruore suo: *Et præparauit Dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam: & erat Ionas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus..... Et dixit Dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam.* Ionas in benè compacto nauigio periclitatur, & in sæuis vorticibus securus est, & in vastissimi piscis aluo naufragium digerit: Qui in naui petit naufragus, in naufragio portum inuenit: Bellè ait aliorsum Tertullianus: *Nonnunquam & in procella confusis vestigijs cæli & freti, aliquis portus offenditur prospero errore: nonnunquam & in tenebris aditus quidam & exitus deprehenditur cæcâ felicitate.* Nemo, nemo inquam, pium alioqui Prophetam, temeritatis insimulet, quòd à nautis obnixè petit, vt in æstuans præcipitetur mare: cæcis Gratiæ litteris descriptum legebat, quòd qui tunc in naui periclitabatur, in ipso naufragio, & sibi, & reliquis, tranquillitatem inueniret. Non ignauè desperat, sed piè præsumit de eo, qui sui causâ tempestatem exciuit, quòd *nonnunquam in procella confusis vestigijs cæli & freti, aliquis portus offenditur prospero errore, & cæcâ felicitate.* Si humanis oculis res inspiciatur, mortem suam Ionas desperatione procurat, sed qui in nauigio periclitabatur, inter immanes vortices æstuantis pelagi, periculi asylum inuenit, *prospero errore:* & in vastissimi piscis aluo, cæcis tenebris squalido, naufragium digerebatur, *cæcâ felicitate:* & vnde periculum timeri poterat, periculi effugium *cæcâ dexterâ* extruitur. O lippos mortalium oculos! humana cæcitas malè rem Dei metitur. Arcanior est Dei prouidentia, quàm vt mortalium conspectibus pateat. O quoties tranquillitas, malacia est, periculo confinis, & in periculo periculi inuenitur effugium *prospero errore, & cæcâ felicitate!* Quod eleganter tradit Zeno Veronensis, ita hac super re fatus: *Ionas timens Dominum, spontaneum non timet adire naufragium: Ceto inhiante miserabilius sepelitur, quàm præcipitatur* (Attende ad verba, quæ subiungit) *Et tamen littus, quò tendebat, inuenit, antequam videat; felix magis sepulchro, quàm naui.* An non Ionam vides feliciter naufragum? Tobiam oculatissimè cæcum: & Dauidem *cæcâ dexterâ* figentem lapidem in Philisthæi fronte?

Ionas feliciter naufragus est cæcâ felicitate portum inueniens in naufragio.

Ionæ 2. v. & 11.

Tertull. lib. de Anim. cap 2.

Zeno serm. de Timore.

4. Tobiæ 1. ferocientis Tyranni insanâ vi, Nephtaliticâ Tribu iterum deuastatâ, Tobias immeritus in Assyriam exul deportatur: patrio solo extorris, auitâ hereditate expoliatus, dulci libertate imminutus, barbaræ genti subiectus; pauper, abiectus, fugitiuus, ærumnosus, exul, miser, in vrbe Niniue diu squalet. Verùm ei, qui dum sospes patriam inhabitabat, inter honore, & censu mediocres computabatur, in captiuitate posito, insperata fortuna adridet; & regiâ familiaritate, opibus, & dignitate auctus, inter regni Proceres computatur: *Dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar Regis, & dedit illi potestatem quocunque vellet ire, habens libertatem quæcumque facere voluisset.* Scilicet Tyrannus Assyrius dum Tobiam captiuum egit, dum miseriam illi inferebat, inopinatæ felicitatis auspicium creabat. Perbellè *P. Didac. de Celada in Tobiam.*

Tob. 1. v. 13. *Mundanis rebus nascitur de aduersitate prosperitas.*

Cassiodorus: *Mundanis siquidem rebus nascitur de aduersitate prosperitas: & homines cùm lædere cupiunt, beneficia frequenter impertiunt.* Ecce tibi Tobias cæcâ dexterâ calamitatem iugulat, & prospero errore in peregrina calamitate felicitatem inuenit, dum nascitur de aduersitate prosperitas: nam sæpè dum Tyrannus lædere cupit, beneficia liberaliùs impertit. Vnde Tobias medianus in patria, in captiuitate positus inter Summates feliciter recensetur. O inuestigabiles arcanæ prouidentiæ semitas, humanis prudentum oculis inuias!

Cassiod. li. 4. epist. 48.

§. CCCXIX.

Proborum amicitia, aut probum inuenit, aut ex improbo probum facit.

Facilè ad conuictorum vitia transitur. Probo cuique, excutere mentem suam amicus dissimilis potuisset. adeò nemo etiam eorum, qui ad virtutem maximè concinnant ingenium, ferre potest impetum vitij venientis blando amicitiæ lenocinio. Vnum exemplum luxuriæ, aut auaritiæ, aut ambitionis, multum mali facit. Amicus delicatus paulatim eneruat, & emollit. Necesse est aut imiteris, aut oderis. Vtrumque autem deuitandum est; ne vel similis fias, quia improbi sunt, néve amicorum inimicus, quia dissimilis. Quâ autem viâ inter hos minantes scopulos sit gradiendum, disertè, erudit Seneca: *Recede,* inquit, *in te ipsum quantùm potes: cum his versare, qui te meliorem facturi sunt. Illos admitte, quos tu potes facere meliores. Mutuò ista fiunt, & homines dum docent, discunt.* Itaque non tantùm bonos mores debes in amicitiam admittere, sed improbos etiam, quos facere meliores speras, tuæ probitatis affrictu. Exempli, & sermonis tui lima, amici vitia leniter mordeat, & perpetuò atrodat, quò paulatim rubigo vitij, in virtutis nitorem elimetur. Quod nisi fiat, amicorum praui mores ad te transibunt assiduo amicitiæ conuictu: & amici vitia, aut à te admittentur, aut tibi imputabuntur: nam amicorum omnia esse communia, à sapientibus putantur. Credite, amicorum mores viscosi sunt; & aut bonitatem allinunt, aut malitiam affricant: aut trahes, aut traheris. Hinc ait Philo: *Extra amicitiam sapientum est omnis insipiens, etiam si ne momentum quidem discedat à contubernio.* 1.

Senec. ep. 7. *Is in amicitiam admittendus, quem possis conuictu facere meliorem.*

Philo in lib. Quis sit reru diuin. heres.

Lucæ 15. boni patris non bonus filius, iuuentutis licentiâ libidine effertur; & hereditatis impatiens, genitoris prouocat largitatem. Ditatur præmaturo censu, quem illi pater concessit, ne aliquid neget. Absentat se à patris domo quò licentiùs lasciuire liceat. Petulanter luxuriatur: sed citò inopiam, libidinis sequelam, incurrit. Vili addicitur ministerio: æquum enim fuit, vt qui conuiuit porcis, porcis viuat. Miser cui porcorum deficit, & esurit ad saginam. Sed admonitus fame, (bono sæpè pædagogo) de necessitatis schola eruditur. Et ad se reuersus, qui extra se libidinis fame errabat, reditum molitur ad patrem. Surgere, vt eat, adnititur; sed peccatorum pressus onere, vix reduces eualet explicare gressus. Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est: *Et accurrens cecidit super collum eius.* Mouetur misericordiâ, citiùs quàm de loco moueatur: accurrit non tam progressu 2.

Luc. 15. v. 20.

Improbi amici onera tollere, amicitia stipendium est.

corporis, quàm beneuolentiæ affectu. Sed quid est, quòd tot amicitiæ signis excipitur, qui post tot errores, nondum peruenerat, nondum erat delicta confessus, necdum flagitiorum veniam impetrarat? O præproperam boni viri amicitiam cum iuuene petulanti! Sed vide mihi quo pacto, quóque corporis habitu ineat amicitiam, quod subtilis vidit Chrysologus, & his verbis eleganter edisserit: *Et accurrens cecidit super collum eius, vt amoris onere, onus tolleret peccatorum.* Nempe cum prodigo adolescente meliora cogitante, bonus & frugi senex, amicitiam init: sed vel amicitiæ signum, meliora spondet, sanctiora auspicatur; efficitque *vt amoris onere, onus tolleret peccatorum.* nec putauit decorum, in amicitias recipere scelestum, nisi amoris afflatu, iuuenis exulet malitia. Impium in amicitiam admittit, quò citiùs recudat pietatem: vltrò subit amicitiæ onus. vt peccatorum onere amicum subleuet. Quasi probi hominis amicitia cum improbo, asslandæ pietatis tributaria fit: & scelerati amici scelerata onera, ex eius humeris quamprimùm deiicere, fit amicitiæ stipendium. *Cecidit super collum eius, vt amoris onere onus tolleret peccatorum.* Quid accommodatiùs? O, si sapis, illos duntaxat ad amicitiam admitte, quos tu possis meliores facere: quod si præstare non euales, amicitias disrumpe, ne aut tu ad illorum mores transeas, aut transiisse saltem videaris. Impij amicus impietatis suspectus est, & diffamiæ vectigalis nec'à periculo immunis. Si nil proficis boni exempli, & sermonis suadelâ, quamprimùm amicitiam excute, si fortè periculum vel infamiam excussisse valeas.

Chrysolog. serm.3.

3. Lucæ 19. Zachæus munere princeps, opibus sublimis, staturâ pusillus, rapinis magnus, auaritiâ nobilis, famâ vilis: ex loco, personâ, officio, reatus magnitudo monstratur, vt ex magnitudine criminis, criminosi demonstretur infamia. In arborem ascendit, quærens videre Iesum. Zachæum de pusillitate sublimem, suspicit Iesus, nec despicit publicanum: de fastigio descendere iubet, vt humilem Iesum idoneè recipere valeat. Tunc se Christus non inuitatus, amicè inuitat, & quasi hospitali tesserâ notus, ad Publicanum diuertit. Magna citò amicitia conflata est, si Deo placet. Christus probitatis idea, ad publicanum, vitiorum metam, amicè diuertat: Non tardabit lingua amicæ familiaritatis accusatrix. Cùm viderent omnes, murmurabant, quòd ad hominem peccatorem diuertisset. Nec putatur iustus, sceleratorum familiaris. Sed maledicentia excusationi præcurrit, dum amicitiæ fructum anteuertit. Sic enim habet sacer textus: Et festinans Zachæus descendit, & excepit Iesum gaudens. Et cùm viderent omnes, murmurabant, dicentes quòd ad hominem peccatorem diuertisset. *Stans autem Zachæus dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* O detractionem præproperè maledicam! Esto, bonus Iesus cum non bono Zachæo amicitiam inierit, visu & adnutu contractam, sed tantisper expectandum erat, si probitatis fœcunda foret, & vitiorum sterilis. Confestim publicani emendationem Euangelista consultò attexit, ne cui sera videatur. Scilicet Christus Deus, amicitiæ norma, vbi primùm cum peccatore amicitiam init, oculorum lenocinio; statim quasi auara Publicani onera ipse succollarit, luctorum fascinis amicum releuat,

Vbi Zachæus ad Christi amicitiam admittitur, confestim auaritiæ onera deponit.

Luc.19.v.8.

præmonstrans amicitiæ fructum. quod bellissimè notauit his verbis Chrysologus: *Suspiciens Iesus, vidit illum. Respexit ad gratiam, intendit ad vitam, contemplatus est salutem.* Nota illud, *Respexit ad gratiam,* quo verbo amicitia inita inter Iesum & Publicanum denotatur. Sed quid obloquitur Pharisæus ore maledico? Expecta paulisper initæ cum Publicano amicitiæ fructum. *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Pergit Chrysologus: *Qui Christum videre quærit cælum vnde Christus est, non terram, de qua aurum est, intuetur. Diues ergo qui sursum respicit, non portat diuitias, sed proculcat: nec incuruatur diuitiis, sed leuatur; atque agit diuitias ad largitoris obsequium:* Ecce tibi amicitiæ fructum. Scilicet vbi Christus Zachæum *respexit ad gratiam*, confestim Zachæus ait; *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, &c. Non portat diuitias, sed proculcat; nec curuatur diuitiis, sed leuatur.* Et Iesus Publicani amicitiam exambit, *vt amoris onere onus tolleret peccatorum.* Quod de filio Prodigo nuper denarrauimus. Vnde Tobias cap.2. etsi Israëlitis omnibus monita dabat salutaria; probos tantùm, & Deum timentes, ad familiaritatem adsciscit, Quorum posteà scelus, etsi specie pietatis tectum, v.16. & 17. & ægrè tulit, & seuerè reprehendit; ne vnquam eorum moribus adsentire putetur. Mauult indecorâ repulsâ eos reiicere, quàm in sceleratorum amicitiâ perdurare. Inde ex improbis multos probos fecit, & eius cum bonis amicitia ad gratiam perennauit. Vide hîc iunioris Tobiæ cum comite Sara in spiritualibus profectum.

Luc.19.v.5. Chrysolog. serm.54.

Tob.2.v.2.

Hic v.19.&c.

4. Matthæi 9. obsequelâ Matthæi inuitatus Christus, inuiso Iudæis epulo inopinatus conuiua assidet. Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani, & peccatores venientes discumbebant cum Iesu, & discipulis eius. Et videntes Pharisæi, dicebant discipulis eius. Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat Magister vester? At Iesus audiens, ait: *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Quæ Euangelistæ verba ita exponit Chrysologus: *Sic dicens, non repulit iustos; sed iniustos, qui se iustos mentiebantur exclusit. Christus ergo quòd ad peccatores venit, peccata delere voluit, non peccatoribus voluit commanere.* Esto, Christus non dicatur hîc venisse, vt vocaret iustos, id est, hypocritas, qui cùm sint egregiè iniusti, se eximiè iustos mentiuntur; (quasi hypocritarum causa sit quodammodo deplorata, & in reprobationis, aut desperationis confinio) quid est, quòd veniens, vt peccatores vocaret, Matthæum in transitu vocat: (*Cùm transiret inde Iesus, vidit hominem*, &c.) & dum cum illo, aliisque publicanis, & peccatoribus pranderet, etsi illos ad meliorem vitæ frugem reuocet, non diu inter illos commoratur? Venit Christus illos vocare, & in transcursu, & quasi aliud agens, magnum vocationis negotium peragit? Scilicet Christus, *quòd ad peccatores venit, peccata delere voluit, non peccatoribus voluit commanere.* Cautela Christo superuacua, nobis est peridonea eruditio. Proborum amicitia, aut probum inueniat, aut ex improbo probum faciat: eo autem negotio peracto, non expedit nobis *peccatoribus commanere*; ne malitiæ contagionem conuictus diuturnitate pestilenter aspirent.

Matt.9.v.13. Chrysolog. serm.28.

Christus peccatores conuertere voluit, non peccatoribus voluit commanere.

SYNOPSIS

SYNOPSIS CAPITIS NONI.

Tobias adiuratione obstrictus à Raguele, non poterat aliquot saltem dies apud illum non commorari: quòd si moras diuturnas necteret socero cunctanter hærens, commorationem illam futuram esse parentibus angori, necessum erat. Exinde ne tempus insumeret in pecunia à Gabelo repetenda, vrbanissimè Raphaëlem orat, vt hac illum curâ & labore eximat, necessario instructus seruitio. Obiit omnia perdiligenter Angelus, & Gabelum ad nuptias auehit: qui ingenti lætitiâ perfusus ad iunioris Tobiæ conspectum, illum peramanter exosculatus, & felicia omnia adprecatus, parato geniali epulo lætanter adsidet.

CAPVT NONVM.

3. TVNC vocauit Tobias Angelum ad se, quem quidem hominem exi-
stimabat, dixítque ei: Azaria frater, peto vt auscultes verba mea.
2. Si meipsum tradam tibi seruum, non ero condignus prouidentiæ
tuæ. 3. Tamen obsecro te, vt assumas tibi animalia siue seruitia, &
vadas ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum: reddásque ei chi-
rographum suum, & recipias ab eo pecuniam, & roges eum venire
ad nuptias meas. 4. Scis enim ipse quoniam numerat pater meus dies: & si tar-
dauero vna die plus contristatur anima eius. 5. Et certè vides quomodo adiurauit
me Raguel, cuius adiuramentum spernere non possum. 6. Tunc Raphaël assu-
mens quatuor ex seruis Raguelis, & duos camelos, in Rages ciuitatem Medorum
perrexit: & inueniens Gabelum, reddidit ei chirographum suum, & recepit ab eo
omnem pecuniam. 7. Indicauítque ei de Tobia filio Tobiæ, omnia quæ gesta
sunt: fecítque eum secum venire ad nuptias. 8. Cúmque ingressus esset domum
Raguelis, inuenit Tobiam discumbentem: & exiliens, osculati sunt se inuicem: &
fleuit Gabelus, benedixítque Deum. 9. & dixit: Benedicat te Deus Israël, quia
filius es optimi viri, & iusti, & timentis Deum, & eleemosynas facientis, 10. &
dicatur benedictio super vxorem tuam, & super parentes vestros: 11. & videatis
filios vestros, & filios filiorum vestrorum, vsque in tertiam & quartam generatio-
nem: & sit semen vestrum benedictum à Deo Israël, qui regnat in sæcula sæculorum.
12. Cúmque omnes dixissent, Amen, accesserunt ad conuiuium: sed & cum ti-
more Domini nuptiarum conuiuium exercebant.

§. CCCXX.

Commentarius litteralis.

Vers. 1. Tunc vocauit Tobias Angelum ad se, quem quidem hominem existimabat, dixítque ei: Azaria frater, puto, vt auscultes verba mea.

2. *Tobia comitatum obsequiũ à mercenario exigit.* TVnc] nempe postquam Tobias adiuratus fuit à Raguële, vt duas hebdomadas apud se poneret; cui adiurationi ex reuerentia gratitudine, & velut religione adnuerat; piè sollicitus de parentum suorum erga se sollicitudine, ne diutiùs commorari necesse sit in exigendâ à Gabelo pecunia; comitem Angelum, quem hominem esse existimabat, accersit, optimo consilio instinctus, forsan animitus ab ipso Angelo; dixítque ei: *Azaria frater. Fratrem* appellat amoris causâ; non modo quasi hominem ex Iacobæa secum familia, sed etiam familiaritate mutuâ, consuetudine, & beneficentiâ charum. Plura de fraterno amore, & odio, hîc congerit Iustinianus *Peto, vt auscultes verba mea.* Non petit audientiam, sed obedientiam vrbanè petit. Iustin. hic num. 2. Scilicet vt precibus acquiescat: & cùm ex fide data teneatur ire secum ad Gabelum, patiatur se ex causa nuptiarum, apud socerum commorari, dum ille pergit ad Rages Mediæ vrbem. Sed vide iuuenis orationem comitate, humilitate, & suauitate plenam.

Vers. 2. Si me ipsum tradam tibi seruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ.

2. A rabs. *Tobiæ gratitudo.* Arabs: *Et si posuero animam meam in facultate tua, non sum dignus tui regiminis, neque tuorum beneficiorum, quæ fecisti mecum.* Non extenuat, (vt moris est) sed exaggerat beneficia pius ingenuè iuuenis; & beneficentiæ cumulum exorat. Qui Tob. 12. 5. postmodum c. 12. v. 5. medietatem omnium bonorum in signum gratitudinis obtulit, nunc se in perpetuum offerre mancipium, parum putat. Si me, inquit, in perpetuum mancipium deuinxero, *Non ero condignus prouidentiæ tuæ.* Id est, non condignè satisfecero tuis in me meritis, & curæ de me. Ita Tirinus, Salianus, Serarius, & Sà. Itaque Tirinus. Salianus. Serarius. Sà. etsi Tobias se in Azariæ seruum tradideret, se putat indignum eius prouidentia, & cura, nedum Carthus. ibi. eius obsequio, & famulatu dignum. *Non ero condignus prouidentiæ tuæ,* id est, satis gratus. Ita Carthus. Quam magno censu, apud omnes æstimetur libertas, hic tradunt Serarius, & Iustinianus. Iustin. ibid.

Vers. 3. Tamen obsecro te, vt assumas tibi animalia, siue seruitia, & vadas ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum, reddásque ei chirographum suum, & recipias ab eo pecuniam, & roges eum venire ad nuptias meas.

3. Mercenarij personam tunc gerebat Angelus sub nomine Azariæ, & ex pactis cum seniore Tobia conuentis tenebatur ire ad Rhagas Medorum, & eò iuniorem Tobiam deducere; & tamen cum obnixè *obsecrat*, vt eò proficiscatur: *Siue ponitur pro &.* oblata quoque omni ad peragendum iter commoditate, cum iumentorum ac famulorum seruitio. *Vt assumas tibi animalia, siue seruitia.* Benè notat ex Serario Iustinianus, τὸ *siue*, poni pro &. Vnde infra v. 6. Angelus ex Tobiæ mandato, assumpsit *seruitia*, hoc est, seruos; & *animalia*, id est, camelos. Quod disertè tradit Hebræus codex: Vt Iustin. hîc n. 4. *Seruus pro seruitio.* assumas tibi, inquit, *Seruorum, & iumentorum numerum.* Biblia Sixtiana, Complutensia, & Regia; Hebræus text. Græci codices. *Sume tibi puerum, & duos camelos.* τὸ *puerum* erit enallage numeri, vt singulare pro plurali accipiatur. Vel certè Græcum παῖδα, non seruum, sed seruitium etiam significat, id est, seruorum multitudinem, vt censet ex Serario Iustinianus. vnde Iustin. ibi. Vulgatus *seruitia* habet.

4. An gemina fuerit vrbs Rages. Tob. 3. & 6. Tirinus hic. *Et vadas ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum.*] An non tunc Tobias & Angelus cum Raguele erant in *Rages* ciuitate Medorum? quo modo ergo Tobias rogat Angelum, vt proficiscatur ad Gabelum in *Rages* Medorum ciuitatem? Quod verò vrbs in qua Raguel & Sara habitabant, & in qua tunc erat Tobias, appellaretur *Rages* Medorum vrbs, notum est c. 3. v. 7. & c. 6. v. 6. tametsi apud Græcos codices constanter dicatur *Ecbatanis.* Iacobus Tirinus respondet, quòd tota illa regio, etiam vrbs *Ecbatanis*, vbi Raguel & Sara degebant, ab antiquo vocabatur *Rages*: sed erat in eadem tamen regione etiam peculiaris ciuitas eodem nomine dicta *Rages.* Sic in Hispania & est vrbs & regnum, *Legio, Toletum, Valentia, Murcia, Granata: In Italia, Neapolis*, & vrbs regnum est: *Brunsuicum* in Germania, & vrbs & ducatus: *Lucemburgum, Geldria, Limburgum, Namurcum*, in Belgio vrbes sunt, & integræ prouinciæ. Sara ergo cum parentibus habitabat *Ecbatanis* in regione seu prouincia *Rages*: sed Gabelus in ipsa vrbe *Rages.* Non negauerim Tirino plures esse vrbes, quæ idem habeant nomen ac integra prouincia, vt liquidò constat in *Toleto*, & *Neapoli*, &c. verùm præter vrbem *Toletum*, (exempli causâ) integra prouincia *Toletum* nominatur; non singulæ huius prouinciæ vrbes. Quare si quis prope Matritum, aut Complutum, aut Caracam esset, parùm idoneè diceretur appropinquare Toleto, tametsi præfatæ vrbes in prouincia Toletana sitæ sint. Cùm ergo suprà cap. 3. v. 7. & c. 6. v. 6. & 11. & c. 7. v. 1. constet, hanc vrbem, in qua habitabat Raguel cum Sara apud vulgatum appellari *Rages*: & inde Angelum mitti ad *Rages* ciuitatem etiam Medorum; satis verosimile non est, generali prouinciæ nomine, non proprio & peculiari *Ecbatanis*, tunc nuncupatam fuisse, si ea peculiaris vrbs quæ erat in prouincia *Rages*, speciali tunc vocabulo *Ecbatanis* appellaretur. Et sanè non facilè adouerim Tirino, quòd *Rages*, in qua agebat Gabelus, dabat nomen integræ prouinciæ, cùm ipsa potiùs vrbs *Rages* nomen ab *Ecbatanis* mutuetur. Nam cap. 5. vers. 8. sic ad seniorem Tobiam loquitur Raphaël: *Mansi apud Gabelum fratrem nostrum: qui moratur in Rages ciuitate Medorum, quæ posita est in monte Ecbatanis.* Tobiæ 3. & 6. & 7. Tob. 5. v. 8.

5. Nec ignobiles, nec pauci Auctores seriò censent, hanc vrbem in qua habitabat Sara cum parentibus, & *Rages* Medorum ciuitas appellatur; & à qua Tobias mittit Angelum ad Gabelum habitantem etiam in *Rages* ciuitate Medorum; esse vrbem *Ecbatanis*, de qua fit mentio Iudith 1. v. 2. Michaël Medina lib. 6. de recta fide cap. 14. ex Græcis codicibus emendare vulgatum intentat, vt scriptum sit *Rages* pro *Ecbatanis.* Reliqui non corrigunt Vulgatum; sed *Rages* nomine intelligunt *Ecbatana*, quasi binominis fuerit vrbs, vel alia subsit causa. Ita Salianus tom. 4. ann. m. 3335. Serarius, Iustinianus, Menochius, Gordonius, & Tirinus, ad c. 8. v. 7. Probat Serarius ex vtraque eruditione. Quia reliquæ translationes cap. illo 3. v. 7. pro *Rages*, excribunt, *Ecbatanis*: ergo hæc vrbs in qua Raguel habitabat, erat *Ecbatanis.* Quod etiam probat Serarius (à quo reliqui) ex Xenophonte, Æliano, Curtio, Strabone, & Athenæo. Legatur inibi in commentario cap. 3. vir in paucis eruditus. Hæc interpretatio difficultatis nodum prorsus extricat, valdéque olim & nunc nobis placuisset, nisi vulgatum videretur deserere. Porrò sicut hæc vrbs in qua Sara habitabat, à reliquis translationibus constanter *Ecbatanis* nominatur; ita etiam à Vulgato *Rages* ciuitas Medorum appellari solitat: ergo vel audacter præferendæ sunt reliquæ translationes Vulgato interpreti; aut omninò asserendum, hanc vrbem *Rages* nominari, siue alioquin *Ecbatana* nominetur, siue secus. Nam quòd valdè diuersum sit nomen *Rages*, & *Ecbatanis*, notariorum errori occasiunculam præcludit. *Vrbs Rages non benè putatur Ecbatanis.* Iudit 1. v. 2. Salian. Serarius. Iustinian. Menoch. Cord. Tirinus. Xenoph. Ælianus. Curtius. Strabo. Athenæus apud Serar.

6. Noster Cardinalis Bellarminus tom. 1. lib. 3. de verbo Dei c. 13. Lyranum secutus, censet, quòd dum c. 3. dicitur Sara habitare in *Rages* ciuitate Medorum, non est ita intelligendum, vt habitauerit in ipsa vrbe *Rages*, sed in vico aliquo vicino. Sicut dicitur habitare Romæ, qui Tusculi, vel alibi in agro Romano habitat. Quod sanè difficile est: nam, vt habetur in textu Hebræo, vrbs *Rages* vbi habitabat Sara cum parentibus, à *Rages*, quam Gabelus incolebat, bidui iter abierat. Etsi Bellarmin. Lyran. hîc *Rages Raguelis non est vicina Rages Gabeli.* Hebræus.

vicus

vicus esset proximus, non sic eò pergere grauaretur Tobias, nec res esset, quam tam obnixè ab Angelo postularet.

7. *Sanct. hic, & in c.3. v.7. Gemina vrbs Rages in Media adstruitur.* Præstat asserere cum Sanctio hîc, & suprà ad cap. 3. in Media prouincia duas esse vrbes quæ hoc nomine *Rages* nuncupantur. Nempè in *Ecbatanis*, quorum mentionem facit Raphaël c.5. v.8. hoc est, in illo tractu, qui à regia vrbe *Ecbatanis* nominatur, duas esse vrbes nomine *Rages* appellatas. Sic in Palestina duæ sunt vrbes quæ appellantur *Bethleem*, totidem *Salem*, *Gabaa*, *Bethoron*. *Lyran. hic.* Lyranus hîc idem tradit de Gallia. Id in Hispania frequens est: plura enim sunt oppida quæ appellantur *Alcala*, *Medina*, *Nauas*, vt alia omittam. Quid ergo mirum, si in eo Mediæ tractu, qui vocatur *Ecbatana*, duæ sint vrbes, quæ eodem nomine *Rages* nuncupentur? Hanc expositionem primo loco tradit Dionysius Richel, Lyranus, *Dionys. Richel. Lyran. Bellar. supr.* eámque approbat Bellarminus, qui docet esse communiorem. Quò rumpantur Hæreticorum ilia, qui hinc vulgatam editionem deuenustare moliebantur.

8. Cæterùm quisquis adhæserit opinioni Serarij, & aliorum (quos num.5. retulimus) asserentium, eam vrbem, in qua Sara cum parentibus habitabat, & vulgatus appellat *Rages*; dici *Ecbatanis*; *Auctor. in Iudith. c.1. §.3. n.32. Quomodo Arphaxad antiquæ vrbi, Ecbatanis nomen denuò fecerit.* facilè se expediet à difficultate, quam obiecimus in nostris commentariis super Iudith, dum exponebamus illa verba c.1. v.2. vbi de Arphaxado Medorum Rege, dicitur: *Et ipse ædificauit ciuitatem potentissimam, quam appellauit Ecbatanis.* Ibi enim perquirebamus quomodo vrbs *Ecbatanis* diu ante Arphaxadum condita potuerit ab Arphaxado appellari *Ecbatanis*. Porrò tametsi de hac vrbe, olim ante Arphaxadum ædificatâ, potuerit dici; quòd eam ædificauerit, quia denuò magnificè reconcinnauit: at non apparet quo pacto eam potuit appellare *Ecbatanis*, nisi forsan olim fuerit anonyma, vrbs semper opinatissima. Quisquis ergo hanc Serarij sententiam secutus fuerit, non inidoneam reddet rationem: nempè vrbs, quæ quondam *Rages* appellabatur, nuper ab Arphaxado restaurata, ab eodem *Ecbatanis* appellata est, nouâ à nouo Rege nuncupatione. Exinde hanc ciuitatem vulgatus antiquo nomine *Rages* appellat; reliquæ verò translationes eam recenti vocabulo *Ecbatanis* nominant. Hoc inquam, solidum est, & ab vtraque eruditione verosimile. Quod & nos inibi sectati fuissemus, nisi interpretatio Lyræ, Bellarmini, & Sanctij magis arrisisset, quia vulgato magis hæret: quare ibi aliam sternere viam conati sumus. Non tamen adducar, vt assentiam his, qui nuper existimarunt, hanc vrbem ante Arphaxadum, appellatam fuisse *Ecbatana* nomine flexili; *Nomen Ecbatanis siue flexile, siue inflexile, idē est.* ab Arphaxado autem nouo vocabulo vocatam *Ecbatanis*, nomine indeclinabili: quod parum soliditatis habere videtur. Quis enim diceretur mutasse. *Athenarum* nomen, quia tertium aut sextum casum retinere iusserit inflexili modo, hanc vrbem semper *Athenis* nominando vocabuli significantiâ prorsus inuariatâ? Nec opinor, potest adduci ex vtraque, aut alterutra eruditione aliquod exemplum, quod huic commento suffragari posset. Ex doctrina autem Serarij, Recentiorum meditatio ruit: nam vrbs, quæ olim appellabatur *Rages*, postmodum *Ecbatanis*, ab Arphaxado nominatur: quod nomen huic vrbi sic exinceps hæsit, vt aliquando etiam antiquo *Rages* nomine vocaretur; quod in nominum mutatione accidere solitat.

Vers. 4. Scis enim ipse quoniam numerat pater meus dies: & si tardauero vnâ die plus, contristatur anima eius.

Causam hîc Raphaëli reddit Tobias, cur non pergat cum eo ad Rages, bidui aut tridui itinere inde distantem. Quia nimirum si ad duas hebdomadas, quas apud Raguelem cum vxore commorari necessum erat dies addat, quos negotio peragendo impenderet, prolixior euaderet mora, & quæ parentum animos mœstissimè sauciaret. *Contristabitur anima eius*: ipse enim, est sinedoche. Vel *contristabitur anima eius*, id est, animitùs contristabitur.

Vers. 5. Et certè vides quomodo adiurauit me Raguel, cuius adiuramentum spernere non possum.

Benè notat hîc Serarius, quòd *adiurare*, interdum sumitur pro iurare; aliquando significat ad iuramentum adigere: denique per diuini nominis reuerentiam, aliquem ad quidpiam dicendum vel agendum adigere. *Serar. Adiurationis triplex acceptio.* Concludit iuxta doctrinam à nobis suprà traditam §......n. *adiurationem* in hac tertia acceptione accipi. Alioqui non dixisset Tobias: *Cuius adiuramentum spernere non possum*; sed potiùs, *Meum iuramentum spernere non possum*. Assentiunt Græci codices: *Quoniam iurauit Raguel non exire me.* *Bibl. Sixt. Serar. Tirinus.* Benè notant Serarius & Tirin. Tobiam hac soceri adiuratione non teneri.

§. CCCXXI.

Commentarius litteralis.

Vers. 6. Tunc Raphaël assumens quatuor ex seruis Raguelis, & duos camelos, in Rages ciuitatem Medorum perrexit: & inueniens Gabelum, reddidit ei chirographum suum, & recepit ab eo omnem pecuniam.

Vers. 7. Indicauítque ei de Tobia filio Tobiæ, omnia quæ gesta sunt: fecítque eum secum venire ad nuptias.

1. *Quare Raphaël duos camelos & quatuor seruos assumit ad viam.* Tanta Tobiæ comitas, & erga mercenarium fiducia, quæ Azariæ sicut sibi ipsi chirographum crederet; facilè illius obsequium extorsit. Assumit igitur Azarias duos camelos, quæ animalia sunt onerifera; alterum qui ipsum vehat, alterum qui Gabelum auehat ad nuptias; simúlque deferendis decem argenti talentis animalia peridonea. Quatuor prætereà seruos assumit pecuniarum custodes, quia ingens illa argenti vis in longa via parum à prædonibus tuta aliter videbatur. Addit Iustinianus quatuor Raguelis seruos assumpsisse, vt decenter comitatus ad Gabelum accederet, *magísque sibi crederetur*, vt ait Chrysostomus. *Et inuenientes Gabelum*: à quo & hospitio exceptus est. Sic enim Græci codices: *Et iuit Raphaël, & mansit apud Gabelum.* Et Syrus: *Et habitauerunt apud Gabelum.* *Chrysostom. apud Iustin. ib. Græci codices. Syrus.*

Et recepit ab eo omnem pecuniam.] Nempe Raphaël chirographum Gabelo reddit, & illicò

Arabs. Bibl. Sixt. concreditam pecuniam accepit. Arabs: *Et exegit ab eo totam pecuniam.* Biblia Sixtiana: *Ille autem protulit arculas in sigillis, & dedit ei.* Quod explicatiùs tradit Syrus: Syrus. *Et surrexit Gabelus, & introduxit, ostenditque ei saculos signatos, numerauitque argentum.* Et Gabelo denatrans omnia quæ gesta fuerant super Tobia, eius nomine eum ad nuptias inuitat. Annuit Gabelus postulatis, & ad honestandas contribulis Tobiæ nuptias alacer proficiscitur.

Vers. 8. Cúmque ingressus esset domum Raguelis, inuenit Tobiam discumbentem, & exiliens osculati sunt se inuicem, & fleuit Gabelus, benedixítque Deum, & dixit.

2. Argenti sarcinâ camelis impositâ, Raphaël & Gabelus satis diluculo è Rages profecti sunt, tandémque venerunt ad domum Raguelis. Non opinor, eadem peruenisse die, quod Iustinianus insinuare videtur. Iustinian. ibi. Nam vt suprà ex Hebræo textu notabamus, bidui iter distabat Rages ab oppido, in quo Raguel habitabat. Sanct. ib. n. 3. Quare Sanctius benè aduertit non valdè vtriusque vrbes abesse; siquidem intra septem dies nuptialis conuiuij potuit Raphaël ire in Rages, pecuniam exigere, & cum Gabelo ad nuptias redire. *Discumbentem*, in lectulo inquam discubitorio, ex antiquo Hebræorum more qui sæpè in Euangelio etiam occurrit. Scio etiam sedere solitos. *Olim & discumbebant, & sedebant in conuiuiis.* De hac eruditione omnibus facilè parabili, legi possunt Expositores ad Geneseos cap. 43. v. 33. & Ezechielis 23. v. 41. *Sedisti in lecto pulcherrimo.* & Lucæ 7. v. 36. & Ioan. 11. v. 20. Et exiliens, Tobias inquam, viso Azariâ caro impaucis comite, & Gabelo contribuli, id est, de mensa in qua recumbebat, subitò surrexit, & illis lætanter occurrit. *Osculati sunt se inuicem.* Frequens amicitiæ & beneuolentiæ signum, & in vtraque litteratura obuium. *Fleuit Gabelus*, præ lætitia inquam. Nempe lachrymas exhauriendæ mœstitiæ datas, etiam lætitia impendit. Sic intimam sui finitionem, lætitia lachrymis auguratur? Vatabl. ibid. *Benedixítque Deum*, Deo gratulabundus, ait Vatablus. Græci codices. Biblia Sixtiana, Complutensia, & Regia habent: *Et benedixit Tobias vxorem suam.* Gabelus Deo benedicit ob largiorem gratiam Tobiæ impensam; quam Tobias vxoris meritis forsan adscribit. Serar. Nisi malis cum Serario, fœcunditatem illi imprecatum fuisse.

Vers. 9. Benedicat te Deus Israël, quia filius es optimi viri, & iusti, ac timentis Deum, & eleemosynas facientis.

3. Scilicet Gabelus tuens in cognati iuuenis oscula & amplexus, senioris Tobiæ memor, cuius opinatissima fama vbique increbuit cum laude, ob eximiam religionem, sanctitatem, & beneficentiam; filio felicissima quæque adprecatur.

Vers. 10. Et dicatur benedictio super vxorem tuam, & super parentes vestros.

Syrus. Hanc Gabeli benedictionem Syrus codex explicatiùs tradit: *Benedictus es tu, & benedictus pater tuus & mater tua, & benedicta vxor tua, & pater eius, & mater eius.* Menoch. ibi. Menochius τὸ *dicatur benedictio*, exponit, benè omnes precentur. Verùm in gratulatione, & benedictione nuptiali, existimauerim, fœcunditatem apprecari, quæ optatissima felicitas erat Tobiæ & Saræ, & vtriusque parentibus, qui totam posteritatis spem in vnigenitis Tobia & Sara omninò disposuerant. quod sequenti vers. magis exprimitur. Inde Arabs vertit: *Et prouentus gratiæ super filios vestros.* Arabs.

Vers. 11. Et videatis filios vestros, & filios filiorum vestrorum vsque ad tertiam, & quartam generationem, & sit semen vestrum benedictum à Deo Israël, qui regnat in sæcula sæculorum.

Ad hunc & sequentem versiculum silent Græci codices; Arabs autem sic excribit: *Et dignos vos efficiat Deus, vt videatis filios filiorum,* &c. 4. Arabs. Præclustris quidem apud Hebræos felicitas, apud quod vulua sterilis, infausta maledictio putabatur. *Soboles numerosa magna putatur felicitas.* Addit Gabelus ad benedictionis cumulum, *Vsque ad tertiam, & quartam generationem.* In quibus vernis geminata prosperitas latet. altera est diuturna & felix vita, quia nisi in prolixiore ætate, & valde annosa senectute, tertia & quarta generatio videri non potest, altera est numerosa filiorum & nepotum silua, in quibus defuncti vita parentes quandiutissimè in sobole viuunt. *Et sit semen vestrum benedictum à Deo.* Semen pro posteritate accipi, notius est, quàm vt probatione indigeat. Nec tantùm numerosam generis propagationem Gabelus apprecatur, sed vt diuina benedictione felicitetur: nam infœlix soboles, parentum laniena est. Ita hanc Benedictionem Sanctius interpretatur. Sanct. ibid. Iustinian. ibi. Sed eam præstat cum Iustiniano intelligere, de fœcunditate. Quasi dicat: Non tantùm vobis votiuè fœcunditatem exopto; sed etiam vestros posteros felicitate vberum & vuluæ feliciter augeri, & numerosè propagari, adprecor. Quando verò τὸ *in sæcula sæculorum*, æternitatem, quando autem longissimum duntaxat tempus significet, ambiguum est, & ex adiunctis internoscendum. Obuium id est, & in Bibliis passim occurrens, atque ab Interpretibus vsque ad lectorum nauseam frequens agitatum.

Vers. 12. Cúmque omnes dixissent, Amen, accesserunt ad conuiuium: sed & cum timore Domini nuptiarum conuiuium exercebant.

Vocula *Amen*, plures habet significationes, de quibus nos alibi egimus. 5. *Quid significet, Amen.* Qua super re legi potest hîc Iustinianus, num. 1. Serarius in Iudith. 15. v. 13. & Sanctius 2. Esdræ 5. v. 13. n. 20. & Isai. 25. v. 1. & passim vbiuis Bibliorum Commentatores. Iustinian. Serarius. Sanct. Indubiè hîc vox est annuentium & adplaudentium faustæ Gabeli adprecationi. Quasi dicant, *Fiat, fiat.*

Cum timore Domini nuptiarum conuiuium exercebant.] Hinc geniales nuptiarum mensæ, in quibus quiduis procax, obscœnum, & intemperans licere putatur, seueriùs castigantur à Sanctio & Iustiniano hîc, & Serario in Commentario cap. 10.

§. CCCXXII.

§. CCCXXII.

Abiectior vltrò humilitas, praclara diuinitatis indicia offert.

1. Plutarch. in Apoph. *Qui mortem contemnit, viam parat ad perpetuã gloriam.* AGesilaum Lacedæmoniorum Regem cùm quidam interrogasset, *Quâ ratione perpetuam sibi gloriam parare posset: Si mortem contempseris, ait: Nihil enim praclara res gerere eum, cuius animum mortis metus occupauit.* Prudenter. Sed strenuus dux ad bellicam gloriam milites excitabat, dum summum honorem castris duntaxat metabatur. Interrogas quâ ratione summam & perpetuam tibi gloriam parare possis? Si gloriam contempseris, inquam; si te humiliùs depresseris, si te infra omnia deieceris. Infucatus, honorum contemptus, quidam gloriæ fastus est, & sublimissimæ dignitatis compendium. Despiciendo inuenies, quod ambitione perdidisti. Arbitrium sublimitatis, infimitas est. Incrementis nostris sæpè decrescimus. Magnus Pompeius, & solo theatro suo minor. Minor omnium est, qui supra reliquos eminere ambit. Verè magnus est, qui suæ securus magnitudinis, minor videri negligit, & hasce ambitionis nugas dedignatus, nec pili eas facit; eò ampliorem de humanitate gloriam captans, quò eam sumptuosâ demissione contemnit. Hæc generosa mens mortales immortalium cognatos facit, & cælestibus affines. De tuo limo ambitiosè cœnulento, tibi extrue summam gloriam, quâ augustiorem sublimitatem piè æmulari possis, ad ambitionis inuidiam. Fastigium, quod superbia perdidit, reparauit humilitas: & Tobias hîc dum quem putabat mercenarium, fratris honorat nomine, ad fraternitatem cum Angelo augustiùs euocatur. (Hic vers. 1.)

2. Lucæ 2. necdum natus cæli Rex, vt tributa terreno Regi pendat, edictis euocatur. Ascendit autem Ioseph è Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies vt pareret. *Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diuersorio.* (Luc. 2. v. 7.) Ecce qualiter in terris nascitur regia Dauidis soboles, Virginis filius, Dei vnigenitus, & verus Deus. Tributa pendens nascitur: capita autem tributo censa, ignobiliora habentur; hæc enim sunt seruitutis notacula: ignotus peregrinatur in patria, & vit natus in mundo, quasi mundi exul, nullibi illi locus est, cuius diuinitas vbique est: in bestiali stabulat præsepio, generosus paterni pectoris inquilinus: ignotus mortalibus editur, quem immortales spiritus prospicere auent: pauperculis fasciis stringitur, qui nullo loco per immensitatem circumscribitur: teneris lachrymulis vagit tenellus infans, qui cælites feliciter beat. O quàm se demisit corporatus Deus! Hic planè, hic est verè Deus absconditus, qui nulla propè diuinitatis vestigia reliquisse videtur; omnésque diuinioris fastigii notas abiectissimâ humilitate celauit. Imò nullibi apparent præclariora absconsæ diuinitatis documenta. Audiendus est S. Maximus, qui profunda mente ista contemplatus, hæc verba alto stilo edidit: *Vnigenitus autem Altissimi sic humiliter ingressus est in mundum, vt indubitata diuinitatis sua deferret indicia.* (*Christi humilitas, indubitata diuinitatis indicia offert.* Maxim. in Epiph. hom. 1.) Tantum est tantæ humilitatis fastigium, vt nota, & velut accidens, atque indubitatum corporati Dei indicium in Christo censeatur. Nempe postmodum stellâ duce gloriosè à Chaldæis adoratur: sed dubitabunt aliqui, (etsi perperam) an Magorum præstigiis id adscribendum foret. Sapienter inter Doctores in Templo duodennis disputat: sed dubitabit inuidia, an id tribuendum foret pueruli garrulitati, an veræ de cælo sapientiæ. Beatas Thaboris glorias, & rupto cælo, Patris in Iordane voces, an sint præstigiatrices phantasiæ illusiones audacter quis ambiget. Sicut ambiguum apud Iudæos fuit, an tot verissima miracula Dæmonis virtute patraret. At cùm vera & mera humilitas in præsepio stabulat inter bruta animantia, tunc *indubitata* sublimioris fastigij documenta præbet. *Vnigenitus Altissimi sic humiliter ingressus est in mundum, vt indubitata diuinitatis sua deferret indicia.* Indubitatum diuinitatis indicium, est depressior vltrò humilitas? Tanta Christi in eius natiuitate demissio, omne circa rem diuinæ corporationis dubium extricat? Non dissentiam his, qui ex præcelsis Christi gloriis, latentem in eo diuinitatem agnoscunt; sed certissimam diuinitatis notam, de abiectiori humilitate sumptuosiùs captare liceat: nam humillimus in mundum ingressus, *indubitata diuinitatis sua defert indicia.* Quæ tam obstinata perfidia, quæ de indubitatis ambigat? Quis tam insolens superbiæ tumor, qui augustæ de humilitatibus gloriæ non vltrò cedat? Quid tam sublime est, quod *indubitata* diuinitatis indicia præferat?

3. Paulus ad Philippenses 2. illos seriò adhortatur, vt nihil faciant per æmulationem, aut inanem gloriam, *Sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes:* humiliationi impensiùs studeant. Hoc enim, ait, sentite in vobis, quod & Christò Iesu: *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo.* (ad Philipp. 2. v. 6. & 7.) Et postmodum Apostolus Christi Dei humilitates, & inde glorias refert. Molestus ero si hîc addensarem, quæ SS. Patres, & commentatores ad hunc locum illustrandum peritè excogitarunt, & eloquenter scripserunt. (*Num qui gloriam contemnit, par Deo fit.*) *Non rapinam*, inquit, *arbitratus est esse se æqualem Deo*, id est, non putauit se diuinitatem velut prædam quandam, & rem furto sublatam quasi alienam habuisse, & clam abscondisse: nam etsi diuinitatem sub forma hominis absconderit, non eam furto Christus vsurpauit; sed à Patre accepit, & vt rem suam possidet; nec ita tectam habuit, vt indubitata eius indicia non prodiderit. Ecquod fuit hoc indicium, quod latentem sub humana forma diuinitatem publicauit? Nempe (vt alia omittam) *exinaniuit semetipsum formam serui accipiens*, &c. Quasi tanta humilitas, quæ fastigium diuinitatis abscondit humili absconsione illud prodat, ac publicet, ac si demissior vltrò humilitas, sit aliquod Dei corporati accidens, & *indubitatum* eius indicium, (vt S. Maximus nuper edocuit) quod verum Deum indubiè ostendit, reliquósque homines Deo similes reddit. Accipe Chrysostomi verba, plena acuminis, moralitatis plena: *Cùm nolis gloriam contemnere, dic: Deo par fio, si contempsero, & statim contemnes.* (Chrysostom. homil. 43. ad Popul.) Par (id est, similis) Deo fit, qui gloriam contemnit, & honores abscondit? O homo, piè ambis diuinitatem de sublimitate æmulari? ne fastigia scandere anheles, sed de humilitate cogita,

cogita,& de generoso honorum contemptu. Morales diuinæ similitudinis notas, quas in homine superbia deleuit, rescribit humilitas,& neglectus honor resculpit. *Cùm nolis gloriam contemnere, dic: Deo par fio, si contempsero, & statim contemnes.* Quis tantum non exambiat elogium? Quis Christo Deo par quodammodo fieri non exoptet? Heu vile & abiectum putas, quod Dei imaginem generosè recudit? Excelsa humilitatis dignitas, vel humanæ ambitionis fastum longè transgreditur. Ad veram gloriam per gloriæ contemptum planè itur.

Matthæi 5. in deserti stadio tartareus luctator esurientem Christum adoritur:&,vt an sit Deus, exploret, lapides in panes conuertendos offert. Signum panis petit, qui signum ieiunij pertimescit. Signum panis petit, vt ieiunij tremendum sibi refugiat signum. Et quia impudens inimicus nescit semel vinci, ad multiplicem vincentis triumphum, *Statuit eum supra pinnaculum Templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* *Profectò*, (ait Seleuciensis Basilius) *si ad Deum, quem nouerat, loquitur, quomodo propositâ sui deiectione territare conatur? siquidem Dei natura neque altitudinem nouit, neque profunditatem.* Certè consiliis suis se Diabolus prodit, dum lapsus quærit, præcipitia imperat. Sic suis suadet, sic suis prouidet semper: sic suos eleuat, vt de alto præcipitet, validiùs in ruinam. Subdolam autem huius signi petitionem, sic arguit Chrysologus: *O signum! mitte te deorsum: conuenientiùs dixerit: Si Filius Dei es, ascende ad cælum: cùm sit hominis vtique ad ima cadere, Dei sit ad superna conscendere.* Verùm cùm sublimissimus naturâ suâ Deus, non habeat, quò possit ascendere, eo forsan modo ascendere poterit, si se corporatus demittat, & humilis deorsum descendat: vnde Diabolus exploraturus de Christo, an verè Deus sit; non inidoneum captans signum, non ascensum, sed descensum suadet, quod confestim ipse Chrysologus his verbis argutè subdit: *Sicut se Diabolus consiliis suis prodit, ita responsione suâ Dominus se reuelat, dum ait: Non tentabis Dominum Deum tuum. Se vtique Dominum, se vtique Deum intelligi voluit, hæc dicendo:* (nota verba, & signa humilitatis sacramenta) *qui non de pinna Templi tantùm se dedit ad terram, sed è cælis se ad inferos vsque iactauit.* Scilicet Diabolus non cæcatus suis ausibus, deorsum cadere expetit Christum, vt inde occultæ diuinitatis signa captet: sed ab humili vltrò descensu, deitatis indicia explorare ambit. Porrò sicut *Vnigenitus Altissimi, sic humiliter ingressus est in mundum, vt indubitata diuinitatis suæ deferret indicia*; nec rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanierit: ita se Deum intelligi voluit, *qui non de pinna Templi tantùm se dedit ad terram, sed è cælis se ad inferos vsque iactauit.* Sic abiectior vltrò humilitas præclara diuinitatis indicia offert

Matth. 4. v. 5 & 6.
Basil. Orat. 23.
Ex Christi demissione, eius diuinitatis captatur indicium.
Chrysolog. serm. 13.

§. CCCXXIII.

Beneficium iam tributum à generoso Principe, pro retribuendorum fideiussore habendum est, quasi vlterioris munificentiæ obses.

1. Philo de Mundi opif.

DEus beneficus non est (inquit Philo) *pro magnitudine gratia sua, nimirum infinita ac incomprehensibilis: sed adtemperat se ad vires hominum, in quos dignatur sua beneficia largiùs conferre. Neque enim sicut Deus naturâ ad benefaciendum propensus est, ita creatura ad accipienda beneficia: illius enim potentia longè superat, at huius infirmitas impar est eorum magnitudini, succumberétque nisi Deus pro cuiusque portione moderaretur suam gratiam.* Dono autem acceptæ gratiæ id etiam vel maximè homo habet, vt vlterioris gratiæ capax sit, nec opulentioris beneficentiæ impar: sed nouo quasi merendi genere, de accepto à Deo munere ad noua munera accipienda meritum quodammodo ædificet; dum accipiendo, plus accipiendi capacitatem laxat: indéque homo amplificet debitum, vnde credi poterat soluendo non esse. Id Deus immeritatè beneficus, non humanæ mendicitati, sed suæ incomprehensibili bonitati debere se putat: quasi donato beneficio ad alia atque alia vberiùs præstanda oppigneretur; & concessa gratia, concedendæ sit obses, augusto regiæ liberalitatis nomine. Huic largiori beneficentiæ velut obærata nascitur sublimior potestas, reliquorum mendicitati generose tributaria, generoso præcelsæ nobilitatis titulo. *Sed enim agri tributo onusti, viliores: hominum capita stipendio censa, ignobiliora: nam hæ sunt notæ captiuitatis. Dij verò qui magis tributarij, magis sancti; imò qui magis sancti, magis tributarij:* in Apologetico aduersus Gentes in omnem ætatem & sæculum dixit Tertullianus.

Homo impar est diuinæ beneficentiæ.
Dij Gentium, quò magis tributarij, magis sancti, & contra putabantur.
Apol. c. 13.

2. Iobi 19. prænobilis sanctitate vir, & validus virtutis athleta, naturæ & gratiæ dotibus diu felix, aduersarij Dæmonis inuidiâ ærumnosè iam miser, dulcissimis immortalitatis spebus mortalem vitam consolatur ad calamitatis frustrationem. *Scio*, inquit, *quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo Deum meum. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Nihil nos chariùs & certiùs habere credimus, quàm quod in sinu tenemus. In sinu ergo Iobus hanc immortalitatis spem repositam tenuit, quia verâ certitudine spem resurrectionis auidè prægustauit. Sed sciscitari lubet, vnde hanc spem Iobus conceperit, quàm sic amanter in sinu recondit? Tempestiuè Anselmus Laudunensis: *Scio*, inquit, *quòd Redemptor meus viuit. Non ait Conditor, sed Redemptor: eum apertè denuncians, qui postquam omnia creauit, de captiuitate, Passione suâ nos redemit.* Scilicet Iobus dum se redemptum Christi Dei Passione attentiùs contemplatur: ex hoc magno beneficio sibi non merenti concesso, futuræ Resurrectionis donum auspicatò sperat (mitto nunc alias id credendi, & sperandi rationes) Eloquenter æquè ac subtiliter Eusebius Emissenus hac super re ita philosophatur, ad illud Symboli, *Carnis resurrectionem.* Emissenum legis: Deliberatum ac propositum Deo est, vt facturam subiecti sibi hominis semper in melius pro exercendæ bonitatis suæ virtute promoueat. Nouum fecit, perditum renouauit: & cui primùm imaginem suam dedit, in sæculum se ipsum pro eo tradidit: vt cùm iam tanta perceperis, per ea quæ agnoscis præstita, discas sperare promissa,& opem rebus nutrias; (attentiùs excipe quæ subdit, sollerti expensione dignissima) *Et de consequendis ea quæ iam es consecutus interroges, ac perceptorum experimentum proficiat tibi in testimonium sperandorum: ac si iam attributa beneficia pro retribuendorum fideiussoribus habeas, ac Dei* tui

Iob. 19. v. 25. & 26.
Ansel. inibi.
Priora beneficia pro retribuendorum fideiussoribus sunt.
Emisen. de Symb. hom. 2.

Prima beneficia interroganda sunt, quid spondeant.

tui præteritam præsentémque bonitatem, quasi futurorum teneas cautionem. Scilicet qui nihil fuisti sub initiis tuis, exinanita licet sint corporis semina, in nullo tamen cinis vetustus antiquo contradicit artifici: quia materia reparabilis, benefici olim auctoris potentiam recognoscit; & prius beneficium, quasi dato pignore, ad vlteriora beneuolentiùs excitat. Iam attributa aut naturæ aut gratiæ beneficia, *pro retribuendorum fideiussoribus habe.* Creationis aut redemptionis gratia, sit beneficiorum exinceps accipiendorum fideiussor; & erga te exhibitam olim beneficentiam, *quasi futurorum tene cautionem*, & primum beneficium sit opulentus reliquorum obses. Hinc Iobus ex Redemptionis etiam dono, beatæ denuò resurrectionis prærogatiuam sperat: indéque erectâ spe piè præsumit, quòd in consummatione temporis corpus de fauillarum suarum semine renascetur. Nam quicquid æternitati sub prima origine deputatum est, etsi excessit è vita, non omninò periit in natura; & quod deputatur in specie conspectum, in spe tenetur absconditum: & qui est plasmatus in corpore, vt spiritum quem non habebat, acciperet; sine dubio & quem accepit conditionis beneficio, nouâ Conditoris & Redemptoris gratiâ reddendus est. Ergo *iam attributa beneficia pro retribuendorum fideiussoribus habeas, ac Dei tui præteritam præsentémque bonitatem, quasi futurorum teneas cautionem.* Luculenter sanè Emisenus. Tu verò expende, quomodo primum beneficium dicatur, *Fideiussor*, & *Cautio* accipiendorum: & quòd primum beneficium *interrogandum* sit, quidnam de liberalitate præbitoris spondeat.

3\. Estheris 6. atroces Eunuchorum in regium caput insidias, in abdito perfidiæ latentes, tempestiuè prodidit Mardochæus, æquè fidus virtuti ac vitiis infidus, nobili fidelitatis elogio. Perfidiæ pœnas Eunuchus vterque luit; & Mardochæi fidelitas ad spei molestias in palatij foribus deputatur. Illud Regis intererat, & inde sollerter executioni mandatur: hoc ad subditi Mardochæi vtilitatem spectabat, & ideò à Rege barbaro ignauè negligitur. Sed Eunuchorum perfidia, & pariter Mardochæi fidelitas, Regis iussu in annalibus describitur. Cùm verò Rex noctem traduceret insomnem, iussit sibi afferri historias & annales priorum temporum. Quæ cùm illo præsente legerentur, ventum est ad illum locum vbi scriptum erat quo modo nunciasset Mardochæus insidias Bagathan & Thares Eunuchorum, regem Assuerum iugulare cupientium. *Quod cùm audisset rex, ait: Quid pro hac fide honoris ac præmij Mardochæus consecutus est? Dixerunt ei serui eius ac ministri: Nihil omninò mercedis accepit.* Hinc magnum inter Commentatores litigium suboritur, verè ne, an falsò id aulici ministri Regi respóderint. Iosephus vt regios ministros à mendacio vindicet, commentus est, quòd rex Assuerus tantùm interrogauit, an aliquid scriptum esset in libris qui legebantur, de remuneratione Mardochæo factâ: atque adeò verè respondisse: Nihil omninò ibi scriptum esse. At Rex, quid honoris ac præmij consecutus sit, interrogat; non quid in annalibus scriptum sit. Et quidem difficile est eos à mendacio asserere, (Heu! etiam cùm Aulici vera dicunt, de mendacio suspecti sunt) licet communiter ab Interpretibus vindicentur. Dionysius Carthusianus, ita scribit ad præfata verba: *Nihil omninò mercedis accepit. His videtur obuiare, quòd*

Qui vlteriora dona non accipit, nihil à Rege accepisse perhibetur.

Esther. 6. v. 3.

Ioseph. l. 11. Antiq. c. 6.

Carth. ibi. Esther. c. 12.

infrà scriptum est: Præcepit ei, scilicet Mardochæo rex, vt in aula palam moraretur, datis ei pro delatione muneribus. Quòd si regia munera pro delatione *data* Mardochæo sunt, quo modo ministri verè dicere potuerunt; nihil omninò *accepisse?* neque enim aliquid potuit Rex Mardochæo *dare*, quin Mardochæus illud *acciperet.* (fortè hoc est ordinarium palatij miraculum, vt aliquid Rex benemerito *det*, & ille donum *accipiat*, quin hæreat inter administras officialium manus taceo.) Communi dubio idem Carthusianus respondet: *Quòd munera illa respectu beneficij tanti, tantóque Regi exhibiti, modica erant, & quasi nullius momenti: ideò nil recepisse asseritur.* Sed vix adducar vt credam, tam augustè magnificum regem tam angusta & modica præbuisse donatiua, ob caput suum recenti obsequio seruatum. Inde forsitan moralissimè existimare licet, quòd etsi larga munera Mardochæo tunc donata fuerint, quia semel duntaxat regium munus, etsi opulentum accepit, *nihil omninò* eousque accepisse perhibetur. Nihil enim à generoso Principe accipit, qui semel duntaxat honorarium accipit; nam prius donatiuum alia atque alia vlteriùs spondet: quasi de regalis munificentiæ genio, donum primò acceptum sit exinceps accipiendorum obses, quò *iam attributum beneficium pro retribuendorum fideiussore habeas*, ac Principis *præteritam bonitatem, quasi futurorum teneas cautionem.* Hinc rex Assuerus semel muneratum Mardochæi obsequium, quasi *omninò* impræmiatum, iterum munerare festinat, ne eius regia beneficentia, stitione largiendi, illiberalis auarè audiat, iniuriâ sordidi animi propudiosâ, in omnem ætatem & sæculum infamandâ. Hinc Tobias opulento *honorario* auctus à rege Salmanasar, excelso etiam officio in Regis palatio honoratur, accipitque simul facultatem ire quocumque vellet, habens libertatem quæcumque facere voluisset, quasi prioris donatiui consequentias, seu appendices gratias. Et Tobias iunior hîc antiqua beneficia Angelo proponit, vt noua impetret.

4\. *Munus quod Rex dat, sæpè subditus non accipit.*

Emisen. de Symb. ho. 2.

Tob. 1. v. 14.

Hîc vers. 2.

Plinius secundus nuper Consul renunciatus, sic in sua Panegyri Traianum affatur: *Efficis enim vt tantùm tibi quisque præstitisse videatur, quantum à te recepit. Quid enim isti benignitati precer, nisi vt semper obliges, obligeris: incertúmque facias, vtrum magis expediat ciuibus tuis debere tibi, an præstitisse.* Disertè quidem generosi Principis ingenium Panegyrista expressit. 5. Plin. in Pan.

---

§. CCCXXIV.

Sicut qui ab homine quidquam rogat, valdè vilescit; ita is qui rogatur sæpè insolescit.

CAllidus quisque, ambitiosè vrbanus, & aulæ moribus educatus, aditum habet non difficilem, séque præbet facilem, & exprompțum, etiam immodica cupientibus, & obnixè postulantibus; spésque improbas, nihil re adiutorus, verbis fouet. At eius peior est opinio, qui linguâ asper, vultu grauis, fastuoso supercilio superbus, cum inuidia fortunam suam explicauit. Sed infortunata egenorum conditio, vt quod petit, obtineat, has vilitates sæpè subire cogitur, & propriâ demissione, 1.

Quàm vilescat, qui rogat, & insolescat, qui rogatur.

demissione, opulentorum elationem nutrit. O quàm cupit immodica honoris auaritia, plures habere supplices, & apud se rogatores; non vt plura rogantibus donet; sed vt propria dignitas de aliquorum indignitate succrescat, & de aliena miseria, eius felicitas clariùs fulgurer. Res profectò diuersissimas! & petitorum importunitatem tanquam sibi molestam fastidit; & si nemo suis liminibus supplex adest, qui petendi improbitate illum molestet, quasi dignitatis gloriâ viduatus, miserè contabescit. Inde Summatum ambitio frequentem petitorum turbam suspirat; nec tunc quibus adnuat, sed quos despiciat, optat, & quibus se maiorem, sublimiorem, augustiorem exhibeat; atque precariæ infelicitatis ope, infra se sternat, quibus præcelsè antistare arrogánter exambit. Sic naturam desuescere felicitas præsumit, alienæ infelicitatis auxilio fulta: Sic est hominibus vile, alium hominem suppliciter rogare: Sic est superbum, turbam petitorum supplicem ad postes videre: Sic noster limus in sublimitate collocatus, insolescit: Superbiæ hic tumor est, non vera hominis magnitudo.

2. Tob. 1. v. 6. In hoc lib. Tobiæ cap. 1. ita de eo sacer Historiographus scribit: Cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat Rex Israël, hic solus fugiebat consortia omnium: *Sed pergebat in Ierusalem ad Templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel, omnia primitiua sua, & decimas suas fideliter offerens.* Vltrò munera portat Tobias; non coactus, non inuitus defert. Vltroneus munerator Tobias venit, non vt rogetur, expectat. Sed curiosiùs, & ad litteram, & mores peruestigandum est, cui nam Tobias primitiua sua, & decimas suas votiuè obtulerit Sacerdotibus, an Deo? an Deo in Sacerdotibus? In Dei Templum delata prohibentur, sed vtrum exigentibus Templi Sacerdotibus, an immediatè ipsi Deo oblata sint eiusmodi donatiua, non dicitur. Verùm idoneè ad rem notant Interpretes, quòd eiusmodi munera, etsi in vsum Sacerdotum cederent, non ipsis ea petentibus, sed Deo ipsi eadem deferre præcipienti, à populo offerebantur. Et sanè argutam reddit Philo rationem, quare Dei Sacerdotes decimas, & primitias à populo nec peterent, nec acciperent. Nimirum dignitati Sacerdotum, & eorum auctoritati valdè consulebatur, dum hæc donatiua non ab hominibus petebant; sed oblata Deo, ab ipso accipiebant. Sic ergo hac super re philosophatur Hebræus Philo: Satis igitur apparet, inquit, quamuis tribus Leui destinata diuino cultui exsors agrorum sit, *aliâ tamen ratione prospectum ei honorificentiùs*, vt sine labore suo viuat è primitiis, & oblectationibus. (Sed vide mihi in quo consistat, quòd Dei Sacerdotes *honorificentiùs* alantur absque vlla propriæ auctoritatis imminutione.) *Sed nequis è conferentibus exprobret accipienti suum beneficium, iubentur priùs in Templum deferre munera, vt tum demum inde Sacerdotes sumant. Nam quisquis non ab hominibus, sed à Deo (nunquam non in omnes benefico) munus accipit, salno pudore accipit.* Ecce tibi quo pacto dignitati Sacerdotum *honorificentiùs prospectum* sit. Nempe Dei Templo offerantur populi donatia, illa Deus acceperet, & tum demum illa Sacerdos sumat, non ab hominibus illa aut petat, aut accipiat; ne quiuis è sæcularibus, & profanis hominibus, donationem Sacerdotibus *exprobret*, dum illis petita concedendo, *honorificentiùs* supra petitores sublimatus, Dei sacerdotium, vile, & abiectum supplicatione reddat. Nemo enim hominum saluo pudore, hominis supplex est, hominem rogat, & ab homine munus expectat. Feritur petendo pudor, rogando deuenustatur auctoritas, & accipiendo decrescit dignitas; quæ ne supplicatione imminuatur, à Deo, non ab homine Sacerdos accipiat, quod ab hominibus Deo donatur. Hac ratione Sacerdotum dignitati *honorificentiùs prospectum* est, dum populus iubetur in Templum deferre munera, vt tum demum inde Sacerdotes sumant. *Nam quisquis non ab hominibus, sed à Deo munus accipit, saluo pudore accipit.* Præclarè quidem Philo. Quisquis mundiale quidpiam ab alio petit, prodigus honoris, prodigus etiam pudoris est. Sententiosè dixit Senec. *Gratissima sunt beneficia, parata, facilè occurrentia, vbi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia. Optimum est antecedere desiderium cuiusque, proximum sequi. Illud meliùs, occupare antequam rogemur: quia cùm homini probo ad rogandum os corruat, & suffundatur rubor, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum. Non tulit gratis, qui cùm rogasset, accepit. Quandoquidem, vt maioribus nostris grauissimis viris visum est, nulla res cariùs constat, quàm quæ precibus empta est. Vota homines parciùs facerent, si palam facienda essent. Adeò etiam Deos, quibus honestissimè supplicamus, tacitè malumus, & intra nosmetipsos precari.*

Matthæi 7. humanam orationis fiduciam, ad impetrandi certitudinem, multis erigit Christus Deus: Petite, inquit, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis. Verùm tametsi non sit homini difficile, Deum rogare, & eius se mendicum profiteri; impeditum verò & arduum sit, hominem hominis supplicem fieri, & ambiguâ impetrationis fide, quicquam ab eo petere; consultissimè monet, vt tales nos aliis exhibeamus, quales exhiberi nobis optamus: *Omnia ergo*, inquit, *quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Non sum nescius, ex communi Interpretum sententia (cui nos olim inibi subscripsimus) hæc verba verosimiliùs exponi de fraterna erga proximos beneuolentia, quæ de se legem pronunciat in alios. At S. Augustinus adspectu ad verba præcedentia de oratione habita, hunc locum luculenter ad rem præsentem exponit, aiens: *Promiserat se Dominus petentibus, bona largiturum. Vt autem Deus agnoscat mendicos suos, agnoscamus & nos nostros. Exceptâ enim substantiâ facultatum, tales sunt, qui petunt, quales à quibus petunt.* Plura significat Augustinus, quàm dicit; & dum medicinam adhibet, morbum indicat, cui medetur. Quid opus erat, vt homines Augustinus notanter admoneret, quòd substantia facultatum exceptâ; *tales sunt, qui petunt, quales à quibus petunt?* Quis vnquam id in dubium vertit? Nemo ambigit, quòd si excipias vtilitatem rogandi, & felicitatem hominis, qui suppliciter rogatur; talis est homo, qui petit, qualis est is à quo petitur. Nisi forsan homo dum alterius hominis supplex fit, ab humanitate degeneret, & in aliud quodvis nomen abiectius veniat: & ille qui rogatur, sic pristinum statum dedificat, vt excelsius aliud naturæ elogium præsumat. Profectò reapse vterque eiusdem naturæ est; at dum magnus Pater Augustinus, (qui humanos affectus velut per anatomiam pernoscit) nō rogatus, seriò aduertit, quòd exceptâ

Cur Sacerdos decimas oblatas, non à populo, sed Deo accipit.

Philo lib. de Sacerd. honorib.

Seneca l. 2. de Benef. cap. 1.

3. *Tales sunt qui petunt, quales à quibus petunt.*

Matt. 9. v. 12.

August. de verb. Dom. serm. 5.

exceptâ substantiâ facultatum, *tales sunt, qui petunt, quales à quibus petunt*, proculdubio hanc felicium suspicionem (persuasionem dicam?) excutere festinat. Non quod felicium aliquis, id speculatiuè sibi persuadeat; verùm sic practicè se gerit, sic frequenti aliorum supplicatione tumescit, vanescit, insolescit, vt crebrò supplices, à communi humanitatis gradu degenerasse, tacitè censeat? & sibi mente, genere, iudicio, sapientiâ, & reliquis naturæ elogiis postponendum, vulgò existimet. O quàm carò emitur, quod submissè petendo, gratis ab hominibus impetramus! Mallem rem non habere, quàm illam supplicatione mercari. O quantâ sui vilitate honores emit ambitio! quantâ arroganter elatione petita munera concedunt Potentes! Et iunior Tobias hîc quicquam operis à suo mercenario Azaria postulat, illum *obsecrare* dicitur. Hic vers. 3.

4. Matthæi 6. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. *Cùm ergo facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus.* Benè tubâ, quia eiusmodi eleemosynæ largitio, hostilis est, non ciuilis; non misericordiæ dedita, sed clamori; non pauperis indigentiæ, sed supplicantis pudori: ostentationis de aliena miseria nundinatio est, non de miseriæ compassione commercium charitatis: ambis supplicem rogatorem habere, non te remediatorem beneficum exhibere: publicâ petentis ignominiâ, largitoris gloriam nundinaris. Pergit Chrysologus: *Fugienda est hypocrisis, quæ captiua gloria verecundiam pauperum non releuat, sed fatigat: quæ de gemitu inopis pompam suæ gloriationis inquirit, quæ suam laudem dilatat pauperis ex dolore, quæ de miseria petentis famam suæ ostentationis expandit.* Scilicet cùm hominis probi ad rogandum os corruat, & suffundatur rubor, qui hoc dehonestamentum nutrit, supplicandi tormentum amplificat; & de miseria supplicis ignominia potentiæ suæ gloriam exaggerat: dum *de miseria petentis famam suæ ostentationis expandit.* Sic largitor supplicatione insolescit: sic rogator postulatione vilescit: O! monitore opus est, qui Augustini verba ingeminet: *Tales sunt, qui petunt, quales à quibus petunt.* O terrula, quid grandescis, quid tumescis, quid insolescis, quia plus fuluæ terræ, quàm alius possides? Memento quia terra es, & in terram ibis; si fortè elatior hic fastus detumescat. Vnus ingressus, vnus exitus omnibus est: etsi inæquale sit corporis sepulchrum; caue ne animam viuis nunc exequiis in inferno æternùm tumules. O homo, quid superbis, quia alium hominem apud te supplicem vides! *Tales sunt, qui petunt, quales à quibus petunt.* Audi quid de Deo Nazianzenus scribat: *Cùm ab eo beneficium petitur, beneficio id ducit, prompta, munifica, atque prolixa natura est.* Hispanè diceres: *Es prolijo en hacer bien, no sabe acabar, si comiença à dar.* Nec supplices fastidit, qui beneficium dare, beneficij loco reputat.

Matt. 6. v. 2.

Qui rogari exambit, de miseria petentis famam suæ ostentationis expandit. Chrysolog. serm. 9.

Dei natura prolixa ad donandum dicitur. Naz. Orat. in S. Baptisma.

P. Didac. de Celada in Tobiam.

§. CCCXXV.

Quiddam æqualis honoris cum superiore, simul cum subiectione subditus prefert.

Agesilaus rogatus à quopiam, cur Spartanorum Respublica secundis rebus præ cæteris floreret: *Quoniam*, inquit, *plus cæteris in hoc se exercent, vt pariter & imperare, & parere sciant.* Æquale Reipublicæ decus est, & habere viros qui rectè imperent, & qui imperatis peritè obsequantur, reciproco alternantis Præfecturæ, aut imperio, aut obsequio. Exinde neque qui imperitat, prælationis fastu insolescit; neque qui paret, subiectionis obsequio minor est, etsi subiectus sit. Profectò & qui imperat, & cui imperatur, idem Reipublicæ corpus conflat: par ergo honor vtriusque sit, etsi diuersa dignitas. Cùm enim ad obsequij præstantiam, eadem debeat esse mens, & dantis imperia, & imperia accipientis, æqua ingenuitatis præstantia Superiorem ac Subditum, etsi ad diuersissima munia, perfectè coaptat. Ergo nemo se putet subiectione deuenustari: nam parem cum imperante sortitur honorem, in dispari dignitate, & felicis Reipublicæ decus adæquè partitur; cùm pariter communi vtilitati militat, non impari merito, nec minori honoris stipendio. Artificium ergo honoris captandi, obsequium esto. Politica enim perfectè subiectio, æqualem cum imperante honorem, aut ante inuenit, aut arcanè facit; ne quis ingenuum parendi munus detrectet, quasi abiectum; aut grauatè ferat, veluti dedecori tributarium, sed tanquam inoffensè honestum percenseat. O! exinceps nemo ingenuum obsequij bonum erubescat! Æqualitatem cum Superiore sibi inuidet, qui illius imperia arroganter fastidit, ingenuitatis titulo. Paradoxon putas. Sed thematis probatio thema explicatiùs elucidet.

2. Geneseos 2. sexta mundialis opificij dies, animantes dat mundo, vtroque sexu integras, & perpetuitatis inde candidatas: Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cùmque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Eccur non coæuum fuit Adami & Euæ operosum præ reliquis opificium? Vna Dei vox in cæteris animantibus masculum & fœminam simul conformat, & in specie humana primò Adamus, postmodum Eua fabricatur? Verùm conditionis ordo formandi rationem dispescit: Adami enim corpus è limo excitatur, terramque inscribit matrem; Euæ autem molitio è latere viri extat, vt fœminæ os de viri ossibus, & de carne caro decentiùs existeret. Cur verò vir de terræ limo, mulier autem de ipso viri sui latere, noua sponsa formetur, eleganter tradit Gennadius ad præsentem thesim opportunus, exponens præfata verba: *Tulit vnam de costis, & repleuit carnem pro ea, & ædificauit costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Sic inquam, Gennadius scribit: *Volens igitur Deus ampliori charitate virum vxori coniungere, fœminam è latere viri formauit, vt quiddam æqualis honoris, vna tamen cum subiectione præ se ferret.* Attentiùs expende hæc vltima Gennadij verba, in quibus tota sententiæ energia

1. Plutarchus in Laco. Apoph.

Superiori de subdito par est honos in dispari dignitate.

Gen. 2. v. 21. & 22.

De latere viri vxor formatur, vt quiddam æqualis honoris cum subiectione præ se ferat.

Gennadius apud Caten. Lipom. ibi.

viget. Nimirum mulier non conformatur ex aliena materia, ne in ea amor viri peregrinetur velut in re extranea: non accipit materiam è viri corde, ne totus amor in vxorem incumbens, reliqua oscitanter negligat: non è capite, ne de verticis sublimitate mulier insolescat: non, è pedibus, ne squalidis cognata vestigiis, ignobilitate vilescat. *Sed è latere viri formauit, vt quiddam æqualis honoris, vna tamen cum subiectione præ se ferret.* Luculentè quidem Gennadius! Nempe in felici etiam innocentiæ statu foret vir vxoris caput, & familiæ princeps: & vxor subdita marito nascebatur necessariâ politicè subiectione: ergo è latere (quæ est media viri portio) efformetur mulier futura continuò sponsa, vt *honoris æqualitas* ingenuam subiectionem subornet; & ingenua subiectio, honoris æqualitatem euulget, in dispari dignitate. Porrò vir vxori principatur; sed tanquam caput membro, nec vilissimo nec præstantissimo, lateri inquam, quæ media hominis portio est, nec sublimitate superba, nec infimitate vilis. Vnde vxorem Deus *è latere viri formauit, vt quiddam æqualis honoris, vna tamen cum subiectione præ se ferret.* Itaque obsequium, minoris ad maiorem subiectio est; sed quæ æqualitatem ambit, pio quodam obedientiæ fastu, aquæ parilitatis candidato.

3. Genesis 1. vt terra vomeris patiens, herbaceo virore proficuè niteat, summus opifex Deus nudat aquis eius dorsa, quibusdam velut cancellis maria concludens, vastam aquarum portionem reliquam deriuat in fontes perpetim emicantes scaturigine perenni; in fluuios pleno alueo labentes, quasi magni corporis venas, aridam congruo humore ad fœcunditatem rigantes; in subterraneos lacus ignauiâ aquarum profunditate stagnantes. Omnes verò aquæ vnum conflant elementi corpus, per occultos terræ meatus fluxè continuum. *Dixit verò Deus: Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum: & appareat arida. Et factum est ita.* Ecce tibi Aquarum Rempublicam, non ædium contiguitate, nec mutuâ ciuium societate, sed totius elementi indiuiduâ vnione, vbique terrarum aut perspicuâ, aut absconsâ meatuum coniunctione, mirabiliter constantem. Quem ergo regiminis modum Aquæ obseruent, & quâ regantur politiâ ad suæ Reipublicæ felicitatem, eloquenter tradit Ambrosius, quem aliàs aliter pro aliis thesibus expendimus. Sic Magnus Ambrosius ad rem fatur: *Congregentur aquæ in locum vnum. Ex illo ergo currit Aqua, fontes labuntur in fluuios, in freta currunt flumina, lacus deriuantur in maria: Ipsa se Aqua præcedit, vrget, & sequitur. Vnus est ductus, vnum est corpus. Et cùm sit altitudo diuersa, indiscreta tamen dorsi eius æqualitas.* Quid accommodatius? Nempe in Aquarum Republica, (quæ vtinam foret humanæ communitatis exemplar) vnum est elementi corpus, vnus ductus fontium, fluminum, lacuum, & fretorum: & quælibet pars ad quamlibet gratè labitur, & securè currit; gratanter excipitur, & obuio sinu inuisceratur, dulci societatis concordiâ. Nec fluctuum elatio, spumarum sublimi candore sic tumescit, vt non continuò detumescat, & reliquo vastè æquori sternat sese: nec sic litteralis aquula de exilitate sua purpurascit, vt non confestim leni terrarum obiectu in suum pelagus referatur, & altus iam pontus sit. Et sanè quod præ reliquis mitissimum est: *Cùm sit altitudo diuersa, indiscreta tamen est dorsi eius æqualitas.* Sed vnde tanta æquoris vbique æqualitas? Quia *ipsa se Aqua*, inquit, *præcedit, vrget, & sequitur.* Scilicet cùm idem sit totius elementi corpus, eadem est aqua, quæ sequentem præcedit, & quæ præeuntem sequitur: eadem est, quæ communi cursu se ad currendum vrget, & quæ ad cursum vrgetur. *Ipsa se Aqua præcedit, vrget, & sequitur, vt quiddam æqualis honoris, vna cum subiectione præ se ferret.* Ipsa est, quæ imperando præit, & quæ præeuntis imperio submissè parens, præeuntem subsequitur. Neque præeundo spumosè tumet in fluctibus; neque subsequendo ignobiliter complanatur in æquor: nec præcedentiæ fastigio superbit, nec subsequendi titulo degenerat; sed *quiddam æqualis honoris, vna cum subiectione præ se fert:* quia *ipsa se Aqua præcedit, vrget, & sequitur, & cùm sit altitudo diuersa, indiscreta tamen est dorsi eius æqualitas.* O! de Republica examinali disce obsequendi dignitatem, & subiectionis honorem, Præpositorum de præstantia æmulum! O neglige superbos imperandi titulos, & mentitam parendi ignominiam! Ecce tibi Tobias Azariam, cuius seruitium mercede conduxit, *Dominum* moralissimè appellat. quò & Tobias Azariæ *Dominus*, & Azarias etiam Tobiæ *Dominus* appelletur, & vnusquisque *quiddam æqualis honoris, vnà cum subiectione præ se ferret:* & hîc illum Tobias *obsecrare* perhibetur.

Genes. 1. v. 9.

Ambros. in Hexaëm. ad ea verba.

Aqua, Præfectorum & subiectorum idea, ipsa se præcedit, vrget, & sequitur.

Tob. c. 6. v. 2.

Hîc vers. 3.

4. Inde ardua humani regiminis difficultas enascitur. Exodi 3. dicitur, quòd *Moyses pascebat oues* Iethro soceri sui. Ad quæ verba sic percommodè fatur Eusebius in Catena: *Omnis quidem principatus ac præfectura molestia non caret, ouium dico, atque huiusmodi animantium; non æquè tamen ac ouium rationalium, cùm eiusdem cum Præfecto honoris, atque naturæ consortes sint.* Profectò nisi Gubernator, sicut dignitate, ita etiam & ingenio, & peritiæ dotibus antistet subiectis, vix tueri poterit dignitatem. Arduum est naturâ superiorem subdi inferiori, qui dignitatis titulo duntaxat præcellit. Quis quem verè animitùs despicit, extrinsecùs suspiciat? (Quin & nemo sibi æqualem præferri, æquo animo sustinet) *No da prendas la eleccion, si no las suppone.* Insanè quis de mera electione arroganter superbit: iactat enim sæpè magni hominis titulum sine homine. Tam subitò vltra reliquos doctus: derepentè expertus: vnius dieculæ peritus: Videas oculis, quam mente in Poëtis non credis, fabulam gigantum, quos fingunt vnâ die è terra satos, adultos, & vltra hominum staturam longè sublimes. Hic arrogantiæ fastus infaustum regimen auguratur. Sciant Gubernatores, quòd subditi *eiusdem cum Præfecto honoris atque naturæ consortes sunt.* Nempe inest subiectis idem naturæ, peritiæ, & ingenij honor, (an non sæpè maior?) in dispari dignitatis gradu. Hæc notitia & mitigat Superiorum arrogantiam, & subiectorum obsequia subornat.

Exod. 3. v. 1.
Euseb. apud Caten. ibi.

Subditi eiusdem cum Præfecto honoris, atque naturæ consortes dicuntur.

5. Lucæ 2. de puero Iesu dicitur: *Et erat subditus illis.* Ad quæ verba sic fatur Origenes: *Puto quòd intelligebat Ioseph, quia maior se erat Iesus, & trepidus moderabatur imperium. Videat ergo vnusquisque, quòd sæpè qui subiectus est, maior sit. quod si intellexerit, non eleuabitur superbiâ, qui est sublimior dignitate, sciens sibi meliorem esse subiectum.* Sed nescio quâ vertigine sublimitatis, quidam & se, & subiectos dedíscunt.

Luc. 2. v. 51.
Orig. hom. 20.

§. CCCXXVI.

§. CCCXXVI.

Subditorum erga Superiorem beneuolentia, obsequium subornat.

1. *Amor & clementia filiis gubernant.*

REmissiùs imperanti meliùs paretur. Natura contumax est humanus animus, & in contrarium atque arduum nitens, sequitúrque faciliùs quam ducitur. Et vt generosi ac nobiles equi, meliùs facili fræno reguntur, ita clementiam beneuolentiæ cognatam, voluntaria innocentia impetu suo sequitur. Crudelitas, odij soboles, minimè humanum malum est, & indignum humano Gubernatoris animo. *Nihil quicquam pulchrius existimo in fastigio collocatis, quàm multarum rerum veniam dare, nullius petere.* Hæc clementia Principem decet, vt quocunque venerit, mansuetiora omnia faciat. Porrò pacata Superioris beneuolentia, velut quodam philtro subiectos ad obseruantiam deuincit, & vltrò allicis, quò legibus trahuntur. Hinc forsan dixit Nazianzenus: *Pentecostem celebramus, ac Spiritus aduentum, speíque impletionem...... Principalis Dominus.* Nempe qui è proprio charactere amor est, Principalis Dominus appellatur. Subditorum etiam reciproca beneuolentia est Legum violandarum antidotus, & præmatura delictorum venia. Magna ex parte vacat sollers Imperantis sollicitudo, quando beneuola subiectorum reuerentia pro obseruatione Legum intercedit: hæc vel dura ingenia domat, mentem subornat, & obsequio mirè adulatur. Sollicitè procuret amari, qui cupit ad nutum obediri. Pulchrè de amoris gymnasio obsequium eruditur.

Seneca lib. de Consol. ad Matt. cap. 4. *Spiritus-Sanctus dicitur, Principalis Dominus.* S.Naz. orat. in S.Pentecosten.

2. Deuteronomij 34. postquam Moyses toto quadraginta annos Hebrææ genti imperasset, iussus ascendere in montem Nebo, supra verticem Phasga, felicissimè moritur. *Fleuerúntque eum filij Israël in campestribus Moab triginta diebus, & completus est dies planctus lugentium Moysen. Iosue verò filius Nun repletus est spiritu sapientiæ. Et obedierunt ei filij Israël, feceruntque sicut præcepit Dominus Moysi.* Magnum hinc oboritur inter Expositores litigium, quando hæc apparitio facta fuerit Iosue, quâ à Deo repletus spiritu sapientiæ ad gubernandum Israëlitarum populum, illius Dux fuerit renunciatus: an ante triginta planctus dies, an post illos, expleto planctu? Abulensis serie narrationis ductus, peritè censet, completo iam triginta dierum planctu, Iosuam accepisse à Deo promissum sibi imperium in hac apparitione, & tunc misisse exploratores, qui videtur primus actus nuper à Deo acceptæ iurisdictionis. Sic contra Lyranum fatur Abulensis ex ipsis Scripturæ verbis: *Sed dictum nostrum confirmari videtur, ex eo quod habetur Deuter. 34. Fleuerunt filij Israël in campestribus Moab Moysen: & finiti sunt dies planctus lugentium Moysen: ergo videtur quòd ante fuerunt finiti, quàm quicquam Iosue ageret.* Eccur defuncto Moyse, qui fuerat Dux Israëlitici populi, totos triginta dies, luctui eius impensos, Hebræa gens Duce caret? An non præstaret, vt Iosue Moysis successor designatus, à morte eius imperium capesseret, ne peruicax populus totos triginta dies foret absque Duce, qui eos coërceret? Quia Moyses abfuit quadraginta dies, vitulum sacrilegè adorarunt; & eodem mortuo, triginta omninò dies absque Duce versari permittuntur: An non præstaret, vt strenuum, etsi nouellum, Ducem Iosuam haberent, quàm vt omninò Principe caruissent? Verum enimverò dum Moysen nuper Ducem, iam vitâ functum, amaro planctu deflent, & tenerè amorem per oculos lachrymis euaporant, meliùs quodammodò per dilectum Moysen, etsi defunctum gubernantur, quàm forsan imperio Iosuæ nondum dilecti regerentur. Indicia amoris erga Moysen, etsi defunctum, sic faciunt ad subiecti populi obsequium, vt toto tempore, quo eiusmodi amoris exhibent documenta, cuiusvis alterius vacaret imperium. Iam mortuus fuerat Moyses, nuper Dux populi, sed toto tempore, quo dilectione à subditis colitur, adhuc defuncti affectatur obsequium. Et fors præstantiùs imperat, dum longo planctu diligitur, quàm præstantissimus quisque, eiusmodi amoris expers. Vel defunctus Superior, dum eximiè diligitur, feliciùs gubernare putatur, quàm peritissimus quisque eiusmodi amoris exors? Ante fuit finitus planctus, *quàm quicquam Iosue ageret:* sed dum amoris indicium durat, peritè adhuc Moyses defunctus gubernat. (Gubernat inquam, Moyses per Leges à se traditas; nam amoris illicio, vel ad nutibus obsequendum, subiectus populus allectatur.) Quid exaggeratiùs?

Deut. 34. v. 8. 9.

Abul. in Ios. qu. 4. *Charus subditis Superior, etiam post mortem imperat.*

Ieremias, lugubris sanè vates, dum primò prophetiæ munus inchoat, iubetur vt Gentibus prædicet: *Prophetam in Gentibus dedi te.* Cùm hæc fuerit suæ prophetiæ inchoatio, nec Deus cum illo eousque se familiarem exhibuisse scribatur, cunctatione obsequium moratur; & dum suam accusat imperitiam, se ab officio prædicationis excusat: *Et dixi, A a a, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Suam obtendens imperitiam, munus prædicandi tenuit, ad quod Deus, necdum satis familiaris, Ieremiam destinat. Consimile munus quispiam Præsul sublimis ab Eusebio Emisseno experit, & ita ipse de se scribit: Miror, ait, quod à me officium exigui ac nudi sermonis exposcit, cuius (Præsulis inquam) perfectio, eruditio: cuius vita, doctrina est. Cuius magnificum in sanctis & apostolicis actibus institutum, speculum est, ad quod imaginem intra templum religiosæ mentis excoliris. Cuius merita etiam dum tacent, clamant, & aurem cordis nostri efficaciter pulsant viuâ voce virtutum. Cuius quidem pastorali ac *pio studio*, vestra quoque obedientia suffragatur. Cùm itaque id iuberet magnus Præsul, qui amoris *pio studio* vices cum subditis reciprocat; munus, sicut Ieremias, non detrectat, sed beneuolentiæ studio deuinctus, his verbis eleganter fatur, dum obsequenter obtemperat: *Quod hic verba facturus, præcipiente Domino meo, pro obtemperandi studio vires meas non interrogo, id rationis & causæ est: Quia quod à summo Antistite imperari mihi video, posse me credo.* Acutè quidem Emissenus. Quasi tacitè dicat: Non miror, quòd Ieremias recens Propheta, nec eousque Deo præcipienti familiaris, cùm primò illi prædicatio videtur iniungi, illam detrectet, suam imperitiam allegans. Ego autem tametsi adsimilem possem excusationem obtendere, ad nutum tamen obsequentissimè pareo: nam *pium studium* ipsius erga subditos, & subditorum erga ipsum Præsulem, sic meo blanditur obsequio, vt meæ renuitatis bene conscius, inscius excusationis efficiar. Inde *præcipiente Domino meo, pro obtemperandi studio vires meas non interrogo: quia quod à summo*

3.

Ierem. 1. v. 6. *Amor subiectorum erga præcipientem, præceptionis difficultates exarmat.*

Eus. Emiss. homil. de vidua, quæ duo æra, &c.

summo Antiſtite imperari mihi video, poſſe me credo. Porrò obſequium, quod rei difficultas auertit, Superioris beneuolentia gratè extorquet: & ſubditorum quiſquis ſe poſſe credit, quod à beneuolo Superiore imperatur. Amor difficultates exarmat. Quod oculis hîc verſ. 4 in Tobia iuniore videre licet.

Hic verſ.

4. Geneſeos 37. primum Ioſepho bellum à fratribus obortum eſt: nam imperans illis inuidia, naturæ perſuaſit in ſemetipſam inſanire. Inuidia cædis parens, honeſti ſtudiis ſemper ſanciatur. At quæ inuidiæ cauſa? Patris amor erga filium filios exciuit, & chariſſima pignora liuor ebrius contra ſemet incendit ſeditione. Scriptura verò modum amoris propè immodicum admirata, affectionis illius cauſam invulgat: *Iſraël autem diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos, eò quòd in ſenectute genuiſſet eum.* Hæc ſpecialis beneuolentiæ cauſa, inidonea videtur, vt ſubtiliter arguit Seleucienſis Baſilius: *Quòd ſi Beniaminus,* inquit, *filiorum Iacobi poſtremus, & ſenectuti vicinus erat; quomodo Ioſephus inſuper filius ſenectutis appellatur?* Hoc argumentum præualidè videtur præfatam Scripturæ rationem arietare. Vnde idem Seleucienſis Antiſtes ſic rem componit, oſtendens ſingularem Ioſephi erga parentem beneuolentiam; & inde obſequium. *At ſenectutis filius eſt Ioſeph,* inquit, *qui ſenectutem accurans, & ætatis patriæ laborem curâ alleuans, ſpe ſenectutis fouendæ naturalem amorem ſibi conciliauit, & obſequio ardentiorem meſſuit dilectionem.* Nempe Ioſeph Gratiarum manibus factus puer, opere etiam (quod in ea ætate inſolens eſt) patrem diligebat; illius ſenectutem accurans & feſſæ ætatis laborem curâ alleuans, propriâ ſollicitudine domeſticas curas excutiens: exinde pater fouendæ ſenectutis ſpem in ſuo Ioſepho præcipuè collocauerat. Igitur Ioſeph *obſequio ardentiorē in parente dilectionē.* & ſuum quoq; erga parentem amorem indicauit. Scilicet Iacobus filium ſenectutis nominat, non qui filiorum poſtremus eſt, & ſenectuti vicinus; ſed qui præ reliquis erga patrem affectus, Senectuti fouendæ deſtinarat. Hic, hic quidem Ioſephus, ſingulari amore erga patrem affectus, beneuolo & exprompto *obſequio* in parentem eximiè prædicatur. Nam ex amore in patrem, filij *obſequium* fouetur: & rurſus *obſequium* patris beneuolentiam confouet, nutrit, & incrementat, reciprocâ affectuum vſurâ. O quàm facilè, & gratanter promptum præbemus obſequium ei, quem diligimus! & quàm gratè de obſequio beneuolè præſtito, amor rurſus excreſcit. Amor enim obſequij blandimentum eſt, & obſequium amoris lenocinium. Ergo Ioſephus patris *ſenectutem accurans, & ætatis patriæ laborem curâ alleuans, obſequio ardentiorem meſſuit charitatem.*

Gen. 37. v. 3.
Baſil. orat. 8.

Cur Ioſephus dicitur ſenectutis filius, quâ appellatione Beniaminus denotari debuit.

5. Addam, & finio, verba Saluiani, qui de Chriſto ſub gemmæ allegoria, ita ſcribit: *Sicut illas natura admirabilis gemmas ferunt, quæ ferro propiùs admota, duriſſimum licet chalybem affectu quaſi ſpirante ſuſpendunt: ita etiam ille, id eſt, ſumma & clariſſima regnorum cæleſtium gemma, hoc ſcilicet voluit: vt dum ſe licet duriſſimis nobis deſcendens de cælo propiùs adiungeret, affectu ſuo nos quaſi amoris ſui manibus admoueret.* Profectò magnes amoris amor eſt, amor autem obſequij lenocinium

Saluian. l. 4. de Gubern. Dei.

§. CCCXXVII.

Si iuſti vicinus peccat, ipſe iuſtus peccare dicitur. Sic mores cum vicino quiuis reciprocat.

VBi boni viri adhortatio de opportunitate fortior, ad virtutem erexit improborum contubernalium languentem animum, aculeos ſubdant exempla, quò & ſermonis, & vitæ eloquentiâ conuictor bonus in non bonos conuictores probitatem inſpiret; vnde ad ardua virtutis proſilire detur. Sermone ſuadet, medicamine ſapientiſſimo; verùm etſi eloquium quieſcat, aut infantiâ ſubductum, aut verecundiâ retentum, tacitæ morum voces ſonant: *nam & elingui Philoſophiâ vita contenta eſt. Sic denique auditur Philoſophus* (id eſt, vir probus) *dum videtur.* De occurſu ſuo viria ſuffundit. Quis non æmulum ſuum cùm videt, patitur? quis oculis in eum poteſt, in quem nec mentibus, nec moribus poteſt? Grande probi ſocij beneficium eſt, ſub cuius recogitatu improbi contubernalium mores, vt minimùm erubeſcunt. Adeò vt vix bonus putetur, qui conuictores non facit bonos, quaſi alieni reatus ſtigmate denotetur; & ideò malus ſit, quia congrex ſocius non bonus eſt. *Hinc cùm irent omnes* Iſraëlitæ *ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat Rex Iſraël, hic ſolus* (Tobias inquam) *fugiebat conſortia omnium*, ne alienæ præuaricationis reus exiſteret, de ſocietatis commercio culpatus. 1.

Bona vita, etiam dum tacet, loquitur.

Tertull. de Pallio cap. 6.

Tob. 1. v. 5.

Eccleſiaſtici 17. agens Ieſus Sirach de Patriarcharum olim dignitate. Addidit, inquit, Deus illis diſciplinam, & legem vitæ hereditauit illos. Teſtamentum æternum conſtituit cum illis, & iuſtitiam, & iudicia ſua oſtendit illis, & dixit illis: *Attendite ab omni iniquo. Et mandauit illis vnicuique de proximo ſuo.* Quid eſt, quòd poſtquam Patriarchas hortatus eſt Deus, vt attendant ab omni iniquo, confeſtim ſubdit, quod vnicuique eorum Deus mandauit de proximo ſuo? Quale eſt hoc Dei mandatum de proximo ſuo iniquo, cui attendere debent? Hugo Carenſis inibi putat, notitiam peccati, quod proximus noſter vtcumque commiſerit, nos etiam lædere: & inde commentatur illam Chriſti ſententiam à Matthæo deſcriptam: *Si peccauerit in te frater tuus, &c. id eſt, te ſciente,* quaſi notitia peccati ſociorum, & contubernalium, Patriarchas, & quoſvis eximiè iuſtos læſerit. Verùm quicquid ſit de Hugonis expoſitione, aliàs emedullandâ; forſan ad hunc Eccleſiaſtici locum adludere videtur Clemens Alexandrin. ita dilucidè ad rem ſcribens: *dicunt Matthiam Apoſtolum inter cætera dixiſſe: Si Electi vicinus peccauit, peccauit Electus: nam ſi ſe ita geſſiſſet, vt iubet ratio, eius vitam ita eſſet reueritus vicinus, vt non peccaſſet.* Scilicet vnicuique *Iuſto mandauit* Deus de proximo, & vicino ſuo iniquo, à via peccati auertendo, & conuertendo ad regiam virtutis viam: nam ſi Iuſtus ita ſe geſſiſſet, vt *iubet* ratio, eius vitam, conuerſationem, adhortamenta, & mores, ita eſſet reueritus vicinus, vt non peccaſſet. Exinde *ſi Electi vicinus peccauit, peccauit Electus*, quaſi iniquitas contubernalium ſit Iuſti reatus. Nempe ratio (id eſt, Deus ipſe) Iuſtum ita ſe gerere iubet cum 2.

Eccl. 17. v. 11. & 12.

Si te ſciente peccat aliquis contra te peccare dicitur.

Hugo ad eũ locum Eccl.

Mat. 18. v. 15.

Clem. Alex. 7. Strom. c. 8.

Quare ſi Electi vicinus peccauit, Electus peccare dicitur.

cum vicinis, & sociis, vt virtutes spiret, vitia eorum sensim excantet, probæ conuersationis, & tempestiuæ adhortationis afflatu. Iustus qui conuictorum vitia sollerter extirpat, suæ iustitiæ sollerter militat, quasi de vicinia obligationem illius conuertendi combibat. Nemo satis bonus est, cuius vicinus malus est. *Si Electi vicinus peccauit, peccauit Electus.* Auerte Deus Iusti delicta, & ab alienis parce seruo tuo! Non sufficit, quòd in se bonus sit, qui in vicino suo non bonus est. Sic imputatur Iusto sociorum, & contubernalium scelus? sub dolosa vicinæ affinitate, malitia virtuti insidiatur: à vicini nequitia, tuta non est propria innocentia? Nunquam eris satis bonus, si tuus sodalis malus est. *Attende ab omni iniquo, mandauit Deus vnicuique de proximo suo.* Vnde *si electi vicinus peccauit, peccauit Electus: nam si ita se gessisset, vt iubet ratio, eius vitam ita esset reueritus vicinus, vt non peccasset.* O! tibi attentiùs caue, ne aliorum squalore sordescas, & alienæ conuictorum malitiæ reus sis: *est enim lubricum, ac periculosum vna adscribi cum peccatis aliorum.*

Idem Clem. sup. cap. 5.

3. Cæterùm non tantùm vnicuique Patriarcharum, & Electorum *mandauit* Deus de proximo, & vicino suo nequam: sed etiam *Angelis suis mandauit de te,* (de Iusto inquam) *vt custodiant te in omnibus viis tuis.* Viderit ergo custos Angelus, etsi spiritualis, & beatus, ne saltem specie tenus, alumni sui mores repræsentet. Actorum 12. in tetro carcere Petrus squalet: & quò beneuolè Herodes blandiatur Iudæis, in Apostolum durè ferocit. Sed ferream, bellicámque carceris regij custodiam, lucis nouæ spiculis Angelus exarmat, & incolumis educitur Petrus, fugitiuâ audaciâ, & Angelico ductu securus. Disparet eductor Angelus, nec itari Regis metus euanescit. Tunc Petrus idoneum latibulum quæritans, venit in domum Mariæ matris Ioannis, vbi erant multi congregati, & orantes. Pulsante autem eo ostium ianuæ, processit puella ad audiendum: & cognouit vocem Petri, præ gaudio autem non aperuit illi ianuam, sed intro currens nunciauit stare Petrum ante ianuam. *At illi dixerunt ad eam: Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere. Illi autem dicebant: Angelus eius est.* Sic custos hominis Angelus apparet similis ei, quem à vitiis custodit, & ad bonitatem instituit? Vnde ex communi Interpretum sententia hîc notat Lyranus, quòd Angelus hominum custos, solet *apparere in specie illorum,* quos ipse custodit, & in virtute promouet. Neque tantùm (vt notauit Ticonius) in assumpto corpore exteriorem hominis formam, habitum, speciem, vocem, &c. præfert, sed *videtur Angelus hominis esse homo interior,* quasi Angelus hominum custos, & tutor, alumni sui internos etiam animi mores, foris repræsentet. Sic sanctus, immortalis, & beatus Angelus, pupilli, & conuictoris sui mores præfert? Talis apparet Angelus, qualis homo, cui familiariter conuiuit? *Illi autem dicebant: Angelus eius est.* Vsque adeò Petri Angelus, Petro similis apparebat. *Sè ven tan parecidos Pedro y su Angel, que se equiuocan qual es de los dos.* Gratulor familiari Angelo Petri, quòd pulchritudinem morum Petri repræsentet, & illius sanctitates præferat, quasi sedulæ custodiæ stipendium. At improbi hominis Angelus familiaris, & custos, cùm hominem suum exteriorem, & interiorem in forma assumpta humanis oculis exhibeat; iam Angelus anxiè mœrere videtur, iam funestè

Psal. 90. v. 11.

Angelus custos sui alumni mores repræsentat.

Act. 12. v. 15.

Lyra inibi.

Ticonius apud Gloss. ibid.

R. Didac. de Celada in Tobiam.

opplorare, aliquando sordido habitu squalere, & vitij aut virtutis alienæ consequentias referre, ac si verum quodammodò (apparenter inquam) in illo etiam foret: *Si Electi vicinus peccauit, peccauit Electus.* Non quòd beatus Angelus hominis custos, peccare iam possit: sed quia de vicinia, & familiaritate cum peccatore alumno, eius delicta specie tenus repræsentare videatur ad humanam contubernalium eruditionem. Vide quàm sedulam curam Raphaël Angelus suo Tobiæ impendat, vt arceat ab eo mala, & bona cuncta promoueat, quasi sua intersit, quæ alumno suo exhibet munia. Et quàm sollerter Raguël omnia prouideat, ne vel cubiculum, Diaboli contagione infestatum sit, & nouis habitatoribus adsimilem afflet pestilitatem. Et ipse Tobias hîc Angelo velut imputet, si parenti cunctatiùs parcat, quò illum vrget, vt ad Raguëlem pergat.

Tobiæ 7. v. 18. &c.

Hic vers. 4.

4. Lucæ 19. ingressus Iesus perambulabat Iericho. Et ecce vir nomine Zachæus: & hic Princeps erat Publicanorum, & ipse diues. Qui dum cupiebat videre Iesum, vltrò hospitem vltra vota suscepit. *Et cùm viderent omnes, murmurabant, dicentes, quòd ad hominem peccatorem diuertisset.* Sed nota, quàm festinet gratia reformare Zachæum. Audi mirabile. Nondum didicit de gymnasio dominicæ doctrinæ, & velut christianâ eruditione diu imbutus, inopinatâ in Publicano pietate, stans Zachæus, dixit ad Dominum: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Num Christi gratia sic velociter Zachæum præoccupat, ne cùm Iusti hospes peccat, ipse Iustus peccare puretur? Derepentè iustificatur Publicanus præcoquâ largitate, ne Christus eius deuenustetur contubernio. Percommodè Chrysostomus hac super re ita ad præfata verba philosophatur: *Sed considera nimiam Saluatoris bonitatem: Insons cum sontibus conuersatur, fons iustitiæ cum auaritia, quæ est materia prauitatis: ingressus domum Publicani nullam ex auaritia nebula iniuriam patitur, sed fulgore iustitiæ auaritiam delet.* Saluatoris bonitas *nimia* nunc dicitur à Chrysostomo, quia iustus cum peccatoribus, insons cum sontibus, Iesus cum publicanis sic conuersatur, vt Christus *iustitiæ fulgor, nullam ex auaritiæ nebula iniuriam passus sit.* Nam *si Electi vicinus peccat, peccat Electus*, aut peccare putatur. A qua contubernij opinata iniuria nec Christus Deus tutus fuit. Nam *cùm viderent omnes, murmurabant, quòd ad hominem peccatorem diuertisset.*

Nimia dicitur Christi bonitas, quia Publicani contubernio non dehonestatur

Luc. 19. v. 8.

Chrysost. apud Caten. ibid.

§. CCCXXVIII.

Superioris voluntas, obsequentis absorbeat voluntatem, quò gratiarum immensitas in obsequentibus perennet.

1. CHristus Deus anxiæ hominum erga mundialia sollicitudini, cessationem indicere studens, vt humana mens à terrenis feriata, cælestibus vacet; ita apud Matthæum sermocinatur: Et de vestimento quid solliciti estis? *Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis.* Reuerà enim, quod sericum, quæ Regum purpura, quæ pictura textricum potest floribus comparari.

Matt. 6. v. 28. & 29.

Vbi est Superioris iussio, illic & ministrantium offensa est.

Quid ita rutilat vt rosa? quid ita candet vt lilium? Violæ verò purpuram nullo superari murice, oculorum magis quàm sermonis indicium est. Quantùm enim veritatis ad mendacium, tantùm vestimentorum ad flores differentiæ versatur. Cæterùm incertus Chrysostomus præfata verba ad litteram elucidans, moralem sensum luculen-

Imperf. hom. 16 in Matth.

Flos dignitatis iussione marcescit.

ter insinuat, sic aiens: *Considerate lilia agri, &c. Hoc dicit, quia Salomon etsi non laborabat quid vestiretur, tamen iubebat, Vbi autem iussio, illic & ministrantium offensa, & iubentis ira frequenter inuenitur: hîc autem quando nesciunt, sic ornantur.* Nempe etsi Salomon speciosus fuerit forma præ filiis hominum, & regiis vestibus eximiè ornatus, sumptuosiùs effulserit; adeò vt florum nitorem potuerit de venustatis gratia æmulari: tamen flores illum ornamentorum decore vincunt, quia dum nesciunt, ornantur: at *Salomon etsi non laborabat quid vestiretur, tamen iubebat. Vbi autem iussio, illic & ministrantium offensa.* Qui iubet, florere vix potest; nam subiectorum sæpè cunctationibus, renutu, offensis, sic crebrò deuenustatur, vt auctoritatis gratia deflorescat, & marcescat imperantis nitor. Eheu! vbi iussio, illic adest ministrorum *offensa:* sequela imperij, est offensa imperantis: Sic humana iussio, de tacito iussionis fastu, subiectorum renitum subornat, iubentis dedecore. Hanc noxam humani arbitrij, subiectionis frenos obstinatè mordentis, ne rectioni obsequatur, excutere contendit Scriptura, aspectabili Tobiæ iunioris exemplo, quo proponitur perfectioris obedientiæ idea. Patri enim toto capite 4. præcipienti, plura, ipsáque perardua, & toto vitæ curriculo obseruanda, sic respondet: *Omnia quæcunque præcepisti mihi, faciam pater.* Hoc ergo perpetuum Tobiæ obsequium, de consensione prælustre, gratiarum dominis propè immensum, ad exemplum elucidamus. Pulchrè

Chrysolog. serm. 65. Hic vers. 2.

Chrysologus: *Charitas adsensus est, non est austeritas iussionis: ibi amore geruntur omnia, vbi non indigetur obsequio.* Quæ verba alibi forsan emedullanda, nunc perstrinxisse sufficiat. Vide hîc quàm exprompté Angelus pareat.

2. Matthæi 6. dum legitimæ orationis formula

Matt. 6. v. 10.

datur, sic precari iubemur: *Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* Quid est, in terris Dei fieri voluntatem humano

August. apud Caten. ibi.

obsequio, sicut fit in cælis Angelico? S. Augustinus ita præfata verba exponit: *Fiat voluntas tua, rectè intelligitur: Obediatur præceptis tuis, sicut in cælo & in terra, id est, sicut ab Angelis, ita ab hominibus, non quod ipsi faciant vt velit Deus, sed quia faciunt quod ille vult, id est, faciunt secundum voluntatem eius.* Non præscripto obedit ritu subditus, cui annuit Superior, quem ad cupita imperanda sollicitus pertrahit: tunc enim potiùs superior subdito, quàm subditus superiori paret. Chryso-

Malè obedit, qui Superiorē pertrahit, vt quod ipse cupit ille imperet.

Chrysostom. homil. 20. in Matth.

stomus autem aliter hunc locum inibi commentatur: *Vide autem,* inquit, *consequentiam optimam: quia enim concupiscere docuit cælestia per hoc quod dictum est Adueniat regnum tuum; antequam ad cælum perueniatur, ipsam terram iussit fieri cælum, per hoc quod dicit: Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra.* Terra ne fit cælum, cùm sicut in cælis, Deo

Obedientia terram conuertit in cælum.

3. paremus in terra? Res & nomen cæli obsequio constat: Grande planè elogium obedientiæ, quæ terram conuertit in cælum! Verùm S. Bernardus sublimiùs prædicta verba elucidat, sic profundo stilo fatus: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra. Voluntas Domini quæ prius Angelo creauit faciens eosdem, postmodum in eis facta beauit. Sicut enim Verbum quod erat in principio, carnem suscipiens, dicitur (& verè dicitur) factum caro; sic voluntas illa æterna in Angelo facta est, cùm angelicam omninò in se absorbuit voluntatem.* Augustior hæc

S. Bernard. in Quadrages. serm. 6.

Dei voluntas in Angelo facta est, cùm Angelicam in se absorbuit voluntatem.

comparatio mitiùs intelligenda est, & sic etiam bellissimè rem exaggerat. Verbum enim diuinum caro factum est hypostatico nexu, qui humanam naturam diuinæ personæ copulat & counit: non sic diuina voluntas præcipiens, in obsequentium Angelorum voluntate inuenitur vnita. Verùm multâ cum epithasi Bernardus dixit: *Sicut Verbum quod erat in principio, carnem suscipiens, dicitur factum caro; sic voluntas illa æterna* dum mandata dat Angelo) *in Angelo facta est, cùm Angelicam omninò in se absorbuit voluntatem.* O perfectam obediendi ideam; imò obedientiæ metam! siquidem voluntas illa æterna Dei præcipientis, tam perfectè in obsequente Angelo facta est, vt in se Angelicam voluntatem *absorbuerit.* quasi diuina voluntas sic in Angelo facta sit, ac si Angelus propriâ voluntate propè euacuatus, non tam suâ, quàm diuinâ voluntate ad spontiuum obsequium ageretur, & pro sua voluntate, diuinâ ad obsequium vteretur. Suâ verè voluntate Angelus diuinæ obedit, (neque enim aliter intellectualis naturæ spontaneum constaret obsequium) sic autem diuinâ voluntate agitur, ac si propriâ ageretur. *Sic voluntas illa æterna* Dei *in Angelo facta est, cùm Angelicam omninò in se absorbuit voluntatem.* Exinde, ait Bernardus, ex legitimæ orationis formula, orare iubemur: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra.* hoc est: Sicut diuina voluntas sic perfectè fit in Angelo, vt Angelicam quodammodo voluntatem absorbeat; sic etiam absorbeat & humanam, quò pleniùs Dei voluntas in hominibus fiat. Rem planè eleganter elucidauit Bernardus.

Angelicus Doctor, quâ solet ingenij subtilitate & eruditione, disquirit, *Vtrùm sit aliqua lex æterna.* Quod affirmat S. Augustinus, aiens: *Lex quæ summa ratio nominatur, non potest cuipiam intelligenti non incommutabilis æternáque videri.* Et idem Augustinus alibi his verbis legem æternam definit: *Est ratio vel voluntas Dei, quæ ordinem naturalem conseruari iubet, perturbari vetat.* Verùm S. Thomas sic addubitat: *Videtur quòd non sit aliqua lex æterna. Omnis enim lex aliquibus imponitur; sed non fuit ab æterno, cui aliqua lex posset imponi, solus enim Deus fuit ab æterno: ergo nulla lex est æterna.* Non agam seriò de hac re, quam olim in materia de legibus copiosè tradebamus cum Scholasticis Doctoribus 1.2.q.91. artic. 1. apud quos grande litigium est, quo pacto *ratio vel voluntas Dei* potuerit esse lex æterna, cùm ab æterno nulla fuerit creatura eiusmodi legi subiecta. Porrò res legis, & legis nomen, prorsus vacant, nisi adspectu ad subiectos: quando autem nulli subiecti sunt, *ratio vel voluntas* imperantis, legis dediscit elogium, & in quoduis aliud nomen dimittitur. Dimittam & ego nunc Scholasticis, quomodo potuerit esse *lex æterna*, æternitate (quam vocant) à parte ante; vt notem acutissimos quosdam recentiores, ex *lege æternâ* futuram animæ rationalis æternitatem subtiliter comprobasse. quasi spontaneo hominis obsequio immortalis animæ æternitas debeatur. Profundè quidem Æneas Gazæus, locuples Auctor, hac super re ita scribit: *Vera libertas & imperium illi est, qui verè bonus est, & obtemperare vult. Oportet igitur eos qui rationales sunt, spontaneè huic imperio quantâ possunt reuerentiâ*

4. S. Thomas 1.2.q.71 a.1. August. de liber. arbitr. cap. 6. Idem lib. 22. contra Faust. cap. 17.

Libertas vltrò obsequentis, est maximum æternitatis documentum.

rentiâ parere, si suo iure, & suâ libertate vti volunt: (obserua quæ subscribit verba) *à Creatore enim acceperunt libertatem tanquam maximum æternitatis documentum.* Nempe libertas ad parendum, de obsequij gratia æternitati adulatur: & quia datur lex æterna, quæ liberè obedituro præcipiat, detur etiam liberum obsequentis arbitrium, *tanquam maximum æternitatis documentum.* quò æternitas libertate spontaneâ obsequentis, *legem æternam* vindicet: & dum obedientia æternitatem probat, simul asserit *legem æternam.*

5. 1. Cor. 15. v. 28. *In obedientia est gratiarum immensitas.* Gentium Doctor in priori epistola, quam ad Corinthios scripsit, ita de obedientia fatur: *Cùm autem subiecta fuerint illi* (Christo inquam) *omnia: tunc & ipse Filius subiectus erit ei,* (Deo) *qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus.* Nempe Deus est omnia omnibus, qui sibi parent, quasi obedientia sit compendium omnium bonorum; quæ obediens in Deo reperit, dum illi per obsequium subiicitur. S. Bernard. in serm. de multiplici vtilitate verbi Dei audiendi, peregregiè hunc Pauli locum his verbis commentatur: (Bern. in ser. de mult. vtil. &c.) *Primum quidem sonans in auribus animæ vox diuina, si benè aduertis, viuificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat. Denique cibus noster est, & gladius, & medicina, & confirmatio, & requies, resurrectio quoque, & consummatio nostra. Nec mireris quod verbum Dei iam nunc inueniatur omnia in omnibus esse, quantum spectat ad iustificationem, siquidem futurum est omnia in omnibus ad glorificationem.* Scilicet nuper ostendimus esse *legem æternam,* & inde liberum obedientis obsequium esse *æternitatis documentum*: nunc quod attinet ad beneficentiam, benè ostendit Bernardus, eius erga obsequentes immensitatem, dum est *omnia in omnibus quantum spectat ad iustificationem, & glorificationem,* & horum bonorum præuias, & appendices gratias. (*Hominis finis putatur arbitrij indifferentia.*) Ecce tibi immensum gratiarum compendium in vna obedientia abbreuiatum, quasi obedientia foret summa hominis felicitas. Quò forsan adludere videtur Clemens Alexandrinus, qui disquirens in quonam sita sit hominis felicitas aut beatitudo, ita scribit: (Clem. Alex. 2. Stromat. c. 11.) *Quid tibi Aristonem recenseam? Is finem hominis dicebat esse, indifferentiam.* Hinc illa obsequenter animosa Dauidis vox: (Psalm. 118. v. 60.) *Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua.* Ac si *indifferentia* voluntatis *parata* ad Dei obsequium, sit nunc summa felicitas, & æternæ beatitudinis pignus, aut prognosticon.

6. Exodi 8. dixit Dominus ad Moysen: Dic ad Aaron: Extende manum tuam super fluuios ac super riuos & paludes, & educ ranas super terram Ægypti. (Exod. 8. v. 6.) *Et extendit Aaron manum super aquas Ægypti, & ascenderunt ranæ, operueruntque terram Ægypti.* (*Elementa velut coactè hominum punitioni deseruiunt.*) Vide quàm ad Aaronis nutum elementa obtemperent, & ranæ obediant: & audi Gregorium Nyssenum hac super re sic philosophantem: (Nyssen. apud Caten.) *Ranarum irrepens multitudo, quarum generatio non naturali cursu elementorum, sed coactis (vt ita dicam elementis) iubente Moyse facta est.* Scilicet elementa, quæ spontaneo obsequio hominum seruitio deputantur, & sese impendunt, dum rigoribus iustitiæ diuinitùs famulari iubentur, quodammodo *coactis elementis* id facere perhibentur. O nobilem insensilis naturæ indolem! Vltrò humanæ vtilitati seruit elementum, quodammodo verò *coactè* seueræ punitioni, non spontaneo & hilari obsequio. Quasi arcanâ naturæ beneuolentia in se præsentiat exequendum dum rigorem, quem hominibus infert. Non obstinatè reluctatur, sed neque inhumanè crudeli festiuitate deliciatur reorum calamitate. *Es genero de crueldad executar muy de gana aun el mas iusto rigor.* Ministerio velut coacto de abstrusa ipsius naturæ pietate, compatiuntur elementa reorum ærumnis; non vltroneo seruitio gratulantur miseriæ. O bonam parendi ideam in elementis expressam! Præcipientis in se absorbent voluntatem ad obsequij promptitudinem in omnibus: sed dum molestiam infligere iubentur, velut *coactè* operantur, quod ad nutum exequuntur.

---

§. CCCXXIX.

Multimoda Fæneratorum vituperatio densè adaggeratur.

SAnctus Ambrosius elucidans hanc ingenuè piam Tobiæ beneficentiam, quâ egenti Gabelo decem nihilominus talenta argenti, sub chirographo mutua dedit, acerrimè contra fæneratores inuehitur, ita eleganter fatus: 1. (Ambr. lib. de Tobia c. 5.) *Non nouit* (inquit) *pecunia Fæneratoris vno diutiùs loco stare, solita transire per plurimos, vno teneri sacculo: versari ac numerari expetit, vsum requirit, vt acquirat vsuram. Fluctus est quidam maris, non fructus.* (*Vsurarum furacitas cum suo mare pulchrè comparatur.*) *Pecunia nunquam quiescit. Labitur: velut scopulo illisa, ita gremium debitoris percutit, & continuò relabitur eò vnde processit. Cum murmure venit, cum gemitu reuertitur. Frequenter tamen placidum stat ventis mare, semper fæneratoris vnda iactatur. Mergit naufragos, expuit nudos, vestitos exuit, insepultos relinquit. Nummum ergo petis, & naufragium suscipis.* Pergit Ambrosius, & beneficam Tobiæ hac in re pietatem mirificè commendat, (Idem cap. 2.) *At Tobias,* inquit, *plus honestati quàm pietati consulens, cui sua deerant, alimoniam commodauerat proximo suo* (Gabelo inquam) *quam toto vitæ suæ tempore in tanta indigentia non poposcit. Vix vbi se fessum vidit, & depositum senectute, insinuauit filio, non tam cupiens commodatum reposcere, quàm sollicitus ne fraudaret heredem.* (Tob. 4. v. 21. & 22.) Pulchrè quidem Doctorum disertissimus.

Ecclesiastici 19. his verbis Iesus Sirac diuites ad beneficentiam erga pauperes adhortatur: 2. (Eccli. 29. v. 2.) *Fænerare proximo tuo in tempore necessitatis illius, & iterum redde proximo in tempore suo.* Hugo Carensis ita præfata verba exponit: (Hugo. inibi.) *Fænerare, id est, gratis commoda: Proximo tuo, id est, omni homini: In tempore necessitatis illius, hoc est, ad necessitatem eius releuandam. Et iterum redde proximo in tempore suo, id est, secundò & tertiò redde pauperi.* Valde fallor, nisi ipsâ expositione locus obscuratur; & de commentario plus difficultatis mutuatur. Porrò qui *gratis commodat* cuilibet indifferenter homini, etiam ignoto, & in arctæ indigentiæ angustiis posito; iudoneè dicitur *fænerari*: (*Gratis commodare egenti lucrosum pietatis fænus est.*) non enim accipit vltra sortem, quæ fænoris lex est: imò periculo perdendi sortem videtur exponi; cùm pertinaci obuij proximi necessitati, non semel duntaxat; sed secundò, & tertiò velut pertinaciter tribuit, seu *gratis commodat* subsidium. Ambrosius profundè hac super re philosophatur, præfatum locum exponens: (Ambr. sup. cap. 2.) *Da,* inquit, *pecuniam si habes, prosit alij, quæ tibi otiosa est. Da quasi non recepturus, vt lucro, cedat*

cedat si reddita fuerit. Qui non reddit pecuniam, reddet gratiam: si fraudaris pecuniâ, acquires iustitiam. Iustus est enim qui miseretur & commodat. Si amittitur pecunia, comparatur misericordia. *Scriptum est enim: Qui facit misericordiam, fœnerat proximo.* Quid illustrius? Si futura erat in scriniis tuis otiosè congesta pecunia, fœnoris instar repura, quòd labore ipsius, laborem tui proximi redimas. Si verò pecuniam *gratis commodas* indigenti quasi non recepturus; *lucro cedet si reddita fuerit.* Saltem extremè indigus, *qui non reddit pecuniam, reddet gratiam*, quæ sordido & vsurario lucello præstat. Et quidem, si gratis commodando, *fraudaris pecuniâ, acquires iustitiam: iustus est enim qui miseretur & commodat.* Profectò Tobias gratis pecunias Gabelo commodans, & pecuniam non perdidit, & debitoris gratiam, & pietatis iustitiam inuenit.

Psal. 36. v. 21. Eccl. 29. v. 1.

3. Mirum quidem, mirum nimis est, quòd Tobias captiuitate depauperatus, sorte paternâ pulsus, patriæ exul; tantam argenti copiam hîc feliciter nactus; velut alendæ familiæ immemor, eam gratis Gabelo commodauerit sub incertæ solutionis ambiguo. *Cùm autem* Tobias *venisset in Rages ciuitatem Medorum, & ex his, quibus honoratus fuerat à Rege, habuisset decem Talenta argenti: & cum in multa turba generis sui, Gabelum egentem videret, qui erat ex tribu eius, sub chirographo dedit illi memoratum pondus argenti.* & idem argenti pondus sine vllo fœnore hîc recepit. Et vbi est cura ingenuæ familiæ, & filij vnici? Charum pignus depauperabitur, vt egenus ditetur? O bonam parentibus eruditionem! Viuidè Saluianus: *Ad ampliandas latissimè opes, compelli se pignorum curâ, & quasi violento filiorum amore, causantur. Quasi verò quicumque patres sunt, nisi diuites fuerint, Patres omninò esse non possint, & amare filios suos sine opum multiplicatione non valeant. Aut verò virtus, & medulla affectuum, auaritia, & cupiditates sint.* Tobias verò scrupulosè periculosos omittit quæstus, vt virtutum pariter ac opum compendium faciat: ex lucrosa negotiatione, & negotiationum lucris, dispendium præcauens: Verissimè (tametsi aliorsum) idem inibi Saluianus ita scribit: *Ac sic nescio quomodo pugnante contra temetipsum tuâ felicitate, quantùm tibi auctum est populorum,* (opum inquam) *tantùm disciplinæ recessit: & prosperitas venit quæstuum, cum magno fœnore detrimentorum...... Lucro pecuniæ damna vitæ ementes: vt acquirant quæ non sunt sua, prodigunt quæ sunt sua, mandantes terræ thesauros luctuosos, heredibus breue gaudium, auctoribus longum mœrorem allaturos.* Bonus Tobias hæc egena & pœnitenda lucra, velut virtutum & opum scopulos declinans, gratis mutuatis pecuniis, pecuniarum exinceps abundantiam piè mercatur. Adeò vt dicere possis de Tobia, quod de suo Epiphanio dixit Emisenus: *Vnde emit, ipsum est quod emit.* De quo aliàs.

Tob. 1. v. 16. & 17.

Hic vers. 6. *Quæstuum detrimenta abstinet Tobias.*

Saluian. ad Eccles. lib. 1.

Ne pater filios opibus diligat.

Idem inibi.

Emiss. hom. de Epiphan.

4. Regius psaltes psalm. 70. ita pangit: *Quoniam non cognoui litteraturam, introibo in potentias Domini: Domine memorabor iustitiæ tuæ solius.* Pro τὸ *litteraturam*, nonnulli ex Hebræo vertunt, *Numeros.* At septuaginta Interpretes, Psalterium Romanum & Gallicanum, Hieronymus, Augustinus, Arnobius, & Cassiodorus transferunt: *Quoniam non cognoui negotiationes, introibo*, &c. Quæ est hæc *negotiatio*, quâ si abstineat, intrare se sperat in potentias Domini: quasi desperarit, si eidem vacauerit? Incertus Chrysostomus ita opportunè hunc locum exponit: *Quoniam, non cognoui negotiationes, introibo in potentias Domini...... Super omnes peccatores maledictus est vsurarius; si enim qui rem comparatam vendit* (plutis æquo) *mercator est, & maledictus: quantò magis maledictus erit, qui non comparatam pecuniam, sed à Deo donatam sibi, dat ad vsuram?* Vnde putauerim, quòd quæstuosa negotiatio, est delictorum compendium: quod his verbis Laurentius Nouariensis appositè disserit: *Qui enim, inquit, est aut distractor, aut emptor, qui lucri gratiâ habet de cupiditate tractatus, nonne plerumque pererat, sæpè mentitur? Sine hoc vitio negotiator aut rarus, aut nullus est. Et quid dico negotiatorem, impostorem vsum commercii?* Ergo his negotiatoribus, seu impostoribus, seu toleratis prædonibus clausa est cæli ianua, nisi de alio cogitent itinerario. Quoniam non cognoui negotiationes, introibo in potentias Domini.

Psal. 70. v. 15. & 16. Apud Lorin. ibi.

Lucrosa negotiatio persæpè compendium delictorum est.

Imperf. hom. 38. in Mat.

Laur. Nouar. homil. de Pœnit.

Adhuc Psalmographus ode 71. vsuras vituperat, dum iustis ac pauperculis hanc felicitatem prædicit: *Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum: & honorabile nomen eorum coram illo.* Sanctus Augustinus præfata verba inibi exponens, ita sapienter fatur: *Quæ sunt ista vsuræ, nisi peccata, quæ etiam delicta nominantur? vsuras autem appellatas puto peccata, quia plus mali inuenitur in suppliciis, quàm commissum est in peccatis. Nam verbi gratiâ, cùm homicida corpus tantùm hominis perimat, animæ autem nihil nocere possit; ipsius & anima, & corpus perditur in gehenna.* Sententiosè *vsurarum* nomine peccata vniuersatim describuntur; est enim vsura velut peccatorum compendium, quod numero proximè præcedenti notabamus. Verùm quàm sit infeliciter calamitosum, esse vsurario obnoxium, bellissimè disserit Sanctus Ambrosius, ita fatus de Fœneratore antequam det pecuniam, paciscente de vsuris à se accipiendis: *Itaque antequam det, recipere festinat: & qui insumma subuenire se dicit, vsuras exigit. Kalendis, inquit, vsuras dabis, fœnus interim, si non habueris vnde restituas, non requiro. Ita vsemel det, frequenter exigit, & semper sibi debere efficit. Hac arte tractat virum. Itaque eum prius chirographis ligat, & adstringit vocis suæ nexibus. Numeratur pecunia, addicitur libertas, absoluitur miser minori debito, maiore ligatur. Talia sunt vestra Diuites beneficia. Minus datis, & plus exigitis. Talis humanitas, vt spolietis etiam dum subuenitis. Fœcundus vobis etiam pauper est ad quæstum. Vsurarius est egenus, cogentibus vobis habet quod reddat, quod impendat non habet. Misericordes planè viri, quem alij absoluitis, vobis addicitis. Vsuras soluit, qui victu indiget. An quicquam grauiùs?* Ergo loco grandioris beneficij ponendum est, quòd Deus iustos suos hac calamitate beneuolentiùs eximat: *Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum: & honorabile nomen eorum coram illo.* Pergit idem Sanctus Ambrosius capite sequenti, non absimili dictionis venustate, & ingenij acumine? Vos ô Fœneratores, *accipitis aurum argentúmque pro pignore, & adhuc illum debitorem dicitis, qui plus reddidit, quàm accepit: Vos creditores asseritis, qui amplius debetis. Vos inquam dicitis creditores, qui non homini, sed pignori credidistis. Benè fœnus* appellatur

5.

Psal. 71. v. 14. August. ibid.

Peccatum sententiosè appellatur Vsura, & quare.

Ambr. lib. de Tobia 3.

Conglobata vsurarum vituperatio.

Ambr. sup. cap. 4.

appellatur quod datis: ita vile ac fœnum est. Sortem dicitis quod debetur. Etenim velut vrnâ ferali misera sors voluitur, perituri debitoris luenda supplicio. Stant pallentes rei ad sortis euentum. Non sic trepidant de quorum damnatione sors ducitur: non sic deiecti ac suspensi pauitant, de quorum captiuitate expectatur sortis euentus. Illic enim vnius captiuitas, hîc plurimorum addicitur. Et fortassè ideò sors, quia in euentu sunt patrimonia, quæ sub hac arte voluuntur. Magnum, & mirabile planè beneficium hoc specialiter ore prophetico prædicatur quod in Patres contulit: Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum. Plusculum præter morem excripsimus, quid intermitterem nescius.

6. Dauid in Psalmo 14. perspicuè designans, quinam admittendi, qui verò arcendi sint, à domo, & hæreditate Dei, ita occinit: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Et post pauca ita subdit: *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram...... Qui facit hæc, non mouebitur in æternum.* S. Gregorius Thaum. in quadam epistola, quam sexta Synodus suspicit, de eo, qui de aliorum dispendio, lucri compendium facit, *à Dei Ecclesia abdicatum*, esse pronunciat. Quæ Gregorij verba ita Theodorus Antiochenus exponit: *Sanctus dicit, quod quisquis est auarus, est ab Ecclesia abdicatus, id est, eiectus, & alienus. Dicuntur enim abdicati filij, quando propter aliqua crimina ab hæreditate paterna alienantur.* O egenas fœneratorum diuitias! ob pecuniarum lucellum, leue, incertum, volatile, caducum, paternæ Dei hæreditati renunciat, à qua ob reatum auaritiæ abalienatur: Æternùm perdis cælum, vt terræ tantillum lucreris: O infelix commercium! De Tobiæ schola ediscenda est lucrosior negotiatio. Misertimum quidem est, vt homo se perdat, vt pecuniam acquirat. Matthæi 9. *Et cùm transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine. Et ait illi: sequere me.* Ad quæ verba ita scribit Chrysologus: *Sequere me. Hoc est, depone pondera, rumpe vincula, solue laqueos. Me sequere. Quare te, perde vsuram, vt tu valeas inuenire.* O quàm paucis multa Chrysologus strinxit! Et Sanctus Gregorius Nyssenus ad Lucæ verba. *Et mutuum date nihil inde sperantes.* ita scribit: *Ne quærat homo ab inope diuitiarum augmenta æris, & auri metallorum sterilium.* Addit eleganter Basilius: *Talis autem auaritia species Græcè τόκος, id est, partus, Latinè fœnus, quasi fœtus propter mali fœcunditatem, vt arbitror, appellatum. Aut fortè partus dicitur propter partus dolores, quos animis eorum, qui mutuò ad vsuram acceperunt, inducere solet.* Ecce tibi vsurarum elogia.

Psalm. 14. v. 5. *Fænerator à paterna Dei hæreditate alienatur.*

Greg. Taum. Theod. Antioch. in Scholiis.

Perde vsurã, vt te valeas inuenire.

Matt. 9. v. 9. Chrysol. ser. 18.

Nyssen. Basil. apud Caten.

* * *

§. CCCXXX.

Infinitum ne est quid gratiæ accipiat, si ante diem creditorem suum debitor solutione præueniat?

SI homo diuinis obnoxius beneficiis, debito suo satisfaceret, & studio deuotionis implendæ fidem placitis exhiberet, neminem vnquam repetitio debiti ingrata confunderet; nec esset cuiquam imputandi locus, si mox debiti muneris votum sequeretur effectus. Sed inde est quòd interdum amicitiarum fides læsa suspirat; quia necesse est aliquoties homini aut redhibitionis increpare moram, aut debitoris exprobrare perfidiam. Inimicitias enim dixisse, est debita denegasse: quia ad litem pertinet, siquid aut hic inuitus reddit, aut ille per moras exacerbatus exigit. In omni itaque, siue quod amicitia Deo obtulerit, siue quod voluntas adscripserit, siue quod aliunde debiti ratio exegerit, nullatenus est lentanda redhibitio. *Nam omnis oblati muneris gratia perit, vbi causa repetitionis incumbit.* Ita nihil votis suis præstitit, cui necesse est inuito reddere quod promisit. Qui ante diem soluit, & debitum, & debiti gratiam exoluit redhibitione præproperâ. 1.

Oblati muneris gratia perit, vbi causa repetitionis incumbit.

Valerian. homil. 4.

Matthæi 21. Homo erat pater familias, qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est. Non loci mutatione, nec enim Deus alicubi abesse potest, quo complentur omnia; sed abire videtur à vinea, vt vinitorum fidem de solutionis experimento probet. *Cùm autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius.* Seruos mittit, non qui vt exactores debitum exigant, sed qui oblatos spontè fructus accipiant: An præsumit sic fore præproperè diligentes in reddendis vineæ fructibus, vt non tam vi exigere opus sit, quàm vltrò eos accipere sufficiat? Verùm ad hæc expendere iuuat, cui misit seruos suos ad agricolas, vt locatæ vineæ fructus acciperent, *cùm tempus fructuum appropinquasset?* Profectò cùm appropinquat fructuum tempus, tempus fructuum nondum aduenit: ante tempus ergo postulat fructus, qui cùm fructuum tempus appropinquat, illos exigit. A rusticanis à verè agricolis sic præmaturè fructus expetuntur: Et sanè tametsi in re nummaria ante tempus exigatur pecunia, aliunde conqueri, & reddi potest; at antequam vuæ maturescant, vindemia fiat, sudent torcularia, mustum in doliis ferueat, & deferueat in metum; quo pacto locatæ vineæ debitum, quod fructibus constat, reddi potest? Deusne is est, qui vel ante tempus præmaturâ exactione, adhuc acerbos vineæ fructus exposcat? Studet ne Deus auaritiæ sic petendo, an liberalitati sollicitiùs studet? Valerianus Episcopus Cemeliensis, ac si hæc Matthæi verba commentaretur, *Cùm tempus fructuum appropinquasset,* &c. ita eleganter scribit: *Infinitum est, dilectissimi, quid beneficia gratiæ capiant, si ante diem creditorem suum debitor solutione præueniat. Quicumque autem commodatam pecuniam vltrò reddiderit, sibi reponit.* Nempè ideò non mittit exactores, qui fructus vi à vinitoribus extorqueant, sed qui eos *accipiant*; ne tam soluere, quàm donare videantur; 2.

Matth. 21 v. 34.

Debitor qui ante diem debitum soluit, illud non tam creditori, quàm sibi reponit.

Valerian. serm. 4.

videantur: neque iam dudum transactum solutionis tempus expectat; sed *cum fructuum tempus appropinquasset*: nam *si ante diem creditorem suum debitor solutione praeueniat, infinitum est, quid beneficia gratia accipiant*. Profectò quicumque debitum præproperè reddit, creditorem munerans munus ad se redit; & quod alteri ita soluit, *sibi reponit*. Vnde *infinitum* est quantum gratiæ eiusmodi solutio præcipiat. Qui quod serò debebit, antequam debeat, soluit, creditorem suum solutione præueniens; de obæratato debitore, liberalis præbitor efficitur, & largiorem munificentiam æmulatur: indéque sibi debitum ad gratiam amplificat, vnde vix credi poterat exolutum. Qui celeri satisfactione solutionem venit, quod præproperè reddit, sibi reponit; & *infinitum gratia* eiusmodi solutione mercatur, ad beneficæ largitatis inuidiam. Nuper eras alienæ gratiæ obnoxius, & sic reddendo gratiam, obnoxium tuæ gratiæ ipsum creditorem fecisti. Res debiti facta est beneficæ liberalitatis arbitrium, qui est munificentiæ fastus.

3. 1. Regum 17. in palæstra ad singulare certamen Israëlitas lacessens, præsens aderat Goliath, ingens corpore, grauis aspectu, immane spirans, neque incessu dispari, altum vociferans, & vociferationem spectu comprobans. Qui cum instar montis extaret, hostem ante conflictum cogebat pugnā detractare, scuto, loricā, hastā resplendens, Israëlis bellicosissimos obscurabat. Terribilis aspectu, & voce terribilior, terrorem terrore geminabat. Saül interim in tumultu erat, Israël inexpectatione seruitij, terror ipse vires refrænabat, hostilis aspectus Israëlitas, vel armatos de statione deturbabat, minæ intempestiuè animos percellebant; ante viri mente, quàm corpore consternebantur. Cùm autem nullus è toto Israëlis exercitu probaretur satis, essétque in periculo Saül, & res Hebræa æquè periclitaretur; tunc militem suum producit Gratia dum pugnæ prouocationem Dauid ad se rapit; &, ægrum Saülis animum oratione præsanans, inermis adolescens in stadium alacer descendit. Deinde Goliath videns puerum pugnæ incensum amore, oculorum elegantiam, genarum florem, & alienum à belli studiis schema, in risum effusus est, spectaculum ludicrum dicens armaturam eiuscemodi. Tunc dixit Dauid ad Philisthæum: Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israël, quibus exprobrasti hodie: *Et dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te: & dabo cadauera castrorum Philisthim hodie volatilibus cæli, & bestiis terræ: vt sciat omnis terra quia est Deus in Israël.* O plenas fiduciæ voces de cælo obarmatas, *vel ante victoriam potitas victoriā!* Hoc pio verborum fastu Dauid auxiliatorem Deum, quem promulgabat, Philisthæo opponebat, ostentans illi de cælo aduersarium, prædicens victoriam, ac victorem Deum contestatus. Perbellè hæc super re sic ad rem fatur Basilius Seleucus: *Gratus seruus, qui vel ante operā, operæ fructum offert Domino.* Quid Deo adulantiùs, quàm ante operam, operæ fructum Deo offerre? ante victoriam victoriæ trophæum Deo consecrare? ante beneficium beneficij gratiam referre, & ante acceptum donum, recepti doni gratias ostentare? Parum foret Dauidi, victoriæ fructum post partam victoriam immolare Deo; tunc enim debitum, cui obæratus erat, tempestiuus exolueret: *ante operam, operæ fructum offert Domino*, solutionem debito anteuertens; quò priùs inueniatur gratus, quàm gratitudini inueniatur obnoxius: & præproperè suum amplificās debitum, debiti obligat superfluenti solutione. Inde *ante victoriam potitur victoriā*, quia *vel ante operam, operæ fructum offert Domino*. Inde *cùm tempus fructuum appropinquasset*, bonus hic paterfamilias mittit seruos suos, qui à vinitoribus ante diem fructus *accipiant*: & Sara, ac si votis suis iam fore potitam indubiè sciret, liberatori Deo gratitudinem offert, celeri solutione debitum anteuertens, quod hîc Gabelus facere non potuit, quantumvis adniteretur.

Dauid ante operam, opera fructum Dei offert.

1. Reg. 17. v. 46.

Basil. Orat. 15.

Tob. 3. v. 13

Hic v. 6. & 7.

4. Lucæ 19. ingressus Iesus perambulabat Iericho Et ecce vir nomine Zachæus: & hic Princeps erat publicanorum: (ne quis de se desperet, quando iste peruenit ad gratiam, cui census ex fraude) & quærebat videre Iesum. *Hic ergo solam visionem desiderauit, sed qui nouit plus facere, quàm quærimus, dedit ei supra id quod expectabat.* Saluatorem videre affectans, suæ mansionis claritate nobilitatur vsque ad aspectantium inuidiam. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Benè quidem, sed an bono ordine nescio. Primò eleemosynam liberaliter donat, & post fraudata restituit! Imò priùs debuisset, debitum ex iustitia reddere, & ex reliquo eleemosynas facere; ne fortè censu in largas eleemosynas iam erogato, restitutioni non sufficiat. Nisi forsan ab eleemosynis incipit, vt eius census de misericordiæ bono ditiùs amplietur. Saltem serò restituit, qui sic bipartit actiones, vt priùs eleemosynas largè tribuat, mox defraudata restituat. Verùm Chrysostomus profundè hîc vidit aliam aliùs debiti præproperam solutionem, sic fatus: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui reddo quadruplum. Audi*, inquit, *mirabile. Nondum didicit, & obedit.* O quàm paucis, argutum magnarum rerum compendium Chrysostomus exhibet! O vberrim præcones in sterili Publicano iustitiæ fructus! *Audi mirabile.* Nil audierat de schola Christi, ore tacito apud eum hospitabatur Iesus: nondum docetur quid facere expediat, & præmaturā beneficentiā abundè præstat, quod necdum de Christi gymnasio didicerat. *Nondum didicit, & obedit.* Fructus præcurrit flores, spem opera anteuertunt: & necdum Christianæ benignitatis discipulus, opere magister euadit. Gratiæ actuosa officiositas abundè exuberat in Zachæo. *Audi mirabile, nondum didicit, & obedit.*

Titus Bostr. ibi.

Luc. 19. v. 8.

Zachæus priusquam benignitatem didicerit, illā opere docet.

Chrysost in Caten. ibi.

§. CCCXXXI.

Obscœnum pulchellorum osculum, Veneris venenum venis immittit; morsus Diaboli est, & arrha peccati.

Sanctus Iustinus sapienter Philosophus, adæquè ac fortiter Martyr, *A precibus finitis*, inquit, *mutuis nos inuicem osculis salutamus.* Quod nascentis Ecclesiæ Christianis in more positum fuit. Cuius rationem assignat Chrysostom. aiens: Sanctum osculum teneamus, quod animos sociat, & vnum corpus ostendit; quia vnum corpus omnes 1.

S. Iust. Apol. 2. Chrysostom. homil. de Prodit. Iudæ.

Osculum signaculum orationis est, quo acceptas precibus gratias in fratres transfigebant Christiani.

omnes videmur esse sortiti. Et ideò misceamus nos vno in corpore, non corporum commistione, sed animarum charitate deuincti. Et quidem post orationem (in qua dum os aperiunt, spiritum attrahunt) pacis osculo se tempestiuè olim miscebant Christiani; vt gratiam, quam orando hauserant, mutuò communicarent, & acceptum in corde spiritum, oris spiraculo piè reciprocarent. Quod egregiè adstruit Tertullianus, dum queritur, quòd in publicis ieiuniorum diebus, tunc Christiani contenti oratione, non dato adinuicem osculo discedebant. *Alia iam, inquit, consuetudo inualuit, habitâ oratione cum fratribus, subtrahunt osculum pacis; quod est signaculum orationis. Quando autem magis conferenda cum fratribus pax est, nisi cùm oratione commendabilior ascendit, vt ipsi de nostra operatione participent, quam auderent de sua pace fratri transigere?* Ecce tibi in candido illo æuo, *osculum signaculum orationis* habebatur, quo cuiusque bona operatio in alios osculo piâ transactione infundebatur, reciproco oris spiritu, mutuâ oris commistione signato. Hunc iam morem Ecclesia desuescit, ne amoris symbolum, in voluptatis vile excrementum degeneret, & quod erat charitatis nota, fieret obscœnitatis occasio.

Tertull. de Orat. c. 14.

Hic vers. 8.

Quod nuper misit se Raguel, & *osculatus* est iuniorem Tobiam, longeuæ ætatis, & arctæ consanguinitatis priuilegio fecit; fecit & hîc Raguelus: quâ beneuolentiæ nota & Raguelis vxor Anna, & Sara filia, pudori consulentes abstinuerunt; ne osculum, quod cœpit in charitate, consummetur in libidine.

2. Prouerb. 7. formosæ, leuiculæ, & inhonestæ fœminæ insidiosos viris mores Salomon accuratè describit. Noxius omninò viro muliebris occursus est, etiam bonæ: nam, vt improbitas desit, forma rapiet, oculíque etiam castæ non castè ferient. Frons, verba, vultus, capillatura, manúsque, corpúsque totum, teneritudine suâ, tanquam fulminibus virile pectus emedullant. Quid dicam de hac pulchella meretricula, quam hic Salomon eleganter depingit? quid de lasciuo acu per crispatam comam luxuriante? quid de curiosa oculorum iactatione, dum in oculis ipsius captiua virorum mens, tanquam in triumphum ducitur? quid, dum omnium obtutibus vbera prostituuntur, vel velo non integente pudorem, sed decorem mentiente, omnium ignibus obiicitur; veriùs, omnium virorum glaciem & frigora soluunt, & in fornaces vertunt? Quis enim nesciat, inuitatoria illa esse libidinum, & folles ignibus excitandis? Quid cùm cætera corporis laciniosis pomparum & deliciarum ineptiis occupantur, quo de proximo curent luxuriæ negotium, obstrepántque pudicitiæ disciplinæ, vt quadam cultus tanquam ignium societate, validiores flammas iaculentur? Quid, cum calliblepharum, vellerúmque, herbarum, florúmque tincturæ palpebris venustandis, genis fucandis admouentur? naufraga nimirum sine his forma esset, & frustra luderet: adminicula ab his sumpsit, vt virorum stuporem ædificaret, mutuóque lenocinio fortiùs illuderent virili robore masculè imbecillo. Verùm hæc Salomoniana fœmina, formæ elegantiâ, comptiori ornatu, & blando verborum philtro quasi diffisa, quò amasium suum medulliiùs sufflammet, oscula figens inducitur: Ecce, inquit, occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula, vaga, &c. *Apprehensum deosculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur.*

Politico-Christ. lib. 1. cap. 2.

Pulchellorum osculum, Veneris venenū venis immittit.

Prouerb. 7. v. 13.

Vnde illa ex ornatæ pulchritudinis dolosis insidiis, præparata ad capiendas animas, incautum iuuenem osculato toxicat veneno luxuriæ. Quod eruditè exponit Clemens Alexandrinus exemplo Phalangij, quod est genus araneorum, quæ solo attactu venenum affricat, *Phalangia*, inquit, *vbi homines ore comprehenderint, doloribus eos conficere, & à sensu mentis abstrahere, ita etiam à pulchris osculantibus, osculo aliquid, quod non videtur, venis immitti.* Nimirum spectata fœminæ pulchritudo, ludentes nictu oculi, volucres tenerâ ceruice capilli, blandi sermonis lenocinium; extrinsecùs lasciuiæ otium suadent: at dum suauibus libido velitatur, luxuriæ venenum *venis immittitur*; & hamo intestino insani amoris veneno animitùs toxicatus, medullitùs ardet. *A pulchris osculantibus, osculo aliquid, quod non videtur, venis immittitur.* Lasciuum osculum amoris fomitem ingerit, signaculum libidinis est, & luxuriæ venenum pulchellorum oscula transfigunt. O fuge hæc amica venena, quisquis salutem amas! Secedas ab hoc venenato vrbanitatis signo, & lasciuiæ signaculo, non nisi funesto pudicitiæ exitu claudendo.

Clem. Alex. lib. 3. Pædag. cap. 11.

1. Petri 5. epistolæ clausulam his verbis apponit: *Salutate inuicem in osculo sancto: Gratia vobis omnibus, qui estis in Christo Iesu. Amen.* Tametsi Apostolus omnes se inuicem osculo salutare iubeat, in pacis, concordiæ, & communionis signum; cautè tamen addit, *In osculo sancto*: ne dum signa charitatis erogant, ex pulchellorum osculo, in rogum dent pudicitiam, & libidinis fomenta succendant. Et post osculum etiam sanctum vberiorem illi Christi *gratiam* obnixè adprecatur. Adhuc in sincero & candido illo Christianitatis æuo, recente Christi Dei sanguine calente, tantâ Apostolus procedit cautelâ; ne quod charitati impendit, pudicitiæ deroget. *In osculo*, inquit, *sancto*, ne in lasciuum degeneret, ingenti castitatis iactura; cuius ex osculis pericula eloquenter tradit his verbis Emisenus: *Cauenda sunt iuuenum impura oscula, & lasciua colloquia. Impudici verò contactus osculi, quid aliud est, quàm morsus diaboli, & arrha peccati? Osculum pars adulterij est: per hoc enim crimini ostium, & mortis initium fit; etiam si nondum in opere consummetur iniquitas, perfecta est iam in corde captiuitas...... Periculosus est mala conuersationis vsus, & irreuocabilis ad deteriora descensus.* Piget ac pudet elegantes Emiseni sententias, quas ad rem præsentem densè conglobat, particulatim expendere, quod foret prolixum, & alienum à meo instituto: digitum duntaxat intendam ad ea, quæ luculentiùs thesim comprobant, & osculorum obscœnitatem proscribunt, & pericula produnt. *Salutate inuicem*, inquit, *in osculo sancto*, procul absit impudicum: nam impudici contactus osculi, est *morsus diaboli, & arrha peccati sit.* siquidem qui in pulchellorum osculis obscœnè deliciatur, obsidem impudicitiæ dat, & peccati arrhabonem, simúlque fit electa Diaboli præda, quam lasciuo ipsius osculo, ipse Diabolus sæuè morsicat, & atrociter dilaniat. Pergit: *Osculum pars adulterij est, ostium criminis & mortis initium, ac perfecta in corde captiuitas.* Addit, impudica oscula velut impotenter ruere in Venerem effreni libidine: nam *Periculosus est* eiusmodi *mala conuersationis vsus, & irreuocabilis ad deteriora descensus.* 3.

1. Petri 5. v. 14.

Pulchellorum osculū, morsus est Diaboli, arrha peccati, &c.

Emis. hom. 2 de Initio Quadrag.

1. Corinth. 16. Salutant vos omnes fratres. *Salutate inuicem in osculo sancto.* Quæ Apostoli verba sic exponit Gentianus Heruetus: Id oscu- 4.

lum

1. Cor. 16. v. 20.

Gentian. Heru. in l. 3. Pædag. c. 11. fit. p.

lum verè erat sanctum, inquit, quando aderat id quod osculo significabatur, nempe sancta beneuolentia & amicitia. Et quod significabatur quidem erat Mysterium, nempe amicitia & beneuolentia; quod significabat autem, nempe osculum, erat signum & symbolum: à re autem quæ significabatur, non solùm dicebatur sanctum, sed etiam mysticum, vtpote quod sub eo esset arcanum, & quod sub aspectum non cadebat, mysticum. *Quod autem dicit, Ore clauso, Græcè est μυμυκῶς, à quo vocabulo deductum est Mysterium, quòd Mysterium, non sit detegendum, sed celandum tanquam arcanum. Sequitur autem: Est autem aliud quoque osculum incestum. Nunc autem dicit aliud quoque esse osculum non sanctum, vtpote incestum, & veneno plenum. Id autem est osculum quod venenum immittit impudicitiæ, non secus atque Phalangia, quæ ore tantum tangentia & virus immittunt, & graves dolores inferunt hominibus.* De Phalangio autem, qui est venenatus mus, oris attactu pestilenter toxicans, multa Gentianus subtexit ex Plinio, & Xenophonte. Ecce tibi Mysterium seu sacramentum osculi non sancti, sed incesti; in quo sub beneuolentiæ specie, latet impudicitiæ venenum, quod Phalangij adinstar, oris affrictu virulentiùs immittit.

Sub incesto osculo sacramentum latet.

5\. Tertullianus in lib. de velandis Virginibus, inter reliquas virgines velaminis vtilitates, has eleganter describit: Ipsa, inquit, concupiscentia non latendi non est pudica: patitur aliquid quod virginis non sit, studium placendi vtique & viris. *Quantum velis bonâ mente conetur, necesse est publicationis sui periclitetur, dum percutitur oculis incertis & multis, dum digitis demonstrantium titillatur, dum nimium amatur, dum inter amplexus & oscula assidua concalescit. Sic frons duratur, sic pudor teritur, sic soluitur, sic discitur aliter iam placere desiderare.* Scilicet olim Christiani se receptissimo more salutabant amplexu & *osculo*, quod erat beneuolentiæ sacramentum: adempto autem velamine, dum virgo percutitur oculis incertis & multis, sic eius frons duratur: dum digitis demonstrantium titillatur, sic pudor teritur: dum nimiùm amatur, sic soluitur reciproco amore: *dum inter amplexus & oscula assidua concalescit, sic dicitur aliter iam placere, desiderare.* Ecce tibi libidinis Mysterium, quo osculum alioqui sanctum, peruersâ hominum salacitate constupratur; & pacis symbolum fit lasciuiæ conceptaculum.

Tertull. lib. de veland. Virg. c. 14.

Velatur virgo ne inter oscula assidua, ad luxum concalescat.

6\. Ad hæc magnus hic Doctor beneuolam osculorum hostilitatem his verbis tradit *Calicem non dico venenarium, in quem mors aliqua ructauit, sed frictricis, vel archigalli, vel gladiatoris, aut carnificis spiritu infectum, quæro an minùs damnes, quàm oscula ipsorum?* Vbi *frictricis* & *archigalli* oscula, quæ impudicitiam subolent, *gladiatorum*, & *carnificum* oculis consultissimè componit. Locum perdifficilem nec vacat, nec iuuat obiter extricare. Pamelij scholia ex mera coniectura allucinantur.

Tertull. de Resurr. carn. cap. 16.

* *
*

§. CCCXXXII.

Non quis est in se probus aut improbus; sed qui nobis est commodus aut incommodus, humana benedicentiæ aut maledicentiæ obnoxius est.

Conscientiæ satisfaciamus, nihil in famam laboremus; sequatur vel mala, dum benè merearis. Iuuat benè mereri, etsi malè cedat. Qualis sis multùm sanè refert; parum, qualis vulgò habearis. Opinionem quidem & famam è loco habeamus, tanquam, quæ non ducere, sed sequi debeat Virtutem (laudum de se feracissimam) seminabis, & vituperia fœcundè metes. Magnum est, non laudari, & esse laudabilem: maius verò, ob res laude dignissimas, acerbè culpari. Sed virtus non titubat ob insanas vulgi opiniones, nec propter inanes tumusculos labefactatur; benè scia vulgares famæ, & diffamiæ natales. Nunc factum de se honestum aut inhonestum, nec fama neque diffamia sequitur; sed nobis vtile, nociuúmve. Proficua aliis facere, acquirendæ famæ compendium est. Odiosus erit, & inuitiatæ opinionis, qui aliis nocitura innocenter facit. Aliena facta de proprio nocumento homines taxant; & prauum æstimant, quod illis obest, aut saltem non prodest. quasi nostra vtilitas, sit alienæ virtutis mensura, & laudum promptuarium. Exodi 6. oppressos Israëlitas his verbis Deus bono animo esse iubet: *Assumam vos mihi in populum, & ero vester Deus: & scietis quod ego sum Dominus Deus vester.* Vnde Israëlitæ erudiendi sunt de scientia diuinitatis? Eámne è creaturis ediscent? Ænigmatica foret hæc scientia, & ethnicis Philosophis communis. Fortè è Patriarcharum gymnasiis, antiquioris sapientiæ manuductu? Adhæc mirissimam aliam scientiam Deus spondet, vt scitè aduertit Lyranus: *Et scietis quia ego Dominus Deus.* Nempe, *per experientiam beneficiorum meorum.* O arcanam Dei scientiam beneficiis diuinis partam: Mutuo silentio ratio naturalis conticescat. Notitia fide comparata (quæ tunc in Israëlitis velut interstincta languebat) tantisper expectet, dum cælestium beneficiorum iugis experientia, summum Deum esse proclamat. Profectò diuinæ beneficentiæ linguata beneficia, vel mutus beneficiorum sermo, eò magis suasorius est, quò vtilitatis nostræ lenocinio, diuinæ notionis vsuram extorquet. O quàm altè de Deo sentit, de Deo sapit, de Deo loquitur humana mens in schola beneficiorum erudita! De vtilitate nostra in aliis merita cudimus, commodi, aut incommodi nostri arbitrio.

3. Senec. lib. 3. de Ira c. 42.

Quisquis molestiam exhibet, improbus audit.

Aliò de Deo sapit in beneficiorum schola mens erudita.

Exod. 6. v. 7. Lyran. ibid.

Iobus capite 3. ærumnosam vitam pertæsus, diem natiuitatis suæ execrabilem haberi cupit, 2.
sic pangens planctu lugubri: Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est: Conceptus est homo..... Sit nox illa solitaria, nec laude digna. *Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leuiathan.* Locus explicatu arduus, & in quo extricando, diu multúmque desudat Commentatorum industria. Difficile sanè est, eccur Iobus ad noctem probrosiùs vituperandam, non vituperatores noctis, sed diei vituperones asciscat. An non qui exosam habent noctem, & nocturnorum scelerum benè conscij, illam assolent maledictis proscindere, eandem opportuniùs

Iob. 3. v. 8.

opportuniùs execrarentur? Fortasse qui claræ diei maledicunt, amicum fœdus cum nocte inierunt: nam cui lux displicet, proculdubiò placet obscuritas. Amicos ne noctis aduocat ad noctis probra acerbiùs iactanda? Mitto hæc, aliàs à nobis ad aliam thesim fusè iactata; & venio ad posteriorem hemistichij partem, quæ claret priorem. Quinam sunt isti, *qui parati sunt suscitare Leuiathan?* & quid est, Leuiathanum suscitare? Non morabor Lectorem (etsi non insulsè possem) opinionum recensitione, quas Pineda, & Sanctius vbertim tradunt, expendunt, discernunt; contentus expositione S. Thomæ, Doctoris Angelici, qui censet, per Leuiathan intelligi cetum, aliúmve prægrandem piscem, iuxta illud eiusdem Iobi: *An extrahere potes Leuiathan hamo?* Et addit sanctissimus & sublissimus doctor ad rem præsentem opportunè: *Secundum hoc intelligẽdum est, quòd illi qui huiusmodi magnos pisces piscantur, de nocte eos inuadunt in tenebris; & ideò quando dies incipit apparere, maledicunt diei: quia per hoc eorum opus, & intentio impeditur.* Quid in aspectabili mundo præ Sole apparet laude dignius? quid tam pulchrum, & prælustre? quid tam indifferenti benignitate præditum? quid tam beneficum cunctis? Quis næuum, quem vituperet, in Sole deprehendat? Ecquis præclarum diem non optat, amat æstimat? Quid in prælustri fulgore diei, inueniri potest, vituperio dignum? quid, quod humana maledicentia culpet verosimili probro? Scilicet Leuiathani piscatores, *ideò quando dies incipit apparere, maledicunt diei: quia per hoc eorum opus, & intentio impeditur.* Bellissimè quidem, & moralissimè! Scilicet non ideò maledico ore in diem inuehuntur, quia vel næuum in eo notent, quod possit reprehendi. Totus pulcher est, splendidus, proficuus, salutaris. At dum vile eorum opus, & quæstuariam intentionem impedit; idcirco illi maledicunt, illúmque maledico ore atrociter proscindunt: & quia illorum auaritiæ non seruit, & eorum intentioni non obsequitur, ideò acerbiori vituperio illum diffamant. Opinor, quòd eiusmodi homines mallent, vt Sol diuino obsisteret imperio; & se insolenter sistens, noctem faceret longiorem. Ergo peritissimè S. Iobus, benè sciens, quàm sit temerariè audax eorum maledicentia, quæ vel innoxios culpat, quia eorum intentioni, operi, auaritiæ, aut ambitioni (etsi iustissimè) non fauet; ad acerbiora excusæ sibi noctis vituperia, non aduocat obscuræ noctis vituperones, nec quibus inuidiosa est clara diei lux: sed eos duntaxat, quibus inculpato & præclaro munere dies nocet, dum prælustribus radiis *eorum opus, & intentionem impedit.* Quid illustrius.

Vel bonitate culpabimus, si nostra ambitioni, aut auaritia non fauet, aut impedisse putatur.

Iob. 40 v. 20. S. Thomas ibi.

3\. Sapientiæ 2. sic aduersus Iustum impij garriunt. Opprimamus Iustum, *Contumeliâ*, & tormento interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius. Sed nota causam tam diræ persecutionis, quæ in hominem, quem *Iustum* esse fatentur, crudeliter grassatur. sic enim aiunt: *Circumueniamus ergo Iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris.* Iusti nomine Christum intelligi, ferè conuenit inter SS. Patres, quos hîc longâ serie Lorinus & Ceruantes recensent. Etsi Lyra, Iansenius, Osorius, Lorinus, per extensionem quandam, de quouis iusto agi, serio censeant. τὸ *circumueniamus*, græcè ἐνεδρεύσωμεν, ad *captiosa verba* impiorum refert P. Laurinus. & quidem nuper *contumelias* impij minati fuerant. Quam ergo

Sap. 2. v. 12. Detractione impetitur Iustus ab his, quibus inutilis, aut incommodus est.

ob causam, in hominem, quem proprio ore esse *Iustum* & inculpatum fatentur, *contumelias* iactant? cur innocentem & innoxium ore maledico culpant? *Quoniam inutilis est nobis.* Guarinus apud Gonsaluum Ceruantes: *Quoniam incommodus est nobis.* Olim, & nunc adsimilem maledicorum petulantiam! Qui adeò *Iustus* est, vt ei ab ipsis vituperatoribus, *Iusti* elogium semel & iterum negari non possit; maledicis impetitur linguis, & sæua oblocutione laceratur, quia illis *inutilis* & *incommodus* est? Mitem vides, frugalem, pium, modestum humilem, *iustum*, sanctum; ecquid horum culpare audes? Imò his omnibus elogiis (quæ negare non audent) vacuus putatur; & oppositis vitiis infamis, qui illis *inutilis* & *incommodus* habetur. Quasi iniustorum commoditas, sit *iusti* bonitas, & probitatis mensura: & improborum *incommodum*, quadam malitiæ metamorphosi, virtutem inuitiet, & culpabilem reddat. O vide, quo fomite vulgaris oblocutio nutriatur, adolescat, incrementetur! Non foret *Iustus*, nisi id præstaret: & quia id præstat, quod nisi iniustè non omitteret, linguis maledicis sæuè lancinatur? O crudeliter friuolas hominum opiniones, de propria vtilitate, aut inutilitate conceptas! Qui *incommodus* mihi est, maledicentiæ reus erit? O ridicularium detractionis reatum! Vnde piè sepeliens mortuos, acri maledicentia à suis *proximis* Tobias laceratur. Puto, non tam Tobiæ *commodum* spectantes, quàm suum *incommodum* timentes: Verebantur enim ne tam Tobias, quàm Tobiæ in eos beneficentia periret. Et Gabelus hîc beneficum in se Tobiam magnificè commendat. Hîc vers. 9.

Guarinus apud Ceruant. hîc.

4\. Exodi 3. adhuc Moyses cunctando renititur, & prænobilem ad Ægyptios legationem humilis detrectat. Et ait Moyses ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Israël, & dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod est nomen eius? quid dicam eis? *Dixit Dominus ad Moysen: Ego sum, qui sum. Ait: Sic dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos.* Communiter hîc censent Interpretes nunc Deum reuelasse Moysi nomen tetragrammaton, id est, ineffabile nomen Iehouah, quod explicatiùs diuinam naturam indicat; eiúsque perfectiones, attributa, & elogia velut compendio tradit, &, vt vt potest id fieri, hominibus intimat. (quod dudum examinabam, & adprobabam, Exodum exponens) Nunc autem peruestigare oportet, quid significet hoc Dei nomen: *Ego sum, qui sum.* Mitto e triuio vulgaria, & nemini non nota de hoc ineffabili Dei nomine: quandoquidem humanum nunc transcendit captum, penitiùs nosse immensam Dei essentiam, bonitatem, munificentiam, & reliqua diuinitatis elogia, quæ maiora sunt mentis humanæ fastu, quantumvis ingenij vires contendat. Non negauerim, præfato Dei nomine infinitam eius perfectionem innui; sed vide mihi quàm arguto significandi modo id etiam exponat hominibus, apud quos nihil ferè censetur magnum, perfectum & summum, nisi quod illis valde proficuum est. quasi ex præbitione vtilitatis metienda sit aliorum perfectio. Ergo Oleaster secutus Rabbi Salomonem, ita præscriptum Dei nomen in sensu litterali commentatur: *Ego sum, qui sum. Hebraicè, Ero, qui ero. Cùm Dominus Moseh dicit: Ero, qui ero, sensus est: Ero cum eis in præsenti tribulatione, qui ero cum eis in afflictione reliquorum regnorum.* Idem his verbis tradit Beda: *Ego sum, id est, qui cum patribus vestris fui; qui sum, id est, vobiscum.*

Exod. 3. v. 14.

Vel Dei perfectionem, ex propria vtilitate homo metiri solet.

Oleaster ibi.

Beda apud Catan.

August. De eo quod dictum est à Deo ad Moyſen: *Ego ſum, qui ſum.*

biſcum. Idipſum tradiderat Auguſtinus, ſic aiens: *Ego ſum, qui ſum, &c. Sic ſum quod ſum, ſic ſum ipſum eſſe, ſic ſum cum ipſo eſſe, vt nolim hominibus deeſſe.* Vide hîc quo ingenio Deus Moyſi explicet ſuam eſſentiam, quam nulla capit definitio, nec humana mens comprehendere eualet. Nempe, *Ego ſum, qui ſum.* Quaſi dicat, cùm nomen Tetragrammaton, aut Iehouah pandit: Ego *ſum*, qui cum patribus veſtris fui, cum Abrahamo, inquam, Iſaaco, & Iacobo, eos diuitans, ſanctificans, & ex magnis tribulationibus glorioſè eripiens; ita etiam *ero* vobiſcum, excutiens Ægyptiacum iugum, & vos mittens in Terram promiſſionis, in cunctis vos felicitans. *Sic ſum cum ipſo eſſe, vt nolim hominibus deeſſe.* Ecce tibi iiſdem verbis traditur eorum vtilitas, quibus explicatur Dei eſſentia, & infinita perfectio. Se enim attemperat Deus humano ſenſui, apud quem propria vtilitas eſſe ſolet alienæ bonitatis menſura prauum æſtimans, quod ſibi incommodum eſt; optimum cenſens eum, ex quo ingentes vtilitates captet. quaſi rei cenſus, ſit noſtrum detrimentum, aut commodum noſtrum.

§. CCCXXXIII.

Perſæpè laus noua niſi oriatur, etiam vetus amittitur.

1. Publ. Mim. apud Senec. *Magnum eſt non laudari, & eſſe laudabilem.*

QVàm magnum eſt non laudari, & eſſe laudabilem! Quis ſis intereſt, non quis habearis. Plerique famam, pauci conſcientiam verentur. Satage, vt malueris tibi placere, quàm populo; vt æſtimes iudicia, non numeres. O quàm ignorant homines cupidi gloriæ, quid illa ſit, & quemadmodum expetenda! Ambiunt in publicum prodire, vt peritiæ ſuæ fulgores latiùs explicent: in faſtigio collocari, vt muneris præeminentia, ad ſublimius merendum calcar addat: & vt magis meritis proficiant, cupiunt munerum gradibus indies ſublimari. O, nimis percrebuit tritum illud ac vulgare: *Laus noua niſi oriatur, etiam vetus amittitur.* Inde queruli ceſſant, inertes torpent, ſi tardè promouentur; putántque veterem amiſiſſe gloriam, quia noua non oritur: & niſi promoueantur vlteriùs, retrò ignauè agi, & planè repedare. Sic altè hæc perſuaſio hominum animos occupauit, vt ad eam cupierim attentos Electorum animos, quò idoneos & eruditos ritè promoueant, ne proficuus eorum tepeſcat ardor, & impetus merendi ſtitione torpeſcat, dum ſeriò ſibi peaſuadent, quod non progredi, regredi eſt: nam *laus noua niſi oriatur, etiam vetus amittitur.* Honos alit artes, ingenuas etiam; & peritia promotione nutritur, cognato ſæpè alimento.

Ex eodem Publ. Mim.

2. Præluſtris ille Iſraëlitici populi ductor Ioſue, Dei phalangibus denſè ſtipatus, in pugnaces irruit Amorrhæos, Palæſtinæ tunc dominantes. Validè hinc inde certatum eſt. Sed tandem Amorrhæus reluctando fractus, à Dei populo fugatus, ſternitur, profligatur. Sol interea ocyùs ad occaſum contendit, aut pius, ne tot ſtrages videat; aut inuidus, ne Ioſuano triumpho adſit. Victor Dux adhuc timet, ne abſentia Solis, lenocinantibus tenebris, latibula offerat fugitiuis, & cœca abſcondat caligo, quem oculatior claritas prodit: & qui non metuit tot ſtrenuos perſequi milites, ignauè hoſtibus auxiliares tenebras horret. Tunc Ioſue victoriæ faſtu piè ſuperbus, hominem deſueſcens

Sol merà ſtitione retrocedere dicitur.

& maiora humano faſtigio audens, cælis ſtitionem imperat *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. Steterúntque Sol & Luna.* Quæ verba hac ecphraſi tradit Eccleſiaſticus: *An non in iracundia eius* (Ioſue inquam) *impeditus eſt Sol, & vna dies facta eſt quaſi duo?* Quod in lib. Ioſue habetur, *Sol ne mouearis; Stetitque Sol;* in hoc loco ab Eccleſiaſtico dicitur, *Impeditus eſt,* Ioſuano inquam, imperio. Verùm P. Nicolaus Serarius, eruditè Græcam Eccleſiaſtici originem ſcrutatus, aduertit, Græcum verbum *ἀνεπόδισεν*, pro quo Vulgatus vertit, *Impeditus eſt*, propriè ſignificare, *repedare*, aut *retrocedere.* Inde ipſe tranſtulit: *Nonne in ipſius manu retroceſſit Sol?* Magnum hinc ſtatim oboritur inter Expoſitores litigium, quomodo Sol, qui in libro Ioſue *ſtetiſſe* dicitur, ab Eccleſiaſtico *retroceſſiſſe* dicatur? Porrò minimè *ſtat*, qui *retrocedit*: nam ſtitio immotam denotat ſtationem, retroceſſio verò motum retrogradum perſpicuè ſignificat. An idem eſt ſtitio immota, ac mobilis retroceſſio? an fortè Sol ſtando retrocedit? Vtrumque ex alterutro redargui facilè licet, quò dubium redditur difficilius. Nuper autem laudatus Serarius ſic litteraliſſimè difficultatem diſſoluit, ad theſim noſtram in primis opportunè, aiens ad propoſitam difficultatem poſſe reſponderi: *Solis retrogreſſionem in Eccleſiaſtico accipi pro non vlteriore progreſſione. Nam quod in curſu eſt, & illicò vi quapiam extrinſecùs adhibitâ, quieſcit; videtur pedem quaſi reflectere & reuocare.* Et apud Mathematicos in ſphærologia *ſolſtitium* vocatur, non quo propriè ſtat Sol, ſed quo vlteriùs non pergit. Litteraliſſimè pariter ac moraliſſimè Serarius. Scilicet Sol ab Oriente auſpicatur curſum ſuum; pergit ſplendidè mundum illuſtrans, totâ fulgorum ambitione præluſtris: nunquam ſtat, ceſſat nunquam, progreditur ſemper, ſemper ſplendidus. At cùm *ſtare* iubetur, *retrocedere* dicitur; non quia re ipſa retrò gradiatur, ſed quia quot gradus lucendo non progreditur, tot retroceſſiſſe putatur. *Tantos grados ſe dice que retrocede el Sol, quantos habia de correr en ſus lucimientos.* Vnde cùm Soli curſu ſuo properanti, dicitur: *Sol ne mouearis,* perinde eſt, ac, *Retroceſſit Sol.* non quòd retrò gradiatur, ſed quòd lucendo vltià non procedat. Nam *laus noua niſi oriatur, etiam vetus amittitur.*

Ioſue 10. v. 12. & 13. Eccl. 46. v. 5.

Serarius in Ioſue 12. q. 13.

Geneſeos 48. graui ſenectâ languet capularis Iacob; patrem periculoſè ægrotantem ſuus Ioſephus amanter inuiſit, comitatus filiis Manaſſe & Ephraim, quibus Patriarcha fauſtè benedicat Sed attentâ eget expenſione huius denarrationis ſeries. Ingreſſo itaque Ioſepho cum filiis, ſic ait Iacobus: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ eſt in terra Chanaan: Benedixítque mihi, & ait: Ego te augebo & multiplicabo, & faciam te in turbas populorum: dabóque tibi terram hanc, & ſemini tuo poſt te in poſſeſſionem ſempiternam. (Ecce quo iure Ephraimum & Manaſſen adoptat in filios, & ſingulatum Tribuum Principes & Patriarchas conſtituit) Duo ergo filij tui, mei erunt. Ephraim & Manaſſes, ſicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi. Benè eſt, ſingulariter præferantur hi Ioſephi filij; & quaſi non nepotes, ſed filij forent Iacobi, duas Tribus conſtituant. Sed cur mortem Rachelis hîc Iacobus ingerit? Sic enim habet textus: *Duo filij tui, mei erunt, Ephraim & Manaſſes, quaſi Ruben & Simeon, reputabuntur mihi..... Mihi enim quando veniebam de Meſopotamia, mortua eſt Rachel in terra Chanaan* 3.

Racheli adſcribuntur filij, quos haberet, ni immaturâ morte periret.

in

in ipso itinere. Morosus ero sic hîc recenseam, quot modis, hanc importunam (vt apparet) Rachelis emortuæ mentionem Iacobus inducat, cùm Ephraimum & Manassen, quasi filij, non nepotes forent, ad duatum Tribuum Patriarcharum singulatitet aduocat. Et sanè vocula *enim* causalem vim obtinet, vt inibi obseruant Interpretes. Audiendus est Rupertus, qui & ad litteram, & ad thema præsens tempestiuus, sic fatur: *Mihi enim, inquit, id est, dum parit mihi filium, mortua est mater tua Rachel, quam ego diligebam, & ex qua filios adhuc suscipere optabam.* (hoc est, sperabam) *Erâtque vernum tempus subauditur mihi, & ingrediebar Ephratam, quod interpretatur, frugifera, videlicet cum illa post hyemem sterilitatis, optato partu floresceret, & frugifera esse mibi inciperet. Idcirco hi duo filij tui, mei erunt, vt mortuæ coniugi semen suscitem, & suppleam adoptione, quod minus habui naturali generatione.* Scilicet Rachel diu sterilis, cùm iam fœcunditate floreret, præproperæ mortis inuidiâ defloruit, & sepulchrali frigore exaruit; prohibitúsque est opimus numerosæ sobolis fructus: æquum ergo est illi adoptione imputare fructum, quem generatione procrearet. Si Rachel viueret, non pauciores quâm Lia filios daret, qui Israëlitici populi forent Patriarchæ: ergo spes non careant fructu suo; flores etiam quasi fructus æstimabo, futura soboles, quam optata fœcunditas tardè spopondit, illi imputabo. sitque mater non tantùm Tribuum, quas peperit, sed etiam quas, ni morte sisteretur, foret paritura, ne matronali defraudetur honore, quem nisi prohiberetur, haberet. Eleganter quidem Rupertus rem meditatus est. *Videlicet cum Rachel post hyemem sterilitatis, optato partu floresceret, & frugifera esse mihi inciperet.* Huc etiam vltrò aduocare licet illud Ecclesiastici: *Flores mei fructus honoris & honestatis.* quasi flores dum fructum spondent, fructuum elogio decorentur. Ergo quisquis ingenij & peritiæ erumpentes flores vides, ne illis morosus inuideas fructuum felicitatem, quam illis serâ pœnitentiâ cogeris adscribere. Vnde c. 1. v. 6. Tobiæ pietas in Dei Templum, eiúsque Sacerdotes, sigillatim recensetur; quam, nisi per Assyriæ Regem captiuare prohibitus esset, perpetuò obseruaret; quò Tobiæ imputetur, non virtutis futuræ meritum, sed aliquis saltem faciendorum honos, quasi flores fructuum granidi. Et hîc persæpè à Raguele, & præsertim à Gabelo laudatur.

Rupert. 9. in Gen. c. 23.

Eccl. 24. v. 23

Hic vers. 9.

4. Lucæ 3. acris ab agresti eremo concionator, Ioannes erumpit. Dicebat ergo ad Iudæorum turbas, quæ exibant vt baptizarentur ab ipso: *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ: & ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham,* &c. S. Chrysostomus elucidans præfata Euangelistæ verba, sic ad rem scribit: *Non hoc indicans quòd ab Abraham naturali origine non descenderant: sed quia eis nihil prodest ab Abraham descendisse, nisi secundùm virtutem cognationem obseruent. Cognationis namque leges consueuit Scriptura vocare, non eas quæ secundùm naturam consistunt, sed quæ deriuantur à virtute vel vitio.* Quasi dicat: Benè igitur operamini, vt idoneam cum illo cognationem habere possitis. Nam cognatio cum Abrahamo, lex quædam est, quæ ad exprimendos eius mores incessanter persuadeat. Ne ergo cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham, quasi per generationis traducem, virtus semel ad posteros deriuetur. Sit patris Abrahæ vita, morum *lex*; perpetuò probitatem iubeat, vetet prauitatem: quia nihil prodest ab Abrahamo descendisse, nisi virtutis *legem* in ipso descriptam, in te ipso iugi æmulatione resculpas. Alioqui propè perdidisti generosum tantæ cognationis nomen. Laus enim noua nisi addatur, etiam vetus amittitur.

Luc. 3. v. 8.

Chrysost. ibi.

Cognatio cū piis parentibus, lex imitationis nominatur.

§. CCCXXXIV.

Maximum humanitatis vitium est, aut de bonis mala, aut de malis bona prædicare.

O Primo cuique in alienis laudibus illiberalem se, & malignum exhibere non licet; sed candidum, ingenuum, & generosum. Siue plus, siue minus, siue idem præstas, lauda vel superiorem, vel inferiorem, vel parem: superiorem, quia nisi laudandus ille est, non potes ipse laudari; inferiorem aut parem, quia pertinet ad tuam gloriam, quam maximum videri, quem præcedis, vel exæquas. Auarus laudis animus, suæ detrahit gloriæ, dum inuidet alienæ. Verùm omnes indifferenter tuis laudibus ornandi non sunt, quòd solet esse malitiæ arbitrium, quo aliena merita tectè infuscantur, indifferentis laudationis fraude. Nam vt cum multo acumine, & aceto dixit ille quicumque: 1.

Cui malus nemo est, quis bonus esse potest

Ne laudet dignos laudat Calystratus omnes.
Cui malus nemo est, quis bonus esse potest?

Martial. l. 10. Epigram. 65.

Profectò in malorum laude etiam parcitas modum transcendit, & laudum prodigalitas est. Meritorum egestas, auaritiam laudationis requirit, ne pœnitenda laudare videaris. Qui laudat malos, bonos simul vituperat, peruerso detractionis genere, bonitatis larnâ dolosè tecto. O fuge hanc maledicentiæ fraudem, virtuti exosam, & probrosam tibi! Bonus Azarias, qui dum palam septem virorum Saræ salacitatem incusat, optimæ puellæ innocentiam vindicat, & celebrandi cum ea connubij metum excutit; tempestiuus malitiæ vituperator, iuxta ac bonitatis encomiastes. Hanc vnicè in Tobia Raguelus hic prædicat.

Tobiæ 6. v. 16. & 17.

Hic vers. 9.

David ille rusticanus nuper opilio, ad regiam Saülis aulam translatus, palatinos mores, & aulæ ciuilitatem didicit; quam neque in regni solio nouitius diu Princeps exuit. *Inclina cor meum in testimonia tua,* (ait ad Deum suum) *& non in auaritiam* diuitiarum, honorúmve. *Auerte oculos meos ne videant vanitatem,* vt vera cum falsis, & falsata cum veris, indifferenter misceam, & in humana politia promiscuè vsurpem. Attentiùs verò ruminare oportet, quæ subiungit verba, aiens: *Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum: quia iudicia tua iucunda.* Multi sunt Interpretes, vt explicent, quod sit hoc Dauidis opprobrium, quod suspicatus est, & quod à se amputari obnixè postulat. Plures huius loci expositiones alibi sparsim dedimus, ad litteram forsan, & ad mores non inidoneas: nunc non vulgarem Aurelij Cassiodori commentationem exscribam, quæ thema præsens eleganter elucidat: *Amputa, inquit, opprobrium, quod suspicatus sum. Maximum vitium humanitatis est suspicio, qua aliter putat, quàm sit veritas, vt de malis bona, & de bonis mala dicimus, quæ ducit in opprobrium. Quam culpam à se optat amoueri amator veritatis, cui placent iudicia Dei.* Nempe opprobrium suum, quod Dauid à se amputari obnixè apprecatur, est maximum vitium humanitatis, *vt de malis bona, & de bonis mala dicamus.* Non miraret 2.

Psal. 118. v. 39.

Cassiodorus apud Gloss.

Opprobrium suum appellat David, Malos laudasse.

miraret dici maximum humanitatis vitium, & contumeliosum hominis opprobrium, cùm quis maledicentiæ prurigine extimulatus, *de bonis mala dicit:* scatet enim prauitatibus eiusmodi maliloquentia; & quam merito Dauid *opprobrium suum* appellasset. At *de malis bona dicere*, non tam videtur probrosè absurdum. Quis enim eucharem, ac beneloquam linguam sic condemnet? Fateor, leuiculis coniecturis bona, quæ laudet, fingit; & mala vituperio digna, rectè dissimulat; sed tandem beneloquus fratrem laudat, & prædicatione commendat, beneuolentiam nutrit, & concordiam fouet, mellit laudatione linguam; non vituperiis, etsi condignis, de maliloquij veneno toxicat. Verùm enimverò quicquid sit de malis felleo ore vituperandis; quod facere, vt aliquando expedit, ita vniuersatim fieri inconuenit; at malos laudare non expedit, ne eorum adipare malitiam, vitia saginare, & imbonitatem fouere videatis. Cui malus in laude est, bonus erit in vituperio. De laude tua, rei censum facis; & maximo in pretio apud te est, quod gloriosè commendas. Tua malorum laus, eorum malitiam aut malitiosè commendat, aut fraudulenter abscondit; exinde impunè serpit tuo suffragio gloriosa. Quicquid laudis malo adiicis, virtuti dolosè detrahis, quæ de vitij imbonitate commendatur. Hinc Dauid æquus rerum æstimator, adæquè hîc detestari videtur, quasi adæquè flebile, & sibi inhonestum; de bonis mala, ac de malis bona dixisse, aiens: *Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum. Maximum vitium humanitatis, est, vt de malis bona, vel de bonis mala dicamus.* Acutè quidem Cassiodorus.

3. Isaias cap. 5. arrogantem Hebræi populi impudentiam, quæ bonum promiscuè, ac malum commendat, aut vituperat, asperiùs incusat, &

Isai c 5. v. 20. acerbioribus minis seuerè castigat. *Væ*, inquit, *qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Dei minas, quas Prophetæ per verbum, *væ* intimant, acerbissimum aliquod, & funestum pœnalissimè supplicium denotant. Sed scrutemur, si placet, quale sit scelus tam seuerâ mulctâ condignum. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* Immane quidem meretur supplicium vituperonum lingua, quæ maledicentiæ priuilegio, *bonum* maledictis proscindit, & maliloquij arbitrio infuscare, & deprauare satagit. Congruè ergo flebilia impendent ei, qui bonum, quasi malus foret, vituperiis onerare impudenter audet. Ast non videtur tam grande flagitium, *malum* æstimare quasi *bonum*, illum laudare, & diuite linguæ commendatione illustrare. Quare ergo primo, id est, principe loco, *væ* ei dicitur, & minis terretur, *qui dicit malum bonum?* Dio Chrysostomus sapientum retrò Philosophorum eruditione imbutus, sic de adulatore sententiosè scribit: *Quod honestissimum, iustissimúmque in vita est, corrumpit, nempe laudem; & (quod omnium pessimum est) virtutis præmia vitio attribuit. Itaque multò peius faciunt, quàm qui corrumpunt monetam.* Ecce tibi apprimè descripta eius malitia, qui *malum* audet dicere bonum: nempe quod honestissimum *iustissimúmque* in vita est, *corrumpit, laudem*, inquam: dum laudationis gloriam, quæ est virtutis præmium, vitio iniquus æstimator attribuit. Quonam supplicio condignus esset Iudex, qui omnium scelerum reum, non seueriori pœnâ sed opulento, & illustri virtutis præmio gloriosè muneraret? Ergo qui malos magnificè dilaudat,

Qui malos laudat, multò peius facit, quàm qui corrumpit monetam.
Dio Chrys. Orat. 3.

& *dicit malum bonum*, præmium virtutis adulterat, cum illud malis erogat. Quod de adulterio nummorum explicatiùs declarat. *Itaque*, inquit, *multò peius faciunt, quàm qui corrumpunt monetam.* Porrò moneta, quæ in omnium humanorum contractuum commercio commune est instrumentum, si subærata, adulteratáve sit, nullo habetur in pretio; & quæ contractuum vsui vtiliter deseruiebat, abusus commerciorum est, & læsæ maiestatis reatus, acerbiori, & probrosiori supplicio dignissimus: ita laus, cùm *iustissimum* virtutis pretium, & præmium sit, si fictione, aut adulatione corrumpitur, magno benè gestorum dispendio, valorem perdit; & inde nulla virtutis sinceræ compensatio relinquitur; cùm laus bonis ac malis indifferenter tributa, suspecta adulterij sit, velut falsata moneta, non tam vsui, quàm abusui peruia. *Væ qui dicitis malum bonum.* Laudem adulterat, qui eam malis impendit. Qui malos laudat, reus laudis est, & probroso vituperio dignissimus. *Maximum vitium humanitatis est, vt de malis bona, vel de bonis mala dicamus.*

Pergit idem Propheta Isaias: *Væ ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Quæ verba sic 4.
ad rem exponit, & illustrat Saluianus Massil. ensis: *Omnes admodum enim se laudari volunt; nulli grata reprehensio est: imò quod peius multò est, quamlibet malus, quamlibet perditus mauult mendaciter prædicari, quàm iure reprehendi; & falsarum laudum irrisionibus decipi, quàm saluberrimâ admonitione seruari. Et cùm hæc ita sint, quid agendum est? numquid voluntati improborum hominum inseruiendum? aut si sibi, & iam illi friuolas laudes deferri volunt, decet nos friuola, atque irridenda deferre? maximè cùm à fidelibus viris, nec illi quidem irrideri debeant, qui se irrideri volunt: sicut ne illi quidem mendaciter prædicari, qui se cupiunt titulo etiam falsæ laudis ornari, quia non tam illud quod vnusquisque eorum cupiat audire, quàm quod nos dicere deceat considerandum est: præcipuè cùm Propheta dicat: Væ his qui dicunt dulce amarum, & amarum dulce: ac per hoc modis omnibus tenenda veritas, vt quod in re est, hoc & in verbis sit: quæ in se dulcedinem habent, dulcia; quæ amaritudinem amara dicantur.* Prolixiùs quidem, sed ad rem percommodè. Quisque enim mauult mendaciter prædicari, quàm iure reprehendi; & falsarum laudum irrisionibus decipi, quàm saluberrimâ admonitione seruari: & eos, qui oris adulterio ponunt dulce in amarum, amarum in dulce, adulteratis auribus excipit, fœdo veritatis stupro.

Isaiæ 5. v 20.
Saluian. l. 8. de Gubern. Dei.

Quisque mauult mendaciter prædicari, quàm iure reprehendi.

§. CCCXXXV.

Filiorum perfectio, perfectionem in parentes reuerberat.

NOmen rei definitio seu character est, quem aliena impressit opinio. Hinc affectata vocabulorum grandiloquentia; sed quam recula Chameleontis eludit, ad humanæ arrogantiæ frustrationem. Ecquis olim & nunc suæ memoriæ adhuc post mortem immortaliter frequentandæ, non ita studet, vt vel litteraturæ operibus, vel bellorum facinoribus, vel simplici laude morum, vel ipsorum sepulchrorum ambitione, nomen suum seruet? Sed frustra labor: nomen enim idem cum re fatum patitur. Hinc passim tot nominum cum rebus mortes, & tot vocabulorum cadauera, 1.

Filius, nouum Patris nomen est.

ca lauta, obliuione posthumâ æternùm sepulta. Dei vnicè nomen æternat, quia vocabili elogium ab essentia sumit, ipso ad Moysen denunciante: *Ego sum qui sum.* Aliàs: *Ego sum qui ero.* Sed Tertullianus quo solet ingenij acumine, aliud Dei nomen, multis retrò seculis ignotum, in Euangelio opportunè reuelatum, his verbis argumentatur: *Nomen Dei Patris nemini proditum fuerat: etiam qui de ipso interrogauerat Moyses: aliud quidem nomen audierat. Nobis reuelatum est in Filio. Iam enim Filius nouum Patris nomen est.* Filius Dei, nouum Patris nomen est? Noua hæc nominum Dei Philosophia, adhuc in Theologiæ Scholis peregrinatur. Sed audi prælustrem Commentatoris ecphrasim: *Iam Filius nomen Patris est.* Quasi dicat: Cùm sciamus iam esse Dei Filium, fit perinde, vt sciamus esse Patrem eius: nam Filius non absque Patre. Ergo *iam Filius nouum Patris nomen est.* ac sic per Filij nomen, augusta Dei Patris natura, eiusdémque elogia sublimissima, quasi per nouum vocabulum denotentur. adeò vt tota Patris essentialis perfectio eluceat in Filio; & quicquid perfectionis Filio adimeretur (si fieri posset) Patri quoque deesse necessum sit. Quod in diuinis verum esset, in humanis plerumque certum est.

Exodi 3. v. 14.

Tertull. lib. de Orat. c. 3.

Cerda ibid.

2. Ioannis 14. in prælustri illa concione, quam in Passionis vestibulo Christus Deus ad Discipulos habuit, totus est, vt eis ostendat, se Dei Patris esse naturalem Filium. *Si cognouissetis me* inquit, *& Patrem meum vtique cognouissetis:* & amodò cognoscetis eum, & vidistis eum. Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. *Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quo modo tu dicis: Ostende nobis Patrem?* Ex hac Christi sententia multa mouet vtraque ipsissima Theologia, & expositiua & scholastica, vt ostendat quo modo qui perfectè Christum videt, penitiùs Patrem Deum agnoscat. Mitto hîc multa, ne longum faciam, sed citiùs exscribam quod hac super re & altè excogitauit, & eloquenter disseruit Zeno Veronensis, sic de Dei Patris summâ perfectione fatus: Solus, inquit, est ante omnia, & post omnia, quoniam in eius manu inclusa sunt omnia, ex se est quod est. Solus sui conscius, quantus & qualis est. Solus perfectus: quia non potest illi aliquid nec addi, nec minui. Solus omnipotens: quia ex nihilo vniuersa constituit, virtute regit, maiestate custodit. Solus inde mutabilis, ac semper æqualis: quia in se non admittit ætatem. Solus sempiternus: immortalis est Dominus. (His doctè præmissis, de Patris Dei augustissima perfectione, attentiùs expende verba, quæ subdit ad rem) *Hic est Deus noster, qui se digessit in Deum. Hic Pater, qui suo manente integro statu, totum se reciprocauit in Filium, nequid sibimet derogaret.* Scilicet consultissimè magnus hic Ecclesiæ Doctor postquam sublimissima Dei Patris elogia explicatiùs recensuit, statim arcanam Filij generationem exponens, ait, quòd Deus Pater suo manente integro perfectionis statu, *totum se reciprocauit in Filium, ne quid sibimet derogaret.* Nam si aliquid suæ perfectionis Filio suo non communicaret, Filio deesset: quicquid autem perfectionis Filio deesset, Patri etiam deesse necessum est. Vnde *Pater totum se reciprocauit in Filium, ne quid sibimet derogaret.* Nihil Paternæ perfectionis Filio deest, ne Filij defectus reciprocetur in Patrem: nam perfectio, quâ Filius

Ioan. 14. v. 9.

Pater se reciprocat in Filium, ne quid sibi deroget.

S. Zeno Veron. de Genes. serm. 1.

careret, Pater non haberet. Sic Filius paternam reuerberat dignitatem: Sic *Filius nouum Patris nomen est:* Sic Filius est paternæ perfectionis velut commentarius: Perfectior imago Patris Filius est. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem: qui totum se reciprocauit in Filium, ne quid sibimet derogaret,* Itaque seruatâ humanorum ad diuina (vt par est) analogia, perfectio senioris Tobiæ, ex filij etiam perfectione taxanda est. Vnde *intuens Tobiam iuniorem Raguel, dixit Annæ vxori suæ: Quam similis est iuuenis iste consobrino meo...... Dixit Angelus ad Raguelem: Tobias, de quo interrogas, pater istius est.* Quasi Tobias legitimâ generatione, & perfectâ educatione, quodammodo *se reciprocarit in filium, ne quid sibimet derogaret.* Porrò Filij nætus Patrem quoque deuenustat. His etiam ex bonis filiis benedictio parentibus dicitur.

Tob. 7. v. 2.

Hic vers. 1.

Sapientiæ 7. multa densè adglomerantur sapientiæ elogia, quæ de increata Dei sapientia, Verbo inquam, æterno, seu naturali Dei Filio communiter SS. Patres, & passim Interpretes accipiunt. *Candor* est, inquit, *lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Dei Patris *maiestas* & *bonitas* in hac imagine duntaxat repræsentantur? An non etiam in hac Dei imagine, apparent etiam reliqua Patris attributa, quæ humano sensu non sic gloriosa putantur? Sed alibi copiosè ostendimus, quare etsi omnia attributa appareant; hæc quæ apud homines generosiora habentur, nuncupatim repræsentari dicantur. Addit Salomon: *Vapor est enim virtutis Dei,* (eructauit cor meum Verbum bonum) *& emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera.* Quæ verba sic Ambrosius ad increatam sapientiam accommodat eleganter, non sine aspectu ad Patrem Deum: *Sicut dixit Salomon, Sapientia non de terra exorta est, sed de Patre. Est enim splendor lucis æternæ, & manatio omnipotentis gloriæ.* Nempe Deus Pater manente integro statu, totum se reciprocauit in Filium; nam si aliquid perfectionis Filio deesset, quæ reperitur in Patre, aliquid sibi Pater derogaret; esset enim Pater non adæquè perfecti Filij. Imò nescio quo nouo verborum splendore sumptuosiùs explicantur Filij Dei perfectiones, cùm *de Patre exoritur:* tunc enim dicitur, Candor lucis æternæ, speculum Dei maiestatis, & imagó bonitatis illius: & nunc (vt Ambrosius exscribit, & exponit) *Manatio omnipotentis gloriæ.* quo opinor, *Generositatem illius glorificat.* Porrò tam generosè Deus Filius *de Patre exoritur,* vt *manatio omnipotentis gloriæ* iure nuncupetur. Quâ, oro te, sumptuosiori verborum pompâ explicari potuit summa Patris gloria, dum æternâ generatione se in Filium reciprocat, quàm dum dicitur, *De Patre exoritur Splendor lucis æternæ, & manatio omnipotentis gloriæ?* Et sanè tam augusta Filij commendatio, generositatem Patris glorificat; qui sic se digessit in Deum, se reciprocauit in Filium, nequid sibimet derogaret.

3.

Filius, dum à Patre Deo semper oritur, manatio omnipotentis gloriæ nuncupatur.

Sapient. 7. v. 25.

Ambr. lib. de Paradiso c. 1.

Sap. 8. v. 3.

4. Geneseos 21. dixit Abimelech Gerarorum rex, & Phicol princeps exercitus eius ad Abraham: Deus tecú est in vniuersis quæ agis. *Iura ergo per Deum, ne noceas mihi, & posteris meis, stirpique meæ.* Chaldaicè sic totus locus exscribitur, & paraphrasticè claratur: *Ne noceas mihi, & filio meo, & filio filij mei,* nepoti inquã. Pro quibus verbis 70. Interpretes vertunt: *Ne noceas nomini meo.* Filius, nomen est parentis: Nepósne nomen est aui? Num Christus ipse est Ioachimi & Annæ nomen? ô

Gen. 21. v. 23.

Chaldæus 70 Interpret.

A nepote auus nomen habet.

quàm augustum nomen à nepote Deo quodammodo fœnerant! Alteruter Christi auus, Iesus, id est, Salus dicitur? vterque propemodum Christus nominatur. Saltem apud septuaginta Interpretes, nepos ipse aui nomen est. *Ne noceas filio filij mei*: id est, *Ne noceas nomini meo.* Ecce quomodo filiorum & nepotum claritas, in parentes & auos claritatem reuerberat. Vnde dixit Chrysologus: *Honor geniti, genitoris honor est: perfectio geniti, generantis forma est.* Nisi forte malis, filios non modò esse nomen, sed rem etiam patris. Porrò dum Iacobus auarâ necessitate cogitur filios munificè mittere in Ægyptum, qui eant frumentatum; sic ore Philonis loquitur: *Interim ipse membratim pereo: nam parentum partes sunt liberi.* Breuis quidem sententia, sed prolixâ fœcunditate grauida.

Chrysolog. serm. 6. *Parentum partes sunt liberi.*

Philo lib. de Ioseph.

5. Prouerbiorum 10. *Filius sapiens lætificat patrem: filius verò stultus mœstitia est matris suæ.* Sed in ipso sententiæ vestibulo statim descripta legitur difficultas, quare de strenuo filio lætitia patri accommodetur; de filio autem ignauo, matri aptetur mœstitudo. P. Ferdinandus de Salazar meus in re Biblica Magister, eruditè obseruat & probat, quòd si Sacræ Scripturæ phrasim captemus, idem sæpè est *lætificare*, ac magnificare, aut magnum reddere. Item *mœstitia afficere*, idem sonat, quòd vilem reddere, ac paruum: quasi filiorum honore, magni, sublimes, & generosi parentes reddantur. S. Bernardus in homil. 4. super *Missus est*, Deiparæ laudes ex hoc loco & doctrina auspicatur: *Non est dubium*, inquit, *quidquid in laudibus matris proferimus, ad filium pertinere: & rursum cùm filium honoramus, à gloria matris non recedimus. Nam si iuxta Salomonem, Filius sapiens gloria est patris, quantò magis gloriosum est matrem ipsius effici sapientiæ?* O quanta est Deiparæ gloria, quam ex filio Dei metiri iubemur! Vices vtriusque laus generosè reciprocat: & dum Mater de se canit: *Magnificat anima mea Dominum*; Salomon Dei nomine recinit: *Filius sapiens magnificat parentem.* O quantum est fastigium, ad quod ex Filij magnitudine Deipara sublimatur! *Cùm filium honoramus à gloria matris non recedimus.*

Prouerb. 10. v. 1.

Ferd. Salaz. ibid. num. 6. *Cùm Dei filium honoramus, à gloria Matris non recedimus.*

S. Bernard. hom. 4 super *Missus est.*

---

§. CCCXXXVI.

Mundialis felicitas, aquæ, & luci similis est; quæ gratiam placendi non habet, nisi iugiter influat, & visa semper abscedat.

1. NEcessaria metitur vtilitas, superuacua quò redigès? inania, & ex libidine orta, fine termino sunt, incerta, momentanea, volatica. Seruiunt itaque homines voluptatibus suis, non fruuntur; & fugitiua mala sua sistere amant. Tunc enim miserior est infœlicitas, vbi voluptuosa non solùm possessione delectant, sed fugà placent: & desinit esse remedio locus, vbi quæ fuerant vitia, mores sunt. Abeunt autem sensim in mores, cùm de fallendi ingenio, citò fugit voluptas, & festinata possessio transit in votum; & denuò ardenter cupere incipis, quod si plusculum duraret, incepisses fastidire. Sæpè voluptuosa è peruerso auxiliantur, diuturnitate fastidium generant: cùm enim sese homines auidè cupitis ingurgitant, confestim ad nuper cupita nauseant, & de mentita voluptatis gratia, tædij experientia informantur. Sic est voluptas in spe officiosa, in possessione fastidiosa! Exinde celerrimè fugit, vt de absentia auidam alliciat spem, rursúsque transeat in dulce votum, cuius nos in durabili possessione tæderet. Audiendus est Nazianzenus sic eleganter fatus: *Homines rebus in aspectum cadentibus aciem affigunt, eásque & egregiâ stabilitate præditas esse, & progredi, atque immotè, vt ita dicam, moueri voluique conspiciunt*, &c. stabiles putas mundi voluptates; sed immotè mouentur. O friuolas, mentitas, atque falsatas mundi delicias, de absentia gratas, de possessione fastidiosas, de fuga delectabiles! Iam nunc si putas (Tertulliani sunt verba) delectamentis exigere spatium hoc, cur tam ingratus es, vt tot & tales voluptates à Deo contributas, tibi satis non habeas, neque recognoscas? Quid enim iucundiùs, quàm veritatis reuelatio, quàm errorum recognitio? *Quæ maior voluptas, quàm fastidium ipsius voluptatis.*

Naz. Orat. in Theolog. *Nulla maior voluptas quã fastidium ipsius voluptatis.*

Tertull. lib. de Spect. c. 29.

Ioannis 4. Christus Deus itineris labore lassus, torrente meridie exæstuans, propè fontem Iacob fatigatus resedit. Et ecce mulier Samaritana venustate, & scortatione famosa, illic confestim adest, hydriæ baiula, vt stagnantem aquam è puteo hauriret ad bibendum & viuendum. Potum ab ea Christus expetit: illa verò scrupulosè auara, religionem admiratione causatur. Et sanè mulier quæ præ voluptatis æstu *bibit sicut aquam iniquitatem*, hæc audit è Christi ore: Respondit Iesus & dixit ei: *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam*, Tu aquam in puteò pigrè stagnantem haurire venis, & aquam viuam, id est, iugiter fluentem perenni cursu, negligis. *Bibis sicut aquam iniquitatem*, voluptates exæstuans pigros de cisterna latices quæris, & viuas decursu aquas non anhelas? S. Augustinus præfata Ioannis verba exponens, ita scribit: *Dicitur enim vulgò aqua viua, illa quæ de fonte exit: illa enim quæ colligitur de pluuia in lacunas, aut cisternas, aqua viua non dicitur.* Hinc tropologicus huius loci sensus, ad mores luculentus euadit, & ad rem præsentem opportunus. Scilicet *aquæ* vocabulo voluptas innuitur, vt Lauretus doctè tradit. Inde ergo incusatur fatua huius mulieris ignoratio, quæ segniter stagnantes voluptatum aquas quærit, *viuas* negligit, & quæ de perenni lapsu gratiam placendi combibunt, qui est voluptatum humanarum genius, & quem perbellè Cassiodorus his verbis expressit: *Gratiam vnda non habet, nisi iugiter influit, & visa semper abscedit. Illa enim quæ pulchrè riuis exercitata ridet, quàm deformis est in lacunis? palus enim nec visu grata, nec iumentis accommoda.* Quid deformem aquam in cisterna pigrè stagnantem quæris, quæ vel de diuturnæ visionis satietate fastiditur? humanæ voluptatis vnda gratiam placendi non habet, nisi quæ perenniter labitur, & dum visa semper abscedit, de fugitiuo potiùs lapsu, quàm de permanentiæ desidia perplacet. Ridet aqua, dum labitur, & cùm semel visa, festinato se cursu longiùs absentat, abscedendo adridet, quæ de segnitie moueret fastidium. O mulier mundialibus innutrita deliciis, an non ad consueta nauseas, & fastidio auersaris, quod dudum hianter expetisti? an non de experientia nosti, quod mundi voluptabilia gratiam non habent, nisi quam festinatior fuga è peruerso conciliat, dum euanescens possessio

Ioan. 4. v. 10.

S. Aug. tr. 15. in Ioann.

Lauret. verb. Aqua.

Cassiod. li. 8. var. epist. 30. *Voluptas vndæ comparatur, quæ semper fluit, & visa semper abscedit.*

possessio rursus transit in votum, & placet iam desiderio, quod in possessione nauseam excitaret? O bonum voluptatum hieroglyphicum, in *viuis aquis* moralissimè expressum! *Gratiam vnda non habet, nisi iugiter influit, & visa semper abscedit. Illa enim quæ pulchrè in riuis exercitata ridet, quàm deformis est in lacunis?* O auarum voluptatis humanæ genium! celerior voluptabilium fuga, arbitrium placendi est; vt de spe sumat pretium, quod de possessione vilescit. Quò cælestium voluptatum Samaritanæ sitim ingerat Christus non pigris aquis in cisterna iacentibus, eas comparat; sed *aquis viuis* vt ex similitudine ad terrenas delicias, quæ vberiùs delectant, neque fastidio vnquam depretiantur, cæli deliciæ sumptuosiùs æstimentur. Hinc ethicè viuas aquas pollicetur Christus: *Et dedissem tibi aquam viuam. Gratiam vnda non habet, nisi quæ iugiter fluit, & visa semper abscedit. Illa enim quæ pulchrè riuis exercitata ridet, quàm deformis est in lacunis?*

3. Gen.1.v.4. Ceruar verbo, Sol. Lux quæ recens nata, adhuc rudis & incompta, placuit. *Et vidit Deus lucem quòd esset bona*, id est grata, vtilis, iucunda, delectabilis. Hinc humanæ felicitatis symbolum est, (vt ex S. Hieronymo notauit Ceruariensis) & fluentibus è suo fonte vndis assimilatur, vt placendi gratiam cum similitudine combibat. Itaque Iosue 15. Sacer Historicus Iudæ sortem describens, ita scribit: *Transitque aquas, quæ vocantur, Fons Solis: & erunt exitus eius ad fontem Rogel.* Transeunt aquæ è fonte Solis, & fulgentium radiorum origo, fons dicitur è quo vndarum adinstar luces emanant, quò vndarum de grato lapsu, & ridente discessu, æmulæ, gratiam placendi de abscessu fugitiuo mutuentur. Baruch 3. *Qui emittit lumen, & vadit, & vocauit illud, & obediuit illi in tremore. Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt: vocatæ sunt, & dixerunt: Adsumus: & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.* Cùm hilarior ridet lux, tunc *emitti* dicitur, è lucis fonte abire, absentari, & rursus reuocari? E *fonte Solis*, radios velut riuulos, *emitti* putes, quò gratiores de abscessu appareant, instar aquæ, quæ è fonte emicans, de discessu, placendi gratiam fœneratur. *Gratiam vnda non habet, nisi quæ iugiter influit, & visa semper abscedit*, &c. Hinc *Fons Solis emittit lucem, & vadit.* Itaque de placendi studio venit hilaris lucis abscessus: *Quo iubente dulcior lux est, quæ aliquando desinit, quàm si iugiter permaneret*, inquit Ennodius. Ex hac officiositate placendi etiam ipso recessu, forsan exortum est illud Epicuræorum dogma: *Ignes cælestes quotidie extingui, & accendi.* Quò Tertullianus videtur alludere, ita scribens: *Lux quotidie interfecta resplendet, & tenebræ pari vice recedendo succedunt, sidera defuncta viuescunt.* (De cælestium fulgorum gratâ pariter ac perenni vicissitudine, eloquenter tractat S. Zeno Veronensis in serm. de Resurrect.) ô quàm est gratiæ, auara, mundialis gratia! vel lux ipsa de abscessu, & interstinctione placet. Profundè mœrentis hæc vox est: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Profectò præuiæ tenebræ, meditatio gaudij est, quo lux futura perfundet: dulcior enim est lux, quæ aliquando desinit. De fonte non solùm manant aquæ, sed & luces; vt de discessu, placendi gratiam exaggerent. Quò vnius Dei (& eorum, quos ipse suo aspectu beat) singulare sit elogium, æternaturâ felicitate perfrui absque euariationis blandimento.

Iosue 15. v.7. *Fons Solis suos radios, vndarum adinstar emittit.*

Baruch.3. v.33. & 34. & 35.

Ennod. de Bened.cer.

Tertull. in Apolog.

Tob.5.v.12.

Hic vers.11.

4. Nec minùs eleganter ad rem, de peccatore, qui allectus voluptatis blanditiis delinquit, fatur Emisenus: Quid prodest, quòd homo sonantem fugit arcum, qui iaculum portat secum infixum? Serpens ille etsi reuocauit morsum, reliquit venenum. *Fecit quisque peccatum, vt aliquam corporalem caperet voluptatem: remanet, quod damnat, præterit, quod delectat: consummata iniquitas permanet, voluptas fugitiua pertransit.* Benè quidem *fugitiua* dicitur voluptas, quæ aquæ adinstar in transitu placet: & nisi fugiat, fastiditur. Ad quod intentiùs hiamus, protinùs nauseamus adeptum. Festinè absentatur voluptas, vt iterum de absentia placeat, quod de præsentia subinde tædio est Fugitiua voluptas de proprio genio citò disparet, quæ nisi de varietate non reficit Heu in peccatore *remanet quod damnat præterit, quod delectat: consummata iniquitas permanet, voluptas fugitiua pertransit.* Palus odoratui deformis, nec visui grata, diu ingratiam seruat diuturnâ sensuum molestiâ: sed gratiam vnda non habet, nisi iugiter influit, & visa semper abscedit, & *fugitiua pertransit*. Eloquenter dixit Chrysologus hac de re fatus: *Nos ergo duriores Iudæis, qui fugientem sequimur mundum, præsentibus inhiamus.* quasi fuga ipsa delectet, & appetentiam exacuat; dum fugitiuam voluptatis præsentiam ardentes hiamus. O malum! *Quid est quod permansura non ambiunt, qui ambiunt transitura?* Arguitè pariter, ac profundè dixit alliorsum Seleuciensis Basilius: *Sensum fallit, vt sensum excitet.* O fabulosam voluptatem, quæ sensum non mouet, si ei contingat de fallacia non iuuari! *Ne dulcescant fauces tuæ*, (inquit Naziànzenus) *in quas protrahitur, quicquid porrigitur: & quod antequam accipiatur in pretio est, idem acceptum vilescit, & contemnitur*, donec rursus absit, vt rursus nouâ placendi gratiâ delectet.

In peccatore consummata iniquitas permanet, voluptas fugitiua pertransit.

Chrysol. serm. 167.

Idem serm. 144.

Basil. Orat. 17.

Naz. Orat. 41.

5. Geneseos 37. aliud quoque somnium vidit Ioseph, quod narrans fratribus, ait: *Vidi per somnium quasi Solem, & Lunam, & Stellas vndecim adorare me.* Ferè conuenit inter Expositores hoc somniato præsagio Iosephi principatum, & mundialem illius gloriam adumbrari. Grande verò dubium est, quando eius pater Iacob, & mater Rachel, significari per Solem, & Lunam, Iosephum adorauerint. Quâ super re vbertim huius loci Interpretes. Oleaster ita scribit: *Hebræorum aliqui dicunt, quòd licet pater, & mater non adorauerint eum in personis propriis; voluisse tamen Dominum (vt verificaretur somnium) postea ipsum Solem, & Lunam, non ipsum Ioseph, sed Iosue (qui fuit de Tribu eius) vt habetur Iosue 10. adorasse.* Quoad sensum litteralem attinet, hæc commentario passim refutatur, & quidem validiùs in sensu morali. Porrò ideò mundi gloria, quâ sublimandus erat Iosephus, Soli, & Lunæ, & Stellis comparatur, quia etsi splendidè fulgeant, tamen ocyssimo cursu eunt, & redeunt, vnde placendi gratiam copiosè fœnerantur, dum visa semper abscedunt. Sub Iosue autem Sol, & Luna steterunt immota, non bono (opinor) felicitatis humanæ hieroglyphico. Fortuna enim rotatu perpeti mundanam felicitatem euariat; quin & de immutatione aliqua persæpè dulciùs sapit. Hinc Ioseph. mundanam in Ægypto gloriam videns, in somno sapienter vigilat ad exprimendum humanæ felicitatis genium: *Vidi*, inquit, *per somnium quasi Solem, & Lunam, & stellas vndecim adorare me.* O celerrimè fugitiuos siderũ cursus, quò rursus eosdem siderum splendores fugâ ipsâ oculis restituant, vt rursus reditura discedant. O prælustræ mundanæ felicitatis symbolũ!

Gen.37.v.9. *Siderum cursus mundialem felicitatẽ pulchrè adũbrant.*

Oleaster ib.

§. CCCXXXVII.

Sublimissimæ dignitatis fastus, pristinæ vilitatis memoriâ detumescit.

1. CVm videris prætextam sæpè iam sumptam, & celebre in foro nomen, non inuideas: ista vitæ damno parantur: vt vnus ab illis numeretur annus, omnes annos suos conterunt. Quosdam autem cùm in summum ambitionis eniterentur, inter prima luctantes, ætas reliquit. Quosdam cùm in consummationem dignitatis per mille indignitates irrepsissent, misera subit cogitatio, ipsos laborasse in titulum sepulcri. Quidam in summo fastigio collocati, suam olim indignitatem præclariùs publicant, dum in sublimi te præfulget pristina tua, aut tuæ familiæ vilitas. O quot videas ipsa sublimitate viles, & felicitate sua infelices! Nuper humilis in fastigio positus, pristinæ vilitatis reuiuiscit, dum præclarum munus antiquam ignobilitatem clarat, & ante omnium oculos palam prostituit. Nil tam acerbè sublimem sauciat, quam infimæ olim tenuitatis memoria, quæ animos arroganter superbientis & acerbè sistit, & squalidè deprimit. Claritate fastigij vmbræ transiucent in sublimi. O! quid tuam contumeliam exambis?

Vmbra pristinæ vilitatis, in sublimitate perlucet.

2. Lucæ 16. Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura, & bysso: & epulabatur quotidie splendidè. *Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis.* Tandem moritur diues, & fornicato è marmoribus sepulchro ambitiosè conditur; anima verò ambitiosioribus gehennæ ignibus vstulatur. Lazarus autem beatis calamitatibus sepulchrum construxit in cælo, quo eius animus portitoribus Angelis sublimatur. Diues autem cùm esset in tormentis, oculos subleuans, eminùs videt Lazarum in cælesti Abrahæ sinu, empyreo Beatorum regno gloriosè fulgentem. Quo viso, vocem eleuat, vt Abrahamus illum ad se mittat, quò aquulæ guttâ miserè æstuantem refrigeret. Missionem Abrahamus recusat; sed adhuc diues, diuitiarum nuper fastu importunus, ait: *Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei. habeo enim quinque fratres,* &c. Modò rogas; modò tibi tempus patiendi est, non rogandi. *Rogo te pater.* Quid? *Vt mittas Lazarum in domum patris mei.* ante quam benè iacuit Lazarus: ad illam ianuam, in qua fame sua inhumanitatis tuæ titulos fixit, vbi postes tuos suis vlceribus laureauit, vbi sanie suâ canes tuos pauit. Patere ergo stare vices, iam depone dolos. Scilicet quia tu Lazarum non potes videre, scitur, quia *plus te felicitas Lazari, quàm gehenna torquet incendium.* Sed quid est, quòd adhuc instat, vt sublimis iam Lazarus in domum patris sui mittatur? Esto, Lazari felicitate crucietur, & ei empyream sublimitatem inuideat; quo modo illum mittendo in domum patris sui, & quam ipse Diues nuper habitabat, felicem Lazarum infelicitare, & humiliare præsumit? Neque erat Diues ille tam rerum cælestium ignarus, vt nesciret, Beatos etsi in terris ad tempus versentur, beatitudinem non amittere. Quin etiam mitteretur ad conuersionem fratrum, Angelicum & Apostolicum planè ministerium, & beatis hominibus sublimissimú. Quo pacto ergo hic Diues sic præ inuidia stultescit, vt ad summam Lazari inquietandam felicitatem, illum in paternam suam domum mitti, inuidiosè suspiret? Quare dum *plus Diuitem felicitas Lazari, quàm gehennæ torquet incendium,* obnixè clamat: *Rogo te pater vt mittas eum in domum patris mei?* Bellissimè Chrysologus ad ea Lucæ verba: *Ante dixit: Mitte Lazarum ad me. Modò dicit: Mitte in domum patris mei, ad fratres meos. Dolet, agit infelix, ne videat felicem, quem aliquando putauerat infelicem.* Nempe damnatissimus hic Diues, de Diabolorum inuidia versutissimè eruditus, videt Lazarum in empyreæ gloriæ prælustri throno sublimem, exinde vt illum deuenustet, & tantam (si fieri posset) gloriam adulteret; illum mitti satagit in superbam suam domum, vbi nuper *mendicus iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis.* Nouerat, nouerat quidem hic Diues, vanæ gloriæ diu mancipium, & humanæ fortunæ fastu arrogantèr inflatus, quàm deuenustet sublimes, antiquæ vilitatis memoria: vnde inuidiæ œstro agitatus, solerter satagit, vt Lazarus nunc sublimissimè felix, reuisat domum, ad cuius postes mendicus iacebat, vlceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ de eius diuite mensa defluebant, quò putat fore, vt tanta Lazari gloria detumescat, tantum decrescat fastigium, tanta beatitudo exacerbetur, & tanta felicitas, pristinæ vilitatis recordatione egregiè infelicitetur. Hinc versutissimum illud inuidiæ arbitrium: Mitte illum in domum patris mei. *Dolet, agit infelix, ne videat felicem, quem aliquando putauerat infelicem,* dum mendicus, & vlceribus plenus, nuper iacebat ad paternæ domus postes superbos. Quid luculentius? O, hinc noui homines discant non superbire ad summum dignitatum culmen euecti: experientiâ quidem compertum est, quòd nemo tam arroganter in fastigio dignitatis insolescit, quàm qui nuper abiectus, & honoribus, insuetus, honoris fastigio sublimatur. Ergo frequenter nuperrimam gloriam pristinæ vilitatis infestet recordatio, quò arrogantiæ medicinam faciat, & ambitioni cauterem inurat.

Luc. 16. v. 27.

Chrysolog. serm. 66.

Inuidus ille Diues, felicè in cælo Lazarum infelicitare præsumit, pristinæ vilitatis memoria.

Chrysolog. serm. 123.

Luc. 16. v. 21

Geneseos 49. postquam Iacobus morti proximus, duodecim filiis totidem Tribuum Patriarchis, sigillatim benedixit, & fausta quæque præsagâ mente, de eorum posteritate prædixit; exosus Ægypti mausolea eius ossa in Chananitidem deferri, & in auito sepulchro tumulari seriò mandat. *Et præcepit eis, dicens: Ego congregor ad populum meum: sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici, quæ est in agro Ephron Hethæi, contra Mambre in terra Chanaam, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethæo in possessionem sepulchri.* Quid Iacobi interest humine an sublimi putrescat? Sanctissimam eius animam beatus Abrahæ sinus lætanter excipiet, quid tanti refert se humari in paterno Chananææ tumulo? An non sumptuosius monumentum Ægyptus moliretur, cui charissimus filiorum præerat? Quid Ægyptum inquietat modestissimus senex, vt in Chananitide sepeliatur? O quot supernacaneis sumptibus foret parcitum, si funeralis Patriarchalium cinerum pompa per tot exteras & barbaras nationes non foret deducenda. Quorsum in pio & modestissimo sene, tanta Chananæi sepulchri cura? Opportunissimè Lipomanus ad præfata Geneseos verba ita ad rem præsentem litteralissimè, & moralissimè fatur: *In spelunca duplici, &c. Emptio autem* 3.

Gen. 49. v. 29. & 30.

In Chananæa sepulchro humari se mandat Iacob, vt eius sepulchri, regia fastum reprimat.

Lippomanus ibidem.

autem agri & spelunca, & tam diligens monumenti descriptio, commendat Patriarcharum filiis (qui ex prophetica Iacobi benedictione, sceptra, & regium factum meditabantur) *memoriam pristinæ eorum paupertatis: qui nihil viuentes in hoc mundo possederunt, præter vnicum locum sepulchri, & eum quidem redemptum pecuniâ ab exteris.* Nimirum consultissimè præcauet Patriarcha, è cuius posteritate, tota gens Israëlitica constat, ne eius posteri inter opulentiam, coronas, & triumphos, auitæ tenuitatis, & veteris inopiæ obliuiscantur. Emptitium maiorum sepulchrum sit cognatæ vilitatis monumentum, & elationis præpropera medicina. O quàm est obliuiosa felicitas, & vilitatis auitæ fastidiosa! O bonam eruditionem!
Tob. 1. v. 1. Tobias, qui illustri nomenclaturâ, *bonus Dei* interpretatur, dum sublimia apud Deum & homines gesta denarrat; statim se Nephthalitam nominat, vt quantùm ex Patriarchæ Iacobi prosapia adiicit ad gloriam, tantùm ex seruili matre (ex Bala, inquam, Rachelis ancilla, à Rubeno constuprata) moralissimè detrahat, quò vana
Hic vers. 12. gloria egregiè detumescat. Cui non absimilem hîc Gabelum videas.

4. Ioannis 21. Christus Deus postquam se à mortuis resurrexisse multis argumentis comprobauit; Discipulos sæpè alloquens, & cum eis amicè conuescens; tandem eis coram apparet; & quò fidem suam liberet, Petrum constituit summum Discipulorum principem, & Ecclesiæ verticem. Hoc iam tertiò manifestauit se Iesus Discipulis suis, cùm surrexisset à mortuis. *Cùm ergo prandissent, dixit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei, Etiam Domine: tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos,* &c. Quis non miretur, quòd quem Euangelista appellat *Simonem Petrum*, quo nomine constanter nuncupatur à quo tempore nouum *Petri* nomen illi Christus imposuit; cùm summa Ecclesiæ dignitas illi confertur, non iam nuncupatur Simon Petrus, (vt hactenus) sed *Simon Ioannis*, quo seculari nomine olim nuncupabatur, cùm vile piscandi officium cum patre exercebat? Quid causæ est, vt antiquum & seculare vocabulum iam diu è memoria abolitum resuscitet Christus, cùm summam dignitatem Petro confert? Quare inhonoram paternæ familiæ vilitatem publicat Christus, cùm illum Ecclesiæ fastigium renunciat? Audiendus est Alcuinus, qui his verbis enucleat præfata verba, *Simon Ioannis. Simon, obediens, Ioannes, gratia, nempe sic vocatur, vtpote obediens gratiæ Dei: quod enim ardentiori charitate eum amplectitur, non meriti humani, sed diuini est muneris. Ioannis, scilicet, Filius.* Erat enim Petrus, Ioannis cuiusdam filius: exinde cùm summa dignitas illi confertur, consultissimè in medium adducitur pristinæ vilitatis nota, quæ translucere in dignitate solet, quò tanti fastigij gloria detumescat pristinæ vilitatis publicatâ ignominiâ de ideali Iacobi exemplo.

Ioann. 21. v. 15.

Cùm summa dignitas Petro confertur, pristinæ vilitatis nomen consultè aduocatur.

SYNOPSIS

SYNOPSIS CAPITIS DECIMI.

Tobiâ iuniore celebrandis nuptiis impedito in vrbe Rages, eius parentes affliĉtantur in Niniue, omnia verentes, imaginantes omnia aduerſa, quæ filio cunĉtanti infauſtè contingere potuiſſent: mater præcipuè, quæ tam ſollicitâ mœſtitudine angebatur, vt nulla conſolatio vim concepti doloris leuare potuiſſet. Vrget intereà iunior Tobias reditum ad patriam, parentum dolorem ægrè ferens. Redeundi facultatem à ſocero tandem extorquet: qui cùm nouos coniuges multis locupletaſſet bonis, accedente eiuſdem benediĉtione, & filiæ inſtitutione, precatus abeuntibus felicem reditum, vltimò vale peramanter diĉto, tandem abire permittit.

CAPVT DECIMVM.

1. CVM verò moras faceret Tobias, causâ nuptiarum, ſollicitus erat pater eius Tobias, dicens: Putas quare moratur filius meus, aut quare detentus eſt ibi? 2. Putáſne Gabelus mortuus eſt, & nemo reddet illi pecuniam? 3. Cœpit autem contriſtari nimis ipſe, & Anna vxor eius cum eo: & cœperunt ambo ſimul flere: eo quòd die ſtatuto minimè reuerteretur filius eorum ad eos. 4. Flebat igitur mater eius irremediabilibus lachrymis, atque dicebat: Heu heu me fili mi, vt quid te miſimus peregrinari, lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ, ſpem poſteritatis noſtræ? 5. Omnia ſimul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis. 6. Cui dicebat Tobias: Tace, & noli turbari, ſanus eſt filius noſter: ſatis fidelis eſt vir ille, cum quo miſimus eum. 7. Illa autem nullo modo conſolari poterat, ſed quotidie exiliens circumſpiciebat, & circuibat vias omnes, per quas ſpes remeandi videbatur, vt procul videret eum, ſi fieri poſſet, venientem. 8. At verò Raguel dicebat ad generum ſuum: Mane hîc, & ego mittam nuntium ſalutis de te ad Tobiam patrem tuum. 9. Cui Tobias ait: Ego noui quia pater meus & mater mea modo dies computant, & cruciatur ſpiritus eorum in ipſis. 10. Cúmque verbis multis rogaret Raguel Tobiam, & ille eum nullâ ratione vellet audire, tradidit ei Saram, & dimidiam partem omnis ſubſtantiæ ſuæ in pueris, in puellis, in pecudibus, in camelis, & in vaccis, & in pecunia multa: & ſaluum atque gaudentem dimiſit eum à ſe, 11. dicens: Angelus Domini ſanctus ſit in itinere veſtro, perducátque vos incolumes, & inueniatis omnia rectè circa parentes veſtros, & videant oculi mei filios veſtros priuſquàm moriar. 12. Et apprehendentes parentes filiam ſuam, oſculati ſunt eam, & dimiſerunt ire: 13. monentes eam honorare ſoceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & ſeipſam irreprehenſibilem exhibere.

§. CCCXXXVIII.

Commentarius litteralis.

Verſ. 1. Cùm verò moras faceret Tobias causâ nuptiarum, ſollicitus erat pater eius Tobias dicens: Putas quare moratur filius meus, & quare detentus eſt ibi?

Verſ. 2. Putáſne Gabelus mortuus eſt, & nemo reddet illi pecuniam?

HAud dubium quòd antequam iunior Tobias è paterna egrederetur domo, aliquod dierum ſpatium definitum fuit à parente, intra quod negotio peracto rediret. Cúmque in celebrandis nuptiis plures dies præter ſpem impendiſſet; eius parentes rerum ignari, filij ſui deſiderio affligebantur, nil non aduerſi imaginantes, nil non verentes, quod filij ſui reditum cunctari potuiſſet. Res eſt ſolliciti plena timoris amor. Biblia Sixtiana 1. *Cauſa ob quam angitur Tobias ſenior.*

Bibl.Sixt. tiana ita locum exscribunt: *Et Tobit pater eius computabat vnumquemque dierum. Et postquam completi sunt dies itineris, & non veniebat, dixit: Numquid fortè confusi fuerunt?* Veretur sollicitus & anxius pater ne filio & socio inter exteras & barbaras gentes peregrè versanti aliquod crimen impactum sit. *Confundi* enim aliquis dicitur, cùm erubescit, atque rubore suffunditur, quando aliquid malè à se patratum coram obiicitur. Timet etiam ex filij mora, ne fortè obierit Gabelus, & nemo adsit, qui illi reddat *pecuniam*. Græci codices, *argentum*, Arabs. *pondera*, perinde est.

Græci cod. Arabs.

Vers. 3. Cœpit autem contristari nimis ipse, & Anna vxor eius cum eo: & cœperunt ambo simul flere: eo quòd die statuto minimè reuerteretur filius eorum ad eos.

2. Bibl. Sixt. Arabs. Nimis pro valde. Græci codices: *Et tristabatur nimis.* τὸ nimis in sacris Litteris persæpè sumitur pro *valde*. Quare Arabs sic transtulit: *Et erat tristis valdè.* Nec dedecet virum eximiè sanctum valdè contristari in lugubri & infortunato euentu: neque enim saxeos homines natura finxit, nec stupidos & insensiles refingit gratia. Neque diuinæ voluntati obluctatur, qui in rebus valdè aduersis ægrè affligitur: nam sæpè id expetit Deus, vt in patientiæ stadio strenuè exerceatur.

Vers. 4. Flebat igitur mater eius irremediabilibus lachrymis, atque dicebat: Heu heu me fili mi, vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ?

Vers. 5. Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.

3. Arabs. Arabs: *Et mater eius flebat copiosis lachrymis.* Nempe sic vehementer dolebat, sic dolenter angebatur, & copiosè flebat, vt, sicut dolendi causas nemo leuare poterat, ita nec vim lachrymarum cohibere. Flet igitur Tobiæ mater filium suum *irremediabilibus lachrymis*; sicut Genes. 37. (Gen.37.v.35.) suum Iosephum Iacob deflebat, dum *noluit consolationem accipere*, præ tristitiæ magnitudine. Græci codices tantùm habent: *Cæpit flere eum.* (Græci cod.) Sed ex verbis, quæ ipsi adscribunt, immodicam lachrymarum vim expressiùs tradunt. Arabs omittit geminatam voculam, *Heu heu me. Lumen oculorum nostrorum.* (Arabs.) Dionysius Richel ex quo Iustinianus, putat filium ideò à parentibus dici *lumen oculorum*, quasi obiectum iucundum & delectabile. (Dion. Rich. Iustinian. ibi.) Frigidè opinor. Addit idem Iustinianus, quia obscuræ sunt nuptiæ, quæ liberorum lumine carent. Subdit tertiam rationem, quia sicut lumen luminis, ita filius est vera parentum imago. Verùm præstat opinari cum Sanctio, quòd his verbis ingens amoris vis, & teneritudo exprimitur. (Filius dicitur lumen oculorum, & baculus senectutis. & quare. Sanct. ibid.) Appellat enim filium, *lumen oculorum* vtriusque parentis, quæ appellatio amantibus familiaris est, & quæ molle aliquid ac tenerum sonat. Quare qui molliter in aliquem afficitur, in amatoriis blanditiis suos oculos aut ocellos vocat: quia nihil oculis cariùs, nihil pulchrius.

Baculum senectutis nostræ.] Hoc ipsum anteà dixerat, cùm domo egressus fuit, cap. 5. vers. 23. De quo inibi §... num... *Baculus senectutis* dicitur, quia eorum senectus, ab eo fulcienda & sustentanda erat. *Solatium vitæ.* quia eius aspectus tot calamitatum ærumnas mitigabat, & duræ captiuitatis molestias detergebat. *Spem posteritatis nostræ.* In eo enim, cùm esset vnicus, tota posteritatis spes sita erat. Græci codices sic locum exscribunt: (Græci cod.) *Dixit autem ei vxor: Periit puer, quandoquidem tardauit. Et cœpit flere eum, & dixit: Non tibi cura est fili, quia dimisi te lumen oculorum meorum.* Vnde desolata præ tristitia mater, hac epitome quicquid hactenus dixerat, stringit v. 5. *Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus mittere à nobis.* Sed pecuniam omittere, ne minus bonum longè maiori mercaremur. Præstaret enim nuncium in Rages ad Gabelum mittere, qui ab eo pecuniam exigeret, quàm filium vnicum tot periculis exponere. Et sanè sic faciendum fore humanæ prudentiæ videtur. Sed diuinior prouidentia altiùs & feliciùs res suorum gubernat, vltra captum prosperè. quod rei euentus comprobauit.

Vers. 6. Cui dicebat Tobias: Tace, & noli turbari, sanus est filius noster: satis fidelis est vir ille, cum quo misimus eum.

Græci codices: *Tace, ne sollicita sis, valet.* Syrus: *Confide soror mea.* Nimirum ipse consolationis indigus, bonum agens patremfamilias, desolatam vxorem cogitur consolari. Et quoniam memoria Azariæ, quem valde fidelem putabat, non parum fiduciæ illi suggerebat; eadem vxorem consolari præsumit. Sed frustrà labor. 4. Bibl. Sixt. Syrus.

Vers. 7. Illa autem nullo modo consolari poterat, sed quotidie exiliens circumspiciebat, & circuibat vias omnes, per quas spes remeandi videbatur, vt procul videret eum, si fieri posset, venientem.

Nam vt ait Tullius 4. Tuscul. *Animus conturbatus, & incitatus, nec cohibere se potest; nec quo loco vult, consistere omninò.* (Anna tristitia, & sollicitudo de filij mora. Tullius.) Biblia Sixtiana ita habent: (Bibl.Sixt.) *Et dixit ei* (eius vxor) *Tace, ne decipias me, periit puer meus. Et ibat per diem ad viam foras, quà abierat. Ac diebus panem non comedebat, & noctibus non intermittebat flens Tobiam filium suum.* Syrus autem sic præfatam sententiam extulit: (Syrus.) *Et obibat per viam, donec occidit Sol, & vinit; & ingressa est cubiculum, & nihil gustauit, & non poterat dormire.* Cur verò nimia tristitia, & cibum, & somnum arceat, medicè tradit Iustinianus hic n. 1. & 2. & 3. (Iustinian.)

Vers. 8. At verò Raguel dicebat ad generum suum: Mane hîc, & ego mittam nuntium salutis de te ad Tobiam patrem tuum.

Dum Tobiæ sollicitos parentes mœstissimus conficiebat dolor, bonus filius reditum sollerter vrgebat. Socer verò vt generum cum filia diutiùs domi retineat, nuntium mittere spondet ad seniorem 5. (Cur Tobias non miserit antea nuncios ad patrem suum.)

niorem Tobiam, qui doceat ſanum eſſe filium, eius felices nuptias, & rem benè geſtam in exactione pecuniæ. Et cur Tobias id non fecit à principio prioris hebdomadæ, quò parentes ſollicitudine eximeret? Reſpondet Salianus, quòd prudens iuuenis vetitus eſt, ne ea foret cauſa ſocero, ipſum ad menſes aliquot retinendi, cum ingenti parentum ſuorum mœrore. Tum etiam quia Mercenario ſuo grauis eſſe videbatur, ſi eum extra ſolum habitationis ſuæ tandiu retineret. Addit Carthuſianus, quòd cùm Tobias inaudiſſet ab Angelo piſcis fel valere ad extergendam oculorum albuginem; & iecoris vim expertus eſſet, ad extricandos Dæmones; maturabat patri medelam cæcitatis afferre. Quod ſatis veroſimile eſt. alioqui præmiſſis nunciis, etſi aliquot dies ibi poneret, parentes mœrore liberaret. Et ſanè hæc omnia Angeli inſtinctu peragebantur. Vnde non obtinuit Raguel quod intendebat, tametſi apud Syrum dixerit: *Et dixit Raguel: Ego mittam nuncios ad patrem tuum, & oſtendent ei, quòd ita conueniebat, & tu mane apud me etiam exiguum dierum.*

Salian. ann. mun. 3335. n. 50.

Carth. inib.

Syrus.

Verſ. 9. Cui Tobias ait: Ego noui quia pater meus & mater mea modo dies computant, & cruciatur ſpiritus eorum in ipſis.

6. Difficile non eſt huius peregrinationis moram computare. Tirinus quadraginta tres, Serarius ſupra quadraginta dies omninò numerant, non valde exactâ ſupputatione; Torniellus triginta octo; Salianus, Menochius, & Gordonus, triginta quatuor dierum fuiſſe veriùs exiſtimant. Quos ita computant. Charra vrbs, vt patet ex initio c. 11. ſita eſt in medio itinere inter Rages & Niniuen: è Charra autem vſque ad Niniuen ex ipſo Serario, perueniri poteſt trium dierum ſpatio: igitur Tobias die ſexto poſtquam domo diſceſſit, peruenit ad Raguelem. His ſex diebus ſi addas quatuordecim, quibus apud eum commoratus eſt, efficietis viginti. Hoc tempore itum, & reditum eſt à Gabelo, & exacta pecunia. In reditu vſque ad Charram cum numeroſæ familiæ impedimentis, vndecim ponuntur dies, vt conſtat ex cap. ſeq. A Charris vſque ad paternam domum tres. qui omnes numeri cunctim accepti conſtant triginta quatuor. Quare opinari licet, poſt vigeſimum ab egreſſu diem, ſollicitam parentum mœſtitudinem incœpiſſe, perdurâſſéque dies quatuordecim: nam ad itum, & reditum ad Ecbatanam ſeu vrbem Raguelis, ponuntur duodecim dies: ab vrbe Raguelis vſque ad Rages vbi habitabat Gabelus, quæ (vt ex Hebræo textu notabamus, duorum dierum diſtat ſpatium) ad eundum & redeundum, quatuor dies computati ſunt: quibus ſi addideris alios quatuor ad repauſandum, & numerandum pecuniam, & expediendum ſi quod impedimentum in longiori via acciderit; quatuordecim duntaxat reſtant, quos causâ nuptiarum Tobias apud Raguelem poſuit.

Tirin. in c. 11. Serar. in c. 11. q. 3. Salian. ann. mun. 3335. n. 51. Menoch. ib. Gordonus.

Quot in peregrinatione dies Tobias poſuerit.

Verſ. 10. Cúmque verbis multis rogaret Raguel Tobiam, & ille eum nullâ ratione vellet audire, tradidit ei Saram, & dimidiam partem omnis ſubſtantiæ ſuæ in pueris, in puellis, in pecudibus, in camelis, & in vaccis, & in pecunia multa: & ſaluum atque gaudentem dimiſit eum à ſe.

Ob rationes nuper allatas n. 5. τὸ *audire*, obedire eſt, vt alibi ſæpè in Bibliis. Quod Arabs explicatiùs expreſſit: *Et dum Raguel rogabat Tobiam, ipſe nunquam reſpondit ei, neque obediebat ei.* Quare ſocer piâ generi conſtantiâ victus, *Tradidit ei Saram, & dimidiam partem omnis ſubſtantiæ ſuæ in pueris, in puellis, &c. Puerorum* & *puellarum* nomine ſeruos & ancillas intelligi, in vtraque literatura perſpicuum eſt. Biblia Sixtiana: *Raguel dedit ei Saram vxorem eius, & dimidium ſubſtantiæ corpora, & pecora, & argentum, & benedicens eos dimiſit.* Hebræus textus explicatiùs omnia tradit: *Dedit ei Raguel Saram filiam ſuam, dimidium diuitiarum ſuarum, & ſeruos, & ſeruas, & greges, & boues, & aſinas, & camelos, & veſtes lineas pretioſas, & vaſa argentea, & aurea.* Græcus textus ſeruos & ancillas *corpora* appellat: (an ſeruus quia ſine libertate eſt, quaſi merum *corpus* animâ viduatum eſt?) Sed per *corpora* intelliguntur mancipia & ſerui apud Ariſtophanem, Demoſthenem, & Strabonem, vt notat Tirinus ex Mariana. Qui illud Danielis 14. verſ. 31. *Dabantur leonibus duo corpora quotidie*, exponit de ſeruis vel mancipiis: alij de capite damnatis, quod perinde eſt. 7.

Arabs.

Perampla Saræ dos Tobiæ traditur.

Græci cod.

Hebr. text.

Serui dicuntur corpora.

Mariana. Tirinus hic. Daniel. 14. v. 31.

Verſ. 11. Dicens: Angelus Domini ſanctus ſit in itinere veſtro, perducátque vos incolumes, & inueniatis omnia rectè circa parentes veſtros, & videant oculi mei filios veſtros priuſquàm moriar.

Benè hîc notat Sanctius τὸ *Angelus Domini ſanctus ſit in itinere veſtro*, ideò Raguelem dixiſſe, quaſi legitimum ſit in hunc modum amicos dimittere, quos animi votis, precibúſque proſequimur, quibus optamus aſſiduam Angeli cuſtodiam. Adſimilia enim Tobias filio diſcedenti adprecatus eſt c. 5. v. 21. Hinc Syrus ad rem potiùs quàm ad verba attendens, idiotiſmum ſoluit, ita ſcribens: *Ite in pace, filij mei incolumes, & Deus cæli & terræ, ipſe ſtabiliet viam noſtram.* Et Biblia Sixtiana. *Proſperabit vos filij, Deus cæli, priuſquam ego moriar.* Ac ſi idem reipſa ſit, *Pax*, aut *Proſperitas* in itinere, ac *bonus Angelus* itineris comes. Nimirum felicem viam charis pignoribus votiuè precantur. 8.

Sanct. ib. n. 7.

Tobiæ 5. Syrus.

Bibl. Sixt.

Verſ. 12. Et apprehendentes parentes filiam ſuam, oſculati ſunt eam, & dimiſerunt ire.

Verſ. 13. Monentes eam honorare ſoceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & ſeipſam irreprehenſibilem exhibere.

Nempe dum boni ac religioſi parentes charæ filiæ oſculo valedicunt, connubialibus illam præceptis adornant. *Monentes eam honorare ſoceros.* Græci codices & hoc præceptum tradunt, & illius rationem reddunt: *Et dixit filiæ ſuæ: Honora ſoceros tuos ipſi nunc parentes tui ſunt.* Græco textui accinit Syrus: *Filia mea eſto honorans ſocerum tuum, & ſocrum tuam; quia ex nunc illi ſunt patres tui,* 9.

Præcepta connubialia Saræ à parentibus tradita.

Græcus. Syrus.

tui, sicut nos fuimus. (Quàm sit hæc connubialis
Origenes. præceptio necessaria propter familiares domi ri-
xas inter nurus & socrus, tradit Origenes lib. 1.
in Iob. & frequens docet experientia.) Porrò cùm
vxor & maritus vna censeatur persona, mariti
parentes, parentes vxoris esse censentur. Præser-
tim cùm vxor familiam suam velut eiurans, in
mariti familiam transire censeatur. *Diligere mari-
tum.* Nam eiusmodi amor est pacis, concordiæ, &
tranquillitatis fundamentum. De quo latè Chry-
sostomus serm. 4. in epist. ad Tit. 2. Damascenus
lib. 3. Paral. cap. 1. *Regere familiam.* Nempe filios,
seruos, ancillas, & si quid est reliquum in tota fa-
milia, regere, admonere, castigare, & alimenta
animo corporique præbere. *Gubernare domum.*
Quia res domestica mulieris sollertiam requirit:
in eam ergo diligenter incumbat: sicut vir in ea,
quæ forinsecùs agenda sunt. Quod peritè expres-
Aristot. sit Aristoteles lib. 1. Oeconomic. *Probam, ait, mu-
lierem omnibus, quæ sunt intus dominari oportet, viro
quidem indecens videtur ea scire, quæ intra ædes
fiunt, turpéque est quicquam eorum, quæ sunt domi
facere.*

Et seipsam irreprehensibilem exhibere.] Per ca-
stitatem coniugalem, & per prudentem & hone-
Lyran. ibid. stam conuersationem, inquit Lyranus inibi.
Nempe præfulgeat in te & coniugalis pudicitia,
& linguæ continentia, & familiæ regendæ solli-
citudo, & morigera totius vitæ disciplina, quæ te
exteris, & domesticis aspectabilem reddant. Plura
qui volet super his præceptis connubialibus
consulat Iustinianum ad hos versiculos. Et nos in
Paragraphis moralibus nonnulla sparsim ethicè
Bibl. Sixt. trademus. Addunt Græci codices: *Et Edna* (hoc
est Anna Saræ mater) *dixit ad Tobiam: Frater
dilecte, restituat te Dominus cæli, & det mihi videre
tuos filios ex Sara filia mea; vt læter in conspectu
Domini. Et ecce depono apud te filiam meam deposi-
Hebræus. to: & ne contristes eam.* Hebræus. *Ne vllâ eam affi-
Syrus. cias molestiâ.* Et Syrus: *En ante Dominum trado tibi
filiam meam, & ne noceas in omnibus diebus vitæ
eius; quia ex nunc mater tua ego sum, & Sara soror
Bibl. Regia. tua, & osculata est eos ambos.* Biblia Reg. hac clau-
sulâ hoc caput finiunt: *Post hæc proficiscebatur &
Tobias benedicens Deum, & prosperam fecit viam
eius; & benedicebat Raguelem & Ednam vxorem
eius.*

§. CCCXXXIV.

*Turpis delicti infamia, inuerecundiam pro-
curat; inuerecundia verò impuden-
tiam delinquendi subornat.*

1. *Damnum appellandum est cum malâ famâ lucrũ.* HOnestus tumor, custodia sæpè pietatis est,
& calcar ad virtutem. Quis sis reipsa inter-
est, non quis habearis; sed aliquando quis habea-
tis, non parum interest, vt diu bonus sis. Con-
scientiæ priùs satisfaciamus, nec impensiùs in
famam laboremus; sequatur vel mala, dum benè
mereatis. Sed curam habere de bono nomine, ad
virtutem spectat, dum obses sæpè virtutis est.
Publ. Mim. apud Sen. *Damnum appellandum est cum mala fama lucrum.*
O quoties bona opinio, nutantem ne collaba-
tur, opportunè sistit! Multos continuit hæc
vox: Bonam de me opinionem infamabo? *Ten-
go que perder.* Ast diu infamis, parum, aut nihil
à diffamia exinceps veretur. Calcar medullitùs
habet ad malitiam, frenos impudentia laxat ad
scelerum temeritatem. Quis effrenem à baratro
cohibeat? Qui identidem reus est, diffamiæ as-
suetus, reatum negligit, & multiplex scelus in-
uerecundia procurat. Rara virtus est in eo, qui
bonum nomen impudenter abiecit: Sæpè bona
fama, alterum virtutis patrimonium est, pieta-
tis sequela, & virtutis custos. Vnde cùm sui in- Tob. 3. v. 10.
famiam, per traduces linguarum, & aurium ser-
pere, audit Sara honestissima, & probissima vir-
go, pene ad suspendium adigitur, vt habetur in
Græco textu. Sic diffamia ad desperationem in-
stigat: Et hîc senior Tobias mœstissimè angitur, Hîc vers. 1.
si fortè eius filius apud iudicem peregrinus *con-
funditur*, vt in eodem Græco textu denarratur.

Lucæ 23. ducebantur, & alij duo nequam 2.
cum Iesu, vt interficerentur. Et postquam ve-
nerunt, in locum, qui vocatur Caluariæ, ibi cru-
cifixerunt eum: & latrones, vnum à dextris, &
alterum à sinistris. Vnus autem de his, qui pen-
debant, latronibus, blasphemabat eum, dicens:
Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, &
nos. Respondens autem alter increpabat eum,
dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem
damnatione es. Et nos quidem *iustè*, nam di-
gna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit.
Et dicebat ad Iesum: Domine, memento mei, cùm Luc. 23. v. 42. & 44.
*veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus: Amen
dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.* Decanta-
tissima hæc nuper scelestissimi latronis confessio
eleganter comparatur cum confessionibus, quas
de Christo Euangelij proceres ediderunt, & lon-
gè excellere putatur. Audisti Euangelistam Mat- *Gratiæ putatur miraculum, quòd latro dũ reus est, virtutem sectetur.*
thæum de telonij vsuris scelestè infamem: simul
audi, vt ex vectigalium tractatione, ad Euan-
gelicam vitam transilierit, bona quæ suapte na-
turâ stabilia sunt, moribus aucupans: sed ipse
in tribunali suo, etsi telonerio, sedebat iudex;
& nescio quid diuinitatem spirans, in Christi
facie vidisse Hieronymus tradit. Audisti Paulum
iustitiæ pennis alatum, tertium in cælum euo-
lasse. Sed Ecclesiam ante persecutus est, quàm
in præconem transmutatus: & ipse quidem ho-
norarium tunc agebat munus, & à glorioso iam
Christo, ad Christianæ fidei assensum allectus
est. Petrus fuit Apostolorum coryphæus, disci-
pulorum Christi Primas; Mysteriorum, quæ à
Patre Filius acceperat, accuratus Interpres, vn-
darum maris ambulator: verùm dum perturba-
tur, lingua negationis erat instrumentum; &
quæ mens non sentiebat, ea de se lingua effutie-
bat timori obsequens. Sed post sapientiam erat;
& vltra Apostolorum collegium sublimis, & Ma-
gistri fauore auctus, illum esse Christum Dei pa-
lam confitetur, inde ad virtutis facinora, de offi-
ciositate gratiæ semper expromptus. Quid tan-
dem pius latro, mitiori confessione sublimis? Sed
vnde sublimius eius meriti elogium micantiùs
elucet? Eleganter Basilius Seleucus sic ad præ- Seleuc. or. 17.
sentem thesim tempestiuius philosophatur: *Item
Latro Christum vel crucifixum prædicabat, & qui
reus, erat Euangelista, dolorem clauorum præ Do-
mini desiderio nihil æstimans.* Magnum planè fuit
in homine flagitioso, quòd senere castigatus, iu-
stè se puniri animitùs fateatur. (& nos quidem
iustè, nam digna factis recipimus, aiebat.) Mi-
rum fuit, *Christum vel crucifixum prædicasse*,
cùm tanquam omnium scelerum reus, & scele-
stissimorum nequissimus, contumeliosissimè, &
acerbissimè patibulatus occumberet in cruce.
Sed mitissimum quidem fuit, quòd qui tracta-

batur, vt *reus*, tunc vel maximè pietatem secta-retur, suum dolorem nihil æstimans præ virtu-tis desiderio; & de probrosissimo reatu publicè diffamatus, seriò coleret pietatem. Hoc virtutis miraculum est tata gratiæ officiositas, & meren-di meta. *Qui* infamissimi flagitij *reus*, sui dolo-ris, & diffamiæ oblitus, sic Christum colit, & pietatem sectatur, Christianæ perfectionis gra-dus transtulit, *& qui reus, erat Euangelista.* Sic de infamiæ reatu, quæ solet ad vitiorum vtilita-tem deprimere, teconcinnauit iustitiæ pennas, quibus cum Christo ad Paradisum protinùs euolaret: Primus cum Christo ascendat ad Pa-radisi gloriam, qui de infamiæ reatu struit virtu-tis scalam. Sic est arduum de publici reatus dif-famia, non deiici ad infamissima vitia, sed ad virtutis glorias sumptuosiùs adniti: Sed de me-ritorum huius opulenti Latronis gazis, adhuc surripienda est altera locuples probatio, quæ thema præsens aliter diuitet.

3\. Lucæ suprà: *Et dicebat* Latro *ad Iesum: Do-mine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.* Ecquid huius nuper scelestissimi Latronis merita sic exaggerauit, vt eius spes hac Christi voce sic præproperè bearetur? Videa-mus, inquam, cur tantorum criminum reus tam citò à Saluatore paradisum promeretur, cùm alij multorum temporum lachrymis frequenti-búsque ieiuniis vix delictorum suorum veniam consequantur. An quia iste latro deuotione fi-dei tam repentè mutatus est, vt præsentem pœ-nam despiceret, ac de futura veniam precare-tur; & magis crederet vtile sibi esse de æterno iudicio petere, quàm de temporali supplicio po-stulare? An quia pius hic latro, etsi Christum animam agentem videt, non putat moriturum, quem annunciat regnaturum? nec putat eum apud Tartarum detineri, à quo etiam se postulat liberari? An quia licet cernat hiantia vulnera, & & spectet ipsius sanguinem profluentem, Deum tamen credit; & quem tanquam reum tractari videt, reum nescit? Sic est difficile, quem vide-mus vt reum tractari, innocentem credere! Ve-rùm S. Maximus postquam hoc dubium fœcun-dè versauit, sic subtiliter opportunus fatur: Me-minit fratres, vestra dilectio me dedisse ratio-nem, cur tantorum criminum inueteratus latro, & scelerum suorum confessione damnatus, Pa-radisum in ipso supplicij patibulo potuerit pro-mereri; *Et tantâ fuerit celeritate saluatus, vt pec-cata eius gratia præuenerit, antequam pœna; & priùs in malis suis gloriari cœperit, quàm puniri.*

4\. Scilicet tam festinatâ, & officiosâ gratiâ inuere-ratus hic Latro præuentus est, *vt priùs in malis suis* gloriæ spe, *gloriari cœperit, quàm puniri.* Concepta veniæ fiducia, & gloriæ spes, sic tor-menta frustrans, crucis suæ dolores præuenit, & infamissimi reatus infamiam antevertit ad illius sensum, vt prius quodammodo gloriari cœperit in tormentis, quàm ob propudiosum castigari, reatum. Vide præuenientis gratiæ ingenium. Ante glorietur in malis suis piâ voluptate pa-tiendi, & animosâ gloriæ spe, quàm profundè animitùs consideret probrosæ *punitionis* infa-miam. *Priùs in malis suis gloriari cœperit, quàm puniri.* An si probrosam, & peracerbam contu-meliosæ *punitionis* diffamiam, priùs profundè sentiat, quàm cœperit in malis suis gloriari, ni-mis foret arduum, ad virtutem illum deflectere? Ergo quodammodo præueniat officiositas gratiæ acerbiorem *punitionis* sensum; & priùs se Para-disi candidatum, quàm ignominiosæ pœnæ reum, altè meditetur, ne fortè infamiæ impudentia, propositum pietatis frustretur. *Priùs in malis suis cœperit gloriari, quàm puniri.* Sic infamissimi reatus *punitio*, inuerecundiam procurat, & in-uerecundia impudentiam delinquendi negotia-tur: Ergo hic electissimus latro de concepta Pa-radisi spe, priùs incipiat in malis suis gloriari, quàm impensiùs mente tractet, se de propudio-so reatu ignominiosè damnatum, magno sui probro *puniri.* O pium gratiæ ingenium! O in-famiæ vires ad exarmandam pietatem!

Luc. 23. v. 42. & 43.

Quod bonus Latro priùs in malis suis gloriari cœpe-rit, quàm pu-niri, gratiæ officiositas est.

Difficile est, quē videmus reum, non pu-tare scelestū.

Maxim. ho-mil. 2. de la-trone, &c.

Ignatius priùs in ma-lis suis cœpit gloriari, quā torqueri.

---

§. CCCXL.

Nil vltrò volenti arduum: nam arreptum volentis propositum, quantumuis arduas difficultates exarmat.

NOn est quòd æstimes vllam esse sine labore virtutem. Sed plerumque virtutes stimulis egent. Quemadmodum corpus, vt ad ardua con-scendat, impelli debet, quò cliuum subeat. An dubium sit, quin ascendat, nitatur, obluctetur patientia, fortitudo, perseuerantia, & quæcum-que alia duris opposita virtus est, & duriora su-bigit? Quod si cupis nosse remedium, quo as-peras virtutis difficultates euincas; breue est, nescio an æquè facile: Vltrò inuade ardua vir-tutis, illius oneri te spontè subiice. Velis, & po-teris. Voluntas difficultates exarmat, grauia onera alleuat, & confragrosa quæque, saxis & rupibus impedita, in vias planas sternit. Nil ar-duum volenti est: sicut omne inuitum, est du-rum, molestum, & asperum. Nemo ad cupita violentè trahitur. 1.

Matthæi 11. postquam multa de schola cæli, Christus docuerat, abstrusa cæli Mysteria pan-dens, Christiana tradens præcepta, & doctri-nam omnibus necessariam: vt ea amplectantur, his dulcissimis verbis homines ad se adducere sa-tagit: *Venite*, inquit, *ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* (Sed vide mi-hi, quo aut laxamento, aut leuamento reficien-di sint.) *Tollite iugum meum super vos.* (Obuius planè locus, sed difficultatibus semper impedi-tus) *Qui laboratis* (ait Glossa) *difficultate legis, & onerati peccatis, scilicet, reficiam si iugum tolli-tis, id est, præcepta mea.* An non Christi præce-pta (taceo consilia) grauia sunt inuiciatæ ho-minis naturæ, tot vitiis ad malitiam præcipiti? Qui valde onerati sunt, grauissimo onere leua-buntur? An non satiùs, si exonerarentur sarci-nis, alleuarentur? Si antiqui ponderis mole onerati sunt, quo modo si nouum & pergraue addatur pondus, & graue iugum subeant, non ampliùs degrauentur? Puto, quod pondus pon-dere augetur, non leuatur. O sententiam æni-gmati similem! Non morabor Lectorem plures Interpretum commentationes referens, quæ lo-cum etiam onerent. Nicolaus de Lyra, locuples auctor, vidit, nec fugit difficultatem; sed vno verbo sententiam descripsit cedro dignissimam. *Venite*, inquit, *ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite, voluntariè scilicet,* 2.

Nil arduum volenti est.

Matth. 11. v. 28. & 29.

Glossa ibid.

Onus opere leuatur, si il-lud vltrò su-beas.

Lyran. inib.

ſcilicet, iugum meum ſuper vos. Planè luculenter! Quaſi dicat Chriſtus ad homines, quos ſibi adſociare cupit: Et mentis oculis, & diuinitatis perſpicaciâ, nimis onuſtos vos video, tot ærumnarum, & delictorum, & legum mole oppreſſos: ego autem nouum pondus adiiciens, vos reficiam; & onus onere exonerabo. Incredibile videtur; ſed experiri id licet, dummodò grande Euangelij onus, quod humeris veſtris ſuperponi iubeo, non tam alius inuitis imponat, quàm vos ipſi illud *voluntariè tollatis.* Nempe ſi hoc onus ab alio, vobis reluctantibus ſuperponeretur, nimis vos aliàs oneratos, degrauaret, & penè obrueret. At quantumuis ſitis degrauati, & ferè obruti onere antiquo; dum denuò pergraue onus non imponi dicitur; ſed vos illud vltrò & *voluntariè tollitis,* non oneri erit, ſed leuamini, & quo vel antiqua alleuentur onera. Onus, quod quis inuitus ſubit, inuiti ponderis mole premit; quod *voluntariè tollitur*, & ſponte ſuſcipitur, arcano amoris philtro, vſqueadeò leue eſt, vt reliqua etiam onera mirè alleuet; & eum qui antiquas ſarcinas ſuſtinendo non erat, nouo pondere! reficiat, & ad maiora portanda alacris erigat. *Nueuas cargas recebidas con guſto, no ſolamente no peſſan, ſino aliuian las demas.* Tantùm voluntari licet, vt pondus pondere exoneret! O vide hîc quantas vires *voluntarium* habeat; quàm graue ſit, quod inuitus quis ſuſtinet; & quàm leue (etſi aliàs pergraue) quod vltrò toleramus. Exinde conſultiſſimè Chriſtus ait: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite voluntariè ſcilicet, iugum meum ſuper vos.* Non ait: Inuitis imponam, ſed, *Voluntariè tollite.* Quod ſi *voluntariè tollitis*, *iugum meum ſuaue eſt*, *& onus meum leue.* Diſcamus ergo de Chriſti Dei gymnaſio, vndenam adeundæ virtutis maior oriatur difficultas. Ardua eſt nolenti virtus; at volenti, facilis, mitis, & placida. Quod ab alio eſt, difficile eſt; quod à te votis expetitur, facile & iucundum.

3. Cant. 8. v. 6. *Cur amor ſit moleſtiarum architectus?*

Canticorum 8. ita pangitur: Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum: *Quia fortis eſt, vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio, lampades eius lampades ignis, atque flammarum.* Vel, vt exſcribunt LXX. Interpretes: *Alæ eius, alæ ignis flamma eius.* Parum nunc refert ad rem quam verſamus, an verba ſponſo, an ſponſæ tribuenda ſint, de quo certent Interpretes. & ſolletter explorent Meſſoretarum affixa: id vnum omnibus perſpicuum eſt, hæc verba alacrem, viuacem, & flammantem amorem ſpirare, quibus ſignificatur ſponſam ſui ſponſi amore flagrare; quem ſculptum geſtat in corde ad affectum, in brachiis ad opus; quò ſic agillimè, & ardenter fertur; vt flammeis ferri aliis dicatur; *Alæ eius, alæ ignis.* Aſt ſi ſponſa in cæleſtis ſponſi obſequium ſpontaneo amore, & flammeis pennis fertur, quo modo tam durè & grauatè ferre dicitur amoris facinora, opera quæ agreditur, & quas pro illo ſubit functiones? *Fortis*, inquit, *eſt, vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio*, id eſt, eximius amor, vt pleríque exponunt. An non amor ardua complanat, & ſpontaneum propoſitum arduas difficultates exarmat? Quid tam forte & validum, quod volenti reſiſtat? quid tam durum & aſperum, quod voluntarius affectus non emolliat & frangat? Quid tam à ſe, quàm amor, quem nulla vis cogere eualet? Verùm enimverò Gaſpar Sanctius, ſanctitate, eruditione, & eloquio magnus, hanc difficultatem ſagaci acumine præuidit, & ita mibi fatur: *Fortis eſt, vt mors dilectio, dura, &c. Exprimitur enim optimè amoris potentia, cuius ea eſt natura, vt amantem in amati poteſtatem trahat. Qui autem in alterius ſe poteſtatem dedit, hic ſimilem quandam mortem ſubiiſſe exiſtimatur.* Ecce tibi cur ardentior amor ſit inſtar mortis ærumnoſus, & inferni præ difficultatibus æmulus. Nam licet nihil ſit æquè voluntarium, ac amor; at quando eximius eſt, *amantem in amati poteſtatem trahit*; nil autem non difficile & arduum eſt ei, *qui in alterius ſe poteſtatem dedit.* Quâ parte voluntarius eſt, operantem erigit, dura emollit, & vel fella ipſa mellit; at quia amantem in amati poteſtatem trahit, quoniam ab alterius nutu, & arbitrio pendet, & ad alienum imperium operatur, hinc arduam ſentit difficultatem, & durè exaſperatur. *Fortis eſt, vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio* id eſt, eximius amor. O duras & diras amoris moleſtias! Quas videre hîc licet verſ. 23. in vtroque Tobiæ parente. Amans filij mater, mœſtiſſimè flet: adæquè mœſtiſſimus pater, vxorem conſolari cogitur. Quid acerbiùs? O lachrymas amori vectigales! Ærumnoſæ moleſtiæ, eſt beneuolentiæ ſtipendium. Voluntarius alleuabis onera, qui inuitus exaggeras.

Sanct. ibid.

Hîc verſ. &c.

4. Marc. 8. v. 34 Mat. 16. v. 24

Marci 8. Chriſtus Deus conuocatâ turbâ cum diſcipulis ſuis, dixit eis: *Si quis vult me ſequi, deneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* In his pauculis verbis ſummam Chriſtianæ perfectionis compendiauit. Rem quidem imprimis arduam, & in confragoſo poſitam proponit Chriſtus. Quid enim tam difficile, quàm ſe ipſum abnegare? crucifigi mundo, & mundum ſibi crucifigere? Et tamen nullo verborum blandimento vtitur, quo tam ærumnoſum laborem mitiget; nullum ſubiungit præmium, quod operis acerbitatem mellit; crudam nimis ſententiam proponit, quam fortè oporteret aliquo condimento lenire ad gratiam, ne ſic nuda & inueſtis ſpectata, ſui horrore homines terreret. Imò mitigauit egregiè, & melleo condiuit ſapore, quo homines ad executionem pelliceret, quod lynceis oculis vidit Chryſoſtomus ſic fatus: *Si quis vult me ſequi, deneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, &c. Qui enim infert violentiam, frequenter impedit: qui verò auditorem in libertatem dimittit, magis attrahit ipſum.* Ecce tibi quare cùm Chriſtus rem difficillimam proponit, nec proponit præmium, quod præſtitit cùm Beatitudines publicauit; nec aliunde huius ſententiæ acerbitatem mitigat: nam aiens, *Si quis vult*, voluntatem ſuâ libertate corroborandam dimittit, nec vllâ violentiâ auertit; ſed dum ſatagit, vt vltrò eat, *magis attrahit ipſam.* Nil vltrò volenti arduum: nam viuidè arreptum voluntatis propoſitum, quantumuis arduas difficultates exarmat. velis, & poteris. *Si quis vult me ſequi, &c. Qui auditorem in libertatem dimittit, magis attrahit.* Leue ſemper eſt, quod intentiùs amamus. Qui ſponte it, feſtinat; qui coactus ducitur, repedat, & in contrarium adnititur, atque vel periculi vmbras pauidè veretur. Appoſitè Chryſologus: *Quis eſt qui timeat volens? quis eſt qui amet nolens?* Sic alacris voluntas eſſe ſolet audaciſſima.

Qui rem arduam voluntati operantis permittit, magis attrahit.

Chryſoſt. apud Caten. ibid.

Chryſolog. ſerm. 135.

5. Quod ſi aliquis virtutis viam vltrò capeſſere, inurbanus renuit, & reluctatur agreſtis; eundem audiat Chryſologum ſic ſeuerè adhortantem:

Idem Chrysolog. ser. 10. Psal. 18 v. 1. *Vel nolentes trahendi sūt ad Christum.* *Afferte Domino filios arietum: attrahite nolentes: nemo dicat, Non vult: quia & Abraham vt offerret filium colligauit: & Lot Angeli, vt subtraherent flammis, extractum manibus sustulerunt: & Petrum Dominus, vt iret ad martyrium quò nolebat, auxilij sui virtute præcinxit, dicens: Præcinget te alius, & ducet quò tu non vis. Et Pater cælestis non solùm volentes suscipit, sed attrahit & nolentes, dicente Filio: Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, attraxerit illum.* Aliâs placidus & subtilis, nunc seuerus & rigidus virtutis adhortator Chrysologus existit.

§. CCCXLI.

Patientia duris assidua, diu sentiendo penè obtinet, vt sentire vix possit; gaudétque frui sæuientium malignitate.

1. HOminem parari ad humana, arbitrium virtutis est, & exarmandæ molestiæ ars: assidui mali mollior ictus venit: ideò sapiens malis adsuetus grauissima quæque diu patiendo, leuia facit. Præsume animo multa esse tibi patienda. *Malis adsuetus, eorū ictus propè non sentitur.* Numquis se hyeme algere miratur? Numquis in mari nauseare, in via concuti? Numquis in graui morbo deliciari sperat? à Tyranno atrociter sæuiente, quis mitia præsumat? Fortis est animus, ad quæ præparatus venit; fortior, ad quæ assiduè passus est. Delicata primùm patientia est, nimísque mollicula, & quæ vel titillatione exasperatu, & leui pulsu excandescit in iram: at vbi diu patiendo obduratur, & perpeti tolerantiâ callos obduxit, propè insensilis est, piâ quadam patientiæ obstinatione; quæ inconcussa, citiùs persecutores concutit. Produci enim virtuti, ac tentari expedit; nec vlli magis intelligunt quanta sit, quàm qui vires eius lacessendo senserunt. Duritia silicis nulli magis, quàm ferientibus nota est. Vir ergo, multa diu patiendo, malis adsuetus non aliter se illis exhibet, quàm rupes aliqua in vadoso mari destituta, quam fluctus non desinunt vndecumque moti sint, verberare; nec ideò aut loco eam mouent, aut per tot ætates crebro incursu suo, aut inquietant, aut arrodunt, aut consumunt; sed potiùs velut à crebris impetibus duritiam edocta, inconcussè flecti-nescia stat. Sic *immobilis* stetit Tobias, Iobi de patientia æmulus (Æquale patientiæ par, nulla ætas tulit, quantumvis virtutum ferocissima) tametsi hîc mœstissimè illachrymans præclatè ostenderit, velut impatibilem constantiam esse Euangelicæ legis priuilegium. Tob. 2. v. 14. Hic v. 3.

2. 2. ad Corinthios 11. quàm duram transigat vitam Paulus latè describit, longo ærumnarum protelo: *In laboribus*, inquit, *plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis suprà modum, in mortibus frequenter*, &c. Tot ergo calamitatibus iactatus Apostolus, ausus fuit in Epistola ad Romanos, vsurpare illud Prophetæ: *Propter te mortificamur totâ die: æstimati sumus sicut oues occisionis.* Exinde concludit: Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu. Vnde sic roboratur Paulus, vt tam dira tormenta non tantùm pati, sed lacessere audeat? nec duntaxat excipere, sed inuadere; Peregregiè Eusebius in re non absimili ita scribit: *Diuersa multimoda crudelitatis ingenia, nouásque cruciatus insemet Sanctorum pectora inuicta consumunt; intolerandum pondus malorum contemnendo vincunt, & sentiendo obtinent, vt sentire non possint.* Nimirum Paulus tot duris diu exercitatus; quique pro Christo sic mortificatur totâ die, vt assimiletur pecudi destinam ferenti ad aras; sic roboratur ad patientiam, sic obduratur ad tolerantiam propè iam impatibilem assiduitate patientiæ, quòd *sentiendo obtineat, vt sentire non possit*; quasi vis sentiendi crebris ictibus adsueta, callos diu sentiendo obduxerit, & sensu doloris exempta, quodammodo impatibilis inueniatur. Non est hic Stoïci stuporis vanissimus arroganter fastus; se pia quædam Christianæ patientiæ quasi arrogantia, quæ Christi amore, duriora emollit; virtutis studio, ardua complanat; spe cælestium, terrena negligit; æternorum voto, momentatanea contemnit; & patiendi assiduitate, sic tolerantia iuit in mores, quòd Paulus diu *sentiendo obtinuerit, vt sentire non possit.* Carceribus diu adsuetus, squalorem carceris desuescit: tempestatibus iactatus, ad naufragij minas non expallescit: sæuos persecutores vbique passus, persecutionum rumores contemnit: intoleranda frigora, hyemis rigorem credit, torrentem Solem, ineuitabilem caniculæ æstum; nudum se videt, & inuestem putat: subiectos ignes, & minacem ceruicibus ensem cernit; sed ad hoc tantùm valere cognoscit; vt eum consecrent: sententiam mortis audit, & necessariam corporis dissolutionem intelligit, & æternaturæ felicitatis auspicium. Qui *in mortibus frequenter*, pro Christo *mortificatur totâ die*, sic de vigore virtutis robustus exurgit, & de diuturna patientia quodammodo impatibilis, vt multimodæ crudelitatis ingenia, Sanctorum pectora inuicta consumant; *intolerandúmque pondus malorum contemnendo vincant, & sentiendo obtineant, vt sentire non possint.* Rom. 8. 37. &c. Ps. 42. v. 3. ad *Vir patiens diu sentiendo, ferè obtinet, vt sentire non possit.* Euseb. hom. de S. Bland.

3. Lucæ 9. dicebat autem Iesus ad omnes: *Si quis vult venire post me*, (Christi enim sequela refutat inuitos, allicit spontaneos) *abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Propriæ abnegationis, ac crucis nomine, & commoditatum abdicationem, & dura quæque, quæ carnem exasperant, & patientiam exercent, significari, communiter tradunt Interpretes. Addit: *Quotidie, id est, perseueranter. Quotidie morior*, ait ex Paulo Hugo, vt quotidianâ experientiâ mortificationi adsuetus, ad omnem patientiam sensim obduretur. Quò adludere videtur Tertullianus sic eleganter fatus: *Sunt qui existiment Christianum (expeditum morti genus) ad hanc obstinationem abdicatione voluptatum erudiri.* Audis in abdicatione voluptatum, & aduersorum *perseueranter* susceptione, piam quandam tolerantiæ *obstinationem*, quâ quis ad patientiam obduratur: Dilatat enim patientiæ perseuerantet constantiam vsque ad vitij velut confinium, & *obstinationem* appellat, crebris ictibus inconcussam patientiam. Sed obseruare oportet, quàm facilis sit hæc pia tolerantiæ obstinatio, his, qui *quotidie* se in duris exercent: *præterquam*, inquit, *& desperata conditio eorum ex prædamnatione solatium reputat, fruenda interim malignitati de pœna mora.* (Hæc aliorsum Luc 9. v. 23. *Christianus continuâ mortificatione ad patientiæ velut obstinationem eruditur.* Hugo ibid. 1. Cor. 4. v. 10. Tertull. de spectac. c. 1. Apol. c. 27. *Martyr optabat supplicia protelari, fruenda interim malignitati de pœna mora.*

Tertull.

Tertullianus quæ in hunc sensum aptiùs Christianis congruunt) Scilicet nascentis Ecclesiæ Christianus quisque, expeditum morti genus, ad patientiæ obstinationem, quotidie, & incessanter aduersa tolerando, sic eruditus est; non modo vt diu *sentiendo obtinuerit, vt sentire non possit*; sed vt optet, quòd aduersa producantur, & tormenta perdurent, *fruendæ interim malignitati de pœna mora.* Itaque qui *quotidie* se abnegando, & crucem *perseueranter* tollendo, patientiam piâ quadam obstinatione obdurauit, non modò velut inuulnerabilis est, diúque sentiendo obtinet, vt sentire vix possit: sed cunctationem supplicij, ipso supplicio acerbiorem, quasi impatibilis exoptat, *fruendæ interim malignitati de pœna mora.* Qui *quotidie* moritur, qui *perseueranter* abnegat temetipsum, qui continuò suæ mortificationi studet, sic tanquam insensilis redditur, adsuetæ potentiæ stupore, vt in aliquam patientiæ *obstinationem* obduretur, & pœnalis cruciamenti morâ fruatur: O diuturnè beatas Sanctorum calamitates! Quid de tua impatientia, Sanctorum tolerantiam meritis? In doloribus velut arcanus quidam stupor, pertinacis diu patientiæ stipendium est. *Nolite timere pusillus grex.* Ad quæ verba ita scribit Chrysologus: *Grex pusillus ac mitis, diu contentus occidi, diu vorari passus est, fruendæ interim malignitati de pœna mora.*

Luc. 12. v. 32. Chrysolog. serm. 23.

4. Iob cap. 6. peracerbis percussus plagis, patientiæ constantiam vindicat, sed laxamentum à tristissimis lamentationibus sibi non negauit: lugubres non dissimulat querimonias, vt calamitatis magnitudinem publicet, & vel saltem commiserationem extorqueat. *Quæ est*, inquit, *fortitudo mea vt sustineam? aut quis finis meus, vt patienter agam? Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est.* Non negat patientiam, dum sensus acerbissima sustinentes a saxeo stupore vindicat, ne impatibilis dum tam dura patitur, censeretur, quò eximiam laudem gaudendi in tribulationibus, lex Euangelica dedicaret: non Stoïco quondam stupore ad vanæ gloriæ arrogantet fastum; sed masculo gratiæ vigore, de spei magnanimitate concepto, ad doloris, & iniuriæ frustrationem. Sanctus Gregorius Nazianzenus profundo stilo, & ingenio, sic ad rem præsentem scribit: Duo, inquit, hæc ægrè teneri queunt, Deus, & Angelus: tertium est Philosophus, (id est, qui totus virtuti mancipatur) *In materia vacans materiâ, in terra cælestis, in passionibus impatibilis.* Nimirum homo Christianâ philosophiâ perfectè eruditus, quasi cognati sui limi degenerem vilitatem desuetcat, & cælestem animi generositatem augustè sapiat; ac si in corpore vacaret corpore, & in carne carnis exgrex foret, ac si in terra esset mundi exul, & præcoqua beatitate cælicola, ad pericula intrepidus est, ad vulnera impenetrabilis, ad calamitates insensilis, & *in passionibus impatibilis.* Non quòd reapse non acerba patiatur, & humanitùs doleat: (dolores enim sunt humanorum sensuum appendices) sed quia quasi viuum cadauer calamitates sustineat: viuum quidem ad molestiæ sensum, sed velut emortuum cadauer: ad patientiam sic magnanimam, vt insensilis reputetur. Ad hanc quasi patientiæ obstinationem crebris vitæ molestiis Christiana perfectio erudit, & vltrò sibi asciscit molestiora, vt duris persecutionibus assidua, censeatur *in passionibus*

Iob. 6. v. 11. & 12.

Sanctorū Proceres in passionibus impatibiles videbantur.

Naz. Orat. pro Basil.

impatibilis, & sentiendo propè obtineat, vt sentire non possit. Adeò vt cum Paulo *gaudeat* in angustiis, quas cum Iacobo *omne gaudium* reputat; quia de pia spei animositate est in beatæ immortalitatis confinio. Scilicet beatum Iobum, & reliquos Patriarchas, lugubri, & querulâ tolerantiâ Deus infantat: at post Euangelium, in tormentis tormenta ridet Laurentius, in persecutionibus persecutiones esurit Ignatius, in calamitatibus acerbiores calamitates Xauerius exambit, ac si forent *in passionibus impatibiles.* Numquid fortitudo lapidum fortitudo vestra, aut vestra caro ænea est. Hanc in passionibus velut impatibilitatem præproperè æmulatus fuit ambitiosus Philosophorum stupor. *Zeno Eleates* (inquit Tertullianus) *consultus à Dionysio, quidnam Philosophia præstaret, cum respondisset, contemptum mortis; impassibilis flagellis Tyranni obiectus sententiam suam ad mortem vsque signabat.*

Laurentij, Ignatij & Xauerij elogium.

Tertul. apol. c. 50.

5. Lucæ 11. amicus ille, à quo tres panes intempestiuus petit amicus, his verbis panum præbitionem excusat: *Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili.* Quæ verba exponens S. Gregorius Nyssenus ita ad rem præsentem tempestiuus fatur, alto, vt assolet, stilo: *Opportunè eos, qui per arma iustitiæ impassibilitatem vendicauerunt sibi, pueros appellat, docens, quòd bonum, quod per studia in nobis acquiritur, ab initio fuerat in natura repositum: nam quando aliquis abrenuncians carni, per rationem exercitio vitæ virtuosæ passionem confutauit; tunc quasi puer insensibiliter se habet erga passiones. Cubile autem requiem intelligimus Saluatoris.* Nota, quòd malitiosæ voluptatum suasioni, exercitio vitæ virtuosæ respondet, imposturæque satisfacit. (de quo aliàs.) Et aduerte ad rem, quod per virtutis exercitium, *quasi puer insensibiliter se habet erga passiones: & per arma iustitiæ impassibilitatem vendicat sibi*, quæ est proposita in epigraphe thesis.

Luc. 11. v. 7.

Nyss. in Cat.

§. CCCXLII.

Spei nostræ languore, nostra simul patientia ac virtus languet.

1. Si quis naturam animæ nostræ, vel quoquo modo subodoratus sit, secúmque reputauerit transitum ex hac vitæ conditione ad aliam, meliorem fieri per mortem; profectò is non modicum iam viaticum habet, quò se ad securitatem animi ac tranquillitatem conferat, mortis scilicet contemptum. Immortalitatis candidatus; mortalitatem exuere non formidat. Porrò spes acerrima virtus est, & quam vltima necessitas non excurit: per obstantia it; plúsque dolet non adipisci, quod hianter appetit, quàm dura sustinere, quæ molestè patitur. Ex spe æterni præmij, torpor temporalis laboris struitur: & quò plus æterna sperando homo torquetur, eò magis temporarios frustratur labores, quos beatæ æternitatis appetentia mellit: & dum animosa spes cælestia prægustat, quicquid est terrenum homo quasi iam exanimalis foret, parum sentit, & eorum alioqui molestissimum sensum, vix percipit dolorem; dum plus placidè dolet, quod non statim apprehendit felicitatem, quam spe hianter libauit. Viuida æternitatis spes, arbitrium est ad

Plutarch. lib. de Tranq. anim.

Æternitatis spes, molestias temporarias piè eludit.

temporalium laborum piè ingeniosam frustrationem; & spei languore patientia simul languet.

2. Lucæ 23. inter duos scelestissimos reos, de insigni furacitate famosos, Christus Deus cælestis gazæ largus dispensator, in crucis patibulo contumeliosè pariter & acerbè suspenditur. Latronum alter dum cruciatuum impatientia vritur blasphemâ impudenter linguâ, conuicia in Christum addensans, conceptum de pœnis dolorem maledicè despumat. O scelestè, adhuc in pœnali latrociniorum patibulo, vel Christum Deum innocentiæ stolâ rapacissimè expoliare præsumis, dum eius vitam patenter innocuam, omnibus proficuam, temerariè culpas: Respondens autem Latronum alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es. Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hîc verò nihil mali gessit. *Et dixit ad Iesum: Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.* Bonus latro, qui in cruce Domino constituto, non solùm peccatorum suorum veniam consequitur, sed etiam paradisi amœnitate donatur, vt qui propter scelera damnatus fuerat ad pœnam, propter fidem transferretur ad gloriam, fueritque ille crux quam pertulit, non tam supplicij damnatio, quàm salutis occasio. Et ideò qui consortio passionis vtitur, consortio paradisi muneratur. Beatus enim latro dum supplicium patitur, regnum cæleste consequitur. Ecce reus dicitur, cui damnari ad tempus expediuit, ne gehennæ reus æternùm damnaretur: non enim perueniret ad gloriam, nisi contraditus esset ad pœnam. Hac spe adipatus, pœnalissima crucis tormenta delusit: & dum alter & flagitij, & supplicij consors acerrimè cruciatibus vritur, ipse spebus alacer, temporariam frustratur patibuli calamitatem, piâ optati paradisi spe dulciter excruciatus. *Reminiscens enim* (verba sunt S. Maximi) *scelerum suorum, & pœnitudinem gerens, plus incipit dolere quod sperat, quàm sentire quod patitur.* Quid luculentiùs? Potuit quidem hic Latro, nisi de futuris ampliùs cogitasset, qui in Christum semel crediderat, de præsenti magis supplicio deprecari. Nempe nequam latro, qui spebus viduatus, torpet ad cæleste præmium, doloribus temporariis exuritur, & quos patientia non potest excoquere, rabies blasphemando euaporat. At pius hîc Latro dum *iustè* se puniri cognoscit, anteactæ vitæ animitùs pœnitudinem gerens, de consortio passionis cum Christo erectus & recens iam immortalitatis candidatus, *plus incipit dolere quod sperat, quàm sentire quod patitur.* Vix sentit quàm acerbè patitur crucem, qui sapidissimos paradisi fructus hianter suspirat; & dum discit beatam immortalitatem ad se properantem per mortis aditum; pœnalissimæ necis cruciamenta dedidicit. Plus iam spei suæ dilatione torquetur, sed acerbiori arcanè tormento, desperatæ immortalitatis sapore per quam-gratè dulcissimo: & dum hiat ad paradisi fructus iam iam decerpendos, crucis acerbitatem ignorat, & dulcis spei molestia, molestiori sperandi acerbitate, ad pœnarum sensum torporem inducit; & dulcissimis paradisi spebus, quæ patitur cruciamenta mellit, dum *plus incipit dolere quod sperat, quàm sentire quod patitur.* O spei molestias ænigmati similes, quæ immortalitatis præsumptione, sic gratè animum excruciant, vt dolores humanos facilè deludant, & dum animosis spebus paradisus prægustatur, ad temporarios cruciatus obtorpescimus. ô dulciter peracerbum spei sacramentum!

Luc 23. v. 42. & 43.

Bonus Latro plus incipit dolere quod sperat, quàm sentire quod patitur.

Max. homil. 1. de S. Latrone.

3. Non bona Tobiæ vxor, marito petulanter insultat, & sacrilegis contumeliis impiè onerat: adsimilia iactat improperia in heram, procax Saræ ancilla. Vterque acerbè exuritur, & mœstissimè angitur; & pariter per mortis aditum, ad immortalem introire precibus impensius procurat; & de conceptis immortalitatis spebus calamitatum & dolorum sensus torpet. Vnde vtriusque adsimilis vox est: *Et nunc Domine secundùm voluntatem tuam fac mecum, & precipe in pace recipi spiritum meum.* Quod Tobias & Sara expetunt, inuito Socrati accidit; sed qui virtutis æmulabatur elogia, & magnanimam in calamitate constantiam. (quæ an venerit de virtutis veritate, an de consultæ ambitionis æquanimitate, non disputo) scio tamen in carcere Socratis de immortalitate animæ velitatum esse, & quidem ad rem præsentem opportunè. Scilicet Socrates tum Græcæ sapientiæ meta, & morum idea, ab Anyto & Melito propudiosi criminis reus fit; & tandem ad veneni haustum damnatus. Ergo Socrates iam sacro nauigio regresso, quo ab oraculo vnà damnabatur, iam cicutis damnationis exhaustis, iam morte præsente stat imperterritus, stat tranquillus & placidus; quippe quem nec coniugis fletus statim viduæ, nec liberorum conspectus exinde pupillorum, nec discipulorum cœtus cum Magistro damnatus, lege pietatis inflexerat: vel in hoc tantùm motus ne moueretur: ipsa tunc Socratis constantia, & flectinescia magnanimitas concussa est aduersus inconstantiæ concussionem. Vnde sic erat Socrates inconcussus, & ad tot calamitates velut insensilis, adeò vt tunc de gratulatione responderit? Altè Tertullianus: *Nil mirandum, si Socrates & in carcere lemniscatas Anyti & Meliti palmas gestiens infringere, ipsâ morte coram, immortalitatem vindicat animæ necessariâ præsumptione ad iniuria frustrationem.* Admiraris Socratis sensum ad tot dolendi causas velut torpere? peruide attentiùs, quòd dum vxor muliebriter inclamat, chari filioli infantiliter vagiunt, affines familiæ probrum dolent, Discipuli cum Magistri doctrina suam pariter damnari discruciantur: cùm ipse demum damnari se videt, & quidem iniustè, & inimicos sibi impudenter insultantes: *ipsâ morte coram, immortalitatem vindicat animæ necessariâ præsumptione ad iniuria frustrationem,* Sic fœlix immortalitatis spes tot calamitatum acerbitates mitigat: Sic cruciamenta deludit: sic doloris sensum sopit; & frustratur: Sic Socrates vel mentitâ beatæ immortalitatis spe erectus, *plus incipit* gratè *dolere quod sperat, quàm sentire quod patitur:* O spes, passionum sopor, calamitatum leuamen, tranquillitatis promptuarium, angustiarum laxamentum, tribulationum effugium, patientiæ matrix, & exprompus dolorum torpor, ad anxietatum frustrationem! De spei imbecillitate imbecillitas patientiæ est. O aude sperare, & perpeti animosiùs audebis! Spei languore patientia quoque languet. Esto benè sperans, ne sis malè patiens, vt hîc Anna cunctantis Tobiæ mœstissima mater.

Tob. 3. v. 6. & 14.

Socrates immortalitatem vindicat animæ ad calamitatum frustrationem.

Tertull. lib. de Anima. c. 1.

Hic v. 4.

4. Canticorum 2. *Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Ecquis est iste sponsæ, id est, Ecclesiæ dilectus, qui colles & montes quamocyssimè transilire cualet? Honorius de spirituali viro hunc locum tropologicè commentatur:

Cant. 2. v. 8.

Honorius apud nostrũ Rio ibi.

commentatur: dum de virtute in virtutem ad perfectionis fastigium per arduas & salebrosas difficultates agillimè ascendit. Sed quo animatus vigore spiritualis vir salit in montibus, & colles transilit? Porrò corpus, quod corrumpitur aggrauat animam: quid ergo eum alleuat, vt per altas montium crepidines, & reductos saltuum colles velocissimè saliat? Aptè Nyssenus: *In saltibus diuina spei totum corpus attollitur.* Itaque de concupiscentiæ fomite tota humanitas, titubatio virtutis est, pietatis languor, animæ grauamen, & sanctitatis ruina, quibus præpeditur, ne gressus ad virtutes explicet. At spei vigore sic pergraue hominis corpus roboratur ad arduas perfectionis difficultates vt *in saltibus diuina spei totum corpus attollatur.*

In saltibus diuina spei humanum corpus attollitur.

Greg. Nyss. orat. 14. in Cant.

5. S. Isidorus Pelusiota sic Zenoni Presbytero scribit: *Si eâ spe fretus, quæ omnia continet, ad huiusmodi rem oculos conieciſti, ac fide ea aggressus es, quæ modulum nostrum superant, fruere sanè isto animi instituto:* Spes *omnia continet?* O quàm multa paucis! Et addit: Væ prægnantibus & lactentibus in illis diebus, ait Dominus ad eas animas, quæ.... nec præmiorum spem sibi proponunt, verùm minis aut insultibus fractæ sunt, *ac futuris rebus spoliatæ.* Scilicet quemadmodum qui benè sperat, *omnia continet:* sic qui spem abiecit, futuris omnibus *spoliatur.* Omnia *continet* qui benè sperat: cuius languet spes, omnibus *spoliatur.*

Isid. Pelus. lib 1. ep. 217. & 211.

Spes omnia continet.

6. Et sanè quoniam qui spem habet, omnia continet: & qui illam abiecit, bonis omnibus spoliatur: ideò dixit Ennodius: *Minus diligo prospera quæ sumunt de desperatione principium.* Serò venit, & ieiuna adest prosperitas ei, qui spem, quæ *omnia continet*, excutiens, bonis omnibus præcoquâ expoliatione viduatur.

Ennod. in Panegyric.

---

§. CCCXLIII.

Humanæ spes, ac si ipsæ grauius periculum faciant, sedulò omittendæ sunt, ne humani patrocinij hostilitatem experiamur.

1. FAteor insitam esse nobis corporis nostri charitatem, fateor nos huius gere tutelam: non nego aliquando indulgendum illi, exsomni curâ illi seruiendum, nego. *Multis enim seruiet, qui corpori seruit, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert.* Huius nos nimius amor timoribus inquietat, sollicitudinibus onerat, contumeliis obiicit, præsidiis perperam communit. Ast persæpè diu comparata patrocinia, humanum mentiuntur votum, dum spes auxilij in rebus mundialibus collocatas, vltima necessitas excutit; indéque inuenitur dispendium, vnde compendium parabatur. Audi non iam Rapsacem, sed Deum sic hominibus adhortantem: *Super quem habes fiduciam, quia recessisti à me? Ecce confidis in baculum arundineum: cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam: sic Pharo rex Ægypti omnibus, qui confidunt in eo.* Prouerbiali specie *baculus arundineus fractus* pro infirmo auxilio ponitur; quo tam longè est, vt imbecillum sustentet, vt potiùs manum apprehendentem violet, compungat, & perforet.

Senec. ep. 14.

Humanum patrocinium est baculus arundineus confractus.

Isaiæ 36. v. 5. & 6.

Imbecilla sunt hominum auxilia, & sæpè in contrarium eunt, falsatâ rerum mundialium fide. O quàm benè spes suas Tobias collocauerat! Secus hic eius mœstissima coniux. Hic vers. 4.

2. Matthæi 8. ascendente Iesu in Nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius? *Et ecce motus magnus factus est in mari ita vt nanicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat.* Dum Christus placidè soporatus dormit, accedamus ad contemplandas discipulorum angustias: videamus Euangelij negotiatores, qui in mari vitam tuentur, mirè animo dubios perplexósque; videamus Petrum contra fluctus audentem, & in nauiculâ conterritum. Intereà Dominus dormiebat, cuius iussis mare obtemperans paulatim vndis terrorem tollebat, ventus insibilans nauem iaculabatur, nauis vndis concussa fluctuabat. Sed videamus quid faciant Discipuli atrocissimâ tempestate iactati. Vbi spes collocent in tanto naufragij discrimine. Eleganter de more Basilius: *Discipuli, inquit, studiose salutem quæritabant ab arte: sed manus fatiscebant. Cum tempestate depugnabant, & cùm ventis de naui decertabant. At cum procella præualeret, neque arti pareret mare, ac potius vinci extimesceret, & terrorem de terrore exsuscitaret, victi Discipuli, & quæsitas ab arte spes, tanquam & ipse naufragium facerent, omittentes, recurrunt ad portum, qui in scapha erat.* &c. Nota hæc postrema Basilij verba, plena ingenij, moralitatis plena: *Quæsitas* (inquit) *ab arte spes, tanquam & ipsa naufragium facerent, omittentes.* O in re mundiali spes naufragas! Scilicet vbi Discipulorum manus ad opem ferendam sedulæ sunt, & vectores totam artis & roboris exhauriunt industriam, in qua tempestatis, sedandæ, & naufragij auertendi spem collocauerant; planè competiunt, *quæsitas ab arte spes, tanquam & ipsa naufragium facerent, omittendas.* Quod humana industria vnicum reperit patrocinium, sic fallit: Sic ab illo timendum est: Quod nuper spem sospitatis erigebat, iam incutit terrorem: Quod tempestatem frangere putabatur, vim tempestatis obarmat: A portu, scaphæ timetur naufragium: spes ipsæ, periculi minæ sunt, & metuendi causas exaggerant: O quale est periculum, quod de asylo timet! Vel ab industriæ patrocinio periclitantur, dum *quæsitas ab arte spes; tanquam & ipsa naufragium facerent, omittunt.* Quid in arte confidis? quid de humana industria præsumis? Quid arte & industriâ humanum patrocinium quæris? planè quæris, non quod auertat periculum, sed quod sæpè augeat timorem. O quàm serò spes humanæ ab arte & industriâ quæsitæ, omittuntur, *tanquam & ipsæ naufragium facerent!* Quid adæquè verùm, & humanâ experientiâ notius? *Que deuiços es quien teniamos puesta la mayor esperança, non haçe en la occasion el mayor tiro!* Spes humana non incolumitatem facit, sed naufragium.

Mat. 8. v. 24.

Humanæ spes tanquam ipsæ naufragium facerent, omittendæ sunt.

Basil. Seleuc. orat. 22.

3. 1. Regum 17. congregantes Philisthiim agmina sua in prælium conuenerunt: & egressus est vir spurius de castris Philisthinorum nomine Goliath, altitudinis sex cubitorum & palmi; & cassis ærea super caput eius, & loricâ squamata induebatur, & ocreas æreas habebat in cruribus: & clypeus æreus tegebat humeros eius. hastile autem hastæ eius erat quasi liciatorium texentium. ipsum autem ferrum hastæ eius sexcentos siclos habebat ferri: qui sic cataphractus Israëlitis insultabat, eos ad singulare certamen

 superbi

superbi loquenter lacessens, dum in armato robore spem victoriæ collocare præsumit. Igitur Dauid inermis aduersus armatum Philisthæum descendit in palæstram, diuinis spebus duntaxat armatus. Tu quidem, ait Dauid, contentum intueris, quod ob oculos est, & rebus, quas vides, pugnæ spes metiris, & in tui roboris, atque armaturæ præstantiâ, fiduciam locas. Ego verò inermis, & humano patrocinio destitutus, Deum, cuius ope duntaxat innitor, tibi aduersarium oppono. Protinùs agnosces Deum in me

Basil. infrà allegandus. *Patrocinium Philisthæi aduersario Dauidis militat.* *cæcâ dexterâ* aduersus te bellantem. O plenas diuini patrocinij voces, *vel ante victoriam potitas victoriâ!* Cùm ergo surrexisset Philisthæus, & appropinquaret contra Dauid, festinauit Dauid, & cucurrit ad pugnam ex aduerso Philisthæi. Et misit manum suam in peram, tulitque vnum lapidem, & funda iecit, & circumducens percussit Philisthæum in fronte: & infixus est lapis in fronte eius, & cecidit in faciem suam super terram.

1. Reg. 17. v. 50. & 51. *Cùmque gladium non haberet in manu Dauid, cucurrit, & stetit super Philisthæum, & tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina sua: & interfecit eum, præciditque caput eius.* Singulas huius facinoris particulas sigillatim obseruitans Seleuciensis Basilius sic ad thema præsens luculenter scribit:

Basil. orat. 25. *Misso igitur lapide galea rumpebatur, plagam caput admittebat, & anima de corpore fugiebat. Hoc fidei spolium est, trophæum Gratiæ, auxilij cælestis indicium.* Quid igitur super his Dauid, qui inermis cataphractum prostrauit? *Neque gladium infert in pugnam, inermis pugnator sublato Goliath gladio gladij Dominum diuidit, armis in vsus debitos versis. Cùm igitur Goliath arma fabricaret, id se in vsus Dauidis facere, & proprij iugulatoris baiulum in aduersarij habitu se Dauidi venire subsidio ignorabat.* Et tandem sic Dauidem

Fides ad pugnam nullis eget armis. alloquitur: *O qui palam fecisti fidem ad pugnam nullis egere armis! O qui in te ipso palam fecisti fidei vim!* Scilicet Philisthæus de Brontis Steropisque chalybibus sibi arma fabricat, quorum ope victoriam præsumebat. Sed ecce præclustre diuinæ confidentiæ spolium, spei trophæum; & mundialis patrocinij documentum, siue nocumentum. Nam cùm Goliath arma fabricaret, id se in vsus Dauidis facere, & proprij iugulatoris baiulum in aduersarij habitu se Dauidi venire subsidio ignorabat. Vnde sublato Philisthæi gladio gladij Dominum diuidit, *Armis in vsus debitos versis.* quasi debitus armorum vsus sit, vt eos, qui in armis suis confidunt, hostiliter feriant; & vnde sperabant patrocinium, perniciem experiantur. Indéque Dauidem Goliathus adoritur, non tanquam aduersarius ad cædem, sed quasi armiger, aut armorum baiulus, quo ipse à Dauide sancietur. Euge nouus bellator Dauid, qui de spei diuinæ gymnasio palam doces, quòd de humano præsidio, contra nos hostilitatem armamus: & qui cælestibus auxilijs subnititur, aduersariorum armis aduersarium referit, & de peruerso opportuna auxilia sibi comparat. Euge ô Dauid, *qui palam fecisti fidem ad pugnam nullis egere armis! qui in te ipso palam fecisti fidei vim, armis in vsus debitos versis!* Perquambenè quidem Basilius. O! tutum te in periculis fore existimas, humano patrocinio quod sollicitè comparas: time ab aduersario, time à periculo, & ab humano patrocinio time. Inde Goliath proprio gladio, & Holofernes suo acinace iugulantur: & naufragi Discipuli *quæsitas ab arte spes, tanquam & ipsa naufragium facerent, omiserunt.* Humana auxilia eminùs blandiuntur, cominùs feriunt.

Et paulò ante in hoc eodem capite, videns Philisthæus Dauidem pulchellum & inermem iuuenem, insolenti superbiloquentiæ fastu despexit eum. Cui respondit Dauid: *Tu venis ad me cum gladio & hasta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum...... & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te, &c.* Ad quæ eadem verba idem Seleuciensis Basilius ita imbi ad rem fatur: *Corpore præsidens est Philisthæus, & thorace; ego verò immortali defensione munior: scutum Philisthæus obiectat, verum hostem à Deo oppugnatum non metuo ego, cui cælum pro clypeo est.* Scilicet nuper abiecerat Dauid regia Saülis arma, tanquam victoriæ impedimenta; & contra cataphractum gigantem armorum patrocinio præsidentem, animosus duellat *immortali defensione munitus*; quia dum terrenas negligit spes, toto cæli ambitu clypeatur. Quid in stadio Philisthæum inermis timet Dauid, *cui cælum pro clypeo est?* 4.

1. Reg. 17. v. 45. *Cælum nobis pro clypeo est.*

Seleuc. or. 15.

Matthæi 15. Christus Deus sic de Pharisæis loquitur: Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum. *Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Ad quæ verba adludens Tertullianus, ita ad rem scribit, loquens de Hæreticis, qui Ethnicorum suffragia aduocant: *Quid*, inquit, *cæco duci inniteris, si vides? Quid vestiris à nudo, si Christum induisti? Quid alieno vteris clypeo, si ab Apostolo armatus es?* Ipse ambitus humani patrocinij, & tuam imbecillitatem ostendit, & illius hostilitatem prodit. 5.

Mat. 15. v. 14.

Tertull. de Resurr. carn. cap. 3.

§. CCCXLIV.

Sic præferri solet iuuenum florida spes, canis seniorum meritis, vt certius sit de iuuenibus credi, quàm quòd de alijs potuit approbari.

SAnctus Bernardus ea Apostoli verba exponens: *Omnia possum in eo, qui me confortat*, ita eleganter scribit: *Quanta fiduciæ vox? Quid ni omnia possibilia sunt innitenti super eum, qui omnia potest? Nihil omnipotentiam verbi clariorem reddit, quàm quod omnipotentes facit omnes, qui sperant in eo.* Sic est arcanè actuosa hominis spes, vt sit operis velut omnipotenter artifex: Sic votiuè audet humana fiducia, vt diuinæ omnipotentiæ vim quodammodò æmulari præsumat: spei omnipotentiam in Paulo, Pauli que similibus omnipotente Deo subnixam, adoro: fundatur enim in omnipotente Dei verbo: at audaces hominum spes, quas humanitas ædificat tota, non bonis sæpè fundamentis nititur. Verùm si qua omnipotenter sibi magna quæque spondet, ea potissimùm est, quæ habetur de minori ætate, aut ob probitatem indolis, aut ob præcoci sagacitate viuidum ingenium, aut tempestariuis intempestæ gratiam (lenocinante semper affectu. Videas sæpè & (si bene sapis) toties ridebis, & dolebis, ridiculatiam, & dolendam spei omnipotentiam, de pueris vel iuuenibus adhuc crudis, qui aliquam maturitatis speciem præbuerunt. O qualis, quantúsque hic erit, vaticinantur, si ad annos maturitatis excrescat? *Prouidentia nostra ratio est in tenera ætate* 1.

1. ad Philipp. 4. v. 13.

Bern. serm. 85 in Cant.

Spes quæ Deo nititur, omnipotens dicitur.

De iuuenibus plus quam par est, nobis spondemus.

Cassiod. lib. 2. epist. 15.

ætate merita futura tractare, inquit Theodoricus Cassiodori calamo. Hinc Procerum patrocinia, hinc obuius vbique fauor, hinc propera vel ad quoduis fastigium promotio, vel illius sollicita præparatio. O spei *omnipotentis* inconsultus stupor! ô mentes affectu subornatas! Esto, fiduciæ vestræ velut omnipotentiâ, quod friuolè speratis, spei manibus patret; vix, aut ne vix quidem hic vestræ spei alumnus perueniet ad meritum, quo cana aliorum peritia gaudet: quid horum fructus propemodum tædio vobis sunt, & illorum floribus sic deliciamini? Sed nescio quo pacto gratiùs quibusdam blanditur meriti futuri spes præcoqua, quàm quod in aliis coctum apparet, maturum, sapidum. O spes arroganter omnipotens, quæ & merita immaturè cudit, & ad ampliorem gratiam omnipotenter adornat! *Todos les parece poco para vn muço de esperanças.*

2. Tobiæ 1. vers. 24. non diu vixit Sennacherib post concisum in Iudæâ exercitum, & fugam inde ignobilem: atque ideò non potuit cùm maximè cuperet, furorem suum Hebræorum sanguine satiare; & dolorem suum, & pudendum dedecus alieno dolore, & confusione consolari. Nam quadragesimo die postquam in patriam rediit, vt mors etiam esset luctuosa, & turpis, sicut & fuga stragésque fuerat, filiorum manu in Templo, vbi suam idolis salutem, & vitam supplex commendabat, interfectus est. *Post dies verò quadraginta quinque occiderunt Regem filij ipsius.* (Tob. 1. v. 24.) Sennacheribi cædes explicatiùs traditur 4. Regum 19. & Isaiæ 35. iisdem omninò verbis: *Reuersus est*, inquit, *Sennacherib rex Assyriorum, & mansit in Niniue. Cùmque adoraret in Templo Nesroch Deum suum, Adramelech, & Sarazar filij eius percusserunt cum gladio, fugerúntque in terram Armeniorum: & regnauit Assaradon filius eius pro eo.* (4. Reg. 19. v. 36. & 37. Isaiæ 35. v. 36.) Quæ causa duos filios adduxerit, vt impium ferrum paterno sanguine cruentarent, dubia est apud Commentatores. Quâ super re ita scribit Abulensis dubio ita respondens: *Respondet historia scholastica, quòd hoc fuit, quia maiores duo erant, qui occiderunt eum, scilicet Sarazar & Adramelech: minor autem erat Assaradon: Sennacherib tamen designauerat eum successorem regni, præteritis duobus maioribus, vel exheredatis; in quo valde indignati sunt, & occiderunt patrem.* (Abul. in 4. Reg. 19. q. 31.) (*Plus creditur in iuuene spei meritorũ, quàm meritis in alio approbatis.*) Prætermissis senioribus filiis, iuniorem eligit Assaradonem: explorata longiore ætate merita Sennacheribus respuit, & iuniorem mauult eligere: pluris æstimat dubios spei flores in Assaradone, quàm maturos in aliis fructus. Audiendus est in re propè simili Athalaricus, qui immaturâ ætate ad aui regnum adscitus, Romanorum Senatui ita scribit Cassiodori calamo: *Prælata est ergo spes nostra cunctorum meritis; & certius fuit de nobis credi, quàm quod de aliis potuit approbari.* (Cassiod. l. 8. var. epist. 2.) Ecce tibi conceptam de iuuene spem canis cæterorum meritis prælatam; inconditam iuuentutem maturæ virilitati; pulchrum florem, fructibus opimis; pueri dubias spes, cæterorum peritiæ: & incertis spebus de iuuene conceptis, plus creditum est, quàm certæ in aliis meritorum experientiæ. *Prælata est* (ait iuuenis Athalaricus) *spes nostra cunctorum meritis; & certius fuit de nobis credi, quàm quod de aliis potuit approbari.* Certiùs patrandi meriti spebus creditur, quàm approbatis iam in alio meritis: Sic concepta de iuuene spes assensioni blanditur, & credulitatem subornat ad gratiam: Gratius est bonum, quod speratur in iuuene, quàm quod approbatur in viro: ô *omnipotentis* spei ambitionem, de affectuum præstigio subdolè falsatam! Non bonæ de puero Tobia spes illi imputantur, sed meritum in ea ætatula exhibitum: *Cùm esset iunior omnibus in Tribu Nepthali, nihil tamen puerile gessit in opere.* (Tob. 1. v. 4.) Incerta est florum spes, & tenera eorum valetudo: sapiens autem non credit incerto: quod mœstissima eius coniux de adolescente filio sibi persuadebat, aiens: *Omnia simul in te vno habentes.* (Hic vers. 4.)

3. In hac historia c. 7. Raphaël sub Azariæ nomine, & eius alumnus, ad Rages Medorum vrbem tandem peruenerunt. Ad Raguëlem cognatum diuertunt. Ingressi sunt autem ad Raguëlem; & suscepit eos Raguël cum gaudio. Intuensque Tobiam Raguël, dixit Annæ vxori suæ: *Quàm similis est iuuenis iste consobrino meo!* (Tob. 7. v. 2.) Tobiæ, inquam, seniori. Non miratur, quòd Raguel hilariter hospitalis, ignotos etiam peregrinos cum gaudio susceperit, & quòd bonus Tobias bene illi placuerit, & quòd in exterioris formæ linea mentis, Tobiæ seniori similem iudicauerit: valde autem mirum est, quòd perfectas animi dotes, quæ ex diuturna virtutum exercitatione eminebant in sene patre, in filio iuuene hactenus ignoto, recognouerit. (*De spei priuilegio habuit Tobias, quòd inter ipsa iuuentutis primordia consummatus apparuit.*) Quòd apprimè obseruauit inibi Lyranus: *Quàm similis est*, inquit, *iuuenis iste consobrino meo, Tobiæ seniori, cui filius erat valde similis corpore, & mente, & etiam nomine.* (Lyran. ibid.) Esto, ex iunioris Tobiæ modestia, animi honestatem diuinet, & benè constitutam ad mores indolem; ast quo pacto maturam senioris Tobiæ prudentiam, & exercitissimam eiusdem virtutem, in iuuene potuit admirando recognoscere? De iuuene Tobia Raguelus pronunciat, quod de suo Felice Cassiodorus: *Iuuenem te solus decor ostendit, ab ore primæuo cana verba maturuerunt. contendit flos ætatis, & maturitas mentis.* (Cassiod. li 8. var. epist. 18.) Nempe Raguël in iuniore Tobia *mentis maturitatem*, canam sapientiam, viuidum pietatis studium, & consummatam virtutis perfectionem, præproperè recognoscit, quod in suo Maximo recognouit, & his verbis laudauit Emisenus: *Qui cùm à prima ætate*, inquit, *nouis virtutibus vsque ad finem quasi semper incœperit, inter ipsa primordia consummatus apparuit.* (Euseb. Emiss. hom. de Maximo.) Tobias iunior inter ipsa iuuentutis primordia *consummatus apparuit*, qui de præmaturæ spei priuilegio, non tantùm corpore & nomine; sed *mente* etiam similis viro consummato haberi meruit. Spei *omnipotentis* munere Tobias possidet, vt solus decor iuuenem ostendat, vt ab ore primæuo cana verba maturescant, vt contendat flos ætatis & *maturitas mentis*, vt inter ipsa iuuentutis primordia, sic consummatus appareat, quòd boni Raguelis censu, in bonæ *mentis* dotibus viro perfectissimo (qui sanctitatis tunc erat meta) opinione virtutis possit adæquari. quandoquidem spei flores pro fructibus computantur, dum *à prima ætate* iunior Tobias *inter ipsa primordia consummatus apparuit*: & propè certius fuit de illo credi, quàm quod de aliis potuit approbari. Sic omnipotens spes de minori ætate sperare audet!

4. Ioannis 21. dum ter probatur Petri amor; vniuersalis Dominici gregis Pastor renunciatur, sublimior Apostolorum vertex, & summus Ecclesiæ Antistes: & feliciter illi optatissimum in cruce martyrium prænunciatur. *Hunc* (ait Augustinus) *inuenit exitum ille negator & amator, vt pro eius nomine perfectâ dilectione moreretur, cum quo se mori* (Aug. ibid.)

moriturum peruersâ festinatione promiserat. Mox Petrus iussus *sequi* Christum, vidit illum discipulum (quem diligebat Iesus, cui virgini virginem matrem commendauit, quem in iuuentutis vere, Apostolorum collegio adlegerat) pariter sequentem. *Hunc ergo cùm vidisset Petrus, dixit Iesu: Domine, hic autem quid?* Verùm expensione dignissimum est, quòd cùm Christus Deus *cunctorum Fidelium Prælatum Petrum instituit:* cùm non solùm illi mortem, sed mortem crucis ipsi Christo, quamsimilem prædicit; tunc de Ioanne ætate iuniore, hæc verba profetat: *Hic autem quid?* O quanta capit suspensus nunc interrogatione sermo! Alij aliter verba accipiant, & in meritas Euangelistæ laudes piè audaci commentatione dignius euagentur, ore & calamo exaggeratiùs encomiaste: ego verò cum Glossa dum in hoc largioris beneficentiæ articulo, de Ioanne priuilegio Dominici amoris florente, & iuuenili ætate inter cæteros tunc discipulos vernante, piè audacem hunc huius tempestiuè interrogationis sensum accipio. *Hic autem quid? Voluit etiam Petrus fratris cognoscere exitum*, ait Glossa. Quasi dicat Petrus ad Christum Deum: *Domine hic autem quid?* id est, si me seniorem tam prælustri dignitatum prærogatiuâ vbertim munerasti; quid dignitatum non spondeat florida spes de adolescente Ioanne concepta, & singularis beneuolentiæ priuilegio suffulta? Quem habebit *exitum*, quod spes de Ioanne opulentior hactenus immeratè spondebat? Quid adhuc restat in prædiuite omnipotentiæ & beneficentiæ censu, quo adæquè Ioannes muneretur? *Hic autem quid?* dum ego sic iam muneratus sum, quid vltrà spondet vernans de Ioanne spes, cui nihil satis esse putabatur? pulchriot gratiæ officiositas, quem *exitum* Ioanni appatat? Nempe si *hunc inuenit exitum ille negator & amator; hic autem quid?* quemnam *exitum* spes de eo conceptæ nobis spondent? *Prælata est* (ait iuuenis Athalaricus ad regnum adscitus) *spes nostra cunctorum meritis; & certius fuit de nobis credi, quàm quod de aliis potuit adprobari.* Hæc apud homines de humanæ affectionis vitio percrebuerunt: apud Deum non præfertur ætas, sed dignitas; non meriti dubia spes, sed indubium meritum consultiùs eligitur.

Ioann. 21. v. 21.

Theophyl. ibid.

De iuniore tunc Ioanne singulariter dilecto, immetata spes à discipulis concepta erat.

Glossa ibid.

§. CCCXLV.

Auxiliatricis gratiæ officiositas, de periculo sæpè salutem inuenit.

1\. TObias hîc (idem propè sentias de Sara, calamitatis etiam affinitate coniunctâ) captiuitatis malo exagitatus, rerum penuriâ miser, oculorum luminibus viduatus, vxoris petulanter conuiciatricis sacrilego multifariam probro malè saucius; dum euntibus præ tristitia lachrymis, & voce crebris singultibus interceptâ, mortem mœstus requirit, feliciorem vitam inuenit, & ministeriali Raphaëlis obsequio simul cum Sara vltra spem felicitatur. Adeò vt dicere possent cum Ticinensi Ennodio: *Gratias tibi, tali moderator, & conditor, qui dispensatione subtili, & occultis miserendi itineribus, vias nostras, & de afflictione componis, & ad virtutem perfectam piâ lacteratione nos reparas.* Pergit Ennodius aiens cum Tobia, vel potiùs Tobias præproperè cum Ennodio: *Remansi solus, inops re, & consilio destitutus, cui sola remedium tribuere possit aduersitas.* Itaque Tobias & Anna in acerbiori infortunio inquæsitum remedium Deo dispensante reperertunt: indéque inopinatè felicitati sunt, vnde credi poterant profligati.

Tobias & Sara laceratione reparantur.

Ennod. in Euchar. de vita sua.

Hic vers. 5.

2\. Scit Ionas, quæ loquimur, qui Dei præceptionibus animo perceptis, vt durus minaciter Propheta luctuosam cladem Niniuæis interminaret; ipse zelo vehementiùs contra impios impulsus, dum in Tharsim fugam arripit, experientiam inuenit magistram. Igitur fugitiuo inobsequenter zelo inscendit nauem, & subitò Dei mandatum mouit mare ad inquisitionem. Retine, inquit, ô mare, Prophetam meum fugientem, age seruum meum in vincula, nauis fluctibus obsidiatur, ac vi ventorum propellatur in periculum. His mandatis communitum mare funditus turbat nauigantes, vndarum montes circumstantes Prophetam deposcebant. Qui verò nauigabant propheticæ fugæ ignari cum tempestate deprælíabantur, & aduersus mare naualem pugnam suscipiebant, ac frustra onera in fluctus effundebant, cùm tempestatis causam retinerent. Vbi verò salutem desperauit ars, spesque fecerunt ante naufragium quàm nauis, forte quærunt obortæ tempestatis auctorem. Pro ancora sortem esse putant; sors non mendax indicium dedit. Propheta fugacitatis argutus est, & cetus damnationis sententiam excepit. *Præparauit Dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam: & erat Ionas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus.* Illicò Ionas in viuo sepulchro ferebatur, nantem habitans carcerem, impactam lethi gurgitibus sedem habitans, commune mortuorum receptaculum, non viuorum, habitans aluum mortis matrem. Quod profundè contemplatus S. Maximus, sic ad rem præsentem eleganter fatur: *Ionam cetus piscis excepit immersum sed non contigit deuoratum: & quem malitia hominum perdidit, bestia esuriens custodiuit, plenis visceribus famem patitur..... demissus in alienam rerum naturam, in vita exilium cum vita peregrinatur.* Ecce tibi Ionas de periculo sospitatur; & qui naufragus ferebatur in naui, in certo vitæ naufragio viuentem portum inuenit: in altè sæuos vortices mersus vitalem reperit scapham, & in salo quasi in solo versans, incolumitatem periculo negotiatur. Marina immaniter bellua, dum Prophetæ discrimine ingurgitatur, plenis visceribus famem patitur: *& quem malitia hominum perdidit, bestia esuriens custodiuit: demissúsque in alienam rerum naturam, in vita exilium, cum vita peregrinatur.*

Ionam, quem malitia hominum perdidit, bestia esuriens custodiuit.

Ionæ 2. v. 1.

Max. hom. 1. in fest. Pasc.

3\. Procliue est huc aduocare verba illa Dei ad Satanam atrociter esurientem Iobi calamitates. *Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serua.* Attentiùs obserua quo pacto hæc infernalis bellua Iobi custodiam sibi à Deo iniunctam, peregerit: *Egressus igitur Satan à facie Domini, percussit Iob vlcere pessimo, à planta pedis vsque ad verticem capitis,* &c. O arcanam custodiam è peruerso auxiliarem! quem amicorum, & propriæ vxoris malitia, validè instigauit, vt perderet, *bestia esuriens custodiuit. Verumtamen animam illius serua.* Sat hæc leuiter perstrinxisse. Maximo addatur Veronensis Zeno: *Ionas timens Dominum, spontaneum non timet adire naufragium: ceto inhiante miserabi*

Iobi 2. v. 6. & 7.

Iob calamitatibus custoditur.

Zeno serm. de Timore.

miserabilius sepelitur, quàm præcipitatur; & tamen littus, quò tendebat, inuenit, antequam videat; felix magis sepulchro, quam naui.

4. Geneseos 20. in connalle Mambre habitabat Abrahamus, diuitiis opulentus, indigenatum amico fœdere inclytus, atque Dei familiaritate conspicuus: & ecce *Profectus inde Abraham in terram australem, peregrinatus est in Geraris.* Seriò perquitunt Interpretes, quare Abrahamus prioribus relictis sedibus; in vrbe Geraris habitare maluerit. Sanctus Chrysostomus inibi ità scribit: *Vnde Abrahamus mouit? à loco vbi vniuersi conditorem cum Angelis suscipere ei concessum erat.* Et quò inde pergit? in vrbem Gerara, in *Gerara*, inquam, *quæ prouocatio, & inquietatio* interpretatur, teste Lippomano: aut quæ *feruorem tribulationis* significat, vt mauult Anselmus Laudunensis. O arcanam Abrahami sapientiam! Amœnissimam Palestinæ regionem deserit, veteres cum indigenis necessitudines abrumpit; amica cum Deo, & Angelis colloquia, & cæli delicias in hac vita fugit, & auidè quærit *Gerara*, id est, *prouocationem, inquietudinem, feruorem tribulationis?* Mirissimum planè commercium! Hostilis *prouocatio*, anxia *inquietudo*, & æstuans *tribulationum feruor*; regionis amœnitatibus, amicorum necessitudinibus, & tot cælitum fautoribus præferenda sunt: Dicere cum Ennodio liceat, non suo Theodorico, sed nostro Abrahamo: *Sub te vidimus euentus optimos de aduersitate generari, & fieri secundorum matrem, occasionem periculi.*

Gen. 20. v. 1.

Chrysost. ib.

Lippom. ibid. Anselmus Glossa.

Occasio periculo fit secundorum mater.

Ennod. in Panegyr.

5. Genesis 19. post Sodomorum deflagrationem, ascendit Lot de vrbe Segor, (vbi incendij expetitum inuenit asylum) & mansit in monte, duæ quoque filiæ eius cum eo (timuerat enim manere in Segor) & mansit in spelunca ipse, & duæ filiæ eius cum eo. Dederunt itaque filiæ patri suo bibere vinum nocte illâ. *Et ingressa est maior, dormiuitque cum patre*, &c. Idem nocte sequenti minor præstitit filia. Ad quæ verba moralissimè Lipomanus: *Docet hîc Spiritus-Sanctus, periculosam habitationem viri cum mulieribus extra matrimonium. Si enim non licuit tutum habitare patrem cum filiabus; & patrem tam sanctum, & iustum, quid fiet de miseris peccatoribus, & mulierculis quibúsque?* Vel sexus discrimen insidiatur pudicitiæ: nullum est satis tutum Luxuriæ asylum: Verùm audiendus est S. Gregorius ad thema præsens opportunus: *Lot in Sodomis sanctus extitit, in monte peccauit.* Ne vel suffragio libidinis tutò te credas. Timeat etiam cautelæ, cui etiam pœnitentia sæpè scrupulosa est. Nulla est salus nostra, nisi plena est. Lot in montis securitate luxuriatur, qui in Sodomæ periculo tutus erat. *Lot in Sodomis sanctus extitit, in monte peccauit.* Qui in montis securitate imbecillè periclitatus est, in Sodomæ *periculo inuenit salutem.* Piæ enim cautelæ negotium est, præproperè occasiones auertere: verùm quando aut obsequij pietas, aut ineluctabilis necessitas, homines ad pericula adegit, vel attentioris cautelæ falce domitrice delinquendi occasiones sollerter amputantur, vel sedula de periculis oratio, cæli auxilia fœcundat, & ope fructificante discrimina compescit. Perbenè Ennodius (vt ab eodem sit exordium, & clausula) *Optimi conditoris aperta sunt beneficia: quando ira à pietate non discrepat, quando & artem nos supplicandi docuit, & suis muneribus vult placari.* Dei ira, quæ duras calamitates immittit, aut in periculosa nos discrimine permittit; iræ genium dediscens, de arte obnixiùs supplicandi, *à pietate non discrepat.* O quoties fabricatis oratione armis, de periculo inuenimus salutem! vbi marcescere timebatur, amœnior gratia vernare solet. Quis in dira calamitate, aut tentatione spem excutiat, non semel expertus, quod *de periculo inuenit salutem?*

Gen. 19. v. 33.

Lipom ibid. *Vel sexus discrimen insidiatur pudicitiæ.*

Greg. hom. 9. in Ezech.

Paulin. ep. 16

Ira Dei à pietate non discrepat.

Ennod. in Bened. Cer.

1. Regum 18. adhuc Saül inuidiâ excitatus contra Dauidem, illi filiam Micholem spondet, sponsalium nomine exposcens centum Philisthinorum præputia. Itaque Dauidi filiam dare vult, non quò exosum cohonestare, sed vt filiæ nuptiis cædem emeret. Non vt filia sponsum victorem ante nuptias spectaret, sed vt ante thalamum præconsumeretur; vtque mors nuptias anticiparet, necis instrumentum fecit alienigenas. O miserrimas Saülis cogitationes! vt inuidiæ moribus obsequatur, tam immaturè filiam viduitati adiudicat, inuidiáque oppressus contra naturam furorem concipit. Cognatio non soluit inimicitias, neque naturæ vinculum dissipauit inuidentiam. Mox imperat filiæ, maritum domi seruet, sed ad mortem. O improbitatem occæcatam! viduitatem imponit filiæ, & aduersum maritum armat vxorem. *Misit ergo Saül satellites suos in domum David, vt custodirent eum, & interficeretur manè*, &c. Sed vide argutum Micholis stratagema in re desperatissima, ad liberandum Dauidem, quod his verbis graphicè depingit Seleuciensis Basilius percommodè ad rem: Saül, inquit, furore excitatus necis artifices emisit. Filia verò infirmitatem viri prudenter causata inueteratam patris iram molire clam sperabat. At mihi vide quâ sollertiâ, quâ charitate mulier in virum fuerit. Persuasit quoque lectulo, vt inualetudinis simulationem adiuuaret. Imago namque in viri speciem conformata, & in lectulo collocata formæ fictione videntes eludebat; vestibus verò subiectum recèns iugulatæ capræ iecore res credibilior apparebat. Adhuc enim micans hepar, & supremam palpitationem prodens, viri reciprocantis animam speciem dabat eluso sensu oculorum. (adnota attentiùs, quæ subtexit verba Basilius) *Talem muliebrem tragœdiam amore viri incensa dare potuit! Vt insidiosa data fuit, & auxiliaris reperta est: latrocinatrix emissa est, & gubernatrix inuenta.* Ecce Saül filiam suam Dauidi atrociter exoso dedit insidiatricem, quam Dauid arguto stratagemate auxiliatricem inuenit, vitæ sollerter custodem, non mortis adiutricem. Sic delusus est Regis furor, & sospes Dauid *de periculo inuenit salutem.* 6

1. Reg. 19. v. 11. *Insidiosa datur Michol, & auxiliatrix inuenta est.*

Basil. Seleuc. Orat. 16.

Canticorum 4. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Profectò non satis tuta descender anima sancta de crepidine Amana, & de vertice montis Sanir, in cuius descensu, & latere occultantur leones pardi, serpentes, & si quid aliud aut pestiferos habet morsus, aut pestilentem halitum eructat. Verùm eruditè notat noster Sanctius, quòd τὸ *à capite Amana*, in Hebraica origine significat *à principio fidei*; & *Sanir, lucerna scopulum, seu dentem* significat. pulchrè quidem sub alia metaphora sospitas in periculo denotatur, enocatúrque ad coronam transiens per cubilia leonum, & montes pardorum. Porrò lucernæ *scopulus, dens* quoque moralissimè nominatur: nam *scopulus* qui ad naufragium nauibus minaciter occurrit, ille ipse est etiam ancoræ *dens*, qui nauim in portu securè fundat. *A capite Amana,* 7.

Cant. 4. v. 8. *Anima sancta se pulsus in ancoram vertitur.*

Sanct. ibid. num. 61.

Amana, id est, *à principio fidei* id discendum, quod animæ sanctæ *scopulus* in ancoram vertitur. Quo autem pacto luci assignetur scopulus, & *dens*, alibi tractamus.

---

§. CCCXLVI.

Prudens cogitatio, (quæ est velut mors rationalis) mitiget ærumnarum sensum, ne more tineæ corrodat animam.

1. Seneca.

VNus est huius vitæ fluctuantis & turbidæ portus, euentura contemnere, stare fidenter, apertè tela fortunæ aduerso pectore excipere, non latitantem, non tergiuersantem. Multa per noctem habita terrori, dies vertit ad risum. Quid est in istis tam formidabile, quàm quod fama euulgauit, metus finxit, opinio nobis nostra persuasit? Agrestiores feræ, pericula, quæ vident, fugiunt; cùm effugere, securæ sunt. Nos & venturo torquemur, & præterito concutimur. Multa bona nostra nobis nocent; & ratione ipsâ obruescimus, cùm eius aculeis exasperamur. Timoris enim tormentum memoria reducit, prouidentia anticipat. Nemo præsentibus duntaxat malis miser est: neque his tantùm quæ patitur, sed quæ pati existimat. Plura sunt quibus angimur, quàm quibus premimur; & sæpiùs opinione, quàm re laboramus. Quid necesse est præterita mala reuersare? futura prematurè accersere? præsentia opinione incrementare? Quid tu aduersarij tui arma aduersus te exacuis? Prudentiæ res est, aliò morosam memoriam flectere, festinantem metum inbibere, exasperantem doloris sensum cogitando mitigare. Quid vulnus contactu refricas, nisi vt morbus sæuiat magis? Quereris quòd nimis vulneratus sis, & tu altiùs telum infigis, cùm præstaret cogitando refigere; Tu aduersus te impius es, & de aliena impietate miser expostulas: Preme eiusmodi argutias, illásque prudenter corrige, quò malum vt vt possunt, mitigent; nec permitte vt tua opinio imaginandi licentiâ, patientiam inquietet, & dolorem exaggeret. Qui secùs faxit, sibi tranquillitatem inuidet.

Magis opinione, quàm re laboramus.

2. Ier.12. v.11.

Ieremias lugubris plerumque Vates, calamitates sui populi deplorans, irremediabilis ruinæ causas, in eorum cogitationem detorquet, & irrationabili imprudentiæ adscribit: *Desolatione*, inquit, *desolata est omnis terra: quia nullus est, qui recogitet corde.* Nempe Hebræi diram desolationem, vastitatem hostilem, & ferale patientur excidium, innumerâ cædium strage passim grassante; quia vt viuida est eorum mens in malum, ita emortua est in bonum; neque enim cogitat quomodo malitiam inhibeat, appetitum frænet, passiones extirpet, querelas contra Deum mitiget; sed potiùs, quæ vitia foueant, odia nutriant, perturbationes inquietent, & appetitiones irritent. Scilicet si sapienti corde, quæ recta erant, cogitassent, mortui essent vitiis & concupiscentiis, & inde superstites forent super terram, quæ *desolatione desolata est, quia nullus est qui recogitet corde.* Huc forsan alludere videtur Clemens Alexandrinus, sic pulchrè fatus: *Vt mors est, animæ separatio à corpore: ita & cogitatio est velut mors rationalis, abducens & separans animam à motibus & perturbationibus*, &c. Sententia sanè ænigmati similis, nisi penitiùs inspiciatur *Cognitio*, quæ est hominis vita, & vitalis eius character, erit rationalis mors. Puto, qui *cognoscendo*, morte rationali cadauerascit; dum cessando à cogitatione, velut tumulauit rationalem vitam, tunc viuere reputabitur. Ecquod est hoc ænigma? *Cogitatio est velut mors rationalis.* Peregregiè quidem, prudens cogitatio abducens animum à motibus, quos iniuria commouet, quos plaga illata inquietat, quos mali opinio exasperat, dicitur, *velut mors rationalis.* Quid enim tam rationabile, quàm *perturbationem* ortam ex iniuria sedare? quàm insanos impatientiæ aut vindictæ *motus* mitigare? quàm memoriam mali præteriti, & futuræ calamitatis turbidum metum, & præsentis miseriæ sensum moderari? Homo qui velut emortuum cadauer se exhibet ad sæuas doloris argutias, quæ opinione calamitatem exaggerant; animum auertendo ab his quæ miseriam augent, & cogitando quæ calamitatem leniunt; hæc, inquam, attentiùs cogitando, *velut rationalem mortem* sæuis motibus, inquietis perturbationibus, & molestis tumultibus consultiùs inducit, túncque generosior viuit ratio, cùm hasce opiniones expurias, & a ratione degeneres, *abducit & separat*, eas cogitationis falce resecans. Hinc emphaticè dicitur *Cogitatio, velut mors rationalis, abducens & separans animam à motibus & perturbationibus.* Exindéque desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui hæc *recogitet corde;* & in animum inducat suum, separare à se cogitationes quæ doloris sensum irritant, illúmque à miseriis abductum, applicare ad ea, quæ ærumnam extenuent, & miseriam mitigent. Quod si hic Anna fecisset, tantam gaudendi causam, minimè lachrymis infestasset; quod prudens maritus moralissimè fecit ad nostram eruditionem.

Cogitatio miseriam mitigans, dicitur velut mors rationalis.

Clemens 7. Strom.c.6.

Hic vers.6.

3. Exodi 1. surrexit interea rex nouus super Ægyptum, qui ignorabat Ioseph. Sic est caduca immortalium beneficiorum memoria; sic mali Principes cum obsequio, obsequij ebibunt obliuionem. Ergo ferale edictum opprimendi populi euulgatur; & ingenuus populus cogitur luculento seruitio, & squalido cloacarum egerendarum ministerio addici. Præposuítque eis magistros operum, vt affligerent eos oneribus: *ædificaueruntque vrbes tabernaculorum Pharaoni, Phithom & Ramesses.* Philo Hebræus siue allegoricos, siue morales huius loci sensus sagacissimè captans, ita doctè scribit: *Ædificauerunt ciuitates munitas Pharaoni, Phithom sermonem persuasibilem; & Ramesen sensum, more tineæ, rosurum animam. sic enim hoc nomen interpretatur, quassatio tineæ, vel efferans mentem.* Ecce tibi Tyrannus geminus sæuit in Hebræos. Alter est Pharao, qui eos duro & sordido seruitio opprimere satagit; dum gentem retrò nobilem, tanquam vilissima mancipia seruire cogit. Alter tyrannus est, quisque Hebræorum aduersùs seipsum, qui ædificat vrbē Ramesem; cuius nomen interpretatur, *Quassatio tineæ, vel efferens mentem*, significátque cuiusque *sensum, more tineæ, rosurum animam.* Vide quid sensus calamitatis præstet Hebræis. nimirum eorum *mentem efferare, & more tineæ, animam corrodere.* Esto, præsens miseria toleratu difficilis sit, & corpus adæquè ac animum vexet, quæ est Pharaoniana tyrannis. Sed quid eorum quisque atrocius aduersus se ferocit? quid malum sensu incrementat, & opinione exaggerat? An non præstaret si non tranquillo, (dãdum aliquid dolori est) saltem non admodū inquieto

Exod.1.v.11.

Philo lib. de somniis.

Immoderatus ærumnæ sensus, tineæ more, corrodit animam.

quieto animo, remedij caussas perquirere? Quod si irremediabili seruitio premitur, an non satius foret ad Deum suum sedulas preces feruentiùs mittere, quæ legatione fungantur, quò malum auertat? Quid mentem impatientiâ efferas? quid *animam, more tineæ corrodis?* Ecquis est tam barbarè Tyrannus, qui animum corrosione perpeti, tam crudeliter possit morsicare? Tu tuipsius osor es, lanius es, carnifex es: & animam, cui Pharao pepercit, tu sæua corrosione lanias atrociori cruciatu. Viuacissimè quidem expressit Philo, quàm inhumanè se torqueat homo, nimio miseriæ sensu, & inconsideratâ calamitatis opinione: *Ædificauerunt Reges sensum, more tineæ, corrosurum animam.* O si miseris occurreret *Cogitatio, (quæ est velut mors rationalis)* quæ arcens sensum, more tineæ, corrosurum animam, efferam simul impatientiam arceret, miseriâ cogitando subleuaret, ærumnas mitigaret; & duritiam tribulationis leniens, malum (vt vt potest) aueiteret. Audi quid de Martyribus dicat Eusebius: *Diuersa multimoda crudelitatis ingenia, nouosque cruciatus in semet Sanctorum pectora consumunt, & intolerandum pondus malorum contemnendo vincunt.*

Ærumnarũ multum contemptu vincitur.

Euseb. hom. de S. Blan.

4\. Exodi 8. *Extendit Aaron manum, virgam tenens: percussitque puluerem terræ, & facti sunt sciniphes in hominibus & iumentis: omnis puluis terræ versus est in sciniphes per totam terram Ægypti.* Per hosce sciniphes inuisè volitantes, & acerbè pungẽtes, nostra phantasmata mysticè intelligit Strabus Fuldensis in Glossâ: *Esto,* inquit, *mansuetus, non sit tumultus in corde tuo, volantibus per corruptionem phantasmatibus, & pungentibus te.* Phantasmatum vagâ licentiâ, seu improbabilis tuæ imaginationis aculeo, velut culicibus aculeatis inquietaris. Non re sed phantasmatum opinione laboras, quæ venenato aculeo conscientiam tuam terebrat, hostis minutuli repetitâ plagâ. Tu tibi imaginatione fingis hostem quàm molestissimum; & vel Ægyptiis formidabile sciniphum, id est, phantasmatum, sæuè armatum examen accersis. Caue tibi ab infestâ vagæ imaginationis densè conglomeratâ bestiolâ, quam tu in te inscius identidẽ obarmas. Ex corruptione nascitur, & mentem crebro corrosu sæpè corrumpit. O quàm exulceraris, *volantibus per corruptionem phantasmatibus, & pungentibus te!* Super hâc thesi consule §. 193.

Exod. 8. v. 17.

Strab. ibi.

Sciniphes Ægyptiaci, vagæ nostra phantasmatum sunt.

§. CCCXLVII.

Assidua bonorum conuersatio, concupiscentiam virtutum affricat, & Spiritus sancti vices substituit.

1\. AN vita communis, an exgrex seu solitaria, ad rem virtutis sit magis idonea: & vtra earum cognata hominibus vitia faciliùs climet, atque ad omnes sanctitatis feliciùs mores comat, & ornatiùs concinnet; hîc non litigabo; benè scius id potiori sui parte, ex cuiusque genio, & gratiæ officiositate pendere. Cicuta quæ alicui alimentũ salutare præbet, pluribus exitiale venenum est, pro multimoda humorũ temperatura. Valdè quidem optandum foret, vt quis sic ageret in vitâ communi, vt à malorum cõsuetu-

Assidua cum bonis conuersatio, solitudinis priuilegio gaudet.

P. Didac. de Celada in Tobiam.

dine solitarius viueret, assiduus bonorum cõtubernalis: transeunt enim ad nos conuictorum mores: & bonorum exempla in dies prauitatem abrodunt, & omnes sanctitates feliciter spirant. Enucleatè Chrysostomus: *Eos ipse quoque imitare* (viros inquam, pietate aspectabiles) *in media ciuitate solitudinem persequens. Quomodo autem hoc erit? si fugeas improbos, si bonos sequaris: ita enim maiorem percipies securitatem, quàm qui in desertis habitant: non solum iis fugiendis qui lædunt, sed etiam communicando tum iis, qui prosunt. Si autem malos fugias, bonos autem sequaris, vtrimque & virtus augescit, & decrescit vitium.* Ecce tibi vitam in medio positam, solitudinis elogio secnram, & de frequentis optimorũ exemplis, multimodâ sanctitate locupletem. Quid tam optandum, quàm vitiorum inopia, & prædiues virtutum opulentia? Ex conuersatione bonorum, *vtrimque & virtus augescit, & decrescit vitium.* De Azariæ consortio, & familiæ vitiis exemptus est Raguel, & donorum Dei feliciter locuples effectus. Scilicet parùm foret, Tobiam iuniorem Azariæ assiduum comitem, de illius contubernio, & vitiorum solitudinem, & virtutum frequentiam mutuasse; nisi id ipsum Raguelis familia, è pauculorum dierum consuetudine experta foret. Inde Tobias pater filij prosperitatem de optimo consortis assiduo contubernio hîc ominatur.

Chrysost. in Psalm. 4.

Tobiæ 7. v. 14.

Hic vers. 6.

2\. 1. Ioannis 5. noua & de cœlo allata morum politia fidelibus traditur. Scimus, inquit, quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat: sed generatio Dei conseruat eum, & malignus non tangit eum. *Scimus quoniam ex Deo sumus, & mundus omnis in maligno positus est.* Quid sibi vult Apostolus aiens, quòd omnis mundus in maligno positus est? *Tò malignus,* quicquid malignitatis est in mundo, à bono virtutis, aueitens & ad vitij malũ alliciens, haud dubiè significat. nẽpe concupiscentia carnis de libidine æstuans, de auaritiâ solicita, de ambitione arrogans denotatur: tædium ad negotium virtutis & insanus ad otiũ vitiorum feruor. Adde insidias mali Dæmonis mũdo præsidentis. Ecquid non mali *mundus* spirat, suadet, & affricat? Hinc sanctissimus quisque timens mũdi illecebras, sic in carne viuebat, vt mundi exul videretur, voto in cælis coloniam transmittens, vt adhuc in mundo degens, mundo extorris prænaturè fieret: quia *mundus omnis in maligno positus est.* Verùm ad hanc rem notare licet Eliæ Cretensis luculenta verba, qui de his qui vitã monasticam profitentur, & in religiosis cœtibus habitant, ita fatur: *Qui societate gaudent, mundi quidem rebus, & negotiis mortui sunt; sibi ipsis autem mundus sunt, considerantes se inuicem ad prouocationem charitatis, & bonorum operum.* Sententia planè difficilis, nec valdè sibi cohærens: nã si mundo mortui sunt, quomodo ipsi sibi ipsis mundus sunt? Mundum non amiserunt, sed permutarunt. Ita quidẽ est, mundum permutarunt; sed in bonum, magno vitiorum dispendio, & quæstuosa virtutum vsurâ, de mutuâ bonorũ operum prouocatione. Quasi dicat magnus hic Doctor: Viri religiosi huius æui, qui in monasteriis in vitæ societate Deo & virtuti intentiùs militant, dum seculo renunciarunt, mundo mortui sunt: *sibi ipsis autem mundus sunt, considerantes se inuicem ad prouocationem charitatis, & bonorum operum.* Id est, sic ad virtutis studium accenduntur, boni

1\. Ioann. 5. v. 19.

Bonorum conuersatio alter mundus est, virtutis concupiscentiam ingerens.

Elias Cret. super Orat. 1. Nazian.

AA 2 exempli

exempli inuicem prouocatione; vt virtutis studium mundi adinstar illis sit. Nempe bonorum operum assiduè spectata exempla tam potenter illos ad omnes sanctitates extimulant, vt sicut *mundus*, qui secularibus in maligno positus est, & ad prauitates instigat; ita illos ad omnes probitates sufflammet, arcano quodam virtutum igniculo, & pietatis velut fomite. Itaque quemadmodum idcircò dicitur *mundus omnis in maligno positus*, quia nauseam ad pietatem mouet, extimulatque concupiscentiam ad libidinem, ad auaritiam, ad ambitionem, & reliquas huius seculi fruges, ad quas Dæmone instigante homo impotentiùs hiat: ita *qui societate gaudent, mundi, qui rebus & negotiis mortui sunt, sibi ipsis autem mundus sunt, considerantes se inuicem ad prouocationem charitatis, & bonorum operũ*. Sic de boni inuicẽ exẽpli prouocatione, & æmulatione virtutum; puras castitatis delicias cupiunt, & libidinis excrementa detestantur; sic diuitias paupertatis ambiunt, egenam huius seculi opulentiam oderunt; sic generosa humilitatis fastigia æstimãt, falsaros & lubricos dignitatum honores depretiant; vt huius mundi malignitatem, in alterius iam mundi sanctam benignitatẽ permutauerint, arcano quodam virtutum instinctu: de bonorum operum prouocatione ad pietates omnes viuacissimè extimulante.

3 Actorum 8. videns Simon Magus prodigia & virtutes, quas Apostoli, Spiritu sancto pleni, patrabant, stupens admirabatur. Cùm vidisset autem Simon quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, oblatã pecuniã ait: *Date & mihi hanc potestatem, vt cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.* Extraordinaria planè Spiritus sancti virtus, & quæ non otio, sed manuum negotio, Christianam pietatem perfecit, & consũmat. Nil sine ætate est, & omnia tempus expectant, (ait Tertullianus.) Aspice creaturam paullatim ad fructũ promoueri. Granum est primò, & de grano frutex oritur, & de frutice arbuscula enititur: deinde rami & frondes inualescunt, & totum arboris nomen expanditur: inde germinis tumor & flos de germine soluitur, & de flore fructus aperitur: is quoque rudis aliquandiu & informis, paullatim ætatem suam dirigens eruditur in mansuetudinem saporis. *Sic & institia (nam idem Deus institia, & creaturæ) primò fuit in rudimentis, natura Deum metuens: de hinc per legem & Prophetas promouit infantiam: de hinc per Euangelium efferbuit in iuuentutem: nunc per Paracletum componitur in maturitatem.* Nempe virtutum maturitatem, quam Spiritus sancti calor operatur, qui institiam ad mansuetudinis saporem promouet, hanc Apostoli, non tam otis virtute, quàm manuum ministerio operantur: quæ emitur non pecuniarum auaro pretio, sed Apostolicarum virtutum commercio, & arcano boni exempli afflatu, æmula bonorum operum contentione. Existimauerim (ductu Commẽtatoris) ad hunc Tertulliani locum (*Institia nunc per Paracletum componitur in maturitatem*) adlusisse Paullinum, qui ita scribit ad quempiam sanctissimum virum, virtutum exemplis illo æuo inclytum: *Totum in te spirare Martinum, florere Clarum, maturari Euangelium, prædicabant.* Nimirùm bonorum operum exemplis, non modo Martinum spiras, Clarum inhalas; sed per te Euangelium maturescit in mansuetudinem saporis. Porrò sicut Euangelij doctrina ante aduentum Spiritus sancti, rudis, incocta & cruda videbatur, eis qui dicebant, *Durus est hic sermo*: at *nunc per Paracletum componitur in maturitatem: & eruditur in mansuetudinem saporis.* ita ex sanctorum hominum societate, & assiduo bonorum conuictu, quasi Paracletus denuò inspiretur, non oris afflatu, sed manuum ministerio, *Euangelium maturatur.* Euangelij doctrina ore duntaxat prædicata dura, acerba & cruda aliquibus videtur: ast dum bonis contubernaliũ exemplis suadetur, quasi calorẽ Spiritus sancti substituant, in mansuetudinis saporem mitescit Euangelium, & eius asperior alioqui doctrina maturatur. Ei, qui Euangelij doctrinam opere spirat: gratulari licet, & quod virtutis concupiscentiam ingerat, quod Spiritus sancti gratias substituens, *maturare Euangelium* videatur. Quid exaggeratius? (Hunc Paullum locum alibi aliorsùm olim versabamus) Benè est stupens Simon Magus, admiretur gratias Spiritus-sancti qui per *manuum* impositionem communicatus. Ast non benè eas pecuniã acquirere præsumat, sed strenuis *manuum* operibus, quibus præclara virtutum opera patet, ad pium spectatorum exemplum, quo ad similem pietatem cunctis spiret, dono Spiritus-sancti æmulo.

Actor. 8. v. 19.

Per bona virtutum exempla, Euangelium maturescit.

Tertull. de Velan. Virg. cap. 1.

Cerda ibi. n. 21. & 23.

Paullinus epist. 14.

Ioann. 6. v. 61.

In Iudith. cap 14. §. 17.

§. CCCXLVIII.

Quàm friuolas iracundiæ caussas iracundus obtendat.

IN hominum consuetudine ira in primis ponenda est: è qua vna dissensiones, odia, tumultus, cædes nascuntur. Itaque à proborum quorumcumque contubernio excludendus est, quisquis iracundiæ seditiosos motus frænare non potest, solitudini aptior (ferarum more) quàm frequentiæ: neque quicquam est, quod valdiùs pacata turbet, concordiam inquietet, & tranquilla in tempestatem exasperet. Iracundorum ergo cõsuetudinem deuita, ne te verbis temerariis, imo & vesanis coniecturis, quas iracundorum suspiciones ingerunt, te dehonestent, & discrucient, teque impellant ad pœnitenda; dum de tetro suæ iracundiæ promptuario sinistrè malitiosas depromunt de te suspiciones, quæ nullis iam lacrymis, aut contubernij pœnitudine elui possint. Serus post damnum mœror est. Quod si imprudus in iracũdos cõtubernales incideris, quanta celeritate potes, exime te ab hac pestilitate, medullas cogitationis tuæ temerario suspicionum ausu toxicante. *Iniquum quippe nimis est, quod delectat iratum*, dixit Cassiodorus. I.

Cur vitandum sit iracundorum contubernium.

Cassiod lib. 4. epist. 10.

2. Iobus 3. cap. acerbiori tot derepentè calamitatum sensu attonitus, grauissimum cordis dolorem, ore quadantenus euaporans, (ne insensilis putaretur) in has lugubres voces mœstus erupit: Pereat inquit, dies in quà natus sum, & nox in qua dictum est: Conceptus est homo. Noctem illam, tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni. Sit nox illa solitaria, nec laude digna. Obtenebrẽtur stellæ caligine eius: expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis auroræ. Sed vide mihi causam ob quam in natiuitatis suæ Noctem sic durè exasperatur: *Quia* ... inquit,

Iob. 3. v. 10.

inquit, *non conclusit ostia ventris, qui portauit me, nec abstulit mala ab oculis meis.* S. Ioannes Chrysostomus attentiùs considerans funestas hasce ærumnosi tunc Iobi querelas contra præteritam innoxiamque natiuitatis suæ Noctem acerbiùs effusas, aliquam in Iobo *iracundiam* agnoscit, è mœstitudine obortam. Exinde in diem natiuitatis suæ, & in suæ conceptionis Noctem irascitur, in vtranque exasperatur, eaque seueriùs incusat. Non quod Iobo infensa aut nociua Nox fuerit; sed vt iracundiæ elogium impleret: ita enim plerumque *ratio preclusa, vanis agitata caussis*, nescit cur irascatur, cui irascatur ignorat. Vnde ne sanctus vir à virtute iratus exorbitet, omnem iram intra insensiles cohibet creaturas, vt ex eodem Chrysostomo alibi notabamus. Verùm disquirere curiosiùs liceat, cur in Noctem illam per se innoxiam excandescat acerbiùs, illamque tot iniuriis, & scommatibus durè impetat. In quonam Iobum lædere potuit, suæ natiuitatis Nox, quam inde tot contumeliis onerat? *Quia non conclusit*, inquit, *ostia ventris, qui portauit me.* Bella quidem ratio, & irato homine digna. Audiendus est inibi Olympiodorus tempestiuus huius loci interpres: *Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est: Conceptus est homo*, &c. *Quia non conclusit ostia ventris matris meæ*; *hoc ad verba: Quia non meum, inquit, prohibuit ortum. Atqui non in noctis erat potestate id facere, vt is ex vtero non egrederetur.* Itaque ærumnosissimus tunc Iob, tot calamitatum angoribus agitatus, aut verè iratus citra graue delictum, (vt docuit Chrysostomus) aut iram nostram in graui passione repræsentans, iratorũ æmulatur ingeniũ. Scilicet excandescit in exanimalem & insensilem noctem, sibi prorsùs innocuam. Et vide caussam, quare Noctẽ illã duriùs incuset: *Quia non conclusit ostia ventris matris meæ. Atqui non in Noctis erat potestate id facere, vt is ex vtero non egrederetur.* O quàm friuolas; & sæpè nullas odij caussas, iracundia pro se allegare solitat! Male suspicax ira in Noctem illam debacchatur, quasi infensa & nociua fecerit, quod minimè præstare potuit. Iræ genium has futiles simultatum caussas è proprio cerebro ingeniatur, & de facto impossibilibus tumultuantium factionum occasionem captat, quã se discruciet, pacem inquietet, & concordiam cõuictorum rixis euertat. Ecquis nisi iracundus obstetricandi vim Noctibus attribuit? *Non in Noctis erat potestate id facere, vt is ex vtero non egrederetur.* Nox obscura claram Lucinam iracundo sonat: sic coniecturis allucinatur iracundia, non bona alienæ mentis interpres. O caue ab iracundorum contubernio, qui iræ exagitati œstro, vel impossibilia fingunt rabiosæ passionis ingenio, vt dolorem suum in alios verosimiliùs consolentur. Quod non innoxiè Iobus præstitit, insensiles creaturas conuitiando; nos indies perniciosè facimus, audaciori iracundiæ libidine.

Chrysost. apud Cat. ibi.

Seneca lib. 1. de Ira. c. 1.

Subiratus Iob vel ob impossibilia, de suâ Nocte suspicax queritur.

Olymp. in Catena in Iob.

3. Ionæ 4. fugitiuus Propheta pelago velut compedibus inopinatis comprehenditur, dum in sæuis procellæ minis, eius à Domino fugam, nautæ legunt. Funestè in mare proiicitur, alieno tumulandus elemento: sed cæca felicitate prosperè naufragus, pro scapha ceti ventrem inuenit; vbi bellua Ionæ naufragium deuorans, vomitu velut aura in portum appellit. Euersionem Niniuitis prædicat, quam ipsi ambitioso ieiunij, sacci, & cineris squalorẽ protinùs auertunt. Vt autem Ionas Dei clementiam, potiùs quàm iram regnare vidit, luget finiri vrbis luctum, & se falsidicum æstimari Prophetã. Tunc derepentè virescens hedera in formam tecti explicata, extemporaneũ tuguriolum æstuanti Ionę offert, quod torrentes Solis radios herbacea vmbellã tempestiuè arceret. Ast quod citò viret vernat, & floret, citiùs deflorescit: tenuis vermiculi crebro perpetim abrosu, frondea illa Prophetæ casula marcescit flaccida, & caduca vltrò ruit: atque exorto Sole exæstuat Propheta, ad proprias molestias delicatus, ad pœnitentium veniã durus. Itaque percussit Sol super caput Ionæ, & æstuabat: & petiuit animæ suæ vt moreretur, & dixit: Meliùs est mihi mori, quàm viuere. *Et dixit Dominus ad Ionam: Putasne bene irasceris tu super hedera?*) ecquis vnquam iratus non censuit sibi idoneam adesse irascendi caussam, & ratione potiùs, quàm passione moueri? *) Et dixit* Ionas: *Benè irascor ego vsque ad mortem.* O quàm leuiculam friuolamque sic irascẽdi caussam pro se Ionas obtendit, vt mortẽ expetat, eò quòd pœnitentibus Niniuitis à Deo parcitum sit, & ipse hederæ solatio viduetur! Quod illi Deus ostendit, aiens: *Tu doles super hederam, in qua non laborasti, neque fecisti crescere; & ego non parcam Niniue ciuitati magnæ?* &c. Scilicet iracundia Ionæ non se, sed in Deum angoris sui caussam reiicit: iratis enim cognatum est, non in se, sed alias ex leuicula suspicionum coniectura, rei odium inconsultè deriuare, & mente proterua suspicionibus suis tenacissimè adhęrescere. *Benè*, inquit, *irascor ego vsque ad mortem.* Sed de colloquio Dei sui iam pacatior, hoc audit: *Tu doles super hederam*, &c. Ad quæ verba sic ait Theophylactus: *Quoniam enim Ionas fassus esset sese adeò perturbatum, vt vel mortem expetat: Te, inquit Deus, indice vtar. Reputa ergò tecum, num iure propter cucurbitam doleas, cuius non fuisti cultor. Me verò noluisti vlla miseratione tangi erga talem tantamque vrbem, quæ esse suum à me receperat. Admirare igitur benignitatem meam atque clementiam*, &c. Vel Dei ratio & eloquentia impendi dicitur, ne homo nuper iratus, dolendi caussas, & rerum odium, in Deum ipsum audacter coniiciat: Dei clementiam citiùs incusabit, quàm potet frustrà se ab iracunda agitari: ô audacter suspiciosas iratorum coniecturas! O fuge iram, tanquam iudicij infensè temerarij officinam, & discordiarum conceptaculum. Iratus Iob natiuitatis suæ Noctem, eò quòd matris vuluam non clauserit, seriò execratur, quasi Noctis sit obstetricandi munus. Et Ionas benè irasci se putat vsque ad mortem, quia Deus extẽporariam hederã typicè fecit marcescere; & vrbi pœnitenti expetitam veniam donauit; vnde ipsummet Deum audacter incusat, quasi clemẽtiæ reum. O friuola, & penè nulla iracundiæ indicia! Vnde dixit de Demone tempestiuè Chrysologus: *Vt iram nutriat, caussas colorat, vt pietatem violet, affectibus dat querelas.* Quid Ionæ accommodatiùs? Et Anna præ nimiã tristitudine ad iracundiam exasperata, prudentes Tobiæ rationes aspernabatur, vt explicatiùs hic traditur in Greco textu.

Ionæ 4. v. 9 & 10.

Theophyl. ibi.

Leui ex causâ grauissime Ionas irascitur.

Hic vers. 7. Chrysol. ser. 16.

Nimis quidem Ionas irascitur, & rationẽ ipsam in iræ patrocinium aduocare intentat; quia subita iracundia consultum anteuertit iudicium. Puto, quòd si mora cometet affectum, longè ali- 4.

ter de te censuisset. *Putas ne bene irasceris tu super hedera?* Repentina irâ correptus, benè tunc se putatirasci, & vsque ad mortem constristari; mox moræ beneficio, dum deferueat affectus, à se consultiùs dissentiet. Eloquenter Hildebertus dixit: *Tempore dediscuntur vniuersa. Nihil humano pectori sic inhæret, vt tempore non euanescat. Tempore mater mœroris obliuiscitur, quæ in morte vnici filij sui solatia non admisit: tempore vulnus in cicatricem cohæret, &c. Tu quoque teipsum tempore desuesces.* O bonum antidotum aduersus omnes subitas affectuum ægritudines! Da locum rationi, vt palam videat, quam friuolas, subitæ iracundiæ caussas iracundus obtendat. Moræ beneficio se ipsum planè desuescet.

Ionæ 4. v. 9. & 10.

Hildebert. epist. 31.

Tempore teipsum desuesces.

---

§. CCCXLIX.

Fiducia in Deum, eius omnipotentiam amulatur: & alia appendices Spei laudes traduntur.

1\. NEc viri fortis in Raguele defuit securitas, nec cautela metuentis. O geminam in vno viro virtutum plenitudinem! quæ Dominum resignat auctorem: quia non habet inter homines, à quo videatur sumpsisse quod exhibet. Profectò tametsi sæpè vincitur humanæ mentis auctoritas præuisione periculi, de spei vigore non labascit fortium conscentia, quæ de discrimine resumens animos, ob felicitatē periculi sui robustior exurgit; inde vegetior existens, vnde credi poterat macie confecta. Has generi sui viuas exequias, Raguel lætus plangit. Titubat, dum infesta toties funera, mentis oculis ingeruntur; spe audet, dum Dei promissio venerabilis inter tot aduersa non claudicare prænoscit, creditque tot Prophetarum oraculis genti suæ feliciora spondentibus, & fidem spei suæ verbis resignat: *Non dubito, quòd Deus preces & lacbrymas meas in conspectu suo admiseris. Et credo quoniam ideò fecit vos venire ad me, vt ita coniungeretur cognationi suæ secundùm legem Moysi.* Ecce tibi, spes artifex, & remediat periculum, & fiduciæ lenocinio, Deo generosiùs blanditur, & fidem sperando adornat: nam (vt dixit Zeno) *Fides spei substantia est, & spes fidei gloria.* O quàm est hic sedula Annæ spes!

Raguelis fiducia commendatur.

Spes, fidei gloria est.

Tobiæ 7. v. 13. & 14.

Zeno ser. de spe, fide, &c. Hic vers. 7.

2\. Matthæi 26. in acerbæ Passionis limine præ angore tristitudinis, anxius sanguinem sudat Christus, nec cognatam calamitati mœstitiam euaporat, quò humanæ naturæ veritate vindicet. Ergo inter silentes arborum vmbras pauori adulantes, has precum voces Euangelista excepit: *Pater mi, si possibile est transeat à me calix iste.* Eccur sic Patrem Deum Filius precatur? Quid quod roget Christus, impossibile Deo erit? Estne spei titubatio, hæc conditionata additiuncula; an sic tradi- tur nostræ fiduciæ formula. Pensiculatè Origenes ad præfata Matthæi verba, ita scribit: *Nam sicut multùm confidere non debemus, nè nostram virtutem videamur profiteri: sic diffidere non debemus nè Dei adiutoris nostri impotentiam videamur pronuntiare.* Porrò sicut, qui vltra modum confidit, arrogantiæ reus est, quasi vltra humanū fastum sibi arroget: ita ille, cuius spes vacillat, Deum *impotentiæ* videtur arguere. Nam qui vel in atrociori periculo, de immeratâ Dei bonitate opportunam non sperat opem, auxilij ferendi impotentem tacitè pronunciat. quasi mensura spei nostræ sit omnipotentia diuina; cui tantùm derogamus, quantùm non erogamus fiduciæ. *Diffidere non debemus, ne Dei adiutoris nostri impotentiam videamur pronunciare.* Omnipotentia in Deo faciendi, sit in homine mensura sperandi: nā Dei promissio venerabilis nullatenus claudicare permittitur.

Matth. 26. v. 39.

Qui animo suam spem non habet, Dei impotentiam pronunciare videtur.

Orig. tract. 35. in Matth.

Matthæi 9. Ecce mulier, quæ sanguinis fluxū patiebatur duodecem annis, accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantùm vestimentum eius; salua ero. *At Iesus conuersus, & videns eam, dixit: Confide filia fides tua te saluam fecit.* Indubium videtur ex Marco etiam & Luca, qui hanc historiā explicatiùs denarrant; piam hanc feminam priùs corde tacito apud se dixisse, quòd de attactu vestimentorum Christi sperabat sanitatem: posteà vestimenti fimbriā confidenter tetigisse & salutem animosa fide præripuisse: demùm Christum Deum illi dixisse? *Confide filia, fides tua te saluam fecit.* Et sanè si de vestimenti attactu, cùm Christus sensit à se exiisse virtutem, pio quodam fiduciæ furto salutem arripuit, ante verba Christi sanitatem voce largientis, illam iam hæc mulier consecuta est. Opportunè *præsumptæ spei gratiam* Paullinus deprædicat. *Præsumpta spes* dicitur; quæ sanitatis gratiam sperando præcurrit, quasi fiduciæ stipendium. *Fides tua te saluam fecit*, cùm fimbriæ attactus profluxum stitit: & naturæ inopia, ex abūdantia fidei sanata est, dum *præsumptæ spei gratiam* præsensit. *Fides tua te saluam fecit.* & gratia sanitatis verba Christi anteuertit, atque fidei præpropera officiositate salutem anticipauit. Forsan de fiducia, fidei nomine significata dixit Clemens Alexandrinus: *Fides est voluntaria anticipatio.* De quo aliàs quasi voluntas animosè cōfidentis, sit potentia omnipotēter operantis. *Omnia possum in eo qui me confortat*, dixit ad Philippenses Apostolus. Ad quæ verba ita fatur Bernardus: *Quanta fiduciæ vox? Quidni omnia possibilia sunt innitenti super eum, qui omnia potest. Nihil omnipotentiam verbis clariorem reddit, quàm quòd omnipotentes facit omnes, qui sperant in eo.* O bonam fiduciæ ompotentiam! 3.

Matth. 9. v. 22.

Præsumptæ Spei gratia laudatur.

Paul. epist. 13.

Spei omnipotentia.

Clem. Alex. 2. Strom. cap. 2.

Ber. ser. 85. Ad Philip. 4. v. 13.

Gentium Doctor ita scribit ad Titum: Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & secularia desideria: sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo, *Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni* Dei. Multa alibi cum expositoribus disputabamus, vt exponeretur quid sit, *Expectantes beatam spem.* Scio spei nomine rem à nobis speratam describi, beatitudinem inquam, quod est potissimum spei obiectum. Verùm non est exploratu facile, cur Beatitudo, cuius essentia in possessione seu tentione summi boni consistit, significetur nomine *spei*, quæ rei cupitæ absentiam importat. Inibi inspicabamur, Paullum more humano ad homines loqui: & quia ordinarium est, bona mundialia, & eorū delicias spei blandiri, possessioni tædio esse, idcircò Apostolū humano idiomate hominibus fuisse locutū, etiā de summo bono, Beatitudine inquam. Vide quàm nobilitetur spes, quæ nominis elogium cum summā beatitate reciprocat, & absentiæ vocabulo summi boni (ac si foret absens) tentionem designat. Ad quod alludere videtur Clemens Alexandrinus exponens illud Ieremiæ 23. *Putasne* 4.

Ad Titum 2. v. 13.

Dei essentia procul esse dicitur, vt spem fundet.

Ierem. 23. v. 23.

Deus

Clem. Alex. 2. Strom. c. 1. *Deus è vicino ego sum , dicit Dominus , & non Deus de longè ? Deus appropinquans ego , inquit, procul enim essentia.* Procul est essentia Dei, quę immensitatis attributo rebus omnibus præsentissima est; imò nihil est tam rebus intimum, quàm Dei essentia : quo ergo pacto *procul* esse dicitur; An Dei *essentia procul* esse perhibetur , vt spem, quæ de boni absentiâ elogium habet , excudere videatur ? Sic maximi apud homines spes habetur; præsentissimus & intimissimus Deus, procul quodammodo esse perhibetur, ne opinatissimum spei nomen euanescat. Tanti apud homines spei vocabulum æstimatur; apud homines inquā, apud quos mundialium bonorum spes in pretio est ; possessio fastidium mouet, & nauseam ciet. Hinc forsan Beatitudo spei nomine denotatur, *Expectantes beatam spem* , & Dei *essentia procul* esse perhibetur, etsi præsentissima sit, de immensitatis elogio.

5. Lucæ 23. vnus de his, qui pendebant, latronibus , blasphemabat Iesum, dicens: Si tu es Christus, saluum fac temetipsum , & nos. Bonus autem latro, qui postquam duriùs culpæ consortem increpuit, animosâ spe erectus, dicebat ad Iesum: *Domine , memento mei , cùm veneris in regnum tuum.* S. Paullinus sanctæ crucis particulam ad quempiam ideò misisse inquit , *Vt eius inspectio fidem vestram etiam de recordatione beati illius Latronis accendat , qui benè verso latrocinio longas in magnis laboribus Sanctorum vias de momenti fide , & momento confessionis anticipans, non immeritò ante ipsos Apostolos & Martyres, præparatum ipsis ab initio regnum primus inuasit , & pius cæli prædo diripuit.* Eleganter quidem Paullinus piam spei furacitatem exposuit.

Lucæ 23. v. 41. Paull. ep. 13. *Pia spei furacitas in sancto Latrone.*

6. Eusebius Emissenus de martyribus Lugdunensibus ita scribit : *Mei autem martyres cruciatibus afflicti , suppliciis explorati , sæuis ignibus sacrificij more decocti , quantas susceperunt in corpore pœnas , tantas in spiritu perceperunt coronas* (nota quæ subscribit verba ac tam opportunè) *Ac si per tormentorum plagas , & torquentium moras , priùs consecrati sunt , quàm perempti.* Martyrij mora , & in perimendo martyre acerbior cunctatio, etsi mortem cùm palmâ differt, spem diutiùs extendit, & cum vberiore merito fiduciam protelat : vnde torquentium *mora* , spe martyres *consecrat* , antequam torquendo perimat. Palmam differt vt spei opulentiora erigantur trophæa ; & diutiùs sperando prægustet, quò æternùm beabitur ad gloriam. Hæc torquentium *mora*, videtur sæuitia , & gratiæ officiositas est, quæ dum coronam distulit , spem adipans, & martyrem inaugurat, & de diuturniori spe feliciter *consecrat*. Bellè dicitur : *per torquentium moras priùs consecrati sunt , quàm perempti.* Spei dilatantur spatia , vt martyrij felicitas gloriosius exuberet , & fiduciæ pompa , martyris triumphus adornetur ad gratiam , exaggeretur ad gloriam , differatur possessio , dum spes possideatur.

Emissen. in homil. de S. Blandin.

Torquentium mora spe Martyrem consecrant.

7. Psalmographus dum filiis Core *intellectum* suggerit, sic desideriis pia spe adipatis, alte pangit: *Sitiuit* anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam , & apparebo ante faciem Dei. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Vbi est Deus tuus.* Fuerunt mihi, inquit, lacrymæ meæ, non concepta amaritudo per oculos euaporata, sed panis [suauis] erant ipsæ lacrymæ, sitienti mihi illum fontem, quem quia bibere nondum poteram gliscentibus desideriis, & spe anhelâ meas auidius lachrymas mādūcabā. Rusticanum opilionem, citiùs quàm vrbanum stilo Regem hîc recognoscas, cum tam citò incœptam sitis præfocatit metaphoram, & ad famem, & escas diuerterit. Quin & sitienti præsertim , aptiùs lacrymæ quasi potus propinantur, quàm apponūtur vt cibus. Verùm August. profūdo planè ingenio sublimiorē Dauidis sensum in verborū medullis descriptū, lynceis oculis legit, & præilustre spei elogium rimatur : *Non enim dixit*, (ait inibi Augustinus) *Factæ sunt mihi lacrymæ meæ potus , ne ipsas desiderasse videatur sicut fontes aquarum : sed seruata illa siti qua rapior , seruata illa siti , qua inardesco ad fontes aquarum, panis mihi factæ sunt lacrymæ meæ, dum differor : & vtique manducando lacrymas suas, procul dubiò plus sitit ad fontes.* Scilicet, tam benè mihi conuenit (ait Dauid) cum anhelâ spe , qua cælestia sitio, empyrea suspiro , vt lacrymis meis, non tanquam potum, qui sitim extinguit, sed tanquam panem , qui eam, accendit, auidiùs reficiar. O ! non exopto hanc spei sitim lacrymis rigare, sed vt illis tanquam pane sitis inaccrescat : arenti spebus siti aridum fomitem pane ingero, non vndam lacrymarum velut potum offero; qui cognato vdore anhelam spem restinguat. (*Tan bien hallado esta Dauid sustentadose de esperanças :* !) Vnde factus arcanæ spei encomiastes, præ sitis ardore clamat : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. Non dixit , Factæ sunt mihi lacrymæ meæ potus : panis mihi factæ sunt lacrymæ meæ. Et vtique manducando lacrymas , proculdubiò plus sitit ad fontes* , vt seruata (imò & aucta) illa siti, qua rapitur , qua inardescit ad fontes aquarum, lacrymis tanquam pane arescat acriori siti , qua hiat cælestia.

Ps. 41. v. 4.

Lacrymis tanquam pane vtitur Dauid , quò inaccrescat spei sitis.

August. ad ea verba Psalm. 41.

§. CCCL.

Dum malus Dæmon tentando suggerit cupiditatem, astutè acuit curiositatem, quò faciliùs ad delicta pertrahat.

1. NAuigant quidam , & labores peregrinationis longissimæ vna mercede perpetiuntur, cognoscendi aliquid abditum. Hæc res ad spectacula populos contrahit , hæc cogit præclusa rimari, secretiora exquirere, antiquitates euoluere, mores babararum audire gentium. Curiosum, nobis natura ingenium dedit, & artis sibi, ac pulchritudinis suæ conscia, spectatores nos tantis rerum spectaculis genuit, fere perditura fructum sui , si tam magna, tam clara , tam subtiliter ducta , tam nitida , & non vno genere formosa, solitudini ostenderet. Sed attentos nos rerum spectatores voluit, non subtiliter curiosos earum exploratores. Humanum ingenium non renunciauit sobrietati, ne nimia noscendi libido , non tam rerum notitiam , quàm nequitiam ebibat. Nescio an maximum vitium curiositatis sit, reliqua vitia clanculum subornare. Magis nocent insidiæ, quæ latent. Latentes curiositatis subdolæ insidias nunc breui prodam , vt quid periculi in his latebris delitescat, ad mores instruendos publicem , & publicatione proscribam. Et sane

Curiositas compescenda , & frænanda.

libidinem ſub curioſæ notitiæ nomine Tobias ſenior denotat, cùm filium ſuum à laſciuia auertere ſatagit. *Attende tibi fili mi*, inquit, *ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam numquam patiaris crimen ſcire.* Hinc Plutarchus ſententioſè appellauit adulterium, *curioſitatem alieni thori*, de quo alibi diximus.

Tobiæ 4. v. 13.

Plutarch.

2 Geneſis 3. veterator ille ſerpens, Protoparentes tot naturæ, & gratiæ dotibus inſtructiſſimos, apetto marte adoriri non audens, ex inſidiis inuadit. Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. In quonam vafri ſerpentis prælucet calliditas? Qui dixit ad mulierem: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradiſi*, Nimirùm præcepti cauſam curioſiùs indagate ſuggerit. Et poſt magnificas ab eſu promiſſiones, ad gulam incitat, dum edule, ac ſapidiſſimum pomum coram oſtendit, quod ſaporis exquiſiti deliciis palato blanditur: *Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit.* Scilicet aſtutus Dæmon pomi vetiti gratiam ac pulchritudinem eleganter venuſtauit, & ad ſaporem apparenter exacuit; vt appetitum vehementiùs excitans, dum gratiùs blanditur palato, ad eſum adulantiùs ſubornet. Sed hæc gulæ res eſt, non curioſitatis. Audiendus tamen eſt S. Bernardus ſic ad præſentem theſim luculenter fatus: *Blanditiis rationem, mendaciis timorem compeſcit ſerpens, nequaquàm, inquiens, moriemini. Auget curam, dum incitat gulam. Acuit curioſitatem, dum ſuggerit cupiditatem.* Nota diligens & attentus hæc vltima verba, Bernardi acumine digniſſima. Scilicet præcepti nuper impoſiti rationem ſerpens priùs ſciſcitatur, ſi forte inuidiam inde Deo facere poſſit: ſpem omniſcientiam diuinam æmulandi ex pomi eſu ambitioſè ſuadet: pomi gratiam exaggerat, vt palato gratiùs adrideat: *auget curam, dum incitat gulam.* Sed quaſi ambitioni, & gulæ parùm fideret, (tametſi hæc vitia homines velut impotenter ad ſe rapient) curioſitatem tentationi addit: *Acuit curioſitatem, dum ſuggerit cupiditatem. Vidit igitur mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, pulchrum oculis aſpectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit.* In re tanti momenti, è qua hominum ruina pendebat, parum viſum fuit Diabolorum callidiſſimo ad tantum negotium delegato, *cupiditatem ſuggerere*, niſi *curioſitatem acueret*, quaſi curioſitas ſit vis cupiditatis alliciendæ energia, & tentationum complementum. Curioſitate ſupplet, quod cupiditati deficit. Quid tam allicit ad vitia, quàm quod cupiditatem excitat? Aſt aſtutus Dæmon, qui velut per anatomiam exploratos habet humanos affectus, & vitiorum illicia, quod ad permouendum deeſt cupiditati, de curioſitatis blanditiis ſubrogat. *Acuit curioſitatem, dum ſuggerit cupiditatem*, ac ſi curioſitas foret cupiditatis energia, ò! diſcamus hinc ſubdolas curioſitatis inſidias. Leue vitiolum otioſorum hominum videtur, & ad rem vitij curioſitas traducta, meræ Diabolorum inſidiæ ſunt, quæ ex incauto latibulo vitiis militant, tentationes complent, & virtutes profligant. Abſconſa curioſitas in ſuperbia latet, in ambitione patet; in gula occultatur, in cupiditate deliteſcit, in libidine diſſimulatur. Adulterium enim *curioſitas eſt alieni thori*, & vt callidiſſimus Dæmonũ ad gulam excitet, *acuit curioſitatẽ dum ſuggerit cupiditatem.* Quid exaggeratius? Vide hîc quàm ſit Anna tot diebus permoleſtè occupata negotioſo curioſitatis otio.

Geneſ. 3. v. 6.

Serpens acuit Euæ curioſitatem, dum ſuggerit pomi cupiditatem.

Bern. ſer. de grad. humil.

Itaque malus Dæmon pomi cupiditatem ingeſſit, & dum curioſitatem exacuit, ad gulæ obſequium Protoparentes traxit, eoſque cum ſobole miſerè deprauauit. Confeſtim adeſt Deus ſceleris vindex. Adamus nuper vxorius nimis, qui ne ſuas delicias contriſtaret, ſceleſtè præuaricatus eſt, in dilectiſſimam dudum vxorem, tranſgreſſionis culpam regerit. (O! quis humano amore nimium fidat?) Eua ſe à ſerpente callido deceptam dicit: ſed ſuam oſcitanter inertiam excuſatione excuſat. Ergò ait Dominus Deus ad ſerpentem: Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ: *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Arduum ſanè eſt apud expoſitores, quomodo vtraque ſententiæ pars aptè quadret in Dæmonẽ: vnde præfata verba metaphoricè ſic interpretantur. Eucherius priorem partem ſic exponit: *Super pectus enim gradieris. Nomine pectoris ſignificatur ſuperbia mentis, in pectore enim impetus animi dominatur; nomine autem ventris ſignificantur deſideria carnis, venter enim mollior corporis pars eſt. His enim duabus rebus ſerpit Diabolus aduerſus eos, quos vult decipere, id eſt, aut terrena cupiditate, & luxuria, aut ſuperbiæ inſanæ ruina.* Itaque ſerpentis Diaboli greſſus quibus tentando homines, ipſe proficit, hic exponuntur cum dicitur tentatori ſerpenti: *Super pectus tuum gradieris.* Sed quid eſt: *Terram comedes*? Iſidorus ſic acutè hæc verba exponit: *Terram comedes, tentationis genus ſignificatur, quod eſt curioſitas. Qui enim terram manducat, profunda, & tenebroſa penetrat.* Nempe Dæmon dicitur per metonymiam, terram comedere, dum facit terram comedere eos, quos per *curioſitatis* tentationem ad libidinem, & ambitionem inſtigat. Nota Iſidori verba, & ſigna ſacramenta. Scilicet, terram comedere, *curioſitatem* in tentationibus denotat: *Qui enim terram manducat, profunda, & tenebroſa penetrat.* Quaſi dicat: Tentatio quæ allicit ad libidinem, aut ſuperbiam (geminam vſtulandæ conſcientiæ facem) etſi viuidè ad hæc vitia excitet; adhuc tamen aliquid in voluptatum arcanis latet, ad quod velut cæca ſunt reliqua vitia, neque eouſque habent oculos, niſi curioſitate inoculentur: *Terram comedes, tentationis genus ſignificatur, quod eſt curioſitas. Qui enim terram manducat, profunda, & tenebroſa penetrat.* O periculoſiſſimam tentationem, quæ curioſitatis auiditate, & ſubtilitate profũda & tenebroſa ambitionis, ac libidinis oculatiſſimè penetrat, eòque videndo accedit, ad quod reliqua vitia velut cæca reputantur! Vaferrimè ergo malus Dæmon, Euæ *acuit curioſitatem, dum ſuggerit cupiditatem.* 3

Geneſ. 3. v. 14.

Euch. apud Caten.

Tentatio per curioſitatem, voluptatum profunda ac tenebroſa penetrat.

Iſidorus in Caten. ibi.

4 Matthæi 26. Chriſtus Deus quaſi omnium flagitiorum reus, ad Caiphæ domum vinctus trahitur. Tunc diſcipuli omnes relicto eo fugerũt. *Petrus autem ſequebatur eum à longè, vſque in atrium Principis ſacerdotum. Et ingreſſus intro ſedebat cum miniſtris, vt videret finem.* O fugitiua Diſcipulorum conſtantia. Saltem Petrus *ſequebatur eum à longè*: iam inde negaturo proximus: *neque enim*, ait Remigius, *negare potuiſſet, ſi Chriſto proximus adhæſiſſet.* Perueſtigare autem ſolertiùs oportet, quo fine Petrus Chriſtum ſecutus ſit? Peridoneè ad rem Hilarius: *Et ingreſſus*

Matth. 26. v. 58.

Petrus curioſitate periclitatur.

Remig. ibi.

S. Hilarius ibid.

sus intrò sedebat cum ministris, vt videret finem. Humana curiositate scire cupiebat, quid indicaret de Domino Pontifex. O Petre, vbi est nuper eximius erga Magistrum amor? vbi fides recens data? vbi propositum præsumptam animositatem spirans, & sequelæ imitamentum reliquis condiscipulis afflans? vbi reliquarum virtutum collegium, ob quarum præstantiam Apostolici collegij præcellis vertex? Scilicet *humanâ curiositate ingressus intrò, sedebat cum ministris, vt videret finem.* Malus Dæmon, qui exacuens curiositatem, torporem omnium virtutum expressit. Res occupatissima est humana Curiositas, & quæ dum adest, sic animum implet, mentem exorbet, vt confestim vigor amoris langueat, fidei robur titubet, vacillet animosum audacter propositum, & magnanimam sequelæ animositatem palam desuescat. Propè negaturus intrat, & iam ipse Petrus non ipse, siquidem *humanâ curiositate ingressus intrò, sedebat cum ministris, vt videret finem* O! sic curiositas mentem exhaurit, & vitiis plena, virtutes euacuat: Obliuio amoris est propositi languor, fidei titubatio, virtutum nouerca, vitiorum matrix, negationis officina, & repetitum omnium sanctitatum in Petro naufragium.

5. Lucæ 14. v. 9. — Omnes sensuum voluptates, Curiositate exprimuntur. — August. de verb. Dom. s. 1. 33.

Lucæ 14. Cœna iam erat parata Iudæis, sed illam repudiauerunt, Prophetas legentes, & Christum occidentes: & tunc nobis cœnam nescientes parauerunt. Sed nota eorum excusationes: *Alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te habe me excusatum.* S. Augustinus per huiusmodi quinque iuga boum, quinque hominis sensus subtiliter interpretatur, suumque cuique officium partitur aspectu ad voluptates, quibus auidiùs inhiant. Et tandem peridonèe ad rem concludit: *Vt noueritis autem istorum quinque sensuum non delectationem, quæ mulcet, & ingerit voluptatem; sed curiositatem quandam notatam fuisse, non ait: Quinque iuga boum emi, eo pascere illa, sed eo probare illa.* Ecce tibi omnes sensuum voluptates, quas animalis homo hianter suspirat, & ob quas cœnam negligit cælestem, friuolam *curiositatem* appellat: neque enim ait: Eo *pascere* sensus, sed eo *probare* illos. Sed adhuc hic locus superest enucleandus pro re voluptatis, cuius naturam explicatiùs exprimit.

§. CCCLI.

Expromptior & exosculatior obedientia, de festinantiæ merito, superstitioni quodammodò affinis putatur.

1. Cassiod. lib. 2. variar. epist. 12. — Imperium, si in paruo contemnitur, in omni violatur.

Si desideriis nostris (ait Theodoricus apud Cassidorum) commercia peregrina famulantur: si prolato auro acquiritur externa deuotio; quantò magis suis bonis abundare debet Italia, *Cum nulla in parendo probatur sentire detrimenta.* Est statim rem oppidò exiguam, seriò admodùm iubet his verbis: *Cauete itaque, ne culpis, quamuis parua præbeatur occasio: scientes periculum grauissimum fore, si studentis vel leuiter iniussa committere. In qualitate est, non in quantitate peccatum: & quidèm mensuram non quærit iniuria. Imperium, si in paruo contemnitur, in omni violatur.* Potestas summa nulla in parendo sentire patitur detrimenta; ad nutum vel in re minutâ, requirit obsequia; nec leue putat, vel leuiter iniussa committi, quasi expromptior subiectorum obsequela sit census Præsidentium, & Potestatis stipendium, nec in re obedientiæ mensuram quærat iniuria, & in qualitate sit, non in quantitate peccatum. Imperium enim, si in paruo omittitur, in omni violari putatur. Hinc obsequendi ingenium, de affectatrice adulatorum gratiâ pollui videtur, & obedientię nitor est: nam *periculum grauissimum est, vel leuiter iniussa committere. In qualitate est, non in quantitate peccatum.* Hinc Tobias hìc obedientiæ laude opinatissimus, ore tacito & corde pio vel obstinato, parentum imperio, aduersus soceri renutum importunè contentiosum, incunctanter paret: quasi pertinaciter pius ad obsequium. Hic v. 10.

2. Geneseos 19. Angeli Sodomam euersuri, Lotum sedulò vrgent ad egressum, ne eodem inuoluatur incendio cum vrbe nefariâ. Eduxeruntque eum, & posuerunt extra ciuitatem: ibique locuti sunt ad eum, dicentes: *Salua animam: noli respicere post tergum, nec stes in omni circà regione: sed in monte saluum te fac, ne & tu similiter pereas.* Eccur tam serio interdicto vetat Deus, vt nemo ex piâ Loti familiâ, ardentem iam Sodomam retrospiciat? ecquod virtutis dispendium, aut compendium vitij, in eiusmodi prospectu delitescit? An quia res libidinis vsque adeò est insanè voluptuosa concupiscętiæ præstigiis, vt etiam dum acerbè puniuntur, blandè alliciat? An interdicitur aspectus, vt Deum non videant eam acerbè castigantem? Erubescitne Deus suæ iustitiæ bonum? beneficus tantùm videri ambit? Cæterum Caietanus subtilis in paucis interpres, plura vidit in hac perceptione, quàm specie tenus ostendit. Sic ergo fatur Caietanus: *Quod autem sequitur: Noli respicere post tergum, celeritas præcipitur, non quasi superstitio.* Sic debet esse subditus in obediendo celer, quasi superstitiosè sit velox obsequium; Specie superstitionis quodammodo deuenustetur obsequij celeritas, vt sic plenè adimpleat religionem obsequij. Superstitio videtur, non respicere post tergum semiustulatas iam vrbes; & religio obedientiæ est, expromptioris obsequij fomes, & calcar ad celeriùs parendum. *Celeritas præcipitur, non quasi superstitio.*

Genes. 19. vi 17. — Non obedientia velut superstitiosa celer præcipitur. — Caietan. ibi

Genesis 24. peramplæ familiæ suæ œconomũ Abrahamus in Mesopotamiam mittit, vt ex patrio solo & gente sponsam Isaaco procuret. Substitit ad fontem prope vrbem Nachoris, & ex largâ aquæ præbitione faustum iter apud se auspicatus; totam rem ex ordine Bathueli & Labano retulit, ad Isaaci cognati nuptias instanter Rebeccam expetens. *Responderùntque Laban & Bathuel: A Domino egressus est sermo: non possumus extra placitum eius quicquam aliud loqui tecum.* Mirum Planè obsequium voluntati diuinæ, velut superstitiosè ab œconomo exploratæ! Esto, id Abrahami seruus meditatus sit in corde suo, & lubricam cōiecturam euentus comprobarit; vnde Labano innotuit, eum vera dixisse; nec studio abducendæ puellæ eiusmodi velut fabellam animitùs fabricasse? Maximum Rebeccæ negotium tam oscitanter tractare videntur: & tamen vnâ voce aiunt: *A Domino egressus est sermo: non possumus extra placitum eius quicquam aliud loqui tecum.* Hebraicè sic locus effertur: *A Domino egressus est sermo, non possumus loqui tecum, malum aut bonum.* Estne propè superstitiosum hoc Labani obsequium? Esto, à Domino egressus sit sermo, & eius nutus ex œconomi ore exploratus; & inde

Genes. 24. v. 5. — Vbi Deus est qui præcipit, nec malum; nec bonum loquendum est. — Hebræus textus.

malum loqui non possit; *bonum* autem quare loqui vetatur? O perfectioris obedientiæ ideam! Vbi primum constet, quod à Deo egressus est sermo, etsi per humanam linguam intimetur, vsqueadeò cæco parendi impetu, & celeri obsequio debet quisque ferri, vt locus curioso examini nullus detur. *A Domino egressus est sermo, non possumus loqui tecum malum, aut bonum.* Sic lubet expendere quem scio esse Hebrææ linguæ idiotismum, vt inibi olim copiosè tradebamus.

3. *A Domino egressus est sermo, non possumus loqui tecum malum, aut bonum.* An poterant saltem cogitare? Hoc vnum ex prædicto capite notum est, quòd vbi Rebeccæ sororis verba audiuit Laban, & festinus ad Abrahæ seruum descendisset, *vidit inaures & armillas in manibus sororis suæ.* Profectò aures inauribus ad obsequium ornatur, non manus. O manus ad velociorem obedientiam auritas. De quo inibi. Sat esto hic perstrinxisse.

Genes. 24. v. 30. *Manus in auribus ad obsequium ornanda sunt.*

4. Matthæi 15. decem illæ virgines de fatuitate & sapientia famosæ, dum abest Sponsus, dormitauerunt omnes, & dormierunt. Fatuæ quidē altè stertunt, sapientes leuiter soporatæ, semisomnæ vigilia oscitant, quò expeditiùs sponso occurrāt. *Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei.* Origenes locuples, & vetustus auctor, & qui feliciter huius parabolæ medullam explorauit, sic eam exponit: *Media nocte, id est, in altitudine remissionis,* (nempe, cùm dormitant omnes, & dormiunt) *factus est clamor, omnes suscitare volentium, sicut existimo Angelorum, qui sunt administratorij spiritus, intùs clamantes in sensibus omnium dormientium: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei* (attentiùs expendito quæ subiicit verba) *Et suggestionem quidem benè omnes audierunt, & surrexerunt.* Quid est, quòd dum Angeli præstandum obsequium sensibus notificant, vt: *suggestione* dicuntur. *Suggestio* autem (vt Dictionarium ecclesiasticum adnotat) in Bibliis, & Conciliis, & Patribus frequentiùs in malam partem accipitur. De re non mala, nō bono verbo vtitur Origenes, sententioso quodam verbi abusu: Quare vox, quæ admonet, aut iubet, vt omnes exurgant, *suggestio* nominatur? An adspectu ad fatuas virgines, *suggestio* dicitur, quantumuis salutaris & opportuna admonitio, quæ ad debitum, sed imparatum obsequiū allicit? *Vn ruin tiene pro suggestion, acordarle de loque à dehacer pana no serlo, y aduertir le que lo execute.* Verùm Origenis sententia omnes amplectitur, adæquè fatuas & sapientes: & auditæ voci omnes obtemperare student. *Et suggestionem quidem bene omnes audierunt, & surrexerunt.* Omnes, seu vigiles, seu semisopitæ incunctanter obtemperant, (*Audierunt & surrexerunt*) & tamen eiusmodi imperium, Dei iubentis voluntatem notificans, *suggestio* nominatur, & non bono vocabulo res bona exprimitur, quo innuatur expromptior obedientia. Quasi dicat: Tam alacri, celeri, & exprompto obsequio obtemperarunt, ac si non bonæ *suggestioni* parerent. O quàm est velut superstitiosè velox, illud obsequium, quo concupiscentiæ suggerenti voluptatem, ambitioni honores suggerenti, & auaritiæ suggerenti lucra, obeditur! Ergo, vt Origenes obedientiæ promptitudinem exaggeret, à vitio opportunum nomen moralissimè mutuatur. *Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Et suggestionem quidem bene omnes audierunt, & surrexerunt.*

Matth. 25. v. 5. Orig. Tract. 31. in Matt.

Ac si suggestione imperaretur, obediendum est.

5. Ioannis 21. Petrus, & alij ex Discipulis vadunt piscatum, & nocte illa nihil prendiderunt. Mane autem facto stetit Iesus in littore: non tamen cognouerant discipuli quia Iesus est. Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est. *Simon Petrus cùm audisset quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare. Alij autem discipuli nauigio venerunt.* Mirabar olim cum Chrysologo, quòd qui nudus erat in nauigio, vestes sumat, vt se mittat in mare: nunc expendere oportet cum Hieronymo, quod Petrus hic opportunissimè *Simon* appellatur ad propitioris obsequij exaggerationē. Sic ergò fatur Hieronymus agens de sui æui Monachis: *Subditi anteà conabantur iussa implere, quàm forent emissa; & quibusdam quodāmodò indiciis nitebantur prophetare de voluntate mandantis. Ideòque verus obediens Simon (Sic enim hoc nomen exponitur) statim ac audiuit Magistrum adesse, se misit in mare, quò velociùs ad ipsum properaret.* O præproperum obsequium, prophetiæ æmulum! De festinatæ obedientiæ merito; in nutu superioris prophetare præsumit: ô obedientiam superstitioni quodammodò affinē, de arcana obsequendi prærogatiua.

Ioann. 21. v. 8. *Festinata obedientia, fit prophetia confinis, dum paret ad nutum.*

Hieronym. in Regul. Monach. cap. 10.

Marci 1. Venit ad eum (Iesum inquā) leprosus deprecans eum: & genu flexo, dicit ei: Si vis, potes me mundare. Iesus autem misertus eius extendit manum suam, & tangens eum, ait illi: *Volo: Mundare. Et cùm dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mundatus est.* Quæ verba hic doctè, & apposite ad rē Beda Venerabilis exponit *Volo: Mundare. Et cùm dixisset, statim discessit ab eo lepra. Nihil enim medium inter opus Dei atque preceptum, quia in precepto est opus: dixit enim, & facta sunt.* Audis nihil esse medium inter præceptum Dei, & opus? Et nota, quod in Dei præcepto dicitur esse opus. Sic velox est natura, vt creatoris sui præceptis obtemperet: Sat esto perstrictim adnotasse Bedæ acumen. Cui apprimè concinit Seleuciensis Basilius, sic aiens: *Nutu Deus produxit, imperio continet.... Dixitque Deus, Fiat lux. Prima vox à Deo mittebatur, & lux nascebatur: audiebatur vox, & natura producebatur; simul creatura vocabatur, simul formabatur.* 6.

Marci 1. v. 41 & 42. Beda ibi. *Nihil medium inter Dei preceptum & opus dicitur: sed in precepto opus contineri.*

Basil Seleuc. Orat. 1.

Exodi 4. pergit in Ægyptum Moyses cum vxore & liberis: *Cumque esset in itinere, in diuersorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Tulit illico Sephora acutissimam petram, & circumcidit preputium filij sui.* Esto, circuncisionem imperet, eccur eam non intimauit ante egressum è Madian, vel post ingressum in Ægyptum; sed in ipso itinere, vbi tenelli pueri vulnus periculosum est? & quare ad citissimum obsequium sic vrget, vt euaginato gladio Moysis cædem intentet, nisi confestim obtemperet? Hac super re ita ad rem præsentem scribit Tertullianus: *Idcircò filium Moysi Ducis futuri instigat circumcidi, vt cùm cœpisset per eum populo dare preceptum circumcisionis, non aspernaretur populus videns exemplum istud in ducis filium iam celebratum.* Intermitto reliqua. illud nunc adnota, quòd obedientiam vsqueadeò expeditè exp romptam Deus exigit, vt ad illam *instigare* dicatur. Non bono plerumque verbo, rem bonam Tertullianus viuaciùs expressit, vt perfectioris obsequij ideam exaggeratiùs coloraret. Sat esto perstrinxisse Tertulliani acumen. 7.

Exod. 4. 24. & 25. *Deus instigare dicitur ad obsequium*

Tert. adu: Iudæos, c. 3.

§. CCCLII.

§. CCCLII.

In aliquâ dissensionis occasione consensionem adhuc seruare, concordiæ exaggeratio est.

1. Semper dissensio ab alio incipiat, à te reconciliatio. Vir bonus, & concordiæ studiosus, nullius prouocabit iram, imò declinabit, non aliter quàm in nauigando scopulos. Circunspiciendum attentiùs nobis est; ne dissensionis ansam vllatenus aut porrigamus, aut arripiamus: multa negligenda, multa dissimulanda, multa voranda sunt, vt à discordiæ malo tuti esse possimus. Primùm nihil inde cõcupiscamus, vnde rixa est inter competitores: deinde nihil habeamus, quod cum magno emolumento insidiantis eripi potest. Nemo ad humanum sanguinẽ propter ipsum venit. Nudum latro transmittit: etiam in obsessa via inopi pax est. Adhæc non conturbabit Pacificus publicos mores, nec populum in se vitæ nouitate conuertet, quod discordiarũ conceptaculũ esse solet. Quid ergo? vtiq; erit à dissensionibus tutus, qui hoc propositũ sequetur. Promittere tibi hoc nõ magis possum, quàm homini temperanti bonam valetudinem, & tamen facit temperantia bonam valetudinem. Et quidem attentiùs inuigilandum etiam est, vt initia discordiarum præfocare studeas; & vt dissensionum scintillas sub dolosis cineribus attentes, non solùm non flabelles, sed antequam explicent suam flammulam, præproperè restinguas. Qui in dissensionis occasione adhuc concordiam retinet, ille generosum Pacifici nomen promeretur, & pacis erigit trophæa, bellicis gloriosiora. Hic bello pacem emit; ille pace pacem fundat: non malo bonum redimit, sed bono bonum exaggerat. Vide hìc quàm solerter iunior Tobias domesticæ cum socero dissensionis occasiones præcludit, factus excellentioris concordiæ typus, concordiam captans in discordiæ periculo. Sed è diuinis humana ad pacem informare præstat, seruatâ tamen semper analogiæ proportione, & integrâ cuiusque naturæ proprietate. *Trinitas sancta atque perfecta, quæ praclarè à nobis coniungeris*, inquit Nazianzenus.

Pacificus, discordiæ occasiunculas prudenti dissimulatione præfocat. — Hic vers. 10. — Naz. Orat. 17.

2. Regia Vates psal. 66. sæculis arcanum sanctæ Triados mysterium adumbrauit: & cæcis quidem cæco Hebræorum populo litteris; quas tamen Euangelij lux perspicuè clarauit. Itaque sic pangit David: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ*. Ecce ter repetit Dei nomen, non adspectu ad deitatẽ, quæ vna est; sed ad tres diuinas personas hypostasi distinctas, qui vnus Deus est: vnde subdit: Et metuant *eum*, non eos. Quod his verbis Anselmus Laudunensis expressit: *Benedicat nos Deus Pater; Deus Filius, noster, non Gentium: benedicat nos Deus Spiritus sanctus, & metuant eum*, &c. Itaque tres diuinæ personæ in naturæ vnitate, hic suspiciendæ, & adorandæ traduntur; quin vnitas deroget Trinitati, nec Trinitas vnitatẽ dissipet, quod longè humanum captum excellit: paucisque expressit Hieronymus, aiens: *Ter Trinitas, Eum, vnitas.* Sed sublimissimè hac super re ad rem præsentem, inscribit Emissenus. *Quàm bene*, inquit, *per totum symbolum personarum proprietas distinguitur: quàm manifestè omnibus his tota Trinitas explicatur, vt sit & in vnitate tripartita distinctio, & in vnitate vnita coniunctio*, (sed attentiori mente oportet trutinare, quæ subtiliter subdit) *Quomodo si dicat: Deus Deus, Deus. Ter vnus Deus.* Nempe Deus noster vnus est essentiæ vnitate indiuiduus. Ast cùm in vnitate essentiæ, personarum tripartita distinctio, diuerso trium personarum vocabulo designatur; tunc, tunc inquam, non modò vnus Deus, aut semel vnus dicitur; sed *ter vnus*, ad vnitatis, opinor, exaggerationem. Itaque si Deus non triplici hypostasi subsisteret, sed vna duntaxat; in hac hypothesi, vnus Deus foret; sed (vt sic loquar) semel vnus: nũc verò cùm in naturæ vnitate, sit personarum tripartita distinctio; quandoquidem in hac personarum distinctione; nullum est naturæ diuortium, nulla deitatis diuisio, aut diuinæ naturæ discordia; iam non tam semel vnus dicitur Deus, quàm *ter vnus*. Quasi magis vnus quodammodo sit (si vnus esse posset) quia in personarũ distinctione, indiuiduum adhuc seruat naturæ vnitatem, quàm si absque vlla personarum distinctione vnitatem seruaret. Vnde nunc *vnissimus* dicitur à Bernardo, & *ter vnus* ab Emisseno: *In vnitate tripartita distinctio, & in vnitate coniunctio. Quomodo si dicat: Deus, Deus, Deus, ter vnus Deus.* Subtilissimè quidem Emissenus, & sanè si è tanta diuinitatis sublimitate ad hæc inferiora descendere liceat, per quandam analogiam inde moraliter instruimur. Illa, illa quidem est perfecta vnitas, & vnissima concordia apud homines, quæ cùm adest distinctionis occasio, aut caussa diuortij, studio pacis, & voto concordiæ, adhuc animorum consensio, & vnio seruatur; vnitas stat indiuidua, sacrosanctæ pacis violatio nulla, nullaque occasione scinduntur concordiæ fœdera. Hæc hominum inter se mutua concordia & vnitas de æmulatione Dei, est summa Christianismi perfectio: *Vnitas enim nec additionem, nec subtractionem potest recipere, imago Dei, qui solus plenus est.* Verba sunt Philonis, qui post pauca subdit: *Vnitati omnis numerus dicere potest illud poeticum: A te principium, tibi desino.* Omnis nostra actio, & operatio, à fraterna vnione sumat principium, fraternæ concordiæ desinat, quæ est perfectionis humanæ meta, de æmulatione Dei perfectissima.

Psalm. 66. v. 7. & 8. — Ansel. ibi. — *Ob personarum distinctionem, Deus noster ter vnus dicitur.* — Hieronym. apud Gloss. — Emis. hom. de Symb. — Philo in lib. *Quis rerum diuin. hæres.*

S. Augustinus in libb. de Ciuitate Dei, exponens Euæ formationem ex Adami costa; è quibus tota gens hominum propagatur, ita scribit: *Factus est ergo homo vnus, sed non relictus est solus. Nihil enim est quàm hoc genus tam discordiosum vitio, tam sociale natura. Neque commodius contra vitium discordiæ, vel cauendum, cùm nundum existeret vel sanandum, cùm extitisset, natura loqueretur humana, quàm recordationem illius parentis: quem propterea Deus creare voluit vnum, de quo multitudo propagaretur, vt hac admiratione etiam in multis concors vnitas seruaretur. Quod verò fœmina illi ex eius latere facta est, etiam hinc satis significatum est, quàm chara mariti, & vxoris debeat esse coniunctio.* Vide ergò quàm solerter studuerit Deus, vt ex vno essent omnes homines, vt arctiorem vnitatem à natura discerent, & indiuiduam mutuò concordiã in omne æuum seruarent. Sed quid est, quòd Deus hominem formaturus, pluratiuo verbo inducitur? *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Cùm reliqua creationis opera

3 — August. lib. 12. de Ciuit. cap. 26. — Genes. 2. v. 21. — Genes. 1. v. 26.

Vnus homo ad similitudinem duarum personarum cur fingitur.

Zeno ser. 3. de Genesi.

opera sibi dissimilia præcedentibus nuper diebus patrat Deus, singulari nomine effertur; (*Creauit Deus cælum, & terram. Dixitque Deus: Fiat lux, Fiat firmamentum,* &c.) & cùm hominem effotmat ad sui similitudinem, personarum pluralitatem inducit. Doctè quidē S. Zeno Veronensis ita hac de re fatur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Non, inquit, fac ad tuam; sed ait; Faciamus ad nostram,* &c. *Vnus homo ad duorum imaginem, & similitudinem fingitur, nec tamen in eo quid cuius sit, inuenitur.* Quid est, quòd cùm tam sollerter studuerit Deus hominū vnitati, & mutuæ inter eos concordiæ, vt ex vno fecerit omnes homines, nec aliam originem vllus agnouerit, cupitæ vnitatis dispendio nunc ille ipse *vnus homo* Adam *ad duorum imaginem & similitudinem fingitur. Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, Non, inquit, fac ad tuam; sed ait, Faciamus ad nostram.* Vnus quidem homo formatur Adam, sed dum ad duarum personarum similitudinem fingitur, & duarum euadit imago; vnus multiplex fit, varius, incertus, & bipartitâ vnitate diuisus. Qui formatione sic vnitati studet, de duarum personarum similitudine discordiam negotiatur: verùm enim verò sicut diuinæ essentiæ vnitas (vt num. præcedenti notabamus) ex tripartita personarum distinctione *vnissima* dicitur: & inde Deus non semel vnus, sed *ter vnus* nominatur: *Deus, Deus, Deus, ter vnus, iterari potest, discerni non potest,* quod Emissenus aduertit: ita *vnus homo* Adam *ad duorum imaginem, & similitudinem fictus*, id est ad duarum personarum similitudinem efformatus, non tam semel, quàm bis vnus euadit: siquidem ex bipartitæ distinctionis occasione, nullam diuisionis, aut diuortij causam sumit: indeque magis vnus fit, vnde credi poterat minùs vnus, ac si à discordiæ occasione strictiorem vnitatem & concordiam mutuasset. Quasi non satis vnus foret homo, nisi in aliqua distinctionis, aut diuisionis occasione, secum adhuc vnitatem, & concordiam seruaret. Vnitas enim in discordiæ occasione vnissima est, & indiuiduæ vnitatis exaggeratio. Exinde homo vt magis in se vnus sit, & esse appareat, ad duarum personarum formatur similitudinem: *Vnus homo ad duorum imaginem, & similitudinem fingitur. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Non, inquit, fac ad tuam; sed ait, Faciamus ad nostram.*

Emissen. homil. 2. de Symbolo.

4\. Lucæ 23. missio Christi à Pilato ad Herodem fit amicitiæ communis exordium, quasi Pilato non vsurpante sibi subditos ditioni Herodis. *Et facti sunt amici Herodes, & Pilatus in ipsa die: nam ante inimici erant adinuicem.* Prodigio simile est, quòd acre in re iurisdictionis litigium, iam facile inter Principes sedatum sit. Quod factum percommodè Theophylactus ad mores deriuat, sic aiens: *Attende Diabolum vbique coniungentem disiuncta, vt Christi peragat necem. Erubescamus ergo nos, si caussa nostræ salutis, nec amicos in proprio fœdere conseruemus.* Quid tam Diabolo cognatum, quàm odia, inimicitias, dissidia, & tumultus ciere? se autem versutè dedecit, & amica ad malum fœdera sollerter conciliat. Ergo ex imbonitate Diaboli bonitatem discamus, & ex dissensionis occasione consensionem sollicitè extruamus. *Erubescamus* saltem, quòd vel amicis infidi sumus; & vbi nulla, vel falsata discordiæ suppetit caussa, violatâ fide, sancta amicitiæ fœdera rumpimus, nec *caussa nostra salutis amicos in proprio fœdere conseruamus.*

Lucæ 23. v. 12.

Diabolus ad malum disiuncta coniungit: & nos etiam in bonum coniungamus.

Theophyl. inibi.

---

§. CCCLIII.

Maritus, vxoriæ voluntatis arbiter est.

Lycurgus cuipiam interroganti, quā ob caussam lege cauisset, vt sine dote virgines elocarentur. Vt, inquit, nec propter inopiā aliæ relinquerentur innuptæ, nec ob diuitias aliæ certatim expeterentur: sed vt iuuenum quisque ad puellæ mores respiciens, ex virtute faceret electionem. Profectò etsi pauperem alere difficile sit, diuitē ferre tormentum est. Æquales genere, ætate, censu ducantur, licet pudicitiæ elogium, & viri obsequium, præcipua vxoris dos est: casta quidem ad virum matrona, parendo imperat. Sicut coniugij virtute fiunt duo in carne vna, ita de obsequij sacramento fiat in duplici corpore mens vna, vnum sapere, id ipsum velle. Nam etsi velle non dicitur, edîscendum adhuc vxoribus est, ad coniugij concordiam. Si exgrex sit animus, corporum societas dissipabitur: & voluntatis diuortium, corporis collegium segregat. Eadem velle, & nolle eadem, felicitas nuptiarum est, & diues vxorum stipendium (quod pauperes opulentiùs pendunt.) Nutus viri vltrò trahat vxoris voluntatem: imò & vxor futuram diuinet, si opus est, & præmaturè executionem anteuertat: Matrimonium vxoriæ rationis cadauer esto. Papæ! quot tragœdias excitauit nimis viuax Annæ mens, & à Tobia marito longè dissidens voluntas! Hinc altera Anna Saræ filiæ pulchra connubialia præcepta hic moralissimè suggerit. 1.

In tanta corporum societate, ne sit exgrex coniugum animus.

Hic vers. 13.

2\. Genesεos 37. Iosephus ille Patriarcha corporis & morum elegantiâ, gratum extitit parentum deliciolum; in tenera adhuc ætatula in somniorum incertis imaginibus, futura olim legebat mente præsaga. Quod sic sollicitauit fratrum inuidiam, vt vix possent venditionis fraternæ crimine satiari. Post rusticum manipulorum somnium, sublimiorem scil. manipulum in terris adorantium; aliud in cælo de cæli afflatu vidit. Aliud quoque vidit somnium, quod narrans fratribus, ait: *Vidi per somnium quasi Solem, & Lunam, & stellas vndecim adorare me.* (Reprehensionis illustri commentario, hoc ænigma sapiens elucidat.) Quod cum patri suo, & fratribus retulisset, increpauit eum pater suus, & dixit: *Quid sibi vult hoc somnium, quod vidisti? num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram?* Hinc inter commentatorum litteralissimos grāde exoritur litigium, & perplexa exurgit quæstio, quomodo eius mater Rachel, eum adorare potuerit, cùm aliquot retrò annis defuncta denarretur. *Sed quid ita, Pater,* ait Rupertus, *somnium interpretari conatus est, cùm eius matrem Rachelem obiisse sciret? An matrem eius appellat eam quæ supererat, vxorem suam, consuetudine, non natura?* Inde nonnulli Balam matris suæ ancillam, & patris vxorem interpretantur. Alij verò matterteram Liam. Nec desunt, qui existimauerint, Rachelē adhuc superstitem tunc esse. quos cum Chronologis ibi expugnabā. Quod si mortua erat Rachel Iosephi mater, *Luna* de venustatis

Genes. 37. v. 9. & 10.

Rupert. ibi.

venustatis gratia æmula, & pulchræ sobolis genitrix pulcherrima; quomodo iam diu post funus filium adoret? Emortuæ matris cineres ad præstandum filio honorem adhuc viuescere censentur, & de Palæstinæ sepulchro, Ægypti Præfectum filium adorare? Ecquis nunc superstitis familiæ iurgiis mortuam Rachelem inquietet? Adhuc in sepulchri asylo tuta non est à filiorum tumultu, & interpretum coniecturis? Quo autem pacto Rachel iam diu apud Palæstinos mortua, *Lunæ* vocabulo significata, Iosephū in Ægypto adorauerit, dilucidè tradit Gennadius, ad thema præsens in primis tempestiuus, ita commentans præscriptam Iacobi commentationem. *Num ego & mater tua adorabimus te super terram?* Ita fatur Gennadius: *Nil mirum dixit, tametsi Rachel mater eius iam defuncta esset; nam & Rachel etsi non actu, attamen potentiâ in marito suo Iacob id fecisse dici potest.* Scilicet iam diu Rachel obierat, & immaturâ morte fatis concesserat, & in Bethlehemitico sepulchro tumulata, iacebat exanima: at dum superstes maritus eam submissionem diu post funera exhibuit, id quoque bona vxor fecisse legitur, & quidem in Bibliis. Atrox mortis inuidia Rachelem vitâ viduare potuit; & superstite marito, adhuc altera ipsa vxoris voluntas superstes est: & defuncta sic adhuc consentit marito viuenti, vt in eo arbitrium suum coëxercuisse videatur. Sepulchrales Rachelis reliquiæ in tumulo iacent, sed tanquam reliquias coniugalis beneuolentiæ, & concordiæ, viuenti marito, & vxoriæ voluntatis arbitrio, velut superstites reliquit; adeò vt mariti nutus, defunctæ vxoris putetur arbitrium, & quod ipse postea facit, ipsa quoque facere, etsi defuncta, dicatur. Sic vxoriæ voluntatis, maritus sequester est: O coniugum vna plures voluntas, & in duplici corpore mens vna!

Voluntas mariti superstitis, est vxoris defunctæ voluntas.

Gennadius apud Caten.

3\. Geneseos 2. cùm sexta mundialis opificij die, summus rerum artifex Deus, animantium greges vtroque sexu integros, è solo fructificari fecerit; Adamum primò creauit, & postea Euam efformat. Dixit quoque Dominus Deus: Non est bonum, hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi: *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Cur igitur, inquis post Adamum mulier, & non cum Adamo efformatur? cur non æquæuum vtriusque opificium? At in aliis omnibus suffecit vxor vna ad naturas repræsentandas, & ad sexum dimetiendum, quando simul conformabantur masculus, & femella: Adam verò solus femina destitutus est. Nempe vt ex viro vxor, velut quædam eius pars commodiùs existeret. *Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem*, & fictam monstrauit, & sponsam dedit de latere. *Neque vero ex terra*, (ait eleganter Basilius) *sed ex latere membrum mutuatur: partitur corpus, vt mentem coaptet, & natura vna dissipatur arte formantis, vt vna mens construatur ad imitationem naturæ.* Scilicet factus est primò homo vnus, non tamen relictus est solus; sed ex eius latere mulier coaluit. *Nihil enim est quam hoc genus, tam discordiosum vitio, tam sociale natura.* Ergo formetur mulier è sinistro viri latere, vt sic ita sint duo in carne vna, quòd vxor sit velut cordis portio ob amorem, & adsensionis cōcordiam. Licet coniuges in carne vna duo adhuc sint; sic Adam caro in Euam dissipatur, vt etiam vna plures vtriusque mens sit, vxoriæ adsensionis coaptatione ad mentem viri, *partitur*, inquam, *corpus, vt mentem coaptet*, &c. *vt vna mens construatur ad imitationem naturæ.* Sit vtriusque caro, ante Euæ formationem eadem; post dissipationem ex vi coniugij aliter eadem: mens verò etsi duplex sit, ita vxoria mens viro debet coaptari, vt vtriusque *vna mens construatur ad imitationem naturæ.* Sic feminæ mens mentem viri debet imitatione æmulari, vt eadem diuersa sit, altera velut in prototypo, in imagine altera; sed vbiuis altera eadem adsensionis iudicio, & arbitrij blandimento. O bonam coniugalis concordiæ eruditionem! Itaque nuptiarum nexu vna est vtriusque coniugis caro; igitur *vna mens construatur ad imitationem naturæ*: adeò, vt dixerit Nazianzenus maritos à scortatione arcens: *Tibi cauendum est, ne fluuius alienus efficiaris. Quod si aliò fertur cupiditas tua, parti quoque tuæ* (vxori inquam) *libidinem præscribis.* Vsque eo sunt vnum vterque coniux, vt de mariti adulterio, vxor *præscribere* dicatur: Quod salaciter maritus carne, voluptate, & voluntate luxuriando delinquit, vxor arcanè *præscribit*: O viri timendam *præscriptionem*, quæ eos scortatione largiùs arceat! Hinc bonus vir, & nuptialis fidei tenax, soli vxori suæ masculus nascitur.

Gen. 2. v. 21. & 22.

Coniugum corpus partitur Deus, vt mentem coaptet.

Basil. Seleu. orat. 2.

S. Augustin. 12. de ciuit. cap. 26.

4\. *De incontinentiâ mariti, vxor præscribit.* S. Nazian. orat. 31.

5\. Genesis 3. vetitum in paradiso pomum feminæ oculis citiùs quàm gulæ blanditur. Et edules fructus quos visu Eua delibarat, feminea audacia manu carpit, ac dulce venenum ore vorat: & nimis vxorio marito vorandum inconsultâ offert. Annuit Adam vxoris voluntati; & Deus confestim adest seuerus flagitij vindex. Interrogatus ergo de scelere sic respondet Deo: *Dixit Adam: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Ad quæ verba sic fatur Bernardus: *Verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas, quàm deleas culpam.* Scilicet multa excogitarunt Interpretes, quibus Adami in hac responsione malitiam explorent. His addere liceat, quod insinuat Bernardus. Porrò cùm vir sit vxoriæ voluntatis arbiter: aiens, de arbore vetita comedisse, vt vxoris adnueret voluntati, eiusmodi conniuentia non excusat culpam, sed *magis auget*: nam præter friuolam delicti excusationem, impœnitentiæ adulantem; addit etiam se obtemperasse vxoris voluntati, cùm potiùs vir vxoris voluntatem absorbere debuisset. Ergò cùm Adamus præuaricationem excusat, quia comedit vxori suæ adnuens; potiùs se ignoranter accusat, quasi non extiterit bonus vxoriæ voluntatis sequester, & operationum arbiter; quin potiùs sui arbitrij habenas mulieri, non bene agendorum aurigatrici, ignauè permiserit. Vnde dum Adamus delictum excusat, quia comedit, vt vxori suæ conniuenter adnueret, subdit tempestiuè Bernardus: *Verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas, quàm deleas culpam.* Nam maritus vxoriæ voluntatis arbiter est.

Gen. 3. v. 12. S. Bernard. homil. 2. super Missus est.

Adam non bonus extitit vxoriæ voluntatis arbiter.

§. CCCLIV.

Caduca est pulchritudo, nisi ab omni terrâ, animosáque affectione separetur.

1. PVlchritudo est (ait S.Antonius) *bona illa concinnitas in compositione membrorum , floris instar , superinductam sibi gratiam habens.* Blandum enim quoddam gratiæ lenocinium inest pulchritudini , quod si desit, quantumuis supersit membrorum concinnitas, placendi priuilegio viduatur. Hæc gratia superinducta formæ delicata nimis est, & teneræ admodum valetudini : exinde *flori instar* vernare dicitur. Pulchritudine fruere (aiebat ille quicumque) deflorescunt citò omnia, & ipsa in primis pulchritudo ; quæ breui adeò extinguitur florum more , vt antequam floreat, defloruisse videatur. *Transitoria , ac breuis momenti* (inquit Basilius) *vernorum florum gratia , adhuc desiderantes destituit.* quippe quæ in desiderio placuerat , sic est fugitiua , vt celerem frustretur manum & visum deludat. Porrò cùm pulchritudo non solùm concinnitate membrorum constet, sed *superinductam sibi gratiam* requirat; vbi hæc obruo affectuum tumultu , & intestinis passionum rixis marcescit, vt pulchritudo etiam deflorescat, necesse est ; quippe quam turbati mores inquietant, & fascinant. Hinc composita ad mansuetudinem natura, mite ingenium, & pacata indoles, conseruandæ pulchritudinis officina est, quâ superinducta placendi gratia diu retinetur. Impatientia, iracūdia, rixæ, iurgia, & materia est laboris vberrima, & pulchritudinis discrimen est , ac formæ iactura pacatam venustas animam requirit. Sit ergo pulchritudo (quod dicitur à Philostrato) *Ara misericordiæ:* & vt ipsa in suis periculis alienam misericordiam inuenit, quasi foret incolumitatis asylum; sic etiam ipsa sibi misericors & pia sit , ne fœdis angorum molestiis exagitata deuenustetur. Verosimillimum est Saram Raguelis filiam , formæ præstantiâ in paucis floruisse: quippè cum tanto vitæ discrimine sic à septem salacissimis viris adamata sit , comptæ puellæ inculpatâ venustate fomitem libidinis ingerente. fortassis autem quia etsi morum probitate eminebat , iam rixantem cum ancillis audimus , iam audito conuitio tabescentem , iam in thalami limine valde mœstam, & funesto eiulatu lacrymātem; vix à pulchritudinis dote (sicut aliæ Testamenti veteris matronæ) commendatur. Pacatissimam nimis indolem laudatior pulchritudo requirit. Quid dicam de Anna eius socru , vel hoc nomine rixis famosâ? Sara autem connubialibus præceptis hic ab Annâ matre eleganter instituta, cum domesticâ concordiâ innatam diu pulchritudinem adseruauit.

Anton. in Melissa ser. 6.

Florida pulchritudinis gratia , antequam floreat, deflorescit.

Basil. homil. 11. in Hexa.

Pulchritudo est Ara misericordiæ , & quare.

Hic vers. 13.

2. Geneseos 20. euersâ Pentapoli, egressus Abraham de conualle Mambre, quæ Sodomis vicinabatur, profectus est in terrā australem, & habitauit inter Cades & Sur: & peregrinatus est in Gerara , Palæstinæ metropholi, & regia Abimelechi curiâ. *Dixitque* Abraham *de vxore sua, Soror mea est. Misit ergo Abimelech rex Gerara , & tulit eā,* vt de regio gynæceo eam duceret in vxorem. Hinc bella oboritur inter expositores quæstiuncula, quid regem Abimelechū mouerit, vt Saræ nuptias tam auidè derepentè expetierit. Quâ super re sic addubitat ibi Lipomanus: *Sed mirum, & profectò valdè mirum , quòd femina nonagenaria , & cui iam desierant muliebria , esset tam concupiscibilis , pulchra & vegeta , vt & Abraham timuerit occidi propter illam , & Rex alienigena voluerit eam habere in vxorem.* Difficultatem adsimilem, aut potiùs eandē , de eâdem Sarâ & Rebeccâ nutu suâ inferiùs mouens , ita philosophatur : *Verisimile est , Saram ac Rebeccam fuisse non solùm moribus gratiosas , sed etiam insolita forma & pulchritudine præ cunctis Palæstinorum mulieribus* (audis nouum venustatis lenocinium) *Castitatis gratia viuaciorem formam , ac perseuerantiorem accommodabat.* Quasi castitas sit perseuerantia & vita pulchritudinis , quæ libidine marcescit, ægrescit, cadauerascit. Fructus pulchritudinis libido est , & tamen pulchritudo libidine tumulatur. Sic venustas adiuatur luxuriæ , & rursùs luxuria venustati insidiatur. Et S. Ambrosius exponēs illa verba Genes. 39. *Erat Ioseph pulchra facie & decorus aspectu*, ita ad rem eloquenter scribit: *Et cùm esset decorus aspectu , & speciosa facie valdè , venustatem sui vultus non ad alienam deriuauit iniuriam , sed ad suam seruauit gratiam, hoc se pulchriorem ratus , si non dispendio castitatis , sed cultu pudoris speciosior probaretur.* Quasi pudor adulterur pulchritudini , sitque comptius venustatis lenocinium. Porrò libido dispendium pulchritudinis est. Mitto hæc ad aliam thesim fors non inidonea ; & ad rem cum eodem Lipomano , redeo, qui proposito ab se dubio, quo inquam pacto Sara nonagenaria, & iam vetula, quasi pulchræ iuuentæ annos ageret , venusta ac vegeta apparuerit , adhuc in senio iuuentutis formâ perseuerante ; his verbis tempestiuè respondet: *Ex bono*, inquit, *regimine Saræ, iucundâque ac pacificâ conuersatione cum viro suo , permansit in ea tandiu viuidus vigor , & egregia corporis species.* Scilicet bona Saræ indoles , mores benè compositi, concordia cum domesticis, pax cum exteris; & præsertim amica, beneuola, ac pacifica cum marito conuersatio , pulchritudinis lenocinium fuit , & venustioris formæ perpetuitas. Velut dentati labentis ætatis cursus , perenni morsicatione formam abrodunt, dilacerant , deuorant : at iucunda & pacifica conuersatio, quæ ablegatis rixis, & iurgiorum occasiunculis , dulci concordiæ studet, conseruandæ pulchritudini adæquè militat ; & quantùm anni de venustate corrodunt, sensim recuperat. Vnde ex nonagenariæ *Sara iucunda ac pacifica conuersatione cum viro suo , permansit in ea tandiu viuidus vigor , & egregia corporis species.* His concordiæ pigmentis maritatas vellem, ad perpetuandam formositatem inungi: quæ quo paci magis student , eò impensiùs pulchritudini militant. Hæc coniugia cælestem vitam æmulantur. Exinde dixit Tobias Deum alloquens : *Tu fecisti Adam, & dedisti ei adiutricem Euam firmamentum vxorem eius.* Quandiu Eua præuaricata non fuit, mariti *firmamentum*, seu cælum nominatur

Gen. 20. v. 2.

Lipom. ibid.

Castitas est pulchritudinis vita.

Idem ad c. 26. v. 7.

Gen. 39. v. 6. Amb. de Ioseph Patriarcha.

Pacifica cum marito conuersatio , est venustatis perpetuitas, & lenocinium.

Lipoman. in Præfatum c. 20. Genes.

Vxor est mariti firmamentum.

Tob. 8. v. 8 apud. Lxx.

Superba res est eximia venustas : *Fastus inest pulchris , sequiturque superbia formam.* In quem sensū exponit noster Lorinus illud Ecclesiastici: *Cor hominis immutat faciem illius , siue in bona, siue in mala. Vestigium cordis boni , & faciem bonam difficile inuenies , cum labore.* quasi facies bona dicatur pulchra, & oculis grata ; mala verò 3.

quæ

Menander. Lorinus in Psal. 44. v. 3. Eccli. 13. v. 31. & 32.

quæ deformitatem aliquam præfert. Itaque, vt docte explicat Hugo Carensis: *Cor hominis immutat faciem illius, id est, secundum cordis mutationem mutatur & facies. Tanta enim omnis corporis, & animæ harmonia est, quòd secundum animæ mutationem necesse sit mutari corporis qualitatem. Siue in bono, id est, in læto & iucundo: siue in malo, id est, in tristi & mæsto.* Porrò tantus est corporis cũ animo concentus, tanquam concinna faciei cum affectibus harmonia, vt de animi affectione, facies aut hilaris niteat, aut mœsta squaleat. Quod affectiones cæcis litteris in voluntate clanculùm describunt, in facie palam legitur, & forma clarè loquitur, quod obscurè in corde peragitur. Oculi enim fenestræ sunt, per quas animitùs abscondita cernere licet, quæ per sensuum rimulas translucent. Et vultus, speculum est, in quo quod medullitùs vrit intestino iurgio, rixarum speciem coràm repræsentat: ac si animi aut serenitas, aut turbulentia, faciei gratam pulchritudinem, aut ingratam deformitatem elaboret. Parum ad pulchritudinem refert membrorum concinna proportio, quam affectuum rixæ distorquent, quæ blanda suauitas erit in vultu, quem passionum seditio truculenter exasperat: *Cor hominis immutat faciem illius, id est, secundum cordis mutationẽ mutatur & facies.* S. Gregorius Nyssenus in Cantica, cùm toties legat Sponsam, id est, animã sanctam, iam de pulchritudine eximiè laudari, iam fuscam dici, iam pugnacem & terribilem, vt castrorum acies ordinata, ita eleganter ad rem scribit: *In pulchritudine corporis cupiditatem excitat blanditiæ quædam & suauitas oculis ostensa, eaque ab omni terribili, animosáque affectione separata.* Belligerent animi iurgiis, rixis, & tetris mœstitudinibus, aut terribilibus odiis, animosisve concertationibus pacatam concordiam interturbent; non qui formam excolit, & venustatem ostentare, animi perpetuitate percupit: nam affectus teter, candidúsve, asper aut placidus; gratè blandus, aut ingratè terribilis, faciem colorat. Illa, illa, inquam, est vera, & diu durabilis pulchritudo, *quæ ab omni terribili animosáque affectione separata est.* Quisquis formæ impensiùs studet, plusquàm vultus, affectiones concinnet: & quod non timet de criminositate, saltem de deformitate timeat. *Secundum cordis mutationem mutatur & facies.*

Hugo ibi.

Pulchritudo ab omni terribili animosáque affectione separata esse debet.

Greg. Nyss. in Cant.

4. Ruth 1. Noemi cum Ruthã egressæ sunt è Moabitide, & venerunt Bethlehem. Quibus vrbem ingressis, velox apud cunctos fama percrebuit: dicebántque mulieres: *Hæc est illa Noemi. Quibus ait: Non vocetis me Noemi (id est, pulchram) sed vocate me Marà (id est, amaram) quia amaritudine valde repleuit me Omnipotens.* Nimirum Noëmi (cui à celebri venustate nomen) dudùm abscesserat plena filiis, sociata marito; sed nunc redit à marito vidua, à filiis orbata, & à se ipsa penè deserta: sic enim mœstis affectibus laxauit habenas, vt pulchritudinem penè exuerit. Quare insperato illius reditu commota est vrbecula; dicebántque Bethlehemitides feminæ, cùm iam viderent contribulem suam à se ipsâ mutatam: Hæc est illa Noemi? illa quondam speciosa & splendida, quæ omnium oculos stupore figebat, quam tota suspiciebat admirabunda ciuitas? Quæ interrogatio multa conuoluit, antiquã oris venustatem, & formæ elegantiam, cum inopinatâ deformitate componens. Vnde Noemi tempestiuè respondet, sibi, cui omnia à fortunâ euenere contraria, non aptè iam conuenire nomen illud, quod gratam speciem, & splendorem indicat eximium; sed aliud quod deformitatem sonat, & squalorem, & amaram vitæ conditionem, id est, Marà, quia vndique amaritudine repleta, pristinam venustatem tristium affectuum tyrannide excussit. Non vocetis me Noëmi, id est, pulchrã: sed vocate me Mara, id est, amaram, quasi animi amaritudo sit venustatis exilium. Percommodè Clemens Alexandrinus in Adhortatoriã ad Gẽtes, ita scribit ad eos, qui oris elegantiam magni æstimant: *Ne tyrannidem exerceas in pulchritudinem, ipsam mundam conserua, vt sit pulchra. Pulchritudinis rex efficere, non tyrannus.* Esto rex tuæ pulchritudinis, prudente aurigatione immodicas affectiones cohibens: nam si nimiùm affectibus immoderatis indulgeas, pulchritudinis tyrannus eris. Ecce tibi Noëmi, id est, pulchram, de animi amaritudine deformem. Ergo *ne tyrannidem exerceas in pulchritudinem, ipsam* à nimiâ affectione *mundam conserua, vt sit pulchra. Pulchritudinis rex efficere, non tyrannus.* Porrò caduca est pulchritudo, & deformitati confinis, nisi à tetrâ animosâve affectione separetur.

Ruth. 1. v. 19 & 20.

Qui amaro est animo, tyrannidem exercet in pulchritudinem.

Clem. Alex. in Adhort. ad Gent.

5. M. Felix Ennodius de sui Theodorici venustate ita fatur: *Nec forma tua decus,* inquit, *inter postrema numerandum est, quando regij vultus purpura ostrum dignitatis irradiat,* &c. *statura est, qua resignet prolixitate regnantem: nix genarum habet concordiam cum rubore. Venant lumina serenitate continuâ: digna manus quæ exitium rebellibus tribuant,* &c. *Theodoricus in amicitiam colligit duo diuersissima; vt sit in irâ sine comparatione fulmineus, in lætitiâ sine nube formosus.* Ecce tibi gratior pulchritudo sicut *serenitate continua* venustatur, ita fœdatur turbulentâ affectionum *nube.*

Ennod. in Panegyr.

Pulchritudo serenitate continua floret, affectuum nube fœdatur.

SYNOPSIS CAPITIS VNDECIMI.

Tobias in regressu ad parentes, die vndecimo peruenit ad Charam medio itinere versus Niniuen. Ipse cum Angelo de eiusdem consilio praecedunt, ne parentes sui desiderio languentes, assiduo se mœrore conficiant. Praeuntes subsequitur familia lento gradu. Intereà sollicita mater quotidie ascendebat praealta vrbis loca, vnde redeuntem filium speculari posset: quem cùm prospectasset, exiliens gaudio, filij aduentum marito renuntiat. Occurrit licèt cæcus pater aduenienti filio, quem osculo lætus excepit. Tunc Tobias præmissâ oratione, felle piscis paternos linit oculos, & visum recipit. Quod subsecuta est gratiarum actio, gratulatio amicorum, & profusior omnium lætitia, quam auxit septimo pòst die Sara cum multis diuitiis, & copiosè familiâ aduemens.

CAPVT VNDECIMVM.

1. CVmque reuerterentur, peruenerunt ad Charan, quæ est in
medio itinere contra Niniuen, vndecimo die. 2. Dixitque
Angelus: Tobia frater, scis quemadmodum reliquisti Patrem
tuum. 3. Si placet itaque tibi, præcedamus, & lento gradu
sequantur iter nostrum familiæ, simul cum coniuge tua, &
cum animalibus. 4. Cúmque hoc placuisset vt irent, dixit
Raphaël ad Tobiam: Tolle tecum ex felle piscis: erit
enim necessarium. Tulit itaque Tobias ex felle illo, & abie-
runt. 5. Anna autem sedebat secus viam, quotidie in super-
cilio montis, vnde respicere poterat de longinquo. 6. Et dum ex eodem loco specula-
retur aduentum eius, vidit à longè, & illicò agnouit venientem filium suum: curréns-
que renunciauit viro suo, dicens: Ecce venit filius tuus. 7. Dixítque Raphaël ad To-
biam: At vbi introieris domum tuam, statim adora Dominum Deum tuum: & gra-
tias agens ei, accede ad patrem tuum, & osculare eum. 8. Statímque lini super oculos
eius ex felle piscis, quod portas tecum: scias enim quoniam mox aperientur ocu-
li eius, & videbit pater tuus lumen cœli, & in aspectu tuo gaudebit. 9. Tunc præcurrit
canis, qui simul fuerat in via, & quasi nuncius adueniens, blandimento suæ caudæ gau-
debat. 10. Et consurgens cæcus pater eius, cœpit offendens pedibus currere: & data
manu puero, occurrit obuiam filio suo. 11. Et suscipiens osculatus est eum cum vxo-
re sua, & cœperunt ambo flere præ gaudio. 12. Dúmque adorassent Deum, & gratias
egissent, consederunt. 13. Tunc sumens Tobias de felle piscis, liniuit oculos patris
sui. 14. Et sustinuit quasi dimidiam ferè horam: & cœpit albugo ex oculis eius, quasi
membrana oui, egredi. 15. Quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius, statím-
que visum recepit. 16. Et glorificabant Deum, ipse videlicet, & vxor eius, & omnes
qui sciebant eum. 17. Dicebátque Tobias: Benedico te Domine Deus Israël, quia tu
castigasti me, & tu saluasti me: & ecce ego video Tobiam filium meum. 18. Ingressa
est etiam post septem dies Sara vxor filij eius, & omnis familia sana, & pecora, &
cameli, & pecunia multa vxoris: sed & illa pecunia, quam receperat à Gabelo: 19. &
narrauit parentibus suis omnia beneficia Dei, quæ fecisset circa eum per hominem
qui eum duxerat. 20. Venerúntque Achior & Nabath consobrini Tobiæ, gaudentes
ad Tobiam, & congratulantes ei de omnibus bonis, quæ circa illum ostenderat Deus
21. Et per septem dies epulantes, omnes cum gaudio magno gauisi sunt.

§. CCCLXV.

§. CCCLV.

Commentarius litteralis.

*Verſ.*1. Cúmque reuerterentur, peruenerunt ad Charan, quæ eſt in medio itinere contra Niniuen vndecimo die

I. EXploratum non eſt, quænam ſit hæc vrbs *Chara*, quæ inter Reges Mediæ ſeu Ecbaranam, & Niniuen Aſſyriæ Metropolim ſita eſt. Hugo Carenſis, Dionyſius Richel, & P. Sanctius putant, eandem eſſe cum *ea* ciuitate, quæ Geneſis 11. & 12. dicitur *Haran*, & quæ celebris eſt in ſacris Litteris Abrahami domicilio, cū ex Chaldæa pergebat in Chananitidem. Hæc enim vrbs *Haran*, Iudith 5. v. 9. dicitur *Charan*, ibique Abrahamus dicitur habitaſſe. Sub eodem nomine *Charan*, traditur à S. Stephano Actor. 7. v. 3. Cùm ergo *Charan*, prope Aſſyriam ſit, & *Charan* nominetur, eadem ipſiſſima vrbs eſſe videtur. Verò ſimiliùs tamē eſt, eſſe vrbes diuerſas. Ita Serarius hic in Cōmentario, Tirinus, Gordonus & Iuſtinianus. Probat Serarius (à quo reliqui) quia hæc vrbs *Charā*, Hebraïcè ſcribitur אצרים *Acrim*, quo nomine nuſquam *Haran*, ſeu *Charan*, Abrahami nuncupatur. Dein *Haran* ſeu *Charan* Abrahami eſt in Meſopotamia, quæ regio eſt inter duo flumina Euphratem & Tigrim, hæc *Charan*, Tobiæ ſita eſt vltra Tigrim, inter Aſſyriam & Mediam. *In medio itinere.* Non putauerim *Tò in medio*, mathematicè debere accipi, ſed moraliter, id eſt, propè medium. *Charan* enim diſtare putatur à Niniue, itinere trium, quatuorve dierum. *Contra Niniuen.* Id eſt, è regione Niniuæ. Sic Geneſeos 2. fluuius Tigris dicitur labi contra Aſſyrios. Id obuium eſt, & in vtraque eruditione frequens. *Vndecimo die*, quia iter egerunt cum gregum, armentorum, & multæ familiæ impedimentis, quod alioqui expeditus pedes quiſquā trium quatuorve dierum ſpatio perageret, vt ex communi interpretum ſæpè adnotauimus.

Hugo. Dionyſ. Sanct. Geneſ. 11. & 12. Iudith 5. Actor. 7. *An hæc Tobiæ Charan distincta sit à Charan Abrahami.* Serar. Tirinus. Gordonus. Iuſtinian.

*Verſ.*2. Dixitque Angelus: Tobia frater ſcis quemadmodum reliquiſti patrem tuum.

*Verſ.*3. Si placet itaque tibi præcedamus, & lento gradu ſequantur iter noſtrum familiæ ſimul cum coniunge tua, & cum animalibus.

*Verſ.*4. Cúmque hoc placuiſſet, vt irent, dixit Raphaël ad Tobiam: Tolle tecum ex felle piſcis, erit enim neceſſarium. tulit itaque Tobias ex felle piſcis, & abierunt.

2. Quoniam multæ familiæ, gregum, & armentorū impedimētis ex vrbe Reges profectæ ſunt, trium quatuorve dierum iter vndecim omninò diebus confecerunt. Id aduertens Angelus, vt ambo qui è Niniue egreſſi fuerant, præcedant, vrbanè admonet; quos lento greſſu reliqua cum coniuge familia ſequatur. Quod cùm Tobiæ, & Saræ etiam placuiſſet, (quam à principio deſeruiſſe inurbaniùs cenſeri poterat) ſecum aſſumpto felle piſcis, vt confeſtim cæcus pater ſanaretur, ambo expeditiùs abierunt. Græci codices ita habent: *Et dixit Raphael ad Tobiam: Præcurramus ante vxorem tuam, & paremus domum. Sume autem ad manum fel piſcis. Et ierunt, & ſimul venit canis poſt eos.* (Reliquæ tranſlationes nil aſſerunt notatu dignum) Sic Angelus Dei nutu, ſenioris Tobiæ conſolationem ab angore, & à cæcitate curationem quammaturè negotiatur!

Cur Tobias ante vxorem præcurrit. Bibl. Siat.

*Verſ.*5. Anna autem ſedebat ſecus viam, quotidie in ſupercilio montis, vnde reſpicere poterat de longinquo.

*Verſ.*6. Et dum ex eodem loco ſpecularetur aduentum eius, vidit à longè, & illicò cognouit venientem filium ſuum, currenſque nunciauit viro ſuo, dicens. Ecce venit filius tuus.

3. Putauerim, à quo tempore ex conſtituto dierum numero, Tobias tardare putabatur; peramans vnici filij ſui mater, de eius aduentu nimis ſollicitā, ſingulis diebus, e loco ſublimi extra vrbem, velut de quadam ſpecula circumſpectabat vias per quas filius in patriam reuerſurus putabatur. *Sedebat* Anna, non quia *ſeſſio*, ſitus mœrentium & lugentium eſt (vt Iuſtinianus cenſet) ſed quia, mulier diu præ mœrore immodico ægra, male pranſa, & peiùs cœnata, exſomni cura languens; cùm aſſidua perduraret in præalto illo loco filij ſui proſpectandi deſiderio, aliter conſiſtere non valebat: alioqui nimia animi perturbatio nimis inquieta eſt, nec in vno loco perſiſtere concedit. Opportunè Ambroſius deſcribit. *Nonne*, inquit, *quando aliquem deſideramus offerre, eò dirigimus oculos vnde ſperamus eſſe venturum? Itaque contenti diu quotidiana expectatione deficimus. Sic Anna circumſpiciens in viam ſollicitis aduentum filij explorabat excubiis. Sic Dauid Propheta, currente de prælio altero poſt alterum, qui nunciaret, poſitis in turre exploratoribus, interrogare de ſalute filij pater ſedulus geſtiebat: ſic tenera vxor ætatis de ſpecula littorali indefeſſa expectatioe coniugis præſtolatur aduentum, & quamcumque nauim viderit, illic putet coniugem nauigare, metuatque ne videndi cauſſa dilecti alius anteuertat, nec ipſa primò poſſit dicere, video te venire.* Id ſedula Tobiæ mater præ amoris impatientia ſollicitè exambit. Quare in montis ſupercilio, vt omnes reuerſuri filij vias præpropere exploret, diu ſedet. *Ecce venit filius tuus.* Vbi primùm mater regredientem filium agnouit, vix præ lætitia ſui compos, quamocyſſimè aduolat, vt quam ex filij reditu prægustarat lætitiam mœſtiſſimo impertiret marito. Blandientis eſt ea vox, & exhilarare cupientis: *Ecce venit filius tuus.* Apparet autem (ait Salianus) in iſta muliere vis affectus materni, qui vetulam non ſemel aut iterùm, ſed quotidie in viam dabat, imò in montis vrgebat ſupercilium, qui eam ibi affixam, & reſpectantem retinebat, qui ei lynceos oculos, quos negabat ætas, ad cognoſcendum dedit, qui vires ad currendum, & viro quamprimùm nunciandum ſuffecit. Hunc verſ. Arabs viuaciùs expreſſit: *Vidit* (mater) *de longè, & extemplo cognouit filium ſuum venientem, & præ gaudio ſubſiſtere non valens, ſtatim exiuit, & cucurrit ad virum ſuum.*

Quàm ſollicitè præcurrat amor, venientem præuidere dilectum. Ambr. apud Gloſſam inibi. *Vis affectus materni exprimitur.* Salian. ann. m. 3335. n. 54. Arabs.

Vers. 7. Dixitque Raphaël ad Tobiam: At vbi introieris domum tuam, statim adora Dominum Deum tuum: & gratias agens ei, accede ad patrem tuum, & osculare eum.

Vers. 8. Statimque lini super oculos eius ex felle illo piscis, quod portas tecum. Scias enim quoniam mox aperientur oculi eius, & videbit pater tuus lumen cæli, & in aspectu tuo gaudebit.

4. Bonus pædagogus Raphaël suũ edocet alumnum, quid facere expediat, cùm paternas ædes fuerit ingressus. Primùm docet, vt propitium sibi reddat Deum, illum adorando; gratiasque illi agat pro acceptis hactenùs beneficiis, vt grato animo ad potiora beneficia accipiẽda eius benignitatẽ inflectat gratitudinis illicio. *Adora*. Benè notat Iustinian. quòd vbi interpres vertit, *adoro*, Græcè & Hebraicè verbũ subest, quod incuruare se humili curuatione, vel ad genua procumbere significet: vnde non modo respectu ad Deum, sed ad homines etiam apponitur: respectu ad homines, est ciuilis & politica; aspectu ad Deum, propriè adoratio est, & latria nominatur, qui est actus religionis. De quo Theologi in Tractatu de Adoratione. Sic Abraham populũ terræ adorasse dicitur, & Iudith Holofernem. Hoc vulgare est, & nemini non notum, de quo alibi egimus. Hinc in more positum fuit non modò apud Christianos Prælatos, sed etiam apud profanos Principes, vbi primum vrbes ingrediuntur, templa inuisere. *Magnas vrbes ingressi* (ait Pacatus) *primum sacras ædes, & dicata summo numini delubra visimus; tum fora, atque gymnasia.*

Adorare, quid sit

Iustin ibi.

Principes ingressi vrbes, templa inuisunt.

Pacatus in Panegyr. apud Serar.

Osculare eũ, ex patriæ more. *Statimque lini super oculos eius*, &c. Syrus codex rem explicatiùs tradit: *Sume, inquit, illud fel piscis manu tua, & quando appropinquaueris ad faciem patris tui, & accedere feceris oculos eius ad te, & dum illi aperti sunt, exprime hoc fel in oculis eius, & dolebit ei, & cùm doluerit ei, emundabitur illa albugo ab oculis eius, & videbit lumen pater tuus.* Oculos aperire, vulgaris est in Bibliis idiotismus pro visum largiri, quasi cæcus clausam habeat videndi facultatem, quam aperit, qui visum præbet siue restituit. Hic notat Gordonus, quòd Deus aliquando apta, aliquandò inepta miraculis adhibet media. Nam Ioannis 9. luto aperuit oculos cæci nati; hîc idoneo medicamento sanitatem oculis facit. Sed non facile concedetur Gordono, hic miraculum reperiri. De quo §. sequenti, num. 2. Cùm autem ait Syrus: *Et dolebit ei*, &c. Satis medicè id asserit, nã edocẽte Galeno apud Iustinianum, vix repetitur medicamentum, quod citra aliquam noxam magnopere prosit. nulla enim remedia quæ vulneribus adhibentur, tam sunt salutaria, quàm quæ faciunt dolorem, ait Tullius.

Syrus.

Gordon. ibi.

Iustin. n. 3.

Galen. lib. de Simpl. medic. c. de Oximel.

Vers. 9. Tunc præcucurrit canis, qui simul fuerat in viâ: & quasi nuncius adueniens, blandimento suæ caudæ gaudebat.

5. Friuola non est hæc de cane narratio, neque (vt quibusdam malè videtur) indigna vt in sacris Bibliis referatur. Nam vt Christus Dominus hanc calumniam anteuertens, dixit, est in lege *Iota, & apex*, id est aliquid quod exile & minutum videtur; sed sacramento non vacans. Narrantur hæc, quia re verâ acciderunt: pertinet enim ad narrationis simplicitatem, & historiæ fidem, de minimis quoque cõmemoratio, in quibus diuina prouidentia elucet, nihil enim etsi rationis vsu negatum, lætitiæ expers esse voluit, quod mæstam nuper & sollicitam domum non exhilaret. Aliquid non absimile inducit Homerus Odyss. 15. & 16. de Argo cane. Mysticos sensus legere obuiũ est apud Serariũ hic q. 1. & Iustinianum ad cap. 9. v. 2. Sed rem non magni momenti, propter nasutulos perstrinxisse hic & mihi sufficiat.

Nil exile putandum in sacra Scripturâ. Matth. 5. Lucæ 16.

Homerus.

Serarius Iustin.

Vers. 10. Et consurgens cæcus pater eius, cœpit offendens pedibus currere: & data manu puero, occurrit obuiam filio suo.

Vers. 11. Et suscipiens osculatus est eum cum vxore sua, & cœperunt ambo flere præ gaudio.

Vbi Anna præ gaudio exiliens, marito nũciauit optatissimũ filij aduentum, confestim ad venientem filium aduolat. *Et accurens Anna irruit super collum filij sui, & dixit ei: Vidi te fili: ex nunc moriar.* sic habent Biblia Sixtiana. Quod explicatiùs tradit Syrus: *Et reuersa* (Anna postquam marito filij reditum nunciauit) *exiuit in occursum filij sui, & complexata est, & cecidit super collum eius, & dicebat: Quia video te fili mi, non tædet me si moriar.* In assimiles voces erupit Iacob videns filium suum Ioseph, Genes. 46. v. 30. Et Simeon vlnis suis puerum Iesum amplexatus, Lucæ 2. v. 29. *Et surgens cæcus pater cœpit offendens pedibus currere.* Nimirùm cæcus pater aduentantis filij nuncio, præ gaudio exilit, & cæco impetu pedibus offendens, seu impingẽs filio festinus occurrit. Græci codices: *Et Tobias exibat ad ianuam, & prolapsus est,* (quod Vulgatus dixit, *Offendens pedibus*) *Filius autem eius accurens ei, apprehendit patrem suum*, &c. Nempè dum Tobias festinãter satagit occurrere filio, ait prolapsum esse, & subleuatũ à filio. Sed Vulgatus aliter rem denarrat, ait enim: *Et consurgens cæcus pater eius cœpit offendens pedibus currere; & data manu puero, occurrit filio suo.* Igitur Tobias cæcus dum currere incipit, pedibus *offendit*, seu impegit, siue *prolapsus est, & data manu puero, occurrit filio suo.* ex quibus verbis verosimiliùs videtur, quòd cæcus pater *prolapsus*, datâ obuio puero manu, & surrexerit, & ad ianuam à puero directus sit, vt filio suo occurreret: nam ideò ipse prolapsus, manum dedit puero, vt filio suo occurreret. Ita hunc locum exponere videntur Lyra, & Carthusianus, & Vatablus: quæ expositio Vulgato magis hæret; etsi Sanctius & Iustinianus non adsentiant. Nec magni apud me est, quod Syrus etiam illis expressiùs faueat: sic enim habet: *Et cucurrit Tobias, tenuit, & erexit Tobit patrem suum; qui etiam & cùm surgeret aspiciebant oculi eius sursum, quærebat osculari ipsummet filium, & ambo oculi eius aperti erant.*

6.

Bibl. Sixt. Syrus.

Genes. 45. Lucæ 2.

Pater et filio occurrunt.

Græcus.

Lyra. Carthus. Sanct. Iustinian.

Syrus.

Osculo charissimos & dimitti & excipi; item lacrymas præ gaudio vbertim erumpere, obuiũ est

Iustinian. est in sacris litteris. Quanta verò sit inopinati gaudij immoderatio, tradit hic Iustinianus numero 3.

§. CCCLVI.

Commentarius litteralis.

Verſ. 12. Cùmque adoraſſent Deum, & gratias egiſſent, conſederunt.

I. AD ianuā occurrerant parentes reduci filio: at vbi domum ingreſſi ſunt, iuxta Angeli præceptum, Deum adorant, illique gratias agunt pro felici reditu ad patriam domum. Tunc ad conferendum de negotij expeditione & actis in longo itinere, pariter conſederunt. Nec antè ſedent, quàm Deo gratias peregerint.

Verſ. 13. Tunc ſumens Tobias de felle piſcis, liniuit oculos patris ſui.

Verſ. 14. Et ſuſtinuit quaſi dimidiam ferè horam, & cœpit albugo ex oculis eius quaſi membrana oui, egredi.

Verſ. 15. Quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius, ſtatimque viſum recepit.

Tunc, id eſt vbi primum pariter conſederunt, confeſtim Tobias iuxta Angeli præceptum, felle piſcis liniuit patris oculos, & exiguo tempore tranſacto, excidere cœpit impedimentum, quod inuitians oculos, videndi facultatem ademerat. Biblia Sixtiana hanc Tobiæ curationem dilucidè
Bibl. Sixt. explicant: *Inſperſit*, inquit, *fel ſuper oculos patris ſui, dicens: Confide pater. Vt autem eroſi ſunt, detriuit oculos ſuos, & deſquamatæ ſunt ab angulis oculorum eius albugines.* Syrus his verbis
Syrus. rem tradit: *Et expreſſit fel Tobia in oculis Tobiæ patris ſui, & clauſit oculos ſuos, & ait: Quid feciſti mihi, fili mei? Et ait Tobias: Confide pater mi, & ſuffer, medicamentum hoc eſt. Et dum tenebat, emundauit medicamentum illud albuginem.*
Quomodo viſus Tobiæ reſtitutus à filio ſit. Nempe vbi dolorem ex vrenti medicamine Tobias ſenſit, filio dixit: *Quid feciſti mihi fili mi?* Verùm cùm Græci codices Tobiæ patri attribuāt albuginum excuſſionem, dum *detriuit oculos ſuos*, non videtur conſentire Vulgato adſerenti, Tobiam filium albugines extraxiſſe. Litem dirimit
Vatablus. Vatablus ita locū exſcribens, & exponens: *Tunc felle in oculos patris aſperſo, iuſſit eum bono eſſe animo, circiter ſemihoram expectans. Cumque oculi compungi ſibi cœpiſſent, confricauit eos, donec ab hirquis albugines inſtar ſquamarum, & membranarum oui receſſerunt: quas cùm Tobias apprehēſas ab oculis eius auulſiſſet, viſum ille recepit.* Nempe cæcus pater medicamine vrenti excitus, oculos deterēs, ſeu confricans, albugines ab oculorum hirquis excuſſit, quas filius apprehendens
Arabs. auulſit, & ita viſum recepit. Hæ *albugines*, apud Arabicam tranſlationem *cortex tenuis* appellantur, quæ velut *oui membrana* à Vulgato dicitur.

2. An Tobiæ cæcitatem fel illud naturaliter curauerit, parum negotij faceſſit commētatoribus, qui meritò affirmāt. Ita Lyranus, Carthuſianus, Serarius, Sanctius, Iuſtinianus, Tirinus, Menochius. Probat Serarius hîc quæſt. 2. ex Celſo, Plinio, Galeno, Æliano, Raſi, Odoardo, Franciſco Georgio, Valeſio in ſacra Philoſophia, cap. 42. Et ſanè curationis modus id efficaciter ſuadet; nam morſicans medicamentum oculis adhibetur, quod peridoneum à Medicis putatur; & non ſtatim ſanitatem dedit, ſed poſt congruentem morulam, nempe circiter ſemihoram: poſtquā filius detritas, & excuſſas albugines auulſit, qui eſt familiaris Medicis curandi modus. Fateor cum Serario medicamenti inuentionem ſupernaturalem eſſe; & fortè breuiori morulā medicamentum ſalutem præſtitit. Quis certò definiat tempus ad eiuſmodi curationem neceſſarium? Quò forſan ſpectans Gordonus *miraculum* per apta ad curationem media hîc agnoſcit. Hâc ſuper re legatur Serarius quæſt. illā 2. & Valeſius cap. 42. allegato. Quot annis Tobias fuerit cæcus, ſuo loco exponetur.

Lyra. Carthuſ. Serar. q. 2. Sanctius. Iuſtinian. Tirinus. Menoch. *An piſcis fel naturaliter Tobiæ cæcitatem curauerit.* Gordonus hîc.

Verſ. 16. Et glorificabant Deum, ipſe videlicet, & vxor eius, & omnes qui ſciebant eum.

Verſ. 17. Dicebatque Tobias: Benedico te Domine Deus Iſraël, quia tu caſtigaſti me, & ſaluaſti me: & ecce ego video Tobiam filium meum.

Animaduertens pius ſenex tot ei collata à Deo beneficia in perexigua temporis morulā, felici rerum viciſſitudine, nempe exhauſtas opes cumulatè reſtitutas, deploratum filium excepiſſe ſoſpitem, & amiſſum oculorum lumen miriſſimè reaccenſum; immortales Deo gratias agit, eiuſque laudes altè buccinat, ipſe videlicet cum vxore, totâque familiā, & iis omnibus cum quibus aliqua erat neceſſitudo, atque cognatio. *Tò ſciebant eum*, id eſt, ac nouerant eū, Menochio interprete. Ergo Iſraëlis, hoc eſt, ſuo, & vero Deo præconia grato animo, & ore decantans, dicebat Tobias; *Benedico te Domine Deus Iſraël, quia tu caſtigaſti me, & tu ſanaſti me.* Lætis triſtitia, proſperis aduerſa præeunt. Ita Sara cap. 3. v. 22. *Poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lacrymationem & fletum, exultationem infundis,* & infrà cap. 13. verſ. 2. *Tu flagellas, & ſaluas; deducis ad inferos, & reducis.* Ad eundem modum Deuter. 32. verſ. 39. 1. Reg. 2. verſ. 6. 4. Reg. 5. verſ. 5. Iob. 5. verſ. 28. Pſal. 74. verſ. 9. Sapientiæ 16. verſ. 13. Eccl. 11. verſ. 14. Oſee 6. verſ. 1. Quā ſuper re eruditè noſter Mendoza in lib. 1. Reg. cap. 2. verſ. 6. num. 1. & 2. & 3. &c. Nec putauerim neceſſarium eſſe, vt *Tò caſtigare*, preſſè accipiatur pro punire, & in delicta animaduertere, vt nonnulli ex commentatoribus opinantur. Sed *caſtigatio* hîc ſumitur pro tribulatione, aduerſitate, ærumna; cui opponitur ſubſecuta proſperitas. *Ecce ego video Tobiam filium meum.* Alia quoque videbat omnia peramans filij ſui pater, ſed hoc erat ei inſtar omnium, vt aduertit inibi Salianus. Græci codices pleniùs rem tradunt: *Et videns filium ſuum procidit ſuper collum eius, & plorauit, & dixit: Benedictus es Deus, & benedictum nomen tuum in ſecula, & benedicti omnes ſancti tui Angeli, quoniam flagellaſti, & miſertus es mei: Ecce video Tobiam filium meum.*

3. Menoch. *Lætis triſtia, proſperis aduerſa præeunt.* Mendoza. Salian. anno m. 3335. n. 58. Bibl. Sixt.

Verſ. 18. Ingreſſa eſt autem poſt ſeptem dies Sara, vxor filij eius, & omnis familia, & pecora ſana, & cameli, & pecunia multa vxoris, ſed & illa pecunia, quam receperat à Gabelo.

Verſ. 19. Et narrauit parentibus ſuis omnia beneficia Dei, quæ feciſſet circa eum per hominem, qui eum duxerat.

Scilicet hoc Tobiæ felicitati adhuc deerat, vt ſoſpes adeſſet Sara pulchrè pia heroina, copioſo cenſu opulenta, numeroſâ familiâ locuples, & opinatiſſima poſteritatis ſpes. Vatablus plura denarrat: *Tobias ergo*, inquit, (*poſt ſeptem dies cùm Sara & omnis familia cum ſaluis pecoribus ac camelis, & cum multâ pecuniâ, etiam illa à Gabelo recepta adueniret*) *obuiam nurui ſuæ Deo gratulans ad portam Niniue egreſſus eſt, mirantibus qui videbant ipſum euntem, quod viſum recepiſſet. Ipſe verò palam teſtabatur omnibus Deum ſui miſertum eſſe: cumque nurui ſuæ propinquaſſet, ſalutauit eam his verbis: Saluus ſit aduentus tuus ô filia. Deo primùm gratulor, qui te perduxit ad nos, tum etiam piis parentibus.* Conſentiunt reliqui Græci codices: & Syrus adhuc explicatiùs rem tradit. Addit Hæbræus: *Egreſſi Tobias, & Anna vxor eius in occurſum Saræ filiæ Raguelis nurus ſuæ, lætati ſunt cum ea gaudio magno. Poſt ſeptem dies.* Non ab aduentu Tobiæ, ſed ab illius egreſſu è Charan, vt obſeruat Lyranus. Vnde neceſsũ eſt velociùs hæc itinera peracta, quàm ab egreſſione à Rages vſque ad Charã, quæ eſt in medio itinere aſpectu ad Niniuen. *Per hominem*, id eſt, per Angelum ſpecie hominis apparentem, & quem hactenus hominem putabat.

Vatablus. *Sarã ad vrbis ianuam lætanter excipitur.*

5. *Verſ.* 20. Veneruntque Achior, & Nabath conſobrini Tobiæ, gaudentes ad Tobiam, & congratulantes ei de omnibus bonis, quæ circa illum oſtenderat Deus.

Verſ. 21. Et per ſeptem dies epulantes, omnes cum gaudio magno gauiſi ſunt.

Græci codices, nempè Biblia Sixtiana, Complutenſia, & Regia, & Vatablus habent, *Et aduenit Achiacharus,* (de quo ſuprà mentio facta eſt, & hic vocatur Achior) *& Naſbas filius fratris ipſius,* quaſi forent ſenioris Tobiæ *patrueles.* At Vulgatus *conſobrinos* habet, cui conſonat Syrus. *Aduenerunt illùc Achicon, & Lebian filius ſororis eius cum eo ad Tobit.* Sed benè ex Serario notat Iuſtinianus, quòd in Latino ſermone *Conſobrinorum* vocabulum pro patruelibus ſæpe accipiendum eſt: quemadmodum neque cognati aliquando ab agnatis diſtinguuntur. Vnde Syrus cùm reperiſſet conſobrinos, ad vocabuli ſtrictam ſignificantiam attendens, ex Latino vertit, *filius ſororis.* Quod fortè deuitans Arabs, ambiguum vocabulum exſcripſit: *Et venerunt Achior & Nabat conſanguinei Tobiæ ad eum, & gauiſi ſunt cum eo de omnibus bonis, quæ reuelauit Deus cauſa illius.* Itaque cognati & amici conuenerunt ad Tobiam læti & gratulabundi; qui ſicut de tot aduerſis doluerant, ita in proſperis quam lætanter adgaudent. *Et per ſeptem dies epulantes*, &c. Scilicet reſtaurant geniales nuptiarum dies, & iteratâ gaudio nuptias Tobiana etiam familia concelebrat. Et ſanè, tametſi ſolemne erat vna duntaxat hebdomade geniales connubij dies peragere, at in Tobiæ nuptiis altera hebdomada ſuperaddita fuit apud Raguelem, ob eliminatum proſperè Dæmonem infenſiſſimum: ſic etiam reſtauratur Niniue nuptiale feſtum Tobianæ familiæ lætiſſimum, cui abfuerat; & vnà concelebrant felicem filij aduentum tot felicitatibus proſperatum, & oculos cæco mœſtiſſimè patri reſtitutos. Exinde conſtat ex graui aliquâ & rationabili cauſâ nuptialia feſta apud Hebræos geminato dierum numero protelari, aut reſtaurari. Hinc adſtrui poteſt quod ſuſpicatur Sãctius, nempè forſan Hebræis vſitatum, vt ſi procul in peregrino loco initum eſſet, & celebratum nuptiale fœdus, cùm ad ſponſi domum reducta eſſet noua nupta, inſtaurentur epulæ, & nuptialis plauſus.

Græci cod. Syrus. Iuſtin. ibi. *Cognati & amici veneunt Tobiæ gratulatum.* Arabs. *Ex graui aliquâ cauſâ inſtaurantur nuptiales epulæ.* Sanct. ibi. n. 14.

§. CCCLII.

In virtutis viâ curſum erubeſcat, quiſquis volare poteſt.

Properemus, ita demùm vita beneficium erit: alioqui mora eſt: & quidem turpis inter fœda verſantibus, ignaua non feſtinantibus: id agamus, vt noſtrum omne tempus ſit, dum properãter ad virtutem contendamus. Breui tempore longiſſima viâ, à vitiis ad virtutem, à morte ad immortalitatẽ, à terris ad cælum, nobis eundum eſt: ergo *properemus*. Generoſa res eſt, reſpicere non ſuas, ſed gratiæ vires: conari alta, tentare, & mente maiora concipere, quàm etiam ingenti animo adornatis, effici poſſint. Pudor eſt, ignauè rem ſummam agere. 1.

Senec. ep. 23. *Improbo vita longior, non eſt beneficium, ſed mora.*

Iſaiæ 6. ſupra humanum faſtigium, è cælo illuminatus, mentis aciem Propheta intendit, dum illi auguſtior Dei maieſtas apparet, cui empyrei regni proceres aſſiſtunt, quò de cæleſti politiâ erudiatur humana. Vidi, inquit, Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum: & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum. *Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Sublimis planè viſio, & quæ non tantùm oculos abſtruſâ myſteriorum notione inſtruit; ſed & voluntatem ad pias actiones adornat. Bene eſt, quòd Seraphini ſub humanâ formâ glorioſè apparẽtes, facies ſuas velent, (eſt receptior expoſitio) quò ſe beatâ diuinæ viſionis gloriâ vbertim exũdare, & penè obrui humanitùs ſignificent. Tunc duabus alis *volant*, tametſi *ſtant*, volaturiunt inquam: quia *ad omnia diuina obſequia promptiſſimè ferebantur*, vt ex communi interpretum ſententiâ obſeruat inibi Carthuſianus. Sed quid eſt, quod velent pedes ſuos? Pudetne Seraphinos habere pedes? Imò & talari veſte apparere ſolent induti: vnde pedes celare pennis non oportet. Quin etſi Cherubinorũ Pedes velandi erant, cecur alis velantur? Verùm enim verò cùm Seraphini amore Dei ardentius flagrent, & perfectorum virtutem adumbrent, conſultiſſimè velant pedes: nam vt 2.

Iſai. 6. v. 2. *Currendi bonum, Seraphini alati erubeſcunt, ad hominum exemplum.* Carthuſ. ib.

peracutè idem Carthusianus vidit: *Pedes suos itaque velant, id est, se ipsos à gressu prohibent.* Scilicet dum se vidēt senis alis prædítos, vt ad diuina obsequia promptissimè volent; pedes suos velant, vel pudore currendi, qui senis alati pennis possunt volare. Pudet Seraphinos, pedes habere ad gressum, qui tot pennis alati ocyssimè possunt volare. Alis ipsis pedes velando, *se ipsos à gressu prohibent*, vt alatos pudeat, vel pedes ad currendum habere. Ipsum suum currendi bonum moralissimè erubescunt, & pennis contegunt, quibus volare possunt; ne dum ad Dei obsequium apparent alati, non modò gradi, sed & pedibus currere se posse videantur. Consultissimè ergo quilibet Seraphinus, cui sex alæ ad volandum insunt, duabus velabat pedes suos, non vt consulat modestiæ, (vt quidam indoneè putarunt) sed vt Synagogæ & Ecclesiæ perfectionis ostendat ideam: quasi erubescat pedes habere, qui habet alas; & posse currere, qui tot alis volucer, volare potest ad Dei obsequia promptissimè exequēda. Loquimur more humano de Seraphinis, humanâ specie apparentibus. O pudor! necdum per virtutis viam, ad Deum gradimur, qui volare possumus, & debemus: ô, si ex hac Isaiæ visione volare non discimus, saltem humani corporis verecūdiam de Seraphinorum exemplo discamus, & pudeat, adhuc offensando non gradi, qui tot pennis alatus potest ocyssimè peruolare.

Carthus. ad eum locum.

3. Cæterùm idem Propheta, qui Seraphinos pennis alatos, pedes suos velare denarrauit, quasi quodam pudore currendi, cùm possent volare; ita fatur cap. 40. de perfectis hominibus, virtutis calcare ad Deum maturè festinantibus: Deus dat lasso virtutem: & his, qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat. Deficient pueri, & laborabunt, & iuuenes infirmitate cadent. *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Nimirùm, qui vitæ suæ probitate, & Dei bonitate confisi spem suam in Deo collocant, *mutabunt fortitudinem. Vt sint fortes in Deo, fient debiles mundo*, vt ait inibi Strabus (de quo aliàs.) Hi namque *mutabunt* fortitudinem, idest, *integrabunt*, vt in Hebræâ origine scribitur. Verùm enim verò quis nō videat, eloquentissimum Prophetam non satis metaphoræ insistere? ait enim statim: *Assument pennas sicut aquila, current & non laborabunt.* Si alas assumunt, *quibus volent ad Deum* (vt vidit inibi Anselmus) cur *ambulare*, & *currere* dicuntur? Pedibus ambulatur, & curritur, ad ambulandum seu currendum, alarum remigium prorsus vacat; quod non ad gradiendum, sed ad volandum opportunè datur. Quorsum *ad ambulandum, seu currendum* volucres assumunt alas? An non alatum pudeat ambulare, aut currere? Paraphrastes Chaldæus huic difficultati tacitè respōdet, sic locū exscribens, & compendiosa ecphrasi exponens: *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem: super alas aquilarum current.* Scilicet vir perfectus sic velociter pedibus suis ad Deum properat, vt eius cursus volatum de celeritate æmuletur. Curret quidem pedibus; sed adeò velociter, vt alas habere videatur ad volatum, potiùs quàm pedes ad cursum. Quasi dicat: Pedibus non tam curret, quàm volabit, ad aliarum inuidiam. Porrò nulla laus foret, alatum currere; cursu enim tardus est, qui pennis instructus, volare potest. Hæc, inquam, eximiè instorum eximia laus est, vt pedibus duntaxat præditi, *super alas aquilarum currant.* Pudet Seraphinos sub humanâ specie apparentes, senis alis agillimos; pedes habere, quibus vel currere possunt, cùm tot alis instructi, possunt ocyssimè volare; cùm videant varios homines, non apperenti, sed verâ corporis mole graues, sic in via veloces, vt pedum cursu, alarum volatum exæquent, quasi pedibus ad Dei obsequia volarent? *Qui sperant in Domino, mutabunt; integrabunt fortitudinem: super alas aquilarum current*, & virtutis spatia veloces percurrent. O Xauerij pedes qui aquilarum alas velocitate præcurrunt, ad volucrum inuidiam! Pedes contegant alati Seraphini specie humanâ apparentes, pudore currendi ad vtriusque orbis illuminationem, glorientur Xauerij pedes, tot leucarum millia annunciando Euangelio metientes, *super alas aquilarum cucurrisse.* Alati currere erubescunt: currentes velut alati volant. De nostro Xauerio dicere liceat, quod suo Basilio dixit Nazianzenus: *Sed quid ista sunt præ illius dicendi facultate, palmaque doctrinæ, quâ extremas orbis partes inter se conciliauit?* Supergressus est Tobiam, qui vbi primum ei per Regem licuit *quocumque vellet ire*, tot vrbes longissimè dissitas, vt *monita salutis* suis daret, & largas eleemosynas benefice impertiret, ocyssimè peragrabat alato cursu, beneficentiæ æmulo. Vide hîc Angelum Tobiæ comitem, qui cunctationem erubescens, quàm maximis itineribus reliquæ familiæ moralissimè præcurrit.

Fiat debilis mundo, qui fortis in Deo esse ambit.

Isa. 40. v. 31.

Strab. ibi.

Anselmus Laud. ibi. Viri perfecti currendo volant.

Chaldæus.

Xauerij velocitas in Euangelij euulgatione.

Naz. orat. pro Basil. Tob. 1. v. 15. Hic vers. 11. &c.

4. Iob 39. *Penna struthionis similis est pennis Herodij, & accipitris.* Et post pauca: *Cum tempus fuerit, in altum alas erigit: deridet equum & ascensorem eius.* Quorsum tam specialis fit pennarum mentio, cùm struthio non volet, sed currat? Et quod mirere magis, auis imprimis barbara & agrestis, à S. Hieronymo Ecclesiæ comparatur. Audiendus est Princeps naturalis historiæ sic ad rem de struthione, struthiocamelo fatus: *Sequitur natura auium, quarum grandissima, & penè bestiarum generis struthiocameli Africi, altitudinem equitis insidentis equo excedunt, celeritatem vincunt: ad hoc demum datis pennis, vt currentem adiuuent: ceterò non sunt volucres, nec à terrâ tolluntur.* Scilicet agrestior & barbarior volucris, *à pennis* meritò laudatur, & Ecclesiæ similis perhibetur, quia equitis insidentis equo celeritatem vincit: *ad hoc demum datis pennis, vt currentem adiuuent: ceterò non sunt volucres*: ô! pennis ad cursum homo indiget: *Assument pennas vt aquila, current*, &c. Quid accommodatius?

Iob. 39. v. 13. & 18.

Hieron ibi. Plin. lib. 10. cap. 1.

Velocissima struthio pennis adiuuatur ad cursum.

5. Lucæ 1. Præcursoris tempestiuus præcursor adest Angelus, & Zachariæ optatissimam ex vxore Elizabethâ spondet sobolem, in eâ ætate quæ partum negabat. Stupet Zacharias inopinatum nuncium, & Euāgelij nomine loquelam præbuit Angelo, Ioannis natiuitatem faustè adnuncianti; qui sic Zachariam alloquitur: *Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum: & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare.* Hinc litigium inter Commētatores, quomodo dum Angelus in cælis Deo adstat, ad terras mitti, & missionis concredita sibi negotia peragere possit? Estò alatus pingitur, quia quamocyssimè negotium peragit, & ad Deum subuolat, quo autem pacto se *adstare ante Deum*, tunc dicit? Aut non *adstat ante Deum* in cælis, qui ad terras volat, etsi confestim ad cælos reuolet: aut non volat missionem in terris peragens, qui adhuc *adstat ante Deum.* Percommodè

Luc. 1. v. 19.

Angelus dum Deo adstat, intra ipsum ocyssimè currit.

Greg. hom. 34. in Euang. sanctus Gregorius ad præscripta verba: *Ego sum Gabriel qui asto ante Deū, & missus sum loqui ad te*, ita subtiliùs scribit: *Angeli itaque etiam missi, ante ipsum sunt, quia quomodolibet missi veniant, intra ipsum currunt.* Nempe Gabriel adstat, & mittitur; & ad terras missus, adhuc Deo adstat; non pigrà sui statione, sed celeri intra Deum cursu: quasi etiam dum stat, quodam stationis velut pudore, adhuc intra ipsum currat. Sicut Seraphini illi apud Isaiam, & stare Deo dicuntur, & duabus alis volare: quia etiam dum adstant Deo, non otiosè illi adsunt, sed stando intra ipsum volant. Sic Gabriel dum *adstat ante Deum, quomodolibet missus veniat, intra ipsum currit.* Quia in Dei obsequio incessum erubescit, quisquis currere aut volare potest: ô, hinc pigritia extimuletur!

---

§. CCCLVIII.

Comitatis sacramento fit, vt honor, quem Vrbanitas aliis impendit, sic ad honoratos transeat, vt in honorante adhuc maneat, exit, & tecum est.

1. HOmo de se exgrex non est; sed humanè congrex, affabilis, socialis, nil tamen ei æquè arduum ac humana societas, quâ hominū conuictor inter homines versatur. Plures quippe deprehendes morosos, inamœnos, duros, nullis nisi sibi ignoscentes, omnia sibi spondentes, fastu turgentes, faciles, vt in fidem, ita & in iram improuidos, futurorum ignaros, præteritorum immemores, præsentium amantes, nusquam certò figentes cogitationem, amicitiarum æquè ac inimicitiarum prodigos, nunquam eosdem, semper alios, pro varietate affectuum, quos non ratio, sed euentus ducat. His, & aliis huiusce- *Honor proprius submissâ comitate, non patitur detrimentū.* modi conuictorum vitiis declinandis, multa tradunt politiæ Antistites; ego quidem putauerim comitati auerti, si non ex toto, magnâ saltem ex parte. Ausim quippe dicere, comitatem esse, magnum humanæ conuersationis sacramentum: quantumuis enim agrestis natura, vrbanitate alienâ mitigatur ad conuictum, & difficile ingenium interim deponit, & de vrbanitatis scholâ ad humanitatem eruditur. Sed videmus quosdam à comitatis obsequio arceri, non tam genij imbonitate, quàm vanæ gloriæ fomite, & arrogantiæ instinctu, quasi honori suo derogent, quod aliis vrbano obsequio cumulatiùs impenderint; noluntque proprio dedecore (vt vocant) humanæ cōuersationis felicitatem mercari, nec sui gradus commercio pacem nundinari. His persuasum esse velim, vrbanitatis obsequio, & aliquâ comitatis submissione, proprium honorem nullatenùs pati detrimentum, sed sine illius iniuriâ, obsequij ingenio in alios reciprocari. Saluâ honoris præ- Hic vers. 1. rogatiuâ, his vanæ gloriæ nugis comitas cedit, absque vllâ honoris iacturâ. Quod in Azaria videre licet, qui ad cælestem vrbanitatem nos prouocat: & hic in iuniore Tobia, qui suum mercenarium fratrem appellans, frater Angeli sublimissimè nominatur.

2. Marci 16. Redemptione peractâ, & Apostolorum collegio Euangelij dogmatibus, & Ecclesiæ ritibus erudito, Christus Deus terræ eousque nobis inquilinus, generosus Tartarorum triumphator, in cælos gloriosus remeat. *Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei.* Magnum Marci 16. v. 19. hinc opinionum diuortium inter vtriusque eruditionis Summates, in dextrum latus sinistro antistet in prærogatiuâ honoris? Rudibus illi batuant, dum ad decretoria cum Hæreticis venimus. Et sanè Euangelistæ Propheta retrò consonat, sic pangens: *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis.* Psalm. 109. v. 1. Hinc non æqui cælestium dimensores, argutiarum temeritate diuinitatem fatigare attentant, & personarum etiam gradu inæqualitatem argutantur. Scilicet si Pater Deus dat Filio dexteram, maior est; quippe qui dat, potior est accipiente: nam qui accipit, indigus acceptione probatur; accipit enim ab alio aliquod quo caret elogium. *Pater dans Filio dexteram, dextera honorem non amittit.* Sed esto Pater Deus sine maioritate donet, & Filius absque dedecore accipiat; saltem Filius præstantiori sedet loco, quàm Pater: nam si filius sedet à dextris, vt à sinistris consistat Pater necesse est: ergo Filius in dignitatis prærogatiuâ Patrem superat; siquidem gradu, idest, sedis seu loci præstantiâ Patri antistat. His argutiis diuinitatem inquietare Infidelitas nititur hæretico priuilegio. Verùm Ambrosius quâ pollebat ingenij subtilitate, sic argumenta Hæreticorum feliciter extricat: Attolle, Ambr. lib. 2. de Fide cap. 3. inquit, oculos, intuere qui sedeat, cum quo sedeat, vbi sedeat. Sedet Christus ad dexteram Patris. Aut oculis hoc non potes comprehendere, audi dicentem Prophetam: Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam. *Sedet ergo ad dexteram Patris Filius. Dic nunc qui de secularibus arbitraris æstimanda diuina, num tibi videatur inferior, qui ad dexteram sedet? Num iniuriam Patris, qui ad sinistram sedet? Pater honorat, & tu iniuriam putas*? Bellissimè quidem Ambrosius. Nempe Pater Deus dicit triumphatori Filio, vt ad dexteram eius sedeat: ne ergo putes Patrem sinistrâ dehonestari: nam dexteram, quam honoris causâ vrbanissimè donat, donando non amittit, quod est comitatis humanæ sacramentum. *Pater honorat, & tu iniuriam putas?* O insanè agrestem hominum existimationem! Dic nunc ô Hæretice qui de secularibus arbitraris æstimanda diuina, & dexteram sinistrâ illustriorem censeri; adeò es inter homines humanæ comitatis expers, vt nescias, quòd qui alium honorat, id sine honoris iactura præstat? *Pater honorat & tu iniuriam putas.* Vide arcanum comitatis mysterium. Aut Pater suâ dexterâ honorans Filium, vel non sedet à sinistris, etsi Filius à dextris sedeat: vel dum honoris causâ dexteram ipse donat Filio, absque honoris id præstat detrimento. Quid luculentiùs?

Paulus Gentium doctor in epist. ad Romanos 3. cap. 13. peritum se Fidelium pædagogum exhibet, vrbanâ ciuilitate Christianos erudiens: neque enim Christiani virtus vrbanitati renunciauit. Reddite, ait omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: *cui honorem, honorem.* Vrbanis reuerentiæ notis alios præoccupantes: (*honore inuicem præuenientes.*) Pergit Apostolus, & consectariè addit: *Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.* *Quare vrbanitatis honorem semper aliis debere expediat.* ad Roman. 13. v. 8. Hanc perdifficilem Pauli sententiam valde intepretes vexant, dum innumeris expositionibus onerant, quas vix locus sustinere potest. Et sanè ænigmati non absimile est, quòd cùm

cùm Paullus hortetur, ne quis quid cuique debeat; ſubdat ſtatim dilectionem nos alteri debere, incongruum non eſſe. Sic apud Paullum lectio vileſcit, tam exiguus amoris cenſus eſt, vt redamationem non reciprocare integrum cuique ſit? Verùm S. Clemens Romanus attentiùs explorans Pauli contextum, ex præcedentibus Apoſtoli verbis, poſteriorum ſenſum elucidat. Dixerat Paullus præcedenti verſiculo: Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: *cui honorem, honorem.* idest, ciuilem reuerentiam, honore inuicem præuenientes: vnde ſubdit: *Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis.* Quaſi dicat, ait Clemens Romanus: *Dei eſt præceptio, nemini quicquam debere, niſi amicitiæ ſignum.* Ecce vrbanum amicitiæ ſignum, etiam qui illud prior exhibet, & in huiuſmodi ciuilitate alium occupat, adhuc exhibiti honoris debitor eſt. Rem mediusfidiùs Chryſoſtomus tetigit, & thema præſens luculenter adornat: *Prouerbium eſt*, inquit, *qui honorat, ſe ipſum honorat.* Quid prouerbium ex Ariſtotele Chryſoſtomus didicit, qui 1. Ethicorum ait: *Honor maior eſt in honorante, quàm in honorato.* Ecce tibi cur Paulus ſuadeat, vt ſemper vrbanum amicitiæ ſignum quiſque alteri debeat: nam cùm de comitatis obſequio, plus honoris in ſe reciprocet, quàm aliis ciuilitate impendit; exinde fit, vt comiter honorans, plus honoris debeat honorato, quò magis illum vrbanitate colit; maioremque honorem ad ſe reuerberet, quàm honorato exhibuerit. Ergo belliſſimè dixit Paullus, interprete Clemente: *Nemini quicquam debeatis, niſi amicitiæ ſignum*: ſiquidem quò maius & frequentius amicitiæ ſignum aliis exhibemus, eò eiuſmodi ciuilitas maiorem in nos honorē, vrbanitatis ſacramento reciprocat. Nā *prouerbiū eſt: Qui honorat, ſe ipſum honorat.* Quod peritè his verbis docet Plutarchus in Politicis ad Traianum: *Stulti ſanè, qui intelligere nequeunt, honorare quàm honorari quid præſtet; cum ſæpenumerò glorioſius, & honorificētius ſit.*

Clemens 4. Cōſt. Apoſt. cap. 13. — *Chryſoſt. in Acta, hom. 24. Ariſt. 1. Ethic.* — *Plutar. in Politic.*

4. Lucæ 10. deſignat Chriſtus Deus duos ſupra ſeptuaginta Diſcipulos, quos mittens prædicare Euangelium, his verbis inſtituit: Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta, & *neminem per viam ſalutaueritis.* Profectò Chriſtiana virtus nō renūciauit politiæ, neque inciuilis eſt, & ruſticana. Agreſteſne mores euāgelicis Prædicatoribus afflat? Putauerim, quòd inurbanitas euangelicum deuenuſtabit concionatorem, magno doctrinæ diſpendio. Quin & obuium reciprocæ humanitatis commercium vetari nō debuit. *Non ergò*, inquit Ambroſius, *hic Dominus prohibuit, quòd beneuolentiæ diſpliceret officium, ſed quod perſequendæ deuotionis intentio plus placeret.* Pulchra eſt ſalutatio ad beneuolentiæ commercium, ſed eò pulchrior, quò præceptorum maturior executio diuinorum, quæ per moram ſæpè trahit offenſam, per eam non negligitur. Imò vrbanæ ſalutationis honorarium commercium magis his verbis commendatur; inde commendationem trahens, vnde deuenuſtari poſſe videbatur. Nam vt doctè noſter Cardinalis Toletus obſeruauit, hoc Chriſti edictum, *Neminem per viam ſalutaueritis*, quo Prædicatorum ciuilis ſalutatio diſertè prohibere videtur, eam non vetat, ſed per hyperbolen intelligendum eſt, ne euāgelicus Prædicator honorario ciuilitatis ſacramento defraudetur. Audiēdus eſt hac ſuper re S. Gregorius Nazianzenus adductus à S. Thoma ad præfata verba, *Neminem per viam ſalutaueritis*, quibus etiam verbis ciuilis Prædicatoribus euāgelicis ſalutatio non prohibetur: *Mandauit etiā hoc eis Dominus ad verbi gloriam, ne videretur in eis vigere magis poſſe blanditias.* Ecce tibi ad euāgelicæ prædicationis *gloriam*, etiam dum pro vrgenti caſu vetari videbatur honoraria ſalutationis comitas, honoris tamen cauſā permittitur. Porrò tanta eſt gloria quæ dum quis alium ciuiliter ſalutat, & vrbanè colit, reuerberatur ad ſalutantem, vt ad euāgelici Prædicatoris, & prædicati verbi *gloriam*, etiam dum alius operis maturandi intentio vrget, conſultiſſimè à Chriſto permittatur. *Mandauit etiam hoc Dominus ad verbi gloriam.* Id eſt, etiam dum mandare videtur, ne fiat, *ad verbi gloriam* fieri permittit: ne euangelici Prædicatoris officium vrbanitatis ſacramēto defraudetur: ſed de comitatis blanditiis venuſtetur honoris auctario. Quid tam honorarium, quam quod verbis vetari videtur, *ad verbi gloriam* permitti?

Lucæ 10. v. 4. — *Ambr. lib. 7. in Lucam ad ea verba.* — *Vrbana ſalutatio euangelico Prædicatori permittitur, ad verbi gloriam.* — *Toletus in Commentario.* — *Nazian. apud Caten. S. Th. ibi.*

§. CCCLIX.

Cælites patientiæ exortes, quàm anguſtè humanos labores æſtiment, exaggeratiùs publicatur.

1. PHilo Iudæus præſtanti vir ingenio, & venuſto eloquio opinatiſſimus, dum ſummum Deum mundialis opificij molitorem hominibus perſuadere nititur, hæc eleganter permittit, quæ admonere operæ pretium fuit. *Quidam enim*, inquit, *mundum magis admirati quam eius conditorem, hunc quidem non factum æternumque aſſeuerant: Deum verò in alto otio degere mentiuntur impij: cùm debuiſſent contra, huius vt conditoris, ac parentis admirari potentiam.* Nimirum, inertes impij homines, & ingratè deſides, iners otium Deo impingunt, vt ſuum vindicent à deſidiæ probro: & malè acuto ingratitudinis ingenio, eum qui operando non laborat, vel deſidē otiari mentiuntur, quaſi non tam rei factæ præſtantia, quàm eidem faciendæ impenſus labor, ſit operantis cenſus, & æſtimationis menſura. Sic vel neſcienter inuiti, labori, quem otiando fugiunt, videnter blandiri; dum auctoris præſtantiam ex labore operibus impenſo, mentiuntur: nilque putant magnum, quod labore non ſtat, ac ſi conditoris dignitas de labore operis præſtantiam mutuetur. Otia affigunt Deo, quibus ſua excuſant: laborem Deo negant, ne illum labere deuenuſtent. Sed agè iam, videamus ſalteni quam Deus labores æſtimet, quorum vel vmbram in ſe moraliſſimè repræſentat.

Philo in lib. de Mundi opif. — *Deum in alto otio degere, cur mentiuntur Philoſophi.*

2. Geneſeos 2. hoc breui epilogo ſtrinxit Moyſes illuſtre totius mundi opificium. *Igitur perfecti ſunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum. Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat, & requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat.* Benè pluraliter cælos poſuit, ſiue illud cælum ſpiritale quod non videmus, per quod Angeli ſignificantur, ſiue hoc corporeum, & humanis oculis aſpectabile, quod firmamentum appellamus. Ornatus autem ſpiritalis cæli, Angeli ſunt, empyrei regni proceres: huius corporei cæli ornatus, Sol, & Luna, reliquaque fixa ſidera

Geneſ. 2. v. 1.

sidera, & planetæ errantes. Ornatus verò terræ, maria altè stagnantia, erecta montium dorsa, subductæ vallium planicies, densa camporum opaca, fugitiuus amnium lapsus, fontium indefessæ iugitates, floridæ pratorum gemmæ, edules frugum varietates, condensæ arborum vmbræ, sparsa seminum genera, diuersitates animalium, specie atque genere inuicem differentium. Magnum plenè opus, & quod Deum opificem egregiè prædicat & altè buccinat. Sed quid est, quod Deus, qui velut otioso omnipotentis suæ voluntatis nutu, cuncta patrauit ac si sex diebus creatione impensis obnixè laboraret, die septima, in qua ab operando cessauit, *requiescere* dicitur? Num Deus is est, qui operando laboret? Tantone conatu Deus incumbit in opus, vt post sex dierum opificium, *quiescere* perhibeatur? Hæc Dei requies valdè commentatores fatigat. Adeò vt S. Augustinus, qui in ea fuit sententia, vt existimaret, Deum non septem diebus, sed vno duntaxat septies repetito, hæc omnia peregisse, ita subtiliter hac super re scribat: *In septimo die, id est, in eodem die septies repetito, qui numerus etiam ipse alia ratione perfectus est, Dei requies commendatur.* Quasi idem repetitus dies opificio sextidui impensus sit, in quo *requiescat* Deus; nec tam dum cessat ab opere, quàm cùm ad opus sollerter incumbit, tunc *quiescere* dicatur. Acuta quidem sententia, & quæ Deum labore eximit, dum operando *requiescere* dicitur. Ast Deus non in opere, sed *ab opere requiescere* denarratur. Vnde S. Prosper sic vendicat Deum ab operis labore quem *requies* innuere videtur: *non est autem*, inquit, *fas credere, aliter affici Deum cùm vacat, aliter cùm operatur; quia nec affici dicendus est, tanquam in eius naturâ fiat aliquid, quod ante non fuerit. Patitur quippe qui afficitur, & mutabile est omne quod patitur. Non ergo in Deo aut pigra vacatio, aut laboriosa cogitetur industria, quia nouit & quiescens agere, & agens quiescere.* Eleganter sanè. Verùm cum Moyses apertè dicat, quod Deus *requieuit*, nimis seuere videtur vetare Prosper, ne *in Deo laboriosa cogitetur industria*; etsi laborem in Deo *credere* sapienter prohibeat. Porrò hanc cogitationem Moysis verba ingerũt. Fateor cum Iunilio, putandum de Deo non esse, quòd *quasi lassus ex nimio labore die septimo ab vniuerso opere suo, instar humanæ fragilitatis, completâ Mundi fabrica requieuit.* Sed negandũ non est, quòd verbum *requieuit*, saltem aliquam speciem laboris, etsi laboris expertem, humanæ cogitationi ingeneret. Non laborat reapse Deus, non lassatur diu multumque operando: at *requiei* nomine, non laborem, sed laboris vocabulum insinuat, vt homines operis auctorem dignè æstiment; & vt Deus ipse quàm magna faciat, vel laboris speciem, aut laboris vocabulum ostendat. Nil tam illustre in rerum natura, quàm prælustre mundi opificium, quod licèt Deus quâ pollet omnipotenti virtute, voluntate perfecerit, & nutu velut otiando absoluerit: tamen ex data occasione sextidui operis, *requiei* nomine, laboris speciem quodammodò insinuat, dum vocabulum repræsentat. O homo, quid labores excutis & detrectas, quos sic adpretiat Deus, vt prælustre mundialis fabricæ opus, vel vocabulo insinuati laboris nobilitare velit? Vile erit homini, quod tam gloriosum Deo reputetur: Cælum vel laboris vocabulum quodammodò exambit, & terrula illo grauatè premitur, & reiicere conatur: præcelsum mundialis opificij opus, vel insinuato laboris vocabulo gloriatur, & sic homo labores depretiet, labores excutiat, & declinasse labores glorietur. Si inuidentia in superis foret, & cælestia ab inuidia tangerentur, puto humanis laboribus inuidissent. Sic est piè superba laus, laboris patienter tolerati.

Deus cùm operatur, requiescere dicitur.

August. lib. 10. de Ciuit. c. 31.

S. Prosper in Sentent.

3.

Deus requiescere dicitur, quasi priùs laborasset, quò labores honoret.

Iunilius in Catena. ad hunc locum.

4. Matthæi 28. dum primo mane venit Maria Magdalene cum altera Maria videre sepulchrum: ecce terræ motus factus est magnus. *Angelus enim Domini descendit de cælo: & accidens reuoluit lapidem, & sedebat super eum.* Non dixit, *Voluit*, sed *Reuoluit* lapidem, aduolutus probauit mortem, & reuolutus extitit resurrectionis assertor. Beatus lapis qui Christum & reuelare meruit & velare: Beatus qui non minus corda aperit, quàm sepulchrum: Beatus qui dat resurrectionis fidem, fideique resurrectionem, qui diuinam carnem resurrexisse testatur. Mutatur hic ordo rerum: mortem non mortuum deuorat hic sepulchrum: domus mortis mansio fit vitalis, vteri noua forma mortuum concipit, parit viuum. Sed esto, ad præsentiam Angeli insolito motu terra funditùs concutiatur, & prægrandẽ sepulchri lapidem Angelus reuoluat; quid est quod supra eundem lapidem Angelus *sedet*? Fortè Angelus è longo itinere, à cælo in terram vsque fatigatus requiescit: seu in pergraui terræ mole concutienda nimis laborauit; siue in ponderoso sepulchralis lapidis saxo remouendo, virium robore validiùs impenso, valde æstuauit: & ideo fatigatus sedet, & sessione tantisper requiescit. Pulchrè id adnotauit Chrysologus ad thema præsens opportunus, in illa verba: *Et accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum: Et Angelo quæ caussa sedendi erat, cui nulla inerat lassitudo.* Et infrà rem explicatiùs tradit, aiens *Sedebat ad docendam resurrectionem, non ad lassitudinem sublenandam. Cælestis natura ignorat lassitudinem, nescit laborem: sed factus est lapis vas Angelicæ sessionis, doctrinæ cælestis cathedra.* Nempe tametsi exploratum sit, quòd Angelica natura ignorat humanum laborem, lassitudinem nescit; tamen post validum adnixum ad saxeam reuoluendam molem, quasi nimis laborasset tanquam lassus sedet, vt velut è cælesti cathedrâ homines doceat, gloriosam Christi resurrectionem, Passionis labores secutam: & quàm magni in cælo humani labores æstimentur: siquidem dum ipse è cælo laboris exorte, peregrinatur in terrâ, laborum feracissima, etiam dum venit ad lætam dominicæ Resurrectionis gloriam prædicandam, & cùm in reuoluto sepulchri lapide velut lassus *sedet*, saltem speciem præuij laboris humaniùs repræsentat: & quia humanum corpus apparenter assumit, speciem quoque laboris exambit, quasi gloriosum missionis ad terras stipendium. Vnde licèt *Cælestis natura ignorat lassitudinem, nescit laborem, factus est lapis vas Angelicæ sessionis, doctrinæ cælestis cathedra*: è quâ simul cum dominicâ Resurrectione, quanti labores humani à cælitibus æstimentur, præclarè docet. O discamus ex Angeli magistri sepulchrali cathedrâ, hanc salutarem doctrinam, & mortalibus pernecessariam! nec auidè obtrectemus in terris, quod tam augustè adpretiatur in cælis. Hinc Deus amicissimos Tobiam & Iobum, tot beatis calamitatibus grauè onerat, siue præcelsè honorat: vt testatum maneat, quàm magni labores æstimet, quos sic vilipẽdunt mortales. Legatur hic gloriosus Angeli sensus, quo Tobiæ

Matth. 28. v. 2.

In sepulchrali lapide sedet Angelus, vt lassitudinis & laboris speciẽ repræsentet.

Chrysol. ser. 74. & 75.

Hic vers. 1.

Tobiæ ærumnas magnificè ducit.

5. Geneseos 22. pius carnifex Abraham gladiũ animosè stringit, vt suum Isaacum audacter iugulet. Patris erat, quòd obsequenter gladium leuauit; Dei erat, quòd indulgenter pepercit: Extẽdit, ait, manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum. Et ecce Angelus Domini de cælo clamauit, dicens: *Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quicquam.* Verùm si Isaacus fuit Christi Dei typus, & Pater Deus proprio filio suo non pepercit; cui Isaaco parcitum est? Putauerit aliquis, quòd antitypus typo ad amussim non congruit. Verùm defuit figuræ immolationis complementum, ne Christum figuratum anteuertat in elogio patiendi. Audiendus est Clemens Alexandrinus: *Solummodò antẽ iure Isaac non passus est, qui primas passionis partes Verbo cesserit.* Inuidia cælites non sollicitat, Deum non tangit. At nisi inuidiæ non forent exortes, hominum passionibus maximè inuiderent. Sic est generose angustũ, pro Deo atrociter aduersa æquanimiter tolerare! Nec mirum, nam vt egregiè dixit Nazianzenus: *Christus quoque afflictionis societate honorabitur.*

Gen. 22. v. 12. *Isaac immolatus non est, vt primas passionis partes Christo cederet.*

Clem. 1. Pædag. c. 5.

Naz. orat. 27.

---

§. CCCLX.

Quisquis supra se esse ambit, infrà se esse cœpit, arrogantia negotiatione peruersâ.

1. FAstigium infinitati confine est de ruinæ proximæ minis, *Eleuati sunt ad modicum, & non subsistent,* inquit Iob. Nonnulli ex Hebræo actiuè legunt: *Eleuauerunt se.* insolescendi & superbiendi studium significatur: quamuis enim honor illis non deferatur, illi tamen honores anhelè ambiunt, & arroganter vsurpant, festinatâ fastig. ambitione. Addit, *ad modicum,* id est, tantillũ durans. Igitur breuissimam illam exaltationem, quis meritò non despiciat, cuius deturbatio & ruina sublimitati proximè vicinatur? Et subiungit, *Nõ subsistent,* pro quo verbo aliqui ex Hebræo interpretes transcribunt, *Nulli erunt,* vel, *Et non ipse.* Sic superborum celsitudo crescendo minoratur, dum ascendendo cadit! Quod tempestiuè S. Gregorius docet, ita præscriptam Iobi sententiam commentatus: *Eleuati sunt ad modicum, & non subsistent.* (sic ille) *Hanc primam ruinam tolerant, quia per priuatam gloriam in semetipsis cadunt. Hinc enim per Psalmistam dicitur: Deiecisti eos, dum alleuarentur: quia eò intrinsecus corruunt, quò magis extrinsecus surgunt.* Arbitrium cadendi, eleuatio est; quò enim sublimiùs ascendunt, infimiùs & profundiùs cadunt: Omnis superbia, tumor, non magnitudo est: & dignitatum ambitio, abiectionis operosa negotiatio est. *Si ambitioni te tradideris* (ait Philo) *magnum malum licet suaue tu te pi..* *Suaue* est sumptuosis spebus: sed *magnum malum* est sublime præcipitium.

Iob. 24. v. 24.

Superbi quò extrinsecus surgunt, eò magis intrinsecus corruunt.

Greg. lib. 17. Moral. c. 5.

Ps. 72. v. 18.

Philo lib. *Quod Deus sit immutab.*

2. Matthæi 13. solers ille Paterfamilias bonum in prædio suo semen sparsit. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & clanculum superseminauit zizania in medio tritici. Cùm autem apparuissent zizania, accedẽtes serui eius, dixerunt ei: Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? vnde ergo habet zizania? Et ait illis: *Inimicus homo hoc fecit.* Multa in hoc loco aggerunt interpretes vt exponant, quis fuerit hic *inimicus homo.* Hieronymus secutus alios, & quem alij sequuntur, seriò censet, quòd hic inimicus homo, Diabolus sit; & subtilem rationem reddit, cur Diabolus appelletur, *inimicus homo,* sic inibi fatus: *Diabolus propterea inimicus homo appellatur, quia Deus esse desiit: & in nouo psalmo scriptum est: Exurge Domine, non confortetur homo.* Scilicet Diabolus dicitur inimicus *homo*; quia cum vltra Angelicum fastigium diuinitatẽ ambierit, infra suum statum sic deiectus est, vt quasi foret Angelicæ naturæ exgrex, inter homines abiectè computatur. Præsumpsit elatus in cælum conscendere, & super Dei astra solium exaltare suum, arroganti sublimitatis ambitu; ergo quasi Angelicam naturam ambitione diffiteretur, non iam malus Angelus, aut Dæmon, sed *inimicus homo* nominatur. ac si propriam perfectionem diffiteatur, qui supra eam sublimari affectat. Angelus qui diuinitatis ambitu insolescit, quasi de suæ naturæ gradu ad inferiorem deiiceretur, non iam inter spiritus, etsi reprobos, sed inter homines recensetur; naturam retinens, naturæ nomen hîc amittit, quò moralissimè innotescat, quòd Angelus, qui esse Deum affectauit, quasi de statu suo altè ceciderit, inter inferioris naturæ homines, arrogantiæ merito recensetur. *Diabolus propterea inimicus homo appellatur, qui Deus esse desiit.* Altè quidem Hieronymus! Aubi forsan enucleabitur, quare dicat Hieronymus, quòd Diabolus, quia diuinitatem voto irrito ambierit, *Deus esse desiit.* Sic certò putat ambitio obtinere quod præsumit. Sat esto peritis intendisse digitum ad Hieronymi acumen plenum moralitatis, & ingenij plenum.

Matth. 13. v. 28.

Hier. inibi.

Ps. 9. v. 20.

Angelus quia diuinitatem ambiuit, homo dicitur.

Qui non adipiscitur quod ambit, illud perdidisse putat.

3. Matthæi 4. tentationum præses Diabolus, inauspicatò Christum adoritur. nec semel victus animo cadit, sed de gulæ incentiuo repulsus, ad ambitionis blandimentum aufugit. *Tunc assumpsit eum Diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum supra pinnaculum templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te,* &c. Benè est, si præcipitare percupit, deducat eum in locum sublimissimum: nam fastigium ruinam sublimis minitatur; & ascendendi ambitio, cadendi negotiatio est. Sed quare Christũ in vertice fastigij assumptum, ipse præcipitare nõ tẽtat temerario impulsu. Sic est certus de casu, vt deses ad impulsũ pigrescat. Quẽ idcircò in altum subuexit, vt ex alto præcipitet; non quasi audax præcipitator, sed quasi piger spectator adest. Apposite Chrysologus: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Satis hominem probare vult, cui non ascensum prouidit, sed ruinam: humana conditio ad ascensum difficilis, facilis inuenitur ad lapsum. Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Erras Diabole, nec tentare nosti: cadere non potest Deus.* Nimiùm malus Dæmon tentationum præses, & tentandi peritissimus, benè sciens, quòd humana conditio difficilis est ad ascẽsum, & facilis ad lapsum; toto virium impetu ad ascensum compingitur; & inde lapsum, propè negligit, quasi fastigium lapsui confine sit, & ruinæ vicinetur sublimitas. Itaque cùm ascensum prouidit, ruinâ parat; & dum euehit ad fastigium, casum dissimulanter procurat. *Satis hominem probare vult, cui non ascensum prouidit, sed ruinam: humana conditio ad ascensum difficilis facilis inuenitur ad lapsum*

Matth. 4. v. 5. & 6.

Damò Christo dum ascensum prouidet, ruinam parare putat.

Chrysolog. serm. 12.

lapsum. Sed erras Diabole, erras; nec quem suspicaris Deum, & hominem vides, tentare nosti: nam *cadere non potest Deus.* Homini enim fastigium ruinæ procliue & confine est, de præcipitij viciniâ. Deus autē, qui nō de ambulationis arbitrio, sed de naturæ præstantiâ, sublimis est, & excellius, fastigium occupat, in summo vertice esse potest, inde prolabi non potest: *cadere non potest Deus* Et opportunè ait ipse Chrysologus sermone sequenti: *Mitte te deorsùm. Sic suis suadet, sic suis prouidet semper: sic suos eleuat vt de alto præcipites validiùs ruinam.*

Chrysol. ser. 13.

4. Geneseos 3. malesuado serpentis sibilo diuinitatem spondenti, humani generis Protoparentes, se, & totam posteritatem credunt. Illuditur vanissimis diuinioris scientiæ spebus; sed confestim à Deo scelerum vindice, & morū pædagogo egregiè vapulat vana gloria, & infans Protoplastes arrogantia. Itaque paradiseis delicijs innutritus, in elationis vetanæ mulctam, pellitur orbi & metallo datur. Et Deus irridens nouos Deos, quos nuper in superbiæ officinâ ambitio finxit ridiculariâ diuinitate, non sine sarcasmo, ait: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.* Quasi dicat. Stultescis Adam, stultescis, qui eò arrogantiæ venisti, vt præsumeres interdictæ arbusculæ esu fore vt derepentè Deus euaderes: nam plenè desipit quisquis ambitionis scalis ad veram sublimitatem ascendere tentat. Dum ambis diuinitatem, & vltra humanum fastigium esse præsumis, possessis iam bonis imminutus, infra te ipsum inueniris: & quia elatione turgens, de ambitionis ingenio procurasti esse quod non eras, quod eras protinùs perdidisti. Quod his verbis luculenter Ambrosius edisserit: *Et ait Deus: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est. Et ridens vtique Deus, non approbans dicit, hoc est: Putabas te similem fore nostri, qui voluisti esse quod non es, desiisti esse, quod eras: itaque dum supra te affectas, infra te esse cæpisti.* Quid elegantius? Nempè protoparentes dum eleuati sunt ad modicum, non *subsistunt, nulli sunt;* quia eò intrinsecùs corruunt, quò magis extrinsecus surgere affectant Sicut refuga Angelus, dum diuinitatem arroganter præsumit, non iam Angelus, sed inimicus *homo* ab Euangelistâ nominatur. Adamus etiam nimis turgens arrogantiæ tumore, dum voluit esse vltra id quod erat, de suo cecidit gradu, & infra id quod erat præceps corruit. *Qui voluisti esse quod non es, desiisti esse quod eras, itaque dum supra te esse affectas infra esse cæpisti.* O bonam hominibus eruditionem! immodicæ sublimitatis appetentia, infirmitatis ambitus est, & solers corruendi studium. Affectatum supra merita fastigium, omen cadendi est, ruinæ vicinitas & inchoatus lapsus. Per ambitionis scalas ascendere te putas, & veriùs descendis, dum ipso vltra merita ascensu, profundiùs corruisti.

Genes. 3. v. 22.

Adam dum supra se esse affectat, infra se esse cæpit.

Ambr. lib. de Elia & ieiun. c. 4.

5. Regius Vates Psalm. 72. ita de Deo aduersus superbè impios pangit: *Deiecisti eos dum alleuarentur.* Profectò tametsi superbia sit immodicus peruersæ celsitudinis appetitus; difficile tamen est, quod eleuatio ad celsitudinem, à celsitudinis vertice deiiciat. Audiendus tamē est Augustinus, qui de hac re ita Marcellinum instruit: *Est igitur aliquid humilitatis miro modo quod sursùm faciat cor: & est aliquid elationis, quod deorsùm faciat cor. Hoc quidem quasi contrarium videtur, vt elatio sit deorsùm, & humilitas sursum.* Post pauca subdit, difficultati subtiliter respondens: *Et fit quod scriptum est: Deiecisti eos, dum extollerentur. Non enim ait, cùm elati fuissent, vt prius extollerentur, & posteà deiicerentur: sed cùm extollerentur, tunc deiecti sunt. Ipsum quippe extolli, iam deiici est.* Quid accommodatius?

Psalm. 72. v. 18.

Superbè extolli, iam deiici est.

August. lib. 14. de Ciuit. cap. 13.

Consultissimè Angelus cap. 7. v. 3. de se quasi homine & captiuo loquitur, cùm sit vnus è septem cæli Principibus, qui Deo semper assistunt. *Præcedere* hic festinat Angelus, non honore, sed labore. Bonus in primis Angelus humilitatem infra se affectat, benè sciens, quod Angelus apostata, dum supra se esse ambiuit, infra se esse cœpit: & Adamus dum supra humanum fastū sapere concupiuit, stolidam insipientiam elatione hausit. Idoneè Chrysologus arroganter sciolos his verbis perstringit: *Ne ergo studeas videre multa vt videas temetipsum: ne præsumas excelsa contueri, nec longinqua ambias conspicere; quia augustus oculus non capit multa. Atque ita vidit nihil, qui videre existimat totum.* 6.

Hic vers. 3.

Nihil videt qui videre existimat totum.

Chrysol. ser. 141.

7. Genesis 7. hæc mandat Noëmo Deus de animalium delectu, quæ in arcam intrabunt: *Ex omnibus animantibus mundis tolle septena & septena, masculum & feminam; de animantibus verò immundis duo, & duo masculum & feminam.* Ad quæ Scripturæ verba sic acutè addubitat Seleuciensis Basilius: *Veriùm enim verò dicat quis: Quàm vero consentaneum quædam esse munda, quædam appellatione immundâ deturpari? Certè luculentè prius exclamauit Propheta: viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant bona valdè. Quod si Deus fingit, quâ ratione figmentum immundum? Si enim omnia vna produxit vocatio, vnaque formauit manus omnia, quo modo quædam suapte naturâ honorantur, alia contrà turpiùs appellantur? Sed si appellationis rationem quæsieris, sapientiam inuenies Dei ea secernentis.* Nimirum antè sciebat Deus animalia, quæ appellantur immunda, immodicis honoribus enim ab Ægyptiis veneranda, & pro Numinibus adoratione colenda: inde eadem præproperè deturpat: vt vnde summum honorem aucupari ambibant, inde quantocyus turpitudinem fœnerent, & de summo fastigio abiectam vilitatem mutuentur. *Nam apud Ægyptios* (pergit idem Basilius) *superstitionis insanitas pro lege obtinuit. Siquidem apud ipsos Ibis Deus lege statuitur &, Canis, &c. Hinc sapientissimè Deus brutorum animalium naturam discernens edictis, quædam appellauit munda, quædam appellauit immunda.* Ecce tibi, quòd qui supra se esse ambit, infra se esse incipit, arrogantiæ negotiatione peruersâ: & immodici honoris ambitu, propriam appellationem immundè deturpauit.

Genes. 7. v. 2.

Basil. Orat. 6.

Immodici honoris fulmitas propriam appellationem immunde deturpat.

§. CCCLXI.

Parilis adolescentium conuictorum ætas, ad similes virtutes aut vitia, sensim affricat.

1. Antiquus ille Crates dicere solebat, si in altissimam vrbis partem conscendere licuisset, sic vociferaturum: *Quorsum ruitis parentes, qui omne in comparandis pecuniis vestrum studium facitis, filiorum verò quibus eas relinquatis, nullam sanè curam suscipitis?* Quibus addendum esse,

Plutar. lib. de liber. educandis.

Sedula filiorum educatio parentibus commendatur esse, ait Plutarchus, *quòd hi parentes haut aliter faciunt, quam qui magnam calceorum se dulitatem habent, cùm interim pedem ipsum paruipendant.* Nouella ætas ad fingendum facilis & tenera est, & ipsorum animis (dum molles adhuc extant) disciplinæ meliùs distillantur. Difficiliùs quæ dura sunt molliuntur. Quemadmodum enim sigilla mollibus imprimũtur ceris; ita & disciplinæ (dum puerilis adhuc animus est) insculpuntur: præsertim ab his, quos puerilis ætas consimiles afficat mores. Senum virtutes & vitia, infans non capit, puer negligit, iuuenis contemnit, & ridet: coætaneus conuictor alterius norma est, & morum typus, quem in altero aliter effigiat: ô, viderit parentum pædagogia, qualibus se filius conuictoribus adgreget! nam si pessimorum exgrex non sit, eorum moribus protinùs fascinatur. Puerorum inconsulta ætas, quicquid in coætaneo illicitum videt, sibi licere putat parilitatis licentiâ, sine ætatis priuilegio: ô, turpia exemplaria confestim remoue, ne adsimiles mores in puerulo insculpant, quos pædagogi sedulitas vix delebit!

2. Lucæ 8. cùm turba plurima conuenirent, & de ciuitatibus properarent ad Iesum, dixit per similitudinem: Exiit qui seminat, seminare semẽ suum: & dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, (quod prope viam, ac si via foret, vestigiis adsimiliter conculcatur?) & volucres cæli comederunt illud. (De cælone extrui videtur periculum?) Et aliud cecidit supra petrã, & natum aruit, quia non habebat humorem (Celeste semen, terra desiderat, nec terram inuenit?)

Luc. 8. v. 7. *Et aliud cecidit inter spinas, & simul exorta spinæ suffocauerunt illud.* Hugo Carensis pręfata verba exponens, ita e Chrysostomo fatur: *Via defides, petra imbecilles, spina iniqui.* Etsi admirabilitate plenum sit, quòd cælestis sator, sic negligere videatur semẽ cæleste, vt illud inter *iniquas* spargat *spinas* quod non faceret humanus sator: (An quia prudẽtiores sũt filij huius seculi, quàm filij lucis, in generationibus suis?) At mirum non est, quòd granum in senticosum spinetũ cadens, citò suffocaretur: nam sentes altè diu radices egerant, & præoccupando terram, exsuccam grano reddiderunt. Attamen mirissimum est, quòd non adultarũ sentium aculeata spinositas, sed spinæ, quæ simul cum tritico exurgunt, & vna adolescunt, enatum recens tritici germen suffocasse dicantur. Attentiùs Christi verba enucleare oportet: *Et aliud cecidit inter spinas: & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud.* Nempè non tam adultæ iam diu sentes, quàm simul cum tritici germine recens enatæ, *ita occupauerunt mentem, quòd verbum fructum spiritualem in ea facere non potuit*, vt pulchrè inibi Beda notauit. Quod explicatiùs tradit ad ea verba Dionysius, ita fatus: *Et simul exorta spinæ suffocauerunt illud. Idest, affectiones immoderata, cum verbo prædicationis accepto & fructificare incipiente, pariter erumpentes, oppresserunt fructum operis, & germen virtutis vicerunt, & expulerunt.* Quid accommodatiùs? Scilicet bonum virtutis semen in adultum spargitur senticetum; nec tamen horridâ adultarum sentium spinositate bonum tritici germen suffocari dicitur; sed à spinis *pariter erumpentibus*, adeò vt dum bonum semen fructificare incipiebat, tenellum virtutis germen, *simul exorta spinæ, vicerint, expulerint, suffocarint.* O de cæli schola eruditionem moralissimam! Inuigilet attentiùs parentis seu pædagogi sedulitas, quibus moribus præditi sint, qui ætate sunt pariles: an ingenij asperitate horreant, & horridis exasperentur vitiis quæ facile in conuictores inhalant. Educãdus puer, aggregetur bonis, exgrex maiorum fiat: amoue simul nascentes gregalium vrticas: nam delicatum boni seminis germen, non tam adultus iam diu rhamnus, quàm *simul exorta spinæ suffocasse* dicuntur: ô quàm solerter auerruncare oportet has spinas pariter pullulãtes, vt generosum virtutis semen, in felicem culmum excrescat; & messorum manum, atque domini horrea opulenter adimpleat vberi fructu! Cõuictor par ætate, aut forma virtutis est, aut vitij norma. Hinc de seniore Tobia sic loquitur Scriptura: *Cùmque esset iunior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile gessit in opere. Denique cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium*, ne contubernalium afflaretur vitiis: Et vide hic Tobiam iuniorem Angeli mores de diuturno conuictu exprimentem: non impar vtriusque apparebat ætas, nec impares pietate, & mutuo obsequio mores præsentantur.

Hugo ibi, ex S. Chrysost.

Non tam adulta spina quàm quæ simul cum tritici germine pullulant, illud suffocare dicuntur.

Beda ibi. Carthus. ad ea Lucæ verba.

Tob. 1. v. 4.

Hîc vers. 4.

3. Caput Prouerbiorum quartum, hoc proœmio Salomon auspicatur; *Audite filij disciplinam patris, & attendite vt faciatis prudentiam.* Donum bonum tribuam vobis, & legem meam ne derelinquatis. *Nam & ego filius fui patris mei, tenellus, & vnigenitus coram matre mea.* Quorsum hæc Salomon de suâ pueritiâ ingerit? Cùm canâ pollet sapientiâ, cur ruditatis meminit puerilis, quando *pueris* stillare prudentiam satagit? luculenter Beda respondet: *Nil magis ad spem percipiendæ sapientiæ mentes erigit, quàm cùm eos, quos in sapientia iam clarere miramur, aliquando paruulos & indoctos fuisse meminimus.* Verùm cùm non dicat se indoctum & rudem; sed tenellum & paruulum; adhuc peruestigare licet, quare suæ pueritiæ ingesserit mentionem, cùm largiùs sententias ad puerorum disciplinã addẽsat? An non meliùs exciperetur eius eruditio, si se canæ sapientiæ, prudentiæ, & experientiæ, Salomon commendaret? Valdè fallor, nisi LXX. interpretes ad thema præsens adludunt, dum primum versiculũ, in quo quosnam susceperit his prouerbiis erudiendos, opportunè tradit: *Audite*, inquit, *pueri disciplinam patris, & attendite*, &c. Nempe cùm Salomon dẽsiùs spissare sententias incipit, quibus *pueros* erudiat, canam senectutem peritè dissimulat, & pueritiæ mentionem consultissimè ingerit. itaque vt *pueros* instruat, senum auctoritas, canorum eruditio, & prudentia non desit; sed in experientiæ senio, mentione saltem suæ pueritiæ, puerilem repræsentet ætatem, quò ipse quadantenùs puer, bonos mores *pueris* allinat. Tunc senex Salomon multas sibi annorum decadas numerabat: sed anni hominis (vt serpentis) non recurantur: irremediabilis enim morbus, senectus est. Ergo iam senex, vt vt poterat, repuerascit, quò *pueros* accommodatiùs instruat, & efficaciùs erudiat: nam puerilis ætas mores potentiùs spirat. Sicut enim vitia synchronos, seu coætaneos virulentiùs fascinãt ad omnem malitiam: ita virtus inæquales ætate; virtutes inhalat, nescio quo arcano affrictu, probitatis fœcundo. O quàm magno gregalium delectu eget pueritia. Oscitabit ad hæc, debita parentum sedulitas, & filiorum pædagogia in primis necessaria?

Prou. 4. v. 3.

Beda apud Salazar. ibi.

Salomon repuerascit, vt pueros potentiùs erudiat.

LXX. Interp.

Matthæi 13. simile factum est regnum cælorum

rum homini, qui seminauit bonũ semen in agro suo: cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abiit. Cùm autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem serui patris familias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Visimus, & colligimus ea? *Et ait: Non: nonne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. Sinite vtraque crescere vsque ad messem.* Acutè addubitant inibi interpretes, quare non præstet statim euellere zizania, ne terram exsuccam reddat, & ad germinandum triticum inidoneam? Addit Chrysologus: *Sic imperiti erant cultores, sic operis nescij, sic discretionis scientiam non habentes, vt euellentes zizania eradicarent & triticum?* An non vtriusque differentiam in germine dignouerunt? cur ergo noxiam herbam, quam inimicus homo clam seminauit, non statim auertuncare oportebit? Respondet ad rem præsentem opportunè Chrysologus: *Aliud erat in specie, aliud habebatur in flore: & quod hodie erat zizania, cras in triticum vertebatur.* Ecce tibi quare dum vtrumque semen in herba germinat, & tenerum adhuc est, simul adolescere permittitur. Nimirùm dum adhuc germen delicatum est, vsque ad messem reseruatur: aliud enim tunc erat in specie suá, aliud in agricolæ spe: *& quod hodie erat zizania; cras in triticum vertebatur:* quasi cùm pariter adolescunt, genium euarient & alterius mores vicinitate arripiant, hauriant, exprimant. Quod hodie est zizania, in medio tritici cũ tritico pullulans, ac si prauam naturá à proximitate boni dediscat, *cras in triticum conuertetur.* Sic parilis adolescentium conuictorum ætas, ad similes virtutes aut vitia sensim affricat.

Quod hodie erat zizania cras in triticum conuertetur.

Matth. 13. v. 29. & 30.

S. Chrysol. serm. 97.

5. Ergo solerti curâ, & exsomni diligentiâ in filiorum educationem parentes inuigilent remouentes noxia, profutura admouentes: nam bona educatio virtutum exinceps futurarum officina est. Quã super re ita loquitur S. Cyprianus: *Disciplina est custos spei, retinaculum fidei, lux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutum.* Pulchrè bona educatio, *fomes ac nutrimentum bonæ indolis* appellatur; quasi bona indoles, bonâ educatione foueatur, quã velut nutrimento incrementum capit: ac si non tã ortu nascatur, quam educatione fomentur, aut fiat. Grande quidem educationis elogium est, quòd *bonæ indolis fomes* dicatur!

---

§. CCCLXII.

Christiana virtus in Tribulationis schola, ad omnem pietatem sapienter eruditur rationabili pœnarum magisterio.

1. PRospera in plebē, ac vilia ingenia deueniũt: at calamitates terroresque mortalium subiugare, & illis patientiam nutrire, proprium magni viri est. Semper verò esse felicem; & sine morsu animæ velle transire vitam, ignorare est rerum naturæ alteram partem. Magnus es vir: sed vnde scio, si tibi non datur facultas exhibendæ virtutis, & tolerantiæ erudiendæ, & demonstrandæ? Miserum te iudico, quòd non fuisti miser: transisti sine aduersario vitam. Nemo sciet, quid potetis, nec tu quidem ipse. Opus est enim ad notitiã sui experimento, quid quisque posset, nisi patiēdo non didicit. Doceat te patientia, quantum possis: doceat tribulatio patientiam, doceat & virtutes reliquas, quantum tolerare debeant, & qualiter aduersa sustinere opus sit. Velut cruda virtus est, quam tribulatio non decoquit ad saporem; rudis, quam calamitas non erudit ad tolerantiam; incompta, quam aduersitas non elimat ad pietatis nitorem. O disce ex tædio angustiæ, perenne virtutis gaudium; quod tribulatio merendo, & docendo piè elaborat! O, virtutes erudi, de aduersitatis disciplina, de calamitatis gymnasio: & de naufragij periculo imbue tranquillam virtutum sospitatem! O quàm est sublime aduersitatis magisteriũ! *Felle* hic sanat Angelus humanas calamitates, & Tobiæ virtutes perspicaciter erudit. Hic vers. 4.

Calamitas est virtutum magistra.

2. Marci 4. Christi Dei iussu Discipuli dimittunt turbas, vt eos duntaxat arcanè erudiat; & ascendunt in nauim. Et facta est procella magna vēti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis. *Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens: & excitant eum, & dicunt illi: Magister, non ad te pertinet, quia perimus:* Multa ipsi iam notauimus super hac tempestate ad morum eruditionem, nunc verò superest obseruandum, quare Apostoli sæuâ procellâ iactati, dum ad Christum, quasi ad auxilij præbitorem accurrunt, illum nuncupatim *Magistrum* appellent? An non persæpè eum vocabant Dominum? Nunc potiùs Dominus foret nuncupandus, quò Christi Dei etiam in mare, & ventos dominium palàm profiterentur. Sic eorum mens tempestate turbatur, vt importunum *Magistri* vocabulum tunc vsurpent, opportuniori omisso. Non tam ad *Magistrum*, quàm ad Dominum pertinet, quod sui non pereant. Res doctrinæ, non periculi ad *Magistrũ* spectat: Quid igitur ad *Magistrũ* accurrũt? Eloquēter de more Seleucianus Basilius ita hac super re scribit: *Adstātes clamāt, Magister, Magister, salua nos, perimus.* (Marcus, *Non ad te pertinet, quia perimus*) *O timorem naturæ magistrum! ô periculum, quo docetur, vbi salutis sit anchora! merè exanimatos metu discipulos præceptori concilians!* &c. *ô Domini sapientiam! ô Magistri edictum! Excinit mare, ostendit naufragij spes, fidei scholam fecit mare.* Perbellè quidem Basilius. Nempe dormiebat Saluator, & sic propè eum mari disputabat. In terra sæpè miracula spectauere patrantem: ne verò continentis duntaxat angustiis meam coarctari potentiam putent, discant de naufragij periculo, & me maris esse Dominum, discant & eum liquidi oris istius naturæ creatorem: discant non hominem adspicere, sed Deum suspicere: discant, vt in conspicuo hoc corporis domicilio mũdi totius ædificator inhabitet: discant quàm sit industriæ inops, & auxilij indigua hominis natura, vbi grāde periculum ingruit: discant, quò accurrere debent, quasi ad spei anchoram in acerbæ calamitatis discrimine. *Esto mihi Discipulorum præceptor, ô mare,* & de sæuæ tempestatis magisterio, animetur fides, spes conualescat, patientia nutriatur, foueatur constantia, & reliquæ virtutes ad omnem pietatem erudiantur. *O Domini sapientiam! ô Magistri edictum! fidei scholam fecit mare,* mare inquam ventis exasperatum, & immaniter naufragia hians. An diuinæ Sapientiæ humanitùs corporatæ

Marc. 4 vers. 38.

Seleucus Orat. 22. *Mare tempestate hians naufragia, fit virtutum schola.*

ratæ deerat persuasorius sermo, vt suo magisterio Discipulos ad omnem virtutem erudiret? procellosum mare naufragia minitans, quasi *Discipulorum præceptorem* pro se substituit? *Fidei scholam facit mare?* Tantumne fidat calamitatis magisterio? Vbi Christus adest *Magister*, qui 1 alius expectatur *præceptor?* Ast cùm Christus Deus vndas ventis turbat, aiens: *Esto mihi Discipulorum præceptor, ô mare*; tunc, tunc quidem, arcanum eius magisterium Discipuli agnoscunt, & ad eum accurrentes, consultissimè clamant: *Magister, Magister, non ad te pertinet, quia perimus? ô Domini sapientiam! fidei scholam fecit mare*, O erudiamus virtutes de calamitatis gymnasio, de aduersitatis magisterio, de eruditâ tempestatis scholâ, & tribulationis doctrinam ediscamus!

3. Propheta Ieremias Threnorum 1. lugubri planctu Ierosolymitanum opplorat excidium. Et postquam, Iudæorum strages & exilia commemorauit, hæc infusus lacrymis subdit: *De excelso misit ignem in ossibus meis & erudiuit me.* Dionysius Carthusianus, totus Hieronymo impressus, sic doctè tempestiuus hunc locum commentatur: *De excelso misit ignem in ossibus meis, id est, de sublimitate sua iustitia, & de censurâ sua altissima sapientia, misit Dominus per Chaldaos acerbissimam tribulationem in robustioribus partibus corporis mei, qua tribulatio nomine ignis exprimitur. Et erudiuit me per ista aduersa, vt vexatio daret intellectum auditui, sicque peccatorum meorum enormitatem perpenderem, diuinam iustitiam considerarem, veritatem prophetalium sermonum pensarem, & de cetero cautior essem. Hinc suprà scriptum est: Castigasti me Domine & eruditus sum.* Nempe metaphoricus hic tribulationis ignis, cuius æstibus Ierosolymitani ciues vstulantur, partim consumit angoribus corpora, & partim intellectum eruditione nutrit; vt tot suppliciis damnata natura, & det corpore ignis pabulum, & mentis accipiat incrementum. Inde fit, vt hominis castigati viscera, calamitatis doloribus obnoxia, acerbis cruciatibus consecrata, *ignis*, arbiter depasta non deuoret; sed ad hoc cõseruet, vt mens pœnalissimis flammis excocta, vitium dediscat, & discat pietatem. O de igne tribulationis ediscamus virtutum eruditionem! Corpus doloribus exæstuet, & animus ad vitiorum tædiũ, & ad virtutis ardorem sapienter erudiatur. *Illa enim non casualis, sed rationabilis & pœnalis exustio quia culpam iubetur inquirere, substantiam nescit absumere*, dixit aliàs Emisenus. Ergo & vexatio dat intellectum, & simul eruditionem suggerit ad omnes sanctitates. Nemo, nemo inquam, pro se allegare potest, se rudem esse, & intellectu tardum ad tribulationis magisterium: nam vexatio dat intellectum. O discamus è calamitatis schola, & *rationabili* tribulationum igne sapienter erudiamur! *De excelso misit ignem in ossibus meis, id est, de sublimitate sua iustitia, & de censurâ sua altissima sapientia, misit Dominus acerbissimam tribulationem; & erudiuit me per ista aduersa vt vexatio daret intellectum*, &c. Hic rationabilis & pœnalis calamitatum ignis, quia culpam iubetur inquirere; & noxias vitiorum latebras pandit, & virtutum eruditionem infundit. O, nemo se præbeat surdum huic pœnarum eruditioni, ad omnem virtutem proficuæ!

4. Exodi 3. vltra octoginta annos Hebræus populus Ægyptiacâ seruitute premebatur, cùm de rubo sic Moysen Deus alloquitur: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto; & clamorem eius audiui propter duritiam eorum, qui præsunt operibus: & sciens dolorem eius, descendi vt liberarem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam*, &c. Nempè quadringentis circiter annis à promissione elapsis, descendit Deus vt populum suum diuè à Pharaone perdiu oppressum Ægyptiacâ liberet seruitute, & in terram promissionis feliciter inducat. Præfata verba exponens Lipomanus, ita ibidem scribit. *Iam promissiones Dei complenda, & fidei fructus maturuerant.* Nimirùm in populo Dei *fructus fidei* crudi adhuc erant & acerbi, dum fortuna illis adridebat. At durâ tot persecutionum & calamitatum acerbitate, & diræ oppressionis æstu sapidissimè condiuntur ad pergratum virtutis saporem. Crudus & acerbus est virtutis fructus, quam tribulatio non condit, & ad saporem sanctitatum erudit.

5. Paullus Gentium doctor, & è cælo eruditus Ecclesiæ magister, 2. Corinthiorum 12. ita scribit: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Quis est hic *stimulus*, quo ab Angelo Satanæ Paullus contumeliosè vrgetur? S. Hieronymus, Anselmus, Beda, Sedulius, & alij putant hunc *stimulum* esse permolestas corporis ægritudines? adeò vt Basilius, & Augustinus hunc *stimulum* existimauerint fuisse morbum Paullo æquè ac S. Iob à Dæmone immissum. S. Ambrosius, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus hunc *stimulum* putant ærumnas, tribulationes, calamitates, & persecutiones, quas Paullus vbique subibat. Nunc audiendus est Nazianzenus sic acutè de hoc Paulli *stimulo* fatus: *Tu verò è cœlo nos quaso inspice, carnisque stimulum à Deo nobis ad disciplinam datum, aut precibus tuis siste, aut certè vt cum forti animo perferamus persuade.* Ecce tribulationum *stimulum*, & persecutionum tribulus, non tam dicitur datus ad patientiæ exercitium, quàm ad virtutum *disciplinam.* Vel Paullus è cælo edoctus Ecclesiæ magister, & Gentium doctor, tribulationis disciplinâ arcaniùs edocetur. O bonum magisterium, quo *fidei fructus* ad omnes sanctitates erudiuntur! Ad martyrij candidatum, dum in vincula atrociter à Tyranno rapitur, inquit Turtullianus: *Carcer ediscendus, non pœnam illic passurus, sed disciplinam.* Quem locum aliàs aliorum enucleauimus.

Margin notes: Threu. 1. v. 13. — Carthus. ibi. — *Rationabilis vexatio, & eruditio est, & intellectum prabet.* — Ierem. 31. v. 18. — Emisenus homil. 1. ad Monach. — Exod. 3. v. 7. & 8. — *Fidei fructus a tribulationum eruditur ad virtutis saporem.* — Lipom. ibi. — 2. Cor. 12. v. 7. — *Tribulationum stimulus ad disciplinam virtutum datur.* — Naz. Orat. Pro Basilio. — *Carcer ediscendus est ad virtutum disciplinam.* — Tert. adu. Psych. c. 12.

§. CCCLXIII.

Amor memoriæ promptuarium & officina est, quâ res amata ad nouam gratiam excuditur.

1. SCientiarum vberiùs addiscendarum auida sitis, artem Memoriæ ingeniata est; quâ (nisi valde fallor) operosius perstringitur: nam dum Memoria eius præceptis otiosiùs impenditur, eò à re sapientiæ occupatiùs auertitur. Vis habere opulentum Memoriæ promptuarium? ama; amor enim est inge memoriæ fomes, & exprompium ingiter conceptaculum. Cui inest, amatorium, memoriale non deerit: nam affectio rem dilectam (nescio quo arcano voluptatis philtro)

memoriæ impressiùs sculpit, & durabiles characteres amore rescribit, quos nulla delebit obliuio. Amor rem amatam in folio memoriæ sumptuosiùs collocat, & honorariam æquè ac dulcem recordationem glorioso cultu consecrat in venerando memoriæ sacrario. Venustior, gratior, & pretiosior est res, quam amor in memoriâ affectionis penicillo colorat.

2. Tobiæ 5. v. 24. perstrictim traditur, quod infrà cap. 12. v. 12. vberiùs denarratur. Sic ergo vtrumque Tobiam Angelus Raphaël alloquitur. *Manifesto vobis veritatem, & non abscondam à vobis occultum sermonem.* Qualis est hic occultus sermo, de adytis diuinæ prouidentiæ suspiciendus, quem in vtriusque Tobiæ gratiam Angelus Raphaël euulgat? Tanto verborum apparatu, non nisi res sublimissima denunciari solet. Quandò orabas, inquit, cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tuâ, & nocte sepeliebas eos, *Ego obtuli orationem tuam Domino*, &c. *Et nunc misit me Dominus vt curarem te, & Saram vxorem filij tui à Dæmonio liberarem.* Ecce tibi Tobiæ oratio lacrymis madida, & eleemosynis fœcunda, sic placuit Deo, vt in pauperis, captiui, & cæci hominis seruitium, vnum è septem empyrei regni Summatibus destinarit, qui eius oculos redaccenderet, facultates restitueret, excantato Dæmone filium fausto connubio felicitaret, & prospera cuncta affatim largiretur. Hæc præstitit Angelus Dei nutui obsequens. Sed ecquod generosum meritum promeruit tantam in terris gratiam? *Ego*, inquit, *obtuli orationem tuam Domino.* Græca huius loci translatio, quæ sub LXX. interpretum nomine circumfertur, præfata verba ita exscribit: *Ego obtuli memoriam orationis vestræ.* Quid est quòd Raphaël Orationum humanarũ præsul, venæ intercessor, & diuinæ misericordiæ precarius arbiter, non tam dicitur Tobiæ obtulisse orationem, quàm orationis memoriam? An non ipsamet oratio lacrymarum imbre fœcunda, vbere calamitatum saginâ adipata, gratior in se ipsâ, quàm in memoriâ offerretur? Quare orationum sequester Angelus, Tobianæ orationis memoriam obtulisse potiùs Deo refertur? Suspicari liceat, hic insinuari quàm sit grata Cælo hominum oratio, quæ sic memoriam mellit. Amor rei, non modo illius obliuionem ablegat, & iugem recordationem perpetim fouet, & suauiter fundat: ipsa affectio titubationis firmatio est, & dulce recordationis philtrum, quod gratiam subornet, & fauoribus gratè lenocinatur. Memoria, officiositas beneuolentiæ est, & iuge placendi argumentum. *Ego obtuli memoriam orationis vestræ; & nunc misit me Dominus vt curarem te*, &c. in quo maximè elucet, quàm grata Cælo fuerit Tobiæ oratio, quæ affectionis lenocinio sic hærenter memoriam fundat, & placidè obuersat, vt ad complacentiæ exaggerationem, non tam oratio, quàm *orationis memoria*, ministeriale Raphaëlis seruitium impetrarit. Nã in affectuum officinâ recordatio cuditur; & ardentior amor, memoriæ promptuarium est, atque affectionis radios in vim recordatricem gratè reuerberat, & beneuolentiæ penicillo rem dilectam colorat, ad gratiæ auctarium.

3. Regius vates ita Deum alloquens pangit, postquam innumera alia beneficia suo populo collata denarrauerat: *Domine nomen tuum in æternum: Domine memoriale tuum in generatione & generationem.* Quodnam hoc *memoriale*, quod sic modulatè Psalmographus celebrat? Plures commentatione expositores vulgò adaggerans Hugo Cardinalis ita locum exponit: *Memoriale tuum: idest, altaris sacramentum, quod traditum est in memoriam Dominicæ passionis.* An non aliud suppetebat Dauidi nomen, quo Eucharistiæ sacramentum aptiùs nominaret? Puto, laudatiùs diceretur, Cælestis manna, Angelorum panis, Panis vitæ, Christi corpus, & alia sexcenta, quæ passim in Biblijs occurrunt. Audiendus est Eusebius Emissenorum Episcopus, qui hâc super re eloquëter philosophatur: Quia Christus, inquit, corpus assumptum ablaturus erat ex oculis nostris, & sideribus illaturus, necessarium erat vt nobis in hâc die sacramentum corporis & sanguinis sui consecraret: vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium: *vt quia quotidiana & indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetua esset etiam redemptionis oblatio: & perennis illa victima viueret in memoriâ, & præsens semper esset in gratiâ.* Quid inculcetius? Quid Deo pretiosius, quàm Christi Passio! Sed quid Deo adulantiùs, quàm Eucharistiæ sacramentum? Verè vnica & perfecta hostia re ipsâ semel in Passione Deo offertur? quâ ipse placatur, mundus redimitur; infernus gemit, ouat cælum. Sed quàm Deo grata fuerit Christi Passio, illâ ipsa victima, iam vna plures in Eucharistia declarat, dum perpetua fit redemptionis oblatio? *& perennis illa* Passionis *victima viuit in Memoria, & semper est præsens in gratia. Domine memoriale tuum in generatione & generationem.* Cruenta Christi Passio, incruentè ad Eucharistiam translata, vigeat in Memoriali, vt quotidiana & indefessa currat pro hominum salute redemptio, vt dum viget *in memoria*, semper præsentetur *in gratia* Christi Dei Passio, non tam specie, quàm fide æstimanda est: nec exteriori censenda visu, sed interiori affectu. In æterno perpetuetur Memoralis, vt quàm grata semel fuerit, in Memorialis perennitate, & Memoriæ gratia gloriosiùs appareat. Itaque instituitur Eucharisticum hoc dominicæ Passionis Memoriale affectu censendum, *vt perennis illa victima viueret in Memoria, & semper præsens esset in gratiâ.* Sic res, quæ de affectuum blanditijs in memoriã transiit, gratiæ lenocinatur, beneuolentiæ recordatione perenni. Vel Christi Dei Passio, non tam de exteriori specie, quàm de interiori affectu, & de Eucharistico Memoriali generosè æstimanda est: ô affectus Memoriam fundat, & gratiorem apparere facit rem amatam. Qui amat oscitanter, facile obliuiscitur, & obliuionem de incuria negotiatur. Qui memoriam de obliuione excusat, amorem accusat: qui non tantùm memoriam perpetim suggerit, sed etiam nescio quam nouam gratiam in recordatione commentatur.

Geneseos 34. iterùm Iosephi fratres frumentatum redeunt in Ægyptum, muneraque apparant, si fortè acerbam Præfecti seueritatem placare valeant donorum lenocinio. Igitur ingressus est Ioseph domum suam, obtuleruntque ei fratres munera, tenentes in manibus suis: & adorauerunt proni in terram. *At ille, clementer resalutatis eis interrogauit eos, dicens: Saluusne est pater vester senex, de quo dixeratis mihi? Adhuc viuit?* Dudùm inquisitionis duræ occasione dixerant fratres Iosepho regni Præsidi, se patrem 4.

habere

Tobiæ 12. v. 12.

Tobiæ 12. v. 11. & 12.

Memoria orationis, oratio nominatur.

LXX. interp.

Psalm. 134. v. 13.

Hugo ibi. 1. Cor. 11. Lucæ 22.

Emis. de Pascha homil. 5.

Christi passio in Eucharistiâ, viuit in Memoriâ, & semper est præsens in gratia.

Genes. 34. v. 27.

In solicita memoria, amoris characteres leguntur.

habere ſenem; nunc Ioſephus vbi primùm illos reuiſit, ſollicitus de peramantis ſui patris ſalute, interrogauit eos, dicens: *Saluus ne eſt pater veſter ſenex, de quo dixeratis mihi?* Quare addit, Lipom. ibi. *de quo dixeratis mihi?* Appoſitè Lipomanus reſpondet: *Ante omnia patrem ſaluum audire cupit, vt bonus filius. Ex memoriâ quærere ſe finxit, non ex affectu. Ideò addit, quem dixeratis, ſcilicet vos habere.* Itaque Ioſeph amoris vice memoriam ſubſtituit, nec, vt opinor, inidoneè: nam memoria eſt beneuolétiæ index, affectui cognata, & tenax voluntatis ſequela. Da amantem, & ſume memorantem: nam affectus pertinacis memoriæ conceptaculum eſt, & recordiationis conflatorium; in memoriaque altè imprimit, quod in voluntate impreſſè exprimit. Exinde deſes obliuio, ignauum voluntaris otium eſt, quod neglectu obliuio ſubornat. Qui obliuioné excuſat, affectum accuſat, & inculcat amorem. Licet Ioſephus patris ſui peramans, *ex memoria ſe quærere finxit, non ex affectu*; peritè tamen Lipomanus in expromptæ memoriæ chartâ, inſcriptos affectionis characteres indubiè legit. Nam amor, Hic verſ.5. memoriæ promptuarium & officina eſt. Ad faciendam memoriam probatiſſimum pharmacum, affectio eſt. Quod perſcipuè hîc cernere licet in abſentis Tobiæ triſtiſſimâ matre.

§. CCCLXIV.

Magnus amor reliquas humanæ vitæ moleſtias, aut temperat, aut excutit, aut mellit, aut negligit.

1. NIl magnum eſt in rebus humanis, niſi animus magna deſpiciens, magna patiens; & intrepidâ æquanimitate obuias humanæ vitæ moleſtias, aut generosè ſuſtinens, aut magnanimiter excutiens. Publ. Mim. apud Senecam. *Amans quid cupiat, ſcit, quid ſapiat non videt:* non enim aduertit, quòd cum otio amoris à negotioſis reliquarum rerum moleſtiis vacationem ſuſcipit. *Amor reliquas vitæ moleſtias excutere ſolet.* In amore ſemper mendax moleſtia eſt: nam quod vigilans patitur, quaſi ſomniat, nihilque verè acerbum, aut iucundum cenſet, occupatus & contentus amoris negotio; in re amoris totus, amore ſuo plenus. apud Laërt. lib.6. Amor otioſæ cura eſt ſollicitudinis: vel potiùs, vt dicebat Diogenes, *Otioſorum negotium:* quod hic affectus potiſſimùm occupet otio deditos: ita fit, vt dum otio vacant, in rem negotioſiſſimam incidant: nec interim tamen quicquam alienæ rei cogitent, agant, ſentiant. Profectò fit amor in re amatâ totus, ceterarum rerum cenſum & ſenſum ſorbet, & propè exhaurit, vt ad reliquas vitæ moleſtias amantem fermè reddat inſenſilem, & quodammodò inuulnerabilem, grato quodam ad reliqua ſtupore. O quàm non ſentit Annæ amor in filium, opum retrò iacturam, diræ captiuitatis ærumnas, inopiæ calamitatem, cæcitatem mariti viuo funere iam ad munia defuncti, diuturnum inceſſanter conducti laboris penſum, quo mulier ingenua tenuem familiæ victum Hic verſ.5. acquirat. Has omnes moleſtias toleratu arduas, amor excutiebat; aſt dum amor de rei amatæ abſentiâ periclitatur, redit ærumnatum ſenſus quem cognato ſtupore amor hebetabat.

2. Geneſeos 34. in peramplâ Abrahami domo circunfluebant vndequaque opes ingentes, ſed inopia naturæ partum Saræ negabat. Fluebant tempora, diuitiæ creſcebant, & ſenium appetens liberorum ſpes accidebat; ſed quam prolis expectationem ſterilitatis malum extinxerat, eam fides innouabat. Ergò ſterilis Sara venit in obliuionem ſuæ conditionis; natura dum ſpe renouatur, ſenectæ obliuiſcitur: acceptâ promiſſione habuit filium ante filij partum, & ſpes ipſa priùs Iſaacum peperit, quàm aluus. Eum Deus dedit, qui antequam naſceretur erat in deſiderio. In lucem infans prodiit, Sara accepit, iuxta infantis nomen gaudia eſt, donum amplexata eſt. Verùm increuit infans, ſuâque balbutie parentum ſauciauit amorem, ſimul creuit, quod in infante parentes deamarent, totuſque parentum amor indiuiſus in vnum conferebatur, & omnis generis ſpes, & parentum gaudium, in vno conſtituebatur filio. Tandem Sara moritur & quæ riſum pepererat, funeſtâ morte vnicum filium, matris vnicè peramantem, luctuosâ complet mœſtitudine. Funeris pompam funeſtus ipſe exequitur, & diuturno exinceps dolore viuas matri exequias inceſſanter celebrat. Cæterùm dum Iſaacus dolenter perſeuerat in luctu, prudens Pater ſuum Eliezerem in Meſopotamiam mittit, qui ex ſuo genere dignam filio ſponſam acceſſat; adducitur cognata Rebecca, Gratiarū manibus facta puella. *Non multum amat, qui nimis dolet, niſi rei amatæ iacturam.* Tunc Iſaacus introduxit eam in tabernaculum Saræ matris ſuæ, & accepit eam in vxorem: *Et in tantùm dilexit eam, vt dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.* Geneſ. 24. v.67. Vide quomodò amor hærentem diu altè dolorem mitigat. quod tempeſtiuè inibi Lipomanus adnotauit: *Temperauit itaque per iſtius amorem, dolorem mortis illius.* Lipom. ibi. ſcilicet Iſaac, qui nuper defunctæ Saræ memoriâ inceſſanter excruciabatur, iam non veretur ipſum Saræ cubile frequentare: & documéta paſſim offendere, quæ eius ingerant recordationem: nam recenti amore, ſæuum aliàs charæ matris amiſſæ dolorem temperauit: & præſens amor lancinantem diu dolorem ſic deliniuit, vt cæcus & ſurdus iam ſit ad priſtini angoris cauſſas. Sic ad ſe rapit animi vires, & omnes amor ſorbet affectus. Pulchrè Bernardus: *Amor, vbi venerit, omnes in ſe transfert, & captiuat affectus.* Bern. ſer. 3 f. in Cant. Sic omnes affectus ad ſe transferet amor, vt ſenſum ad alia non relinquat: Paſſus es facultatum iacturam, honoris detrimentum, iniuriæ probrum, ægritudinis moleſtiam, clariſſimorum funera; da aliud quidpiam ardenter amantem, & dabo non admodum grauatè ferentem. Sic *amor, vbi venerit, omnes in ſe transfert affectus.* Lugubri diu luctu de chariſſimæ matris obitum funeſtatur Iſaacus: ſed in amore, luctuoſæ triſtitudinis remediū inuenit: nam *in tantùm Rebeccam dilexit, vt dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret. Temperauit itaque per iſtius amorem, dolorem mortis illius.* Leuamen doloris amor eſt. Non multum amat, qui nimis dolet, niſi rei amatæ iacturam: amor enim vim doloris exarmat, dum *omnes in ſe transfert affectus.* Hinc propè inſenſilis Martyrum patientia, & inconceſſa miriſſimè conſtantia, in mundialium rerum detrimentia, & ſæuis inceſsáter cruciatibus. Viuidus Chriſti amor, ſic omnes in ſe transformat affectus, vt velut ſtupore quodam impatibiles viderentur. O arcanè pias amoris præſtigias!

Iſaaco patri non abſimilis Iacobus filius extitit; imò fortè illum in amoris palæſtrâ ſupera- 3.

uit. Fugitiua primogenituræ rapacitas, sacramentis mysticè grauis, è patritis laribus in Mesopotamiæ exilium abigit Iacobum. Prope vrbem Haran, cognati olim Nachoris oppidum, longo itinere lassus iuxta puteum resedit. Diu pastor de re pastoritiâ cum libani pastoribus verba miscet. Adhuc loquebatur, & ecce Rachel veniebat cum ouibus patris sui: nam oues ipsa pascebat. Quam cum vidisset Iacob, & sciret consobrinam suam, osculatus est eam, eleuata voce fleuit, & indicauit ei quòd frater esset patris sui, & filius Rebeccæ. Itaque Iacob à Laban auunculo perhumaniter exceptus, ardenter Rachelem adamauit. Quam diligens Iacob ait ad Laban. Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore, septem annis Nuptiali pacto. Labanus admuit: *Seruiuit ergo Iacob pro Rachel septem annis: & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Sudatus quidem piæ celebritate locus, sed post tot expositiones ad mores, adhuc succulentus S. Augustinus, qua solet ingenij subtilitate, & dubium acutè proponit, & doctè extricat. *Quod scriptum est*, inquit, *seruiuit Iacob pro Rachel annis septem, & erant in conspectu eius velut pauci dies, eo quòd diligebat illam; quærendum quomodò dictum sit, cum magis etiam breue tempus, longum soleat esse amantibus*: (Nota solutionis acumen, nam dubitatio, & obuia, & arguta est.) *Dictum est ergo propter laborem seruitutis quem facilem, & leuem amor faciebat.* Scilicet parùm foret, quòd amor ærumnosum seruitutis laborem redderet facilem, & toleratu leuem, vt pulchrâ sponsâ, & tenerè dilecta potiretur, cuius beneuolentiæ pignus osculo salutatorio libarat; nisi etiam ardens, quo flagrabat amor, vel ipsam septennem moram faceret periucundam. Magnus amor, flammeus est, fulmineus est; neque quid aliud cogitat, expetit, hiat, quàm rem adamatam amplecti, & cupitâ fruitione potiri: at sic omnes ad se conuertit affectus, animi appetitiones exorbet, ærumnas mellit, & dulcissimis spebus vota adipat, vt vel diuturnæ moræ insanas molestias deludat, & longum septem annorum tempus, velut dies pauculos reputet. *Et videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine: dictum est propter laborem seruitutis, quem facilem, & leuem amor faciebat.* Sic vel moras, quas impatiens amor sustinendo non est, periucundum amoris votum, gratè mellit, & iucunditatis suæ gratiâ perfundit: Sic est officiosa magni amoris gratiositas, vt vel in molestas rei potiundæ moras, amœnitatem spiret, cunctationem amœnet, & diu expectandi impatientiam spebus iucundet, & diuturnitatem votorum dulcedine suâ fallat, & abbreuiet: Vel diuturnissimæ septennij moræ videbantur Iacobo pauci dies præ amoris magnitudine. Nil prolixum, nil pergraue amanti est. Sic omnes ad se transfert affectus!

Magnus amor vel spei molestias, votorum dulcedine mollit.

Genes. 29. vers. 20.

S. August. in qq. super Genes.

4. Ioannis 10. sic de se ipso ad Iudæos loquitur Christus: *Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.* Non perquiram nunc cum Interpretum Summatibus, vtrum sit ouibus commoda mors ista pastoris, quæ destituit oues, quæ lupis tradit inerme pecus, quæ sic charum gregē ferinis morsibus derelinquit: macello dat, stragibus exponit, & atrocissimæ morti, sicut ipsius pastoris Christi probatur ex morte. Mitto hæc pro aliis forsan thesibus discutienda, vt cū Chrysologo expendamus masculam amoris vim, qua eximius pastor pro suo tuendo grege, vitam strenuè profudit. *Pastor*, inquit, *bonus animam suam dat pro ouibus suis. Fortem faciat vis amoris, quia nil durum, nil amarum, nil graue, nil lethale computat timor verus. Quod ferrum? quæ vulnera? quæ pœna? quæ mortes amorem prævalent superare perfectum? Amor impenetrabilis est lorica, respuit iacula, gladios excutit, periculis insultat, mortem ridet: si amor est, vincit omnia.* Longum foret singulas huius disertissimi Doctoris sententias particulatim disquirere, & sigillatim enedullare. Sat esto, coram proposuisse, & aliis enucleanda tradere; quod attentiùs legenti operosum non erit.

Ioan. 10. vers. 11.

Robusta amoris vires exaggeratiùs proponuntur.

S. Chrysol. ser. 40.

Geneseos 45. *Non se poterat, vltrà cohibere Ioseph multis coram adstantibus, &c. Eleuauitque vocem cum fletu, &c.* Nempe contristauerat Ioseph fratres, peramanti suo patri non renunciauerat vitam, & honores charissimi filij, quem velut mortuum anxiè perditu lugebat: suum Beniaminum probrosi facinoris immeritum reum fecerat, quid ergo mirum, quòd *non se posset vltrà cohibere Ioseph? O tormenta misericordiæ, cruciat, & amat, &c. Tunc se vltrà cohibere non valens pietas clausa prorupit in medium, & excussit charitatis lacrymas de vultu seueritatis*, ait S. Gregorius. Quæ sunt hæc *tormenta misericordiæ, & amoris cruciatus?* Suntne tormenta, quibus dilectissimum Beniaminum excruciat? an quibus ipse dum suum vexat Beniaminum, cruciatur? O propè inhumanam beneuolentiæ humanitatem! O carnificem amorem! *ô tormenta misericordiæ, cruciat, & amat!* Sed ideò excruciatur, quia quem amat, excruciat. Reliqua leuia sunt: hoc vnum lacrymas elicit. 5.

Genes. 45. vers. 1.

Tormenta, misericordia, & amoris cruciatus.

S. Grego. homil. 21. in Ezechiel.

---

§. CCCLXV.

Oculi ad voluptates lubrici, ferant vitiorum tesseram.

Exodi 10. Pharao tot hactenus plagis pertinaciter obstinatus, Dei populum dimittere renuit. Dixit autem Dominus ad Moysen: *Extende manum tuam in cælum: & sint tenebræ super terram Ægypti tam densæ vt palpari queant. Extenditque Moyses manum in cælum, & factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa Terrâ Ægypti.* Caietanus sic transfulit: *Et sic obscuritas obscurans.* Lipomanus verò ita reddit, & exponit hunc locum: *Extende manum tuam in cælum, & auferat tenebras, hoc est, illæ tenebræ posteriores expellant priores tenebras noctis, sicut lux maior tollit minorem, idest, sint multò densiores nocturnis tenebris.* Idemne est: Sint tenebræ palpabiles, seu obscuritas obscurans; ac tenebrarum ablatio: Cæca caligo non tantùm luce, sed obscuriori etiam caligine dispellitur: Densiores tenebræ obeunt claritatis vices, & quidem tenebræ è cælo missæ. *Extende manum tuam in cælum, & sint tenebræ*, hoc est, *& auferant tenebras.* O quoties cæcitatis tenebris aufertur perspicacior oculorum caligo. Oculi enim & ad vitia duces sunt, & in malitiæ errores passim cæcè impingunt. Adeò vt gratulādum foret Tobiæ de cæcitate cælitùs immissa, quasi de ablata occasione cæcè errandi, de perspicaci oculorum ad vitia instigatione. O quoties cæcâ oculorum perspicaciâ, tanquam in densâ caligine, lubrico lapsu in vitia ruimus! Non malè 1.

Exod. 10. v. 21. & 22. Caietan. ibi Lipom. in Catenâ.

Densiores tenebræ obeunt claritatis vices.

Hic vers. 6.

malè oculos dixeris, Virtutis aleam: adeò vt quasi de re nimis peregrinâ hic gratulandum sit Annæ, quod sedulis perspicaciter oculis felicitatem procul hauserit: inde gaudiũ captans, vnde mœrendi caussas captare solemus.

2. Ioann. 1. v. 1. Ioannes cap. 1. de Christi Dei aduentu agens, ita habet: In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Doctè aduertit Beda, quod in Scripturis sanctis *To sanguis*, cùm dicitur pluraliter, peccatum significare solet: obuia sunt Bibliorum exempla. Non sic obuium exponere, quid sit, *Ex voluntate carnis.* Quæ est carnis *voluntas*? Opinor, voluntas animæ attributum est, non carnis proprietas. Profectò *voluntas* peregrinatur in *carne*. Omitto hìc multa, quæ densè commentatores adaggerant, vt citiùs exscribam quod Hugo inibi luculenter scribit: *Neque ex voluntate carnis*, inquit, *neque ex amore carnali.* Nempe carnalis hominis appetitus, calore libidinis æstuans, dum salacissimè fertur ad coitum, *voluntas carnis* nominatur. Nunc autem curiosiùs sciscitandum est, hæc *carnis voluntas*, quâ mente ducatur. Porrò voluntas, cæca potentia est, & quæ nisi mentis ductu, non agitur ad concupiscibilia: quis enim appetat quod ignorat, & cuius mens notitiam non ingerit? Perbellè ad rem S. Ambrosius oculos appellat carnis mentem? *Est*, inquit *oculus, & mens carnis.* Scilicet appetitus carnalis, seu exæstuans libido dicitur *voluntas carnis*; mẽs ergo quâ ducitur voluptuosa concupiscentia, oculus est; ne voluntas absque suâ mẽte feratur. Tali voluntati mens talis congruebat. Sublimentur *oculi ad mentis* elogiũ: sed quò perspicaciùs appareat, quam cæcâ, turbidâ, & obscœna rectione, carnis negotium peragant: ô caue à turpi aspectu, quæ mens concupiscentiæ est, & carnalis voluntatis cæca ductrix! ô amãtium vel amentium oculos, ad vitia perspicaciter cæcos!

Carnis datur voluntas, cuius mens, oculus est.

Hugo ibi.

Ambros. in Psal. 118.

5. Matth. 5. v. 28. Matthæi 5. Castimoniæ legem ad Christianæ puritatis redundantiam, his verbis præscribit Christus Deus: Audistis quia dictũ est antiquis: Non mœchaberis. *Ego autem dico vobis: quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Putasne, quòd licèt adulterium non perpetraueris; quòd adulterij scenam, quam oculorum mens repræsentat, & voluntate carnis, concupiscentiam sensuum exequitur, vacat libidinis crimine? An putas tunc primùm te introire meritoriũ, cùm fornicem meretricis ingrederis? Intrasti iã, quando in cogitationes tuas per oculorum fenestras meretrix introiuit. Intrasti iam quando ad potiendam prostibuli cupiditatem, carnalis gressu mentis intrasti. Pulsasti lupanaris fores, quando ad mulieris concupiscendæ decorem, carnis oculos lascinus aperuisti. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo*, oculis præproperè scortantibus, dũ scenicã libidinem sensuum phantasmatibus peragunt. Appositè Hebræus Philo: *Quapropter eos qui diuertunt à rebus animæ, & lasciuè conuersantur cum mentis filiabus, id est, sensibus, tanquam cum meretricibus, contra Solem tolli iubet.* Qui diuertunt à rebus animæ, & lasciuè conuersantur cũ carnalis mentis filiabus, id est cum sensibus, oculorum nictu & lenocinio visam pulchritudinem attrahentibus, & scenicè repræsentantibus; hi, hi inquam, cum *meretricibus sensibus*, per oculorum concupiscentiam scortantur, in lasciui cordis lupanari: vbi tot meretrices appetitui prostant, quot imagines pulchritudinum, oculorum concupiscentia colorat: ô sensus meretricantes! ô scortantes oculos! ô lasciuiam facilè parabilem! quam nec auaritiæ genius, nec lenocinij sumptuosa negotiatio retardat: ô castas sæpe meretrices, quas impudici oculi, per scenam libidinis identidem constuprarunt.

Sensus meretrices fiunt, oculorum lenocinio.

Philo lib. de Somn.

Iob 31. Appendat me in statere iusta (id est, iustitiæ & sanctitatis) & sciat Deus simplicitatem meam. Vnde tanta Iobi virtus vel cælo innotescet? *Si declinauit gressus meus de via, & si secutum est oculos meos cor meum*, &c. LXX. interpretes sic efferunt postrema verba. *Si oculo obsequutum est cor meum.* Hebraïcè sic habetur: *Si abiit cor meum post oculos.* Quæ verba sic paraphrasticè exponit Philippus: *Nec cor meum acquiescens secutum est oculos meos, cùm concupiscentiæ imagines illi offerrem.* Hinc manifestè apparet, quòd Desiderium & Concupiscentia ideò aliquandò oculis attribuitur, quia illorum concupiscentiæ obsequatur & acquiescat voluntas, cuius propriũ est desiderare. Sic Ecclesiastes c. 2. postquam dixerat: *Omnia, quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis.* statim exegeticôs subiungit: *Nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur.* Vbi (vt adnotauit noster Pineda) aduertere licet, importunitatẽ quandam in postulando & petendo attribui oculis; sed negare & concedere, attribui cordi. Quare quòd Salomon *non negabat*, obsecutus nimirùm oculorum concupiscentiæ, quæ auidissimè ad voluptates hiabat; negabat vtique constanter sanctissimus Iob, cuius cor nunquam paruo aliquo affectu excæcatũ, ductum sequebatur concupiscẽtiæ oculorum; sed spectatis voluptatibus frugali simè abstinebat. Tempestiuè Clemens Alexandrinus in lib. 2. Stromatum, peruestigans in quonam situs sit vltimus finis hominis, cuius adeptione summa felicitas, felicior beatitas constat, ita scribit: *Ex Academia autem (hoc est, ex schola Platonis) recentiores volunt nonnulli finem tradere; firmam ac stabilem à visis abstinentiam.* Nempe ex sentẽtia Platonicorum (sapientiæ tunc antistitum) consummata virtus, & felicior beatitas est, quando humanum cor *non abiit post oculos, cùm concupiscentiæ imagines illi offerent*; sed fruge voluptatis visæ frugaliter abstinens oculorum vota sistit, spectatas dilicias refutat, & concupiscentiæ imagines, quas voluptas fallaciter colorat, flectinescio virtutis proposito frugaliter excutit, & obstinatè recusat. quasi virtutis summa, & piæ felicitatis meta, sit *firma ac stabilis à visis abstinentia.*

4. Iob 31. v. 1.

LXX. interp. Hebr. text.

Philipp. ibi.

Eccl. 2. v. 10.

Pineda in prælatum. Iobi locum.

Firma à visis abstinentia, à Platonicis putatur summa hominis felicitas.

Clem. Alex. 2. Strom. cap. 11.

1. Psalm. 37. v. 11. Psalmo 37. *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea; & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* Cæterùm cùm *lumen* hic *oculorum*, & aliis Scripturæ locis, nec non & apud profanos auctores audiatur, videtur regius Psaltes (ait P. Lorinus) opinioni fauere Platonis, Empedoclis, Galeni, Aphrodisæi, Ptolomæi, Senecæ, Lactantij, Alchindi, Chalcidij, Euclidis, & aliorum, intra oculos lumen contineri. O non bonum sæpè oculorum lumen, quod fomenta concupiscentiæ sufflammat, & præmunitam cordis arcem euertit. Bene notat Saluianus, *O mens improbas cupiditates in cor per oculos, quasi per naturales*

Cupiditates per oculos, quasi per naturales cuniculos in cor intrant.

Saluian. lib. 3. de Guber.

naturales cuniculos introire. O validam subuertendarum arcium machinam!

6. Thren. 4. v. 24. Threnorum 4. *Errauerunt cæci in plateis, polluti sunt sanguine.* Cæci & oculis orbati erant in plateis, durissimæ stragi destinati. Quid cæco cum plateis. Imò oculi plateis cōparantur. Sententiosè dixit Plato in Phædro. *Oculus à quibusdam, animi platea est nominatus.* Sat esto, digitum ad pulchram metaphoram intendisse. Aliam adducit Saluianus commentans præfata Christi verba: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo,* sic fatus: *Tunc* (id est in lege veteri Hebræis scriptâ) *etiam carnali illecebræ lex indulgebat, nunc Euangelium nec aspectum: tunc corporea voluptates habebant quandam licentiam; nunc iubentur etiam oculi custodire censuram.* Profectò non sine epithasi Saluianus dixit, *oculorum censuram.* Sufficiat id cursim adnotasse. Procliue erit peritis vtramque euiscerare metaphoram, moralitatum grauidam, ne ferant oculi vitiorum tesseram.

Plato. *Oculus est, animi platea.* Plato. Matth. 5. v. 28. Salu. lib. 3. de Prouid. *Oculorum censura.*

7. Genes. 38. 14. & 15. Geneseos 38. cunctantet agit Iudas cum nuru Thamar, nec iam adultum Selam illi in coniugem tradit. Nunciatum est autem Thamar quòd socer illius ascenderet in Thamnas ad tōdendas oues. *Quæ depositis viduitatis vestibus, assumpsit theristrum: & mutato habitu sedit in biuio itineris, quod ducit Thamnam. Quam cùm vidisset Iudas, suspicatus est esse meretricem.* Benè *theristrum*, id est, æstiualia induit, quæ libidinis calore æstuat: & veste pellucida non tam induit, quàm nudat corpus, quod viatori prostituit. Itaque pulchra Thamar *in biuio* sedet sumptuosiùs ornata, vt furetur Iudæ concubitum. Verùm venusta facies obuoluta theristro, viduam Iudæ nurum dissimulat, & pudicam olim Thamarem negat. Sed quantumuis faciem ad lasciuiam abscondat, palam scortatur. Caietanus pro *Tō sedit in biuio*, exscribit, & exponit: *Sedit in porta oculorum.* Nempè quantumuis faciē dissimulet, dum ornatam pulchritudinem obuiis spectatoribus ostendit, suspicātur esse meretricē: & quæ *in porta oculorum* sedet; *in biuio* velut meretrix sedere perhibetur. O ethicè verissimam Iudæ suspicionem! quæ *in porta oculorum* ornatior sedet, quasi pudicitiam prostituat, meretrix *in biuio* habetur, scortum nuncupatur. Quæ ostentatâ pulchritudine spectatorum oculis portam reserat, scortari *in biuio* putatur. ô claude *oculorum portam*, quam si pandis, *in biuio* sedere meretrix existimaberis, salaciter aucupans spectatorū concubitum. Idem reputa, sedere *in biuio* velut meretrix, ac *in oculorum porta sedere.*

Sedere in biuio velut meretrax, est sedere ad portam oculorum.

Caietan. ibi.

§. CCCLXVI.

Securè terrena aspicit, qui priùs cælestia vidit.

1. Matth. 4. v. 8. ADhuc persistens vt Christum tentando deiicitat, *Assumpsit eum Diabolus in montem excelsum valdè, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.* Ostendit autem hæc Diabolus Domino, non quod ipse visum eius amplificare potuerit, aut aliquid ignotum demonstrare; sed pompam terrenæ gloriæ, quam ipse impensiùs diligebat, quasi speciosam ostendens, eius amorem Christo suggessit. Sed planè hîc Dæmon malitiosè stultescit. *Quantò enim excelsior erat mons, tantò ex eo spatiosior terra videtur.* quod peritè incertus Chrysostomus adnotauit. Nempè si nuper, *aperti sunt ei cæli*, parùm mouebitur Christus ex terræ cōspectu, post visum cælum, remque cæli perspectam, securè terra videtur. Et vt aliæ rationes Christo deessēt, ne tetationi adnuere posset, hæc caussa validissima foret ad renutum.

Impers. homil. 5. in Matth. Mat. 3. v. 16.

2. Machabæorum 7. inclyta illa matrona, constantiæ typus, & magnanimæ pietatis simulacrum; semel in se, septies in filiis martyr: iussa est à rege Antiocho, vt septimo filio (qui totius potestatis carnificentiæ solus deerat) suaderet, quòd suis edictis tandem obtemperaret, vt cum vitâ regiam experiretur magnificentiam. At illa matrem interim oblita masculâ pietate sic filio locuta est patriâ voce: Tu solus superes, summa votorum meorum, tu postremus clausisti partus meos, tu postremus conclude gaudia mea. Miserere mei, quæ te in vtero tot mensium curriculo portaui, ne vno momento confundas senectutem meam, ne decolores tot fratrum tuorum trophæa, nec sacrum eorum comitatum relinquas; ne consortium deseras. Te adhuc isti expectant triumphi: aspice ad fratres, qui collegam requirunt, aspice ad matrem, quæ tibi lac dedit: redde mercedem pij sanguinis, noli à fratribus, noli à matre diuelli. Sed diligentiùs nota verba, quæ sacer Historicus non omisit. *Peto, nate, vt aspicias ad cælum & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt.* Mirùm sanè est, quòd dum pientissima mater serið animos afflate filio adnititur, vt sæua pro religione subeat cruciamenta, quæ Tyrannus atrociter minitatur, tunc hortetur illum, vt *terram aspiciat*, & omnia etiam quæ in terra sunt. Benè est, cælum intueatur, & ibi repositas gazas constantiæ promissas, quibus pietatis athletas vbertim munerat Deus: quid tamē attinet ad vegetandam pietatis constantiam, suasisse, vt aspiciat etiam *terram*, & omnia, quæ in ea sunt? An non potiùs ex terræ, & terrenorum aspectu, deflorescit sanctitas, languet pietas, virtus marcescit, & magnanimitas exanimatur? An non pestilens terrenorum halitus, probitatem plerumque fascinat, & ad mundiales delicias impotenter prolectat, voluptatis præstigio? Hæc fortassis dubitatio compulit Sanctium, vt subobscuram aliquam commētationem horum verborum excogitaret, & quam subpuduerit matrem explicatiùs tradere filio, altiora cogitanti. Verùm enimuerò Cælum priùs aspiciendum esse dicit, & omnia quæ in eo sunt, quæque auctorem Deum præclarè publicant: dein Terram, & omnia quæ in eâ sunt, securè, imò & vtiliter aspici possūnt: nam aspicienti cælum, resque cæli penitiùs consideranti, sic terra sordet, & omnis mundi gloria squalet, vt terræ, post cælum, aspectus, animos ingerat ad egregia virtutis facinora. Quò forsan adlusit Carthusianus ad hunc modum doctè præfata verba illustrans: *Peto, nate, vt aspicias ad cælum* (priùs inquam, quo ordine res in textu ponitur) *& terram, & ad omnia quæ in eis sunt,* &c. *ex hoc concipies tantum timorem, dilectionem, & venerationem ad proprium creatorem, vt non timeas carnificem istum, qui sic dilaniat homines.* Securè, quin & proficuè respicit terram, qui priùs cælum resque cæli penitiùs aspexit. *Heu quàm sordet terra, cùm cælum aspicio!* decantatissima protoparentis nostri Ignatij

2\.

2\. Machab. 7. v. 28.

Securè terram, post aspectum cælum, intueri licet.

Sanct. ibi.

Carthusian. ibidem.

vox

vox est. Non tam despicit terram, qui ab eâ oculos auertit, & ad eius intuitum cæcus est; quàm qui post attentionem cæli, rerumque cœlestium contemplationem terream videt: tunc enim terram aspexisse, eam despexisse est. Cui cóspicuum est cælum, terra sordet, res terræ squalet, & omnis mundi gloria in propudiosam degenerat ignominiam. Cui terra nimis placet, cælum inuisum est. Cæcus ad cælestia, ad terram resque terræ oculatissimus est. Hinc Tobias cælesti contemplationi adsuetus, terrenam Regis gratiam, & regias inde opes, nihil faciens, ea concaptiuis sumptuosius impendit. Quid mirum? perviderat cælestia cùm terrena videt. Imò vix aut nec vix quidem terrena, quæ contrectat, videt, qui cælestia vidit. Et hic primò *cæli lumen* videt, vt tutò reliqua exinceps videre possit.

Hic vers. 8.

3. Geneseos 1. summus rerum opifex Deus, in opificij mundialis auspicio cælum, & terram creauit: deinde lucem mundo accendit, quæ operis sui venustatem alternante vice afficit, aut splendore lucis, aut tenebrarum nigrore. *Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quòd esset bona: & diuisit lucem à tenebris. Appellauitque lucem Diem, & tenebras noctem.* Hæc lux, præproperus Sol est, nunc primum mundi triduum in noctem diemque dispescens, mox reliquos mundi dies, aut lucis splendore, aut tenebrarum caligine colorans, decoloransve. Qua super re ita ad rem præsentem eleganter scribit Philo: *Nonne*, inquit, *vides Solem ipsum aliud orientem, aliud occidentem efficere? post exortum eius illustrantur in terris omnia, in cælo verò celantur: è diuerso post eius occasum sidera quidem promicant, terrestria, verò cuncta obteguntur vmbris superuenientibus, ad eundem modum res nostra se habent.* Scilicet solaris lux, quæ noctem ac diem diuidit, ita cursus suos lucendo peragit, vt Sol exoriens sic terram duntaxat illuminet, & notam faciat, vt cælum, remque cæli abditissimè abscondat. Primò terram videnti, cælestia occultantur; & cælum ignorat, quisquis terrena tantùm intuetur. (O caue, ne terrestris gloriæ aspectus, concupiscentiæ oculos præoccupet, & voluptatis lenocinio mentem subornet!) Cum verò, mundiali Sole occidente, sidera promicant cælestia, humanis oculis perspicuè patent terrestria cuncta, id est, omnis mundi gloria, & quidquid humanam appetentiam allicit, obteguntur vmbris superuenientibus.) *Ad eundem modum res nostra se habent,*) Tunc quidem terram contrectat homo, terrenam inhabitat domum, inter terrestria versatur: sed cui patent cælestia, terrestria in quibus versatur, securè tractat, innoxiè contemplatur: nam cui cælum est perspicuum, omnis terrenus splendor *vmbris superuenientibus obtegitur.* quasi de cæli aspectu, nil splendidú in terrâ appareat. O quàm sordidè squalet terra, cælum penitiùs intuenti, ô abstrusum visionis nostræ mysterium. Cui terrena ob oculos patent, cælestia inuisa sunt: cui verò cælestia clarè promicant, etsi in terris versetur, & terrestria tractet, omnis terrenæ gloriæ splendor *vmbris superuenientibus obtegitur.* Planè eloquenter Philo. Sed alibi forsan dabimus, quo modo mundi tenebræ cælestia manifestent.

Genes. 1. v. 3 & 4, & 5.

Sol oriens manifestat terrestria, & cælestia occultat; è diuerso occidens.

Philo lib. de omn.

4. Geneseos 8. dum altè exundat mundi naufragium, naufraga enatat. Noëmi scapha, vbi paucula iam gens hominum, Dei verbo velut remige, & vere gubernatore, sospes seruatur. Desæuit tempestas, decrescunt aquæ, & arca profundè limo impacta fluitare desit. Sed adhuc Patriarcha prudenter morosus egredi cunctatur. Indicia malefida sumit à coruo, nec emissa columba rem explorauit. Igitur *aperiens Noe tectum arcæ, aspexit, viditque quod exsiccata esset superficies terræ.* Profectò nimis operosum videtur aperire arcæ tectum trecentis cubitis longum, præsertim cùm peruium foret aperire fenestram per quàm coruus & columba emissa fuerant: aut saltem ianuam, quæ patula erat; quippe per eam tot animantes in suas caueas subintrarant. Et quidem, vt doctè notat Caietanus: *Littera nullum effectum huius remotionis* (tecti inquam) *narrat, nisi visionem: quòd Noe, videlicet remoto operimento vidit terram esse aridam.* Ad terram perуidendam, & explorandam, cur non fenestram aut ianuam aperit, quæ propiùs terræ vicinantur, & è quibus magis est peruius terræ prospectus? Porrò præterquam quod vastissimi tecti remotio operosior est; apertione tecti, cælum potiùs aspectabile redditur, quàm infima terra. Hebræus textus sic exscribit apud Lipomanum: *Et abstulit Noe operimentum arcæ, & vidit & ecce siccata erant facies terræ.* O arcanam Dei erga suum Noëmum prouidentiam? Scilicet tametsi nimis sudandum erat in offerendo vastissimo illo arcæ tecto; ethicè expediebat, vt noui seculi hominibus priùs pateret ad cælum aspectus, & posteà *facies terræ* despectarent: nam securè videt terram, qui priùs cælum aspexit. Ante suspiciant cælú, & posteà impuni obtutu *facies terræ* despicient. *Facies*, inquam, *terræ* videndæ erant, non vna duntaxat facies. Faciem, inquam, quam reddit cænosa calamitas, in quâ passim impingimus: & faciem quam exhibet hilaris prosperitas, quâ elatione efferimur. Peruidendæ erant rerum mûdialium *facies*, quæ humanos oculos forma præstringunt, & specie deludunt; aut bracteato nitore, aut squalore ærumnas exaggerante. Ergo etsi nimis operoso labore, & ad terræ aspectum fortè superuacuo: auferat Noëmus operimentum arcæ, vt priùs videat cælum, quàm *terræ facies* curiosè exploret. Nam securè terrena aspicit, qui priùs cælestia vidit: exinde noui seculi aspectus humanus, cæli priùs quàm terræ obtutu diiucundus erat, vt de oculorum auspicio recens felicitas exordium sumeret.

Genes. 8. v. 13.

Cur Noe aperuit tectum arcæ, vt terram videret.

Caiet. ibi.

Lipom. ibi.

---

§. CCCLXVI.

Incessanter benè operandum est; non enim valdè distat, studium virtutis omittere, aut intermittere.

Imbecilli animi vox est, & adhuc cunctantis. Hoc virtutis opus in præsentia differamus, multum enim operæ, multum nunc diligentiæ poscit. Cùm primùm longiorem sperauero moram, tunc in manus sumam. Profectò quædam sunt, quæ otium desiderant, quædam quæ possis & incedendo facere. Dum occupatissimus etiam es, age aliquid, quod pietatem sapiat: nunquam enim non succedent occupationes nouæ, serimus illas, 1.

Parùm distat studium virtutis omittere, aut intermittere.

Senec. epist. 73.

illas, atque ex vna exeunt plures: deinde ipsi nobis dilationẽ damus. Cùm hoc peregero, toto animo incumbam, inquis, & si hanc rem molestam composuero, pietatis operibus totum me crebrò dabo: *Non cùm vacaueris, philosophandum est:* (id est virtuti studendum) *omnia alia negligenda, vt huic assideamus, cui nullum tempus satis magnum est, etiam si à pueritia vsque ad longissimos humani æui terminos vita protenditur. Non multum refert vtrum omittas Philosophiam, an intermittas. Non enim vbi interrupta est, manet; sed eorum more, quæ intenta dissiliunt, vsque ad initia sua recurrit, quod à continuatione sua discessit.* Resistẽdum est occupationibus, vel cunctationibus, nec explicandæ, sed submouendæ sunt. Tempus quidem nullum est parum virtuti idoneum. Incidet aliquid quod impediat, non equidem eum, cuius animus pietati diu impensiùs studet. Imperfectis ad hac interscinditur boni operis studium, perfectis verò contexitur, pia quàdam benè operandi auaritià, quæ exercendæ pietatis occasiones opportunè, ac importunè perpetuò aptat, ad meritorum vsuram.

Egregia similitudo ad rem explicandam.

2. Lucæ 11. Christi Dei discipuli discipulorum Ioannis æmulatione solemnem orandi formulam à Magistro expetunt. Eam cõfestim Christus tradit, & velut compendio mortalium vota Deo precibus exponenda proponit: atque vt precantium animos impetrandi fide suffulciat, ita subtexit. *Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo, quod ponam ante illum,* &c. Parùm est, quod facientem misericordiam nox abscondit, & dantis largitatem, petentis obtegat improbitas, nisi ad cumulum pietatis velandæ adscriberetur & somnus: & vt ei magis dormire liceat, quàm dare libeat sic petenti. Ecce pulsanti illi plus quàm necessitas postulantis, ipse donãtis somnus extitit suffragator: nam qui importunior accedit, molestus quietis interpellator, eò magis in donante prænitet largitatis studium. Nec otiosum reor esse, quod horam petendi sic aperit, sic designat dicendo: *Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte*: Quasi non & prima, & secunda, & tertia hora noctis, cùm se sopor blandus dormientibus primùm fudit in corpora, & visceribus diurno labore fessis, dulcis, ac totus illabitur; molesta & aspera sit inquietantis improbitas. Quare mediâ nocte intempestiuus petitor inducitur? Perbellè ad rem Chrysol. ita scribit, quo solet polito ingenio & eloquio; *Sed hoc tempus est*, inquit *quod deuotum inge pernoctantis demonstrat indicium: hoc tempus est, quo inter præteritos, & futuros labores ardens animus, sed ad diuina nil indulget corpori, nil quieti: sed antequam finiat transacti diei opera, inchoat & anticipat iam futuri.* Benè quidem, & optimè notat & expendit Chrysologus, quòd hic amicus largitatis operator, & pietatis typus; qui propè ianuam lectum sternit, vt vel in nocte intempesta expromptiùs benefaciat: hic, hic inquam, *media nocte* consultò ad benefaciendum aditur, *media nocte* benè operandi occasiones captat, ne tantisper benè operari cesset, & somno pietatem interrũpat. Media nox, tempus est, in quo dies præcedens terminatur: ergo exercendæ pietatis auarus, ne per multæ noctis intempestiuitatem, sine boni operis exercitio præcedentem terminet diem; media nocte cupit adiri, vt sic penè transactum diẽ benè finiat, & auspicatò futurum inchoet. *Hoc tempus est, quod deuotum, & inge pernoctantis demonstrat iudicium, quo inter præteritos, & futuros labores, nil indulget corpori, nil quieti, sed antequam finiat transacti diei opera, inchoat, & anticipat iam futuri.* Sic piè ambit nil temporis in quo benefaciat, cessando perdere, sic sollerter procurat transacti, & futuri diei opera nec tantisper interscindere, ne ipse virtutem vel modica interruptione desuescat. *Non multùm refert vtrum omittas Philosophiam* (id est virtutis studium) *an intermittas. Non enim vbi interrupta est, manet; sed eorum more, quæ intenta dissiliunt, vsque ad initia sua recurrit, quod à continuatione sua discessit.* Qui sæpè bona opera interrumpit, denuò inchoare cogitur: *malè viuunt, qui semper viuere incipiunt.* Ideò ergo bonus hic amicus *media nocte* benè operari gestit: & Tobias *mediis noctibus*, misericordiæ opera sic auidè exercet, ne vel quiete pietatem intermittat, adeo vt vel cæcus, etsi tantisper offensans, hîc maturare gressus non desistat.

Lucæ 11. v. 5.

Pia auaritia non cessandi à bono opere, mediâ nocte pietatem non intermitti.

Chrysol. ser 39.

Senec. epist. 23.

Hic vers. 10.

3. Euangelicus Vates cap. 62. sub typo Synagogæ Babylone liberatæ, Ecclesiam describit tempore redemptionis. Propter Sion, ait, non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius. Et de eximiè iustis in Ecclesiâ futuris, hæc subdit: *Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis vltra derelicta*, &c. Nempè cùm iam iustus *derelictus* non est, nec cessans benefacere; sed de redemptoris gratia, bonorum operum fœcundus; tunc de illo scribitur, quòd erit *Corona gloriæ in manu Domini.* An non corona otiatur in manu? *Coronamento in manu otioso*, aiebat Tertullianus: locus enim coronæ idoneus, caput est, manus non est, etsi manus strenuè operando capitis ornamentum mereatur. Forrerius putat esse Hebraismum: *Corona gloriæ in manu Domini*, id est in Domino, nimirum in Domini capite, ac si manus cum capite vices reciprocet, & in capite manus coronentur. De quo forsan alibi, nunc satis sit digitum intendisse. Aliter locum hunc Hugo Carensis exponit: Erit Iustus *corona gloriæ in manu Domini, id est, de manu Domini*, quasi manus, quæ aliis coronam donat, ipsa potiùs donando coronetur (quod aliûs thematis argumentum esto.) Ipse autem Hugo præfata Isaiæ verba mysticè imbi exponens, ita scribit: *Corona gloriæ in manu Domini; id est, Ecclesia audiens verbum Dei, & implens eius præceptum, corona est Christo.* Nempe quicunque iustus dum Christi præceptis, atque consiliis obsequenter perpetuò paret, nec cessat benè operari; consultissimè *corona in manu* nominatur. *Manus* enim operationis symbolum est: & *corona* non modò honoris insigne, sed perpetuæ continuationis hieroglyphicum est. Vnde dixit Psalmographus: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* Scilicet Corona, continuatus perpetuò circulus est, nullâ ex parte interscissus; à se vndequaque incipiens, & ad se incessanter rediens. Ergo *corona gloriæ in manu*, erit bona operatio iugis, continua, perpetua, quam nulla quies intervallo disiungit, aut cessatione intercipit. O grande Euangelicæ legis elogium, in qua iustus est sicut *corona gloriæ in manu Domini*, id est in eius *prouidentia*, (vt ait Glossa) & quidem auctuosa, ne cesses, sed *mediis* etiam *noctibus* operari faciat,

Isaiæ 62. v. 3.

In capite manus coronatur.

Tertull. de Coron. Milit. cap. 1.

Manus, quæ aliis coronam donat, ipsa potiùs donando coronatur.

Hugo ibi.

Quæ sit corona gloriæ, quæ manum adornat.

Psalm. 64. v. 12.

Glossa ibi.

faciat. *Quò inter præteritos & futuros labores, nil indulgeat quieti; sed antequam finiat transacti diei opera, inchoet & anticipet iam futuri*, quæ est corona gloriæ in manu sumptuosè fulgens.

4 Ioannis 11. Lazaro dudum tumulato Christus adest: opplorant sorores, ipse quoque pariter illacrymat: & lacrymis peramanter infusus, venit cum eis ad monumentum, erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei. Ait Iesus: *Tollite lapidem*. Non sufficit amouere lapidem, qui mortē sufficit effugare? sepulchri claustra reserare non valet, qui portas tartari præualet aperire? *Tollite*, inquam, miseræ humanitatis obsequium, vt hominem quem ego posui, nunc reponam. *Dicit ei Martha soror eius, qui mortuus fuerat: Domine, iam fœtet, quatriduanus est enim.* Sic dicendo fœtoris publicat testimonium, vt plena mors audientibus innotescat, quatenus quod resurget Lazarus, redeuntis sit spiritus, nō latentis. Peridoneè Chrysologus Euangelistæ verba, hoc pulchro ad rem glossemate sic illustrat: *Dicit ei Martha: Domine, iam fœtet, quatriduanus est enim. Dicit & tempus, vt sciant, quia auctor est temporum, cui tempora nulla præscribunt. Iam fœtet, quatriduanus est. Dicendo sic exaggerat desperationem, vt qui adsunt, videant, quia Deus est.* Nempe pigra mora tot dierum, quibus inerter iacuit Lazarus sine motu, sine opere, absque sensu, & operationis indicio; apud homines *præscribit* de plenâ morte, dum adstantium desperationem exaggerat. At quatriduana etiam cessatio non præscribit apud Deū, *cui tempora nulla præscribunt.* Grande quidem Christi Dei elogium, *vt qui adsunt, videant, quia Deus est:* quòd Lazarus qui toto quatriduo à vitæ muniis inerter cessauit, & desidiæ squalore fœtet; rursus vigore resumpto à vitæ operibus reddatur idoneus. O sic quatriduanæ cessationis tempus apud homines *præscribit*, vt inde desperationis exaggeretur iudicium. Sic est Christus omnipotenter præualidus, vt illi humanæ inertiæ *tempora nulla præscribant:* Christus, Christus est, qui hominem toto quatriduo à vitæ muniis desidiosè cessantem, ad pristinum vigorem restituere eualet: quippe *cui tempora nulla præscribunt.* Ergo incessanter benè operandum est; non enim valdè distat, studium virtutis prorsùs omittere aut quatriduo intermittere: quatriduo enim vitia præscribunt. Nulla autem vitiosæ cessationis mora ineluctabilis est ei, *cui tempora nulla præscribunt.* Necesse est, vt nulla tempora præscribant ei, qui quatridui inertē cessationem ad pristinum vigorem restituere præualet.

Homini præscribunt tempora, non Deo.

Ioann. 11. v. 39.

Chrysol. ser. 65.

§. CCCLXVIII.

Malè dulcis est humana felicitas, quam prauia difficultas non condit ad placendi gratiam.

1. CViuspiā è priscis Philosophis pulchra vox est: *Magnum efficiunt res aduersæ, secundæ felicem.* Quin & sæpè felicitas de prauiā aduersitate sapit. Certè magni animi est clementer omnia ferre, fortunæ obluctari, per obstantia ire. Post ardua, gratior est quies; sicut post nubila Phœbus dulciùs rutilat. Felicitas, quæ non vocata venit, pectus non implet: quasi de prauiis votis, gliscentibus appetentiæ spebus, & arduā adeptione, gratiam placendi mutuetur. Nauseamus ad exprompta, hiamus ad ardua, & quæ ex confragoso veniunt. Infanti melimela dato, fatua est voluptas, quam prauia difficultas non mellit, nec placendi saporem sudore mercatur. Gratiæ nunc officiositas, quā possessioni dulciùs blanditur, præambulā arduitate, è peruerso lenociniāte exacuitur ad mulcendi gratiam, & ad felicitatis gloriam coloratur. Nolentia nuper Tobiæ, Raguelis difficultas, & Saræ animitùs nubendi renutus, per oculos lacrymas sudātes euaporatus, futuræ nuptiarum prosperitati blanditur, & nuptias reddidit feliciores. Vltronea nunc felicitas, semper adest insipida: quæ nisi à difficultate sapiat, desipit. Vnde Tobias hîc amari fellis collyrio dulcem visum recuperat, & de doloris sustinentiā futuram mox felicitatem exaggerat. *Hic vers. 13 & 14.*

Prauia difficultas felicitatem melli ad placendi gratiam.

2. Exodi 16. in vastâ eremo nimium esurit Hebræus populus, ex Ægypto in Palestinam operosè redux. Spiritu Dei afflante, cælicum panem largè pluit. *Mane quoque iacuit per circuitum castrorum. Cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super terram.* Quod filij Israelis nescientes quid esset, appellauerunt māna: & panem de cælo, & Angelorum escam, sacri Scriptores exinceps nuncuparūt. Verùm cùm hę lectissimæ dapes magnâ copia exuberarēt, populus illarum tædio querulus, in has voces erupit: *Deest panis, non sunt aquæ: anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.* Quid est, quod Angelorū escam, quæ omnem saporem suauitatis habet, sic iam Israelitæ fastidiunt? Opportunissimè Salomon huius tædij caussam his verbis præbet: *Angelorum, inquit, esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem.* Ecce tibi cibum omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem; & tamen ad illum fastidiosè nauseant, quia *paratum panem de cælo illis sine labore præstitisti.* Quod facilè parabile est, & *sine labore* venit, etsi pretiosissimum sit, sapidissimum, & exquisitissimum, tædio est, & egregiè nauseam mouet. *Anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.* Quò adlusisse videtur Gregorius Theologus sic ad ciues Naziāzenos fatus. *Facti sumus vobis in satietatem, & nauseam, antequam gustum vllum nostri, specimenque præbuissemus. Adeò facilè in contemptum venit, quicquid facile superatur.* Scilicet ipsā quoque experientiā exploratum est, vt ea segniùs expetamus, quibus expromptè frui licet. Difficultas saporis florem perducit ad fructum, illumque erudit ad maturitatem, & ad palati appetentiam condit. Vnde Hebræus populus panem cæli, & Angelorum escam, idest, cæleste manna, omne delectamentum in se habens, & omnis saporis suauitatem, malè fastidit; quia vbertim paratum inuenit, quia *sine labore* colligitur. *Anima nostra iam nauseat super cibo isto.* Ideò de se dixit Nazianzenus: *Facti sumus in satietatem, & nauseam, Adeò facile in contemptum venit, quicquid facile superatur.*

Exod. 16. v. 13 & 14.

Num. 21. vers. 5.

Sapient. 16. vers. 20.

Vel ipsum manna, dum sine labore venit, nauseam mouet.

S. Nazianz. orat. 2.

3. Lucæ 15. Homo quidā habuit duos filios: & dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit: *Et diuisit illis substantiam. Et non post multos dies* *Luc. 15. v. 11. & 13.*

congre

congregatis omnibus, *adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam*, *vbi dissipauit substantiam suam.* Quia est, quòd hic Prodigus adolescens sic opes contemplit, vt illas quantocyùs dilapidarit? Sic depretiat, quod hominum vota sic hianter suspirant? Frater senior ruri præsidens, vomeri assiduus, & agricolationi assuetus, vel hœdum cũ amicis nescit epulo expendere, ne censum diminuat; & eum hic adolescens sic prodigè dissipat, dum tam citò decoxit, vt sui immemor, egestatem ambiisse videatur? Theodoricus rex apud Cassidorum, scribens Felici Gallo prænobili adolescenti, quòd traiecerit in Italiam; maximi eum æstimans: *Excepit te*, inquit, *noster affectus, fecitque esse votum, quod nostrum expetisses imperium.* Vnde apud Regem extitit tantæ beneuolentiæ meritum: *Illustri*, ait, *honore ditatus, tanta te maturitate tractabat, vt annos leues patereris esse sub pondere.* (expende enucleatiùs quæ tempestiuè intexit verba) *Paterna substantia locupletatus, qua nouos semper extollit heredes conseruasti diuitias, cùm ad eas præter laboris studia peruenisses. Solet enim facilè labi, quod sine difficultate potuit inueniri.* Peregregie quidem Cassiodorus! Nempe insolens est, & præ nouitate stupore dignissimum, vt opulentus heres, qui sine labore, iners & stupidus opes citiùs quàm acquisiuit, minimè, *diuitias conseruet, cùm ad eas præter laboris studia peruenerit. Solet enim facilè labi, quod sine difficultate potuit inueniri.* quasi præuius opulentiæ labor, diligens studium, & solers industria, sit æstimationis census, & diuitiarum æstimatio. Opulentia, quæ sine labore parta, & sine difficultate acquisita, de successionis felicitate vltro ingeritur, nauseam sui mouet: fastidimus enim exprompta. *Adeò enim in contemptum venit, quicquid facilè superatur!* Quid seniori filio, & Prodigo adolescenti accommodatius?

Facile labitur, quod sine difficultate inuenitur.

Cassiod.l.2. Var. epist.2.

4. 2.Regũ 12. Ioabus Hebrææ militiæ princeps, duta pertinaciter obsidione Ammonitarum metropolim perdiu cingebat. Misit itaque nuncios ad Dauid, dicens: Dimicaui aduersus Rabbath, & capienda est Vrbs aquarum. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside ciuitatem, & cape eam: ne, cùm à me vastata fuerit vrbs, nomini meo ascribatur victoria. *Congregauit itaque Dauid omnem populum, & profectus est aduersum Rabbath: cumque dimicasset, cepit eam. Et tulit diadema Regis*, &c. Malè adulatur Ioabus Dauidi, cùm illum vocat ad iam obtinendam victoriam, quam facilè parabilem multis diu præliis reddiderat. Tantùm non ipse vicerat, & ad trophæi decus, & triumphi gloriam, Regem adulantiùs euocat? Inane victoriæ vocabulum, re victoriæ vacuum, Dauidi offert, cùm non tam prælia, quàm victoriam spondet: vacat enim victoriæ felicitas, sine concertationũ sudore. Imò inde consultissimè Ioabus Regem hortatur, vt reliquum populum adhuc congreget, & electã manu stipatus, cum hoste manus conserat. *Dimicet*, vt vincat, nam certaminis labore, & difficultate victoria constat, victoria non vltrò inertibus ingeritur; sed de virtute venit, sudore nascitur, & labore perficitur. *Cumque dimicasset, capit eam.* Potentiæ robur, peritiæ solertia, concertationum discrimen, & pertinaciter in præliando patientia *præmium gloriæ conferat, quod certè virtus capere, nisi victrix, non potest, non habitura victoriæ facultatem, nisi cum aliqua prius difficultate certauerit*, ait S.Paullinus, agens de intestino virtutum hoste, qui inuisibili patientiæ lucta detriumphandus est. Virtus, quæ cum difficultate non certat, felix esse potest, victrix esse non potest: nam cessante deuictæ difficultatis elogio, vacat illustre victoriæ nomen, quod à superata difficultate prærogatiuam mutuatur. Prius congregat Dauid electam manum, & quasi Ioab hactenus non dimicasset, denuò *dimicat*, & hostilem diruit arcem, vt certaminis sudor, & periculosæ congressionis ardua difficultas *præmium gloriæ conferat, quòd certè virtus capere, nisi victrix non potest, non habitura victoriæ facultatem, nisi cum aliqua prius difficultate certauerit.*

2.Reg.12. vers.29.

Victoria à congressionis arduitate gloriam mutuatur.

Paull.epist. 35.

Geneseos 2. in felicissimo innocentiæ statu, primi parentes omnibus bonis exuberabant. Præ- 5.
sultribus naturæ dotibus opulenti, animi donis, & gratiæ muneribus cumulantur: & paradiso deliciarum muneriati sublimantur animantium præfecturâ. *Tulit igitur Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum. Præcipitque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede. De ligno autem scientia boni & mali ne comedas.* Quorsum vilis labor in felici innocentiæ statu? forsan tantam felicitatem inamœnet? Quorsùm etiam præceptum? De hoc Basilius ait: *Primis parentibus esu arboris interdictum fuisse, vt in abstinentia voluptatis patientia coronâ promererentur.* Nimirum vt foret etiam operosæ obseruantiæ corona, quod erat gratiosa felicitas; & obsequium gratiam decoraret. Verùm Claudius Marius Victor in obseruatione præcepti tunc à Deo lati, diuiniorem erga homines beneficentiam agnoscit, sic ad præfata Geneseos verba, modulatè pangens:

Namque & in hoc magna Dei indulgentia summi:
Dum quod non meritis, sed tantùm sponte benignâ
Largitur famulis, nostri cupit esse laboris.

Vide quantum Marius labori donet, præcepti operosæ obseruationi tribuat, quasi minus felix esset paradisea felicitas, quàm præuius quasi labor, & solertis obseruantiæ difficultas, non venustaret ad gratiam, & ad celsiorem gloriam decoraret. Labor paradiso, & in paradiso impensus, delicias paradisi dulciùs mellit?

Genes.2.v.15.& 16.& 17.

Impensus paradiso labor, delicias paradisi dulcius mellit.

Basil.hom. 9.

Claud. Mar. lib.1. Poëm sacri in Genes.

Inde opinor, vt de difficultatis lenocinio studium sacræ Scripturæ blandiretur gustui; nil in 6.
omni litteratura adæquè arduum est, ac Bibliorum arcana emedullare. *Mysteria veritatis*, (ait S. Chrysostomus) *Margarita sunt: quia sicut Margaritæ inclusæ conchiliis, positæ sunt in profundo maris, sic mysteria diuina verbis inclusa, posita sunt in altitudine sensus sacræ Scripturæ.* Ne terreat tyrones, quod peritos demulcet.

Chrysost. homil.24.in Matth.

Cur sacra Scriptura sine intellectu ardua.

Matthæi 13. Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semen in 7.
agro suo: cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici. Accedentes autem serui, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? *Et ait illis Inimicus homo hoc fecit.* Non semel ex Hieronymo, & aliis passim Commentatoribus obseruauimus, quòd Diabolus hîc dicitur, *Inimicus homo.* Expeditum autem non est, rationem reddere quare Diabolus, qui non homo, sed spiritus est, nunc *homo* nuncupetur? Plures rationes inibi adducit Hugo, quarum prima, non ad rem idonea-

Matth.13. v.28.

Diabolus à deuicto homine homo dicitur, ignominiæ causâ.

Hugo ibi. doneah æc est. *Et ait illis : Inimicus homo hoc fecit, id est, Diabolus, qui dicitur homo ab homine deuicto. Sicut Scipio Africanus ab Africa deuicta.* Hoc tamen discrimine, quòd Scipio honoris ergo, vt par est, sic appellatur: Dæmon autem ignominiæ causâ, cùm sit purus spiritu, vocatur homo, qui in nomine limi sui dedecus præ se fert. Scilicet Diabolus, vt potè spiritus, naturâ suâ sublimior homine est: quem etsi vicit, inferiorẽ vicit, & quidèm astu & fraude: & inde victoriæ suæ ignomiam in nomine impressam portat: & qui naturâ suâ spiritus est, *dicitur homo ab homine deuicto.* Quod etsi illi optatissimũ fuit, contumeliosum tamen est. Nam malè dulcis est victoriæ felicitas, quam potentis aduersarij robur non condit ad honoris gratiam: nam strenua hostis valentia superatu difficilis, gloriosior victoriæ commoditas est.

---

§. CCCLXIX.

Diuinior prouidentia arcano quodam velut rerum (sic loqui liceat) abusu, sæpè per opposita media intentum peragit finem.

1 Eccli. 1. v. 6 ANimosa Siracides vox est. *Radix sapientiæ cui reuelata est, & astutias illius quis agnouit?* Quæ est hæc sapientiæ *astutia*, & abscõsa prouidentiæ actuositas, quâdam velut sagacitate mirè operosa? Imò (si, liceat audaciusculè loqui) pio quodam quasi seductionis genere, effecta altè operatur. Quod doctè S. Hieronymus adnotauit, exponens illa Pharisæorum ad Pilatum verba: *Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit, adhuc viuens*, &c. sic ergo fatur Hieronymus; *Sicut Caiphas ignorans antè prophetauerat, dicens: Expedit, &c. sic & modò: Seductor enim erat Christus, non à veritate in errorem mittens; sed à falsitate in veritatem, à vitiis ad virtutes, à morte ad vitam ducens.* O bona *seductio!* ô *astutè*, velut impostura piissima, quę de arcanioris prouidentiæ adytis, per media, quæ videri poterant inidonea, quasi de peruerso auxiliarentur, mirissimos præstabat effectus, (& si specie tenus vibretur censura) prospero errore, cæcâ felicitate ad veritatis, & virtutis portum deducit.

Christus, quo sensu verè dici possit Seductor, à S. Hieronymo. Matth. 27. v. 63. Hieron. ibi.

2. Exod. 10. 1. & 2. Exodi 10. *Et dixit Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem: ego enim indurani cor eius: vt faciam signa mea hæc in eo, & narres in auribus filij tui, & nepotum tuorum, quoties contriuerim Ægyptios, & signa mea fecerim in eis: vt sciatis quia ego Dominus.* Numquid Deus eget Pharaonianæ obdurationis malitia, vt ex inflictis plagis planè verus Deus sciatur? S. Augustinus exponens præfata verba: *Ego indurani cor eius, vt faciam signa mea*, &c. ita scribit, *Tanquam opus habeat Deus cuiusque malitia. Sed sic intelligendum est, ac si diceret: Ego enim patiens fui super eum, & seruos eius, vt non eos auferrem*, &c. *Quia cùm patientia Dei obstinatior fiebat malus animus, ideò pro eo quod est, Patiens fui, dicitur, induraui cor eius.* Dei erga impios facilis venia, & dissimulatior patientia, eorum corda obstinatiùs indurat? O time à Dei *patientia*, quæ diuinam iram dissimulatione obarmat; & diu patiendo, malitiæ obstinationem quodammodò subornare dicitur ad grauiorem flagitij punitionem. Verùm Lipomanus grauis, & eruditus auctor, opportuniùs ad thema præsens, præfata Dei verba his verbis commentatur. *Ego induraui cor eius, vt faciam signa mea*, &c. *Atque hic diligenter intuenda est Dei incomprehensibilis sapientia, ac benignitas, qui adeò malorum hominum impietatem non probat, vt non tantùm impios illorum conatus penitiùs frustretur; sed eisdem etiam ad bonum & gloriam nominis sui (vt ita dicamus) abutatur.* Nota hoc verbum, quo cautè pariter, ac profundè vsus est. Humana impietas (cum, aut illi parcendo, aut illam castigando, suam Deus negotiatur gloriam) dicitur *incomprehensibilis sapientia abusu?* O bona gratiæ *astutia!* o pius velut *seductor*, qui pietate ad vlteriorem pietatem vtitur; & humana malitia ad diuinam bonitatem ostentãdam quodammodò *abuti* perhibetur? Summa Dei bonitas, imbonitatem malitiæ exosam habet: eam tamen arcanè permittit, vel potiùs iam permissam ordinat, vt incomprehensibili eius (si dici, liceat *abusu*, & amissam gratiã homo sumptuosiùs recuperet, & Dei gloria micantiùs hominibus innotescat. quasi imbonitas bonitati sæpè militet, & humana offensa diuinæ gloriæ ex occasione aduletur. dum Pharaonis obstinatione, & pertinaci impietate *etiam ad bonum & gloriam nominis sui* [*vt ita dicamus abutitur.*

Diuturnior Dei patientia Pharaonis obstinationem subornat. August. q. 39. super Exod.

Pharaonis impietate ad suam osten- *tandam gloriam Deus velut abutitur.* Lipomanus. inibi.

3. Matthæi 27. Barabbâ impune dimisso, Christus Deus tanquam grauiorum scelerum reus, flagellis cæsus figendus patibulo traditur. Tunc milites Præsidis suscipientes Iesum in prætorio, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem: & exuentes eum, chlamyden coccineam circundederunt ei, *Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius.* S. Hieronymus postquam sensum litteralem emedullauit, mysterium hoc facto adumbratum subtiliter scrutatur, aiens: *Nos autem omnia hæc intelligimus mysticè*, &c. *licet alia mente fecerint, tamen nobis qui credimus sacramenta tribuebant. In chlamyde coccinea opera Gentium cruenta ostentat. In corona spinea maledictum soluit antiquum.* (scilicet qui olim ad spinas & tribulos hominem maledictione damnauerat; in capite suo punctionis acerbitatem expertus, maledictum soluit antiquum) *Calamum tenebat in manu, vt sacrilegium scriberet Iudæorum.* De quo aliàs. Verùm S. Hilarius mysticè hanc spineam coronam cum Hieronymo interpretans, aliud mysterium themati nostro opportunissimum tradit his verbis. *Plectentes coronam de spinis. Spinis quoque, id est, compungentium quondam peccatis Gentium coronatur: est enim aculeus in spinis, ex quibus Christo victoria corona contexitur.* Compungentibus quondam Gentium peccatis Christus Deus velut glorioso diademate coronatur: Quid tam offensum, & Christum Deum acerbè pungens, quàm spinosi peccatorum aculei: quibus sanctissima eius tẽpora probrosè terebrantur contumeliosâ acerbitate, quã sub æmulis suis patitur? ex aculeatis peccatorum nostrorum spinis, quibus illi ab hostibus victoriatum est, victorialem Christus Coronam texit. Notis alienæ aduersus se victoriæ, tanquam propriâ coronâ gloriosè adornatur; & vnde malè cõcisus, & contumeliosè victus videri poterat, inde hostes superat, trophæa erigit, &

Matth. 27. v. 29. *Christus spinis coronatus spinarũ maledictum soluit.* Hieron. ibi.

Ex compungentium peccatorum spinis, Christo victoria corona texitur.

Hilar. ad prædicta Matth. verba.

triumphum gloriosiùs adornat? O triumphalem Christi coronam ex contrariis textam;& de spinosis nostrorum peccatorum aculeis, & suæ Passionis ærumnis mitissimè fabricatam! *Spinis quoque, id est, compungentium quondam peccatis Gentium coronatur: est enim aculeus in spinis, in quibus Christo victoria corona contexitur.* Gloriæ corona ex compungentibus spinis Christo plectitur, de altioris prouidentiæ œconomia; & ex calamitatibus, ærumnis, & tribulationibus, Iustorum corona contexitur. Non est enim in hominis potestate consilium tuum, inquit Sara:

Tobiæ 3. v. 21. *Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quòd vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur,* (probationis nomine tribulationes intelligens, vt in litteræ commentario declarauimus.) Et hîc

Hic verf. 13. & 14. Tobias amaro felle dulcem aspectum recipit; & de dolore indolentiam inuenit.

4 Exodi 9. necdum contumax Pharao tot duris plagis ad Hebræi populi dimissionem emollitur, & flecti nescius in obstinata malitia perdurat. Sed vlteriùs Mosaïcâ virgâ duriùs tunditur. Extenditque Moyses virgam in cœlum, & Dominus dedit tonitrua, & grādinem, ac discurrentia fulgura super terram. *Et grando & ignis mista pariter ferebantur: tantaque fuit magnitudinis, quanta antè nunquam apparuit in vniuersâ terrâ Ægypti ex quo gens illa condita est.* Quid est, quòd grando, & nix pariter mista ferri perhibentur? Dionysius Carthusianus ita hunc locum exponit: *Grando & ignis, vtpote fulgur assiduum valdè terrificum, mista pariter ferebantur, sicque plaga intolerabilior fuit.* Et ita putat se absque vllo negotio loci difficultatem expediisse. Verùm LXX. interpres, præfata verba difficiliori translatione impediunt, sic locum exponentes: *Erat autem grando, & ignis ardens in grandine.* Neque Hebræus textus dissidet; imò prædictam sententiam altè fundat, sic enim habet: *Et fuit grando atque ignis intra grandinem receptus.* O insolens hactenùs prodigium! ignibus æther grandinat, an grandine fulminat? Cælum ningit flammas, an inflammat niuibus. O Ægypti plagas per contraria textas! Quid est, quòd *ignis* ardet in *grandine?* Ignis intra grandinem receptus lateat? O hostilium elementorū cæcas latebras, naturæ rerum palam insidiantes: Putauerim, quòd *grando*, frigidum flammæ receptaculum est, & inidoneum igniti fulguris conceptaculum: nam dum grauidâ baiulatione ignē sibi conuisceratum Grando medullitùs defert, ipsâ gestatione liquescet, magno etiam flammæ detrimento, & quam tandem non partu, sed aborsu edet. O abstrusam diuinioris prouidentiæ profunditatem! In hoc nymbo *erat grando, & ignis ardens in grandine: & fuit grādo atque ignis intra grandinem receptus.* quò flammeus ignis frigidè grādinaret algentes globulos & concreta gelu missilia: & niueâ frigiditate. Grando fulmineos ignes sibi conuisceratos alēs, terribili fragore fulminaret. Ecce tibi pugnaces secum naturæ, proprij dissidij interim oblitæ, ex opposito sibi auxiliantur, quò diuinæ militent prouidentiæ; & rebelles Ægyptiorum mores, grandinis gelu decinerescant, & grandineo fulgure insolenter percussi congelascant: & de oppositis effectibus ad mitius obsequium edomentur. *Quæ ratio* (profundè dixit Tertullianus) *vniuersitatem ex diuersitate composuit, vt omnia æmulis substantiis sub vnitate constarent ex vacuo & solido, ex animali & inanimali, ex comprehensibili & incomprehensibili, ex luce & tenebris, ex ipsa vita & morte.*

Exod. 9. v. 24. *Ignitâ grandine æther fulminat.*

Carthus. ibi.

LXX. interpretes.

Hebræus text.

Tertul. in Apol. c. 48.

Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iuda, &c. *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam, dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Vidimus stellam eius: & quid non eius? Stella eius est, non ille stellæ: stellam, cuius ortum tenebat auctor, non quæ ortum tenebat auctoris, vt quidam hinc phanaticè garriunt. *Stellam eius*, venientem non à genesi, sed à genitore: mandato, non fato: non à computatore, sed ab auctore. Sed quare Magi? quare per stellam? An non potiùs subtrahenda erat Magis siderea occasio errorum, in quorum erroribus superstitiosè ludunt, & diuinitatem de diuinatione æmulari præsumunt? Subtiliter Chrysologus & dubium proponit, & dubio peridoneè respondet: *Quare Magi? quare stella: Vt per Christum ipsa materia erroris sic fieret salutis occasio: quemadmodum per Christum, mortis caussa, facta est vitæ.* Scilicet pietas valdè timere poterat à Magis, dum iam Christum ex animo quærunt, ne ipsi siderum erroribus superstitiosè adsueti, rem sideream tractēt, & nouæ stellæ ductu ad cognoscendum cæli Regem perferantur. O Dei omnipotentem prouidentiam sapientiæ Summatibus absconsam! Inauditā superstitione siderum, Magi religionē inueniunt, & vnde superstitiones captabant, auidè impietatem abiurant; atque pio quodam velut rerum *abusu*, de errorum officina veram fidem excudunt, dum *per Christum ipsa materia erroris fit salutis occasio: quemadmodum per Christum, mortis caussa, caussa facta est vita.*

5. Matth. 2. v. 1. & 2.

Magis ipsa materia errorum fit salutis occasio.

Chrysol. ser. 157.

6. Tertullianus in lib. de Carne Christi, valido rationis impetu eum arctat Hæreticorum errorem, qui censebant, Christum non induisse mortalem carnem, ex primæuo fabricatam limo, sed sideream, aut imaginariam. Non enim adduci poterant, vt crederent, Christum in terrena ac peccatrici carne, homines à peccato redimere potuisse. Contra quos sic arguit Tertullianus ad lemma præsens peridoneè: *Nam inquit, neque ad propositum Christi faceret euacuantis peccatum carnis, non in ea carne euacuare illud, in qua erat natura peccati. Neque ad gloriam: quid enim non peccatricis naturæ, næuum peccati redemit?* (non quòd caro Christi vnquam peccatrix fuerit, quia suam faciens, non peccatricem fecit) Nimirùm ea sumptuosior Christi laus est, non quòd in sidereo corpore, censu peccati exempto, peccatum inimicâ operatione expugnauerit: sed quòd in mortali carne, de eodem Adami limo constructâ, & de se (modo nuper dicto) peccatricæ, næuum peccati redemit, arcano quodam peccatris de se carnis, ad peccati excidium velut *abusu*; quod est generosum Redemptoris elogium, & pius quidam redemptionis fastus.

Christus in Carne ex se peccatrice, næuum peccati redemit.

Tertull. de Carne Chr. cap. 16.

§. CCCLXX.

§. CCCLXX.

Virtus non sic peregrinatur in homine, etsi ad vitia velut impotenter procliues: vt vsu diuturno non reconsuescat.

1. Clem. Alex. 2. Strom. cap. 9. n. 40. *Vitia appellantur, animi appendices & spiritus eidem appensi.*

MAgna est vitiorum peruersa virtus, ad alliciendam hominis concupiscentiam, præsertim si consuetudine tantisper inoleuit. *Basilidis sectatores* (ait Clemens Alexandrinus) *vitia & animi perturbationes consueuerunt vocare* προσαρτήματα *id est, appendices: & ea esse quosdam in essentiâ spiritus appensos animæ ratione prædita, per quandam conturbationem & confusionem principalem: & alias rursus adulterinas spirituum & diuersi generis naturas iis adnasci.* Non placet hoc Basilidis dogma, quod filio suo Isidoro etiam displicuit. Ast vnde ad mores explicuit, quàm sint vitia homini cognata, præsertim quæ morâ reconsuescunt; cùm adulterinam ad prauitates propensionem, *spiritus animo appensos*, & *animi appendices* nominarit. Satiùs id quodammodo de virtute dixisset: quandoquidem virtus est, rationalis animi germana proles, sanæ mentis appendix, & tanquam spiritus rationi appensus. Quid enim rationali animo tam idoneè consonum est, quàm bestiales concupiscentiæ motus cohibere, libidinem carnis appendicem frenare; & actiones virtuti, id est, rationi consonas sectari, generoso arbitrij principatu? Nimis operosum non est, vitiis etiam diu adsuetum, vitia rationi exotica dediscere, & virtutes rationis appendices sequi: Velis, & poteris. Multa non esse putamus, quia segniter ea volumus. Non admodum difficulter virtus reconsuescit. Adsit velle, & non aberit posse.

2. Prouerbiorum 3. Salomon sapientiâ opinatissimus, sic de sapientiâ scribit: Viæ eius pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ. Ne putes in nimis arduo & confragoso habitare sapientiam. *Lignum vitæ est his, qui apprehenderit eam, & qui tenuerit eam, beatus.* Non otiosè disquirunt interpretes, quid hîc *sapientiæ* nomine intelligatur. Gregorius, Beda, & Hugo censent de Christo Domino hæc verba dici. Primasius verò de cruce accipit. Hieronymus de sacrâ Scripturâ. Benè quidem, sed mysticè Augustinus, Rodolphus, Iansenius, Caietanus, & Lyra, *sapientiæ* nomine virtutem seu honestatem significari censent. De quâ appositè dicitur, quòd lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam: nam hominem præstantiori immortalitati abundè restituit. Sed enucleanda est posterioris hemistichij sententia: *Qui tenuerit eam*, (virtutem, seu honestatem inquam) *beatus.* Caldaica paraphrasis sic exponit: *Et qui occupantur in eâ, beati.* LXX. interpretes sic locum exscribunt: *Et qui incumbunt super eam, beati.* Pagninus oppositum sensum reddere videtur, aiens: *Et qui fulciunt eam, beati.* Quasi virtus seu honestas à viro bono sustentetur velut fulcro: rursusque vir bonus virtute tanquam sustentaculo fulciatur. Itaque Xantes Pagninus non virtutem fulcro contulit; sed ipsam potiùs fulcris additis stabiliendam esse significauit. Addit Ferdinandus de Salazar, meus in re Biblicâ Magister, erudito & subtili vir ingenio, quomodo vir bonus virtutem sustentet: Et quidem, ait, virtus consuetudine atque vsu fulcitur: postquam verò consuetudine fulcita est, animæ ipsi pro constanti adminiculo est. Verùm rem hanc limatè adornat Ennodius, qui tacitè (etsi aliud ageret) etiam adludere videtur ad translationem LXX. interpretum: *Qui occupantur in ea*, (id est, in virtute) *beati.* Nota diligentiùs verba tanto Auctore dignissima, quibus consuetudinis vim mirè extollit, pariterque docet, quàm sit virtus homini cognata: *Solet virtus*, inquit, *quæ innata non fuerit, cura & nutrimentis institui, & transire in affectum, quod feceris studio falsitatis: vsu honestatis robur adipiscitur, qui bonum sub diuturnitate mentitur.* Parùm foret, quòd virtus vsu honestatis robur adipisceretur: nam qui *occupantur* in honestate, beati: (ecce *vsum*) & qui *fulciunt* eam, beati: virtus enim vsu honestatis *robur* adipiscitur. Mitior his omnibus est Ennodij sententia; nimirùm assidua in re virtutis *occupatio*, (materiale honestatis appellant Theologi, ex quo & motiuo honesto virtus stat integra) tametsi vitiata sit; non parùm sæpè ad virtutem confert: *Solet* enim *virtus*, quæ innata non fuerit, cura institui, *& transire in affectum, quod feceris studio falsitatis: vsu honestatis robur adipiscitur, qui bonum sub diuturnitate mentitur.* Continentiæ laude floruerunt Gladiatores, ne venere robur corporis elumbarent. Ad lanienam vires castitate adipant; non ad continentiæ honestatem. Ex eodem motiuo abstinentiæ studebant, ne torporem adeps imperaret. Pueri etiam bonis operibus cum lacte enutriuntur, vt benè operari assiduitate ediscant, etiam qui benè operari per ætatis immaturitatem ignorant. Et qui vanæ gloriæ auram captant, templa frequentant ac sacramenta, & largas pauperibus eleemosynas impertiunt. Mallent hæc non præstare, & eadem præstando persæpè delinquunt. Sed adhuc in istiusmodi repetito rei honestæ adulterio, *solet transire in affectum, quod feceris studio falsitatis:* & quod diu cœpit in vitio, consummatur in virtute. Sic tragicum vitij nomen, virtutis consuetudo felicitat: sic consuetudo, quæ falsata specie probitatem mentitur, tandem eam verè asserit constanti suffragio.

Prouerb. 3. v. 18. *Vir bonus fulcitur à virtute, & virtutem fulcit.*

August. lib. 1. contra aduers. Leg.

3. Ferd. de Salazar ibi n. 155.

Solet transire in pium affectum, quod feceris studio falsitatis.

Ennod. Controu. 2.

Vsu honestatis robur adipiscitur qui bonum sub diuturnitate mentitur.

Psalm. 62. Dauid diu virtuti assiduus, quàm eã sibi conuiscerarit, exponit, sic modulatè pangens: *Deus Deus meus ad te de luce vigilo.* A primo statim pueritiæ diluculo, tibi in lucem editus, tibi innutritus; tibi viuam, tibi moriar. Verbum Hebræum futuri temporis est. Vnde alij pro *ad te vigilo*, exscribunt, *ad te vigilabo*, alij, *quæram te mane*, alij, *ad te maturabo.* Quasi de constanti tunc diuturnitate in virtutis studio, constantiam exinceps velut propheticè sibi spõdeat. Ne quis autem putaret, carnis concupiscentiam cognato ad vitium fomite, retardaturam eius spiritum quominùs perstaret in virtutis proposito, consultò addit: *Sitiuit in te anima mea*, (parùm hoc: nam virtus rationis velut appendix & sequela est, cùm secundum rationem tota sit) *quàm multiplicetur tibi caro mea.* Hebræum, vt modo est primum vocabulum cum mappik כמה *chāmach*, significat *ardere desiderio*, & *concupiscere.* Quasi ipsa etiam caro lutosi limi sui oblita, non solum pietatis meminerit, sed velut dediscens appetitum ad cognata carnis vitia; virtutis assiduitate edocta, pietatis *ardeat* desiderio, & *concupiscentia* virtutis. Ac si consuetudo arcana quodammo 4.

Magnus memoriæ fomes est, vel breuis consuetudo.

Psalm. 22. v. 2.

Lorin. ibi.

dammodò metamorphosis sit; cuius vt vitiositas carnis olim appendix, sistitur, & quasi ingenerato per consuetudinem igniculo ad virtutem, virtutem iam *concupiscat*, eiusque *ardeat desiderio*. Tempestiuè Nazianzenus: *Quàm magnus*, inquit, *memoriæ fomes est, vel breuis consuetudo!* Scilicet consuetudo, acet memoriæ fomes est, & concupiscentiæ igniculus, quem frequēs operatio flabellat, ad & frequentata opera adhuc repetenda, meliori iam incentiuo viuidè accendit. O insit sententiæ etiam memoriæ (ad voluptabilia nimis pronæ, hæc virtutis diu exercitæ piè cæca recordatio, quæ de benè operandi consuetudine, perpetuò velut fomitem pietatis ingerat, foueat, accendat, & in concupiscentiæ igniculum propè explicet; vt caro iam Deum sitiat, Deum anhelet, Deum concupiscat, & Dei *ardeat desiderio*, consuetudinis agitato fomite: *Magnus memoriæ fomes est, vel breuis consuetudo.* Tanta enim est consuetudinis vis, vt de alienis castris, & sibi hostiliter aduersis, auxiliarem sibi opem extruat, quæ virtuti pugnacissimè militet. Vel res vitij, vitij refuga fit, ptis diuturnæ consuetudinis præstigiis? In memoriam etiam non vocatum crebrò venit, quod diu feceris: & importunè ad similem operationem cæcâ suadela frequenter inuitat. *Magnus memoriæ fomes est, vel breuis consuetudo.*

Naz. Orat. 18.

5. Psalm. 6. regius Vates deplorans hominis ad prauitatem propensionem, quasi vitia quodammodo forent, *spiritus animo appensi*, seu *animi appendices*; sic auxiliarem sibi Deum exposcit, ad imbecillæ humanitatis firmam valetudinem: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, & anima mea turbata est valdè: sed tu Domine vsquequo?* Ad quæ Psalmographi verba sic humanam infirmitatem Chrysologus expressit: Homines *puluere concreti, plasmati luto, calcamur vitiis, subdimur delictis, curis conficimur, arescimus membris, morte dissoluimur, fœtidis horremus sepulchris; & sic inhabiles ad virtutes, ad vitia habiles inuenimur.* Benè igitur ad Deum clamat Propheta opem diuinam exposcens: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* (Pergit Chrysologus) *Quid infirmius homine quem sensus fallit, ignorantia decipit, circumuenit iudicium, pompa lædit, tempus deserit, mutat ætas, hebetat infantia, iuuentus præcipitat, senectus frangit?* Allegans ergò beatus Propheta hanc humanæ naturæ infirmitatem, languore virtutis, & vitiorum diuturno vigore propè eneruem, Deum hâc voce conuenit: *Sana animam meā, &c. Sed tu Domine vsquequo?*) Adhuc loquitur Chrysologus) Hoc est: Quousque pateris? quousque dissimulas? quousque non subuenis? quousque dissipari opus tuum, deleri imaginem tuam, tuam tibi creaturam perire permittis? Vbi est Christus tuus quoties nunciatus per legē? Veniat veniat, priusquam pereunte seculo nil inueniat, quod resaluet: *Veniat, veniat vt carnem reparet, innouet animam, ipsam naturam in cælestem commutet substantiam.* Ecce tibi de auxiliari Redemptoris ope, de diuturna inde virtutis consuetudine, lætioris gratiæ officiositate; homo, qui à congenitā vitiositate, quā *inhabilis ad virtutes, ad vitia habilis inuenitur*, diuinioris gratiæ pharmaco sic sanatur, vt lubrica & fluxa *caro reparetur, innouetur anima, atque ipsa natura in cælestem commutetur substantiam.* O sic velut iam congenita reconsuescit virtus, vt substantiā hominis primæuo delicto vitiatam, & diuturna morum prauitate deformem, lutosā diu voluptatum gratia; *in cælestem commutetur substantiam*; & inolita concupiscentiæ vitia deluescens, cælum fragret, cælestia sapiat, & diuina intentiùs exambiat. Profectò euelli potest membranula, quæ humanum cæli aspectum infuscabat.

Psalm. 6. v. 5.

Chrysol. ser. 45.

Homo, qui hactenus terram sapit, velut in cælestem commutatur substantiam.

Hinc forsan idem Chrysologus agens de oratione, eleemosyna, & ieiunio, quæ virtutes hominem commutant in cælestem substantiam; ita fatur: Hæc cum teneant in cælestibus principatum, in terris rerum summam moderantur: hæc regunt prospera, hæc aduersa propellunt. *Vitia extinguunt ista, virtutes ista succedunt, hæc reddunt casta corpora, corda pura, hæc pacem membris, mentibus dant quietem*: (nota attentiùs verba quæ subdit) *Humanos ista sensus, scholam faciunt disciplinæ, per hæc in templum Dei pectora humana consurgunt, hæc hominem præstant Angelum, homini deitatis deferunt hæc honorem.* Humani sensus, iniquitatis magistri & incentores, erunt *schola disciplinæ?* O quàm magna quàm paucis compendiauit Chrysologus!

Hic vers. 15.

6. Chrysol. ser. 43.

Consuetudine boni operis, sensus fiunt schola disciplinæ.

§. CCCLXXI.

Tanta est Deo ad benefaciendum vis, vt quod non videtur oratio, ad meritum impetrationis acceptes; & necessitatem indulgentia æmuletur.

Filij Israël Ægyptiaca oppressi seruitute, Deum suum obnixiùs valido clamore precantur; & de ardētis rubi throno, Moysen eductionis Principem, auspicatò inaugurant. Moysen inquam, verbo & opere inclytum: ad cuius quodammodò nutum Dei omnipotentia flectebatur. Clamor ergò (ait illi Deus) filiorum Israël venit ad me: vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur. Sed veni, mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum de Ægypto. *Dixitque Moyses ad Deum: Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël de Ægypto?* Ad quæ Moysis verba ita fatur Bernardus: *Moyses hic, sicut & Ieremias, quod posterat per gratiam, excusabat per verecundiam.* Scilicet vir sanctissimus, humanæ tenuitatis benè sibi conscius, tātùm precaria vi posse per gratiam, planè erubescit. Humana verecundia diuinam velut omnipotentiam gratiæ quodammodò excusat. Audeat homo per gratiæ vires supra humanum fastigium, quia gratia diuina vltra humanum fastum potest & audet. An non Moyses pro populo rogans Deum, ab eo audit: *Dimitte vt irascatur furor meus, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam?* Deus ne is est qui proposito etiam præmio Moysen rogantem roget, vt eum dimittat? De charitate pro aliis deprecantis (vel forsan de orantium consensu) ait Bernardinus Senensis: *Tanta fortitudinis est charitas, vt ipsam omnipotentiam quodammodò impotentem reddat.* Basilius Seleuciensis exponens animosa illa Eliæ verba, quibus nubes cælumque coërcet, ita scribit: *Viuit Dominus, non erit per hos annos ros neque pluuia nisi per os meum. Esto, ô Elia, cælum remoreris, quid Dei* compescis

1.

Erubescit Moyses tantùm posse per gratiam.

Exod. 3. v. 11.

Bernardus de Ordine vitæ, apud Caten. Lipom.

Oratio à charitate nascens omnipotentiam quodammodo impotentem reddit.

Exod. 32. v. 10.

Bernardinus tom. 2. ser. 3.

Basil. Orat. 11.

Tertull. in Scorq. cap. 6.

compescis humanitatem? Esto, vel aduersum conseruos edicta extrahas, quid Domini potestatem rapis? Nubes coërcuisti, at creatori vel imperium committe. Nequaquam, viuit Dominus nisi per os meum. Vide diuinioris clementiæ artes. Porrò vt dixit Tertullianus. *Liberalitas magis quàm acerbitas Dei praeest.* Vnde Præses Liberalitatis ad suam sententiam trahet Eliam acerbum consiliarium satagit. An non meritò erubescat homo tantum apud Deum eualere? Sed videamus quid ad impetrationis meritum acceptetur.

2. Paull. epist. 4. *In oratione fit conceptio spiritualis.* Profundè S. Paullinus agens de oratione, ait: *In oratione fit conceptio spiritualis.* An ipsa rei nobis proficuæ concepta apprehensio, & ipsius adipiscendæ votum, ipsas preces anteuertens, pro precibus quodammodò acceptatur? Mente conceptam Dei nobis auxiliaturi opem, appellabimus orationem, optatam gratiam vi precariâ extorquentem? Matthæi 7. hæc beneficentius Christus Deus pollicetur: *Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis: Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur.* Largior sanè Dei liberalitas, & efficacior humanæ orationis vt hisce verbis publicatur. Ad quæ forsan alludens Clemens Alexandrinus, ita sententiosè scribit: *Qui est, inquit, cognitione praditus, propter insignem sanctitatem est paratior si petat non assequi, quàm si non petat assequi. Precatio quidem est ei vniuersa vita, & cum Deo conuersatio, quòd si fit mundus à peccato; omninò quod vult assequetur.* (Hanc pulcherrimam Clementis sententiam aliàs forsan emedullabimus. Addit vltrà ad rem præsentem) *Iusto enim dicit Deus: Pete, & dabo tibi; cogita, & faciam. Si sunt ergò vtilia, accipiet protinus: inutilia autem nunquam petet: sic erit id quod vult.* Nota Clementis verba, & signa orationis sacramenta: Profectò crebræ sunt in sacris Bibliis hæ Dei voces, in Iustorum auribus identidem resonantes, quibus eorum spes in tot ærumnis adipatur: *Pete, & dabo tibi: petite, & accipietis.* At quid est; *Cogita, & faciam*; Vel ipsa nostræ necessitatis *cogitatio*, & mente habita diuinæ opis *conceptio*, tanquam orationis meritum, ad impetrationem adsciscitur: *Cognitio* miseriæ, auxilij votum præcurrens, impetrat, quod nondum exposcit: Necdum mens orationis charactere insignitur, (sed merâ optati fauoris agnitione vagatur) & quod mente concipit, conceptione parturit, & agnitione impetrat: *Pete, & dabo tibi: cogita, & faciam.* O exprompti ssimam Dei beneficentiam! O velut piè superbam orationis vim! Necdum oratio est, & de impetratione gloriatur: *Electi mei non laborabunt frustra, quia semen benedictorum Domini est, & nepotes eorum cum eis. Eritque antequam clament, ego exaudiam.*

Matth. 7. v. 7. & 8.

Iustus paratior est si petat non assequi, quàm si non petat assequi.

Clem. Alex. 7. Strom. c.

Vel cogitatio ipsa quasi oratio acceptatur, ad rem impetrationis.

Isaiæ 65. v. 23. & 24.

3. Bern. ser. 4. super *Missus est.* Bernardus serm. 4. super *Missus est*, mirissimè extollit largiorem Dei beneficentiam: *Sic pius Dominus, inquit, qui omnes homines vult saluos fieri, merita nobis extorquet à nobis, & dum nos præuenit tribuendo quod tribuat gratis, agit ne gratis tribuat.* Planè luculenter Bernardus: Quam sententiam ad arcanum genus orationis deflectit; exponit enim ea Deiparæ virginis ad Angelum verba, quibus laudatiori obsequio Verbum Dei carne induit, & sibi conuiseerauit, aiens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* An non hæc aduuentis & obsequentis verba sunt? Imò forsan deprecantis? Pergit Bernardus nuper laudatus: *Fiat mihi secundum verbum tuum. Nihil obstat intelligi, Fiat esse verbum orantis.* Ecce tibi qualiter vel obsequium ipsum, quo diuinæ voluntati paremus, acceptatur ad orationis meritum, & impetrationis negotium: *& dum præuenit tribuendo quod tribuat gratis, agit ne gratis tribuat.* quasi ipsum obsequium quo Deo iubenti paremus, fit aliquod orationis genus, quod gratias extorqueat.

Lucæ. 1. v. 36. *Deipara per obsequium. rogat. & impetrat.*

Geneseos 15. Abrahamo quatuor Regum trophæis inclyto, ita loquitur Deus: Noli timere Abraham ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis: *Dixitque Abraham: Domine Deus quid dabis mihi; ego vadam absque liberis, & filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer.* Sermo planè hiulcus, & suspensus, & in quo exponendo valdè sudat interpretum industria. Quid sibi vult Abrahamus aiens: *Domine Deus quid dabis mihi?* O fors immodicum fastum! Sic se putat sibi sufficientem, & omnium bonorum censu opulentum, vt nullius indigeat? In toto diuinæ omnipotentiæ ærario, tot grazis exundante nil inuenit, quod concupiscat? Nauseantis hæc vox est, an diffidentis? forsan præpropero tenutu, quicquid illi Deus dare poterat, fastuosè testatur? Minime quidem. Cardinalis Caietanus quâ solet ingenij subtilitate, quandam orationis energiam his verbis transflucentem agnouit, sic fatus: *Domine Deus, quid dabis mihi? & est supplicatio admiratiua, vel admiratio supplicatiua.* Vel admiratio acceptatur in supplicationem seu orationem: admiratio orat & supplicat: An *supplicatio admiratiua* dicitur; quia ipsa supplicatio planè admiratur quàm citò quammagna impetret? Sic admiratio orationi cognata & agnata est: An non iure hîc admiretur Tobias, quòd dum mortem ærumnosus expetit, vitam felix de diuino munere inueniat? (Addit Strabus Fuldensis, quòd *Salutatio est quadam species orationis.*) 4.

Admiratio genus quoddam orationis est.

Caietanus ibi.

Hîc vers. 6. Strab. in Matth. cap. 3

3. Vers. 24. exauditæ dicuntur preces Tobiæ & Saræ, obnixè propria funera postulantium, vt tot calamitatum asylum in sepulchro saltē inueniant. *In illo tempore exaudita sunt preces amborum in conspectu gloria summi Dei. Et missus est Angelus.* &c. Nimis laborant commentatores, vt exponant, quid sit Saræ & Tobiæ preces exauditas esse *in conspectu gloria summi Dei.* Quid habet peculiare vtriusque precatio, vt non dicantur vtcumque exauditæ; seu exauditæ *in conspectu gloria summi Dei?* An quia dum mortem (quæ est miseriarum summa, expetunt, feliciorem vitam extorquent? Tobiæ & Saræ precatio, quæ omnes exaudiendæ orationis conditiones habere videtur, vt necessitatem impetrationis inducat, non exauditur, nec mors illis conceditur; & feliciorem vitam, quam non postulant obtinent? Vitam, quam non postulant, protinus impetrant? & preces amborum *in conspectu gloria summi Dei* exauditi perhibentur: Num Deus hîc non tam orationis necessitati, quàm gloriæ suæ vult donare? Argutè Consul Plinius ita sui Imperatoris munificam largitatem deprædicat: *Tanta tibi beneficiendi vis, vt indulgentiam necessitas amuletur.* Parùm foret, si dixisset, quòd beneficentia necessitatem æmularetur maius, quid deprædicat. Nempè quòd vsque adeò est ad benefaciendum procliuis, vt quodammodo plus apud illum indulgentia valeat, quàm apud alios necessitas possit. Quid tam certum, quàm quod necessitate ve- 3.

Tobiæ 3. v. 24.

Tanta est in Deo benefaciendi vis, vt indulgentiam necessitas amuletur.

Plinius in Panegyr.

nit? An tanta est Deo benefaciendi vis, *vt indulgentiam necessitas æmuletur?* Ergò consultissimè ait Sacer Historicus, quod Tobiæ & Saræ inopinata felicitas decreta est *in conspectu gloriæ summi Dei.*

6. Marci 7. Abiit Iesus in fines Tyri & Sidonis: *Et ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere.* Mulier enim Syrophœnissa & piâ curiositate id nouit, & post ignominiosam repulsam, animosâ fide filiæ à Dæmonio liberationem impetrauit. Quid est, *neminem scire voluit, & non potuit latere?* Velle, & non posse, non est diuinæ maiestatis, est infirmitatis humanæ. Scriptum est enim: Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terrâ, in mari, & in omnibus abyssis. Et Apostolus: Voluntati eius quis resistit? Succumbit necessitati, quæ imbecilla voluntas est. Eloquenter Chrysologus: *Leprosus dicit ad Dominum: Si vis, potes me mundare; & Euangelista dicit: Voluit, & non potuit. Numquid extollenda ita est mulieris fides, vt inclinetur Domini possibilitas, & voluntas? Aut est tanta sagacitas fidei, vt nolente Deo diuinum valeat inuestigare secretum?* Quid exaggeratiùs? Nempè tametsi Euangelista verè dicat, quòd Christus Deus voluit latere, & non potuit; tamen sagacissima huius ærumnosæ mulieris fides, sic inueniri nolentem valuit inuestigare Christum, vt beneficum remediatorem meruerit inuenire. Numquid extollenda ita est huius mulieris fides, & prævalidus orationis vigor, *vt nolente Deo diuinum valeat inuestigare secretum*, & optatum beneficium omnipotenter extorquere? O precariam orationis omnipotentiam, cui sic *inclinatur Domini possibilitas & voluntas!* Tanta ne est in Deo benefaciendi vis, vt necessitatem indulgentia æmuletur? vt à sic nolente optatum beneficiũ importunus petitor extorqueat? Quomodo autẽ verum sit, quòd Christus Deus voluerit latere, & non potuerit; tradunt passim interpretes; & nos inibi eorum proceres secuti, olim multis tradebamus.

Marci 7. v. 24.

An vel à nolente Deo oratio beneficium extorqueat.

Chrysol. ser. 100.

7. Ioannis 5: sub porticibus Probaticæ piscinæ iacebat multitudo magna languentium, cæcorũ, claudorum, aridorum, &c. Adest Christus Deus cupiens omnes homines saluos fieri: nemo tamen inuenitur, qui eius opem imploret. Adeò vt necesse fuerit quòd ipse vltrò beneficus, diceret cuipiam paralytico, qui octo supra triginta annos iacebat in infirmitate suâ: *Vis sanus fieri;* Ergò facessant infensæ illæ Marcionis voces, aduersus Dei bonitatem sic argutantes: *Pluribus autem pereuntibus, quomodo perfecta defenditur Dei benitas, ex maiori parte cessatrix, paucis aliqua, pluribus nulla?* Profectò si homo adeò est ignauus & salutis suæ negligens, vt propè ambigi possit, an sanari exoptet; opusque sit, vt ei dicat Christus Deus: *Vis sanus fieri?* mirum non est, si Dei benefica vis, adhuc beneficia sua parturiens; ex magnâ parte cessatrix, paucis aliqua, pluribus propè nulla videatur. Hominum ignauia in animæ sanitate procuranda, sæpè præstat, vt largior Dei beneficentia propè cessatrix appareat. Vide quàm sit hic erga ærumnosum Tobiam feliciter actuosior.

Hominum ignauia facit vt Dei bonitas, paucis aliqua, pluribus nulla videatur.

Ioann. 5. v. 6.

Tertul. adu. Marc. cap. 24.

Hic. v. 16.

§. CCCLXXII.

Cui patris nomen prospera cuncta non spondet, arcanæ ingratitudinis reus est. 1.

Patris est cohibere omnes immoderatos filiorum affectus. Quin etsi peramans filij, læta omnia illi cupiat, & procuret, vel ab exultatione eum remouere debet: gaudium enim exultatio, exultatione tumor, & nimia æstimatio sui sequitur. Dabunt aliquod filiis laxamentum; sed moderatè, & cautè, ne in desidiam & otiũ resoluantur. Nil tam exasperat filiorum ingenium, quàm educatio mollis, & blãda. Ideò vnicis quò plus indulgetur, pupillisque quò plus licet, corruptior animus est. Molliculus erit, cui nihil vnquam negatum est, cui lacrymas sollicita parentum charitas abstersit, cui de pædagogo satisfactum est. Ergo durior & asperior disciplina mores filiorum componat, frænet, elaboret. Sed fortè filius his duris exasperatus, auersabitur parentes, & de eorum in se charitate ambiget: saltem seuerior disciplina non amorem, sed timorem enutriet. Non agnoscit patris ingenium, sed desuescit naturam filij, qui patrem timet. *Ames parentem, si æquus est; si aliter feras*, bellè dixit Seneca. Timorem consultò prætereo: nam *in supplicio filij pietas paterna torquetur*, dixit Saluianus. Quid enim timeas, à quo quidpiam sperare debes? Viscera patris beneficentiæ opulẽta sunt; à peramanter benefico, timendi caussæ peregrinantur. Vel patris nomen, vt bona spondet, metum adimat. 2.

Ames patrem, si æquus est; si aliter feras.

Seneca ex Publ. mim. Salu. L. 8. de Guber. Dei

Geneseos 48. ægrotat Iacob irremediabili senectutis morbo; neque enim anni recurantur. Ægrum patrem cupit videre filius Iosephus, geminato pignore stipatus. Parùm quippe putauit se solum adducere, qui bona, quæ à patre sperabat, exciperet; nisi suum etiam Ephraimum, & Manassen secũ detulisset; se se in filiis multiplicans, vt bona, quæ à patre munificè spetabat, capaciùs exciperet. Res è votis Iosepho successit, & larga Iacobus benedictione nepotes etiam locupletat, duarumque tribuum patriarchas vicè creat. Nonnihil tamen turbauit, (ne dicam exasperauit) filij Iosephi animam, primogeniti Manasses repulsa, & Ephraimi minoris inopina tarelatio. Sed exinde non languet filij spes, tota de chari patris affectu concepta, & large effusa. *Nunciatum est Ioseph quòd ægrotaret pater suus: qui, assumptis duobus filiis Manasse, & Ephraim, ire perrexit. Dictumque est seni: Ecce filius tuus Ioseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo,* &c. eum iam habitum induens, quo illis beneficè confestim benedixit. Quod sic expendit Ambrosius, sic fatus: *Prærogatiua igitur parentum, disciplina est filiorum. Honora ergo patrem, vt benedicat te. Honora pius patrem propter gratiam, ingratus propter timorem.* Planè aurea Ambrosij verba, & attentiori expensione dignissima. Scilicet prærogatiua parentum non sit vanæ gloriæ fomes, sed disciplina filiorum, & ingenuæ posteritatis gymnasium. Heu probitatis schola, facta est improbitatis impunitas; & impunè delinquendi priuilegium! Addit ad rem Ambrosius quòd filius *pius honorat patrem propter gratiam,* ingra

Prærogatiua parentum sit filiorum disciplina, non scelerum licentia.

Genes. 48. v. 1. & 2.

Ambros. in lib. de Bened. Patriarch.

3.

Qui patrem timet, ingratitudinis reus est.

ingratus propter timorem. Quid est, quòd filius patrem propter timorem honorans, *ingratus* dicitur? Ingratitudinis reus est filius, qui patrem timet? quasi foret aliquod ingratitudinis genus, patrem propter timorem venerari. Scilicet, *ingratus* est in gratiam patris, à quo ipsum filiationis debitum, gratitudinem vltrò non impetrat. Paternus honor, quem timor extorquet, ingratitudinis suspectus est. Dicam luculentiùs: Filius qui patrem potiùs timet, *ingratus propter timorem* dicitur: nam timor filij vt seueritatem patris exaggerat, sic beneuolam prætérit patris largitatem, quæ quicquid boni potest, & ardenter filio exoptat; & sedulò procurat. Ergo qui patrem potiùs timet, *ingratus* est, in omnia, quæ ei pater præstitit beneficia, & in ea omnia, quæ præstare potest, & ei est procliue filio præstare. Porò filius qui metu patrem timet, patris beneuolentiam, & beneficentiam præterit, prætereundo negligit negligendo quadantenùs negat: & inde *ingratus* appellatur, dum beneficam patris vim timore non agnoscit. Ergo *honora pius patrem propter gratiam, ingratus propter timorem.* Perbellè quidem Ambrosius.

4. Lucæ 11. Et factũ est, cùm esset Iesus in quodam loco orans vt cessauit, dixit vnus ex discipulis eius ad eum: Domine, doce nos orare, sicut docuit & Ioannes discipulos suos, & ait illis: Sic ergo vos orabitis: *Pater noster, qui es in cælis: sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra,* &c. Docuerat nuper Ioannes discipulos suos arcanam orationis artẽ, vsque adeò miseris mortalibus necessariam, vt qui de se erant omnium inopes, & egeni, de cælo forent precariè locupletes. Piè ergo Christi discipuli disciplinam Ioannis æmulantur, auentque à suo Magistro discere Christianæ orationis formulam. Sed attentiùs obserua, quid doceat nos Christus postulare: *Sanctificetur*, inquit, *nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra* Bone Deus; quam peregrinatur eiusmodi postulatio, ab his quorum natura humana indigua nascitur! Homo sollicitudinibus anxius, aduersis mœstus, calamitatibus obrutus, languoribus afflictatus, bonorum ieiunus, malorum abundè satur; cum ad Deum supplex accurrit, negliget opem apprecari, & attributis, quæ Deo necessariè insunt, tunc potius adgaudebit. *Quid hæc ad id, quod mihi opus est? dixerit aliquis homo,* (ait ibi Nyssenus; & addit: *Si enim hoc à me non dicatur, nunquid fieri potest, vt nomen Dei sanctum non sit?* vt suum non possideat regnum? vt eius efficax voluntas non fiat? Quænam est istiusmodi oratio, quæ sibi necessaria optare negligit, & quæ Deo necessariè insunt, sic auidè exoptat. Verùm enimuerò valdè fallor, nisi homo, cum in orationis auspicio, Deum, quem precatur, *patris* appellat nomine, omnia quibus eget præproperè orat, & feliciter exorat; adeò vt reliqua, quæ precando subdit, velut orationis appendix possint computari. Audiendus est hâc super re Chrysologus ad illa filij Prodigi verba: *Surgam, & ibo ad patrem meum. Qua*, inquit, *spe? qua fiducia? qua confidentia: Illa, qua, pater est: Apud patrem non intercedit extraneus, intùs est in patris pectore ipse qui interuenit & exorat affectus.* Compte quidem, & tempestiuè Chrysologus. Nempe vel ipsa *patris* compellatio, sic eius viscera mulcet, vt confestim patris affectus oret, & exoret quicquid filio expedit, filij preces præmaturè anteueniens. Serò rogat filius, qui patrem rogat: iam enim quod rogaret filius, patris affectus exorauerat. Qui rogaturus ad patrem accidit; *patrem* dum nominat, cuncta impetrauit. Tardè filius necessitatem suam patri proponit, quam *patris* compellatione remediauit. Qui sic de paterno non sentit affectu, *ingratus* est aduersus beneficam patris gratiam. Vide hic à vers. 17. quanta paternus affectus à seniore Tobia gratanter exorauerit; quod persequi longum esset, & superuacuum.

Lucæ 11.

Matth. 6. v. 9. & 10.

Qui patrem orat felicia quæque iam impetrauit.

Greg. Nyss. ibi.

Lucæ 15. v. 18.

Chrysol. ser. 1.

Hic vers. 17.

5. Postquam præcepta antiquæ legis diffusa paginis, congesta voluminibus diuinum à nobis amorem non extorserunt; duris hominum præcordiis dulce patris nomẽ Deus ingerit, vt & eius nobis insinuetur affectus, & noua filiorum Dei vocabulo fiducia in hominibus procreetur: *Quis*, inquit, *ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi? Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester cælestis*; &c. Quæ Lucæ verba sic Chrysologus ad rem eloquenter illustrat: *Charitas dolum non habet, fraudem pietas, affectio non recipit falsitatem. Si pater est, non potest non amare: si amat, nisi quod bonum est dare nescit: si egit patrem, qui de patris suspectus est largitate: ignorat se filium, quem data paterna sollicitant: totum quod est pietatis excludit, qui salutare non credit quicquid dederit pater.* Plura in hanc sententiam addensat Chrysologus toto sermone, quæ, ne longum facerem, exscripsisse piget. Ingratus est erga patris amorem, quisquis hæc de paterno non sentit affectu.

Qui pater est, non potest filium non amare.

Lucæ 11. v. 11.

Chrysol. ser. 55.

6. Addam & finio, eundem Chrysologum, qui exponens illud Psalmi 28. *Afferte Domino filios arietum*, ti de Abrahamo fatur: *Afferebat filium suum; imò se immolabat in filio, sanctificabat mentem suam, laetificabat fidem suam, vt esset idem victima, & Pontifex, Sacerdos & Sacrificium. Patris erat passio ibi tota, vbi filius immolabatur: ignauus* (fortè ignarus) *filius sistebatur, nesciens filius aptabatur vinctus, vt tolleret de passione martyrium, præmium de pœna patris, de conflictu patris raperet coronam.... Nec expetebatur sanguis filij, vbi tota victima in patris dilectione constat.* Nota penè singula Chrysologi verba & signa paterni amoris sacramenta. De patris passione martyrium tollit Isaacus: *præmium de pœna patris, de patris conflictu rapit coronam.* Ergò honora pius patrem propter gratiam, ingratus propter timorem: quis timeat in sua pignora sic affectum? qui simul erat victima, & Pontifex, Sacerdos & sacrificium? Vnde nuper dixerat: *Ingratus est patri, qui auctorem vitæ suæ non obsequiis placat, non deuincit cultu, muneribus non honorat.*

Psalm. 28. v. 1.

Chrysol. ser. 10.

De Patris conflictu coronam rapit Isaacus.

§. CCCLXXIII.

Homo labyrintheis corporatus ambagibus difficilem sui notionem spectatoribus offert.

1. SAncti Gregorij Nazianzeni querula vox est: *Verùm illud animum meum angit, quòd nemo tam pius, ac certus.* Non miraretur, quòd qui pius non

S. Nazianz. Orat. 10.

Homo sæpè dubius & incertus est. non est, incertus homo sit, anceps, dubius, ambiguus, versipellis; tot formas quot affectus demutans; tot affectus, quot vtilitates; tot vtilitates, quot ambitionis, aut auaritiæ, aut voluptatis libidinibus flabellatur: vitiū enim inconstans est, nec affectui diu tutum, nec sibi fidum. Verùm quod mirere magis, ipsemet homo, impietatis etiam expers, & qualis figulo suo staret; etsi certè homo sit, sat incertus homo est; cuius vultus passibilis, omni conuersioni subiectus momentis omnibus demutatur, labore, ætate, languore, ira, gaudio, tristitudine, totque induit vultus, quot animi fuerint motus: nullusque prorsùs dies, quo iugiter sibi similis esse videatur. Quid de cordis humani latebris, diuersissima vultu ostentantibus loquar, quàm spatiosè lingua sæpe distat à corde! quoties animus à fronte dissentit, sagaci dissimulationis artificio, vt insperatū opus, aliorum cautelam anteuertat: ò quàm rarò inuenitur homo ita candidus ac simplex, vt semel videatur totus! Iacob *vir simplex* dicitur, & *fraudulenter* Patris benedictionem surripuisse perhibetur. Quæ hæc in dolo (etsi fortè non malo) simplicitas? Nec pater Isaac, nec frater Esaü, licet domesticâ diu familiaritate Iacobum agnoscerent, profundam in illo gratiæ sagacitatem vel attentis suspicionibus explorare valuerunt. Totus de cœlo afflatus Salomon moralissima eructat Prouerbia, *vt detur*
Prou. 1. v. 4. *paruulis astutia, adolescenti scientia, & intellectus.*

Eccli. 1. Bonus morum pædagogus Iesus Sirac,
2. in suæ pædagogiæ consultissimo auspicio plura altè tradit de immensâ & incōprehensâ sapiētiæ profunditate. *Radix*, inquit, *sapientiæ cui reuelata est, & astutias illius quis agnouit. Disciplina sapientiæ cui reuelata est, & manifestata? & multiplicationem ingressus illius quis intellexit?* (Eccli. 1. v. 6. & 7.) Nempe cælestis sapientiæ natales, & diuini oris gratiæ conceptaculum, abditissima sunt, & procul ab humano captu remota: & sanè illius *astutias* nemo hominum penitùs agnouit: quia *multiplicationem ingressus illius intelligere*, humanæ menti nimis arduum est. Bene notat Hugo, quòd non dixit Siracides, *astutiam* in singulari, sed *astutias pluraliter*, quò duplex eius denotetur (Hugo ibi.) astutia. Altera, quâ diabolum cœpit: altera est, *quam operatur in Sanctis.* Itaque cùm tanta sit astutia & sagacitas, *quam operatur in Sanctis*, quid mirum si addat: *multiplicationem ingressus illius quis intellexit:* Ceterùm attentiori mente notandum est, quid sit, quòd illius *ingressus* nominat; discursus & egressus tacet: imò *ingressus multiplicat*, nullâ factâ egressionum mentione. (*Cælestis fabricator hominem dædalâ prouisione formauit.*) Fallor nisi huc videtur alludere Ticinēsis Ennodius, sic profundè fatus: *Latetur in operibus suis fabricator ille cælestis, cùm benedicit ipse quod tribuit: cùm illud quod secreti sui producit origine, nobilitat sacramento.* (Ennod. in Bened. cerei 1.) (attentiùs enucleanda sunt verba quæ subdit, ænigmati persimilia (*Ipse enim* (*cælestis Fabricator*) *hominem sibi templi vice dædala prouisione formauit. Ipse penetralia cordis nostri sancto eruderata pandit introitu, nisi per propositum libertatis fœdo obstruantur interna contagio.* Quid est, quòd Deus hominem *dædala prouisione* formauit? Dædali labyrinthum Ennodius innuit, in quem pronus & expeditus ingressus est, sed egressus non inuenitur. *Multiplicationem ingressus illius quis intellexit?* Facilè enim ingredi datur in Dædali labyrinthum, sed per tot ambages, & dubias ædificij semitas eundum tibi est, vt exitum vix inuenias: Deus *penetralia cordis nostri sancto eruderata pandit introitu*, multiplex ingressus, & obuius aditus est; sed penitiora huius labyrinthi itinera, & dubij calles, difficilem præbent exitum: nam *cælestis Fabricator hominem dædala prouisione formauit.* Cùm hominem vides, labyrinthum puta, in eo labyrinthum agnosce. *Es el hombre en labyrintho animado.* Penetralia hominis hoc abstruso *nobilitantur sacramento.* Introitus obuius, multiplex, facilisque apparet aditus: sed de difficultate egrediēdi, de abstrusis medullitùs ambagibus, de absconso penetralium sacramento, ad quod attentior sæpè spectatorum aspectus caligat, arduus nimis egressus; & iudicium quod fertur de humano corde, in re vit.j, in negotio etiam virtutis; valdè incertum, anceps, & ambiguum est. Homo etiam pius, adhuc homo est; (neque enim pietas naturam desuescit) at *cælestis fabricator hominem dædala prouisione formauit*: & humani cordis penetralia, spectatorum oculis inuia, velut dædalæum labyrinthum effinxit. Sæpè enim homo virtutis studiosus, est *Peripateticus Deo, Pythagoreus mundo.* De quo alias diximus. Ride imperitiam quorumdam simplicitatem, qui ex primo (S. Paullin. Epist 35.) frontis aspectu, aut oris colloquio, hominem penitus explorare nimis candidè præsumunt: inde potius eorum præsumptio, aut simplicitas, aut (quod verius dicam) vtrumque, egregie explorata sunt. Fateor Ennodij verba alium posse sensum recipere.

3. Geneseos 1. summus rerum omnium fabricator, vt mundi opificium consummaret, honoris caussa quasi aduocato consilio hominem efformare decernit: faciamus, inquit, *Hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* (Genes. 1. v. 26.) Grande hinc litigium inter Expositores oboritur, quis cui loquatur his verbis: exin in quo hominis ad Deum similitudo sita sit. Et sanè cùm ex his verbis indubium sit, quòd homo Dei in se imaginem portat; an etiam sit Personarum imago, disquiritur. S. Zeno Veronensis, sagaci vir ingenio; & facundia comptiori conspicuus, his verbis super hac re philosophatur: faciamus Hominem ad imaginem & similitudinem nostrā. Non inquit, fac (Zeno ser. de Genes. 3.) ad tuam; sed ait faciamus ad nostram: ne quam Filius hominem induturus pati videretur iniuriā. In quibus verbis supponit S. Zeno, inter personā Patris & Filij personam, extitisse colloquium. Pergit magnus hic Auctor: *Vnus homo ad duorum imaginem & similitudinem fingitur, nec tamen in eo quid cuius sit, inuenitur.* Ecce tibi quàm (*Quam sit arduum pernoscere hominem virtutis studiosum.*) sit Homo cognitu difficilis, vt ad Patris & Filij similitudinē formatus, quid speciatim Patri, quid Filio nuncupatim in sua imagine respondeat, nentiquam possit inueniri. Sic homo integra natura inadulteratus, & de gratiæ donis prototypo similior penitiorem sui notitiam refutat: O quis Hominem comprehendat, etiam cum de pietate simplicitatem æmulatur? Peregregiè S. Gregorius Nazianzenus ita scribit: *Vt in summa dicam:* (Naz. Orat. 27.) *duo hæc ægrè teneri queunt, Deus & Angelus: tertium est Philosophus:* (id est, virtutis impensè studiosus) *in materia vacans materia, in corpore incircumscriptus, in terra cælestis, in passionibus impatibilis, omnibus rebus vinci se facile ferens, præterquam animi magnitudine: eo ipso quod vinci se patitur, eos, qui se superiores esse arbitrantur superans.* Ecquis nisi ægrè nimis tenere possit eū qui materia corporatus, vacat materia; qui in corpore

corpore incircun scriptus est, in terrâ vitam agit cælestem, in passionibus impassibilis est; & dum vincitur, generosiùs vincit; quid ad similitudinem duarum in diuinis personarum figuratus, in eo quod cuius sit, ignoratur? Homo cæcis suis notis apparet, sui ænigma est, & morũ antithesis. In labyrinthæis pleruque ambagibus cęcè exerrat, qui hominem, eiusque consilia, & mores explorando assequi præsumit. *Cælestis Fabricator hominem sibi templi vice dædala prouisione formauit.* Quantumuis curiosiùs res Azariæ Iobus scrutari procuret, eius eluditur sedulitas quasi cum *homine* loquitur, & Angelũ nescit: foris apparet *homo*, & intùs Angelum seruat. Tantùm enim videt humana mẽs, quousque habet oculos

Hic vers. 1.

4\. Iob 50. de Behemoth Diaboli hieroglyphico, ita scribitur: *Sub vmbra dormit, in secreto calami*, &c. *Protegunt vmbra vmbram eius.* Varia est *vmbræ* allegorica significantia apud Commentatores, præsertim apud Gregorium, & Philippum inibi. Alij corporem, otium alij, alij lasciuiam, nonulli delicias; aut mundialium rerum vbertatem intelligunt. Philippus *Peccatores* interpretatur: fortè quia hominum peccata tãquam vmbra corpori, ita Diabolo vicina sunt, cuius callido suggestu patrantur. Itaque appositè subditur, quòd *vmbra*, id est, peccatores, eius protegunt vmbram, hoc eius tenebrosum & obscurum latibulum, ne ille prodatur, & eius vafricies seu astutia coram publicetur. S. Chrysologus exponens illud Marci 9. *Attuli filium meum habentem Spiritum surdum, & mutum*, ita: scribit: *Sed in hoc loco quid Diabolus homini fecerit, declaretur: Antiquus refuga, vbi Deum terris repetit aduenisse, obstruxit aures hominum, vinxit linguam, & obseratis humani sensus foribus spelunca sua latebram pectus fecit & parauit humanum.* quid tam fugit perspicaciam humanam, & notionem latet quàm multipliciter varius, & astutè versipellis Dæmõ, antiquus lucis refuga, coluber tortuosus, spiris squamatim cõpactus, vt humanos oculos arceat, & mentis aciem densè obscurus deludat? Ast quando secretiùs se abdere satagit, quò nocentiùs ex insidiis erumpat, & lædat incautos, *spelunca sua latebram pectus fecit & parauit humanum. Protegunt vmbra* (id est, *peccatores*) *vmbram eius.* O! sic homo labyrinthæis corporatus ambagibus, dubiè incertam, & obscurè lubricam sui notitionem spectatoribus offert? Vel Diabolus ipse in corde hmano latibulum quærit: Sic est fraudulentus, nec sibi constans, nec aliis fidus: *Spelunca sua latebram pectus fecit & parauit humanum.*

Iob. 40. v. 16. & 17.

Philipp. ibi.

Hom. inumpectus fit latibulũ Diaboli.

Marci 9.

Chrys. ser. 52.

5\. Quin & persępè hæc hominis animitiùs pernoscendi difficultas prouenit, non tam ex incõstanti affectuũ vicissitudine, & imperuio morum labyrintho, quàm ex virtutum cum vitiis confinio. *At iidem homines*, inquit Nazianzenus) *facile quoque mihi facturi videntur, vt & fortem temerarium appellent, & prudentem timidum, & temperantem agrestem & inhumanum, & iustum asperum & contumacem. Neque enim hoc quidem malè tradiderunt: Virtutibus finitima, & quodammodo vicinia esse vitia: nihilque faciliùs esse, quam vt ab illis, qui huiusmodi scientiam non tenent, res quadam aliud esse iudicentur, quàm re vera sint.*

Naz. Orat. pro Basil.

Virtutibus finitima sunt vitia.

§. CCCLXXIII.

Arctior inter homines amicitia, fæcundiorẽ inimicandi, & obloquendi de amico mat eriam suggerere solitat.

I. NEminem tam altè secunda posuerunt, *vt non illi magis amicus desit, quia nihil absit.* Itaque prosperior fortuna nouas etiam amicitias impedit: infelicior verò, veteres quoque amicos auertit. Fortunatus enim despicit omnes, infortunatus ab omnibus despicitur. quasi vtraque fortuna amicitias dissoluat, non puto hodie magno infortunio. Perpauci enim sunt, qui veræ, & liberalis amicitiæ iura seruant: multi qui amicitias ad vtilitatem deriuant: multò plures, qui temporarij amici sunt, & solo temporis tractu cupita fastidiunt. Imò & veteres amicitiæ in recentia, & aspera odia sæpe degenerant. Quamuis agas, vt ne quis amicus merito tuo te oderit, erunt tamen semper qui oderũt. Grauior inimicus est, qui aliquando amicè latuit sub pectore: nam vetus amicitia si exasperetur, iniuriarum officina est, & contumeliarũ fœcunda. Quod amico fidenter communicasti, aliis tacendum, infidè prodit aliis. Quid non metuas ab eo, qui non per rimulas suxit, sed toto fonte tuũ pectus hausit? Amicitiam candidè coluisti, & inimicum dicteriis armasti. Ecqui non credat ei, cui tu ipse totum pectus tuũ credidisti? anteacta amicitia vero similem facit sparsam falsitatem. Caue tibi ab amico, ne aliquando in inimicum degenerans, sicut prodit amicitiam, ita & nuper amicum proscribat.

Seneca lib. 6. de Benef. cap. 29.

Caue tibi etiã ab amico, ne forte in inimicum degeneret.

2\. Iobus cap. 3. tot aduersis iactatus, quæ fortissimum quemque obruerent, conceptum calamitatibus mœrorem, ore lenit, & linguâ lugubri quadãtenùs euaporat. Querulus de nocte expostulat, in qua potiùs in tenebras, quàm in lucem fuit editus: & inter alia, quæ illi nocti infaustè imprecatur, hoc maledicto illam fecit. Sit nox illa solitaria, nec laude digna: *Maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leuiatham.* Locus hic diu, multumque torsit, ac distraxit interpretes: quorum referre, & informare sentẽtias, longum esset. Quid est autem quod B. Iobus dum maximè suæ natiuitatis noctem infestare cupit, eos aduocer vituperatores, *qui maledicunt diei*? Imò qui exosam habent diei lucẽ, noctis tenebras adamabũt. Non osores, sed amatores noctis, ad eam execraudam, & eius vituperia publicanda aduocat: Inimicorum lingua, effusior, & petulantior solet esse; nam odium contumelias cudit, quas ore aduersus inimicum largè effutit. Lingua verò amici, probra tegit, & defendit amicitiæ fœdere, estque sacrosanctum iactatæ contumeliæ asylum. O imprecationem ænigmati similem, & quæ præposterè inimici vices cum amico reciprocat? Verùm enimuero S. Thomas eo quo pollebat sagaci, & subtili ingenio, hanc præuidit difficultatem, illique ingenuè succumbens inde litteralissimè locum clarat, eũ intelligendo de iis, qui inimicitias inierunt cum diei luce, inde chara illis nox est. *Maledicant ei, qui maledicunt diei; quia vt dicitur: Omnis qui malè agit, odit lucem. Et infrà: Oculus adulteri obseruat*

Iob. 3. v. 8.

Noctis amici, ad eius vituperium potiùs aduocentur, quò maledicti magis faciant.

Thom. ibi. Ioann. 4. Iob 24.

obseruat caliginem ; *& postea : Si subitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis. Secundum hoc igitur vult eam esse odiosam malis.* Nempe homines nequam & improbissimos, qui die lucem execrantur, & noctis tenebras deamant aduocat ad suæ *noctis* contumelias iactandas. Hi, hi inquam, qui fœdera inierunt cum *nocte*, qui *noctis* calagine abusi sunt ad scelerum lenocinia; qui assiduæ familiaritatis priuilegio, clarè norunt obscura *noctis* flagitia; hi consultissimè adsciscũtur ad magis propudiosa noctis vituperia. Nuper familiares, & arctiùs amici, erunt infestiores huius *noctis* vituperones. *Hablen mal de esta Noche, no los amigos del diã, y enemigos de la noche, sino las majores amigos, que essos suben maior sus trochas.* Mitiùs putauit Iobus in *noctem* suam sæuire, si inimicorũ prouocaret maledicta, quàm si amicorum linguas exacueret. Mitiora sunt, quæ inimicus obmurmurat, nec fide digna, inimicitiarum inuidiâ : & valdè nocentiora sunt, quæ amicus actat probra in nuper amicum; quippe quæ de conscientia, seu conscia familiaritate atrociùs sauciant.

3. De hominibus, qui audacter probra, & contumelias in alios iactant obmurmurandi libidine, & superbiæ licentiâ sic Psalmographus pãgit : *Cogitauerunt, & locuti sunt nequitiam : iniquitatem in excelso locuti sunt. Posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum transiuit in terra.* Singulas huius loci sentẽtias breui ecphrasi perstringam, vt ad propositam thesim comprobandam, sternamus materiam. Hi inquam, insani vituperones *cogitauerunt, & locuti sunt nequitiam*, id est, non verentur quæcumque veniant in mẽtem, liberè ac licenter in alios garrire, prout malitia dictat, & instigat affectus. Exinde *iniquitatem in excelso locuti sunt*, id est, *in excelsum*, vt exscribit Ambrosius : quod Euthymius cum aliis de Deo intelligit. Quasi dicat: vel in Deũ ipsum eiusmodi homines obmurmurãt; sed conatu irrito, & fidei vacuo. Quid enim vilis & terrigena homuncio, de excelso Deo sciat, quod possit culpare? Inde ne eorum linguâ casso vulnere in Deum obloquatur : *Posuerunt in cælum os suum.* Quæ verba quidam de cæli incolis, alij de cælorum astris intelligunt. Verùm quia etsi cælestia quadantenùs cadant sub humanum aspectum, parùm tamen humanis dicteriis feriuntur, nimis enim notitia cælestium peregrinatur in terris; insanire potiùs putantur, qui de excelso Deo, & amico cælo audacter obloqui præsumunt. Vnde ne frustrarent maledicentiæ fructum, *lingua eorum transiuit in terra, vel super terram*, vt scribitur apud Augustinum, & Cassiodorum. Nempè hominis terrigenæ terrigenas cognatos maledico ore perniciosius proscindunt. Ipsi de terra sati, velut necessitudinis titulo, terrigenas acerbiùs linguis insectantur. Quod viuidè expressit Chaldaica paraphrasis, dum in locum verbi *pertransiuit*, exscribit, & exponit, *ardet*, vel *inflammat*. Hispanè diceres ; *Los abrasan con su lengua.* Scilicet hi maledici obtrectatores *iniquitatem in Excelsum locuti sunt* ; sed Deum nõ tangit humana maledicentia, excelsioris naturæ priuilegio. Vnde pergunt, vt *ponant in cælum os suum.* Sed nec vellicare astra eualent, peregrinæ, & distantioris naturæ elogio tuta : exinde maledica eorum lingua, *transit super terram*, *ardet in terra*, & *flammat* homines strictiori necessitudine coniunctos, de eodem limo coalitos, de eadem materia, & animo viuentes, quasi de arctiori necessitudine odium *ardeat*, & lingua *inflammetur* ad acerbiorum maledicentiam. Quod videre hîc licet vers. 15. vbi Tobiam immeritum eius amici & cognati ore petulanti stomachosiùs lacerãt. Caue tibi ab inimico, sed diligentiùs ab amico caue; ne in inimicum degenerãs, sæuiori hostilitate maledicam linguam de vetere amicitia perniciosiùs armaret. Et hîc amici & cognati, qui in dura calamitate siluerunt, in læta felicitate veniunt gratulatum.

Psalm. 72. v. 8. & 9.

Ambr. lib. 5. de fide cap. 7.

Euthymius ibi.

Terrigenarum lingua, in terrigenas vinacius ardet.

Augustin. Cassiodorus ibi.

Paraphrasis Chaldaica.

Tobiæ 2. v. 15. & 22.

Hic vers. 20

4. Lucæ 4. in Synagoga erat homo habens *dæmonium immundum*, & viso propius Iesu, exclamauit voce magnâ, dicens : *Sine, quid nobis, & tibi Iesu Nazarene! venisti perdere nos? scio te quis sis, Sanctus Dei, & increpuit illum Iesus, dicens : obmutesce, & exi ab eo.* Beda venerabilis totus de Augustini mente, & sapientia imbutus, præfata verba exponens, ita scribit. *Sine, quid nobis, & tibi Iesu Nazarene; &c. Quasi dicat : Paullulum à me vexando quiesce, cui nulla est societas cum nostra fraude.* Scilicet, ait malus dæmon ad Iesum. Quid me acerbè vexas, immundum appellas, conticescere iubes, exire compellis; quandoquidem nullo amicitiæ fœdere hactenus copulamur. *Paullulum à me vexando quiesce, cui nulla est societas cum nostra fraude.* Quasi dicat : Si amico fœdere coiremus, & vlla aliquando societas inita inter nos fuisset, non mirarer, quòd mecum inclementer ageres, frenum ori iniiceres, immundi appellatione turpares, & exertâ vi in exilium compelleres: ast cùm nulla tibi sit nobiscum societas, nullum amicitiæ fœdus, nulla vnquam beneuolẽtia intercesserit; quid aduersus nos inimicaris? quo modo, nos ore & opere sic diuexas? *Sine, quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? Paullulum à me vexando quiesce, cui nulla est societas cum nostra fraude.* O! sic arctior amicitia fœcundiorem inimicandi, & obloquendi de amico materiam suggerere solitat.

Lucæ 4. v. 34. & 35.

Incredibile putatur, se ab eo rursùs vexari, qui nunquam eius amicus fuit.

*Beda ibi.

5. Lucæ 22. in mortis suæ vestibulo, cùm Iudas clandestinus Apostolici collegij refuga, Magistro infidus, ad proditionem negotiatur cohortem; dixit Iesus discipulis suis: *Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram : & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Quid est hoc; qui dudũ suaserat, Si quis te percusserit in dextera gena, conuerte ei & alteram; nunc armat discipulos, & solo *gladio*? Nam si penitùs armare decebat, non solùm gladiis præcingi, sed clypeos, galeasque assumere oportebat. Imò etsi millia eiusmodi assumerẽt arma, pro tot insultibus Iudæorum, & Romanorũ cohortibus, qualiter vndecim duntaxat viri præsidium compararẽt, & ex solo aspectu agminum, nutriti in stagnis, & fluuiis, nõ illico corruissẽt? Itaque tempestiuè Chrysostomus præfata verba exponens, sic respondet: *Non ergò putemus Christum iussisse, vt gladios possiderent ; sed per gladios innuit imminentes insidias.* Nimirùm iamiam Iudæ nuper amici & contubernalis *imminentes insidiæ*, dum celantur, *gladij* proditoris sunt ; nil enim tã exitiale est, quàm inimicus sub amicitiæ specie latens. Quoniam verò iam eius publicatur proditio, in posterũ vel ab amicis cautela, ne ipsi in aduersarios infidè degenerent, pro *gladiis* sint, quibus *imminentes insidias* cautè ex inceps declinemus. O bonum *gladium*, quo aduersus *imminentis insidias* ab amico, prudenti cautelâ

Lucæ 22. v. 36.

Gladij, quibus armantur Apostoli imminentes insidiæ sunt.

Chrysost. inibi.

cautelâ sagaciter obarmamur! Inimico amicitiæ gladio inimicus dissimulatus armatur; eius exploratæ cautiùs insidiæ, pro gladio tibi sint. Plura significat, quàm dicit Chrysostomus.

§. CCCLXXV.

Gulæ negotium sic mentem exsorbet, vt indoneam ad alia relinquat.

1. Senec. ep. 90. NVnc vobiscum loquor quorum æquè spatiosè luxuria, quàm aliorum auaritia diffunditur (ait Seneca) quorum profunda & insatiabilis gula hinc maria scrutatur, hinc terras. Alia hamis, alia laqueis, alia retium variis generibus cum magno labore persequitur. Nullis animalibus nisi ex fastidio pax est. Quantulũ enim est quod ex istis epulis quas per tot comparatis manus, fesso voluptatis ore libatis? Quantulum ex istâ ferâ periculosè captâ, dominus crudus, ac nauseans gustat? Quantulũ ex tot conchiliis tam longè aduectis, per istum stomachum inexplebilem labitur? Infelices etiam quòd intelligitis, vos maiorem famem habere, quàm ventrem. Homines gulæ addictos bellè Tertullianus appellauit, *Ventris operarios.* Occupatissima res est gula, spatiosè admodum negotiosa, & quæ volaticis & friuolis palati deliciis, gulosos curis implet, & ad seria quæque tractanda inutiles reddit. *Bonum prandium* in diei festi gratiam in Tobiæ domo supra factum est. Sed homo frugalissimus non sic mensalibus occupatur deliciis, vt non potiùs pietatis, quàm *ventris operarius*, in cõuiuio ipso videatur: & quod religionis ergo instruitur, misericordiæ causâ dimittitur, vt innotescat, pietati potiùs prandere, quàm ventri. Et hîc instaurantur nuptiales epulæ; sed cum timore Domini.

Gulosus ventris operarius dicitur.

Tertull. de pat. c. 16.

Tob. 2. v. 1.

Hîc vers. 21.

2. Geneseos 3. antiquus ille serpens vafritie potiùs, quàm potestate cõfisus, Euam adoritur. Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus: & plura periculosè tentamenta, densè pariter ac malitiosè ructat. Primò caussam præcepti sciscitatur, cæcam obedientiam periculosè inoculando: dein mortis pœnam ambigendo adulterat, vt metum exterminet: scientiæ ingerit cupiditatem, vt mentem hebetet: diuinam similitudinem offert, vt illam, qua obliterari possit, deleat. Sed adhuc tẽtando pergit. *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro suo, qui comedit.* Anima passionum vinculis impedita, & tentationum lenociniis perturbata, cum oculo malum communicauit. O mulier recusa cibi aspectum, vt vitæ venenum, auerte oculos, ne gula ad transgressionem traducat. Et sanè mirissimum est quòd cùm Protoparentes nostri in illo felicissimo innocentiæ statu, nullo peccati fomite instigarentur ad vitium, & tot gratiis instructi ad virtutem propè agerentur; sic brutis gulæ deliciis obtemperarint. Quid? dum malus Dæmon edulis & lapidæ arboris esum astutè suadet, sic occupauit eorum animos, & mentes exsorbuit, vt non plenè aduerterint ad nugaces serpentis promissiones, ad vanissimas è pomo spes, ad mortis periculum, quod cum pomo vorabant? Qualis est hic mentium stupor? *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, &c.* Quæ verba sic luculenter Bernardus illustrat: *Blanditiis rationem, mendaciis timorem compescit serpens, nequaquam, inquiens, moriemini. Auget curam, dum incitat gulam. Acuit curiositatem, dum suggerit cupiditatem. Offert prohibitum, & aufert concessum. Porrigit pomum, & surripit paradisum. Hauris virus peritura, & perituros paritura. Perit salus, non destitit partus. Nascimur, morimur, ideòque nascimur morituri, quia priùs morimur nascituri.* Longum nimis facerem, si singula verba sententiarum grauida, singulatim expenderem. Satis sit omnia vno aspectu coràm proposuisse. (Et τὸ *Acuit curiositatem, dum suggerit cupiditatem,* speciale ad mores thema dedit) illud autem nunc obserua, quòd astutus serpens, palati deliciis, & gulæ *blanditiis rationem compescit: auget curam, dum incitat gulam.* Nempè dum Eua allicitur ad edulis & lapidissimæ arboris epulum, & ad *gulam incitatur*; sic *cura augetur*, sic palati negotio tota occupatur, sic optatissimi cibi illecebra *rationem compescit*, vt ad alia cogitanda torpuerit, ac penè inidonea manserit. Sic ciborum *aura* gulosos occupat, vt ad reliqua cogitanda propè exsorbeat mentem, & cogitatorium exhauriat. Gulæ *blanditiis rationem compescit: auget curam dum incitat gulam.* O gulæ deditos, *ventris* potiùs, quàm rationis *operarios.* Negotiosissimè occupatur homo prauis gulæ curis, vt lautum & exquisitum quotidie sibi conuiuium apparet. dum helluo mensis assidet, totus est in palati libidine, aut fastidio: postmodũ crudus nauseans, dum ratio satietate compescitur, hominis generositatem desuescens, planè obbrutescit. Vide ergò callidi serpentis vafritiem. Animaduertit Euæ animum de cælo ad omnem virtutem instructissimum: vnde vt ad vitium pertrahat, gulæ negotio totam mentem occupat; & palati *blanditiis rationem compescit. auget curam dum incitat gulam. Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum.*

Gen. 3. v. 6.

Serpens dum Eua gulam incitat negotiosam auget curam, ne alia præter cibum cogitet.

Bern. ser. de grad. hum.

Homines moriuntur nascituri.

3. Lucæ 12. hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit, & cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, (vox non tam diuitis, quàm egeni: ô egenas mundi diuitias!) quia non habeo quò congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam: Destruam horrea mea, & maiora faciam: & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea; *Et dicam animæ meæ: Anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.* Meritò confestim *stultus* appellatur, qui gulæ otio sic attentus est, vt ad reliqua negotia planè stultescat. Dicam, inquit, *animæ meæ:* (qui sic de mensalibus deliciis cogitat, potiùs dixisset, *Animalitati meæ*, ait Hugo:) *Anima* habes multa bona, &c. hic ventris operarius, gulæ negotio distractus, *tã improuidus est erga bona animæ, vt escas corporeas animæ adscribat*, inquit Basilius. *In annos plurimos.* Quid stultius, quã vt *vitæ longitudinẽ sibi taxet?* inquit Cyrillus. *Requiesce* à reliquis laboribus, & hoc vnũ cura. Ecce à ceteris rebus *negligẽtia vel desidia*, subdit Hugo, & addit: *Comede, gula. Bibe ebrietas. Epulare, magno apparatu. Si dici potest, muti animalis vox ista est: ita totus animalis est homo, vt animam suam putet escis pascere*, subnectit Beda. Ecce tibi quàm hominis mentem gula sorbeat, & rationem

Gulosus se multiplicare procurat, vt lautiora esculenta apparet sibi.

Hugo ex Glossa, ibi.

S. Basilius homil. 6.

S. Cyril. apud Caten. Hug. ibid.

nem ad quæuis alia quodammodò exhauriat, vt præter esculenta & poculenta nil propè cogitet, nil prouideat. Et quasi hæc omnia parùm forent, quò intentiùs, aliis omnibus relictis, mensalibus deliciis indulgeat, secum quasi cum extraneo loquitur, quasi ad gulæ voluptuosam curā se multiplicet. *Quid faciam*, &c. *dicam animæ meæ: Anima habes.* &c. Ad quæ verba ait Gregorius: *Sed quia ad recondendum loca non sufficiunt, multiplicatus diues quid faciat ignorat.* Scilicet diues hic impensiùs palato indulgens, cum animā suā tanquam cum altero loquitur, & quasi ipse gulæ negotio, etiam cùm aliis rebus supersedet, nō sufficeret, se quodammodo *multiplicat*, vt vno esculentorum otio velut vnus plures intentiùs & sollertiùs inuigilet. (fateor, τὸ *multiplicatus*, alium etiam sensum redere potest; sed hic non idoneus videtur, cùm hic gulosus diues quasi cū altero tunc loquatur) Moralissimè dixit Bernardus, quòd serpens Euæ *auget curam, dum incitat gulam*; quandoquidem dum hic Diues dicit animæ suæ: *Anima habes multa bona, requiesce, comede, bibe, epulare*, etsi à reliquis omnibus vacet, sic dum incitat gulam, esculentorum curam auget, vt se quodammodo *multiplicare* videatur, vt palati delicias voluptuosiùs apparet, & iuge epulū adornet.

S. Greg. l. 15. in Iob. c. 11.

4. Exodi 34. cùm adhuc essent in monte Sinai, dixit Dominus ad Moysem: Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum, & cum Israël pepigi fœdus. *Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit, & scripsi in tabulis verba fœderis decem.* Profectò magna animi attentione, & locuplete memoriæ thesauro opus fuit, vt in tot legum scriptione, nec latū vnguem Moyses à Dei nutu aberraret. Inde dum ex adytis diuini pectoris totam haurit Hebræi populi œconomiam, quasi corporis exsors, & mente ad Deum totus, totos quadraginta dies ieiunus transegit: ne cibi sollicitudo, quæ occupatissima solet esse, animū diuertens, sic illum occuparet, vt ad alia redderet inidoneum. Eloquenter Chrysologus hâc super re ita ad rem præsentem scribit: *Moyses ipse dierum quadraginta ieiunio, ita humano defæcatus est & exinanitus à corpore, vt totius diuinitatis mutaretur in gloriam: & adhuc in nostri corporis obscuro, toto fulgeret lumine deitatis: neque intueri eum mortalis visus posset, qui substantia Dei diu pastus, tota mortalis cibi oblitus fuerat adiumenta.* Parùm foret, quòd Moyses totus Deo, rebusque Dei occupatus, de inediæ beneficio corpore *defæcatus* dicatur; *exinanitus* etiam corpore dicitur: & ne ieiunij damna degeneri fame sentiret, *substantia Dei diu pastus* nuncupatur. Et quasi id non sufficeret, ne parandi cibi sollicitudo eum ab amicā Dei consuetudine diuerteret, addit Chrysologus, quòd *tota mortalis cibi oblitus fuerat adiumenta.* O! sic est occupatissima escas apparandi cura, vt, ne pectus impleat, è memoriā cælitùs ablegalda sit, & obliuione sedanda: ô ventris præstigias!

Exod. 34. vers. 28.

Mosaici ieiunij elogium.

S. Chrys. ser. 166.

5. Passionum tumultus, & vitiorum iners otium, res occupatissima est: adhibeatur ergo ieiunium, quod vita cohibeat, & concupiscentias frænet. *Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis.* Ad quæ Christi Dei verba sic Basilius eleganter scribit: *Subiectio enim corporis per nihil aliud sic obtinetur, sicut per abstinentiam, qua sicut quodam fræno docet compescere iuuentutis feruorem. Est igitur abstinentia interpretatio criminis, amotio passionum, vitæ spiritualis initium, obtundens in se illecebrarum aculeum.* Ecce tibi, per abstinentiam corporis subiicis dominam voluptatem, cuius obsequio nil sufficit: obtundis illecebrarum aculeos, & passionibus fræna iniicis, ne voluptuosis occupationibus omnes corporis ætates, & animi negotia sibi vendicent. Tibi viues, si abstinentiæ viuas.

Luc. 6. v. 25. S. Basil. apud Caten. ibi.

Ieiunium est subiectio corporis, amotio passionum, & illecebrarum hebetudo.

SYNOPSIS.

SYNOPSIS
CAPITIS DVODECIMI.

Senior Tobias de mercede Azariæ reddendâ consilio deliberat : & commemoratis beneficiis, quæ sibi ac filio vbertim præstiterat, dimidiam partem bonorum omnium quæ attulerunt, vltrò illi offerunt. Azarias verò satis sibi mercedis esse declarat, si gratias Deo peragant, à quo ortum habet quidquid illius ministerio hactenùs acceperunt. Commendat ea opera in quibus Tobias sedulus fuerat, & præclarâ cohortatione præmissâ, Angelum se esse dicit: eâ voce perterritos erigit, & bono animo esse iubet : & nonnulla de manducatione suâ, de laudando Deo, & studio veritatis præfatus, ab eorum oculis euanuit. Tobias Deum orat, eiusque magnalia præclariùs deprædicat.

CAPVT DVODECIMVM.

1. TVNC vocauit ad se Tobias filium suum, dixítque ei:
Quid possumus dare viro isti sancto, qui venit tecum?
2. Respondens Tobias, dixit patri suo: Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis eius. 3. Me duxit & reduxit sanum, pecuniam à
Gabelo ipse recepit, vxorem ipse me habere fecit, & dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus eius
fecit, meipsum à deuoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cæli,& bonis omnibus per eum repleti
sumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare? Sed
peto te pater mi, vt roges eum, si fortè dignabitur medietatem de omnibus, quæ allata
sunt, sibi assumere. 5. Et vocantes eum, pater scilicet & filius, tulerunt eum in partem:
& rogare cœperunt, vt dignaretur dimidiam partem omnium quæ attulerant, acceptam
habere. 6. Tunc dixit eis occultè: Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. 7. Etenim sacramentum
regis abscondere bonum est : opera autem Dei reuelare, & confiteri honorificum est.
8. Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna magis quàm thesauros auri recondere.
9. Quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam & vitam æternam. 10. Qui autem faciunt peccatum,& iniquitatem,
hostes sunt animæ suæ. 11. Manifesto ergo vobis veritatem, & non abscondam à vobis
occultum sermonem. 12. Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, &
derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua,& nocte
sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. 13. Et quia acceptus eras Deo,
necesse fuit vt tentatio probaret te. 14. Et nunc misit me Dominus vt curarem te,
& Saram vxorem filij tui à dæmonio liberarem. 15. Ego enim sum Raphaël Angelus:
vnus ex septem, qui astamus ante Dominum. 16. Cúmque hæc audissent,turbati sunt,
& trementes ceciderunt super terram in faciem suam. 17. Dixítque eis Angelus: Pax
vobis, nolite timere. 18. Etenim cùm essem vobiscum, per voluntatem Dei eram,
ipsum benedicite, & cantate illi. 19. Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere: sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest,vtor. 20. Tempus est ergo vt reuertar ad eum, qui me misit: vos autem benedicite Deum, & narrate
omnia mirabilia eius. 21. & cum hæc dixisset, ab aspectu eorum ablatus est, & vltrà
eum videre non potuerunt. 22. Tunc prostrati per horas tres in faciem, benedixerunt
Deum: & exurgentes narrauerunt omnia mirabilia eius.

§. CCCLXXVI.

Commentarius litteralis.

Verſ. 1. Tunc vocauit ad ſe Tobias filium ſuum, dixitque ei: Quid poſſumus dare viro iſti ſancto, qui venit tecum?

1\. *Syrus. Vterque Tobias in Azaria mercede cum auctario deliberat.*

VOcula *tunc*, quæ anceps eſt, optimè exponitur à Syro codice, qui ſic habet: *Et cùm dimiſſum eſſet conuiuium, vocauit,* &c. nempe poſtquam ſeptem dierum nuptialia conuiuia expleta ſunt. Audierat ſæpè Tobias à filio, quàm ei fuiſſet in officio ſedulus Azarias itineris comes, & quot extarent in eum collata beneficia: quare de condignâ illi mercede reddendâ, ſecretò cum filio omnium conſcio prudenter deliberat. Biblia Sixtiana (*Bibl.Sixt.*): *Vide fili mi mercedem homini, qui venit vnà tecum: & adiicere ei oportet,* Hoc vltra diurnam mercedem auctarium, quod Azariæ largiri decernit, portio quædam eſt pactæ olim mercedis. nam cap. 5. ſic apud Græcos codices (*Tobiæ 5. apud Græcos codices.*) pactum initum fuit: *Sed dicito mihi, quam tibi ero mercedem daturus? drachmam die, & neceſſaria tibi, ſicut & filio meo, & adhuc adiiciam tibi ſuper mercedem, ſi ſani reuerteritis. Et bene ſenſerunt ſic.* Et quidem Tobias ſenior multa à filio itineris ſocio, audierat de Azariæ pietate, virtute, prudentiâ, & morum integritate; quæ paucis illis diebus in eiuſdem modeſtia haut dubiè tráſlucebant. quare illum *virum ſanctum* appellat. Plures acceptiones huius vocis *ſanctus*, hic Iuſtinianus (*Iuſtinian. ibi, n.1.*) addenſat; quæ obuiæ ſunt, & apud eundem legi poſſunt.

2\. *Verſ.* 2. Reſpondenſque Tobias, dixit patri ſuo. Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit eſſe beneficiis eius?

Verſ. 3. Me duxit, & reduxit ſanum, pecuniam à Gabelo ipſe recepit, vxorem ipſe me habere fecit, & dæmonium ab ea ipſe compeſcuit, gaudium parentibus eius fecit, me ipſum à deuoratione piſcis eripuit, te quoque videre fecit lumen cæli, & bonis omnibus per eum repleti ſumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare?

Verſ. 4. Sed peto te, pater mi, vt roges eum, ſi fortè dignabitur medietatem de omnibus, quæ allata ſunt ſibi aſſumere.

Verſ. 5. Et vocantes eum, pater ſcilicet, & filius, tulerunt eum in partem, & rogare cœperunt, vt dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere.

Vtriuſque Tobiæ gratitudo, & liberalitas erga Angelum.

Non verbis duntaxat gratus eſſe vult Tobias, breui epilogo repetens omnia ab Azaria collata vbertim beneficia, eorumque momenta diligenter expendens; ſed factis etiam: quippe qui non plus minus quadraginta drachmas pactas offert; (id eſt, totidem argenteos, ſeu regales Hiſpanicos, vel Iulios Italicos) ſed dimidiam partem omnium, quæ attulerant, ſupplicantque, vt *dignetur* accipere, quaſi in nouo magnoque beneficio reponant, ſi id acceptare non recuſet. Non taxant munus dignitati perſonæ, (mercenarius enim putabatur) ſed rei benè gnauéque geſtæ, qui optimus eſt rerum ſenſus. *Tulerunt eum in partem.* id eſt, à domeſticorum turbâ ſeorsùm euocant. Græci codices ita exſcribunt: *Et dixit* iunior Tobias: *Pater non lædor dans ei dimidium eorum, quæ attulit: quoniam me tibi eduxit ſanum, & vxorem meam curauit, & argentum meum attulit, & te ſimiliter curauit. Et dixit ſenex: Iuſtè fit ei. Et vocauit Angelum, & dixit ei: Accipe dimidium omnium, quæ attuliſtis, & abduc ſanus.* *Græcus.*

Verſ. 6. Tunc dixit eis occultè: Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam.

Tunc, id eſt, poſtquam audiuit, ſe ab vtroque 3.
Tobia largiùs muneratum. *Occultè*: Biblia Sixtiana: *Vocans eos clam,* Syrus: *Ad latus.* Seilicet *Græcus. Syrus.*
ſecretò bonorum omnium dimidium gratitudinis ergo Angelo oblatum eſt, ad ſecretiorem receſſum eos aduocat, Angelus, qui à nemine præter illos agnoſci permittit, vt palam edoceat, cuinam tot beneficiorum gratiæ agendæ ſint. Deo inquam, tot beneficiorum auctori. Ingenuè fidelis Dei miniſter, nullâ aliâ mercede ſuam gnauè operam compenſari ambit, quàm ſi omnis operis ſui laus diuino nomini cumulatiùs impendatur. Suum enim ſibi decus reputat illud, quo Dei gloria, ſumma benignitas, & ſedula erga ſuos prouidentia ſumptuoſiùs celebratur. *Deum cæli.* Putat Iuſtinianus ſignificari Deum, & omnipotentem, vel *Sciaddai*, id eſt, ſibi ſufficientem, quo nomine Pſal. 90. celebratur. Verùm (vt ſæpè notauimus) ſicut *terræ* nomine inferiora omnia innuuntur, ita *cæli*, vocabulo omnia ſupera deſignantur: quare cùm dicitur *Deus cæli*, idem eſt, ac conditor, & Dominus ſupernorum omnium; cumque tunc è ſupernis Angelum miſerit, meritò *Deus cæli* in eiuſmodi prouidentia denotauit, τὸ *confitemini*, millies repetitum in Bibliis occurrit, ſignificatque laudare, vel cum laude prædicare. *Suam gloriam Deo cedit Raphael.* *Iuſtin.ibi.*

Verſ. 7. Etenim Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt: opera autem Dei reuelare, & confiteri, honorificum eſt.

Græci codices: *Myſterium Regis bonum eſt* 4.
occultare. Arabs, *Secretum.* Sic Iudith 2. verſ. 2. Nabuchodonoſor accitis Senatoribus, *Habuit cum eis myſterium conſilij ſui.* De quo nos inibi §.1. num. 3. Et ſanè perſpicuum eſt quàm oporteat regios conſiliarios ſecreti eſſe tenaciſſimos. Non quia Principum conſilia perſæpè malitiæ, & imprudentiæ næuo deuenuſtantur, vt opinatur in hoc loco Iuſtinianus; ſed quia ſecretum rei faciendæ executioni lenocinatur, quam euulgatio faſcinat. Nam publicatis conſiliis impediuntur *Græcus. Arabs. Iudith 2. v.2. Regum conſiliarij, ſecretorum tenaciſſimi ſint.*

diuntur plerumque rerum euētus. Exinde si quis proderet Regum consilia, læsæ maiestatis reus, & acerbiori supplicio obnoxius putabatur. (Consule Serarium in Commentario, & Sanctium num. 3. Verum nimis illud Curtij: *Res magna sustineri non possunt ab eo, cui tacere graue est.* Lege P. Carolum Scribani lib. 2. Instit. Politico-Christ. cap. 16. qui potiori stilo, & eruditione id tractāt) At cùm diuina consilia nullā creatā vi, aut humano renutu possint impediri, frustrationi obnoxia non sunt. Quid autem ex secretis Dei silentio velandum sit, tradit hîc Iustinianus, Documento 1. Id præmittit Raphaël, qui cùm dicatur vnus è septem Angelis, qui Deo adstant, velut eius consiliarij (de quo infrà §.... num. ....) tamen diuinæ prouidentiæ arcana consilia mox reuelat, ad eius immortalem gloriam.

Serar. Sanct. Curtius. Carol. Scrib.

Vers. 8. Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna magis quàm thesauros auri recondere.

5. Non putauerim, Raphaëlem nunc generatim tradere elogia virtutum, earumque panegyrim instituere; sed ea speciatim virtutis opera, quæ in Tobia præsertim maximè excellunt, & quibus eximiam Dei benignitatem promeritus est. De Tobiæ oratione, & eleemosynis multa hactenus sacer Historicus denarrauit: nunc ore Angelico eius eulgatur ieiunium, quod Sanctis veteris Testamenti familiare fuit, præsertim dùm aliquā angebantur calamitate, aut diuini furoris auertendi desiderio. Tobias autem tot malis iactatus, inedia aridus, propitiationem diuinam etiam promeruit. P.e existimat Sanctius, Tobiæ pietatem eò progressam fuisse, vt non modò defunctorum corpora sepulturæ mandaret contempto vitæ periculo; sed quando sepeliebat mortuos, ac si foret singulorum pater, ad honestum funeris officium addidisse ieiuniū. Quod in sepultura Saulis viri Iabes Galaad piè præstiterunt 1. Reg. cap. vltimo. Et Dauid in funere Saulis, & filiorum eius 2. Reg. 1. vers. 21. Et in exequiis Abner, 2. Reg. 3. v. 35. Ex quibus opinatur, familiare fuisse Hebræis, cùm parentale exhibuerunt officium, solenniter ieiunare. Quàm benè sibi cohæreant oratio, eleemosyna, & ieiunium, obuium est apud sanctos Patres, & Biblicos passim interpretes. Legi potest hîc P. Serarius, & Iustinianus. Græci codices ita habent: *Bonum oratio cum ieiunio, & eleemosynâ, & iustitiâ.* Syrus etiam *iustitiam* addit. Putat Iustinianus nomine *Iustitiæ* in hoc loco intelligi sanctitatem, seu charitatem. Perplacet Serarius, qui censet hîc (vt sæpè aliàs) Hebræa phrasi, *iustitiam* pro misericordia, seu eleemosyna accipi. Quàm locupletes paret thesauros eleemosyna, in Paragraphis moralibus traditur.

Post sepulturam mortuus exhibitam, Tobias ieiunabat.

Sanct. ibi. n. 7.

1. Reg. vlt. 2. Reg. 1. & 3.

Iustitia pro misericordia accipitur.

Serar. in Comment. Iustin. Docum. 1. Græcus. Syrus.

Serar. Iustin.

Vers. 9. Quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam.

6. Cùm τὸ *mors*, à qua eleemosyna liberare dicitur, sit vox ambigua, quæ & significat corporalem mortem, quæ est animæ à corpore dissolutio; & spiritualem animi mortem, quæ fit per graue peccatum, qui etiam est reatus æternaturæ in gehenna mortis; dubium est de qua nunc Raphaël morte loquatur. Iustinianus suprà ad cap. 4. v. 11. seriò censet, hîc nullatenùs sermonem esse de morte temporali, à qua nihil est quod liberet: nam statutum est hominibus semel mori. Quod verò loquatur de morte æterna, quæ incurritur per peccatum, magno consensu docent interpretes, & ex contextu liquidò constare videtur, vt statim declarabitur. Veriùs, opinor, Sanctius de morte temporali, & æterna locum interpretatur. Nā in hoc loco recenset Angelus Tobianæ eleemosynæ effectus mirabiles; cumque sæpè periclitata sit eius vita sub ferali Sennacheribi edicto, cap. 1. v. 22. periclitata etiam est iunioris Tobiæ salus, cùm piscis illum in Tigri flumine inuasit, cap. 6. v. 3. & 4. & rursùs cùm Saram duxit vxorem, cuius septem successiuè maritos Asmodæus trucidauerat, cap. 3. v. 8. quæ omnia speciatim ab Angelo, & à filio senior Tobias didicerat: inde satis verosimile fit, quòd hos effectus felicissimos eleemosynæ Angelus adscribat. Itaque cùm dicitur eleemosyna à *morte* temporaria liberare, non est ita intelligendum, vt qui eleemosynas largiùs præstat, nunquam mortem incurrat; (quod immeritò putabat Iustin.) sed quod hosce aut similes periculosos sæpè casus speciali Numinis prouidentiā deuitet, & de certo vitæ periculo sospes euadat. Quòd autem de morte etiam animæ, quæ fit per peccatum, loquatur etiam Angelus, perspicuum est ex his, quæ subdit in hoc, & proximè sequenti vers. Vnde hoc prius hemistichium duplicem habet litteralem sensum, priorem de liberatione à morte temporariā confestim omittit, contentus illum præstrinxisse, vt Tobiæ innotescat, cuinam referendum sit liberatæ toties vitæ beneficium; & posteriorem de morte peccati persequitur.

Iustinian.

Quo sensu eleemosyna à morte temporali liberet.

Sanct. ibi n. 8.

Quo sensu eleemosyna peccatum expiet.

Et ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam. [Nempè eleemosyna à morte temporali vtrumque Tobiam liberauit. Quod etiam à morte æternā liberet, probat Angelus, quia purgat peccatum, quod est animæ mors, & ideò Dei misericordiam inuenit, & *vitam æternam* obtinet. Quo modo autē eleemosyna peccata abstergat, diximus ad c. 4. v. 11. idque benè exponit Salianus ita fatus: Rectè autem dicit eleemosynam liberare à morte, purgare à peccatis, & inducere ad vitam æternam. Non quòd reuera eleemosyna sit actus contritionis, vt peccatum deleat, & reconcilet Deo: sed quia pientissimus Deus sollicitatus precibus pauperum, qui accepta eleemosyna pro benefactore orant, ei dat spiritum timoris Dei, & contritionis, quo peccator & ad se, & ad Deum redit; sicque eleemosyna salutis eorum caussa est, non immediata, sed antegressa; quo fit vt ægrè contingat eleemosynarum largitorem perire.

Salian. ann. m. 3335. n. 64.

Vers. 10. Qui autem faciunt peccatum, & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.

Sententia huius Versiculi videtur esse superioris probatio & declaratio. Nam cùm suprà dictum sit, quòd peccatum est mors animæ: vnde qui facit peccatum, animam occidit: exindè fit, quòd cum eleemosyna peccatum expiet, mortem quoque excutiat necesse est: atque adeò anima eleemosynæ beneficio æternùm viuat. Nullius enim rei aduersus corpus & animam, tam est perniciosa hostilitas, quàm quæ à peccato contra vtramque hominis vitam armatur. Sic est ini- 7.

Peccati aduersùs vtramque vitam hostilitas eleemosynis exarmatur.

Iustinianus.

quitas vitæ, insidiosa! De hostilitate autem peccati latè tractat Iustinianus, post expositionem libri Tobiæ. Consuli potest hâc super re. Græci codices sic habent: *Eleemosyna à morte liberat: & ipsa emundat omne peccatum. Facientes autem eleemosynas, & iustitias* (idest, misericordias) *implebuntur vitâ: peccantes autem sunt hostes suæ ipsorum vitæ.*

Græcus.

Vers. 11. Manifesto ergo vobis veritatem, & non abscondam à vobis occultum sermonem.

Vers. 12. Quandò orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tuâ, & noćte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.

Nuper dixerat Raphael, Regum consilia secreto tegenda esse, diuina verò mysteria publicanda, quia ea sunt, quæ illi nullo modo detrahent, sed quæ illius gloriæ plurimum adiiciant; iam ea palam reuelare auspicatur. Et disertè commemoratis iis, quæ Tobias fecerat aut in Deum piè, aut benignè in proximos; addit se orationem eius obtulisse Domino. Biblia Sixtiana sic locum exscribunt: *Non occultabo à vobis omne verbum. Dixi iam mysterium Regis occultare bonum, opera autem Dei reuelare honorificè. Et nunc quandò orasti tu, & nurus tua Sara, ego obtuli memoriale orationis vestræ coram Sancto*, &c. Cùm animaduertat P. Sanctius, quòd Raphael orationes Tobiæ & Saræ Deo obtulerit, sedulusque vtriusque salutem, & felicitatem procurarit, auspicatur Raphaëlem præpositum à Deo fuisse decem tribubus in Assyriâ captiuitate dispersis: sicut Gabriel putatur à Theodoreto, Gregorio, & Cassiano, præpositus duarum tribuum, quæ posteà in Chaldæam abductæ sunt. Non inidonea sanè coniectura; sed coniectura quidem. Porrò cùm homo videat quousque habet oculos, & Angelica œconomia humanam perspiaciam excellat; præter ea quæ Biblia sacra, & sancti Patres tradiderunt, hâc in re nostræ rationis lubricis coniecturis haut tutò me credam. Scimus, quòd etsi Deus per se ipsum (quâ pollet scientiâ, & omnipotentia) posset res mundiales administrare; tamen ministeriali Angelorum officio sæpè vtitur, & præter custodes Angelos à natiuitate singulis deputatos, alios ad specialia obeunda munera deligit: quando verò designet eos, qui prouinciis præsunt, quando alios ex sibi facialibus malit, aut ex aliis ordinibus, non facilè quis definiat. Ecquis enim sciat, qualis fuerit Angelus, qui Abrahamum inhibuit, ne Isaacum immolaret? an alterutrius Angelus custos? an prouinciæ præses? aut quiuis alius? Idem iudicium esto de aliis innumeris Angelorum apparitionibus, quibus Biblia exundant. Quod autem Raphael non fuerat iunioris Tobiæ Angelus custos, vt aliqui suspicantur; facile euincitur ex eo quod non ante iuuentutem dicitur illi adfuisse, & post quinquaginta, vt maximum dies, in cælo remeans disparuit. Angelus autem custos à natiuitate semper cuiq; adest.

Bibl. Sixt.
Cur Raphaël tam solicitus de Tobiæ rebus.
Sanct. hîc n. 11. & 13.
Theodor.
S. Greg.
Cassian.
Raphael non fuit Angelus custos Tobiæ.

Vers. 13. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te.

Vers. 14. Et nunc misit me Dominus, vt curarem te, & Saram vxorem filij tui à dæmonio liberarem.

Arabs: *Et quia acceptus eras Deo, conueniens fuit vt tentatio probaret te.* Quibus verbis planè sententia languet: nam τὸ *necesse fuit*, viuacissimè momentum tribulationum expendit. Quâ super re legi potest Seneca, vir Gentilis Christiano cothurno rem tractans in lib. de diuina Prouidentia, & in lib. *Quare bonis viris mala accidant*, præsertim c. 2. legatur etiam Lactantius Firmianus lib. 5. de Iustit. cap. 23. quorum verba passim Expositores rescribunt. Et tribulationum elogia apud SS. Patres obuia sunt. *Tentatio* in hoc loco non sumitur pro instigatione ad malum, sed pro experimento, quo cuiusque virtus aduersis exploratur, quod non tam fuit dicendum, quàm non omittendum. 9.

Arabs.
Viri iusti durius exercentur à Deo.
Senec. Lactantius.

Et nunc misit me, &c.] Quæ verba sic vertit, & exponit Syrus: *Cùm surrexisses clam, & portauisses illum mortuum, cùm euenisset tibi tentatio, misit me Deus vt liberarem te.*

Syrus.

§. CCCLXXVII.

Commentarius litteralis.

Vers. 15. Ego enim sum Raphael Angelus, vnus ex septem, qui astamus ante Dominum.

Vittaherus contra Edmundum ita scribit: *Illum Tobiæ Raphaelem minimè moramur, nec illos septem Angelos agnoscimus, quorum ille meminit.* Sic ille quidem licentia Hæretica. Nos autem (vt virum Catholicum decet) in Tobiæ Raphaële cognoscēdo plusculùm immorabimur, & septem illos Angelos sacris Bibliis familiares agnoscere, & resignare contendimus, etsi id satis difficile sit. Qui enim sunt hi septem Angeli? quales? ex qua hierarchia? cur septem ex tot millibus, nec pauciores, nec plures? Hæc quæstio sic interpretum torsit ingenia, vt in varias eos sententias plurifariam distraxerit. Et sanè cùm iidem communiter putentur hi septem Angeli, ac illi qui in Apocalypsi, & Zacharia inducuntur (locis mox allegandis) nempe septē spiritus qui in conspectu throni Dei sunt; quod de his septem spiritibus asseritur, hoc in Angelos istos septē conferri debet. Et primò Aretas, Primasius, Haymo, Beda, Rupertus, Ansbertus, Thomas Angel. & Eucherius, intelligunt septem dona Spiritus-sancti, id est, ipsum Spiritùm-sanctum, qui est auctor septem donorum. Hunc sensum esse mysticum censeo Petrus Galatinus ibi, Serarius, Sanctius, & Cornelius. Quibus validè obluctatur P. Alcasar in cap. 1. Apocalyp. vers. 4. in Commentario, & Nota. 4. vbi adstruit locum Apocalypseos, & Tobiæ, ad litterā intelligi posse vel de Spiritu sancto in se ipso secundum quod septem suæ prouidentiæ prefectiones habet, vel prout Angeli Dei nomine eas administrationes obeunt. Legi potest Notat. illa 4. §. *Prædictam*, & §. *Hic tamen.* Tantùm hîc aduerterim, vtramque Alcazaris expositionem in re Biblica nimis esse subtilem. Et 1.

sanè

Vittaher. apud Serar. qu. 1.
Per septem Angelos sen spiritus non designatur Spiritus sanctus.
Aretas.
Primas.
Haymo.
Beda.
Rupert.
Ansbert.
Tho. Angel.
Eucher. apud Corn. ibi.
Alcazar.

ſanè argumentum ob quod à communi expoſitione diſcedit, Ribera dilucidè olim exſolueràt, & P. Vaſquez. 1. p. diſp. 244.

2. Receptior ergò ſententia eſt, his ſeptem Tobiæ Angelis, ſecundum litteræ rigorem, ſeptem Angelos deſignari, eſt ſentẽtia valdè communis vniuerſatim intellecta. Auctores, qui eam adſtruunt, infrà allegabimus cùm peculiares modos, quibus ea intelligitur, & defenditur, ſubſcribemus. Ita expreſsè videtur tradi in hoc cap. 12. verſ. 15. *Ego ſum*, inquit, *Raphaël Angelus, vnus è ſeptem, qui aſtamus ante Dominum.* Tobiæ concinit Ioannes Apocal. 1. verſ. 4. Gratia vobis, &c. *& à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt*, & n. 5. verſ. 6. iidem ſeptem ſpiritus vocantur ſeptem Agni cornua, & ſeptem oculi, id eſt, vigiles; ac robuſti adminiſtri Dei: *Qui*, ait, *ſunt ſeptem ſpiritus Dei miſſi in omnem terram.* Vnde Zachariæ 5. verſ. 10. hi ſeptem ſpiritus vocantur *ſeptem oculi Domini, qui diſcurrunt in vniuerſam terram.* Et Apocalypſeos 8. verſ. 2. *Et vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei.* Et cap. 15. verſ. 6. *Exierunt ſeptem Angeli habentes ſeptem plagas.* Ad hæc Cornelius a Lapide in Apocalyp. cap. 1. verſ. 4. §. *Sexto, quia*, horum ſeptem Angelorum celebrem memoriã refert haberi in Sicilia, Neapoli, Venetiis, Romæ; templa illis erecta, & eccleſiaſtica officia inſtituta: pluresque hac ſuper re auctores allegat. Adſentiunt hìc Serarius, & Iuſtinianus. Sed an præcisè ſeptem ſint, & cur ſeptem cenſeantur, adhuc inter Commentatores grande litigium eſt. Proponam plures Auctorum ſententias, vt quam malit lector amplectatur.

Septenarius Angelorum numerus, ex ſacrâ Scriptura adſtruitur. — Apocal. — Zachar. — Apocal. — Cornel. Serarius. Iuſtinian.

3. Lyranus, Hugo, Carthuſianus, quibus fauet Emanuel Sà (aiens, *Septem fortè, poſitum, more Scripturæ*) & Mariana, cenſent numerum ſeptenarium definitum, pro indefinito poni, nempe pro maximo aliquo Angelorum numero. Quod de ſeptenario numero vniuerſatim docet Auguſtinus lib. 3. de Doctr. cap. 35. Hieronym. in Iſaiæ cap. 54. Ratio eſſe poteſt, quia multò decentius, & ſacræ Scripturæ conformius videtur, vt millia millium Deo aſſiſtant, eique ad nutum miniſtrẽt, quàm perexiguus hic numerus; ergò non benè ad ſeptenarium arctabitur. Hæc interpretatio paſſim reiicitur ab interpretibus: quia licet in Bibliis ſæpè contingat definitum numerum pro indefinito accipi; at toties iſte Angelorum numerus occurſat, vt duriùs dicatur impropriè accipi; & tam frequentem loquendi modum putari figuratum. Verùm hanc rationem haut magni põderis cenſet Alcazar: nam eadem ratione Apocalypſeos 4. & ſæpè alibi, Chriſtiani ſacerdotes nuncupantur viginti quatuor ſeniores: & in viſione viginti quatuor ſeniorum figurati ſunt, per alluſionem ad viginti quatuor principes Salomonici templi, de quibus 1. Paralip. 24. vbi appellantur Principes Dei & Principes ſanctuarij. Et manifeſtum eſt, quantumuis Chriſtianorum ſacerdotum numerus ad multa millia excreſcat, poſſe quemuis dicere, ſe eſſe vnum ex illis viginti quatuor ſenioribus. Ergò ſicut numerus viginti quatuor ſeniorum toties repetitus, accipitur pro magna Sacerdotum multitudine; ita etiam ſeptenarius Angelorum numerus Deo aſtantium, poterit accipi pro quibuſuis Angelis, qui Deo ad miniſterium aſſiſtunt. Imò & Sanctius, qui hìc n. 17. audaciorem & duriorem putauit Lyrani ſententiam; infrà n. 28. illi tandem ferè adſentit. Magnum pro ea Auctorum numerum recenſet noſter Alcazar

Lyranus. Hugo. Carthuſ. Sà. Marian. in cap. 1. Apocal. v. 4. Auguſtin. Hieronym. — Alcazar ſup. Apocal. 4. — 1. Paral. 24. — Sanct. ibi. Alcazar.

Notat. illã 4. in principio. Vnde & ratione & auctoritate fulcita videtur.

4. Ceterùm hos ſeptem ſpiritus, quorum vnus eſt Raphaël, eſſe ſeptem principes Angelorum, communis ſententia eſt. Ita Clemẽs Alex. 6. Stromatum, aiens: *Septem ſunt, quorum maxima eſt potentia, primogeniti Angelorum principes.* Aretas in Apocalyp. allegans Irenæum. S. Cyprianus de Exhort. martyr. & contra Iudæos. Petrus Galatinus in Apocalypſim, qui manuſcriptus extat Romæ in Biblioth. Vaticana, Iacobus Soarez lib. 3. in Apocalypſin, n. 8. Ioannes Fontana Epiſcop. Ferrar. p. 3. anct. 64. Stephanus Veberus de officio Angelorum cap. 3. n. 8. Fidelis Danielius lib. 1. de diuinâ Prouid. cap. 2. Laurentius Maſſellius de B. Virg. lib. 3. Franciſcus Mayron ſerm. de creatione animæ B. Virginis, Iuſtinianus in Tobiæ 12. verſ. 15. & ibi Mauden in Paraphraſi. Et ex noſtra Societate Salmeron tom. 3. cap. 3. Gabriel Vaſquez tom. 2. in 1. p. diſp. 180. n. 3. Pineda lib. 5. præuij Salom. cap. 13. n. 17. Ribera, Maldonatus, Pererius, Viegas, Cornelius in Apocalypſeos cap. 1. Antonius Fernandius Viſione 2. ſect. 4. num. 6. & 7. Serarius quæſt. 6. 7. & 8. Sanctius, Menochius, Tirinus, Gordonus hìc. Fauet Hebræus textus, qui vbi nos legimus: *Ego ſum Raphael Angelus, vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum*, ita exſcribit: *Ego enim ſum ex principibus, qui miniſtramus ante ſolium gloriæ.* Et ſanè; τὸ *aſtare* ſumi pro *miniſtrare*, iuſſa ad Dei nutum exequi, aut per ſe, aut per ſibi ſubiectos adminiſtros, communior ſententia eſt: omnes enim ſunt adminiſtratorij ſpiritus, vt conſtat ex Paulo ad Hebræos 1. Sed adhuc grande ſupereſt litigium, cur ex innumerabili Angelorum numero qui Deo ſemper aſſiſtunt, ſeptem potiſſimum electiſſimi nominentur.

Clem. Alex. Aretas. Irenæus. Cyprian. Petr. Galat. Iacob. Soarez. Pontana. Veberus. Fidelis Daniel. Maſſellius. Mayron. Iuſtinian. Mauden. Salmeron. Vaſquez. Pineda. Ribera. Maldon. Pererius. Viegas. Cornelius. Fernandius. Serarius. Sanctius. Menochius. Tirinus. Gordonus Hebræus text. — *Septem principes Angeli Deo ad miniſteria adſtant.*

5. Ioannes Franciſcus Georgius tom. 6. Probl. 186. ſeptem Angelos planetis præpoſitos aſſerit, qui cælos, & res ſubcæleſtes gubernent. Idem docet Cornelius Agrippa lib. 3. de occulta philoſophiâ cap. 24. traditque eſſe antiquam Rabbinorum ſententiam, & Ioannes Tritemius libellum hac ſuper re Maximiliano Imperatori ſcripſit. Horum auctorum verba recitant Serarius, & Iuſtinianus. Et ſanè licet ex hæreſi Saturnini, & Baſilidis multa adiecta ſint aut ridicularia aut impia: at hæc opinatio ab erroribus depurata & defæcata, non exiguam faculam obſcuræ huic difficultati de principum Angelorũ ſeptenario numero accendit. Porrò ſi ex Philoſophia Pytagoræ, (vt habet Agrippa) & ex ſapientum Hebræorũ Theologiâ percrebuit, ſeptem principes Angelos rectioni ſeptem planetarum, atque ſubcæleſtium, præpoſitos eſſe (non quòd iſta creauerint, ſed quòd miniſteriali officio ea gubernent pro Dei nutu) forſan adluſio ſit ad hoſce ſeptem principes Angelos, qui ſic adſtant Deo, vt cæleſtia ſimul ac terrena moderentur. Nam ſicut vnus Angelus vni prouinciæ præeſſe) dicitur: ita ſeptem principes Angeli ſeptem cæli planetas, & etiam omnem terram dicentur gubernare.

Fr. Georg. Cornel. Agrippa. Tritemius. — Serar. q. 6. Iuſtin. ibi. *Septem Angeli præpoſiti planetis, & ſubcæleſtibus.*

6. 2. Serarius hìc q. 8. & Sanctius à num. 19. & Alcazar in Apocalypſeos cap. 1. v. 4. Notat. 4. cenſent, hos ſeptem ſpiritus eſſe Deo velut conſiliarios. loquitur enim Scriptura de Deo more humano: & ſicut ſceptrum & thronum illi adſcribit, ita etiam per adluſionem ad humanos reges, Deo deſignantur apparitores, conſiliarij, & adminiſtri. Sic putat Hieronymus videri Paullum,

Serarius. Sanctius. Alcazar. *Septem Angeli per ſimilitudinem ad totidem regum Perſarum Conſiliarios conſtituuntur.*

Hieron. in ad Ephes. cap. 1. Dominationes, Potestates, Thronos, Angelos, & Archangelos, vel ex traditione, vel etiam ex mysticâ Principum, qui in Scripturis describuntur, intelligentia percepisse, ac tradidisse. Vnde cùm per captiuitatem innotuit Hebræis, in Assyriæ, Mediæ, Persidisque Monarchiâ septem Regi adstare consiliarios è regni principibus, ex eo tẽpore hic Angelorum numerus in cælesti aulâ recensetur, in hoc Tobiæ cap. 12. v. 15. & Esther 1. v. 10. & 13. Et Zachariæ 4. v. 10. & lib. 1. Esdræ cap. 7. v. 14. & Apocalypseos 1. v. 4. &c. Sic apud Zachariam Angeli dicũtur Dei oculi, & apud Persarum reges, qui erant dignitate præstantes, *oculi*, & *aures* è Xenophonte lib. 8. appellantur. Et Zacharias *cornua* illos vocat: & Amianus lib. 19. Parthorum regum capitibus aurea apponit cornua. Nam, vt ait Aristoteles lib. de Mundo ad Alexandrum, & ex eo Apuleius, maiestas & gubernatio regum Persarum fuit imago diuinæ maiestatis & prouidentiæ. Quod tradit etiam libellus de regio Persarum principatu, ex aduersariis Brissonij, fol. 64. Et sanè humanæ tenuitati se accommodans Deus, multa de cælesti œconomia quæ vltra humanam intelligentiam sita sunt, per similitudinem ad hæc terrena, quæ oculis patent, exponit. Cùm ergo in aulis Regum Assyriæ, Mediæ & Persidis, septem ex principibus Regi adsideant: inde totidem ipsi adsidere Angelos reuelat, qui adsimile illis ministerium præstent. Dicit ergò Raphaël, quòd vnus est ex his septem principibus Angelis, qui per similitudinem ad humanum imperium, Deo assidet. Sed huic expositioni obiicit Cornelius, quòd hæc doctrina ad hunc Tobiæ locum accommodari non potest: nam hæc Tobiæ reuelatio Monarchiam Persarum, quæ à Cyro incepit, multos annos præcessit, nempe plus minúsve centum septuaginta. Verùm vt notum est ex Estheris 1. v. 14. hic septenarius Principum numerus apud Medos in vsu fuit; dicuntur enim *septem duces Persarum, atque Medorum, qui videbant faciem Regis, & primi post eum residere soliti erant.* Quare autumant Serarius, & Sanctius id in more positum, non solùm apud Persas, sed etiam apud Medos, & Assyrios, & Chaldæos, quæ prouinciæ finitimæ sunt. Neque est verosimile patrios Persidis mores, & nouam regiminis formam, Cyrum Persarum regem, innecturum in Assyriam, regnare diu latéque adsuetam, contra Assyriorum mores. Et sanè cùm Tobias abductus est, rex Assyrius, Salmanasar Israëlitarum domitor, illos transtulit in Mediam, vt habetur 4. Reg. cap. 17. & 18. & tunc Raguel, & Gabelus in Mediâ habitabant, vt constat ex hâc historiâ: ergò saltem ex Mediæ & Persidis œconomiâ regiâ, id Israëlitis innotescere potuit. Adde ambiguum esse, an Esther floruerit ante solutam Iudæ captiuitatem, vel posteà. (De quo ibi) Qui autem censent ante solutam captiuitatem contigisse, cùm necdum rex Persarum in Chaldæâ regnarit, necesse est ex Chaldæorum legibus, & reipublicæ formâ, septem illos principes Regi Chaldæo assidere. quod etiam de Assyrio rege existimare, procliue est; vndecumque ille mos emanarit, siue è Perside, siue è Mediâ, siue ex Chaldæâ, aut Assyriâ. Nam (vt proximè ex Aristotele obseruabamus) cùm regiminis forma, quæ apud Persas florebat, putaretur diuinæ gubernationi similis, facile inde fuit à finitimis Regibus eam arripi, & legibus exprimi. Legatur Sanctius hîc num. 17. & Serarius q. illâ 8. Itaque

Tobiæ 12. Esther 1. Zachar. 4. Apocalyp. 1. &c. Xenophon. Amianus. Aristotel. Apuleius. Cornel. in Apocalyp. c. 1. v. 4. *Proponitur, & soluitur Cornelij obiectio.* Esther. 1. Serarius. Sanct. 4. Reg. 17. Sanctius. Serarius.

cùm ait Raphaël, se esse vnum è septem Angelis, seu ex Angelorum principibus, qui Deo adsunt, id dixit adspectu ad aulæ regiæ politiam, quo modo tunc apud Reges Assyriæ, Mediæ, aut Persidis, gerebatur.

III. Ex hâc Serarij, & Sanctij doctrinâ aliam (vel potiùs eandem explicatiùs traditam) huius loci expositionem Alcazar luculentè excogitauit, in cap. 1. v. 4. Apocalyp. Notat. 4. supponens quod nuper adstruebamus, nusquam in Scripturis auditum esse hunc septenatium principum Angelorum numerum, quousque Israëlitis innotuit septem duces Medorum atque Persarum eligi in intimos Regis ministros & consiliarios, & in eius conspectu ministrare. Cùm verò constet regios cubicularios seu consiliarios regni Persici fuisse septem, facile intelligitur illos fuisse appellatos septem viros: (Hispanè eos appellaremus, *los fietes*) Cùm enim ad dignitatem aliquam certus aliquis virorum numerus statuitur, sæpe fit vt numerus ipse pro dignitate sumatur: sicut apud Latinos triumuiri, decemuiri, quindecemuiri. Et apud Hispanos, *los seises, los treces, los veintiquatros.* Et licet plerumque accidat, vt augeatur posteà numerus, & nihilominus primi numeri nomen apud ipsos remaneat. Senatores enim quarundam Hispaniæ vrbium appellantur, *los veintiquatros*, tametsi ad quinquagenarium vel centenarium numerum posteà excreuerint: & pueri cantores in primaris ecclesiis, *los seises*, etsi illis sex, plures alij accesserint. Adeo vt siquis apud Hispanos dicat: *Los Cherubines son los seises de la capilla del cielo*, quamuis verba sonent in musica cælesti, Cherubinos esse sex vel senos; nemo tamen qui phrasim intelligat, suspicabitur Cherubinorum numerum ad senarium coarctari; sed eorum solum significari officium, & in diuinis laudibus suauitatem. Hucusque Alcazar. Indè fit, vt quia rerũ Persarũ apparitores, & consiliarij intimi, qui illius faciales administri erant, septem omninò censebantur; cælestis politia, dum humano more explicatur per aulæ Persicæ similitudinem, septenarium numerum retineat, tametsi plures sint Angeli, qui Deo adsistunt, & ei velut à consiliis adsunt, eius obsequio expromptiùs ministrantes. Hæc expositio reliquis præferenda est.

IIII. Serarius, & Iustinianus, Salianus, & Tirinus, censent, ideò septem esse Angelos, præcipuos diuinæ prouidẽtiæ in rebus humanis administros; quia septem sunt præcipuæ virtutes ad quas homines permoueant, nempe tres virtutes Theologales, & cardinales quatuor. Quilibet autem ex hoc septenario numero, vel per se, vel per suos administros, ad vnã speciatim virtutẽ permouet. Sicut etiam sunt septem Dæmones, qui ad septem capitalia vitia instigant: quare Almodæus ad libidinem homines sufflammabat. Hoc autem vniuersatim dictum, verum non est: neque adducar vt credam, vlli Dæmonũ strenuã deesse sagacitatem, vt ad plura vitia instigationem non ingerat; aut qui est superbiæ destinatus, non captare occasiones, vt ad libidinem excitet. Sic cẽseo de Angelis aspectu ad virtutes. *Angeli pacis* dicuntur, quia id negotij tractabant. Sicut Raphael non dicitur præpositus contrahendis nuptiis, quia strenuus illarum contrahendarum paranymphus fuit. Addam, & finio, quòd sicut communis est Theologorum sententia in Tractatu de Angelis, supremam hierarchiam, aut rarò, aut nunquam mitti; si id adstrueretur de Cherubinis & Seraphinis duntaxat

7. Alcazar. *Expositio Alcazaris reliquis præfertur.* 8. Serar. q. 8. Iustin. hîc. Salian. ann. m. 3335. n. 66. Tirinus hîc.

duntaxat (vt insinuat P. Alcasar Notat.illâ 4.) satis verosimilis ratio redderetur, cur septenarius Angelorum numerus Deo specialiter adstantium traderetur. Nempe cum teneamus ex Clemente Alexandrino,& aliis adductis n. 4. hos septẽ spiritus esse Angelorum *principes*,& demptis Cherubinis & Seraphinis,tantùm restent septem omninò cælestium spirituum ordines;qui primus & antesignanus est in illo ordine; & sic Deo adest, vt aliquando ad res grauiores ipse mittatur, & plerumque reliquos sui ordinis ad homines mittat; ipse est vnus è septem principibus Angelis, qui septenarium numerum conflat. Verùm nihil certũ hâc super re definiunt scholastici Theologi, legi potest P.Vazquez 1.p.disput.244.cap.1. & 2.

Alcazar. *Num demptis Cherubinis & Seraphinis, septem reliquorum ordinum Principes hic designantur.*

Vasquez.

9\. Nomina autem horum septem Angelorum putantur, *Michaël, Gabriel, Raphaël, Vriel,* (qui nominatur lib.3.& 4.Esdræ) *Sealtiel* (quem colligunt ex Genesi 16.) *Iehudiel* (quem colligunt ex Exodi 23.) *Barachiel* (quem colligunt ex Genesi 18.) Quatuor autem posteriora nomina incerta sunt, & tria priora agnoscit & colit Ecclesia, vt habetur in Concilio Romano apud Baronium anno Christi 745.Hac super re consule Serarium hîc q.10.& Iustinianum num. 6. & Cornelium in Apocalypseos cap.1.v.4.qui etiam refert hæc eadem septem Angelorum nomina inuenta esse in templo eorum Panormi ann.1516. cum proprio cuiusque epitheto, hoc modo: *Michaël victoriosus, Gabriel nuncius, Raphael medicus, Vriel fortis socius, Iehudiel remunerator, Barachiel adiutor, Sealtiel orator.* Hæc ipsa septem Angelorum nomina,multi ipsique locupletes Auctores tradunt; etsi Ecclesia illa quatuor posteriora velut authentica non receperit, sicut tria priora.

3.& 4. Esdræ. *Septem Agmina.* Genes. Exod. Baronius. Serarius. Iustinian. Cornelius.

Vers. 16. Cúmque hæc audissent, turbati sunt, & trementes ceciderunt super terram in faciem suam.

10\. *Vers.* 17. Dixitque eis Angelus: Pax vobis, nolite timere.

Turbati inquam sunt præ inopinatæ rei nouitate, & arcana erga cælestem Angelum reuerentiâ. Sic de Gedeone legitur Iudicum 6. v. 22.& de Manue Samsonis parente, Iudicum 13.v.22. Et Iacob admiratur, quod viso Angelo, mortuus non corruerit, Geneseos 32. v. 20. & Danielis 10.v.8.& de Zacharia Lucæ 1.v. 9. & 10. Opinor, quòd hic timor non habuit ortum ex illâ Dei sententiâ Exodi 33. v. 20. *Non videbit me homo, & viuet.* Nam ante illam cap.illo 32. Genesis,eiusmodi timore concussus est Iacob:ad tantum enim nomen, tantumque superioris naturæ splendorem ambo corruerunt,quasi impotes tantam maiestatem sustinere. Nemo non notat, quòd familiare est bonis Angelis,sicut initio præ augustâ maiestate turbare, sic statim animos pacatè tranquillare.Quare in præfatis locis,in quibus Angeli turbare dicuntur,exinde refertur,turbatos animos confestim sedasse. Consule Serar. hîc q.17.

Iudic. 6. & 13. Genes. 32. Daniel. 10. Lucæ 1.

Exod. 33.

Serar.

Vers. 18. Etenim cùm essem vobiscum, per voluntatem Dei eram; ipsum benedicite, & cantate illi.

Vers. 19. Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere; sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor. 11.

Bonus Dei minister, qui præstiti officij gratiam,non ad se vllatenùs deriuat,sed illabatam & integram Deo refert. Sicut qui conuiuio accepti sunt, (inquit Salianus inibi) Domino gratias agunt, non coquo, aut ceteris eius administris. Vatablus præfata verba explicatiùs tradit: *Deo gratulamini, quia non veni meâ gratiâ, sed eiusdem Dei vestri voluntate, quapropter ipsum celebrate in omne æuum.*

An Raphaël propriè comederit.

Vatab.

Videbar vobiscum manducare.] Arabs: *Videbar vobis me manducare vobiscum, ac bibere.* Græci codices: *Omnibus diebus apparebam vobis; sed non manducabam, neque bibebam; sed visionem vos spectabatis.* Quia etsi Raphaël in assumpto corpore comedere videretur, ipse in se ipso minimè manducabat,neque perfectè comedebat. Porrò corporea illa substantia assumpti corporis, Angelicæ naturæ, aut hypostasi vnita non erat: atque adeo viuens non erat: quod autem non viuit, nec propriè comedit.Exindè ait Raphaël: *Non manducabam, neque bibebam;* sed vobis videbatur me manducare, & bibere. Nam etsi per os in œsophagum immittebam cibos; neque propriè erat os, neque œsophagus: & licet propriè esset os,& œsophagus; tamen in verum stomachum ad concoctionem cibus non immittebatur. Augustinus autem, & Emissenus dum comestionem in assumpto corpore agnoscunt,de impropria comestione intelligendi sunt. Consule Serarium hîc q.15.Benè notat Sanctius, quòd ideò hæc dixit Angelus, ne homo putaretur, quandoquidem functiones humanas obire videbatur.

Arabs. Græcus.

August.13. de Ciuit. c.22. Emil.homil. de dedic. Eccl. Serar. Sanct. hîc.

Ego cibo inuisibili, &c.] Propriè Angelus cibo non vtitur neque visibili neque inuisibili:natura enim spiritualis alimoniam, quà nutriatur & pinguescat, prorsùs ignorat. Metaphoricè ergò cibo dicitur vti. Sicut Ioannis 4.v. 34. Christus dixit: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me.* & Matthæi 4.v.4. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* & cap.5. v. 6. *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Hic figuratus loquendi modus frequens est in Psalmis. Ergo geminatus est metaphoricus Angelorum cibus,quo eorum spiritualis natura mirè pascit. Alter est primarius, nempe diuinæ naturæ contemplatio: nam visione Dei beatè Angelus viuit. Secundarius cibus est humana virtus, quæ in Dei laudem cedit, & diuinâ gloriâ velut conditur ad Angelorũ saporem.Cuiusmodi grata saginatio in domo Tobiæ & Raguelis Angelo vbertim suppetebat, nempe ieiunium, lacrymæ; in ærumnis patientia, & largior erga pauperes eleemosyna.De vtroque Angelorum cibo ita scribit Bernardus: *Christus in semetipso in cælis sanctos Angelos pascit.* Et alibi: *lacrymæ pœnitentium sunt vinum Angelorum, quod cum lætitiâ bibunt.* Pergit Athanasius: *Ieiunium cibus Angelorum est, & qui eo vtitur, ordinis Angelici censendus est.* Quâ super re eruditè hîc noster Serarius, q. 16.

An Angelus cibo inuisibili propriè vtatur.

Ioann.4. Matth.4. & 5.

Bern.ser.48. ad Soror. & ser.30. in Cantic. Athanas. lib.de Virginit.

Vers. 20. Tempus est ergo, vt reuertar ad eum, qui me misit: vos autem bene-

 dicite

dicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius.

Verſ. 21. Et cùm hæc dixiſſet, ab aſpectu eorum ablatus eſt, & vltrà eum videre non potuerunt.

Verſ. 22. Tunc proſtrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum, & exurgentes narrauerunt omnia mirabilia eius.

12. Expedita iam ab Angelo fuerat legatio quam obibat, & perfunctus negotio ſibi commiſſo; ergò reditum eò vndè venerat, molitur. *Ad eum, qui me miſit.* Ad cælum inquam; empyreum, vbi Deus velut in regiâ curiâ ſuam gloriam ſumptuoſiùs manifeſtat? alioqui Deus vbique eſt, & Angelis extra cælum verſantibus præſens adeſt. Quod his verbis expreſſit Bernardus: *Licet Deus vbique eſſe non dubitetur; ſic tamen in cælo eſt, vt ad eius comparationem, neque eſſe videatur in terris. Sicut anima quæ tota licet in toto ſit corpore; in capite tamen, vbi ſuas operationes exercet, excellentius reſidet.*

S. Bern. in Pſalm. 90. conc. 1.

Græcus. Hebræus. *Vterque Tobias hanc hiſtoriam ſcribere iubetur.*

Narrate omnia mirabilia eius.] Græci codices: *Scribite omnia, quæ conſummata ſunt, in libro.* Hebræus textus pluribus rem eandem exponit: *Nunc ergo,* inquit, *ſcribite vobis omnia verba hæc in libro, & erit teſtimonium inter vos, & Deum veſtrum omnibus diebus vitæ veſtræ, & hoc verbum ſit in ſignum & teſtimonium in omnem generationem & generationem: & vos benedicite Deum, & confitemini memoriæ ſanctitatis eius.* Syrus autem ita rem expreſſit? *Scribite hæc in libro, eſtote laudantes Deum: ego tamen aſcendo mihi ad eum, qui miſit me.* Inde Tobias ſenior, & iunior hanc hiſtoriam ſcripſiſſe, pluribus tradidimus ſuprà in Prolegomenis. §...... n...... vbi explorabamus an vterque, an alteruter, & quam quis narrationem, Vulgatam; An Græcam ſcripſerit.

Syrus.

13. *Ab aſpectu eorum ablatus eſt*] Syrus: *Et cùm ſurrexiſſent, quærebant eum, & non extabat.* Hebræus: *In cælum aſcendit, & non adiecit, vt ampliùs ſeſe videndum iis daret.* Sæpè legitur in Bibliis, quod Angeli legatione perfuncti in aſſumpto corpore, ab oculis ſpectatorum euanuerint, & in cælum ſublati dicantur: neque in hoc loco aliquid ſpeciale de Raphaële innuitur. Hoc ergo fieri potuit, aut quia Angelus aſſumptum à ſe corpus (quod plerumque eſt è materia aëreâ; craſſâ quidem, vt vapore vel exhalatione) aliò quopiam ſubitò transferat, indeque in cælum ſubuolet: vel in eodem in quo loquebatur loco, corpus aſſumptum deponat, & in materiam, quâ conſtabat, ſic ſubtiliter redegerit, vt nullum aſſumpti corporis veſtigium ſpectatoribus reliquerit. Alterutrum ex his modis facilè operabitur Angelus, cui exprumptum etiam eſt oculos ſpectantium perſtringere, ne vllas aſſumpti corporis reliquias vllatenùs cernant. Sicut Geneſeos 19. Sodomitarum perſtrinxit oculos, ne Loti ianuam cernere poſſent. *Proſtrati.... in faciem.* Hic, & ſæpè alibi notant expoſitores, reproborum eſſe cadere retrorſum. Sic 1. Reg. 4. v. 18. Heli retrorſum cecidiſſe perhibetur, & Ioannis 18. v. 6. retrorſum ceciderunt Iudæi, dum Chriſtum in horto comprehendere moliuntur. & Geneſeos 49. v. 17. qui Antichriſtum præfigurant, retrorſum cadere dicuntur: quia non vident, vbi cadant. Secùs autem iuſti in faciem ſuam cadere perhibentur: nam cadens in faciem, videns quò cadat, voluntate quodammodò cadere videtur. Benè quidem, ſed myſticè. Alioqui inter ſanctiſſimos reputetur Philiſthæus Goliath, nam vbi Dauidis ictu infixus eſt lapis in fronte eius, *cecidit in faciem ſuam ſuper terram.* Nec opinor, vidit vbi caderet, nec voluntate ſuâ cecidit. Itaque viri ſancti, vt intentiùs & reuerentiùs gratias Deo agant pro aliquo inſigni beneficio nuper accepto, humili curuatione & adoratione ſe in terram reuerentiæ cauſſâ proſternunt. Quod in Patriarchis, & mox in Prophetis paſſim legis.

Syrus. Hebræus. *Quomodo Angelus diſpareat?*

Geneſ. 19.

1. Reg. 4. Ioan. 18. verſ. 4. Geneſ. 49. verſ. 17.

Quinam in faciem, & qui retrorſum cadant. 1. Reg. 17. verſ. 49.

---

§. CCCLXXVIII.

Ne Principis benignitas nimis properet ad gratiam.

1. PVlchrum illud, & verum: *Hoc vno beata regna ſunt, benefacere quòd ſemper poſſunt.* Vnde Theodoricus rex apud Caſſiodorum bellè pariter ac verè dixit: *Quid tam regium, quàm feciſſe felicem? & eouſque præſtare, qui ſe erectus ſtupeat accepiſſe? Beneficia ſiquidem ſunt, quæ regna ſublimant: & libertatis Dominus iugiter poteſt creſcere, ſi ſibi ſubiectos ſtudeat amplificare.* Deo enim ſimillimum, benefacere ſemper poſſe: nec vlla propè re alia ſimiliores illi redduntur Principes. Verùm cùm liberalitatis dogma ſit: *Omnis benignitas properat*; (nam quæ importunitas exprimit, à beneficentia non veniunt) in beneficio tamen accelerationem reprobamus in Principe. Non eſt pigra & moroſa liberalitas; ſed non ſit nimis exprompta & præcepta. Benè putat Princeps, felicitatis ſuæ non vltimam partem eſſe, poſſe benefacere: diſquirat proinde in quem conferat; ſed ita, vt prudenti & prouida, non cæca manu proiiciat. Inoculetur benignitas de prudentiæ perſpicacia, & aliqua in donando mora beneficium adornet. Nam ſubita omnia, ſimul probantur incauta, & pœnitentia accelerationis appendix eſt. Citò dedit, qui conſultò dedit, non temerè beneficium proiecit. Ergo ne nimis benignitas properet, vt aliqua mora beneficium elimet, quò de conſulta prudentia magis ſplendeat ad gratiam dantis, & accipientis honorem. Geneſeos 45. fratribus ſua amplitudine oſtentatâ, ſic ait Ioſeph: *Feſtinate, & aſcendite ad patrem meum, & dicetis ei...... deſcende ad me, ne moreris,* &c. Pulchre inibi Rupertus: *Qui ſic iuſto patris deſiderio nunc feſtinat, quomodo tantas hactenus potuit perpeti moras?* Qui viginti trium annorum moras cunctando trahit, ſic repentè feſtinus fratres vrget, vt eadem patri renuncient. Profectò qui perdiu rem meditatur, ocyùs illam exequitur. Diuturnior conſilij mora, rei citiùs exequendæ officina eſt. Diu de beneficentia exhibendi cum Ioſepho cogita, vt citiſſimè præſtes tempore idoneo. Extemporale conſilium, aut præcipitatam, aut ſeram, aut nullam executionem videt.

Caſſiod. l. 3. Epiſt. 11. *Principum benignitas, ne nimis feſtinet.*

Geneſ. 45. verſ. 9. Rupert. ibi.

2. Geneſeos 4. in tanta hominum paucitate, & propagandi humani generis deſiderio, iuſti Abeli iniuſtam cædem conſultiſſimè permiſit Deus. *Dixitque Cain ad Abel fratrem ſuum: Egrediamur foras. Cúmque eſſent in agro, conſurrexit Cain aduerſus*

Geneſ. 4. verſ. 8.

aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum. Eccur in principio nascentis mundi pietas iugulatur. impietas verò adolescit, sobolescit, viuescit. Mitto plura, quæ hâc super re Sancti Ecclesiæ Patres cumulatiùs addensant, vt Emiseni limatam ratiocinationem exscribam: *In Christi,* inquit, *typo Abel iustus occiditur, & innocens fraternâ tanquam Iudaica pietate mactatur.* Cur sic properat Dei benignitas, vt à mundi nascentis exordio sacramentũ diuinæ corporationis adumbret, & ante tot seculorum curricula in typo repræsentet? Profectò diu promissi beneficij votũ & beneficij gratiam deflorat, & spe diuturnâ expectationẽ fatigat: nam dum dulcissimis spebus adsurgit animus ad promissi boni obtentionem, eò magis dilatione torquetur; indeque diu ieiunus auidiùs hiat, vnde antiquiori voto credi poterat adipari. Diuturnior spes diu possessione fraudata, spei est titubatio, & desideriorum laniena. Papæ! ecquis ferat longæ spei molestias? Gratiùs venit insperatum beneficium, & repentina gratia, quam nec deflorauit expectatio, nec prauus angor constuprauit. Qui olim sperauit, diu non possedit quod optabat bonum. Quorsùm ergò tot retrò seculis, Dei humanitùs corporandi typus præmonstratur? an non ieiuna diu spes possessionem desiderio leuiter prælibans, dum hactenùs beneficium non obtinet, suspiriis citiùs molestatur in molestâ sperandi officinâ, quæ sæpè impatientiam excudit? O diuinioris prouidentiæ consultissimam œconomiam, de cælestis curiæ consilio suspiciendam, ad Principium erudiendã liberalitatem! quod idem Emisenus, qui Christi typum in Abelo agnouit, acutè obseruauit: *Beneficia,* inquit, *Dei nostri cùm magna atque mirifica sint, tamen nec noua probantur esse, nec subita, sed ab initio seculi & prædicta sunt oraculis, & præfigurata mysteriis...... In eius typo Abel iustus occiditur, & innocens fraterna tanquam Iudaica pietate mactatur.* Nempe augustissimum diuinæ Incarnationis, & dominicæ Passionis beneficium, summo Deo, & empyrei Rege dignissimum, ab ipsius mundi coalescentis exordiis veteris Testaméti responsa cecinerunt: ideóque tot typis prædicatum atque annunciatum apertè fuit, *ne nouum putaretur esse, nec subitum.* Longâ morâ magnificum hoc donum Rex cæli concinnat ad gratiam, & summum beneficium honorat, ne acceleratio gratiam arrodat; & non tam à Deitatis consilio, quàm à liberalitatis festinatione profectum putetur. Omnia enim subita vulgò putantur incauta. Inter manus summi Regis donantis, diu summum hoc beneficium hæreat, ne elabi potiùs putetur, quàm cum summo iudicio donari: & quantùm mora largiendi videtur liberalitati detrahere, regiæ prudentiæ donaturi adiici videatur; & siquid festinanti beneficentiæ deesse putetur cunctationis dispẽdio, compendio iudicij præbitoris prudentia compenset. ne opulentum diuinæ corporationis beneficium, à summo cæli Rege donandum, *nec nouum putetur esse, nec subitum.* Scitè dixit Philo: *eius qui est* (idest, Dei) *bonitas, antiquissima suarum gratiarum omnium.* Obuiæ sunt rationes, quas nec vacat, nec iuuat ethicè examinare. Sed non omittam, quam ipse dudùm tradiderat, aiens: *Antiquior apud Deum est misericordia, quàm iustitia: quippe qui pœna dignum non nouit iudicatum, sed ante iudicium.*

Emisenus mox allegandus.

Cælestis Regis dona, nec noua putantur esse, nec subita.

Emis. hom. 2. de Pascha.

Philo. lib. *Quod Deus sit immutab.*

3 Lucæ 23. Christus Deus fossoribus clauis è cruce pendulus, & inter duos insigniter sontes patibulatus, dignitatis suæ non obscuras notas exhibuit. Erat autem & superscriptio scripta super eum litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis: *Hic est Rex Iudæorum.* Et confestim latronũ alter adhuc blasphemus, regni titulos ridet. Blasphemiæ impudentiam increpat, & culpat Latro alter: *Et dicebat ad Iesum: Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.*) Diligens & attentus obserua Christi Dei responsum.) *Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.* Profectò aliud Latro suppliciter rogat, & aliud ei omnipotenter conceditur. Latro credens Dominicæ crucis titulo, illum fatetur Regem, & sui memoriã in regno postulat: Christus autem velut regni oblitus, consortium in paradiso pollicetur, quamocyssimè possidendum. Qui voluit in patibuli probro Regem inscribi, statim regni titulos velut dissimulans, non fauorem in regno; sed tunc velut inexpetitas paradisi delicias pollicetur: Ecquod foret regiæ maiestatis incommodum, si quam Latro gratiam in regno petebat, in regno fieret, non in paradiso nunquam expetito? An dissimulat regni nomen, quia regium non erat, rem tantam tam citò dedisse? Audiendus est Ambrosius, qui saltem rationem reddit, cur postulanti gratiã in regno, paradisum rex Christus promittit. Sic inibi fatur Ambrosius: *Memento mei, cùm veneris in regnum tuum......... Hodie mecum eris in paradiso. Pulchrum autem,* inquit, *datur affectandæ conuersationis exemplum, quod tam citò Latroni venia relaxatur. Citò ignoscit Dominus; & vberior est gratia, quàm precatio. Ille rogabat, vt memor sui esset in regno; de Domino autẽ sequitur: Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Vita est enim esse cum Christo: & vbi Christus, ibi regnũ.* Nempè *regnum* expetitum dissimulatur *paradisi* nomine, fortè quia *tam citò* Latroni venia relaxatur, & tam *citò* ignoscit Dominus, tantumque tamque opulentum honorarium tam subitò rex Christus impertit. Partem in regno Latro petit, partem in regno Christus donat; nam *vbi Christus, ibi regnum*: regni autem vocabulum consultissimè subticetur, & ingeritur paradisi nomen, ne Rex sub Regis nomine, locum in regno, *tam citò* donasse videatur: Porrò beneficia Dei nostri, & regis nostri Iesu-Christi *cum magna atque mirifica sint, tamen nec noua probentur esse, nec subita.* Exinde cum expetitam regni partem in suo regno citiùs donat, commutat regni nomen, vt in quoduis aliud vocabulum transeat.

Lucæ 23. v. 42. & 44.

Cur Latroni regnum petenti, rex Christus paradisum donat, nulla factâ regni mentione.

S. Ambr. lib. 10. in Lucam.

4 Non derepentè Tobias cap. 1. v. 15. sed diuturna fidelitate, peritiâ, & obsequiis Regis gratiam, opulenta honoraria, & honorarium in palatio officium promeretur & obtinet, etiam apud Regem barbarum. Nam in magno Principe subita omnia probantur incauta; nec tam beneficæ liberalitati, quàm inconsultæ imprudentiæ militare censentur. *Sine merito siquidem remuneratum putatur omne quod subitum est,* inquit eleganter Cassiodorus. Quod hic cernere licet in Azaria largiùs munerando. Sed è contrariò caueat Princeps, ne de diuturnissimæ moræ fastidiosâ molestia, munerandos nauseat ad munus, & longè expectationis impatientia mercari beneficium videatur. Qui beneficia proiicit, inconsultus est; nimis tardus ad benefaciendam, illiberalis & morosus. *Omnia deliberata sunt robusta;* sed morosiùs delibe

Sine merito remunerari putatur, quod subitum est.

Cassiod. lib. 8. epist. 11.

Hic vers. 1.

Idem inibi.

deliberata nauseam mouent, & tædio sunt; ingratéque fastidiuntur antequam sui gustum præbeāt. Hæc ex occasione præstrictim adnotare iuuat. Redeo ad rem.

5. 2. Regum 12. Nathanus in narrationis exordio propheta æquiuocus, cōposito sermone Dauidis sensum fallit, vt sensum excitet. Cuius argutâ charæ ouiculæ parabolâ sic Dauid in Dauidem irascitur, vt suffragium contra Dauidem Dauid inscius tulerit. Verùm agnito facinore, dignitatis oblitus, nullâ vsus est loquendi libertate. Factum ipse exprimit, non premit; cernuus solo affligitur, & animo contrahitur, vlcus dolet, nec sine lacrymis culpā prædicans, exclamauit: *Peccaui Domino. Dixitque Nathan ad Dauid: Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris.* Lex gladium nudauerat, quòd cruenti homicidij, & deterrimi adulterij pœnam nollet, & necem nece parabat statim vindicare: sed Dominus, qui legi dominatur, absolutionem confessione commutat, & subitò inopinatam tunc veniam offert; vixque peccatum agnoscit, cùm è vestigiò absolutione transfertur. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Ad quæ verba sic ad rem fatur Basilius: *Debitum superauit Gratia, pœnam remisit clementia. O magnam repentinamque bonitatem! concurrit cum culpa confessione pœna absolutio; ostendit, quanta sit pœnitentiæ vis.* Nimirùm vt Basilius declaret Dei velut effusam beneficentiam, & atrocioris piaculi tunc inopinatam veniam, ex comparatione ad humanos Principes (apud quos subita omnia habentur incauta: *sine merito enim remunerari putatur omne quod subitum est*) illam appellat *repentinam*. Non quia apud Deum quicquam sit inconsultum, sed vt velut ex vitij confinio beneficentior Dei virtus exaggeratiùs apud homines exprimatur. Nempe vitio carere non solet, dum humanus princeps nimis properat ad gratiam, nam subita omnia putantur incauta, citissima autē Dauidis venia ad diuinæ liberalitatis exaggerationem, *repentina* nominatur, vt carens humani vitij næuo, præcelsam *repentinorum* excellentiam viuaciùs apud homines repræsentet. *O magnam repentinamque bonitatem! concurrit cum culpa confessione pœna absolutio.*

Magna Dei beneficentia, cur dicatur repentina.

2. Reg. 15. v. 13.

Basil. Seleu. Orat. 17.

6. Geneseos 38. somnij interpretatio valde placuit Pharaoni, & eius Ministris, & interpretem Iosephum, qui consilium suggessit, renunciat Ægypti Præpositum, aiens: *Num inuenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit?* Quæ verbā sic exponit Caietanus: *Diuinum ergò in Ioseph spiritum admiratus Pharao, singularem iudicauit, tum ex singulari interpretatione, tum ex adinuento statim consilio.* O longas Consiliariorum moras, quibus trahitur vita, & substantia expectantium distrahitur! Mallem breui petitionis repulsam, quàm tandiu expectatā & procuratā re, tam morosè potiri. *Ex adinuento statim consilio*, & non diuturnā expectantium morā, probatur Iosephus *spiritu Dei plenus*. Ecquis & vitæ, & census, & temporis molestissimo impendio, sibi faciat rei temporariæ compendium? Non emo capite coronam.

Genes. 41. v. 38. Caiet. ibi.

§. CCCLXXIX.

Sibi inuidit Princeps, qui de pauperum censu nimis diuatur.

QVis modus tenendus in opibus, præscribi potest: an sperari possit, nescio: nam quis modus, cùm modum principales diuitiæ ferè nesciant, & crescat illarum sitis copiâ, cum subiectorum egestate & inopiâ? & quæ moderatio ab animo diuitiarum auido sperari potest præsertim in summâ rerum potestate? An non dictum verè: *Magna Principis gloria est, si sæpè vincatur fiscus; cuius mala caussa nunquam est, nisi sub bono Principe.* Audiant monentem Principes, & vinci gaudeant: gloriæ in hâc arenâ pars magna est, vinci. O sæpè vincantur in fisco suo Principes, vt nobilem iustitia triumphum agat! Quis mihi iudices largiatur, qui caussæ æquitatem, non purpuram intueantur? male rubet purpura populorum sanguine: exsuccus opibus populus, langor Regum est, regnorum imbecillitas, & animorum alienatio. Quin & inopia & pusillanimos facit homines, & mendaces. Hinc fugitiua subditorum fides, & defectioni obnoxia. Plenum ærariū subditis de pauperatis, vacuum puta, & regiis sumptibus impar. Sibi inuidet Princeps, qui de pauperum censu nimis diuitatur. Malè auarus erit, qui gloriosè de liberalitate eminet. Principalis munificentia, Regum character est, & prælustris purpuræ nitor. 1.

Fisci mala caussa nunquam est, nisi sub bono Principe.

Plin. in Panegyr.

Iudicum 6. Sub Madianitarum iugo diu seruit Israël, & peccati seruus, factus est finitimorum mancipium, stipendia prauæ libertatis seruitute exoluens. Tunc Gedeon aduersus omnem Madian, & Amalech, & reliquos Orientales principes, Hebræi populi dux cælitùs designatur. Mox clangens buccina, & remissis sedulò nunciis, cōgregat ad bellum cōtribules Manassæos, Asereos, Zabulonios, & Nepthalitas, & valido hosti armatus occurrit. Sed cùm adhuc de sua in Ducem electione, & reportandâ victoria nonnihil ambigeret, signum à Deo petit, aiens: *Si saluum facis per manum meam Israel, sicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in area: si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas, sciam quòd per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel.* Factumque est ita. Et de nocte consurgens expresso vellere concham rore impleuit. Ast quasi hoc signū non foret idoneum, illud protinùs refutat, & oppositum postulat, dicens: *Oro vt solum vellus siccum sit, & omnis terra rore madens. Fecitque Deus nocte illa vt postulaueras: & fuit siccitas in solo vellere, & ros in omni terra.* Confestim Gedeon & sui principatus, & futuræ victoriæ certior factus, aduersis hostium phalangibus animosè occurrit. Multa legunt sancti Patres in cæcis huius signi characteribus, quibus & fidē & mores instruunt. Et sanè mirabile est, quod primum signum nimis prodigiosum, & à se postulatum, Gedeon repudiauerit, & oppositum expetierit. An non grande portentum est, quod suum vellus sic rore madeat, vt concham posset implere, areâ reliqua aridè sicca? Nec poterat suspicio irrepere quòd id casu euenerit, hoc enim signum ipse non perpostulârat. Sibi non credit, qui de hoc signo ambigit. Profectò non potuit dubitare Gedeon de 3.

Iudicum 6. v. 36. & 37. & 39. & 40.

Cur vellus Gedeonis fuerit idoneum principum symbolum.

de huius miraculi euidentiâ;sed fortè de illius significantiâ ambigere debuit. Porrò vt ex S.Hieronymo obseruat Lauretus Cernariensis: *Ros facilè consumitur à Sole: sic potest significare diuitias.* Dilucidè quidem ad rem. Scilicet Gedeon petit cæleste sui principatus signum,aiens: *Si saluum facis per manum meam populum Israel, ponam hoc vellus lanæ in area. Si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas, sciam quod per manum meam liberabis Israël.* O non bonum benè principandi signum seu augurium! Principis vellus, *rore*,id est, *diuitiis* totum madeat, & tota circumquaque terra sic erit? vt Principis vellus opimè lucculentum sit, vniuersa terra exucca erit, & hianter arida? Signum mei principatus video, sed omen metuo. Non timeo de incerto, de infausto timeo, & boni regiminis factum documentum exopto: vnde ait: *Oro vt solum vellus siccum sit,& omnis terra rore(* id est,diuitiis*) madens.* Quod signum vbi primùm accepit,feliciter inauguratus Princeps,& Reipublicæ gubernacula assumens, & populum in cupitam libertatem asseruit, & eius infensos hostes fortissimè debellauit. Bonus Dei populi Princeps, & bonorum Principum exemplar,qui suum vellus *rore*,id est, *diuitiis*,siccum mauult,quò omnis eius terra rore opulenter madeat,& exundet, bene sciens,quàm bene Princeps subiectorum diuitiis opulctur.

Lauretus verbo, Ros

3. Mortuo tandē Gedeone, eius ex ancilla filius Abimelech,occisis septuaginta fratribus,Israëlis principatum sceleratissimè inuadit. Congregati sunt omnes viri Sichem,& vniuersæ familiæ vrbis Mello: abieruntque & constituerunt regem Abimelech,iuxta quercum,quæ stabat in Sichē. Quod cùm nunciatū esset Ioatham principi Gedeonis filio,qui vnicus superuerat,iuit, & stetit in vertice montis Garizim: eleuataque voce clamauit, & dixit: Audite me viri Sichem, ita audiat vos Deus. Ierunt ligna,vt vngerēt super se regē: dixeruntque oliuæ,Impera nobis. Quæ respondit: Numquid possum deserere pinguedinem meam? Adsimiliter & ficus, & vitis respondit. *Dixeruntque omnia ligna ad Rhamnum: Veni & impera super nos. Quæ respondit eis: Si verè me regem vobis constituitis, Venite, & sub vmbra mea requiescite.* &c. Non obseruauerim hic,quòd bonæ,edules,& proficuæ arbores responderunt, se non posse deserere propriam dulcedinem,pinguedinem,&c.vt aliis principentur: quasi Principatus sit vectigalis sumptibus de suo etiam faciendis. Verùm obseruatione dignissimum est. Ioatham non boni Regis in Rhamno typum expressisse,hoc enim intendebat.Nempe vbi Rhānus (senticosa arbuscula)se vidit Regem, protinùs accersit subditos, vt sub eius vmbra requiescant.Et quid de subiectorum vicinia Rhamnus intendit? Bellissimè S.Hieronymus: *Rhamnus plena sentibus, & hericio similis: spinosus frutex & arbuscula sentibus vncinisque contexta, quæ teneat quicquid attigerit.* O bonum non boni Principis symbolum? Non dixit Rhamnus,quod oliua,ficus, & vitis dixerant: Numquid possum deserere pinguedinem,aut dulcedinem meam,vt sublimiùs promouear; Cùm ergo sit Rhamnus, inter spinas omnium difficillima,cuius acutæ sunt cuspides,continuæ verò prominentiæ,& eos qui accedunt propiùs,lædentes; sicque acerbissimè auara, vt *sentibus vncinisque contexta, teneat quicquid attigerit*; exinde non bonos Principes typicè exprimit. Arbusculam de furacitate ignobilem,de rapacitate auaram,& quæ aduenis sentibus contexta, eos qui propiùs accedunt aduncat & harpagat, vel ipsas appropinquantiū vestes subripiens, vel potiùs raptu dilacerans,nec sibi, aut subditis proficuas relinquens: hæc, hæc inquam,in symbolum mali Principis consultissimè inducitur. O quam multis hoc apologo edocemur! Immanis Assyriorum rex, *tulit omnem substantiam Tobiæ. Tobias verò cum filio suo, & cum vxore nudus latuit.* Quis nisi aut laceris vestibus, aut omninò nudus à densa Rhamni spinositate discedat? Vt pauculi emineant,mundus auertetur? Ergo Tobias iam feliciter opulentus, suum mercenarium largiùs munerare satagit; ne homo (vt putabatur) pauper suæ industriæ ac laboris fructu defraudatus,suam familiam infaustè diuitaret.

Iudicum 9. v.14.& 15.

Rhamnus furax arbuscula mali Principis idea est.

S.Hieron. in Habacuc. 3. & in Aggæi 2.

Tob.1.v.23.

Hic vers.1.

4. Ad quempiam, quem renunciabat consulem: ita rex Theodoricus apud Cassidorum scribit: Considera,magnum esse, quod suscipis,& nulla criminum deiectione vitieris. Nominis tui actor multa conferendo prædicatur.Tu age ne vllis cupiditatibus accuseris:vt si dare non præuales,certè te moderari velle festines. *Proximus enim habetur donanti, de quo potest dici, abstinens est iugiter alieni.Certè fœdissimæ contrarietatis vitium est,studere furtis,& habere vocabulum largientis.* Sententiosè pariter ac eloquenter. Nec tantùm auaritiæ studio, sed sumptuosâ etiam deliciarum ambitione Romani Præsides subiectos sibi populos depauperabant.Quod his verbis pereleganter describit Saluian. *Nil vel fermè criminum,vel flagitiorum est, quod in spectaculis non sit: vbi summum deliciarum genus est, mori homines,expleri ferarum aluos hominis carnibus, comedi homines cum circunstantium lætitia, conspicientium voluptate: hoc est non minùs penè hominum aspectibus,quàm bestiarum dentibus deuorari. Atque vt hoc fiat,orbis impendium est.* Nota hanc verborum clausulam,in qua stat tota sententiæ epithasis: qui vocabulum habent largientium,ad has inanissimas ferales & barbaricas delicias pergrauant subiectos populos: *Atque vt hoc fiat orbis impendium est.* Populorum impendio breuiculæ voluptatis compendium fiat: Vt pauculi atrociter delicientur mundus euertitur: Voluptatulam nesciunt,& alienæ voluptatis solutionem sciunt ô cadentis imperij prognosticon!

Cassiod.l.6. epist.10. Proximus est donanti, qui nil furatur.

Saluі.l.6.de Guber. Dei. Feralia Gentium spectacula describuntur, & proscribuntur.

5. Et idem auctor suprà lib.5.dixerat: *Quid possunt facere miseri,(* qui vltra quàm possunt,tributa pendunt*)quibus imminet semper grauis,& indefessa proscriptio? qui domos suas deserunt, ne in domibus ipsis torqueantur? exilia petunt, ne supplicia sustineant. Leniores his hostes, quàm exactores sunt, & res ipsa hoc indicat. Ad hostes fugiunt, vt exactores euadant.* (Et post pauca subdit ad rem) *Exactio publica,peculiaris est præda: fiscalis debiti titulos faciunt quæstus esse priuatos.Et hoc non summi tantùm, sed penè infimi. Quæ enim sunt non modò vrbes, sed etiam municipia,atque vici, vbi non quot curiales fuerint,tot tyranni sunt*? ô quàm est pauper opulentia, tributorum tyrannide comparata.

Idem lib. 5. Hostilitas exactorum culpatur.

§.CCCLXXX.

§. CCCLXXX.

Beneficium ab improbis accipere, quidam dedignantur; quod existiment eius vtilitatem corrumpi admixto dedecore.

5. QVi beneficium accipere recusat, vitium ingrati antecedit; nam cùm properantem beneficentiam fastidiosus eludit, animum benefaciendi præpoperè debet; rem etiam debiturus, nisi inurbano, & illiberali animo foret præditus. Exinde cùm præcurrit non debere, ingratitunem priùs incurrit;& præcauens ne quid debeat, fit & beneficij debitor,& inurbanitatis reus. Dicam tamen quod sentio. Non indiscretè à quocumque beneficia accipienda sunt: neque enim viro probo quicquam improbo debere expedit. Porrò sicut sibi quisque debet, quod à nesciente accipit: ita sæpiùs malè debet, quod improbo sponte debet: omnis enim probitas necessitudines cum improbitate abscindere satagit,ne bonitas de benificentiæ & gratitudinis affinitate, sit malitiæ confinis.Non dat beneficium,qui offendit potiùs dum donat. Suspecta sunt beneficia eius, qui suspectus est.Exinde forsan Tobias sollicitè quærebat virum bonum, & fidelem, cui nunc debeat seruati filij incolumitatem, & numerosæ pecuniæ feliciter redemptæ,ingens emolumentum. quasi à quo beneficium accipiat, exploret.Timeo Danaos,& dona ferentes.

Cautè sunt accipienda beneficia ab homine.

Hic vers. 1

1. Exodi 4.Moyses siue humilitatis, siue pusillanimitatis instinctu, à pera ad purpuram sublimari velut obstinatè recusat. Ast quasi honoris repulsa, foret illius obtinendi meritum, instanter illum admonet Deus,vt dignitatem acceptet. Allegat tandem Moyses oris balbutiem ad agendum cum Pharaone, & cultioribus palatinis; & ad promouendum peruicacem populum vilissimis ministeriis iam degenerem; vt Dei pareat præceptis.Tandem Moysi Dominus acquiescit,& ait ad illum: *Aaron frater tuus Leuites, scio quòd eloquens sit...... Ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum.*Quasi dicat Deus: Tu causaris linguæ impedimentum,ne munus acceptes, en tibi elegantem suggero linguam: Aaronem enim sermonis sequestrem administrumque tibi designo, qui pro te linguæ munus obeat, eloquens ipse est,vtere eius ad loquelam ministerio. Mihi illustrem principatum debebis,illi sermonis,quam optas elegantiam.*Ipse loquetur pro te ad populum & erit os tuum.*Benè est. hæc ita sunt Sed quare cùm Aaronem designat Moyses interpretem,addit,*Leuites?* sic enim ait: *Aaron frater tuus Leuites, scio quòd eloquens sit,* &c.An non sat erat dixisse: *Aaron frater tuus?*quid opus fuit addere,cuiusnam tribus esset eius germanus frater? Forte Moyses ignoraret,cuius esset tribus eius frater; & cuius etiam tribus ipse esset vnà nesciret.Cur ergo rei notissimæ,& quam ignorare non poterat; tam sollerter eum admonet. Philo Hebræorum disertissimus, Bibliorum sacramenta sagaciùs peruestigans, hanc mouet quæstionem, & seriò censet,ideò expresè addi *Tò Leuites*, non vt admoneret fratrem Moysen *Leuitam* etiam esse Aaronem; sed vt in *Leuit* nomine Sacerdotalem & dignitatem, & probitatem in eo recognosceret, à quo tam singulare beneficium acciperet,vt foret lingua eius,&quo tanto principatu idoneus existeret. Philo ergò rem hanc diligentiùs pertractans, ita scribit: *Adeò ne beneficium quidem ab iniustis quidam dedignantur accipere,quòd existiment hanc vtilitatem corrumpi admixto dedecore. quod & Moyses sacratissimus docere videtur. nam tale quiddam est, quòd Aaron Leuita occurrit fratri suo Moysi.* Quid accommodatius? Scilicet videt Deus Moysen morosius cunctantem, & contentiosius recusantem Hebrææ gentis principatum, multa ex ordine allegantem quò illum refutet:cum autem Aaronem linguæ Mosaicæ impedimenta supplentem illi offert, cui diserta & elegantia verba debeat,quorum defectu balbutiens indecorè laboret: inde assidui benefactoris dignitatem, & probitatem consultissimè præmittit, ne oblatum beneficium abiiciat, & contentiosam adhuc repulsam coloret. *Adeò ne beneficium quidem ab iniustis quidã dedignantur accipere, quòd existiment hanc vtilitatem corrumpi admixto dedecore.*Vtile forsan videri posset benefic.ũ, quod iniustus præbitor liberaliter offert, sed æquus morum censor suspectam habet huius gratiæ vtilitatem,& admixto dedecore corrumpi adulteratique putat.Indecorum quippe est,quòd vir probus quicquam improbo debeat; dedecet enim quòd eius sit iniusti indignus,iniusto vectigalis, ipsique de mutuæ necessitudinis reciprocatione confinis. Quin & forsan gratia ipsa de improbi largitoris sinu exprompta,sincera ad acceptorem non venit; sed de imbonitate præbitoris corrupta. *Adeò ne beneficium quidem ab iniustis quidam dedignantur accipere, quòd existiment hanc vtilitatem corrumpi admixto dedecore.* Quasi improbus homo, præbitor esse possit,liberalis ac beneficus propiè esse non possit. Vir non bonus malè beneficus est: sæpè enim dum liberaliùs donat,vberiùs offendit.

Exod.4.v. 14.& 16.

Cur aliqui ab improbis beneficia accipere recusent.

Philo in lib. Quod deter. pot.insid.

Improbus homo præbitor esse potest, liberalis esse vix potest.

Exodus Exodo respondeat, & Exodi sententiam vindicet. Ibi Pharao ille atheos,vt elatus ad superbiam, & ad voluptates blandus, ita ad Dei obsequium obstinatè prædurus,molestissimâ ranarum plagâ attonitus, quamocyssimè ad se accersit Moysen,& Aaronẽ,& dixit eis:Orate Dominum, vt auferat ranas à me,& à populo meo:& dimittam,vt sacrificet Domino.Dixitque Moyses ad Pharaonem: Constitue mihi quando deprecer pro te,& pro seruis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ à te, & à domo tua, & à seruis tuis, & à populo tuo: & tantum in flumine remaneant. *Qui respondit: Cras. At ille: Iuxta, inquit, verbum tuum faciam.* Valdè hic sudat commentatorum industria, vt caussam exploret, ob quam Pharao ranarum exterminium tandiu procrastinarit. Quanciritissimè Pharao ad se vocat Moysen, vt plagam squalidè molestam, & omnia tædiosè conspurcantem, à se, & à suis confestim auertat; & vbi optio illi conceditur, non statim beneficium exterminationis exposcit, sed expetitam gratiam, velut illam fastidiens,in sequentem retulit diem? *Quare Pharao*(ait Lyranus)*in crastinum distulit, cùm maxima necessitate vrgeretur?* Aut non debuit tam citò Moysen accersere,vt plagam abigeret; aut si ex eius arbitrio ranarum abactio iam dependet, illam procrastinare non debuit. Verum enim verò atheus & iniquus Pharao, qui se *nescire* Deum nuper dixerat, illumque tanquam infestum hostẽ auersabatur

3.

Exod.8.v. 10.

Cur Pharao expetitum beneficium à Moyse recipere, diu procrastinet.

Lyra.ibi.

sabatur: quique Moysen velut præstigiatorem habebat, Hebraicæ seditionis auctorem; optatissimum beneficium ab eis accipere distulit, si fortè posset alicundè plagam abigere, quin liberationis beneficium ab eis acciperet, quos iniustos vexatores rebatur. Inde gratiæ probationem procrastinat cum tanto etiam sui, & suotū dispendio, ne admixto dedecore beneficium accipiat. *Adeò ne beneficium quidèm ab iniustis Pharao dedignatur accipere quòd existimet hanc vtilitatem corrumpi admixto dedecore.* Admisceri dedecus existimabat, si ab ignorato, & contempto à se Deo, & à sibi infestissimo, & molestissimo Moyse, beneficium acceptaret: indeque acceptionis gratiam differt, ne *beneficij vtilitatem corrumpat.* Ita hæc persuasio bonorum, malorumque animos occupauit! Alias huius procrastinationis caussas, alibi vbertim ad mores spargimus.

4. Ambr. apud Lipom. ibi. Aliter hanc difficultatem expedit Ambrosius ità fatus: *Constitue mihi* (ait Moyses ad Pharaonem) *quando pro te orem, vt exterminet Dominus ranas; cum debuisset in tanta positus necessitate rogare, vt iam oraret, nec differret; respondit: Crastinâ die. Otiosus & negligens, moræ pœnam, Ægypti soluturus excidio.* Scilicet impune Pharao Magorum industriâ plagam auget, nouo ranarum incremento: at cùm otiosus negligit molestæ plagæ moram, quâ sibi subiectus populus pœnalissimè molestatur, regni excidio (pœna, inquam, Regibus infestissimâ) castigatur. Hæc præstrinxisse, ne omninò omitterentur, sat est. Ad rem propositam redeamus.

Quia plaga moram negligit Pharao, regni excidio mulctatur.

Lucæ 23. v. 8. & 9. Lucæ 23. Pilatus ad Herodem remittit Christum. Herodes autē viso Iesu, gauisus est valdè: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quòd audierat multa de eo, & sperat signum aliquod videri ab eo fieri: *Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Stabant autem Principes Sacerdotum, & Scribæ constanter accusantes eum. Spreuit autem illum Herodes*, &c. Quare Christus renuit nunc patrare miraculum ad testificandam veritatem, quam tot prodigiis adtestatus est? Opinor, non foret inidoneum pro seruandâ vita cui tot calumniis Scribæ insidiabantur, miraculum edere, quo suam innocentiam defenderet. Imò inurbanum forsan videbitur, interroganti Regi nec vnum duntaxat verbulum respondere: exinde se irridendum curialibus exhibuit. Audienda est huius rei peridonea Gregorij ratio: *At ipse nihil illi respondebat, Inquisitus Redemptor tacuit, expectatus miracula adhibere contempsit: magis eligens apertè à superbientibus despici, quàm à non credentibus vacuâ voce laudari.* Scilicet tam longè abfuit, vt Christus ambierit, suam liberationem impio Herodi debere, quòd non modo miraculum non patrarit, quod ipse admiraretur; sed nec verbum vel respondendo fecit, ne fortè ipsius sapientiæ admirabundus applauderet: ne forsan à superbo, & impio homine *laudaretur.* Itaque maoult Christus, non liberari à sæua morte illi iam imminente; maoult ad reliquos cruciatus, & contumelias probrosum contemptum adiici, quàm conspicuam sui laudem homini scelerosо debere: adeò vt nec obsequium quidem ab iniustis dignetur accipere.

Renuit Christus suas laudes Herodi debere.

Greg. 10. Moral. cap. 3.

P. Didac. de Celada in Tobiam.

§. CCCLXXXI.

Homines dum virtutem docent, ipsi quoque virtutem discunt: & interrogando nescientes erudiunt.

SApientia, ingenua res est & liberalis, nec angusto vnius Sapientis sinu intercipi concludique patitur; sed aliis communicari auidiùs ambit. Quod sibi quisque didicit, aliis quoque didicisse putet, si diu sapiens esse cupit. Citra proficit, quisquis alteri cùm potest, non prodest. Scientia enim distributa suscipit incrementum, & auarum dedignata possessorem, nisi publicetur, elabitur. *Recede in te ipsam quantum potes* (ait Seneca) *cum his versare, qui te meliorem facturi sunt. Illos admitte, quos tu potes facere meliores. Mutuo ista fiunt, & homines dum docent, discunt.* Sicut enim ex vsu prolatiuum hominis verbum, ita ad audientem à loquente transfertur, vt nihilominus in eo de quo progreditur corde teneatur: atque sermo quem loqueris, & à te exit, & tecum est, nouo & stupendo genere transit & remanet, transfunditur, nec elabitur: quò dirigitur peruenit, vnde emittitur non recedit. Ita & suasorius pietatis sermo, dum efficacem concinnat rationem quâ alios permoueat; quod aliis suadet, sibi persuadet. Hinc crebris adhortationib. ad alios habitis, suam animitùs probitatem Tobias fundat. 1.

Homines dum docent, discunt.

Senec. epist. 7.

Tobiæ cap. 1. v. 15. & c. 2. v. 18.

Geneseos 18. Angelos in corpore apparentes humano apud se peregrinantes, lauto, Abrahamus excipit epulo extemporalis conuiuator. Mundos cælitum priùs lauat pedes, si fortè ex tantisper assuetâ hominum formâ emaculari indigeant. O! sic sordere humanitas tota putatur? Lauacri obsequio, & vituli saginati conuiuio deliniuntur Angeli ad gratiam. Cùm ergo cælestes conuiuæ surrexissent, inde versus Sodomam ituri, Abraham simul gradiebatur, deducens eos (quasi parùm liberalis hospes putaretur, nisi foret vrbanus.) Dixitque Dominus: (id est Angelus ille, qui Dei personam gerebat) Non celare potero Abraham quæ gesturus sum: cùm futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ? *Scio enim quod præcepturus sit filiis suis, & domi suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam.* An non plura, ipsaque perillustria merita abundè in Abrahamo eminebant, quibus præfatam gratiam accipere mereretur? Quin & illos etsi ignotos, ex itineris æstu & inediâ velut nimis defatigatos, liberalissimè exceperat, num hic fauor opportunius foret hospitalitatis stipendium? Gratitudinem beneficio adnectere ingenui animi potiùs documentum foret, quàm ob futura exinceps merita præmaturè gratiâ elargiri. Quid nouo beneficio Abrahamum obligare cupiunt, cùm liberalissimæ hospitij gratiæ necdum plenè satisfecerint? Tantane meritorum excellentia apparet in Abrahami suasorio virtutum sermone ad posteros, vt recentis hospitij, & antiquæ fidei; & nuperrimæ semper pietatis velut obliti piæ ad virtutes adhortationis duntaxat meminerint? Et sanè religiosior hæc suadela, quâ suos ad omnem pietatem instruet, instruendorum potiùs multiplex meritum haberi posset, quàm vnius adhortatoris virtus; cùm de non bono vitiis corde, bonum sermonem hypochrisis aliquando concinnet. Ecquod tantum virtutis meritum in hac Abrahami 2.

Genes. 18. v. 19.

Adhortatorius sermo ad adhortatorem multipliciter remeritur.

ad posteros exhortatione prælucet, vt quasi meritorū eius cumulus æstimetur, vt tanta illi gratia Emiss. hom. 4. de epiph. beneuolentiùs exhibeatur? Audi Emissenum eleganti ingenio & calamo ita scribentem. Studete, inquit, filios ad Domini seruitutem, quæ nobis sola est caussa viuendi, non linguâ erudire, sed vitā: audiant vos, videant vos: vt quæ iusta, quæ honesta, quæ sancta sunt vobis spectantibus & amātibus, in amore consuescant (attentiùs inspice, & reuerētiùs suspice verba quæ subdit, Emiseno dignissima, & ad rem præsentem in paucis tempestiui) *Duplex vobis commodum erit, cum salus ad filios vestros de vestra salute transierit: vt cùm per vos ad illos peruenerit, ex illis ad vos multipliciter reuertatur, hoc enim bonum dando non consumitur, sed dilatatur: & magis dum transfertur, acquiritur: ac miro modo & transmittitur, & retinetur, siquidem salubri iucundoque commercio & accipientis lucrum, & tradentis augmentum est: scio, inquit, quia Abraham præcepturus sit filiis suis, vt timeant nomen meum.* Pudet & piget rudiori stilo eruditam Emiseni elegantiam deuenustare; purpuram suā de soloce nostra resarcire viderer. Procliue est cuique prælucentes clarè sententias ad rem obseruare; nemini illas pro dignitate expendere.

3. Ecclesiastici 7. inter innumeras sententias, quas ad morum eruditionem Iesus Sirac ibi spissat & addensat, hæc præ celebritate sudatissima scribitur, quā da filiis instruendis parentes instruit: *Filij* Eccli. 7. v. 25. *tibi sunt? inquit, erudi illos, & curua (aliàs cura)* Hugo ibi *illos à pueritia illorum.* Quæ verba sic Hugo Carensis exponit: *Filij tibi sunt carnales vel spirituales? erudi illos disciplina morum, id est, extra ruditatem pone. Omnis enim malus erudit.* Ne autem timeas, quod filius nequam citiùs tibi affricet suam malitiam, quàm tu illi probis suasionibus bonitatem allinas: nam etsi delicatè illum *Docens aliquis, plus discit.* ames, & maiori impetu ad nos descendant vitia, quæ amore inescata veniunt; tamen tanta est bonæ persuasionis efficacia, vt quam adhortatione in illo virtutem exprimis, continuò ipse tibi eam commodet, & ad te veniens, eo quo erudis, erudiaris, *Mutuò ista fiunt, & homines dum docent,* Seneca sup. *discunt.* Quod luculenter scribit Clemens Alexandrinus, qui in principio Stromatum, se ibi tra- Clem. Alex. 1. Strom. cap. 1. dere pollicetur, quæ magnus quidam vir, *à Petro & Iacobo & Ioanne & Paullo, sanctis Apostolis, filius à Patre accipiens,* illi tradidit: quæ ipse suis in Christo filiis tradenda curat. Et subdit elegāter ad thema præsens: *Docens aliquis plus discit, & dicens sæpè vna audit cum iis, qui ipsum audiunt Vnus est enim magister & eius qui discit, & eius qui audit, qui & mentem irrigat & rationem.* Profectò sicut perspicuum est, mala exempla in eos etiam redundare qui faciunt: ita suadela virtutis adeò feliciter fœcunda est, vt probitatis semen nouo satoris sui germine fœcundetur, vnde suasorius sermo auctoris sui auctor efficitur, & dum aliquis alios pietatem docet, pietatem vnà discit, & ratione illa, quā auditores mouere satagit, quasi reflexa vi ipse permoueatur. Pietatis suadela à Patre ad filium, à Concinatore ad auditores exit; & in Patre Concinatoréve remanet: verbum Dei ad alios transfunditur, sed nō sic elabitur, vt nihil in adhortatore remaneat. Nam cùm ille ipse, qui ad alios loquitur, se ipse etiam audiat, si reliquos audiendo monet, ex sui audientiâ ipse quoque permoueri solet. Vnde *docens aliquis plus discit, & dicens sæpè vnà audit.* *Vnus est enim magister & eius qui dicit, & eius qui audit, qui & mentem irrigat & rationem.* O bonā Concionatoribus eruditionem, vt se etiam audire continuò assuēscant; ne cùm plures auditores ad plausum seu profectum procurant, se ab auditorio exclusos putent. O! satagite, vt cùm verbum Dei per vos ad auditores peruenerit, ex illis ad vos multipliciter reuertatur. hoc enim bonum dando non consumitur, sed dilatatur; & magis dum transfertur, acquiritur: ac miro modo & transmittitur, & retinetur: siquidèm salubri iucundoque commercio & accipientis lucrum, & tradentis augmentum est. Quid tu ieiunè macilentus, alios ad pietatis vigorem saginas? Aliis penè prodigus, tibi auarus existis, è tuo cōuiuio vel bucellam sume, ne aliis per te abundè saturis, tu æternùm famescas. Quid tibi auarè inuides, quod aliis affatim impertis? Gratiæ nitor in alios repercussus, ad te reuerberet. 4.

Matthæi 15. Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi: & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis: Per interrogationem doctrinam exordiri, est sapientiæ perquam familiare. Verùm cùm discipuli ignauas Matth. 16. v. 15. & 16. Iudæorum opiniones retulissent, rursùs Christus interrogat, quid ipsi seriò opinarentur, aiens: *Vos* *Cùm Christo proposi-* *autem quem me esse dicitis? Respondens Simon* *tum esset docere, discen-* *Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei viui.* Nimirum Christus, qui nouus e cælo magister mun- *tes interrogat.* do adest, volens arcanam de diuina corporatione doctrinā rudes adhuc discipulos edocere, ipsos interrogat, aiens: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Ad quæ verba ita scribit Seleu- Basil. Orat. 25. ciensis Basilius: *Cum ei propositum esset docere, discentes interrogat.* O ineffabilem cælestis magistri humilitatem! rem nimis intellectu arduam, ab ignaris discipulis interrogat, antequam eos doceat? ignoranti Discipulo scientiam interrogatione ingerit, vt mysterium in paucis arcanum penetret, & de illo interrogatus respondeat: & quod ipse Discipulo docturus erat, à Discipulis audit, & simul Discipulos omnes de vnius discētis ore condocefacit. Ecce tibi, interrogando discipulos, & interrogatos discipulos audiendo, ineffabile diuinæ corporationis mysteriū Christus extorquet, publicat, illustrat: & quod humanis oculis erat inaccessum, discipulum interrogādo Hic vers. 2. docet. *Cùm ei propositum esset docere, discipulos interrogat.* Sic se hic Tobias, cum filio gerit: illum interrogat, & ille interrogationi respondet.

---

§. CCCLXXXII.

Qui alienis inornatur fulgoribus, squalet, non fulget.

VT in ceteris rebus, ita in ambitioso prælucendi studio, perit gratia, si de alieno ve- 1. niat. Alienæ diuitiæ materiā sumptibus submi- *Qui de alieno sapit, sapientiam ructat.* nistrare possunt, diuitem te facere non possunt quæ furtiuum possessorem effugiunt. Sapientia aliena non benè assuta, & in ore aut calamo malè cruda, stomachum grauat & opplet; non eliquatur in sanguinem, quo vitam alat. Qui de alie- *Christus Thabore fulgens, spectabili suo lu-* no sapit, non dictat peritiam, sed ructat. Luna quæ de Solari ornatur fulgore, luminare minus esse dicitur, noctisque caligini præst, & tenebrarum

mine Solem condidisse prohibetur.

rum regnum subit. De alienâ luce caligini præfidendum erat. Matthæi 17. assumit Iesus Petrum, & Iacobum & Ioannem, & ducit illos in montem excelsum seorsùm, & transfiguratus est ante eos. *Et resplenduit facies eius sicut Sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* Augusta Christi facies vt in Thabore micantiùs splendeat, Solis fulgores mutuat? Puto alieno sic nitore splendescet. Audiendus est hâc super re Basilius Seleuciensis ita eloquenter fatus: *Postquam aliquandò in monte Christus aspectu figuraque corporis immutata, spectabili suo lumine Solem condidisset*, &c. Ecce tibi quam solerter Christus Deus apud Basilium, suos sibi vendicet fulgores, aiens, quòd Christus qui in Tabore splenduit sicut Sol, *spectabili suo lumine Solem condidit.* Quasi Christus Deus, vt potè splendor Patris, cognatâ sibi luce *Solem condiderit.* Christi facies in Thabore fulgēs, fulgentes radios non emendicat à Sole: imò Sol à Christo Deo fulgores quibus splendeat emendicat. Nam *aliquandò in monte Christum aspectu figuraque corporis immutata, spectabili suo lumine Solem condidisse*, Basilius perhibet.

Matth.17. v.1.

Seleu. Orat. 25.

Genes.1.v.2

Geneseos 1. In principio creauit Deus cælum & terram. Terra autem erat inanis & vacua, & *tenebræ erant super faciem abyssi*: & Spiritus Dei ferebatur super aquas. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Cæli, & Terræ nomine, quod sonat intelligitur. Abyssi vocabulo aqueum elementum alte stagnans innuitur. Lucis nomine elementum ignis denotari, copiosè inibi adstruebamus. Sed statim animum subit difficultas, cur nulla fiat aëris mentio. Spiritus Dei abyssum souens, & tenebrosa caligo infuscans mundi opificium, inducenda tunc erat, & aër prætermittendus? Ecquod adæquè animantibus vtile elementum? Quis aëris, & flatuum commoda breui compendio stringat? Quare ergò aëris nulla memoria? quid peccauit aër, vt nec vllâ mentione dignus censeatur? forsan putabit aliquis fluxam & vagam aëris naturam in causâ esse, vt indecorè negligatur: nam nobile ingenium sic perpeti deuenustatur inconstantiâ, vt nec mentione honoretur, & vt contemptu negligatur. Nam quod præ mobilitate vbique est, nullibi esse censetur: quod autem nullibi est, vocabulum habet, sed re vocabuli vacuum: cùm dubia & incerta res, sit propè nulla. Ceterùm ad thema præsens profundiùs rimari iuuat, eccur nulla aeris mentio, in elementorum recensitione? Et esto, vlla facta sit, *Tenebrarum* nomine fortè donotatur, vt, inibi tradidimus, & nonnulli apud Basilium, etsi in alio sensu, tradunt: *Tenebras*, inquit, *interpretantur, aerem aliquem lucis expertem, aut locum obiectu corporis obumbratum.* Scilicet aer, totus de alieno, adornatur. Splendidè fulget; sed desiderio fulgore luces fœnerat. nubes, id est, alatos fontes habet; sed de terra & mari vaporum succos furaci ingenio haurit; quos sinu suo spissans, fœcundè spargit. Sublunares animantes fouet & nutrit; sed beneficio cæli influxui duntaxat meatum præbet, influentiarum non auctor, sed tantùm baiulus. Vnde qui de non suo fulget, qui de alieno fœcundat & fouet; aut mentione indignus est, aut planè dignus, qui squalido *tenebrarum* nomine nuncupetur. Vides aerem transparenti nitore fulgentem? Si absit lucidum sidus, tenebris squalet, exinde à tenebris, quas per se habet, condignè nominatur, ne de alieno ornamento ambitiosè superbiat. Vides aërem fornicato nubium tecto beneficè fœcūdum, ipse de se sterilis, de terræ & aquæ vicino elemento, furtiuâ conceptione fœcundatur. Vides aerem largè in animantes influentem? influentias spargit, quas perpetim è cælo sugit. Non est fons, canalis est: non est præbitor, portitor est, & totus de alieno, & aut qui nominetur, indignus, aut dignus qui *tenebrarum* vocabulo nominetur. Non ergò de aliena luce, sed de propriis tenebris, nomenclaturam accipiat: *Et tenebræ erant super faciem abyssi. Tenebras interpretantur, aerem aliquem lucis expertem.* O, quis de aliena præstantia sibi blandiatur? Nemo de se tenuis, de alieno sublimis est. Suum est, quod hominem aut pusillum facit, aut magnum.

Inconstantia nomen rebus detrahit

Basil.ibi.

Aer, quia de alieno splendet tenebrarum nomine nuncupatur

3.

Exod.7.v.1.

Exodi 7. *Dixitque Dominus ad Moysen; Ecce constitui te Deum Pharaonis.* O excellam hominis dignitatem! Vel participatæ Deitatis titulo, & nuncupato Dei nomine, supra humanum fastigium Moyses sublimatur. Quid est: *Ecce constitui te Deum Pharaonis*? Respondet Rupertus: *Non quem Pharao fideliter adoret, sed quem seruiliter formidet.* Nempe quantum Moysi adijcitur augusto Deitatis vocabulo, tantùm ferè detrahitur, seruilis duntaxat timiditatis elogio. Deum, quem non reuerenter adoras, sed tantum seruiliter times; seuerum timore fateris, sed negato cultu, bonum negas. Seruilis timor, quem reuerentialis amor nunquam commendat, humani Rectoris titulum deuenustat, & Deum Pharaonis, aut inuenit, aut facit. Sed pergit ad rem S. Hilarius: *Constitui te Deum Pharaonis. Sic Moyses Pharaoni Deus datus est, dum timetur, dum oratur, dum punit, dum medetur.* Estne Deitatis insigne, & prælustre elogium, timeri, orari, punire, mederi? O quàm multa breui sic iffat Hilarius! Addit opportunè, & eleganter: *Et aliud est, Deum dari, aliud est, Deum esse. In Pharaonem enim Deus datus est Moyses: ceterum non ei est & natura, & nomen, vt Deus sit.* O quam magnum est discrimen inter *Deum dari*, & *Deum esse*! Moyses in Pharaonem Deus datus est, Deus autem non est; *nec ei est natura, & nomen, vt Deus sit.* Aliud est, quòd tu talis ipse sis; aliud quod tibi datū sit, quò talis appareas. Aliud est, esse à se Deum, aliud quod ab extraneo habeat esse Deum, vt Moysi accidit. Deitas quæ illi inest, in hoc peregrinatur. Tantumne augustiori rei detrahit, illud non à se habere, sed ab extraneo forinsecùs mutuare? Quia Moyses per se Deus non est, etsi à Deo audiat: *Ecce constitui te Deum Pharaonis*; quia ab extraneo id fœnerat, adhuc Moyses ipse, & humilis seruus est: In Deū inaugurari ab alio potest, Deus ab extraneo fieri non potest. Sic humanæ sublimitatis fastum deprimit, extranea & aliena sublimitate eminere. Quia Moyses *Deus datus est*, non verè Deus, sed vetus homo, & seruus, & Moyses est: *Ecce constitui te Deum Pharaonis*: sed velut assuta diuinitate, quippe quæ extranea erat. O quā citò amisit Tobias, quod Archiachari cognati beneficio possidebat! Exinde hîc nihil ab Angelo iunior Tobias accipit, quod ad se non pertineret, aut debiti, aut dotis titulo.

Rupertus ibi.

Seruilis timor, quem reuerentia is amor non commendat, Deum Pharaonis facit.

Hilar.7.de Trinit.

Quia Moyses datus Deus nō à se Deus est, adhuc seruus, & adhuc Moyses est.

Hic vers. 3.

4

Tertullianus in lib. de Cultu feminar. natiuam & infuscatam pulchritudinē non culpat, sed honestat: quippe à quo *dignitas formæ* recognoscitur: & dudùm dixerat: *Sancta femina sit naturaliter speciosa*, est enim forma, ingenuæ animæ vrbana

bana vestis, plurimumque putatur de cælo trahere; & cælites dum in terris apparent, illi adsimilari affectant. Verùm exquisitas in cultu munditias, & pigmentorum lenocinia, quæ formæ dignitatem mentiuntur, acerrimè commendat. Quantùm autem, inquit, à Christianis disciplinis & professionibus aliena sunt, quam indigna nomine Christiano, *faciem fictam gestare, quibus simplicitas omnis indicitur, effigiem mentiri, quibus linguâ non licet*: appetere quod datum non sit, quibus alienum abstinendum? De his feminis, quæ faciem fictam, & effigiem mentitam gestant, ait S. Hieronymus: *Quarum facies gypsea, & nimio candore deformes*. Formosæ à fuco apparere ambiunt; sed *vultus alienus est*, ait S. Cyprianus; & indè *deformes* existunt, vt aiebat Hieronymus. Cùm autem *vultum alienum* gestant de lenocinij ingenio, non modò deformes in se, sed in Deum sacrilegæ probantur. Quod probat eleganter idem Tertullianus nuper laudatus, ita inibi scribens, *In Deum enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt. Displicet illis nimirum plastica Dei: in ipsis redarguunt artificem omnium. Reprehendunt enim cum emendant, cùm adiiciunt, vtique ab aduersario artifice sumentes additamenta ista, id est, Diabolo. Ille indubitatè huiusmodi ingenia concinnauit, vt in nobis quodammodo manus Deo inferret. Quod nascitur, opus Dei est: ergò quod fingitur, Diaboli negotium est. Diuino operi Satanæ ingenia superducere, quàm scelestum est.* Procliue cuique est, singulas expendere sententias ad thema præsens in paucis tempestiuas. Non te prætereat illa: *Quod nascitur, opus Dei est: ergo quod fingitur, Diaboli negotium est.*

Tertull. de Cultu femin. cap. 5. *Fœmina, quæ vultum alienum gestat, & deformis est, & in Deum impia.* Hieronym. ad Marcell. Cypr. de Discipl. & hab. Virg. Tertull. de Cult. femin. cap. 5.

5. 4. Regum 6. Rex Syriæ validam & copiosam misit manum aduersus vrbeculam Dothan, vt ibi Elisæum comprehenderet. Puer qui Prophetæ ministrabat, perterritus videns propè Assyrias phalanges, nunciauit Elisæo. Qui iubens bono animo esse, orans ait: *Domine, aperi oculos huius, vt videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit*, &c. Hostes verò descenderunt ad eum: porrò Elisæus orauit ad Dominum, dicens: *Percute, obsecro, gentem hanc cæcitate. Percussitque eos Dominus, ne viderent.* & ita illos in propriam vrbeculam captiuos adduxit. Hanc historiam pulchro glossemate illustrans S. Ambrosius, benè notat, quod *errat qui putat cùm prosperà aliquid gesserit, propria se fortitudine superasse.* Ne verò deuenustetur Elisæus, dum puero tribuit aspectum, quasi rem prorsùs alienam illi donasset, ita post pauca peracutè subscribit: *Non mirùm si aduersariis cæcitatem intulit, qui famulo largitus est claritatem; & si hostibus aufert visum, qui ministerio præstat aspectum.* Nempe Elisæus à Syris hostibus velut præclara spolia, aspectum abstulit, cùm eorum oculos tenebrauit. Ergò eorum visum, quem iure belli: illustrium manubiarum nomine fecit suum, suo famulo impertit: *& hostibus aufert visum, qui ministro præstat aspectum.* Errat, errat qui putaret Elisæum id propriâ, & non diuinâ virtute prosperè perfecisse; sed vt oculorum visû puero præstitum, quodammodò faciat suum, suis hostibus visum eripuit. Diues aspectum, aspectum tribuit: & aduersariis visum abstulit, qui ministro aspectum præstitit.

4. Reg. 6. v. 17. & 18. *Elisæus hostibus abstulit visum, & famulo præstat aspectum.* Ambr. ser. 86. de Barb. non timendis.

§. CCCLXXXV.

Beneficia fidelitatis est meta, si quando promissio venerabilis non claudicauit inter prospera.

Sanctissimè semper fidem semel datam, & sacrosancta promissa Romani seruauerunt. Laudatissimus in hoc genere Sextus Pompeius, qui excidere imperio maluit, quàm fidem fallere: maior seruata fides, quàm foret imperio, quod amisit, ne fidē perderet, nec Magno Pompeio patre minor: imò magno patre maior, qui imperium neglexit, ne negligeret fidem. Viri verè magni est, semperque erit, tam tenacem fidei semel datæ stetisse, vt nec intentata mors, nec proposita regna & imperia, nec obliuiosa semper felicitas, promissorum colorem mutet cuius verba credas humana oracula; promissa diuina nullum illa fallent, nullum frustrata sunt: & quod (liceat humana cōponere diuinis) de Deo, voluisse, fecisse; de hoc, dixisse, fecisse sit. Hic est Princeps naturæ humanæ genius; sed quem prosperitas deprauare solitat, aut consultâ promissionum pœnitētiâ, aut obliuioso datæ fidei neglectu: adeò vt quanto præcedens periculum fuit promissionum fœcundum, tanto succedens felicitas, fidei sterilis inueniatur, ingratæ semper fortunæ ingenio. Læta prosperitas, datæ fidei titubatio est, & promissorum in terrâ naufragium. De Tobiæ autē gymnasio fides in promissis erudienda est, aduersus felicitatis infidæ minas: dum *salua mercede* suâ Azariam destinat filij comitem in longâ ad Medos peregrinatione: *Et cùm redieris*, inquit, *restituam tibi mercedem tuam.* Quod verò dum ærumnosus & indiguus fideliter promisit postmodum opulenter fortunatus, abundè præstitit, vt hîc opportunè ad mores denarratur. *Nulli dubium est, inter prudentes sacra fidem promissionis impleri.*

Subsecuta prosperitas, datæ olim fidei titubatio est. Hic vers. 4. *Fides sacra promissionis.* Ennod. lib. 2. epist. 4.

2. Geneseos 40. Pincernarum magister somnio futurorum præsagio mœstissimè angitur in carcere. Adest Iosephus insperatus somniorum interpres, & fausta quæque præsagâ mente antedicit, hac leui fauoris pensione: *Tantum memento mei cùm bene tibi fuerit, & facias mecum misericordiam: vt suggeras Pharaoni vt ducat me de isto carcere.* Annuit postulatis Pincernarum Princeps: & post triduum pristino in aula gradui restituitur. Sed vt est obliuiosa felicitas, cum promissione promissionis ebibit obliuionem. Postmodùm verò Pharaonis mysticum somnium, interpretis sui memoriam ingessit. *Tunc demùm reminiscens Pincernarum magister, ait Confiteor peccatum meum*, &c. Iosephi in somniis interpretandis peritiam pandit, & fidem suam, quam neglectu resciderat, ex inopinata occasione recuperat. *Confiteor peccatum meum?* promissionis non adimpletæ, fastu adludentis fortunæ. *Sera quidem*, ait: Ambrosius, *sed vtinam vera: confessio; post peccatum fatetur, quod ante peccatum cauere debuerat. Quàm citò oblitus fueras: Memor esto mei! Scis nempè tunc temporis hunc fuisse sermonem, sed obtusas habebas aures fastu potentiæ, & vini ebrius, non audiebas verba sobrietatis. Recordare quid passus sis, cum quo dormisti somnum tuum*

Genes. 40. v. 14. Genes. 41. v. 9. Ambros. de Ioseph. Patri.

Accepti beneficij sapor ignoratur in prosperis.

tuum ; & somniasti somnium. O malum ? fastus potentiæ, fortunæ genius, & felicitatis conditio, sublimitatis vertigine, & dignitatis vino ebria, dormit ad promissiones, & earũ memoriam excutit infido neglectu. Luculenter Ennodius hâc super re his verbis aliorsum philosophatur: *Ignoratur*, inquit, *bonorum sapor in prosperis : vix dignoscitur superni qualitas beneficij , dum tenetur: post migrationem cupita dulcescunt : desiderij pretia in manibus constituta nescimus.* Pincernarum princeps in carcere cõpeditus squalebat calamitate prostratus, & insolentis somnij ancipiti augurio, quasi de cælo attonitus, pendulâ æquè ac meticulosâ mẽte angebatur : faustũ omen gratanter excipit, largè tunc in beneficentiã effusus. Sed vix sublimiorem fortunam recuperat, cùm interpretis sui ingratè oblitus est. *Ignoratur bonorum sapor in prosperis* ; & felicitatis sapore ebrius , infidam promissorum ingratitudinem diuturnâ obliuione dormit. Fortunatum nuncium spe fauoris in aula præstandi , à suo interprete sollicitus emit: sed felicitas excussit memoriam : nam *desiderij pretia in manibus constituta nescimus :* & qui naufragus dulcescit in votis, in portu iam sospes in adimpletionem pigrescit. Dolosa est infortunati fides, si illi forsã mox alludat fortuna , quæ sic mentem felicitate sorbet, vt vel promissorum memoriã obliteret, aut impletionis fidem paruipendat. Promissorum naufragium, prosperitas est.

Ennod. l. 6. epist. 20.

Desideriorum pretia in manibus constituta nescimus.

3. Paullus ad Ephesios 4. agens de Christi Dei largiori beneficentiâ , illam præsertim ex glorioso Ascensionis triumpho commendat; mutuatus ad id confirmandum verba Psalmi 67. Sic ergò scribit Paullus in præfata ad Ephesios epistola: *Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit: Ascendens in altum , captiuam duxit captiuitatem , dedit dona hominibus.* Non litigabo cum expositoribus, quænã sunt hæc *dona*, quæ Christus in cælos ascendẽs hominibus indè largitus est. An fuerit donum Spiritus-sancti largiùs cõmunicati, an diuersa gratiarũ genera, quæ Apostolis impertiuit; an gratiarum etiam largitiones: quas sparsim hominibus in dies donat. De quo legi possunt præfati Psalmi, & Epistolæ commẽtatores. Id vnum ad rem præsentem enucleandũ nobis est, quare Apostolus, cùm largiorem Christi Dei beneficentiam prædicare statuit , eam in Christo triumphatore dilaudat? An non Christi largitas mirè elucet , dum diuinum Verbũ homo factum est, vt se hominibus impẽderet? eum Passionis vestibulo se ipsum in modico nuper pane compendiauit, dum in Eucharistia præbuit se se? aut dum patibulatus in cruce, se in generis humani copiosam redẽptionem dedit? O donatiuum nimis opulentum! quid Deo maius dari potuit? nihil profectò. Ast consultissimè Paullus, vt exaggeratius Christi Dei liberalitatem commẽdet, memoriam ingerit donorum , quæ in vita mortali promiserat, & post Ascensionis triumphum abundanter impleuit. Plura Christus munera suis pollicitus erat : nec meminit eorum, quæ in vestibulo Passionis præbuit, etsi seipsum in cibum Eucharisticum hominibus donauerit. præterit etiam , quòd in diro crucis patibulo se ipsum in redemptionem pro hominibus impendit: & in memoriam adducit dona (quæcunque illa sint) quæ dum viueret largè promiserat, & in Ascensionis triũphali gloriâ liberalius donauit:

Psa. 67. v. 19. ad Ephes. 4. v. 7. & 8.

Christi venerabilis promissio inter Ascensionis prospera non claudicauit.

quæ est gloriosa humanæ liberalitatis hyperbole, quò hominibus Dei hominis liberalis nobilisque fides in promissis, sumptuosius innotescat, dũ *Nec promissio venerabilis claudicauit inter prospera*, vt feliciter aliàs notauit Ennodius. Nempe hæc est fidei & beneficentiæ meta, qua hominẽ nobiliter quasi deiuescens; quod in aduersis promisit, adimpleuit in prosperis: & quod prope duræ Passionis calamitatem liberaliter spopondit, in triumphali Ascensionis pompa abundè restituit. *Ascendens in altum , captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus : nec promissio venerabilis cludicauit inter prospera :* quæ est beneficentioris fidei exaggeratio. Sic ignoratur fidelitatis sapor in prosperis.

Ennod. in Panegyr.

Lucæ 12. Nolite, inquit, timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnũ. *Tendite quæ possidetis , & date eleemosynam. Facite vobis saccculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis.* Si in cælo sacculis opus est, diuitiarum cura non amittitur, sed mutatur: fac verò tibi saeculos, & fac iubente Deo , quia votis tuis annuit diuina maiestas , paupertinæ pusillitatis nostræ opulenter miserata. Fac tibi saceulos erogando , quia quicquid pauper acceperit, Christus Deus sub auctoratã fide tantæ maiestatis accepit. Et vbi recondit ? in cælo. Et ne fortè perdidisse te doleas vel vsuram, centuplum in cælesti fœnore recipies , quicquid in cælo paupere transmiseris perferente: (pergit adhuc Chrysologus) Vsura mundi centum ad vnũ, Deus vnum accipit ad centum; & tamen homines cum Deo nolunt habere contractum. *Sunt forsitan de cautione solliciti ? Quare? Nonne homo homini exigua chartulæ obligatione constringitur ? Deus tot , & tantis voluminibus caret, & debitor non tenetur ? Sed dicis, esto quòd debeat, quo exigente restituet? Seipso , quia non potest ille mentiri : idem ipse est & exactor & debitor. Non erit in reddendo durus, qui profusus est in largiende. Crede homo Deo quod tibi Deus dedit : maiora reddere vult, cùm vult debere largitor.* Sicubi, hìc vel maximè elegantiarum arbiter Chrysologus, tota ingenij & eloquentiæ arte luculentiùs laborat, vt magno Deo promittenti credat pusillus homo, ne promissionum, quas Christus fecit in terra, putetur oblitus in cælo; quasi de humana conditione votiuæ promissionis sapor desipiat in prosperis, & in obliuionem degeneret, & opulẽta eleemosynarum pretia, in cælo iam constituta nesciantur. Porrò *Christus ascendens in altum, dedit dona hominibus, nec promissio venerabilis claudicauit inter prospera.* Ne ergo sit homo de cautione sollicitus : nam Deus qui mentiri non potest, pro sua maiestate ipse est & exactor & debitor. *Maiora reddere vult, cùm vult debere largitor.*

4.

Luc. 12. v. 33. S. Chrysol. serm. 27.

Suarum promissionum Deus est & exactor, & debitor.

Idem ibibi.

§. CCCLXXXIV.

Quò pauperior est creditor eò opulentus debitor rem debitam difficiliùs & morosiùs reddit.

1. VIs diuitem è Philosophi sententia facere? non pecuniæ adiiciendum , sed cupiditatibus detrahendum est. At miserum est, pauperem esse, si diuitiæ miseriis eximerent , felicitate donarent, benè, at plerisque diuitiæ non finis , sed

Opulentia sæpe est, infelicitas magno empta.

miseriarum mutatio est, & quidem sumptuosior, Cui benè dum paupertate sua conuenit, nihil deest: imò è reculis suis diuitum auaritiam non inuitus exsatiat. Has, etsi ordinarias, velut exquisitè sapidissimas escas, diuitum rapacitas hiat. Nam cùm paupertas hominem exarmet, ridiculum faciat, & opulentorum ludibrium; eorum opulentia, pauperum præda est, & proscriptio populorum; & vel quod non habent, ab eis auferunt. Tanta est diuitum insolentia, vt pauci illustrentur, mundus euertitur? Aduersus hanc diuitum furacitatem, armanda pauperum patientia est. Heu nō tantùm substantiola pauperis, sed eius etiam anima in confiscato est: nec tantummodò inopi deest, quod non habet, sed quod habet, deest. Pauper omnibus debet, pauperi debet nemo. Quis diuitum inter nomina sua computat, quod debet inopi? Pauper semper debitor est, nunquam creditor. Hinc perdifficilè pauper emergit. O esto contentus veris animi diuitiis, vt nec pili quidem facias has calamitates, inopiæ appendices! & miserrimum puta, qui de pauperum inopia locuples est. Accipe à Tobia hoc auaritiæ antidotum; & vide quàm opulentè hìc suum mercenarium locuplete auctario muneret.

Hic vers. 4.

2\. Tobias perpetitus planè senex, patriâ extorris miseram sustinet captiuitatem. Auitis nuper possessionibus spoliatus in patrio solo, iterum Tyranni inuidiâ proscriptus, *nudus latuit*. Quin & ne vel propriæ industriæ superesset subsidiū, oculis orbatur. Quâ calamitate ad eam egestatē deuenit, vt ingenua eius vxor compulsa sit, de seruili sutoriæ vsu, exiguæ familiæ tenuem victum quærere. Cùm ergo Tobias instare sibi mortem putaret, filium accersit, & ad omnem virtutem illi hortaméta suggerens, pietatem velut testamento reliquit, illiusque hæredem velut ex asse constituit filium. Addit, Gabelum contribulem suum, ipsi sub chirographi fide debere non pauca argenti talenta, monetque filium, vt ea exoius procuret ad egestatis subsidium. Tunc respondit Tobias patri suo, & dixit: Omnia quæcunque præcepisti mihi faciam pater. *Quomodo autem pecuniam hanc requiram ignoro, ille me nescit, & ego eum ignoro: quod signum dabo ei? Sed neque viam, per quam pergatur illuc, aliquando cognoui.* Mirùm sanè est, quòd cùm senior Tobias ardua quæque summæ perfectionis facinora præceperit filio, nil arduum in obsequendo filius putauerit; & tantummodò detrectet sibi debitam pecuniam à debitore repetere, quod multiplici excusatione caussatur. Sic est inueni facilè omnem pietatem sectari: Sic est difficilè debitam pecuniam extorquere: Est, est, quidem, pauperes enim erant, & extremâ oppressi egestate; pauperibus autem nimis arduum est, rem sibi debitam ab opulentis debitoribus exigere. Vnde perquàm benè, vbi Vulgatus habet. *Quomodo pecuniam hanc requiram, ignoro.* Arabs sic exscribit. *Sed hanc pecuniam nescio quomodo acquiram.* O nimis verè! Scilicet vterque Tobias ditâ tunc egestate premebatur: sub chirographi fide, argenti talenta illis Gabelus debet; cùm autem ab eo exigenda est, inops Tobias, se prorsùs ignorare fatetur, quomodò debitā sibi pecuniam *acquirat*. Quasi ea industria, sollicitudo, & labor impendenda sint à creditore paupere, vt debitam sibi pecuniam ab opulento extorqueat debitore; vt non tam velut sua per exactionem perquirenda, sed tanquam aliena, quasi denuò *acquirenda* dicatur. Nam cùm opulentus debitor ferè eiusmodi debitum non computet, grauatè admodum fert ab eo exigi. Ecquis non, cùm istiusmodi aliquid à se repetendū suspicatus est, frontem obduxit, vultum auertit, occupationes simulauit, longis sermonibus, & de industria nō inuenientibus exitum, occasionē petendi debitum abstulit, & variis artibus properantes necessitates elusit: In angusto verò comprehensus, aut distulit, aut timidè negauit, aut se redditurum promisit, sed difficulter, sed subductis superciliis, sed malignis, & vix exeuntibus verbis? ô quoties postquam creditor pauper diu & sæpè repetendo defatigatus est, & eum opulentus debitor expectatione lassauit, delatione delusit, & eius spes sæpè frustrauit; mallet debitum perdere, quam sic perquirere. Si autem tandem aliquādo debita pecunia illi redditur, tot laboribus & incommodis solutionem emit, vt de extorquenda sibi pecunia moralissimè pauper Tobias dixerit: *Sed hanc pecuniam nescio quomodo acquiram.* Tot enim molestias inops patitur, vt rem sibi debitam tādem exigat, vt eas velut de nouo *acquirere* videatur. Hyperbolen putes, & sæpè ipsissima veritas est.

Cùm rem suam pauper à creditore repetit, eam acquirere moralissimè dicitur.

Tobiæ. 5. v. 2.

Arabicus text. ibi.

Deuteronomij 24. omnem Israëlitis aduersus Israelitas auaritiam vetat Deus. Cùm repetis, inquit, à proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum eius vt pignus auferas: sed stabis foris, & ille tibi proferet, quod habuerit. *Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante Solis occasum: vt dormiens in vestimento suo, benedicat tibi, & habeas iustitiam coram Domino Deo tuo.* Benè propter cauillatores notant interpretes, hìc agi de paupere, qui vnam duntaxat quam habet, vestē oppignerat. Sed quid est, quòd oppigneratam vestem pauperi domino ante vesperam reddi, Legislator iubet. Audiendus est Philo Hebræus qui hâc super re disertissimè ad mores his philosophatur. *Quid porrò sibi vult, quòd sollicitus de illis, ac noctu detectus cubet, diuturnæ vigilantis nuditati pudorique non æquè prospicit? Noctu certè omnia tegunt tenebræ, vt ad minus aut nihil pudeat, dies lucem infert, & pudorem magis incutit. Cur autem non dare vestem iubet, sed reddere! quæ redduntur, aliena sunt.* Scilicet diues ille, qui vnicam pauperis vestem in pignus accepit, ante Solis occasum non iubetur illam reddere; fortè quia nudato pauperi minùs tunc necessaria est: noctu enim omnia tegunt tenebræ, & nudū tunc esse, & inuestē, aut minùs aut nihil pudet. Interdiu autem nudum esse, pudori est. Itaque aguatum, nimisque procliue auaris Diuitibus sit, nimis indigentibus rem suam malignè reddere, nec autem ita extremè egentibus sit adeò difficile: cùm molestum Diuitibus præceptū Legislator imponat de reddendo pignore ante debiti solutionem, forsan (quod Philo subinsinuare videtur) non interdiu vestem reddi iubet, quo tēpore pauper magis eâ indiget, vt pudori ac nuditati consulat. Reddat tamen oppigneratā vestē pauperi domino, ad Solis occasum, quia tunc vnicæ suæ vestis minus indigens est, si fortè de minori indigētia, Diuiti auaro nō sit ita difficile, vestem pauperis ipsi pauperi reddere: *noctu certè omnia tegunt tenebræ, vt aut minus aut nihil pudeat, dies lucem infert, & pudorem magis incutit.* Tanta est Diuitū libido auaritiæ aduersus reculas egenorum, vt de maiori eorū indigentiâ dulciùs

5

Deuter. 24. v. 12. & 13.

Quò creditor magis pauper est, eò opulentus debitor, difficiliùs rem suam reddit.

Philo lib. de Somniis.

ciùs sapiant? Minor domini sui indigentia, erit penes Diuites illicium restituendi? Habeat Diues interdiu oppigneratam pauperis vestem, nec ad nimis tunc violentam pignoris restitutionem cogatur; dum proximâ nocte illam restituat pauperi, quod non adeò erit difficile, cùm minori vestimenti indigentiâ, creditor pauper tunc prematur. Sic nullum putetur debitum, quo auarus Diues egestate oppresso pauperi obstringitur. De nimiâ pauperis egestate debitum exolui putat: quò magis debet, eò minus debere censet ob creditoris tenuitatê. Potentia debitoris, impotentiam depauperat creditoris. Quid exaggeratiùs? Sic velitari ad mores liceat ex hoc loco, occasione Philonianæ glossæ; litterassimum loci sensum alibi multis tradebamus.

4. Matth. 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur.* Nec pauci, nec ignobiles Commentatores hæc verba de strictâ iustitiâ exponunt, quæ quod suum est, rem debitam inquam, cuique reddit; præcipuè pauperibus, qui iure & re suâ passim defraudantur, vt ex Ruperto inibi notat Maldonatus. Itaque feliciter *beatus* dicitur is, qui quod pauperi debet, ita alacri & prompto animo reddit, sicut qui esuriens comedit, aut siti æstuans, bibit. Quod eleganter docet Nyssenus ad ea Christi verba, *Non in solo pane viuit homo.* Ecce inquit, *nutrimentum boni: Castitas, panis; sapientia, pulmentum; iustitia, potus.* Nimirum viro bono *iustitia*, quæ rem suam pauperi donat, *potus* est: *Beati, qui sitiunt iustitiam.* Nempè qui sitit, rem sibi ipsi percommodam & necessariam appetit: & quidem vehementi desiderio, & impatienti potionis appetentiâ. O quàm hianter æstuamus ad potum! Ergò *Beatus* ille est, qui velut *potum* sibi; ita quod ex *iustitia* debet pauperi, illi auidè tribuit. *Iustitia, potus. Beati qui sitiunt iustitiam.* O, sic cunctanter & morosè rem suam diuites reddere pauperibus solitant: Sic mercede suâ solet fraudari mercenarius: Sic viduarum & pupillorum reculas morosiùs retinet diuitum iniusta auaritia, rebus alienis nunquam satura: *Iustitia* erga pauperculos, impotentes, & inualidos, esto diuitibus *potus*. O bona potentioribus eruditio!

Matth. 5. v. 6.

Rupert. apud Maldon. inibi.

Iustitia erga pauperes, sit diuitum potus.

Nyssenus apud Caten. ibi.

§. CCCLXXXV.

Secretum operantis, quo res facienda est effectu citiùs quàm in actu apparet: & effectionem expedit, & effecta solidat

1. Res magnas nec capit, nec sustinere valet, cui tacere graue est. Secreti otium est operosa magnanimitatis officina; cuius beneficio strenuus operator egregia facinora, quæ mente pinxerat, manu exprimit. Magna consilia, vt taciturnitate eualent, publicitate languent. Euaporantur ore prudentiæ vires, & consiliorum publicatione fascinantur. Qui prurientem linguæ impetû vincere nescit, haut difficile hostium impetibus cedet. Pulchrum illud inter Romana incunabula: *Arcana consilia P. Conscriptorum multis seculis nemo Senator euulgauit, cùm non vnum, sed neminem audisse crederes, quod multorum auribus fuerat commissum. Numquam taciturnitatem optimum ac tutissimam administrandarum rerum vinculum labefactare volebant.* O dignissimos omnes, qui imperarent! O viros, quibus meritò orbis patuit: diuiúsque patuisse, ni passim resignata foret venerabilis secreti fides. A quo magna patranda sunt, nemo excutiet consilia, quantumuis aut vi, aut astu solerter adnitatur: nemo ab eo silenda audiet, nemo audire sperabit vllum pœnitendum verbum. In silentij secessu consilia armantur, ad operis difficultates facile exarmandas. O prodentissimum illum, qui strenuè agendorum cogitatorium, à linguæ collegio spatiosè ablegauit! Non tam de humanæ politiæ archiuis, quàm de cæli gymnasio hoc documentum hominibus stillatur, quò feliciter magna opera inchoent, promoueant, perficiant. Huius eruditionis doctor nunc è cælis in terrenas Raphaël mittitur: sed hoc beneficentiæ arcanum hic Tobias anteuertit.

Secretum, consilia ad res magnas feliciter armat.

Politico-Christ. lib. 8. cap. 16.

Hic vers. 5.

2. Geneseos 1. in efformandæ mundialis machinæ auspicio, nulla euocati consilij mentio fit, sicut exinceps in hominis formatione: nulla opificis vox audita est, quemadmodum in reliquarum rerum conditione præmittitur. Nullus Angelus hactenùs, nullus hominum creatus adest, sed dum inanitatis suæ silentium omnia occuparet; summus rerum opifex Deus, cælum & terram inopinatâ cunctis operatione format, quo tempore Creatori collibuit. *In principio creauit Deus cælum & terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi; & Spiritus Dei ferebatur super aquas*, adhuc nouas creaturas efformaturus. Stabat tunc in admiratione sui tenera orbis inchoatio, & penè dedecoris proprij concussa stupore titubabat; ante agnitionem ordinis solam sortita de auctore substantiam: requires quo moderamine rotandus esset vastus cæli globus, qualem finem diei futurum tempus exciperet: si per assiduos semper renasceretur occasus; si nox nondum fuscis ambitura complexibus, quasi rem origenariam perenniter non teneret. Verùm in hoc nascentis mundi ambiguo, vt omnis creatura inconfuso & rato ordine incessanter perseueret, de arcano Opificis consilio mutuauit. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Ordinatione perseuerat dies.* O inconcussas exinceps creaturarum operationes, quas diuinæ prouidentiæ consilium per certos perenniter operandi calles destinauit! Vnde tàm rata & constans, concors operationum discordia? Arguè Ennodius hâc super re ad rem præsentem ita fatur, Deum rerum omnium opificem alloquens: *Dignum est*, inquit, *vt inter exordia dignitatis tibi principiorum Domino supplicemus, qui mundi ipsius in nouam lucem prodeuntis infantiam, quanto bonorum tuorum secreto orditus es, tanta potentiæ virtute solidasti.* Nota hæc vltima verba moralitatis grauida. Deus mundialis opificij creator & rector, *quanto bonorum suorum secreto orditus est, tanta potentia virtute solidauit.* Parumne foret diuinæ potentiæ, omnipotens suum velle? satis non erat diuinæ prouidentiæ consiliis cuncta ordinari, vt res quælibet in suâ substantiâ & operatione solidaretur? quid opus fuit, vt in *secreto* ordinaretur Deus mundi primordia? Sat erat omnipotentia, prouidentia satis erat; sed aspectu ad humanam eruditionem, quâ strenua prudentium hominû executio vires de secreto mutuat, moralissimè dixit Ennodius, quod mundi opificium

Ge. 1.

Mundi opificium diuini secreti consilio solidatur.

Enn. Dict. 5.

quod Deus omnipotentiâ condit, prouidentiâ gubernat, *quanto bonorum ſuorum ſecreto orditus eſt, tanta potentiæ virtute ſolidauit.* Cœlum, terra, elementa omnia, ante lucem, creationis mundi auſpicium, quo tenebris obruebantur: Angelorum, hominumve nullus hactenùs exiſtat; nullum dicatur aduocari conſilium: quod ab æterno conſilioſiſſimè præfinitum eſt, velut derepentè oriri videatur; vt apud homines de *ſecreti* elogio, potétiæ virtutem *ſolidare,* quò Dei omnipotentia, de *ſecreti* virtute (more humano) inſigniter commendetur ad operationis efficaciam, & operis ſoliditatem. *Quanto bonorum tuorum ſecreto orditus es, tanta potentiæ virtute ſolidaſti.*

3. Iudith 2. v. 2.

Iudith 2. Nabuchodonoſor debellato Arphaxado, Mediæ regno auctus, Senatū conuocat de re aduerſus rebelles ſibi prouincias gerendâ. *Vocauitque omnes maiores natu, omneſque duces, & bellatores ſuos, & habuit cum eis myſterium conſilij ſui.* Myſterij nomine ibi *ſecretum* regiis Senatoribus ſanctum, omni notius eſt, quàm vt probatione indigeat, vt inibi expoſuimus. Magni belli magnus renuntiatur dux Holophernes, vel ſolo nomine truculentus, idoneúmque Diaboli hieroglyphicum. Qui cōſilij *myſterio* potius quàm valido exercitu obarmatus, improuiſo ſui aduentu aduerſarios terret, frāgit, captiuat, trucidat. Cuius properata bella ſi numeres, tot vſque ad Bethuliam inuenies, quot triumphos: congreſſui Holoferniano nullus hoſtiū niſi qui laudibus addebatur, occurrit: militauit trophæis, qui reſtitit voluntati. Quiſquis eum in acie cōſpexit, ſuperatus eſt; & conſilij inops, ſecreto conſilij habiti, quaſi *myſteriis conſilij* vltrò ceſſit, acſi Holophernis celerrimè frequens victoria, non tam res pugnæ, quàm victoriæ ſacramentum foret; cùm de *conſilij myſterio*, ſeu arcano ſecreto venerit, quòd non priùs eius hoſtilitatem, quàm victoriam hoſtes agnouiſſent. Quod autē in hac expeditione, Diaboli typum Holophernes gerat, tradit Lauretus Cervarienſis. De Diabolis autem ſic altè ad rem ſcribit Tertullianus: *Suppetit illis ad vtramque ſubſtantiam hominis adeūdam ſubtilitas ſua. Multum ſpiritualibus viribus licet, vt inuiſibiles & inſenſibiles in effectu potius quàm in actu ſuo appareant.* Vide quare dixerit magnus hic Doctor, quòd *multùm ſpiritualibus* Dæmonum *viribus licet*, nimirùm quia ex *myſterio conſilij ſui*, inuiſibiles & inſenſibiles ipſi, *in effectu potiùs quàm in actu ſuo apparent.* Quid tam ſecreti obiectum ſacramento, quàm quod potiùs in effectu, quàm in actu ſuo apparet. O Dei operum è peruerſo æmulos! Deus *ſecretò* opificium mundi primâ die auſpicatus eſt, vt inde creationis opera apud homines *ſolidare* videretur. Diabolorum autem æmula peruerſitas, ad ea deprauanda, ſic velox & ſubtilis eſt de *myſterio* ſeu *ſecreto conſilij ſui*, vt *in effectu potius quàm in actu ſuo appareat.* O ne ſit ſegnior prudentia ad bonum, aſtutia ad malignitatem! Benè conſulta ad agendum, garrulitas faſcinat, & impedimēta ne fiant, loquacitate ſubornat. Mentis ſecretum profundè dicitur, *conſilij myſterium,* & efficacioris prudentiæ ſacramentum. Ille efficax operator eſt, qui *in effectu potiùs quàm in actu ſuo appareat.* De Aſmodæi gymnaſio Nabuchodonoſoris Dæmonis viuida peruerſitas eruditur, quam præfatis verbis Tertullianus deſcripſiſſe videtur.

De conſilij ſecreto venit, vt Dæmon priùs in affectu, quàm in actu ſuo appareat.

Lauretus Ceru. verbo Holofernes.

Tertull. Apolog. cap. 22.

Hic verſ. 8.

4. Marci 5. Mulier, quæ erat in profluuio ſanguinis annis duodecim, & fuerat multa perpeſſa à compluribus Medicis: & erogauerat omnia ſua, nec quicquam profecerat, ſed magis deteriùs habebat: *cum audiſſet de Ieſu, venit in turba retrò, & tetigit veſtimentum eius: dicebat enim: Quia ſi vel veſtimentum eius tetigero, ſalua ero. Et confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis eius: & ſenſit corpore quia ſanata eſſet a plaga.* Vt acri ventorum turbine, ſic cogitationum, & affectuum procellis mulier turbabatur: confligebat cum fide cauſſa, cum timore ſpes, ſupplicatio cum pudore, timoris frigus interſtinguebat credulitatis ardorem, vis amoris obſcurabat lucem fidei, ſpei confidentiam neceſſitas verecunda frangebat. Sic mulier magni maris inſtar confuſis æſtibus iactabatur: quærebat quomodo faceret occultum de publico, de turbâ ſecretū. O magnum in hac ſanitate ſecreti ſacramentum, quo pia hæc mulier priùs in effectu quàm in actu ſuo apparuit! ſanitatem enim irrogatam in fidei ſilentio fiducia fecit, lenocinante ſilentio; ſiquidem in media hominum turbâ ſecretum inuenit, quo velociùs præſtaret, firmiuſque ſolidaret ſanitatis effectum: quem forſan ambiuit ipſum latere ſalutis faciendæ præbitorem. Quod argutè adnotauit Chryſologus, ad præfata Euangeliſtæ verba ſic fatus: *Confugit mulier ad fidem ſubitam, cui longa defecerat cura: quæ confundebatur medicinam petere, furari voluit ſanitatem: neſciri ſe ab eo voluit, à quo ſe credidit poſſe ſaluari.* Notanda ſunt hæc poſtrema verba, in quibus ſtat tota ſententiæ energia. Quid eſt quod à neſciente Chriſto præſumit nanciſci ſanitatem? Parùm foret occultū feciſſe de publico, de turbâ ſecretum, retrò acceſſiſſe; niſi etiam *neſciri ſe ab eo voluerit, à quo ſe credidit poſſe ſaluari.* Putat vel in Dominicæ veſtis infimitate tantam eſſe virtutem, vt ex illius attactu valeat ſalutem mutuare; & velut furtiuâ fide irremediabili morbo facere ſanitatem, & neſciri ab eo voluit, à quo fœnerari ſalutem exambit. O piam ſecreti ambitionem, vt priùs in effectu, quàm actu ſuo optata ſalus appareat! Inde meruit palam audire: *Fides tua te ſaluam fecit.* O clanculariæ fidei facinora de ſperantis ſecreto magnanima!

Marci 5. v. 27. &c.

Hemorrhoiſſa neſciri ſe ab eo voluit, à quo ſe credidit poſſe ſanari.

Chryſol. 34.

---

§. CCCLXXXVI.

Moroſam adeſſe prudentiam, non ſemper conuenit: etiam euenire oportet aliqua.

Fortuna nulli plus quàm conſilium valet: ſed moroſior prudentia, & nimis attenta obuiis periculis, & illis euitandis ſollicitior, nil magnum aggreditur; nec ſæpè aduertit, quod nunquam periculum ſine periculo vincitur. Eſto, verum illud ſit: Malè geritur, quicquid geritur fortunæ fide: at cùm prudentia, aduocato etiam prudentiſſimorum conſilio, quicquid rem circunſtat, nec aſſequi valeat cogitando, nec deliberando antevertere, multa caſui relinquit inopinata, & pro rei occaſione ardua quæque ſtrenuè aggreditur, & per obuiantia ſibi pericula it magnanimo pectore, vſque ad felicitatis metam, quæ ſi præuiis occurrerent conſiliis, itum forſan inhiberent. Bellè pictum: Aude aliquid, ſi vis eſſe aliquid. quod veteri apud Stobæum prouerbio perhibetur: *Mitte conſiliis ſtultitiam breuem.* Moroſa ſæpe ignauia eſt, quam appellas prudentiam.

I.

Mitte conſiliis ſtultitiam breuem, *dixit quiſpiam ex antiquis ſapientibus*

tiam de opinatissimæ virtutis confinio. Non multùm prudens est, qui nimis cautè prudens est. Quid actuosam prudentiam, & otiosam, & inertem fingis? Nil arduum, sine aliquâ virtutis audaciâ patrari potest. Pusillanimitas, prudentiæ obtentu suam inertiam colorare satagit: magnanimitas per ardua audet, quasi per errorem, nec à virtutis scopo aberrat: neque enim virtus deses est aut ignaua, nec facinoribus renunciauit, nec obuios fortunæ casus timet; sed per eos adhuc pergit intrepida, probè sciens, quòd humana prudentia quamuis consultissima, eos præuidendo ante uertere non ualet, nec semel de inopinatis uentibus stat felicias, vltra cautæ tunc prudentiæ vota fauorabilis.

2. Tobias iunior in Babyloniâ exul, patriæ etiam domus extorris, ■que exul, peregrinatur in Mediâ. Diuertit ad ignotum Raguelem, sed contribulem, & sanguine iunctum; perhumaniter excipitur, cœna apparatur longo itinere fessis; sed paulò anteà quàm irent cœnatum, pulchram æquè ac infortunatam Saram, vnicam Raguelis filiam, obnixè ad coniugium Tobias expetit. *Quo audito Raguel expauit, sciens quid euenerit illis septem viris, qui ingressi sunt ad eam: & timere cœpit ne fortè & huic similiter contingeret.* Et meritò Raguel expauescit, & expallescit octies experiri, quod iam infaustè septies expertus erat, ingenti septem continuò maritorum strage immeritæ Saræ probro, & probrosâ dómus suæ contumeliâ. Quid enim tam contumeliosum, quàm iactatus vulgò rumor, vel à Sarâ, vel à Dæmone recens maritos toties truculentâ cæde peremptos? Prudenter Raguel nutat, & cunctatur dare respōsum, ne propinquo Tobiæ, vnico parentum pignori, & in tot aduersis leuamini; periculum faciat, magno etiam sui probro. An non suggerebat prudentia, vt sibi & mariuis exinceps consulens à filiæ tandem nuptiis abstineret, quas adeò infaustas septies nihilominus expertus erat? Et tamen Raguel adhuc strenuè audet, si fortè octies non succedat, quod septies infortunatè euenit. *Et nunc*, ait, *noli dubium gerere quòd tibi eam tradam. Et apprehendens dexteram filiæ suæ, dextere Tobiæ tradidit.* Forsan si Raguel rem diu multumque cunctaretur, secum tacitus rationum momenta libraret, & consultissimos familiarium super octauis filiæ nuptiis consuleret; cùm septem hactenùs infortunatè accidissent, animum à connubio auertisset, cautoris prudentiæ morosus scrupulosè obseruator. At tametsi initio aliquantulum nutauit consilij inops, tandem generosâ magnanimitate audet octies periculum experiri, si fortè casus felicior succedat. Audi paradoxon, quod è priscis Philosophis tradit Alexandrinus Clemens, sic altè fatus: *Adesse semper non conuenit prudentiam: etiam euenire oportet aliqua.* Nemo nisi malè doctus, à rebus agendis prudentiam arceat, quæ humanarum actionum auriga est, & strenua operationum rectrix; quam qui negligit, non it, sed errat per temeritatis auia. Ast morosam prudentiam, & quæ nimis scrupulosè librat pericula, eademque multiplicat, & exaggerat; & quæ nihil quod consilij prouidentia non anticipet; casui (id est, diuinæ prouidentiæ) relinquat; non semper adesse conuenit. *Adesse semper non conuenit prudentiam (humanam inquam, & nimis cautam): etiam euenire oportet aliqua,* quæ attentior & oculatior hominum prouidentia præuidere non valuit; quæ magnanimitas ardua quæque exantlare adsueta, feliciter domet; quæ pia virtutis audacia experiatur. Quisquis multa desidiæ aut timoris oculis præuidet, nil magnum patrat. Neque puer Dauid Philistæum proprio ense iugulasset, neque infirma fœminæ dextera Holofernem suo acinace obtruncasset, si humana semper prudentia, virtutis facinora metiretur. Strenuè audet Raguel, quod septies infaustum lugebat, octies experiri; & piè audax innubilem filiam Tobiæ Patriarchæ feliciter maritauit. Magna magno constent, necesse est. Facinorum gloriam periculum mercatur. O, aude aliquid, si vis esse aliquid! Non prudentia, sed ignauia inter cessat, & pigrè otiatur. Rem magnam, nec morosè consultam, confestim exequi, vterque hìc Tobias confestim aggreditur.

Morosior prudentia non semper aduocanda est ad consilium.

Tobiæ 7. v. 14. & 15.

Clem. Alex. 6. Strom. cap. 1.

Hic versi. 5.

3. Longa maria traiicientibus ad cursum regendum pro tesserâ sunt astrorum vndequaque splendentium motiones, & gubernator incumbens gubernaculo tollit in cælum oculos astrorum motibus aurigans nauem, cursumque per mare cælesti lumine contorquens fertur in portum. *Qui verò vitæ pelagus rectè student percurrere, non astra spectant, sed chorum iustorum inspectum eunt, ac eorum viuendi rationibus vestigiisque incumbentes, quasi composito gradu suam ipsorum vitam dirigunt. Quis namque iustorum nauigationem tranquillè nauigauit?* Hucusque Basilius de Iosepho, qui eiusdem arduum per viam pietatis iter, & expressos pro virtute sudores describit, vt iis inscribantur, qui in Iosephum oculos defixerint. De quo Dauid cantu personans mirabatur: *Vt erudiret Principes Ægyptiorum sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret.* Abstrusam prudentiæ doctrinam, non tam auribus, quàm oculis Iosephus docet ex mente Seleuciēsis Basilij. Iosephi vita, gymnasium prudentiæ fuit, ne quis inopinatos curriculi sui euentus, offendicula, & promotus ipsos, humanâ prouidentiâ metiatur. Nam futurus Ægypti Princeps, quod in cælo viderat de astrorū sibi cernuatione; in terris velut ex opposito dirigitur. Dirâ Iosephi cædem fratrum molitur inuidia; in seruum Madiantiis venditur Patris deliciolum, & gentis decus: iterùm Ægyptij Putipharis seruus, stupri insimulatus, sed verè pudicitiæ reus, in tetrum diu ergastulum infortunatè impingitur; indéque prosperior adridet fortuna, vnde extremū credi poterat subiisse infortunium, dum de tenebricosi carceris squalore, summæ dignitatis splendor affulsit. Quò forsan adludit his verbis Tertullianus: *Nonnunquam & in procella*, inquit, *confusis vestigiis cæli & freti aliquis portus offenditur prospero errore; nonnunquam & in tenebris aditus quidam & exitus deprehenditur cæca felicitate.* Generosè & validè; Tertullianeo nimirùm calamo. Vide mihi in Iosepho velut in typo, arcanæ prudentiæ disciplinam, quam in vitâ suâ descriptam Ægyptij legebant: *Vt erudiret principes Ægyptiorum sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret.* Ecce tibi absconsæ prudentiæ arcanum; infelices sæpè successus è peruerso felicitati auxiliantur, & prosperæ fortunæ dissimulanter militant. *Nonnunquam & in* ergastuli *tenebris aditus quidam & exitus deprehenditur cæca felicitate.* ad quod vel præsumendum cæca quoque erat humana prudentia, humanis oculis verosimilia præuidens, & humanitùs taxans. Quis crederet tetrum carcerem, in quo catenis impactus squalebat Iosephus, fuisse Præfecturæ vestibulum,

Basil. Orat. 8.

Psalm. 104 v. 22.

Nonnunquā prosper error, & cæca felicitas, pro naufragio portum offerunt.

Tertull. de Anima cap. 2.

vestibulum, & idoneam ad tantum dignitatis fastigium scalam? Non enim nauigantes tot periculorum adsultus circunstant, æstuante sæuis vorticibus pelago, quot vitæ casus & incommoda Iosepho acciderunt, ne ad tātæ felicitatis portum appelleret. Sed *nonnunquam & in procella confusis vestigiis cæli & freti aliquis portus offenditur prospero errore.* Aude aliquid, si vis esse aliquid. Quod errorem humana prudentia putat, planum iter diuiniori prouidentiæ præstat. Misce facinorum consiliis velut stultitiam breuem. Morosam adesse semper non conuenit prudentiam: etiam euenire oportet aliqua, quæ diuinior prouidentia rectiùs dirigit. Non pauca Dei nutu nobis feliciter accidunt prospero errore, & cæcâ felicitate. Hinc heroum magnanimitas, serò aut nunquam spem omnem excussit, probè sciens, quod Deus sæpè per aduersa & obstantia ducit ad felicem exitum; & vbi hiabat naufragium, portus ostenditur.

4. Exodi 4. adhuc Hebrææ gentis principatum humili quadam velut peruicaciâ, Moyses recusat. Et ait Moyses: Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri, & nudiustertius: & ex quo locutus es ad seruum tuum, *impeditioris, & tardioris linguæ sum.* Nota caussam quare constanter Moyses repudiet principatum, *Quoniam grauis ore, & grauis linguæ ego*, quæ est Caietani exscriptio. *No es para Superior el que tiene pesado modo de decir.* Superioris hilaris vultus, placida lingua, & mellcus sermo, ardua quæque è subditis extorquet: qui autem est *grauis ore, & lingua grauis*, inciuilitate verborum inobedientiam negotiatur. Sat est onerosum præceptionibus subdi, quin præcipientis morositate onus exaggeretur. Paraphrasis Chaldaica tantisper dissidet, sic exscribens: *Quoniam grauis loquela, & lingua profunda ego sum.* Nempe se præfecturæ inidoneum Moyses tunc censet, quia nimis *profundè* loquitur. quasi, etsi non temerè, casu tamen ex inopinatâ occasione non multa dicenda forent; sed omnia altè priùs meditata, & ex profundo mentis consilio prodeant. prodeant quidem, sed indè prodiisse non semper appareat. Græcus in Catena aliter hunc locum exponit: *Impeditioris & tardioris linguæ sum. hoc est, non facilis ad loquendum: quia Moyses non velox, sed tardus erat ad loquendum; atque ita se assuefecerat, vt tutius cautiusque loqueretur.* Benè est, Præpositus nunquam consilium cum verbis præcipitet; sed mente priùs rem & verba consultiùs trutinet, quò tutiùs cautiusque loquatur: vt nimis morosam, & sententiam ore cunctantem, (vt grauitate adoretur, quasi è tripode dictatam) quis grauatè non ferat? Prudentia præceps non est, sed nec molestè grauis, aut grauatè morosa. Plura sunt, quæ nil præter superficiem offerunt, neque quantumuis cunctando profunditatem exhauries. Quin & aliqua casui relinquenda sunt: neque enim ab homine præuideri omnia possunt. *Adesse semper non conuenit prudentiam*, (nempe humanam, & scrupulosè cautam) *etiam euenire oportet aliqua.*

Exod. 4. v. 10. *Grauis ore, & profundo sermone, non bene præest.* Caietan. ibi. Paraph. Chald. Græcus in Catena ibi.

5. Lucæ 6. Christus Deus post multam noctu orationem, cùm dies factus esset, vocauit Discipulos suos: & elegit duodecim ex ipsis (quos & Apostolos nominauit) Simonem, quem cognominauit Petrum, &c. & *Iudam Iscariotem, qui fuit proditor.* Multa disputant Interpretes de hâc Iudæ ad Apostolatū electione, quæ (opinor) non benè cessit. Augustinus has super re ita ad rem philosophatur: *Eligitur autem Iudas proditor non per imprudentiam, sed per prudentiam: susceperat quidem Christus hominis fragilitatem, & ideò neque has partes recusauit infirmitatis humanæ. voluit ab Apostolo suo tradi, vt tu à socio proditus moderatè feras, tuum errasse iudicium, periisse beneficium.* Consultissima quidem fuit electio Christi Dei, (vt pat erat) sed malè cedere permisit, vt ex sinistro euentu hominis fragilitatem in se comprobaret, & nos ethicè cumulatiùs erudiret: Consultiori hominum prudentiæ, *etiam euenire oportet aliqua.*

Lucæ 6. v. 17. August. de Con. Euang.

§. CCCLXXXVII.

Virtus, aut, vitium, etsi in ipsis rebus sint, tamen cum auctore mutari solitant.

Inter reliqua mala illud & superbissimum, & pessimum est, quòd errores pro nutu mutamus. Sic neque hoc quidem nobis contingit, permanere in errore familiari. Hoc quoque quòd iudicia nostra non tantùm praua, sed & leuia sunt. Fluctuamus, aliudque ex alio comprehendimus, petita relinquimus, relicta repetimus, alternæ inter cupiditatem nostram, & pœnitentiam vices sunt. *Pendemus enim toti ex alienis iudiciis, & id optimum nobis videtur, quod petitores, laudatoresque multos habet, non id quod petendum laudandumque est.* Exinde vulgi discipulus est, qui de re censet, non quod res est, sed quod censet populus, & popularis æstimatio vulgariter taxat. Rem ipsam medulliùs explora, & excusso vulgi iudicio, illam æstima. Humillima æquè ac superbissima res est, quod vulgi iudicio obsequens, alieni censûs auctorem te esse præsumas. Quid refert, quod alij sic, aut sic referant? quod de illo homine nil magnum populus expectet, aut inuidiæ maliloquio inuitatus, aut leuibus rumusculis præoccupatus. Ne totus ex alienis iudiciis pendeas. optimum cense, quod à quouis patratum sit, & qualibet inde æstimatione pensetur, optimum re ipsâ est, & magno censu dignum. Nunquam benè censere desinet sapiens, si semel cœpit: quia non ex aliorum iudicio, aut personæ sensu vulgariter incerto; sed ex rei merito rem ipsam semel æstimare cœpit. Heu si in Potentis clientelam peruenerit, aut vera rerum æstimatio, aut amicitia perdenda tibi est. 1.

Ne ex alienis iudiciis pendeamus, sed ex rei merito rem æstimemus. Seneca de Vita Beata cap. 18.

Isaias c. 5. rei Iudaicæ ruinam, Procerum strages, & ineluctabile populi excidium, propiùs denunciat, ac irati numinis rigorem, minarum scintillæ declarant. Peruestigare autem lubet, & penitiùs nosse, quænam tunc atrociora crimina Hebræa gens impudentiùs perpetrarit, quæ hoc grande supplicium extorsit: *Væ*, ait, *qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Verùm tam imbecilla sunt hominum iudicia, ac penè nulla, vt præfata culpa, non tam durum meruisse supplicium, censeri posset. Quorumdam enim palato mellita sunt fella, tanta sunt sensuum adulteria! Noctuæ in meridie caligant, & tenebris inoculantur ad visum. An non omnes filij Euæ, de vetitæ arboris collyrio peruersè oculati, ad res obuias egregiè cæcutimus? Quid ergo mirum, si Hebræa 2.

Isaiæ 5. v. 20. *Virtus aut vitium cùm in ipsis rebus sit, non debet cum auctore mutari.*

Hebræa tunc gens, malum appellet bonum; & bonum vicissim malum reputet? Non omnium est, debita pretia rebus dare, & rerum elogia ad amussim perpendere. Quare igitur *væ* acerbissimum, ob hanc ignorantiæ, & cæcitatis culpam Hebræis fulminatur? S. Hieronymus Scripturarum penetralia diligentius perscrutans, diu ruspando in Hebræi reatus sterquilino, sensus litteralis granum repetit, & in quadam Epistola vice commentarij proposuit: ***Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum***, &c. (Hieronymum legis) *Quasi virtus, & vitium non in rebus sit, sed cum auctore mutetur.* Aurea sanè Hieronymi sententia? Nimirum quid tam malitiosè fatuum, & tam insolenter inuidiosum, quàm à rebus ipsis sua cuiusque elogia suffurari, & illa à suo auctore metiri? Dicam explicatiùs, quòd (ô malum!) persæpè & videmus, & dolemus. Titius benè de te meruit, & familiari consuetudine coniunctus est, magnamque inde illi felicitatem exoptas & apprecaris; etsi indecorè, turpiter, aut imperitè se gessit: laudatorem tamen & commendatorem te adhuc exhibes, & tuum censum aliis persuadere obnoxiùs satagis. Et tamen si non amicus Titius, sed Seius exosus, & inuisus, idem patrasset, tanquam execrabile crimen inclamares, & ostentui proponeres: ***Quasi virtus, & vitium non in rebus sit, sed cum auctore mutetur. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum***, &c. Itaque beneuoli Titij vitium, virtus apud te est; opus indifferens, laudatior probitas, aliqualis virtus, iustitiæ meta, & sanctitatum hyperbole. Contraria omnia de Seio inuiso cense. Adeò vt eiusmodi homines pro odij aut amoris libidine, non de rei merito patratorem æstiment, sed pro libera patratoris æstimatione, rerum elogia censeant, nec quid sit, sed cuius sit videãt. O insanos rerum arbitros? Ebrietas mala est, etsi in Catone reperta. Meretricis flebilis pœnitentia, honesta est; nec de scorti vilis squalore pendenda. Ille ipse, quem tu ineruditum censebas, diu obnoctando lucubrationem aliquã ad eruditorum saporem non inerudité excoxit. Vide quid legeris, & inde quem legeris, ritè censebis. In consultissimis Azariæ verbis, non quem putat conductitium mercenarium, sed quem ignorat Angelum, Raguelus hic suspicit, & in graui negotio sequestrum habet: verborum prudentiam expendit, & mercenarij, quem gestat habitum, negligit. Et hic vterque Tobias vltra mercenarij fastigium, spectato industriæ merito, illum magnificè munerant.

Hieronym. epist. 107.

Hic vers. 5.

3. Regius Psaltes, qui de vtilitate humanæ conditionis, quæ limum suum adhuc subolet; & de squalore peccati: quod nostra malitia indies fœdè propagat; non tam Dei conciliare benignitatem, quàm iustitiam excitare videtur, penè diffisus nouum diuinæ misericordiæ titulum allegat; & inde homines iubet exultanter ante Domini faciem introire. Iubilate, inquit, Deo omnis terra: seruite Domino in lætitia. *Introite in conspectu eius in exultatione. Scitote quoniam Dominus ipse est Deus; ipse fecit nos.* Et sanè qui potest ingredi in Dei conspectu in exultatione, debet esse à reatu liber, & de innocentia persecurus. Quid ergo est quod nunc homines tot scelerum reos adhortatur? quod suadere nititur hic Propheta? *Introite in conspectu eius in exultatione.* Porrò, vt ad præfata verba eloquenter adducbitat Chrysologus: *Quis in conspectu Dei liberi diuinis in oculis quis mentitur? Quis exultans ante terrorem maiestatis supernæ? Archangeli tremunt, pauent Angeli, Potestates metuunt, in faciem cæli prorunt Seniores, elementa fugiunt, soluuntur saxa, montes destuunt, terra tremit; & homo terræ quam intrepidus intrabit? & adhuc insistit exultans: vnde est quòd Propheta hoc nos debere facere sic præsumit; vnde est?* Audi attentiùs quam subdit rationem: *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos.* Quasi dicat: Etsi homo nullius de se boni sit capax, vtpotè virtutis inops & malitiæ diues, & inde Domini, & Dei oculos potiùs timere debuisset; at quod ad rem pietatis attinet, de Deo antropopatos seu more humano loqui iuuat, vt de magno auctore dignitatem opus mutuetur. Si enim hominem alius duntaxat homo finxisset, in vtilitate sua adhuc forsan permaneret: exultare autem homines possunt: nam etsi luteum opus sint, Dominum tamen Deum recognoscunt auctorem, ergo quasi virtus, aut vitium non forent in rebus, sed cum auctore quodammodò mutentur, quod rē pietatis ait Propheta: *Introite in conspectu eius in exultatione. Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos.* Pergit Chrysologus: *Inanis est patris, matrisque labor, nisi in germine affuerit opus, & auctoritas conditoris; Manus tuæ, inquit, fecerunt me, & plasmauerunt me. Et alibi: Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam, Ergo quod nascimur, quod sumus, non debemus ipsi nobis; quia totum debemus auctori.* Nimirùm Dauid cognatæ hominibus imbecillitatis, & frequentatæ malitiæ benè conscius, ne de impetranda venia animum propè despondeat, Deum obnixè supplicat, vt humanum figmentum humano more respiciat, & inde non tam ex sua vilitate, quàm ex auctoris præstantia taxet: & quod de arrogantiæ ingenio in terris fieri solitat, de diuinæ misericordiæ genio malitiæ experte, in cælis fiat. Quasi dicat: Deus multò magis bonus est, quàm homo malus: ergo si humana malitia eò arrogantiæ effertur, vt virtus aut vitium, quasi non sint in rebus, cum auctore mutentur, & opus, quod Seius fecit, & indè malè audit, si à Titio peramico fieret, optimum censeretur. Transcendat ergo diuina bonitas in bonum, humanam malitiam in malum, & hominis inane figmentum non de cognatis elogiis, sed de sui auctoris præstantiâ æstimet ad benignitatis illicium. De diuinâ manu velut de matrice Homo prodit, & generoso Dei spiraculo animatus est: ergò quantum Opus suâ malitiâ fœdatum, displicet: de summâ auctoris præstantia placeat, ad illud gratiæ moribus refingēdum, nobili diuinæ bonitatis genia, qui velut dediscat humanam malitiam, vt bonitatem Operi suo benignus inspiret. *Introite* ergo *in conspectu eius in exultatione. Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos. Inanis est patris matrisque labor, nisi in germine affuerit auctoritas conditoris. quod nascimur, quod sumus, totum debemus auctori.* Quasi de humani census arrogantiâ, bonitati diuinæ inuidiam quodammodò facere contendat, ne humana malitia in malum, diuinæ bonitati in bonum præcellere videatur.

Psalm. 99. v. 2. & 3.

Quàm debeat homo trepidare Dei apparere iudicio.

Chrysol. ser.

Spes humanas erigat, quod Deus est hominum auctor.

§. CCCLXXXVIII.

§. CCCLXXXVIII.

Bono virtutis operi congruum assignetur præmium, quod honoraria æstimatione taxet operis bonitatem.

1. *Præmium, operi bono promissum, est boni operis census, in communi sapientum æstimatione.*

SI Princeps sua virtuti præmia statuerit, suas vitiis pœnas; ad virtutem decurrent omnes: ô quàm est rarus ac penè nullus, qui virtutē amplectetur ipsam, præmia si tollas. Vera hæc sunt, ais, & de experientiâ nimis nota: sed nollem in his qui excelsiorem profitentur virtutem, vel honestam hanc præmij auaritiam. Virtus ipsa, etsi alia desint, sit virtutis præmium; & bene operandi, bene operatum fuisse, opulenta merces. Mascula virtus, adhuc mercedis stimulis non excitata, suâ probitate contenta; aut bonum virtutis, aut Dei gloriam gloriosiùs spectat: & licet impræmiata, non imbecillè lassescit, sed robusto pietatis voto, abiectis etiam præmiationis spebus, adhuc flecti nescia stat, & actuosa nihilominùs operatur. Bene est, non inficior: sed adhuc condigna præmia proponi mallem: non ad quæ celsior virtus spectet, vt rectè agat; sed quæ prospiciat, vt operis probitatem, de sublimiori eius censu metiatur. Opulenta gloriosè merces operi promissa, etsi ad operandum non moueant excelsiora spectantem, taxant saltem de communi Præsidentium iudicio, patrandi facinoris meritum: inde magnanima virtus ad egregium opus extimulatur: non vt capiat præmium, sed quia de sublimiori præmij æstimatione, quàm sit illud præcelsum opus, agnouit. Præmium enim vniuersatim putatur, boni operis mensura: ergo sublimi præmio taxetur sublime opus, vt eius æstimata sublimitas magnanimam generosè virtutem ad operandum concitet. Sit igitur præmium, etsi nō operandi merces, saltem operis census.

2. 1. Regum 17. Philisthinorum validæ phalanges, copioso delectu & audaciâ armatæ, Israëliticos fines pugnacissimè inuadunt. Occurrit obuiā Saül copiis ingentibus stipatus, quò hostem vt ve queat, à confinibus arceat. Regem secuti fuerant tres Dauidis fratres: & Isai paternâ sollicitudine excitus, Dauidem è pascuis euocat, & cum esculentis munusculis ad inuisēdos fratres dimittit. Alacer pergit ad castra, & iam præsens aderat Goliath, princeps Philisthinorum strategus, ingens robore, grauis aspectu, immanè spirans, neque incessu dispari, altum vociferans, & vociferationem aspectu comprobans. Qui cum instar montis extaret, hostem ante conflictum cogebat pugnam detrectare, scuto, lorica, galea resplendens, qua vtebatur; hasta erat pro modo corporis; tantóque hastæ communis modū superabat, quantò supra humanæ naturæ terminos ille se efferebat. Suorum exercitu in orbē & stationem composito, Israëlitarum optimos superbiloquētia ad singulare certamē euocabat, victorum seruitute in præmium victori promissa. Terribilis aspectu; at voce terribilior terrorē terrore geminabat, latéque spargebat. Cùm autem nullus è toto Israëlis exercitu probaretur satis, essetque in periculo Saül, & regni excidium, aut dura seruitus immineret; opulenta munera Rex promittit ei, qui Philisthæū trucidaret. Audiuit ergo Dauid quòd virum, qui percusserit Philisthæum, ditabit rex diuitiis magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris eius faciet absque tributo in Israël. *Et ait David ad viros, qui stabant secum, dicens: Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc, & tulerit opprobrium de Israel? quis enim est hic Philisthæus incircumcisus: qui exprobrauit acies Dei viuentis?* Referebat autem ei populus eundem sermonem, dicens: Hæc dabuntur viro, qui percusserit eum: Nec contentus David semel & iterū id resciuisse, tertiò idipsū ab obuiis quibusuis interrogat. Quare tam sedulus est Dauid, vt pernoscat, quodnam præmium sit victori promissum? Sic Dauidem sollicitat aut diuitiarum auaritia, aut ventosissima gloriæ ambitio? Itane Dauid, Dauid inquam, generosos demittit animos, vt terrena præmia sordidè sic exambiat? ô præclusam ethicè eruditionem! Audiendus est Lyra, præfata Scripturæ verba sic feliciter commentans, ita enim fatur ad ea verba: *Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc? Licet enim*, inquit, *iam audisset David, ita tamen volebat à pluribus requirere ad maiorem certitudinem. Nec quærebat ita David cupiditate lucri, vel honoris principaliter: volebat enim pugnare cum eo propter gloriam Dei, & propter liberationem populi.* Peritissimè, & tempestiuissimè quidem Lyranus. Nempe Dauid, illustre & perarduum patraturus facinus, *propter gloriam Dei, & propter liberationem populi*; diligenter sciscitatur priùs de promisso præmio: non vt illud ambitiosè spectet, inani gloriæ auaritia; sed vt de notione statuti præmij, cognoscat quanto in pretio sit facinus, cui tam sublime præmium constitutum est. Ecce tibi decretum facinori præmium, non quod ad sui ambitiosam auaritiam moueat, sed quod palam loquatur, quam sublime sit facinus, cui merces vsque adeò sublimis prudenter decernitur. Statuatur ergo præmium, non quod ambitiosè moueat ad sui perceptionē, sed quod taxet facinus & inde alliciat ad patrandi facinoris æstimationem. Præmium enim est remuneratoria operis mensura, & rectè factorum census. Exinde Dauid propter Dei gloriam & patriæ libertatem, facinus patraturus, sollicitus de statuto præmio priùs interrogat: non præmij libidine, sed diuinæ gloriæ cupiditate.

David, propter Dei gloriam operaturus, prius interrogat de præmio.

1. Reg. 17. v. 26.

Lyranus ibi.

3. Sparsim in libro Geneseos traditur, multa ipsaque perardua Deum suo Abrahamo iussisse, sed mercedem, velut egregij operis appendicem, protinus attexit: Dixit Dominus ad Abraham: Egredere de terra tua, &c. *Faciamque te in gentem magnam & benedicam tibi*, &c. Et alibi: Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, *& merces tua magna nimis*. Et aliàs persæpè his magnificis pollicitationibus ad virtutis facinora exstimulatur, adeò *vt diuinæ amicitiæ nundinatorem* appellarit Basilius, infrà allegandus, quasi in emporio fidei iniret Abrahamus pietatis commercium, & virtutem donans virtutis præmia à Deo cumulatiùs acciperet, cælestium atque mundialium bonorum vsura. Sed quid est, quòd dum Deus suo Abrahamo magis arduum facinus mandat, nullam mercedem pro immolando velut atrociter filio promittit? Tolle, inquit, filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis: atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium quem monstrauero tibi. Et vbi est præmium, quo ad tantum facinus alliciatur? Cū filij carnifex esse iubetur, quare merces, quam alibi semper proposuit, omittit? Eccur insi-

Genes. 12. v. 2.

Genes. 15. v. 1.

Cur Abrahamus dicatur amicitiæ diuinæ nundinator.

Genes. 22. v. 2.

gnij

gni præmio meritum tanti facinoris priùs non taxat, quò ad illud perpetrandum calcar addat? Ast Abrahamus diuinæ voluntatis fidelis interpres, de sublimitate præcepti operis, sublimitatem omissi præmij sagacissimè coniectauit. Luculenter Basilius Seleucus Abrahamum sic cum Sara loquentem inducit: Ego post iugulationem lamentantem Saram alloquar, ego colam plorantem his verbis: Desine lamentari, nec defle puerum ipsa iugulatione cohonestatum. Donum erat vltroneum infans non sine dolore partus. Filium non tollit parens, plus prodest, neque temerè ferrum it per mediam sobolem. Quem Deus dedit, repetit: quem formauit, requisiuit: quem rogatus dederat, rogans recipit: nec quicquam impediet, quò minùs reddat, cùm ita visum erit. Nam qui eum, cùm non existeret, dedit vel morte prostratum vltrò dabit (& addit tempestiuè ad rem) *Ausa sacrum facere dextera, beneficium spondet.* Scilicet, etsi ardui facinoris præmium, Deus hîc præter morem, omiserit, illud tamen in ipso opere descriptum lege; & facinoris magnitudo linguata taciturnitate præcelsum *beneficium spondet* in præmium. Ne vltrà dicat *amicitiæ diuinæ nundinator*, remunerationem Deus subticet, sed eam in silentio sculptam interpretor, & quidem adeò excelsam, quæ facinoris arduitatem adæquet. *Ausa sacrum facere dextera, beneficium spondet.* Adeò munificum spe concipio parricidij præmiū quod opus perdifficile spondet, vt mercedis vocabulum transcendens, in nomen *beneficij* transeat. *Ausa sacrum facere dextera, beneficium spondet.* O quale! *Permetipsum iurauit, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est in littore maris possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* O illustre præmium, quæ sit facinoris mensura, & facti census! quod præmaturè in opere Abrahamus legit, ne illi hoc virtutis incitamentum deesset. Hanc vberem virtutis mercedem, timor Domini præproperè Tobiæ spondet. *Noli*, inquit, *timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus benè.* Et vterque Tobias hîc opulentam mercedem Azariæ offerunt, quæ operis exhibiti meritum magnificè taxet.

Seleucus Orat. 7.

4. *Ipsa filij iugulatio, magnificum Abrahamo præmium spondet.*

Genes. 22. v. 16. & 17. & 18.

Tobiæ 4. v. 23.

Hic vers. 5.

§. CCCLXXXIX.

Inuisibiliter benefacere, Dei elogium est, & liberalitatis meta.

1. PRopositum sit nobis in beneficentiæ exhibitione, rectam rationē sequi, & Dei exemplum imitari. Deus autem quodcumque facit, in eo ipsam faciendi rationem sequitur, nisi fortè existimes, illum fructum operum suorum ex fumo olim extortum, & thuris nunc odore percipere. Vide quanta quotidie moliatur, quanta distribuat, quantis terras fructibus impleat, quàm opportunis, & in omnes horas furentibus ventis maria permoueat, quantis imbribus repentè deiectis, solum molliat, venasque fontium arentes redintegret, & infuso per occulta nutrimento, renouet: quanta nobis remoueat mala: quanta nobis nescientibus bona præbeat. Omnia ista sine mercede, sine vllo ad ipsum perueniente commodo clanculum facit. Hæc quoque nostra ratio, si ab exemplari suo non aberrat, seruet: non ad res honestas conducta beneficētia veniat. Pudeat vllum venale esse beneficium. Gratuitum habemus Deum; si Deum quidem imitaris da & nescientibus beneficia: quæ & de absconsione beneficentiam exaggerant, & diuinam liberalitatem humanitùs æmulantur. Humana autem beneficia rimosa sunt, & præbitorem aut palam, aut dissimulanter produnt, quò vnius Dei sit elogium, & quasi proprius diuinæ bonitatis character, impensam liberalitatem maiori liberalitate abscondere, quam in donando præstantiam hîc Angelus æmulatur.

Diuinæ liberalitatis character est.

liberalitatem abscondere.

Hic vers. 6.

2. Geneseos 42. ieiuna fame Chananitidem opprimente, Iacobæa periclitatur familia, tot diuinarum promissionum heres. Anxius Iacob, in quē charæ & numerosæ familiæ cura incumbebat, filios mittit frumentatum in barbaram & peregrinam Ægyptum, Orientis tunc horreum. Iosephus annonæ præerat in Ægypto; & incognitus fratribus, fratres ipse cognoscit. Memor iniuriæ, vel fraterna pietas exasperatur & durè tractat crudeliter impios fratres; sed tandem pietatis lenocinio beneficus eosdem optatis frugibus onustos dimittit; & redditam pro frumento pecuniam, in ore sacculorum reponi piè iubet: & auaram sui venditionem vberiori pecunia redimit, vt pietas iniuriam superet, benefaciendi libidine. At illi portantes frumenta in asinis suis, profecti sunt. Apertóque vnus sacco, vt daret iumento pabulum in diuersorio contemplatus pecuniam in ore sacculi, dixit fratribus suis: Reddita est mihi pecunia, en habetur in sacco. *Et obstupefacti, turbatique mutuò dixerunt: Quidnam est hoc, quod fecit nobis Dominus?* Ne autem quis putaret, timore, & rei insolentia turbatos, hanc beneficentiam in Deum vnicè retulisse, postmodum rem Ægyptio Procuratori denarrantes, dixerunt: *Non est in nostrâ conscientiâ quis posuerit pecuniam in marsupiis nostris.* Quibus Procurator respondit: *Deus vester, & Deus patris vestri, dedit vobis thesauros in saccis vestris.* Et quare tot nummorum sacculos sibi donatos in vnius Dei beneficentiam reiiciunt? An non priùs debuissent diligenter examinare, an aliquis fratrum pecunias ibi reposuisset? An Ægyptius Procurator per incuriam, alióve casu eiusmodi sacculos omisisset? Citò quidem, & re planè indiscussa, huius beneficentiæ, non hominem, sed Deum vnicum auctorem agnoscunt, dum mutuò dixerunt: *Quidnam est hoc, quod fecit nobis Dominus.* Hunc locum versans Lipomanus, ita illum exscribit, exponit, aut expositione exscribit: *Quid hoc, inquiunt, sibi vult Deus?* Nimirùm cùm pecuniæ in sacculis repositæ post attentum rei examen, humanus præbitor non apparet, hanc inopinatam liberalitatem consultissimè reiiciunt in Deum; verosimile non putantes, vt homo, vanæ gloriæ mancipium, tam largum beneficium præberet, & manum sic absconderet. Rimosa est humana beneficentia, & liberalitas humana, tenuis est & egregiè perlucet: vnde qui tā occultè pecunias copiosè largitur, vt nec beneficentiæ auctorem rimari possimus, homo quidem non est, Deus indubiè est. Ergo ex insolita hominibus persuasione, peritè exclamant: *Quidnam est hoc, quod fecit nobis Dominus? Quid hoc, inquiunt, sibi vult Deus!* Id est Deus dum hoc opulentum benefi-

Homines nesciunt celari beneficium quod impendunt.

Genes. 42. v. 28.

Ibidem v. 22. & 23.

Lipomanus ibidem.

cium, per nullam hominum (vt apparet) manum totum illud vindicat sibi. Gloriam huius beneficij non partitur Deus cum benefactore homine, vt sæpè solet. Proculdubiò dum neque per coniecturæ rimulas peruestigare valemus humanum largitorem, tam larga & occulta beneficentia, hominem non agnoscit auctorem. *Quien assi oculto el beneficio, no es hombre, Dios es.* Sic humana tenuitas euulgare ambit adhuc occulta, quæ præstat, beneficia; quæ dum publicat, prodit, quò subleuata aliorum miseria, gloriæ suæ ambitiosiùs militet. *Ergo homo daturus Deo, da secretò: vt quod dederis non sit oneris, sed honoris.* Chrysol. ser. 9.

4. Actorum 5. plura ipsaque prælustria Apostolorum miracula Lucas denarrat: illud præ reliquis prædicat, quòd recèns ad Christi fidem conuersi, in plateas eiicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, *Vt veniente Petro saltem vmbra illius obumbraret quempiam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Hinc passim colligunt Patres, nunc adimpletum esse, quod Christus de Discipulis in Euangelio prædixit: *Opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado.* quò absentia Christi magnitudini prodigiorum de absconsione aduletur. Nam vt inibi notat Chrysostomus, Petrus in Christi nomine miracula patrabat. Itaque non contendam hìc cum Bozio, vt sublimitatem miraculi exaggerem, an vno tantùm ex omnibus obumbrato, reliquos ægrotos Petrus sanauerit: nã aliunde prodigij sublimitatem metiri licet. Rabanus putat, quod tot *erant tunc infirmi à credentibus allati, vt omnes non possent Petrum contingere.* Grande quidem Petri miraculum, sed quòd inanem gloriam posset tanto plausu ciere. Venerabilis Beda aliter hoc miraculum ad mores versat, ita fatus: *Quia Petrus figura est Ecclesiæ, ipse rectus incedit, sed vmbra iacentes erigit.* quasi Petri rectitudo suam vmbram arcanè illustret, vt iacentes præclarè erigat. (Eleganter quidem ad aliam forte thesim illustrandam.) Verùm nota aliam expositionem, quam tempestiuè idem Beda præmittit, vt Petri miraculum excellere humanum fastum ostendat. Ergo Beda commentans ea Lucæ verba, *Vt veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quempiam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis*, ita ad rem dilucidè fatur: *Tunc Petrus vmbra corporis sui inuisibiliter alleuiabat infirmos, qui nunc inuisibili sua intercessionis vmbraculo fideles infirmos roborat.* Ecce tibi mensuram miraculi, quâ se vltra humanum fastigium attollit; & liquidò probat, non humanam, sed diuinam Christi virtutem, in cuius nomine fiebat, patrare prodigium. Nempè cùm homo sic beneficentiam abscondit, vt ad largiùs benefaciendum, lucem non ambiat, quâ beneficium claretur; sed *vmbra sui corporis inuisibiliter alleuiet infirmos*, tunc, tunc quidem, Dei beneficentia sumptuosiùs elucet, & gloriosiùs scintillat. Vberior largitas, quæ non exumulatur lucis spiculo, sed lenocinantibus benignitati tenebris, vel vmbrâ ipsâ, quæ est lucis carentia, *inuisibiliter* benefacit; sic largitoris opulentiam exaggerat ad gloriam, vt primatum in miraculis sibi vendicet, quodam beneficentiæ fastu. Homo non sic hominem desuescit, vt non exambiat, quod vel in tenebris datum beneficium, tantisper perluceat, & per rimulas se clanculùm prodat. At qui vel *vmbra* ipsâ, id est, lucis absentiâ, *inuisibiliter* beneficus est, omnem beneficentiæ modum excellit, & Deum operis auctorem altiùs buccinat, præclaro largitatis auctario. Profectò valdè decuit, vt Tobias, qui *bonitas* seu *bonus Dei* interpretatur, & qui imitanda beneficentiæ idea proponitur, *cæcus fieret*, vt sub cæcitatis vmbrâ, *inuisibiliter* benefaceret, & benignitatis meta cunctis seculis proponeretur æmulandus, cæcè aspectabili pietatis elogio. Qua magna sui parte homo quid, & cui præstat, ignoret. Appositè Chrysologus: *Quam verò in paupere sit verecunda paupertas, quam largitatis tua quærat secretum, aperiat ipse cum dicit: Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Putas, quàm vult nescire alterum, qui teipsum qui facis, vult aliquam tui partem nescire?*

Marginalia: Actorum 5. v. 15. — Ioann. 14. v. 12. — Chrysost. homil. 12. in Acta. — Bozius apud Sanct. ibi. — Rabanus inibi. — Beda ad eum locum. *Petrus vmbrâ benefacit, vt inuisibiliter benefaciat.* — Beda vbi supra. — Tobiæ 2. v. 11. — Matth. 6. v. 3.

5. Matthæi 6. his verbis humanam beneficentiam Christus erudit: *Cùm facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, vt sit eleemosyna tua in abscondito.* Vide quantâ cum cautela abscondenda sit beneficentia, ne in auari cõmercij ignobile nomen degeneret: nã qui in publico beneficium egestatis nomine recipit, indecoro accipiendi pudore, beneficij gratiam sæpè compensat. Indéque præbitor beneficij perdidit gratiam: illam enim inanis gloriolæ ambitioso lucello potiùs vendidit, quàm pauper accipiendo redemit. Huc flecti possunt pulchra Philonis verba sic aientis: *Damus igitur & accipimus. Sed accipimus propriè, abusiuè dare dicimur.* Itaque propriè accipit, quisquis miseriæ leuamentum ab alio recipit. At qui palàm dat, vt inanes vanæ gloriæ rumusculos de subleuatâ alienâ miseria captet, *abusiuè dat*, propriè vendit: quia qui beneficium palam accipit, illud pudore redimit, & verecundâ indigentiæ publicatione repensat. Imò propriæ ambitioni citiùs quàm alienæ egestati beneficium donat: ergò *accipimus propriè, abusiuè dare dicimur.* Itaque latè grassanti humanarum largitionum morbo, salutari antidoto præproperè medetur Christus: *Cùm facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, &c. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*

Marginalia: Matth. 6. v. 2. — *Abusiuè dat, quisquis in publico donat.* — Philo in lib. *Quis rerum diuin. heres.*

§. CCCXC.

Diuinæ gloriæ zelus, quem ardore suo excedit, de eodem ardore arcanè alit; igni gehennali non absimilis.

1. Cviuspiam sapientis decantatissima vox est: *Iucundius est amicum facere, quàm habere:* quo modo artifici iucundius est pingere, quàm pinxisse. Illa in opere suo occupata sollicitudo, ingens oblectamentum habet in ipsâ occupatione. Non æquè delectatur, qui ab opere perfecto remouit manum. Quod etsi in omnibus artefactis verum sit, in amore etiam verissimum est: nam eximius amor, res est sollicitudinis plena. Amans quid cupiat, scit; quid sapiat, non videt: porrò *amare & sapere vix Deo conceditur:* dixit ille quincunque, sed exaggeratiùs. Et sanè in amore semper mendax iracundia est, & zelotypiæ angor, qui veris, aut verisimilibus suspicionibus inquietat. Amor otiosæ cura est sollicitudinis, sed

Marginalia: Sen. epist. 9. — *Dulces magni amoris molestiæ.*

sed occupatissima, & semper actuosa. Amor martyres cudit, sed viuos martyres perpetuò excruciandos, immedicabili plagâ: nam *amoris vulnus idem qui sanat, facit*; dum amans ipsis amoris remediis ægrotat: ô dulcem tyrannum, qui amantis labores nutris, & nutriris, laboribus. Quod ostendam hîc de diuino amore (seculo omittens profanum cum fuge suâ) Sic enim diuinæ gloriæ eximiè amantes, de molestiis pro eâ gloriosè zelanda, & amplificandâ, viuunt, & eis nutriuntur, dum torquentur carnifice amore. — Publ. Mim.

2. Canticorum 8. Sponsa (id est, anima eximiè facta) cælestis sponsi amore saucia, sic illum amicè affatur, reciprocum amorem exposcens: Pone me vt signaculum super brachium tuum: *Quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Multi ex antiquis Patribus, & nupperrimis commentatoribus censent, huius posterioris hemistichij (*dura sicut infernus æmulatio*) eandem esse sententiam cum priori, (*fortis est vt mors dilectio*) iuxta Hebræorum consuetudinem, qui maximè in re meretriciâ, illustrè aliquam sententiam alcis verbis iterare, aut explicare solent, vt inibi notat Sanctius. *Inferni* nomine, quod sonat intelligo cum communi interpretum, gehennam inquam. Vnde paraphrasis Chaldaica sic præfata verba exponit: *Quoniam fortis est vt mors dilectio deitatis tuæ: & robustus sicut gehenna Zelus populorum.* Diu, multumque laborant interpretes, vt declarent, quo modo fortis dilectio deitatis, & robustus zelus populorum, quo pro gloriâ Dei sancti quidam exæstuant; inferno, aut gehennæ comparetur. Quid commune habet zelus diuinam gloriam amplificandi, cum infernali gehennâ pœnalissimo damnatorum supplicio deputata? Mitto plura vt citiùs exscribam, quod in eruditissimo & disertissimo P. Martino del Rio, iam diu obseruaueram. Eius elegantissima verba nec piget, nec pudet rescribere: Zelus, inquit, & æmulatio, tenacissimus, inflexibilis, & planè inexpugnabilis est. Nec orcus ipse illi queat comparari. Affectus isti meum animum omni scintilla, flamaque violentiùs depascuntur. Carbones enim & scintillæ solum corpus depascuntur & cõsumunt: & materia pereunte, simul absumptæ intereunt: amor autem & zelus meus interiorem flammam semper adaugent, & magis magisque inflammant & animum intereà cura maiore & noua, & acriore pergunt conficere: vtque *volucres* illæ finguntur *Tityi recrescens iecur*, sic istæ sibi ipsis materiam suggerentes, pergunt exedere. Huc vsque P. Martinus del Rio ad præfata verba, *Dura sicut infernus æmulatio.* Quibus verbis & obscura Scripturæ verba dilucidè clarat, & thesim nostram præclarè confirmat. Scilicet in eo fortis amor deitatis, & acris diuinæ gloriæ zelus, similis est ignibus gehennæ, quòd sicut gehennalis flamma inexpiabilem damnatorum carnem, & infectas peccatis medullas sæuis æstibus penetrat, & inextinguibili ardore tota hominis substantia medullitùs infunditur; gehennali tamen igne non consumitur, sed nutritur, & inter medios ignium globos damnata natura dat pabulum, & velut accipit incrementum quasi arcanus gehennæ ignis ardore reparet, quod ardore consumeret: aut potiùs æstuaret consumere. Itaque inferni ignis sic damnatum corpus depascitur, vt depascendo reparet; sic exedit, vt exedendo eroget, quod exederet. Sic *fortis est dilectio deitatis tuæ, & robustus sicut gehenna zelus populorum*: nam qui ardentet Dei gloriam zelat, eiusmodi acri & ardenti zelo sic vtitur medullitùs, & animitiùs sufflammatur, vt de eiusmodi ardore viuat, & mitè nutriatur, & vnde putabatur exedi & consumi posse, inde reparetur, & enalescat ad vitam; quam dum piis laboribus, & sanctis defatigationibus pro Dei gloria cumulatiùs impendit, eò vberiùs alitur, & reparatur ad vitam: *Dura sicut infernus æmulatio: Robustus sicut gehenna Zelus populorum.*

Cant. 8. v. 6.

Sanctius ad eum Canticorum locum.

Flagrans diuinæ gloriæ amor gehennali igni similis dicitur.

Martinus del Rio inibi §. 1.

3. Ioannis 4. Christus Deus benè sciens voluntatem Patris esse, vt humanam redemptionem peragerer, ex qua diuinior exurgebat gloria, cui totus militabat; lassus ex longo itinere, inedia languidus, siti exæstuans, prope Samariæ fontem fatigatus decumbit. Festinati abeunt discipuli, vt cibos è proxima vrbe coëmerent. Interim adest Samaritana mulier, vt aquam è puteo hauriret, haustum ab eo petit, Christus perennem aquam repromittens. Non intellexit mulier mysterium, sed è longo cum ea sermone diuinitatem spirante, Saluatorem tandem cognouit. Et de meretrice Euangelista facta; alacris pergit Christum Samaritis euangelizare. Interim discipuli allatos cibos Christo apponunt, dicentes. Rabbi manduca. Ille autem dixit eis: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Dicebant ergo discipuli adinuicèm: Numquid aliquis attulit ei manducare? *Quid mirum*, ait Augustinus, *si mulier illa non intelligebat aquam, ecce discipuli non intelligunt escam.* Nec opinor foret intellectu facilis, nisi ipsa corporea Dei Sapientia illam hominibus declararet. Ecquis est iste cibus, quo pascitur Christus, & quem discipuli ignorant? *Dicit ei Iesus: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.* Arcano hoc cibo Christus alitur, nutritur, & viuit: voluntas Patris, & eius diuinior gloria, est gratius Christi alimentum. *Idoneus cibus filio Dei*, ait Origenes. Scilicet labores omnes, quos Christus patitur ob Patris gloriam, quæ redemptione peragitur, est idoneus cibus Filio Dei, Dei gloria, quæ acerba venit, tot laboribus, tot cruciamentis, & tot persecutionibus armata, & ita Christo vitam adimere minabatur; *idoneus*, est *filio Dei cibus*, quo egregiè nutritur, sustentatur, & viuit. Quasi quòd spectata Dei voluntas & gloria, tot calamitatibus videbatur absumere, absumendo reparet, depascendo restauret, & abrodendo eroget; & inde vitæ alimentum Christus hauriat, vnde videri posset patiendo exhaustus. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.* Nam vt ait inibi Hugo: *Meus cibus, id est, mea refectio, & delectatio. Vt faciam voluntatem, &c. patiendo redimens ad salutem.* Nempe aspera, & dura pati, pro salute hominum, quæ est voluntas, & gloria Patris; hæc est Christi cibus, & refectio, qua deficiendo reficitur. Quid luculentiùs.

Christus diuina gloria zelo exeditur, & tanquam cibo alitur.

Aug. Tract. 15. in Ioann.

Ioan. 4. v. 34.

Origenes Tom. 15. in Ioann.

Hugo inibi.

4. Ad simili expensione locupletare pronum est, illud Ioannis 2. vbi Cristus flagrans zelo gloriæ Dei, cui totus viuebat; ex obuiis funiculis fecit quasi flagellum, & eiecit è templo illud profano commercio dehonestantes. Tunc recordati sunt discipuli, quòd scriptum erat de eo: *Zelus domus tuæ comedit me.* Scilicet Christum, qui zelo viuit, zelus comedit. Consule Ioannis, & Psalterij inibi commentatores. Sat esto digitum intendisse. Et quidem Tobias videns gentiles suos populariter ad Assyriorum idololatriam transire, auita religione execrata; zelo diuinæ gloriæ flagrans

Zelus pro Dei gloria, quicquid exedit, reparat.

Ioann. 2. v. 17.

Psalm. 68. v. 10.

Tobiæ 1. v. 15.

grans, *morita salutis dabat eis*; quibus etiam omnes facultates suas erogabat: nec inopiam verebatur Tobias qui diuinæ gloriæ, quo exedebatur, zelo, medullitùs alebatur.

Hic verſ.6.

Et hic Angelus etsi egregiam operam Tobiæ exhibuerat, totum gloriæ fructum vni Deo tribuendum satagit.

5. Geneseos 17. Abrahamo annis graui, & meritis conspicuo, Deus nomen demutat: Nec vltrà, inquit, vocabitur nomen tuum Abram: sed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium constitui te. *Faciamque te crescere vehementissimè.*

Geneſ. 17. v. 6.

Lipom. in Caten. ibi.

Cùm homo ad vnius Dei gloriam in opere spectat, tunc crescit vehementissimè.

Lipomanus ita hunc locum & ex Hebræo exscribit, & ex multorum sententia exponit: *Ego te multiplico valdè valdè, non tuapte virtute multiplicaberis. Ideoque in nonagesimum nonum sterilitatis te distuli annum, vt experiaris impotentiam tuam: nam sine me semper sterilis futurus eras cum coniuge tua Sara. Fructus itaque tutus mihi imputandus est, non tibi.* Scilicet cùm eximius hominis fructus, non homini, sed Deo imputatur totus, tunc, tunc quidem homo *crescit vehementissimè*, & *multiplicatur valdè valdè*. Abdicatio boni operis, quà illud vni Deo imputatur, est maximum hominis incrementum. Non à propria hominis, sed ab vnius Dei spectata gloria, hominis virtus fastigiatur ad summum. Quando Abraham opera vni Deo adscribuntur, & illius gloriæ imputantur, si excrescit ad gratiam, sic adultâ adipatur virtute, & excelsè incrementatur, vt tunc opportunè dicatur *multiplicare valdè valdè, & crescere vehementissimè.*

---

§. CCCXCI.

Nemo tutò se credit ei, cui ipse suspectus est.

I. AD sinistram partem dextera suspicio esse solet: nam vberior est malorum seges, & insidiæ vel in perspicuo latent. Ad pœnitentiam properat citò qui blanditiis credit, qui dum gerit in animo blandiùs adulari solitat. Gratiùs nocet, quodcumque inopinatum accidit. Cautè age cum eo, qui tecum agit cautè.

Cautiùs age cum eo, qui tecum agit cautè.

De alienâ cautelâ tibi cauere disce! Nimis cauto nemo se tutò credit. Secreti sui tenax, & qui arcanum consilium taciturnitate velat; etsi per rimulas tantisper perluceat, spectatores suos perstringere satagit, & aliò suspiciones deflectere; non valdè fidus probatur. Probè, aut improbè rem suam agit, eamque ad exitum perducere studet; tuam negligit. Prudens ex amici recto pectore, & ore taciturniate signato, & nutu rem dissimulante, sibi timet, sibi cauet, si potest, aut expedit. Amicus, cui tuum pectus candidè non confidis, de tuo pectore securus non est. Quorsùm pectus tuum celas, si nihil quod illum latere cupis, clam moliris? Humana sagacitas vel ab his indiciolis sibi validè timet; experta multis nimiam securitatem nocumento fuisse. *Bonum est fugienda aspicere in alieno malo.*

Seneca ex Publ. Mim.

2. Geneseos 22. tandem Abrahamo optatissimus heres nascitur, dignus quem patris vota, priùs quàm matris aluus procrearet. Adolescit Isaac, & cum eo cuncta, quæ parentum amorem allicerent. Crescit cum eo patris spes, spei obses, opum successior, promissionum heres, familiæ gaudium, & iucundum matris deliciolum. Sed tanta sub cælo felicitas, ruinæ insidiabatur, constantiæ auara. Sic sunt caduca mortalia! Ecce apparuit Deus Abrahamo, & vt sibi Isaacum immolet, seriò mandat. Nec segnior Abrahamus, charum patrem oblitus, pium carnificem induit: & consurgens diluculò, ducæ præceptionis ignarum filium, ad designatum mortis verticem blandè ducit. Necessaria ad sacrificium asportant. Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum: ipse verò portabat in manibus ignem & gladium. Cumque duo pergerent simul, dixit Isaac patri suo: Ecce ignis & ligna, vbi est victi-ctima holocausti? *Dixit autem Abraham: Deus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi.*

Geneſ. 22. v. 8.

Isaacus securior dicitur à manu patris, quàm ab animo mentis ferro-ta sanguine.

Neque enim tunc expediebat rem filio prodere. Sed vbi ventum est ad locum sacrificij, diuinâ præceptionem Isaaco, intimat pater vltrò iuuenis; & ternis cùm esset filius, præmatura victima offerri paratur. Vinctionem ritè patitur, & super lignorum, struem componitur. Tunc alacer Abrahamus: *Extendit manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum.*

Geneſ. 22. v. 10.

S. Zeno Veronensis grande hoc Deo & mundo spectaculum, attentiùs contemplatus, videns strenuam Patris dexteram iam iam imminentem filij iugulo: & Filium Isaacum iam iam excipientem iugulo vulnus; sic fatur sententiosè: *Securus animus, sed securior manus.*

S. Zeno ser. 2. de Abrah.

O quàm multa paucis! Ad aliam thesim addubitabam & expendebam, eccur Isaacus *securior* esset à Patris dexterâ iam gladium in iugulum demergente, quàm à Patris animo. Si filius quisque à patris animo debet esse securus; securior omnium debet esse Isaacus de patris animo: & tamen Isaacus *securior* dicitur à dexterâ, cùm iam vulnus exequitur. Offenderat ne vnquam patris animum, aut iuuenili licentiâ Filius exasperarat? Quid non gratum Abrahamus in Isaaco vidit? Quid vidit Isaacus in patris animo, quod minùs securum redderet? Scilicet Patris animum sibi studiosè tectum nuper animaduerterat. Nam cùm ipse interrogaret de holocausti offerenda victima, secreti & consilij sui tenax, pater respondit: *Deus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi.* Aduertit Isaacus Patrem blandis verbis, dura prudenter dissimulasse pia sagacitate: vnde tametsi patris nomen secunda quæque filio sponderet, plùs tamen putat timendum ab *animo*, qui consilium non prodit, quod mente versabat; quàm à *manu*, quæ strictum gladium iam mergebat in iugulum: *Securus animus, sed securior manus.* Securus dicitur ab animo, sed *securior* à manu. Argutè quidem de more Veronensis præsul.

Deuteronomij 33. Moyses morti iam propinquus, singulis tribubus largè benedicit, & mox omni populo iunctim hæc fausta prædicit, de cælo afflatus: *Habitabit Israel confidenter, & solus. Beatus es tu Israel: quis similis tui popule, qui saluaris à Domino? Scutum auxilij tui, & gladius gloriæ tuæ:* (Nota mihi quæ opportunissimè subdit verba) *Negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis.* Grandi plane cothurno hæc pangit Moyses! Sed quid est: *Negabunt te inimici tui?* quod Moyses inter eximiè prospera faustè prædicit. Explicatiùs traditur in Hebræo textu: *Mentientur tibi inimici tui:* Scilicet verus hostis vera dicit, cùm se palàm hostem fatetur, & minas fulminat hostiles: cùm verò hostilem animum dissimulatione tegit, & blandis verbis, amicoque sermone dissimilem affectum sub pectore latentem obtegit; *negat* se inimicum, dum verborum 3.

Deuter. 33. v. 28. & 29.

Inimicus, qui ore & obsequio animum celat, cauendus maximè est.

Hebræus textus.

Lyranus ad hunc locum Iosue 9.

verborum lenocinio amicitiam *mentitur*. Ita Lyranus, secutus Hebræos, de Gabaonitis simulatoribus hunc locum interpretatur. Quasi dicat Moyses, dum fausta & felicissima quæque Israëli prædicit, Beatus es tu Israël, habitabis confidenter, & solus; nemo tuî similis; Deus enim est scutum auxilij tui, & gladius gloriæ tuæ: tota inquam, Dei omnipotentia tibi militabit. Eccur tunc Israël est tanti, tamque potentis auxilij indignus? Nempe quia cùm eius inimici, se *negent* inimicos, & ore & obsequio *mentiantur* fœdera, & amicitias insinuent; eisque Israëliticus populus credat, & inde *habitet confidenter*, *& solus*: attamen nihilominus *tu inimicorum colla calcabis*. quæ summa felicitatis meta est, & aliquis victoriæ fastus. Videlicet nemo *similis* est populo, qui *confidenter* versans inter hostes, qui amico fœdere inimicitias *negant*, & amicitas *mentiuntur*; tandem gloriosè victor euadit: Et *tu eorum colla calcabis*, eorum *excelsa*, *eorum Reges*, vt alij exscribunt. Quid tam formidabile, quàm homo, qui aliud mente, aliud ore gerit? qui obsequio *negat* quod animo tractat? qui cordis consilia ore *mentitur*? At licèt Israël huic periculo non præcaueat, sed habitet *confidenter*, neque hasce periculosas timeat insidias: sic illum clypeat Dei auxilium & gladius diuinæ gloriæ sic potenter armat, vt nihil ipse timens, timori sit hostibus, eosque prosternat, pessundet, & gloriosè detriumphet, quæ est felicitatis sumptuosa exaggeratio.

4. Tobias cùm charus debuisset esse suis, quos largis eleemosynis fouit, & oris obsepuio grati suo benefactori viderentur: in tanto tamen vitæ discrimine, nulli suorum se credidit, sagacioris prudentiæ instinctu: maluitque fidum latibulum, quo Regis iram fugeret, inter Assyrios quærere, quàm inter suos Israelitas, quos ore gratos exasperatos animo suspicatur. Animaduerterat enim sua abs se celare consilia, cùm auitam religionem desererent. Exinde maluit, se, & charam coniugem, & vnicum filiolum genti hostili (quibus gratus erat) credere, quàm suis contribulibus, quos gratitudinem simulare putabat. prudēter suspicatus sibi fore infidos, qui sua consilia ab se diligenter celarent. *Tobias verò cum filio suo, & cum vxore fugiens, nudus latuit, quia multi* (Assyriorum inquam) *diligebant eum*. Exinde hic Raphaël, docet, Regum consilia rectiùs abscondenda esse, vt in litterali cōmentario notabamus. Aliena te cautela erudiat. Saluianus lib. 3. ad Ecclesias, doloso nimis lenocinio agnatorum & affinium, quorum abitu prudentior cōnstantia sæpe frangitur, ita eloquenter scribit: Dum tua, inquit, impatienter sitiunt, te oderunt, præsentiamque tuam quasi æmulam sibi & aduersariam iudicantes, (cùm heredes à te institui volunt) obicem atque obstaculum putant cupiditatis suæ esse quod viuis. Despice ergò hos tales, ac nihili facito: *Non te moueant blandimenta eorum, venena tibi sunt; non recipias adulationem eorum, gladij sunt iugulatores tui, & quidem ferreis atque hostilibus gladiis tetriores: illos enim homines cuncti vident, istos incauti non vident: illi quia apertè sæuiunt euitantur; isti quia occultè insidiantur, occidunt: & hoc periculosiores sunt, quod illis ferreis gladiis nemo est penitus qui se lædi velit, istis multis se etiam occidi volunt, noua atque inæstimabilis mali lethalis illecebra.* Longiusculè, sed quid intermitterem, dum agi-

Tob. 1. v. 23. Hic vers. 7.

Inimicorum obsequia, mera insidia sūt

Saluian. Massil. ad Eccles. lib. 3.

tur, quàm egerit Tobias cautè cum suis contribulibus, quandoquidem maluit se Assyriis, quàm Hebræis credere? Item quanta cum cautela tractandus sit, qui amicum vultus præfert, & hostem animo abscondit. Nemo tuto se credat ei, cui quolibet modo ipse suspectus est. O time inimicitiæ clancularia hostilitatem! Emedulla præscriptas Saluiani sententias, succi & ingenij plenas. Sub dolosis blandimenti cineribus, incendij minæ cautis adfulgurent.

5. Geneseos 42. Ioseph erat Princeps in terrâ Ægypti, atque ad eius nutum frumenta populis vendebātur. Cumque adorassent eum fratres sui, qui ex terrâ Chanaan frumenta emptum venerant, *Et agnouisset eos, quasi ad alienos duriùs loquebatur*. Hebraicè ita scribitur: *Et alienauit se Iosephus ab eis*. Id est, alienum vel extraneum se fecit eis, aut celauit se eis. Quid est in quo Iosephus se alienauit à fratribus, vel alienum seu extraneum se exhibuit? Vulgatus ait: qu[i] *duriùs loquebatur*. Paraphrastes Chaldæus Tò *quasi ad alienos loquebatur*, exponit: *Et cogitabat quid loquebatur cum eis*. Emphaticè quidem. *Hablar con reflexas, es tratar como à estraños*. Qui ex præmeditato loquitur, nec sincerè quod animus dictat, ille quasi alienus loquitur, ille verè alienatur, ille aut blādiùs aut asperiùs loquitur, quemadmodum ad doli tectionem magis expedit. Composita verba alienati & exasperati animi documenta sunt. Mallem asperiora verba tolerare, quā mellea audire ex artificio præmeditata; & ex consilio, composita. Illa tantisper exasperatum animū; hæc prorsus alienum ostendūt. O caue ab eo, qui nimis cogitat quid tecū loquatur.

Genes. 42. v. 7. Hebræus textus. *Ex præmeditato loqui, ab alienati an mi indicium est.*

Chaldæus.

---

§. CCCXCII.

Qui inolitis diu vitiis adsueuit, virtutem quam recens obtinet, quærere, & sperare potest.

Hoc interest inter consummatæ perfectionis virum, (qui in mortali vita immortalitatis confinis est) & alium procedentis aut proficientis in virtutum via; quod interest inter perfectè sanum, & ex morbo graui, & diutino emergentem, cui sanitatis loco est, leuior accessio, hic nisi diligenter sibi attenderit, subinde grauatur, & in eadē reuoluitur; vixque sibi de salute gratulatur, cùm febri dudum familiari corripitur. Sic in homine primæui contagij vlcere malè sano, & diu ægrotanti, passionum, & vitiorum febribus, peregrinatur diuina animæ salus. Nisi sollerter sibi præcaueat, nouo casui exurgit vectigalis, de auito Protoparentis censu, & procliui prauarum appetitionum impetu, Generosa enim pietatis vota, nuperrimè acquisitæ gratiæ stipendia sunt, & sanctitatis consequentiæ. Sed post paullulùm titubat bonæ mentis acies; & frugalitatis tædio nauseant: atque eadem quæ nuper auersati sunt, rursus amant, & ad illa friuola, quæ tantiper reliquerunt, sensim reuoluuntur, quasi interpolauerint, non mutauerint mores. O imbecillā hominis naturā, ad omnes vitiositates facile lubricā! procliue omnibus est ad cōsueta redire. Sic est attenta & exsomnis sagacissima vitiorum hostilitas! Sic malitia reconsuescit Sic abscissa renascuntur, amputata repullulant.

Homo ad consueta vitia facile reuoluitur.

Hic vers. 10

2. Ieremias cap.6. prauos Hebrææ gentis mores, ad omnia vitia præcipitanter effrenes, graui oratione acerbiùs reprehendit, & minis de cælo accersitis cohibere satagit. Confusi sunt, inquit quia abominationem fecerunt: quin potiùs confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt. quam ob rem cadent inter ruentes: in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus. Verùm benignissimus Deus inter acerbissimas supplicij minas, adhortationem dissimulat, cùm pœnitentiæ formam continuò suggerit: *Hæc dicit Dominus,* inquit: *State super vias, videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea.* Multa hîc ad mores præstrictim Propheta edocet. An perficientes erudit, vt cùm stant in virtutis *via*, interrogent, & peruestigent arctas perfectionis *semitas*? nemo derepente per angustas consummatæ perfectionis semitas tutò incedit, quin priùs per laxiores incipientium, & proficientium vias ambulauerit. An Propheta monet, vt qui ambulant in Domini viis, interrogent, & exquirant non quascumque perfectionis semitas; sed *antiquas*, & præeuntium vestigiis frequens tritas? ô quorundam ad perfectionem semitas insolenter nouas, & inde damnandas! Aliter Zeno Veronensis hunc locum exscribit & exponit: *State,* ait, *in viis Domini, & interrogate semitas Dei æternales, & videte quæ est via bona, & ambulate in eâ. Multa itaque viæ interrogandæ sunt, & in multis insistendum est, vt vnam, quæ bona est, inueniamus, per multorum scilicet doctrinam viam vnam vitæ æternæ reperturi.*

Ierem. 6. v. 19.

In antiquis, & æternis virtutis itineribus ambulandum est.

Multæ viæ tentandæ, vt vnam inueniamus.

S. Zeno ser. in psal. 117.

3. Benè quidem. Sed adhuc difficile intellectu est, quo modo qui *stat* in via Domini, adhuc possit, & debeat *interrogare* de semita, id est, de via Domini, & illam perquirere, & inuestigare. Qui stat in aliqua via, & per eam ambulat, quo pacto potest de illa interrogare, quasi illam ignoret? aut illam quærere, quasi nõ inuenerit? Aut non stat in via, qui illam quærit; aut si adhuc quærit, aut non stat in via, aut in illa stare oscitanter ignorat. *State in viis Domini, & interrogate de semitis,* hoc est, de viis Domini. Scilicet (vt nuper ex contextu notabamus) Ieremias agit cum populo peccatis innutrito, & vitiis adsueto. Exinde eos adhortatur, vt ad Deũ suum de viis suis iniquis animitiùs conuertantur. *State,* inquit, *in viis Domini.* Sed cùm præsagâ prudentiæ mente videat, quàm citò hi, qui ab insolitis vitiis suis nuper conuertuntur, redeant ad ingenium, & ad vitia nuper relicta; insimul monet, quòd vbi viam Domini tenuerint, confestim illam perquirant, & rursùs teneant. *State in viis Domini, & videte, & interrogate de semitis.* Moralissimè quidem hâc hyperbole ostẽdit Ieremias peccatorum recens conuersorum genium, quo instigati ad mores pristinos reuoluuntur. adeò vt dum in viis Domini iam *stare* dicuntur, eosdem serio adhortetur, vt de iisdem viis *interrogent,* illasque solerter perquirant, & teneant. Quasi dicat: tam propè adest, vt qui ex vobis conuersus est ad vias Domini, rursùs ad obliquos antiquæ malitiæ calles redeat, vt qui ex vobis iam *stat* in viis Domini, possit easdem quas tenet Domini vias, *interrogando* perquirere, & diligenter quærendo vestigare, *State in viis Domini, & interrogate de semitis antiquis.* id est, de eisdem viis Domini, per quas olim patres vestri probè ambularunt: antiquæ religionis & pietatis ductu. Quid exaggeratius?

Peccator, qui iam in viis Domino ambulat, eas quærere iubetur.

Matthæi 9. Christo occurrit mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, (per quam Strabus Fuldensis secutus alios, & quem alij sequuntur, Gentiles intelligit, qui vitiis inueterati, à cælesti Medico sanitatem animæ quærunt) accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Et fidei animositate intra se dicebat: Si tetigero vel extremam oram vestimentorum Iesu, confestim sanabor. Quam vix si leuiter tetigit, cùm abundè sanitatẽ recepit. Tunc ait illi Christus: *Confide filia, fides tua te saluam fecit.* Verba sanè multis modis impedita. Porro, vt egregiè notauit Glossa: *Salua facta est mulier ex illa hora, intelligendum est, ex illa hora, ex qua tetigit fimbriam; non ex illa hora ex qua Iesus conuersus est ad eam: iam enim salua facta erat, vt alij Euangelistæ manifestè ostendunt.* Quod si iam sanitatem receperat, quorsum ab ea fides exposcitur? Dein ex amico & honorario *filiæ* vocabulo, etsi alia argumenta deessent, iam credidisse manifestè denotatur, vt notauit Chrysostomus, aiens: *Et filiam eam vocat, quia fides eam filiam fecerat.* Ergo (vt acutè arguit Rabanus) *quid est quod eam confidere iussit, quasi fidem non haberet, salutem ab eo non quæreret?* Itaque si hæc languida mulier fidem non habebat, quam saltem *filiæ* nomen indicat; & iam optatissimam sanitatem receperat, quare *confidere* iubetur? Quę sanitatem auidè exoptauerat, eamque vbertim recepit, super qua re adhuc animosè confidat? Num mulier speret salutem, quam iam obtinet? Confidentia boni futuri votum est, & rei absentis negotium: in re autem iam adepta otiatur desiderium, & spes vacat. Ergo hæc verba sibi pugnare videntur: *Confide filia, fides tua te saluam fecit.* Verùm enimuerò hæc femina diu languida, & recens sanitati restituta, (vt ex Fuldensi Strabo notabamus) peccatores insolitâ malitiâ inueteratos adumbrat, cùm à peccatis ad virtutem adsurgunt & de vitiorum diu languore, redeunt ad morum sanitatem: vnde recens sanata continuò audit: *Confide filia, fides tua te saluam fecit.* Non ait: Fruere possessâ sanitate, & adepta iustitia; sed adhuc de illa quasi obtinẽda animosè confide: nam, nisi cautiùs te geras tam parùm abest ab amissione possessio, vt dum illâ pacatè frui debuisses, hianter posses quodammodò sperare. Quasi dicat: Attende tibi diligenter, ne statim ad ingenium redeas, & in pristina vitia reuoluaris sicut solent hi, qui perdiu languidi, primò recuperant sanitatem, continuis relapsionibus vectigalem, qui recèns sani nuper acceptam sanitatem sperare quodammodò possent. Sic conuersæ Gentilitati, & animæ insigniter peccatrici dicitur: *Confide filia, fides tua te saluam fecit.* Sicut dixit Ieremias Iudæis nuper conuersis: *State in viis Domini, & interrogate de semitis antiquis.* id est, quærite virtutis vias, per quas nuper ambulatis. 4.

Strabus ibi.

Matth. 9. v. 22.

Glossa apud Caten. ibi.

Diu olim peccator, animæ sanitatem, quam nuper habet, sperare potest.

Chrysost. homil. 31. in Matth.

Raban.

Pronum hinc erit cuipiam illud Psalmi ad hunc modum expendere: *Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi.* Leonculorum enim est, & eorum qui in re virtutis post inueterata vitia, adhuc tyrones, & imperfecti sunt, animæ *escas*, quas è cælo *raptas,* possident, denuò *quærere*, quasi dum recens habent, iã amisissent. Exinde diu peccare adsuetus, non bono sæpè animo in actu pœnitentiæ diuersatur. *Quam autem in pœnitentiæ actu irrationabiliter diuersentur,* (inquit Tertullianus) *vel vno* 5.

isto

Leunculi quòd è cælo rapiunt, confestim quærere possunt.

Psalm. 103. v. 21.

Tertull. de Pœnit. cap. 1.

Pœnitentia pœnitentia.

isto satis erit expedire, cùm illam etiam in bonis factis suis adhibent. Pœnitet fidei, amoris, simplicitatis, patientia, misericordia, prout quid in in gratiam cecidit, semetipsos execrantur, quia benefecerunt. Eamque maxime pœnitentiæ speciem, quæ optimis operibus irrogatur, in corde figunt, meminisse curantes, ne quid boni rursus præstent. Contra pœnitentiam malorum lenius incubant. (Nota quæ subiungit verba) *Denique facilius per eadem delinquunt, quàm rectè faciunt*

§. CCCXCIII.

Arbitrium ad vtramque partem segniter indifferens, nisi valido proposito ad virtutem obfirmetur, ad vitium propè inclinat.

I. VNdecunque ex æquo ad cælum erigatur oculorum acies, paribus interuallis omnia diuina ab omnibus hominibus distare comperiemus. Aspectum quoque si deorsùm quàm possis profundè demittas, deprehendes inferni etiam profundum adæque distare. Scilicet si natura humana de arbitrij indifferentiâ spectetur, vtilitatibus suis propinquissima, æquè distat à virtutibus, quæ cælum fragrant, cælum sapiunt, cælum spectant: atque a vitiorũ quoque barathro æquis etiam interuallis absentatur. Ergo ne vitia voluptatis pondere nos deprimant in malitiæ profundum, & a cælesti virtute elongent, erigendus est animus valido virtutis proposito, vt irritamenta vitiorum quàm longissimè fugiamus. Quo velut ancorâ figendus est, & obfirmandus, ne inconstantiæ ventis fluctuet, certo periculo naufragij, animus qui ignauè indifferens est ad vitium & virtutem, nec valido proposito ad pietatem assurgit, citò ad infimissima ruet vitia terrenæ voluptatis pondere degrauatus. Segnis hæc indifferentia, libramentum videtur, sed quod mox degenerat in grauamen, cuius pondere ad nequitiæ ima demergeris. Qui segniter ad malum bonumve indifferens est, propè iam ad malitiam præmaturè propendet, nutante gressu, & facili sublapsu passim impingens, & ad nequitiæ barathrum proruens: quæ est valida peccati hostilitas, quam hic Angelus publicat.

Segnis arbitry indifferentia ad vtramque partem prope ad vitia propendet.

Hic vers. 10.

2. Leuitici 3. quæ animalium partes Deo offerendæ sunt, speciatim his verbis designantur: *Et offerent de hostiâ pacificorum in oblationem. Domino, adipem qui operit vitalia, & quicquid pinguedinis est intrinsecus: duos renes cum adipe quo teguntur ilia, & retinaculum iecoris cum renunculis.* Itaque offerre debet populus Deo suo primitias non solùm de primogenitis, sed & de eorum adipibus, ostendens quòd quicquid in animâ hilare, pingue, salubre pretiosum, totum debemus Deo cedere. Et quidem (verba sunt Philonis nuper aliorsum expensa) tria video in sacrificiorum ordinatione præcipi, vt offerantur præ cæteris victimæ partibus adeps, renes, fibra iecoris: *nusquam cor, quod ante alia consecrari oportebat, si Legislator principatum agnouisset in horum altero. Quid si admodum piè consideratèque hac in fidelem Dei aram non intulit?* Verùm quænam idonea reddi potest ratio, cum Deus admittens ignobiliores victimæ partes; cor & cerebrum, quæ offerendorum animalium membra principatu gaudent, à suo altari contemptim reiiciat! An non præstaret, vt præ reliquis sordidis & velut exanimalibus victimarum membris, cerebrum, quod est animalium cogitatorium; & cor, quæ est concupiscentiæ seu amoris sedes, Deo in primis offeratur? An non potiùs mentem & voluntatem à nobis expetit Deus? Cùm hæc ita sint, quare cerebrum & cor à sacrosanctâ suâ ara nuncupatim abiicit? Duas rationes tradit inibi Philo, quarum priorem aliàs expendebamus; nunc alteram, ipsamque elegantissimam exscribimus: *Quam ob rem* (cerebrum & cor) *locum rerum adeò inter se pugnantium, capacem honestatis & turpitudinis, neutram excludentem, & parem honorem tribuentem vtrique, non minus impurum quàm purum Legislator iudicans, ab altari Dei amouit.* Scilicet cor & cerebrum adæquè inerter capax de se est honestatis & turpitudinis, & parem libertatis honorẽ vtrique tribuit: quod autem ignauè indifferens est ad turpitudinem, turpe iã puta. quod autem turpe, idem & profanum est: profanum verò omninò inconsecrabile: & hoc est, cur principalis animalium vis à sacris procul arcetur. Limatè quidem Philo! Ergo vide mihi quàm exosus sit apud Deum, qui inerti quadam ignauia, ad rem virtutis oscitanter otiatur. Quisquis animoso virtutis proposito ad pietatem non obfirmatur, nec sanctitates hianter suspirat, sed indifferenter incertus desidiosè fluctuat, citò subuertitur, vitiorum vorticibus absorbetur, & miserum virtutis naufragium facit: ô virtutem firma quàm possis valido pietatis proposito. Consultissimè enim Legislator à Dei altari amouit cor & cerebrum, tanquam *locum capacem honestatis & turpitudinis, neutram excludentem, & parem honorem tribuentem vtrique non minus impurum quàm purum.* Qui se æquè librari putat ad virtutem & vitium, propè ad vitium inclinat, & ad certum casum, passionum inclinatione degrauatur. Multiplici virtutum proposito velut quibusdam alis sursum euola, ne vitiorum pondere pergrauis, humi sordidè repas.

Leuit. 3. v. 3. & 4.

Philo lib. Sacrif. Abelis & Caini, prope finem.

Ab arâ Dei reiicitur cor, quia æque est capax honestatis & turpitudinis, & neutram excludit

Philo supra

3. Geneseos 1. in prima nascentis mundi die, cælum fabricat Deus, & simul quatuor elementa ex nihilo condit. *Cæli* mentio (quippe quæ princeps creatura est) extat expressissima. *Terram* etiam suo vocabulo expressit; *Aquam* abyssi nomine induxit; *Ignem* lucis nomine dissimulauit. Sed vbi inuenitur in hac primâ die, aut in reliquis exinceps diebus, vlla *Aeris* mentio? Nullibi sacer Historicus huius principis elementi vnquam meminit? Eccur aër indignum recensitione inuenitur? Putabit aliquis quia de alio nitet. Ego verò nunquam adducar vt credam, nullam in hac prima die Aëris mentionem induci quod adstruebamus in Tomo de Benedictionibus Patriarch. Et sanè aliqui censent Tenebrarum nomine aërem significari, cùm dicitur: *Et tenebræ erant super faciem abyssi.* quasi aër tunc tenebrosus aquis incumberet. Audiẽdus est hâc super re Magnus Basilius: *Tenebras enim non vt sunt, ita interpretantur, aërem aliquem lucis expertem.* Suo Basilio accinit ibidem Ambrosius: *Tenebræ*, inquit, *erant, quia splendor deerat lucis. Tenebræ erant, quia aer ipse tenebrosus est.* Perquàm benè quidem Tenebrarum vocabulo aër exprimitur. Porrò aër corpus dia phanum est de se nec lucem habens, nec c liginem, sed quod vtriusque capax: nam per se vel lucis splendore nitet, aut tenebrarum sordibus squallet. Quod autem adæquè indiffe

Aër vocatur, Tenebræ, quia vel tenebras vel lucem æque recipit.

Auctor in Tomo de Benedic. Pat. 2. Benedic. in comment. litter. ad vers. 2. Gen. 1. v. 2. Basilius. Ambrosius in Hexaëm ad ea verba.

differens est ad puritatẽ lucis, vel ad tenebrarum squallorem, nec alterutram potiùs qualitatem admittit, quàm excludit; non tam suo *aeris* nomine nuncupatur, quàm propudio *Tenebrarum* vocabulo. Qui de se non magis ad lucem quàm ad caliginem propendet, æquâ passiuitate ad vtrumque varius; vocabuli elogium à deteriori sortitur, & de indifferenti capacitate, tenebrosus, vel potiùs *Tenebræ* nominatur. Vnde sacer Historiohraphus de aëre loquens, ait: *Et tenebræ erant super faciem abyssi.* Tenebras vocat *aerem lucis expertem.* O salutarem eruditionem! Quisquis adæquè indifferens est ad lucem & tenebras, id est, ad virtutis splendorem, & vitij caliginem; nisi valido pietatis proposito ad virtutem propẽsiùs inclinet, quo volut anchorâ obfirmetur, facilè fluctuat, & agnato maliniæ pondere ad scelerum barathrum miserè ruit. Res morum in æquilibrio non est, æquum libramentum citò ad deteriorem partem vergit, & ad prauitatem propensiùs inclinat. O, firmo proposito ad virtutem inclina, ne ad vitia declines.

Ezechielis 28. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis leua planctum super regem Tyri: & dices ei: Hæc dicit Dominus Deus:
4. Ezech. 28. v. 12. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ, & perfectus decore*, &c. Grande apud commentatores litigium, an hæc verba de rege Tyri, an de Lucifero exponenda sint. Gregorius, Tertullianus, & Origenes putant hæc omnia non regi Tyrio, sed Lucifero competere. Ego, quod rem attinet, existimo cum nostro Cornelio, ad litteram primario dici de rege Tyri, sed sub typo & parabola Diaboli. Vnde hæc verba in Diabolum, & in Tyrum regem apprimè quadrant. Tertullianus lib. 2. aduersùs Marcionem, præscripta Ezechielis verba ita exscribit, & exponit: *Tu es resignaculum similitudinis, qui scilicet integritatem imaginis, & similitudinis resignaueris.* Vbi hic magnus doctor *resignaculum*, pro *signaculo* substituit, sensu diuersissimo & indubiè opposito. Tertullianum autem his verbis S. Hieronymus impugnat: *In latinis*, ait, *codicibus pro signaculo resignaculum legitur.... Vnde quidam sic intelligunt, quod signaculum Dei & figuram quæ velut in cerâ mollissimâ expressa sit, rex Tyri resignauerit atque perdiderit, vt pro signaculo fieret resignaculum.* Ecce tibi rex Tyri, in quo *velut in cera mollissimâ*, perfecta Dei imago est expressa, & inde *signaculum similitudinis* dicitur; idem eodem tenore verborum, eâdem periodo, & (quantùm apparet) eodem verbo, quo appellatur diuinæ similitudinis *signaculum*, eodemmet *resignaculum* nuncupatur. Vide nunc quàm parùm distet *resignaculum*, à *signaculo velut in cerâ mollissimâ expresso.* O homines tenerrimè molliculos, nec vitiis tutos, nec virtuti securos. *Tu signaculum similitudinis*, &, *Tu es resignaculum similitudinis?* Quæ sententia viuaciori emphasi ad Luciferum recens ortum, & diuinâ Dei imagine perfectè impressum, ethicè forsan referri posset.

Cornel. ibi. *Signaculum similitudinis, mox similitudinis resignaculum cur appelletur.* Tertul. ibi. 2. adu. Marcion.

Hieron. sup. Ezech.

5. Exindè Clemens Alexandrinus, qui paulò antè de Lege dixerat: *Est autem lex pædagogia puerorum insolentium*; postmodum appellat Christum, *Pædagogum liberi arbitrij.* & mox, *Pædagogum intellectus.* Sic hominis pars sublimissimè princeps, & quâ cælitibus confinis est, pædagogo indiget: Intellectus rationali homini pædagogiam præstat, & ipse pariter cum libero arbitrio, velut puer tractatur, & pædagogi disciplinam subit: Sic est periculosa libertas, quam cælestis pædagogiæ disciplina seuerè non informat.

Clem. Alex. lib. 1. Pædag. c. 5. 6. & 7. *Christus est lib. ri arbitrij, & intellectus nostri pædagogus.*

§. CCCXCIV.

Expromptiorem audientiam inuenit, qui miseriarum voce precatur: inde multiplex arcana orationis genius ostenditur.

Decantatissima illa Ennodij sententia, nescio an semper verum dogma contineat: *Proclivior*, inquit, *ad impetrandum via est, quoties a religioso aliquid exigit abiectio deprecantis: coactus enim præstat effectum, qui miseriis supplicis inuitatur.* Imò sæpe feriata sunt ora deprecantis, dum silens necessitas, indigentiæ voce clamans citius consueuit audiri. Calamitas oculis spectata, non eget sermone interprete; sed ad aspectum clarè loquitur, & ab oculis extorquet audientiam. Nunquam par fuit lingua necessitati, quam aut opinio proprij doloris exaggerat, aut calamitatis stupor diminuit. Viui sinceriùs clamat, qui, licet mutus, durâ necessitate coràm iactatur: vociferatur enim linguatâ miseriæ taciturnitate. Vota supplicantium vincit spectata tribulatio, & vocalem anteuertens orationem, Dei clementiam præproperè extorquet, neque irrogatus donat, qui aspectabilem miseriam datu subleuat. *Humanam apponit necessitatem, tanquam deprecatricem*, ait Tertullianus. Imò & bis rogatur, qui preces calamitosi ad opitulationem spectat. 1.

Ennod. lib. 4 epist. 15.

Ingenue præstat effect... qui miseriis ... opem inuitatur.

Tertul. lib. 4 contr. Marc. cap. 12.

Matthæi 5. ad Euangelicæ perfectionis exuberantiam, hæc mixtim Christus & hortatur, & iubet: Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Ad quæ verba sic inibi addubitat Augustinus: Oritur, inquit, hic quæstio, quòd huic præcepto Domini, quo nos hortatur, orare pro inimicis, multæ aliæ Scripturæ partes videntur aduersæ, quia in Prophetis inueniuntur multæ imprecationes aduersus inimicos: in Apocalypsi legimus, martyres orare vt vindicentur. Huic secundæ obiectioni ita Augustinus respondet: *Animæ occisorum clamant, vindicari se postulantes: sicut sanguis Abel clamauit de terrâ, non voce, sed ratione: non enim tam impatientes sunt sancti, vt vrgeant fieri quod sciunt tempore præfinito futurum.* O bona oratio iustorum qui corde muto, & ore taciturnitate obsignato, ad Deum clamant vocali *rationis* silentio! O quàm impetrationis fœcunda illa oratio, quando linguâ verborum sterili, *ratio* ipsa precarias substituit vices! Imò *ratio* orandi, orationem anteuenit, & perpetuò victrix, impetrationem extorquet. Precaria supplicantis lingua, de *rationis* mendicitatibus victitat, & ore promit arcana *rationis* vota. *Sicut sanguis Abel clamauit de terrâ, non voce, sed ratione.* O quàm ingenuè præstat effectum, qui miseriis supplicis eiiùs quàm voce ad clementiam inuitatur! Huic Augustini sententiæ, affinis est illa Prosperi in lib. Sentent. *Quid infirmo sit vtile, magis nouit Medicus quàm ægrotus. Si autem id postulat quod Deus & præcipit & promittit, fiet omnino quod poscit, quia recipiet charitas quod petit Veritas.* Ecce tibi, quod *Veritas*, sicut & *Ratio*, orationis 2.

Matth. 5. v. 44.

Ratio pulcrum orationis genus est.

August. de quæst. no. & vet. test. q. 68. Apoc. 6. v. 10. Gen. 4. v. 10.

3. *Veritas ad Orationis priuilegium acceptatur.*

Prosp. in lib. Sentent.

Genes.18.v.27. Caietan. ibid.

orationis induit elogium: nam *Veritas* vrgentis ærumnæ, exactrice *Ratione* clementiam tacitè expoſcit, mutâ neceſſitatis voce. Nec valdè mirerer, quòd *Veritas & Ratio* ad orationis dignitatem acceptentur. An quod ex Ratione non oritur, acceptatur etiam ad orationis elogium? Audiendus eſt Caietanus ad illa verba Geneſeos 18. *Quia ſemel cœpi, loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis & cinis.* Sic fatur Caietanus: *Iuxta Hebræum habetur: Ecce non volui ad loquendum ad Adonai. Fatetur Abrahain non ex ratione, ſed ex voluntate ſe fuiſſe motum ad loquendum Deo petendo propter quinquaginta iuſtos. Et rationes voluntatis, hoc eſt, audaciæ & præſumptionis; manifeſtat confitendo: Et ego puluis & cinis.* Cum res miſericordiæ petitur, nō opus eſt vt ex *ratione*, ſed ſatis eſt, quòd ex *voluntate*, hoc eſt, *audacia & præſumptione* proficiſcatur oratio? O piè ambitioſas à pietate preces! Vbi miſerabilis intercedit calamitas, abſque exactiſſimâ poſtulandi ratione, beneficium extorquetur.

4\. Ioann.11.v.3. *Lazari languor duntaxat proponitur, cui innata eſt, potiùs quàm ſuggeſta voluntas largiendi.*

Ioannis 11. erat quidam languens Lazarus à Bethaniâ, de caſtello Mariæ & Marthæ. *Miſerunt ergò ſorores eius ad eum, dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.* Perbreuis ſanè epiſtola, & quæ plura ſignificat, quàm dicit. An non ſatiùs foret, vt vel ipſæ ſorores iuſſent ad Chriſtum, vt fratris ſalutem expoſcerent; vel de familiaritatis fiduciâ illum euocarent? Saltem è re foret, vt fratris ſanitatem precibus expeterent. Cur nulla precatio in præcatiâ auditur epiſtola? De muliebri faſtu hoc venit, an de arcano orationis ſacramento. Appoſitè Hugo Carenſis: *Non dixerunt, Veni: amanti enim tantummodò nunciandum fuit, &c. Domine ecce quem amas infirmatur. Sufficit vt noueris*, quaſi neceſſitatis expoſitio orationem præcurrat, & precum vires egregiè ſubſtituat. Porrò ſublenitio miſeriæ, miſeriæ cognitæ ſtipendiū eſt; & ſpectata neceſſitas, linguæ non eget commentatio, qui animi vota precatiè proponat: *Domine, ecce quem amas infirmatur. Sufficit vt noueris, cui innata eſt, non ſuggeſta voluntas largiendi.* Serò linguæ officium attumitur, quando indigentiæ vocalis clamor, ſilenter auditur. Vel aliter ad rem Languens Lazarus extremè ſalutis & opis indignus, egregium peccatorum hieroglyphicum eſt: inde peridoneè eius indigentia Chriſto notificatur. Pulchrè Hildebertus: *Attritæ frontis eſt egeſtas; nihil ſtudet, dummodo viuat. Egeſtas & ad crimen vrget, & intercedit ad veniam.* Vnde Lazari indigentia, etſi nulla prece euulgata, tacito miſeriæ clamore *intercedit ad veniam.*

Hugo ibi.

Hildebert. Orat.16.

5\. *Egeſtas & ad crimen vrget, & intercedit ad veniam.* Hild. epiſt. 10.

8\. Actorum 3. *Petrus & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam*, &c. Orationis appendix erat claudi curatio, & captus ad orationem curſus iacenti claudo inopinatum curam attulit. *Et quidem vir, qui erat claudus ex vtero matris ſuæ, baiulabatur.* Sic in naturæ officina prouenerat, vitium natiuitatem non expectauit, ſed niuum anticipauit noxa, & falſam naturam formatio redarguit: exinde vera curatio preces anticipauit. *Quem ponebant quotidiè ad portam templi, vt peteret eleemoſynam ab introeuntibus in templum.* Quæ verba elucidans Baſilius Seleucus, ita fatur: *Cum naturæ paupertate pecuniarum inopia coniuncta erat, & miſeri calamitates ita partitæ: natura enim malepedatum genuit; inopia verò rogatorem fecit.* Naturæ paupertas, & pecuniarum inopia, geminata egeſtas, dum ad ſpectatorum clementiam interuenit, vel ante rogationem, *rogatorem facit*, & muti calamitatis voce ſpectatores clamosè interpellat. Inde Petrus & Ioannes ad vocalem ſtipis poſtulationē ſurdi, & ad clauli calamitatē clanculum rogatricem attenti, non rogatam voce ſanitatem donāt, & triſtioribus miſeri calamitatibus oculatam præbent audientiam; ſurdi erant Apoſtoli ad clamores, attentiſſimi ad tacitas ærumnæ voces: & claudus ante rogationem rogator exiſtit: nec precibus ſuggeſta voluntas, impoſtulatæ ſanitatis largiendæ Apoſtolis cupiditatē fecit. ad vocalem pecuniarum rogationem ſurdi ſunt, ad mutam ſanitatis poſtulationem auriti. *Inopia rogatorem fecit.*

Actor.3.v.2.

Baſil. Seleu. Orat. 12. *Naturæ & pecuniæ inopia, rogatorem facit, citiùs audiitur calamitatis tacita vox.*

7\. Mirabitur fortaſſe aliquis, quòd Tobias & Sara, eximiâ pietate præiuſtres, dum tot ineluctabilium calamitatum eleuamen expoſcunt, tandem finantur orare, vt quod petunt, exorent. O valde prolixas Tobiæ, & Saræ preces? Difficilem in Deo audientiam iuſtorum preces inueniant? vbi eſt diuina opitulatio anxiè periclitantibus promiſſa? Quare non citiùs exaudiuntur? An quia vterque calamitate oppreſſus, quem valdè ſupplicatione rogat? *Tunc Tobias gemuit: & cœpit orare cum lacrymis.* (idem propè de Sara ſcribitur verſ. 11.) Theodoricus Rex Caſſiodori calamo, diſertiſſimo, ad quoſdā publicis exactionibus nimis oppreſſos, quò eos releuet, luculenter ſcribit: *Quamuis ſit querula vox doloris, ne ſe contineant immuniti, & læſus animus vociferatione paſcatur: tamen liberior ſermo promitur, ſi noſtra auctoritate laxatur.* (nota quæ ſubtexit verba) *Deteſtamur enim, miſeros premi: commouemur, & non querentium malis: velociuſque ad nos peruenit, quod diſſimulatio patientis abſcondit. Meritò, quando cunctorum nos reſpiciunt auido ore læſionis.* Nimitùm mediocrium læſiones auido ore etſi muto, Principum oculis loquuntur, & miſeriarum leuamentum expoſcunt. Precariè querula vox, quæ calamitatis laxamentum anxiè ſupplicat, cunctanter, tardéque venit ad Principis aures, querelarum mora præpedita: aſt *velociùs ad nos peruenit, quod diſſimulatio patientis abſcondit.* Tunc, tunc quidem, muta calamitas magis linguata eſt; miſera ipſa loquitur: & ſoluta querelarum impedimento ſublimiùs preces buccinat, & velociùs audientiam inuenit: neceſſitatis enim voce loquitur; & mutæ patientiæ calcari extimulata, ocyùs ad remediatorem feſtinat, dum res ipſa vrget ad curſum, quem nulla querela demoratur. O quàm eſt velox ipſius calamitatis vox, Caſſiodoro accinit Chryſologus, qui exponens illud Matthæi 9. de Archiſynagogo, & Hæmorrhoiſſa, ita ad rem fatur. Domino Archiſynagogus occurrit, & totus prolabitur in terram, cauſſam profert, imperat, vt properet, & accedat ad curam. *E contra mulieri Dominus non quæſitus occurrit, præteriens occaſionem ſalutis ingreſſi: tacens cauſſam tacentis agnouit, occultum vulnus etiam celantis aſpexit.* Scilicet commouetur Chriſtus & non querentium malis, ſæpeque velocius ad id peruenire videtur, quod diſſimulatio patientis abſcondit.

Velociùs ad remediatorem peruenit, quod diſſimulatio patientis abſcondit.

Tobiæ 3.v.1.& 11.

Caſſiod. lib. 2. var. epiſt. 25.

Matth. 9. v. 20. Chriſoſt. ſer. 37.

Geneſis 16. fugitiuæ Agari exerranti in deſerto, reditū perſuadet Angelus, felicem numeroſè prolem benignus ſpondens. Ecce, ait concepiſti, paries filium: vocabiſque nomen eius Iſmaël, eò quòd *audierit Dominus afflictionem tuam, vocauit autem Agar nomen Domini, qui loquebatur ad eam: Tu Deus qui vidiſti me.*

Geneſ. 16. v. 13.

Præ

Dei aspectus velut humana supplicatio est, pro miseria, quā patimur. Paraphras. Chaldaica.

Præscripta Agaris verba, sic exponit paraphrasis Chaldaica, cui ferè adsentiunt interpretes: *Vocauit autem nomen Domini, &c.* id est, *Orauit in nomine Domini, qui locutus est cum ea, dicens: Tu es Deus videns omnia.* Verùm si attentiùs considerentur hæc verba, nihil eis orat, nihil petit Agar: tantùm enim protestatur Dei oculis diuinæ recordationis, & prouidentiæ omnia patere. *Tu es Deus*, inquit, *videns omnia.* O arcanum Orationis genus! Dei oculi humanam spectātes miseriam, oratio seu exoratio misericordiæ est; Dei beneuola recordatio: supplicatio est pro humana miseria? Ita quidem: nam Deum miseriā vidisse, exaudisse est, quasi Dei oculi miseriam exaudiant. O surdos hominū oculos ad aspectatam aliorum miseriam! O exprompte auritum Dei aspectum ad mutum humanæ miseriæ clamorem exaudiendum! *Orauit in nomine Domini, dicens: Tu es Deus videns omnia.*

9. Exod. 5. v. 22. & 23. *Humana inquisitio, indignatio, & velut contumacia, ad orationis meritum acceptantur.* August. q. 16 in Exod.

Exodi 5. immitis Pharao Moysis legatione ferocit, & crudeliùs Hebræum populum opprimit. Reuersusque est Moyses ad Dominū, & ait: *Domine, cur afflixisti populum istum; quare misisti me? Ex eo enim quo ingressus sum ad Pharaonem vt loquerer in nomine tuo, afflixit populum tuum: & non liberasti eos.* S. Augustinus attentiùs considerans hæc Moysis ad Deum verba, sic illa ad rem exponit: *Non contumacia*, inquit, *verba sunt, vel indignationis; sed inquisitionis, & orationis. Quod ex his apparet quæ illi Dominus respondit. Non enim arguit infidelitatem eius, sed quid sit facturus aperuit.* O nouum orationis genus! rei optatæ inquisitio: quæ speciem indignationis, & velut contumaciæ offert; orationis gerit vices, & pro precibus acceptatur. Quid *indignationi* cum oratione? quid quasi *contumacia* cum precarij obsequij lenocinio? Vel *inquisitione* petimus: vel *indignatione* oramus: quasi *contumaciā* impetramus? O quàm pronus est ad largitiones, qui huiusmodi res ad orationis meritum acceptat, eisque ad donandum mulcetur! Vide hìc quàm multa & varia bonorum operū genera, ad orationis meritum acceptantur. Hierers. 12.

§. CCCXCV.

Precum prolixitate vti solet, de impetratione diffidens: sæpè diuturna supplicatio, fidei titubatio est, & argumentum nil merentis.

1. Serò dedit, qui roganti beneficium dedit: rogans enim expetitam gratiam petitione redēptrice mercatur. Sed nimis difficile est discretè sēper ac prouidè beneficia collocare. Nesciūt hanc excellæ mentes prouidentiam, quas pulchrū est benefacere vel indignis, quos beneficij pretium cumuletur: & dum inrogata donatiua præstant, inuitā inopis egestatem spontiuæ largitionis præcurrunt. Ipsum etiam donum benè quidē rutilat pretio suo, sed meliùs animo præbitoris: animo cui beneficium placuit; cui innata est, non suggesta voluntas largiendi: animo inquam, qui ex animo voluit, qui citò præstitit, à quo egenus improuidus beneficium accipit; nō prolixā prece velut importunus extorsit, qui est glaritatis genius. *Orantes autem* (ait Christus Deus) *nolite multum loqui, sicut ethnici. putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis. scit enim pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum.* Hinc Raguel serò censet, suas preces iam olim exauditas; ne prolixior oratio, quæ aliquando diffidentiæ affinis est, diuinæ beneficētiæ genium deuenustet. *Christus* (ait Chrysologus) *breuiter orare docuit, qui citò vult postulata præstare.*

Innata non suggesta largiendi voluntas, genuinus liberalitatis est. Matth. 6. & 8. Tobiæ 7. v. 13. Chrysol. ser. 67.

2. Lucæ 23. Christo Deo acerbæ & probrosæ cruci affixo, pœnæ consortes non parcunt. & cui inuidia inimicorum insultat; eundem latronis impudentia blasphemat: nec de proprio malo, alieni compassionem ediscens. Vnus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos. Respondens autem alter, duriùs conniatorem increpuit. *Et dicebat ad Iesum, Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.* O quàm citò spes transit in opus: & fiduciam petentis, præbitoris beneficentia transcendit, rei petitæ executione vota petentis superante. Non multum orando loquitur, cui res petita voto petitoris occurrit; & velut improuidus accipit beneficium, non importunus extorsit. Luculenter Ennodius ita fatur: *Quoties votiua res repentè contigerit, pretium de ipsa temporis breuitate sortitur. Celestis enim vt crescat beneficij genius, subitum facit esse quod tribuit; ne deuenustet sperantium prolixitas misericordiam largitoris, quis enim affectum desiderij repente suscipiens, non auidiùs impetrata veneretur?* Parùm foret diuinæ largitati rem petitam donasse, nisi sumptuosiùs beneficij pretium de ipsā temporis breuitate sortiatur. Qui serò dedit, diu noluit: & precum importunitate extorqueri videtur, quando rei votiuæ præbitionem procrastinat: nam spei prolixitas deuenustat misericordiam largitoris, dum longis precibus audientiam redimere putauit. *Cælestis vt crescat beneficij genius, subitum facit esse quod tribuit; ne deuenustet sperantium prolixitas misericordiam largitoris.* Porrò orantis prolixitas, malignus habetur liberalitatis interpres.

Lucæ 23. v. 42. & 43. *Crescit liberalitatis genius, cùm subitum facit esse quod tribuit.* Ennod. lib. 7. epist. 38.

Ioannis 11. inuaserat Lazarum sæui languoris inimica pernicies, miserandi hominis corpus quotidie edax torridæ febris incendium consumebat: Aderant autem duæ sorores languenti, & casum dolentes iuuenis periculosè ægrotantis lectulo iugiter adhærebant. Ille languens, illæ tristes, omnes dilecti. Habebant ergò spem, quoniā diligebantur ab eo qui est dolentium consolator, languentiumque persanator: & quod in animo votis exoptant, orationis interuentu adispici præsumunt. Cumque Iesus corpore abesset: *Miserunt sorores eius ad eum, dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.* O breuiculam nimis orationem, vel potius compendiariam supplicationis epitomen? Sic Christus Deus, charorum preces fastidire putatur, vt in re tantā vix quæ votis precantur, verbis exponant? O orationem orationis auaram sed fiduciæ quodammodo prodigam: nam quantum prolixitati detrahunt, spei adiiciunt, & gloriæ largitoris accrescit. Elegāter Felix Ticinensis ita Luminoso scribit: *Precum prolixitate vtitur de impetratione diffidens: argumentum est nil merentis, diu rogare. Facessat à moribus tuis vt perdas beneficiorum genium, dum longa supplicatione producitur, de effectu celeri subl euandus.*

Precum prolixitate, de impetratione diffidens, vti solet. Ioann. 11. v. 3. Felix Ticin. lib. 5. epist. 11.

Scilicet

Scilicet breuis oratio, proxilioris longè fiduciæ documentum est. Gloriæ largitoris militat, qui cum de eo mentem ac fiduciam habet, vt optatam gratiam potiùs accipere, quàm importunus extorquere præsumat. Ille, ille quidem ostenditur beneficè liberalis, qui sic donat, quomodò & ipse vellet accipere. Ante omnia libenter, citò, & sine vlla dubitatione. Non valdè gratum est beneficium, quod diu inter manus dantis hæsit, quod quis ægrè dimittere visus est, & sic dare tanquam si sibi eriperetur. Deuenustat liberalitatis genium, qui se diu patitur rogitari. Ergò facessat à moribus tuis vt perdas beneficiorum genium, dum longa supplicatione producitur de effectu celeri subleuandus. *Precum prolixitate vtitur de impetratione diffidens : argumentum est nil merentis diu rogare.* Breui rogat, qui citò impetrare præsumit: & dum orationis fiduciam breuitate demonstrat, beneficentiæ largitoris gloriosè blanditur.

4. Vel aliter supplicem Marthæ & Mariæ epistolam accipe: *Miserunt sorores eius ad eum, dicentes : Domine, ecce quem amas infirmatur.* Benè notant interpretes, Lazari sorores cum Christo Deo hîc quasi cum mero homine agere. Sed peruestigare curiosiùs oportet, quare nullas allegant rationes quæ Christum ad languentis opitulationem promoueant? Anne supplicationis prolixitas, beneficum largitoris genium deuenustet? Idem Felix Ticinensis hac opportuna clausulâ epistolam ad Opilionem finit: *Ad morem tamen scriptionis epistolaris me reduco, ne addat prolixitas ingesta fastidium, & denegari paginas* (quicquid etiam paginis postulatur) *faciat magis allegatio, quæ poposcit.* Scilicet sæpè petitoriæ epistolæ ingesta prolixitas, addit concessuro fastidium; & multiplex allegatio densè congesta, dum tanquam cum negaturo agit, voluntatem concedendi longâ supplicatione refutat: exinde aliquãdo prolixa *allegatio denegari facit magis quæ poposcit.* dum non tanquam à liberali accipere, sed velut præbitore auaro expetitam gratiam extorquere diuturnis precibus negotietur.

Ioann. 11. v.3.

Ennod. lib. 1. epist. 22. *Sæpè multiplex allegatio, denegare facit, quod poposcit.*

5. Tobias captiuitate miser, paupertate contemptus, cæcitate ærumnosus, pietatis inuidiâ, propriæ vxoris contumelias, & domesticas immeritò rixas, ægrè tulit: & indecora declinans iurgia, in familiarem ad orationem secessum mœstissimus pergit: *Tunc Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis, dicens,* &c. Quid est, *cœpit*? Cœpit tantùm orare, an potiùs prolixas Deo preces ex animo effudit? An *cœpisse* dicitur, quia dum orare *cœpit*, impetrare iam desiit? Num impetrauit: vbi primùm *orare cœpit*, vt liberalitati potiùs largitoris, quàm meritis rogatoris, beneficium celeriùs impensum adscribatur? Bellè idem Ticinensis Felix eidem Opilioni, viro in paucis magnifico: *Cœperat paruitatem meam magnitudo vestra spe* (*quæ vota transiret*) *dignationis attollere; & cælestis instituti more, clariora facere beneficia sua, dum mea merita nulla indicij lance pensabat, vel censura negligens dare pretium muneribus, quæ esse monstrabat indebita.* Ecce tibi spes vota transit, & cum Tobias gemens *cœpit orare*, impetrationem celeriùs consummauit, dum sua ipse *merita nulla indicij lance pensat* : & consummatæ orationis plena merita impetratione anteuertẽs, velut à liberali largitore accipit, quod prolixæ supplicationis merito poterat imputari. Diu Tobias oret, ne precum meritis defraudetur: sed antè consummatæ omnino orationis clausulam, impetret; ne quid largitoris liberalitati defraudare videatur. *Tunc Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lachrymis.* Hæc, hæc inquam orationis *spes vota transit* : nam qui petit, vt petendo impetret, antequam petere desierit, impetrare non desinit : *incipiendo* enim consummat, quod postquam orationem consummauit, vix forsan *incepisse* videretur. Bonus Deus, qui de *spe, quæ vota transit, docet me sperare maiora meritis, qui meritis maiora largiri non desinit.* Sententiosè pariter ac animosè dixit Ennodius, nos spe, *quæ vota transit*, beneficia impetrare. quam beneficentiam æmulari affectat Theodoricus apud Cassiodorum, ita fatus: *Quamuis vltra desideria supplicum frequenter nos præstitisse beneficia gaudeamus : & quod est difficillimum, humanæ ambitionis interdum vota superemus.* Quid exaggeratiùs? ô quæ, & quanta sibi spondet ambitio! Faciliùs Angeli missionem, quam humana ambitio non præsumeret, impetrauit Tobias, & Sara impetrauit.

Tobiæ 3. v.1. & hic vers.11. *Sententiosè dicitur, quod Tobias orare cœpit.*

Idem Felix lib. 1. epist. 22.

Impetratione, quæ vota transit, negotiatur oratio.

Hild epist. 20.

Cassiod. lib.3 epist. 4.

Geneseos 50. tandem peractis Benedictionibus, senectute cõfectus Iacob, Iacobææ gentis Patriarcha, moritur: Iosephi verò fratres, impiæ quondam proditionis memoriâ exacerbantur, & veriti summam offensi fratris potentiam, sic eum alloquuntur: *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus : Obsecro vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ, quam exercuerunt in te.* Quare ipse Iacobus cùm adhuc viueret id non exposcit à charissimo filio, qui nil amantissimo patri denegasset? *Fortè* (respondet inibi Lipomanus) *videntur Patris se finxisse verba; licet non dubitauerint voluisse id patrem: sed pro Ioseph dexteritate & mansuetudine nihil tale necessarium credidisse. Melior enim illi de filio existimatio erat.* Nempe Iacobus, cui notissima erat generosa sui Iosephi indoles, & beneficentiæ agnatus genius; clementiam, quam illi ingenitam nouit ingestam precibus recusauit: & inde maluit, vt inrogatus id faceret, ne quod vltrò facturus erat, supplicatione extortum putaretur. Bellissimè Hildebertus ingenio & eloquio clarus ita ad quempiam à Summatibus scribit: *Talem te pro Guidone nostro rogare decreueràm : sed veritus sum, ne quod per te facturus es, id precibus extortum putaretur. Gratiora sunt beneficia, quæ non alieno interuentu, sed affectu spontaneo proueniunt.* Exinde prudens pater, Iosephi indolem & pietatem probè noscens quod Filius per se facturus erat, noluit conceptis precibus impetrare; ne dandæ veniæ gratiam alienus interuentus abroderet, dum quod inrogatus daret, rogationum vi coactus dedisse existimetur. Itaque malitia fratrum, veniæ materiam Iosepho dedit; at inconsulti timoris inuidia, gratiæ nitorem tantisper infuscauit : nam *gratiora sunt beneficia, quæ non alieno interuentu, sed affectu spontaneo proueniunt.* 6.

Genes. 50. v.16. & 17. *Cur Iacobus veniam filiis non impetrarit à fratre.*

Lipom. in Catena. ibi.

Hild. epist. 3. *Gratiora sunt beneficia, quæ affectu spontaneo proueniunt.*

§. CCCXCVI.

Grauior persecutio non insidiatur felicitati, sed eam adornat.

Tertullianus vetustus æquè ac locuples auctor, exponens illa verba Orationis Dominicæ : *Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos* 1.

Matth. 6. v.13.

Tertull. de Fuga in perf. cap. 2.

nos à malo, non bene in persecutores, & persecutiones affectus, ita scribit: *Sed in legitima Oratione cum dicimus ad Patrem: Et ne nos inducas in tentationem (quæ autem maior tentatio quàm persecutio?) ab eo illam profitemur accidere, à quo veniam eius deprecamur.* Veniam persecutionis deprecatur, qui persecutionem auertere præcurrit? Opinor, quòd *venia* delicto datu: vel (vt maximum) delicti periculo, cui noxa cognata est, de discriminis lubrico in delictum præcipitâter còrruente. Sic est persecutio delicti bibula, aut delictis descripta; vt *persecutionis veniam* ambiamus orantes: Imò sic patiētia, quàm fides altè fundat, persecutiones excipit; virtutes negotiatur pietatis examine; probitatem redimit, & perfectionem excelsè consummat; & in tumultuante persecutionum strepitu, virtutum pax feliciter residet. An non Tobias in persecutionum, calamitatum, & tentationum stadio, nō tam luctam, quàm victoriam inuenit? Rex Sennacherib illū ad necem sollerter perquiri iubet; Regis ministri eius bona proscribunt, & diripiunt; in pietatis pretium, oculorum orbitatem accepit: à suis probrosè ac impiè lacessitus, pertinaciter inconcussus in Dei timore stetit. Exinde ei dicit Angelus: *Quia acceptus eras Deo, necessè fuit vt tentatio probaret te.*

Persecutionis veniam deprecamur orantes.

Hic vers. 13.

2. Marci 10. spontaneæ paupertatis, & Iesuanæ sequelæ grande meritum Petrus Christo proponit, & de præmij opulentâ magnitudine interrogat. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Respondens Iesus, ait: Amen dico vobis: Nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, *qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc: domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros, cum persecutionibus, & in seculo futuro vitam æternam.* Bene est, tam illustre meritorum, in seculo futuro æternæ beatitudinis felicitate donetur: sed quare inter tot magnifica prēmia in hoc seculo tribuenda, *persecutiones* recenset? Magnificæ mercedis nomine *persecutiones* tribuis, an potiùs *persecutionum veniam* præbuisset? ô, quis tam prælustribus meritis, calamitiosas persecutionum ærumnas vltrò redimat? ecquis non timeat eiusmodi mercedem sperare; quæ spem horrore inquietat, & timorem spebus concutit? Nemo est qui non persecutiones excussisse ambiat. Imò, si sapit, tribulationes ambire potiùs debet. Pensiculatè Saluianus Massiliensis in lib. quos ad Ecclesiam catholicam scripsit, ita aliorsùm fatur: *Mollitiem præterita voluptatis præsentium asperitatum duritia compenset, & reditum longarum deliciarum officio patrocinantis soluat iniuria. Crucibus denique diuersarum ærumnarum reum in suo corpore hominem iudex fidei seueritas subiugauit: vt indulgentiam scilicet absolutionis æternæ, præsentis pœnæ ambitione mereatur.* O insolentem mortalibus *ærumnarum ambitionem*! Puto quod excelsior dignitas, & opulentius fastigium, ambitionis materia est, & elationis argumentum, cui studet auaritia gloriæ: verùm qui in prædiuitem meriti excelsioris mercedem, persecutiones, ærūnas, & tribulationes votiuas sperat, eas bene merendo sumptuosiùs exambit, prælustri spei ambitu, qui magnificas promissiones anhelat. Tribulationem, quam putas pœnalissimum suppliciū, ad sublimioris nunc præmij elogium aduocatur. O bonam ærumnarum *ambitionem*!

Marc. 10. vers. 30.

Ærumnarū ambitio sollicites Christianorum mentem.

Salu. l. 1. ad Eccles.

S. Laur. pia ambitione pœnarum tangitur.

3. Regius Psaltes diras, quas patiebatur persecutiones perstrictim commemorans, in Psalmos 30. ita pangit: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.* Benè absconsa dicitur dulcedo, quæ sub aspero dirę persecutionis cortice medullitùs latet, si pia eius adsit vsura. *Perfecisti eis*, ait, quasi perfectum quid, & consummatum operetur. Sed quid est: *In conspectu filiorum hominum*? Eruditè inibi notat P. Ioannes Lorinus, quod τὸ *in conspectu*, si Hebraïcam, & Græcam exscriptionem exploremus non tantùm significat, *ante coramque*, sed etiam, & quidem magis propriè, *è regione, & ex opposito*, vel *è contrario*; sic verò sensus erit: Quantò magis barbarica & agrestis inhumanorum hominum insolentia, persecutiones excitat, ac dolores externos, & calamitates multiplicat; tantò magis Deus melleam consolationis dulcedinem, & consummatam virtutis perfectionem operatur & perficit: ne quis à persecutione timeat dispendium virtutis, quam potius à integrat & perficit. *Perfecisti eis, qui sperant in te, è contrario*, vel *ex opposito filiorum hominum.* Appositè S. Gregorius Nazianzenus Orat. 2. de Pace, ita scribit: *Non detrimentum ducentes pati, sed non pati, idque eò magis, quòd periculorum, quæ pro Christo subeuntur, gustum cepimus.* Quasi dicat: Nemo persecutiones hominum pro Deo pati, aut timeat, aut recuset, ac si persecutio afferat fidei ac virtutis detrimentum; quod citiùs affert quies à persecutione, & iners otium, quo fides vacat, & ab hostili congressione feriatur. *Non detrimentum ducentes pati, sed non pati.* [illegible]n dum persecutionem patitur; non solùm non patitur detrimentum, sed integrationem & perfectionem acquirit: *Perfecisti eis, qui sperant* in te, *è contrario*, vel *ex opposito filiorum hominum.*

Psal. 30. v. 20.

Non detrimentum ducamus persecutionem pati, sed non pati.

Lorin. ibi.

S. Nazian. orat. 13.

4. Tertullianus in lib. de Fugâ in persecutione, ita de persecutione scribit: *Hæc palea illa, quæ & nunc dominicam aream purgat, Ecclesiam scilicet, confusum aceruum fidelium euentilans, & discernens frumentum martyrum, & paleam negatorum. Hæc enim* (persecutio inquam) *scala quam somniat Iacob, aliis ascensum in superiora, aliis descensum ad inferiora demonstrantes.* Et nuper in eandem sententiam dixerat: *Quis est enim exitus persecutionis, quis affectus alius, nisi probatio fidei?* Quasi persecutio dum fidem ad examen vocat, illamque durius probat, sæpè fidei titubatio fit, & negationis alea. Imo apud eos, qui eximiè pietatem colunt, securior sæpè est, in ipsius periculi sospitate. Matthæi 20. Iesum ab Hiericho egredientem secuta est turba multa. Et ecce duo cæci sedentes secus viam, audientes quia Iesus transiret clamauerunt, dicentes: Domine, miserere nostri fili Dauid. *Turba autem increpabat eos, vt tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, Miserere nostri, fili Dauid.* Quasi parùm foret inconsultæ turbæ, cæcorum animosam fidē à Saluatoris præsentiâ arcere: eos increpationibus ad silentium cogere præsumunt, ne optatum eis redaccendatur oculorum lumen. de hac molestissimâ in Græcos persecutione, ita ad thema præsens tempestiuè fatur Hilarius: *Inuitabantur autem magis vetiti, quàm compescebantur: fides enim quando vetatur, magis accenditur; & ideò in periculis secura est, & in securitate periclitatur: vnde sequitur: At illi magis clamabant, dicentes: Miserere nostri, fili Dauid. Primò*

Tertull. de Fuga in Persecut. c. 1.

Genes. 28. vers. 12.

Fides sæpè in periculis secura est, & in securitate periclitatur.

Matth. 20. v. 31.

S. Hilarius apud Catenam cuius Auctor alia fors exemplaria vidit.

mò enim clamabant, quia cæci erant. Secundò magis clamabant, quia vetabantur ad lumen accedere. Quasi persecutio, quam fides excepit, & patientia subit, non tam sit negationis alea, quàm confessionis tessera. Fides enim quando persecutione vetatur, de discrimine vires resumit: *& ideò in periculis secura est, & in securitate periclitatur*: roburque confessionis de periculo negationis mutuatur.

Exodi 10. Moyses & Aaron, & Hebræi populi, cui præerant, oppressione afflictati, non fracti; proprij discriminis immemores; ad Pharaonem obstinatione prædurum, & de plagarum acerbo sensu, minaciter ferocientem, audacter ingressi, adhuc libero ore ita fantur. *Introierunt ergo Moyses & Aaron ad Pharaonem, dixerunt ei: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Vsquequo non vis subiici mihi? dimitte populum meum vt sacrificet mihi. Sin autem resistis.* &c. Quæ verba (& similia ex cap. 8.) sic commentatur S. Gregorius, piam Moysis audaciam in tam dirâ persecutione demiratus: *Libet*, inquit, *oculos mentis attollere, & electos Dei exteriùs oppressos, quanta interiùs arci præsideant videre. Nam super se interiùs rapti, in alio animum figunt, & quæ in hac vita patiuntur, quasi à se aliena conspiciunt, atque dum mente extra carnem fieri decertant, pene ipsa, quæ tolerant, ignorant.* Magnum foret sanctos viros, Moysen & Aaronem inquam, Pharaonis tyrannide durè insectatos, dirè oppressos inhumanâ diu persecutione, grauissima quæ patiebantur incommoda, *quasi à se aliena* tolerantissimè reputare: sed maximum planè est, & verè maximum, sic esse securos in periculi sui asylo, sic esse insensibiles in acerbiori calamitate, vt subdat Gregorius, quòd *penè ipsa quæ tolerant, ignorant*. Quis; quis inquam, acerbiorem, quam subiit iniuriam; tribulationem, ærumnam, & reliquas persecutionis consequentias; aliquando *ignorauit*? Doloris sensus vel in patientiæ gymnasio, scientiam calamitatis ingerit, quam etiam magnanima tolerantia non dedidicit. Sic est patientia iustorum in persecutionibus insensibilis, vt *pene quæ tolerat, ignoret*. O sententiam moralitatum grauidam! Sed iuuat vt obstetricante occasionis opportunitate partus edatur, ne incomptâ expensione abortum patiatur.

Exod. 10. v. 3.

Sancti aliquando penè ignorant quæ in persecutionibus durè tolerant.

S. Greg. l. 7. Moral. c. 22.

S. Laurent. se non sentire tormenta dicit.

6. Fateor quod hæc priuilegia aliquando viris sanctis côceduntur: sed frequentiùs sæuæ persecutionis & calamitatis sensu durè tâguntur. Gemit Tobias, angitur Sara, vterque illacrymat, & precum inuidiâ cælos tundit. Verùm saltem solenne est, vt grande aliquod malum minora hactenùs saluat, fausto mox futuræ felicitatis augurio. Matthæi 14. Scapha discipulorum baiula, tota nocte sæuientibus vndis naufraga, cæli minas, & pelagi sæuitiam sustinet, vndique periculis verberata. Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos Iesus ambulans super mare. *Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est. Et præ timore clamauerunt*, &c. Quid est, quod Iesus dum magno periculo ferre opem festinat, oppidò maius immittit? Putasne quòd malum malo curatur? Tempestiuè Chrysostomus: *Quando putauerunt erui, tunc intensus est timor, vndè sequitur: Et videntes eum super mare ambulantem turbati sunt, &c. Semper enim hoc Dominus facit, cùm soluturus sit mala aliqua, difficilia terribilia inducit. Quia enim nonest longo tempore tentari cum finiend*

Matt. 14. vers. 26.

Grande aliquod malû felicitatem futurâ mox ominatur.

S. Chrys. hom. 51. in Matth.

sunt agones iustorum, volens amplius eos lucrari, auget eorum certamina; quod & in Abraham fecit vltimum certamen tentationum filij ponens. Idem videmus in Tobia, videmus in Sarâ. Ergo qui calamitatis sensum dolore agnoscit, agnoscat etiam felicitatis omen, duriori calamitate adumbratum: titubet spes naufraga, fidei & experientiæ anchoris obfirmetur.

Genes. 22. vers. 1.

§. CCCXCVII.

Angelorum pulchritudo, & perfectio, de diuinitatis vicinia commendatur.

SOphronius: in Encomio de Angelis, eos alloquens, in verbis eorum adglomerat elogia: O vos omnes Angeli, inquit, cœtus cælestis, corona impenetrabilis, phalanx præstantissima, exercitus innumerus, *celsitudo inaccessa*, magnitudo incomprehensa, *notitia omni indagatione superior*, lætitia inexplicabilis; pompa summè admirabilis, quantitas cogitationem omnem excedens, subtilitas mensuram ignorans, agilitas cui nulla alia est similis, ordo infinitè multiplex, celeritas infanda, *gloria mentis cogitatione comprehendi nescia*, vis omni virtute & robore maior. Vos omniû Regis estis administri, vos Principes, & Diaconi, & Apostoli, & Prædicatores, & Prophetæ, Euangelistæ, *& rerum diuinarum interpretes, & custodes, & præsides, & conseruatores & inquisitores indices, & relatores, & diuina, specula, & simulacra, & imagines.* Alia multa Angelorum epitheta Sophronius addensat, quæ eorum elogia mirè deprædicant. 1.

Sophron. in Encom. Archang. & Angel.

Addensata Angelorum encomia.

Actorû 6. Iudæi illo adhuc furore ebrij, quo dudum Christum cruci fixerant, in necem Stephani atrociter incumbunt. *Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* Nimirùm significatur noua quædam claritas, & pulchritudo, quæ Angelicum decorem, & mutationem faciei in Angelicam formam exprimeret. Nil ad venustatem exaggeratius dici potuit. Præsertim si adiiciatur quid per *faciem Angeli* Augustinus exponat: Stephanus, inquit, ad confusionem Iudæorum *reuelata facit speculans in cælum gloriam Filij Dei, resurrectionis annunciabat sacramentum*; quasi dominicæ Resurrectionis augustam gloriam, quâ prædicabat Iudæis, in Angelico vultu sumptuosius expressisset. Tanta est Angelorum venustas, & formæ gloria, vt ad glorias Christi Dei resurgentis gloriosius exprimendas, ad pulchritudinis stuporem assumi debuerit? *Viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* Quæ verba aliter accipit Eusebius Emisenorum Episcopus, ita fatus: *abundantia cordis transit in decus corporis: in exterioris gloria candor interioris exundat: & absconditâ pectoris ornamenta, speculum frontes irradiant.*) intentiùs nota verba; quæ subdit) *Habens intra se Spiritum-sanctum, os præ se gestat Angelicum. Nimirùm tali eum vultu internus habitator induerat.* Scilicet Spiritus-sanctus medullitùs habitans, Angelicum candorem reuerberat, & *faciem Angeli* foris exprimit. Quasi nec Deus ipse empyreas Resurrectionis glorias exambiens, nec Spiritus sanctus animiciùs in Stephano degens, & foris ostentandus, pulchritudinem Angelicâ venustiorê humanis oculis ostentare 8.

Actor. 6. v. 15.

Facies Angeli est Dominicæ Resurrectionis forma.

August. ser. 99. de diuers.

Emis. hom. de S. Steph.

Facies Angelica Spiritum sanctû inhabitantem publicat.

tate eualeant. Inde Angelicâ formâ Stephanus mirè coloratur.

3. Actor. 6. v. 15. Dionys. de Cælest. Hierar.

Angelus est Dei speculum resplendere faciens in se bonitatem silentij.

Et intuentes eum omnes qui sedebant in concilio, *viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* In facie autem Angeli aliquid præcelsius & augustius Dionysius Areopagita contemplatur, ita scribens: *Angelus est imago Dei, manifestatio occulti luminis, speculum clarissimum, immaculatum, incoinquinatum totum,* (conueniens est dicere) *suscipiens in se pulchritudinem omniformis Dei formositatis mundæ, resplendere faciens in se bonitatem silentij.* Quæ est hæc arcana *silentij bonitas*, quæ in Angelo resplendet? Quid pulcherrimæ Angelorum perfectioni cum excelsiori *silentij* bonitate? Tantáne est cælestis *silentij* prærogatiua, & diuinæ taciturnitatis elogium, vt cùm Angelicæ perfectionis meta figitur, dicatur, quòd in Angelis tanquam in speculo splendet *silentij bonitas?* O argutum Angelicę perfectionis ænigma! Scilicet in forma Angeli resplendet Dominicæ Resurrectionis, & inhabitantis Spiritus sancti gloria, quæ foràs gloriosè prodit per gloriosioris formæ rimulas. Magnum quidem hoc, & verè sublimissimum. Verùm cùm Deus incomprehensibilis sit, & vltra quam homo habet oculos, excelsior, abstrusa eius perfectio, & immutata bonitas, sæpè arcano *silentij* stupore, citiùs quàm ministeriali linguæ officiositate celebratur. Ergo quod mens cogitando assequi de Deo non eualet, nec vllâ linguâ copiosiùs verbigerando; Angeli arcana perfectio velut diuinitatis speculum repræsentat; & oculis mitissimè loquitur, quod auribus mutè tacet. *Tibi silentium, laus Deus in Sion.* Recognosce nunc Dionysij verba: *Angelus est imago Dei, manifestatio occulti luminis: speculum clarissimum, suscipiens in se pulchritudinem omniformis Dei formositatis mundæ,* (& addit altiori stylo) *Resplendere faciens in se bonitatem silentij.* Quasi quod linguatior mens de Deo mutire non eualet, & silentio adorat, id Angelica natura, omniformis Dei formositatis præclarum speculum, spectatorum oculis eloquatur. *Lo arcano de las perfecciones de Dios, que enmudeçe la lengua mes suelta, vna simple vista de le naturaleça Angelica, no lo declara.* Quid illustrius, & exaggeratius. *Resplendere faciens in se bonitatem silentij.*

Psal. 6. v. 2. sic ex Hebræo quidam exscribunt.

4. Psalm. 102. v. 20.

Æterni Dei voluntas, voluntatem absorbuit Angelorum.

Bernardus altiorsùm expensus.

Regius Vates Psal. 102. ita occinit de Angelis. *Benedicite Dominum omnes Angeli eius: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius.* Quid est, quod Angeli *Verbum Dei facere* dicuntur? An merè expromptum eorum obsequium, quo diuinam faciunt voluntatem, an aliquid in obsequio excelsiùs denotatur? S. Bernardus adludens proculdubiò ad hæc Prophetæ verba, *Facientes verbum eius,* sic fatur de Angelis, elucidans illam Matthæi sententiam: *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra. Voluntas,* inquit, *diuina, quæ priùs Angelos creauit faciens eosdem, postmodum in eis facta beauit. Sicut enim Verbum, quod erat in principio carnem suscipiens dicitur, & verè dicitur, factum caro: sic & voluntas illa æterna in Angelo facta est, cùm Angelicam omninò in se absorbuit voluntatem.* Itaque in τὸ *facientes verbum eius* (id est Dei) sublimissimum quid Bernardus meditatur. ac si quemadmodum verbum factum est caro, ita (eo modo, quo per obsequium fieri potest) æterna Dei voluntas in Angelo facta sit, cùm eius voluntas *Angelicam in se absorbuit voluntatem.* Verùm quia pro re obedientiæ, hoc Angelorum elogium enucleauimus) sat esto, illud hìc non intermisisse. Conspicua sanè Angelorum prærogatiua, quòd Dei voluntas Angelicam *absorbuerit voluntatem*! Et quidem Cyrillus Alexandrinus Commentariis in Oseam: *Consueuerunt,* inquit, *sancti Prophetæ, Dei sermonem appellare Angelum, vtpotè annunciantem ipsis, & manifestantem voluntatem Dei Patris.* Et sic exponit illud Zachariæ: *Respondit Angelus loquens in me,* id est, sermo Dei loquens in me.

Sermo Dei appellatur Angelus.

Cyrill. in Oseam.

Zachar. 1. v. 9.

5. Matth. 10. v. 9.

Matthæi 10. Christus Deus Discipulos suos ad prædicandum mittens, vt in eis summam Euangelij perfectionem adumbraret, ait illis: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris, non peram in viâ, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam,* &c. Grauissimè Remigius apud Catenam: *Redigit eos,* inquit, *ad primi hominis dignitatem, vt nullâ re indigerent.* Opportuniùs S. Chrysostomus expendens quomodo Discipulos rebus etiam ad vitam necessariis expoliauerit: *Ipsos,* inquit, *ad vniuersi magisterium missurus, ad Angelicam, vt ita dixerim, disciplinam ex humana vita traducit, ab omni cura rerum secularium liberos reddens.* Quasi Angelus propè sit nullius rei indiguus, quæ propior diuinitatis æmulatio est, & summæ perfectionis tessera. *Proinde etiam nos Angelorum candidati,* à Tertulliano dicimur.

Remig. ibi.

Angelus propè nullius rei indiguus est.

Chrys. hom. 33. in Matt.

Tertull. de Orat. cap. 3.

6. Apocal. 5. v. 6.

Angeli dicuntur oculi & aures Dei.

Clem. Alex. 6. Strom.

Apocalypsis 5. *Vidi.* (inquit Ioannes) *Agnum in medio throni habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram.* Angeli ne, Dei oculi dicuntur. Pulchrè Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom. *Septem quidem sunt,* inquit, *quorum est maxima potentia, primogeniti Angelorum principes, per quos Deus omnibus hominibus præsidet, ideoque oculi Dei dicuntur in Apocalypsi.* Clementi Alexandrino Hebræus Philo adstipulatur, aiens: *Sunt quædam purissimæ* (substantiæ) *optimæque omnium, quæ altiùs diuiniúsque sapiunt aspernata ista terrestria & humilia, ministræ omnipotentis, tanquam magni Regis aures, & oculi audientes, videntesque omnia. Has Genios Philosophi, Angelos vocant sacræ literæ.* Quasi Angeli non tantùm sint magni Dei officiales administri, sed ipsa quodammodò diuina officia obeant: vnde Dei *aures & oculi* nuncupantur.

Philo de Somniis.

7. Blosius in dictis Patrum.

Angelorum erga homines charitas immodica dicitur.

Denique de Angelis ita scribit Ludouicus Blosius: *Hi præclarissimi filij, & amici Dei, ac præcellentes cælestis palatij Principes, ex immodica charitate sua tibi ad seruiendum subiecti sunt, eque tanto studio & cura custodiunt, vt nulla mens id planè capiat. Neque enim vlla vnquam mater erga vnicè dilectum filium suum regendum, custodiendum, tuendumque vigilauit, vti hi beatissimi spiritus saluti inuigilant: & præcipuè Angelus proprius tuæ speciatim custodiæ a Domino deputatus. Nam noctu & diu, in omni loco: & tempore, in cunctis caussis & necessitatibus tuis summa cum fidelitate tibi obest, & ne ad momentum quidem vnquam à te recedit.* Quod in Raphaële erga iuuenem Tobiam in hac eius historia videre licet. Qui cùm sit vnus è septem cælestis palatij Principibus, *ex immodica charitate sua illi ad seruiendum subditus fuit.* Vnde de tanto periculosi itineris comite prospera quæque sibi spondet Tobias, aiens: *Saluus perueniet filius noster, & saluus reuertetur ad nos, & oculi tui videbunt illum. Credo enim quod Angelus Dei*

Tobiæ 5. v. 27.

bonus

bonus comitetur ei, & benè disponat omnia quæ circa eum geruntur, ita vt cum gaudio reuertatur ad nos. Ad hanc vocem cessauit mater eius flere. Et nota, quòd Angelorum erga homines charitas, dicitur *immodica*, vt de vitij affinitate eius virtus explicatius exaggeretur; *immodicus* enim videtur amor, qui præcellentem cælestis palatij Principem, ad Tobiæ *seruiendum* addixit.

8. Lucæ 11. muto illo Dæmone coram excantato obmurmurant Pharisæi, quòd in Beelzebub dæmonia eiicit. Pharisaicam verò maledicentiam his verbis Christus refutat: Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet. *Si autem fortior illo superueniens, vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.* Quænam sunt hæc Diaboli *spolia*? & quibusnam Diabolum vincens, Christus Deus munificè distribuit? S. Basilius ita exponit præfata verba: *Distribuit spolia, exhibens fideles custodias Angelorum ad hominum salutem.* Nempe elogia Dæmonis, vtpotè eiusdem cum Angelis naturæ, & in naturalibus consortis, sunt agilitas, subtilitas, mens perspicacior, exsomnis, sedula, actuosior, sagax, indefessa, &c. Has omnes Diaboli opes, quibus eius census constat, Christus Deus eum nunc deuincens, velut detracta *spolia distribuit: exhibens fideles custodias Angelorum ad hominum salutem.* Itaque dedecebat vt Christus Deus Diabolum deuincens, *spoliorum* nomine, eius attributa homini in se ipso tribueret, nempè agilitatem, subtilitatem, mentis sagacitatem & reliquas Diaboli naturales dotes: ergo illas ipsas in Angelo custode hominibus assistrices beneficentiùs velut deuicti Dæmonis *spolia distribuit.* Argutè quidem Basilius.

Spolia deuicti Dæmonis, Deus hominibus distribuit, Angelos custodes eis exhibens. Lucæ 11. v. 22.

Basil. apud Caten. ibi.

9. Exodi 33. ob conflatilis vituli festam impiè adorationem, iratus Deus, sic loquitur ad Moysen: loquere filiis Israel, populus duræ ceruicis es, semel ascendam in medio tui, & delebo te. *Iam nunc depone ornatum tuum, vt sciam quid faciā tibi.* Caietanus *per τὸ ornatum* intelligit *arma*, Hugo Victorinus, primum tabernaculum exponit. Alij aliter interpretantur. Verùm Anselmus Laudunensis, quo pollebat ingenij acumine, de Angelorum custodia locum accipit, ita inibi scribens: *Depone ornatum tuum, &c. Manifestam Dei præsentiam, quæ illi populo per Angelum apparebat, ornatum eius intelligit. Vt sciam, inquit, quid faciam tibi, id est, scire faciam te quantum mali perpetraueris, quo Angelicā visitatione priuaris.* Nempè hominum *ornatus*, Angelus dicitur. Imò Deus iustissimè volens illum populum acerbiùs castigare, ob impiam ingratè idololatriā; Angelorum custodiam prius remouere satagit, vt duriùs populum punire liceat: O quàm multa quam paucis Moyses sub hac sententia insinuat! Angelum Deus amouere intentat, vt acerbiorem plagam immittat: Sic Angeli nostræ punitioni validè obsistunt!

Exod. 33. v. 5. Anselm. ibi.

§. CCCXCIX.

Salutaris Eucharistiæ esca, est vitiosarum affectionum consumptrix.

1. DE septem illis spiritibus, qui tanquam Angelorum Principes in Bibliis celebrantur, ita *P. Didac. de Celada in Tobiam.* scribit Cornelius Agrippa: *Hi sunt spiritus illi septem, qui semper astant ante faciem Dei, quibus credita est dispositio regni cælestis ac terreni, quod sub orbe Lunæ est. Hi enim vt dicunt secretiores Theologi, omnia regunt vicissitudine quadam horarum, dierum & annorum: quemadmodum de planetis, quibus præsunt, tradunt Astrologi, quos Trismegistus Mercurius idcircò vocat septem mundi gubernatores, qui per cælos tanquam per instrumenta coaceruatis omnium stellarum & signorum influentiis, eas in hæc inferiora distribuunt.* Hæc Rabbinorum opinio placuit Tritemio, & Frācisco Georgio placuit; & in re saltem morali valdè placeat necesse est iis, qui cælestium gratiarum influxus ministeriali Angelorū officio plerūque dispensari nouerunt.

Agrippa lib. de occul. Philos. cap. 24.

Cæli influentia ministerio Angelorum administrari dicuntur.

Genesis 28. Iacob patriæ profugus, & itinere lassus, pro molli puluillo durum lapidem capiti supponens, altè dormiit. *Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes super eam.* Per Angelos autem ascendentes & descendentes significari mysterium Incarnationis, in omnibus ætatibus per eos prædicatum, non pauci è magnis expositoribus adstruunt. Adeò vt dixerit Cyprianus, *A supernis legationibus incipit Euangelium: eius primi dictatores Angeli.* Quare) vt nuper ex Sophronio Ierosolymitano dicebamus, Angeli sunt, *Diaconi, & Apostoli, & Prædicatores, & Prophetæ, & Euangelistæ.* Quid tam Angelis sublime & hominibus proficuum, quàm Euangelicæ prædicationis felix auspicium ab Angelis dedicatum? *A supernis legationibus incipit Euangelium: eius primi dictatores Angeli.* Hanc nouam in terrā politiam Angeli è cælis inuexerūt, vt terrenos homines quàm ocyssimè ad cælestia corrigerent. Sic sollerter inuigilant, vt cælestis gratiæ influxus in homines deriuēt. O quàm vberes de his influētiis fructus terra spondet! 2.

Genes. 28. v. 12.

Ab Angelis incipit prædicari Euangelium.

Cyprian. de Natiu. Domini.

Sophron. in Encomio de Angu.

Lucæ 12. quò humanā spē ad cælestia erigat, hæc dictat Christus: *Cōsiderate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut vnum ex istis.* S. Ambrosius exponens inibi præfata verba, ita fatur: *Angeli verè istius mundi flores sunt, quòd eorum claritatibus ornatur mundus, & bonum odorem sanctificationis aspirant, quorum præsidio fulti, possumus dicere: Christi bonus odor sumus Deo.* Bellè dicuntur Angeli huius mūdi flores, quibus ad sanctitatum omnium venustatem ornatur. Sed putauerim, quod inaniter flores vernant, nisi fructūs autumnet: vacat enim picturata florum venustas, quæ in papillatos corymbos nec gemmat, nec suo tempore fructus parturit. florum gratæ pulchritudini, de fructuū spe præmaturè gratulamur. Verùm Angeli *flores* sunt, qui in hominibus, quos ad tutelam, & profectum circumstant, vberes virtutum omnium fructus spondent: inde nostram *sanctificationem aspirare* dicuntur, quasi diuinæ gratiæ seduli administri, sollicitā mediatione. Peruestigare autem oportet, quam *sanctificationis* gratiam *aspirent.* Inde forsā Iacob, Geneseos 48. dixit: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Communiter interpretes existimant hic agi de Angelo custode. Sed nota, quod in texto Hebræo, pro *Angelo* est vox הגאל *hagoel*, quæ vel *rediment*, vel *qui redimit*, propriè reddi potest. O gloriosum Angeli custodis elogiū, quo Christi Dei 3.

Lucæ 12. v. 27.

Ambros. ibi. *Angeli sunt flores qui in hominibus vberrimè fructificant.*

Genes. 48. v. 16. *Angelus custos appellatur Redemptor.*

prærogatiuam æmularu!O quàm multa in compendium redacta sunt!

4. S. Gregorius Nazianzenus in Oratione de S. Baptismo ita de Angelis adspectu ad sactum Baptismum fatur: *Secundum lumen est Angelus primi illius velut riuulus quidam aut participatio per propensionem ad illud ac ministerium illuminationem habens.* (& suprà scripserat verba notatu dignissima) *Hunc Angeli celebrant* (baptismum) *propter cognationis splendorem.* Quasi Angelicus splendor *cognationem* habeat cum baptismi splẽdore. Nimium Angeli, qui homines ad custodiã circumstant, eam gratiam *sanctificationis aspirant*, id est, ad tam puram sanctitatẽ, & virtutis excellentiam suos alumnos promouere student, & sollerter procurant, vt primam baptismi gratiam æmulentur, cum quâ Angeli aliquam *cognationem* habere videntur. Adeo vt prælustrem baptismi gratiam Angeli celebrent *propter cognationis splendorem.* Quasi natura Angelica aliquam habeat cum Baptismi gratiâ affinitatem; quia suis alumnis similem Baptismo gratiam suasionibus aspirant, arcanâ suadelâ afflant, defensione custodiunt, tutelâ protegunt, afflatu fouẽt, & promouere satagunt. Quid tam defæcatũ, sincerum, ac purum, quàm gratiæ splendor, qui recèns baptizatis affulget? huic baptismalis gratiæ splendori, quem in suis alumnis negotiari satagit, affinis est Angelicus splendor. (*Proindè nos Angelorum candidati* dicitur à Tertulliano.) Ergo *hunc Angeli celebrant* (baptismum) *propter cognationis splendorem.* Ad hoc sublimissimum gratiæ fastigium homines promouere sancti Angeli exambiunt, Quid illustrius?

Naz. Orat. de Baptism.

Angeli celebrant Baptismum, propter cognationis splendorem.

Tertull. lib. de Orat. cap. 3.

5. Illud Isaiæ 66. *Et adducent omnes fratres vestros de cunctis Gentibus in equis, & in quadrigis,* S. Hieronymus exponit de Angelis, dicẽs: *Diuersi generis vehicula, ministeria intelliguntur Angelica. His equis & curribus Elias raptus est, & Elisæus se seruari nescienti puero demonstrauit. Et Zacharias vidit in nocte equos rufos, nigros, varios, & albos; & dixit: Qui sunt isti, quos misit Dominus, & perambulant terram?* Nazarius in Panegyri Constãtino Augusto dictâ, de Angelorum auxilio ipsi in acie exhibito, ita eloquenter scribit: *In ore est omnium Galliarum, exercitus visos, qui se diuinitùs missos præ se ferebant. Sed quænam illa fuisse dicitur species? qui vigor corporum? quæ amplitudo membrorum? quæ alacritas voluntatum? Flagrabat verendum nescio quid vmbone corusci, & cælestium armorum lux terribilis ardebat: tales enim venerant, vt tui crederentur. Hæc ipsorum sermocinatio, hoc inter audientes ferebant. Constantinum petimus, Constantino imus auxilio:* (Nota quæ subiicit aurea ad rem verba) *Habent profectò & diuina iactantiam, & cælestia quoque tangit ambitio. Illi cælo lapsi, illi diuinitùs missi gloriabantur, quòd tibi militabant.* Videlicet splendida Angelorum manus Constantino venit auxilio, opemque opportunissimã in bello periculoso strenuè tulit. Quâ de re tam alacri exultabãt Angeli voto, tàmque exultanter gloriabantur de auxilio hominibus tempestiuè ferendo; vt si beatissimæ illæ mentes arrogantiæ forent capaces, tunc vel maximè superbirẽt. quod per hyperbolẽ dixit Nazarius, *Habent profectò & diuina iactantiam, & cælestia quoque tangit ambitio. Illi de cælo lapsi, illi diuinitus missi gloriabantur, quòd tibi militabant.* O pia Angelorum iactantia, & religiosæ officiositatis ambitio, qua de ope hominibus ferenda Angeli velut arroganter gloriantur. Sic est volupe, sic est Angelis gratum alumnis suis opportunè auxiliari.

Isaiæ 66. v. 20.
Hieron. ibi.

Nazarius in Panegyr.

Iactantia Angelos tangit, cùm opem hominibus ferunt.

6. Addit idem inibi Nazarius: *Romano quodam in bello ferunt duos cum equis iuuenes extitisse, spectatos forma pariter ac viribus, quia in dimicando præter ceteros insignes fuissent, iussu Imperatoris ad remunerandum requisitos, vbi nullus inueniebatur, fides habita est diuinos fuisse, quòd laborem sedulò communicassent, laboris pretium respuissent.* Similem ad modum Raphaël Angelus cùm ad eius officia largè muneranda ab vtroque Tobia accitur, *ab aspectu eorum ablatus est, & vltra eum videre non potuerunt.* Hinc etiam fides habita est cælestem fuisse, *quòd laborem sedulò communicasset, laboris pretium respuisset.*

Idem Nazar. sup.

Raphaël probatur Angelus, quòd laborem sedulò communicasset, laboris pretium respuisset.

Tobiæ 12. v. 21.

7. Psalmo 90. sic pangit regius psaltes: Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo: *Quoniam Angelis suis mandauit de te vt custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Ad quæ verba alludere videtur Tertullianus, aiens *Angelis baiulis sustentatur.* (quæ verba memini me in Tertulliano legisse, vbinam, non facilè inuenio) quasi Angelus sit hominis, velut infantis gerulus, quæ sedulæ officiositatis munia Raphaël Tobiæ in tam prolixè periculoso itinere exhibuisse narratur.

Psalm. 90. v. 11. & 12.
Matth. 3. v. 6.

Tobias iunior Angelo velut baiulo vtitur.

Tertull.

8. Quasi parùm foret quòd dixerat Paulus de Angelis; *Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis*; addit Tertullianus: *Nos diuina officia Angelos credimus*, quasi non tam dicantur Dei officiales, quàm *officia* Dei ad prouidenter res humanas gerendas; & cuique rei seu congrua naturæ ornamenta, seu indebita gratiæ dona largiter præbenda. *Deus erat in Angelis* (ait Augustinus) *condens naturam, & largiens gratiam.* Deus est in Angelis, vt naturam condat, & largiatur gratiam: Naturæ & gratiæ opera in Angelis velut in quadam omnipotentiæ & beneficentiæ officina Deus exercet. O quàm multa quampaucis insinuat Augustinus? quæ sat esto, perstrinxisse.

Ad Hebr. 1. v. 14.
Tertull. de Anima cap. 37.

Deus erat in Angelis condens naturam, & largiens gratiam.

August. 12. de Ciuit. c. 9.

9. Idem inibi Tertullianus, agẽs de homine morti proximo, ita scribit: *Tunc & (anima) enunciat, quæ videt, tunc exultat, aut trepidat, prout paraturam diuersorij sui sentit, de ipsius statim Angeli facie, euocatoris animarum, Mercurij poetarum.* Benè Angelus custos Mercurio comparatur. Pennatos habet pedes ob celeritatem, eloquentiæ & suadelæ Deus est, lucris præsider, & alia istiusmodi plura munia in hominum gratiã obire Gentiles poëtantur, quæ aptiùs in Raphaëlem erga nostrum Tobiam quadrant. Minus est quod fabulosa antiquitas finxit, quàm quod Raphael gessit; maiorque ambitioso mendacio simplex veritatis fides. Ergo fidẽter Tobias prædicit: *Saluus perueniet filius noster, & saluus reuertetur ad nos, & oculi tui videbunt illum. Credo enim quòd Angelus Dei bonus comitetur ei, & benè disponat omnia, quæ circa eum gerentur, ita vt cum gaudio reuertatur ad nos. Ad hanc vocem cessauit mater eius flere.*

Tertull. de Anim. c. 52.

Angelus custos similis perhibetur Mercurio Poëtarum.

Tobiæ 5. v. 27.

10. Canticorum 2. cælestis spõsus, sponsæ sancius amore: Surge inquit, propera amica mea, quid segnis moras nectis, & velut fastidiosa ad nuptias cunctaris? Florida Sanctitatum prata, quæ in te nunc gratiùs vernant, me acriùs ad amore exstimulant. *Surge, propera amica mea, speciosa mea,*

Sponsa de Angelorum sollicitudine, ardentiùs adamatur à sponso.

Cant. 2. v. 14.

&

& veni: columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ. Ostende mihi faciem tuam, &c. Qui nunc celestem sponsum ad sposæ rusticanæ & fastidiosæ amorem gratiùs allicit, vt moræ impatiēs, nuptias accelerare ambiat? Elegāter inibi Aurelius Cassiodorus: *In caverna maceriæ moratur, qui præsidio Angelorum vndique circundatur, & à tentationibus Diaboli custoditur.* Ecce tibi, quàm munda è mundiali squalore, & tanto connubio digna apparet sponsa, quæ de Angelorum præsidiario fauore munitur, & excultiùs ornatur. Quæ alioqui fastidium sui moueret, vel fastidiosa ipsa, cælestis sponsi nunc amorem sauciat. Hæc sumptuosior venustas de Angelorum circumstantiâ venit.

Cassiod. ibid.

§. CCCXCIX.

Vel Angelus gerens humani Medici personam, vt curet, copiosè muneratur.

1. HOnos alit artes, Medicinam nummus. Adeò vt prisca eruditio, quæ medicinam in cælo collocauit, Æsculapium inter numina in cælo eum ab hâc sordidâ cupiditate eximere non potuerit. quasi nesciuerit Deum medicum fingere, quia auarum effingeret, cognato medicinæ elogio. Potuit quidem Iuppiter hoc vitium supplicio mulctare, sed culpæ notam non valuit eluere, nec auaritiam in Æsculapij successores medullitùs serpētem, grauis mulctæ cauterio sistere. Audiendus est Tertullianus qui cælum de medicinâ sic eleganter vellicat: *Est & ille de lyricis (Pindarum dico) qui Æsculapium canit auaritiæ merito, qua medicinam nocenter exercebat, fulmine vindicandum. Malus Iuppiter, si fulmen illius est, impius in nepotem, inuidus in artificem.* Nempe, est inter poetas Lyricos Pindarus, qui canit Æsculapium fulmine percussum à Ioue propter auaritiam: is enim Hippolytum restituit vitæ, auro victus. Sed esto fulmen sit Iouis, pessimus quidem est, quia impius in nepotem Æsculapium, (fuit enim is Phœbi filius) & inuidus in artificem sanitatis. At si quoties argento vincitur Medicina, à Ioue Medicus fulminatur, puto tam Iouis pharetram fulminibus vacuam fore, quàm Medicorum crumenam auro & argento plenam. Ioui fulmine potuit Medicus decinerescere, sed de Medici cineribus rediuiua exurgit nummorum cupiditas, & fœcundè sobolescit; quasi pecunia largiùs donata, sit remediorum medicum conflatorium.

Tertull. in Apolog. c. 14.

Vel Medicus inter numina relatus, adhuc auaritia notatur.

2. Lucæ 10. hanc parabolam ethicæ eruditionis plenam, Christus Deus Legisdoctori curiosè imperito proposuit. Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum: & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. Primùm Sacerdos, mox Leuita illum prætereunt, nec opem miserè sauciato ferunt. Samaritanus autem quidam iter faciens, & videns eum, misericordiâ motus est. Et appropians alligauit vulnera eius, & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam illius egit. *Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcumque supererogaueris, ego cum rediero reddam tibi.* Sancti ecclesiæ Patres, & politiores huius loci interpretes ad hunc locum, & in Ioannis cap. 8. vers. 48. seriò censent, hunc Samaritanum esse Christum Deum. Quis autem fuerit Stabularius, cui ægroti curam commendauit, non ita inter ipsos conuenit. Alij Apostolos esse censent, alij Episcopos, alij Angelos. Origenes, qui hunc Stabularium putat esse Angelum, sic ad rem fatur, ad ea verba: *Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe,* &c. *Cùmque vellet Samaritanus mane proficisci, de probatâ pecuniâ suâ tollit duos denarios, & donat Stabularium, seu Angelum Ecclesiæ, cui præcipit vt diligenter curet eam, & ad sanitatem vsque perducat.* Benè est, libenter adsentio Patribus asserentibus, *Samaritani* nomine Christum Deum intelligi, qui apud Ioannem non renuit Samaritanum appellari: & si *Stabularij* vocabulo Angelus medicus intelligitur, *cui præcipit vt diligenter curet eum, & ad sanitatem vsque perducat*; quid est, quòd dum Samaritanus, id est, Christus, præcipit Stabulario, id est, Angelo medico, vt huiusmodi infirmum curet, statim *de probatâ pecunia sua tollit duos denarios, & donat Stabularium seu Angelum?* Quin & spondet larga in reliquum stipendia. Christus ne Deum Angelum suum probatâ pecunia muneret, cùm Angelo ministerium aliquod committit? An non sunt administratorij spiritus ex Angelico officio? Esto parabola sit, at parabola est verosimilis personarum, & sermonum fictio. An verosimile est, Christum Deum munerare Angelum de pecunia sua, vt aliquod obeat ministerium? Verùm cùm ministerium curationis Angelo mandat, fat verosimiliter de probata pecunia sua denarios protulisse dicitur, & eis medicum Angelum munerasse, & largam exinceps spopōdisse mercedem *vt diligenter curet eum, & ad sanitatem vsque perducat.* Nimirùm dum vel Angelum medicum, more & ingenio humano proponit, argenteum etiam stipendium proposuit, vt de iussu etiam domini sui infirmo diligenter medeatur. Quid luculentius? Vnde hic vers. 19. dum Angelus Raphaël, id est, medicus, pollicetur sanum ducere & reducere Tobiam iuniorem, ait senior Tobias, vt habetur in Bibliis Compl. *Sed dic quam tibi ero mercedem daturus? drachmam in die, & necessaria, sicut & filio meo. Et insuper addam tibi supra mercedem, si sani reuerteritis.* Vel Angelus medicus sub humana specie medicam opem pollicitus, argenti drachmas expetit? Et sanè eas non repudiauit, quousque apparentiam exuit humanam, & gloriosè Angelicam induit. O moralissimam eruditionem! Pauper erat Tobias, qui operaria matris suæ mercede victitabat: pauper erat æger ille, qui in via despoliatus semiuiuus fuerat derelictus: & tamen hic denariis, ille drachmis numeratis, & auctario insuper promisso, vel ab Angelis sub humana specie inductis, curari dicuntur. Sic ægris pauperibus gratis nosse medicos non licet! Scio aliquos liberali erga pauperes ope medica in primis laudabiles. Sed heu pauculos! plures vellē hac ethica admonitione misericordibus aggregare.

Lucæ 10. v. 35.

Ioann. 8. v. 48.

Angelo medico Christus Deus duos denarios donat, vt pauperis infirmi curam habeat.

Tobiæ 5. v. 19.

Hic v. 15. &c.

3. 4. Regum 5. Cùm Naaman regis Syriæ princeps, horrendæ lepræ contagio sibi iam, & cunctis horrori esset: dolebat rex Syriæ strenui se ducis priuari auxilio. Tunc audit Naaman in terra Israëles Eliseum esse prophetam stupendis operibus nominatum, per quem posset lepræ contagione detergi, quod quam auidè Amam percupiebat. Porrò *quia homo habetur voluntarius in delitiis, in largioribus sentitur initus,* ait Chrysologus

Chrysol. ser. 45.

gus. Acceptis ergò à Rege litteris, ad regem Israëlis vadit. qui attonitus desperatæ salutis petitione scissis vestimentis nimis anguntur. O fides Naamani Principis! O istius perfidia regis! Diffidunt qui nouerant; & qui non nouerant, credunt. Domestici repugnant, & externi festinant. Rex Syriæ credit posse fieri, quod audierat: & rex Israël non credit fieri posse quod nouerat. Qui prædicare debuit, destruit: & qui destruere potuit, festinauit: vt tantò gloria potior esset externis, quantò domesticorum perfidia clarius innotuerat. Cùm Regis commotio ad Elisæum deferretur, Naamanum ad se vocari iubet, quem mittit in Iordanem, vt eius flumento septies abluitus, mundaretur. *Scilicet sine tormento cura, sine horrore remedia, sanitas impunita*, quod de balneis dixit Cassiodorus. Tandem Naamanus adnuit, & septenâ adulatione iam mundus, miratur detersum tanti temporis vitium medicâ Prophetæ ope. Verùm Naamanus vbi salutem a morbi contagio recepisse vidit, confestim cum omni comitatu suo ad sanitatis redit artificem. Sed quia Eliseum expertus erat, & Dei prophetam, & sanitatis præbitorem: Prophetæ fidem in Deum Israëlis offert: Medico autem opulenta munera defert, aiens: *Obsecro itaque vt accipias benedictionem à seruo tuo.* Sed quia Naaman, vt certus erat, quam medicam opem Eliseus tulerat, argenti talenta accepturum; ambigebat, an quoniam erat Propheta, ea fortè respueret; hanc auri & argenti oblationem hàc opportunâ ecphrasi sic denarrat, & exponit Chrysostomus: *Tunc latus Naaman Elisæo offert munera: tunc sanitatis voto dona vt accipiat, deprecatur. Accipe, inquit, accipe munera, quæ offero tibi: quæ domo tuli, libenter assume. Non enim pretium curationis est istud, quod tribuo, nec sanitatem perceptam isto munere redimo.* Verùm animaduersione dignissima est caussa, quam subdit Eliseus, vt oblata munera pro acceptâ sanitate repudiet. *Mihi, inquit Eliseus, quod offers, non accipio, quod ingeris, vt alienum recuso. Nec ipse tibi sanitatem, qua lætus es, præstiti, nec perniciosum vitium in te ego ipse correxi: nec natura, vt æstimas, reddidi: sed est potens in cælestibus Deus, cuius imperio seruio, &c.* Nimirùm dum Naaman opulenta auri & argenti munera sanatori Prophetæ offert, *sanitatis voto dona vt accipiat, deprecatur.* quasi ipsum sanitatis accipiendæ desiderium, sit præbendorum munerum *votum*, quo sanitatem percipiendam præuio munere *redimat*. Pecuniarum pretio, salutis accipiendæ spes ab ægroto redimitur, dum medicum tanquam auarum redemptorem aduocat. Non isto nomine, ait Naaman, te muneribus onerare cupio, scio enim auaritiam à Prophetâ exulare: sed saltem quia me curasti, accipe. Ergò Eliseus quod illi ob datam sanitatem offertur, *vt alienum recusat*, quia non à se, sed à Deo facta fuerat salus. Nempè Propheta, quæ sanitatis voto dona offerimur pro sanitate acceptâ, iure quasi *aliena recusat*; quia non tam ipse, quàm Deus medicam vim morbo immedicabili adhibuit. Quasi dicat: Voto sanitatis acceptæ, munera sanatori debentur, ea Deo offer, non mihi; ille te sanauit, non ego: inde non mihi, sed illi debentur, quò sanitatem acceptam munere redimas. Verùm quia ope Elisæi Naaman sanatus est, tandem eius nomine duo argenti talenta Giezi acceptauit, ne medicinæ opem sine argento redemptam videremus: Sic est opulenta muneratio, auaræ medicinæ cognata: Sic sanitatis voto dona debentur sanitatis artifici: Debeant, per me, diuites: at pauperculus & inualidus, in Medici auaritiâ miserè tumulabitur? Fas est, vt pereat quia non habet drachmam, quam Medicus drachmis reponat? quia non habet denarios, quos in scrinio suo adaggeret? O medicorum quorundam homicidia, & dum curant diuites, & dum pauperes curare negligunt! Medicis stipendia debentur: sed sicut nobiliorum diuitum opulentia, sic etiam & sapientum medicorum peritia, pauperibus stipendiaria eminet. Pietatem quorundam imitentur reliqui, ne ars liberalissima in auaritiam degeneret.

Sanitas impunita balnearum beneficio.

Cassiod. lib. 2. epist. 39.

In desiderio salutis accipiendæ à Medico, votum largiendi muneris latet.

4. Reg. 5. v. 15.

4.

Ægrotus sanitatem pecuniâ redimit à Medico

Chrysost. homil. de Naaman Syro.

---

§. CCCC.

Eucharisticus cibus & potus, victus est, & vita Angelica, & humanæ substantiæ.

IN huius historiæ capite 2. denarratur, quòd cùm esset dies festus Domini, & *factum esset prandium bonum in domo Tobiæ*, misit vt pauperes & timentes Deum ad conuiuium vocaret. Et 1.
in hoc cap. 7. post nuptias celebratas, nuptiale apparatur epulum: *Et post hæc epulati sunt, benedicentes Deum.* Festum autem & nuptiale conuiuium in Hæbræo populo (cui omnia in figurâ contingebant) Eucharisticas dapes adumbrare, in confesso apud commentatores est; præsertim cùm epulum honestat Benedictio, quod est Eucharistiæ notaculum, & solennis character huius conuiuij, quo beneficentissimè Deo vescimur, & potamur. Quà super re de more paucula iam libamus, quibus huius cælestis cibi fames inacerescat, vsque ad empyreæ gloriæ velut famescentem cum Angelis saturitatem. Hìc enim Angelus vtrique Tobiæ dixit: *Ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.* Hic v. 19.

Cur hic agatur de Eucharistia sacramento.

Matth. 26. cœnantibus eis, accepit Iesus panem, 2.
& benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: hoc est corpus meum. *Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis.* Quid est, quòd vitalem & Eucharisticum calicem, ipse morti proximus manu apprehendens, vt illum Discipulis potandum largiatur; tunc *gratias agit?* Cuinam, quoniam se hominibus Deus donat, *gratias agit?* an sibi, quia se ipsum aliis donat? an hominibus, quia tantum donum accepturi erant? Remigius præfata verba sic exponit: *Et accipiens calicem gratias egit & dedit illis, In quo ostendit quantum de nostrâ salute gratuletur.* Sibi, vero Deo, an hominibus iam accipientibus *gratulatur* de *sanguine intra viscera sepulto?* (quod aliorsùm dixit Tertullianus) ó præclarum & diu expetitum Christo Deo sepulchrum! *Et erit sepulchrum eius gloriosum.* Gloriosum diuinæ charitatis ostentationi, & humanæ conuiscerationi gloriosum. Vel potiùs in hoc calice ostendit quantum de humanâ salute & vitâ *gratuletur*, qui inuentâ oue dudùm perdita, amicis & vicinis dixit: *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat.* Exindè amica ouis, (idest, homo perditus) vt ostendat quantum sibi de eius salute & inuentione *gratuletur*, in Eucharistico calice sculpi voluit. Quod eruditè his verbis Tertullianus tradit: *A parabolis licet incipias, vbi est ouis perdita, & humeris eius reuocata. Procedant ipsæ pictura*

Matth. 26. vers. 27.

Christus præbens calicem, ostendit quantum de nostrâ salute gratuletur.

Remig. ibi. apud Caten.

Tert. Apol. cap. 9.

Isaiæ 11. v. 10.

Lucæ 15. v. 6.

Ouis perdita, in calice insculpta est.

Tertull. lib. de Pudicit. cap. 7.

picturæ calicum vestrorum, si vel illis perlucebit interpretatio pecudis illius. Ipse Eucharisticus calix est interpretatio ouis dudum perditæ, & feliciter inuentæ: ergo de eius inuentione sibi exposcat congratulari, qui *accipiens calicem, gratias egit: in quo ostendit quantum de salute nostra gratuletur*: de vitâ inquam,nostra,cui æternùm nutriendæ hoc Eucharistiæ sacramentum apparatur. Ergo de eo instituto, humanæ vitæ exultanter *gratulemur.*

3. Psalmo 77. sic occinit regius Vates: Et pluit illis manna ad manducandum: & panem cæli dedit eis. *Panem Angelorum manducauit homo, cibaria misit eis in abundantiâ.* Non facile expediunt interpretes, quam ob rem Eucharistia, *Panis Angelorum* nominetur. Nunquid Angeli hoc pane vescuntur, & vino potantur? Hicne panis cælicus pro Angelis aledis Ecclesiæ datus est? An cibus naturali Angelorum inediæ destinatur? Vt interim alios omittam, sic Rupertus hoc dubium proponit, illique peracutè respondet: *Quis namque hic panis cæli, panis Angelorum? Numquid Angeli illo pane cibantur in cælo, & quem populus ille colligens, frangebat molâ? Ergo panis cæli, panis Angelorum, ille est, qui in Euangelio suo dicit: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi: si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* (libranda sunt attentiùs verba, quæ subscribit Rupertus) *Hic enim victus est, & vita Angelicæ substantiæ: nam in eum desiderant Angeli prospicere: quia quòd contempsit Angelus, cecidit, & factus est diabolus, qui huius panis sempiternam patiens inediam, semper est pallidus, & mors illum sequitur.* Scilicet Eucharisticus cibus, Angelorum panis meritò nominatur: *hic enim victus est, & vita Angelicæ substantiæ.* Hoc alimento constat spiritualis & empyrea Angelorum vita: Beatitudinis pignus, & cælestis gloriæ obses, in hoc pane mortalibus datur: hic verò panis Deo plenus, mentis ore ab Angelis gustatus, eorum beatitudo est,& olympica Angelorum gloria:hoc enim victu alitur cælestium spirituum beatitudo, & beata Angelicæ substantiæ vita constat. *Hic enim victus est, & vita Angelicæ substantiæ.* Exindè Angelos nequam semper mors sequitur, & æternam de inediâ viuunt mortem,quia *huius panis sempiternam patiuntur inediam.* Ergo Eucharisticus cibus, victus Angelorum est; Angelicæ substantiæ vita, & beatum cælestis militiæ salarium. Hoc cibo Raphaël vescitur, aiens: *Ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.*

Psalm.77. v.25.

Eucharisticus panis, victus est, & vita Angelicæ substantiæ.

Rupertus lib. 3. in Exod.

Ioan. 6. v.51.

Hic v. 19.

4. Geneseos 18. inter meridiandum in conualle Mambre sedet Abrahamus ad ostium tabernaculi. Cúmque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum: quos cùm vidisset, occurrit in occursum eorum,& adorauit in terram. Et dixit: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum: sed afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes vestros, & requiescite sub arbore. *Ponamque buccellam panis, & confortate cor vestrum, postea transibitis: idcircò enim declinastis ad seruum vestrum.* Angeli sub humanâ forma Deum repræsentantes, Abrahæ in ipso feruore diei apparent, ipse post ablutionem pedum, *buccellam panis* ad confortandum cor arcanè illis offert in figuram Eucharistici panis (*in vnum corpus Christi redacti*, ait inibi Strabus Fuldensis) Et addit Abrahamus: *Idcircò enim declinastis ad seruum vestrum.* Nempe vt post pedes ablutos *buccella panis* Eucharistici figuratè reficiamini. Sic Eucharisticæ *buccellæ* inhiant Angeli, vt idcircò apparuisse Abrahamo dicantur, vt diuinè hoc pane delicientur, saginentur, *reficiantur*? Vel Angeli specie tenus corporati, non priùs huius panis figuram comedunt, quàm pedes abluant: Vel huius sacramenti vmbra sic à cælitibus tractatur, sic expetitur: Angeli in cælo re Eucharistiæ adipantur: (*hoc enim victus est, & vita Angelicæ substantiæ*) & cùm in terras descendunt, sic esuriunt hunc victum, vt idcircò ad Abrahamum declinent, vt huius *panis buccella reficiantur*: Ad hoc sacramentum eruditus quispiam accommodat, quod S. Paullinus aliàs dicit: *Sollicitas potius gulam charitatis.* Pia quædam *gula*, hæc huius *buccellæ* appetentia in Angelis dici potest. Res huius panis est victus, est vita Angelicæ naturæ, quo ore mentis in cælis æternùm vescuntur; & eius vmbram sic in terris esuriunt, & tantâ esurie sollicitant; vt *idcircò* in ipso feruore diei ad Abrahamum declinasse dicantur. Toto Deo cibamur Angeli, & adhuc esuriunt: ô piam Angelorum velut *gulam*! Heu! sæpè fastidiosam hominum nauseam! Cælestis huius sacramenti, quæ est victus,& vita Angelicæ substantiæ, sic negligetur.

Gen.18. v.5.

Strabus ibi.

Piâ quadam gulâ, huius panis buccellam expetunt Angeli.

Paullin. epist.2.

5. Ioannis 6. his verbis Christus Deus Discipulos de fidei mysteriis instruit: *Spiritus est, qui viuificat: caro non prodest quidquam? verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Nam quod natum est ex Spiritu, spiritus est: quod autem ex carne nascitur, carnis censu consignatur. Quibus verbis caro Christi, quæ hoc sacramento censetur, à re *Spiritus* & *vita* ablegari videtur, & inter reiectanea, & quæ nihil prosunt deputati. Sed præstat, Christi carnem, quæ ex Spiritu viuificante singulariter concepta est, velut spiritum viuificantem nominare. Non quòd reapse caro non sit in almo Virginis vtero physicè coalita; sed quia officia spiritus, & vitæ affatim præstat, & quia *Verbum caro factum est.* Audiendus est de re hac Tertullianus ita subtiliter prædictum Ioannis locum elucidans: *Præmisit*, ait, *Spiritus est, qui viuificat*; *atque ita subiungit: Caro nihil prodest ad viuificandum scilicet*; *sermonem constituens viuificantem, qui spiritus & vita sermo. Eandem etiam carnem suam dixit, quia & sermo caro erat factus:* (Verbum caro factum est) *proinde in caussam vitæ appetendus, & deuorandus auditu, & ruminandus intellectu, & fide digerendus.* Quod de verbis Dei Christus dixit, quòd *spiritus & vita* sint, id etiam de carne sua pariter dixisse existimandum est. Cùm enim Christus sit Verbum caro factum, quod verbo adscribitur, carni competit, viuificare inquam. Ergo expedit, & valdè expedit, vt in Christi carne hanc spiritus viuificantis accidentiam recognoscamus. Nemo, nemo inquam, exinceps mutiat: *Durus est hic sermo.* Appetatur in caussam vitæ; est enim hæc caro vitalis,& spiritualis vita humanæ, & Angelicæ substantiæ: quæ & qualis sit, deuoretur auditu, ruminetur intellectu, & mentis ore, citiùs quàm ore materiato, charitate concoquatur, fide digeratur, vt ad mores transeat; quò vitali hoc cibo ad æternam vitam mortales enutriantur, facti Angelorum candidati: *hic enim victus est, & vita Angelicæ substantiæ.* Inde Angelus Raphaël hoc nuptiale epulum hîc experit, illi lætus adest: illo opulentè saginatur; & opiparè deliciatur, *Et epulati sunt, benedicentes Deum.*

Ioann.6. v.64.

Caro Christi, accidentiam carnis velut desinens, spiritus & vita dicitur.

Tertull. lib. de Resurr. Carn. cap. 37.

Ioann. 1. v.14.

Ioan. 1. v. 14.

6. Ioannis 6. inter alia elogia, quæ de hoc cæle-

ſti pane prædicat Chriſtus: hoc etiam tradit: *Hic eſt panis, qui de cælo deſcendit. Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Ecce tibi, hic cibus vitam eternam præbet, nutrit, & fouet vſque ad beatam æternitatem. Proinde dixit luculenter Ambroſius: *Hic eſt cibus, in quo vita definitur æterna.* Quaſi Euchariſtia ſit æternæ & beatæ vitæ præclarè compendioſa definitio, quâ eius quidditas (vt aiunt Dialectici) & eſſentia declaratur. In arcto pane, & breui vini guttula, immenſa beatæ vitę per æterna ſecula perennaturæ, felicitas continetur, editur, & potatur? O arcanè viuificam Euchariſtiæ ſaginam, quâ perennaturæ feliciter vitæ æternitas definitur, opulentâ beatæ æternitatis notione! Quiſquis huius conuiuij exgtex habetur, & vitæ exul haberi neceſſe eſt. *Amen, amen dico vobis: Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Qui ſe hoc viuifico pane interdicit, ad gratiam languet, in viuo corpore planè cadauraſcit, & ad mortem vergit æternam, huius viuificæ alimoniæ inediâ præmaturè euectus, & fame rumulatus. Heu viuas horum exequias! *Hic eſt panis, in quo vita definitur æterna.*

Ioann. 6. v. 59. *Euchariſtico pane vita definitur æterna.*

Ambr. lib. de Paradiſ. cap. 9.

Ioann. 6. v. 54.

§. CCCCI.

Dei theſaurus, qui in Euchariſtico epulo cenſetur, quàm largè accipiatur velut furtiuâ acceptione, plurifariam expenditur.

1. TErtullianus in lib. 2. ad vxorem, agens de Chriſtianorum matrimonio, ita ſcribit: *Dubitandum, & inquirendum, & identidem deliberandum eſt, an ideò ſit inueſtis dotalibus,* (id eſt, nuda opibus, non veſtita dotibus) *cui Deus cenſum ſuum tradit.* Et continuò tradens, quiſnam ſit hic opulentus Dei *cenſus*. hæc ſubdit: *Vnde ſufficiam ad narrandam felicitatem eius matrimonij, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio,* (*ſacra Euchariſtia*, ait Commentator) *& obſignatum Angeli renunciant* (quod idem Cerda de Raphaële exponit) *in Eccleſiâ Dei pariter, in conuiuio Dei pariter,* ſic legit Vvouerenius, approbat inibi Cerda, additque, *Et erit Euchariſtia.* Ecce tibi in matrimonio Chriſtianorum (quos homines *eiuſdem ſpeciei* mox appellat) *dotis* nomine Euchariſtia offertur, ſumitur Euchariſtia: & hæc opulenta dos; *Dei cenſus* dicitur. quaſi in Euchariſtico pane Dei opes cenſeantur, ad tantæ opulentiæ notionem.

Tertull. lib. 2. ad Vxor. cap. 9.

Dei opes, Euchariſtiâ cenſentur.

Cerda ibi. n. 62.

2. Ioannis 6. innumeram hominum turbam, in deſerto tridui inediâ famelicam, videns Ieſus, dixit ad Philippum: *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* (& ſanè miriſſimum eſt, quod in illuſtriori Euchariſtiæ ſymbolo hîc expreſſo, empti panes, quaſi alieni forent; huius ſacramenti hieroglyphicum exhibuerint.) Itaque emptis pecuniâ quinque panibus, iuſſit homines diſcumbere. *Accepit ergo Ieſus panes: & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus.* Nimis moroſus eſſem, ſi ex SS. Patribus & expoſitoribus nunc probarem, Euchariſtiæ ſacramentum hîc adumbrari: hoc enim notius eſt, quàm vt probatione indigeat. Baſilius ergò Seleucus, ita fatur ad præfata Ioannis verba, *Cùm accepiſſet ergò Ieſus panes, &c.* ô quas tūc res videre fuit! *Panes parturiebant panes, & menſæ alimento extemporario differtæ erant; panes abſque ruſticano ſudore parti, non de ſpicis, ſed de Domini manu efflorеſcebant,* Dei manus hoc cæleſti pane fœcundè grauida, panes parturit: & panes *de Domini manu efflorеſcebant.* Hæ cæleſtes dapes, flores ſunt, qui opimos gratiæ fructus nobis feliciter ſpondent. O affatim diues homo, cui Euchariſticus panis floret, cui ad cæli prouentus fructificat!

Ioann. 6. v. 5. & 11. *Panes parturiunt panes, & de Chriſti manu efflorеſcunt.*

Baſil. Seleu. Orat. 32.

3. Aliter hanc panum extemporalium multiplicationem Chryſologus verſat, elucidans præſcripta verba: *Accepit ergò Ieſus panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus,* &c. (ſic Chryſologus fatur) *panes quinque fragmento profluo, & furtiuo incremento, ad quinque millia hominum dilatauit ſaginam.* Quid *furti* nomen in tam beneficè largâ muneratione auditur? Quid in Euchariſtiæ hieroglyhico, cum re furti? An quia hîc exaggerationis ſignatio charitatis erga homines, illorum corda ſenſim ſuffuratur! An quia velut *furtiuum* videtur, quod tantâ largitate impenditur? An quia Euchariſtiam dignè ſuſcipiens tam copioſam in ſe gratiam accumular, vt Dei theſauros expilaſſe putetur! ô quaſi *furtiuum* panum cum cumulo gratiarum incrementum! ô velut effuſam liberalitatem! Dei cenſus Euchariſtiâ conſtat; de Euchariſtiâ æſtimatur, in Euchariſtiâ traditur, ô feliciſſimum illum, *cui Deus cenſum ſuum tradidit!* O piâ furacitate huius panis inopinatam felicitatem! Inde forſan Tertullianus agens de Euchariſtiâ dixit: *De cibo, & populo inuadere, deſiderare, in mente habere,* &c. Commentator exponens τὸ *inuadere*, quod cum magna emphaſi ſcribitur, ita fatur: *Sub vtraque ſpecie illo tempore conuiuium Domini celebrabatur, quod tanta auiditate arripiebatur, vt illud Inuadere dicerentur.* O bona velut furtiui panis *inuaſio! tanta auiditate arripiebatur!*

Ioan. 6. v. 11.

Chryſol. ſer. 169.

Velut furtiua dicitur gratia quæ in Euchariſtia impenditur.

Inuadenda eſt Euchariſtia.

Tertull. lib. 2. ad Vxor. cap. 4.

Cerda ibi n. 28.

4. Geneſeos 2. homini recens creato in feliciſſimo innocentiæ ſtatu, præcepit Deus: *Ex omni ligno paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Comedit homo, & ab illa felicitate miſer excidit, miſerrimæ addictus morti. Ergò quod homo comedendo perdidit, comedendo reſtauret, & cibi antidoto, & cibi venenum euacuet. *Tentatus eſt homo à Diabolo,* (ait Rupertus) *& victus eſt, vt illius tentatoris fraudem vincat, & tali antidoto iuxta naturam morbi competenter vitæ ſuæ ſubueniat. Tentati ſunt primi homines à Diabolo dicente: Comedite, eritis ſicut Dij: & crediderunt ei pluſquam Deo dicenti. In quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini. Proinde tentatur à Filio Dei dicente: Comedite: hoc eſt corpus meum: hic eſt ſanguis meus: Comedite & eritis Dij; & credamus verbo eius pluſquam oculis noſtris carnalibus, qui non niſi exteriorem panis & vini ſpeciem intuemur: & ita iniquam credulitatem parentum noſtrorum pia credulitate in nobiſmetipſis euacuemus.* Ecce Euchariſticus cibus, ambiendæ deitatis crudelitatem euacuat quâ primi parentes in cibo paradiſeo toxicati ſunt. Comedendo ceciderunt à feliciſſima paradiſi gratiâ, & fortunatiſſimo innocentiæ ſtatu, tot gratiæ dotibus opulento: igitur (ait Tertullianus) *homo per eandem materiam cauſſa ſatis Deo faciat, per quam offenderat.* Vberioris gratiæ obſidem, & potioris immortalitatis ſpem, Eucha

Geneſ. 2. v. 16.

Euchariſtia ſtatum innocentiæ quodammodò recuperat.

Rupertus lib. 3. in Exod.

Tertull. de Ieiun. cap. 3.

Eucharisticus cibus ingerit, quàm in paradisi cibo Dæmon suggesserat. Deo potiùs crede, qui Diabolo credidisti, vt æmulo modo per eandem materiam caussæ satis Deo facias, per quam offenderas. O rape de hoc epulo mortalitatis antidotum, & probatissimum primordialis delicti amuletum!

5. Exod. 16. v. 4. & 18. Exodi 16. ita refert sacer Historicus agens de manna, opinatissimo huius sacramenti symbolo. *Dixit autem ad Moysen: Ecce, ego pluam vobis panes de cælo: egrediatur populus & colligat, quæ sufficiunt per singulos dies; vt tentem eum vtrum ambulet in lege mea, an non.* Quid quæso, dispendij foret, vt ex profluo obuiè dono populus colligeret, vltra quàm necessarium erat? vt liquesceret, aut euanesceret in agro, an in priuata domo? Ipsa rei experientia, quòd neque qui plus collegerat, tandem habebat magis; neque qui collegerat minus, minus tandem habebat: ipsos de superuacuo auarè colligendi labore, aptiùs erudiret. Addit enim Historiographus sacer: *Nec qui plus collegerat, habuit ampliùs: nec qui minus parauerat, reperit minus.* Eccur parem singulis huius cibi mensuram dispensat, qui illum sine mensura, è pluuio cælo sic affatim impertit? Omnium famem quasi ad libram taxat? æquale omnibus erogat alimentum? Æqualitas sine inuidia est: persæpè autem nimia æqualitas inuidiam parit. Saluianus Episcopus Massiliensis, polito eloquio; & profundo ingenio vir; de Passione Domini & inde de hoc cælesti pane, quo Dominica Passio censetur, ita scribit: *Quicquid Passione sua Saluator præstitit, sicut totum ei debent vniuersi, sic totum singuli: quòd tantum acceperunt singuli, quantum vniuersi: vbi enim hoc vnus accipit, quod vniuersi, etsi par est mensura, maior inuidia est.* O prædiues diuinæ beneficentiæ ingenium! vni pariter ac vniuersis, adæquè præbetur Eucharisticus panis præbitione immensitatis æmulâ? Quid verò sibi vult Saluianus, hâc claucula ænigmati simillimâ; *Et si par est mensura, maior inuidia est.* quid aliquid cuiuis inuidere potest, si hic cælicus panis pari mensurâ dispensatur? si quantum vniuersi, tantum accipiunt singuli? si nulla existit muneris prælatio, sed omnimoda muneris parilitas? O arcanam in summa opulentiæ æqualitate *inuidiam!* Ecquid alter alteri, aut vniuersis inuideat? Totus Dei census tibi erogatur; quid ergo boni vltrà superest, quod aliis inuideas? An nisi Eucharisticus cibus tanquam inuidiæ certamen proponeretur, non publicaretur laus eius sumptuosior celsitudo? An tanta est eius prædiues opulentia & dignitas, vt vel sibi quodammodo quisque inuideat tam opulentum cælestium gratiarum thesaurum accepisse? Res adeò humanum captum excellens, nisi extraordinario, & penè insolenti vocabulo, pro dignitate forsan non panderetur? Scio aliàs Saluiani mentem; sed in eius verbis, sic nunc iuuat ad mores velitari.

Etsi par est Eucharistiæ mensura, maior tamen inuidia est.

Saluian. lib. 2. ad Eccles.

6. Itaque quicquid hoc Eucharistico cibo saluator præstitit, *sicut totum ei debent vniuersi, sic totum singuli: quòd tantum acceperunt singuli, quantum vniuersi*: totum enim se præbet singulis, sicut & omnibus; & omnibus, & singulis omnia pariter factus est, se ipsum præbendo in cibum. Sic etiam & homo hunc cælestem panem manducans: omnia quodammodò factus est, de huius arcani cibi priuilegio S. Ioannes Damascenus exponens illam Dei præceptionem: *Ex omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas*; ita eleganter de Eucharistia scribit: *de omni ligno, quod est in paradiso, escam comedite: nam ipse est omne, & per quem homo est omne.* Homo Deo per Eucharistiam enutritus, & Deo quodammodò hoc cibo concarnatus, sibi, & omnibus omnia factus est, de conuisceratæ deitatis confinio, quo medullitùs Deo alitur, ipsique animitùs vicinatur. De huius sacramenti vigore venit, quod omnibus omnia factus sit Paullus: quòd dudum peccator, omnia sibi sit, omnia vniuersis. Porrò Christus Deus per Eucharisticum cibum sumentibus conuisceratus, *ipse est omnia, per quem homo est omne.* O quàm verè dicitur, quòd Deus in hoc Sacramento homini *censum suum tradidit!*

Christus in Eucharistia, omnia dicitur, per quem homo est omne.

Gen. 2. v. 16. Damasc. lib. 2. de Fide, c. 11.

Lucæ 9. innumera turbarum multitudo ex quinque panibus, & duobus piscibus, vsque ad satietatem saginantur. Porrò discumbentibus turbis, accipiens Iesus quinque panes, & duos pisces, respexit in cælum, & benedixit illis, & fregit, & distribuit discipulis, vt ponerent ante turbas. *Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et sublatum est quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.* Grande hoc miraculum (quæ futura erat Eucharistiæ vmbra) magno apparatu Christus Deus edit: oculos in cælum tollit, vt Patre Deo annuente patratum videatur; gratiarum actione beneficium obfirmat: Benedictione sanctificat panem: quem ipse in frusta diuidit, & discipulis distribuendum porrigit, vt stupendum incrementi miraculum soli ipsi semper adscribatur. Sed audiendus est S. Gregorius Nissenus sic ad ea verba fatus: *Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et sublatum est, &c. Panis paratur factus in manibus ministrantium: nec non per saturitatem edentium augmentatur.* Quid est quòd per saturitatem edentiũ *panis augeri* dicitur? An non Dominicæ voluntatis sacramento omnipotenter augetur? quid facit edentium aut fames, aut saturitas ad ineffabile panum augmentum? Scilicet Christus Deus *panes quinque fragmento profluo, & furtiuo incremento, ad quinque millia hominum dilatauit saginam.* Inde quodam Eucharistici miraculi velut furto, fomes aut saturitas edentium, ad miraculi gloriam quodammodo acceptatur: *Nec non per saturitatem edentium augmentatur.* O mira hominis Eucharistiam esurientis dignitas! ô arcanum esurientis semper saturitatis elogium! ô furtiuum Eucharistiæ incrementum. 7.

Luc. 9. v. 17.

Panis per saturitatem edentium augetur.

Nysse. apud Caten. ibi.

Chrysol. supra.

§. CCCCII.

Salutaris Eucharistiæ esca, est vitiosarum affectionum consumptrix.

EVcharistia, appetitionum cohibitio est, passionum frænum, & concupiscentiæ retinaculum. Exod. 12. *Et sument de sanguine eius,* (agni) *ac ponent super vtrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum.* In hac Hebræorum ceremonia Eucharistiam adumbrati, non inidoneè ad thema præsens, his verbis Theodoretus disserit, sic præscripta verba exponens: *Hæc autem, inquit, vniuersa mysteriorum nostrorum sunt ænigmata: nam et nos vngimus Agni nostri sanguine non solum limen, sed vtrumque postem, purgantes, & sanctificantes exteriùs linguam* 1.

Exod. 12. v. 7. Eucharistia humanam rationem, & concupiscentiam purificat.

Theodor. q. 24. in Exodum.

linguam & labra. (nota quam fuddit sententiam) *Interius autem, & secundum intellectum, pro limine rationalem partem, & pro vtroque poste facultatem irascendi, & concupiscendi.* Pars etiam rationalis purificatione eget: sic rationem quoque nutriat malit a: Profectò cælestis hic cibus, & immaculati Agni sacer sanguis, rationis humanæ antidotus est, ipsam eluens, a sordibus emaculans, & Deo consecrans, ne de viciniâ carnis insolescat. Sed irascendi ac concupiscendi petulantiam præcipuè cohibet, & reliquos humanarum appetitionum subsultus frangit, & domat, ne aduersus rectam rationem mutire audeant.

2. Psalmo 22. Dauid ille tametsi de beneuolentiâ diuinâ opinatissimus, externæ & intestinæ hostilitatis incursibus agitatus, sic Deo gratanter pangit: *Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum: calix meus inebrians quàm præclarus est!* Quæ verba Theodorus, Basilius, Origenes, Ruffinus, Ambrosius, Cyrillus, Ierosolym. Zeno Veronensis, Paulinus, Eusebius, Augustinus, Cyprianus & passim alij Patres, & expositores interpretantur de corpore Christi, sicut *calicem* de sanguine Eucharistico, quo altaria madent. Et vt acutè obseruat Chrysostomus: *Nullus faciliùs hostes fundere potest, quàm qui comedendo trophæum erigit.* Sed obuium est ambigere, quomodo mensa, in quâ frustum panis, & vini calix apponitur, tantam habeat vim ad exarmandos corporis & animi hostes, qui in nobis aduersus nos petulanter insultant. En quidem de vino ita fatur Arnobius: *Quid Deo cum vino est, Veneri re proximâ, neruos omnium debilitante virtutum, verecundiæ, pudoris, & castitatis inimica; quod in insanias, & furores mentes sæpius præcipitauit excitas, ipsosque illos Deos maledictis compulit exauctorare dementibus?* Hicne *calix inebrians*, & panis vires corpori addens & fouens, sic eualet aduersus insanam hostilitatem passionum, quas citiùs incitant, lacessunt, & in voluptuosas amentias agunt? Sine Cerere & Baccho friget Venus, pigra est iracundia, deses inuidia, & omnis concupiscentia torpet, quæ conuiuialis vini fomite ad omnem temeritatem fruit. Deo sub speciebus panis & vini latente in hoc Eucharistico epulo, citiùs Nazianzenus asserit, inesse *vim illam vitiosarum affectionum consumptricem.* Parùm fotet huic cælesti epulo quo Deus propinatur, passiones frangere, appetitiones domare, concupiscentiam inhibere, & omnem hostilitatem edendo & bibendo eludere; quod præluſtre foret trophæum óre gloriosiùs erectum; nisi hostem sic prosterneret, malè concideret, benè detriumpharet, vt penè consumeret, & aboleret: quod feliciter præstat esculenta & poculenta vis Eucharistica, *vitiosarum affectionum consumptrix*, dum æmulâ operatione edendo restaurare adnititur, quod homo edendo perdidit, quò velut gula fidei & charitatis recuperet, quod comedendo amisit nimis credula palati gula. O! quis hostilitate aduersariâ exagitatus, cunctetur accedere ad hanc mensam *vitiosarum affectionum consumptricem? Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me*, &c. *& calix meus inebrians quàm præclarus est!* O quàm alter ipse est homo, huic epulæ assiduus!

Psalm. 22. v. 5.

Apud Lorin. inibi.

Vinum passiones ad omnem furorem instigat.

Arnob. lib. 2. aduersùs Gent.

Eucharistia inest vis affectionum consumptrix.

Nazianz. Orat 33.

3. Matthæi 17. Publicani Cæsariana exigentes tributa, nec Christo diuinitatis nomine exempto, parcunt: qui maluit se vectigalem exhibere, quàm cum auaris exactoribus de cognatâ ingenuitate contendere; hæc Petro mandans: *Vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit tolle: & aperto ore eius, inuenies staterem: illum sumens, da eis pro me, & te.* Ille duntaxat piscis, qui de latentis escæ hamo pendiurus ore, non retium & sagenæ capitur arte, didrachmam offert, quo terreno exactori fiat satis. Audiendus est hâc super re Clemens Alaxandrinus, qui ex hoc loco mirè Christianâ pædagogiâ mores instituit, vt cibi Eucharistici elogia ad rem præsentem opportunè publicet: *Per eos autem*, inquit, *qui ex aquâ ascendunt ad escam iustitiæ.* (recens baptizatis Eucharistia olim porrigebatur) *moneo auferri luxuriam, & auaritiam, tanquam piscis numisma; & dato statere publicanis, redditis Cæsari, quæ sunt Cæsaris, Deo seruet, quæ sunt Dei.* O bonum numisma inuentum in ore piscis, qui *ascendit ad escam iustitiæ!* Hoc pretioso numismate homo exactori corpori tributa innoxiè pendit, & quæ Dei sunt, Deo integrè seruat. In hâc enim inopinatâ *esca* nummus auspicatò reperitur, quo gratior dulcedo corpori, voluptatum exactori, penditur; (*cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*) & tota humani cordis lætitia non negatur. Hæc cælestis esca *vitiosarum affectionum consumptrix* est: imò hoc pretioso numismate vectigal redimit, quod mundo, & corpori voluptuosè pendebat, & concupiscentiam hoc statere redemptam, in Deum quodammodò transfert, exulto propè censu, quem humanis affectionibus vltrò pensitabat. O homo, rape hoc diuinum numisma, Dominicæ Passionis stigmatibus inuisibiliter impressũ, quo & corpori debitum tributum exultanter exoluas, & ingenuum animum Deo totum reserues! Qui ad hanc *iustitiæ escam* ascendit, terrenas voluptates, vel potiùs voluptatum scoriam, protinus fastidit.

Matth. 17. v. 26.

Eucharistia stater est in ore pisci.

Clem. Alex. 2. pædag. c. 1.

Psalm. 8. v. 3.

4. Ioannis 19. in demortui iam Christi latere, feralis lancea latum vulnus aperuit: *Et continuò exiuit sanguis & aqua.* In cuius rei memorabile monimentum, in Dominico calice Eucharisticum vinum aquæ admixtione diluitur. Et sanè si ad aliarum rerum, quæ coüniuntur aut commiscentur, naturam attendas, non sic alterutra alteram persuadit & penetrat, vt non aliquod sui indicium perseueret, proprietate aliquâ superstite, quæ alterutrius partis exhibeat documenta. Aqua verò cognatæ tenuitatis illapsu sic vinum intime peruadit, sic medullitùs vino concorporatur, & quodammodò conuisceratur, vt nuper duo, iam vnum appareat, adeò vt nemo dignoscere valeat rei tàc permixtæ discrimen ab alia. Clemens Alexandrinus hâc super re ita acutè philosophatur: *Amborum autem temperatura, potus scilicet, & verbi, dicitur Eucharistica, quæ bona est gratia: cuius qui per fidem sunt participes, sanctificantur & corpore & anima, cùm diuinum temperamentum, hominem scilicet, diuina voluntas spiritu, & verbo diuino contemperauerit.* Hanc spiritus cum homine temperaturam, quæ per Eucharistiam fit, explicatiùs exprimit, aiens: *Et hoc est bibere Iesu sanguinem, esse participem incorruptionis Domini: vbi autem virtus & spiritus, quemadmodum sanguis carnis: commoderata itaque proportione & conuenientia vinum aqua quidem, homini verò spiritus admiscetur.* Ecce tibi arcanum quoddam velut mixtionis genus, quo sicut aqua vino miscetur in calice, sic quodammodò ex typicâ calicis temperaturâ, spiritus carni admiscetur, & animitùs

Ioann. 9. v. 34.

In Eucharistiâ, vinum quidem aqua, homini verò spiritus miscetur.

Clem. Alex. lib. 2. Pædag. cap. 2.

rus conuisceratos, adeò vt caro carnis diffidea ur elogia, & vitiosas affectiones desuescens, ad conuiscerati spiritus saporem erud atur. *Commoderata itaque proportione & conuenientia vinum quidem aqua, homini verò spiritus admiscetur.* ac si caro ea quæ sunt carnis dediscés, quæ sunt spiritus exinceps iam sapiat, spiritum fragret, diuina spiret, cælestia eructet; dum Eucharistico epulo sese vsque ad satietatem identidem ingurgitans, spiritui admisceatur, Deo conuisceratur; *cum diuinum temperamentum, hominem scilicet diuina voluntas spiritu & verbo diuino contemperauerit.*

5. [Matth.9.v. 10.& 11.] Matthæi 9. in transcursu vidit Iesus hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et surgés, secutus est eum. *Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi Publicani & peccatores venientes discumbebant cum Iesu, & Discipulis eius. Et videntes Pharisei, dicebant Discipulis eius: Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?* Si specie tenus vibretur censura, non leui agebantur indicio Pharisæi, vt Christo Deo de conuictoribus detraherent. [Christus cum Publicanis, ac peccatoribus discumbens profunde Eucharistia affectus ad umbras.] Porrò conseruari cum peccatoribus perditissimis vulgari dicacitati obnoxiũ est: epulari autem cũ illis, & sese eorum conuiuio spontè ingerere, cum illis vltrò discumbere, & in eorum domo cibos familiarissimè capere; & scandalum exciuit, & maledicas obtrectatorum linguas aduersus Christum potenter exacuit, magno rei tunc Christianæ dispendio. Ita tunc quidem, sed maximo alioquin rei Eucharisticæ compendio eiusmodi conuiuium agebatur cum Publicanis rapacissimis, & omnibus vitiis perditissimè obnoxiis. Innuitur enim in eiusmodi conuiuio, quàm sint Eucharisticæ dapes post pœnitentiam salutares ad extirpanda vitia animitùs peccatoribus insolita: est enim *vitiosarum affectionum consumptrix*: & inde Publicanis ac Peccatoribus ad Deũ nuper conuersis potissimùm eroganda. [Beda in cap. 2.Marci.] Profundè Beda sic præfata verba exponit: *Ecce multi Publicani & peccatores venientes discumbebant cum Iesu. Ibat autem Dominus ad conuiuia peccatorum, vt occasionem haberet docendi, & spiritualer inuitatoribus suis praberet cibos: quod in mysteriorum figuris congruit.* Scilicet quò nequior & flagitiosior fuit homo, huius cælestis cibi magis est indignus: est enim hæc esca *vitiosarum affectionum consumptrix.* quod huiusmodi apud Publicanos & peccatores conuiuia præfigurant. O bonam opportunæ huius figuræ significantiam! Dum maledici homines hoc conuiuium oblatrant, Euhcaristiam impiè mordent.

---

§. CCCCIII.

Ab Eucharistico cibo & nomen sumere, & prælustrem cum Christo Deo cognationem, cuique licet.

1. EVsebius Emisenus huius arcani mysterij credibilitatem à sensibus peregrinitatem, ex mutatione, quæ in nobis fit per regenerationis gratiam, mirè astruit, sic fatus: [Emis. hom. 5. de Pascha] Dudum alienus à vitâ, peregrinus à misericordiâ, à salutis viâ intrinsecùs mortuus exulabas; subitò initiatus Christi legibus, salutaribus mysteriis innouatus, in corpus Ecclesiæ, non viuendo, sed credendo, trãsisti. In mensurâ visibili permanẽs, maior factus es te ipso inuisibiliter, sine quantitatis augmento, cùm ipse atque idem esses, multo aliter fidei processibus extitisti, in exteriore nihil additum est, & totus in interiore homine mutatus es. [Eucharistia haustu, in nouam inuisibiliter transferimur dignitatem.] *Sicut ergo sine corporali sensu, præterita vilitate deposita, subito nouam indutus es dignitatem; & sicut hoc quod in te Deus læsa curauit, infecta diluit, maculata detersit, non oculis, sed sensibus tuis credis: ita & tu cum ad reuerendum altare salutari cibo potuque reficiendus accedis, sacrum Dei tui corpus & sanguinem fide respice, honore mirare, mente contingé, cordis manu suscipe, & maximè haustu interiore assume.* Sic etiam fiet, vt & tu velut cõcorporeus & cõsanguineus Christi effectus, antiquam vilitatem sensim exutus, & nouam exindè nactus dignitatem, per multimodam Eucharistiæ gratiam, & naturæ humanæ meritum, generis excellas intuitum, & præbeat sumentis gustus, quod spectatorum ignorat aspectus.

2. Geneseos 25. tandem Rebecca parturit: & ecce gemini in vtero eius reperti sunt. *Qui prior egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus: vocatumque est nomen eius Esaü.* Adolescunt gemelli fratres, & discordiæ occasionibus dissidia pariter adolescunt. [Genes.27.v. 29.& 30.] *Coxit autem Iacob pulmentum: ad quem cùm venisset Esaü de agro lassus, ait: da mihi de coctione hac rufa, quia opisdo lassus sum. Quam ob caussam vocatum est nomen eius Edom.* [Præstat, à cibo potiùs quàm à natura nomen habens.] Quare Esaü vir iam factus, antiquum nomen recusat, & iam *Edom* nominari mauult? Quid est, quòd prisci iam nominis tædio, nouum *Edom* nomen affectat, quasi aliquid sublimius in eo recognoscat! [Hieronym de qq. Hebra.] S. Hieronymus in qq. Hebraicis ita hâc de re scribit: *Rubrum vel fuluum lingua Hebræa dicitur Edom. Ab eo igitur quod rubeo cibo vendidit primogenita sua, fului, id est, Edom sortitus est nomen.* Mirabile sanè est, quòd tametsi Esau natus est *rufus*, quo colore semper rubuit; non *Edom*, sed Esaü appellatus sit; & tamen à rufo cibo nomen ambit, antiquum nomen abiiciens. Non quia *rufus* erat, sed quia cibum comedit rufum, *Edom* nominari mauult: Ab esca potiùs, quàm ab ipsâ naturâ nomen quærit: Adeò prælustre est nomen, quod à cibo venit: Sat est ad Eucharisticum cibum intendisse digitum, in quo Christus qui candidus & rubicundus est, arcanè delitescit. [Ambr. in Psalm. 118.] Denique in posterioribus ait Spõsa (verba sunt S. Ambrosij) *Frater meus candidus & rubeus. Candidus claritate diuina, rubeus specie coloris humani, quem sacramento incarnationis assumpsit:* qui in lilio quoque, Eucharistiæ symbolo, rubeum etiam colorem agnoscit, ad symboli proprietatem. O ambi augustum ab hoc cibo nomen! & qui sic ab eo mutaris, nomen etiam à cibo desume.

3. [Matth.26.v. 18.] Matthæi 26. Christus Deus dum Eucharistiæ sacramentum iam iam instituere molitur, locum tanto mysterio idoneum quærens, duobus Discipulis dixit: *Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite: Magister dicit: Tempus meum propè est: apud te facio Pascha cum Discipulis meis.* [Paullò ante Eucharistiæ institutionem Discipulorum nomina tacentur.] Multa disputat Augustinus, subtiliter exponens, cur dicatur misisse *ad quendam*, & eius nomen Euangelista non expresserit. [Chrys. hom. 82. in Matt.] Chrysostomus putat *dicendum, quòd per hoc quod dicit, Ad quendam, ostendit quòd ad ignotum hominem mittit.* Verosimilius communiter putatur, quòd non ad ignotum, sed ad familiarem & notum miserit, vt idoneum

neum

neum appareat locum, in quo & Pascha celebraret, & Eucharistiæ sacramentum institueret. Cur autem eum ad quem mittebat, proprio nomine non expresserint, sed *Ad quendam* misisse dicatur, mysterio non vacat, quod his verbis tempestiuè pandit Hilarius: *Ideo hominem cum* quo *Pascha celebraturus esset, non nominat: non enim Christiani nominis honor credentibus erat præscitus.* Quasi ille, apud quem, & in cuius domo iam iam celebrandum erat nominatissimum Eucharistiæ mysterium anonymus foret, quousque ab hoc supercælesti cibo, sicut Esaü nomen haberet, *Ad quendam* dicit, nec proprio eum nomine honorat, antequam eius domi celebretur Eucharistia: *non enim Christiani nominis honor credentibus erat præscitus*, quousque Eucharisticum mysterium iam iam consecrandum, perageretur, quo fieret, vt vel nomen, sicut Esaü, haberent à cibo, vel paullò ante cibum nomen non haberent. Et ideò forsan discipulos ad id missos, idem Euangelista non nominat, quò, sicut ab Eucharistio cibo transformantur, ita & post cibum nomen accipiant.

Hilar. Can. 30. in Matt.

5\. Matthæi 28. Iesus e sepulchri vtero nouâ natiuitate rediuiuus, piis mulieribus gloriosus occurrit, Tunc ait illis: *Nolite timere: ite, nunciate fratribus meis vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Quæ est hæc noua nuncupatio, quâ *fratres* appellantur? Hactenùs ab Euangelistis dicuntur Apostoli, aut Discipuli, aut proprio vnusquisque nomine designatur; nunc autem nouo cognationis vocabulo censentur. *Ite*, inquit, *nunciate fratribus meis.* Ad quæ Matthæi verba, ita Seuerianus scribit: *Vocat fratres, quos Corporis sui fecit esse germanos. Vocat fratres, quos benignus heres sibi præstitit coheredes, quos Patris sui adoptauit in filios.* Nimirùm tametsi Christus Deus ab Incarnationis auspicio, eiusdem naturæ humanæ particeps foret, tantæ cognationis vocabulo abstinuit? communis enim est omnibus hominibus hæc cognatio. Apostolos autem augusto fraternitatis elogio sublimissimè honorat, postquam speciatim per Eucharistiæ sumptionem; *Corporis sui fecit esse germanos*, & *benignus heres sibi præstitit coheredes.* O piè superbam mortalibus cognationem, quâ Christi Dei concorporei & consanguinei, & verè nominentur, & sublimissimè existant! Addam ex Clemente Alexandrino arctiorē aliam ab Eucharistiâ cum Christo cognationem: *Verbum, inquit, est omnia infanti, & pater, & mater, & pædagogus, & altor. Comedite, inquit, meam carnem, & bibite meum sanguinem.* Cuique prætium est pulchram Clementis sententiam enucleare, & ethicè expendere.

Matth. 28. v. 10.

Post sumptâ Eucharistiâ, Domini fratres appellantur.

Seuer. ser. de Pascha.

Clem. Alex. l. 1. Pædag. cap. 6.

4\. Marci 2. Discipuli Ioannis se Pharisæorum socios præbent, & sciscitantur à Christo, quare ipsis crebrò ieiunantibus, eius discipuli non ieiunent? Quibus respōdit Iesus: *Nunquid possunt filij nuptiarum, quandiu sponsus cum illis est, ieiunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt ieiunare.* Ioannes Chrysostomus hoc Discipulorum ieiunium pro abstinentia ab Eucharistico cibo accipit, à quo exertè dicit, non posse Christi Discipulos ieiunare. Expendenda sunt ad rem verba Chrysostomi: *Filij autē Sponsi, inquit, quia infantes sunt, non possunt per totum conformari patri, & Sponso, qui eorum infantiam considerans, dignatur eos, non habent ieiunare.* Et post pauca: *Sed cùm perfecti fuerint & sponso coniunguntur in nuptiis, regalem semper comedent cœnam*, Eucharisticam inquam. Ecce tibi, qui hanc nuptialem & regalem comedunt cœnam, (cui typicè hic Tobias accumbit) neque ab ea ieiunare possunt, quin illam frequentent; non modo *fratres*, sed etiam *filij sponsi* nominātur. quasi ex hoc cælesti cibo ad diuinam prosapiam adsciscantur, & noua cognatione excelsiùs sublimentur. Nec modò qui ad hanc Eucharisticam mensam accedit, filius diuini Sponsi nominatur; sed etiam ipsemet Christus Deus, quotidie in Eucharistia nasci perhibetur. Beda ad ea Lucæ verba: *Transeamus vsque Bethelem, & videamus hoc verbum, quod fecit Dominus, & ostendit nobis*, i a profundè loquitur: *Vsque ad consummationem seculi Dominus in Nazareth concipi, & in Bethlehem nasci non desinit.* Quod probat ex nomine *Nazareth*, quod *Florem* significat: & *Bethlehem*, quod *domum panis* designat; hæc verba subdens: *Cum quilibet audientium verbum flore suscepto domum in se æterni panis efficit quotidie in vtero virginali.* Procliue est cuiquam locum hunc emedullare, mihi in hoc transcursu, non omisisse, sufficiat prælustre Eucharistiæ elogium.

Marci 2. v. 19.

Qui Eucharistiam frequentant, filii Sponsi cælestis nominantur.

Chrys. apud Caten. ibi.

Dei Filius quotidie concipitur, & nascitur in Eucharistia.

Lucæ 2. v. 15.

Beda ibi.

6\. Ergo ambiamus excelsam cum Deo, propter Eucharisticum cibum, cognationem: adeò vt nomen etiam nobis ex illo faciamus. S. Cyprianus illa Dominicæ orationis verba exponens: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie: & dimitte nobis debita nostra*; sic scribit ad præfatum locum, vbi *panis supersubstantialis* nomine Eucharisticus intelligitur: *Post subsidium cibi petitur & venia delicti, vt qui à Deo pascitur, in Deo viuat.* O qui ex Deo viuit, viuat Deo!

Matth. 6. v. 11. & 12.

Cyp. apud Caten. ibi.

Qui Deo pascitur, Deo viuit.

7\. Lucæ 22. cùm facta esset hora, discubuit Iesus, duodecim Apostoli cum eo, & ait illis: desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, *donec impleatur in regno Dei.* (Ac si Eucharistici cibi deliciæ, quæ hac inchoantur, in beatitudine cælesti consummentur; quasi Eucharistia sit præcoqua beatitudinis libatio, cæli glorias prægustans) *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur.* S. Cyrillus dilucidè exponit hanc conuersionem panis in carnem Christi, sic fatus: *Virtus enim viuificatiua Dei patris vnigenitum Verbum est, quod caro factum est, non desinens esse Verbum, sed efficiens carnem viuificatiuam.* Nota verba quæ post pauca subnecit (*Conuertens oblata* id est, panem & & vinum) *in veritatem propria carnis, vt corpus vitæ, quasi quoddam semen viuificatiuum, inueniatur in nobis.* Nempe diuinum Verbum, quæ est virtus viuificatiua Dei patris: conuertens panem & vinum in veritatem propriæ carnis, Eucharistico haustu nobis amiciùs conuisceratur, *vt corpus vitæ, quasi quoddam semen viuificatiuum, inueniatur in nobis.* vt qui semen mortis in paradiso hausimus, quasi quodā viuificatiuo semine, Dei vita ad mortalitatem reficiamur, & Deo medullitùs pasti, Dei immortali vita quodammodò viuamus. Itaque dum Corpus Christi in Eucharistia sumimus, & *semen viuificatiuum* ore concipimus; ineffabilis Christi sermo adimpletur: *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* O angustam cum Deo, de Dei vita cognationem! Cum enim *corpus vitæ, quasi quoddam semen viuificatiuum, inuenitur in nobis*, generosior in nobis germinat vita, de quadam cum Deo affinitate augustior.

Lucæ 22. v. 19.

Cyrill. apud Caten. ibi.

Corpus Christi in Eucharistia est velut quasi quoddam semen viuificatiuum.

Ioann. 6. v. 58.

Exinde

8\. Lucæ 22. v. 2. Chrysost. ibi. *Eucharistia regiam Dei imaginem in nobis resculpit.*

Exindè S. Chrysostomus commentans illa Euangelistæ verba: *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo*, ita scribit: *Hic enim sanguis operatur in nobis imaginem regiam, nobilitatem animæ non permittit marcescere, protinùs irrigans animam, magnámque aspirans virtutem. Hic sanguis effusus lauit orbem, & adibile fecit cælum. Huius participes sanguinis sunt supernis virtutibus amicti regio pallio, magis autem ipso rege induti.* Longum foret particulatim enucleare singulas Chrysostomi sententias. Illa in primis tempestiua, quòd regiam Dei imaginem, quam in paradiso Diabolus conspurcauerat, nobiliter in nobis Eucharistia resculpit.

§. CCCCIV.

Ecclesiæ Doctores, lux mundi dicuntur, quia Eucharistiæ prælucent.

1\. Eccli. 15. v. 3

IN Eucharistico conuiuio regiis deliciis fideles suos pascit Deus *pane vitæ, & intellectus*; vt non tantùm animæ vitam cælesti alimonia sustétet; sed etiam mentis oculos redaccendat, ne in obscuræ fidei mysterio caligent, sed vltra quam habent oculos, videant. *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Quorsùm tam generosa mentis perspicacia? *Apprehendite disciplinam.* Tyrobolcus, pro τὸ disciplinam, *frumentum* vertit: & inde ad Eucharistiæ sacramentum præfata verba refert. Et sanè S. Hieronymus vocem Hebræam בר *bar*, *triticum* significare docet. Quasi synonyma sint, sapientior *disciplina*, & *triticum* seu panis Eucharisticus. Ait ergò regius Psaltes: O intelligentiæ principes, sapientiæ proceres, & eruditionis antistites, qui Dei timore (id est, religione) aspectabiles, ad illum incutiendum populis præsidetis; *apprehendite disciplinam*, id est, Eucharistiæ *frumentum* siue *triticum*, nempè Eucharisticum panem, qui *panis vitæ & intellectus* est. Huic Eucharistico pani sapientia vestra intentiùs inuigilet, sollertiùs studeat, & impensiùs militet: huic conuiuio clarando lux sapientiæ de Spiritus-sancti igne illustrata, atque mentis vestræ acies perspicaciùs inoculentur. Inde Tobias in festo Dei Pentecostes, prælustri tot cælestibus facu'is, de igne Spiritus Sancti accensis, epu'um consultissimè instruit? ad quod timentes Deum duntaxat inuitat; reliquosque, etsi contribules, & sanguinis necessitudine arctè coniunctos, à mystico hoc conuiuio procul arcet, quod tacer Historicus hìc non omisit.

Psalm. 2. v. 12. Tyrobosc. *Sapientior intelligentia exigitur, vt apprehendatur disciplina, id est, Eucharisticus panis.* Tobiæ 2. v. 1. & 2

2\. Matthæi 5. geminato elogio, ipsoque illustrissimo, Christus Deus honorat Apostolos, & in eis omnes Ecclesiæ Doctores, quos illi erudiendæ præfecit. *Vos estis sal terræ.... Vos estis lux mundi.* Magna est planè vtraque laus; sed illa, opinor, augustior, hæc amplior. Illa vnum terræ elementum *sale* condit ad Christianæ eruditionis saporem, hæc totum mundum doctrinæ *luce* perfundit; clarat, illustrat. Verùm si attentiùs scrutemur, quæ mox subiicit, non valdè videtur sententia cohærere, dum nimis stringitur, quod quàm latissimè patebat. Pendamus verba, vt in eis latentia pandamus sacramenta. *Vos estis lux mundi*, inquit, Non potest ciuitas abscondi supra

Math. 5. v. 14. & 15.

montem posita. *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt.* Mirissimum sanè est, quòd quos à lucendi amplitudine, nullis quoquo versùm terminis metatâ *Lux mundi* dixerat; nunc vni domui lucere dicat: *Vt luceat omnibus, qui in domo sunt.* Num vna domus pro toto mundo est, & totus mundus pro vnâ duntaxat domo? An qui vni domui potest prælucere, totum mundum eualet illustrare? Quæ est hæc vna domus, quæ totius mundi instar est? aut quid est, vni domui splendidiùs lucere, ad quam illustrandam, lux quæ totum mundum sufficienter illuminet, planè requiritur? Hæc difficultas sagacem Clementis Alexandrini industriam in scrutandis Bibliorum penetralibus, qui est Stromatum opinatissimus labor, non fugit, vbi ita præfata Matthæi verba exscribit, & exponit: *Nemo*, inquit, *accendit lucernam & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui accepti fuerint conuiuio.* Quod est hoc antonomasticè *Conuiuium*, nisi augustissimum & sacrosanctum Eucharistiæ epulum, quo homines empyteis vbertim deliciis sagināntur, & ipso Deo, Deique Verbo medullitùs quodammodò corporantur? Nimirùm Ecclesiæ Doctores, qui *lux mundi* dicuntur à præclarâ cælestis sapientiæ eruditione, ideò ponuntur super candelabrum, *vt luceant omnibus qui accepti fuerint conuiuio* Eucharistico, id est, vt Christum Deum, Verbum diuinum, & Dei sapientiam, sub modici panis specie latentem, fidelibus propalent: vt hoc obscuræ fidei abstrusum mysterium, sapientiæ suæ luce clarent; & cæli gazas, in hoc Diuinitatis thesauro absconsas, palàm hominibus reuelent. *Vos estis lux mundi, vt luceat omnibus qui accepti fuerint conuiuio.* Lux mundi Hieronymus est, Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus, Ambrosius; & S. Thomas Aquinas, flos huius lucis. Vultis nosse quorsùm tantâ fulsere sapientiâ, tantâ eruditione floruerunt, velut diuini Solis multiplex splendidum iubar; vt multimodæ scientiæ & intelligentiæ radiis Eucharistico epulo præluceant. *Vos estis lux mundi, vt luceat omnibus qui accepti fuerint conuiuio.* Benè & optimè huic abstruso fidei mysterio sapienter illustrando, sacra totius mundi lux impenditur. Ergò super Ecclesiæ candelabrum, multiplex mundi lux splendidiùs accendatur, ne humanus aspectus ad terrena luscus, ad diuiniora cæcus, in tantâ sacramenti profunditate hallucinetur, cæcutiat, erret.

Doctores in Ecclesiâ lucent, vt præluceant Eucharistia. Clem. Alex lib. 1. Strom. cap. 2.

Regius Psaltes præsagâ mente cælitùs afflatus, Christi Dei mysteria, eaque per Apostolos Gentibus euulgata, præuidit, & his verbis modulatè pangit in psalmo 18. Cæli (id est, Apostoli, vt ait Anselmus) enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Ecce tibi Apostoli, qui *lux mundi* dicuntur, in omni mundo, quàm latè patet, prædicant Euangelij mysteria, aut sermonis luce, aut epistolis ipsius lucis radio descriptis. Nota diligenter ad rem, verba quæ subtexit: *In Sole posuit tabernaculum suum: & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Locus quidèm explicatu arduus, & in quo exponendo multorum sudauit industria: Litteralissimum sensum inibi olim tradidimus; nunc ad thema præsens adnotare licet, quòd non pauci 3.

Ansel. Laud. ibi. *Carnem suam in Eucharistiâ latentem, cur Christus in Sole mysticè posuisse dicitur.* Psalm. 18. v. 6.

ci Biblicè eruditi, ita prius hemistichium exponunt. *In Sole posuit corpus suum.* (Tabernaculi enim nomine corpus in Scripturis intelligi, notius est, quàm vt probatione indigeat:) Hugo Carensis subtilior Bibliorum interpres, sic hunc locum mysticè commentatur: *In Sole posuit tabernaculum suum, habito de prædicatione Apostolorum: agitur de Incarnatione, quam prædicauerunt .... Tabernaculum dicitur caro eius, in quâ sicut in tabernaculo militauit.* Ecce tibi, *caro* seu *corpus* Christi, in Sole, qui est *lux mundi*, positum, velut in claritatis suæ solio, vbi augustior Eucharistiæ maiestas illustriùs residet, & splendidiùs claratur. Ecce tibi Apostolos & Doctores, velut pennatos Solis radios, Eucharistiæ solium factos, prælustres ipsius toto orbe baiulos, quò abstrusum Eucharistiæ sacramentum, humanis oculis inuisum, micantiùs illustretur, & explicatiùs innotescat. Ergo idcirco in Doctorum Sole posuit *corpus* suum, *carnem* suam, vt eorum sapientia, quâ erant *lux mundi, luceat omnibus qui accepti fuerint conuiuio.* Inde in sacro die Pentecostes, tot de cælo ignitis faculis illustrando, typicum exuit conuiuium Tobias, vt hac cælesti luce Eucharistiæ vmbras ad fidem illustraret.

Hugo ibid.

4. Iudicum 5. Iahel illa inter veteris Testamenti heroïnas in paucis opinatissima, quæ Sisaræ cæde, Dei populum a Chananæorum seruitute liberauit, illustri triumpho ad immortalem gloriam perennaturo; passim traditur Deiparæ vmbra; & lacte vbertim abundans, candidæ Eucharistiæ præfigurabat sacramentum: *Benedicta inter mulieres Iahel vxor Habar Cinæi, & benedicatur in tabernaculo suo. Aquam petenti lac dedit, & in phiala Principum obtulit butyrum.* Quod autem *lactis* nomine typicè adumbrari possit Eucharistia, notum est: nihil enim aliud est lac, quàm sanguis concussione albicans. *Est itaque lac* (ait Clemens Alex.) *omni ex parte spiritali nutrimento simile: quod est dulce quidem propter gratiam, nutriens autem tanquam vita: candidum autem, vt dies Christi: & sanguis Verbi est lac.* Sapienter ergò *Iahel*, id est, *Femina fulgorum* (vt interpretatur Serarius) in phiala Principum largè propinat lac, id est, *sanguinem Verbi*, quò Dei populus pugnacissimos aduersarios detriumphet. Quis absconsæ Eucharistiæ, & tot vmbris obuelatæ præluceret, nisi sapiens heroina *Iahel*, id est, *Femina fulgorum*? Pergit idem Alexandrinus Clemens ad rem valdè tempestiuus, ex Homero referens, *Mineruam Vlyssi præluxisse, aureum lychnum tenentem in manibus.* Ecce tibi Minerua scientiarum Dea, faculam in manu tenet, vt ad victorias prælucendo populi Duces adiuuet. Ecce tibi sapiens Iahel *femina fulgorum*, hostes detriumphat, victoriam parat, & opulenta erigit trophæa, adumbratum *Verbi sanguinem*, in phiala Principium typicè propinans. Ecce tibi Virgo Deipara, Ecclesiæ Minerua, recens Iahel, id est, *femina furorum* lychnum in manu tenens, prælucet, & in phiala Principum, lac, id est, *Verbi sanguinem* vbertim ad infernalium hostium victoriam propinat.

Iudic. 5. v. 24. & 25.

Clem. 1. Pædag. cap. 6. *Sapiens femina fulgorum Eucharistia prælucet.* Serar. ibi.

Clem. Alex. in adh. ad Gent.

§. CCCCV.

Sanctus quisque virtutibus suis magnus, Historiæ arbitrio, alienis etiam profectibus ampliatur.

FErtur antiqua fabula (ait Philo) à sapientibus viris ad posteros per manus tradita, quæ ad nostras quoque auidissimas discendi aures peruenit. Est autem talis. Olim cùm totum mundum opifex Deus absolueret, quendam è Prophetis rogauit, numquid desideraret mundum creatum, siue in terrâ & aquâ, siue in sublimi aëre, siue in cæli extremo ambitu. *Respondit ille, esse quidem perfecta & plena vbique omnia, vnum tamen se requirere, laudatorem horum sermonem, qui in rebus omnibus vel quod minimum obscurissimumque videtur, non tam laudet, quàm enarret. Ipsam enim enarrationem operum Dei, laudem esse sufficientissimam, nullo egentem auctario, quandò ipsa infucata veritas sit pro laude cumulatissimâ.* Similem ad modum, Dei opera, & Tobiæ res gestæ in hoc libello descriptæ, adeò eximiæ sunt, etiam quæ minima obscurissimáque videntur, vt ipsa simplex historia per infucatam narrationem tradita, nullo egeat auctario, quandò ipsa inornata veritas sit pro laude cumulatissima, & ad instruendos legentium mores opportunissima. In illa enim quasi in speculo reuerberat quid quemque agere oporteat in vtraque fortunâ, & omni vitæ ætate, genere, & conditione. Adeò vt ad virtutum suadelam non indigeat florido rethorum ornatu; sed ipsa incompta veritatis narratio, virtutes spiret, ingerat, & amplificet. Inde Angelus disertè Tobiæ hîc præcipit, vt hanc historiam scriptis mandet, & latè euulget.

1.

Philo. de Plant. Noë.

Infucata historia veritas, laudatorij sermonis vices gerit.

Hic vers. 20 apud Græcos codices.

2. S. Lucas toto cap. 6. & 7. Actuum Apostolorum, simplici & planâ narratione (vt moris est Euangelistarum) eximias Stephani virtutes, & res præclarè gestas prolixè denarrat: Biblicam eruditionem in Stephani etiam vita impressam, vel potiùs Sanctum Leuitam Scripturis impressum, coràm proponens. Plenus dicitur Spiritusancto; inde mentis plenitudinem os eructat, atque abundantia cordis transit in decus corporis, & animi candor in exteriorem corporis gloriam copiosè exundat; & ad Christianæ benignitatis redundantiam, pro impiis tortoribus veniam pius exposcit. Euseb us Emisenorum Episcopus rationem quærit, cur eius virtutes tam accuratè narrentur, & anniuersariâ solemnitate festo vbique plausu celebrentur. Nec tam premitur dubij difficultate, quàm ex dubij solutione occasionem sumit, vt fidelium mores inde excolat; & quanto cum virtutum prouentu, siue notitia, siue recordatio Sanctorum nostram memoriam subeat, perspicuè ostendat. Sic ergo Emisenus fatur, postquam alias caussas assignauit: *Deinde vt dum in exemplum deuotionis & fidei posteris proponuntur, nouis semper meritis augeantur: ac iam virtutibus suis clari, alienis etiam profectibus amplientur.* Ingens plane piè Historiæ laus, quæ sic Sanctorum gloriam incrementat felici alienæ virtutis auctario, vt dum posteris afflatur notitia, pangantur virtutum propagines. Propagantur narratione virtutes, & nobili ad omnes sanctitates semine, per auditorum aures quasi per quosdam

Actor. 6. & 7.

Emis. hom. de S. Steph. *Sanctus quisque virtutibus suis clarus, Historiæ beneficio, alienis etiam profectibus ampliatur.*

dam pietatis traduces, mirè succrescunt, & de cæli afflatu florent, maturescunt, autumnant maturo religionis prouentu. Vide quid præstet simplex Tobianæ historiæ descriptio. Spirat religionem in Deum, allinit pædagogiam in filios, erga immorigeram vxorem affricat tolerantiam, in duris calamitatibus patientiam afflat, & erga miseros misericordiam imprimit, exprimit. Adeò vt dum per hanc narrationem in exemplum deuotionis ac fidei posteris etiam proponitur, nouis semper meritis augeantur: *ac iam Tobias virtutibus suis clarus, alienis etiam profectibus amplietur.* Profectò hæc Tobiæ Historia virtutum grauida est, & pia sanctitatum propagine felix: & dum Tobias in sepulchro friget, & in vagum puluerem cinerescit; in mente lectoris calet, & nouâ recordationis natiuitate viuescit. Suis meritis inclytus diu vixit: & iam diu sibi mortuus, de narratione rediuiuus, eius gloria aliorum meritis ampliatur, dum in omni posteritate virtutes eius sobolescunt, mira pietatum amplitudine: & cùm per narrationem cunctis proponitur, de alienis etiam meritis iustitiam propriam cumulat, & gloriæ suæ coronam de hâc simplici narratione multiplicat. Bellè quidem Emisenus?

3. Geneseos 18. surgunt Angeli è lauto epulo, direxeruntque oculos contra Sodomam, & Abraham simul gradiebatur deducens eos. Dixitque Dominus: Num celare potero Abraham quæ gesturus sum; cum futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ? *Scio enim quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium, & iustitiam.* Valde dissident interpretes in explicando quare Abrahamus dicatur præceptor seu legislator religiosæ posteritatis exinceps futuræ cùm nullæ extent leges ab Abrahamo conditæ; sed earum condendarum ius integrum expectauerit Moysen. Quænam sunt hæ leges, quas Abrahamus posteris dictauit: Eleganter Philo hâc super re ita scribit: Nunc leges scrutemur, dilatis ad tempus particularibus, earum ceu imaginibus, generaliores & quasi exemplares primùm disquiramus. *Hæ sunt viri, qui rectè ac sine culpa vixerunt, quorum virtutes publicatæ sunt in sacrarum litterarum tabulis, non tantùm ad laudem illorum, verùm etiam ad lectores in æmulationem prouocandos. fuerunt enim illi animatæ rationalesque leges.* Vide hîc caussam quare Abrahami, Moysis, Tobiæ, & reliquorum Patriarcharum historia in sacris libris describatur. Addit Philo: *Vt meritò quis dicere possit, leges scriptas nihil aliud esse, quàm vitarum Patrum commentarios, in quibus eorum dicta factaque narrantur.* Scilicet parùm foret quòd Patriarcharum denarrata vita, fuerint *leges animatæ, rationales, generaliores, & quasi exemplares*, quæ in Scripturarum tabulis conscriptæ, & lectores ad æmulationem prouocent, & quasi lege latâ mores ad omnem pietatem efforment. O vide mihi, quam sit proficua Sanctorum historia, quæ illorum res gestas ab obliuione vindicat, & posterorum memoriæ ingerit. Porrò tanquam viua lex imitationem spirat de æmulatione virtutum, dum facta eorum egregia, quasi spirans præceptio denonciatur, quæ quandoquidem necessitatem non imponit, sed comitatem obligat, ad æmulationem acriùs extimulat, adeò vt scriptæ leges velut *commentarius* quidam sit, & perspicua glossa; quæ quod succinctiùs & obscuriùs illustria virtutum opera loquebantur, explicatiùs exponat, & illustrius claret. Nimirùm Chaldæus Imperator comburere potuit diuinas leges in Pentateucho descriptas; sed legis duntaxat *commentarios* excussit: nam viua Dei lex adhuc in Assyria spirat, dum in Tobiâ floret, & in hac Patriarchæ historia ad omnem posteritatem viuescet. quò Tobias suis virtutibus clarus, alienis etiam profectibus amplietur, stupendo virtutum incremento: & qui diu mortuus in sepulchro iners iacet, huius historiæ arbitrio omnibus posterorum virtutibus adhuc viuat. Nam vt eloquenter Ennodius: *Quorum probitas libris mandata fuerit, eorum vitalis est obitus.* Nec mireris, si peregregiis Sanctorum facinoribus culpæ aliquoties admisceantur; id enim ad imitationem nostram non parum conducit. Nam vt dixit Seleuciensis Basilius: *Ideò Scriptura cum nobilibus Sanctarum factis flagitia commiscet, vt quos ab imitatione arcent miracula, prouocent errata.* Vel Sanctorum errata nos ab erroribus arceant.

4. Theodoricus rex Senatui Romano hanc de sui Cassiodori virtutibus scripsit epistolam, quæ in Romanæ curiæ archiuis, ad exemplum seruaretur: *Optamus, Patres conscripti, coronam vestram diuersorum fascium flore depingi. Conuentus siquidem talium est dignitas imperantium: & quicquid in vobis festiua gratulatione conspicitur, nostris verè laudibus applicatur. Hos viros nostra perscrutatur intentio: iis morum thesauris gaudemus inuentis.... Qui mox deindè Sacrarum largitionum honore suscepto, creuit tantum conuersationis laude, quantū profecerat dignitate. Quid prouinciis redditam disciplinam? quid diuerso generi hominum momenta iustitiæ infusa referamus? Vixit enim tanta continentia, vt æquitatem & institueret monitis, & doceret exemplis.* Et post pauca ad rem præsentem opportunus: *Qui licet se moderando gloriosum fecerit, hoc tamen maius contulit, quod bona actionis exemplum sequentibus dereliquit.* Porrò rerum benè gestarum enarratio, imitationis fœcunda est, & ad similes narrationi mores ingerit: ex qua velut *ex morum thesauro*, probitatis gazas posteritas depromit. Neque enim cum homine eius merita tumulantur, quæ relationis miraculo rediuiua, ad imitationem viuescunt. Exponens Basilius illud Geneseos 6. *Omnis quippe caro corruperat viam suam super terram*, ita scribit: Omnes profectò imitatores, & impietatis heredes habebat Cainus, neque tremor illius corpori circumpositus videntes reprimebat, sed per animi prauitatem mali quoque metum limis intuebantur. *In iis nemo, qui Dei amantem Abelum æmularetur: sed emortuam virtutem opinabantur, quæ tamen vel in mortuo corpore loquebatur.* Ecce quomodo in mortuo etiam corpore virtus loquitur.

5. Basilius Seleuciensis his verbis in Dauidis historiam præfatur: *Scriptura doctrix istiusmodi artium præsidet, ista clamans discipulos edocet, & præceptionibus parùm contenta, rebus ipsis plus immoratur. Virorum namque recordatione, qui res magnas gesserunt, ad imitationem prolectat. Præclaros pietatis athletas producit in medium per narrationes similitudine naturæ ad simile propositum inescans. Ideò si quidem quem primum natura*

Gen. 18. v. 19.

Leges scriptæ sunt vita Sanctorum commentarij.

Philo lib. de Abrahamo.

Quorum probitas libris mandata fuerit, eorum vitalis est obitus.

Ennod. de vita Anton. Seleu. Orat. 17.

Cassiod. lib. 1. Variar. epist. 4.

Historia bonæ actionis exemplum posteris dereliquit, & morum thesauros.

Genes. 6. v. 12.

Basil. Orat. 5.

Basil. Seleuc. Orat. 13.

Historia Sanctorum retrò Patriarcharum, characterem virtutis delineat.

P. Didac. de Celadá in Tobiam.

tura iustum genuit, silentio non pressit, sed contrà res Abelis dilucidè deprædicauit, quemdam iustitiæ characterem posteritati delineans. Hæc mente Enochum, Noëmum, Abrahamum, Dauidem, & Tobiam prodit, vt & eorum vitalis sit obitus perpetuis commentariis viuiscens, & virtutis characterem posteritati recuderet (Hâc super re egimus suprà §. 1. num. 3. & 4. & in toto Opere saltuatim.) Sententiosè Theodoricus: *In ore quippè rumoris est, quondam Felicis viuere consulatum: quia bona durare norunt post hominem: & quod gloriosè geritur, fine temporum non tenetur.*

Cassiod. lib. 2. Variar. epist. 3.

§. CCCCVI.

Eloquentia sic rei credibilitatem adauget, vt quam pingit imaginem, veri adstipulatione repræsentet.

1. QVod rebus deest, elaborata verborum elegantia illis de suo erogare satagit ad suadelam. Ieiuna rei exiguæ narratio, calamistratum sermonem ambitiosè esurit, quò vocabulorum cincinnos auxiliares accersant. O si res ipsæ voces ederent, fucati sermonis præstigio viduatæ, ne virgo veritas tot verborum stupra subiret, dum in pulchrè lasciuo eloquio venustè scortatur! Quis enim nimis accuratè loquitur, nisi qui vult putidè loqui? Si fieri posset quid sentiam, ostendere, quam loqui mallem, (ait Seneca) & hoc vnum tibi approbare vellem, omnia me illa sentire quæ dicerem. Non me hercules ieiuna & arida volo, quæ de rebus magnis dicentur, neque enim simplex veritas renunciauit ingenio: multum tamen operæ impendi verbis non oportet. Hæc sit propositi nostri summa: Quod sentimus loquamur, quod loquimur sentiamus. Concordet sermo cum re; ne quicquam aut prodigus addat, aut auarus detrahat. Ille est æquus veritatis tractator, suumque promissum impleuit, qui, & cùm rem videat, & cùm illam audiat, idem mentibus suggerere putatur, & diuersis sensibus vnam notitiam parturit. quod infucato & sincero eloquio hîc Tobias præstat, in suæ Historiæ scriptione; ne candida veritatis facies, rubricatæ fucum erubesceret, & cum falsatis elegantiæ schemmatis putidè lasciuiat. Hæc pulchra Nephthaliæ Tobiæ dictio, forsan prædicta fuit de Nephthali gentis Patriarcha, sic enim protoparens Iacob de eo prophetauit: *Nephthali ceruus emissus, & dans eloquia pulchritudinis.*

Fucata elegantia rei veritatem sæpe constuprat.
Senec. epist. 76.
Hic vers. 19
Genes. 49. v. 21.

2. Estheris 6. Rex Assuerus exsomnem traducit noctem; ne verò inerter otiaretur in lecto, qui ne perpetuò vigil eualebat tot regnorum curas excoquere; iussit sibi afferri historias & annales priorum temporum. Quæ cùm illo præsente legerentur, ventum est ad illum locum vbi scriptum erat quo modo nunciasset Mardochæus insidias Bagathan & Thares eunuchorum, regem Assuerum iugulare cupientium. *Quod cùm audisset rex, ait: Quid pro hac fide honoris ac præmij Mardochæus consecutus est? Dixerunt ei serui illius ac ministri: Nihil omninò mercedis accepit, Statimque rex: Quis est, inquit, in atrio?* Renunciatur adesse Aman, qui de regis mandato, condignum iam meritis præmium Mardochæo deferr, illumque præilustri sublimat honorario, quod vel primus è regni principibus supra reliquos insolescens, superbiæ fastu turgens, arroganter ambiret. Profectò admirabilitatis dignum est, quòd recenti adhuc Mardochæi obsequio, ritè testibus comprobato, è quo Regis vita aut mors adæquè pependit; Rex generosè munificus, *nihil omninò mercedis* patratori tunc impenderit; & cùm illud ipsum facinus tractu longi temporis penè obsoletum, ex regiis annalibus recitatur, tunc tanto præmio condignum appareat. Quid nunc videt Rex in obsequij relatione, quod in adhuc calente obsequio non vidit? eccur tunc impræmiatum negligit, & nunc sic opulentè munerare festinat? Ioannes Mariana in recenti æuo veteranus scriptor, ita hac super re scribit: *Iussit itaque sibi afferri historias Assuerus. Hebraicè: Librum maximè memorabilium. Sic verto propter* ה *emphaticum.* Ita Mariana ex Rabbi Kimhi. Addit Lyra: *Quilibet rex pro tempore suo faciebat scribi librum, in quo facta sui temporis ponebant.* Scilicet in more positum olim fuit apud Reges, vt pro diariis & annalibus sui temporis conscribendis, in quibus eorum res gestæ, & præilustria in bello pacéque facinora, & reliqua *maximè memorabilia,* periti deligerentur viri polito eloquio inclyti, qui elegantiæ lepores expolirent ad gratiam. quod ingenio adulationis fieri solitat, quò Regis memoria, gratior & honoratior veniret ad posteros. (*Eloquentia bona ineptum est in Quæstore prædicare,* ait Cassiodorus, *cùm ad hoc specialiter probetur ascitus, vt opinionem temporum commendet qualitate dictorum*) Inde forsan (non extenuo egregiam Mardochæi fidem, sed vim nunc eloquentiæ exaggero) Assuerus rex illustre licet Mardochæi facinus dum præ manibus erat, & obtutibus spectatorum oculis obuersabatur, digna tunc mercede munerare negligit: cùm verò illud ipsum quasi *maximè memorabile* legit, & in suis annalibus calamistrato eloquio, & elegātiæ præstigiis graphicè descriptum audit; tunc, tunc quidem acri eloquentiæ calcari agitatus, illud regia munificentia munerare festinat. Quod eloquenter his verbis expressit Ennodius: *Et enim res benè gestæ, ait, veterum nostrorum, pro referentis apud nos, accipiunt facultate virtutem.* Talis putatur virtus, qualem inuenit relatorem? Ita quidem persæpè. nam vt idem alibi dixit: *Neque existit quod crescere nequeat ambitione verborum.* O quoties res, quæ in se ipsa spectata, non valdè æstimatur; sic cothurnata relatione aptatur ad gratiam, & crescit ad leporem, vt ipsa alia videatur! Fidelitas Mardochæi oculis spectata, propè negligitur: at in rerum *memorabilium* annalibus in regis gratiam, eloquentiùs descripta, auarum olim torporem excutit, & Regis gratitudinem ferè ad prodigam munificentiam subornat. Quid tam illiberale ac sordidum, quàm gloriosum Mardochæi obsequium, impræmiatum negligere? quid iam tam prodigè munificum, quàm regium diadema in capite gloriosiùs portare? *Que de veces loque en si no es tanto, puesto en relacion, es mucho mas, ò lo parece.* O comptioris calami præstigias! Adhuc pergit Ennodius, ex suo Theodorico sic fatus: *Eat nunc & cothurnatis relationibus Alexandrum iactet antiquitas: cui famæ opulentiam peperit dos loquentis, vt per adiutricem facum*

Esther. 6. v. 3 & 4.
Mardochæi facinus, non ob remissam, sed ob relationem muneratur.
Marian. ibi.
Lyra in cap. 2. Esther.
Cassiod. lib. 8. epist. 14.
Res benè gestæ, pro referentis accipiunt facultate virtutem.
Ennod. in vita S. Epiphan.
Idem lib. 3. epist. 19.
Ennod. in Panegyri.

facundiam videatur crescere rebus mendica laudatio. Regis nostri merita solatium non postulant adserentis. minora sunt eius veris actibus, quamuis aucta sint veterum gesta mendaciis.

3. 1. Cor. 1. v. 17. 1. Corinthiorum 1. acri obiurgatione Doctor Gentium perstringit nimis accuratas quorundam in doctrina tradenda elegantias, tanquam Christianæ veritati inimicas. *Non misit me Christus*, inquit, *baptizare, sed euangelizare: non in sapientia verbi, vt non euacuetur crux Christi.* Profectò animaduersione dignissimum est, quòd Christus Deus ad fidem faciendam Euangelio, piscatores agrestes & barbaros, citiùs quàm rethores eloquentes & cultos, eligere maluerit. Quid eloquentia ad suadelam officeret? Opinor, quòd Apostolus de cælo eruditus, arcanam hujus rei rationem, è re ipsa medullitùs euiscerat, & sapientiùs tradit. Audiendus est Remigius Episcopus Rhemensis, qui verba Paulli sic elucidat: *Non in sapientiâ verbi misit me Christus euangelizare, vt non euacuetur Crux Christi, id est, vt non annihiletur passio crucifixi Christi. Hæretici & Philosophi prædicabant in sapientiâ Verbi, hoc est, culto & polito sermone.* Nempe si culto & polito sermone Christiana doctrina primò prædicaretur, & persuabilibus humanæ sapientiæ verbis florerent Apostoli, quibus amœnitates spirarent, eloquentiæ culturâ vernantes; euacuaretur Christi passio, & Christianæ doctrinæ veritas specie tenùs *annihilaretur:* cùm Euangelij tanta vniuersatim suadela, fucatæ potiùs Prædicatorum eloquentiæ, quàm simplici, candidæ, & infucatæ veritati adscriberetur. Tanta enim est comptioris eloquentiæ vis ad transuersum agendos audientium animos, sic ab elegantiæ momentis quoquouersùm inclinantur, non passioni Christi, & ipsi rei Christianæ veritati inornatæ; sed Prædicatorum facundiæ tribueretur. Nam sæpe peritus eloquentiæ artifex, & doctus verborum trutinator, sic diuite linguâ mentes auditorum perstringit, vt quod mendaciter verbis simulat, & mente dissimulat; ipsa infucata veritas appareat: *Et quamcumque fucatis verborum imaginibus pingit speciem, veri adstipulatione repræsentet*, quod doctè notauit Ennodius. Itaque consultissimè præcauet Christus Deus, ne cæli mysteria referet humana eloquentia, & persuasionis prodiga, veritatem auarè suffuretur magno suadelæ præiudicio. Loquatur res ipsa, & infucato sermone euulgetur; ne stupendæ persuasionis gloria, stipendium elegantiæ, potiùs quàm veritatis vigor reputetur: nec aliquis vnquam suspicari audeat, quòd Euangelij Prædicatores disertto eloquio, & fucatis verborum imaginibus, rei, quam pingunt speciem, *veri adstipulatione repræsentant.* Non eget rethoricæ lenocinio, Dei veritas: sincerè pulchra est, & sine fuco placet ad gratiam, auditur ad suadelam. Eleganter phaleratus equus emptori suspectus est, placent phaleræ; sed ipse inornatum equum explorat. Satis venustum non est, quod adhuc venustatem à fuco emendicat. Comptior elegantia, suspecta est de mendacij præstigio.

Comptior Prædicatoris lingua, Passionem Christi annihilaret.

Remig. ibi.

Fucatus sermo rerum imaginem, veri astipulatione repræsentat.

Ennodius lib. 1. epist. 1.

Errauit opinor, (non sine sarchasmo dixit Tertullianus) *diuina doctrina, ex Iudæâ potiùs quàm ex Græciâ oriens. Errauit & Christus piscatores citiùs quàm Sophistam mittens.* Verum sic ingeniosa Rethorum eloquentia, fidei miracula sibi arrogantes vindicaret. Quod Basilius Seleu. scitè edisserit, exponens illud Matthæi 4. *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. ô verè consilium excelsum, & sapientiam immortalem: rem peregrinam, & doctrinam nouam, deque cælo allatam politiam, cùm mortales instituisset edocere, & istiusmodi doctrinæ idoneos quæreret administros; despexit vrbes, regni ministeria repudiauit, diuitiarum potentiam detestatus est, exosam habuit vim Rethorum, non Philosophorum linguas optauit ...... Fas mihi fuit Regibus potiùs vti ministris, fas mihi fuit Rhetorum linguas doctrinæ administras trahere, potui Angelorum ordinibus prædicandi munus credere: sed tunc famulantium splendor gloriam, famamque meam ad se rapiet. Comprimantur voces infidelitatis: occludatur lingua, ne sit calumniæ locus. Ne dicat impius aliquis regionatim, & oppidatim cùm homines vltro confugere videas ad Euangelij prædicationem: Quomodo potuit Christus non persuadere? præcones perquam ingeniosos permisit*, &c. Ne ergo eloquentiæ præstigiis, quæ falsa etiam, *veri adstipulatione repræsentat*, mundi conuersio deputetur, consultissimè Christus Deus & barbaros, potiùs quàm facundos Rhetores, sui Euangelij prædicatores inaugurat. Tanta est eloquentiæ vis!

4. Tertull. lib. de Animâ, cap. 3.

Matth. 4. v. 19. Basil. Seleu. Orat. 30.

Quare Christus, non Sophistas aut Rhetores, sed idiotas piscatores, sui Euangelij prædicatores inaugurat.

SYNOPSIS
CAPITIS DECIMITERTII.

Duo sunt quæ potissimùm in hoc capite continentur. Vnum est oratio gratulatoria, seu gratiarum actio, quæ diuinas prædicat laudes: quod se exinceps perpetuò facturum pollicetur; idque vt alij vnà præstent, intentiùs adhortatur. Alterum continet de Ierusalem tanquam in typo Ecclesiæ præclarum vaticinium; in quo plura, eaque illustrissima præsagit de Ierosolymâ post excidium restitutâ. Graphicè describitur Ierosolyma post Babylonyci exilij squalorem, illustris, cuius gloria sumptuosiùs prædicatur: describitur autem propheticè velut Ecclesiæ typus, & cum adspectu ad cælestem Ierusalem, cuius beatam gloriam magnificè prophetat.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

1. APERIENS autem Tobias senior os suum, benedixit Domi-
num, & dixit: Magnus es Domine in æternum, & in omnia
sæcula regnum tuum: 2. Quoniam tu flagellas & saluas:
deducis ad inferos, & reducis, & non est qui effugiat manum
tuam. 3. Confitemini Domino filij Israël, & in conspectu
gentium laudate eum: 4. quoniam ideo dispersit vos inter
gentes, quæ ignorant eum, vt vos enarretis mirabilia eius, &
faciatis scire eos, quia non est alius Deus omnipotens præter
eum. 5. Ipse castigauit nos propter iniquitates nostras: &
ipse saluabit nos propter misericordiam suam. 6. Aspicite ergo quæ fecit nobiscum,
& cum timore & tremore, confitemini illi: regémque sæculorum exaltate in operibus
vestris. 7. Ego autem in terra captiuitatis meæ confitebor illi: quoniam ostendit
maiestatem suam in gentem peccatricem. 8. Conuertimini itaque peccatores, & fa-
cite iustitiam coram Deo, credentes quod faciet vobiscum misericordiam suam. 9. Ego
autem, & anima mea in eo lætabimur. 10. Benedicite Dominum omnes electi eius:
agite dies lætitiæ, & confitemini illi. 11. Ierusalem ciuitas Dei, castigauit te Dominus
in operibus manuum tuarum. 12. Confitere Domino in bonis tuis, & benedic Deum
sæculorum, vt reædificet te in tabernaculum suum, & reuocet ad te omnes captiuos,
& gaudeas in omnia sæcula sæculorum. 13. Luce splendida fulgebis: & omnes
fines terræ adorabunt te. 14. Nationes ex longinquo ad te venient: & munera
deferentes, adorabunt in te Dominum, & terram tuam in sanctificationem habebunt.
15. Nomen enim magnum inuocabunt in te. 16. Maledicti erunt qui contempse-
rint te: & condemnati erunt omnes qui blasphemauerint te: benedictique erunt qui
ædificauerint te. 17. Tu autem lætaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicen-
tur, & congregabuntur ad Dominum. 18. Beati omnes qui diligunt te, & qui gaudent
super pace tua. 19. Anima mea benedic Dominum, quoniam liberauit Ierusalem ci-
uitatem suam à cunctis tribulationibus eius, Dominus Deus noster. 20. Beatus ero, si
fuerint reliquiæ seminis mei ad videndum claritatem Ierusalem. 21. Portæ Ierusalem
ex sapphiro & smaragdo ædificabuntur: & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum
eius. 22. Ex lapide candido & mundo omnes plateæ eius sternentur: per vicos eius
alleluia cantabitur. 23. Benedictus Dominus, qui exaltauit eam, & sit regnum eius
in sæcula sæculorum super eam. Amen

§. CCCCVII.

§. CCCCVII.

Commentarius litteralis.

Verſ. 1. Aperiens autem Tobias ſenior os ſuum, benedixit Dominum, & dixit; Magnus es Domine in æternum, & in omnia ſecula regnum tuum.

1\. Quid ſignificet. Aperire os.

NOn moraret hunc loquendi modum, *Aperiens os ſuum,* niſi ex Auctoribus plures, ipſique prænobiles, in eo explicando hærerent. Qui ſæpè non tam ex loquendi modo Hebræis fa miliari, quàm ex re ipſa, & ex perſona, quæ *os ſuum aperire* dicitur, verborum ſignificantiam venantur. Exinde cùm de Chriſto ſedente cum diſcipulis in monte, dicitur: *Aperiens os ſuum docebat eos,* Auguſtinus, & Gregor. ſignificari autumant, Chriſtum, qui prius Prophetarum aperiebat ora, nunc tandem os ſuum aperuiſſe, id eſt, per ſe ipſum locutum fuiſſe, S. Chryſoſtomus, Theophylactus, & Euthymius, os quodammodo manibus hoc eſt, verba factis opponi cenſenſent, vt inſinuet Euangeliſta, Chriſtum Deum priùs exemplo, poſteà verbis docuiſſe. Nonnulli cum Auguſtino etiam cenſent, longum fuiſſe ſermonem oris apertione denotari. S. Hilarius, & Strabus, res magnas atque diuinas dixiſſe, ex omni ſcientię theſauro depromptas. P. Maldonatus cenſet, quòd hîc *aperire os* ſignificat, poſt longum, ac diuturnum ſilentium tandem loqui. Qua ſuper re conſuli poteſt P. Salmeron tom. 5. tract. 3. ad præſcripta Matthæi verba, vbi plures alias acceptiones ſpiſſat. Dein P. Ioannes Pineda exponens illud Iobi 3. *Aperuit Iob os ſuum*, putat indicari orationem conſultò & præmeditato factam. Obſeruant etiam P. Salmeron nuper laudatus, & P. Pineda; quòd *aperire os*, in Pſalmo 77. verſ. 2. *Aperiam in Parabolis os meum*, ſignificat arcana & abſtruſa myſteria pandere: quare ſubdit: *loquar propoſitiones ab initio*, Græcè *problemata*, S. Hieronymus *ænigmata antiqua.* Præterea *aperire os* ſignificat liberè & claré voce loqui, vt apud Ezechielem 29. verſ. 21. *In die illo pullulabit cornu Domini Iſraël, & tibi dabo apertum os in medio eorum.* Et Eccleſiaſtici 15. *In medio Eccleſiæ aperuit os eius,* id eſt, coram omnibus liberè loquetur, *loquetur*, inquam, *in conſpectu regum, & non confundetur.* Pſal. 118. verſ. 46. Ita hæc loca exponit Maldonatus ſuprà. Et Actor. 8. verſ. 35. *aperire os*, ſignificat geſtum, & habitum magiſtri Doctoriſque ſapientiſſimi: *Aperiens,* inquit, *Philippus os ſuum ..... euangelizauit illi Ieſum*, vt hunc locum exponit Pineda. Item 33. *aperire os* ſignificat aliquam in dicendo libertatem. *Ecce* (inquit Eliu) *aperui os meum, loquetur lingua mea in faucibus meis.* Idao prolixiùs hæc omnia loca cum interpretationibus congruis præter morem adduxi, non vt eas quaſi inidoneas reiicerem, ſed vt eis approbatis meam adſtruerem ſententiam. Seriò enim cenſeo τὸ *aperire os*, eſſe merum Hebrææ linguæ idiotiſmum, & nihil aliud ſignificare, quàm *cœpit loqui.* Sicut aperire alicui oculos, vel aures, idem eſt, ac audientiam aut viſum illi præbere, quod obuium eſt in Bibliis. Vnde non eo inficias, τὸ *aperire os*, hęc omnia, quę retulimus ſignificare, non ex huiuſmodi loquendi ſignificantiâ, ſed ex re ipſa de quâ agitur: & (ſi Scholaſticorum more loqui liceat) de materiali, non formali. Sic enim loqui cœpit Chriſtus: Philippus, Iob, Eliu, &c. ſic etiam & Tobias in hoc loco: *Aperiens autem Tobias ſenior os ſuum, benedixit Dominum.* id eſt, hęc *loqui cœpit.* (legi poteſt hac ſuper re Maldonatus & P. Salmeron in Mattæi cap. 5. verſ. 2.) in ſeria, an abſtruſa, an præmediata, &c. ex rebus ipſis, quas quiſque loqui incipit: taxent Interpretes *aperire* autem *os*, vniuerſatim *loqui cœpit* eſt. Inde Vatablus hîc excripſit: *pronunciatam ore ſuo meditationem.*

[Margin: Matth. 5. v. 2. — Auguſt. l. 1. de Ser. Dom. in monte. — Greg. lib. 3. in Iob cap. 5. — Chryſoſt. Theophyl. Euthym. ibi. — Auguſt. ſup. — Hilarius. Strabus ibi. — Maldonat. inibi. — Salmeron. — Pineda in Iob. 3. v. 1. — Pſalm. 77. Græcus. Hieronym. — Ezech. 29. — Eccli. 15. v. 5. — Pſalm. 118. — Actorum 8. — Iob 33. — Auctoris ſententia.]

2\. Vatabl. Totum autem verſiculum ſic exſcribit, & exponit Vatablus: *Scripſit autem Tobias ſenior pronunciatam ore ſuo meditationem gratulatoriam his verbis: Celebrandus eſt Deus ille viuus in æternum, ſimul & regnum ipſius omnibus ſæculis.* Nimirùm Tobias ab Angelo iuſſus eſt, & prædicare diuinas laudes, & (intra Græcos codices) illas ſcribere: vtrumque in hoc loco præſtat, eas ſcribens, & ore ſuo pronuncians; & voce, ac calamo Deum laudans. *In omnia ſecula regnum tuum.* Syrus: *Cuius regnum non præterit.* Sicut regna mundialium Regum. [Margin: Syrus.]

Verſ. 2. Quoniam tu flagellas, & ſaluas: deducis ad inferos, & reducis, & non eſt qui effugiat manum tuam.

Sententia prioris hemiſtichij millies reſonat in Bibliis, & quam de eiuſdem Tobiæ ore audiuimus ſuprà cap. 11. ver. 17. vbi & nos eam expoſuimus: Conſule Sanctium, & Mendozam in 1. Reg. cap. 2. verſ. 6. *Qui effugiat manum tuam.* Nemo, inquam, eſt adeò fortunatus, & naturæ & opum præſidio munitus, qui Dei vindicis potentiam effugere valeat. *Quò fugit Enceladus, ſub Ioue ſemper erit.* Neque è contrario, tam aduerſâ quis fortunâ laborat, tamque eſt abiectus & miſer, qui beneficâ manu non poſſit ad meliorem fortunam attolli, & ad felicium ordinem ſublimari: quod in ſe nunc Tobias expertus eſt Dei *manum* ſumi pro ipſius potentiâ; & perſpicuum eſt, & à S. Auguſtino obſeruatum. [Margin: Sanctius. Mendoza.]

Verſ. 3. Confitemini Domino filij Iſraël, & in conſpectu Gentium laudate eum.

Verſ. 4. Quoniam ideò diſperſit vos inter Gentes, quæ ignorant eum, vt vos enarretis mirabilia eius, & faciatis ſcire eos, quia non eſt alius Deus omnipotens præter eum.

Verſ. 5. Ipſe caſtigauit nos propter iniquitates noſtras; & ipſe ſaluabit nos propter miſericordiam ſuam.

3\. Quid ſignificet. Confiteri.

Sæpe notabamus quod nemo non notat, quòd τὸ *Confiteri*, Hebraicè ידה *iadah*, Hebræâ phraſi, & ſignificantia idem eſt, ac confiteri, gratias agere, & laudare. Conſule Expoſitores ad Matthæi 11. verſ. 25. quæ vox perſæpè occurrit in Pſalmis, & ita ab Interpretibus paſſim exponitur. Itaque non contentus Tobias, ſe, ſuamque familiam Deum laudare, ob eximiam erga ſe pro

prouidentiam; reliquos inuitat Israëlis filios, vt Dei sui laudes prædicent coram Gentibus apud quas exulabunt, vt ab eis cognoscatur, & colatur exinceps. Cuius rei rationem mox reddit. Ideò enim, inquit, Deus noster dispersit nos inter Gentes, quæ verum ignorant Deum, non modò vt scelera castigaret nostra: sed vt etiam ex vestra inter eos conuersatione, cæcis Idololatris veræ religionis faculum longè latéque accendatis. Adsimili prouidentiâ Actorum 8. post Stephani necem, fideles dispersi sunt, non tam declinantes persecutionis atroces minas, quàm vt vbiuis Gentium Euangelium disseminarent, quod notarunt Athanasius & Nyssenus, quorum opportuna verba hic Sanctius recitat. Arabs pro illis verbis, *Dispersit vos inter Gentes*, habet: *Quoniam dissipabit nos inter Gentes*, &c. Quasi non tantùm emigratio & exilium decem tribuum, quod iam diu patiebamur; sed dispersio etiam Iudææ idcirco etiam immineat, vt veri Dei notitia inter idololatras Chaldæos disseminetur.

Quo fine Deus Israëlitas in captiuitatem dederit.

Athanas. Nyssenus. Sanct. hic. Arabs.

Vers. 6. Aspicite ergo quæ fecit nobiscum, & cum timore & tremore confitemini illi: Regemque seculorum exaltate in operibus vestris.

4. Seriò hortatur Tobias filios Israëlis concaptiuos suos, vt tacitâ mente considerent durum quod patiuntur captiuitatis iugum, & pro assiduis vitæ incommodis, quibus acerbè exercentur: grato animo gratias ei & ore agant, & opere referant. *Exaltate in operibus vestris.* Grandis quippe Dei laus est, vt eius cultores inculpatâ vitæ probitate ostendant, quàm longè à Deo suo absit improbitas, quamque sit iustus, & iustitiæ peramans. Ad Romanos 1. vers. 23. *Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras. Nomen enim Dei per vos blasphematur inter Gentes, sicut scriptum est.* Exinde sollicitè nos admonet Christus: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* Idem docet S. Petrus epist. 1. cap. 2. vers. 12.

Bona hominum opera Deum exaltant.

Ad Rom. 4. Isaiæ 52. v. 5. Matth. 5. v. 16. 1. Petr. cap. 2.

Vers. 7. Ego autem in terra captiuitatis meæ confitebor illi: quoniam ostendit maiestatem suam in gentem peccatricem.

Vers. 8. Conuertimini itaque peccatores, & facite iustitiam coram Deo, credentes quod faciet vobiscum misericordiam suam.

Ipse Tobias quod suadet verbo, præscribit exemplo. Ego, inquit, in terra captiuitatis, patriâ extorris, procul Dei templo, sub gente idololatrâ & barbarâ, adhuc Deum meum deprædico, & eius laudes oratione gratulatoriâ perpetuò occinam. Reddit rationem: *Quoniam ostendit maiestatem suam in gentem peccatricem.* Per τὸ *gentem peccatricem*, intelligunt Israëlitas Assyria captiuitate vexatos, Sanct. Menoch. & Iustinianus, quibus videtur fauere Cyprianus, quasi *maiestatem* suam Deus ostenderit, in eorum scelera sic durè animaduertens. Meliùs, opinor, P. Tirinus locum intelligit de Assyriis, quorum deleto exercitu in Iudæa, & tyranno Sennacherib ense filiorum trucidato, Deus omnipotentem *maiestatem* suam, manifestè declarat. Nam qui Israëlitarum atroces aduersarios sic durè puniuit, si ipsi Israëlitæ ad Deum suum, quem sic beneficum erga seipsos, & Tobiam vident, animitus conuertantur, & abiuratâ idololatriâ, piè vixerint, certò sperare possunt, & delictorum veniam, & felicitatis cumulum. Quasi dicat: si Deus *gentem peccatricem* aduersus Israëlitas, Assyrios inquam, sic durè cum Rege suo vexauit, propter ipsos Israëlitas olim & nunc peccatores: ergo qui à lege Dei, eiusque religione defecistis, si Deum vobis propitium & clementem esse cupitis; mores auitæ religioni, & patriis legibus piè adtemperate. Quod significat, dicens: *Facite iustitiam coram Deo*, hoc est, sanctitatem verè operamini. Nam quod est iustum coram Deo, verè iustum est vsitatâ Bibliorum phrasi, vt alibi sæpe notauimus. Græci codices sic locum exponunt: *Ego in terrâ captiuitatis meæ confiteor ei, & ostendo fortitudinem & magnificentiam eius genti peccatorum. Reuertite peccatores, & facite iustitiam coram eo. Quis scit, si volet Deus, & faciet misericordiam vobis?*

Sanct. Menoch. Iustinianus. Cyprian. l. de Mortalit. Tirinus ibi.

Spem Hebræorum Tobias erigit.

Græcus.

Vers. 9. Ego autem, & anima mea, in eo lætabimur.

Vers. 10. Benedicite Dominum omnes electi eius: agite dies lætitiæ, & confitemini illi.

Ego autem, ait Tobias, siue seruus sim, siue liber; siue ditâ egestate premar, siue diuitiis affluâ; siue aduersâ valetudine affligar, siue integris viribus feliciter floream; in qualibet scilicet fortuna, in Domino semper lætabor. Vatablus è Græco textu sic locum exponit: *Ego extollo Deum meum, & animus meus Regi cæli gratulabitur.* Benè notat Sanctius, quòd τὸ *anima mea*, idem significat, ac *ego*, noto apud Hebræos idiotismo. Illi enim per *animam* per synedochen exponunt id, cuius est anima: vnde dicunt. Qui diligit animam suam; Qui odit animam suam: Ponere animam suam, &c. id est seipsum. Quare cum dicit Tobias: *Ego autem & anima mea lætabitur*, idem valet, ac si dicat: *Ego autem, ego, inquam, in Domino lætabor.* Eiusmodi autem sententiæ eiusdem geminatio non vulgarem habet epitasim. Vnde non placet Iustinianus, qui per τὸ *animam*, partem hominis sensitiuam intelligit: quia alicubi ita accipi videtur: nempe 1. ad Thessalonicenses 5. vers. 23. *Vt integer spiritus vester, & anima, & corpus*, &c. Nam etsi in his Paulli verbis, *anima* pro parte sensitiua accipiatur, vt Nyssenus apud Theophylactum exponit. At S. Anselmus aliter locum commentatur. Et sanè licet Nysseni expositio magis esset idonea, nil officeret: quia ibi spiritus, & anima, & corpus, velut diuersa apponuntur: non in hoc Tobiæ loco, sicut neque cùm dicitur: Qui non odit animam suam, &c. qui loquendi modus frequens est in sacris literis, & mera est cum quadam epitasi repetitio. *Benedicite Dominum omnes electi eius.* Consultè ad diuinas laudes aduocat electos: *non enim est speciosa laus in ore peccatoris*, Ecclesiastici 15. vers. 9.

5.

Vatabl.

Sanct ibi.

Hominis anima accipitur pro nomine.

Iustinian. ibi 1. ad Thess. 5. v. 24. Nyss. apud Theophyl. Anselm. Cornel. ibi.

Eccli. 15.

§. CCCCVIII.

§. CCCCVIII.

Commentarius litteraris.

Verſ. 11. Ieruſalem ciuitas Dei, caſtigauit te Dominus in operibus manuum tuarum.

1. PEr τὸ *Ieruſalem*, hîc intelligitur & vrbs ipſa materialis, (nam vaſtanda, & reædificanda dicitur) & eius ciues, quia ob eorum flagitia, mox caſtigata, aut caſtiganda dicitur. *Ciuitas Dei* nominatur, aut quia ibi templum Dei ędificatum eſt, aut quia Ieroſolyma & Hebrææ religionis & imperij metropolis, perampla & opinatiſſima vrbs fuit. Thren. 2. v. 15. Pſalm. 86. v. 3. & 7. & apud Tacitum lib. 21. Quæ autem verè magna ſunt, hæc *Dei* epitheto apud Hebræos mirè amplificari ſolitant; ſic *Montes Dei*, Pſalm. 32. v. 7. *Cedros Dei*, Pſalm. 79. v. 11. *Caligo Dei*, Ieremiæ 2. v. 31. iuxta Hebræum textum. *Flamma Dei*, Cant. 8. v. 6. apud LXX. legimus. (Thren. 2. Pſalm. 86. Cornel. Tacit. Pſalm. 32. & 79. Ierem. 2. Cantic. 8.)

2. *Caſtigauit te Dominus.*] Græci codices non habent *caſtigauit*, ſed de futuro, *caſtigabit*, vel *flagellabit*. Verùm quia Vulgatus habet, *caſtigauit* de futuro, nonnulli apud Dionyſium Richel exiſtimant, Ieroſolymam iam tunc à Nabuchodonoſore euerſam, cùm Tobias hæc verba fecit. Aſt ex certiſſimâ Chronologiâ conſtat, ante centu n annos Ieroſolymæ euerſæ, hæc Tobiam dixiſſe. Quâ ſuper re dicemus ad cap. 14. v.... P. Sanctius in eâ eſt ſententiâ vt exiſtimet, hiſtoricè etiam præfata Tobiæ verba accipi poſſe: quia per captiuitatem decem tribuum, vrbis Ieroſolymitanæ gloria valdè imminuta eſt: nam cum Ieroſolyma eſſet Hebrææ religionis metropolis etiam poſt Ieroboani à Roboamo defectionem, non abſque huius regiæ vrbis iacturâ decem tribus in Aſſyriam captiuæ abductæ ſunt. Sed quantulum hoc diſpendium Ieroſolymorum fuit per Ieroboami defectionem, & aureos vitulos cauſsâ religionis erectos? Nec opinor ob Ieroſolymorum peccata, decem tribus in Aſſyriam deportatas, ſed ob ſua ipſorum impiiſſima flagitia. Hic autem dicitur: *Ieruſalem ciuitas Dei caſtigauit te Dominus in operibus manuum tuarum.* Quin & verſ. 12. ſcribitur, *Vt readificet in te tabernaculum*. & verſ. 16. *Benedicti erunt, qui ædificauerint te.* ergo de Ieroſolymâ diutâ loquitur. Vnde cum receptiſſimâ Interpretum ſententiâ exiſtimo, Prophetarum more, præteritum hic pro futuro accipi; & loqui de templi ac vrbis vaſtitate, & duarum tribuum exilio apud Chaldæos, de quo exinceps in hoc capite indubiè agit. Sic Exodi 15. v. 14. & 15. *Tunc conturbati ſunt Principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor.* Et Pſalm. 136. verſ. 1. *Super flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus.* Et Baruc. 3. v. 36. *In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Quod familiare eſt Prophetis, & quod paſſim occurrit in Biblijs. Benè notat Sanctius, quòd τὸ *in operibus*, perinde eſt, ac *propter opera*. Ita Geneſ. 3. v. 17. & 12. v. 3. & 3. Reg. 16. verſ. 19. Iſaiæ 50. v. 1. Oſee 5. v. 5. & alibi ſæpè. Itaque propter ſua ſcelera Iudæorum gens caſtigatur, & captiua apud Chaldæos exulat: *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias, & contumelias, & diuerſos dolos.* Eccleſiaſtici 10. v. 8. Nemo hîc non notat triplicem eſſe *Ieruſalem*: altera eſt omnino terreſtris, quæ eſt vrbs Ieroſolyma Hebrææ gentis metropolis: altera eſt *Ieruſalem* omnino cæleſtis, quæ eſt beatorum ſedes, & Eccleſia triumphans nominatur: tertia eſt velut mixta, hæc eſt Eccleſia militans, quæ in terris commoratur, & tamen ſpiritualis eſt, & ad Ieruſalem cæleſtem pergere ſatagit. Ergo quæ in toto capite dicuntur, Iudæi intelligunt de materiata Ieruſalem, vt docet Hieronymus ad Iſaiæ cap. 54. De mixta, id eſt, Eccleſia, Beda, & Gloſſa, & Iſidorus. De omnibus Carthuſianus, quem magno conſenſu interpretes ferè ſequuntur. quare vnicuique aptanda erunt, quæ idoneè illi congruunt.

(Græcus. Dionyſ. Richel. — Sanctius. — *Familiare eſt Prophetis tempus præteritum pro futuro vſurpare.* — Exod. 15. — Pſalm. 136. Baruc. 3. — Sanct. ibi. — Eccli. 10. — *Triplex Ieruſalem.* — Hieronym.)

Verſ. 12. Confitere Domino in bonis tuis, & benedic Deum ſeculorum, vt reædificet in te tabernaculum ſuum, & reuocet ad te omnes captiuos, & gaudeas in omnia ſæcula ſeculorum.

Quod Græci codices dixerunt: *Confitere Domino benè*, expreſſiùs ediſſerit Vulgatus: *Confitere Domino in bonis tuis.* Scilicet præcedenti verſ. dixerat, quòd caſtigauerat Deus Ieruſalem *in operibus manuum ſuarum*, id eſt, propter iniqua opera; ideò non ait, in bonis operibus placandum & propitiandum eſſe Deum. τὸ *benè* indefinitum, non ſine epitaſi ponitur. (Bibl. Sixt.)

Readificet in te tabernaculum ſuum.] Præſaga mente antedixerat excidium, quod poſt centum propè annos ſubiit Ieruſalem ſub Chaldæo Nabuchodonoſore. quare ſeriò Hebræos hortatur, vt mutent mores, Templi reſtaurationem pollicitus, ſi bonis operibus offenſum numen propitiauerint. Quod nunc *tabernaculum* vocat, cap. ſequenti, v. 7. *domum Dei* appellat. De Templi reſteratione agitur lib. 1. Eſdræ, cap. 6. (Tobiæ 14. 1. Eſdræ 6.)

Et reuocet in te omnes captiuos.] *Omnes*, ait, quia omnibus ad patrium ſolum redire integrum fuit: nam etſi non omnes omnino regreſſi ſint, è ſingulis tamen tribubus multi redierunt. Hæc autem felicitas, quam ſuis prædicit Hebræis, non eſt caduca & breuis, ſed duratura *in omnia ſecula ſeculorum*: vel, vt habet Græcus, *in omnes generationes ſæculi.* Origenes in epiſt. ad Romanos ita ad rem fatur: *Quoties ſecula ſeculorum in ſacris litteris nominantur, fortaſſe licet nobis ignotus & incertus ſit; tamen à Domino ſtatutus aliquis numerus indicatur.* Et quidem longo poſt tempore vrbs & templum Ieroſolymitanum durauit poſt reſtaurationem. Quod ſi anagogen ſpectes, æternam in cælis durationem indicat. (Græcus. Origenes)

Verſ. 13. Luce ſplendidâ fulgebis; & omnes fines terræ adorabunt te.

Verſ. 14. Nationes ex longinquo ad te venient: & munera deferentes adorabunt in te Dominum, & terram tuam in ſanctificationem habebunt.

Verſ. 15. Nomen enim magnum inuocabunt in te.

Tametſi præluſtre hoc Tobiæ vaticinium, vtcúmque ad litteram poſſit intelligi de reditu Hebræorum è captiuitate, de reſtaurata Ieroſolymitana vrbe & templo, & de gloria, qua Iudæorum religio

Sanct. Isaiæ 60. v. 1.

Hoc vaticinium ad literam intelligitur de Ecclesia.

religio exinceps floruit, vt multis contendit Sanctius hic, & ad Isaiæ 60. v. 1. *Surge, illuminare Ierusalem*, &c. plures pro se allegans auctores, ita vt vterque locus ad litteram de Ierusalem materiata intelligatur, in quâ velut in typo, de Ecclesia agitur. Verosimilius tamen censeo de Ecclesia vtrumque vaticinium in sensu litterali intelligendum. Neque enim Ierusalem sic post captiuitatem floruit, vt prælustrem hanc prophetiam impleuerit. Templum enim sic reædificatum est, vt structura & ornatu longè est inferius priori: adeò vt præ mœstitudine flerent, qui olim Salomonianum viderant, vt habetur 1. Esdræ 3. & 6. Numquam exinceps gens Hebræa regem proprium habuit; alienigenis persæpè paruit, nunquam pristinam aut gentis aut templi gloriam restaurauit. Vnde (vt moris est Prophetarum) Tobias de templi & vrbis reædificatione transit ad Christi & Ecclesiæ gloriam, quam magnificis verbis sumptuosiùs deprædicat in Niniue, sicut eius synchronos Isaias in Ierosolymis per idem tempus prædicabat cap. illo 60. v. 2. Ita S. Hieronymus, S. Cyrillus, S. Ambrosius, S. Augustinus, Tertullianus, Clemens, Theodoretus, Procopius, Leo Castrius, Pintus, Forerius, Adamus, Vatablus, & alij apud P. Cornelium, ad præscriptum Isaiæ locum.

Hieronym. Cyrillus. Ambros. August. Tertullian. Clemens. Theodoret. Procopius. Leo Castr. Pintus. Forerius. Adamus. Vatablus. Cornelius.

Luce splendidâ fulgebis.] Hoc est, fulgentissima luce fidei & veritatis, atque famæ ac gloriæ illustrissimæ, Isaiæ 60. v. 1. *Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* Et cap. 9. v. 2. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* Et Ioannis 8. v. 12. *Ego sum lux mundi*, ait de se Christus Deus. Et ideò venit Ioannes, *vt testimonium perhiberet de lumine.* & statim: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et Lucæ 2. v. 32. *Lumen ad reuelationem gentiũ.* Quia autem Ecclesia hac *luce splendidâ fulget*, ideò subdit: *Omnes fines terræ adorabunt te.* Arabs, *Omnes termini terræ adorabunt Deum in te.* Quæ verba non Synagogæ, sed Ecclesiæ peridoneè aptantur. Pergit Propheta Tobias.

Isaiæ 60. v. 1. & cap. 9. v. 2. Ioann. 8. v. 12. & cap. 1. v. 7. & 9. Lucæ 2. v. 32. Arabs.

4. *Loca sancta Ierosolymorum opulentè munerantur.*

Nationes ex longinquo ad te venient.] Prædicit futurum, vt nationes seu gentes Ierosolymam veniant, Græcè τὰ ἔθνη à quibus ethnicorum nomẽ. Ecce tibi Gentium vocationem, qui de longinquo Ierosolymam venient, quod nuper dixerat de finibus, seu terminis terræ. *Munera deferentes adorabunt in te Dominum.* Græci codices vberius locum exponunt: *Gentes multæ de longè venient ad nomen Domini Dei, munera in manibus habentes, & munera regi cæli.* Quod Isaias quoque tunc temporis prædicabat: *Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha: omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes.* Quod impletum est in Magorum aduentu, & adoratione, & locuplete infantis Dei muneratione. Latè tradit Hieronymus in epist. 18. ad Marcellum, quàm opulentis donis loca illa Christi ortu, conuersatione, & morte illustria, munerentur. *Terram tuam in sanctificationem habebunt.* Arabs: *Et reputabunt regionem tuam sanctificatam*; vel *consecratam*, vt Vatablus exscribit. *consecratam* inquam, Christi Dei vestigiis, & sanguine; vnde sanctificationem per sacraméta etiam mutuare exambiunt.

Græcus. Isaiæ 60. v. 5. Hieronym. Arabs. Vatablus.

Nomen enim magnum inuocabunt in te.] Reddit rationem cur Gentes de longinquo cum muneribus veniant, & terra illa *in sanctificationem* reputetur: quia veri Dei nomen, atque adeò magnum nomen in ea inuocatur. Iustinianus existimat, nomen Dei magnum esse sacrosanctum Iesu nomen. nam Christo dedit Deus *nomen quod est super omne nomen.* Et M. Alfonsus de Mendoza Augustinianus, q. 10. Expositiua multis probat, ineffabile nomen *Iehouah*, & sacrosanctum nomen *Iesu*, esse ipsissimum nomen. Veriùs tamen existimauerim, quòd hic nomen, vt plerumque in sacris Scripturis, pro re sumitur, nempe verus & magnus Deus, qui ab Ecclesia colitur, à Gentibus coletur, adorabitur, inuocabitur.

Nomen Iesu dicitur magnum Dei nomen. Ad Philipp. 2. v. 9. M. Alfons. Mendoza.

Vers. 16. Maledicti erunt, qui contempserint te, & condemnati erunt, qui blasphemauerint te, benedictique erunt, qui ædificauerint te.

Vers. 17. Tu autem lætaberis in filiis tuis quoniam omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dominum.

Vers. 18. Beati omnes, qui diligunt te, & qui gaudent super pace tuâ.

Arabs: *Maledicti erunt, qui humiliauerint te,* 5.
nempe verbis & factis. Exindè qui Ecclesiam atrociùs persecuti sunt, male perierunt, quorum longam seriem ex historiis petitam hic num. 27. Sanctius recenset & Iustinianus, num. 2. Ab hoc vers. 16. vsque ad 21. non abnuerim agi de Hebræa gente ad patrium solum feliciter reduce, velut in typo, cuius antitypus est Ecclesia. Hactenùs non ita verosimile, etsi non inidoneum.

Arabs. Sanct. hic. Iustinian.

Omnes benedicentur, & congregabunt ad Dominum.] *Omnes* dicit, non quia omnes omninò exules è Chaldea, & Assyria captiuitate redierunt; sed quia è singulis tribubus plures, aut saltem aliqui reuersi sunt, & ex Gentium dispersione *congregati.* Quod etiam Isaias vaticinatus est: *Omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, &c. Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum.* Id est, *Tu lætaberis in filiis tuis* (vt ait Tobias) nam cordis dilatatio synonymon lætitiæ est. Quanto autem cum honore & gaudio reduces captiui aduenerint, habetur 1. Esdræ cap. 2. v. 66. & apud Iosephum lib. 11. cap. 4. Quàm aptè hæc in tot filiis lætitia, & vniuersalis è Gentibus congregatio, in Ecclesiam quadrent, perspicuum est, & Catholicorum nemo non videt. *Beati omnes*, &c. Biblia Sixtiana: *O beati qui diligunt te, gaudebunt in pace tua. Beati quicumque tristati sunt super omnibus flagellis tuis, quoniam in te gaudebunt, videntes omnem gloriam tuam, & lætabuntur in secula.* Sicut nuper vers. 16. maledixerat omnibus, qui Dei populo aduersarentur; nunc his qui de Israëlitico excidio condoluerunt, felicia quæque apprecatur.

Isaiæ 6. v. 4. Biblia Sixt.

Vers. 19. Anima mea benedic Dominum, quoniam liberauit Ierusalem ciuitatem suam, à cunctis tribulationibus eius.

Vers. 20. Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem.

6\. Nempe Tobias præsagâ mente anteuidens Hebræam gentem liberam ab exilij incommodis, & diuturnæ seruitutis calamitate, & antiquo splendori feliciter restitutam, gratias Deo animitùs agit. Τὸ *anima mea*, perindè est, ac ego, synecdochicῶς, vt sæpè alibi. *Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei*, &c. Præuidens Tobias ante ducentos ferè annos præluſtrem hanc ſuæ gentis, & restaurati templi gloriam; &, quandoquidem ipse eam videre non præsumit, auidè percipit piis animi votis, vt è suâ posteritate aliquis ad patriam redux tantam gentis & religionis gloriam oculis cernere mereatur, quò beatum ſe arcanè reputat. Existimauerim, quòd Tobias voti compos fuit factus. Sic enim Arabs locum exscribit: *Beatitudo mihi, quia remansit de progenie meâ, qui videbunt lumen Ierusalem.* Nimirùm Tobiæ desiderium, fuit rei adipiscendæ prophetia. Verosimile enim satis est, saltem aliquem ex numerosâ Tobiæ progenie, pietati & religioni enutritâ, (vt dicitur cap. sequenti) cùm copia regressus facta est, ad patrium solum cum reliquiis omnium tribuum captiuis rediisse.

Tobiæ posteri templi restaurationem viderunt.

Arabs apud Iustinianum hic.

Vers. 21. Portæ Ierusalem ex sapphiro, & smaragdo ædificabuntur, & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius.

7\.

Vers. 22. Ex lapide candido & mundo omnes plateæ eius sternuntur, & per vicos eius alleluia cantabitur.

Vers. 23. Benedictus Dominus, qui exaltauit eam, vt sit regnum eius in secula seculorum super eam. Amen.

Sanctius ibi. Iustinia.

Sanctius & Iustinianus, qui hunc splendidum ornatum materiatæ Ierosolymæ & templo adscribunt, insignem nimis exaggerationem admittunt, recenti fabricæ imparem; quippe quæ longè fuit inferior antiquâ substructione. Peridoneè ergo de Ecclesiâ in terris militante, & in cælis triumphante, hæ lautitiæ & ornatus intelliguntur: adeò vt quæ putari posset allegoria, aut anogoge, sensus litteralis sit. De Ecclesiæ splendore adsimiliter ita vaticinatur Isaias cap. 54. v. 11. & 12. *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & ponam iaspidem propugnacula tua, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.* Quem locum de Ecclesiâ intelligendum esse, latè inibi probat Cornelius. De Ecclesiâ etiam intelligit similia Apocalypseos verba cap. 21. vers. 18. quæ etiam de cælesti Ierusalem passim exponuntur. Non quòd hi materiati lapides pretiosi accedant ad Ecclesiæ, & cælestis Ierosolymæ structuram; sed aliqua quæ per illos symbolicè denotantur. Consule Cornelium ad præscriptum Isaiæ locum, & Alcazar in præfatum locum Apocalypseos. Græci codices ita habent: *Ædificabitur Ierusalem sapphiro & smaragdo, & lapide pretioso muri tui, & turres & propugnacula in auro mundo, & platea in Ierusalem in beryllo, & carbunculo, & lapide ex Souphir tessellabuntur:* quò vtriusque Ecclesiæ splendor designatur. De *sapphiro*, & *smaragdo*, & istis pretiosis lapillis consule S. Epiphanium lib. 16. de lapidibus, Plinium lib. 37. quâ de re etiam Rueus vno libello, & Alcazar in Apocalypsim. Nec vacat, nec iuuat singula examinare, præsertim cùm exploratum sit, quòd Hebræi quia pauca habent gemmarum nomina, sæpè nomen genericum pro specifico substituunt, vt notauit Tirinus exponens Idiotismos Bibliorum, n. 15. Plateæ Ierusalem stratæ dicuntur *lapide candido & mundo*: & putat Serarius tessellatas esse ex lapide *Ophirite*, seu lapide ex *Ophir*, quod probat ex Græco texto, vbi scribitur ex *Souphir*; sed etiam scribitur *in beryllo, & carbunculo*. Itaque militantis & triumphantis Ierosolymæ plateæ dicuntur constratæ è lapide aliquo pretioso, dedolato, mundo, candido, nitente; & genus pro specie substituitur, vt nuper ex Tirino notabamus.

Isaiæ 54.

Cornel. ibi.

Græcus

S. Epiph. Plinius Rueus. Alcazar.

Tirinus.

Serar. q. 2.

Alleluia cantabitur.] Τὸ *Alleluia*, quot vocibus constet, quidue significet, non conuenit inter expositores. Turrecremata in regul. S. Benedicti cap. 72. ait, *Haleluiah* significare, *Laudate nomen Domini*: nam ex Hieronymo interpretatur (hale) *cantate* (lu) *laudem fac* (iah) *ad Dominum*: ex Ambrosio (alle) *lux* (lu) *virtus* (ia) *vita*: ex Gregorio (alle) *pater* (lu) *filius* (ia) *Spiritus-sanctus*. Hæc nominis etymologia nec digna est tantis doctoribus, nec in eorum operibus vsquam inuenitur. Adsimilis est eiusdem nominis *Alleluia* interpretatio quam Beda in collectaneis & floribus tribuit Augustino (alle) *seculum*, fortasse *saluum* (lu) *me fac* (ia) *Domine*: Hieronymo (alle) *laudem* (lu) *date* (ia) *Dominum*, idest, *Domino*: Gregorio (alle) *Pater* (lu) *Filius* (ia) *Spiritus-sanctus*: Ambrosio (alle) *lux* (lu) *vita* (ia) *salus summi Dei*. Hæc Bedam ex propriâ sententiâ non scripsisse, sicut neque alia plura, quæ in illo opere continentur, verosimile est. Eiusdem generis sunt, quæ leguntur apud Germanum Constantinopolitanum in Theoriâ rerum Eccles. Mitto hæc: nam constat *Alleluia* & verbo & nomine constare. *Allelu* laudate significat, non vtcumque, sed cum lætitia & iubilo: *Iah* vnum est ex Dei nominibus, quippe quod inter decem Dei nomina recenset Hieronymus epist. 136. sed quid significet, ibi non tradit, tradidit autem lib. 8. in cap. 26. Isaiæ, vbi docet significare *Inuisibilem*. Rabbi Salomon, Vatablus, & communiter Hebræi putant significare Deum, vt creatorem mundi. S. Iustinus q. 50. ad orthodoxos, Lorinus, & alij existimant significare primum ens, seu principium essendi. Ergo *Alleluia*, perindè est, ac si dicas, *Laudate Deum cum iubilo*. Nam etsi, *Laus tibi Domine rex æternæ gloriæ*, tantundem reapse valeat; at non dicit laudandum Deum cum lætitia & iubilo. Et quidem licet vox *Alleluia* ex verbo & nomine conposita sit, vsus tamen percrebuit vt more interiectionis vsurpetur à laudantibus Deum, in signum alicuius ingentis sanctique gaudij. Sicut olim apud Ethnicos solemnes bacchantium voces erant: *Io paan, Io paan.* Itaque etymon & significantia huius epodici hemistichij *Alleluia*, hæc est: הללו *hallelu*, idest, *laudate*; & יה *iah*, hoc est, *Deum*: idest, *Laudate cum iubilo Deum*: Græci autem ad molliendam aspirationis asperitatem proferunt ἀλληλυΐα, eosque imitati Latini, *alleluia*. Ait ergo Tobias; *Per vicos eius* (idest Ierusalem) *alleluia cantabitur*. Qua super re ita tempestiuè Hieronymus: *Tot in ea* (nempe Ierusalem) *psallentium chori, quot gentium diuersitas. ...... Procul luxuria, procul voluptas, tanta in ipsâ vrbe orationum loca, vt ad ea peragenda dies sufficere non possit. .... In Christi villula* (Bethania inquam) *tota rusticitas, & extra Psalmos silentium est: quocumque te verteris arator stiuam tenens*

8\. *Turrecrem.*

Quid Allel. significet.

Beda.

German. Constantin.

S. Hieron. Rabb. Sale. Vatablus.

S. Iustin. Lorin.

S. Hieron. ad Marcel. epist. 17.

tenens Alleluia decantat, sudans messor psalmis se auocat, & curuâ attondens vitem falce vinitor aliquid Dauidicum canit: hæc sunt in hâc prouinciâ carmina, hæ, vt vulgò dicitur, amatoriæ cantiones, hic pastorum sibilus, hæc arma culturæ.

9. Denique Tobias, qui à Dei laudibus hoc vaticinium inchoarat, illum Dei laudibus finit: & appendit familiarem clausulam *Amen*: quæ vox in Græcis codicibus desideratur, & à nobis exposita est suprà ad cap. 9. vers. 12.

---

§. CCCCIX.

Aliena excellentia perspicuè nota, sui dubitationem ab inuidiæ peruersitate vix extorquet.

1. NOn iam Stoica, sed Christiana vox est: *Multorum innocentia & virtus lateret, nisi accepisset iniuriam, illustrauit nimirùm fortuna plurimos, dum vexat.* Si non vexasset, non illustrasset, & iacerent, sine iniuriâ. Non deterrebitur ergo qui honores ambit, iniuriâ, inuidiâ; quæ meritorum claritudinem, dum obscurare optant, citiùs illustrant, adeò vt ambiri etiam inuidia debeat, tanquam gloriæ pedissequa: dignusque gloriâ censeri possit, qui cùm digna laude patrat, de inuidiæ ingenio, laudis detrimentum patitur. Exinde vulgus hominum quadam alienæ laudis nauseâ, aut cæco impetu rem præclarè gestam negat, aut, si quâ potest, viâ, illam deprauare admititur, vt de suo vitio, aliorum inuitiet virtutes. Aut si palam inficiari non potest, nec ingenio malitiæ deprauare; saltem fidem eleuat, & suspendit ad sensum, atque inuidiæ lenocinio ambigit de alterius elogio. Quare fortunata est veritas, quæ cùm alterius excellentiam denunciat, fidem inuenit. Mentita etiam vituperia, fidem apud omnes faciunt, quodam alienæ laudis fastidio, & contumeliæ libidine, vulgarique mendacij felicitate. Ast præclarum elogium, obiectum oculis, & auribus intimatum, per quædam sensuum adulteria, quibus veritas persæpe constupratur, rarò fidem inuenit, & ad scrupulosum examen euocatur. O inuidiæ malignitas, occulta ad malum, ad bonum cæca, aut saltem lusca. An non audis hìc vers. 18. Raguelem, & Annam ambigentes de præclaro spiritu prophetiæ Raphaëlis, & de spectatissima iunioris Tobiæ probitate? vtrumque enim elogium coniugij felicitatem spondebat, vt suprà vers. 12. dictum fuerat. An hic laudi imputabitur, quòd perspicuè ostentata Dei prouidentia indubiè agnoscatur, & ore gloriosiùs prædicetur?

Politico-Christ. lib. 1. cap. 21.

Virtus aliena incredibilis est inuidia.

Tobiæ 7. v. 18.

Hìc vers. 1.

2. Matthæi 3. Baptizatus Iesus, confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei cæli: & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se. *Et ecce vox de cælis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Adeò cæcus & Diabolus, qui ruptura cæli non viderit, & apparentem columbam non spectauerit? adeò surdus est, vt præclaram Dei Patris vocem non audierit, quâ Christum, suum esse naturalem filium perspicuè denunciat? Hæc ne ignorat Diabolus, oculorum & aurium cæcus? Et vbi est lyncea Diabolorum perspicacia? Inde obseruatione dignissimum est, quòd cùm mox Iesus ductus est in desertum à Spiritu, vt tentaretur à Diabolo, eum post diuturnam inediam tandem esurientem, sic tentando adoritur: *Si Filius Dei es, dic vt lapides isti*, &c. Et statim: *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Vidit Diabolus nuper Christo apertos fuisse cælos; perspexit Spiritum-sanctum sub columbæ specie illi plaudentem: audiuit Patris Dei vocem, quâ illum proclamat Filium suum dilectum; & adhuc de diuina Christi filiatione ambiguus hæret, & an sit Dei naturalis Filius sollerter explorat? Et vnde Diabolo, ad hominum mala perspicaciter subtilissimo, tam iners mentis hebetudo? vnde tanta in spiritibus ignoratio? Basilius, Seleuciæ antistes, sic eleganter de hac re fatur: *Hanc prodidit ignorantiam Diabolus, dum in Iordane res geritur. Cùm enim audisset latam de cælo vocem: Hic est Filius meus, dilectus, ei per ignorantiam dicebat: Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Claram Dei Patris vocem Diabolus audit, quâ Christum eius esse naturalem Filium, adtestatum vult, plura è cælo prodigia attentiùs spectat, quæ pro naturali Christi Dei filiatione, indubium fuerunt suffragium: & tamen adeò est pertinax eius inuidiæ malitia, vt licet aderat, dum in Iordane res geritur, adhuc ignoret, aut ignorare ambiat, augustam Christi prærogatiuam ibi perspicuè denunciatam. Alterius excellentia, etsi voce de cælo elapsâ coràm euulgetur, fidem non extorquet, sed *ignorantiam* negotiatur. Adhuc post perspicuam rei notitiam, ambiguus hæret; nec sibi credit, ne alienam excellentiam credat. O peruersam oculorum & aurium cæcitatem, de non bona inuidiæ subtilitate, malè rudem! Audis latam è cælo vocem: *Hic est Filius meus dilectus, & ei per ignorantiam* geminatâ dubitatione *dicis: Si Filius Dei es?* Sat est, vt indubia aliorum excellentia, dubietatem ingerat: Sic est pertinax malitiosa inuidia in aliorum dedecore, vt prærogatiuam quam inficiari non potest, ambigendo infuscare, & dubietate inuitiare præsumat: Mauult ignorantiam suam de laude aliena ambigendo prodere, quàm suam sublimem scientiam assentiendo publicare. Sibi inuidet scientiam, quò alteri inuideat dignitatem: & suo dedecore decoris alieni dubietatem mercatur. Verùm hìc egregiè cæcutit Diabolus, dum ignorat, quòd qui de aliorum excellentiâ dubitat, eiusmodi dubietate illam indubiè affirmat. Sic est malitiosa inuidia, alienæ laudis auara! Sed de hoc aliàs vberrim agebamus.

Matth. 3. v. 17.

Matth. 4. v. 3. & 6.

Malitiosa inuidia, perspicuam alterius excellentiam, dubitando infuscat.

Basil. Orat. 23.

Exodi 16. vbi venit omnis multitudo filiorum Israël in desertum Sinaï, & ventris præ fame ariditatem, per linguas obmurmurando euaporarunt, obmurmurationi, quasi orationi adnuit Deus. (ô infortunij omen!) Et dixit ad Moysen: Ecce, ego pluam *panes de cælo*: & facto mane ros iacuit per circuitum castrorum. Cùmque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super terram. *Quod cùm vidissent filij Israël, dixerunt adinuicem: Manhu? quod significat: Quid est hoc? ignorabant autem quid esset. Quibus ait Moyses: Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum.* Hæ duæ Hebrææ dictiones מן הוּא *Man hu*, vt quidam Hebraïcè periti apud Caietanum & Lipomanum obseruauerunt, *donum* significant, nempe illustre illud esculentum donum à Deo promissum. Significant etiam *Præparationem*, seu *Præparamentum*, *quasi sit cibus in se ipso præparatus*, 3.

Exod. 16. v. 15.

Caietanus. Lipomanus ibi.

&

Manna, id est cœli deliciæ, dubitationis nomine denunciatur.

& qui alia ordinatione opus non habeat. Fuit enim in se ipso bonus & esui aptus. Cuius gustum fuisse dicunt, vt mellitum pastillum. Moyses illum appellauit, *Panem, quem Dominus dedit*, & ipse Dominus, *Panem de cælo* nuncupauit. Ecquod præclarum elogium, & illustris vocabuli arrogantia, in has cæli dapes apprimè non quadrat? A Deo *Panis cæli* dicitur, à Moyse, *Panis, quem Dominus dedit*, à quibusdam, *Donum* antonomasticè, ab aliis *Praeparamentum*, id est, esca sapidissimè edulis, à Deo è cælestici panario beneficentissimè præparata. Cúmque tam opulentè sublimis fuerit huius donatiui prærogatiua; inuidiosi Hebræi, & queruli tunc obmurmuratores, tot perspicua huius cælestis cibi elogia fastidiosè negligunt, & de ignoranti sua dubitatione, illi nomen faciunt, quasi satis non esset de augustiore doni excellentia ambiguè dubitare: *Quod cùm vidissent filij Israel, dixerunt adinuicem Manhu? quod significat: Quid est hoc? ignorabant autem quid esset.* O inuidiosam laudis alienæ auaritiam: Munificum cæli donum vident, tot elogiis dignissimum, & tantâ verborum pompâ olim & nunc celebratum, & dubitando illud excipiunt; & quod esse magnum negare non possunt, magnitudinis dubitatione saltem infamant, inuidiolæ malitiæ genio, alienæ laudis inuidiosè auaro. O! vel perspicua aliorum excellentia, sic incredibilis hominibus est, vt quam inficiari non possunt, ambiguâ dubietate deuenustent? Nostræ naturæ inopia est, alienam laudis opulentiam vix credere.

4. Animosa planè Christi vox, Ioannis 8. in calumniatorum auribus præclarè resonat: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Scilicet adeò sanctè & inculpatè apud Deum & homines versabatur, vt nec vituperonum odium & inuidia, quid in eo vel dubitando carperet, vnquam inueniret; tametsi in sinistram partem, maledicentiæ suspicio strenua est, & quod ambigendo malè noscit, quasi rem indubiè notam animosè asseuerat. Matthæi 26. *Principes autem Sacerdotum, & omne concilium quærebat falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent: & non inuenerunt, cùm multi falsi testes accessissent.* Mirum sanè est, & valdè insolens, quòd nec maleuolentia, nec inuidia lynceis oculis malè perspicax, & peius audax, in Christi ore aut opere sinistrum aliquid inueniret, quod ambigendo notaret, aut ambiguum quasi indubiè certum reprehenderet, quæ est puritatis meta, & innocentiæ hyperbole. Doctc Origenes exponens præscripta Matthæi verba, ita scribit: *Quærebant falsum testimonium, &c. Falsa enim testimonia tunc locum habent, quando cum colore aliquo proferuntur. Sed nec color inueniebatur, qui posset contra Iesum adinuare mendacia; quamuis essent multi gratiam tribuere volentes Principibus Sacerdotum: quod maximam laudem exhibet Iesu, qui sic omnia irreprehensibiliter dixit, & fecit, vt nullam verisimilitudinem inuenirent in eo reprehensionis, & mali, multi astati.* Nempe tam inculpata & irreprehensibilis Christi vita, & morum innocentia Deo digna, vix sui dubitationem apud Iudæos repetit, tametsi nihil quod in eo carperet oculatior inuenit inuidia. Nec sagacissima illorum *astutia verosimilem* reatum inuenit, nec adhuc illum reputant innocentem. O quàm est difficilè alienâ sibi excellentiam persuadere, etiam quando vllus nequit colorari reatus? Non possunt

Ioann. 8. 47.

Matth. 26. v. 59.

Iudæorum odium & inuidia, magis inculpatum comprobant Saluatorem.

Orig. Tract. 35.

P. Didac. de Celada in Tobiam.

probare malum, quantumuis toto affectuum malignantium adnixu in tensiùs incumbunt, & excellenter bonum nequeunt reputare, quem sic inculpatum agnoscunt.

Geneseos 41. interpretato somnio, & dato consilio de quærendo viro, qui in re annonæ præsit Ægypto; dixit Pharao ad Iosephum: Quia ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es. *Numquid sapientiorem & consimilem tui inuenire potero?* Hæc verba dixit Pharao, dubitando, inquirendo, & interrogando, vt exponuntur à Vulgato. Verùm Caietanus sic inibi habet: *Iuxta Hebræum habetur assertiuè: Non intelligens, & sapiens sicut tu.* Num dubitatio de alicuius bono, illudmet bonum habere affirmat? Idemne est perquirere & ambigere, an Iosephus sit sapiens, & industrius, ac illudmet de Iosepho affirmare? Profectò sic homo procliuis est ad male censendum de aliis, vt quod dubitat de alio bonum, illud vel dubitatione affirmet. Sic est hominis animus alienæ laudis auarus, & imputandi vitij prodigus? 5.

Genes. 41. v. 39.

Caietan. ibi.

Qui dubitat de alterius bono, illud affirmat.

§. CCCCX.

Homo varius, incertus homo est; & diuina atque humana repulsa dignus.

PRimum argumentum benè constitutæ mētis existimo posse consistere, & secum constanter morari, ne vagus, aut instabilis, cum rebus fluxis, quas tractat, & ipse mutetur. Nemo tuto æstuantis ponti vorticibus permittit sese. Altè elati fluctus, vi, & arte frangendi sunt: scapha cursum peragat suum; nec gubernaculum ventis & vndis tradendum. Inconstantia humani arbitrij næuus est, qui pulchritudinem fœdat, naturam culpat. *Sic & hominem ipsum diuersitas temperauit, tam in corpore, quàm in sensu*, ait Tertullianus. Dediscenda ergò est animi mobilitas, quæ pro libidine formas mutat. Hoc vitium homini agnatum, virtus desuescit; ne affectus sit consilij dux, & agendorum arbiter. Magna Elcanæ laus, quod erat *vir vnus*: nam homo varius, incertus, & multiplex, probrum naturæ est, & probitatis repulsa. O, quis se credat homini, qui quod nuper habebat in votis, hodie in opere fastidit: & quod hodie suspirat, heri nauseabat? Incertus homo, sibi fastidiosus est, nec vitiis tutus, nec virtuti securus. Lucæ 23. tres quatuorve duntaxat horas bonus latro in confessione Christi pro suis delictis patibulatus perdurat, audiens è Christi Dei ore: *Hodie mecum eris in paradiso.* Et tamen notanter de eo aduertit Seleuciensis Basilius, quod *Latro mutata mente in finem vsque perdurauit, cælo vim inferens.* Adeò magnum est, pauculas, quæ restabant, vitæ horas, in Christi confessione, mutata in melius mente perdurasse? Quid est, quod tam exiguum vitæ spatium, pro spatio valde prolixo computatur? Scilicet velut obstinata mente totum hactenùs vitæ spatium furtis addixerat: ergo tametsi morte iam vicinante, meliori mente propositum mutat, constantiæ auspiciis hæc mutatio peragitur, & diuturnior confessionis duratio, illi à Basilio cōputatur: nam qui facile non mutat mentem, in proposito quod denuo assumit, vsque ad finem vitæ, etsi lōgissima foret, perdurasse computatur, *Latro mutata*

6.

Hominis inconstantia culpatur.

Tertull. l. 1. adu. Marc. cap 26.

1. Reg. 1. v. 1.

Lucæ 23. v. 43.

Basil. Orat. 17.

tata mente in finem vsque perdurauit. Quod ex iam iam dicendis illustrabitur.

2. Leuitici 3. Deus, Aaroniano sacerdotio instituto, minutissimè tradit, quo ritu hostiæ offerendæ sint: & præsertim, quæ victimæ mundæ, immūdæque censeantur, additque quasi per anatomiam, quænam animalis partes immolandæ, cremandæque sint, & quæ negligendæ, & repudiandæ. *Et offerent*, ait, *de pacificorum hostia sacrificium Domino: cadipem, & caudam totam cum renibus, & pinguedinem quæ operit ventrem atque vniuersa vitalia, & vtrumque renunculum cum adipe qui est iuxta illa, reticulumque iecoris cum renunculis*, &c. Verùm cùm offerendæ victimæ partes sic membratim legislator concidat, & minutè secet, vt dignam animalis portionem seligat, iecur renunculos, & retinaculum iecoris, & caudam totam mauult; cor autem principem animalis partem negligit, & neglectu repudiat? An non Cor, electissimum membrorum est, & ceteris animalium partibus præferendum? Totam caudam vult, & nec cordis particulam in sacrificio pacificorum acceptat: Ecquid in hâc cordis repulsa, sacramenti delitescit? Vidit hanc difficultatem Philo Hebræus, & elegans atque subtilis sic fatur: *Et quidem tria video in sacrificiorum ordine præcipi, vt offerantur præ ceteris victimæ partibus, adeps, renes, fibra iecoris: nusquam cor, quæ ante alia consecrari oportebat, si legislator principatum agnouisset in horum altero. Quid si admodum piè consideratéque hæc in fidelem Dei aram non intulit?* (Nota causam, quare à sacrosanctâ Dei ara, victimæ cor arceatur.) *Quia*, inquit *Principalis illa vis* (cor inquam) *singulis temporis momentis vel ad melius, vel ad deterius mutabilis, non manet in eodem loco, quandoquidem & ipsa nunc probata, nunc damnata moneta censetur.* Arguté quidem Philo! Nempe, tametsi cor haut dubiè sit princeps animalis pars, considerate tamen aliasviliores Deus eligit, & hanc refutat: (quamuis alioqui velut humani cordis riualis Deus denarretur, dum ait: *Fili præbe mihi cor tuum*) qui inconstantiæ subest, & mutationibus quasi corporatum sit. Deteriorem eligit animalis partem, ne potiorem crebræ mutationi obnoxiam eligat. Mauult viliorem, constantiæ dote ornatam, quàm potiorem inconstantiæ næuo deturpatam. Sed prætereundum nō est, expensionis dote viduatum, quòd nō casu excidit Hebræorū disertissimo scilicet: *Quia principalis illa vis singulis temporis momentis vel ad melius, vel ad deterius mobilis*, &c. Quasi dicat: Cordis elogium est, *in melius* moueri: at quod crebrò mutatur in melius, identidem *in deterius* degenerabit. Adæquè boni, ac mali pœnitentiam aget: ergò instabile & infidū cor ab ara procul relegetur. Ecquis variam & incertam hostiam ab ara non reiiciat? Mauult Deus tenuem constanter bonitatē, quā præcelsam, vices cum malitia persæpè reciprocātem. Suspecta est cælo bonitas, quæ malitiam de inconstantia infaustè ominatur. Piè ergò, & consideratè relegatur à Dei aris, principalis cordis vis quæ singulis momentis *vel ad melius, vel ad deterius* mutatur. Stultus sicut luna mutatur, id est, semper: alioqui, Sapientis est mutare consilium. Heu res mundiales cordi similes, in constantia ipsa obstinatè constantes! Subtilissimè dixit Nazianzenus: *Atque hoc vnum habet ipsa inæqualitas, quod in omnibus rebus ipsa vicissitudo reperiatur.*

Leuit. 3. v. 9. & 10.

Cor quia siue in melius, siue in deterius facilè mutatur, ab ara Dei consultissimè remouetur.

Philo de Sacrif. Abel. & Cain. in fine

Quod vel in melius facile mouetur, in deterius etiam facile mutatur.

Naz. Orat. 17.

3. Exodi 7. Dominus Moysen, Deum Pharaonis constituit? Aaronemque in eius prophetam inaugurat: & Dei omnipotentia armatos, ad Pharaonem mittit, vt prodigiorum terrore eius pertinaciam frangant, & potentiam exarment. Dixitque Dominus ad Moysen & Aaron: Cùm dixerit vobis Pharao, ostendite signa: dices ad Aaron: *Tolle virgam tuam, proiice eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum*, &c. *Tulitque Aaron virgam coram Pharaone & seruis eius, quæ versa est in colubrum.* Ambiguum planè est, cuiusnam fuerit hæc miraculorum opinatissima virga, an virga hæc Dei est? an Moysis? an Aaronis? Opportunè ad præfata verba Lyranus: *Ista virga aliquando dicitur virga Dei, quia de præcepto Dei fuit asportata in Ægyptum: aliquando dicitur virga Moysi, quia eam tenebat Moyses quando Dominus apparuit, ei in rubo. Dicitur etiam aliquando virga Aaron, quia in ea per manum Aaron facta sunt signa.* Benè est, sit hæc virga & Dei, & Moysis, & Aaronis: at cur omnes velut renuere videntur hanc prælustrem virgam appellare suam: Deus enim in præfatis verbis, non suam, sed Aaronis virgā vocat: Moyses eam tribuit, non Deo, aut sibi, sed Aaroni: etsi Scriptura aliquando eam Deo, aliquando Moysi adscribat. Et Aaron suam non appellat eiusmodi virgam: sic enim hîc scribitur: *Tulitque Aaron virgam coram Pharaone.* Mirissimum planè est, quòd illustrissima & miracalosissima hæc virga, cui tot operari prodigia cælitùs licuit, ab omnibus reiici videatur. Eccur nemo est, qui illam non abiiciat, cùm à singulis æmulâ contentione ambiri debuisset? S. Augustinus huius rei caussam insinuat his verbis; *Erat vtrique illa virga communis, vt cuiuslibet eorum diceretur.* Nempe familiare est hominibus depretiare, quod cum aliis commune est. Singulariter propria, magni æstimamus: quod commune est cum aliis, & illis æquè peruium propè vsque ad contemptum negligimus. Hæc præstrictim obseruasse iuuat. Sed alia etiam caussa ad præsentem thesim opportuna, non inidoneè posset assignari. Scilicet hæc Virga aliquando fuit agolum, seu baculus pastoralis, quo Moyses gregem regebat suum, aliquando Scipionis obibat ministerium, aliquādo in serpentem versa timetur, & mox ad virgā reuersa, manu securè apprehenditur, & gressus firmat. O Virgam, & variam, & ancipitem, & incertam! Si virgam te quæram, draconem inuenio: si quasi draconem timeam, baculum video, & rursùs virgam. Fateor, hæc Virga, illustrissima est, & de miraculorum patratione nobilis: sed cùm sit de mobilitate degener, & de inconstātia penè ignobilis; nec Deus nec Moyses, nec Aaron illam appellant suam; sed titulum possessionis in alium reiiciunt, & suam nuncupare ethicè refutant. Ecquis rem incertam æstimet? Putabis baculum manu sumere, & draconem apprehendes. Incertus homo, nemo hominibus est: ingenium varium & versipelle, etsi alioqui ad miraculum vsque præcelsum & illustre, repulsa abiicitur. Quis ambiat habere, quod quale tunc sibi erit, iure ambigit? Auxilium à baculo expetes, & dum baculum draconem vides, quem putabas auxiliarem baculum, exhorresces. Morum inconstantia, diuinæ & humanæ repulsæ lenocinium est. Quā cap. 4. vers. 20. consultissimè præcauet Tobias in dilecto filio, quem ad diuinam & humanam conuersationem peritè instituit. Et constantiam in omnibus

Exodi 7. v. 9. & 10.

Quod commune est, etsi pretiosum, contemnus solet.

Lyranus. ibi.

Virga miraculorum à singulis repudiatur, ob mobilem inconstantiam.

August. q. 19. in Exhod.

Hic verſ.1. omnibus flectineſciam ipſe Tobias exemplo ſuo docuit, dum cap. 2. verſ. 14. tot calamitatibus, velut fortunæ pila iactatus, *in Dei timore immobilis permanſiſſe* dicitur. Exponens Hieronymus illud Exodi 4. *Ego ſum, qui ſum,* &c. *Qui eſt, miſit me ad vos,* ita ſcribit: *Ille enim verè eſt, qui ſemper idem eſt.* Quaſi inueram, atque falſatam naturam mutatio arguat. Quod Dei elogium hic Tobias deprædicat.

Exod.3. v.14. Hieronym. in 2. Eccch. cap.20.

4. Geneſeos 17. dixit Dominus ad Abrahamum; *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram: ſed appellaberis Abraham.* Adſimiliter etiam Iacobo nomen mutauit. *Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael.* vtrumque nomen æquè euariatur, & tamen vtriuſque non eſt æqua in nomine conſtantia. *Par eſt autem* (ait Philo Iudæus) *in quæſtionem vocare, Cur Abrahamus quidem ex quo tempore nomen permutauit, hac eadem appellatione ſemper honoretur, nec amplius priori nomine nuncupetur: Iacobus vero cognominatus Iſrael, nihilominus ipſe rurſus Iacobus deinceps pleriſque in locis appellatur.* Scilicet immobili nomenclaturæ conſtantiâ Abrahamus gẽtis decus, & princeps Patriarcha, adſpectu ad nepotem Iacobum nobiliter *honoratur.* Nam, vt ipſe Philo paullò antè obſeruauit, *Nomina ſunt nota rerum:* exinde Abrahamus ſemper idem, nunquã alius, inuariatâ appellatione *honoris* cauſâ nuncupatur. Iacobus verò qui iam *vir ſimplex* habitans in tabernaculis; iam ſimplicitatem velut iam deſueſcẽs, agere *fraudulenter* (vt loquitur Iſaacus) probè noſcit, quò fratris ſibi benedictionem acquirat; non vno nomine deinceps nuncupatur, vt demutationem à ſe ipſo, velut *rei notam* in nomine inſculpatam præferat, præluſtri Abrahami elogio adſpectu ad nepotem Iacob. Vir vnus & certus habetur Abraham, vel de nominationis conſtantiâ ſic notus: Homo quodammodo incertus & multiplex habetur Iacob, de incerto iam Iſraëlis, iam Iacobi nomine: ſiquidem *nomina ſunt nota rerum.* Hinc nominis conſtantiâ Abraham *honoratur*; ſecùs Iacob, qui de arcanâ *frudulentia* nominis inconſtantiam, velut fraudis notam mu.u.o t.

Geneſ.17. v.5. Geneſ.31. v.28.

Philo lib. de Nomin. mut. *Cur Abrahamus ſemper retinuit mutatum nomen ſecus Iacob.*

§. CCCCXI.

Beneficij donati diuturnior mora, præbitoris liberalitatem exaggerat.

5. ERrat ſi quis exiſtimat rem facilem eſſe donare. Plurimum iſta res habet difficultatis, ſi modò conſilio tribuitur, non caſu & impetu ſpargitur. Hunc promereor, illi credo. Huic ſuccurro, huius miſereor. Illum inſtruo, dignum quem non deducat paupertas, non occupatum teneat. Quibuſdam non dabo quamuis deſit: quia etſi dedero, erit defuturũ. Quibuſdam offeram, quibuſdam etiam inculcabo. Non poſſum hàc in re eſſe negligens, nunquam magis nomine facio, quàm cum dono. Quid tu, inquis, recepturus donas? imò non perditurus. *Eo loco ſit donatio, vnde repeti non debeat, reddi poſſit. Beneficium collocatur quemadmodum theſaurus altè obrutus, quem non eruas, niſi fuerit neceſſè.* Non parum iuuat, qui ad tempus iuuat. Fortè ampliùs donare non poteſt; quin & forſan accipienti non expedit. Sat ſæpè donat, qui temporarium beneficium donat. Sed vt iucundum eſt accipere, ita moleſtum eſt reddere, aut admittere, quod iucundè accepiſti. Hinc æternatura dona è magnificâ manu fluunt; magnificuſque putatur qui ſic donat: nam cùm beneficium temporanum perit, benefactoris gratia perire putatur. Nec tam reputant homines, quòd aliquandiu acceptum habuerint, quàm quòd ſemel acceptum aliquando perdiderint: quaſi cum beneficio, benefactoris gratia corrumpatur.

Quomodo collocanda ſint beneficia.

Senec. lib. de vita beat. cap.25.

Ioannis 14. Chriſtus Deus poſtquam vtramque cænam cum Diſcipulis celebrauit, eorumque lauit pedes iam morti proximus, vſque ad multam noctis horam ſermonem protraxit, in quo cæli arcana explicatiùs reſeruauit. Inter alia autem quæ ad doctrinam pertinent, hæc quæ ad liberaliorem beneficentiam ſpectant humaniſſimè dixit, quibus Eccleſiam cæleſtibus donis opulentè munerauit. *Pacem,* inquit, *relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Magnum planè donatiuum, & quo fideles ſuos copioſè ditauit, pax enim bonorum omnium compendium eſt. Sed ex præfatis verbis pulchra oritur quæſtio, quare cùm Chriſtus dicit *do,* pacem appellat ſuam; cùm verò ait, *relinquo,* ſuam non appellat. Hoc dubium non effugit ſubtiliorem Auguſtini ſagacitatem, qui ſic ad ea Chriſti verba fatur: *Sed quid eſt, quòd vbi dicit: Pacem relinquo vobis, non addit meam: vbi verò ait: Do vobis, dixit meam, Vtrum ſubaudiendum eſt meam, vbi dictum non eſt, fortè & hic aliquid latet?* Sed diligenter perueſtigandum eſt, quodnam ibi ſacramentum deliteſcat: & quarè cùm dicit, *do,* pacem appellet ſuam; vbi verò dicit, *relinquo,* ſuam non appellat. Ecquis Auguſtini dubio niſi ipſe Auguſtinus dignè ſatisfaciat: audiendus eſt in loco nuper allegato, qui ita ad rem tempeſtiuus fatur: *Pacem nobis Chriſtus relinquit in hoc ſeculo? in qua manentes, hoſtem vincimus: pacem ſuam nobis dabit in futuro ſeculo, quando ſine hoſte regnabimus, vbi nunquam diſſentire poſſumus.* Scilicet Chriſtus Deus, illam duntaxat appellat pacem ſuam, qua in cælo Beati ſine hoſte, aut amiſſionis periculo, dono pacis fruuntur, In hoc autem ſeculo, vbi pax oppugnatur, paſſiones tumultuant, concupiſcentia rebellat, appetitus ſubſultat, & hoſtes intùs & foris oppugnant, magno concordiæ detrimento, & Pacis ſæpè iactura, ſuam non appellat. Ergo Chriſtus pacis donum, quod appellat ſuum, & quod velut ſua magnificentia dignum agnoſcit, eſt quod nunquam amittitur, quod durat æternum, quod perennat in patria, abſque vllo amiſſionis periculo. Pax verò in hoc ſeculo, quæ tot periculis obnoxia ſtat, & quæ non ſemel diſſenſionibus amittitur, tametſi quandiu durat, ex Chriſti dono floreat; at quia ſæpè deflorеſcit, & in diſcordia degenerat; quaſi non diu duraturum donum Chriſtus quodammodò erubeſcat, non ſic appellat ſuum. Ac ſi, donum ſuum antonomaſticè illud ſit, quod tẽpus non excedit, nec diuturniùs æuum atrodit. Nempe peritura dona appellat ſua, (etſi ſua verè ſint) vt ſua appellet, quæ æternitati militant, quæ perennant in æuũ, & quorum præbitorem nullus amiſſionis caſus humanitùs deuenuſtat. *Pacem nobis Chriſtus relinquit in hoc ſeculo, in qua manentes hoſtem vincimus: pacem ſuam nobis dabit in futuro, quando ſine hoſte regnabimus, vbi nunquam diſſentire poſſumus* Dilucidè quidem Auguſtinus. Hanc æternam pacem nobis donat Chriſtus, qui indiuidua pace

Ioann.14. verſ.27.

S. Auguſt. Tract.77. in Ioan.

Æterna pacis donum, ſuum appellat Chriſtus intemporarium.

Quo ſenſu dicatur Chriſtus nec laudans nec barbarus, nec maſculus, nec fœmina. Clem Alex. in Adh. ad Gent.

pace sic coagulatus & consummatus videtur, vt dixerit Clemens Alexandrinus; *Vniuersus (vt semel dicam) Christus non diuiditur. Neque enim est barbarus: neque Iudaus, nec Gracus, nec masculus, nec femina: est autem nouus homo Dei sancto Spiritu transformatus.* Id est, non venit Iudæis tantùm, aut barbaris, aut masculis, aut feminis, &c. Sed vniuersis adest, omnium concordiæ studens.

3. Geneseos 28. sæuas offensi fratris minas pauidè timens Iacobus, fugam in Mesopotamiã inir. Et dum in Luzam ventum est, inibi subdio pernoctare cogitat, pro blando puluillo prædurum lapidem capiti supponens. Lassus Iacob, corporis claudit oculos somno opressus; & ad arcana cæli oculos mentis aperit, diuinarum promissionum heres. Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quosque Dei ascendentes & descendentes super eam, & Dominum innixum scalæ dicentem sibi! Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac, &c. Cúmque euigilasset Iacob de somno, ait: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. *Pauensque: Quàm terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cali.* Nemo interpretum non stupet ad hunc Iacobi pauorem. Quare *terribilem* dicit locum, vnde per fenestram sibi pertusam, res cæli & rimari & agnoscere benignissimè datur? Ecquid tam iucundum, quàm affabilem Deum coram intueri; ecquid tam gratum, quàm magnifica promissa sibi spondentem audire, ecquid delectabile, quàm consortio Angelorum potiri, & per cæli portam, velut per rimulas, rem cæli contemplari? Cuius spem ista non erigant, quæ sic pectus cælesti dulcedine adimplent? Vnde certa sperabatur lætitia, pauor nascitur? Vnde anxium eius cor tranquillari debuit, pauenda terribilitas exurgit? Quod acutè notauit Rupertus aiens: *Sed quid pauoris, vel quid terroris secundum se locus iste poterat habere? An quia Dominum in loco in somnis vidit?* Addit Chrysostomus: *stupescens Iustus propter magnam misericordiam Dei.* Nempe Iacobus breui quietis morâ magnam Dei misericordiam accipit, quæ vbi primùm euigilauit, protinùs dispatuit. Ergo *terribilem* appellat locum, in quo *magnam misericordiam* breui duraturam suscepit. Cælesti delibutus lætitia in somnis adgaudebat, empyreæ gloriæ scintillas per cæli rupturam emicabant, Deo præsentia, & Angelorum consortio potiebatur. Quid homini adulantiùs? quæ vberior Dei beneficentia? Ast vbi cum breui somno terminari sublime visionis donum animaduertit; ac si magnificentius beneficium pauori esset, & mellea cæli dulcedo, angusto temporis spatio metata, foret horrori; confestim exclamat: *Pauensque: Quàm terribilis est, inquit, locus iste!* Magna misericordia, quæ breui finitur, terribilis nuncupatur: ô caduca hominum dona! ô beata cæli gaudia, quæ, de perennitate largiorem Dei beneficentiã præclatiùs buccinant ad omnem æternitatem. Hinc Tobias gloriosiùs Dei laudes deprædicat, quia post breuioris moræ flagellũ, diuturnissima præstat beneficia, multis sæculis suæ posteritati duratura.

Geneseos 28. v. 17.

Terribilis dicitur locus, in quo ad breue tempus, magnum beneficium accipitur.

Rupert. ibi. S. Chrysost. ad eum locum.

Hic. vers. 2.

4. Cùm agitur de Dei promissionibus, persæpè legas in Biblijs perpetuam munerũ durationem quæ nulla temporum inconstantia euariat, aut diuturnitas exedit annorum continuo morsu. Pactum sempiternum dicitur, æternum fœdus, misericordia in seculum, & in seculum seculi. Porrò summam Dei liberalitatem decet dona sine pœnitentiâ largiri: & nisi per humanæ malitiæ vesanam ingratiam, diuina excidant beneficia, eorum gratia nunquam reuocaretur. Nos autem scelerosis actibus Deum cogimus largitiones repetere, & quasi illatâ vi reuocare donata. Sed interim nota, quod pulchrè Clemens Alexãdrinus adnotauit de Romanis, qui res præclarè gestas in pace ac bello Deæ Fortunæ tribuebant, & eam quasi Deam maximam prædicabant: *Posuerunt*, inquit, *eam in sterquilinio, dignum Dea templum, secessum tribuentes.* Et quidem consultissimè. Profectò aut Fortuna toruo supercilio se præbet aduersam; & sic digno *secessu* absentetur, & procul squalidè arceatur, immissæ calamitatis digno cultu: raius enim fuit ante Christianismum aduersariis peruerso gratus officio. Quod si Fortuna blandiùs adrideat, honoribus sublimet, opibus augeat, & pergratis muneribus impleat cumulatiùs: ea tamen sunt Fortunæ munera, quæ pectus non implent: nam caduca sunt, vitiea, volatica, fugitiua; & quæ eadem qua veniunt, abeunt via: adeò vt largior præbitio, auaræ ablationis sit vel augurium, vel initium: nam inconsulta felicitas, quæ de casu temerario venire putatur, sic inconstantiæ obnoxia est, vt vices cum infortunio reciprocet. Meritò ergo Romani arcanioris prudentiæ fastu, Deã quæ tribuit inconsulta & fugacissima dona, quæ neque accipientem electione honorant, neque fugitiua acceptione opulentant; idoneo munerum vilipendio, *posuerunt eam in sterquilinio, dignum Dea templum secessum tribuentes.*

Fortuna numen fugitiua dona tribuẽs, in sterquilinio ab ethnicis colitur.

Clem. Alex. in Adh. ad Gent.

§. CCCCXII.

Prædicator, qui cùm videtur, & cùm auditur idem est, Redemptoris vocabulum ambit, & piè æmulatur.

Non exundans rhetorum facundia, politulæ dictionis calamistro ad mulcẽdas aures cõcinnata, quæ laciniosa verborum pompa oratoris parit admirationem, potiùs, quàm audientiũ persuasionem; non inquam, puchella sermonis elegantia, re sermonis exsucca, Euangelij austeritatẽ hominibus persuadet. Illa, illa inquam, est mascula adhortatio, & victrix persuasio, quam comptior eloquentia non effeminat, nec elegantiæ lima captiuat. Vitæ eloquentia, & morum elegantia nouorum operum stilo descripta, in ieiuna etiam verborum inopia, vltrò Euangelium persuadet, & Christo Deo in hominum conuersione feliciter cooperatur. *Magisteriũ* (ait Chrysologus) *stat ex scientia, sed magisterij auctoritas constat ex vita. Quod verbo asserit, demonstrat exemplo. Scientia ergo illa vera est, quæ fuerit mixta virtuti: illa, illa diuina est, non humana.* Ideò à Dei populo moribus reformato, Dei magnalia prædicari Tobias hic expetit. Prædicator, qui sanctioris vitæ probitate oculis, & simplici sermonis veritate, auribus, æquè loquitur; qui, cùm eum audieris, & simul videris idem est: hic illas piè velut arrogantes Paulli voces vsurpare potest: *Adimpleo ea, quæ desunt Passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Eccle*

5.

Morum potiùs quàm linguæ elegantia, est sermonis vigor.

Chrysol. ser. 167.

Hic vers. 5.

Coloss. 1. v. 24.

Ecclesia. Id est, ego Christi Apostolus, & prædicator Eangelij destinatus, tot angoribus, ærumnis, & calamitatibus exitus, quasi exul mundi, viuus martyr, spirans cadauer, eâ mundi penuriâ & inuidia vtor, qua verborum foris sonantium inanitatem adipo, & vigorem sermoni pespiro, vt quæ desunt Passionum Christi supplere ualeã. Quia quod Christus quoad sufficientiam, patiendo abundè promeruit; ego per vigorem, quem exempla verbis afflant, quoad efficaciam singulis affatim applicare obnixè adlaboro, & de corredempctricis gratiæ officiositate præsumo. Quasi dicat Paulus: Non mera Euangelij verba, quasi aliena prædico; sed diuiniori gratia suffultus, de operum energia, vigorem verbis mutuare sollerter procuro; vt ita redemptioni comparari ualeam, & pio quodam Euangelicæ prædicationis fastu dicere: *Adimpleo ea, quæ desunt Passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia.*

2. Exodi 35. in vasta deserti solitudine sedet Deus populi sui consultissimus legislator. Et post plures leges scriptas & promulgatas ad morum pædagogiam, adhuc alias dictat, quod necesse fuit præstitisse genti, quæ suffocabatur à vitiis. Et ait Moyses ad omnem cateruam filiorũ Israël: (*Caterua* appellatur ingenua Israëlis progenies, cùm legibus obnoxia denotatur; sanè immerita, cui per legum veniam supparatur obsequij disciplina) *Iste est sermo quem præcipit Dominus: Separate apud vos primitias Domino.* primitiarum oblationem à suo populo la:â lege expetit Deus, quas vbertim Deo soluisse Tobiam non sine contribulium probro denarratur. Quid Deus de primitiis offerendis iubeat in litterali commentario vberiùs tradidimus. Nunc expendere oportet ad thema præsens quod Origenes de hac re subtiliùs adnotauit: *Sperat*, ait, *primitias Domino. Alia littera: Sumit à vobis ipsis redemptionem Domino. Omnis qui concepit corde, offerat initia Domino. Non vult Moyses vt aliquid offeras Deo, quod extra te est.* Concepisti corde munus Euangelici Prædicatoris, id est Apostolici, in Ecclesia obire, & vicariam Apostolorum operam in hominibus conuertendis Redemptori mutuare; si ex alieno id sumas, planè non satisfacitur. De Tullij, Demosthenis, aut Quintilliani oratoriâ, verba dabis artificiosè composita, argutè limata, fucatè putida, & inde fructu suo vacua. Affluta rerum sapientia, & peregrina verborum elegantia, quam cordis officina voto non excoquit, & in mores non digerit nec virtutis feruore calentem, per linguam euaporat; quasi rem alienam verba recitans planè garrit, non euangelizat; foris aures pulsat, non se cordibus inuiscerat; auditum mulcet, non extorquet assensum; circa terrenas aures perstrepit, non facit animos quasi de cælo attonitos, nauseare ad sæculi vitia, ad Euangelij virtutes hiare. Cupis cum Paullo in Apostolicæ prædicationis munere, *adimplere ea, quæ desunt Passionum Christi*, & Dominicæ Redemptionis sufficientiam, dignè prædicando efficacem facere? *Sume à te ipso Redemptionem. Non vult Moyses vt aliquod offeras Deo, quod extra te sit.* Vitæ tuæ eloquentia, & viuida morum elegantia ad omnes sanctitates studiosa, sit Euangelicæ prædicationis vigor, & felix Euangelij suadela. In cordis fornace, excoctus sermo, dum incanduit in opere, inferni minis micanter scintillat, horrendum tonat, & to-

Exod. 35. v. 4. Tobiæ 1. v. 6.

Origenes apud Gloss. ibi.

Concinatoribus præcipitur, vt sumant à se ipsis redemptionem Domino.

tam gehennam audientibus fulminat. De studio Dominicæ passionis æmulandæ, beatas humanarum Passionum calamitates, mitiores reddit, & existimatas virtutis austeritates exarmat: & omnem pietatem suo citiùs exemplo, quàm sermone persuadet. Malè quialienus est à re virtutis, virtutes ore afflabit. (*Nec alius id, quàm qui possidet, dispensat*) In te sit Redemptionis fructus, quem aliis impertiri impensiùs negotiaris. *Sumite à vobis ipsis redemptionem Domino:* Sic iuuat Origenis ductu hunc locum ad mores deriuare, tametsi alius sit eius litteralior sensus, vt nuper inibi tradidimus, in Exhodi litterali & morali succinctâ expositione.

Tertull. de Patient. cap. 1.

3. Canticorum 4. diuinus sponsus desponsatæ sibi Ecclesiæ eximiam elegantiam sinceri amoris penicillo graphicè depingit. *Quam pulchra es*, inquit, *amica mea, quàm pulchra es!* Nec sat cælesti amasio visum est, sponsæ elegantem formam gratiæ manibus factam vniuersatim commendasse; nisi deinde eius oculos, capillaturam, genas, dentes, labia, verba, cunctas amœnitates spirantia, congruis epithetis sigillatim expressisset. Vnde tanta sponsæ, id est Ecclesiæ venustas? *Duo vbera tua*, inquit, *sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis.* Sanctos Ecclesiæ Doctores, & electissimos verbi Dei præcones, sub duorum vberum metaphorâ communiori sensu commendatos, arbitrantur Gregorius Nyssenus, Theodoretus, Cassiodorus, Gregorius Magnus, Philo Carpathius, Aponius, Beda, Anselmus, & alij. Cæterùm rationem huius metaphoræ idoneam scribit Strabus Fuldensis, sic ad ea verba tempestiuè fatus: *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli, &c. Duo igitur vbera, Prædicatores de duobus populi, &c. quia hoc paruulis in Christo infundunt: qui sunt hinnuli capreæ, quia acutè quæ sunt agenda, discernunt, & veloci cursu operationis de valle lacrymarum auolant. Gemelli, quia eandem fidem prædicant; quia ne lac quod erogant, in eis deficiat, pascuntur in floribus Scripturarum; & exemplis Sanctorum.* Ecce tibi eximios Ecclesiæ Prædicatores, tanquam hinnulos ad rem sapientiæ visu perspicaces, & ad perfectionis ardua cursu faciles: qui in Scripturam amœnitatibus pascuntur, & sanctis virtutum exemplis adipantur, vt reliquis quasi in Christo paruulis, doctrinæ lac exactiùs elaborent, & ad congruam alimoniam vberiùs exhibeant. Ergo ad rem præsentem sic Paraphrasis Chaldaïca hunc locum exscribit, & luculenter exponit: *Duo vbera tua, quasi duo hinnuli.* Id est. *Duo Saluatores tui, qui te saluaturi sunt, similes sunt Moysi & Aaron, qui comparati sunt duobus hinnulis gemellis: & pascebant populum Israël per merita sua quadraginta annis in deserto, mannâ & auibus pinguibus, & aqua putei Miriam.* Et qui sunt isti duo *Saluatores*, seu Redemptores, quos sic auidè Dei populus olim expectabat; qui *per merita sua*, sicut Moyses & Aaron in deserto, ita Christianum populum cælestis doctrinæ pane abundè pascerent? Expectatissimus Messias Christus Deus, mundi *Saluator*, Redemptor primus ex illis est, qui *expectatio Gentium*, fuerat nominatus. Ecquis est alter *Saluator*, huius magni Saluatoris inferior administer sicut Aaron aspectu ad Moysen, cuius interpres & minister fuit? Num est quiuis idoneus verbi Dei præco, qui magni Saluatoris in conuertendis hominibus vicarias gerit vices? Qui per *merita sua* di-

Cant. 4. vers.

Apud Ghister. ibidem.

Strab. Fuld. ibidem.

Concionator qui per merita sua auditores promouet, dici potest Saluator.

Paraphrasis Chaldaica.

gnus Euangelij administer, verbo Dei populos pascit, iam excelso *Saluatoris* vocabulo meretur honorari? Profectò sicut Paullus eximiæ virtutis, & prædicationis merito, de se dixit, quòd *adimplet ea, quæ desunt Passionum Christi, in carne sua*: & inde *sumens à se ipso redemptionem Domino*, quodammodò secundarius *Redemptor*, aut Corredemptor potuit appellari: ad eundem modum qui *per merita sua* dignè Dei populum pascit, ferè alter *Saluator*, magni Saluatoris in saluandis hominibus administer poterit nuncupari. Quia Ioue fuit Saluatoris vmbra, *Saluator* dicitur: ergo quia Apostolicus Prædicator verbo & opere adimplet ea, quæ desunt Passionũ Christi, in conuertendis reapse hominibus, quodammodò *Redemptor*, aut *Saluator* appellari poterit. O ad quàm excelsam vocabuli sublimitatem ascitur, qui verbi Dei negotium dignè pertractat! O piè prope superbum Prædicatorum elogium, cui cælum inuidet, quod Cælites æmulantur! ò! *à te ipso sume redemptionem Domino.*

4. Addit Chrysostomus Concionatorem obire quodammodò Deiparæ officium, atque eius nomen & dignitatem æmulari. Exponens enim illud Marci 3. *Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater mea est* (quæ verba dixit Iesus, Discipulos circumspiciens) ita fatur: *Iesu quidem aliquis mater efficitur prædicando: quasi enim parit Dominum, quem cordi audientium infuderit.* O augustissima Concionatorum dignitas! Deipara Christum hominibus semel peperit; Concionator in hominibus quotidie parit.

Marci 3. v. 36. Chrys. ibi. Concionator Deiparæ dignitatem æmuletur.

§. CCCCXIII.

Non tam sermonis, quàm vitæ elegantia, rem virtutis felici velut omnipotentia persuadet.

1. NOn concinnata nitidi sermonis garrulitas, nec ornatioris facundiæ arte calamistrata verba; sed infucata virtus, & vita exactior firmæ in iis quæ proposuit, constantiæ probitatem feliciùs loquuntur & faciliùs persuadent; & dum virum suum loquuntur, eius virtutes afflant. Non est muta virtus; etiam dum muto ore silet, eloquenter linguata est, dum non verborum, sed morum elegantiâ res fortissimas docet, non in verbis sollicita, sed in exemplis sedula. Non dubio quin diuinior prouidentia omnes mundi ætates sanctissimis viris adornarit, eisque talem suadendi facultatem operando dederit, ne aut exemplum cuiuis seculo deesset, aut conuitium. Sterilis est sermo, qui in facundiæ lepore scortatur; virtus etiam dum tacet, fortiùs loquitur, & per sensuum rimulas commeans, sese animo ingerit, & sensim commiscerat. quasi probitatem non tam persuadeat, quàm affricet. O! non tam ad naturam & rationem, quàm ad similitudinem viuimus.

Morum elegantiâ, virtutum suadela est.

2. Ezechiel cap. 10. hanc vidit & descripsit visionem, de cæli penetralibus moralissimam: Cherubim, inquit, stabant à dextris domus, (templi inquam) & nubes impleuit atrium interius. Et eleuata est gloria Domini desuper Cherub ad limen domus: & repleta est domus nube, & atrium repletum est splendore gloriæ Domini. Addit præfatos Cherubinos concussisse alas seu pennas, de quibus notat: *Et apparuit in cherubim similitudo manus hominis subtus pennas eorum.* De his ergò pennis seu alis sic scribit Propheta: *Et sonitus alarum Cherubin audiebatur vsque ad atrium exterius, quasi vox Dei omnipotentis loquentis.* Nempe sonitus, quem edebant Cherubinorum alæ, sub quibus erat similitudo manus hominis, clarè audiebatur in exteriori atrio templi, vbi profani & laici homines stabant. Sed qualis erat eiusmodi alarum, seu humanarum manuum sonitus! *Quasi vox*, inquit, *Dei omnipotentis loquentis.* Grande quidem in mysterio documentum! Sonitus quem edunt manus hominis vocem Dei omnipotentis loquentis imitatur. Perbellè inibi ad rem Hugo: *Sonitus alarum est forma virtutum Sanctorum, & exempla eorum.* Scilicet sonus non ore resonans, & compto elegantiæ ornatu virtutes altè buccinans, eos efficaciter suadet, & vitia detriumphat; sed sonus, quem edunt alæ Cherubinorum, sed manus humanæ quæ illis subsunt, adeò efficaciter mouet, ac si in opere audiatur *quasi vox Dei omnipotentis loquentis.* Quasi dicat Propheta: Cùm vox humana efformatur linguæ & palati ingenio artificiosè modulata, & ornata exquisitæ elegantiæ pigmentis, ad soni leporem, & aurium gratiam eiusmodi vox suum hominem loquitur, redolet hominem, hominem suum sapit. Ast cùm hominum manus bono opere vocem expediunt, & vitæ eloquentiâ, morumque elegantiâ, virtutes loquuntur; in fucatâ vi, & arcano suadelæ impetu, sic spectatores permouent, sic eorum animos transuersum agunt probitatis exemplo, vt videatur *quasi vox Dei omnipotentis loquentis.* O vocis omnipotentis Dei efficaciam! Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentiâ. Voce Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. O quàm est actuosa Dei vox, agnatæ omnipotentiæ viribus operatoriæ! Ipse dixit, & facta sunt, quia Dei dicere, fecisse est. Quibus verbis exponi exaggeratiue potest, quàm sit potens ad suadelam morum tacita elegantia, cùm sonus quem edebant alæ seu manus hominum, sic in exteriori atrio, vbi stabant profani & immundi homines, audiebantur, vt *quasi vox Dei omnipotentis loquentis* ad efficaciam persuasionis videretur. Semper Deus operans, omnipotentiæ suæ virtute operatur; at cùm additur omnipotenter loqui aut operari, virtutis omnipotenter operandi actuosior efficacia cum quadam epitasi palam exprimitur. Ergò manuum sonus, (dum bono operum exemplo virtuti plauditur) cùm hominis sit, sic est potens ad suadelam, sic viuide vitia extirpet, & pietates allinit, vt immundis etiam hominibus in atrio exteriori profanè versantibus, *Quasi vox Dei omnipotentis loquentis* videatur. O taceat eloquentior linguæ facundia rhetoricæ calamistris concinnata, dum virtutis mores vocales sunt, & elegantia mutè linguata. Atrium exterius immunditiis profanum non tam oris persuasione, quàm manuum quasi omnipotenti voce, Dei omnipotentiam æmulanti, ad munditiei nitorem, & virtutum puritatem feliciter reformatur.

Ezech. 10. v. 5.

Sonitus quem edunt manus, dicitur vox Dei omnipotentis.

Hugo ibi.

Ioannis 12. Christus Dei corporata sapientia, viuidâ concione hominibus cæli doctrinam suadere satagit: sed Iudææ gentis cognata obstinatio veritatem refutat, & vocationis gratia renuta excepta infeliciter resilit. Tunc ait Christus Deus: 3.

Nunc

Ioann. 12. v. 32.

Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum: hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.* Quod Dei corporata sapientia, verborum efficaciâ, quæ Deum sapit, cælum fragrat, & veritatem spirat, hominibus ore non suadet, Crucis probrosæ cruciamento persuadere intentat? Quem de re virtutis loquentem homines auersantur, in Cruce patientem, & ore muto tormenta decoquentem ad se trahere sperat? Arnobius (siue ille senior antiquitate nobilis, siue iunior eruditâ nouitate felix) exponens ea verba Psalmi: *In intellectibus manuum suarum deduxit eos*, miratur cum Interpretum choro, Dauidicæ sententiæ nouitatem; cum manibus multiplex intellectus seu mens, & multiiuga sapientia & peritia tribuitur. Intellectus rationalis sedes, manus sunt? Ecquis mentem gestat in manibus? An non in cerebro, linguáve mentis excellentia potiùs elucet, & viuaciùs scintillat? Qui sunt hi manuum intellectus, nobis ignoti, Prophetæ notissimi? Arnobius inquam hæc Psalmi verba ad Christum è cruce manibus pendentem, & omnia trahentem ad se ipsum, tempestiuè refert his verbis, *In intellectibus manuum suarum deduxis eos. Ideò manus suas in cruce Christus leuauit, vt in gloria manuum suarum dirigat nos.* O arcanum opeium illicium, quo Christus Deus *manuum gloria*, omnia ad se trahit, & in cælum *dirigit & deducit*! Scilicet Christus Deus diuinâ eloquentiâ præillustris, sæpè ad homines de rebus cæli concionatur, & quidem sermone non ratò persuasionis infœcundo pro nostri arbitrij agresti libertate doctrinam cæli refutante, improspero gratiæ aborsu. Ast dum ore muto, seu vocali patientiæ taciturnitate pendulus eleuatur in cruce, eiusque manus perfessoribus clauis crudeliter terebrantur, non diuina linguæ facundia, sed eloquenti *manuum gloria*, omnes trahit ad se ipsum, & per virtutis vias ad cælum dirigit & deducit. *Intellectibus manuum suarum deduxit eos.* Parùm foret, si Tobias multos Hebræorum in fide labantes *monitis salutis* stabiliret, nisi etiam largis eleemosynis faciens intelligere manus suas, alienam miseriam ope subleuaret; & *vt posteris daretur exemplum*, quò probitatem omnem *omnipotenti* manuum voce omnibus persuaderet, datus est virtutum omnium typus, quod iam iam vberiùs expendimus.

Christus in Cruce fecit intelligere manus suas.

Psalm. 77. v. 72.

Arnobius iunior ad eum Psalmi locum.

4. In hac Tobiæ historiâ cap. 2. tanti Patriarchæ beatæ calamitates velut compendio perstringuntur. Profectò nauigantes tot periculorum adsultus non circumstant, quot vitæ casus, & incommoda virtutis mercaturam facientes exhauriunt. Quare autem tot ærumnæ nostrum Tobiam inuenerint, peraccommoda hîc ratio traditur: *Hanc autem tentationem ideò permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob.* O! bonum aliis præbere exemplum tanti emitur? Obcæcatur Tobias, vt siderea virtutum eius claritate, nos in cæcis huius vitæ tenebris rectà incedamus? Audiendus est hac super re Seleuciensis Basilius ita eloquenter fatus: *Longa, inquit, maria traiicientibus ad cursum regendum pro tessera sunt astrorum vndequaque splendentium motiones, & gubernator incumbens gubernaculo tollit in cælum oculos astrorum motibus aurigans nauem, cursumque per mare cælesti lumine contorquens fertur in portum, Qui verò vitæ pelagus rectè student percurrere, ac vitæ secundum Deum instituta desiderant secare fluctus, non astra spectant; sed chorum Iustorum inspectum eunt ac eorum viuendi rationibus vestigiesque incumbentes, quasi composito gradu suam ipsorum vitam dirigunt.* Bellè Iustorum exempla dicuntur sidera, ad quæ in vorticoso huius vitæ pelago aurigans nauem, necesse est oculos vt attollat, quò ad empireum beatitudinis portum feliciter appellat. *En el pielago de este mũdo los exemplos de los sanctos an deser nuestro norte.* Sed intentiùs nota, quòd bonum exemplum sententiosè dicitur *tessera*; quæ est symbolum, quo socij ab hostibus dignoscebantur. Num prædestinati à reprobis per hanc *tesseram* dignoscuntur? Sic potenter hæc *tessera* præpropere spe beat? Adhæc tessera sumitur pro commeatu, quo quis securè apud exteros peregrinatur; *Imitar el buen exemplo, es saluo conducto para el cielo.* Denique *tessera* in receptissima significatione figuræ est omni ex parte quadrata, constans sex lateribus æqualibus: qualem est videre in iis officulis, quibus alueo luditur: punctis quibusdam distinctis, & in quancumque incubuerint partem, immotam stabilitatem habentibus: quæ & ipsa à Latinis *tessera*, è Græcis κύβος appellantur, Hispanè *dados*, ludus quidem præceps & rapax, & quo vno felici iactu ingentem ocyssimè summam lucraris; aut infelici, præcipitanter perdis. Ita accidit ei, qui bonũ, malumve exemplum auidè arripit, & moribus exprimit; *tesseris* ludit, & quamcitò aut lucratur cælum, aut cælum perdit. Sic pro *tessera* sunt Iustorum exempla.

Tobiæ 2. v. 12.

Basil. Orat. 8.

Pro tessera nobis sunt Iustorum exempla.

§. CCCCXIV.

Inter gratiæ miracula censetur, Euangelium sine stipendio prædicare.

5. NOn est sapientia populare artificium, nec ostentationi paratum: nec tam in verbis, quàm in rebus est: neque in hoc adhibetur, vt cum aliqua oblectatione consumatur dies, & dematur otio nauseat Animum format & fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda & omittenda demonstrat. Qui mundanæ gloriæ viuit, sapienter non viuit: sapientiam enim debet gloria sequi, non præire. Prodigio similis esse debet in sapiente auaritia: & fortè prodigio similis est sapiens, qui lucri cupiditate saltem non pulsetur. Sed dedifscit sapientiam, qui eam auaram facit. Ingenua est, & fieri auaritiæ vectigalẽ erubescit. An non litterarũ pudeat, esse sapientiæ nundinatorem; & exigui lucelli cupiditate vocẽ vendere, & eruditionem cauponari? Medicina, nobilis philosophiæ portio, in Æsculapio sordidæ cupiditatis damnata fuit: Iurisprudentia olim honores dabat, hodie honorarias opes largitur. Heu timeo, Biblica eloquenter eruditio præsertim in verbi Dei præconibus nimis quæstuaria sensim efficiatur, ingenti rei Christianæ iactura. Liberè cum auditoribus aget, qui auarè agit: O quoties auditores acrem obiurgationem argento redimerent, & dato & pretio concionatorem sibi facerent sordidè vectigalem, magno Euangelij detrimento! Matthæi 10. mittens Iesus Apostolos prædicare Euangelium, potestate illis

Ne fit sapiens auarus sapientiæ nundinator.

Matth. 10. v. 16.

facta ad pattanda miracula, sic ait: *Gratis accepistis, gratis date: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris: non peram in via*, &c. Ad quæ verba sic fatur Chrysostomus: *Plurima quidem, per hoc constituebat. Primum quidem insuspectos reddens discipulos.* Concionator qui in prædicatione Euangelij, auaritiæ studet, *suspectus* apparet: qui autem quod gratis accipit, gratis dat, *insuspectus* est. Taceo.

Chrys. apud Caten. in Lucæ 9.

2\. Matthæi 11. Ioannes cùm audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi, Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Christus autem mentem noscens Ioannis, non dixit Ego ipse sum, ne rursus audientibus subreperet illud Pharisaicum: Tu de ipso testimonium perhibes, testimonium tuum nō est verum. Sic vera laus in ore proprio infortunata est? Idcircò hoc facit eos dicere à miraculis, qui Euangelicus propheta Isaias, ad indicium cognoscendi & recipiendi Messiæ prænunciauit. Vnde Iesus respondit: Euntes renunciate Ioanni quæ audistis, & vidistis. *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt; mortui resurgunt, pauperes euangeliZantur.* Græcum verbum εὐαγγελίζονται Theophylactus & Euthymius actiue interpretantur, quasi dicat, Pauperes prædicant Euangelium. Sed communiter hæc interpretatio reijcitur; quia inter miracula recensendum non erat, quod pauperes euangelizarent: id enim insolens non est, sed valde frequens, & ordinarium. Nisi fortè obiectioni occurras, aiendo, quòd etsi sæpè accidat, verbi Dei præconem in principio Euangelizandi, aut prædicandi Euangelium, pauperem esse postquam diu euangelizauit, pauperem esse, miraculi adinstar reputari. Sed hæc interpretatio, ad litteram nimis subtilis est, ad mores nimis acris. Et quidem mirum valdè esse debet, quòd inter grandiora miracula, in felici Euangelij tempore visenda, & quæ spectatissimum Messiam indubiè demonstrent, seriatim recenseri, quasi prodigiorum clausula, quòd *pauperes euangeliZentur*, id est, vt adsint Concionatores, qui Euangelium pauperibus prædicent, quæ est receptior Patrum, & Commentatorum expositio. Audiendus est hac super re S. Hieronymus qui doctè pariter, & acutè sic ad ea verba fatur: *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangeliZantur, quod præmissis non minus est. Pauperes autem euangelizatos intellige opibus pauperes. Vt nulla inter nobiles & ignobiles, inter diuites & egenos in prædicatione distantia sit. Hæc Magistri rigorem, hæc præceptoris comprobat veritatem.* Nempè dum pauper æquè ac diues euangelizatur, non est minus miraculum, quàm cùm cæci vident, leprosi mundantur, mortui resurgunt. Pauper inquam, opibus, à quo nihil lucri Concionator expectat; qui euangelici sudoris mercedem retribuere præ egestate non eualet; qui eruditæ eloquentiæ, & exquisiti acuminis desideratos plausus, non possit muneribus adornare. Hoc miraculum, *quod præmissis non minus est. Præceptoris comprobat veritatem.* Quasi Euangelici præconis nota sit, & notus character, *pauperes euangeliZare*, quo magno miraculo & districtior Christi disciplina, & Euangelij diuina veritas, humanitus comprobatur. Taceo, ne sordidi lucelli quenquam arguere videar, sed omnes adhortari ad hoc prægrande Euangelij gratuitò prædicandi miraculū. Philo Hebræus agens de Iosephi venditione Madianitis, ait: *Rectè autem dicitur vendi hunc hominem. Nam qui auram populi captans concionaturus locum superiorem ascendit, sicut venalitij, seruus fit ex ingenuo, propter honores quos videtur accipere addicens se innumeris Dominis.* Nollem verbi Dei Concionatorem velut seruum venalitium, multis dominis vulgò addictum.

Isaiæ 35. v. 5. Matth. 11. v. 5. Theophyl. Euthym. ibi. *Miraculum ne est, quod pauperes, qui nihil retribuere possunt euangeliZentur* Hieronym. ad eum locum. Philo lib. de Ioseph.

1\. Corinth. 15. sic de se Paulus loquitur, an satis sibi cohærens, examinandum est: *Ego sum*, inquit, *minimus Apostolorum*, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. *Gratiâ autem Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboraui.* Ad examen vocare lubet hæc duo Apostoli verba, quæ pugnantia sibi videntur: *Ego sum minimus Apostolorum*, &, *Abundantiùs illis omnibus laboraui.* Minimus dicitur, quia nouissimus; & ideò breuiori tempore euangelizauit: Minimus humilitate, quam anteactæ vitæ execranda flagitia ædificabant. Ast qui *Minimum Apostolorum* se nominat, protinùs addit, *Abundantiùs illis omnibus laboraui.* Tam exigua Apostolici muneris pars est, cōtinuus, ex ōnis & indefessus euangelizandi labor, vt se dicat *Apostolorum minimum*, qui *abundantiùs omnibus laboraui*? Imò & quo pacto verè potuit Paullus affirmare, se *abundantiùs* omnibus Apostolis laborasse? Principem Petri sollertiam, arcanam Ioannis doctrinam, immensas Thomæ peregrinationes, reliquorum iunctim Apostolorum, vnus Paullus labores superauit? Minimus Apostolorum, omnium labores excellit? Multa hîc mouent interpretes, vt Paullum vindicent, ne hoc verbum aut arroganter, aut audacter excidisse videatur, quod de tanto Apostolo nefas esset existimare. Mitto eruditas plurium commentationes, vt Anselmi verba citiùs exscribam, quæ præsens thema eleganter adornant: *Abundantiùs illis omnibus laboraui: Illi* (reliqui Apostoli) *stipendium ab illis quibus prædicabant, acceperunt: ego autem nihil ab auditoribus meis accepi, sed ex labore manuum mearum vixi.* Bene quidem, & per benè Anselmus. Scilicet *abundantiùs* reliquis simul Apostolis laborauit Paullus, quia Euangelicæ doctrinæ miraculum *euangeliZandorum pauperum*, simplicius adimplet? & sic Præceptoris veritatem abundantiùs comprobat, vt nuper docebat Hieronymus. Licitè reliqui Apostoli donata à fidelibus stipendia ferebant: nam qui altari seruit, de altari viuere debet. At Paullus etsi Apostolorum minimus & nouissimus, dum prædicationis stipendia recusat, sic Euāgelij labores amplia & incrementat, vt se plus omnibus Apostolis exindè laborasse, ex Anselmi mente audeat affirmare. An non audis hîc Tobiam, non solum *monita salutis* concaptiuis vbique dantem; sed & eisdem largis donatiuis subuenientem? Porrò tam longè aberat, quòd stipendium ab illis acciperet, vt eisdem quotidiana subsidia vt vt poterat, erogaret.

3\. 1. Corinth. 15. v. 10. *Paulus plus laborauit, quàm reliqui Apostoli, quia sine stipendio laborauit.* S. Anselmus ibidem, si Ansel. sunt hæc in Paul. commentaria. Tob. 1. 15.

Matthæi 24. his verbis Christus Deus auditores suos emphaticè interrogat, vt concionatores erudiat: *Quis, putas, est fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam?* (& post pauca) *Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.* Benè notant interpretes, quòd illa vocula, *Quis, raritatem notat. Quantò autem rarior inuenitur, tantò beatior est qui inuenitur*, ait Hugo. Sed peruestigare oportet,

4\. Matth. 24. v. 46. & 47. Hugo lib.

tet, in quonam sita sit hæc rara *fidelitas*, & *prudentia*, quæ in hoc loco exigitur: vt seruus super omnia domini sui bona constituatur. Pergit idē Hugo sic ad rem ex Chrysostomo fatus: *fidelis est, qui nihil domini suum facit, nec inaniter consumit. Prudens, qui venit ad id, quod oportet dispensare.* Sed adhuc non dicitur, quisnam sic hic fidelis seruus & prudens, qui tam rarò inuenitur, redditurque dignus, qui super omnia domini sui bona sublimissimè constituatur. Rem totam peracutè ad lemma præsens Remigius elucidat, ita ad præfata Matthæi verba scribens: *Bonos autem Prædicatores super omnia bona constituet*: ô quàm multa quam paucis! Nempe Prædicator, qui Dei verbum sic *fideliter* tractat, & auditoribus propinat, vt *nihil Domini suum faciat*, sed auaritiæ exors, nunquam bonus dispensator, quod gratis accepit, liberaliter impertit; ille, ille inquam, *super omnia* Domini *bona constituitur*? ô sublimissimam, ac penè arrogantem prælationem. Bonus Prædicator, qui dignè (vt par est) Dei verbum administrat, qui ad audientium profectum inuigilat, qui inanes vulgi plausus negligit, qui totus diuinæ gloriæ militat, non friuolo & auaro lucello: *qui nihil Domini suum facit*, nec auditorum recuras ambit, adeò vt *pauperes euangelizentur* æquè ac diuites, ex quibus lucra captare posset; hic, hic quidem est, qui omnibus Domini bonis dispensandis excelsè præficitur. *Bonos autem prædicatores super omnia bona sua constituet.* Quid illustrius? quid opulentius? Quid auarè hiet caducas reculas, Concionator, qui toti Dei censui sic præficitur? Sed heu! *Quis, putas est fidelis seruus & prudens*? *Quis*, raritatem denotat. *Quanto autem rarior inuenitur, tantò beatior est qui inuenitur.* Sed heu, qui aliena à pulpitis recitant, quia eis fabricandis non sunt idonei, cariùs vocē vēdunt, vt & emptæ chartæ sumptus resarciant, *veritatis latrocinium nundinantur*, quæ sunt verba Chrysologi.

Prædicator lucris expers omnibus domini bonis dispensandis præficitur.

Remigius inibi.

S. Chrysol. serm. 8.

5. Genefeos 2. Adamus omni sapientiâ & theoricâ & ethicâ excultus creatur; & translatus in paradisum, hanc Dei præceptionem audit: *Ex omni ligno paradisi comede. De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Sagaciùs peruestigant Interpretes, quare sapientissimo Adamo præceperit Deus, ne arboris scientiæ fructum decerperet. S. Gregorius Nazianzenus pulchellam hanc quæstionem arboris tractans, ita scribit: *Adam Dei manu, ac deliciarum paradisi, & primâ lege dignus habitus est: tamen ille præceptum minimè seruauit. Basilius autem & illud accepit, & seruauit: nec ex scientia ligno commodi quicquam accepit.* Scilicet Deus præceptum posuit Adamo, vt eum sibi subiectionis stigmate inureret: speciatim verò fructu arboris scientiæ illum interdixit, *ne ex scientiæ ligno commodi quicquam acciperet.* Sic præproperè satagit Deus, ne sapientissimus Adam commodum ex scientiâ percipiat: Morte eum punit, quia de scientiâ commodum tulit. O bonam sapientibus eruditionem, ne scientiæ commercio nundinentur.

Gen. 2. v. 16 & 17. Naz. orat. pro Basil. *Punitur Adam, quia ex scientia commodum tulit.*

§. CCCCXV.

Mutua Prædicatorem concordia, suadenda doctrinæ adulatur, discordia verò infeliciter suadet.

SOllertem diu diligentiam exhibeat Sapiens in amicis diligendis, ne incipiat amare, quem deinceps possit odisse. Nihil enim turpius est, quam cum eo bellum gerere, cum quo familiariter vixeris. Porrò tametsi Sapiens ita amicum debeat habere, posse vt fieri inimicum putet; semper tamen illud animo verset, & præ oculis habeat: *Semper dissensio ab alio incipiat, à te reconciliatio.* Cede iniuriolæ, ne charitas mutua excidat; & dissensio leuis, non leue faciat rei Christianæ dispendium: nam in negotio tractandi ad populum Dei verbum, aut animas ad meliorem frugem reducendi, modicum dissidium, ingentis detrimenti culpatur: auxilia humilia firma consensus facit. Quid audientium consensum Concionator præsumit, qui dissensiones verbo nundinatur? Prouentus, quos discordiæ æstus decoquit, exurit, & perdit; mutua Prædicatorum concordia, ad virtutis saporem erudit, & in cæli horrea vberes congregat. Etsi Discipulorū quilibet vastis erudiēdis prouinciis affatim sufficiebat, Christus Deus mundi conuersioni studens, *misit illos binos*, vt de mutua concordiâ armati, victrices Tartarorum phalanges exarment. Concordiæ studium, est Christianæ prædicationis compendium: quasi fructus, concordiæ citiùs quàm doctrinæ respondeat. Hei bene rudes, & malè informatos audientium mores, in tantâ Concionatorum frequentiâ! 6.

Publ. Mim. apud Senec.

Concordia Prædicato rum feliciter suadet.

Luc. 10. v. 1.

7. Isaias cap. 6. cælestem illam apparitionem, tot acuminum grauidam, vidisse denarrat: Vidi, inquit, Dominum sedentem super soliū excelsum & eleuatum: & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum: *Seraphim stabant super illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Alibi aliorsùm curiosiùs peruestigamus, an verè Seraphini fuerint? an Angeli à Seraphinis missi? quo pacto stantes volare poterant? cur faciem, cur pedes velarent? Verùm cùm eorum voces in ore Isaiæ resonent, suspicari licet, Verbi Dei præcones non obscurè hic adumbrari. Sic enim Propheta subdit: *Et clamabat alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius. Et commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis.* Duorum vox resonat, quâ gloria Dei omnis terra repletur, & dum firmiores eius columnæ commouentur, vna vox auditur? Mitto hæc quæ mox resumam; & redeo ad duos Seraphinos, qui senis alis præditi erant, id est, duodecim. Hieronymus grande aliquod mysterium in hoc duodenario numero mysticè adumbrari putat, & refert Victorinum sic aientem? *Sex alæ vni, & sex alæ alteri. Victorinus duodecim Apostolos intelligit.* Profundè quidem ad mores! ô vtinam viri hodie Apostolici, Concionatores, Sapientes, & quotquot rem Christianam tractāt, de hac Isaiæ, & Victorini eruditione informarentur. Nimirùm hæ duodecim alæ, duodecim Apostolos (& qui Apostolorum munia obeunt) mirificè-

Isaiæ 6. v. 2.

Singuli Apostoli singulæ alæ sunt.

S. Hieron. apud Gloss.

rificè designant. Porrò alæ volatui seruiunt, sed binæ (vt minimùm) vna duntaxat ala, compare destituta, & cui alia non correspondet ala, impedimento est, non leuamini; grauem facit, non volucrem. Geminæ alæ volatum explicant; vna tantùm, nec humi repit. Viri Apostolibi alæ sunt; si non sibi consonant, mutuò respondeant, & vltrò citróque vices alternant; non volant celeres, sed inertes iacent simulque res Christiana iacebit. An non vides hos Seraphinos pennis alatos, nil non geminis alis præstitisse? *Sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant. Victorinus duodecim Apostolos intelligit.* Non est amplioris prædicationis iactura, sed conuersionis compendium, cùm Christus Deus Discipulos suos *binos* mittit: quo duabus vndique alis Euangelium volet, & citiùs mundum occupet. Rixæ inter concionatores, sub pietatis laruâ, fraus Diaboli est, & inferni minæ. De Concionatorum concordiâ Christiana religio feliciùs suadetur.

3. Geneseos 3. vbi ridiculariâ gulæ voluptatulâ, sublimioris sapientiæ ambitione imbutâ, ingratissime Adamus deliquit; paradiso voluptatis pellitur: ne iam mortalis, si vitæ arborem degustatet, ærumnarum æternitatem sibi corporaret. Ergò ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum; emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de quâ assumptus est. (Genes. 3. v. 24.) *Eiecitque Adam: & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Cæterùm cùm in confesso sit, τὸ *Cherubim*, esse numeri pluratiui, pluresque Cherubinos significare; mirissimum sanè est, vnum duntaxat gladium illis porrigi. Porrò si necesse fuit, vt Cherubini armarentur, eccur pluribus vnus tantùm gladius (Plures Cherubini vnum gladium regunt.) porrigitur? Et si vnus duntaxat armandus erat, quare plures otiantur inermes? Vnus autem gladius vna tantummodò manu regi potest; cur pluribus Cherubinis vnus duntaxat gladius suppetit? S. Augustinus qua erat ingenij sagacitate hanc difficultatem odoratur, & sic ad ea verba scribit: *Et ordinauit Cherubim, & flammeam romphæam.* (August. ibi.) *Hoc cælestes vtique potestates, etiam in paradiso visibili factum esse credendum est, vt per angelicum ministerium esset illis ignea quædam custodia, non tamen frustra factum esse, nisi quia significat aliquid etiam de paradiso spirituali, non est vtique dubitandum.* Scilicet Deus sic ordinauit seu inaugurauit hos Cherubinos, seu *Cælestes potestates*, vt vnum duntaxat gladium illis præbeat ad *angelicum ministerium*, quia significat aliquid (ad Ephes. 6. v. 17.) *de paradiso spirituali.* Vnum sit vnius gladij (*Gladius est verbum Dei*) ministerium, ad quod plures Cherubini, seu cælestes potestates destinantur, quasi vtrinque vna sit vox, vnus sermo, vnus gladius spiritus, quod est verbum Dei. Arduum, imò & impossibile videtur, quòd vnus ensis simul regatur à pluribus Cherubinis, & illo armentur ad corporalem, & etiam *spiritualem paradisum* custodiendum. At tanta erit spiritualium potestatum consensio, tanta Prædicatorum concordia, vt gladius, quod est verbum Dei, simul à pluribus vibrari videatur, quasi omnium sit vna manus, vnica mens, vox vna, & vnanimis doctrinæ consensio. Quod de Isaiæ Seraphinis nuper diximus: *Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus*, &c.

Et commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis. An non hîc promiscue vtitur, aut singulari, aut pluratiua voce, cùm de voce Seraphinorum loquitur? Plurium Seraphinorum vna vox, & plurimum Cherubinorum vnus gladius, quod est verbum Dei, in *spirituali paradiso* moralissimè designatur ad *angelicum ministerium.* Putauerim, quòd Tobias, etsi insigni sanctitate vir, perpaucos eò apostatis Hebræis traduxerit (Tobiæ 14. 15.) ad auitam religionem, licet *monita salutis* daret eis: nam cap. 1. vers. 5. *salus* dicitur. Vnus plures vel potiùs plures vnus, consensionis suadela feliciter persuadent: *salus*, aut cui alij dissentiunt, (Hic vers. 4.) paucos proselytos numerat. Vnde hîc *dispersos* Israëlitas congregare satagit, vt Dei mirabilia enarrantes, verum Deum gentibus adnuncient.

Iosue 6. sicco vestigio Israëlitæ Iordanem traducunt, & duce Iosue Ierichuntinam vrbem dura obsidione cingunt. Septima autem die Arcam Sacerdotes circunducunt, & tubarum clangore muri corruunt. (Iosue 6. v. 20. Ierichuntinæ corruunt mœnia, vt in arcam concentu, vel ipsa vrbs confugiat ad Dei populum.) *Igitur clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruunt.* Quare non corruerunt obsessæ vrbis mœnia, vel crebro muralium tormentorum ariete; vel saltem sacratæ Arcæ circumductu, vel numinis inuocato nomine; aut implorato auxilio? Quid sonoro plurium tubarum clangori cum mœnium ruina? Insolens videtur hoc bellandi & debellandi genus. Sed attenta obseruatione dignissimum in populo Israëlitico, cui omnia in figura contingebant. Origenes sagax (Orig. apud Lauret. Ceru verbo. Tuba.) mysteriorum interpres, per harum tubarum multisonum concentum, intelligit *vocem verbi Dei, & prædicationem insignem:* exinde oportuit, vt prædicantium mutua consensione & reciproco harum tubarum concentu res peragerentur. Quod (Basil. Seleu. Orat. 31.) peracutè Basilius Seleuciensis exaggerat, ita scribens: *Clangentibus tubis, &c. Obsessa Iericho murorum orbem exuebat, habitatores suos vt ipsa fugeret, & ad Israelitas transfugeret.* Scilicet pagana Ierichuntinæ vrbis mœnia vltrò corruant, ad turbarum accordem clangorem, & concinnam insigniter prædicantium vocem; vt vel ipsa rebellis vrbs, murorum obstaculo remoto, spontè fugiat paganos habitatores, & ad Dei populum confugiat. Nempe parùm fore putauit Basilius si concentu tubarum, hoc est, insigniter prædicantium, vrbis habitatores ad Dei populum aggregarentur, nisi obice excelsorum mœnium amoto, vrbs ipsa sedibus suis relictis ad Dei populum transfugeret. Inde tubarum concentu, id est, prædicantium modulata concordia, *Obsessa Iericho murorum orbem exuebat, habitatores suos vt ipsa fugeret, & ad Israelitas transfugeret.* Quid ad thema præsens exaggeratiùs?

Lucæ 10. Designauit Dominus & alios septuaginta duos, & *misit illos binos* ante faciem suam. 5.
Et dicebat illis: *Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergò Dominum messis vt mittat operarios in messem suam.* (Lucæ 10. v. 2.) Si tanta est operariorum paucitas, quare *binos*, & non singulos mittit? An non singuli singulis vrbibus, aut prouinciis sufficiunt? (Bini ob concordiam missi, eàdem doctrinâ & ferere possunt, & metere.) Propè conuenit inter Expositores, ideò Discipulos *binos* mitti, vt secum concordiam & beneuolentiam præferant, ad spiritualem auditorum profectum. Eleganter ad lemma præsens Chrysostomus: *Misit illos binos. Et dicebat illis: Messis quidem multa, &c. Sed qualiter messem vocat, cùm res in præsens exordium sumat? nondum iacto aratro aut sulcis productis,* (Chrysost. ibi.)

de

de messibus tractat, &c. Eodem die & serere potestis, & metere. Scilicet dum *Sibi* mittuntur Prædicatores & mutuæ concordiæ solleriet student nondum iactato aratro & sulcis productis, *de messibus tractat*: illisque faustè denunciat, quod *eodem die & serere possunt, & metere.*

---

§. CCCCXVI.

Qui conuertendis peccatoribus sollerter inuigilant, cautè cum illis agant, ne peccatores suam rubiginem illis conuersatione affricent.

1. NEmo aliis nascitur moriturus sibi. Subducendus ergò est seculari populo tener animus, & parùm tenax recti, ne etiam dum populi salutem piâ mente procurat, proprij animi ægritudines negotietur. Facilè trāsitur ad plures, præsertim cùm communis malitiæ fomes, ad communia vniuersatim vitia impotenter trahat illicio cognatæ voluptatis, humanos mores pestiferè toxicantis. Socrati, Catoni, & Lælio excutere mentem suam posset improba conuictorum multitudo. Adeò vt Paullus ipse, qui gratiæ officiositate ad omnes sanctitates maximè concinnauit ingenium; etiam dum ea, quæ desunt Passioni Christi adimplere satagit, atque ardenti animarum zelo piè exuritur; pauide timeat, ne fortè cùm aliis prædicat, ipse de eorum conuersatione reprobus efficiatur, & propriâ prauitate aliorum probitatem redimat. An non eiusmodi metu validè concutiebatur Propheta, & inde forsan prædicationem cautè recusabat? Sed tandem diuinæ pollicitationis oraculo animosior factus, impiæ turbæ conuertendæ se miscere ausus est. Audi opportunas Dei voces: *Si conuerteris, conuertam te, & ante faciem meam stabis: & si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris: conuertentur ipsi ad te, & tu non conuerteris ad eos.* Ieremiæ priuilegium, in non impari virtutis merito, ad Tobiam ampliari cernimus. *Pergebat ergò ad omnes qui erant in captiuitate, & monita salutis dabat eis. Denique cùm irent omnes ad vitulos aureos, hic solus fugiebat consortia omnium.* Id in reliquis Israëlitis hic Tobias percupit.

Caueat prædicator, ne abeat in populi mores.

Ierem. 15. v. 19.

Tobiæ 1. v. 15. & 5.

Hic vers. 4.

Matthæi 3. venit Iesus à Gallizâ in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. Ioannes autem prohibebat eum, dicens. Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Respondens autem Iesus, dixit ei: Sine modò: sic enim decet nos implere omnem iustitiam. *Tunc dimisit eum. Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aquâ, &c.* Scilicet Ioannes Baptista confluentes ad se homines sacris Iordanis aquis baptismo illo præambulo lauabat: & Christi puritatem demiratus, illum tandem baptizat, & sacris sacri fluuij laticibus abluit. Quâ super re sic ad rem præsentem philosophatur Augustinus: *Christus*, inquit, *postquam natus est hominibus, renascitur sacramentis: vt quemadmodum tunc eum miramur incorruptâ Matre progenitum, ita nunc suscipiamus illum purâ vndâ submersum.* (diligentiùs aduerte ad ea, quæ subiicit verba) *Filium enim genuit Mater, & casta est; Christum lauit vnda, & sancta est.* Grande quidem, adsimiléque vtroque prodigium, & Filium Mater progenuit, & virgo est: & Christum vnda lauit, & sancta est. O! limpidissima etiam aqua, quæ alios lauat, sic eorum, quos lauat sordibus, squalere solet. Sic est difficile non sordescere abluendorum squalore? *Filium genuit Maria, & casta est; Christum lauit vnda, & sancta est.* Christi Dei puritas omnem superat munditiem; & tamen, quòd Iordanis vnda, quæ illum quasi peccatorem lauit, munda, limpida, & pura permanserit prodigio Matris & simul Virginis comparatur. Mater virgo vires naturæ longè præcellit: quòd Aqua mystica alios lauans, nullis abluendorum sordibus inquinetur, vulgò peregrinatur in moribus. Sic vel munditiei purus administer, adtactu & conuersatione squalentium squalere solitat. O moralissimè pulchram Augustini hyperbolem! O aquam, quæ lauas, nec lauaris! *Christum lauit vnda, & sancta est.* Ergò agnoscat Concionator, & quisquis hominum ad meliorem frugem conuertendorum muneri ardenter incumbit; perpaucos esse, qui se immundis peccatoribus tutò se commisceant, nisi cautiùs agant. Agnoscent imbecillitatem humanam, vt inter scelestos puriùs conuersentur. Non semper mores quos pius operarius extulit, refert. Aliquid ex eo quod diu composuerat, turbatur; aliquid ex eo quod fugauerat, redit. Auarior aliquando redit, ambitiosior, luxuriosior, & inhumanior, quia inter homines fuit, quò hæc contagia curaret, piis diuinarum vocum adhortamentis. O quoties peccator, rubiginem suam afflat, etiam dum ab eâ curatur. Ieremiæ priuilegium est: *Conuertentur ipsi ad te, & tu non conuerteris ad eos. Christum lauit vnda, & sancta est.*

2.

Matth. 3. v. 16.

August. ser. 16. de Temp.

Christum lauit Iordanis vnda, & sancta est.

Actorum 12. Herodes rex Iacobo occiso, in tetrum carcerem dirè Petrum trudit, & ferreis catenis arctè vincit, cupiens Petri nece Iudæorum gratiam mercari. Et ecce Angelus Domini astitit, lumen refulsit in habitaculo, & excitato Petro, catenæ spontè cadunt, atque duce Angelo sospes egreditur. Exeuntes autem processerunt vicum vnum: & continuò discessit Angelus ab eo. Consideransque quas latebras quæreret, venit in domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, vbi erant multi congregati, & orantes. Pulsante autem eo ostium ianuæ, processit puella ad audiendum: & vt cognouit vocem Petri, præ gaudio non aperuit ianuam, sed intrò currens, nunciauit stare Petrum ante ianuam. *At illi dixerunt ad eam: Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere. Illi autem dicebant: Angelus eius est.* Parùm est, quòd Sancti Patres, & interpretes magno consensu hinc docent, vnúquemque hominum ab ortu natiuitatis habere Angelum in custodiam sibi cælitùs deputatum; nisi etiam notauerint, eiusmodi *apparere in specie illorum*, quibus custodiendis sollerter inuigilat, & in spiritu promouere sedulò procurat: Adeò vt Ticonius apud Glossam ibi, dixerit: *Videtur Angelus hominis esse homo interior.* O moralissima Angeli custodis ad hominem quem custodit, similitudo! Angelus Petri videtur quodammodò esse Petrus interior, & simul in exteriori Petri specie apparet: sic homo qui custoditur, instruitur, promouetur, in custodem, in structorem, & promotorem Angelum, speciem humanam velut reuerberat, & mores quodammodò exprimit, Angelus hominis in specie illius apparet, & interiorem hominem repræsentat: Alumnus homo in tutore Angelo suam figuram, habitum, & mores apparenter cudit, vt omnibus

3.

Cur angelus Petri, Petri speciem repræsentat.

Actor. 12. v. 15.

Lyra ibi.

Ticonius apud Gloss. *Videtur Angelus hominis esse quasi homo interior.*

omnibus innotescat, quod homo quantumuis Angelus puritate & virtute sit, qui peccatoribus miscetur, vt illos à peccatis emaculet, in sapientiâ instruat, in spiritum promoueat, & sedulam virtutum pædagogiam erga illos exerceat; nisi cautiùs eum illis agat, non modò in eo apparebit externa species illorum, sed etiam interior aut pulchritudo, aut fœditas. *Illi autem dicebant: Angelus Petri est*: quia Angelus hominum custos solet *apparere in specie illorum*, quorum custodiæ deputatur. Imò *videtur Angelus hominis esse homo interior*. Sic spiritualis Angelus materiam hominis, quem custodit, figuram exteriorem, & internos mores apparenter repræsentat.

4. Geneseos 6. Noëmi ætate, humani generis vniuersitate tota ad impietatem vergente, velut contentiosâ malitiæ æmulatione, nulla quantumuis importuna & barbara prætermissa est vitiorum audacia: omnes enim cupiditatum vitæ certatim imbantur, & serpens iniquitatis consuetudo recenti morum corruptelâ indies nouabatur. Quæ iniustitiæ species: qui libidinum impudicarum modus? quæ irreligiositatis temeritas, non inter eos versabatur? *Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate. Cùmque vidisset Deus terram esse corruptam, (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram) dixit ad Noe*, &c. Mirum sanè est, & valde mirum, quòd in tantâ hominum multitudine, *omnis caro viam suam corrupisse* dicatur. Et vbi erat Sethi posteritas, inculpatos Abeli mores exprimens? Nemo, aut ferè nemo erat, qui pro pietate staret: qui virtutis caussam coram improbissimâ multitudine ageret: sic extincta erat probitatis scintilla: Cineres tantùm emortui Abeli virtutem spirant, & pietatem prædicant. Percommodè Seleuciensis Basilius hâc super re ita scribit: In hominibus, inquit, nemo erat, qui Dei amantem Abelum æmularetur: sed emortuam virtutem opinabantur, quæ tamen vel mortuo corpore loquebatur. *Quod si vel exigua virtutis reliquia in ipsis superessent, ea certissimè per vitiorum admixtionem extinguebantur, & deteriorum rerum imitatio deleuerat omne vestigium probitatis. Cùm verò hac pestifera lue corriperetur creatura, & animarum, carnisque sanie inquinaretur, Angelorum ordines grauiter ferebant, & ardentissimis vitiis indolebant.* En deploratissimam virtutis stragem, quandoquidem dudùm laudatissima Sethi progenies, quæ præclustre *filiorum Dei* nomen probitate redemerat, & Cainitarum inhibebat prauitates; nunc de pestiferæ malitiæ afflatu, & viuacis contagionis serpente nequitiâ, in sepulchro impietatis cadauerascit, facta virtutis ruina, & vitiorum trophæum. Porrò *vel exigua virtutis reliquia in ipsis superstites, ea certissimè per vitiorum admixtionem extinguebantur.* Sic frequens improborum lues, vel *filios Dei* sordidè inquinauit, vt neque exiguæ virtutis reliquiæ superessent: Abeli duntaxat virtus in emortuo corpore virtutem prædicat: Angelorum ordines inducuntur, (homines enim deerant) qui ardentissimis vitiis indolerent: (vnus Noë in tantâ populorum frequentiâ, vel ad exceptionem non computatur.) ô, qui *filij Dei* vocantur, & conuertendis peccatoribus sollerter inuigilant, cautè cum illis agant, ne peccatores suam illis rubiginem conuersatione afficient; & vel exiguæ virtutis reliquias in ipsis superstites, per vitiorum admixtionem extinguant.

Genes. 6. v. 11. & 12.

Basil. Seleu. Orat. 5. *Vel exiguas virtutis reliquias, improborum conuertendorum conuersatio extinguit.*

§. CCCCXVII.

Blanda benignitas, ex iustitia rigoribus concepta, vel iustè exasperata duriùs ferit.

Ex vulgi (opinor) sententiâ Tertullianus timet, ne suâ sibi Deus patientiâ detrahat; vt dum peccatores tandiu seculo iratum non vident, sed impios citiùs prosperari; de impunitate & beneficentiâ delictis adulari videatur. Hic est olim & nunc quorumdam sapientium humanus stupor: fortuna adridet impiis, quos largâ manu felicitatibus cumulat; repetita calamitas iustos vexat. An non duris suppliciis mulctanda & cohibenda erat impietas, quæ diu procrastinatas pœnæ minas impudenter ridet? An non indulgentia & benignitas, sæpè est delinquendi licentia, impunitatis priuilegio? quasi foueat beneficentia, quod arceret seueritas. Terreatur supplicij acerbitate, qui velut allicitur clementiæ bonitate. Quid tu adhuc de vulgo sapis? Diuinæ iustitiæ seueritatem duntaxat times, & benignitatem negligis, nec misericordiam formidas? Time ex Dei iustitia grande supplicium: sed fortè magis time ex eius misericordia grandius beneficium: sæpè enim iustitia, acerbiùs armatur ex misericordia; & de blanda olim lenitate, duriùs quodammodò exasperatur: nam misericordia iustitiam parturit, quod profundè adnotauit Anselmus: *Nascitur*, inquit, *de iustitia tua misericordia tua*. O nouos in misericordia natales! Qui non times lenitatem, de lenitatis origine saltem time: & diligenter præcaue ne duriùs puniat blanda lenitas, quàm durior seueritas. Saluianus Massiliensis agens de Christiano populo delictis perditissimo, ita fatur: *Et cùm hac omnia fierent, quid aliud, talis populus agebat, nisi vt cùm eum Deus perdere adhuc fortasse nollet, tamen ipse exigeret vt periret?* Scilicet Deus noster perdiu blandè benignus, & etiam dum punit, ignoscere volens, magis timendus est, ne humana vitiositas diuinæ misericordiæ abusu, eam rigoribus armet: ô timeat scelerosus peccator à diuturna Dei patientia quam humana malitia contentiosiùs prouocat! 1.

Iusti in misericordiam patrat

S. Anselm. in Proslog. cap. 11.

Saluian. lib. de Gubeg. Dei

Tobiæ 3. insana vxoris verba ægrè tulit Tobias, & in secessum vice oratorij mœstus pergit, Tunc ingemuit, & cœpit orare cum lachrymis dicens, *Iustus es Domine, omnia iudicia tua iusta sunt: & omnes viæ tuæ: misericordia, & veritas, & iudicium*. Hæc verba in litterali commentario inibi exposita sunt. Sed sciscitari ad mores lubet quare Tobias, eum se videt oculis orbatum, egestate oppressum, & vxoris dicteriis appetitum; in Dei etiam misericordiam tot plagas referat? Id adscribat diuino iudicio, Dei iustitiæ, & diuinæ veritati, fulminatas peccatoribus minas exequenti: at quorsum hìc misericordiæ mentio, nisi vt imploretur, quò iustitiæ rigores mitiget? An etiam à misericordia tot plagas vibratas aduersus se Tobias videt? Cæcus est, qui videt supplicia à benignitate inflicta. Iustitia punit, misericordia ignoscit, & iustitiæ rigores. Hæc notissima sunt. Sed audiendus est S. Hilarius ad thema præsens, Sed audiendus opportuniùs scribens: *Meminerimus primùm, quia Deus vniuersorum Dominus est, iustum esse, & iudicia eius recta esse. Cur enim* 2.

Tob. 3. v. 2.

Si quid est quod patimur, ex iudicio diuina bonitatis accidit.

S. Hilar. in Psal. 118.

in

in suos iniquus sit? cur in eos quos ipse genuit, iniustus sit? Bonitatis suæ immensitas non sinit istud de Deo existimare. Genuit non ad iniuriam; genuit nos non ad originis nostræ, & naturæ dolorem,(diligens & attentus excipe quæ subscribit verba) *Si quid est quod patimur, ex iudicio suæ bonitatis accidit.* tempestiuè pariter ac eleganter Hilarius. Bonitas Dei iudicia fulminat, ærumnas vibrat, & hominis patientiam acerbè fatigat: An non id est seuerum iustitiæ munus? Quid diuinæ bonitati cum humani supplicij acerba imbonitate? ô time munificam misericordiæ largitatem, ne ingratum hominem beneficiis obruat! Pœnalissima calamitas patienter tolerata, iustitiam mulcet: largior misericordia improbis diu impensa, vel ipsam Dei benignitatem quodammodò exasperat, & ad seuerissimos rigores irritat; dum ingratè impius, diuinæ etiam beneficentiæ reus sistitur: ô quàm est peracerba calamitas, quam Dei misericordia ex iustitia seuerior concepta, in homines vibrat! *Siquid est quod patimur, ex iudicio suæ bonitatis accidit.*

3. Geneseos 28. iratum fratrem timens Iacob, (infestiores enim sunt nuper charissimorum iræ.) Fugitiuus ad ignotos peregrinatur, super nudam humum ipse non inuestis, dum è cubat; silice pro puluinari admoto. Itineris pedibus confecti fatigatio somnos conciliat, in vtramuis autem dormit. Tunc Iacobus mundo surdus, cœlo oculatissimus, in somnis videt scalam terræ innixam, sed cacumine cælos pertingentem. Adest Deus manu sua scalam firmans, & Angelos ascendentes pariter ac descēdentes intuetur. Benignè illum Deus alloquitur, & magnifica in futurum spōdet. Cumque euigilasset Iacob de somno, ait: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. *Pauensque. Quàm terribilis est, inquit, locus iste? non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli.* Quid timeat hic Iacobus, quid paueat? Sacrosanctum locum, celesti visione & eloquio fulgentem, eccur appellat terribilem? Quid Iacobum sic territat? Insigniter Chrysostomus: *Stupescens Iustus propter misericordiam Dei timuit.* Pergit inibi Lipomanus: *Scalam videt, vbi & Christi excessus peragendus erat, &c. vbi opus salutis & fidei absoluendum.* Scilicet Iacobus ex somni attentione considerat, se magnifica Dei visione, & sponsione actum, videt ex se Christum Deum nasciturum, pensitat redemptionis sacramētum, & Passionis excessum in loco illo absoluendum: ecquid non timeat à tam largè benefico præditore? Non diræ calamitatis minas audit; sed tot tantaque simul beneficia rependere impar, ingratitudinis minas timet. Timet ne fortè sit tantæ beneficentiæ reus, & largior benignitas aduersum se armetur. Timet de ruptura cæli, per quam beatam cæli gloriam rimatur: timet de augustiori beneficio Christi ex se oriundi: timet de sumptuosiori excessu passionis, propter se, & ab aliquo ex eius posteris peragendo. *Stupescens Iustus propter misericordiam Dei timet.* Timet Dei clementiam, ne acerbiores ærumnæ, *ex iudicio diuinæ bonitatis accidant.* Quisquis in hac vita Deum iratum times, time etiam Deum indulgenter propitium: iratus ferit duris suppliciis, benignus obruit terreis beneficiis: ô caue ne totam Dei beneficam vim aduersum te prouoces! Dei beneficium, quo foues malitiam; contra te aduocas: quo nisi facis pietatis lenocinium, conuertis in furoris incentiuum. Si offensam misericordia punit, ecquod su-

Maiora beneficia maiorem metum incutiunt.

Genes. 28. vers. 17.

S. Chrys. ibi. Lipom. ad ea verba.

Christi Passio valdè hominibus timenda est.

P. Didac. de Celada in Tobiam.

perest peccatorum asylum? Moralissimè ergo Iacobus, tot simul excipiens beneficia, quæ Deus illi largâ manu impertit, & spondet, *Pauens inquit: Quàm terribilis est locus iste! Stupens Iustus propter misericordiam Dei timuit.*

Exodi 4. dixit Dominus Moysi reuertenti in Ægyptum: Vide vt omnia ostenta quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone: *Ego indurabo cor eius, & non dimittet populum.* Deus ne is est, qui hominis cor in malitia obdurare possit? Et quomodo Deus cor Pharaonis obdurauit? Diodorus in Catena: *Ab exhortatione incepit Deus, deinde postquam Pharao credere, eique obtemperare recusauit, mediocres in illum plagas induxit. Sic igitur dum parcit Deus, indurat, &c. Deus itaque sua clementia ac benignitate Pharaonem obstinatum reddidit*, ô! mallem Deum in hâc vitâ iratum & seuerum, quàm sic clementem & pium. Heu Dei benignitas, & misericors supplicij venia obstinationem in delictis negotiatur! ô profundam hominum malitiam, quæ diuina lenitate induratur, & amicâ Dei beneficentiâ obstinatur! Vide quantum sibi suâ benignitate velut detrahat Deus, cùm supplicij venia fiat nobis delinquendi licentia, & flagitiorum priuilegium. Ecce tibi à munificentiore Dei benignitate, acerbiora supplicia, ærumnæ, calamitates, homini in hâc vitâ dispensantur. Humana tribulatio, diuinioris clementiæ sequela est, & remissior indulgentia, seuerum iracundiæ documentum. *Verùm talis ista benignitas Dei, sicut per nimiam pietatem, facultatem conuersionis, & emendationis indulget; ita maiora & grauiora supplicia coacervat & connectit ingratis*, ait tempestiuè Veronensis Zeno: quod hîc moralissimè Tobias deprædicat cum Israëlitis factitatum.

Ieremiæ 25. Lugubris hic Propheta agens de ineluctabili Iudæorum strage, misera captiuitate, & atroci Ierosolymæ excidio, ita funeste scribit: *Facta est terra eorum in desolationem à facie iræ columbæ, & à facie iræ furoris Domini.* Lyranus cum suo R. Salomone, pro *columba* vertit, *vinositatem.* quasi dicat: *A vino furoris Domini.* Chaldæus: *A facie gladij inimici qui inebriat sicut vinum.* Pagninus, & Vatablus: *A facie iræ oppressoris.* Res planè mirissima, quòd cum inducitur Dei furor, quasi vino ebrius, & Deus ipse præ iracundiâ *oppressor* dicitur; ad explicandam diuini furoris seueritatem, *columba* nominetur. Quid miti & placidæ volucri cum tantâ furoris acerbitate, qua Ierosolymæ vastatæ sunt hostili atrociter excidio? S. Gregorius sic exponit τὸ *à facie iræ columbæ: quia in Deo nulla furoris inæqualitas reperitur. Vt enim vim diuinæ districtionis inperturbabilem demonstraret, & iram dixit columbæ, quasi dicat: Et districtum iudicium in concessu exerit, qui permanens mansuetus punit.* O quam seuerè punit ille, qui non de affectuum subita inconstantia quæ varietati subiecta est; sed imperturbabili rationis iudicio, & permanēs sicut columba, mansuetus punit! P. Sanctius eruditè putat Leonem esse Iudæ insigne. Columbam verò stemma Assyriorum. Columba ergo Assyria duellans cum Leone Iudaico, illum deuicit, protriuit, & detriumphauit. Heu, mansuetudo columbæ, Leonis exaiment furorem. Denique ad præsentem thesim tem estiuus, ita hunc locum exponit P. Maldonatus: Alij, inquit, existimant Deum columbam vocari, sed miris modis interpretantur. *Ego sic: Deum vocari columbam ad si-*

4.

Exod 1. vers. 21.

Diodor. in Catena Lip.

Malus Pharao, qui Dei benignitate obseratur.

S. Zeno ser. in Euang. secundum Lucam. Hic vers. 5.

5.

Ieremiæ 25. vers. 38.

Caue tibi à facie iræ columbæ, quæ in furorem tandem exasperatur.

S. Greg. 32. Moral. c. 6.

Sanct. ibi.

Mald. ibi.

gnificandum, quamuis mansuetissimus sit, tamen multitudine peccatorum ad iram prouocatum esse. Potest autem יונה diuersis punctis, vel columbam, vel opprimentem, vel inebriantem significare. O caue tibi ab hactenùs columba, & perdiu mansuetissimo; qui tandem multitudine peccatorum ad iram prouocatus, ita velut ebrius, & oppressor nuncupatur. Porrò blanda olim benignitas, iras nutrit, & impudenter prouocata, ad peracerbam vltionem nimis exasperatur.

1. Tertul. l. de Pœnit. c. 2. Tertullianus qua solet grandi loquentia, ita hâc super re fatur: Deus, inquit, postquam tot ac tanta delicta humanæ temeritatis, è principe generis Adam *auspicata*; post condemnatū hominem cum seculi dote, post eiectū paradiso mortique subiectum: *Cùm rursus ad suam misericordiam maturauisset.* Ita habent Pamelij codices. At Rhenatus, ita priùs scripserat: *Cùm rursus ad suam misericordiam errauisset.* Deusne is est, qui cùm ab ira suppliciis exsatiata, ad suam benignitatem rediit, *errasse* dicatur? Error Deum dedecet, qui scopū sēper rectâ collimat. Sed viderint homines an hâc in re ipsi sint qui *errant*, dū misericordiam & lenitatem potiùs in hac vita malunt, quàm iram delictis nostris supplicia durè vibrantem: ô mallem nunc Deum iratum, quàm sic propitium: ô semper in humanis auribus tinniat hæc Dei vox: Ego quos diligo, arguo & castigo! Hic vre, hic seca vt in æternum parcas.

---

§. CCCCXVIII.

Bona punientis opinio, & celebris prudentiæ fama, acerbior pœnalissimæ punitionis vigor est.

2. Malè de te opinantur homines. Sed mali. Moueret, si de me Marcus Cato, si Socrates, aut Plato ista opinaretur. Nunc malis displicere, laudari est. Quorundam vituperia valdè iuuant ad laudis suffragium: æqua enim laus est, & à probis probari, & improbis improbari. Non potest vllam auctoritatem habere sententia, vbi qui damnādus est, damnat. Adhuc angeris, quod malè de te censeant, & suo non bono censu aduersus te garriant. *Moueret, si iudicio hoc facerent:* nunc morbo faciunt. Non de me censent, aut loquuntur, sed de se. Benè nesciunt sentire, aut loqui: faciunt, non quod mereor, sed quod solent. Moueret, inquam, si iudicio id facerent, nam qui iudicio damnat, verè damnū infert: neque enim tantùm pœnali cruciamēto corpus ferit, sed bonam etiam opinionem adæquatè sauciat. Plagam quam stultus aut iracundus infligit, infligentis stultitia, aut iracundia sanat; & ipsum periculum, à periculo asylum offert. Neminem ab his damnari pudet, neminem pœnitet: denotatus, ridet; accusatus, non se defendit; damnatus, gratias agit. Quid hoc mali est, cuius reus gaudet? cuius accusatio votum est, & pœna felicitas? Cōsulite commentarios vestros, (ait Tertullianus ad Romanorum Præsides) illic reperietis primùm Neronem in hâc sectam (Christianorū) cùm maximè Romæ orientem, Cæsariano gladio ferocisse. *Sed tali dedicatore dānationis nostræ gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest, non nisi grande aliquod bonum à Nerone damnatum.* Itaque vt laus est ab improbo improbari, ita grande damnum, & irremediabilis iactura est, à probo improbari, nam cùm pœna corporis, bonam simul opinionem nimis sauciat. Qui cum iudicio damnat, acerbiùs excruciat, probitas damnantis, exaggeratio pœnæ est. Laus est Iobi & Tobiæ, ab iis affligi, & vituperari, à quibus laudari, non longe forsan à probro foret. Ad pœnæ autem exaggerationem Israelitas hic dicit à Deo consultissimè castigari. Hic v. 2.

Grauiùs ferit, quisquis iudicio damnat.

Seneca de Remediis fortuit.

Gloriatur Ecclesia, quòd eius persecutiones Nero dedicauerit.

Tertull. Apol. cap. 5.

2. Psalmo 2. sic Pater Deus Christum suum adloquitur. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Per quæ verba, perspicuum est, durissimum prædici supplicium, quo inobsequentes, & regi suo Christo rebelles, castigandi sint. Non conuenit inter expositores, ecquod sit hoc supplicium, à quo, & in quos infligendum. Euthymius sic locum eruditè exponit: *Significare mihi videtur his verbis Propheta, Romanorum Imperium. Etenim cùm Christi regnum negarent Iudæi, sub Imperio Cæsaris se esse affirmantes, Cæsaris meritò potentiam sustinuerunt: à qua prorsus penè perditi sunt. Ferream verè eam dixit, veluti validam ac fortem: nam & Daniel in visionibus suis ferream eam etiam appellauit.* His verbis Euthymius exponit quam durè & acerbè Iudæi à Romanis castigandi forent. Ne quis autem putaret diris dumtaxar stragibus Iudæos à Romanis vexandos, & male concidendos esse; postquam dixit Propheta: *Reges eos in virga ferrea, tanquam vas figuli confringes eos*, continuò subdit: *Et nunc Reges intelligite: erudimini qui iudicatis terrā.* Quare ante mille annos Romanorum Imperatores, seuerioris supplicij executores designati, ad sapientiam excitantur? Quid auita intelligentia, & multimoda eruditione Imperatoribus opus est? Puto, durior miles è cōfragoso veniet, quàm ex gymnasio. Quid otio litterarum, cum operoso belli negotio! Feriendi sæuitia, & agrestè armorum tractādorū ingenium, in castris discitur, in scholis dediscitur. Dedicatus veniet è Bibliothecis miles. Quid ergo ad supplicij rigores, *intelligentiam & eruditionem*, in Romanorum regibus expotat? Peregrinè idem Euthymius, sibi concinens, notat, quòd postquam Romanorum reges tanti supplicij administros elegit, statim subdit: *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Dictio Nunc, hoc in loco rationem reddit: ac si dictum esset: Et propterea vos ô Romanorum reges, vosque ô Iudices qui in vniuersa estis terra, ex quo addiscere potuistis, quātis calamitatibus oppressi fuerint hi qui Christū hūc temerè reprobauerūt, vos omnes inquam moneo, sapientes estote, & deiectā priori illā amentiā, erudimini tum ab iis, tum à scripturis etiam diuinis.* Scilicet vbi primùm dixit Propheta, Romanos ante tot secula destinatos esse, vt *virga ferrea* malè concidāt Iudęos, & tot strages edāt; continuò, ne quis eos barbaros & agrestes reputet, & inde Iudæos acerbiùs punitos excuset, subdit: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terrā. Dictio Nunc hoc in loco rationem reddit: ac si dictum esset: Et propterea vos, ô Romanorum reges, vos omnes inquam moneo, sapientes estote, & abiecta priori illa amentia, erudimini, tum ab iis, tum à Scripturis etiam diuinis.* Quasi dicat: Verè *virga ferrea* ferientur Iudæi Christi negatores, si non tantùm atrocitate supplicij infligendi per Romanos, sed etiam illorum celebri

Non tam pœna, quàm iudicium punientis vrum lamiat.

Euthym. infra allegandus.

Psal. 2. v. 10.

Euthym. ad eum locum Psalmi.

celebri *intelligentia* opinione mulctentur. Eruditior Romanorum sapientia, ad omnem prudentiam & iustitiam excu ta, rerum excusationibus aditum præcludet; nec pu abitur agrestis sæuitia, sed seuera iustitia. Quantum punientis auctoritati adiicitur, tantùm Iudæorum excusationi detrahitur, ad pœnæ incrementum. Romanorum gladius, ad corporum excidium exacuitur; eorundem prudentior eruditio, ad famæ strages ante tot secula consultiùs præparatur, tela confodient corpora, prudentior sapientia, punitorum opinionem, de punientis iudicio sauciabit. Pœna corpus ferit; bona ferientis opinio, rei castigati famam laniat. O quàm sunt timenda tela, quæ iudicium vibrat! Quis refigat iaculum, quod opinio iaculantis infixit? perpetuo hærebit lateri

1. lethalis arundo, nullo medicamine refigenda.

Matthæi 26. comprehenso Domino, destinâ trahitur in domum Pontificis, qui concilio seniorum præsidebat. Solemnis iudicij forma specie tenus ritè peragitur: testes in concilio sistuntur, reus interrogatur de crimine, & quem dudum inconsulta inuidia prædamnauerat, auctoritate consultissimi Senatorum concilij tandem damnare satagit, vt eò grauior esset pœna, quo à sublimiori damnantis auctoritate venit. Videns autem Iesus se non tantùm ad mortem crudelissimam addici, sed auctoritate consilij iudicantis condemnari, ad exaggerationem pœnæ, qua non tam corpus tormentorum lanienæ; quam eius etiam opinio famæ laceratione excruciabatur; tunc tempestiuè dixit: *Veruntamen dico vobis, amodò videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.* Quod idem Euangelista nuper retulerat, aiens; *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua.* Quare Christus cùm auctoritate totius concilij videt se damnari, maiestatem qua apparebit in supremo iudicio confestim allegat? Cur tanta auctoritas Christi iudicaturi in vltimo iudicio vbique inducitur? Quid necesse est, vt tunc appareat in sede maiestatis, & à dextris virtutis Dei augustissimè sedens? Enucleatè ad rem Tertullianus: *Duobus enim aduentibus Christi significatis, primo qui iam expunctus in humilitate conditionis humanæ; secundo qui concludendo seculo imminet in sublimitate diuinitatis exerta.* Scilicet cùm Filius hominis iudicis personam aget in supremo mundi iudicio, tunc in summa maiestate, & à dextris virtutis Dei apparebit, splendidioribus diuinitatis notis augustior. *In sublimitate diuinitatis exerta;* vt non solum reprobos ad atrocissimas gehennæ pœnas consecret; sed dum de *diuinitatis exerta sublimitate* condemnat, rationabilis pœna de sublimiori iudicis auctoritate veniens, acriùs puniat, dum damnatorum opinionem acerbiùs dilacerat honoris laniena. Exinde cum iamiam cadentem sententiam contra se de consultissimo Senatorum consilio Christus aduertit, tantò acerbiorem, quantò Senatus putabatur consultior; tunc, tunc quidem consultissimè adducit finale iudicium, cui ipse in augustiori maiestatis suæ solio Præses sedebit, à dexteris virtutis Dei, *in sublimitate diuinitatis exerta.* Vbi hi Senatores, qui concilij auctoritate bonam Christi opinionem lacerare moliti sunt, summa iudicantis Christi auctoritate, à dextris Dei sedentis, & radios diuinitatis splendidiùs reuerberantis, pœnaliùs condemnetur. Exerta Christi iudicantis diuinitas rationabilem comprobat inflictam

Cur Christus damnandi concilio summam sui maiestatem in finali iudicio proponat.

Matth. 26. v. 64. & cap. 25. v. 31.

Tertullian. Apol. cap. 21.

P. Didac. de Celada in Tobiam.

damnatis pœnam, & inde tormenti acerbitas exaggeratur.

Lucæ 23. Pilatus officiositate crudelis, Christum ad Herodem remittit. Gaudet Rex festiua ad nutum miracula expectans; sed Christi seuera taciturnitas Herodis spem constanter fefellit: qui corporatam Dei sapientiam, contempsim insipientiæ damnat. *Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo: & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum.* Nempè ab eo damnatur Christus; quasi vesanæ stultitiæ reus, à quo probrum foret absolui. Scelestissimi hominis iudicium, Christum dum probrosè damnat, gloriosiùs absoluit? & è peruerso nobilitat. Qua super re ita Philosophatur Ambrosius: *Nam otiosum quòd veste alba induitur ab Herode, immaculatæ tribuens inducia passionis, quòd agnus Dei sine macula cum gloria mundi peccata susciperet.* Scilicet cùm Christus ab Herode, ab Herode inquã iniquissimo, stultitiæ damnatur: veste alba consultissimè induitur, vt Saluator præclara innocentiæ notacula damnatione præferat & mundi peccata passione sua luenda, *cùm gloria* suscipiat. Porrò sicut à probis improbari, ingens probrum est; sic improbari ab improbis, insigne innocentiæ est, & damnationis gloriosa commoditas. 2.

Lucæ 23. v. 11. *Herodis damnatio, illustrioris gloriæ commoditas est.*

Ambr. ibi.

§. CCCCXIX.

Rationabilis pœna, scelus, non scelestum persequitur.

Aliquando castigatio necessaria est, ne de impunitate insolescat malitia, & non bono exemplo flagitiosiùs serpat: sed hæc fiat sincera cum ratione: non enim nocet, sed medetur specie nocendi. Itaque corrigendus est is qui peccat, primùm blanda beneuolaque admonitione. Non emendatur lentis mollibusque: vt vtatur asperis austerisque remediis: meliorque tam sibi quàm aliis faciendus est, non sine dura coercitione, sed sine odio & ira. Quis enim cui medetur, irascitur? At corrigi adhuc nequeunt? Tollantur è cœtu mortalium, & quo vno modo possunt, desinant esse mali; sed hoc sine odio. Quid est enim cur oderim, cùm maximè prosum, cùm illum sibi eripio? Non est illa ira sed misera curatio. Nil minùs quàm irasci odisseque punientem decet: cùm eo magis ad emendationem pœna proficiat, si iudicio lapsa sit. Ergo ad coercitionem errantium sceleratorumque, odiente iratoque castigatore opus nõ est: nam cùm ira odiumve peccatum animi sit, non oportet peccata corrigere, sed peccantem: odium autem peccantis, non illi bonum correctionis, sed molestiæ malum procurat affectũ peruerso vltionem, non pœnam intendente. Differunt autem pœna & vltio: nam pœna eius qui patitur gratia fit, vltio verò eius qui facit. Ergo bonus motum pædagogus, delicta persequatur, non delinquentem, flagitia auersetur, non flagitiosum, cuius potiùs misereri beneuolentiùs debet, quo miseriorem videt. Puto non irascitur peccatis qui irascitur peccatoribus. 3.

Bonus corrector, peccatis, non peccantibus irascitur.

Hic vers. 5.

Isaias nobilis & Euangelicus Vates, (cui sicut in prosperis, sic etiam in duris Euangelistæ appri- mè concinunt) hanc impiis sententiam Dei nomine fulminat: *Et egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extingue-* 4.

Isaiæ 66. v. 24. Marci 9. v. 44.

tur: & erunt vsque ad satietatem visionis omni carni. Omitto nunc Damnatorum conscientiam perennante vermium mortificatione corrodi, sero perpetuæ corrosionis sensu, inexpiabilē iam culpam frustrà incusante. Mitto etiam æternum dedecus, spectatorum semper oculis lancinantibus exulceratum. Et sciscitari curiosiùs lubet, quo pacto inferorum ignis, qui viua damnatorum cadauera misera vstione decoquit, *inextinguibilis* dicatur. Quomodo sacer ille ignis, voracis suæ naturæ oblitus, Damnatorum liquentia viscera non absumit; sed vnde damnata natura dat pabulum, inde quodammodò accipit incrementum? Ebrius semper voracitate ignis, sic apud inferos sobrius est: Viuit ignis de sui pabulo, & rursùs de igne pabulum reparatur: Arcanum gehennalis ignis mysteriū subtiliter edisserit Emisenus (aliàs aliorsùm enucleatur) *Ignis eorum non extinguetur. Illa enim non casualis: sed rationabilis & pœnalis exustio, quia culpam iubetur inquirere, substantiam nescit absumere.* Scilicet inquisitor & punitor ille gehennæ ignis, dum scelerati culpam, quam puniat, sagacius perquirit, scelerati substantiam nescit absumere. Parcit peccanti, & peccatum medullitùs adhuc hærens, pœnali exustione persequitur. Exindéque forsan *rationabilis* dicitur, quia rationalem normam punitionis tradit, non absumens substantiam, sed culpam pœnalissimè vt par est, perquirens. *Illa enim non casualis, sed rationabilis & pœnalis exustio, quia culpam iubetur inquirere, substantibus nescit absumere.* Damnato quippe remanet quod damnat, præteriit quod delectat: consummata iniquitas permanet, voluptas fugitiua pertransit: tardè siquidem sibi displicebit in conspectu gehennalis *rationabilisque* flammæ, quæ interrogabit eius ossa & medullas, & mentis cogitationes abstrusas, omniaque omnino delicta, in conscientiæ charta descripta perleget. Cùm ergo delicta æternum maneant nullâ pœnitudine expianda, illa *rationabili* pœnalique exustione persequitur, & quam non odit damnati substantiam, nescit vnquam absumere. *Nescit*, ait Emisenus; nam sacri ignis exustio rationabilis & pœnalis, tantum scit fatigare peccata, nescit peccatorem absumere. Delictis, non delinquentibus irascitur; peccata non peccatores persequitur: & quia culpam damnati iubetur pœnali exustione inquirere, *substantiam nescit absumere.* Pulchrè quidem Emisenus.

Rationabilis gehenna ignis, quia damnati culpam iubetur puniri, eius substantiam nescit absumere.

Emisen. homil. 1. ad Monach.

3. Matthæi 18. peramplam iudicandi potestatem Apostolis Christus Deus tradit, aiens: Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erūt ligata & in cælo: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Hilarij, Chrysostomi, & Theophylacti interpretatio duriuscula videtur, qui *congregari* nihil aliud esse putāt, quàm quòd paullò antè dixit, *consentire*, id est, amicitiâ propter Christum iungi. Cùm enim Christus dicat, *Ibi sum in medio eorum*, perspicuum est, & eum de cœtu, & consessu agere, in quo se tanquam iudicem medium sedere significat. Portò, vt doctè notarunt P. Ioannes Maldonatus, & P. Didacus Daza, alludere hîc videtur Euangelista, ad Iudæorum consuetudinem, qui in Synagogis iudicium exercebant, iuxta illud Psalmi 81. *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat.* Chaldaicè, *In medio iudicum.* Vnde in more positum fuit veteres Christianos, in Ecclesiam conuenire solitos, cùm aliis de causis, tum etiam vt iudicia exercerent, & in admissa crimina publicè animaduerterent. Sic Tertullianus in Apologetico: *Castigationes ex censura diuina; nam & iudicia magno cum pondere, vt apud certos de Dei conspectu.* Quid est quod Iudicum subsellia Christiani olim in tēplis erigebant, ibique in conspectu Dei disquirebant reorum crimina, illaque pro meritis castigabant? Nil hodie tam sollerter curat Iudex, quàm præcauere ne reus in sacrosanctum Dei templū confugiat, ne loci sacri immunitate potiatur, & ius asyli in Ecclesia inueniat. Moralissimè quidèm in Dei olim templo iudicia exercebantur, disquirebantur, & puniebantur crimina; vbi de sacri asyli priuilegio, indemni securitate rei persona tuta erat. Quo palam denotetur, Christianè pios Iudices delicta, non delinquentes persequi. Ergò tutus sit reus in templi asylo, dum eius crimen inquiritur, & punitur; vt de personæ securitate charitas iudicis innotescat, dum securo reo de asyli priuilegio, merum reatum Iudex fatigat. Inde ad exercenda iudicia, non tam in carcere, quàm in asylo delinquentem collocant, vt reus in tuto positus animaduertat, non contra se sed contra reatum caussam intendi; & saluâ beneuolentia *castigationes ex diuina censura* potiùs, quàm ex Iudicis bile procedere.

Matth. 18. v. 10.

Olim in iudiciis collocabatur reus in asylo.

Mald. ibi. Daza in epist. Iacob. cap. 1. ad vers. 10. n. 11. Psalm. 81. v. 1.

Tertull. in Apolog.

4. Geneseos 42. Iosephus fratres cognoscens, & incognitus à fratribus duriùs cum illis quasi cum exploratoribus agit. Tradidit ergo illos custodiæ tribus diebus. Die autem tertio eductis de carcere, adhuc acerbè illos tractat. Et locuti sunt adinuicem. Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes, angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus: idcirco venit super nos ista tribulatio. *Nesciebant autem quod intelligeret Ioseph: eo quòd per interpretem loquebatur ad eos.* Qua super re ita acutè addubitat Augustinus: *Quid est autem, inquit, quòd cùm inter se pœnitentes filij Israel, loquerentur de fratre suo Ioseph, quòd cum illo male egerint, adiungit Scriptura: Ipsi ignorabant quod audiebat Ioseph, interpres enim inter illos erat.* Estò, prudenter fratres existimauerint, Iosephum Hebraicè nescire, eò quòd cum illis per interpretem loqueretur: at cur de garrulo & multilingui interprete, non sibi cauent? Tot annis tectiùs celatum flagitium sic temerè produnt; sic inconsulta malitia est; sic incautum scelus; de rimosa delictorum conscientia. An potiùs quia iam *pœnitentes* (vt notanter aduertit Augustinus) de delicto loquuntur, nil iam sibi cauendum putant? (ô persuasio præmaturè Christiana!) An quia asperioribus verbis, carcere, & vinculis castigatum suum facinus nouerunt, nil iam de illius publicatione, seu punitione timent? Sic nefas putatur peccati semel puniti iterare supplicium. Seuerum scilicet experiuntur Ægypti Præfectum, & mortem peracerbe minitantem; at dum per *pœnitentiam*, angorem, carcerem, & vincula, aduertunt castigatum & emendatum fuisse delictum? nil verentur illud coram Præfecto, ac Præfecti interprete palam confiteri. Sic percrebuit apud gentes, nec in barbarâ Ægypto, iustitiæ Antistitem persequi scelestum potiùs quàm scelus? Vnde dum animaduertunt, scelus *pœnitentia*, & suppliciis expunctum, nil timent coram Iudicis interprete, ipso etiam Iudice præsente, illud audacter propalare. Nam rationabilis pœna, quia culpam iubetur inquirere, culpatum nescit absumere. Laudatior

Cur Iosephi fratres, suum scelus coram interprete, produnt.

Genes. 42. v. 25.

August. in qq. super Genes.

Præfecto

Præfectorum pollitia, scelera, non scelestos (quantùm res patitur) perimere ambit. Aliud est iuridicina, aliud carnificina.

5. Tertul. l. 2. contr. Marc. c. 11. *Tibi misericordiam, rei à te malè gesta, Deus iustitiam præstat.*

Tertullianus loquens de supplicio, quod Deus præuaricatori Adamo inflixit, ita ad rem eleganter scribit: *Exindè homo* (post peccatum) *in scorteis vestibus, sed antè sine scrupulo nudus. Ita prior bonitas Dei secundum naturam, seueritas posteriùs secundùm caussam. Illa ingenita, hac accidens:* (ne te fallat insolens loquendi modus) *illa propria, hac accommodata: illa edita hac adhibita. Nec natura enim* Dei *inoperatam dabit continuisse bonitatem, nec caussa dissimulatam euasisse seueritatem.* (nota verba, quæ subdit) *Alteram tibi, alteram rei Deus præstitit.* Tibi misericordiam, rei verò à te malè gestæ rigores iustitiæ præstat.

---

§. CCCCXX.

Inopia pauperis est census diuitis: qui de misericordia opulentiâ ditatur.

1. *Cur Deus largè munificus pauperes in hoc mundo esse permiserit?*

Deus noster pauperes in hoc mundo esse permisit, vt in pauperum misericordia diuitibus misereretur, & beneficum locupletem etiam alienâ inopia ditaret. Porrò tam ingentia de egeno misericors diues lucra reportat, tam mirifico ac lucroso commercio inopi misericordia temporalis confertur, vt & de æterno cælestis gazæ thesauro opulentetur, & temporalium diuitiarum labentem fluxum, & ancipitem possessionem sistat, & in se diutiùs confirmet, largitatis beneuolæ retinaculo. Ecce tibi & diuiti, & pauperi simul consultum est. Opulentia diuitis, thesaurus sit pauperis, nequid pauperi vnquam desit, cui diuitum gazæ vectigales sunt. Et misericordia diuitis, opum congerendarum arbitrium sit: munifico enim diuiti, nihil vnquam deerit, de commercio misericordiæ nouas semper è cælo opum vsuras largiùs recipienti. Nunquam erit pauper qui semper pauperi diues est. O arcanum opum sibi coaceruandarum artificium, de misericordiæ adytis piè argutum! Sibi opes inuidet, quisquis hanc benignitatis vsuram negligit. Esto manus pauperum, diues opulentorum gazophylacium. Quicquid pauperi donas, tibi vberiùs accipis. Hinc Tobias filio suo benignitatem in pauperes, velut testamento reliquit, morti proximus, opulentum planè censum. *Quomodo*

Tob. 4. v. 10. *potueris*, inquit, *esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Premium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis.* Et hîc Deus propter benignitatem

Hic vers. 5. suam saluasse nos dicitur, qui diues est in misericordia.

2. Matthæi 24. postquam Euangelista denarrauit prodigia quæ in terris finale iudicium anteibunt; transit ad horrifica portenta, quæ supra rerum naturam prodigiosè in cælo apparebunt,

Matth. 24. v. 29. *Miraculum censetur, quòd Luna non dans lumen suum lumen in se habeat.* quò dignum impietatis terrorem audaciter impiis acerbiùs incutiat. *Statim*, inquit, *post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stella cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur.* Esto, miraculum sit Solem de se splendidum, & cælestium fulgorum conceptaculum, ad mundi interitum atrâ caligine funestari. Miraculum etiam erit, stellas à primordio cælis tenacissimè fixas, cælesti sede relictâ, in terras præcipitanter delabi. Nunc non examino cælestium Virtutum pauidum tremorem, cælis (vt opinor) peregrinantem: Sed ad rem præsentem enucleare libet, quid sit, *Luna non dabit lumen suum.* Sententia quidem, si specie tenus vibretur, censura expedita & facilis; si penitiùs emedulletur, mysteriorum grauidè opulenta. Quare Luna, (celebratum benignitatis symbolum, dum miseræ nocti, & solatio, & auxilio est, & tot beneficis influentiis terras, & maria diuitat, Solis splendoribus illustrata) non obscurari, sed *lumen suum* non datura dicitur, quod elogium potiùs quadraret in Solem? Et quid est, *non dare lumen suum?* an lumen non habere, sicut nunc de Sole dicitur? an lumen, quod in se habet, aliis non beneficè præbet? Subtilissimè Caietanus (litteralissimè, non opinor) ita præfata verba commentatur: *Et Luna* Caiet. ibid.
non dabit lumen suum. Hinc significatur, quòd Luna habens lumen suum, non dabit illud .... hic autem non dicitur, Luna non habebit, sed non dabit lumen suum. Ecce tibi cæleste prodigium in Lunâ (quæ est largioris beneficentiæ symbolum) miraculosè apparens, nec admirabilitate reliquis impar. Nempe quòd Luna accipiens lumen, quo & se illustret & alios lucendò largè illuminet, lucis & influentiarum ope; cùm aliis non impertiat luminis solatium, & influxuum largitatem, nihilo minùs ipsa in se lumen habeat. O grande prodigium, quòd cùm non det beneficum lumen, illud adhuc habeat; neque illud amittat, quia illud non dedit. O pium auaritiæ ænigma! Erogando habes, quod si non eroges, non habebis. Largiendo lucraris misericordiæ commercio, quod si non largiris, auarè perdidisti: inde accipiens incrementi vsuram, vnde credi poteras, totum te censum amisisse. Magnum ethicè miraculum, quòd non dicitur *Luna non habebit, sed non dabit lumen suum.* Nam quod habet, vt donet; dum non donat, non habere, sed amisisse videtur. Esto ergò pauperi diues, ne sis tibi pauper: da misero, ne incipias esse miser. Quod accipis, vt dones; si non donaueris, amisisti. An miracula expectas, auaritiæ indebita? de cæli gymnasio misericordiam edisce. *Milagros es que la Luna sin dar luz, la tenga.*

Ad Ephesios 2. vniuersatim præstringit Paulus eorum flagitia, qui à Christo aberrarunt; in 3.
quibus & nos, inquit, aliquandò conuersati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum, & eramus natura filii iræ sicut & ceteri. (Nota verba, quæ subdit Apostolus) *Deus autem qui diues est in misericordiâ, propter nimiam charitatem suam qua* Ad Ephes. 2. v. 4. *Deus diues est de censu donorum, quæ hominibus præstat.*
dilexit nos, &c. Profundè dixit Paulus, quòd Deus est *diues in misericordia.* Sed disquirere lubet an Deus dicatur diues in misericordia, quam habet, an in misericordia, quam facit? Scilicet (si scholæ terminis extra scholarum puluerem loqui licet) misericordia formaliter, an actiuè vsurpata? Audiendus est Hugo Carensis, qui qua solet subtilitate, ita hac super re scribit: *Deus* Hugo ibi.
qui diues est in misericordia, sicut dicitur: Iste homo habet magnum thesaurum: & misericordia Dei est quasi infinitus thesaurus. Vnde Matthæi 21. Matth. 21. v. 3.
Dicite quia Dominus his opus habet; Per asinam & pullum peccatores significantur, quibus videtur Deus indigere ad hoc vt expendat thesaurum misericordiæ suæ. Sicut dicitur de aliquo qui magnum

pace sic coagulatus & consummatus videtur, vt dixerit Clemens Alexandrinus; *Vniuersus (vt semel dicam) Christus non diuiditur. Neque enim est barbarus: neque Iudæus, nec Græcus, nec masculus, nec femina: est autem nouus homo Dei sancto Spiritu transformatus.* Id est, non venit Iudæis tantùm, aut barbaris, aut masculis, aut feminis, &c. Sed vniuersis adest, omnium concordiæ studens.

3. Geneseos 28. Esauas offensi fratris minas pauidè timens Iacobus, fugam in Mesopotamiã init. Et dum in Luzam ventum est, inibi subdio pernoctare cogitat, pro blando puluillo prædurum lapidem capiti supponens. Lassus Iacob, corporis claudit oculos somno oppressus; & ad arcana cæli oculos mentis aperit, diuinarum promissionum heres. Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quosque Dei ascendentes & descendentes super eam, & Dominum innixum scalæ dicentem sibi! Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac, &c. Cúmque euigilasset Iacob de somno, ait: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. *Pauensque: Quàm terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli.* Nemo interpretum non stupet ad hunc Iacobi pauorem. Quare *terribilem* dicit locum, vnde per fenestram sibi pertusam, res cæli & rimari & agnoscere benignissimè datur? Ecquid tam iucundum, quàm affabilem Deum coram intueri; ecquid tam gratum, quàm magnifica promissa sibi spondentem audire, ecquid delectabile, quàm consortio Angelorum potiri, & per cæli portam, velut per rimulas, rem cæli contemplari? Cuius spem ista non erigant, quæ sic pectus cælesti dulcedine adimplent? Vnde certa sperabatur lætitia, pauor nascitur? Vnde anxium eius cor tranquillari debuit, pauenda terribilitas exurgit? Quod acutè notauit Rupertus aiens: *Sed quid pauoris, vel quid terroris secundum se locus iste poterat habere? An quia Dominum in loco in somnis vidit?* Addit Chrysostomus: *stupescens Iustus propter magnam misericordiam Dei.* Nempe Iacobus breui quietis morâ magnam Dei misericordiam accipit, quæ vbi primùm euigilauit, protinùs disparuit. Ergo *terribilem* appellat locum, in quo *magnam misericordiam* breui duratam suscepit. Cælesti delibutus lætitia in somnis adgaudebat, empyreæ gloriæ lein illas per cæli rupturam emicabant, Deo præsentia, & Angelorum consortio potiebatur. Quid homini aduiantiùs? quæ vberior Dei beneficentia? Ast vbi cum breui somno terminari sublime visionis donum animaduertit; ac si magnificentius beneficium pauori esset, & mellea cæli dulcedo, angusto temporis spatio metata, foret horrori; confestim exclamat: *Pauensque: Quàm terribilis est, inquit, locus iste!* Magna misericordia, quæ breui finitur, terribilis nuncupatur: ô caduca hominum dona! ô beata cæli gaudia, quæ, de perennitate largiorem Dei beneficentiã præclariùs buccinant ad omnem æternitatem. Hinc Tobias gloriosiùs Dei laudes deprædicat, quia post breuioris moræ flagellũ, diuturnissima præstat beneficia, multis sæculis suæ posteritati duratura.

Geneseos 28. v. 17.

Terribilis dicitur locus, in quo ad breue tempus, magnum beneficium accipitur.

Rupert. ibi. S. Chrysost. ad eum locum.

Hic. vers. 2.

4. Cùm agitur de Dei promissionibus, persæpè legas in Biblijs perpetuam munerũ durationem quæ nulla temporum inconstantia euariat, aut diuturnitas exedit annorum continuo morsu. Pactum sempiternum dicitur, æternum fœdus, misericordia in seculum, & in seculum seculi. Porrò summam Dei liberalitatem decet dona sine pœnitentiâ largiri: & nisi per humanæ malitiæ vesanam ingratiam, diuina excidant beneficia, eorum gratia nunquam reuocaretur. Nos autem scelerosis actibus Deum cogimus largitiones repetere, & quasi illatâ vi reuocare donata. Sed interim nota, quod pulchrè Clemens Alexãdrinus adnotauit de Romanis, qui res præclarè gestas in pace ac bello Deæ Fortunæ tribuebant, & eam quasi Deam maximam prædicabant: *Posuerunt*, inquit, *eam in sterquilinio, dignum Deæ templum, secessum tribuentes.* Et quidem consultissimè. Profectò aut Fortuna toruo supercilio se præbet aduersam; & sic digno *secessu* absentetur, & procul squalidè arceatur, immitiæ calamitatis digno cultu: rarus enim fuit ante Christianismum aduersariis peruerso gratus officio. Quod si Fortuna blandiùs adrideat, honoribus sublimet, opibus augeat, & pergratis muneribus impleat cumulatiùs: ea tamen sunt Fortunæ munera, quæ pectus non implent: nam caduca sunt, vitrea, volatica, fugitiua; & quæ eadem qua veniunt, abeunt via: adeò vt largior præbitio, auaræ ablationis sit vel augurium, vel initium: nam inconsulta felicitas, quæ de casu temerario venire putatur, sic inconstantiæ obnoxia est, vt vices cum infortunio reciprocet. Meritò ergo Romani arcanioris prudentiæ fastu, Deã quæ tribuit inconsulta & fugacissima dona, quæ neque accipientem electione honorant, neque fugitiua acceptione opulentant; idoneo munerum vilipendio, *posuerunt eam in sterquilinio, dignum Deæ templum secessum tribuentes.*

Fortunæ nunquam fugitiua dona tribuẽs, in sterquilinio ab ethnicis colitur.

Clem. Alex. in Adh. ad Gent.

§. CCCCXII.

Prædicator, qui cùm videtur, & cùm auditur idem est, Redemptoris vocabulum ambit, & piè æmulatur.

5. NOn exundans rhetorum facundia, politulæ dictionis calamistro ad mulcẽdas aures cõcinnata, quæ laciniosa verborum pompa oratoris parit admirationem, potiùs, quam audientiũ persuasionem; non inquam, puchella sermonis elegantia, re sermonis exsucca, Euangelij austeritatẽ hominibus persuadet. Illa, illa inquam, est mascula adhortatio, & victrix persuasio, quam comptior eloquentia non effeminat, nec elegantiæ lima captiuat. Vitæ eloquentia, & morum elegantia nouorum operum stilo descripta, in ieiuna etiam verborum inopia, vltrò Euangelium persuadet, & Christo Deo in hominum conuersione feliciter cooperatur. *Magisteriũ* (ait Chrysologus) *stat ex scientia, sed magisterij auctoritas constat ex vita. Quod verbo asserit, demonstrat exemplo. Scientia ergo illa vera est, quæ fuerit mixta virtuti: illa, illa diuina est, non humana.* Ideò à Dei populo moribus reformato, Dei magnalia prædicari Tobias hìc expetit. Prædicator, qui sanctioris vitæ probitate oculis, & simplici sermonis veritate, auribus, æquè loquitur; qui, cùm eum audieris, & simul videris idem est: hic illas piè velut arrogantes Paulli voces vsurpare potest: *Adimpleo ea, quæ desunt Passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est*

Morum potiùs quàm linguæ elegantia, est sermonis vigor.

Chrysol. ser. 167.

Hic vers. 5.

Coloss. 1. v. 24.

Eccle

Ecclesia. Id est, ego Christi Apostolus, & prædicator Eangelij destinatus, tot angoribus, ærumnis, & calamitatibus exitus, quasi exul mundi, viuus martyr, spirans cadauer, eâ mundi penuriâ & inuidia vtor, qua verborum foris sonantium inanitatem adipo, & vigorem sermoni pespiro, vt quæ desunt Passionum Christi supplere ualeã. Quia quod Christus quoad sufficientiam, patiendo abundè promeruit; ego per vigorem, quem exempla verbis afflant, quoad efficaciam singulis affatim applicare obnixè adlaboro, & de corredemptricis gratiæ officiositate præsumo. Quasi dicat Paulus: Non mera Euangelij verba, quasi aliena prædico; sed diuiniori gratia suffultus, de operum energia, vigorem verbis mutuare sollerter procuro; vt ita redemptioni comparari ualeam, & pio quodam Euangelicæ prædicationis fastu dicere: *Adimpleo ea, quæ desunt Passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia.*

2. Exodi 35. in vasta deserti solitudine sedet Deus populi sui consultissimus legislator. Et post plures leges scriptas & promulgatas ad morum pædagogiam, adhuc alias dictat, quod necesse fuit præstitisse genti, quæ suffocabatur à vitiis. Et ait Moyses ad omnem cateruam filiorũ Israël: (*Caterua* appellatur ingenua Israëlis progenies, cùm legibus obnoxia denotatur; sanè immerita, cui per legum veniam suppatatur obsequij disciplina) *Iste est sermo quem præcipit Dominus: Separate apud vos primitias Domino.* primitiarum oblationem à suo populo la'â lege expetit Deus, quas vberrim Deo soluisse Tobiam non sine contribulium probro denarratur. Quid Deus de primitiis offerendis iubeat in litterali commentario vberiùs tradidimus. Nunc expendere oportet ad thema præsens quod Origenes de hac re subtiliùs adnotauit: *Sperat*, ait, *primitias Domino. Alia littera: Sumit à vobis ipsis redemptionem Domino. Omnis qui concepit corde, offerat initia Domino. Non vult Moyses vt aliquid offeras Deo, quod extra te est.* Concepisti corde munus Euangelici Prædicatoris, id est Apostolici, in Ecclesia obire, & vicariam Apostolorum operam in hominibus conuertendis Redemptori mutuate; si ex alieno id sumas, planè non satisfacitur. De Tullij, Demosthenis, aut Quintilliani oratoriâ, verba dabis artificiosè composita, argutè limata, fucatè putida, & inde fructu suo vacua. Afluta rerum sapientia, & peregrina verborum elegantia, quam cordis officina voto non excoquit, & in mores non digerit nec virtutis feruore calentem, per linguam euaporat; quasi rem alienam verba recitans planè garrit, non euangelizat; foris aures pulsat, non se cordibus inuiscerat; auditum mulcet, non extorquet assensum; circa terrenas aures perstrepit, non facit animos quasi dè cælo attonitos, nauseare ad sæculi vitia, ad Euangelij virtutes hiare. Cupis cum Paullo in Apostolicæ prædicationis munere, *adimplere ea, quæ desunt Passionum Christi*; & Dominicæ Redemptionis sufficientiam, dignè prædicando efficacem facere? *Sume à te ipso Redemptionem. Non vult Moyses vt aliquod offeras Deo, quod extra te sit.* Vitæ tuæ eloquentia, & viuida morum elegantia ad omnes sanctitates studiosa, sit Euangelicæ prædicationis vigor, & felix Euangelij suadela. In cordis fornace, excoctus sermo, dum incanduit in opere, inferni minis micanter scintillat, horrendum tonat, & totam gehennam audientibus fulminat. De studio Dominicæ passionis æmulandæ, beatas humanarum Passionum calamitates, mitiores reddit, & existimatas virtutis austeritates exarmat: & omnem pietatem suo citiùs exemplo, quàm sermone persuadet. Malè qui alienus est à re virtutis, virtutes ore afflabit. (*Nec alius id, quàm qui possidet, dispensat*) In re sit Redemptionis fructus, quem aliis impertiri impensiùs negotiaris. *Sumite à vobis ipsis redemptionem Domino:* Sic iuuat Origenis ductu hunc locum ad mores deriuare, tametsi alius sit eius litteralior sensus, vt nuper inibi tradidimus, in Exhodi litterali, & morali succinctâ expositione.

Exod. 35. v. 4. Tobiæ 1. v. 6.

Origenes apud Gloss. ibi.

Concinatoribus præcipitur, vt sumant à se ipsis redemptionem Domino.

Tertull. de Patient. cap. 1.

3. Canticorum 4. diuinus sponsus desponsatæ sibi Ecclesiæ eximiam elegantiam sinceri amoris penicillo graphicè depingit. *Quam pulchra es,* inquit, *amica mea, quàm pulchra es!* Nec sat cælesti amasio visum est, sponsæ elegantem formam gratiæ manibus factam vniuersatim commendasse; nisi deinde eius oculos, capillaturam, genas, dentes, labia, verba, cunctas amœnitates spirantia, congruis epithetis sigillatim expressisset. Vnde tanta sponsæ, id est Ecclesiæ venustas? *Duo vbera tua*, inquit, *sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis.* Sanctos Ecclesiæ Doctores, & electissimos verbi Dei præcones, sub duorum vberum metaphorâ commodiori sensu commendatos, arbitrantur Gregorius Nyssenus, Theodoretus, Cassiodorus, Gregorius Magnus, Philo Carpathius, Aponius, Beda, Anselmus, & alij. Cæterùm rationem huius metaphoræ idoneam scribit Strabus Fuldensis, sic ad ea verba tempestiuè fatus: *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli, &c. Duo igitur vbera, Prædicatores de duobus populi, &c. quia hoc paruulis in Christo infundunt: qui sunt hinnuli capreæ, quia acutè quæ sunt agenda, discernunt, & veloci cursu operationis de valle lacrymarum auolant. Gemelli, quia eandem fidem prædicant; quia ne lac quod erogant, in eis deficiat, pascuntur in floribus Scripturarum; & exemplis Sanctorum.* Ecce tibi eximios Ecclesiæ Prædicatores, tanquam hinnulos ad rem sapientiæ visu perspicaces, & ad perfectionis ardua cursu faciles: qui in Scripturam amœnitatibus pascuntur, & sanctis virtutum exemplis adipantur, vt reliquis quasi in Christo paruulis, doctrinæ lac exactiùs elaborent, & ad congruam alimoniam vberiùs exhibeant. Ergo ad rem præsentem sic Paraphrasis Chaldaïca hunc locum exscribit, & luculenter exponit: *Duo vbera tua, quasi duo hinnuli.* Id est. *Duo Saluatores tui, qui te saluaturi sunt, similes sunt Moysi & Aaron, qui comparati sunt duobus hinnulis gemellis: & pascebant populum Israël per merita sua quadraginta annis in deserto, mannâ & auibus pinguibus, & aqua putei Miriam.* Et qui sunt isti duo *Saluatores*, seu Redemptores, quos sic auidè Dei populus olim expectabat; qui *per merita sua*, sicut Moyses & Aaron in deserto, ita Christianum populum cælestis doctrinæ pane abundè pascerent? Expectatissimus Messias Christus Deus, mundi *Saluator*, Redemptor primus ex illis est, qui *expectatio Gentium*, fuerat nominatus. Ecquis est alter *Saluator*, huius magni Saluatoris inferior administer sicut Aaron aspectu ad Moysen, cuius interpres & minister fuit? Num est quiuis idoneus verbi Dei præco, qui magni Saluatoris in conuertendis hominibus vicarias gerit vices? Qui per *merita sua* dignus

Cant. 4. vers.

Apud Ghisler. ibidem.

Strab. Fuld. ibidem.

Concionator qui per merita sua auditores promouet, dici potest Saluator.

Paraphrasis Chaldaica.

gnus Euangelij administer, verbo Dei populos pascit, tam excelso *Saluatoris* vocabulo meretur honorari? Profectò sicut Paullus eximiæ virtutis, & prædicationis merito, de se dixit, quòd *adimplet ea, quæ desunt Passionum Christi, in carne sua:* & inde *sumens à se ipso redemptionem Domino*, quodammodò secundarius, *Redemptor*, aut Corredemptor potuit appellari: ad eundem modum qui *per merita sua* dignè Dei populum pascit, ferè alter *Saluator*, magni Saluatoris in saluandis hominibus administer poterit nuncupari. Quia Iosue fuit Saluatoris vmbra, *Saluator* dicitur: ergo quia Apostolicus Prædicator verbo & opere adimplet ea, quæ desunt Passionū Christi, in conuertendis reapse hominibus, quodammodò *Redemptor*, aut *Saluator* appellari poterit. O ad quàm excelsam vocabuli sublimitatem asciscitur, qui verbi Dei negotium dignè pertractat! O piè propè superbum Prædicatorum elogium, cui cælum inuidet, quod Cælites æmulantur! ô! *à te ipso sume redemptionem Domino.*

4. Marci 3. v. 36. Chrysost. ibi. *Concionator Deiparæ dignitatem æmuletur.*

Addit Chrysostomus Concionatorem obire quodammodò Deiparæ officium, atque eius nomen & dignitatem æmulari. Exponens enim illud Marci 3. *Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater mea est* (quæ verba dixit Iesus, Discipulos circunspiciens) ita fatur: *Iesu quidem aliquis mater efficitur prædicando: quasi enim parit Dominum, quem cordi audientium infuderit.* O augustissima Concionatorum dignitas! Deipara Christum hominibus semel peperit; Concionator in hominibus quotidie parit.

§. CCCCXIII.

Non tam sermonis, quàm vitæ elegantia, rem virtutis felici velut omnipotentia persuadet.

1. *Morum elegantia, virtutum suadela est.*

NOn concinnata nitidi sermonis garrulitas, nec ornatioris facundiæ arte calamistrata verba; sed infucata virtus, & vita exactior firmæ in iis quæ proposuit, constantiæ probitatem feliciùs loquuntur & faciliùs persuadent; & dum virum suum loquuntur, eius virtutes afflant. Non est muta virtus; etiam dum muto ore silet, eloquenter linguata est, dum non verborum, sed morum elegantiâ res fortissimas docet, non in verbis sollicita, sed in exemplis sedula. Non dubito quin diuinior prouidentia omnes mundi ætates sanctissimis viris adornarit, eisque talem suadendi facultatem operando dederit, ne aut exemplum cuiuis seculo deesset, aut conuitium. Sterilis est sermo, qui in facundiæ lepore scortatur; virtus etiam dum tacet, fortiùs loquitur, & per sensuum rimulas commeans, sese animo ingerit, & sensim conuiscerat. quasi probitatem non tam persuadeat, quàm affricet. O! non tam ad naturam & rationem, quàm ad similitudinem viuimus.

2. Ezechiel cap. 10. hanc vidit & descripsit visionem, de cæli penetralibus moralissimam: Cherubim, inquit, stabant à dextris domus, (templi inquam) & nubes impleuit atrium interius. Et eleuata est gloria Domini desuper Cherub ad limen domus: & repleta est domus nube, & atrium repletum est splendore gloriæ Domini. Addit præfatos Cherubinos concussisse alas seu pennas, de quibus notat: *Et apparuit in cherubim similitudo manus hominis subtus pennas eorum.* De his ergò pennis seu alis sic scribit Propheta: *Et sonitus alarum Cherubin audiebatur vsque ad atrium exterius, quasi vox Dei omnipotentis loquentis.* Nempe sonitus, quem edebant Cherubinorum alæ, sub quibus erat similitudo manus hominis, clarè audiebatur in exteriori atrio templi, vbi profani & laici homines stabant. Sed qualis erat eiusmodi alarum, seu humanarum manuum sonitus! *Quasi vox*, inquit, *Dei omnipotentis loquentis.* Grande quidem in mysterio documentum! Sonitus quem edunt manus hominis vocem Dei omnipotentis loquentis imitatur. Perbellè inibi ad rem Hugo: *Sonitus alarum est forma virtutum Sanctorum, & exempla eorum.* Scilicet sonus non ore resonans, & compro elegantiæ ornatu virtutes altè buccinans, eos efficaciter suadet, & vitia detriumphat; sed sonus, quem edunt alæ Cherubinorum, sed manus humanæ quæ illis subsunt, adeò efficaciter mouet, ac si in opere audiatur *quasi vox Dei omnipotentis loquentis.* Quasi dicat Propheta: Cùm vox humana efformatur linguæ & palati ingenio artificiosè modulata, & ornata exquisitæ elegantiæ pigmentis, ad soni leporem, & aurium gratiam eiusmodi vox suum hominem loquitur, redolet hominem, hominem suum sapit. Ast cùm hominum manus bono opere vocem expediunt, & vitæ eloquentiâ, morumque elegantiâ, virtutes loquuntur; in fucatâ vi, & arcano suadelæ impetu, sic spectatores permouent, sic eorum animos transuersum agunt probitatis exemplo, vt videatur *quasi vox Dei omnipotentis loquentis.* O vocis omnipotentis Dei efficaciam! Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentiâ. Voce Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. O quàm est actuosa Dei vox, agnatæ omnipotentiæ viribus operatoriæ! Ipse dixit, & facta sunt, quia Dei dicere, fecisse est. Quibus verbis exponi exaggeratiue potest, quàm sit potens ad suadelam morum tacita elegantia, cùm sonus quem edebant alæ seu manus hominum, sic in exteriori atrio, vbi stabant profani & immundi homines, audiebantur, vt *quasi vox Dei omnipotentis loquentis* ad efficaciam persuasionis videretur. Semper Deus operans, omnipotentiæ suæ virtute operatur; at cùm additur omnipotenter loqui aut operari, virtutis omnipotenter operandi actuosior efficacia cum quadam epitasi palam exprimitur. Ergò manuum sonus, (dum bono operum exemplo virtuti plauditur) cùm hominis sit, sic est potens ad suadelam, sic viuide vitia extirpat, & pietates allinit, vt immundis etiam hominibus in atrio exteriori profanè versantibus, *Quasi vox Dei omnipotentis loquentis* videatur. O taceat eloquentior linguæ facundia rhetoricæ calamistris concinnata, dum virtutis mores vocales sunt, & elegantia mutè linguata. Atrium exterius immunditiis profanum non tam oris persuasione, quàm manuum quasi omnipotenti voce, Dei omnipotentiam æmulanti, ad munditiei nitorem, & virtutum puritatem feliciter reformatur.

Ezech. 10. v. 8.

Sonitus quem edunt manus, dicitur vox Dei omnipotentis.

Hugo ibi.

3. Ioannis 12. Christus Dei corporata sapientia, viuidâ concione hominibus cæli doctrinam suadere satagit: sed Iudææ gentis cognata obstinatio veritatem refutat, & vocationis gratia tenuiter excepta infeliciter resilit. Tunc ait Christus Deus: Nunc

Ioann. 12. v. 32. Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum: hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.*

Christus in Cruce fecit intelligere manus suas. Quod Dei corporata sapientia, verborum efficacia, quæ Deum sapit, cælum fragrat, & veritatem spirat, hominibus ore non suadet, Crucis probrosæ cruciamento persuadere intentat? Quem de re virtutis loquentem homines auersantur, in Cruce patientem, & ore muto tormenta deloquentem ad se trahere sperat? Arnobius (siue ille senior antiquitate nobilis, siue iunior cruditâ nouitate felix) exponens ea verba Psalmi: *In intellectibus manuum suarum deduxit eos*, mutatur

Psalm. 77. v. 72. cum Interpretum choro, Dauidicæ sententiæ nouitatem; cum manibus multiplex intellectus seu mens, & multiiuga sapientia & peritia tribuitur. Intellectus rationalis sedes, manus sunt? Ecquis mentem gestat in manibus? An non in cerebro, linguàve mentis excellentia potiùs eluceat, & viuaciùs scintillat? Qui sunt hi manuum intellectus, nobis ignoti, Prophetæ notissimi? Arnobius inquam hæc Psalmi verba ad Christum è cruce manibus pendentem, & omnia trahentem

Arnobius iunior ad eum Psalmi locum. ad se ipsum, tempestiuè refert his verbis, *In intellectibus manuum suarum deduxis eos. Ideò manus suas in cruce Christus leuauit, vt in gloria manuum suarum dirigat nos.* O arcanum operum illicium, quo Christus Deus *manuum gloria*, omnia ad se trahit, & in cælum *dirigit & deducit*! Scilicet Christus Deus diuinâ eloquentiâ prælustris, sæpè ad homines de rebus cæli concionatur, & quidem sermone non rarò persuasionis infœcundo pro nostri arbitrij agresti libertate doctrinam cæli refutante, improspero gratiæ aborsu. Ast dum ore muto, seu vocali patientiæ taciturnitate pendulus eleuatur in cruce, eiusque manus perfessoribus clauis crudeliter terebrantur, non diuina linguæ facundia, sed eloquenti *manuum gloria*, omnes trahit ad se ipsum, & per virtutis vias ad cælum dirigit & deducit. *Intellectibus manuum suarum deduxit eos.* Parùm foret, si Tobias multos Hebræorum in fide labantes *monitis salutis* stabiliret, nisi etiam largis eleemosynis faciens intelligere manus suas, alienam miseriam ope subleuaret; & *vt posteris daretur exemplum*, quo probitatem omnem *omnipotenti* manuum voce omnibus persuaderet, datus est virtutum omnium typus, quod iam iam vberiùs expendimus.

4. In hac Tobiæ historiâ cap. 2. tanti Patriarchæ beatæ calamitates velut compendio perstringuntur. Profectò nauigantes tot periculorum adsultus non circunstant, quot vitæ casus, & incommoda virtutis mercaturam facientes exhauriunt.

Tobiæ 2. v. 12. Quare autem tot ærumnæ nostrum Tobiam inuenerint, peraccommoda hîc ratio traditur: *Hanc autem tentationem ideò permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob.* O! bonum aliis præbere exemplum tanti emitur? Obcæcatur Tobias, vt siderea virtutum eius claritate, nos in cæcis huius vitæ tenebris tecta incedamus? Audiendus est

Basil. Orat. 8. hac super re Seleuciensis Basilius ita eloquenter fatus: *Longa, inquit, maria traiicientibus ad cursum regendum pro tessera sunt astrorum vndequaque splendentium motiones, & gubernator incumbens gubernaculo tollit in cælum oculos astrorum motibus aurigans nauem, cursumque per mare cælesti lumine contorquens fertur in portum, Qui verò vitæ pelagus rectè student percurrere, ac vitæ secundum Deum institutæ desiderant secare fluctus, non astra spectant; sed chorum Iustorum inspectum eunt ac eorum viuendi rationibus vestigiisque incumbentes, quasi composito gradu suam ipsorum vitam dirigunt.* Bellè Iustorum exempla dicuntur sidera, ad quæ in vorticoso huius vitæ pelago aurigans nauem, necesse est oculos vt attollat, quò ad empireum beatitudinis portum feliciter appellat. *En el pielago de este mũdo los exemplos de los sanctos an de ser nuestro norte.* Sed intentiùs nota, quòd bonum exemplum sententiosè dicitur *tessera*; quæ est symbolum, quo socij ab hostibus dignoscebantur. Num prædestinati à reprobis per hanc *tesseram* dignoscuntur? Sic potenter hæc *tessera* præpropere spe beat? Adhæc tessera sumitur pro commeatu, quo quis securè apud exteros peregrinatur; *Imitar el buen exemplo, es saluo conducto para el cielo.* Denique *tessera* in receptissima significatione figuræ est omni ex parte quadrata, constans sex lateribus æqualibus: qualem est videre in iis officulis, quibus aleæ luditur: punctis quibusdam distinctis, & in quancumque incubuerint partem, immotam stabilitatem habentibus: quæ & ipsa a Latinis *tessera*, è Græcis κύβος appellantur, Hispanè *dados*, ludus quidem præceps & rapax, & quo vno felici iactu ingentem ocyssimè summam lucraris; aut infelici, præcipitanter perdis. Ita accidit ei, qui bonũ, malumve exemplum auidè arripit, & moribus exprimit; *tesseris* ludit, & quamcitò aut lucratur cælum, aut cælum perdit. Sic pro *tessera* sunt Iustorum exempla. *Pro tessera nobis sunt Iustorum exempla.*

§. CCCCXIV.

Inter gratiæ miracula censetur, Euangelium sine stipendio prædicare.

5. Non est sapientia populare artificium, nec ostentationi paratum: nec tam in verbis, quàm in rebus est: neque in hoc adhibetur, vt cum aliqua oblectatione consumatur dies, & dematur otio nauseat Animum format & fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda & omittenda demonstrat. *Ne sit sapiens auarus sapientiæ nundinator.* Qui mundanæ gloriæ viuit, sapienter non viuit: sapientiam enim debet gloria sequi, non præire. Prodigio similis esse debet in sapiente auaritia: & fortè prodigio similis est sapiens, qui lucri cupiditate saltem non pulsetur. Sed dedidicit sapientiam, qui eam auaram facit. Ingenua est, & fieri auaritiæ vectigalẽ erubescit. An non litterarũ pudeat, esse sapientiæ nundinatorem; & exigui lucelli cupiditate vocẽ vendere, & eruditionem cauponari? Medicina, nobilis philosophiæ portio, in Æsculapio sordidæ cupiditatis damnata fuit: Iurisprudentia olim honores dabat, hodie honorarias opes largitur. Heu timeo, Biblica eloquenter eruditio præsertim in verbi Dei præconibus nimis quæstuaria sensim efficiatur, ingenti rei Christianæ iactura. Liberè cum auditoribus aget, qui auarè agit: O quoties auditores acrem obiurgationem argento redimerent, & dato & pretio concionatorem sibi facerent sordidè vectigalem, magno Euangelij detrimento! Matthæi 10. mittens Iesus Apostolos prædicare Euangelium, potestate illis Matth. 10. v. 16.

facta ad patranda miracula, sic ait: *Gratis accepistis, gratis date: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via*, &c. Ad quæ verba sic fatur Chrysostomus: *Plurima quidem, per hoc constituebat. Primum quidem insuspectos reddens discipulos.* Concionator qui in prædicatione Euangelij, auaritiæ studet, *suspectus* apparet: qui autem quod gratis accipit, gratis dat, *insuspectus* est. Taceo.

Chrys. apud Caten. in Lucæ 9.

2. Matthæi 11. Ioannes cùm audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi, Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Christus autem mentem noscens Ioannis, non dixit Ego ipse sum, ne rursus audientibus subrepetet illud Pharisaicum: Tu de ipso testimonium perhibes, testimonium tuum nō est verum. Sic vera laus in ore proprio infortunata est? Idcircò hoc facit eos dicere à miraculis, qui Euangelicus propheta Isaias, ad indicium cognoscendi & recipiendi Messiæ prænunciauit. Vnde Iesus respondit: Euntes renunciate Ioanni quæ audistis, & vidistis. *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt; mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.* Græcum verbum εὐαγγελίζονται Theophylactus & Euthymius actiue interpretantur, quasi dicat, Pauperes prædicant Euangelium. Sed communiter hæc interpretatio reijcitur; quia inter miracula recensendum non erat, quod pauperes euangelizarent: id enim insolens non est, sed valdè frequens, & ordinarium. Nisi fortè obiectioni occurras, aiendo, quòd etsi sæpè accidat, verbi Dei præconem in principio Euangelizandi, aut prædicandi Euangelium, pauperem esse postquam diu euangelizauit, pauperem esse, miraculi adinstar reputari. Sed hæc interpretatio, ad litteram nimis subtilis est, ad mores nimis acris. Et quidem mirum valdè esse debet, quòd inter grandiora miracula, in felici Euangelij tempore visenda, & quæ spectatissimum Messiam indubiè demonstrent, seriatim recenseri, quasi prodigiorum clausula, quòd *pauperes euangelizentur*, id est, vt adsint Concionatores, qui Euangelium pauperibus prædicent, quæ est receptior Patrum, & Commentatorum expositio. Audiendus est hac super re S. Hieronymus qui doctè pariter, & acutè sic ad ea verba fatur: *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur, quod præmissis non minus est. Pauperes autem euangelizatos intellige opibus pauperes. Vt nulla inter nobiles & ignobiles, inter diuites & egenos in prædicatione distantia sit. Hæc Magistri rigorem, hæc præceptoris comprobat veritatem.* Nempè dum pauper æquè ac diues euangelizatur, non est minus miraculum, quàm cùm cæci vident, leprosi mundantur, mortui resurgunt. Pauper inquam, opibus, à quo nihil lucri Concionator expectat; qui euangelici sudoris mercedem retribuere præ egestate non eualet; qui eruditæ eloquentiæ, & exquisiti acuminis desideratos plausus, non possit muneribus adornare. Hoc miraculum, *quod præmissis non minus est. Præceptoris comprobat veritatem.* Quasi Euangelici præconis nota sit, & notus character, *pauperes euangelizare*, quo magno miraculo & districtior Christi disciplina, & Euangelij diuina veritas, humanitus comprobatur. Taceo, ne sordidi lucelli quenquam arguere videar, sed omnes adhortari ad hoc prægrande Euangelij gratuitò prædicandi miraculū. Philo Hebræus agens de

Isaiæ 35. v. 5. Matth. 11. v. 5.

Theophyl. Euthym. ibi.

Miraculum ne est, quod pauperes, qui nihil retribuere possunt euangelizentur

Hieronym. ad eum locum.

Philo lib. de Ioseph.

Iosephi venditione Madianitis, ait: *Rectè autem dicitur vendi hunc hominem. Nam qui auram populi captans concionaturus locum superiorem ascendit, sicut venalitij, seruus fit ex ingenuo, propter honores quos videtur accipere addicens se innumeris Dominis.* Nollem verbi Dei Concionatorem velut seruum venalitium, multis dominis vulgò addictum.

1. Corinth. 15. sic de se Paulus loquitur, an satis sibi cohærens, examinandum est: *Ego sum*, inquit, *minimus Apostolorum*, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. *Gratiâ autem Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboraui.* Ad examen vocare lubet hæc duo Apostoli verba, quæ pugnantia sibi videntur: *Ego sum minimus Apostolorum*, &, *Abundantiùs illis omnibus laboraui.* Minimus dicitur, quia nouissimus; & ideò breuiori tempore euangelizauit: Minimus humilitate, quam anteactæ vitæ execranda flagitia ædificabant. Ast qui *Minimum Apostolorum* se nominat, protinùs addit, *Abundantiùs illis omnibus laboraui.* Tam exigua Apostolici muneris pars est, cōtinuus, ex ōnis & indefessus euangelizandi labor, vt se dicat *Apostolorum minimum*, qui *abundantiùs omnibus laboraui*? Imò & quo pacto verè potuit Paullus affirmare, se *abundantius* omnibus Apostolis laborasse? Principem Petri sollertiam, arcanam Ioannis doctrinam, immensas Thomæ peregrinationes, reliquorum iunctim Apostolorum, vnus Paullus labores superauit? Minimus Apostolorum, omnium labores excellit? Multa hîc mouent interpretes, vt Paullum vindicent, ne hoc verbum aut arroganter, aut audacter excidisse videatur, quod de tanto Apostolo nefas esset existimare. Mitto eruditas plurium commentationes, vt Anselmi verba citiùs exscribam, quæ præsens thema eleganter adornant: *Abundantiùs illis omnibus laboraui: Illi* (reliqui Apostoli) *stipendium ab illis quibus prædicabant, acceperunt: ego autem nihil ab auditoribus meis accepi, sed ex labore manuum mearum vixi.* Bene quidem, & per benè Anselmus. Scilicet *abundantiùs* reliquis simul Apostolis laborauit Paullus, quia Euangelicæ doctrinæ miraculum *euangelizandorum pauperum*, simplicius adimplet? & sic Præceptoris veritatem abundantiùs comprobat, vt nuper docebat Hieronymus. Licitè reliqui Apostoli donata à fidelibus stipendia ferebant: nam qui altari seruit, de altari viuere debet. At Paullus etsi Apostolorum minimus & nouissimus, dum prædicationis stipendia recusat, sic Euāgelij labores amplia & incrementat, vt se plus omnibus Apostolis exindè laborasse, ex Anselmi mente audeat affirmare. An non audis hîc Tobiam, non solum *monita salutis* concaptiuis vbique dantem; sed & eisdem largis donatiuis subuenientem? Porrò tam longè aberat, quòd stipendium ab illis acciperet, vt eisdem quotidiana subsidia vt vt poterat, erogaret.

3. 1. Corinth. 15. v. 10.

Paulus plus laborauit, quàm reliqui Apostoli, quia sine stipendio laborauit.

S. Anselmus ibidem, si Ansel. sunt hæc in Paul. commentaria.

Tob. 1. 15.

4. Matthæi 24. his verbis Christus Deus auditores suos emphaticè interrogat, vt concionatores erudiat: *Quis, putas, est fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam?* (& post pauca) *Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.* Benè notant interpretes, quòd illa vocula, *Quis, raritatem notat. Quantò autem rarior inuenitur, tantò beatior est qui inuenitur*, ait Hugo. Sed peruestigare oportet,

Matth. 24. v. 46. & 47.

Hugo lib.

tet, in quonam sita sit hæc rara *fidelitas*, & *prudentia*, quæ in hoc loco exigitur: vt seruus super omnia domini sui bona constituatur. Pergit idē Hugo sic ad rem ex Chrysostomo fatus: *fidelis est, qui nihil domini suum facit, nec inaniter consumit. Prudens, qui venit ad id, quod oportet dispensare.* Sed adhuc non dicitur, quisnam sit hic fidelis seruus & prudens, qui iam rarò inuenitur, redditurque dignus, qui super omnia domini sui bona sublimissimè constituatur. Rem totam peracutè ad lemma præsens Remigius elucidat, ita ad præfata Matthæi verba scribens: *Bonos autem Prædicatores super omnia bona constituet*: ô quàm multa quam paucis! Nempe Prædicator, qui Dei verbum sic *fideliter* tractat, & auditoribus propinat, vt *nihil Domini suum faciat*, sed auaritiæ exors, nunquam bonus dispensator, quod gratis accepit, liberaliter impertit; ille, ille inquam, *super omnia* Domini *bona constituitur*? ô sublimissimam, ac penè arrogantem prælationem. Bonus Prædicator, qui dignè (vt par est) Dei verbum administrat, qui ad audientium profectum inuigilat, qui inanes vulgi plausus negligit, qui totus diuinæ gloriæ militat, non friuolo & auaro lucello: *qui nihil Domini suum facit*, nec auditorum recu'as ambit, adeò vt *pauperes euangelizentur* æquè ac diuites, ex quibus lucra captare posset; hic, hic quidem est, qui omnibus Domini bonis dispensandis excelsè præficitur. *Bonos autem prædicatores super omnia bona sua constituet.* Quid illustrius? quid opulentiùs? Quid auarè hiet caducas reculas, Concionator, qui toti Dei censui sic præficitur? Sed heu! *Quis, putas est fidelis seruus & prudens*? *Quis, raritatem denotat. Quanto autem rarior inuenitur, tantò beatior est qui inuenitur.* Sed heu, qui aliena à pulpitis recitant, quia eis fabricandis non sunt idonei, cariùs vocē vēdunt, vt emptæ chartæ sumptus resarciant, *veritatis latrocinium nundinantur*, quæ sunt verba Chrysologi.

Prædicator lucris expers, omnibus domini bonis dispensandis præficitur.

Remigius ibi.

S. Chrysol. serm. 8.

5. Geneseos 2. Adamus omni sapientiâ & theoricâ & ethicâ excultus creatur; & translatus in paradisum, hanc Dei præceptionem audit: *Ex omni ligno paradisi comede. De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Sagaciùs peruestigant Interpretes, quare sapientissimo Adamo præceperit Deus, ne arboris scientiæ fructum decerperet. S. Gregorius Nazianzenus pulchellam hanc quæstionem arboris tractans, ita scribit: *Adam Dei manu, ac deliciarum paradisi, & primâ lege dignus habitus est: tamen ille præceptum minimè seruauit. Basilius autem & illud accepit, & seruauit: nec ex scientiæ ligno commodi quicquam accepit.* Scilicet Deus præceptum posuit Adamo, vt eum sibi subiectionis stigmate inuretet: specialiter verò fructu arboris scientiæ illum interdixit, *ne ex scientiæ ligno commodi quicquam acciperet.* Sic præproperè satagit Deus, ne sapientissimus Adam commodum ex scientiâ percipiat: Morte eum punit, quia de scientiâ commodum tulit. O bonam sapientibus eruditionem, ne scientiæ commercio nundinentur.

Gen 2. v. 16 & 17.
Naz. orat. pro Basil.
Punitur Adam, quia ex scientia commodum tulit.

§. CCCCXV.

Mutua Prædicatorum concordia, suadendæ doctrinæ adulatur, discordia verò infeliciter suadet.

6. SOllertem diu diligentiam exhibeat Sapiens in amicis diligendis, ne incipiat amare, quem deinceps possit odisse. Nihil enim turpius est, quam cum eo bellum gerere, cum quo familiariter vixeris. Porrò tametsi Sapiens ita amicum debeat habere, posse vt fieri inimicum putet; semper tamen illud animo verset, & præ oculis habeat: *Semper dissensio ab alio incipiat, à te reconciliatio.* Cede iniuriolæ, ne charitas mutua excidat; & dissensio leuis, non leue faciat rei Christianæ dispendium: nam in negotio tractandi ad populum Dei verbum, aut animas ad meliorem frugem reducendi, modicum dissidium, ingentis detrimenti culpatur: auxilia humilia firma consensus facit. Quid audientium consensum Concionator præsumit, qui dissensiones verbo nundinatur? Prouentus, quos discordiæ æstus decoquit, exurit, & perdit; mutua Prædicatorum concordia, ad virtutis saporem erudit, & in cæli horrea vberes congregat. Etsi Discipulorū quilibet vastis erudiēdis prouinciis affatim sufficiebat, Christus Deus mundi conuersioni studens, *misit illos binos*, vt de mutua concordiâ armati, victrices Tartarorum phalanges exarment. Concordiæ studium, est Christianæ prædicationis compendium: quasi fructus, concordiæ citiùs quàm doctrinæ respondeat. Hei bene rudes, & malè informatos audientium mores, in tantâ Concionatorum frequentiâ!

Publ. Mim. apud Senec.

Concordia Prædicatorum feliciter suadet.

Luc. 10. v. 1.

7. Isaias cap. 6. cælestem illam apparitionem, tot acuminum grauidam, vidisse denarrat: Vidi, inquit, Dominum sedentem super soliū excelsum & eleuatum: & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum: *Seraphim stabant super illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Alibi aliorsùm curiosiùs peruestigamus, an verè Seraphini fuerint? an Angeli à Seraphinis missi? quo pacto stantes volare poterant? cur faciem, cur pedes velarent? Verùm cùm eorum voces in ore Isaiæ resonent, suspicari licet, Verbi Dei præcones non obscurè hìc adumbrari. Sic enim Propheta subdit: *Et clamabat alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius. Et commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis.* Duorum vox resonat, quâ gloria Dei omnis terra repletur, & dum firmiores eius columnæ commouentur, vna vox auditur? Mitto hæc quæ mox resumam; & redeo ad duos Seraphinos, qui senis alis præditi erant, id est, duodecim. Hieronymus grande aliquod mysterium in hoc duodenario numero mysticè adumbrari putat, & refert Victorinum sic aientem? *Sex alæ vni, & sex alæ alteri. Victorinus duodecim Apostolos intelligit.* Profundè quidem ad mores! ô vtinam viri hodie Apostolici, Concionatores, Sapientes, & quotquot rem Christianam tractāt, de hac Isaiæ, & Victorini eruditione informentur. Nimirùm hæ duodecim alæ, duodecim Apostolos (& qui Apostolorum munia obeunt) mirificè

Isaiæ 6. v. 2.

Singuli Apostoli singulæ alæ sunt.

S. Hieron. apud Gloss.

tificè designant. Porrò alæ volatui seruiunt, sed binæ (vt minimùm) vna duntaxat ala, compare destituta, & cui alia non correspondet ala, impedimento est, non leuamini; grauem facit, non volucrem. Geminæ alæ volatum explicant; vna tantùm, nec humi repit. Viri Apostoli sibi alæ sunt; si non sibi consonant, mutuò respondeant, & vltrò citróque vices alternant; non volant celeres, sed inertes iacent simulque res Christiana iacebit. An non vides hos Seraphinos pennis alatos, nil non geminis alis præstiuisse? *Sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant. Victorinus duodecim Apostolos intelligit.* Non est amplioris prædicationis iactura, sed conuersionis compendium, cùm Christus Deus Discipulos suos *binos* mittit: quo duabus vndique alis Euangelium volet, & citiùs mundum occupet. Rixæ inter concionatores, sub pietatis larua, fraus Diaboli est, & inferni minæ. De Concionatorum concordiâ Christiana religio feliciùs suadetur.

3. Geneseos 3. vbi ridiculariâ gulæ voluptatulâ, sublimioris sapientiæ ambitione imbutâ, ingratissimè Adamus deliquit; paradiso voluptatis pellitur: ne iam mortalis, si vitæ arborem degustaret, ærumnarum æternitatem sibi corporaret. Ergò ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum; emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de quâ assumptus est. Genes. 3. v. 24. *Eiecitque Adam: & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Cæterum cùm in confesso sit, τὸ *Cherubim*, esse numeri pluratiui, pluresque Cherubinos significare; mirissimum sanè est, vnum duntaxat gladium illis porrigi. Porrò si necesse fuit, vt Cherubini armarentur, eccur pluribus vnus tantùm gladius porrigitur? *Plures Cherubini vnum gladium regunt.* Et si vnus duntaxat armandus erat, quare plures otiantur inermes? Vnus autem gladius vna tantummodò manu regi potest; cur pluribus Cherubinis vnus duntaxat gladius suppetit? S. Augustinus qua erat ingenij sagacitate hanc difficultatem odoratur, & sic ad ea verba scribit: *Et ordinauit Cherubim, & flammeam romphæam.* August. ibi. *Hoc cælestes vtique potestates, etiam in paradiso visibili factum esse credendum est, vt per angelicum ministerium esset illis ignea quadam custodia, non tamen frustra factum esse, nisi quia significat aliquid etiam de paradiso spirituali, non est vtique dubitandum.* Scilicet Deus sic ordinauit seu inaugurauit hos Cherubinos, seu *Cælestes potestates*, vt vnum duntaxat gladium illis præbeat ad *angelicum ministerium*, quia significat aliquid *de paradiso spirituali.* Vnum sit vnius gladij ad Ephes. 6. v. 17. *(Gladius est verbum Dei)* ministerium, ad quod plures Cherubini, seu cælestes potestates destinantur, quasi vtriusque vna sit vox, vnus sermo, vnus gladius spiritus, quod est verbum Dei. Arduum, imò & impossibile videtur, quòd vnus ensis simul regatur à pluribus Cherubinis, & illo armentur ad corporalem, & etiam *spiritualem paradisum* custodiendum. At tanta erit spiritualium potestatum consensio, tanta Prædicatorum concordia, vt gladius, quod est verbum Dei, simul à pluribus vibrari videatur, quasi omnium sit vna manus, vnica mens, vox vna, & vnanimis doctrinæ consensio. Quod de Isaiæ Seraphinis nuper diximus: *Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus, &c.*

Et commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis. An non hîc promiscuè vtitur, aut singulari, aut pluratiua voce, cùm de voce Seraphinorum loquitur? Plurium Seraphinorum vna vox, & plurimum Cherubinorum vnus gladius, quod est verbum Dei, in *spirituali paradiso* moralissimè designatur ad *angelicum ministerium.* Putauerim, quòd Tobias, etsi insigni sanctitate vir, perpaucos eò apostatis Hebræis traduxerit Tobiæ 14. 15. ad auitam religionem, licet *monita salutis* daret eis: nam cap. 1. vers. 5. *salus* dicitur. Vnus plures vel potiùs plures vnus, consensionis suadela feliciter persuadent: *salus*, aut cui alij dissentiunt, Hic vers. 4. paucos proselytos numerat. Vnde hîc *dispersos* Israëlitas congregare satagit, vt Dei mirabilia enarrantes, verum Deum gentibus adnuncient.

Iosue 6. sicco vestigio Israëlitæ Iordanem traducunt, & duce Iosue Ierichuntinam vrbem dura obsidione cingunt. Septima autem die Arcam Sacerdotes circunducunt, & tubarum clangore muri corruunt. Iosue 6. v. 20. *Ierichuntina corruunt mœnia, vt ea arcam cernentes, vel ipsa vrbs confugiat ad Dei populum.* 4. *Igitur clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruunt.* Quare non corruerunt obsessæ vrbis mœnia, vel crebro murarium tormentorum ariete; vel saltem sacratæ Arcæ circumductu, vel numinis inuocato nomine; aut implorato auxilio? Quid sonoro plurium tubarum clangori cum mœnium ruina? Insolens videtur hoc bellandi & debellandi genus. Sed attenta obseruatione dignissimum in populo Israëlitico, cui omnia in figura contingebant. Origenes sagax Orig. apud Lauret. Cern verbo. Tuba. mysteriorum interpres, per harum tubarum multitonum concentum, intelligit *vocem verbi Dei, & prædicationem insignem:* exinde oportuit, vt prædicantium mutua consensione & reciproco harum tubarum concentu res perageretur. Quod peracutè Basilius Seleuciensis exaggerat, ita scribens: Basil. Seleu. Orat. 31. *Clangentibus tubis, &c. Obsessa Iericho murorum orbem exuebat, habitatores suos vt ipsa fugeret, & ad Israelitas transfugeret.* Scilicet pagana Ierichuntinæ vrbis mœnia vltrò corruant, ad turbarum accordem clangorem, & concinnam insigniter prædicantium vocem; vt vel ipsa rebellis vrbs, murorum obstaculo remoto, spontè fugiat paganos habitatores, & ad Dei populum confugiat. Nempe parùm fore putauit Basilius si concentu tubarum, hoc est, insigniter prædicantium, vrbis habitatores ad Dei populum aggregarentur, nisi obice excelsorum mœnium amoto, vrbs ipsa sedibus suis relictis ad Dei populum transfugeret. Inde tubarum concentu, id est, prædicantium modulata concordia, *Obsessa Iericho murorum orbem exuebat, habitatores suos vt ipsa fugeret, & ad Israelitas transfugeret.* Quid ad thema præsens exaggeratiùs?

5. Lucæ 10. Designauit Dominus & alios septuaginta duos, & *misit illos binos* ante faciem suam. Lucæ 10. v. 2. Et dicebat illis: *Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergò Dominum messis vt mittat operarios in messem suam.* Si tanta est operariorum paucitas, quare *binos*, & non singulos mittit? An non singuli singulis vrbibus, aut prouinciis sufficiunt? Propè conuenit inter Expositores, ideò Discipulos *binos* mitti, vt secum concordiam & beneuolentiam præferant, ad spiritualem auditorum profectum. *Bini ob concordiam missi, eadem dicere & facere possunt, & mouere.* Eleganter ad lemna præsens Chrysostomus: Chrysost. ibi. *Misit illos binos. Et dicebat illis: Messis quidem multa, &c. Sed qualiter messem vocat, cùm res in præsens exordium sumat? nondum iacto aratro aut sulcis productis,*

de

de messibus tractat, &c. *Eodem die & serere poteſtis, & metere.* Scilicet dum *Sibi* mittuntur Prædicatores & mutuæ concordiæ ſollerter ſtudent nondum iactato aratro & ſulcis productis, *de meſſibus tractat*: illiſque fauſtè denunciat, quod *eodem die & ſerere poſſunt, & metere.*

§. CCCCXVI.

Qui conuertendis peccatoribus ſollerter inuigilant, cautè cum illis agant, ne peccatores ſuam rubiginem illis conuerſatione affricent.

1. NEmo aliis naſcitur moriturus ſibi. Subducendus ergò eſt ſeculari populo tener animus, & parùm tenax recti, ne etiam dum populi ſalutem piâ mente procurat, proprij animi ægritudines negotietur. Facilè trãſitur ad plures, præſertim cùm communis malitiæ fomes, ad communia vniuerſatim vitia impotenter trahat illicio cognatæ voluptatis, humanos mores peſtiferè toxicantis. Socrati, Catoni, & Lælio excutere mentem ſuam poſſet improba conuictorum multitudo. Adeò vt Paullus ipſe, qui gratiæ officioſitate ad omnes ſanctitates maximè concinnauit ingenium; etiam dum ea, quæ deſunt Paſſioni Chriſti adimplere ſatagit, atque ardenti animarum zelo piè exuritur; pauide timeat, ne fortè cùm aliis prædicat, ipſe de eorum conuerſatione reprobus efficiatur, & propriâ prauitate aliorum probitatem redimat. An non eiuſmodi metu validè concutiebatur Propheta, & inde forſan prædicationem cautè recuſabat? Sed tandem diuinæ pollicitationis oraculo animoſior factus, impiæ turbæ conuertendæ ſe miſcere auſus eſt. Audi opportunas Dei voces: *Si conuerteris, conuertam te, & ante faciem meam ſtabis: & ſi ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris: conuertentur ipſi ad te, & tu non conuerteris ad eos.* Ieremiæ priuilegium, in non impari virtutis merito, ad Tobiam ampliari cernimus. *Pergebat ergò ad omnes qui erant in captiuitate, & monita ſalutis dabat eis. Denique cùm irent omnes ad vitulos aureos, hic ſolus fugiebat conſortia omnium.* Id in reliquis Iſraëlitis hîc Tobias percepit.

Cauet prædicator, ne obeat in populi mores.

Ierem. 15. v. 19.

Tobiæ 1. v. 15. & 5.

Hic verſ. 4.

2. Matthæi 3. venit Ieſus à Galliæâ in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. Ioannes autem prohibebat eum, dicens. Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Reſpondens autem Ieſus, dixit ei: Sine modò: ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. *Tunc dimiſit eum. Baptizatus autem Ieſus, confeſtim aſcendit de aquâ*, &c. Scilicet Ioannes Baptiſta confluentes ad ſe homines ſacris Iordanis aquis baptiſmo illo præambulo lauabat: & Chriſti puritatem demiratus, illum tandem baptizat, & ſacris ſacri fluuij laticibus abluit. Quâ ſuper re ſic ad rem præſentem philoſophatur Auguſtinus: *Chriſtus*, inquit, *poſtquam natus eſt hominibus, renaſcitur ſacramentis: vt quemadmodum tunc eum miramur incorruptâ Matre progenitum, ita nunc ſuſcipiamus illum purâ vndâ ſubmerſum.* (diligentiùs aduerte ad ea, quæ ſubiicit verba) *Filium enim genuit Mater, & caſta eſt; Chriſtum lauit vnda, & ſancta eſt.* Grande quidem, adſimiléque vtroque prodigium, & Filium Mater progenuit, & virgo eſt: & Chriſtum vnda lauit, & ſancta eſt. O! limpidiſſima etiam aqua, quæ alios lauat, ſic eorum, quos lauat ſordibus, ſqualere ſolet. Sic eſt difficile non ſordeſcere abluendorum ſqualore? *Filium genuit Maria, & caſta eſt; Chriſtum lauit vnda, & ſancta eſt.* Chriſti Dei puritas omnem ſuperat munditiem; & tamen, quòd Iordanis vnda, quæ illum quaſi peccatorem lauit, munda, limpida, & pura permanſerit prodigio Matris & ſimul Virginis comparatur: Mater virgo vires naturæ longè præcellit: quòd Aqua myſtica alios lauans, nullis abluendorum ſordibus inquinetur, vulgò peregrinatur in moribus. Sic vel munditiei purus adminiſter, adtactu & conuerſatione ſqualentium ſqualere ſolitat. O moraliſſimè pulchram Auguſtini hyperbolem! O aquam, quæ lauas, nec lauaris! *Chriſtum lauit vnda, & ſancta eſt.* Ergò agnoſcat Concionator, & quiſquis hominum ad meliorem frugem conuertendorum muneri ardenter incumbit; perpaucos eſſe, qui ſe immundis peccatoribus tutò ſe commiſceant, niſi cautiùs agant. Agnoſcent imbecillitatem humanam, vt inter ſceleſtos puriùs conuerſentur. Non ſemper mores quos pius operarius extulit, refert. Aliquid ex eo quod diu compoſuerat, turbatur; aliquid ex eo quod fugauerat, redit. Auarior aliquando redit, ambitioſior, luxurioſior, & inhumanior, quia inter homines fuit, quò hæc contagia curaret, piis diuinarum vocum adhortamentis. O quoties peccator, rubiginem ſuam afflat, etiam dum ab eâ curatur. Ieremiæ priuilegium eſt: *Conuertentur ipſi ad te, & tu non conuerteris ad eos. Chriſtum lauit vnda, & ſancta eſt.*

Matth. 3. v. 16.

Auguſt. ſer. 16. de Temp.

Chriſtum lauit Iordanis vnda, & ſancta eſt.

Actorum 12. Herodes rex Iacobo occiſo, in tetrum carcerem dirè Petrum trudit, & ferreis catenis arctè vincit, cupiens Petri nece Iudæorum gratiam mercari. Et ecce Angelus Domini aſtitit, lumen refulſit in habitaculo, & excitato Petro, catenæ ſpontè cadunt, atque duce Angelo ſoſpes egreditur. Exeuntes autem proceſſerunt vicum vnum: & continuò diſceſſit Angelus ab eo. Conſideranſque quas latebras quæreret, venit in domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus eſt Marcus, vbi erant multi congregati, & orantes. Pulſante autem eo oſtium ianuæ, proceſſit puella ad audiendum: & vt cognouit vocem Petri, præ gaudio non aperuit ianuam, ſed intrò currens, nunciauit ſtare Petrum ante ianuam. *At illi dixerunt ad eam: Inſanis. Illa autem affirmabat ſic ſe habere. Illi autem dicebant: Angelus eius eſt.* Parùm eſt, quòd Sancti Patres, & interpretes magno conſenſu hinc docent, vnũquemque hominum ab ortu natiuitatis habere Angelum in cuſtodiam ſibi cælitùs deputatum; niſi etiam notauerint, eiuſmodi *apparere in ſpecie illorum*, quibus cuſtodiendis ſollerter inuigilat, & in ſpiritu promouere ſedulò procurat: Adeò vt Ticonius apud Gloſſam ibi, dixerit: *Videtur Angelus hominis eſſe homo interior.* O moraliſſima Angeli cuſtodis ad hominem quem cuſtodit, ſimilitudo! Angelus Petri videtur quodammodò eſſe Petrus interior, & ſimul in exteriori Petri ſpecie apparet: ſic homo qui cuſtoditur, inſtruitur, promouetur, in cuſtodem, in ſtructorem, & promotorem Angelum, ſpeciem humanam velut reuerberat, & mores quodammodò exprimit, Angelus hominis in ſpecie illius apparet, & interiorem hominem repræſentat: Alumnus homo in tutore Angelo ſuam figuram, habitum, & mores apparenter cudit, vt omnibus 3.

Cur Angelus Petri, Petri ſpeciem repræſentat.

Actor. 12. v. 15.

Lyra ibi.

Ticonius apud Gloſſ. *Videtur Angelus hominis eſſe quaſi homo interior.*

omnibus innotescat, quod homo quamtumuis Angelus puritate & virtute sit, qui peccatoribus miscetur, vt illos à peccatis emaculet, in sapientiâ instruat, in spiritum promoueat, & sedulam virtutum pædagogiam erga illos exerceat; nisi cautiùs cum illis agat, non modò in eo apparebit externa species illorum, sed etiam interior aut pulchritudo, aut fœditas. *Illi autem dicebant: Angelus Petri est*: quia Angelus hominum custos solet *apparere in specie illorum*, quorum custodiæ deputatur. Imò *videtur Angelus hominis esse homo interior*. Sic spiritualis Angelus materiati hominis, quem custodit, figuram exteriorem, & internos mores apparenter repræsentat.

4. Geneseos 6. Noëmi ætate, humani generis vniuersitate tota ad impietatem vergente, velut contentiosâ malitiæ æmulatione, nulla quantumuis importuna & barbara prætermissa est vitiorum audacia: omnes enim cupiditatum vitæ certatim inibantur, & serpens iniquitatis consuetudo recenti morum corruptelâ indies nouabatur. Quæ iniustitiæ species: qui libidinum impudicarum modus? quæ irreligiositatis temeritas, non inter eos versabatur? *Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate. Cùmque vidisset Deus terram esse corruptam, (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram) dixit ad Noe*, &c. Mirum sanè est, & valde mirum, quòd in tantâ hominum multitudine, *omnis caro viam suam corrupisse* dicatur. Et vbi erat Sethi posteritas, inculpatos Abeli mores exprimens? Nemo, aut ferè nemo erat, qui pro pietate staret: qui virtutis caussam coram improbissimâ multitudine ageret: sic extincta erat probitatis scintilla: Cineres tantùm emortui Abeli virtutem spirant, & pietatem prædicant. Percommodè Seleuciensis Basilius hâc super re ita scribit: In hominibus, inquit, nemo erat, qui Dei amantem Abelum æmularetur: sed emortuam virtutem opinabantur, quæ tamen vel mortuo corpore loquebatur. *Quod si vel exiguæ virtutis reliquiæ in ipsis superessent, eæ certissimè per vitiorum admixtionem extinguebantur, & deteriorum rerum imitatio deleuerat omne vestigium probitatis. Cùm verò hac pestifera lue corriperetur creatura, & animarum, carnisque sanie inquinaretur, Angelorum ordines grauiter ferebant, & ardentissimis vitiis indolebant.* En deploratissimam virtutis stragem, quandoquidem dudùm laudatissima Sethi progenies, quæ præclustre *filiorum Dei* nomen probitate redemerat, & Cainitarum inhibebat prauitates; nunc de pestiferæ malitiæ afflatu, & viuacis contagionis serpente nequitiâ, in sepulchro impietatis cadauerascit, facta virtutis ruinâ, & vitiorum trophæum. Porrò *vel exiguæ virtutis reliquiæ in ipsis superstites, eæ certissimè per vitiorum admixtionem extinguebantur*. Sic frequens improborum lues, vel *filios Dei* sordidè inquinauit, vt neque exiguæ virtutis reliquiæ superessent: Abeli duntaxat virtus in emortuo corpore virtutem prædicat: Angelorum ordines inducuntur, (homines enim deerant) qui ardentissimis vitiis indolerent: (vnus Noë in tantâ populorum frequentiâ, vel ad exceptionem non computatur.) ô, qui *filij Dei* vocantur, & conuertendis peccatoribus sollerter inuigilant, cautè cum illis agant, ne peccatores suam illis rubiginem conuersatione affricent; & vel exiguæ virtutis reliquias in ipsis superstites, per vitiorum admixtionem extinguant.

Genes. 6. v. 11. & 12.

Basil. Seleu. Orat. 5.

Vel exiguas virtutis reliquias, impiorum conuertendorum conuersatio extinguit.

§. CCCCXVII.

Blanda benignitas, ex iustitia rigoribus concepta, vel iustè exasperata duriùs ferit.

EX vulgi (opinor) sententiâ Tertullianus timet, ne suâ sibi Deus patientiâ detrahat; vt 1.
dum peccatores tandiu seculo iratum non vident, sed impios citiùs prosperari; de impunitate & beneficentiâ delictis adulari videatur. Hic est olim & nunc quorumdam sapientium humanus stupor: fortuna adridet impiis, quos largâ manu felicitatibus cumulat; repetita calamitas iustos vexat. An non duris suppliciis mulctanda & cohibenda erat impietas, quæ diu procrastinatas pœnæ minas impudenter ridet? An non indulgentia & benignitas, sæpe est delinquendi licentia, impunitatis priuilegio? quasi foueat beneficentia, quod arceret seueritas. Terreatur supplicij acerbitate, qui velut allicitur clementiæ bonitate. Quid tu adhuc de vulgo sapis? Diuinæ iustitiæ seueritatem duntaxat times, & benignitatem negligis, nec misericordiam formidas? Time ex Dei iustitia grande supplicium: sed fortè magis time ex eius misericordia grandius beneficium: sæpè enim iustitia, acerbiùs armatur ex misericordia; & de blanda olim lenitate, duriùs quodammodò exasperatur: nam misericordia iustitiam parturit, quod profundè adnotauit Anselmus: *Nascitur*, inquit, *de iustitia tua misericordia tua*. O nouos in misericordia natales! Qui non times lenitatem, de lenitatis origine saltem time: & diligenter præcaue ne durius puniat blanda lenitas, quàm durior seueritas. Saluianus Massiliensis agens de Christiano populo delictis perditissimo, ita fatur: *Et cùm hæc omnia fierent, quid aliud, talis populus agebat, nisi vt cùm eum Deus perdere adhuc fortasse nollet, tamen ipse exigeret vt periret?* Scilicet Deus noster perdiu blandè benignus, & etiam dum punit, ignoscere volens, magis timendus est, ne humana vitiositas diuinæ misericordiæ abusu, eam rigoribus armet: ô timeat scelerosus peccator à diuturna Dei patientia quam humana malitia contentiosiùs prouocat!

Iustitia misericordiam patrat

S. Anselm. in Prosolog. cap. 11.

Salu. lib. de Gubeg. Dei

Tobiæ 3. insana vxoris verba ægrè tulit Tobias, & in secessum vice oratorij mœstus pergit, 2.
Tunc ingemuit, & cœpit orare cum lachrymis dicens, *Iustus es Domine, omnia iudicia tua iusta sunt: & omnes viæ tuæ: misericordia, & veritas, & iudicium*. Hæc verba in litterali commentario inibi exposita sunt. Sed sciscitari ad mores lubet quare Tobias, cum se videt oculis orbatum, egestate oppressum, & vxoris dicteriis appetitum; in Dei etiam misericordiam tot plagas referat? Id adscribat diuino iudicio, Dei iustitiæ, & diuinæ veritati, fulminatas peccatoribus minas exequenti: at quorsum hîc misericordiæ mentio, nisi vt imploretur, quò iustitiæ rigores mitiget? An etiam à misericordia tot plagas vibratas aduersus se Tobias videt? Cæcus est, qui videt supplicia à benignitate inflicta. Iustitia punit, misericordia ignoscit, & iustitiæ rigores. Hæc notissima sunt. Sed audiendus est S. Hilarius ad thema præsens, Sed audiendus opportuniùs scribens: *Meminerimus primùm, quia Deus vniuersorum Dominus est, iustum esse, & iudicia eius recta esse. Cur enim*

Tob. 3. v. 2.

Si quid est quod patimur, ex iudicio diuinæ bonitatis accidit.

S. Hilar. in Psal. 118.

in

in suos iniquius sit? cur in eos quos ipse genuit, iniustus sit? Bonitatis suæ immensitas non finit istud de Deo existimare. Genuit non ad iniuriam; genuit nos non ad originis nostræ, & naturæ dolorem, (diligens & attentus excipe quæ subscribit verba) *Si quid est quod patimur, ex indicio suæ bonitatis accidit.* tempestiuè pariter ac eleganter Hilarius. Bonitas Dei iudicia fulminat, ærumnas vibrat, & hominis patientiam acerbè fatigat: An non id est seuerum iustitiæ munus? Quid diuinæ bonitati cum humani supplicij acerba imbonitate? ô time munificam misericordiæ largitatem, ne ingratum hominem beneficiis obruat! Pœnalissima calamitas patienter tolerata, iustitiam mulcet: largior misericordia improbis diu impensa, vel ipsam Dei benignitatem quodammodò exasperat, & ad seuerissimos rigores irritat; dum ingratè impius, diuinæ etiam beneficentiæ reus sistitur: ô quàm est peracerba calamitas, quam Dei misericordia ex iustitia seueriori concepta, in homines vibrat! *Siquid est quod patimur, ex indicio suæ bonitatis accidit.*

3. Geneseos 28. iratum fratrem timens Iacob, (infestiores enim sunt nuper charissimorum iræ.) Fugitiuus ad ignotos peregrinatur, super nudam humum ipse non inuestis, dure cubat; silice pro puluinari admoto. Itineris pedibus confecti fatigatio somnos conciliat, in vtramuis autem dormit. Tunc Iacobus mundo surdus, cœlo oculatissimus, in somnis videt scalam terræ innixam, sed cacumine cælos pertingentem. Adest Deus manu sua scalam firmans, & Angelos ascendentes pariter ac descêdentes intuetur. Benigne illum Deus alloquitur, & magnifica in futurum spôdet. Cumque euigilasset Iacob de somno, ait: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. *Pauensque. Quàm terribilis est, inquit, locus iste? non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli.* Quid timeat hic Iacobus, quid paueat? Sacrosanctum locum, celesti visione & eloquio sibi tum, eccur appellat terribilem? Quid Iacobum sic terrітat? Insigniter Chrysostomus: *Stupescens Iustus propter misericordiam Dei timuit.* Pergit ibi Lipomanus: *Scalam videt, vbi & Christi excessus peragendus erat, &c. vbi opus salutis & fidei absoluendum.* Scilicet Iacobus ex somni attentione considerat, se magnifica Dei visione, & sponsione actum, videt ex se Christum Deum nasciturum, pensitat redemptionis sacramêtum, & Passionis excessum in loco illo absoluendum: ecquid non timeat à tam largè benefico præbitore? Non diræ calamitatis minas audit; sed tot tantaque simul beneficia rependere impar, ingratitudinis minas timet. Timet ne fortè fit tantæ beneficentiæ reus, & largior benignitas aduersum se armetur. Timet de ruptura cæli, per quam beatam cæli gloriam rimatur: timet de augustiori beneficio Christi ex se oriundi: timet de sumptuosiori excessu passionis, propter se, & ab aliquo ex eius posteris peragendo. *Stupescens Iustus propter misericordiam Dei timet.* Timet Dei clementiam, ne acerbiores ærumnæ, *ex indicio diuinæ bonitatis accidant.* Quisquis in hac vita Deum iratum times, time etiam Deum indulgenter propitium: iratus ferit duris suppliciis, benignus obruit terreis beneficiis: ô caue ne totam Dei beneficam vim aduersum te prouoces! Dei beneficium, quo foues malitiam; contra te aduocas: quo nisi facis pietatis lenocinium, conuertis in furoris incentiuum. Si offensam misericordia punit, ecquod su-

Maiora beneficia maiorem metum incutiunt.

Genes. 28. vers. 17.

S. Chrys. ibi. Lipom. ad ea verba.

Christi Passio valdè hominibus timenda est.

perest peccatorum asylum? Moralissimè ergo Iacobus, tot simul excipiens beneficia, quæ Deus illi largâ manu impertit, & spondet, *Pauens inquit: Quàm terribilis est locus iste! Stupens Iustus propter misericordiam Dei timuit.*

4. Exodi 4. dixit Dominus Moysi reuertenti in Ægyptum: Vide vt omnia ostenta quæ posui in manu tuâ, facias coram Pharaone: *Ego indurabo cor eius, & non dimittet populum.* Deus ne is est, qui hominis cor in malitia obdurare possit? Et quomodo Deus cor Pharaonis obdurauit? Diodorus in Catena: *Ab exhortatione incepit Deus, deinde postquam Pharao credere, eique obtemperare recusauit, mediocres in illum plagas induxit. Sic igitur dum parcit Deus, indurat, &c. Deus itaque sua clementia ac benignitate Pharaonem obstinatum reddidit*, ô! mallem Deum in hâc vitâ iratum & seuerum, quàm sic clementem & pium. Heu Dei benignitas, & misericors supplicij venia obstinationem in delictis negotiatur! ô profundam hominum malitiam, quæ diuina lenitate induratur, & amicâ Dei beneficentiâ obstinatur! Vide quantum sibi suâ benignitate velut detrahat Deus, cùm supplicij venia fiat nobis delinquendi licentia, & flagitiorum priuilegium. Ecce tibi à munificentiore Dei benignitate, acerbiora supplicia, ærumnæ, calamitates, homini in hâc vitâ dispensantur. Humana tribulatio, diuinioris clementiæ sequela est, & remissior indulgentia, seuerum iracundiæ documentum. *Verùm talis ista benignitas Dei, sicut per nimiam pietatem, facultatem conuersionis, & emendationis indulget; ita maiora & grauiora supplicia coacernat & connectit ingratis*, ait tempestiuè Veronensis Zeno: quòd hic moralissimè Tobias deprædicat cum Israëliris factitatum.

5. Ieremiæ 25. Lugubris hic Propheta agens de ineluctabili Iudæorum strage, misera captiuitate, & atroci Ierosolymæ excidio, ita funestè scribit: *Facta est terra eorum in desolationem à facie iræ columbæ, & à facie iræ furoris Domini.* Lyranus cum suo R. Salomone, pro *columba* vertit, *vinositatem.* quasi dicat: *A vino furoris Domini.* Chaldæus: *A facie gladij inimici qui inebriat sicut vinum.* Pagninus, & Vatablus: *A facie iræ oppressoris.* Res planè mirissima, quòd cum inducitur Dei furor, quasi vino ebrius, & Deus ipse præ iracundiâ *oppressor* dicitur; ad explicandam diuini furoris seueritatem, *columba* nominetur. Quid miti & placidæ volucri cum tantâ furoris acerbitate, qua Ierosolymæ vastatæ sunt hostili atrociter excidio? S. Gregorius sic exponit τὸ *à facie iræ columbæ: quia in Deo nulla furoris inæqualitas reperitur. Vt enim vim diuinæ districtionis imperturbabilem demonstraret, & iram dixit columbæ, quasi dicat: Et districtum iudicium in concessu exerit, qui permanens mansuetus punit.* O quam seuerè punit ille, qui non de affectuum subita inconstantia quæ varietati subiecta est: sed imperturbabili rationis iudicio, & permanês sicut columba, mansuetus punit! P. Sanctius eruditè putat Leonem esse Iudæ insigne. Columbam verò stemma Assyriorum. Columba ergo Assyria duellans cum Leone Iudaico, illum deuicit, protriuit, & detriumphauit. Heu, mansuetudo columbæ, Leonis exanimat furorem. Denique ad præsentem thesim tempestiuius, ita hunc locum exponit P. Maldonatus: Alij, inquit, existimant Deum columbam vocari, sed miris modis interpretantur. *Ego sic: Deum vocari columbam ad si-*

Exod 2. vers. 21.

Diodor. in Catena Lip.

Malus Pharao, qui Dei benignitate obseratur.

S. Zeno ser. in Euang. secundum Lucam. Hic vers. 5.

Ierem. 27. vers. 38.

Caue tibi à facie iræ columbæ, quæ in furorem tandem exasperatur.

S. Greg. 32. Moral. c 6.

Sanct. inib.

Mald. ibi.

gnificandum, quamuis mansuetissimus sit, tamen multitudine peccatorum ad iram prouocatum esse. Potest autem יונה diuersis punctis, vel columbam, vel opprimentem, vel inebriantem significare. O caue tibi ab hactenùs columba, & perdiu mansuetissimo; qui tandem multitudine peccatorum ad iram prouocatus, ira velut ebrius, & oppressor nuncupatur. Porrò blanda olim benignitas, iras nutrit, & imprudenter prouocata, ad peracerbam vltionem nimis exasperatur.

1. Tertul. l. de Pœnit. c. 2.

Tertullianus qua solet grandi loquentia, ita hâc super re fatur: Deus, inquit, postquam tot ac tanta delicta humanæ temeritatis, è principe generis Adam *auspicata*; post condemnatū hominem cum seculi dote, post eiectū paradiso mortique subiectum: *Cùm rursus ad suam misericordiam maturauisset.* Ita habent Pamelij codices. At Rhenatus, ita priùs scripserat: *Cùm rursus ad suam misericordiam errauisset.* Deúsne is est, qui cùm ab ira suppliciis exsatiata, ad suam benignitatem rediit, *errasse* dicatur? Error Deum dedecet, qui scopū sēper rectâ collimat. Sed viderint homines an hâc in re ipsi sint qui *errant*, dū misericordiam & lenitatem potiùs in hac vita malunt, quàm iram delictis nostris supplicia durè vibrantem: ô mallem nunc Deum iratum, quàm sic propitium: ô semper in humanis auribus tinniat hæc Dei vox: Ego quos diligo, arguo & castigo! Hic vre, hic seca vt in æternum parcas.

---

§. CCCCXVIII.

Bona punientis opinio, & celebris prudentiæ fama, acerbior pœnalissimæ punitionis vigor est.

2.

Malè de te opinantur homines. Sed mali. Mouerer, si de me Marcus Cato, si Socrates, aut Plato ista opinaretur. Nunc malis displicere, laudari est. Quorundam vituperia valdè iuuant ad laudis suffragium: æqua enim laus est, & à probis probari, & improbis improbari. Non potest vllam auctoritatem habere sententia, vbi qui damnādus est, damnat. Adhuc angeris, quod malè de te censeant, & suo non bono censu aduersus te garriant. *Mouerer, si iudicio hoc facerent:* nunc morbo faciunt. Non de me censent, aut loquuntur, sed de se. Benè nesciunt sentire, aut loqui: faciunt, non quod mereor, sed quod solent. Mouerer, inquam, si iudicio id facerent, nam qui iudicio damnat, verè damnū infert: neque enim tantùm pœnali cruciamēto corpus fecit, sed bonam etiam opinionem adæquatè sauciat. Plagam quam stultus aut iracundus infligit, infligentis stultitia, aut iracundia sanat; & ipsum periculum, à periculo asylum offert. Neminem ab his damnari pudet, neminem pœnitet: denotatus, ridet; accusatus, non se defendit; damnatus, gratias agit. Quid hoc mali est, cuius reus gaudet? cuius accusatio votum est, & pœna felicitas? Cōsulite commentarios vestros, (ait Tertullianus ad Romanorum Præsides) illic reperietis primùm Neronem in hāc sectam (Christianorū) cùm maximè Romæ orientem, Cæsariano gladio ferocisse. *Sed tali dedicatore dānationis nostræ gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest, non nisi grande aliquod bonum à Nerone damnatum.* Itaque vt laus est ab improbo improbari, ita grande damnum, & irremediabilis iactura est, à probo improbari, nam cùm pœna corporis, bonam simul opinionem nimis sauciat. Qui cum iudicio damnat, acerbiùs excruciat, probitas damnantis, exaggeratio pœnæ est. Laus est Iobi & Tobiæ, ab iis affligi, & vituperari, à quibus laudari, non longe forsan à probro foret. Ad pœnæ autem exaggerationem Israelitas hic dicit à Deo consultissimè castigari.

Grauius ferit, quisquis iudicio damnat.

Seneca de Remediis fortuit.

Gloriatur Ecclesia, quòd eius persecutiones Nero dedicauerit.

Tertull. Apol. cap. 5.

Hic v. 2.

2.

Psalmo 2. sic Pater Deus Christum suum adloquitur. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Per quæ verba, perspicuum est, durissimum prædici supplicium, quo inobsequentes, & regi suo Christo rebelles, castigandi sint. Non conuenit inter expositores, ecquod sit hoc supplicium, à quo, & in quos infligendum. Euthymius sic locum eruditè exponit: *Significare mihi videtur his verbis Propheta, Romanorum Imperium. Etenim cùm Christi regnum negarent Iudæi, sub Imperio Cæsaris se esse affirmantes, Cæsaris meritò potentiam sustinuerunt: à qua prorsus penè perditi sunt. Ferream verè eam dixit, veluti validam ac fortem: nam & Daniel in visionibus suis ferream eam etiam appellauit.* His verbis Euthymius exponit quam durè & acerbè Iudæi à Romanis castigandi forent. Ne quis autem putaret diris dumtaxat stragibus Iudæos à Romanis vexandos, & male concidendos esse; postquam dixit Propheta: *Reges eos in virga ferrea, tanquam vas figuli confringes eos*, continuò subdit: *Et nunc Reges intelligite: erudimini qui iudicatis terrā.* Quare ante mille annos Romanorum Imperatores, seuerioris supplicij executores designati, ad sapientiam excitantur? Quid auita intelligentia, & multimoda eruditione Imperatoribus opus est? Puto, durior miles è cōfragoso veniet, quàm ex gymnasio. Quid otio litterarum, cum operoso belli negotio! Feriendi sæuitia, & agrestè armorum tractādorū ingenium, in castris discitur, in scholis dediscitur. Dedicatus veniet è Bibliothecis miles. Quid ergo ad supplicij rigores, *intelligentiam & eruditionem*, in Romanorum regibus expotat? Peregrinè idem Euthymius, sibi concinens, notat, quòd postquam Romanorum reges tanti supplicij administros elegit, statim subdit: *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Dictio Nunc, hoc in loco rationem reddit: ac si dictum esset: Et propterea vos ô Romanorum reges, vosque ô Iudices qui in vniuersa estis terra, ex quo addiscere potuistis, quātis calamitatibus oppressi fuerint hi qui Christū hūc temerè reprobauerūt, vos omnes inquam moneo, sapientes estote, & deiectâ priori illâ amentiâ, erudimini tum ab iis, tum à scripturis etiam diuinis.* Scilicet vbi primùm dixit Propheta, Romanos ante tot secula destinatos esse, vt *virga ferrea* malè concidāt Iudæos, & tot strages edāt; continuo, ne quis eos barbaros & agrestes reputet, & inde Iudæos acerbius punitos excuset, subdit: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terrā. Dictio Nunc hoc in loco rationem reddit: ac si dictum esset: Et propterea vos, ô Romanorum reges, vos omnes inquam moneo, sapientes estote, & abiecta priori illa amentia, erudimini, tum ab iis, tum à Scripturis etiam diuinis.* Quasi dicat: Verè *virga ferrea* ferientur Iudæi Christi negatores, si non tantùm atrocitate supplicij infligendi per Romanos, sed etiam illorum celebri

Non tam pœna, quàm iudicium punientis reum laniat.

Euthym. infra allegandus.

Psal. 2. v. 10.

Euthym. ad eum locum Psalmi.

celebri *intelligentia* opinione moleſtentur. Eruditior Romanorum ſapientia, ad omnem prudentiam & iuſtitiam excu ta, rerum excuſationibus aditum præcludet; nec pu abitur agreſtis ſæuitia, ſed ſeuera iuſtitia. Quantum punientis auctoritati adiicitur, tantùm Iudæorum excuſationi detrahitur, ad pœnæ incrementum. Romanorum gladius, ad corporum excidium exacuitur; eorundem prudentior eruditio, ad famæ ſtrages ante tot ſecula conſultiùs præparatur, tela confodient corpora, prudentior ſapientia, punitorum opinionem, de punientis iudicio ſauciabit. Pœna corpus ferit; bona ferientis opinio, rei caſtigari famam laniat. O quàm ſunt timenda tela, quæ iudicium vibrat! Quis refigat iaculum, quod opinio iaculantis infixit? perpetuo hærebit lateri lethalis arundo, nullo medicamine refigenda.

1. Matthæi 26. comprehenſo Domino, deſtinâ trahitur in domum Pontificis, qui concilio ſeniorum præſidebat. Solemnis iudicij forma ſpecie tenus ritè peragitur: teſtes in concilio ſiſtuntur, reus interrogatur de crimine, & quem dudum inconſulta inuidia prædamnauerat, auctoritate conſultiſſimi Senatorum concilij tandem damnare ſatagit, vt eò grauior eſſet pœna, quo à ſublimiori damnantis auctoritate venit. Videns autem Ieſus ſe non tantùm ad mortem crudeliſſimam addici, ſed auctoritate conſilij iudicantis condemnari, ad exaggerationem pœnæ, qua non tam corpus tormentorum lanienæ; quàm eius etiam opinio famæ laceratione excruciabatur; tunc tempeſtiuè dixit: *Veruntamen dico vobis, amodò videbitis Filium hominis ſedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.* Quod idem Euangeliſta nuper retulerat, aiens; *Cum venerit Filius hominis in maieſtate ſua.* Quare Chriſtus cùm auctoritate totius concilij videt ſe damnari, maieſtatem qua apparebit in ſupremo iudicio confeſtim allegat? Cur tanta auctoritas Chriſti iudicaturi in vltimo iudicio vbique inducitur? Quid neceſsè eſt, vt tunc appareat in ſede maieſtatis, & à dextris virtutis Dei auguſtiſſimè ſedens? Enucleatè ad rem Tertullianus: *Duobus enim aduentibus Chriſti ſignificatis, primo qui iam expunctus in humilitate conditionis humanæ; ſecundo qui concludendo ſeculo imminet in ſublimitate diuinitatis exerta.* Scilicet cùm Filius hominis iudicis perſonam aget in ſupremo mundi iudicio, tunc in ſumma maieſtate, & à dextris virtutis Dei apparebit, ſplendidioribus diuinitatis notis auguſtior. *In ſublimitate diuinitatis exerta*; vt non ſolum reprobos ad atrociſſimas gehennæ pœnas conſecret; ſed dum de *diuinitatis exerta ſublimitate* condemnat, rationabilis pœna de ſublimiori iudicis auctoritate veniens, acriùs puniat, dum damnatorum opinionem acerbiùs dilacerat honoris laniena. Exinde cum iamiam cadentem ſententiam contra ſe de conſultiſſimo Senatorum conſilio Chriſtus aduertit, tantò acerbiorem, quantò Senatus putabatur conſultior; tunc, tunc quidem conſultiſſimè adducit finale iudicium, cui ipſe in auguſtiori maieſtatis ſuæ ſolio Præſes ſedebit, à dexteris virtutis Dei, *in ſublimitate diuinitatis exertæ.* Vbi hi Senatores, qui concilij auctoritate bonam Chriſti opinionem lacerare moliti ſunt, ſumma iudicantis Chriſti auctoritate, à dextris Dei ſedentis, & radios diuinitatis ſplendidiùs reuerberantis, pœnaliùs condemnentur. Exerta Chriſti iudicantis diuinitas rationabilem comprobat inflictam damnatis pœnam; & inde tormenti acerbitas exaggeratur.

Cur Chriſtus damnari concilio ſummam ſui maieſtatem in finali iudicio proponat.

Matth. 26. v. 64. & cap. 25. v. 31.

Tertullian. Apol. cap. 21.

P. Didac. de Celada in Tobiam.

2. Lucæ 23. Pilatus officioſitate crudelis, Chriſtum ad Herodem remittit. Gaudet Rex feſtiua ad nutum miracula expectans; ſed Chriſti ſeuera taciturnitas Herodis ſpem conſtanter fefellit: qui corpoream Dei ſapientiam, contemptim inſipientiæ damnat. *Spreuit autem illum Herodes cum exercitu ſuo: & illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum.* Nempè ab eo damnatur Chriſtus; quaſi veſanæ ſtultitiæ reus, à quo probrum foret abſolui. Sceleratiſſimi hominis iudicium, Chriſtum dum probroſè damnat, glorioſiùs abſoluit? & è peruerſo nobilitat. Qua ſuper re ita Philoſophatur Ambroſius: *Nam otioſum quòd veſte alba induitur ab Herode, immaculatæ tribuens inducia paſſionis, quòd agnus Dei ſine macula cum gloria mundi peccata ſuſciperet.* Scilicet cùm Chriſtus ab Herode, ab Herode inquā iniquiſſimo, ſtultitiæ damnatur: veſte alba conſultiſſimè induitur, vt Saluator præclara innocentiæ notacula damnatione præferat & mundi peccata paſſione ſua luenda, *cùm gloria* ſuſcipiat. Porrò ſicut à probis improbari, ingens probrum eſt; ſic improbari ab improbis, inſigne innocentiæ eſt, & damnationis glorioſa commoditas.

Lucæ 23. v. 11.

Herodis damnatio illuſtrioris gloriæ commoditas eſt.

Ambr. ibi.

§. CCCCXIX.

Rationabilis pœna, ſcelus, non ſceleſtum perſequitur.

3. Aliquando caſtigatio neceſſaria eſt, ne de impunitate inſoleſcat malitia, & non bono exemplo flagitioſiùs ſerpat: ſed hæc fiat ſincera cum ratione: non enim nocet, ſed medetur ſpecie nocendi. Itaque corrigendus eſt is qui peccat, primùm blanda beneuolaque admonitione. Non emendatur lentis mollibuſque: vt vtatur aſperis auſteriſque remediis: meliorque tam ſibi quàm aliis faciendus eſt, non ſine dura coercitione, ſed ſine odio & ira. Quis enim cui medetur, iraſcitur? At corrigi adhuc nequeunt? Tollantur è cœtu mortalium, & quo vno modo poſſunt, deſinant eſſe mali; ſed hoc ſine odio. Quid eſt enim cur oderim, cùm maximè proſum, cùm illum ſibi eripio? Non eſt illa ira ſed miſera curatio. Nil minùs quàm iraſci odiſſeque punientem decet: cùm eo magis ad emendationem pœna proficiat, ſi iudicio lapſa ſit. Ergo ad coercitionem errantium ſceleratorumque, odiente iratoque caſtigatore opus nō eſt: nam cùm ira odiumve peccatum animi ſit, non oportet peccata corrigere, ſed peccantem: odium autem peccantis, non illi bonum correctionis, ſed moleſtiæ malum procurat affectu peruerſo vltionem, non pœnam intendente. Differunt autem pœna & vltio: nam pœna eius qui patitur gratia fit, vltio verò eius qui facit. Ergo bonus morum pædagogus, delicta perſequatur, non delinquentem, flagitia auerſetur, non flagitioſum, cuius potiùs miſereri beneuolentiùs debet, quo miſeriorem videt. Puro non iraſcitur peccatis qui iraſcitur peccatoribus.

Bonus corrector, peccatis, non peccantibus iraſcitur.

Hic verſ. 5.

4. Iſaias nobilis & Euangelicus Vates, (cui ſicut in proſperis, ſic etiam in duris Euangeliſtæ apprimè concinunt) hanc impiis ſententiam Dei nomine fulminat: *Et egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati ſunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extingue-*

Iſaiæ 66. v. 24.

Marci 9. v. 44.

tur: & erunt vsque ad satietatem visionis omni carni. Omitto nunc Damnatorum conscientiam perennante vermium mortificatione corrodi, sero perpetuæ corrosionis sensu, inexpiabilẽ iam culpam frustrà incusante. Mitto etiam æternum dedecus, spectatorum semper oculis lancinantibus exulceratum. Et sciscitari curiosiùs lubet, quo pacto inferorum ignis, qui viua damnatorum cadauera misera vstione decoquit, *inextinguibilis* dicatur. Quomodo sacer ille ignis, voracis suæ naturæ oblitus, Damnatorum liquentia viscera non absumit; sed vnde damnata natura dat pabulum, inde quodammodò accipit incrementum? Ebrius semper voracitate ignis, sic apud inferos sobrius est: Viuit ignis de sui pabulo, & rursùs de igne pabulum reparatur: Arcanum gehennalis ignis mysteriũ subtiliter edisserit Emisenus (aliàs aliorsùm enucleatus) *Ignis eorum non extinguetur. Illa enim non casualis: sed rationabilis & pœnalis exustio, quia culpam iubetur inquirere, substantiam nescit absumere.* Scilicet inquisitor & punitor ille gehennæ ignis, dum scelerati culpam, quam puniat, sagacius perquirit, scelerati substantiam nescit absumere. Parcit peccanti, & peccatum medullitùs adhuc hærens, pœnali exustione persequitur. Exindéque forsan *rationabilis* dicitur, quia rationalem normam punitionis tradit, non absumens substantiam, sed culpam pœnalissimè vt par est, perquirens. *Illa enim non casualis, sed rationabilis & pœnalis exustio, quia culpam iubetur inquirere, substantibus nescit absumere.* Damnato quippe remanet quod damnat, præteriit quod delectat: consummata iniquitas permanet, voluptas fugitiua pertransit: tardè siquidem sibi displicebit in conspectu gehennalis *rationabilisque* flammæ, quæ interrogabit eius ossa & medullas, & mentis cogitationes abstrusas, omniaque omnino delicta, in conscientiæ charta descripta perleget. Cùm ergo delicta æternum maneant nullâ pœnitudine expianda, illa *rationabili* pœnalique exustione persequitur, & quam non odit damnati substantiam, nescit vnquam absumere. *Nescit*, ait Emisenus; nam sacri ignis exustio rationabilis & pœnalis, tantum scit fatigare peccata, nescit peccatorem absumere. Delictis, non delinquentibus irascitur; peccata non peccatores persequitur: & quia culpam damnati iubetur pœnali exustione inquirere, *substantiam nescit absumere.* Pulchrè quidem Emisenus.

Rationabilis gehennæ ignis, quia damnati culpam iubetur punire, eius substantiam nescit absumere.

Emisen. homil. 1. ad Monach.

3. Matthæi 18. peramplam iudicandi potestatem Apostolis Christus Deus tradit, aiens: Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erũt ligata & in cælo: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Hilarij, Chrysostomi, & Theophylacti interpretatio duriuscula videtur, qui *congregari* nihil aliud esse putãt, quàm quòd paullò antè dixit, *consentire*, id est, amicitiâ propter Christum iungi. Cùm enim Christus dicat, *Ibi sum in medio eorum*, perspicuum est, & eum de cœtu, & consessu agere, in quo se tanquam iudicem medium sedere significat. Porrò, vt doctè notarunt P. Ioannes Maldonatus, & P. Didacus Daza, alludere hic videtur Euangelista, ad Iudæorum consuetudinem, qui in Synagogis iudicium exercebant, iuxta illud Psalmi 81. *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat.* Chaldaicè, *In medio iudicum.* Vnde in more positum fuit veteres Christianos, in Ecclesiam conuenire solitos, cùm aliis de causis, tum etiam vt iudicia exercerent, & in admissa crimina publicè animaduerterent. Sic Tertullianus in Apologetico: *Castigationes ex censura diuina; nam & iudicia magno cum pondere, vt apud certos de Dei conspectu.* Quid est quod Iudicum subsellia Christiani olim in tẽplis erigebant, ibique in conspectu Dei disquirebant reorum crimina, illaque pro meritis castigabant? Nil hodie tam sollerter curat Iudex, quàm præcauere ne reus in sacrosanctum Dei templũ confugiat, ne loci sacri immunitate potiatur, & ius asyli in Ecclesia inueniat. Moralissimè quidèm in Dei olim templo iudicia exercebantur, disquirebantur, & puniebantur crimina; vbi de sacri asyli priuilegio, indemni securitate rei persona tuta erat. Quo palam denotetur, Christianè pios Iudices delicta, non delinquentes persequi. Ergò tutus sit reus in templi asylo, dum eius crimen inquiritur, & punitur; vt de personæ securitate charitas iudicis innotescat, dum securo reo de asyli priuilegio, merum reatum Iudex fatigat. Inde ad exercenda iudicia, non tam in carcere, quàm in asylo delinquentem collocant, vt reus in tuto positus animaduertat, non contra se sed contra reatum caussam intendi; & saluâ beneuolentia *castigationes ex diuina censura* potiùs, quàm ex Iudicis bile procedere.

Matth. 18. v. 10.

Olim in iudiciis collocabatur reus in asylo.

Mald. ibi. Daza in epist. Iacob. cap. 1. ad vers. 10. n. 11. Psalm. 81. v. 1.

Tertull. in Apolog.

Geneseos 42. Iosephus fratres cognoscens, & incognitus à fratribus duriùs cum illis quasi cum exploratoribus agit. Tradidit ergo illos custodiæ tribus diebus. Die autem tertio eductis de carcere, adhuc acerbè illos tractat. Et locuti sunt adinuicem. Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes, angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus: idcirco venit super nos ista tribulatio. *Nesciebant autem quod intelligeret Ioseph: eo quòd per interpretem loquebatur ad eos.* Qua super re ita acutè addubitat Augustinus: *Quid est autem*, inquit, *quòd cùm inter se pœnitentes filij Israel, loquerentur de fratre suo Ioseph, quòd cum illo male egerint, adiungit Scriptura: Ipsi ignorabant quod audiebat Ioseph, interpres enim inter illos erat.* Estò, prudenter fratres existimauerint, Iosephum Hebraicè nescire, eò quòd cum illis per interpretem loqueretur: at cur de garrulo & multilingui interprete, non sibi cauent? Tot annis tectiùs celatum flagitium sic temerè produnt; sic inconsulta malitia est; sic incautum scelus; de rimosa delictorum conscientia. An potiùs quia iam *pœnitentes* (vt notanter aduertit Augustinus) de delicto loquuntur, nil iam sibi cauendum putant? (ô persuasio præmaturè Christiana!) An quia asperioribus verbis, carcere, & vinculis castigatum suum facinus nouerunt, nil iam de illius publicatione, seu punitione timent? Sic nefas putatur peccati semel puniti iterare supplicium. Seuerum scilicèt experiuntur Ægypti Præfectum, & mortem peracerbe minitantem; at dum per *pœnitentiam*, angorem, carcerem, & vincula, aduertunt castigatum & emendatum fuisse delictum? nil verentur illud coram Præfecto, ac Præfecti interprete palam confiteri. Sic percrebuit apud gentes, nec in barbarâ Ægypto, iustitiæ Antistitem persequi scelestum potiùs quàm scelus? Vnde dum animaduertunt, scelus *pœnitentia*, & suppliciis expunctum, nil timent coram Iudicis interprete, ipso etiam Iudice præsente, illud audacter propalare. Nam rationabilis pœna, quia culpam iubetur inquirere, culpatum nescit absumere. Laudatior Præfecto 4.

Cur Iosephi fratres, suum scelus coram interprete, produnt.

Genes. 42. v. 25.

August. in qq. super Genes.

Præfectorum pollitia, scelera, non scelestos (quantùm res patitur) perimere ambit. Aliud est iudicina, aliud carnificina.

5. Tertul. l. 2. contr. Marc. c. 11. *Tibi misericordiam, rei à te malè gestæ, Deus iustitiam præstat.*

Tertullianus loquens de supplicio, quod Deus præuaricatori Adamo inflixit, ita ad rem eleganter scribit: *Exindè homo* (post peccatum) *in scorteis vestibus, sed antè sine scrupulo nudus. Ita prior bonitas Dei secundum naturam, seueritas posteriùs secundùm caussam. Illa ingenita, hæc accidens*: (ne te fallat insolens loquendi modus) *illa propria, hæc accommodata: illa edita hæc adhibita. Nec natura enim* Dei *inoperatam dabit continuisse bonitatem, nec caussa dissimulatam euasisse seueritatem.* (nota verba, quæ subdit) *Alteram tibi, alteram rei Deus præstitit.* Tibi misericordiam, rei verò à te malè gestæ rigores iustitiæ præstat.

---

§. CCCCXX.

Inopia pauperis est census diuitis: qui de misericordiæ opulentiâ ditatur.

1. *Cur Deus largè munificos pauperes in hoc mundo esse permiserit?*

Deus noster pauperes in hoc mundo esse permisit, vt in pauperum misericordia diuitibus misereretur, & beneficum locupletem etiam alienâ inopia ditaret. Porrò tam ingentia de egeno misericors diues lucra reportat, tam mirifico ac lucroso commercio inopi misericordia temporalis confertur, vt & de æterno cælestis gazæ thesauro opulentetur, & temporalium diuitiarum labentem fluxum, & ancipitem possessionem sistat, & in se diutiùs confirmet, largitatis beneuolæ retinaculo. Ecce tibi & diuiti, & pauperi simul consultum est. Opulentia diuitis, thesaurus sit pauperis, nequid pauperi vnquam desit, cui diuitum gazæ vectigales sunt. Et misericordia diuitis, opum congerendarum arbitrium sit: munifico enim diuiti, nihil vnquam deerit, de commercio misericordiæ nouas semper è cælo opum vsuras largiùs recipienti. Nunquam erit pauper qui semper pauperi diues est. O arcanum opum sibi coaceruandarum artificium, de misericordiæ adytis piè argutum! Sibi opes inuidet, quisquis hanc benignitatis vsuram negligit. Esto manus pauperum, diues opulentorum gazophylacium. Quicquid pauperi donas, tibi vberiùs accipis. Hinc Tobias filio suo benignitatem in pauperes, velut testamento reliquit, morti proximus, opulentum planè censum. *Quomodo poteris*, inquit, *esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Premium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis.* Et hîc Deus propter benignitatem suam saluasse nos dicitur, qui diues est in misericordia.

Tob. 4. v. 10.

Hic vers. 5.

2. Matthæi 24. postquam Euangelista denarrauit prodigia quæ in terris finale iudicium anteibunt; transit ad horrifica portenta, quæ supra rerum naturam prodigiosè in cælo apparebunt, quò dignum impietatis terrorem audaćter impiis acerbiùs incutiat. *Statim*, inquit, *post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur.* Esto, miraculum sit Solem de se splendidum, & cælestium fulgorum conceptaculum, ad mundi interitum atrâ caligine funestari. Miraculum etiam erit, stellas à primordio cælis tenacissimè fixas, cælesti sede relictâ, in terras præcipitanter delabi. Nunc non examino cælestium Virtutum pauidum tremorem, cælis (vt opinor) peregrinantem: Sed ad rem præsentem enucleare libet, quid sit, *Luna non dabit lumen suum.* Sententia quidem, si specie tenus vibretur, censura expedita & facilis; si penitiùs emedulletur, mysteriorum grauidè opulenta. Quare Luna, (celebratum benignitatis symbolum, dum miseræ nocti, & solatio, & auxilio est, & tot beneficis influentiis terras, & maria diuitat, Solis splendoribus illustrata) non obscurari, sed *lumen suum* non datura dicitur, quod elogium potiùs quadraret in Solem? Et quid est, *non dare lumen suum?* an lumen non habere, sicut nunc de Sole dicitur? an lumen, quod in se habet, aliis non beneficè præbet? Subtilissimè Caietanus (litteralissimè, non opinor) ita præfata verba commentatur: *Et Luna non dabit lumen suum. Hinc significatur, quòd Luna habens lumen suum, non dabit illud .... hic autem non dicitur, Luna non habebit, sed non dabit lumen suum.* Ecce tibi cæleste prodigium in Lunâ (quæ est largioris beneficentiæ symbolum) miraculosè apparens, nec admirabilitate reliquis impar. Nempe quòd Luna accipiens lumen, quo & se illustret & alios lucendò largè illuminet, lucis & influentiarum ope; cùm aliis non impertiat luminis solatium, & influxuum largitatem, nihilo minùs ipsa in se lumen habeat. O grande prodigium, quòd cùm non det beneficum lumen, illud adhuc habeat; neque illud amittat, quia illud non dedit. O pium auaritiæ ænigma! Erogando habes, quod si non eroges, non habebis. Largiendo lucraris misericordiæ commercio, quod si non largiris, auarè perdidisti: inde accipiens incrementi vsuram, vnde credi poteras, totum te censum amisisse. Magnum ethicè miraculum, quòd non dicitur *Luna non habebit, sed non dabit lumen suum.* Nam quod habet, vt donet; dum non donat, non habere, sed amisisse videtur. Esto ergò pauperi diues, ne sis tibi pauper: da misero, ne incipias esse miser. Quod accipis, vt dones; si non donaueris, amisisti. An miracula expectas, auaritiæ indebita? de cæli gymnasio misericordiam edisce. *Milagros es que la Luna sin dar luz, la tenga.*

Matth. 24. v. 19. *Miraculum censetur, quòd Luna non dans lumen suum lumen in se habeat.*

Caiet. ibid.

3. Ad Ephesios 2. vniuersatim præstringit Paulus eorum flagitia, qui à Christo aberrarunt; in quibus & nos, inquit, aliquandò conuersati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum, & eramus natura filij iræ sicut & ceteri. (Nota verba, quæ subdit Apostolus) *Deus autem qui diues est in misericordiâ, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, &c.* Profundè dixit Paulus, quòd Deus est *diues in misericordia.* Sed disquirere lubet an Deus dicatur diues in misericordia, quam habet, an in misericordia, quam facit? Scilicet (si scholæ terminis extra scholarum puluerem loqui licet) misericordia formaliter, an actiuè vsurpata? Audiendus est Hugo Carensis, qui qua solet subtilitate, ita hac super re scribit: *Deus qui diues est in misericordia, sicut dicitur: Iste homo habet magnum thesaurum: & misericordia Dei est quasi infinitus thesaurus. Vnde Matthei 21. Dicite quia Dominus his opus habet: Per asinam & pullum peccatores significantur, quibus videtur Deus indigere ad hoc vt expendat thesaurum misericordiæ suæ. Sicut dicitur de aliquo qui magnum thesau*

Ad Ephes. 2. v. 4. *Deus diues est de censu donorum, qua hominibus præstat.*

Hugo ibi.

Matth. 21. v. 3.

Pius ille pater prodigo filio indiget, vt diues habeatur.

thesaurum habet, & filium prodigum: iste indigebat tali filio: aliter nunquam expenderetur thesaurus eius. Longiuscule, sed bellissimè. O Deus beneficâ erga miseros largitate diues! Inopia hominis Deus indigere dicitur, vt diues esse dicatur: De humanâ paupertate Deus nominatur diues: Deus nullius rei indigus, indigentiâ eget humanâ vt diues habeatur: Si hominum infirmitas, malitia, imbecillitas, miseria, & paupertas defuisset, omnis Dei benefica largitas vacare putaretur: Diues est in misericordiâ, quam largè miseris præstat: Aporiatus est Deus, quando nemo occurrit, cui benefaciat: Infinitus Dei thesaurus, quasi nullus est, hominibus dum vacat, nec miseris succurit: O disce ex hac Dei charitate, (quam hîc Paullus *nimiam* appellat) quòd diues est, qui suas opes indigentibus opulentè erogat. quasi quod non datur ad pietatem, non computetur ad censum.

4. *Ad Roman. 10. v. 12.* *Deus, quod donat, thesauris suis reponit.*

Paullus ad Romanos cap. 10. *Non est*, inquit, *distinctio Iudæi & Græci: nam idem Dominus omnium diues in omnes qui inuocant illum.* Doctè inibi addubitat Ambrosius, quomodo Deus dicatur omnium Dominus, & duntaxat dicatur diues erga eos qui eum inuocant; An Deus adspectu ad quemcumque potest non esse diues, qui in se opulentis suæ omnipotentiæ thesauris diues est, Qui sibi omnipotenter sufficit, diues omnibus modis censetur. *Cùm ergò*, ait Ambrosius,

Ambros. inibi.

omnium Dominus sit, diues tamen non est, nisi in iis qui inuocant illum, quia ipsi accipient remunerationem. Perfidis autem non est diues, quia participes non sunt bonorum eius. Ecce tibi Deus noster, *diues* non dicitur erga eos, qui munerum suorum non sunt participes; sed in illos duntaxat, quos opulenter munerat quasi plus donando, magis ditescat, noua liberalitatis vsura. *Lucrantur Principes dona sua; & hoc verè thesauris reponimus, quod famæ commodis applicamus.*

Cassiod. lib. 2 epist. 23.

O arcanum principalis beneficentiæ lucrum, non tam ex bonis abundanter possessis, quàm ex muneribus largiter condonatis, opulenter diuitari! Exindè munifico largitoris beneficentiæ lucro, Deus dicitur *diues in omnes, qui inuocant illum, quia ipsi accipient remunerationem. Perfidis autem non est diues, quia participes non sunt bonorum eius.*

Matthæi 24. scribuntur verba, quæ non satis videantur cohærere cum elogio sapientiæ Christi Dei: in eo enim sunt *omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei.* adeò vt nihil Christi notionem effugiat: & tamen discipulis suis curiosè sciscitantibus de tempore quo finale iudicium celebrandum erit, his verbis respondet: *De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus Pater.* Nimis hæc sententia Dominicæ sapientiæ videtur detrahere; nescientia enim in Deum non cadit: ergò aut Deus non est, qui aliquid videtur nescire; aut satis verax non est, qui quod benè nouit, malè nescire fatetur. Aut non debuit nescire quod est, aut non debuit simulare inscitiam eorũ, quæ planè nouit. Sic tenuitas humana garrire ex hoc loco solitat aduersus profundiorem Christi Dei sapientiam, vt de tenuitate sua eam extenuet. Verùm S. Augustinus qua solet pia ingenij subtilitate, sic clarat præfatam Euangelij sententiam: *Benè autem accipitur quod dictum est solum Patrem scire secundum prædictum modum sciendi, quia facit Filium scire. Filius autem nescire dicitur, quia non facit homines*

Matth. 24. v. 36. *Christus non scire dicitur, quod alios scire non facit.*

August. lib. 83. qq. in q. 60.

scire. Litteralissimè quidem, & moralissimè. Nempè Christus (in quo sunt omnes *thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*) illud nescire quodammodò dicitur, quod non facit scire. Sicut Pater hoc modo scire perhibetur, cuius scientiam Filio communicat. O plenissimos sapientiæ thesauros, de diuinitate prædiuites, de communicatione etiam vbertim opulentos! Hæc doctrina ad homines sapientia illustres, translata, valdè vtilis est: nam humana sapientia communicatione suscipit incrementum; & auarum dedignata possessorem nisi publicetur, elabitur. Satis sapiens non est, qui, sibi soli sapiens est.

§. CCCCXXI.

Miraculi adinstar est, quòd vnius moris homo, in domo improbis conuictoribus frequenti, innoxiè habitet.

IN vltimas licet expellaris terras, in quolibet Barbaræ angulo colloceris, hospitalis illa qualiscumque sedes erit. Magis quis veneris, quam quò intersit: & ideò nulli loco addicere debemus animum. Cum hac persuasione viuendum est. Non sum vni angulo natus, patria mea totus hic est mundus. Non peregrinaris, sed erras, & locum ex loco mutas, cùm illud quod quæris, benè viuere, omni loco positum sit. Numquid tam turbidum fieri potest quàm forum? Ibi quoque licet quietè viuere, si necessè sit. Sed si liceat disponere se, conspectum quoque & viciniam fori procùl fugiam. Nam vt loca grauia, etiam firmissimam valetudinem tentant, ita bonæ quoque menti, nec dum adhuc perfectæ & conualescenti, sunt aliqua parum salubria. Dissentio ab his, qui in fluctus medios eunt, & tumultuosam probantes vitam, quotidie cum difficultatibus rerum, magno animo colluctantur. Sapiens feret ista, non eliget; & mallet in pace esse quàm in pugna. Non enim multum prodest vitia sua proiecisse, si cum alienis rixandum est. Salua autem bonæ conscientiæ valetudine, in medio foro quietè viuere, & in vitiorum mutuò rixantium vicinia versari sine morum contagio, grande virtutis elogium est, & magno Tobia dignum, qui *cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat Rex Israel, hic solus fugitabat consortia omnium*: nec aliena malitia bonam illi mentem excutere hîc potuit, quamuis diuturna conuersatione pestilentes inhalaret mores. Tu caue tibi ab hac peste, mores sensim toxicante.

1. *Senec. epist. 28*

Difficile est, quod malorum conuictus, mentem conuictoris bonam non excutiat.

Tobiæ 1. v. 5.

Hic vers. 7.

2. Regius Psaltes dum psal. 67. exitum filiorum Israël ex Ægypto, & itum in terram promissionis pangit; simul viam incipientium, proficientium, & perfectorum in re virtutis adumbrat: Cantate, inquit, Deo, psalmum dicite nomini eius: iter facite ei qui ascendit super occasum. Dominus nomen illi, *Deus in loco sancto suo: Deus qui inhabitare facit vnius moris in Domo.* Totus hic Psalmus in paucis impeditus est, neque hic versiculus difficultate feriatur. Quis est hic locus sanctus in quo habitat Deus, cùm suum Israëlem ductat? & quis hic est, qui in ampla domo *vnius moris est?* Anselmus Laudunensis ita priorem huius sententiæ partem commmentatur: *Deus in loco sancto suo, quo non extra nos, sed in nobis.* Nempe Deus per desertum quadraginta annos

Psalm. 67. v. 6. & 7.

Anselmus Laud. ibi.

Quàm sit difficile quòd homo vnius moris in ampla domo habitet.

nos ductans populum pertinacem, & rebellem, dum familiariter agebat cum pauculis sanctitate præluſtribus, in medio hominum nequam verſantibus, nec eorum contagio deprauatis; quasi res mirissima dicitur, quod adhuc Deus habitat *in loco sancto suo*. Quod posterior hemiſtichij pars explicatius ad rem elucidat, dū subtexitur: *Qui habitare facit vnius moris in domo*, id eſt, Qui ad præclarum virtutis tuæ, & omnipotentis gratiæ exemplum, mirabiliter efficis, vt inter contubernales, domeſticos, & familiares improbiſſimos commoretur quiſpiam alterius moris, & prorsùs ab illis diuerſi. Mirissimū quippe eſt, quod inter domeſticos ſceleratores, homo conuictorum contagia non ſentiat, nec contubernalium frequens turba, & malignus aſſiduè comes, quantumuis candido, probo, & ſimplici rubiginem ſuam non affricet, & conſimilem prauitatem allinat, & per oculos & aures conuictorum malitiam non ſenſim hauriat. Quaſi vicinia, & conuerſatio vitia commodet, imprimat, exprimimat, contubernij faſcino. Itaque tanquam res peregrina, de protectione Dei erga ſuos electiſſimos dicitur: *Qui habitare facit vnius moris in domo.* Homo vnius moris à reliquis prauè viuentibus in eadem domo, res mirior ſolitis eſt, & prodigij adinſtar. Fortè hùc adludit (etſi aliò tēdat) Caietanus ita præfata verba ex Hebræo exſcribens, & de ſuo exponens: *Deus faciens ſedere vnicos domi, quod eſt reddere ſecuros homines, qui ſoli domi ſunt.* Nempè *vnius moris* hominem conſultiſſimè appellat *vnicum*, quaſi reliqui habitatores ſceleſtis moribus noti, vix hominis appellatione digni ſint; homines enim ſunt ancipites, ambigui, incerti, & qui plus de belluino, quàm de humano ingenio participant. Ergò grāde prodigium repu andum eſt quod *vnius moris* homo, in perampla domo, & numeroſa familia, à conuictorum contagio *ſecurus* ſit, & inter eos innoxius aſſiduè verſetur. Igitur iure optimo Pſalmographus pangit: Cantate Deo, pſalmum dicite nomini eius: Deus in loco ſancto ſuo, *Qui habitare facit vnius moris in domo.*

Caietanus ibi.

3. Dauid Dauidi concinit, & huius veritatis ſtrenuus vindex, ſic adhuc pangit in Pſalmo 30. *Perfeciſti eis, qui ſperant in te, in conſpectu filiorum hominum.* Quid eſt hoc quod Deus omnipotēter erga iuſtos perfecit, tanto ſpectatorum plauſu; & protegentis gratiæ præconio? *Abſcondes*, inquit, *eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum.* Quæ eſt hæc *conturbatio*, à quā Deus Iuſtos protegit in abſcondito faciei ſuæ! Nonnulli ſic locum exſcribunt, & exſcriptione interpretantur: *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à congregationibus viri, ſiue virorum.* Sic congregatio hominum ſceleſtorum, Iuſti mores inquietat, & cōturbat, vt Iuſti *conturbatio*, & *congregatio* hominum iniuſtorum, ſynonima ſint. Diuinæ faciei aſylo opus eſt, vt à contubernalium malitioſo faſcino Iuſtus ſit tutus. Probiſſimus quiſque, qui iam mūdi exul, in cælos coloniam duxit; & meliore ſui parte, mundo mortuus, animo in cælis ſepultus eſt, nec tam ſeculo, quàm Deo viuit; ille, ille quidē, in diuinæ faciei abſcōdito, à cōgregatione nequā hominum contutandus eſt. Et nō ſuppetebat alius facilior modus Iuſtos tenendi à peſtilenti conuictorum contagio: Aut exgrex debet eſſe ab improborum contubernio, & ſolitariam vitam agere; aut in ſacris diuini vultus latebris abſcondēdus eſt. Pulchrè S. Cyrillus Alexādrinus: *Modus enim peccandi nondum in terris apparuerat, cùm homo vnus tantummodò eſſet.* Nimirùm cùm Adā ſolus in mundo erat, necdumque aderat comes, quæ exemplo, ſuaſione, & illecebris illum incitaret ad culpam; nec Diabolorum aſtutiſſimo ſuppetebat *modus*, quo illum ad peccandum efficaciter inſtigaret. Exgrex peccati fuit, dum ſolitarius vixit, & à culpa prorſus immunis: at vbi congrex factus eſt, quia in abſcondito faciei diuinæ defenſus non fuit; ſibi relictus, non bonæ comitis mores arripuit, hauſit, expreſſit: *Modus enim peccandi nondum in terris apparuerat, cùm homo vnus tantummodò eſſet.* Sic eſt arduum, quod homo *vnius moris* habitet in amplā domo, ſceleratorum vtens conuictu! Diuinæ faciei ſacro aſylo opus eſt, vt in cōgregatione hominū nequam, vir probus improbitate exēptus ſit: Quouſque conuerſatio hominum eſſe cœpit, nondum *peccandi modus* in terris apparebat. O caue tibi à periculoſo hominum contubernio! Teſſeram virtutis ferant oculi, ferant aures, ferat animus; ne vel amica conuictorum hoſtilitate cadas.

Pſalm. 30. v. 1.

Cùm homo vnus erat, modus peccandi in terris non apparuit.

Cyrill. Alex. lib. 1. in Geneſ.

4. Lucæ 19. ſuſpiciens Ieſus vidit Zachæū, ſtatura puſillum, fœnore magnum, publica furacitate famoſum; & dixit ad eum. Zachæe feſtinans deſcende? quia hodie in *domo tua* oportet me manere. *Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes quod ad hominem peccatorem diuertiſſet*, &c. Profectò (verba ferè Chryſologi ſunt) *cuius domum non intrauerit Chriſtus, ille ad diuinam non peruenit manſionem*: & cuius hic ad menſam nō ſederit Chriſtus, ille cæleſtem non accumbet ad menſam. Gaudet Zachæus quia in domo ſua ſuſcepit ſuſceptorem ſuum, quia paſtorem ſuū paſcit, *quia reus iudicem ſuffragio humanitatis inclinat, quia cibi & potus fœnore debitorem ſuum ſibi facit, & acquirit*: & ſic fit, vt quæſtum non perdat publicanus iſte, ſed mutet. Sed (ô malum!) cùm homines viderēt, quod Ieſus probitatis fama celebris, ad Publicani domum auaritiæ facinoribus infamē, vltro diuertiſſet, habitatorum contagione Chriſtum fore inficiendum audacter præſumunt. *Et cùm viderent omnes, murmurabant, dicentes, quòd ad hominem peccatorem diuertiſſet.* (Ad quæ verba adhuc fatur Chryſologus) *Et quis ſine peccato? Et ſi nemo: ipſe ſibi veniā negat qui Deum quòd ad peccatorem ingreditur, accuſat.* Scilicet tametſi ſublimem de Chriſto imbiberāt opinionem, de arcanæ doctrinæ ſapientia, de tot miraculorum ſtupore, de inculpatæ vitæ miraculo, de fama vbique opinatiſſima, tamen dum illū vident ad domum Publicani diuertere, & cum Publicanorū familia familiariter cōuerſari, quaſi de contubernij contagio omnes iā videret *vnius moris in domo*, maledico ore acerbè obmurmurant, & Chriſto grauiter detrahunt; neſcientes quòd Deus prauæ domus peſte nō inficitur, qui in Deitatis aſylo tutus eſt ab eiuſmodi vulgari cōtagio, & exēptus à familiarium contagio. Imò Redemptoris titulo peccatores inuiſit, vt *vnius* ſecum *moris in domo* reddat; ſecurus quòd ipſe non conuertetur ad eos, certus quòd ipſi conuertentur ad ſe. Nam *cuius domum non intrauerit Chriſtus, ille ad diuinam non perueniet manſionem.* Vnde ſubdit ad illud; *Et cùm viderent omnes, murmurabant, dicentes quòd ad hominem peccatorem diuertiſſet: Et quis ſine peccato: Et ſi nemo: ipſe ſibi veniam negat, qui Deum quòd ad peccatorem* ingre-

Lucæ 19. v. 6. & 7.

Ipſe ſibi veniam detrahit, qui Chriſtum quòd ad peccatorem ingreditur, accuſat.

Chryſol. ſer. 54.

LLl 4

ingreditur, accusat. Ne in domum peccatorum Deo aditum neges, ne tibi simul scelerũ absolutionem abnegasse videaris. Nemo immunis est à peccato; ergo tibi time domesticorum delinquẽtium familiaritatem, quam Christo Deo frustrà times. Quin & gratulare domui, in quam Christus ingreditur: citò enim *faciet habitare vnius secum moris in domo*: Qui aliter sentit, & impudenter obmurmurat, sibi veniam detrahit: quia *ipse sibi veniam negat, qui Deum quòd ad peccatorem ingreditur, accusat.*

§. CCCCXXII.

Opulentior largitas, de recessu largiùs benefacit.

1. Rerum honestarum pretium in ipsis positum est. Honesta placent suapte naturâ: adeóque gratiosa virtus est, vt insitum sit etiam malis, probare meliora. Hæc ante omnia sibi quisque persuadeat, me Iustum esse gratis oportere. Non est quod expectes, quod sit iustæ rei præmiũ maius quàm iustum esse. Illud adhuc tibi affige: Nil ad rem pertinet, quàm multi æquitatem, aut beneficientiam tuam laudent. Qui virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat, sed gloriæ. Non vis esse iustus, & beneficus sine gloriâ. At mehercule sæpè iustus esse debebis cũ infamia. Et tunc si sapis, mala opinio benè parta delectat. Quid gloriæ pretio virtutem nundinaris? vile quidem est commercium, quo virtutem amittis, vt inanem gloriolam emas. Quorsùm vel tenuem tuã beneficentiam, vt transluceat ambis? E cæli gymnasio lucere edisce, vt terreno more benefacere desuescas.

Mala opinio benè parta delectat.

2. Geneseos 1. in primis mundi rudimentis, cælum sine luce obscurum sidereos fulgores exãbit, quibus cælicæ fabricæ ambitionem ostentet. Et ecce die quartâ: *Fecit Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt praeesset diei: & luminare minus, vt praeesset nocti: & stellas.* Sol luminis fons, & prælustre fulgorum conceptaculum, diei præsidentiæ deputatur: & Luna clarãdæ nocti præest. De suo lucida, an de Sole illuminata? disputant Astronomi. Qua super re, cõmuni adhærescens sententiæ, ita fatur Iunilius ad præfata Geneseos verba: *Luminare maius est Sol, non solum forma sui qualiscumque est corporis, sed & magnitudine luminis: quia & ipsum luminare minus, & stellas illuminare creditur.* Vide eccur Magni nomen, in cælestibus Sol vindicet sibi: non tantùm quia magnitudine lucis reliqua trãscendit sidera, sed quia ipsam Lunam præclarè illuminat minimè auarã fulgorum largitate. Sed quandò, aut quo modo suos fulgores Lunæ tribuat, non explicat Iunilius. Sed suppleat quod Iunilius omitit, è profanis quispiam, ingenio & eloquio nobilis, & exponat quonam pacto *Luminare maius*, Sol inquam, illuminet Lunam. *Luna*, inquit, *Solis æmula, noctis decus, seu corniculata, seu diuidua, seu pertumida, seu plena sit; varia ignium face, quantò longiùs abit à Sole, tantò largiùs illuminata, pari incremento itineris, & luminis mensem extimat.* Ecce tibi in Sole prælustrem lucendi gloriam, quæ illi superbum nomen *maioris luminaris* fecit, dum cælesti more suos impertit fulgores Luna *quantò longiùs abit à Sole, tantò largiùs illuminatur.* Non expectat Sol coniunctionem, aut propinquitatem cum Luna, vt illam illustret: quod non tam foret splendores donare, quàm fœnerare splendores, gloriæ vsurâ sibi auarè vsurpata. Recessum Lunæ Sol expectat, & quò longius abest, tanto eam largiùs illuminat, ne de Solis disco, sed è propria lampade splendere putetur. Absentiæ suæ tenebras Sol quærit, vt suam lucem liberaliùs communicet, ne donatæ ab se lucis beneficium perluceat, & luna videatur de alieno fulgere. Vnde Sol Lunæ obseruat recessum, & *quantò longius à se abit, pari incremento itineris, eam largiùs illuminat*; vt non tantùm lucendi beneficiũ illi donet, sed etiam illibatam lucendi gloriam. Nam dum auerso, & à se remoto sideri gloriam nitendi præbet, quasi tantam sibi gloriam inuideret, non lucem duntaxat, sed & lucendi decus, largiùs Lunæ impertit. Bellè ergo Iunilius elogium superbum *Luminaris* maximi aut *maioris*, Soli tribuit, non modò quia reliqua sidera *magnitudine lucis* excellit; sed quia Lunam sic de suo totam illuminat, vt *quantò longiùs abit à Sole, tantò largiùs illuminetur, pari incremento itineris.* O cælestem beneficentiam, quæ lucem cùm donat, longinquitate, & quadam auersione abscondit; ne non liberaliter donare, sed auarè fœnerare lucendi gloriam videatur! O auaram hominũ largitatem quæ nescit dare beneficia, nisi quæ perluceant, & præbitorem dissimulanter clarent, donandi gloriâ, & beneficentiæ ambitione. O Tobiam cælestis beneficẽtiæ æmulũ, qui quousque se morti proximum putabat, constanter abscondit copiosa subsidia absenti Gabelo impensa! Quæ tandem vnico filio gestante compulsus detexit, ne extremam subiret necessitatem. Et ipse inter Gentes dispersus, cùm longiùs Deo abesse putaretur, præsentissimam eius beneficentiam persentit & hîc gloriosiùs deprædicat.

Geneſ. 1. v. 16.

Iunilius ibi.

Luna quando longius abest à Sole tantò largius illuminatur.

Apuleius in lib. de Deo Socratis.

Tobiæ 4. v. 21.

Hic verſ. 7.

3. Ioannis 14. in opinatissimo illo sermone, quo Christus Deus Passioni proximus, Christiani animi decus & perfectionem, compendio strinxit, ita fatur: *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio: & ipse faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad patrem vado.* Quid est hoc? Qui faceret opera, quæ Christus fecit, non inuenimus, qui etiam maiora faciat, inueniemus? Sed ratio, quam Christus reddit, obscuriores tenebras sententiæ offundit. An Christi absentia futura erat in caussa, vt prælustriora miraculo Discipuli toto Orbe patrarent? Fortè Christi præsentia, quæ erat eorum vigor, eos debilitabat, ne portentosiora miracula ederent, & quæ Christi prodigia excellerent? De Christi recessu maiorem gloriã mutuabunt Apostoli? An quanto vberior illis gloria adiicitur, tanto Christi dignitati detrahitur? maiora enim miracula operaturi dicuntur. Et nota, quod recedente Christo, geminatã voce inculcatur, ejusmodi miracula ab Apostolis fieri: Opera, quæ ego facio, & ipse *faciet*, & maiora horũ *faciet*, quia ego ad patrẽ vadò. Sed vide quàm gloriosè Christus dissimulet, hãc miracula *faciẽdi* virtutẽ Apostolos ab ipso habere: Quodcũque petieritis patrẽ in nomine meo, hoc *faciam*. Quod subtiliter Augustinus notauit: *Opera*, inquit, *quæ ego facio, & ipse faciet, quia ego ad patrem vado: continuò secutus adiunxit: Quæcumque petieritis hæc faciam. Qui dixerat faciet, post ait, faciam.* Semel & iterùm inculcat, *faciet*, & maiora *faciet*.

Ioann. 14. v. 12.

Christus recessu clariora præbet munera.

Augustin. Tract. 72. in Ioann.

Postmo

Postmodũ suum recessum quasi tantæ gloriæ caussam subdit,& dissimulanter semel addit, *faciam*, quasi dicat Christus: *Facietis* miracula, quæ ego facio,& me absente maiora *facietis*: sed nihil tunc meæ gloriæ detrahitur. quia me absente & virtutem largiente hæc faciendi, *in propria manebo dignitate, & in cælis ero*, ait inibi opportunè Chrysostomus. Scilicet nihil detrahitur de Christi *dignitate*, dum, quoniã absens recedit, illustriorem miraculorum gloriam impertit,eamque semel & iterum Discipulis adscribit? imò cælestium more,ex eiusmodi largitione ampliorem gloriam recessu mutuatur. Sicut Luna, quæ *quantò longius abit à Sole, tantò largiùs illuminatur,pari incremento itineris*. Sic Discipuli, Christo Ecclesiæ Sole recedente, prælustriori miraculorum virtute fulgent. *Et maiora horum facient,quia ego ad patrem vado.*

Chrys.homil.75.in Ioann.

4. *Quare vmbra præclarius benefacit.* Denique ad rem præsentem iuuat præstrictim adnotare, quando Apostoli *maiora* quàm Christus *miracula* patrarunt? Quod his verbis quærit Augustinus,& quæsito respondet: *Sed quæ sunt tandem ista maiora miracula? An fortè quòd agros ipsis transeuntibus, etiam eorum vmbra sanabat: Maius est enim sanare vmbra*, quod de Petro Actor. 5. denarratur. Scilicet Petrus non luce clarã;sed ipsã lucis carentia, velut lenocinantibus miraculo tenebris, præclara edebat miracula. Non tantùm lucem arcet à gloriã miraculi,sed cui dictũ est cum reliquis Apostolis: *Vos estis lux mundi*, obscuram adsciscit vmbram, quò illustriorem reddat miraculi virtutem. quasi vel *vmbra* recedente,illustriora patret miracula. Luculenter sanè Augustinus.

Aug. Tract. 71.in Ioann.

Actor.5. v.15.

Matth.5. v.14.

5. Ioannis 20. cùm serò esset die illo, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum: venit Iesus, & stetit in medio,& dixit eis: Pax vobis. *Et cùm hæc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Thomas autem vnus ex duodecim qui dicitur Didymus, non erat cum eis quandò venit Iesus.* Dixerunt ergò ei alij; Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius,non credam.* Non erat cum eis Thomas quandò venit Iesus, qui ab eo eiusque discipulis voluntarius erro absentabatur. Ast ille qui reliquis discipulis tantùm ostendit *manus & latus*,postmodum dicit Thomæ: *Infer digitum tuum huc,vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis.* Ad quæ verba ita scribit Chrysologus: *Thomas Apostolus vt Christum Deum crederet, immisit manus, iniecit digitos, patefecit vulnera: vt Christum crederet, iterùm pati compulit Christum.* Scilicet vt reliquos discipulos,& totum cum eis orbem,ad se traheret Christus Deus,& cælesti imbueret fide, semel passus est, ast vt Thomam, qui absentabatur ab eo qui non erat cum eis,qui non bonã fide ab eo longè aberrabat, vt Thomã inquam,à se velut fugientẽ alliceret,& ex incredulo credentem faceret; dum vulnera resulcari curiosiùs iubet, Passionis cruciamenta iterũ repræsentat. *Thomas vt Christũ Deum crederet, immisit manus, iniecit digitos,patefecit vulnera: & iterum pati compulit Christum.* O sic à se fugientes quærit Christus! O liberalitatem in refugas exaggeratiùs beneficam! Sic vnam ouiculã erronem vt quærat, nonaginta nouem in deserto relinquit,de quo aliàs.

Thomæ incredulitas dum patefacit vulnera, iterum pati compulit Christum. Ioann.20. v.24. Chrys.ser. 85.

§. CCCCXXII.

Ex opulentiore Dei beneficentia, sæpè vitiositas humana vberiorem malitiam conflat.

6. *Cui semper das,si semel negas, rapere imperas.*

CVi semper das, vbi semel negas, rapere imperas, & ingratum propè esse iubes. Exprompta semper liberalitas, fructu suo persæpè viduatur, & vectigalis creditur: deberi nobis cẽsemus, quod iugiter nobis donatur. Sic sumus insani beneficiorum interpretes, vt de aliorum bonitate malitiam conflemus; & sæpè aliena largiùs bonitas,imbonitatis nostræ officina fit. Quæ ratio est exacerbare eum, qui magna in te contulit beneficia, vt ex amico indubio fiat non dubius inimicus? Malè nequitia nostra de alienæ bonitatis redundantia si non quærit patrociniũ, inuenit incentiuum. Vera nimis est Christi Dei quetela: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* O quàm sæpè Deus optimus & maximus,qui beneficia ignorantibus dare incipit, ingratis perseuerat. Sed quid tandem? eadẽ iustissimè negat his,qui ex illis malitiam conflant, & de bonitate diuina deteriores fiunt, execranda impietatis vsura. Genesis 6. propè iam desperatæ morum corruptelæ diluuium Deus benignè comminatur. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: eruntque dies illius centumviginti annorum.* Nimirum, ait Deus, longa fuit ægrotatio, longa obeatur pœnitentia, procrastino diluuij mala. Pergit Seleuciensis Basilius: Postea certè Niniuitis triduanum pœnitentiæ spatium ad salutem via fuit, & morum mutatione superatis præscripti temporis angustiis, Dei minas lachrymis lenientes propheticam obnunciationem præpediuere. *Hi verò frustra fluentium annorum numerum despexerunt, ipsa opportunitate pœnitentiæ in impietatis patrocinium conuersa: maleficiorum accumulatio suppliciorum erat amplificatio.* O! Dei pietas patrocinium impietatis abusu nefario adscitur? homo malus erit, quia Deus bonus est?

Matth.20. v.15.

Genes.6.v.3. Seleu. Orat. 5

7. Ieremias cap.6. Iudææ genti extremam vastitatem præsaga mente cælitus minitatur. Speciosæ,inquit,& delicatæ assimilaui filiam Sion. Ad eam venient pastores, & greges eorum, id est Chaldæorum Duces, cum copioso militum delectu. Væ vobis,quia declinauit dies, quia longiores factæ sunt vmbræ vesperi. Hæc dicit Dominus exercituũ: Cædite lignũ eius, & fundite circa Ierusalem aggerem? hæc est ciuitas visitationis, omnis calumnia in medio eius. Sed diligentiùs notandum est, quæ & quanta fuerit Iudæorum iniquitas, propter quam tam acerbo supplicio castigatur, quam altè Propheta his verbis exposuit: *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam:* iniquitas & vastitas audietur in ea, coram me semper iniquitas & plaga. *Erudire Ierusalem.* Exoptat Propheta,vt Ierusalem *erudiatur*. ex hac *cisterna* metaphora, vt profundam suæ malitiæ enormitatem perspicuè cognoscat. Et sanè varij sunt interpretes in ea exponenda. Chaldæus Paraphrastes: Sicut cisterna sustentat & conseruat frigidam, ita Ierusalem recipit, fouet, & tuetur impios. Tam grande piaculum est, gentem olim sanctam

Ierem.6.v.7. *Grande scelus est patrocinari peccantibus.* Chaldæus

Sanct. ibi.

ctam, esse impiorum asylum! Sanctius aliter præfatum locum exponit: Sicut lapidea cisterna stringit, & conglaciat aquam in se stantem, & quasi stagnantem: ita Ierusalem, & quiuis animus, in quo diu insedit peccatum, per consuetudinem concrescit in glaciem, aut instar crystalli, vel adamantis ita obdurescit, vt neque ab igne, aut Sole emolliri, neque malleo conteri aut frangi queat. Ea est vis consuetudinis, præsertim diuturnæ, & inueteratæ. Quod elegâter tradit Galfridus: *Frigidam, inquit, facit cisterna aquam, quoties in quadam insensibilitate perpetratam conseruat mens obstinata malitiam.* Nec tantùm conseruat, sed & auget instar cisternæ, quæ quò profundior est, eò plures & frigidiores habet aquas: ita peccator consuetudine obstinatus, profundè peccatum in corde defodiens, illud auget, & absconsione valdè incrementat. Verùm Michaël Ghislerius, subtiliùs circa dictam Prophetæ sententiam philosophatur: *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam facit malitiam suam. Quemadmodum per antiperistasim cisterna aquam tunc temporis sic infrigidat*, &c. Nempe sicut profunda cisterna per æstatem, dum torrente Sole ardentiùs terræ exæstuant tunc philosophico Antiperistasis sacramento, frigidiorem facit, quam continet, aquam, ita vt ardentior Solis calor sit velut frigoris mensura: sic Hebræi populi malitia, Antiperistasis arcanum peruersè æmulatur. Nam quò nitidiùs & ardentiùs Sol iustitiæ circa eos splendet, & beneficentiæ suæ radios opulentiùs emittit; quando credi poterat, ipsos æstuare præ ardore virtutis; tunc, tunc quidem, torpore contrahuntur, & frigidiùs algent in pietatis studio. *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic* Ierusalem *frigidam facit malitiam suam.* Heu, quò ampliora à Deo beneficia accipimus, quibus pietas æstuare debuisset sanctitatis feruore, eò torpemus magis, & magis magisque frigescimus! de benefaciendi feruore, torporem haurimus? de calore algemus? O quoties bonam diu valetudinem: ampliores diuitias, subtilius ingenium, celsitudinem gloriæ, & reliqua fortunæ bona, quibus vbertim à Deo cumulamur; in ipsum præbitorem Deum armamus, & de virtutis fomite virtus alget, & flagrat vitium! O, sæpe charissimis optanda foret calamitatum hiems, vt de tribulationis frigore, cisternarum aqua incalescat feruore pietatis. Qui de calore friget, forsan de frigore incalescet, arcanâ virtutis & malitiæ Antiperistasi. Qui male vtitur felicitate, infelicitatis remedium inscius accersit. Frigore tribulationis ardentiùs Tobias ad omnem pietatem accendebatur: & nunc ait, quòd in gentem peccatricem ostendit Deus maiestatem suam, quantumuis peccator Dei benignitate abutatur.

Homo de peccandi consuetudine obstinatus euadit.

Galfridus apud Cornel. ad ea Ieremiæ verba.

3. Ghisler. Cant. 2. v. 11. Exposit.

Homo nequam, cali calore, sicut cisterna, magis friget.

Hic vers. 7.

4\. Matthæi 12. expulerat Christus malum Dæmonem ab homine, quem diu obsidens, cæcum & mutum fecerat, obserans per quas intrauerat, ianuas. Euidenti miraculo turba gratanter adplaudit, & aliorum inuidia liuidè obgannit. Tunc (inquit Euangelista) responderunt ei quidam de Scribis & Pharisæis, dicentes: *Magister volumus à te signum videre.* Saltem vrbanè postulant, dum ipsi Hebræorum sapientes, Christum appellant *Magistrum.* Nec mirum est, vt petant quòd in eorum gratiam faciat aliquod miraculum, qui in turbæ fauorem tot in dies prodigia passim edebat. Fateor inciuili verbo *volumus*, id petunt; sed fastui Scribarum & Pharisæorum nonnihil conniuendum erat. Nota asperius Christi responsum: *Generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ.* Dimidiatum enim Ionæ signum eis dat, Passionis inquam, & Resurrectionis, vt acute notauit Hugo: Passionum enim Scribæ viderunt, non Resurrectionem, cui non crediderunt. Sed quid est, quòd tam durâ reprehensione castigantur, & verbis asperioribus sic vapulant? quare nunc eorum prosapia sic acerbè culpatur? *Generatio mala, & adultera,* &c. Ad quæ verba sic tempestiua Chrysostomus fatur: *Arcana mentis ipsorum reuelat, quòd simulantes, & ceu inimici miracula petebant: propterea & generationem malam nuncupauit; tum quia semper ingrati benefactoribus extiterunt, tum quia susceptis beneficiis, quod extremæ vitiositatis est, ad malignitatem incitantur.* Nimirùm cælestem doctrinam dudum exceperant; tot crebrò patrasse miracula indubiè audierant, nuper excantatum Dæmonem coràm viderant, & cæco fuisse oculos accensos, & eidem aures verbo restitutas; & tamen tot beneficiorum largitori impudenter ingrati, *susceptis beneficiis quod extremæ vitiositatis est, ad malignitatem incitantur.* Exindè *generatio mala* dicitur, quia auitos parentum mores imitauit, de quibus Propheta inquit: *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam*; sic Ierusalem *frigidam facit malitiam suam*; quasi de ipsa Dei bonitate nequiores fiant; & vnde pientiores esse debuissent, inde ad malitiæ impietatem exundent, quod extremæ vitiositatis est, & obstinatioris nequitiæ hyperbole. O caue ne peccandi libidine, Dei beneficia intemperanter adulteres!

Ex susceptis beneficiis aliqui ad malignitatem incitantur.

Matth. 12. v. 39.

Hugo Car. ibi.

Chrysost. homil. 44. in Matth.

Matthæi 20. sic operariis inuidè querulis, munificus Paterfamilias expostulando respondet: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Oculus nequam, *id est, cui mea non placet benignitas*, ait inibi Glossa Interlinearis. Luculentiùs hunc locum Tertullianus exponit in lib. de Pœnit. Absit, inquit, vt aliquis ita interpretetur, quasi eo sibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum: *& redundantia clementiæ cælestis, libidinem faciat humanæ temeritatis. Nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est, toties delinquendo, quoties ignoscitur.* Num Deus suâ sibi misericordiâ detrahit? Paratior Dei venia facit humanæ temeritati *libidinem* delinquendi? An peccator erit deterior, quia Deus melior est? Et nuper ad rem, de scelerosis hominibus grauissimè dixerat: *Certi indubitatæ veniæ delictorum, medium tempus interim furantur; & commentum sibi faciunt delinquendi.* Sat esto, ad Tertulliani acumen digitum intendisse. Procliue est cuiquam & emedullare, & illustrare sententiam. 5.

5\. Matth. 20. 15. Glossa ibi.

Largior Dei indulgentia facit humanæ temeritati libidinem delinquendi.

Tertull. de Pœnit. cap. 7.

Idem cap. 6.

Genescos 6. perdiu ante diluuium, illius peracerbas minas, Deus benignissimè fulminat, quò homines à flagitiis terreret supplicij metu. *O miseri (ait Claudius Marius) quos tam iustæ dilatio pœnæ, plus facit esse reos.* (de quo aliàs egimus) Appositè Clemens Alexandrinus in Adhortatoria ad Gentes: *Nunc autem sunt tantò magis impij, quantò est benignior Deus, ac humanior.* O immensam humanæ malitiæ mensuram! 6.

Claud. Mar. lib. 2.

Clem. in Adhor. ad Gent.

S. Chrysologus exponens illud Lucæ 19. *Et cùm viderent omnes, murmurabant quòd ad hominem peccatorem diuertisset,* ita appositè ad rem scribit: *Tu ergò qui murmuras, cur ad peccatorem diuerterit Christus, viam salutis, exemplum veniæ* miseri

Lucæ 19. v. 7. Chrysol. ser. 54.

Genus blasphemiæ est, ex Dei misericordia sumere delinquendi occasionem.

misericordia spem de tali ingressu cape; & caue ne hoc tibi sit blasphemandi materia, quod tibi occasio est salutis. Ecce tibi *Blasphemia* nuncupatur, humana vitiositas, quæ ex largiori Dei misericordia, & humaniori erga homines benignitate, sumit detrahendi materiam, & delinquendi occasionem. Heu! ex antidoto venenum conflas?

§. CCCCXXIV.

Penè deliquisse non creditur, qui sine interuallo emendationem coniungit errori.

1\. Cassiod. l. 3. epist. 24. PEccator qui semel lapsus ad pœnitentiam citò venit, interuenit: & dum de properata sui correptione, pœnitudo vicinatur delicto, ferè innocentiam æmulatur. Et sanè *Malum quod perseuerat, augetur*, eloquenter dixit Cassidorus. Itaque festinata resipiscentia, & velut contigua innocentiæ, sic pœnitentiam commendat, sic de periculi timore Dominum honorat, vt de peccatore ipsa pronuncians, pro Dei indignatione fungatur; & temporali afflictione æterna supplicia non modo frustretur, sed etiam præteriti peccati diffamiam expungat: Cùm enim prouoluit hominem, magis releuat cùm squalidum facit, magis mundum reddit: cùm accusat, excusat: cùm condemnat, absoluit; & quò citiùs exurgere satagit, fermè non cecidisse putatur: quasi scelerum stigma, & infamiæ nota, longiora tempora ad impressionem requirant: vnde properantis pœnitentiæ inopinata felicitas, sic velociter erratum excussit, vt & erroris cicatricem dedisceat. Scilicet cùm cita correctio peccato succedit, etsi in peccantis conscientia pœnitentiam descriptam legis, propemodum peccasse non leges. Sic ocyssima correctio peccati characterem expungit: sic in pristinum gradum peccator redit.

Tertull. de Pœnit. c. 9.

Pœnitentia egregia laus

2\. Geneseos 38. Iudas Patriarcha diu cunctauit promissas Selæ filij sui nuptias cũ nuru sua Thamar diu vidua. Illa autem moræ impatiens, & opportunam nacta occasionem, depositis viduitatis vestibus, theristrum induit, & mutato habitu sedit in biuio, & cum socero Iuda, velut leuicula meretrix concubuit pacta libidinis mercede. *Ad vnum igitur coitum mulier concepit, & surgens abiit: depositoque habitu, quem sumpserat, induta est viduitatis vestibus.* In confesso est, Thamarem deliquisse, se & socerum lasciuè incestando scelere propudioso. Verùm quæ aliquando libidine æstuauit, semel theristrum, id est, vestem æstiualem induit: & ab vno coitu statim surgens, lugubres viduitatis vestes assumpsit, nec vagam exinceps libidinem captauit. Quod enim studio cœpit incestuosi erroris, ad generosæ successionis gratiam castitate consummauit. *Denique nunquam posteà virum experta est, amictum viduatatis sumpsit à coitu:* quæ est exactior præproperè pœnitentium idea. Vnde etsi Thamar verè deliquerit, sic delictum celeri emendatione correxit, vt illius characterem expunxerit, & deleuerit infamiam delicti appendicem. Bellissimè Ennodius in simili de suo Auieno, ita illi rescribit: *Bene magnitudo vestra, dum origini & moribus præstat obsequium, emendationem sine interuallo coniungit errori: & quod peccatum sapienter intelligit, priusquam altero* (peccato inquam) *denuncietur, auertit. Quis credat deliquisse in correctione velocissimum? penè non vocandus est sectator excessuum, qui obuiam manum ponit in surreptione culparum.* Nimirùm generosæ stirpi præstat obsequium, qui sic nobiliter a virtute degenerat, vt *emendationem sine interuallo coniungat errori.* Nota humanæ imbecillicitatis, lapsus est, qui lutosum nostræ formationis limum sapit: at qui sublimitatem stantis auspicatur à ruinâ, humanam videtur luti vilitatem diffiteri, & cælestem animi originem moribus vendicare. Et sanè vix creditur quis peccasse, (etsi coràm verè peccet) si semel dumtaxat peccatum commiserit, nec sequens peccatum prius commisso velut malitiam infarciat, vel credibilitatem asciscat. Quasi prius peccatum sequenti peccato *denuncietur*? atque quia semel patratum est, & emendationi contiguum, *denunciari* ad credibilitatem vix possit. Quis credat deliquisse in correctione velocissimum? benè non vocandus est sectator excessuum, qui obuiam manum ponit in surreptione culpatum. Sicut Thamar semel meretricium assumens theristrum, meretricis nomen ignorat; quia nunquam posteà virum experta est, dum amictum viduitatis sumpsit à coitu; & quod studio libidinis cœpit, castitate consummauit. Hoc priuilegio gaudet confinis delicto pœnitentia, & emendatio erroris succidanea: ô! viderint qui malitiæ genio, delictorum characteres indelebili attramẽto, & erroris sui stylo impressos putant in eo etiam, qui *emendationem sine interuallo coniunxit errori.* Imò vix à te debet credi peccatum, quod sequenti peccato minimè *denunciatur*. Posterior defectus priorem humanitiùs denunciat.

Genes. 38. v. 18. & 19.

Posterior defectus priorem ad credibilitatem denunciat.

S. Ambr. l. 3. in Lucam.

Ennod. l. 5. epist. 17.

Quis credat deliquisse, in correctione velocissimum?

3\. Lucæ 22. dum Christus Deus in atrio Pontificis, quasi omnium scelerum reus illuditur, subsannatur, colaphis indecorè cæditur, ora probrosè saliuatur: in Petri conscientiâ nihilo mitiùs cum eo agitur. Mutâ patientiâ sustinet Christus carnificum contumeliosos cruciatus; sed de infidâ Discipuli negatione, oculorum linguâ amorosè conqueritur: & Dominici aspectus repetito verbere, Petri nuper vna gloria egregrè vapulat. *Et conuersus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, &c. Et egressus Petrus foras fleuit amarè.* Quasi vocales forent Christi oculi, lacrymarum voces Petro suadent: & dum oculi oculis annuunt, Petri conscientia, negationis impudentiâ sauciatur: cumque Domino aspectui præstat *obsequium, emendationem sine interuallo coniungit errori. Et conuersus Dominus respexit Petrum: & egressus Petrus fleuit amarè.* Ad quæ verba sic eleganter de more fatur S. Leo ad rem præsentem opportunus interpres: *Respexit ergo Dominus Petrum, & inter calumnias sacerdotum, inter falsitates testium, inter cadentium & conspuentium iniurias constitutas, illis turbatum discipulum conuenit oculis, quibus eum prauiderat esse turbandum:* (pergit adhuc accommodatiùs) *& in illum conuersa est veritatis inspectio, vbi erat cordis facienda correctio.* At si Christi Dei beneuola erga negantem Discipulum inspectio, non tam quodammodò ferretur ad infidum Petri delictum, quàm ad eiusdem delicti festinatam correptionem: quasi non videat delicti reatum in eo, qui vbi primùm illud sapienter agnoscit, confestim dolenter expungit. *Quis credat deliquisse in correctione velocissimum? Et conuersus Dominus respexit Petrum: & egressus foras fleuit amarè: in illum conuersa est veritatis inspectio,*

Festinata Petri pœnitentia, propè innocentiam æmulatur.

Lucæ 22. v. 61. & 62.

S. Leo ser. 3. de Passione, cap. 5.

ctio, vbi erat cordis facienda correctio. Vnde Christus illis turbatum Discipulum conuenit oculis quibus eum præuiderat esse turbandum. Penè non est vocandus Petrus Christi negator, qui obuiam manum ponit in surreptione culparum; & de lacrymarum gurgite à fidei naufragio confestim emergit. Profectò is, cui pœnitentia sic culpis vicinatur, de festinatâ culparum correptione innocentiam feliciter æmulatur.

4. Genes. 19. v. 33. &c. Origen. ibi.

Genesis 19. de filiis Lot, sic sacer Historicus scribit: *Dederunt itaque patri suo bibere vinum nocte illa: & ingressa est mater, dormiuitque cum patre,* &c. Ad quæ verba sic fatur Origenes; *Singulis ingressa noctibus, singulæ susceperunt ab ignorante conceptum. Vltrà non repetunt, non requirunt. Vbi hîc libidinis culpâ? vbi incesti crimen arguitur? Quomodo dabitur vitio, quod non iteratur in facto? Vereor proloqui quod sentio, vereor inquam, ne castior fuerit harum incestus, quàm pudicitia multarum.* Planè eleganter! Non tamen adducar vt assentiam Origeni delictū in incestu excusanti, nisi ex femineâ & rudi ignoratione.

Culpa, quæ non iteratur, culpa vitio vacare, ab Origene putatur.

5. 2. Regum 12. venit ad Dauidem Nathanus, & orationem texit argutè; aciem sermonum suorum tegit, & narratu ferrum celat; sub lingua medicamentum egerit & sensum fallit, vt sensum excitet. Responde mihi, inquit, ô Rex iudicium hoc. Verbo tribunal depingit, & contra Dauidem ipsum Dauidem statuit iudicem. Orationis serie alit audiendi cupiditatem vt iniuriam tectiùs amplificet, auget pauperis amorem in ouem, vt Dauidem in iram suscitet. Audiebat Dauid narrationem contra Dauid institutam. Viuit Dominus, inquit; quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc. Ob peccata sua sic inscius afficitur, ac ob aliena regiè decernit, & suffragium contra Dauidem fert Dauid. Quid Nathanus denique? euulgat arcanum, ostendit illi orationis habitæ speculum, nudat reum, scelus clarè repræsentat. Dixit autem Nathan ad Dauid: Tu es ille vir, &c. *Et dixit Dauid ad Nathan: Peccaui Domino. Dixit autem Nathan ad Dauid: Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris.* O magnam repentinamque bonitatem! concurrit cum culpæ confessione pœnæ absolutio; & pœnitentia, culpæ succidanea repetitur. Hoc Dauidis factum expendens Seleucienfis Basilius, sic eleganter scribit: *Vidisti virum optimum sauciatum, nec acceptâ plagâ quicquam de strenuitate remittentem? vidisti derepentè succumbentem, & subitò emergentem? Agnouimus pœnitentiæ vim, agnouimus vsum medicamenti. Hoc vti munere non desistamus, dum labimur, ac vicissim sanamur; ne per socordiam Gratiæ contumeliam inferamus.* Ecce tibi Dauid pœnitentiū ideā, derepente succumbentem, & subitò emergentem. Agnoscamus strenuum pœnitentiæ vsum; & dum labimur, mox vicissim resurgamus: ne per socordiam diu culpæ adhærentes, *Gratiæ contumeliam inferamus:* quasi pœnitentiæ procrastinatio sit diuinæ indulgentiæ probrum, & probrosa *Gratiæ contumelia.* Nam penè deliquisse non creditur, qui sine interuallo emendationem iungit errori. Idcircò Tobias incunctantem ad Deum conuersionem hîc exposcit.

2. Reg. 12. vers. 13.

Qui pœnitentiam procrastinat, Gratiæ contumeliam infert. Basil. Seleu. orat. 17.

Hic vers. 8.

§. CCCCXXV.

Peccatorum confessio, dum hominem squalidum ostendit, magis mundat; dum accusat, excusat, dum damnat, absoluit.

Valde miratur Tertullianus fatuam Gentilium obstinationem, quæ Dæmonibus in Idolis residentibus omnia alia credunt, nisi cùm se Christianorum attactu, aut afflatu, aut precatu extrudi & deuinci aduersus se proclamant. *Credite illi,* inquit, *cùm verum de se loquitur, qui mentientibus creditis. Nemo ad suū decus mētitur, quin potiùs ad honorē. Magis plena fides est in aduersus semetipsos confitentes, quàm pro semetipsis negantes.* Vnde rei confessio, præpropera dānatio est, & sententia aduersus se irreuocabilis. Cuius rei pulchrā rationem his verbis reddit Ambrosius: *Quem alter iudicat, potest vtcumque esse excusabilis; reus autem sine excusatione est, qui conscientiæ suæ iudicio condemnatur: quem alter iudicat, potest quoque à suo iudice sperare indulgentiam; qui se iudicat à quo indulgentiam postulabit? Omnium enim supergreditur sententias, qui à sua conscientia, sua sententiâ condemnatur.* Verùm enim vero tametsi hæc ita sint; tamen proprij sceleris ingenua confessio, quæ quæsitis excusationum coloribus, nec delictum palliat, nec eius suspiciones longa mendaciorum catena frustratur; ingenua inquam aduersus se confessio, vsqueadeò delictum extenuat, vt qui se culpam confitendo palàm condemnat, de arcano sinceræ confessionis merito, propè est vt absoluat, & è peruerso sibi auxilietur quasi commissa scelera confessione ipsa exoneret: nam delinquentis conscientia, quæ absque tergiuersatione flagitia sua pandit, non est tota rea: & scelestissimus quisque, qui cum ingenua confessione ad iudicium venit, interuenit. 1.

Tertull. in Apolog. cap. 23.

Plena fides est in aduersus se confitentes.

S. Ambr. de Iuda ser. 15.

Dauid ille dudum sanctitate prælustris, adulterij fœditatem, homicidij crudelitate celare satagit. Sed quia morbus latens, & medicinam ignorat, & pestilentiùs infecta viscera contagione depascitur; his verbis de taciturnitate sua conqueritur: *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea,* dum clamarem tota die. Ergo vlcus quod de absconsione suppurat, detectione sanetur. Delictum meum, inquit, cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi. *Dixi Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.* Nimirùm *Dixi,* id est, seriò deliberaui de consultissimo pœnitentiæ arbitrio, sincera & ingenua confessione meam aduersus me *iniustitiam* coràm pandere. Peccata enim debemus confiteri, vt Publicanus, non iustitiam, sicut Pharisæus. *Aduersum me* inquit: nam se ipsum quiuis accusare debet, non excusare, culpam reiidens in occasionis casum, in infirmitatem carnis, in corporis constitutionem, in alterius consilium, suasionem, exemplum, homo enim sui arbiter est, & morum sequester. Igitur vbi iniustitiam suam, quam hactenùs habebat tectam, sincera confessione enunciat, protinùs subdit: *Et tu remisisti impietatem peccati mei,* vel *impietatis,* vt legit Ambrosius. (quasi peccatum occultatione multiplicetur, & vnum plura ad malitiam euadat.) Attamen Dauid delictum 2.

Psal. 31. v. 5.

Pœnitens cum in confessione se accusat, excusat; cùm se condemnat, absoluit.

lictum quantumuis enorme, dum timore Dei percussus, occultare desiit, & accusare non desinit, sibi de remissione gratulatur. Eleganter Tertullianus ita hâc super re fatur de Exomologesi, id est, de exteriori reatus proprij confessione: *Hac omnia*, inquit, *exomologesis, vt pœnitentiam commendet, & de periculi timore Dominum honoret, vt in peccatore ipsa pronuncians, pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat.* hoc est, deleat, aboleat. Addit propriùs ad rem. *Cùm igitur exomologesis prouoluit hominem, magis releuat; cùm squalidum facit, magis mundatum reddit; cùm accusat, excusat; cùm condemnat, absoluit. In quantum non perceperis tibi, in tantum tibi Deus (crede) parcet.* Quid ad lemma præsens illustrius? Scilicet cum infucata proprij sceleris confessio, de periculi timore Deum honorat, quasi flagitiorum vindicem; dum pœnitentem de animi sordium confessione facit squalidum, squalorem eluit, magisque mundatum reddit: & dum proprium reatum explicatiùs accusat, de propriæ accusationis merito argutiùs excusat, & condemnatione ipsa liberiùs absoluit. Hine consultissimè Tobias in hoc vers. 4. in suæ orationis auspicio, delicta sua & parentum suorum sinceriter confitetur: quæ, *cùm accusat, excusat; cùm condemnat, absoluit.*

Tertull. de Pœnit. cap. 9.

Hic vers. 4.

3. 2. Regum 12. Nathan æquiuocus Propheta, sub inuolucro propositæ parabolæ, de oue è sinu pauperis furaciter accepta ad apparandum diuitis epulum; Dauidem occulti sceleris durè arguit. Tu, inquit, fecisti abscondiè: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis. *Et dixit Dauid ad Nathan: Peccaui Domino. Dixitque Nathan ad Dauid: Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Ecce tibi quandò vix dum inchoata peccati confessione ad primum Dauidis verbum, *Peccaui Domino*, filo orationis præproperè interrupto, Nathan subiunxit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris.* Tam propè adest peccati remissio pœnitenti, sua palam scelera confitenti: Necdum sinceræ confessionis oratio absoluitur, cùm à se alienari peccatum inopinatè audit: Ita sanè: *Siquidem* (ait Hildebertus) *& apud Gentilium Philosophos, proximum ab innocentia locum tenet, verecundior peccati confessio.* Tam exprompta, & sinceriter infucata pudendi sceleris confessio, dum delictū exaggeratiùs aggrauat, potiùs releuat; dum grauiùs accusat, notiùs excusat: dum seueriùs condemnat, potiùs absoluit, & sordidè immundo, squalorem eluens, mundum & limpidum reddit; præstare autem non potest, ne olim deliquerit, & innocens fit. At tantum est verecundæ confessionis meritum, tam exiguo spatio ab innocentia interuallatur, vt *verecundior peccati confessio, proximum ab innocentia locum teneat.* Quod præstare sic ocyssimè præcurrit, vt Dauid vix dum inchoata reatus sui confessione, præproperè audiat è Prophetico ore; *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Sic vel confessionis inchoatio, innocentiæ feliciter vicinatur.

2. Reg 12. v. 15.

Verecundior peccati confessio proximum ab innocentiâ locum tenet.

Hild. epist. 80.

4. Lucæ 18. Dixit Iesus ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur ceteros, parabolam istam: Duo homines ascenderunt in Templum vt orarent: vnus Pharisæus, & alter Publicanus. *Pharisæus stans hac apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum: raptores, iniusti, adulteri: velut etiam hic Publicanus.* Publicanus verò, sua flagitia ingenuè confessus, descendit iustificatus ab illo. O Pharisæorum conscientia, quæ cùm sit grauiorum scelerum rea, nil in se reperit, quòd confessione accuset; sed innocentiam dissimulatione prætendens, suum reatum flagitiosiùs exaggerat. Grauissimè dixit Saluianus. *Maximè quippè accusatrix hominum noxiorum est vsurpatrix innocentiæ arrogantia, & nos hoc solum malis nostris addere possumus, vt nos innoxios iudicemus.* Scilicet quodammodò scelestius est, nos peccatores non agnoscere, vel excusationibus adensatis colorare delicta ad innocentiæ famam, quàm peccatores esse. Imò qui sua delicta excusationibus infuscare negotiatur, impœnitentiæ notas præfert, & perseuerantiam in peccatis dissimulanter negotiatur. Cuius rationem moralissimè docet Seneca, ita ad suum Lucilium fatus: *Vitia nostra, quia amamus, defendimus; & malumus excusare illa, quàm excutere.*

Lucæ 18. v. 11.

Scelera nostra, quia adhuc amamus, excusationibus defendimus; sed defensione exaggeramus.

Saluian. lib. 2. de Prouid.

Senec. epist. 117.

5. Geneseos 3. Adamus Dei præceptum infidè transgressus, conscientia sceleris, velut quodam calcari extimulatus, malesuado metu fugam init. Et cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso, abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi. Vocauitque Dominus Deus Adam: & dixit ei: Vbi es? *Qui ait: Vocem tuam audiui in paradiso: & timui, eò quod nudus essem, & abscondi me.* Cùm reliqui propè interpretes, hanc Adami fugam sceleris arguant, eam Leontius acutè defendit, quasi ea non defenderit peccatum suum, sed fugâ & metu palam prodierit. Sic ergo fatur Leontius ad præscripta verba. *Vocem tuam audiui, & timui, & abscondi me.* Attentiùs excipe Leontij verba, plena acuminis, ingenij plena. *Cùm rem cum tali reo habeas, non habeo causæ dicendæ libertatem, suscipe timorem, qui peccatum meum purget, & qui sit paternus tuæ iustitiæ. Vincere te ostendit, fugiens sententiam tuam. Crimina fuga detexit, ostendit errorem defendi non posse.* Verùm quia conscientiam delicti, quod fugâ dissimulanter detexit, mox excusationibus infuscauit, & præuaricationem excusando, potiùs accusauit, & defendendo condemnauit, seuerissimo diuinæ iustitiæ edicto Adamus paradisi exilio mulctatur, quia sincera peccati confessione præuaricationem redimere fastuosus erubuit. Ergò ô homo, inquit Augustinus, *Ascende tribunal mentis tuæ, esto tibi index, torqueat te timor, erumpat à te confessio, & dic Deo tuo: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* O! torqueat te Dei timor, qui peccatorum confessionem extorqueat. Sed heu malum! *Et nobis* (ait Chrysologus) *dura & deflenda conditio: peccare nos cogit fragilitas innata, & confiteri prohibet confusio cognata. Malum enim facere pudor non est, & pudor est confiteri: timemus dicere, quod committere non timemus.* Nimis quidem vere Chrysologus?

Genes. 3. v. 10.

Adamus dum Deum fugit, se deliquisse dissimulāter confitetur.

Leontius in serm. de Creatione & Lazaro, apud Bibliot. Photij.

Torqueat te Dei timor, qui confessionem extorqueat.

August. in Psalm. 49.

Chrysol. ser. 34.

6. 2. Regum 12. Nathanus propheta redit iterum, qui arguta charæ ouiculæ parabola, ore Dauidis sententiam tulit contra Dauidem. Ethici ænigmatis cortice mox detecto, arcanum scelus Propheta palam euulgat. *Et dixit Dauid ad Nathan: Peccaui Domino. Dixitque Nathan ad Dauid: Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Factum exprimit, non premit, cernuus solo affigitur, animo contrahitur, vlcus dolet, nec sine lacrymis culpam ipse prædicans exclamauit: *Peccaui Domino:*

2. Reg. 12. v. 13.

Dauid dit confessus spectatores non fecit criminatores, sed defensores sibi.

mino: externis criminationibus nihil egeo: me ipsum accuso, peccati sum ipse testis: factum non inficior quod conscientia palam facit: negatione peccatum non amplifico. Pergit Basilius Seleucus Dauidis confessionem illustrans: *Peccaui Domino, Deinde subcælestem creaturam conuocans, & orbis terrarum theatrum quotidie cogens, publicat scelus, & ante omnium ora ponit confessionis verba, facitque defensionis participes, vt in pœnitentia partem veniant. Nam Prophetæ lacrymæ pro pœnitentia lege sunt.* Ecce tibi Dauid dum nulla tergiuersatione scelus inficiatur, sed creaturarum conuocans theatrum, illud coram omnibus ore & oculis confitetur, eas facit *defensionis participes.* Porrò ingenua flagitiorum confessio, spectatores non facit criminatores, sed facit sceleris *defensores.* Eleganter quidem Basilius.

Basil. Seleuc. Orat. 17.

§. CCCCXXVI.

Benefacere adsuetus, tardiùs, sed duriùs punit ingratum.

1. Si quis tunc demum scorpioni aculeum inseri credit, cùm pungit, aut echinis venenum infundi, cùm mordent, fatuè ac stultè credit: ita dum res quælibet semper eousque largiùs benefica, acerbiores aliquando immittit plagas, putandum non est, acerbitatis aculeum tunc de nouo inseri, latebat medullitus eò acrior, quò ad molestiam tardior, eò infestior, quò hactenus beneficentior, quasi de diuturniori olim benignitate, acerbioris inferendæ molestiæ vim vberiùs mutuetur. O caue ab irata patientia, ab exasperata mansuetudine, à largiori beneficentia, ingratitudine, & iniuriis lacessitâ! O quàm durè ferit, qui opulentis diu beneficiis ad feriendum armatur! Christus Deus, qui gentium expectatio acclamatur, qui mundi salus expectabatur, qui reparare primæui delicti ruinam beneficus restaurator aduenit; *positus in multorum ruinam* à Simeone denunciatur. Nulla perniciosior ruina, præ ea, ad quam humana pietas lacessita impellit. Quantò rigor in clementia magis peregrinatur, tantò vel ipsa clementia ad acerbitates actiùs exasperatur. O time à benefico supplicium.

Beneficentia iniuriis lacessita, acerbius punit.

Lucæ 2. v. 34.

2. Geneseos 19. Angeli pudicitiæ vltores, aduersum salacissimos Sodomitas armantur: & vbi in arce Begor, velut in præsidio, iustum Lot collocarunt, Dei promissione tutum; durissimam in Sodomitas exequuntur stragem. Sol, inquit, egressus est super terram, & Lot ingressus est Segor. *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cælo: & subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia* Horrendum planè supplicium & cunctis retro seculis planè inauditum; sic omnem Pentapolis gloriam in momento deuastari, vt in vagos cineres, & euanidam fauillam, paradiseas delicias in perpetuum soluerit, & vel leuissimæ auræ spolia fecerit. Nec cum exustis Sodomis, Sodomitarum causa finitur; nam exinde in gehennæ pyra æternum fumante, miserè proiiciuntur. Huc, huc petulans lasciuia deducit, & sulphurea fauilla libidio tumulatur. Verùm obseruatione dignissimum est, & condignâ admirabilitate notandum, eccur hæc sulphurea flamma, & fumantes ignium globuli è *cælo* vibrari dicantur? An non præstaret, vt terra vasto gliscens hiatu, viam aperiret, per quam gehennalis incendij particulam, Infernus aduersus Sodomitas, non absimili vstulatos igni, violenter eructaret? Quare profusa impudenter libido sulphureas flammas, non tam è gehenna cognata, quàm peregrinitas de cælo, ad libidinis vltionem aduocat? S. Bernardus sic fatur hac super re: *Ecce ergo*, inquit, *quo modo ciuitates illa, spurcitia Sodomitica matres, diuino prædamnatæ iudicio, & incendio sunt deletæ. Ecce quomodo gehennalis flamma moram non sustinens, execrabilem illam præuenit tollere nationem.* Gehennalis flamma è cælo præceps ruat, an sex inferni fornace euaporetur? Quare ergo de *cælo* hæc sulphurea flamma descendit? Caietanus respondit: *Et adiungitur, de cælo, ad differentiam conflagrationis naturalis, qua pars aliqua terræ solet ardere accensa terra ab inferioribus.* Opportuniùs, & viuaciùs S. Augustinus, hanc miserrimam incendij stragem contemplatus cum adspectu ad impudentiorem Sodomitarum culpam, hanc pœnalissimam flammam *de cælo* signatè mittendam fore ad acerbitatem supplicij his verbis edisserit: *Liberato de Sodomis Lot, & veniente igneo imbre* de cælo, *tota illa regio impia ciuitatis in cinerem versa est: vbi stupra in tantam consuetudinem conualuerant, quantam leges solent aliorum factorum præbere licentiam.* Nempe quando eò impudentiæ deuenit malitia, vt velut lege lata prauitas inualescat; quasi peccet qui rectè facit; & qui peccat, rectè facere videatur; tunc, tunc quidem, ac si parùm foret voraces flammas ex Inferno (quæ est seuerioris iustitiæ officina) ad vindictam adsciscere; è cælo, quod est misericordiæ conceptaculum, & perenne beneficentiæ promptuarium, aduocatur *gehennalis flamma*, ad oppidò grauiorem impudentioris malitiæ vltionem. Cælum beneuolentiæ typus, & beneficentiæ erga homines idea (imò & hyperbole) ob insana Sodomorum flagitia seueriùs exasperatur, & flammeos ei eiaculatur imbres, quibus nefaria vrbs decinerescat, nec in matricē puluerē solui permittat, quò acerbior vindicta sumatur. O caue tibi à diu largo benefactore lacessito! non enim tantùm de tuo scelere, sed de suis etiam beneficiis irritatur: & irasci, atque nocere nescius velut cæco furoris impetu, ardentiùs exasperatur, & acerbiorem infligit plagam. Ergò *vbi stupra Sodomitarum in tantam consuetudinem inualuerant, quantam leges solent aliorum factorum præbere licentiam; igneo imbre de Cælo, (non accensa terra ex inferioribus) tota illa regio impia ciuitatis in cinerem versa est.* Ecce tibi quare sulphurea flamma, non truci Inferno, sed benefico *Cælo* aduocata sit, ad supplicij inquam, acerbioris ostentationem.

Genes. 19. v. 24. & 25.

Quare sulphureus ignis, non ex Inferno, sed è cælo, ad comburendos Sodomitas aduocetur.

S. Bern. de Conu. ad cler. cap. 19.

Caietanus ibidem.

August. lib. 16 de Ciu. Dei, cap. 30.

Deuteronomij 34. Moyses, dura totis quadraginta annis perpessus in educendo Hebræo populo de Ægypti seruitute, ad optatam Terræ promissionis metam; ob diffidentiæ olim culpam, promissa Terra frui seuerissimè interdicitur. Grande planè supplicium ærumnosas longissimi itineris molestias perpeti, & in optatissimæ metæ vestibulo ingressum prohiberi. Adde etiam ex præalto monte gratum prospectum terræ promissionis vt irrito desiderio excrucietur, spe negata. Adde montem, quæ est naturalium calamitatum maxima. Tantus ne diuinæ vindictæ rigor in amicum 3.

cum leuis diffidentiæ reum? Sic vel leues, eximiè amicorum culpas castigat Deus? Dixitque Dominus ad Moysen: Hæc est terra, pro qua iuraui Abraham, Isaac, & Iacob, dicens: Semini tuo dabo eam, *Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam. Mortuusque est ibi Moyses seruus Domini, iubente Domino.* Fallor nisi saltem verbis alludit ad thema præsens S. Ambrosius, sic fatus de morte Moysis: *Non legimus*, inquit, *de eo, sicut de veteris quia deficiens mortuus est, sed per verbum Dei mortuus est.* (Et post pauca) *Moyses mortuus quidem legitur, sed per verbum Dei mortuus, per quod facta sunt omnia. Verbo autem Dei cæli firmati sunt. Per verbum igitur Dei non lapsus operis, sed firmamentum est.* Nempe Moyses ob leuem diffidentiæ culpam seuerissimè castigatur; dum grato prospectu optatissimæ terræ, frustrato desiderio punitur; & ægritudinis expers mori iubetur, vt fontes assolent. Vt autem tanta seueritas denotetur, non dicitur eius mortem à diuina iustitia inflictam fuisse: *sed per verbum Dei mortuus, per quod facta sunt omnia, Verbo autē Dei cæli firmati sunt.* Scilicet mortuus est per beneficium Dei verbum, per quod variegata mundi pulchritudo, & aspectabilia cælorum sidera condita sunt, quasi luctuosus & peracerbus Moysis interitus, non tam à vi vltrice, quàm à benefica venerit, ad seueritatis exaggerationem. Tam leuem Moysis culpam ad tam grauem pœnam damnari, excedere videtur communem in hac mortali vita punitionis mensuram. Pœnas ergo diffidentiæ luit, & vitam finiat, per beneficum *Dei verbum, per quod facta sunt omnia. Verbo autem Domini cæli firmati sunt.* Quod ad Moysis dignitatem vertit Ambrosius, nos ad lacessitæ beneficentiæ, ad mores reuersamus. Vide piissimam Saram, opprobriis lacessitam, & dirâ Dæmonis infestatione iactatam; quæ postquam nuper Dei misericordiam blandè conciliauit, immeritam sibi mortem expetit: & acerbitatem mortis, quam non audet à iustitia petere, à Misericordia extorquere præsumit.

Per verbum, quo facti sunt cæli, moritur Moyses. Deut. 34. v. 4. & 5.

Ambr. lib. 1. de Cain & Abel. cap. 2.

Psalm. 34. v. 6.

Tobiæ 3. v. 15.

4\. Exodi 9. Moysis ore hæc Pharaoni comminatur Deus: Et pluam cras hàc ipsa horâ grandinem multam, qualis non fuit in Ægypto à die quâ fundata est, vsque in præsens tempus. *Mitte ergò iam nunc, & congrega iumenta tua, & omnia quæ habes in agro: homines enim & iumenta vniuersa quæ inuenta fuerint foris, nec congregata de agris, cecideritque super ea grando, morientur.* Quæ verba exponens Augustinus, sic subtiliter addubitat: *Quid est, quod Deus mandauit Pharaoni, cùm se facturum magnam grandinem minaretur, vt festinet congregare pecora sua, & quæcunque illi essent in campo, ne grandine intereant? Hoc enim non tam indignanter, quàm misericorditer videtur admonere.* At mihi hæc inopinata benignitas, acerbissimi rigoris suspecta est: nam quod misericorditer impiis videtur de cælo impendi, persæpe indignanter fulminatur. Profundè ad rem Procopius publicat huius indulgentiæ rigores, sic ad hæc verba fatus: *Cæterùm prouidentiâ diuinâ factum est, ne iumenta interirent omnia: Nam opus erat iumentis, quæ traherent currus, quibus Pharao postmodum insecuturus erat fugientes, vt eos in solitudine trucidaret.* Nimiùm blandior videbatur indulgentia, qua parcitum est Ægyptiorum pecoribus; & acerbior seueritas est, quâ seruantur iumenta, quæ currus trahant ad suppremam Ægyptiorum stragem. Equos seruat, sed ad equitum naufragium: indulget iumentis, vt non parcat hominibus. O caue ab indulgentia, quæ clanculùm furorem obarmat: lenocinium benignitatis videtur, & mera seueritas est, & rigorum minæ. Caue à Deo iustè irato; sed caue etiam à Deo iniustis benigno. Largior diu erga suam Ierosolymam benignitas, iustas hìc aduersùs illam Dei iras accendit.

Exod. 9. v. 19.

Aug. q. 33. in Exod.

Diuina ergo impiis indulgentia, diuinum sæpè furorem obarmat.

Procop. ibidem.

Hic ver. 12.

§. CCCCXXVII.

Spontanea operantis voluntas, arduas operis difficultates exarmat.

STOicus, si alicubi, hìc maximè, Seneca, ita scribit: Nihil, inquit, honestum est, quod ab inuito, quod à coacto fit. Omne honestum voluntarium est. Admisce illi pigritiam, querelam, tergiuersationem, metum, quod habet in se optimum, perdidit, sibi placere. Non potest honestum esse, quod non est liberum: nam quod timet, seruit. Honestum omne securum est, tranquillum est. Si recusat aliquid, si complorat, si malum iudicat, perturbationem recipit & in magnâ discordiâ volutatur. Hinc enim species recti vocat, illinc suspicio mali retrahit. Itaque qui honestè aliquid facturus est, quicquid opponitur, id etiam si incommodum putat, malum non putat, velut libens faciat. Omne honestum iniussum, incoactumque est, sincerum, & nullo malo mixtum. Hucusque Seneca, Stoici paradoxi nimiæ tenax; sed qui exaggeratiùs edocet, quàm debeat esse voluntarium virtutis negotium; & iniussa, animosior malorum virtuti obstantium perpessio, quæ aut venientibus ærumnis spontè occurrat animo constanter alacri, aut saltem venientes in virtutis caussa suscipiat; & licet non exultanter, ferat tamen saltem patienter. O semper nimis verum: *velle non cogitur*, qui vltrò incedit, planè it: qui coactus incedit, etsi gressus explicet, non it, sed trahitur. O quàm citò in via lassescit, qui inuitus venit! O quàm alacer, vel per obstantia pergit, qui spontè it! Vltrò it Tobias in virtutis via, qui in tot aduersis *contristatus non est*; sed alacri animo, & pietate mascula per obstantia maturiùs pergit. Pergrauia nobis videntur Dei præcepta, *quid mirùm?* ait Saluianus. *Totum durum est quicquid imperatur inuitis, &c. Omne fastidium est non in præceptis legis, sed in moribus suis.* Inde hìc Tobias Hebræos adhortatur, vt in operibus suis sponte factis Domino seruiant, vt virtutis molestias excutiant, & eius difficultates emolliant.

1\. Senec. epist. 67. *Velle non cogitur, qui vltrò pergit, secus qui trahitur.*

Salu. l. 4. ad Eccle. Hic vers. 12.

2\. Lucæ 15. eodem voto duæ nectuntur parabolæ, moralitatum grauidæ. Intendit Christus Deus homines diuersis vitiorum erroribus à via virtutis deuiantes, ad pietatis caulas adducere, & his verbis primam parabolam proponit: Quis ex vobis homo, inquit, qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? *Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens: & veniens in domum,* &c. Postmodum subnectit adolescentis Prodigi parabolam, qui iuuenili inconsideratantia petulanter nimis luxuriante, domus paternæ tædio, ac fugiens patris oculos, velut suæ vitæ censores, adiit peregrè lasciuiæ ductu, & paulo post in

Lucæ 15. v. 5.

in ipsis deliciis egestatem & pœnitudinem derepentè inuenit. Famis autem latratu, tanquam arcano magisterio admonetur; & ad se rediens, ad patrem reuertitur: *Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordiâ motus est, & accurrens cecidit super collum eius.* Puto, quòd pater senex cadens supra reducis filij collum, illum toto corporis pondere degrauabit. An non venit ille famelicus, & nudipes, & ex longo itinere, nullo instructus viatico, lassus? onus addit venienti, non leuamen redeunti. Ita quidem, ait Ambrosius, *Quodam quasi patrij amoris affectu supra collum cadit, vt iacentem erigat, & oneratum peccatis, atque in terrena deflexum reflectat ad cœlum, in quo suum quærat auctorem. Cadit in collum tuum Christus, vt ceruicem iugo exuat seruitutis, & collo tuo iugum suaue suspendat.* Quod vno verbo explicatiùs compendiauit Chrysologus: *Cecidit super collum eius amoris onere.* O magnum onus, non adsuetis Prodigi adolescentis ceruicibus grauissimè impositum! Totâ Christi lege, & Euangelij *iugo*, necdum plenè redux degrauatur: Quæ tanta discriminis ratio inter *ouem*, quæ errauerat & inter Prodigum iuuenem, qui adæquè exerrauit? Ouem *imponit super humeros suos*; & Adolescentis ceruices toto legis *iugo*, & corporis sui pondere grauat: *cecidit super collum eius.* Super humeros suos ouem tollit, & reducis Adolescentis humeros legis *iugo* degrauat: Si Adolescentem non subleuat, sicut ouem, cur tanto pondere statim premit? cur vt opprimatur, non timet? Fallor, nisi ipse prodigus adolescens rationem dissimulanter insinuauit, aiens, *Surgam, & ibo ad patrem meum.* Vnde cum ad se venientem vidit illum pater suus, *cecidit super collum eius.* Scilicet ouis, non dicitur, in se reuersa, rediisse ad Dominum; sed adhuc in deserto errans, inuenta est: exinde adducitur, & super humeros vehitur, ne vel leui molestiâ afficiatur, quæ inuenta est, & reducitur, non redit. At prodigus iuuenis, non quæritur, non inuenitur, non adducitur; sed gratiæ officiositate allectus, ipse vltrò venit; sponte redit: *Ibo*, inquit, *ad patrem meum.* Cùm ergo pater vidit illum vltrò venientem, *irruens cecidit super collum eius*; & quasi iam adultâ virtute robustus esset, & graui Euangelij *iugo*, & *amoris onere*, sponte venientis *ceruices* onerat. Sic delicatus est ad rem virtutis, qui inuentus, sicut ouis adducitur: sic masculâ constantiâ viget, qui viam virtutis vltrò capessit: Velle non cogitur. Nil volenti graue, molestum, arduum. Spontanea voluntas difficultates exarmat. Quæ non vult, nemo potest. Sed tibi integrum est, velle. Velis, & poteris: nam quæ vltrò volumus, facile præstamus.

Lucæ 15. v. 20.

Non qui adducitur, sed qui vltrò venit, potest legis onera fortiter ferre.

Ambr. lib. 7. in Lucam.

Chrysol. ser. 3.

Lucæ 15. v. 18.

3. Lucæ 7. apud Pharisæum Christus discumbit. Lauti conuiuæ mensam coronant: *Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti: & stans retrò secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat*, &c. Princeps hæc femina à delictis olim impudentiam edocta, de pœnitentiæ promptuario delictorum pudorem assumpsit. Ergò pristina erubescens delicta, delictorum propudia coram publicare non erubescit, & piè impudens importuna conuiuio, & oppurtuna veniæ adest. Quis hæc femineo pudori suadere præsumeret? Eleganter Cæsarius sic de ea scribit: *Meretrix illa quæ pedes Domini lacrymis lauit, & capillis extersit, vbi cælestem medicum venisse cognouit, vltrò se ingessit in domum vbi rogata non fuerat; & quæ prius frontosa fuerat ad perditionem, posteà frontosior facta est ad salutem.* Pergit adhuc opportuniùs, & thema præsens eleganter Cæsarius his verbis adornat: *Nec ipsa se*, inquit, *ad hoc reseruauit, vt in fine vitæ suæ pœnitentiam ageret; sed dum adhuc poterat peccare, sic voluit peccata deserere, vt illam de adulteriis suis non impossibilitas subtraheret, sed voluntas.* Nempè hæc pulchra femina, venustate celebris, libidine famosa, ac diu scortationi adsueta, expromptius putauit, se *voluntate*, quàm *impossibilitate* consuetis libidinibus subtrahere. Dum marcet senectute ætas deflorescente pulchritudine quæ alterum concupiscentiæ fomitem suggerit, penè *impossibilitas* libidinis est: dum adhuc venustas floret formositatis illicio, vera & mera *voluntas*: ergò præstet *voluntas*, quòd tandem *necessitas* vix præstabit. Dum adhuc lasciuiæ vacare poterat, etsi pulchræ iuuentæ stimulis ageretur ad luxum, voluit luxuriam vltrò deserere ne fortè infrigente ætate, & parùm ad voluptatem idonea, etsi quædam scortandi *impossibilitas* adesset, illam vix abdicare posset. Efficacior ne est rei non faciendæ *voluntas*, quàm illius non præstandæ propè *impossibilitas*? *Vt illam de adulteriis suis non impossibilitas subtraheret, sed voluntas.*

Lucæ 7. v. 37. & 38.

Voluntas potius quàm impossibilitas, à re vetitâ abstrahit.

Cæsar. hom. 14.

Magdalena frontosior fuit ad salutem.

4. Optabat rex Theodoricus, vt Importunus patritiâ dignitate donaretur, sed cupiens vt Senatores id vltrò præstent, ne id vel inuiti facere cogerentur; re integrâ ita Senatui scribit: *Habetis certè quod vobis ingeniosâ laude tribuatis, & quod pro naturæ charitate dependitur, collatum nostris iussionibus æstimetur.* Quod vel inuitus quis facturus est, dum vltrò illud præstat, *ingeniosâ laude* sibi tribuit: nec tam alienis iussionibus coacto quàm naturæ charitati; & vltroneo affectui palam adscribitur, quò operis difficultates mitigat, dum opus præstandum *ingeniosâ laude* cumulat. Ingeniosa prudentiæ laus est, velut *naturæ charitate* facere, quod vel reluctante naturâ arduè præstandum est.

Cassiod. lib. 3. epist. 6.

Ingeniosa laus est, vltrò facere, quod vel inuitus facturus es.

5. Marci 4. Et dicebat Iesus: Sic est regnum Dei (id est Ecclesia) quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, *& dormiat, & exurgat nocte ac die, & semen germinet, & increscat dum nescit ille.* Sæpè enim nondum Superior sollicitiùs vtitur de subiectorum profectu, & ob eorum leuiculos defectus nimis angitur, magis in virtute proficiunt: sed dum bono sparso virtutum semine, *ille nescit*; imò dum *dormit*: non quasi oscitanter & ignoranter negligens, sed ne illos actuosa nimis sedulitate diuexet, & opprimat, tunc, tunc quidem sparsum in illis virtutis semen *exurgit nocte ac die, & germinat; & increscit dum nescit ille. Vltrò enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spicâ.* Quæ verba sic tempestiuè exponit Chrysostomus: *Dum nescit ille: vt ostendat liberam voluntatem eorum, qui verbum suscipiunt. Voluntati enim nostræ committit opus, &c. Vltrò enim terra fructificat, id est, non necessitate coacta contra propriam voluntatem.* Terra humani cordis non fructificat, quia tu anxiè de fructu cogitas, & exsomni solertiâ nimis inuigilas; *dum nescit ille: vltro enim terra fructificat.* Spontaneum virtutis opus exoptas, & cogere moro-

Deus qui seminauit, seminis incremento nescit, vltrò terra fructificat.

Marci 5. v. 27. & 28.

Chrysost. inibi.

sus

fus infiftis? Vel follicitior faciendi operis notitia, hic arcetur, ne vltroneum opus ad fructificationem fafcinet. Dum fponcaneum expetitur opus, faciendi operis noticia in præceptore fopitur: *Dum nefcit ille, vltrò terra fructificat.* Valdè haborat terra, dum accepto femine, primùm herbam, deindè fpicam, tandem plenum frumentum in fpicâ profert: fed *nefciat ille*, noftræ enim voluntati committitur opus: *vltrò enim terra fructificat, id eft, non neceffitate coacta contra propriam voluntatem.* Inutili coactione ne terræ laborem fruftrà adaugeas. Quid tam moleftum quàm fcrupulofum infpectorem morosè pati, qui inftanter vrgeat ad opus? Quantùm neceffitati adiicis, facilitati detrahis. Permitte vt vltrò fiat, & facile fiet. *Dum nefcit ille, die ac nocte vltrò terra fructificat.* Quid accomodatiùs?

---

§. CCCCXXVIII.

Dies, in quâ de Deo rebufque Dei, homines gaudent, mane habere poteft, vefperam non habet.

1\. Publ. Mim.

OMnis affectus habet vt in eo in quo ipfe infanit, in eodem putet cæteros furere. Qui voluptates fufpirat, (ô quoties fufpirabit fub voluptatibus!) nil nifi voluptuofum putat gratum; & virtuti omninò manciparos, quafi humani gaudij exules, miferrimos mortalium iudicat. Imò potiùs qui inerti voluptatis mundanæ otio torpet, dicat ipfe fibi: Voluptas fragilis eft, & breuis, faftidio obiecta: quò auidiùs haufta eft, citiùs in contrarium recidens. Illa eft voluptas & homine & viro digna, non implere corpus nec faginare, nec cupiditates irritare, quarum tutiffima eft quies: fed perturbatione carere, & illâ, quam hominum inter fe rixantium ambitus concutit. Hanc voluptatem æqualem, intrepidam, nunquam fenfuram fui tædium, percipit ille, qui fe totum virtuti addixit: qui etfi de præfentibus non gaudet, gaudia futura in cælo, fpe libauit in terrâ. Hæc vera & folida in Deo, & de Deo lætitia, pectus implet, & animum hoc prægustato gaudio delibutum, alacrem, & velut pertinacè ad rem virtutis reddit, dum ardua in viam planã fternit, & acerba quæque haufto de cælis fucco mellit. Propterea idem eft femper, fiue in profperâ fiue in aduersâ fortunâ, & in omni virtutis actu par fibi: iam non confilio bonus, fed more; eò perductus, vt non tantùm rectè facere poffet, fed nifi rectè facere non poffe videatur. Hoc cælefti virtutis facte, eximiè fuos infantat Deus, vfque ad beata, & æternùm perennatura cæli gaudia: hoc cælefte mãna vfque ad ingreffum Terræ promiffionis perdurat. O! *dedimus corpori annum, demus animæ dies: impendimus nobis tempora, tempus deputemus auctori: viuamus Deo paullulùm, qui feculo viximus totum*, ait Chryfologus, *vt gaudeas in fecula feculorum*, ad quod hîc adhortatur Tobias.

Mundi voluptas leuis & fragilis eft; lætitia in Deo, & de Deo cor implet.

Chryfol. fer. 12.

Hîc verf. 11.

2\. Genefeos 2. facer Hiftoricus fextidui opificium fuccinctâ recapitulatione in compendium graphicè redegit, his verbis. Igitur perfecti funt cæli & terra, & omnis ornatus eorum. *Compleuitque Deus die feptimo opus fuum quod fecerat: & requieuit die feptimo ab vniuerfo opere quod patrarat.* Hæc Dei requies, cùm præuium videatur

Genef. 2. v. 2.

P. Didac. de Celada in Tobiam.

importare laborem, qui in Deum non cadit; valdè inquietat interpretũ ingenia, & in varias expofitiones fcindit. Ionilius hanc interpretationem ex Auguftino mutuauit, ita fatus: *Sola bonitatis fuæ causâ fecit opera, quæ in eo requiefcerent, &c. Propterea requieuiffe dicitur Deus tranflato genere locutionis, cùm creatura rationali in qua & hominem creauit, in fe ipfo requiem præbuit poft eius perfectionem, per donum Spiritus-fancti, per quem diffunditur charitas in cordibus noftris.* Nempe Deum requiefcere ab operibus fuis nil aliud eft, quàm operi fuo, homini inquam *requiem* dediffe, quafi hominis requie requiefcat Deus. Sed attentiùs obferuanda funt verba, quæ eleganter fubdit: *In quo & id magnoperè aduertendum, quòd dies ipfe feptimus quanquam mane potuerit, vefperam tamen habere minimè perhibetur.* Nempè ceteri diuini opificij dies rebus creandis deftinati, vefpere & mane conftare dicuntur, die ac nocte, tenebris & luce. At fingularis ille dies in quo requiem, & gaudium dedit Deus homini, per donũ Spiritus-fancti, per quem diffunditur charitas in cordibus noftris, à reliquis diebus eximitur, nec mane & vefperem habere, ficut hactenùs dies cæteri, confultiffimè dicitur. Nam ipfe dies feptimus pacatiffimæ quieti, & veræ in Deo lætitiæ deftinatus, *quanquam mane potuit, vefperam tamen habere minimè perhibetur.* Qui eâ perfunditur de cælo lætitiâ, Spiritus-fancti gratiâ delibutus, vt à paffionum ftrepitu, & humanæ gloriæ & voluptatis tumultu; in Deo, & per Deum, femel *requiefcat*; mane habere poterit, vefperam habere non dicitur. Reliqui mundi dies, vefperam habent & mane; & à vefpere inchoantur. Hæc autem quæ quieti & lætitiæ hominum à Deo per eximiam gratiam deftinatur, *mane habere poteft*, & dulci albicantis auroræ lumine illuftrari, & vfque ad meridiem lucendo crefcere; *vefperam tamen habere minimè perhibetur.* Nefcit noctis tædium, tenebrarum moleftiam ignorat, qui aliquando nouit in Deo *requiefcere*; cui gratiæ dono datum eft, abiectis mundi voluptatibus, in Deo, & in virtute gaudere. Sic cælefte gaudium hominem velut violenter allicit, fpontè trahit, & potenter aduncat, vt terrenis vale dicens, naufeet ad mundana, quia hiat ad cæleftia. *O quàm fordet terra, cum cælum afpicio!* exclamabat Ignatius, cæli deliciis innutritus, diuinis affiduus, adfuetus libare melleum cæli nectar. Ergò dies, quæ *requiem* à Deo mutuatur, fplendidum *mane* habere poteft, fed *vefpera* habere tenebras minimè perhibetur. Hinc Chriftianorum olim in virtute conftantia, quam Gentiles *obftinationem* appellabant.

Ionilius apud C. Ronam.

Dies lætitiæ de Deo deftinatus, mane haber, vefperam ignorat.

Tertull. in Apolog.

3\. 1. Reg. 14. v. 27.

Itaque dies gaudio virtutis deftinatus, quo Deus fuos vbertim perfundit, *quanquam mane potuit, vefperam tamen habere minimè perhibetur:* nam cælefti dulcedine totus fplendet. Moraliffimè Ionathas victoriando feffus, & diuturnâ fame laffus, *Extendit fummitatem virgæ*, (alij exfcribunt, *Sceptri*, iam præproperè Rex) *quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis: & conuertit manum fuam ad os fuum, & illuminati funt oculi eius.* Nempe melleâ dulcedine non tantùm recreatur, & adipatur, fed etiam præclarè illuminatur, quafi cælefti dulcedine tanquam quodam collyrio inoculetur ad difcernendum inter egenas mundi voluptates, & opulentas virtutis delicias. Cui fuauis eft Deus, defipiunt cetera, & illi fuaue eft carere fuauitatibus nugarum,

Rex dicitur, qui prægustat cæleftia.

Delectatio de cæleftibus, oculos illuminat, vt fæcularia contemnat, & vfque ad fomnum cæleftia fectentur.

MMm 3 quafque

quasque amittere metus olim fuerat, iam dimittere gaudium est; cùm Deus vera & summa suauitas, eiiciens illas, intrat pro illis, vt de se ipso testatur Augustinus. Mundus hæc ridet, nesciens quòd cælestis dulcedo, *Manna est, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Incredibile videtur, quod gustato fauo, ad palati gustum illuminentur oculi: & quòd dies humanæ de Deo lætitiæ destinatus, (præter reliquorum morem) *mane* habere potuerit, *vesperam* tamen habere minimè perhibeatur. Sed audiendus est Psalmographus sic de experiētia modulatus: *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* Id est, *priùs gustate, vt videatis,* vt inibi noster Lotinus peritè exponit. Sed quid est, quòd gustu diuinæ suauitatis, humanus aspectus acuitur & claratur? Sapor palatum suauitate delectat, non illuminat oculos. O bonum collyrium de medicâ cæli schola depromptum, quo videmus, cælesti suauitate gustata, voluptates terrenas desipere, & virtutis delicias auidè expeti, æternaturâ satietate famem exacuente, nouo gratiæ prodigio. Porrò inter corporis & animæ delicias hoc solet esse discrimen, quòd corporales deliciæ cùm non habentur, auidum sui desiderium excitant: cùm verò auidiùs degustantur, edentem protinùs fastidio per saturitatē afficiant. Sed è contrario spirituales deliciæ cùm non habentur, in fastidio sunt: cùm verò habentur, in desiderio. In illis appetitus placet, experientia displicet. In istis appetitus vilis est, & experientia magis placet. Sed nota quæ eleganter ad rem subdit Gregorius, præfata Dauidis verba exponens: *Augent enim spirituales deliciæ desiderium in mente, dum satiant: quia quantò magis earum sapor percipitur, eò ampliùs cognoscitur, quòd auidiùs ametur. Proinde Psalmista nos admonet, dicens: Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus.* Nimirùm quantò rerum diuinarum sapor magis percipitur, non tantùm dulcedine sua animum delectat; sed *eò amplius cognoscitur quod auidiùs ametur.* O mellei faui gustum, qui caligantes Ionathæ oculos miro sapore illuminauit! ô præclustris illa dies, in qua Deus *requiem*, & gaudium hominibus præbet, per Spiritum sanctum in eorum corda suauiter infusum; quæ præter reliquorum dierum morem, clarum *mane* habet, obscuram *vesperam* habere non dicitur! Nam qui hisce dulcedinis benedictionibus præuenitur, tanta pollet perspicacia, vt ad spirituales inoculatus delicias, terrenas voluptates fastidiat. Vide nunc Saram, Raguelis filiam sanctitate præstantem, dum oculos ad Deum perspicacissimè conuerterat, sic humanas voluptatulas à cunis respuisse, vt in eis nil, quod animum alliciat, vnquam viderit. Mœrebat de terrenis, gaudebat de cælestibus; sic sapore virtutis illuminata, vt splendidum habens *mane* tenebrarum *vesperam* ignorarit, ab vtero vsque ad tumulum præclara virtute illustris.

August. Confess. c. 1. — Apocal. 2. v. 17. — Psalm. 33. v. 9. — Lotin. ibi. — Greg. hom. 36. in Euāg. — Tobiæ 3. v. 16. & 17.

1\. Exodi 20. inter leges Decalogi, quarta scribitur de religioso sabbati otio: Memento vt diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est. *Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requieuit in die septimo, idcircò benedixit Dominus diei sabbati, & sanctificauit eum.* Quæ verba referens & exponens Hebræus Philo, ita eleganter scribit: *Quarta lex est de semper virgine sine matre seruanda hebdomade; vt creatura assueta eius otio, reminiscatur eius qui omnia fecit inuisibiliter.* Scilicet clara Sabbati festiuitas, religiosè destinata quieti, & Deo, rebusque Dei celebrandis adscripta, *virgo* semper est, semper intacta, nec vllis laborum errorumve tenebris constuprata. Porrò creatura sacro sabbati otio adsueta, & rerum diuinarum contemplationi assidua, quantò magis earum saporem percipit, eò ampliùs cognoscitur, quod auidiùs ametur: & inde pietatis fomite stimulata, ab obscuro mundialium rerum squalore semper *virgo*, semper intacta seruatur. Sabbatum enim mane habet, vesperam habere non potest.

Exhod. 20. v. 11. *Sabbati festum, semper virgo est.* — Philo. in lib. *Quis rerum diuin. heres.*

§. CCCCXXIX.

Deipara virgo pariens, indubitata Iesuana diuinitatis defert indicia.

Seleuciensis Basilij vox est: *Vt enim non in facili est Deum nosse, aut eloqui; imò ex eorum numero, quæ fieri minimè possunt: sic magnum Deiparæ sacramentum omni ratione celsius est, & oratione.* Verùm cùm venerabilis Beda in allegorica huius libri expositione, in Tobia, Sara, & Angelo nuptiarum paranympho diuinæ corporationis mysterium, & exinde *magnum Deiparæ sacramentum* adumbratum agnoscat; etsi ineffabile sit, & omni ratione celsius, eiusdem impar encomium iudi nunc oratione, sed comptiori voto saltem leui calamo perstringere, non abs re fore censuimus. Hoc ergo magnum Deiparæ sacramentum, & fuit mysterium, quod in hodiernum vsque diem mysterium permanet, & nunquam mysterium non erit: quandoquidem mortalium nemo eius digna elogia poterit audaciùs cogitando assequi & comptiùs fando eloqui. *O virgo sanctissima* (pergit idem Basilius) *de qua qui cum laude grauiterque dixerit, non ille quidem à veritate aberrabit, sed pro merito haut fecerit satis.* Ergo primus Gregorius Nyssenus lemma) propositum sic opportunè probat? *Ob eam enim caussam mihi Dominus noster Iesus Christus, à quo veluti fonte quodam omnis castimonia manat, non nuptiarum via quæsita in hanc vitam ingressus videtur, vt ex eodem modo quo carnem humanam assumpsit, admirabile hoc, & plane magnum mysterium patefieret* (expende verba, quæ subiexit) *Quoniam quæ Dei aduentum demonstraret sola castitas idonea est, quam aliter perfectè omnino præstare nemo potest, nisi qui ab omni carnis affectu se etiam atque etiam totus auertit.* 9.

Basil. Seleu. Ora. 38. — Beda in Tobiam. — *Magnum Deiparæ sacramentum, omni ratione & oratione celsius est.* — Nyss. l. de Virg. cap. 2.

Isaiæ 7. Hebræorum Rex incredulus, & auitæ religionis infidè refuga, Messiæ noscendi, hoc est, diuinæ corporationis, seu Dominicæ Incarnationis signum inuitus accipit, quo velut collyrio Iudæorum clarentur oculi in secretioris mysterij caligine, mortali visui imperuia, *Propter hoc* (inquit Propheta) *dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum: Nobiscum Deus.* O præclarum Messiæ ab vniuersis noscendi notaculum, Christus Dominus, Redemptorque noster oculis se se voluit reuelare mortalium; quatenus inuisibilis eius diuinitas, quæ latebat in homine, insuspicabili Virginis partu proderetur, & dùm sacrarium maternæ vuluæ, partione minimè reseratur, ad Deum hominem cognoscendum, clausus mortalium aspectus ad diuina 7.

Isaiæ 7. v. 14. Matth. 1. v. 23. — *Pariens Virgo impellit vt Dei corporationem credamus.*

diuina noscenda referetur. Pulchrè S. Maximus ad lemma præsens tempestiuius sic fatur: *Nec sanè* inquit, *quemquam moueat tanta hæc perfidia Iudæorum, quod Christi illos fidem suscipere, neque noui stellæ fulgoris, nec pariens Virgo compulerit; qui nec tunc quidem Deo credidere suo, cùm illos per arentia deserta ipso comitante Deo cælum pasceret; petra potaret.* Attentâ animaduersione expendendum est illud, quod magno cum acumine S. Maximus scripsit, quod ad Christi fidem certatim suscipiendam, & diuinæ corporationis mysterium auidè credendum, *nec pariens Virgo compulerit.* Parùm S. Maximo visum est, quod Virginis partus, credibilitatis blandimentum foret, & miraculi illicio mouerentur homines ad credendum, nisi ad sacratioris mysterij fidem, quodammodò *pariens Virgo compulerit.* Sic est Deus in Virginis partu descriptus: sic iam perlegi à quocumque obuius, vt quod omnibus licet legere, vniuersos velut *compellat* credere? In aliis sæpe miraculis ad hoc patratis, tanquam in ambiguis litteris, & plurifariam significantibus, legi potest Incarnationis sacramentum: at in Virginis partu sic est præclarè sculptum olympico charactere, vt non tam Incarnationem suadere, quàm ad suadelam *compellere* quodammodò dicatur. Exindè postquam Propheta dixit: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*, confestim subdit: *Et vocabitur nomen eius Emmanuel, quod)* interprete Euangelistâ *) est interpretatum Nobiscum Deus.* Vides, ad suadelam, quòd Deus per Incarnationem sit nobiscum, qualiter *pariens Virgo compellere* dicatur? O vltroneam miserrimè coactionem, quâ ex partu Virginis, & Deiparæ elogio, ad Deum corporatum certiùs agnoscendum, quodammodò *impellimur! o magnum Deiparæ sacramentum, omni ratione, & oratione celsius!*

Maxim. homil. 1. de Epiphan.

3. Lucæ 2. in noctis intempestæ silentio, Dei Verbum ex matre Virgine infans nascitur. Statim Angelus pastoribus apparet, & ait ad illos: Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. *Et hoc erit signum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio, &c. Et venerunt festinantes: & inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.* Liceat nunc cum expositoribus examinare hoc *signum* pastoribus cælitùs exhibitum, vt credant infantem illum esse Christum Deum. Porrò quid miraculosè arcanum, aut extraordinariè præcelsum apparet in eo quod inueniat puerum recens natum, & prope eum eiusdem matrem cum adstante marito? Num ex hoc colligere liceat eiusmodi puerum esse mundi Saluatorem, Messiam promissum, & Christum Dominum! Vnde hîc transpareat Diuinitas? Et sanè puer, etsi erat Dei Verbum, *infans* nuncupatim nominatur: nec Deipara vllum ad eos verbulum fecisse legitur. Quomodò ergò videntes *cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc*: Infans Deus silet, mater Virgo tacet, & tamen pastores esse Christum Deum indubiè cognoscunt. Perbelle S. Germanus ita ad rem fatur: *In Maria sine voce, & scriptura, ipse inscriptus Deus, & Verbum per diem legitur.* Hæc Germani ratio aliorsùm fantis ad alias etiam huius rei rationes accedat. Nimirùm etsi Dei Verbum carne indutum, in vili præsepio stabulat; tamen in Deiparæ maiestate quæ empyreum reuerberabat splendorem, & dignitatem matris Dei repræsentabat, eam tunc inspectatoribus diuinitùs afflabat, vt in illâ *sine voce & scriptura, ipse inscriptus Deus & verbum per diem legeretur.* Eleganter quidem Germanus? Et Chrysologus: *Quantus sit Deus satis ignorat ille qui huius virginis mentem non stupet, animum non miratur.* Quasi admiratio & stupor de Marianis prærogatiuis, sit in terris sublimior Dei notio.

Lucæ 2. v. 12. & 16. & 17.

In Deipara sine voce, & Scriptura ipse Deus inscriptus legitur.

German. de Natiu. Vir.

Admiratio de Virgine.

quantus sit Deus nescit.

Chrysol. serm. 140.

4. Matthæi 2. stella duce ueniunt ab Oriente Magi: & tandem vsque ad vrbeculam Bethlehem, infantem Deum adoraturi, adsunt? *Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Quid quæso augustioris maiestatis in hoc puero in præsepio stabulante, Magi viderunt, vt eos humili cernuatione, latentem in puero diuinitatem adoraturos prosterneret? Vident puerum *quantitate paruum,* (ait S. Leo) *alienæ opis indiguum, fandi impotentem, & nulla ad humanæ infantiæ generalitate discretum:* quòd ergò signum in eo repererunt, quod maiestatem inuisibilis diuinitatis assereret, quid sempiternam illam essentiam filij Dei verâ suscepisse hominis naturam demonstraret? Profundè Maximus Taurensis Episcopus sic ad rem fatur: *Vnigenitus autem Altissimi sic humiliter ingressus est in mundum, vt indubitata diuinitatis suæ deferret indicia. Natus enim de femina est, sed natus ex virgine: vt hominem illum Deumque, & terrena mater, & signum cæleste monstraret.* De hac siderea face hic Tobias prophetat, aiens: *Luce splendida fulgebit, & omnes fines terræ adorabunt te.* Quod de Incarnatione Verbi omnes Commentatores exponunt. Itaque Christus Deus infans nascitur, quantitate paruus, alienæ opis indiguus, fandi impos, & nulla ab humanæ infantiæ generalitate discretus: atque parentum egestate, pannorum vilitate, stabuli squalore, & præsepis propudio, abiectissimus humanis oculis comprobatur: at quia licet natus de femina, *natus ex virgine* est, *indubitata diuinitatis suæ deferre indicia* perhibetur. Nec mirum, quod natus ex Virgine, *indubitata diuinitatis suæ deferat indicia*, siquidem ad diuinæ corporationis suadelam, *pariens Virgo compulisse* traditur. quod est *magnum Deiparæ sacramentum, omni ratione & oratione celsius.*

Matth. 2. v. 11.

Sic humiliter ingressus est Christus in mundum, vt diuinitatis suæ offerret indicia.

S. Leo ser. 4. de Epiph.

Maxim. Taur. hom. 1. de Epiph.

Hic v. 13. &c.

5. Lucæ 1. cælesti sponsæ è cælo paranymphus Gabriel adest, & sic Mariam alloquitur: Aue gratia plena: Dominus tecum, &c. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideòque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Spiritum sanctum non modo venturum dicit, sed *superuenturum* asserit, quò gratiarum exuberantiam denotet. Petrus Damianus postquam multis encomiis Ioannis Baptistæ conceptionem expoluit, hæc verba subdit: *Longè tamen aliter conceptus est Christus, Spiritu sancto tota maiestate Virginem inundante.* Diuinæ maternitatis priuilegio, tota Spiritus sancti *maiestas* Deiparam inundat? Eloquenter Veronensis Zeno de Natiuitate Christi ita fatur: *Etenim,* inquit, *Deus Dei filius, dissimulata interim maiestate ab æthera sede profectus in prædestinatæ virginis templo sibimet castra metatur, quibus latenter infunditur; ibidémque salutum quod erat, meditatur esse quod non erat.*

Lucæ 1. v. 35.

Petr. Dam. serm. 13.

Totâ Spiritus sancti maiestate Virgo mater inundat.

Zeno ser. 2. de Natiu. Christi.

Deipara superbus emicat venter.

Itaque dissimulata *interim maiestas* Filij Dei dicitur. Sed notanter hæc subiicit verba, *Mixtus itaque humanæ carni se fingit infantem. Mariæ superbus emicat venter, non munere coniugali, sed fide; verbo, non semine.* Piè *superbus* dicitur Deiparæ venter Deo plenus, *Spiritu sancto tota maiestate Virginem inundante.* O quales quantosque medullitùs in se corporatæ personæ Verbi splendores reuerberat, quæ Spiritus sancti *tota maiestate* exundat? Propè *superbum*, id est, sublimissimè augustum est, tota Spiritus sancti *maiestate* exundare, & latentis in suo vtero diuinitatis notas sumptuosiùs edere: *Quia* (ait Richardus) *per ipsam: & in ipsa & ex ipsa augetur gloria Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Vndè magnus Dominus licet in omni creatura sit, tamen nominatim dicitur magnus, & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri, quæ est Maria.*

Richar. de S. Laur. lib. 2. de laud. B. virg. Ps. 47. v. 4.

§. CCCCXXX.

Dei Filius dum Virginis Deiparæ Filius prodit, consummatus nasci dicitur.

I. SÆpe audiuimus Spiritum sanctum per Prophetam de natiuitate Saluatoris sub profunda mysteriorum obscuritate loquentem, & nouum cælestis Solis iubar, velut de Sacramenti nebula monstrantem, & dicentem: *Paruulus natus est nobis, Filius datus est nobis.* Quid ergo est, paruulus natus est nobis, filius datus est nobis? Natus est nobis, qui sibi erat: datus est ergo ex Patre Deo, natus ex matre Virgine. Natus, qui sentiret occasum, datus qui nesciret exordium. Natus, qui & Matre esset iunior: datus, quo nec Pater esset antiquior. Natus, qui moreretur: datus, ex quo vita nasceretur. Ac sic, qui erat, datus est: qui non erat homo natus est. Illic dominatur, hic humiliatur. Sibi regnat, mihi militat. Quod verò audiuimus: *Paruulus natus est nobis*: paruulus datur, quia exinaniuit semetipsum, & formam serui, non deposita, sed abscondita maiestate suscepit, vt & humanis oculis videri posset, & serui formam Domini claritate vestiret. Paruulus nascitur, & Dei Filius est, qui ex Virgine nascitur: nec cùm ex Virgine temporaliter nascitur, ab augusta æterni Patris generatione vllatenus degenerat, nam Christus Deus homo, *Censetur ex Virgine*, (vt aliàs ex Tertulliano adnotauimus) ex qua postquam in terris natus est, & tandem ad cælos ascendit, *Inquilinus pectoris Patris* nominatur. O quàm generosè Christus Deus ex Virgine nascitur! *Porrò* (inquit Bernardus) *Deum huiusmodi decebat natiuitas, qua nō nisi de virgine nasceretur: talis congruebat & Virgini partus, vt non pareret nisi Deum.*

Isaiæ 9. v. 6. Eusebius Emis. hom. 1. de Natiu. Domini. hæc fere verba habet. *Christus homo Deus est.*

De hoc agitur copiosè in Tract. de Iudith figur. Bern. serm. super *Missus est.*

2. Ioannes tonitrui Filius, in sui Euangelij auspicio sic altè intonat, vel potiùs mente de diuinitatis clarata fulgoribus, micanter fulgurat; vt humana caligine depulsa, Deitatis nitor effulgeat dum diuini Verbi arcanam generationem ore humano iproloquitur, quò Christum esse verum Deum ostendat. *In principio*, inquit, *erat Verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ecce in vna, ipsaque perbreui periodo, ter *Verbi* vocabulum inculcatur, quò factum est, vt & historia impeditior, & intricatior reddatur, & toties repetito *Verbi* nomine, narrationis sensus non parùm obscuretur. An hoc vnum nomen Verbum habet? an non posset appellari Dei Filius, quo eum nomine in Euangelio exinceps appellat? Cur *Verbi* vocabulum nunc toties inculcat, neque Dei Filium nominat, quem esse vnigenitum, æterna generatione à Patre Deo satum publicare prætendit? Quare sic Euangelistam ituat, ter repetere Verbi nomen, nec semel Dei Filium hactenus appellare; Fatigent subtiliora ingenia doctiorum proceres, acumine, & eruditione præstantes, vt idoneam huius rei rationem peruestigent: ego verò (vt olim multis exponebam, cùm commentationem litteralem & ethicam huius Euangelij, auditoribus meis traderem) seriò suspicabar, secundam Triados personam, Verbum, inquam, diuinum pro humani generis redemptione corporatum, *Verbum* a Ioanne dici, quousque de ipso palàm dixerit: *Et verbum caro factum*: nempe de carne Mariæ coagulatus, e eius formatus visceribus, & de eius virgineo vtero feliciter natus Deus homo Christus Iesus. Porrò quem ter appellauerat Verbum, (idem nomen addensando in breui periodo) postquam semel pronunciauit, *Et verbum caro factum est*, & Filius Virginis editus, confestim crebro repetit Filij Dei nomen, aiens: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* & mox, *Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris*, & exinde, *Testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.* Et postea, *Tu es Filius Dei.* Nempe antequam Mariæ dicatur Filius, etsi verè Filius Dei erat, æterna generatione satus. *Verbum* appellat: postquam vero Mariæ Filius esse cœpit in tempore, tunc, tunc quidem. *Dei Filius* in terris nominatur. Quò perbellè alludere videtur Hugo Victorinus, ita subtiliter fatus, *Christus in cælo, Qualis Pater, talis Filius; in terra, Qualis Mater, talis Filius,* Scilicet sic generosè Christus Deus ex Maria in terris nascitur, natiuitate æternæ generationis æmula, vt quousque temporariæ ex Deipara natiuitatis decus denarretur, Dei Filius ab Euãgelista minimè hactenus nuncupetur. Erat, erat quidem in terris *Dei filius*, qui non deposita sed abscondita Deitatis maiestate, pro nobis corporatur: sed absconsum diuinæ generationis elogiū. tantùm gloriæ ab humana è Virgine natiuitate apud homines mutuauit, vt antè humanam è matre Virgine generationem, *Verbum* duntaxat nominetur: postquam verò dicitur, Virginis *Filius* exinde etiam Filius Dei vn genitus in terris nuncupatur. Nam *Christus in cælo, Qualis Pater, talis Filius: in terra, Qualis Mater, talis Filius.* Quasi Christi census, qua homo est, ex Virgine matre æstimetur: & filiatio diuina sæculis absconsa, de humanæ filiationis elogio, in terris sumptuosiùs euulgetur; & generationis diuinæ priuilegium, ex æmula natiuitatis humanæ generositate in terris innotescat. Si enim Dei Filius humanitùs nasci habuit, plane è Virgine matre nasci debuit, prælustri natiuitatis decore. Vnde antequam Christus inducatur Filius Virginis, *Verbum* duntaxat, non *Filius Dei*, ab Euangelista nominatur: quia *Christus in cælo, Qualis Pater, talis Filius; in terra, Qualis Mater, talis Filius.* In cælis, quà Deus ex Patre, in terris, quà homo ex Matre censetur. Hinc dixit Proclus: *Sacra Deipara in vnum nos coëgit. Hæc illibata virginitatis purus ille Thesaurus: hæc spiritualis secundi Adami paradisus: hæc vnitarum inter se naturarum*

Ioan. 1. v. 1.

In hoc Euangelio Christus non dicitur Filius Dei antequā dicatur Mariæ filius.

Ioan. 1.

Hugo Victor lib. 1. Miscell.

Proclus de Fide ad Armen.

rarum officina: hæc salutaris reconciliationis panégyris. Sic motum, citiùs quàm oris eloquentiâ, Dei Mater Filium Deum adorat!

4. Isaias Euangelicus vates, præluſtre agnoſcendi Meſſiæ ſignum offert, quò eius diuina maieſtas humanitùs cognoſcatur. Propter hoc, inquit, dabit Dominus ipſe vobis ſignum: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* id eſt, Nobiſcum Deus, Chriſtus Ieſus, inquam, verè homo Deus, è Virgine conceptus, Virginis partus, verus & naturalis Deiparæ filius. Prophetæ adteſtatur Euangeliſta, de eadem Virgine aiens. *Et peperit Filium ſuum primogenitum.* Itaque Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui in principio erat Verbum, Deus apud Deum, ad nós è matre Virgine prodiit, à Patre Deo non receſſit: illic aſtitit, hùc proceſſit. Et quia ad cælos remeans dixit, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, ad noſtra deſcendens, in ſuis remanſit; ſicut ad ſua regrediens, nobiſcum permanſit. Et ad nos ergo Verbum incóprehenſibile percurrit, & à Patris pectore non abceſſit. Qui paternæ menti ſemper Deus adeſt, in maternis viſceribus Deus homo fouetur: & quò dirigitur perueniens, vnde emittitur non recedit. Nec à mortali Virgineì vteri nouem menſium hoſpitio; iniuriam patitur, qui virginale corpus attracturus erat, ex puriſſima propriæ parentis materia. Itaque Chriſtus & Dei Patris Filius eſt, & ſimul Virginis matris naturalis Filius: nam ſicut totus Deus ex Deo Patre, in totum hominis corpus ex Virgine matre. Quòd autem Dei Filius à tanto ſublimitatis faſtigio minimè degenerauit, è matre temporaliter naſcens, his verbis eleganter tradit Emiſenus: *de carne Mariæ coagulatus, de eius formatus viſceribus, de eius ſubſtantia conſummatus, & ſanguinem quem etiam pro matre obtulit, de ſanguine matris accepit.* Hæc vltima Emiſeni verba mox alioſum penſabimus. Nunc ad rem obſerua quòd Chriſtus Deus, & Dei naturalis filius, dicitur *de Maria ſubſtantia conſummatus.* Nempe etſi Chriſtus Deus per veram generationem, totum corpus attraxit ex matris materia; nulla tamen longi mortaliſque hoſpitij iniuriâ homo prodiit, qui in principio erat Deus; nec quia Filius Mariæ à deitatis augusta generoſitate deſciuit; ſed potius *de eius ſubſtantia conſummatus* proceſſit. An non Dei Filius è Patris pectore profectus & conſummatus naſcitur? Ita quidem, ſed perfectione Deitatis, & diuinæ perſonalitatis elogio. Aſt cùm Deus homo in Mariæ viſceribus coagulatur, & de eius almo vtero tandem enaſcitur, non modò Filio Dei non fuit periculoſa, humana ex Virgine natiuitas; ſed *de eius ſubſtantia conſummatus* prodiit. O quàm valdè audet vox illa *conſummatus*! An hominis Dei cenſus, & perfectionis *conſummatio*, ab humana ex Virgine natiuitate quodammodo penſanda eſt? Sic Dei Filius, è Patris Dei pectore æternaliter genitus, perfectè *conſummatus* prodit, cùm in tempore è puriſſimis Matris viſceribus auguſtè generatur? Qui ex Patre Deo, eius Filius: ab æterno gignitur, *conſummatus* naſci dicitur, cùm de Mariæ viſceribus formatus, tandem Deiparæ Filius prodit? In materni vteri inuiolata officina ineffabilis Verbi incarnatio cōſummata eſt. *Incarnatio*, ait Baſilius, *morte valentior, Dæmonibus fortior, idololatriæ euerticulum, parens libertatis, arx immortalitatis, ſeruitij depulſio, gratiarum diſtributio, regni ſtola, cæleſtis conuerſatio, ſucceſſionem nullam ſperans.* Expende ſingulas Baſilij ſententias, quæ dilucidè exponunt quàm exierit Chriſtus de matris ſubſtantia *conſummatus*, qui hæc auguſte ſublimiſſima Incarnatione peregit.

Isaiæ 7. v. 14.

Lucæ 2. v. 7.

Dei Filius de Mariæ ſubſtantia conſummatus eius Filius naſcitur.

Emiſen. de Natiu. dom. homil. 1.

Incarnationis elogium.

Baſil. Seleu. Orat. 34.

Hic verſ. 13. &c.

5. Lucæ 1. cæleſtis paranymphus Virgini adeſt, ſic fatus: Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. *Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur.* Tunc Deipera diuinæ corporationi adnuens, ita reſpondet: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Mirifſimum ſane eſt, quod ad infimiſſimam ſe humilitatem demittat, dum *Magni*, & *Filij Altiſſimi* vera mater efficitur. Hæc verba exponens Ambroſius ita ſcribit: *Habes*, inquit, *Deiparæ obſequium, vide votum. Ecce ancilla Domini, apparatus officij eſt. Fiat mihi ſecundum verbum tuum, conceptus eſt voti.* Nempe abiectior in Deipara humilitas, quando Dei Verbum in vtero concipit, *apparatus officij eſt.* quò verè *Magnum*, & *Altiſſimi Filium* in aluo concepit, & digna Dei mater efficitur, vt demiſſior Matris humilitas (vt poteſt) cum Filij ſublimitate commenſuretur, & naſcitur Filius Deus *de Matris ſubſtantia conſummatus.*

Lucæ 1. v. 38.

Deipara humilitas, apparatus officij eſt.

Ambr. ibi.

§. CCCCXXXI.

Virgo Deipara ibi gratiam inuenit, vbi illius amittendæ periculum eſſe videbatur.

6. Sponſi vox eſt: *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Bene de Libano Maria vocatur, dicente Ieremia: *Nunquid deficiet de petra agri nix Libani;* Sic B. Virgini candor, & puritas perpetua, & penè naturalis fuit; quia non illi prius natura data rationalis, quàm candor & puritas. Addit Sanctius, quòd ibi explicationis gratia, de *Sanir* euocatur, *de cubilibus nempe leonum, de montibus pardorum:* vbi mirificè exprimitur in præſeruanda Virgine diuina prouidentia. Vt enim in montium latebris occultantur leones, pardi, ſerpentes, & ſi quid aliud aut peſtiferos habet morſus, aut peſtilentem halitum: quæ belluarum antra in ſcopulorum vertice non ſunt, ſed in deſcenſu, & latere, aut ad radices imas. Quare qui à vertice, ſummoque faſtigio vocaretur, non putaretur aut à ſerpente infectus, aut à leone ſaucius. Sic B. Virgo à vertice vocatur Sanir, id eſt, ab ea parte, quæ non eſt à leonibus, ſeu pardis habitata, antequam ad illorum cubilia deſcenderet, & ab eo faſtigio, quod propter altitudinem illius obſcuritatis expers eſt, quam inducunt ſylueſtrium arborum horrentes vmbræ. Et quod de *capite Amana* vocatur, valde facit ad immaculatam Virginis conceptionem. Pro *capite Amana*, Septuaginta reddunt, *A principio fidei: fidem* etenim ſonat *Amana*. Quaſi ſponſus dicat; nullo vitæ momento Virginem fuiſſe non fidelem. Vbi autem Vulgatus habet: *Veni de Libano*, Hebraicè eſt: *Mecum de Libano.* Quaſi nunquam illi defuerit (tanquam ſponſus nempe, quia vt ſponſus loquitur) etiam dum eſſet in Libano, & in vertice Sanir. Quare vt diuinus ſponſus ſuam ſponſam ſecum eduxit à Libano, Amana, & Sanir; ſic in his locis, vbi periculum eſſe videbatur, ſem-

Cantic. 4. v. 8.

Ierem. 18. v. 15.

Sanct. ad ea Cant. verba.

Immaculata Deiparæ Conceptio adſtruitur.

Lxx. interpr.

pet

per secum in sinu, atque complexu tenuit. Sed ne omittatur mons *Sanir*, notat nuper laudatus Gaspar Sanctius, quòd *Sanir etymon lucernæ dentem, seu scopulum significat*. De Sanir, id est, de lucernæ seu lucis *scopulo* euocatur ad coronam B. Virgo: sed lux scopulos non timet: nam lux naufragium pati non potest. De *Sanir*, id est, lucis *dente* euocatur ad coronam B. Virgo: quia lux maledico *dente* non sauciatur, vt eleganter dixit Ennodius: Nec bonorum, inquit, faciem meritorum Maledicentis credendum est extingui posse conflictu: *quomodo etsi dente Inuidi tangatur splendor vitæ, vmbram venenatæ oblocutionis excludit*. Auctorem repetunt tenebræ, quæ ad inuoluendum iubar aptantur: nitorem siderum nox obscura non obruit: ad genium claritatis proficit cum obscuritate conflictus. Itaque de *Sanir*, in suâ splendidâ Conceptione euocatur Deipara, vt indè incolumitatem (lucis adinstar) obtineat, vnde periculum esse videbatur. Ibi sicut lux antiqui Serpentis venenato *dente* minimè morsicatur: ibi à gratiæ naufragio secura, minaces ridet primæui delicti scopulos.

Sanct. ibi. *Aduersarius dens lucem non mordet.*

Ennod. in Præc. quando iussi sunt. &c.

1. Exodi 4. Moyses legationem ad regem Ægypti cunctatus, tandem principatum acceptat; & Hebræum populum sub Pharaone captiuum redempturus festinat, redemptionem humani generis typicè adumbrans. Ergo redeundi copiâ per socerum factâ, tulit Moyses vxorem suam, & filios suos, & imposuit eos super asinum, reuersusque est in Ægyptum, portans virgam Dei in manu suâ, tanquam sceptrum, & supremæ potestatis insigne. Sed ô malum! *Cumque esset in itinere, in diuersorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Tulit illicò Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filij sui, tetigitque pedes eius, & ait: Sponsus sanguinum tu mihi es. *Et dimisit eum postquam dixerat: Sponsus sanguinum ob circumcisionem.* Mirè diffident interpretes, vt explicent, quis quem dimiserit. Assentior nunc Lyrano, Hugoni; & aliis asserentibus, Sephoram tunc maritum Moysen reliquisse, vt in patriam rediret. Quod patet ex eo quod habetur infrà cap. 18. scilicet quòd socer Ietro venit ad Moysen in deserto, adducēs secum Sephoram vxorem Moysi. Hinc pulchella exoritur quæstio, eccur Moyses Hebræi populi inauguratus Princeps, vxorem Sephorā ex itinere in patriam remittit, ne intret in Ægyptum. Ecquid foret incommodi, vt Sephora Moysis vxor cum Principe merito perueniret in Ægyptum, & cum Hebrææ gentis matronis versaretur perbreui illo tempore, quo maritus Moyses tot prodigiorum obiectu suum populum educturus erat ab Ægyptiacâ seruitute? Pergit è Median vt veniant in Ægyptum, & cùm propè est, vt quò ibat, intraret, confestim retrocessit, & singulariter repedat: Quid si in Ægyptum Sephora intraret? Quod ipsa per se spectatata intraret, nihil profectò intererat. Quod vero tunc in Ægyptum intraret ipsa, cuius typum Sephora præferebat, multum quidem per omnem modum ne intraret, referebat. Porrò Sephora, (vt subtiliùs obseruauit Anselmus Laudunensis) idem est, ac *pulchritudo, vel placans*, quæ sunt propria Deiparæ epitheta, & eius quamnotissimus character. Scilicet Sephora Deiparæ vmbra quodammodo pergebat in Ægyptum, vbi vel ad perbreue tempus captiua cum suis foret, & indè è captiuitate confestim eruta, Terrâ promissionis donaretur. O diuinam prouidentiam in re Marianæ conceptionis præproperè arcanam: Nempe Deipara Virgo nec in typo sub Ægyptiaca seruitute tantisper sit. Redeat, redeat Sephora ex itinere, ne vnquam in Ægyptum intret, ne vel breuissimo tempore sub Tartareo Pharaone detineatur captiua. Terram promissionis obtineat, Ægyptiacæ seruitutis perpetuò expers. Parùm, inquam, intererat, vt Sephora in Ægyptum intraret: multùm vero quod Mariæ vmbra, vel breui Pharaonis seruitute infuscaretur. *La que es sombra de Maria, ni vn momento à de ser esclaua de Pharaon.*

Sephora Mariæ vmbra, redit ex Ægypti itinere, ne tantisper detineatur captiua.

Exod. 4. v. 24. & 26.

Lyra. & Hugo ibi. Exod. 18.

Anselmus Laud ibi.

2. Regius Psaltes psal. 131. ita pangit: *Surge Domine in requiem tuam, tu, & arca sanctificationis tuæ.* Nimirùm Dauid Dominum inuitat, vt surgat è sinu Patris, ad erigendum collapsum primi Parentis genus. Sic nonulli locum interpretantur. Quasi *requies* Christi Dei, sit humani generis Redemptio. O! *requiem* putat Redemptionem, qui Passione redimit? Nisi malis cum Heschio Hierosolymitano, *requiem* Domini esse Bethlehem, dum in stabuli præsepio infans Dei Verbum, fasciis strictum reclinatur. Sed quicquid sit de *requie*, ad quam Psalmographus Deum inuitat; quod per *Arcam* intelligatur Virgo Deipara, tradunt Hilarius, & Thaumaturgus, & passim interpretes, quod aliqui apud Laurinum de triumpho Assumptionis, alij de articulo Conceptionis interpretantur. Et benè quidem Mariana conceptio *Arcæ* fœderis comparatur, quæ intùs, & foris deaurata fulgebat, nequid in Deiparæ conceptione non foret splendidum. Verùm enim verò notatione dignissimum est, quod dum 1. Regum cap. 4: Arca Domini adducta est in Hebræorum castra, vt auxilium illis aduersus Philisthæos præstaret; tunc pugnauerunt Philisthæi, & cæsus est Israel, & fugit vnusquisque in tabernaculum suum. *Et Arca Dei capta est.* Et infrà: *Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei.* Ast si res penitùs inspiciatur, Israel partim cæsus, partim captus est: Arca vero (Marianæ conceptionis symbolum) capta quibusdam videtur, sed tunc triumphali victoriâ suos hostes potius captiuat, & misera vexat serui ute. Quod tempestiue notauit Rupertus, sic ad rem fatus: *Grande spectaculum, grande miraculum. Translata ab Israel gloria Domini, capta ab Allophylis Arca, victoriam de victoribus versa vice exegit: primumque in Deum ipsorum Dagon, deinde & super homines aggrauatur manus Domini.* Pergit Strabus Fuldensis ad illud; *Porrò Dagon truncus solus remanserat in loco suo*, ita scribens: *Dorsum tantùm inuenerunt fractis omnibus membris, &c. Qui enim fugit, dorsum dat fugienti.* Scilicet infernales Allophyli, & tartarei Philisthæi, omnem Israelem male profligarunt, & captiuum duxerunt, primordialis delicti strage. Quin & Dei Arca, Deipara inquam, dum in sua Conceptione captiuari à nõnullis existimaretur; tam longè abest à captiuitate, vt tunc, tunc quidem, *victoriam de victoribus versa vice exegerit*, & sumptuosiori triumpho hostes profligarit, & tartareum Dagonem in fugā conuerterit; qui enim dorsum sauciat, fugientem impetit. O grande miraculum, & ænigmati simile prodigium! dum Arca vinci videbatur, tunc victoriam reportat; & quando vniuersatim cum omni Israele (id est, cum omni genere humano) velut capta apparet, tunc gloriosiùs triumphat: tamque longe abest, vt captiuitate prematur, vt tunc Philisthæos detriumphet;

Psalm. 131. v. 8.

Lorinus ibi. *Ærumnosa Passio Christi requies dicitur.*

Hesych homil de Deipara. *Præsepium est omnis requies.*

Hilar. ibi. Greg. Thau. ser. 1. de Anun.

1. Reg. 4. v. 11. & 21. *Dum capta videtur Arca, victoriam de victoribus exigit.*

Rupert. in lib. 2. Reg. cap. 14.

Strabus in Glossa inib.

phet, hoc est, eos qui reliquum populum vicerunt, & captiuum egerunt, mystica gratiæ *Arca* illustriùs deuincat, captiuet, detriumphet, quò Mariana in sua conceptione victoria feliciter adumbretur.

4. Genes. 3. Genes. 3. Primus homo de primæuæ præuaricationis pudendo scelere, culpæ vestes, nuditatem inquam, vestiuit; gratiæ simul amictu miserè denudatus. Quæ etiam parentis nuditas posteros sceleroso vestit. Sed vide quo amictu Deiparam regius Psaltes ornatam præuidit: *Astitit*, inquit, *Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Benè notat ibi Lorinus, quòd τὸ *astitit*, in originali significat *firmitatem* seu *firmamentum* assidendi sponso siue filio suo: nam hæc verba multi ex Patribus de B. Virgine interpretantur. Nomen *Regina* dignitatem Deiparæ demonstrat: τὸ *à dextris*, protectionem significat, & summis cum eo bonis gaudere, vt Commentarores aduertunt. Per *vestitum deauratum* intelligit Cassiodorus charitatem seu gratiam, Euthymius Spiritum-sanctum. O bonum vestimentum, quò cæli Regina à dextris Dei semper adest, semperque adfuit Regina; regio semper amictu induta; vt donoretur, nunquam illi defuisse gratiam seu Spiritum-sanctum, quo velut indumento augustè vestiretur. Nam quisquis caret regio ornatu, Rex nec putatur, nec dicitur, quod est pulchrũ Angelomi commentum. Antiquus hic & eruditus doctor exponens illa verba 1. Reg. 19. *Et expoliauit etiam ipse* (Saül) *se vestimentis suis, & prophetauit cum ceteris coram Samuele*; ita scribit: *Quæstio magna hic oritur, cùm in præcedentibus legatur: Et non vidit Samuel Saulem vsque in diem mortis suæ, & hic prophetasse coram Samuele dicatur.* Respondet locuples hic Auctor: *Non vidit indutum habitu regio, quo indutus erat, ideoque dictum est: Non vidit eum vsque in diem mortis suæ, subauditur, indutum habitu regio.* Quasi Rex non indutus habitu regio quodammodo tunc Rex non sit, ac si regiæ vestes Regem aut inueniant, aut faciant; quas si exuant, regiam interim deponant dignitatem. Exindè dum virgo Deipara humanam gratiæ nuditatem cum vulgo hominum induere putaretur; gratiam aut Spiritum sanctum, velut regium vestimentum induit, quod nunquam exuit, sicut Saül: atque adeò perpetuò *firmiter astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato*, id est, *charitate*, ac gratia, atque *Spiritu-sancto*, vt Euthymius & Cassiodorus mysticè commentantur. Ecce tibi virginem Deiparam regio gratiæ amictu indutam, quandò gratiæ nuditatem habere putaretur, semper regio Spiritus-sancti indumento vestitam, semper regio amictu Reginam.

Psalm. 44. v. 10. Lorin. ibi.

Qui regium amictum deponit, Rex, aut Regina non dicitur. Cassiodor. Euthym.

1. Reg. 19. v. 24. Angelomus ibi.

§. CCCCXXXII.

Quantum pura creatura natura patitur, Virgo Deipara venustatur propriis, non omninò ornatur alienis.

1. Nemo gloriam suam de alieno. Ille securus inambulat, qui suis, non alienis innititur. nam qui alienis, fulcimento subducto, corruit, vt si quis gloriam suam aliena metiatur veste, quam dum libuerit, eat possessor detractum. Mentitur ille robur, magnitudinem, eruditionem, ornatum, qui alieno fortis, magnus, doctus, ornatus est. Neque stare hæc possunt, nec posteritatem pati. suo magnus sit, qui magnus esse volet, & ex se nascentibus magnitudinem paret. In hoc stadio exercetur solidæ gloriæ cursus, ad hanc metam sudat humanitatis fastus auida honoris auritia, quæ rem quantumuis summam ab alio precariò accipere, non tanti æstimat, quàm medianam à se possidere. Quisquis autem hùc propiùs accedit, sibi de pleno gloriæ cumulo exultanter gratulatur. Gratulemur & nos Virgini Deiparæ, quæ quantùm puræ creaturæ natura patitur, fastus gratiæ in ea hanc prærogatiuam sumptuosiùs æmulatur. Geminata probatio thematis, illud prælustriùs clarabit.

non de proprio metitur.

Matthæi 1. post longam seriem progenitorum Iosephi, & simul Mariæ recensitam, & in tres quaterdenas disertè tributam; tandem Matthæus concludit: *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de quâ natus Iesus, qui vocatur Christus.* Deus enim homo Saluator noster, inseparabilis cum Patre substantiæ, de Matris visceribus carnẽ mutuatus ad terrena per hosce progenitorum gradus descendit, & cælestia non reliquit: & hic affuit homo, & inde non defuit Deus. Nam sicut dicit Propheta: *A summo cælo egressio eius*, describitur quidem eundi ac redeundi velocitas; sed discursum nescit immensitas, quia Deus vbique totus est. Accedere ad nos misericordia potuit, recedere à se plenitudo non potuit. Qui enim excedit omnia, quò recedit? Ac si vnigenitus à patre missus est, non amissus, dum fit etiam Matris Vnigenitus. Ad nos ergò Verbum incomprehensibile accessit, & à Patris pectore non recessit cùm in sinu Matris inuenitur. Homo venit, vt redimat; Deus est, vt possit redimere. Quà homo est mori pro hominibus potuit, & sanguinem suum in pretium humanæ redemptionis effundere: quà Deus est, effundendo in cruce sanguini theandricum pretium dedit, vt immensi valoris meritum foret, & inde humano generi redimendo sufficiẽs. Huius pretiosi sanguinis indigna erat natura hominum vniuersa, quia de se ad tantam condignitatem non eualebat. Sed nunc vide mihi, quo discrimine hanc gratiam Christus, eius mater Deipara, ac reliqua gens hominum acceperit; quod eleganter tradit Eusebius his verbis: Christus, inquit, *de carne matris coagulatus, de eius formatus visceribus, de eius substantiâ consummatus*, (libra quæ subscribit verba) *& sanguinem quem etiam pro Matre obtulit, de sanguine matris accepit.* Scilicet si ratio interrogetur diuinæ corporationis, qua in proprietate corporis nostri nostram naturam induere deberet; id caussæ est, vt per illam quam in nostra carne Christus peragebat de mundi hoste victoriam, nostram posset consecrare naturam, dum effuso in cruce sanguine, humanum genus copiosè redemit. Sed ad rem præsentem pensanda est Marianæ redemptionis præ reliquis excellentia; siquidem Christus Deus *sanguinem quem etiam pro Matre obtulit, de sanguine matris accipit.* Itaque Christus Deus merito effusi sanguinis sui humano generi gratiam redẽptionis emeruit; (erant enim opera hominis Dei, & inde infiniti valoris, ad quod non eualeret perfectior hominis pura natura, etsi quantalibet creata gratia sublimiùs eleuaretur) at gratiæ opulentam gazam, qua Filius Deus matrem Virginem adornauit, ex merito sanguinis illius, quem ab ipsa acceperat, copiosè impertiuit. Ecce tibi, Deipara suo sanguine, quem in Filium Deum transfudit

2. Matth. 1. v. 16.

Christus Deus sanguinem quem pro Matre obtulit, de sanguine Matris accepit.

Euseb. hom. 1. de Natali Domini.

transfudit (per Filium Deum ad sublimius genus merendi translatum) vbertim redemptionis gratiam assequitur. *Sanguinem quem etiam pro matre obtulit, de sanguine matris accepit.* Nempe sanguis, quo Filius Deus Virgini matri gratiam redemptionis emeruit, à Matre mutuauit, dum de eius carne coagulatus, de eius formatus visceribus, & de eius substantia consummatus est. Profectò fieri non poterat, vt Virgo Deipara suam operaretur redemptionum, aut redemptricem gratiam sibi condignè promereret; (cùm esset pura creatura id non eualens) at saltem sanguinem quem pro Matre Filius Deus obtulit, de sanguine matris accepit. Exinde gratia redemptionis non tam peregrinatur in Virgine, quàm in reliquo hominum genere: nam saltem sanguinem ipsum, quo redemptio peracta est, de ipsius matris visceribus in incarnatione suscepit: & sanguinem transfudit Mater, quem in cruce Filius effudit.

3. Lucæ 2. mater Virgo Deo grauida, vt tributum Cæsari pendat, pretium redemptionis in vtero gerens, in vrbeculam Bethlehem peruenit. Factum est autem cùm esset ibi, impleti sunt dies vt pareret. *Et peperit Filium suum primogenitum.*

Lucæ 2. v. 7.

Vbi nunc sunt Hæretici, qui impudenti errore decepti, blaterare ausi sunt, nihil Christum de Matris consanguinitate traxisse, sed per Virginis transiisse vterum: quasi per corpus alienum? Et quid agit illic nouem mensibus intra illud materni corporis genitale secretum? illic vtique de eius ossibus & medullis ratione operante collectus, illic naturâ stupente compositus, illic per legitima nascendi spatia de carne carnis incrementa mutuatus est. Si inquam, nihil de suo erat corporeus matris sinus puero quotidianis horarum ac dierum profectibus collaturus; vbi primùm conceptus, statim consummatus & genitus, statim quoque in hanc vitalem auram ante legitimum partionis tempus, foret effundendus. Quid ergò opus erat tam longâ hospitij mortalis morâ? Itaque cùm animam aliunde susceperit, si corpus è matre non habuit, ergò sermo diuinus caret veritate, cùm veritas sit quæ eum Filium hominis protestatur, id est, verum Filium Deiparæ, de quâ legimus: *Et peperit Filium suum.* Nempè vnigenitus æterni Patris Filius, verus est etiam Filius Virginis: & ipsa hominem Deum Christum Iesum, non quasi alienum habet, sed tanquam proprium possidet. Quid opulentius, & augustius, quàm Deum ipsum maternitatis iure, tanquam rem suam possidere? Quod perbellè notauit Emisenus, dum pulchro glossemate illustrat præfata Lucæ verba, *Et peperit Filium suum*, ita fatus: *Si nihil in eum de se transtulit Mater, non peperit proprium, sed profudit alienum.* Scilicet Christus Deus de carne matris coalitus, de eius efformatus vtero, de eius substantia consummatus, & stato partionis tempore natus, verè est Mariæ Filius, & Maria Filium Deum tanquam rem suam habet: nam quæ enixa est Filium suum peperit proprium, non profudit alienum. Dominus omnium, proprium Mariæ peculium factum est. Creator ex creatura sua nascitur, & prædiuitem ventris sui fructum Mater intacta possidet, & femina auctoris sui auctor efficitur. Obstupescit natura rerum, cùm rerum Dominus, dominator empyrei, & verus Deus de Deo vero ante secula generatus, fit in tempore verus Mariæ Filius: *Peperit Filium suum*; & inde fit opulenta Matris possessio. Porrò *si nihil in eum transtulit Mater, non peperit proprium, sed profudit alienum.* Euge feminarum opulentissima, quæ eum maternitatis titulo possides, qui omnia possidet creationis iure; & tuus debitor est, cui omnia debent.

Si nihil in Christum transtulit Mater, non peperit proprium, sed profudit alienum.

Emis. de Natiu. Dom. homil. 1.

Lucæ 1. postquam per matris linguam Ioannes prophetauit priusquam corpore, Christo præco & Præcursor natus; sic cognatæ Elisabeth Deipara respondet: *Magnificat anima mea Dominum, &c.* Sed quid in hoc Virginis cantico singulariter elucet, quod in reliquis minimè reperitur? Porrò noua Psalteria, recens Deo plena, nouum eructare Canticum debuit. Petrus Blessensis proponit hoc dubium, & his verbis illi respondet: *Nonne omnes in canticis magnificabant Dominum? Nouum planè fuit, & non nisi à Virgine dici potuit: & est sensus, ac si diceret: Alia magnum prædicant Dominum, & dicunt, vt creaturæ rationales, alia magnum probant, & ostendunt. Ego autem magnum facio Dominum. Quantùm autem distat operatio ab operis commendatione, tantùm & hoc canticum à canticis aliorum. Hîc enim dicitur Dominus factus magnus, in aliis dicitur magnus.* Itaque quantùm distat dici magnum, & magnum fieri, tantùm hoc Deiparæ canticum ab aliis distat: ô quanta in se est Deipara, quæ non tantummodo Deum magnum prædicat (quod fecerunt alij) sed hominem Deum magnû fecit. Deum enim verè generando hominem Deum magnû fecit, qui ex eius sanguine purissimo, & in eius virgineo vtero, *Homo factus est*, & inde facta vera magni Dei mater, & sui effectoris effectrix. Magnum planè Deiparæ Sacramentum omni ratione, & oratione celsius. 4.

Lucæ 1. v. 47.

Petr. Blesses. ser. 28.

Ab aliis Deus prædicatur magnus, à Deipara verò homo Deus magnus fieri perhibetur.

---

§. CCCCXXXIII.

Christus dum ideò quæritur, vt inueniatur, iam propè inuentus est, vt quæreretur.

1. HAs naturæ humanæ sublimes voces, velut Christiano cothurno Seneca emittit: Propè est a te Deus, tecum est. Ita dico Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum obseruator & custos. Bonus vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adiutus exurgere? Ille dat consilia magnifica & recta. *Miraris homines ad Deum ire? Deus ad homines venit: imò (quod proprius est) in homines venit.* Nulla sine Deo mens bona. Scilicet Deus in homines venit, vt homines veniant ad Deum. Deus præproperè quærit homines, vt homines Deum quærant, qui tam propè cum quærentibus adest, vt propè idem sit, quærere Deum, & Deum inuenisse. Et vt aliàs Emissenus dixit de Deo, *Qui ideò colitur, vt misereatur, iam misertus est vt coleretur*; liceat similem ad modum deflectere: *Qui ideò quæritur, vt inueniatur; iam propè inuentus est, vt quæreretur.* Ac si ille Deum proculdubio inueniat, qui eum diligenter quærit; & illum quærere ferè inuenisse sit, quasi non tam Deum reperiat, qui illum inuenit, aut ab alio inuentum tenere satagit, quàm qui illum sedulò quærit.

Senec. epist. 41.

Epistola 74.

Deum quærere, quasi inuenisse est.

Emiss. hom. 8. de Pascha.

Hîc vers. 14.

2. Matthæi 2. Cùm natus esset Iesus in Bethlehem Iudæ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam, dicentes: vbi est

est qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Nimirùm Chaldæos siderum scrutatores, errantes per astra Magos, cæli negotia in tenebris noctium perquirentes, nunc Euangelistas ortum Christi absconditum seculis, per longissimos viarum tractatus, stella duce docu t inuenisse. Infantem Iudæorum regem in regni metropoli primùm quærunt. Turbatur Herodes dum in regno suo alterius Regis nomen obaudit: & congregatis Hebræorum senioribus edocetur, in Bethlehem Iudæ Christum nasciturum. Tunc Herodes clàm vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis: *Et mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero, & cùm inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum.* Occultè vocat Magos, quia palam nil audet simulata mens, quæ in occulto tendit insidias. Diligenter inquirit tempus stellæ? & cùm timet regnum, signum cæli non timet, temporis non pertimescit auctorem. Sed quid est, quòd tam sedulò tempus stellæ quærit Herodes, locum natiuitatis perquirit? & tamen infantem Regem, quem noua stella portendit, quem locus nascentiæ prædicat, quem Magi tam diligenter perquirunt, ipse non quærit? Etsi illum peruestigare pietas non suadet, suadeat saltem politiæ ratio, vt vbinam sit, quem pertimet, agnoscat. Alios mittit vt quærant, quò ipse quæsitum infantem, & ab aliis inuentum adoret? O, de impietate Herodis, pietatem discamus! Audiendus est Chrysologus, qui hâc super re, ita subtiliter philosophatur; *Ite, & interrogate diligenter de puero, & cùm inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum.* Chrysologum legis: *Herodes Magos adorare iussus est, non deferre: videre illi (* forte *illis*, vt sensus constet) *datum est, tibi non datum est inuenire.* Et post pauca: *Qui ad obsequium venire contempsit.* Nempe Herodes dimittit Magos, vt Christum diligenter quærant, & ab illis pro stellæ obsequio quæsitum, ipse ad Christum iam inuentum veniat, & eum adoret. O vecordem! Negligis quærere, & præsumis inuenire? Ab aliis exoptas Christum quæri, & inuentum ab aliis, à te fide teneri, & adoratione coli? O stolidam inertiam, & à te virtutis longè peregrinantē! Non inuenitur Christus, nisi ab his, qui ipsum diligenter quærunt. *Omnis qui quærit, inuenit*: qui non quærit, inuenire non potest. Magi patriæ suæ exules, per auia regionum diu peregrinantur, Christum quærentes: & inde illum palam inueniunt, quem dum quærebant, iam fide inuenerant. Planè in re virtutis stultescit Herodes, dum alios præmittit, qui quærant Christum, quò ipse illum inueniat. Christus, ipsum quærendo, inuenitur, qui propè inuenitur, dum quæritur: *Qui ideò quæritur, vt inueniatur; iam propè inuentus est, vt quæreretur.* Exindè Herodes astutiæ plenus, & peritiæ inops, Magos præmittit, qui quærant Christum, vt ipse ab aliis quæsitum, & inuentum adoret, & cultu teneat. Ast qui negligit quærere, inuenire negatur; quia nisi quæsitus, non inuenitur. Idcircò Tobias à teneris annis in viis Domini incedere edoctus; declinans etiam à contribulium vestigia, Deum solerter ipse quærens, quotiès quæsiuit, inuenit. *Et surgens, venisse ad patrem suum*, dicitur Prodigus adolescens. Abierat peregrè in regionem longinquam, & vix surgit vt regrediatur, & iam *ad patrem suum venisse* dicitur? Pulchrè

Matth. 2. v. 8.

Herodes non inuenit Christum, quia non per se, sed per alios eum quærit.

Chrysol. ser. 158.

Qui fide Deum quærit, mox inuenit esse præsentem.

Luc. 15. v. 20. Chrysol. ser. 3.

Chrysologus: *Et surgens*, inquit, *venit ad patrem suum. Diuinum patrem nescit viarum cursu quærere, qui fide quærens, mox sibi illum inuenit esse præsentem.*

Matthæi 28. dum Resurrectionis glorias Euangelista denarrat, multa fortè compēdio stringens, subobscuram reddidit narrationem. *Vespere*, inquit, *sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum.* Quid est, quòd dum hæ piæ mulieres, vt Christum diligenter quærant, in lucente diei vespere currere dicuntur; Acutè Chrysologus: *Vespera sabbati lucescit, hoc nescit dies seculi, hoc non habet mundi vsus. Vesper finit, non inchoat diem: tenebrescit vesper, non lucescit, non in auroram vertitur; quia lucis ortum ignorat.* Verùm dum animaduertit Chrysologus, quòd hæ feminæ, etsi in obscuro vespere quærunt sollerter Christum, qui die est, (ipso dicente: *Ego sum lux mundi.*) vt ipse sibi suffragatur. Chrysologus, ait: *Vespere sabbati, quæ lucescit: quia illuminatur per Christum sabbatum.* Hæc opportunè ad rem præsentem subdit. *Vespera mater noctis parturit diem, mutat ordinem, dum agnoscit auctorem: radiat de nouitate mysterium, anhelat creatori seruire, non tempori. Vespere sabbati quæ lucescit. Serò mulier currit ad veniam.* &c. Scilicet Vespera mater noctis est; at Christum quærentibus diem parturit: non finit, sed inchoat diem; non tenebrescit, sed lucescit: & naturæ mutat ordinem, dum Deum quærentibus, ipsum vitæ manifestat auctorem. In nocte *curris*, vt quæras Christum? non caligabis, non offendes in tenebris; ne timeas noctis obscuritatem, quam Christus, qui dies est, micanter illuminat. Tenebrosa *vespera* sic quærentibus Christum, ipsius radiis præclarè *lucessit*, vt quod cœpit in mundiali nocte, noctē desuescens, inchoetur in die Christi, & æternitatis empyreâ luce consummetur. Vnde his, qui ad Christum *currunt*, *Vespera mater noctis parturit diem, mutat ordinem, dum agnoscit auctorem: radiat de nouitate mysterium.* Quod tam nouum mysterium quàm in abscuro vespere clarum inuenisse diem? diem in nocte quærere, & quærendo inuenire? ô mirissima quærentium Christum priuilegia? Serò, opinor, repetisset Deum, qui diu quæsitum inuenit: propiùs adest, quærentium vestigia sic obseruans, sic quærentibus festinus occurrens, vt properanter quærere, sit feliciter inuenire. O quære Christum qui dies est, vel in ipsâ nocte: nam currentibus ad Christum, obscurus *vesper* clarè *lucescit*, & vespera mater noctis diem parturit, vt vel mutato rerum ordine, suum manifestet authorem. Vnde quærentibus Christum obscurus vesper clarè lucescit, merendi officiositate, ad inuidiam naturæ, & gratiæ prodigium.

Psalmum 94. his verbis regius Vates exultanter inchoat, & modulatè occinit: *Venite*, inquit, *exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro. Præoccupemus faciem eius in confessione.* Venite, quo? vel vnde? ex te homo in te: vbi non locorum mutatio, sed conuersio sensuum, Deum & diligenter inquirat, & feliciter adinueniat. Ille autem exultat Domino, qui verbo, actu, & opere, non sibi, sed suo exultat auctori. Ille exultat Domino, cui sola & tota lætitia semper est Deus, Sed quid est: *Præoccupemus faciem eius in confessione?* Quis ita velox ad Deum currere potest, vt illi præcurrat? Ecquis Deum sic properanter

3.

Matth. 28. v. 1.

Chrysol. ser. 74.

Quærentibus Christum, nox peccati clarescit in diem Christi.

Chrysol. ser. 75.

4.

Psalm. 94. v. 1. & 2.

Dei faciem præoccupat, qui amoris gressibus eum quærere incipit.

quærere eualet, vt *faciem eius* quærendo præueniat! Eleganter ad dubitat Chrysologus ad præfata verba, ita scribens: *Preoccupemus faciem eius in confessione. Et quis preuenit peccatorum cognitorem? scrutatorem cordium? cognitionum conscium? futurorum præscium? præsentem semper & vbique? Sed præueniendus est non sensuum vicinitate, sed ingenij sagacitate: non velocitate pedum, sed prouido confessionis obsequio.* Itaque Dei facies quærenda & inuenienda est, non velocitate pedum, sed feruidæ inuestigationis obsequio. Nimirùm si ingeniosâ sollertiæ sagacitate Deum ardenter quæris, (si sapis) iam sic quærendo inuenisti: & dum sagaciter quærere incepisti, prouidæ gratiæ gressibus, ipsa amorosa Dei inuestigatione, *faciem eius preoccupasti*, & nescis. Scilicet dum ardenter quæris Deum, quem procùl esse existimas, propè esse fecisti: nam eum auidè quærendo, haut dubiè inuenisti, & *faciem eius præoccupasti.* Tempestiuè Hieronymus, pro τὸ *Præoccupemus faciem eius in confessione*, exscribit: *Praueniamus vultum eius in actione gratiarum.* A gratiarum actione potest incipere, qui fermè incipiendo perficit, & in exordio consummat. Nam Christus dum ideò quæritur vt inueniatur, iam inuentus est vt quæreretur. Incipe eum quærere *non pedum velocitate, sed prouido confessionis obsequio, & praeoccupasti faciem eius*, dum eam amoris gressibus sollicitè peruestigas. Gratulandum ei est de præpropera inuentione, qui à feruida cœpit inuestigatione. O felicissimum illum qui dum incipit quærere Deum, statim potest de prosperè inuento gratias agere! Alioqui doctè aduertunt Interpretes, quòd homo nequit Dei faciem præoccupare: Deus enim semper nos præuenit, vt eum quæramus. Dei beneficia præuenire ex gratia possumus; Deum autem non valemus præuenire. Hæc ex Lorino aduerte, ne erres in sensu litterali: & simul aduerte, diuina beneficia dici *Dei faciem.* De quo forsan alibi. nam locupletem expensionem deposcit.

Chrysol. ser. 46. — *Hieronym. ibi.* — *Diuina beneficia dicuntur Dei facies. Lorinus ibi.*

4. Bene Christianus sic quærit Christum, quem male adhuc Iudæus perquirit. *Miror*, ait Chrysologus, *quòd Iudæus Christum quærat, quem inter duos latrones feraliter collocarat. Committit malè, custodit impiè, iniquus quærit.* Lepidus quidem Chrysologi sarchasmus!

Chrysol. ser. Cur Iudæus male Christum quærit.

---

§. CCCCXXXIX.

Plura traduntur elogia Fidei, cuius stipendium sunt bona opera, ad quæ præstanda fomitem ingerit. quod hic Tobias faustè prophetat.

I. FElix illa Machabæorum, id est, septem martyrum pia mater, quæ femininum desuescens, masculum assumpsit animum ad faciendum martyrium in se & in filiis peracerbum: hæc inquam quæ sexum fide vicit, meritò his verbis ab Emiseno laudatur: *Satagit inter hæc felix orbitatibus suis mater, sollicitior de perimendis, securior de peremptis: respiciens quot funera, tot trophæa: & filiorum merita exultando sua faciens, nouo genere gaudia doloris metit, ac septem martyria vnius pectoris virtute consummat: & numerosam prolem cælo læta parturiens, ad regnum Dei secura, quia secutura præmittit.* Mox notat vnde imbecillæ feminæ tantum virtutis robur extiterit, subdens: *Aduerte quàm profunda pietas, & artifex fides, per futuram spem præsentem subleuat orbitatem. Quid mirum fit vt pignoribus interemptis, nulli lacrymas dabat?* Bellè dicitur *fides artifex*, quæ in re virtutis sic arguté cogitat, sic animosè desiderat, sic eleganter operatur. Sententiosè Clemens Alexandrinus ita fidem definit: *Fides ergò, vt semel dicam, est breuis & compendiosa eorum quæ vrgent cogitatio.* Hac fide Gentes hic vrgentur, vt Christum adorent Idololatriâ repudiata. Hic vers. 14.

Emiss. hom. 4. de Epiph. — *Fides cur dicitur artifex.* — *Fides dicitur, Eorum, quæ vigent, cogitatio. Clem. Alex. 7. Strom. cap. 5.*

2. Geneseos 14. debellatis Pentapoleos regibus, Lotus cum tota familia, & substantia, captiuus etiam abducitur à victore Assyrio. Quod cùm audiisset Abraham, captum videlicet Lot fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo: & persecutus est vsque Dan. Et diuisis sociis, irruit super eos nocte: percussitque eos. *Reduxitque omnem substantiam, & Lot fratrem suum cum substantia illius.* Sensus litteralis valdè historicus & perspicuus est, mysticum verò sensum Anselmus Laudunensis altè meditatur, expendens quòd Abraham credentiū pater, fidei ope Lotum cum sua substantia à captiuitate liberat. Reduxit Abrahamus omnem substantiam, & *Lot fratrem suum cum substantia illius. A captiuitate vitiorum liberat fides rationem & intellectum, quasi fratrem, & substantiam fratris.* O illustrem & præcelsam cognationem! Fides supra rationem est, supra intellectum est; & intellectum & rationem quasi fratres agnoscit. Fides intellectum & rationem captiuat, & vtrumque dicitur in libertatem vindicare? Profectò quò ratio est magis captiua in obsequium fidei, eò magis libera & ingenua est. Mūdialis voluptas pene captiuat rationem, & raptat ad vitia. *A captiuitate vitiorum liberat fides rationem & intellectum.* Intellectus & ratio, quæ est potissima hominis portio, sic circa veritatem titubat, sic caligat, & passim impingit, vt in aliena erroris castra in fide deflectat: fidei autem strenuâ ope, libera fit, oculatior, & ingenua, dum à vitiorum captiuitate liberatur. Porrò tametsi fides, vt inquit Saluianus, sit *fructus mentis*: mens enim gratiæ semine fœcunda, fidem parturit, at mens per sobolem, quam feliciter procreat, felicius in libertatem asseritur, & cognatæ fidei ope liberatur. *A captiuitate vitiorum liberat fides rationem & intellectum, quasi fratrem, & substantiam fratris.*

Genes. 14. v. 16. — *Fides rationem liberat à captiuitate vitiorum.* — *Ansel. Laud. inibi.* — *Fides cognata est rationi, & intellectui.* — *Saluian. ibi 4. de Gubern.*

3. Sacer Historicus in sequenti Geneseos capite, postquam Abrahami fidem mire extulit, aiens: *Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Continuò, vt res credita illi insigeretur altiùs, multimodas & peregrinas victimas mactare iubetur. *Cumque Sol occumberet, soper irruit super Abram, horror magnus & tenebrosus inuasit eum. Dictumque est ad eum: Scito prænoscens,* &c. Mirificum sanè est, quòd vsque ad occidētis Solis caliginem, & cæcam iam noctem, qua vel horror ipse *tenebrosus* erat; hæc futurorum notitia Abrahamo non ingeratur. Sensus Patriarchæ cæcantur, vt hac notione illustretur: Et sanè præambulæ fidei notiones sensibus quasi basi innituntur. *Non ego quidem, sed vt arbitror, Theophrastus dicit, sensum esse fidei principium.* Hæc forsan propter vulgarem sensuum deceptionem esset illa *fides*, quam Græci calumniantur, existimantes inanem, & barbaram. Nisi forte barbara dicatur, non tantùm quia præuiæ ad eam dispositiones

Genes. 15. v. 12. & 13. — *Quo sensu fides dicatur barbara, & voluntaria rerum anticipatio.* — *Clem. Alex. 2. Strom. c. 2.* — *Quo sensu, Fides meditatio dicatur scientia.*

tiones sensibus sæpè fallacibus nituntur, sed quia fides rebus obscuris in titubanti certitudine fertur, acsi ea perspicaciter videret. Vnde Abrahamus fidei pater, cùm Sol occumberet, & sopor in eum irrueret, in horrore *tenebroso* fidem exercens, audit: *Scito prænoscens*, &c. quasi fides esset scientiæ negotium. Arguté Clemens Alexandrinus postquam præstruxit, quòd *fides est voluntaria anticipatio*, addit: *Iam fidei meditatio fit scientia.* Bellissime quidem fides dicitur scientiam sapere, non de perspicuitatis prærogatiua, sed de certitudinis elogio, in quo scientiam *voluntaria anticipatione* longè excellit. Quo autem pacto propter piam fortè affectionem credendi, fides dicatur *voluntaria anticipatio*, alibi commodiùs traditur. Sat esto hìc præstrinxisse, quomodò fides de scientiæ æmulatione, cognata sibi rationem & intellectum à captiuitate liberet.

Clem. Alex. 2. Strom. c. 2.

4. Idem Historiographus sacer cap. 28. denarrat quòd Isaacus ob rixas cum Esau fratre, Iacobum mittit in Mesopotamiam: *Vade*, inquit, *& proficiscere in Mesopotamiam Syriæ ad domum Bathuel patris matris tuæ, & accipe tibi inde uxorem*, &c. Quid est, quòd filij sui amantissima Rebecca, è paterna & præopulenta domo Iacobum suum sine viatico in longinquam valdè peregrinationem dimittit? Quandò maternus amor adnerum chara pignora sordidè auarus extitit, Primogenituram illi sic sollerter (ne dicam *fraudulenter*) procurat amoris ingenio, & sic auarè eundem viatico defraudat? Sed *bona ei viatica dat*, inquit ibi Chrysostomus. Quodnam est bonum hoc viaticum? Respondet opportune Lipomanus: *Talis illi fides, felix erat viaticum.* Vera in Deum fides sit felix fidelium viaticum, quæ *voluntaria anticipatione* prælibet in via, quod in empyrea patria vbertim degustabat. O felix peregrinantis animæ viaticum, quod futuræ gloriæ pia præsumptione, sumptuosiùs adipat viatores. Nihil iacis est, cu fides spei mater, satis non est; nil deficit, cui fides sufficit. Hoc bonum viaticum dilecto filio Rebecca dedit ad longinqui itineris subsidium: dedit & Tobias cùm illum in longam peregrinationem dimisit.

Gen. 28. v. 2.

Fides est peregrinantium viaticum.

Chrysost. ibi.

Lipom. in Catena ibi.

5. Verùm (vt ad Titum scribit Paullus) sunt, *Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Opportunè enim dixit Paullinus: *Quis enim dubitet in eius spiritu fidem veritatis habitare, in cuius vita videt fidei extare virtutem?* Fides enim de operum ostenditur qualitate, & eius formam species detegit actionum. *Quid proderit, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?* Fides quidem potest sola esse, sed non prodesse: deuenustatur enim fides bonis operibus viduata. *Fidem conuersatione decorantes*, dixit Theophylus Alexandrinus. Cùm autem fides operibus decoratur, de suo inornari dicitur. quasi multimodæ virtutes sint veræ fidei sequela. Saluianus Massiliensis agens de constantia, patientia, fortitudine, &c. sic fatur: *Putant, homines Christianos hæc quasi stipendia fidei suæ à Deo capere debere.* Fides ne ea est, quæ stipendia à Deo captet? Fidei nostræ multimodas virtutes velut stipendia Deus debet? Imò Deus quo magis fidei nostræ stipendiarius, magis ingenuè sanctus habetur: & quò magis augustè sanctus, magis fidei nostræ stipendiarius. Sic est nobile tributum, quod fidei de Deo penditur. O opulentum & prænobile vectigal: Et sanè idem Saluianus libro sequenti, bona opera appellauit *testes fidei*,

Ad Titum 1. v. 16.

Paull. epist. 25.

Iacobi 2. v. 14.

Theophil. epist. Pasch. 2.

Fidei nostræ Deus stipendiarius est.

Saluian. lib. 3. de Gubet.

Fides sine operibus, fastuosum Christianismi supercilium est.

Idem lib. 4.

quia Christianus nisi bona opera fecerit, fidem suam penitùs probare non possit.... Quia sine operibus bonis nil sibi per fidei supercilium vsurpare debent. Quasi fides operibus vacua, fastuosum sit Christianorum supercilium, & Christianismi fastus, sine re Christianismi: nam fides dum pietatem non alit, arrogantiam nutrit, dum se de verâ religione iactans, veram religionem operibus negat.

Actorum 9. Saulus adhuc spirans minarum, in Christianos atrociter ferocit. Et cùm iter faceret in Damascum, vt Ecclesiam profligaret, subitò circumfulsit eum lux de cælo. Et cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, qui me persequeris? Qui dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego sum Iesus, quem tu persequeris. Et corporeis oculis excæcatus, mentis lucem largiùs accipit, ac tremens ac stupens dixit: *Domine, quid me vis facere?* Vides iam fidelem Paullum ad omnia expromptum? Nil sibi iam operosum videtur, nihil arduum putat. *Quid me vis facere?* inquit: nil excipit: ad cuncta se præbet agilem de obsequio fidei: quæ bene dicitur: *Eorum, quæ vrgent, cogitatio.* Sed argutiùs Paullinus ait: *Cùm fomes operum fides sit:* Sic fides *vrget* ad ea, quæ cogitat, vt velut fomitem ad bona opera animitùs ingerat, qui est pius fidei fastus, & eius laudum meta. Vnde Paullus vbi primum credidit, fide sic ad omnia bona opera vrgetur, vt in hanc animosiorem vocem erumpat: *Domine, quid me vis facere? cùm fomes operum fides sit.* 6.

Fides bonorum operum fomes dicitur.

Actor. 9. v. 6.

Paull. epist. 4.

Lucæ 9. postquam crucis opprobria retulerat Christus, & de fidei animositate ad eorum sequelam persuaserat; ita loquitur: *Qui me erubuerit, & meos sermones: hunc Filius hominis erubescet cùm venerit in maiestate suâ, & Patris, & sanctorum Angelorum.* Ex hâc Christianæ religionis erubescentia, exuberantem fidei nostræ præstantiam sic arguit Tertullianus: *Quoniam homo non erubuerat lapidem & lignum adorans; eâdem constantia non confusus de Christo, pro impudentiâ Idololatriæ, satis Deo faceret per impudentiam fidei.* Scilicet Idololatria olim futilia, friuola, fallata, propudiosa, & erubescenda numina colebat, nec confusa fuerat rudem metalli massam, aut dedolatos arborum truncos impudenter adorare. Ergò Idololatriâ pro hactenùs rudi & erubescendo errore satis Deo faciat, per arcanam quandam velut *impudentiam fidei*, qua de Deo mysteria credit supra humanum fastigium præcelsa, vltra quàm habet oculos grandia, & pro cognato hominibus fastu erubescenda: qualis est tota corporati Verbi œconomia, Deo contumeliosè indigna si specie tenus vibretur censura; vt *pro impudentiâ Idololatriæ, satis Deo faceret per impudentiam fidei*, Filium inquam hominis non erubescens. Scilicet Tertullianus summum fidei elogium adscito vitij nomine, ad virtutis exaggerationem exposuit. 7

Lucæ 9. v. 26.

Tertull. 4. contr. Marc. cap. 21.

Pro impudentiâ Idololatriæ satis Deo fit per aliquam fidei impudentiam.

8. 4. Esdræ 6. Et mutabitur, inquit, cor inhabitantium, & conuertetur in sensum alium. *Florebit autem fides, & ostendetur veritas, quæ sine fructu fuit diebus multis.* O bonus fidei flos, qui veritatis fructum vbertim facit! Verùm animosa Centurionis fides sententiosè dicitur à Tertulliano, *Fides adhuc cruda.* Nempè in fidei flore, & ex flore, fidei coagulatur fructus; sed adhuc erat inconditus, rudis, acerbus, & *crudus*, nec ad saporis maturitatem eruditus. Nisi fortè animosa

4. Esdr. 6. v. 28.

Tertull. l. 4. contr. Marc. cap. 18.

Cur Centurionis fides dicatur cruda.

Centurionis fides, *cruda* dicatur, quia sublimissima fidei nostræ mysteria vsqueadeò excellunt (vt par est) humanam rationem, vt illa concoquere non eualeat ;& indè eorum fides *cruda* sit quousque diuinioris gratiæ calore ad maturitatem digeratur.

---

§. CCCCXXXV.

Truculentos quorundam mores, garrula Nominum superbiloquentia impudenter prodit, nominis consilio.

1. Tobiæ 3. v.8. TRuculentus ille, non tam Barathri, quàm Mediæ Archityrannus, sic insolescit, vt non tantùm opere atrociter ferociat; sed immanem ferociam de nomenclaturâ præferat: *Dæmonium nomine Asmodæus occiderat eos* (septem Saræ maritos) *mox vt ingressi fuissent ad eam.* Porro *Dæmonia* appellant Hebræi שדים *sciedim*, hoc est, prædatores, & vastatores. Item Asmodæi vocabulum, quasi *metiens ignem* sonat: nam אש *es*, idem est, ac *ignis*, & מדד *madad*, significat *metiri.* Itaque Asmodæus vel in nomine descriptum præfert, quòd ipse est, qui luxuriæ ignem ardentem lasciuiæ pyram, & æstuans libidis incendium sufflammat, quo vstulata hominis concupiscentia, miserè deflagrat, & in tetram fauillam decinerescit. Quin & *ignis* etiam nomine, funestæ crebrò cædes denotantur, quibus succiduo casu, septem Saræ noui mariti immanissimè perierunt. Scilicet parùm foret huic Tartarorum monstro, si suæ temeritatis elogia opere compleret, nisi etiam præferret in ipsâ appellatione descripta, ad impudentiam nequitiæ, & impudentiæ exaggerationem; vt vel ipsum nomen minas spiret, immanitates eructet, & ferociam, nec tot funestè ftragibus despumatam. Sic effrons malitia temerariè insolescit, vt vel superbiloquentiâ vocabuli suam buccinet prauitatem? & quidem *priuilegio nominis*, vt loquitur Tertullianus.

Asmodæus in ipso nomine, suæ malitiæ enormitatem descriptam præfert.

Tertull. de Resur. carn. cap. 3.

2. Geneseos 25. post Abrahami funera, exacto & illustri censu Ismaëlis posteritatem sacer Historiographus describit. Hæ sunt, inquit generationes Ismaëlis filij abrahæ, *quem peperit ei Agar Ægyptia, famula Saræ*: & hæc nomina filiorum eius in vocabulis, & generationibus suis. Primogenitus Ismaëlis Nabaioth, deinde Cedar, &c. *Isti sunt filij Ismaëlis: & hæc nomina per castella & oppida eorum duodecim, Principes tribuum suarum.* Illustris sanè fuit Ismaëlis posteritas, in duodecim multiplicata tribus; amplitudine imperij, & masculo gentis robore præpotens, agresti ingenio, & rebus gestis ferocissima, iuxta Angeli prædictionem: Paries filium, vocabisque nomen eius Ismaël. *Hic erit ferus homo: manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum:* & è regione vniuersorum fratrum suorum figet tabernacula sua. Sed sciscitari lubet, quâ appellatione nominetur hic ferus, agrestis, furax, barbaricus, & pugnax populus, quia nec cum fratribus suis pacis fœdera init? An à magno patriarchâ Abrahamo, Abrahamides nominantur? Illustre foret gentis decus à tanto Patriarchâ originem ducere, & nobilissimo tanti Herois insigniri vocabulo. Ab Ismaële eius populi Principe, forsan Ismaelitæ dicuntur? an à matre Agar, Agareni nominantur? Glossa Græca apud Lipomanum, ad præscripta verba: *Isti sunt filij Ismaelis, & hæc nomina.... duodecim Principes tribuum suarum*, ita habet: *Ismaelitæ iidem qui & Agareni ab Agar, & Saraceni à Sara.* Quid tam alienum ab Ismaelitarum genere, quàm Sara, à qua nullatenus originem trahunt? Magnum Abrahami nomen negligunt, à quo progeniti sunt, & à Sara, qua cum nulla sunt consanguinitate coniuncti, nuncupationem affectant? Imò & alto silentio & clam tegere, & palam Saræ nomen auertere debuissent; ne præpotens iam populus peramplo illustris imperio, Agarenæ rettò seruitutis ad Saram dominam refricarent; & silendas Agaris matris à Sara dominâ vexationes in memoriam adducerent. Ismaelitæ, *Saraceni à Sara* dicuntur. Scilicet, *Ismael*, Agaris filius, & Saræ priuignus, à nouercâ Sara nomen trahit, tametsi ancillæ & vexatæ matris memoriam refricet, vt non mitissimi Patriarchæ aut charæ matris; sed nouercæ nomen, odiorum, & simultatum, & vexationum plenum, genti inscriptum præferat, quod truculenti Ismaelitarum populi; non pium Patriarchæ vocabulum, & pacatam Matris nomenclaturam, sed inuisam odiosamque nouercæ nuncupationem ostentent, ad ferociæ & immanitatis publicationem. *Saraceni à Sara:* quia gens efferа, pugnax, truculenta, patriarchalem refutat nominationem, & nouercale nomen affectat, quod sit morum prognosticon, pugnacitatis indicium, indolis character, & euulgata furoris licentia. Agrestis & barbara gens, cuius *manus contra omnes*; dum nouercari palam cupit, idest, malignè & inimiciter aduersus cunctos agere; blanda repudiat vocabula nequid non durum, pugnax, asperum, malignum, truculentum, in nomine præferat. Descriptum gestant in nomine, quod in moribus quisque leget. Ingenij tesseram in nuncupatione ferunt; nec pudet dici, quod esse non pudet. *Sæpe tamen* (inquit Ennodius) *sub hoc nouercæ vocabulo mater accedit, eo cautior circa germen alienum, quò sollicitius nomen tragicum vult vincere.* Audis, nouercæ vocabulum, *nomen tragicum* dici? Tragicos ostentare mores Agareni exoptant de nominis tragica atrocitate. Qui etiam mitiori vocabulo, Ismaelitæ dicuntur: nam, vt ethicè obseruauit Anselmus Laudunensis ad illa verba Abrahamo dicta: *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram: sed appellaberis Abraham,* (Anselmum legis) *Mutato affectu mutatur nomen.* Quasi nomen sit non tam rei, quàm affectionis appendix, & affectuum consequentia. Nouus amor vetus nomen antiquat, & pro vicissitudine affectuum nouum excudit ex voluntatis typo. 9.

Genes. 25. v.16.

Genes. 16. v.12.

Saraceni, quia nouercari cupiunt, nouercæ Saræ nomen impudenter gestant.

Glossa Græca apud Caten. Lipomani.

Nouercæ vocabulum est nomen tragicum.

Ennodius Dictione 14.

Cum affectu mutatur nomen.

Genes. 17. v. 5.

Ansel. Laud. ibi.

Pergit sacer Historicus, & post efferum Ismaelem, non absimilem ferocitate Esau recenset. Instat Rebeccæ tempus partionis: & qui prior egressus est, *rufus erat*, & totus in morem pellis hispidus: vocatumque est nomen eius *Esau*, idest, *culcans*, seu *premens:* quia cùm prior è vulua egressus est, & protinùs Iacob, illum pedibus calcare, premere videbatur. Dictus est etiam *Seir*, quia pilosus & hispidus erat. Et quidem infantem nasci hirsutum, signum est robusti corporis & forocis ingenij. Appellatus est etiam *Edom* cuius occasio his verbis subditur: Coxit itaque Iacob

A cibo potiùs quàm à moribus nomen mutuamus. Genes. 25. v. 30. Hieronym. de qq. Hebr. *Achilles ab vberum vacatione, ferarum medullis educatus, consilium nominis sortitur.*

Iacob pulmentum: ad quem cùm venisset Esaü de agro lassus, (nec enim Esaü agrestis, & vir gnatus venandi; Iacob verò simplex, habitans in tabernaculis) ait: *Da mihi de coctione hâc rufa, quia oppidò lassus sum. Quam ob caussam vocatum est nomen eius Edom.* Quæ verba sic exponit Hieronymus in qq. Hebraicis: *Rubrum vel fuluum linguâ Hebræa dicitur Edom. Ab eo igitur quòd rubeo cibo vendidit primogenita sua, fului, id est, Edom sortitus est nomen.* Mirùm sanè est, quod Esaü appelletur *Edom*, id est, rufus, non quia *rufus erat*; sed quia rufum comedit cibum. A cibo potiùs quàm à naturâ præstat nominari? (Sat est ad Eucharisticas dapes digitum intendisse.) Itaque Esaü homo agrestis, inter feras in siluis habitans, à cibo deuorato nomen traxit, & barbaræ & pugnacis naturæ nomen expressit. Audiendus est Tertullianus in re propè simili, sic de Achille fatus: *Naturam itaque concussit Larissæus heros:* (Achilles inquam) *ille ferarum medullis educatus, vnde & nominis consilium quandoquidem labiis vacauerat ab vberum gustu: ille apud rupicem & syluicolam, & monstrorum eruditorem scrupeâ scholâ eruditus.* Tragico planè cothurno, & eloquij fastu, consilium Achillæi nominis Tertullianus expressit! Nempe Achilles dictus est, quasi ἀχιλεύς quòd ab vberũ gustu vacauerat, *ferarum medullis educatus*; *vnde & nominis consilium.* Ita quidem appellandus erat, qui in saxeo spelæo, & scrupeâ truculentiæ scholâ, apud sylu colam & rupicem Chironem Centaurorum magistrum, diu eruditus fuit. Pugnacissimus heros præferat in nomine, quòd ab infantia vacans ab vberum gustu, *ferarum medullis educatus* creuit, in Centaurorum agresti gymnasio, ad omnem ferociam inimiciter eruditus, vt barbaricum ingenium, quod moribus repræsentat, nominis consilio præferat. A te ergo escatili, efferum & Edom, & Achillis nomen truculentiam eructet; quibus non puduit dici, quod esse non puduit.

Tertull. lib. de Pallio. cap. 4.

4\. Genes. 32. v. 27. & 28. *Iacobi nomen recuditur in Israelem.*

Genesis 32. diu cum Angelo strennè luctatur Iacob. Dixitque illi Angelus: *Quod nomen est tibi? Respondit: Iacob. At ille, Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines præualebis?* Litteralissimam huius nomenclaturæ notionem nuper exponebamus, nunc Philonis Hebræi interpretationem exscribam: *Iacob quod nomen disciplinam significat, mutato charactere in videntem Israelem recuditur*; vel potiùs in *præualentem Deo*, quod vt ex texto colligitur, & ex communi interpretum edocemur, nomen Israël significat. Scilicet parum foret, quod Iacobus, strenuus iam cum Cælitibus luctator, aduersus Angelum potenter præualeat, dum cælum inducias ab eo expetit; nisi illustrioris roboris elogium nomini inscribatur, quò Iacobi robusta virtus vel in ipso nomine prælegatur. Exinde Iacob *mutato charactere in Israelem recuditur: quoniam si contra Deum fortis fuit, quantò magis contra homines præualebit*? Sententiosè dixit: *Nomen recuditur*, quasi in officina patrandorum facinorum nomen recudatur; vt vocabulum ore buccinet, quod strenuè manu patratur, & in Israëlis etiam nominatione, Israëlitarum gloria perennet. Exodi 2. infantulum à flumine extractum filia Pharaonis adoptat in filium. *Vocauitque nomen eius Moyses, dicens. Quia de aqua tuli eum.* Ad quæ verba ita scribit Augu-

Philo de migrat. Abrah.

Exod. 2. v. 10. August. ibi.

stinus: *A fluctibus itaque mystica linguâ Moyses nomen accepit, & Pharaonis necem, quam præparauerat in nomine, in flumine maris inuenit.* Pergit Lipomanus: *Aquis extrahitur, qui filios Israel erat per maria sicco pede educturus.* Scilicet in nomine inscripta gestat Moyses præclara facinora. Sit nomen rei sacramentum, virtutis census, & rerum gestarum prophetia. Heu tot illustrium nominum mendacissimas spes, & falsata auguria! Esto vir tui nominis, ne nomen re vacuum geras & magni hominis titulum sine homine. Et nota, quòd idem nomen, suis Israëlitis, atque hostibus Ægyptiis, diuersissima portendit, arcanâ nominis inscriptione.

Lipomanus ibi.

5\. Sed heu nominum fallaciam, & mentitas vocabulo spes! Hæc dixit Angelus ad Agar, quæ vterum gerens, fugitiua in deserto exerrabat: *Ecce, ait, concepisti, & paries filium: vocabisque nomen eius Ismaël.* Quæ verba hâc egregiâ adnotatione illustrat Caietanus: *Ipse Ismaël primus inter homines sortitus nomen à Deo: & cum hac tam nouâ gratiâ, nescitur bonus ne, an malus fuerit.* O dubias & incertas hominum nomenclaturas! Magnum nomen re nominis vacuum, ignominiam ædificat, & prælustre sæpe vocabulum est titulus hominis sine homine. Virtutis nomen virtutem non excudit, sed malitiam subinde exprimit, de superbiloquentiæ ambitione imprimens vitij charactem. O quoties in sancto etiam nomine medullitùs latens peregrinatur malitia. Saltem Ismaël nominis hypocrisi non iactauit impudenter malitiam, quod Sarraceni eius posteri, effronti audacter temeritate fecerunt.

Genes. 16. v. 11. *Ismaël primus à Deo nomen accepit: & nescitur an bonus fuerit.* Caietan. ibi.

6\. Tertullianus sollicitiùs præcauens ne hæretici Gnostici, dogmatum, & morum venenum in Catholicos eructarent, Scorpiacon aduersus eos scripsit quò pestilentis bestiolæ hæreticus timeatur morsus. *Cæterùm*, inquit, *si scorpius plagam satiauerit, intimat virus & properat ad viscera, statim omnes pristini sensus retorpescunt, sanguis animi gelascit, carne spiritus exolescit*, (attende ad verba, quæ subdit) *nausea nominis inaccrescit. Iam & ipsa mens sibi quo vomat quærit, vt qua ita semel infirmitate quoque percussa sauciatam fidem vel in hæresim vel in sæculum expuat.* Pensiculatè dixit: Nausea nominis (Christiani inquam) inaccrescit quâ Christianum nomen, vel in hæresim, vel in sæculum *euomat.* O time boni nominis nauseam! Iam olim Christus Deus de magni nominis præsagio hîc gloriatur, quod ante tot sæcula illa impressum legitur, & quod cælestes illius mores altè buccinet.

Ter. adu. Const. cap. 1. *Boni nominis nausea inaccrescit, quâ illud euomitur.* Hîc vers. 13.

§. CCCCXXXVI.

A discordiæ molestiis, quæ de propinquorum diuortio oriuntur, nullum satis tutum in terris effugium.

1\. Amicos res opimæ parant, aduersæ probant. Nihil æquè oblectauerit animum, quàm amicitia fidelis. Quantum bonum est, vbi sunt præparata pectora, in quæ tutò secretum omne descendat; quorum conscientiam minùs quàm tuam timeas, quorum sermo sollicitudinem leniat, sententia consilium expediat, hilaritas tristitiam dissipet, conspectus ipse delectet? Quos sci-

licet vacuos (quantum fieri poterit) à cupiditatibus eligamus. Serpunt enim vitia, & in proximum quemque transiliunt, & contactu nocent.

Publ. Mim. apud Senec.

Talem diligentiam exhibe in amicitiis comparandis, ne incipias amare, quem deinceps possis odisse. Ita quisque amicum habeat, posse vt fieri inimicum putet. Time amicissimorum discordiam, quam vel leuis frequentia, indignatio, suspicionis aut æmulationis ingenio sinistrè aucta, plurimum inggerit. Et sanè plerumque acerrima è domesticâ consuetudine odia nascuntur: quasi de eodem amicitiæ vtero infelix concordiæ abortus fiat, in odia, & rixas, & tumultus prodigiosè adolescens. Ecce de paucorum dissidiis omnes tumultuant, & ruinarum in modum, supra id quod oppressere, franguntur.

Odia inter nuper amicos, acerrima sunt, omnesq; grauiter vexant.

2. Senior Tobias in cap. 3. patrio solo extorris, dirâ captiuitate oppressus, egestate miser, oculis orbatus, à contribulibus impetitus, coniugis probro exasperatus; profundè mœstus ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis, dicens: Et nunc Domine memor esto mei, & ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum. *Quoniam non obediuimus præceptis tuis, ideò traditi sumus in direptionem, & captiuitatem, & mortem, & in fabulam, & improperium omnibus nationibus, in quibus dispersisti nos. Et nunc Domine magna iudicia tua. &c.* In magnis quidem iudiciis, id est, pœnalissimis suppliciis ob immania scelera inflictis, factum est vt Hebræi, qui in originali solo, hoc est, in Terrâ promissionis, adunati erant, & altâ pace diu felices, mutuo inter se ipsos diuortio *dispersi* essent in nationibus idololatricè barbaricis. Vis nosse quantum intersit discrimen inter Hebræos reciprocâ pace concordes, & ipsosmet *dispersos*, & à se ipsis mutuò seiunctos vasto regionum diuortio; audi Zenonem Veronensem sic eloquenter Hebræis insultantem: *Quid tumet Iudæus inanis, quem momenti præterita delectat vmbra? Exultat quòd in Ægypto creuerit: at in originali decreuit solo. Quod captiuitatis sit nexibus absolutus: sed est nunc vsque barbaries furoris moribus alligatus. Deus illi ducatum præbuit: idem à suâ eum facie postmodum abiecit.* (Diligens & attentus rumina quæ arguté subdit verba, ad rem præsentem in paucis tempestiua) *Sanè vultis scire quanta sit sanctitatis? Quem mare sustinuit adunatum, non potest terra baiulare dispersum.* Nimirùm molliter, lene, & blandè delicatum est aquæ elementũ, & oneris fastuosè impatiens, aliqua molli fluctuum elatione, quâ humanis vestigiis proculcari recusans se conculcantis audaciam protinùs naufragio castigat. At terra (à terenda sic dicta) hominum vestigia tolerantissimè suffert, & se proculcari adsueta, immensas immanium ponderum moles patienti tolerat dorso: nec detrectat pedibus teri, quæ à pedum frequenti tritura, Terræ sortitur elogium. Hinc Zenonianæ sententiæ apparet energia: *Quem mare*, inquit, *sustinuit adunatum, non potest terra baiulare dispersum.* Nempe Hebræus populus adunatus per mare pedibus ambulauit; sed postmodum exgrex, & in variis regionibus *dispersus*, patitur in terrâ naufragium, neque enim vel ipsa Terra, etsi ponderum patientissima, Hebræum populum nunc potest baiulare *dispersum.* Sic est facile inter concordes versari, vt vel leuis aqua populum *sustineat adunatum.* Sic est molestum & pergraue, de diuortio vnionis mutuò discordes ferre, vt *non possit terra baiulare dispersos!* *Traditi sumus*, ait Tobias, *in improperium omnibus nationibus, in quibus dispersisti nos. Et nunc Domine magna iudicia tua, quia non egimus secundum præcepta tua:* ô! quis erit totus à discordantium malignitate, cùm vel ipsa Terra (quæ est tolerantiæ hyperbole) eorum pondere vsque ad impatientiam degrauetur? Hinc Tobias mente præsagâ suis Israëlitis de adunatione lætanter gratulatur.

Tob. 3. v. 4.

Hebræum populũ quem mare sustinuit adunatum, non potest terra baiulare dispersum.

Zeno ser. de Iudæis.

Hic vers. 17. & 18.

3. David in Psalmo 30. quem, *Psalmus David pro extasi* inscribit, de molestiore inimicorum aduersus se hostilitate querulus cum Deo agit: quasi sola *extasis*, quæ sensus ipsos interim alienat, & à sensu doloris absentat, illum posset securè tutari. Eripe me, inquit, de manu inimicorum meorum, & à persequentibus me. Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum: proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.* Scilicet Dauid hostium insidiis, minis, maliloquiis, & infectationibus impetitus, obnixè Deum precatur, vt quies illi aliquandò detur, & aliquod ab eorum malignitate otium. *A conturbatione hominum:* quod nonnulli apud Glossam interpretantur: *A contentione hominum*, id est, à pertinaciter contentiosâ eorum hostilitate; à qua nihil tutum putabatur. Et sanè notatione dignissimum est, quòd Dauid, Dauid inquam, leni bonæ indolis mititate præditus, & velut rupea cælitùs patientia instructus; sic grauatè ferat, æmulos aduersus se tumultus, & inuidiosam hominum *contentionem.* Patientiæ igniculum, quem optima eius naturæ indoles, aut consultæ politiæ æquanimitas excitat, gratiæ vigor perficiat; & sic totus de cælo clypeatus, aduersariorum seditiosos ictus, aut toleranter sustineat, aut valenter retundat. Et quod mirere magis, in *extasi* positus hæc dicit, vbi à sensuum alienatione, sensus doloris torpet, & infestatio fructu suo, molestia tolerantis inquam, vacat. vbi autem vacat molestia, molestiæ effugium otiatur. (quis anxiè fugiat, quod non sentit malum?) Sed vide quàm sit Dauid adhuc sollicitus, vt Deus illum *abscondat in abscondito faciei suæ à contentione hominum.* Quid est, in abscondito faciei tuæ? Hugo Carensis ibi: *Abscondes scilicet in paradiso, vbi facie ad faciem videtur diuinitas tua, quam abscondisti sub humanitate.* Itaque ab inimica seditiosorum hostilitate, & tumultuante vnius veteri gente, quasi profundæ *extasis* stupor non sufficiat ad protectionem, nec sepulturæ asylum satis tutum sit; in empyreæ beatitudinis paradiso, non tam tutamen, quam effugium quærit. Abscondere se citiùs, quàm tueri expetit. Discordiæ immites tribulationes, illæ ipsæ sunt, quæ nos curiosiùs quærunt, & inueniunt nimis: adeóque sunt molestæ, & graues, vt Hebræum populum, *quem mare sustinuit adunatum, non potest terra baiulare dispersum.* Benè ergo in iudiciis magnis Hebræus populus *dispersus* dicitur, sibi & reliquis de diuortij malo intolerabilis? nec Iudaismo tutus, nec Christianismo securus, omnibus grauis, exosus, exitialis. O nimis verè!

Psalm. 30. v. 21.

Gloss. inib. *Ab inimicorum molestiis, parum se tutum in extasi putat David, & in Dei vultu abscondi satagit.*

Hugo ibi.

4. Marci 3. postquam Christus Deus plura patrauit miracula, & duodecim Apostolos elegit, venit ad domum: & conuenit iterùm turba, ita vt non possent neque panem manducare. *Et cùm audissent Sui, exierunt tenere eum: dicebant enim Quoniam in furorem versus est.* Ad quæ Marci verba ita Theophylactus scribit: *Id est, Damonium*

Marci 3. v. 21.

Theophyl. inibi.

nium habet, & furit: & ideò eum tenere volebant, vt incarcerarent tanquam Dæmoniacum. Et quidem Sui hoc volebant, id est, propinqui, fortè compatriotæ eius, vel fratres eius. Dum reliquus populus cælestem Christi doctrinam admiratur, miracula reuerenter stupet, eius duntaxat propinqui sic aduersus eum furunt? ô propinquorum odia si exasperentur! Vnde Chrysologus versans illud: *Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua,* ita eleganter scribit: *Docet* Christus, *quòd inter suos posse, morsus est: adustio est: inter ciues eminere proximos, proximorum vrit gloriam. Propinqui propinquo si honorem debeant, reputant seruitutem.*

Chrysol. serm. 48.

5. Matth. 13. v. 44. & 45.

Matthæi 13. non modo quam Cognatio molitur parare perniciem, sed quam minimè intendens, ipsa parat, Euangelista notanter denarrat, aiens: Et veniens Iesus in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita vt mirarentur, & dicerent: *Vnde huic sapientia hæc, & virtutes? Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius,* &c. S. Petrus Chrysologus ad hæc Matthæi verba, ita egregiè philosophatur: *Extendit adhuc curiositatem suam carnalis ista* Iudæorum *æmulatio, cui semper est inimica cognitio: nec patitur Christum virtutibus, & sapientia Deum credi; sed proximorum, parentum, fratrum, affinium documento, hominem tantùm asserit, gestit, optat, intelligit, dicendo: Nonne iste est fabri filius, & Mariæ? frater Iacobi & Ioseph, & Simonis & Iudæ? nonne & sorores eius hic nobiscum sunt?* Vide hic insignem in fama læsuram, quam vel humana cognatio inscienter operatur. Quasi parùm foret, quod (Marci 3. numero præcedenti expensum) Christus ab iratâ sustinuerit cognatione; modò vel ab insciâ incogitatam patitur exprobrationem, quâ Christi Dei opinatissimas virtutes, cognationis suffragio egregiè deuenustent: & quem ab omnipotenti virtute Deum vident, de spectatâ cognatione Deum negant. Diuinitatem Christi scientes nesciunt, confitendo negant, testantes impugnant, quia humanâ cum affinitate corporatum aduertunt.

Chrysol. ser. 49.

Diuinitati detrahit humana Christi cognatio.

---

§. CCCCXXXVII.

Beata etiam cæli gloria, peccatis humanis ingratè offenditur.

1. Publ. Mim. Senec. epist. 96.

Optimus animus, pulcherrimus Dei cultus est. Multi quærunt quo modo Deus colendus sit. *Deum colit qui nouit,* respondet Seneca. Dixisset forsan meliùs: Deum colet, qui nouit, quasi adeò perfecta sit summi Dei natura, vt eius cultus sit sequela notionis. Ad cultum debitum allicit, summæ bonitatis notitia, & benefica eius vis, gratitudini adulatur. Itaque impius, & ingratus est, & malignus diuinæ bonitatis interpres. Porrò summa illa, ac pulcherrima natura, nec accipere potest iniuriam, nec facere. Lædere enim lædique ferè coniunctum est. At etsi ipsa lædi non potest, eius tamen beneficentia, dum magnifica beneficia contemnuntur, quodammodo læditur ab impio. *Fraus est accipere, quod non possis reddere.* Sed peccando negligere, quod nisi peccasses, acciperes, contemptus est magni beneficij & arcanæ ingratitudinis reatus. O, si delinquendo magnum benefactorem non times, time magnum beneficum neglectu tuo offensum!

Fraus est accipere, quod non possis reddere.

Publ. Mim.

2. *Beata cæli gloria peccatis humanis offenditur.*

Lucæ 15. boni patris degener filius, paternæ pædagogiæ refuga; diues censu, sed consilij inops, inopiam libidine mercatur. Scortatione impudenti pauper, prorudioso mancipatur ministerio, quo vtilitate famulitatem redimat. Sed adhuc siliquas esurit, & squalidos pecorum cibos hiat. Nil satis libidinem explet dum de saturitate confestim rediuiua fames enascitur, & de pabulo magis inaccrescit. Ast calamitate admonitus, & vacuo ventre, peccatis satur, paternæ domus fame tangitur quò saturitatem redituus inueniat. Sed qua fronte pij patris subeat oculos, filius tot flagitiis impius! Dum autem pœnitentiam aduocatricem adsciscit, sic inuestis, turpis, & squalidus ad patrem fatur: *Pater, peccaui in cælum, & coram te.* Nemo hic non notat, quod sæpe notanter expendimus, Prodigum adolescentem præpostere inuertisse sententiam, dum verba inordinatè transmutauit. Non enim peccasse videtur *coram* patre, qui vt eius oculos fugeret, in regionem longinquam profectus est. Nec *in cælum* videtur deliquisse, sed coram cælo, quod vasto sinu terrena complectitur, & fulgorum luce intuetur. An non aptiùs dixisset: *Peccaui coram cælo, & in te!* Fortè perturbato animo hæc verba inconsultè exciderunt. Minimè quidem; sic enim anteà fuerat orationem meditatus, in pœnitentiæ consilio. Rem (nisi valdè fallor) pulchrè attigit Hugo Carensis ita ad ea verba scribens: *Pater, peccaui malè viuendo, in cælum, quod amisi per culpam, & non quæsiui per stultitiam meam.* Quasi dicat Prodigus adolescens, de pœnitentiæ gymnasio edoctus, & ad canæ sapientiæ inuidiam eruditus: Pater, non sum ignarus, me aduersus te impudenter deliquisse: tuam contempsi domum, tuas opes luxuriando prodegi, auitæ nobilitatis stemmata meis deuenustaui flagitiis; voluntatem tuam parui pendens, pluris voluptatum nugas æstimaui. Sed *malè viuendo,* sceleratissimè etiam *peccaui in cælum, quod amisi per culpam.* Fide noscens indubia, qualis quantaque sit beata cæli gloria, piè viuentibus à summo Deo munificentissimè præparata; dum illam amittere peccando neglexi, primò cælestis gloriæ reus sistor: quam neglectu deuenustaui, contemptu offendi, & tantam tamque beatam venustatem quodammodo salacitate meâ constupraui. Cæli gloriam à me contemptam spectabo: cælestem beatitatem iniuria offensam patiar: quis non timeat læsæ beatitudinis vindictam! Beata cæli gloria, metum peccatoribus incutit, quæ damnatorum pœnas exaggerat. Permitte, ô Pater, permitte pœnitenti filio, (cuius exemplarem pœnitentiam mundo proponis) vt prius doleam de cælestis gloriæ illata impudenter offensâ: *Pater, malè viuendo peccaui in cælum, quod amisi per culpam, & coram te, quia omnia vides.* Belle quidem Hugo! O quis non timeat offensi cæli minas

Lucæ 15. v. 21.

Hugo ibi.

Geneseos 28. declinans fratris iras, de patris consilio, in Mesopotamiam pergit Iacobus: & matris deliciolum, intempesta nocte pernoctare cogitur subdio: & pro blando puluillo durum lapidem capiti supponens, humi cubat. Grandia, & humanis oculis peregrina, Peregrinus in somnis videt, nempe scalam ab ima tellure fastigium cæli tangentem, Deum toto nixu firmantem scalam, & per illam ascendentes & descendentes Angelos intuetur. Cumque euigilasset Iacob de somno, ait: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. *Pauensque: Quam terribilis est, inquit,* locus

Genes. 28. vers. 17.

Cur Iacob viso gloriæ loco pauidè timet.

locus iste? non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli. Vt metum iræ fratris, & longæ peregrinationis deponat Iacobus, diuinæ visionis recreatione mulcetur; & ex leuamento maiorem métum concipit? Videt pertusam in cælo portam, per quam empyreæ domus beatam gloriam rimatur; & timidè pauens, tremore concussus exclamat: *Quam terribilis est locus iste!* Tempestiuè sciscitatur Rupertus. *Quid pauoris, vel quid terroris secundum se locus iste potest habere?* Quid timeat à cæli ianua? à gloriæ rimulis quidnam timeat? Insigniter Caietanus ad rem præsentem præfata verba interpretatur: *Pauensque: Quam terribilis est, &c. Timuit autem diuinum iudicium, ne aliquid sibi displicens appareat in nobis. Sic enim Iacob timuit considerando se ipsum..... ne imputarentur sibi defectus sui.* Nempe dum Iacobo cæli ianua panditur, & Dei atque Angelorum gloriam attentiùs rimatur, tunc, tunc quidem pauidè timet diuinum iudicium, timidè expallescit, ne aliquid in se Deo displicens appareat, & sui sibi defectus imputentur. Sic augustam cæli gloriam æstimat, vt ingenti concutiatur metu, ne fortè ab illa excidat, aut delinquendo tantum depretiet bonum. *Pauensque, Quàm terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli.* Quasi a cælo ipso pauidè timeat. Peridoneè Chrysologus exponens illa Ioannis apud Matthæum verba: *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum*, ita scribit: *Regnum cælorum est præmium iustorum, iudicium peccatorum, impiis pœna.* Ecquid dum grauiter peccat, non grauiter timent, cælum negligere, expectatissimam beatitudinem contemnere, & cælestem gloriam contemptu offendere. Ergo locum gloriæ terribilem putat Iacobus, dum pauet, ne sua delicta imputentur in beatitudinis contemptum, & sicut Prodigus posteà adolescens, neglectæ gloriæ sit reus, pariterque cum eo dicere necesse sit? *Peccaui in cælum, quod amisi per culpam.* O quàm altè hæc cogitatio in Tobiæ animo insederat, qui cap. 3. vers. 18. aspectu ad beatam cæli gloriam, peccata in se, & in suis admittere, anxiè veretur, ne quis pretiosam cælestis gloriæ venustatem hic adumbratam, suis delictis deuenustet, depretier, infuscet.

Rupertus inibi.

Caietanus ibidem.

Matth 3. v. 2.

Chrysol. ser. 167

Hic vers. 10.

4. Matthæi 25. Christus Deus in suprema iudicij die adlectis feliciter prædestinatis ad empyream cæli gloriam, quam suis meritis honorarunt; *Tunc dicet his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum,* Nescio quo modo Origenes in Biblica eruditione versatissimus, nô attenderit ad hæc Euangelistæ verba, quibus gehennalis ignis *æternus* pronunciatur. Censuit enim Reproborum animas, postquam pro criminum reatu perdiu subierint infernalis pyræ enormissima tormenta, satisfacto iam adæquè diuinæ iustitiæ rigore, exultanter euolaturas in cælum. Contra quem sic eleganter scribit Augustinus: *Sed Origenem propter hoc non immerito reprobauit Ecclesia. Quia & hoc quod misericors videbatur amisit faciendo veras miserias, quibus pœnas luerent; & falsas beatitudines, in quibus securum & sempiternum boni gaudium non haberent.* Subtilissimè quidem Augustinus erga peccatores damnatos, (si res accideret sicut fingit Origenes) *veras misericordias* agnoscit: quoniam vera foret misericordia sempiternam pœnam rescindere, & post temporarium cruciatum, peccatorem iam damnatum cælo donare. Quò enim indignior est persona, quæ beneficium accipit, eò magis beneficium crescit ad gratiam: ergò *veræ misericordiæ* forent. Sed cur in eo casu *falsæ beatitudines* dicerentur? An quia tametsi peccatores damnatos, post aliquam satispassionem, in cælum Origenes subueheat, *falsa beatitudo* diceretur, quæ sine meritis cælo potitur (O grande elogium meritorum) An quia propter peccatum, quod per satispassionem tunc nondum exuerent, hostilitatem cum cælo adhuc agerent; & indè inimico animo, & velut reluctante cælo potirentur? Plenè beabitur cælo, quod peccando contempsit, qui pristini contemptus infelix stigma adhuc gestaret impressum? Cælo tranquillè beatetur, qui adhuc post aliquã satispassionem, vere posset dicere: *Pater, peccaui male viuendo, in cælum, quod amisi per culpam?* O mallem in inferno amicitiam habere cum Deo quàm in cælo adhuc inimicitias cum eo gerere! Cælum tunc peccatori diceretur, sed te cæli verè caruisset, quandiu peccati vero stigmate infelix notaretur. Exinde hæ, quas finxit Origenes, *falsæ beatitudines*, ab Augustino nuncupantur: nam sine verâ animi renouatione per gratiam, adhuc cũ pecati notaculo, *falsâ* potiturus *beatitudine*, ab Origene subueheretur in cælum. Augustino accinit his verbis Gregorius: *Si falsa minatus est Deus, vt ad iniustitiam corrigeret, etiam falsa promiserat, vt ad iniustitiam prouocaret: & sic dum satagunt Deum perhibere misericordem, non verentur prædicare fallacem,* quia *falsas beatitudines* polliceretur.

Matth. 25. v. 41.

Quæ sint apud Augustinum falsæ beatitudines.

Aug. lib. 21. de Ciui. cap. 17.

An beatitudo sine meritis esse possit.

Greg. lib. 4. Dialog. cap. 44.

Nuper Iacob videns gloriæ locum, pauidè timet; probè sciens, quod per præuias calamitates itur ad gloriam. Ioseph autem in re cælestis œconomiæ adhuc tyro, gaudet de suæ exaltationis gloriâ, nec præambulas pauescit ærumnas. S. Bernardus alludens ad illud Geneseos 37. *Vendiderunt Ioseph in Ægyptum*, ita scribit: *Igitur Ioseph, cùm præuidisset exaltationem suam, non tamen præsciuit sui venditionem, quamuis prior esset venditio, quam exaltatio.* Quare prænoscens tantæ sublimitatis gloriam, sic ignorat præuiam venditionem, & præambulam seruitutem, quæ prior erat? An non ex futurâ sublimitate, per virtutis consequentias, ex patris sui Iacobi gymnasio, certis indiciis colligere potuit? Cui reuelatur futura sublimissima gloria, innotescere debuit præuius calamitatum cumulus, per quas rectâ ad gloriam itur. Vnde dum Iosepho tanta fastigij gloria reuelatur, prope superuacaneum foret, vt præuiæ calamitates reuelarentur. Nam in gloriâ certissimè nota, non valdè dubij ærumnarum characteres leguntur, quos dudùm Iacobus peritè legerat. 5.

Genes. 37. v. 36.

S. Bern. de Gradib. humil.

§. CCCCXXXVIII.

Qui mortificatur tota vita sine respectu ad misericordiam, æternam sibi misericordiam auguratur.

Diues ille post delicias toto vitæ tempore iucundiùs vernantes, æternis tandem erogatur flammis: Lazarus verò post totâ vita perdurantes anxiè calamitates, in æternæ beatitudinis gremium, Angelorum infertur obsequiis, & propter hoc ad vtrumque loquitur sermo diuinus. *Recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.* Vai translacta vitæ iucundi- 1.

Lucæ 16. v. 25.

tas

Homo in deliciis viuens, deteriore sui parte superstes est. tas deliciis perpetuò florens, loco criminis imputatur: alteri post malorum incessanter tolerantiam, iusta bonorum repensatio facit. Non tam vitam, quàm mortem viuere Lazarus videbatur, dum sine intermissione miser est. Sed potiùs Diuitis anima, quæ erat in deliciis, viuens mortua est: nam *tunc planè vera mors est, quandò homo*
Euseb. hom. 1. de Quadr. *anima præmoriente, deteriore sibi parte hominis sit superstes.* Itaque præsens fortuna Diuitis, æternum oppignerat infortunium, & infortunata nunc Lazari incessanter miseria; æternaturæ felicitatis obses est. Hic Deus membratim secet, hic ardenter exurat, vt in æternum benignè parcat. Continua nunc calamitas, cortice tenus austera est, medullitùs æterni succi plena. O moriamur deliciis, & radicis æternæ succo viuamus, atque temporali continuæ nunc tribulationis igne, æternaturi ignis supplicia redimamus. Irati Dei austerior iustitia putatur, & mera benignitas est, & æternæ mortis præcoqua venia. O! mallem in hac vita semper iratum Deum, vt in æterna semper propitium inueniam.

2. Gentium Doctor in epistola quam ad Romanos scripsit, ipse de cælo afflatus, omnes Euangelij sanctitates totus spirat: & semper mortificationem Iesu-Christi in corpore suo descriptam præ se ferens, eam citiùs in se ipso, quam in epistolis legendam obiicit. Felix, qui diuersa multimodæ calamitatis ingenia, & nouos cruciatus,
Sine respectu misericordiæ Paullus tota vita mortificatur. quos malitia ingeniari poterat; & animosâ prouocatione audacter lacessit, & in semet atrociter irruentes, incessanter consumit; intolerandumque pondus malorum contemnendo vincit, & sentiendo obtinet, vt sentire non possit. Quis, inquit, nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames, an nuditas, an pericu-
Ad Rom. 8. vers. 36. Psal. 43. v. 22. lum, an persecutio, an gladius, (*Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis*) τò *mortificamur*, idem est, ac *morti tradimur*, vt plures exscribunt
Ansel. ad eũ Paulli locũ. & exponunt. Ergo Anselmus Laudunensis ita hunc locum subtiliter interpretatur. *Quia propter te, id est tibi inseparabiliter adhærentes, mortificamur variis tormentis, tota die, id est, tota vita, sine respectu misericordiæ.* Expendere oportet hæc vltima verba, quæ magnam habent energiam. Quid est, tota vita variis cruciatibus, tormentis, calamitatibus incessanter mortificamur, *sine respectu misericordiæ?* Sine adspectu ad misericordiam tota vita Paullus continuas sustinet calamitates. Misericordiam humanam, an diuinam etiam in hac vita Paullus refutat? Esto, Apostolus omnem humanam benignitatem erga se reiicit, malitque homines aduersus se inhumanos, austeros, agrestes, barbaros; & qui immiti crudelitate illum pro Christo atrociter vexent: (quæ rara & insolens mortificatio est) an etiam toto vitæ curriculo excruciari exoptat sine respectu ad misericordiam diuinam? O Paulle, si totus quantus es, à gratia es, quid beneuolam misericordiæ gratiam recusas? O malum! nam homo sine gratiæ, vita in peccatum cadaucrascit, & æternam viuit mortem. Scilicet Paullus mortificationis idea, non refutat misericordiam, qua benè viuat, sed qua suauiter viuat, nauseat ad malè dulces mundi delicias. Egestatem, tribulationes, angustias, persecutiones, pericula, famem: infamiam, sæua quæque cruciamenta: & omnia, quæ quasi ab irato Deo immissa mundus horret, ea Paullus auidè exoptat, & *sine respectu misericordiæ* tota die, id est, tota vita, multimodis cruciatibus & incommodis macerari expetit. Mauult nunc Deum iratum, quàm benignum, vt temporaria ira æternam misericordiam redimat. Iustitia & misericordia velut vices partiuntur, & alternante vicissitudine suos effectus reciprocant. Exinde Paullus æternæ misericordiæ candidatus, tota vita variis tormentis mortificari cupit, *sine respectu misericordiæ.* Temporariam reiicit malorum veniam, qui æternaturam bonorum felicitatem exambit.

Regius Vates psal. 76. succedaneis continuò 3.
tribulationibus exagitatus, quasi non tam à pera ad purpuram, ab agolo ad sceptrum, quàm à rusticanis incõmodis ad sublimes labores, & regias
calamitates euectus, ærumnosis curis anxius, exsomni deuotione ad Deum accurrit. In die tribulationis meæ Deum exquisiui, ait, Renuit consolari anima mea. Et dum mortificaretur tota die, *Quare Dei Misericordia in vita beata, Respectio dicatur.*
idest, tota vita *sine respectu* temporalis *misericordiæ*; cogitauit dies antiquos, & annos æternos in mente habuit. Numquid, ait, in æternum proiiciet Deus: aut non apponet vt complacitior sit adhuc, aut in finem misericordiam suam abscindet, à generatione in generationem: *Aut obliuiscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua* Psal. 76. vers. 10.
misericordias suas? Scilicet cùm ærumnæ ærumnis succedant, & vnius calamitatis finis, sit iam iam ingruentis augurium, aut initium, quodlibetque malum in alterius mali confinio sit, perpeti incessanter successione, & sibi adnexa aduersitatum catena, querula deuotione Dauidi sciscitari liceat, an Deus tamdiu erga se seuerus, & tot malis acerbissimè iustus, sui misereri oblitus sit. *Obliuiscetur misereri Deus?* Iustitiam continuò memoria versat, re misericordiæ obliuioni diu tradita? *Esta tan acostumbeado à castigarme, que parece que sele à oluidado de la misericordia, y que no encuentra con ella.* Sic nunc in me ira & iustitia Dei perpetuat, vt misericordia vacare videatur. Sed pensitare oportet posterius versiculi hemistichium: *aut continebit in ira sua misericordias suas.* Quæ verba sic Psalterium Illyricum Psalter. Illy.
ad rem transtulit: *Aut continebit in ira sua respectiones suas?* Idemne est, *Misericordia*, ac *Respectiones?* ô noua auribus synonyma! ò potius perspicacissimos Prophetæ oculos! Videt se assiduis persecutionibus concuti, & continuis vexari miseriis toto vitæ præsentis curriculo: inde aspectum auertit à præsenti calamitatum Illiade, & ab vna multiplici tragœdia, qua tota eius vita perpetim agitatur, & cùm annos æternos mente teneat, & beatam æternùm felicitatem, quam à Dei Misericordia auidè sperat, tunc, tunc quidem magnam futuræ vitæ *misericordiam*, consultissimè *Respectionem* appellat, quasi futuræ vitę misericordia, sit præsentis semper ærumnosæ retrospectio. Paullus nuper dicebat, quòd mortificatur tota vita *sine respectu misericordiæ*, quam in hac temporaria vita refutat, vt illa potiatur in æterna: Dauid etiam, cuius verba, & rem verborum exhausit Paullus, dum *sine respectu misericordiæ*, (cuius Deus videbatur oblitus) tota vita mortificatur, futuram in æterna vita misericordiam, *Respectionem* vocat: quasi sit retrospectio præcedentis vitæ Iustitiæ rigoribus infestatæ, & tot, tantisque ærumnis misera, vt *sine respectu misericordiæ* transigi videatur. Nimirùm qui in præsenti vita *sine respectu misericordiæ* viuit, vel potiùs moritur Iustitiæ rigoribus obnoxius, post mortem

mortem in æterna vita, Dei misericordia, *Respectio* erit, qua Deus misericorditer retrospiciat vitam eius, qui *sine aspectu misericordiæ*, (id est, mundanæ iucunditatis aut leuaminis) inter tot miserias, totum vitæ curriculum assidua mortificatione transegit: ô! dum vides hominem ærumnosè miserum, & qui sine adspectu ad misericordiam, (id est, malorum leuamen vitam agit; ne illum misericordiæ exortem repute, & diuina benignitate viduatum, sed citiùs de æterna illi misericordia gratulari liceat: nam hæc quæ putatur ira Dei, æternaturæ misericordiæ obses est, & futuræ æternum felicitatis pignus. Hoc Danidis & Paulli collytio oculos inunge, ne in fidei meridie cæcutire videaris. Pulchra hic proponitur cælestis Ierosolyma, sed pulchrius est Dei gloriam operibus nostris spectare.

Hic vers. 10. &c.

4. Tertullianus in Apologetico, quem aduersus Gentes eloquenter scribit, plures addensat persecutionis laudes, & martyrij elogia, acerbe querulus aduersus Romæ Præfectos, eorum crudelitatem fueriùs incusans. Sic autem eos inducit argutantes: Ergo, inquitis, cur querimini quòd vos insequamur, si pati vultis: cùm diligere debeatis per quos patimini quod vultis. Plane (respondet) volumus pati, verùm eo more, quo & bellum miles. Nemo quippe libens patitur, cùm & trepidare, & periclitari sit necessè: tamen & præliatur omnibus viribus, & vincens in prælio gaudet, qui de prælio querebatur, quia gloriam consequitur, & prædam (Pensita ad rem verba, quæ addit) *Ea victoria habet & gloriam placendi Deo, & prædam viuendi in æternum.* Nemo militum tam sordide auarus est, vt vltrò subeat atrocissima belli discrimina, vt hostilibus potiatur spoliis, sed strenuè præliatur, vt gloriosè vincat. Ergo gloriosum persecutorum martyrum incentiuum est victoriam de persecutionibus assequi; quia *ea victoria habet & gloriam placendi Deo*; & inde quasi aliquid succedaneum *habet prædam viuendi in æternum*, velut exacti belli, & detriumphatorum hostium appendicem: nam qui diram persecutionem patitur sine primario adspectu ad beatam misericordiam, illam sibi faustè ominatur; tantóque illam securiùs acquirit, quantò eam diuinæ gloriæ postponit. Ergò vitam æternam, quasi *prædam rape*. Regnum enim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Martyris victoria habet gloriam placendi Deo, & prædam vitam æternã.

Tertull. in Apol. c. 50.

§. CCCCXXXIX.

Mundialis voluptas, quò auidiùs hausta est eò citiùs in tædium recidit.

3. Voluptas nocet nimia: in virtute non est verendum, nequid nimium sit, quia in ipsa est modus. *Non est bonum quod magnitudine laborat sua.* Sed nescio an in hac mortali vita, vlla terræ voluptas nimia sit, nedum solida trepida est, & variis terroribus inquieta, subitque in maxima exultatione tristis aliqua, aut solicita cogitatio. Quæ etsi desit, nil mundiale implet animum. Spe grandia, possessione decrescunt; qui hiauit ad absentia, nauseat ad possessionem, cum anhelam spem possessionis fructu, voluptate inquam, fruitionis, frustratam videt. Dicat ergò quisque sibi, Voluptas fragilis est, breuis, volatica, spebus falsata, fastidio obiecta: quo auidiùs hausta est, citius in contrarium recidens: cuius subinde necesse est aut pœniteat, aut pudeat. Vera voluptas non est, quæ possessione laborat suâ; & dum primùm incipit sapere, plane desipere incipit. O malè dulces, & bene fastidiosas mundi voluptates!

Senec. lib. de Vita beat. cap. 14. *Non est bonum, quod magnitudine laborat sua.*

Matthæi 17. post denunciatas Passionis contumelias, cum Apostolorum Summatibus ad summum Thaboris verticem Christus ascendit, vt illis ostendat quatenus gloriam diuinæ claritatis non in huius seculi profundo quærant sed in præcelso cælestis beatitudinis regno. Ducuntur autem seorsùm: nam proprius gloriæ locus, procùl est ab humano tumultu. Ibi transfiguratur Christus, & empyrea animi gloria vbertim in corpus exundat: albicant vestes sicut nix, qua Discipulorum animos inflammat: sidereo iubare facies irradiat, ad solis inuidiam, & diuinæ filiationis glorias sumptuosiùs ostentat. Tunc Petrus tantæ felicitatis gaudio delibutus, in hæc erupit verba: *Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Multa hic disputant SS. Patres, & interpretes super hâc Petri sententia, quæ ne longum faciam, prudens omitto. Illud vero non intermittam, cur Petrus ibi manere voluerit, quod satis ambiguum est, & cur non domum, sed *tabernaculum* construere voluit. Porrò *domus*, fixum & permanens habitaculum est; *tabernaculum* verò, viatorum, nec ad diu manendum constructum (Quòd adeò perspicuum est, vt probare pudeat) Nunc audiendus est Maldonatus ad rem luculenter opportunus, sic aiens: *Dubitatur à quibusdam, cur tabernacula facere voluerit, & in eo loco manere.* Et post aliorum sententias relatas, ita fatur. *Vera igitur caussa fuit, quam Petrus ipse indicat, dicens: Bonum est nos hic esse. Bonum enim non vtile, aut tutum, vt auctores illi interpretantur, sed iucundũ vocat. Placuerat enim illi gloriosus ille Christi status.* Nempe iucundus illi videbatur gloriosus ille Christi status, hinc illo frui satagit. Sed quia eiusmodi corporis gloria, *corporalis est, & tactui subiacet*, vt ait inibi Hieronymus, non domum, aut fixum domicilium, ibi ædificare cupit; sed *tabernaculum*, seu transeuntem habitationem. Quasi tacite dicat Petrus: Thaboris gloria, etsi particula sit cælestis beatitatis, & animi beati gloriola appendix; at quia *corporalis est, & tactui subiacet* oculorum, in terra apparet, & terreno sensu illâ fruimur; etsi gratissima & iucundissima sit; vt illa potiamur, non est ædificanda fixa domus, sed transitorium figendum est *tabernaculum. Bonum est nos hic esse. Si vis faciamus hic tria tabernacula.* ne fortè vt reliquæ mundi voluptates, fastidio obiecta sit, & nunc auidè concupita, subindè fastidium pariat, & ad expetita nauseemus. Errauit Petrus, (ait Remigius) quia voluit vt regnum electorum construeretur in terra, quod Dominus promiserat dare in cælis. Errauit etiam, quia oblitus est se & socios suos esse mortales, & absque gustu mortis voluit subire æternam felicitatem. Errauit Petrus (ait Rabanus) in eo quod cælesti conuersationi tabernacula facienda putauit, in qua domus necessaria non erat, cum scriptum sit: Templum non vidi in ea. Errauit Petrus, quia gloriam præcurrere Passioni voluit, & præmium meritis. Sed diuturna voluptatum mundialium experientia edoctus, fortè non ita errauit, *tabernaculum* volens construere, potiùs quam

2.

Matth. 17. 4.

Maldonat. ad eum locum.

Humana corporis gloria incendiis fruimur in tabernaculis.

Hieronym. ibidem.

Remigius ad ea verba.

Rabanus ibi.

quàm fixam domum, ad fruendum iucunditates quæ *corporalis est*, *& tactui subiacet*. Nam humana voluptas fastidio obiecta est; & quò auidius hausta, citiùs in contrarium recidit, & de sui possessione tædium sui creat. quò cælestis Ierusalem singulare sit elogium, in secula seculorum feliciter beare.

Hic vers. 10 &c.

3. Iobus c.7. tot ærumnarũ & calamitatũ procella iactatus, fluctuat nec tutum portum, aut non male fidam stationem inuenit, nullumque in tot cruciatibus laxamentum. Cogitationes, inquit, meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum. Non tantùm iaculis è Dæmonis pharetrâ vibratis, sauciot; sed ego ipse duriùs cogitationibus meis excrucior, quas in Deo animitus figere dolor vetat, imò profundius meam mecum exaggerare calamitatem propè cogor. *Noctem*, addit, *verterunt in diem*, *& rursùs post tenebras spero lucem.* Locus in paucis explicatu arduus, & in quo extricando nimis sudat commentatorum industria. Adeò vt P. Ioannes Pineda præluctris Iobi interpres, seriò censeat, esse hypallagen, & commutanda esse verba, nempe: *Noctem verterunt in diem*: idem sonare, ac, *Diem verterunt in noctem*, cui dudum subscribebamus. Quasi dicat Iobus: Cùm noctu decumbebam in tot ægritudinum & calamitatum lecto, tunc sææ cogitationes me vigilem acerrimè inuadebant; & ærumnarum sensu, & cogitationum luctâ acerbè excruciatus, diem exoptabam, & albicantis auroræ fulgores, quod ægris aliquale esse solet leuamentum. Ast cùm optata Diei luce potiebar, confestim eiusmodi solatio renunciabam, & rursùm diei fulgores fastidiens, noctis tenebras exopto. Quod peritè inibi vidit Olympiodorus, sic locum commentans: *Etiam lux ipsa præ animi angore, atque molestia, haut procul mihi à tenebris videbatur.* Id Iobus ipse explicatiùs dixerat cap.7. *Si dormiero, dicam: Quando consurgam? & rursùm expectabo vesperam, & replebor doloribus vsque ad tenebras.* O, hic vide, quàm non impleant animum terrena laxamenta, & gaudia! Familiare ægris est, quod noctis molestia fatigati! diem suspirent, cuius luce lætantur: tunc etiam domesticus strepitus, & familiarium frequentia, & solatium, leuamento sunt. Verùm vsqueadeò inania sunt, vel optatissima oblectamenta, vt vix illis fruatur, cùm illico fastidio sint, & illius leuamenti tædio exeitatus, noctem habeat in votis, & expertas tenebrarum molestias, optati diei fastidiosus exoptet. *Si dormiero, dicam: Quando consurgam? & rursum expectabo vesperam, & replebor doloribus vsque ad tenebras.* O quam citò ad optatissima oblectamenta nauseamus! Quod desiderium excipit, tædium repudiat. Quod spe delectat, possessione nauseam mouet.

Tob. 17. v. 12.

Pineda ibi.

Iobus optatissimum diem mox fastidit, & noctis expertas molestias percupit.

Olympiod. ibi.

Iob 7.v.4.

Paullus ad Philippenses 3. mundialia bona, quæ mundus hianter suspirat, hoc censu taxat: Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verũtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu-Christi Domini mei: *Propter quem omnia detrimentum feci*, *& arbitror vt stercora.* Quæ Paulli verba exponens Hugo Carensis, ita scribit: *Arbitror omnia vt stercora. Ecce ad quod pretium posuit omnia temporalia iste bonus arbiter rerum; quia stercoribus comparat ea.* Bonus sanè rerum arbiter Paullus, qui superbas opes, dulces voluptates, & omnem mundi gloriam, non modo velut bona scænica, & futilia censet, sed velut stercus reputat. Quid si adsimili censu de eis iudicauit antiqua Philosophia, rationis & experientiæ ductu feliciter edocta? Audiẽdus est hac super re Clemens Alexandrinus in Adhort. ad Gentes ita fatus: *Romani, qui res maximas, & præclarè gestas Fortunæ attribuunt, & eam esse Deam maximam existimant, posuerunt eam in sterquilinio, dignum Deæ templum, secessum tribuentes.* Mirum sanè est, quòd Romani prudentia maximi, ingenuè confitentes se debere Fortunæ tot victorias, tot opes, tot glorias, tot delicias, nihilominùs illi templum *in sterquilinio* erexerint, *dignum Deæ templum.* Et meritò quidem: nam mundialis felicitas vix gustatur, cùm in tædium vertitur; & ad bona, quæ Fortuna dedit, protinùs nauseamus. Spebus magnis proponuntur, & possessione sie vilescunt, & sordent, vt non modò Paullus de cælo eruditus, illa propter Christum quasi *stercus* depretiet; sed etiam Gentes, quibus mica mentis fuit, Fortunam, etsi Deam maximam, *posuerunt in sterquilino*, *dignum Deæ templum secessum tribuentes.* Profectò mundi bona, scænica sunt; & cum in spe maxima sint, in manibus constituta nescimus. Hiamus ad sperata; eademque possessa fastidimus: & quæ dum absentia sunt, velut maximum numen adoramus; possessione contemnimus, nauseam mouent, & in sterquilinium eguntur, & cum Paullo *vt stercora* reputantur. 4.

Ad Philipp. 3.v.8.

Hugo ibi.

Fortunæ bona velut stercus reputanda sunt.

Clem. Alex. in Adh. ad Gent.

SYNOPSIS

SYNOPSIS
CAPITIS DECIMIQVARTI.

Primò traditur Tobiæ senioris ætas, & quis annorum numerus in omni fortunâ impensus sit. Qui instante iam morte filium ac nepotes accersit, quibus Niniuæ excidium antecedit: & seriò admonet, vt post humatam prope se matrem, quammaturè inde exeant. Iterùm vaticinatur de soluenda captiuitate, & de rediuiua Ierosolymorum gloriâ; iterumque eos ad sectandam virtutem, & auitam religionem piè colendam vrget. Ergo Tobias iunior matre in eodem sepulchro cum patre conditâ, cum multa & locuplete familia ad socerum Raguelem inde migrat, quocum vitam prosperam ac religiosam diu egit, & numerosâ posteritate felicem; quousque opinatissima sanctitate illustris ferè centenarius obiit.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

1. ET consummati sunt sermones Tobiæ. Et postquam illumina-
tus est Tobias, vixit annis quadraginta duobus, & vidit fi-
lios nepotum suorum. 2. Completis itaque annis centum
duobus sepultus est honorificè in Niniue. 3. Quinquaginta
namque & sex annorum lumen oculorum amisit, sexagenarius
verò recepit. 4 Reliquum verò vitæ suæ in gaudio fuit, &
cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace. 5. In ho-
ra autem mortis suæ vocauit ad se Tobiam filium suum, & se-
ptem iuuenes filios eius nepotes suos, dixitque eis: 6. Propè
erit interitus Niniue: non enim excidit verbum Domini: & fratres nostri, qui dis-
persi sunt à terra Israël, reuertentur ad eam. 7. Omnis autem deserta terra eius re-
plebitur, & domus Dei quæ in ea incensa est, iterum reædificabitur: ibique reuerten-
tur omnes timentes Deum, 8. & relinquent gentes idola sua, & venient in Ieru-
salem, & inhabitabunt in ea, 9. & gaudebunt in ea omnes reges terræ, adorantes
regem Israël. 10. Audite ergo filij mei patrem vestrum: Seruite Domino in ve-
ritate, & inquirite vt faciatis quæ placita sunt illi: 11. & filiis vestris mandate vt
faciant iustitias & eleemosynas, vt sint memores Dei, & benedicant eum in omni
tempore in veritate, & in tota virtute sua. 12. Nunc ergo filij audite me, & nolite
manere hîc: sed quacumque die sepelieritis matrem vestram circa me in vno sepul-
chro, ex eo dirigite gressus vestros vt exeatis hinc: 13. video enim quia iniquitas
eius finem dabit ei. 14. Factum est autem post obitum matris suæ, Tobias abscessit
ex Niniue cum vxore sua, & filiis, & filiorum filiis, & reuersus est ad soceros suos.
15. inuenitque eos incolumes in senectute bona: & curam eorum gessit, & ipse
clausit oculos eorum: & omnem hereditatem domus Raguelis ipse percepit: viditque
quintam generationem, filios filiorum suorum. 16. Et completis annis nonaginta-
nouem in timore Domini, cum gaudio sepelierunt eum. 17. Omnis autem cogna-
tio eius, & omnis generatio eius, in bona vita, & sancta conuersatione permansit:
ita vt accepti essent tam Deo, quàm hominibus, & cunctis habitantibus in terra.

Commentarius

§. CCCCXL.

Commentarius litteralis.

Vers. 1. Et consummati sunt sermones Tobiæ. Et postquam illuminatus est Tobias, vixit annis quadraginta duobus, & vidit filios nepotum suorum.

Vers. 2. Completis itaque annis centum duobus, sepultus est honorificè in Niniue.

Vers. 3. Quinquaginta namque, & sex annorum lumen oculorum amisit, sexagenarius verò recepit.

1\. *Tobiæ anni.* HI versiculi adeò sunt expediti & perspicui, vt commentario non indigeant: continent enim supputationem annorum, quos Tobias in omni fortuna, & tota vita peregit. Nempe ante cæcitatem quinquaginta sex, cæcus quatuor annos vixit, post visum recuperatum quadraginta duos: atque adeò Tobias senior vixit totos centum duos annos. Apud Græcos codices alia ratio supputationis initur, sic enim habent Biblia Sixtiana: *Et cessauit confitens Tobias. Et erat annorum quinquaginta octo, quando amisit visum, & post annos octo recuperauit visum.* Et sub finem capitis addunt: *Erat autem annorum centum quinquaginta octo; & sepelierunt eum gloriosè.* Syrus aliam numerorum rationem habet, aiens: *Cùm esset filius octoginta annorum, obcæcatus est, & septem annis vixit in cæcitate sua, & cùm reuersus esset, & dedisset ei Deus lumen, & aperti sunt oculi eius, vixit etiam annos triginta septem.* Ast reliquarum translationum exertantes numeri ex Vulgato corrigendi sunt. Et sanè Græcos codices in numerorum supputatione vitiatos esse, vel ex Vatabli translatione liquidò constat, sic enim exscribit: *Cæterùm annos natus erat quinquaginta octo cùm amisit visum, & eundem post exactos annos octo recuperauit, vixitque postquam cæcitate liberatus est, annos quadraginta duos: & completis annis centum duobus, Niniue honorificè sepultus est.* Verùm cùm quinquaginta octo, & quadraginta duo, numerum centesimum compleant; si addas octo cæcitatis annos, non centum duos, sed centum octo conflabis. Quin & sub finem capitis centum quinquaginta octo annos illi adscribit. Hic error nimis crassus est. (Sed aliàs super Iudith admonuimus vitiatos in numeris Græcorum codices.) Itaque Biblia Sixtiana, Complutensia, Regia, & Vatablus illi tribuunt centum quinquaginta octo annos: Arabs, & Magister historiæ scholasticæ, *centum, & duodecim.* Sed centum duos tantùm vixisse liquidò ex Vulgato constat, & ex reliquarum scriptionum mendosa varietate.

Bibl. Sixt. — Syrus. — Græci codices mendosè annorum numerum supputant. — Vatablus. — Biblia Sixt. Cõplutens. Regia. Arabs. Petr. Comestor.

Vers. 4. Reliquum verò vitæ suæ in gaudio fuit, & cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace.

Vers. 5. In hora autem mortis suæ vocauit ad se Tobiam filium suum, & septem iuuenes filios eius nepotes suos, dixitque eis:

Didac. de Celada in Tobiam.

Nempe à sexagesimo anno, quo visum recuperauit, vsque ad centesimum secundum, quo feliciter obiit, totis, inquam, quadraginta duobus annis, prospera fortunâ floruit, religione & pietate inclytus, numerosa ac religiosa sobole auctus, & magnis diuitiis locuples. Biblia Græca ita habent: *Et faciebat eleemosynas, & adiecit timere Dominum Deum, & confitebatur ei.* Qui in paupertate sua floruit locuplete erga pauperes pietate; nunc locuples factus, agnatam non deseruit pietatem, sed felicem adornat vitam beneficentiæ auctario.

Tobias etiam diues eleemosynas facit. — Græcus.

Perrexit in pace.] Pacis nomine prospera cuncta designari, notum est ex sanctæ linguæ idiotismo. Obuia sunt exempla, & nemini non nota. Quam sit parentibus familiare sub mortis articulum filios ad se vocare, illosque ad omnem probitatem admonere, constat ex Iacob, Moyse, Iosue, David. De quo legi potest hîc Iustinianus, & Geneseos expositores ad cap. 48. & 49. *Iustinianus.*

Vers. 6. Prope erit interitus Niniue: non enim excidit verbum Domini: & fratres nostri, qui dispersi sunt à terra Israël, reuertentur ad eam.

Caussa excidij vrbis Niniuæ disertè traditur infrà vers. 13. *Video enim*, inquit, *quia iniquitas eius finem dabit ei.* A quo autem euersa sit, multa quidem traduntur, sed ambigua & incerta. Plures sententias hic quæst. 3. addensat Serarius, à quo Iustinianus. Ioseph. lib. 12. cap. 3. Niniuen à Medis & Chaldæis euersam fuisse tradit. Beda de Tempor. cap. 2. Orosius lib. 1. cap. 19. & lib. 2. c. 1. ab Arbace Medo, & Beleso Satrapa Babyloniæ. Cedrenus fol. 13. à Perseo Iouis & Danais filio. Reineccius tom. 1. à Merodach. Herodotus lib. 1. Eusebius in Chronicis, à Ciaxare Medo. S. Hieronymus in Nahum cap. 2. & ibi Rupertus, & Theodoretus in Prologo, Hebræi in Seder cap. 24. & Genebrardus à Nabuchodonosore. In re adeò obscura non exiguam nobis faculam Græci codices accendunt, qui sub finem capitis ita habent: *Niniuem cœpit, sub iugumque misit Nabuchodonosor & Assuerus.* Hoc fortasse fuit quod dixit Iosephus, à Chaldæis & Medis. Verùm tametsi teneamus Niniuen à Nabuchodonosore euersam, à quonam Nabuchodonosore euersa fuerit, & quo tempore acciderit hæc euersio, satis ambiguum est. P. Ribera in Nahum cap. 2. num. 19. & seqq. Serarius hîc quæst. 4. P. Cornelius in Nahum cap. 2. Torniellus ann. m. 3452. à Nabuchodonosore iuniore, seu magno, post Ierosolymæ, & Alexandriæ excidium, Niniuen vastatam fuisse affirmant. Quod idem Cornelius latè inibi probat, à §. *dico ergo.*

2. — Serar. — Iustinian. — Iosephus. — Beda. — Orosius. — Cedrenus. — Herodot. — Eusebius. — Hieronym. — Rupertus. — Theodoret. — Hebræi. — Genebrar. — Græcus. — Ribera. — Serarius. — Cornelius. — Torniellus

Hæc interpretatio, (tametsi Interpretum proceres eam approbent) meritò improbatur à Saliano; & omissis pluribus argumentis, quibus idem Salianus pro se, & aduersus se Cornelius, eam labefactant, hoc argumentum valdè vrget aduersarios asserentes hoc Tobiæ vaticinium intelligendum esse de Niniuæ ruina sub Nabuchodonosore iuniore seu magno. Porrò si ponamus Niniuen euersam à Nabuchodonosore magno, vigesimo quarto, aut vigesimo quinto sui regni anno, nempe biennio ab euersa Ierosolyma, (vt putant aduersarij, quo modo Niniues ruinam ante suam mortem Tobias iunior audiuit? Nam

3. — Salian. m. 3377. n. 4. & seqq. — Non à Nabuchodonosore magno excisa nunc Niniue.

demus, Tobiam iuniorum cum patre abductum in Assyriam captiuitatem, vnius anni infantulum, cùm constet ex hoc cap. verſ. 16. obiisse dum ageret nonageſimum nonum ſuæ ætatis annum; minimè potuit audire iam euerſam Niniuen post excidium Ieroſolymitanum: niſi velis ab vltimo anno Oſee Regis Iſraël, ſub quo cuntigit Aſſyria Iſraëlitarum captiuitas, vſque ad exciſam ſub Sedechia vltimo Iudæ Rege Ieroſolymam, necdum centum annos expletos. quod nemo eſt tam imperitus, aut Biblicæ eruditionis expers, qui aſſerere poſſit. Nam Aſſyria captiuitas ſub Salmanaſare contigit ann. m. 3224. excidium autem Ieroſolymitanum ann. m. 3377. iuxta Bellarmini calculum, à quo non valdè diſſident peritiores Chronologi. (Conſultò abſtineo à ſupputatione petita ex adſpectu ad Reges Iuda, quæ cùm impedita ſit, cauillis & effugiis circumſcribi poterit ad eludendam argumenti vim.)

4. Corn. ſuprà. *Præſtripto argumento inidoneè ſatisfit.* Hoc argumentum non latuit eruditam noſtri Cornelij ſagacitatem, & vt ei reſpondeat, confugit ad Græcorum codicum tranſlationes, quæ totos centum viginti ſeptem annos iuniorem Tobiam vixiſſe, tradunt. Ita quidem, ſed quia mendoſâ annorum ſupputatione Græci codices vitiati ſunt: nam contra vulgatam editionem id tradunt, quæ diſertè denarrat hîc verſ. 16. quòd *completis annis nonaginta nouem, cum gaudio ſepelierunt eum*: qui ergo dicitur ſepultus completis annis nonaginta nouem, non vltrà vixit aliis viginti octo annis, qui reſtant vſque ad viginti ſeptem: igitur præſtat deſerere in annorum ſupputatione Græcos codices, in qua millies à Vulgato diſcrepant, quàm Vulgato apertè refragari. Sed eſto concedamus aduerſariis, iuniorem Tobiam vixiſſe totis centum viginti ſeptem annis; cùm ex hoc numero demere neceſſe ſit duos ſaltem poſt Ieroſolymam euerſam, alterum quo Alexandriam expugnauit, alterum quo Niniuen euertit: inſuper duos annos, quos expleuerat, quando captiuus abductus eſt; (communiter ſexennis, aut ſeptennis putatur ab Interpretibus) reſtant à captiuitate Aſſyria decem tribuum, vſque ad captiuitatem Babylonicam centum viginti tres anni: impar quidem numerus ſpatio annorum, quod Chronologi conſtituunt, quod aduerſarij etiam fatentur.

5. Cornelius. Serarius. *Alia euaſio præcluditur.* Secundò reſpondet Cornelius ex Serario hîc q. 8. quòd Tobiæ iuniori rectè potuit innoteſcere euerſio Niniuæ, licet poſt euerſam Ieroſolymam acciderit; quia cùm verſ. 16. dicitur *completis nonaginta nouem annis ſepultus*, hi anni numerandi ſunt à morte patris, vel à reditu ad Raguelem, quo tempore agebat vt minimum ſexaginta tres, nempe quadraginta duos ab illuminato patre, quo tempore ipſe nepotes habuit, & ſaltem viginti vnum, quo anno nuptias contraxit; qui numeri conflant ſexaginta tres annos, quibus ſi addas nonaginta nouem, efficies centum ſexaginta duos. Hæc commentatio valdè violenta eſt, nec Serarius eam expreſsè affirmat. Porrò poſtquam ſacer Hiſtoricus verſ. 15. denarrauit, iuniorem Tobiam regreſſum ad ſocerum, vidiſſe quintam generationem, ſtatim addit, completis nonaginta nouem annis, ſepultum fuiſſe; ergo poſtquam vidit quintam generationem (quod immediatè præceſſit) vixit nonaginta nouem annos: in tam longo autem temporis ſpatio inſolens videtur in tanta nepotum turbâ non vidiſſe nonam aut decimam generationem. Et ſanè ſi in quadraginta duobus annis habuit tot nepotes; in nonaginta nouem præter hos quadraginta duos annos, miriſſimum eſſet, non multò plures generationes vidiſſe: vnde perſpicuum eſt, (ſi attentè, & ſine præiudicio ſacer textus legatur) nimis violentè textum cogi, & ad id referri, quo prædictæ difficultatis vim poſſint vtcumque deludere, parum veroſimili commento. præſertim in illo æuo, in quo hominum vita non protendebatur ad centum ſexaginta duos annos. Nam neque Patriarcha Iacob, qui dicitur ſenio confectus obiiſſe: neque vllus ex eius filiis vixit centum ſexaginta duos annos: Iacob autem viuebat ann. m. 2138. Tobias autem (vt aduerſariis placet) ann. m. 3377. in mille autem ſupra centum annos tantiſper deperditum eſt de longioris vitæ diuturnitate. Et quidem in Dauidis æuo homo octogenarius valde ſenex putabatur: Dauid autem florebat ann. m. 2919. & Tobias (per te) ann. m. 3377. ergo inſolens foret tam diuturna iunioris Tobiæ ætas: & tamen de Tobiâ ſeniore qui vixit centum duos annos, ait Græcus textus, quòd *magnoperè ſenuit*, quod de iuniori Tobia non dixit. Vnde præfata ſolutio ad eludendam difficultatem concinnata videtur, nec ſolido nititur fundamento, vt videbimus ad verſ. 16. huius cap. Græcus.

Ceterùm cùm in confeſſo ſit, Niniuem ſæpius euerſam, vt tradit Ribera, Gordonus, Sanctius, Tirinus, & Salianus ex Herodoto, & Diodoro Siculo; veroſimilius eſt à Nabuchodonoſore ſeniore, non à filio eius Nabuchodonoſore magno tunc captam, quandò eius euerſionem potuit audire Tobias, ſecundum ſenioris Tobiæ & Ionæ prophetiam (ſcio à Nabuchodonoſore magno poſt Ieroſolymæ excidium euerſam Niniuem ex celebri prophetæ Nahum vaticinio) ita Salianus ann. m. 3377. num. 5. & 6. & 7. & Gordonus, & Tirinus ad hunc verſ. & in Chron. ſacro cap. 35. qui plures pro ſe auctores allegant: & ſanè fauere videntur ex ratiocinatione potiùs, quàm ex perſpicuâ narratione, quod in re nimis lubricâ ſatis eſt. Suadetur, quia ex hoc cap. habetur, quod *Nabuchodonoſor* Niniuem euertit; ratio autem temporum huic fauet, filio refragatur: & quidem hic Nabuchodonoſor ſtrenuè diu bellaſſe dicitur, & plures finitimas regiones feliciter occupaſſe. Sed quis hic *Aſſuerus*: Euſebius in Chron. ex quo Serarius q. 4. & Tirinus, putant eſſe *Cyaxarem* Medorum regem. Porrò (vt peritè notat Serarius) qui Hebræis vocatur *Axaſſuerus*, Græcis dicitur *Axauerus*, vel *Axyres*: præponitur enim *ax*, ſiue *achs*, quia lingua Perſica principem ſignificat: (ſicut Hiſpanis præponitur, *Don*) vnde *Cyaxares* perinde eſt, ac princeps *Axares* apud Græcos, vel princeps *Aſſuerus* apud Hebræos. Cùm autem Chronologia regum Medorum adeò ſit lubrica, ſi exactior ratio temporum habenda eſt, non morabor Chronologos ſi Nabuchodonoſori ſeniori ſynchronon velint, vel hunc *Cyaxarem*, vel eius patrem *Phraortem*, vel eius filium *Aſtyagen*: nam Medorum atque Perſarum reges, *Aſſueri* vulgò nominantur. Quâ ſuper re ita ſcribit Tirinus in Idiotiſmis num. 19. Hebraicè & Chaldaicè, vocatur *Aſchaſueros*, (id eſt magnum caput, ſeu magnus capitaneus) & Latinè *Aſſuerus*, Perſicè nominatur *Ochoſoarſes*, *Ochoſoarſes Xerxes* (id eſt bellator) *Axurxes*, *Artaxerxes* (id eſt, magnus bellator, teſte Herodoto) Græcè verò *Oxiares*, hæc ille. Quod ſi cui difficile videbitur, vt duo Reges potentiſſimi, & plerúq; æmuli, ſigna contra

6. Ribera. Gordonus. Sanctius. Tirinus. Herodotus. Diodor. Sic. Salianus. Gordonus. Tirinus. *Quis Nabuchodonoſor, & Aſſuerus Niniue apud Tobiam euerſores.* Euſebius. Serarius. Tirinus. Tirin. *Aſſueri nomen ad varios idiomata tranſl. tum.* Herodotus.

Tobias iunior non vixit centum ſexaginta duos annos.

Salian. contra Niniuem contulerint; respondet Salianus ann. m. 3377. num. 7. dicendum esse Assuerum regem Medorum Niniuen occupasse, eamque hostilem in modum diuexasse, vt eam sibi redderet terrore subiectam, Nabuchodonosorem autē eam posteà recepisse. Nec textus cogit nos docere, Niniuem ab vtroque simul Rege fuisse occupatam. Non enim ait audisse Tobiam Niniuem ab vtroque principe fuisse euersam; sed tantum audisse perditionem Niniue priusquam moreretur. Itaque satis est vt seorsim ab vtroque capta sit, prius tamen ab altero, Assueto nimirùm, posteà à Nabuchodonosore. Hac super re latè agunt Ribera, & Cornelius in Nahum cap. 1. Salianus ann. m. 3377. Titinus hic, & in Chron. sacro cap. 35. Et in re nimis lubrica hoc valdè verosimile videtur. Cùm autem senior Tobias ait: *Propè erit interitus Niniue*, triginta circiter annos denotat: nam in Græco textu dicitur, parum ante mortem iunioris Tobiæ auditam Niniuæ ruinam. Is autem vixit post mortem patris totos triginta duos annos. Quare iussus non est, vt statim migraret, sed post matris obitum. Quòd si quis Tobiæ prophetiam referat ad tempus quo sub magno Nabuchodonosore funditùs excisa est, inuenientur anni septuaginta quinque, vt Chronologi vulgo tradunt.

7. Iosephus. *Ionæ prophetia, implenda dicitur à seniore Tobia.* *Non enim excidit verbum Domini.*] Si verum foret, quod tradit Iosephus lib. 9. cap. 11. Nahum prophetasse ante decem tribuum deportationem, rectè hæc Tobiæ verba possent intelligi de ipsius vaticinio aduersus Niniuen; verùm multo post prophetasse, sub Ezechia nimirùm, aut Manasse; magno consensu tradunt Chronologi, de quo legi possunt Interpretes Nahum, & huius cap. expositores. Græci codices disertè hanc prophetiam ad Ionam referunt: *Abi in Mediam fili mi, quoniam credidi quæcunque locutus est Ionas propheta de Niniue, quia subuerteretur.* Et infrà: *Et nunc excede fili mi è Niniue, quia omnino erunt, quæ locutus est propheta Ionas.* Et sane modus loquendi valde fauet, ait enim: *Non excidit verbum Domini.* Ionæ autem prophetiam excidisse forsan videbatur, cùm Niniuitarum pœnitentia Dei iras auertit. Fuit autem conditionata Ionæ prophetia, ni mores emendauerint; flagitia autem iterata, vltricem Dei sententiam rursùs asciuerant. quod Hieronym. Hieronymus in Ionæ Prologo aduertit: *Ad Ionæ, inquit, prædicationem, acta pœnitentia veniam cōsecuti erant Niniuitæ; posteà verò in pristinis vitiis perseuerantes, Dei in se prouocauerunt sententiam.*

2. Salian. ann. m. 3377. n. 11. *Solutio vtriusque captiuitatis vniuersatim prædicitur.* Sanctius. Iustinian. *Et fratres nostri, qui dispersi sunt à terra Israel, reuertentur ad eam.*] Serio censet Salianus his, & sequentibus verbis tantùm agi de duabus tribubus in Chaldæum exilium deportandis, & post septuaginta annos ad patrias sedes restituendis: ideò de re post multos annos futura, quasi iam esset præsens, agere, quia Prophetarum more loquitur. Verosimiliùs tamen censeo cum Sanctio & Iustiniano, non modo de duabus tribubus postmodum in captiuitatem ducendis, & reducendis, sed etiam de decem tribubus iam olim apud Assyrios exulantibus prophetare. Porro (sæpè ad1. Esdræ 2. uertimus) non pauci ex aliis tribubus redierunt in Palæstinam. Nam vt constat ex lib. 1. Esdræ cap. 2. quadraginta duo millia è captiuitate reHebræi. dierunt. Asserunt autem Hebræorum magistri ex tribu Iuda & Beniamin triginta duo millia, & ex singulis aliis tribubus decem millia rediisse. Nam etsi Iosephus lib. 11. cap. 1. & S. Hieronymus in Ioseph Hieronym. cap. 33. Ezechielis, doceant, reliquas decem tribus adhuc apud Mediam exulare, nobis non aduersantur, quia quotula earum pars regressa est, & sine proprio duce, sub ductatu Zorobabelis & Nehemiæ: & in Terra promissionis sub nomine tribus Iudæ non propriæ tribus vocabulo, nuncupatæ sunt.

---

§. CCCCXLI.

Commentarius litteralis.

Vers. 7. Omnis autem deserta terra eius replebitur, & domus Dei, quæ in eâ incensa est, iterùm reædificabitur: ibique reuertentur omnes timentes Deum.

Vers. 8. Et relinquent gentes idola sua, & venient in Ierusalem, & inhabitabunt in ea.

Vers. Et gaudebunt in eâ omnes reges terræ, adorantes regem Israël.

Animaduertens Tobias duodecim tribuum exilium apud Assyriam, & prophetiæ oculis præuidens, reliquas duas postmodum in Chaldæam abigendas esse; pronunciat terram Israel esse desertam: sed exules ad patrias sedes tandem reuersuros, & Salomonis templum ad parietinas redactum, forè vt iterum restauretur. Græci codices ita habent: *Fratres nostri in terra dispergentur à bona terra, & Ierosolyma erit deserta, & domus Dei in ea comburetur, & deserta erit vsque ad tempus. Et rursùs miserebitur eorum Deus, & reducet eos in terram, & readificabunt domum, non qualis prior, donec impleta fuerint tempora seculi. Et post hac reuertent de captiuitatibus, & adificabant Ierusalem honorificè: & domus Dei in ea adificabitur gloriosè sicut locuti sunt de ea Propheta.* Prædicit Tobias fore, vt ex Israelitis ad proprias sedes *reuertantur omnes timētes Deum,* id est, qui auitam religionem adhuc moribus colunt (Hispanè etiam bonum virum dicimus, *Hombre temeroso de Dios*) vt ibi impunè, & liberè Deum suum veneretur, extincta inibi religione piè restaurata. *Et relinquent gentes idola sua, & venient in Ierusalem*, &c. Hæc planè & plenè in Ecclesia implentur, non in materiata Ierusalem, cùm ad veri Dei cognitionem Gentes venerunt. Itaque *Ierusalem* nomine Ecclesia catholica designatur, sicut nomine *regis Israel*, Christus indubiè significatur: alioqui à Babylonica captiuitate nullus Rex inuenitur in Israele, Ioann. 12. v. quem Reges adorare possent, nisi ille, de quo in 13. & cap. 1. Ierosolymitano triumpho dictum est: *Benedictus* v. 19. *qui venit in nomine Domini rex Israel.* Et Nathanael: *Tu es filius Dei rex Israel.* Et quidem pauculi abiurata idololatriâ Iudaicos ritus tunc amplexati sunt, neque digni erant, quos tanta verborum maiestate tantus Propheta buccinet. Quot autem Gentes, & Reges auito Idolorum cultu abiurato, Christum Deum Israelis regem adorauerint, notius est, quam vt probatione, aut relatione indigeat.

1. (Græcus.)

Verſ. 10. Audite ergò filij mei patrem veſtrum: Seruite Domino in veritate, & inquirite vt faciatis quæ placita ſunt illi:

Verſ. 11. Et filiis veſtris mandate vt faciant iuſtitias, & eleemoſynas, vt ſint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore in veritate, & in totâ virtute ſua.

1. Expedita hæc ſunt, & perſpicua æquè ac proficua. Cùm ait *audite*, non meram audientiam, ſed obedientiam exigit patri debitam. *Patrem* ſe appellat adſpectu etiam ad nepotes, adſueta Scripturarum phraſi: ſic Hebræa gens nominantur Filij Iſrael. Addit, *Seruite Domino in veritate*, id eſt, verè, ex corde, ſincerè, non fictè, & ad oculum ſeruientes, tanquam qui hominibus potiùs quàm Deo placere ſtudeant, cuiuſmodi ſunt hypocritæ. *Inquirite vt faciatis quæ placita ſunt illi.* hoc eſt ſolerti ſtudio indaganda à vobis eſt Dei veſtri voluntas, quid lege mandet, quid nutu
Ad Rom. adhortetur, vt exprompto obſequio pareatis. Ad quod nos admonens Paullus ad Romanos 12. v. 2 *Reformamini*, inquit, *in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona & beneplacens, & perfecta.*

Filiis veſtris mandate.] Arabs: *Admonete genitos*, eodem prorsùs ſenſu; nam *mandare*, admonere etiam eſt. *Iuſtitias, & eleemoſynas.* τὸ *iuſtitias*: ſi ad Hebræam phraſim attendas, pro miſericordia accipitur, vt perſæpè alibi notabimus: vnde τὸ &, erit exegeticum, nempe admonete filios veſtros, vt faciant iuſtitias, id eſt, miſericordiam ſeu eleemoſynas. At contextus videtur poſtulare, vt τὸ *iuſtitia* hîc accipiantur pro religioſa obſeruantia auitæ religionis, & mandatorum Dei. *In tota virtute tua.* quod Chriſtus Deus docuit
Marci 12. Marci 12. verſ. 3. ex Deuter. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua.* id eſt, pro virili, quantum poſſis intentiùs mente, ore, & manu. Itaque Tobias his verbis, quòd ſuo exemplo hactenùs docuerat, nunc ore admonet, vt in eius ſobole velut hereditaria præſcribat pietas, & firmior ſpes Deo innitens.
Eleemoſyna liberat à magnis periculis. Quod cum ſuo poſſet exemplo obfirmare, illud modeſtiæ cauſa, & quia notiſſimum erat omittens, probat duplici recenti exemplo quàm opportunè beneficus Deus adſit his, qui iuſtitias, &
Græcus. eleemoſynas faciunt. Sic enim apud Græcos codices ſcribitur: *Fili vide quid fecit Aman Achiacharo, qui nutriuerat eum, quomodo è luce adduxit eum in tenebras, & quæcumque retribuit ei. Et Achiacharum quidem ſaluauit: illi autem retributio retributa eſt, & ipſe deſcendit in tenebras. Manaſſes fecit miſericordiam, & ſaluatus eſt de laqueo mortis, quem fixerat ei. Aman autem incidit in laqueum, & periit.* Rem perſtringit tantùm quia apud eos notiſſima erat. De *Achiacharo* Tobiæ cognato ſæpè in hoc libro mentio facta eſt. Hunc *Manaſſen* aliqui putant eſſe Iudithæ maritum. Sed (vt alia omittam) ante vxorem hic vixit vltra ducentos annos, vt multis inibi oſtendimus.

Verſ. 12. Nunc ergo filij audite me, & nolite manere hic: ſed quacumque die ſepelieritis matrem veſtram circa me in vno ſepulchro, ex eo dirigite greſſus veſtros, vt exeatis hinc.

Verſ. 13. Video enim quia iniquitas eius finem dabit ei.

Poſtquam ſenior Tobias ſuos poſteros ad ſtudium auitæ religionis, & ad omnem pietatem adhortatus eſt; ſerò admonet filium, vt, quandoquidem Niniuæ excidium imminet, poſt matris funera, ſtatim indè migret in Mediam, ne eadem collapſuræ vrbis ruina pariter inuoluatur. Obſeruant hîc Salianus & alij, attentam Dei prouidentiam. Nam Niniuæ imminente excidio, indè illum educit, & paullò ante in deuaſtata cum rege Arphaxado Ecbatana per Nabuchodonoſorē, Raguelem ſocerum cum magnis diuitiis ſibi debitis, adſeruat incolumen. Ita quidem ſecundum Saliani, Bellarmini, & Serarij chronologiam: nos autem in commentariis ſuper Iudith, Ecbatanæ cum rege Arphaxado excidium, poſt ducentos circiter annos conſtituimus, de quo latè inibi. Iubet Tobias, vt defunctam vxorem in eodem ſecum ſepulchro filius ſepeliat, Patriarcharū more, ad æternum coniugalis amoris teſtimonium: *Vnita ſepultura* (ait Apuleius) *ibidem marito perpetuam coniungem dedere.* Quod etiam præceperat ſuprà ad cap. 4. verſ. 5. vbi & nos hunc morem delibauimus. Qua ſuper re agunt commentatores ad cap. 23. Geneſeos. Arabs. *Sepelieritis genitricem veſtram in ſepulchro meo.* Video, præſaga prophetiæ mēte præноſco, quòd rediuiui huius vrbis flagitia excidium nunc accerſent, quod pœnitentia olim auerterat. Tantùm exprimit Vulgatus vt è Niniue migrent, quò autem pergant, ſubiicet. At Græci codices, vt eat in Mediam diſertè tradunt, quod Tobias præſtitit. 2.

Salian.

Salianus. Bellarm. Serarius.

Coniuges eodem ſepulchro iacent.

Apuleius.

Arabs.

Græcus.

Verſ. 14. Factum eſt autem poſt obitum matris ſuæ, Tobias abceſſit ex Niniue cum vxore ſua & filiis, & filiorum filiis, & reuerſus eſt ad ſoceros ſuos.

Verſ. 15. Inuenitque eos incolumes in ſenectute bona: & curam eorum geſſit, & ipſe clauſit oculos eorum: & omnem hereditatem domus Raguelis ipſe percepit; viditque quintam generationem, filios filiorum ſuorum.

Quandiu autem ſuperuixerit Anna eius vxor, non conſtat: illud haut dubium, iuniorem Tobiam parentis optimi præcepto obſecutum, eam in paterno ſepulcro honorificè cōdidiſſe. *In ſenectute bona.* Arabs: *In ſenectute optima.* Quod dicitur de Abraham, Geneſ. 15. verſ. 15. & de Dauid 1. Paralip. 29. verſ. 28. & de Gedeon, Iudicum 8. verſ. 32. Ille dicitur *ſenectute bona* perfrui, qui vſque ad multam ſenectam protraxit vitam pacatam & tranquillam; bona apud Deum conſcientia, & fama apud homines conſpicuus. *Et curam eorum geſſit.* Syrus. *Et ipſe ſuſtentauit ſenectutem ſoceri ſui cum honore magno, & ſepeliuit eos in Ecbatana.* Arabs: *Et ſuſcepit negotia eorum*, quò ſocer negotiis per ſenectutem patrū idoneus pacato frueretur otio. 3.

Arabs. Geneſ. 15. 1. Paralip. Iudicum. 8.

Syrus.

Arabs.

Ipſe

Propinquissimus defunctorum oculos claudit.

Ipse clausit oculos eorum] Solemne quippe fuit apud antiquos, vt qui cognatione proximus contingeret, oculos morientium clauderet. Hæc consuetudo recens defunctorum oculos *claudendi, condendi, operiendi, premendi*, aut *sigillandi*, apud antiquos nimis inualuit. Qua super re consuli potest Plinius lib.11.cap.37. Kirchmanus de Funer. Roman. lib.1. cap.6. & Sanctius hic, num.15.

Plinius Kirchman. Sanctius.

Viditque quintam generationem.] Præclustris sanè apud Hebræos felicitas, apud quos fœcunditatis bonum tanti æstimabatur. Quod infrà n.5. magis explicabitur.

Vers. 16. Et expletis annis nonaginta nouem in timore Domini, cum gaudio sepelierunt eum.

Vers. 17. Omnis autem cognatio eius, & omnis generatio eius in bona vita, & in sancta conuersatione permansit, ita vt accepti essent tam Deo, quàm hominibus, & cunctis habitantibus in terra.

4\. *An Tobias videre potuerit quintam generationem*

Nuper §.... n.... obseruauimus, iuniorem Tobiam vixisse duntaxat nonaginta nouem annos. Potuit enim videre quintam generationem (vt traditur præcedenti vers.) in eo vitæ spatio. Nam cùm iuxta communiorem sententiam Tobias iunior nuptias cum Sara inierit, ætatis suæ anno vigesimo tertio aut vigesimo quarto; si cuilibet generationi non minimum attribuas cum P. Thoma Sáchez, nempe quindecim annos; sed decem & octo, nihilominus facilè reperies, quòd ipse agens annum nonagesimum nonum, potuerit quintam generationem vidisse.

Thom. Sanchez tom.2 de Matrim. disp.104.

Cum gaudio sepelierunt eum.] Difficile quidem est, quòd optimum parentem boni filij cum gaudio sepelierunt, & non potiùs cum lacrymis & luctu. Quis hoc sibi persuadet de iis, quorum confestim via bona, & sancta semper conuersatio prædicatur! Sanctius ibi num.16. τὸ *cum gaudio* exponit, quòd tunc scilicet eius posteri prosperâ fortunâ, fortunatâ pace, & vitâ tranquillâ fruebantur. Nam omnium linguarum vsus obtinuit, vt illi dicantur *gaudere*, quibus benè cum fortunâ, aut cum naturâ conuenit, etiamsi leuis aliqua incidat dolẽdi caussa. Sed adhuc incongruè videtur apponi τὸ *cum gaudio*, cùm optimum parentem sepulturæ mandant. Porrò naturæ agnatum est, & omnibus gentibus familiare, charorum funera cum lacrymis prosequi, quantumuis ille viuendi satur, in viuis esse desierit. Porrò semper τὸ *cum gaudio*, auribus absurdè obstrepit, cùm de chari patris funere sermo est. Quare placet Serarius, cui subscribit Iustinianus, asserens *cum gaudio* ad superiora referri, vt sensus sit: *Expletis annis nonaginta nouem in timore Domini cum gaudio, sepelierunt eum.* Nempe Tobias expletis nonaginta nouem annis in timore Domini, *gaudio* fruens, id est, prospera fortuna, diuitiis affluens, & numerosâ posteritate felix, à liberis suis sepultus est; non quidem *cum gaudio*, sed cum lacrymis, quæ boni parentis funus adornarent. Quod Arabs disertè expressit, ita exscribens: *Et compleuit nonaginta nouem annos cum timore Domini, & lætitia.* Nec opinor filiorum lætitia benè audit in parẽtis funere. Addunt Græci codices: *Et mortuus est...in Echatanis Mediæ. Et audiuit, priusquam ipse moreretur, perditionem Niniue, quam captiuauit Nabuchodonosor, & Assuerus: & gauisus est antequam moreretur, super Niniue.*

Sanctius. *An Tobias cum gaudio sepultus sit.*

Serar.q. vlt. Iustinian. hic.

Arabs.

Græcus. *Tobiæ posteri fuerunt virtute præclari, ex eleemosynæ privilegio.*

Omnis cognatio eius, &c.] Mirissimum planè est, vt senioris Tobiæ opinatissima virtus, tandiu in posteris perdurauerit, velut spirans sanctitatum effigies: nam vteri prouerbio dicitur. *Heroum filij noxa.* Sanctius hic num.18. longo censu numerat optimorum parentum filios, qui in sacris litteris à nobilibus parentum moribus, ignobiliter degenerarunt, quò posterorum sanctitas putetur aspectabilis eleemosynarum fructus, & nobile misericordiæ priuilegium.

Sanctius.

§. CCCCXLII.

Lingua benedica hominem priùs dedidscit; & vltra humanum fastum attollit sese.

1\.

Nimis quosdam inquietat, quòd malè de illis loquuntur homines. Sed quid mirum, si mali malè loquuntur. Malis displicere, laudari est. Non potest vllam auctoritatem habere sententia, vbi qui damnandus est, damnat. Moueret, si iudicio hoc homines facerent: nunc morbo faciunt. Non de me loquuntur, sed de se. Nam qui ponit in cælum os suum, & inde lingua eius transit in terram, fidem vituperiis denegat, quam vituperando molitur adstruere. Qui enim cælum ore vellicat, & astra, obtrectationibus tundit, fidem perdidit, quandò homines obmurmurando corrodit. Adhuc te exaggerat, quod malè de te loquuntur homines? *Benè nesciunt loqui*; (inquit Seneca) *faciunt, non quod mereor, sed quod solent. Quibusdam enim canibus sic innatum est, vt non pro feritate, sed pro consuetudine latrent.* Nescio quæ congenita hominibus libido, homines ad maledicentiam instigat, qui est velut arcanus quidam humanitatis character, & vitiatæ naturæ næuus, totum hominem egregiè deturpans. Adeò vt humana verba sic Tertullianus describat: *Quid enim dices, Sermo, nisi aër offensus? ceterum vacuum nescio quid & inane, & incorporale.* Vel aërem humana verba offendunt, inuitiant, toxicant pernicioso audientiæ contagio.

Velut congenita est homini, obmurmurandi libido.

Seneca de Remed.fort. *Canes non pro feritate, sed pro consuetudine sæpè latrant.*

Tert.adu. Prax.cap.7.

Matthæi 8. ascendente Iesu in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius: & ecce motus magnus factus est in mari; ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat. Mare quod pedibus Christi tumenti terga submisit, strauit in plano vortices suos, motus frenauit, adstrinxit fluctus, & per liquentem viam saxeâ soliditate seruiuit; modo quid est quòd ferè ad periculum sui sæuit, furit, contendit auctoris? Quid ipse Christus futurorum præscius, præsentium sic videbatur ignarus, vt instantem procellam, tempestatis horam, tempus periculi non caueret: sed inter vigilantes omnes, tunc solus teneretur somno, quando tam grande cunctis imminebat discrimen! Discipuli vero posteaquam viderunt sibi industriam nauticorum deperiisse, in se maria sæuire, se fluxus petere, aduersum se ventorum turbines conuenisse, ad ipsum Gubernatorem rerum, vectorem mundi, elementorum magistrum, trepidi confugiunt, petentes vt sedaret fluctus, & salutem redderet desperatis. Sed nota

Euangelistæ verba, moralissimo grauida sacramento: *Et accesserunt ad eum Discipuli, & suscitauerunt eum, dicentes: Domine, salua nos, perimus.* Et dicit eis Iesus: Quid timidi estis, modicæ fidei. Tunc surgens, imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna. *Porrò homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei?* Dubium est inter commentatores: quinam sint hi *homines*, qui prodigij magnitudinem admirati sunt? Beda existimat esse aliquos homines, qui eadem cum Christo naui vectabantur. Maldonatus censet, aliquos homines fuisse, qui in aliis nauibus ferebantur. Verùm Hieronymus putat, quos vers. 25. *Discipuli* dicuntur, nunc *homines* dici. Non tamen est facile tam diuersæ nomenclaturæ caussam assignare. Cùm auxilium exposcunt à Christo, *Discipuli* dicuntur, & cum admirantes prodigium stupent, *homines* nominantur? Nunc admiratio prodigij, eos deposuit ab Apostolatûs fastigio? Quid admirationi inest, vt tunc *homines* appellentur, qui nuper fuerant *Discipuli* nuncupati? Chrysologus ingenio & eloquio argutus, sic ad thema præsens tempestiuè respondet: *Discipuli sunt hi, qui accedunt ad Dominum, qui suscitant eum, qui saluari se humili supplicatione deposcunt: Homines verò dicuntur, qui elementa Christo taliter obedisse mirantur.* Nempè cùm sublimiùs de Christo sentiunt, & loquuntur, illumque tamquam velut elementorum magistrum, & mundi Gubernatorem, vt omnipotenti virtute procellosa maria tranquillet, non *homines*, sed *Discipuli* dicuntur: quandò verò assueti prodigiis maioribus, miraculum sedati maris admirantur, quasi rem Christo insolitam, & sibi hactenùs inuisam; quoniam eiusmodi admiratione, Christi omnipotenti virtuti tacitè quodammodò detrahunt; tunc, tunc quidem ac si *Discipulos* desuescant, *Homines* opportunissimè nuncupantur. Sic est agnatum homini, alienæ gloriæ quoquomodo detrahere? Qui ex aliquo præstanti elogio, non iam vulgariter *homo*; sed aliquo sublimiori titulo, honoris causâ nuncupatur: quandò vel obmurmurationis speciem ore assumit, quasi pristinæ dignitatis deponat titulos, *Hominis* vocabulum resculpit, & *Hominis* charactere inhonorè insignitur, & *Hominis* stigmata ore maledico sibi excudit. Sic humana lingua est alienæ laudis auara: sic est vituperiorum prodiga, agnatæ maledicentiæ fomite instigata: Supra humanum fastigium videtur, tot bona incessanter Tobiam ore semper benedico hactenùs
5. prædicasse.

Matth. 8. v. 25. & 27. Marci 4. v. 38.

Cùm sperant, appellantur Discipuli, factum admirantes, Homines nuncupantur.

Chrysol. ser. 20.

Hic vers. 1.

Matthæi 16. Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat Discipulos suos, dicens: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex prophetis. *Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis?* Pulchrè notat Chrysostomus, quòd Christus *non dicit, Quem me dicunt Scribæ, & Pharisæi esse, sed quem me dicunt homines esse!* Porrò Scribæ & Pharisæi æmulationis inuidia instigati, opinionem in malum malignè contra Christum inflexerant. Exinde merè *homines* interrogat, quid de se dicant & sentiant, vt humanæ linguæ nulla passione perturbatæ, sententiam audiat. Sed audi quid *Homines* sentiant, & dicant. Alij putant esse Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut aliquem è Prophetis. Tenuis sanè Christi Dei in *Hominum* opinione census, & sensus, & quo eius empyrea dignitas egregiè deuenustatur; cùm Christi Dei personæ diuinitatem defraudent, magno Messiæ dedecore. Vnde cùm Christus satagit, vt Discipuli de se augustoria sentiant, quàm *Homines*, illos ab hominum numero & censu quodammodò extrahit, & supra humanum fastigium attollit, vt digna de se eloquantur, aiens: *Vos autem quem me esse dicitis?* An Discipuli non erant *Homines*, Quam ob rem ac si Discipulos exgreges ab *Hominibus* forent, aduersatiua vocula velut excipiuntur ab *Hominum* sorte? Peritè ad litteram, & ad mores Abulensis, ex doctrinâ Hieronymi, hâc super re ita fatur: *Quem dicunt homines, &c. Vos autem quem me esse dicitis? Quod fuit ad ostendendam dignitatem Apostolorum; quia illi non erant vt homines, sed vt Dij: quia aliquid de Christi deitate sentiebant, & ideo turbas vocauit homines, quia de Christo solùm sentiebant esse hominem: istos autem quia plus humanitate de Christo sentiebant non vocauit Homines, sed à ceteris segregando, dixit: Vos autem quem me esse dicitis!* Tempestiuè quidem Abulensis. Nempe cum probè nouisset Christus, quàm sit *Hominibus* agnatum de aliis humiliter sentire, & probrosè loqui, ingenerato maledicentiæ fomite; auditis hominum de se opinionibus, quæ diuinitatem illi detrahebant, auditurus augustam illam Petri vocem: *Tu es Christus filius Dei viui*, priùs Apostolos ab Hominibus *segregat*, aiens: *Vos autem*, &c. vt antequam Petrus de Christo loquatur, merum hominem, merique hominis proprietatem dediscat, vt cùm Petrus hominem deseuerit, de Christo homine Deo, dignè sentire, & eloqui valeat. Segregetur priùs ab hominum censu, & quodammodò ad Dei nomen sublimetur; vt digna de homine Deo loquatur. Sic vel condigna benedicentia in *Hominibus* peregrinatur: sic est alienæ laudis inops humana lingua: O hominum ingenium, vt laudum auarum, ita vituperiorum prodigum! *Malè de te loquuntur homines? Benè nesciunt loqui. Faciunt, non quod mereris, sed quod solent.* O agnoscamus hunc hominum genium, ad maledicentiam pronum! alius, vt pernecessariâ cautelâ linguam frenet; alius, ne nimis de humanis vituperiis exasperetur, omnes, vt benè loqui discant, vel talionis metu. O pulchram benedicentiam, quæ venusta linguæ officiositate de cælo afflata, summum diceris humanæ conuersationis sacramentum! O augustam benedicentiam, quæ vltra humanum fastum hominem sublimas!

Matth. 16. v. 13. & 15.

Chrysost. homil. 55. in Matth.

Hominem priùs decisit, qui benè de aliis loquitur.

Abulens. in c. 16. Matth. q. 55.

Seneca sup.

Exodi 3. missioni in Ægyptum nimis reluctatur Moyses, causatus linguæ balbutiem, agre- 6.
stes mores Hebræi populi diu seruite adsueti, & præcipuè obduratam Pharaonis peruicaciam. Ecce, inquit, ego vadam ad filios Israel, & dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod est nomen eius? quid dicam eis? *Dixit Deus ad Moysen: Ego sum qui sum.* Quæ verba sic profundo ingenio imponit Philo Iudæus Hebræorum disertissimus: *Ego sum qui sum: perindè ac si dixisset, Natura mea est esse, non dici.* Scilicet, Deus is est, cuius natura est merum esse, non ab hominibus dici. Quodcumque de Deo dicat humana tenuitas, aut sinistrè sentiat audax nequitia, aut contumeliosè obloquatur temeraria maledicentia: nihilo minùs idem ipse est natura sua, & suapte ingenio.

Exod. 3. v. 14.

Philo in lib. de Nomin. mutat.

Natura Dei est, esse, non dici: cum ab humano maliloquio non pendeat.

Natura

Natura mea est esse, non dici. Quisquis ego ab aliis dicar, quamuis temerario maliloquio ab hominibus de suo ingenio impetar, nil mihi oblocutione detrahitur. Creatum est, caducum, & futile est, quod ab humanæ linguæ dicacitate dependet; quod velut in parte suæ naturæ ponit, quale ab hominibus habeatur, quale esse dicatur; & aliorum bona aut mala opinio, quidquam illi confert: *Ego sum qui sum. Perinde ac si dixisset: Natura mea est esse, non dici.* Quantumuis malè loquantur homines, qui posuerunt in cælum os suum, qui benè nesciunt loqui, qui dicunt, non quod quis meretur, sed quod garrire solent; hominum famæ detrahunt, quod adiiciunt de infamiâ: Deus autem in suæ essentiæ asylo tutus est à cognatâ hominibus dicacitate. Quid adiicis ei humanâ laude? quid sacrilego vituperio detrahis? *Ego sum qui sum. Perindè ac si dixisset: Natura mea est esse, non dici.* Scilicet quando se magis Deum ostentat, insimul ab agnatâ hominibus dicacitate se vindicat. *Aunque dican los hombres de mi loque se les antojare, yo me quedo el mismo; que mi ser no depende de su decir.* Eleganter quidem Philo.

---

§. CCCCXLIII.

Vir bonus paucis eget, & multa sustinet: quia in naturæ mortalis & immortalis confinio versatur.

1\. Senec. epist. 120. *Natura paruo contenta est, ambitioni nil sufficit.*

CONsiliosissimum est Catonianum illud: *Quātulumcumque est, satis erit, si quicquid deerit, id à nobis petierimus.* Nihil, nihil enim interest, vtrùm non desideres, an habeas. Summa rei in vtroque eadem est. Nec frugalitas vnquam præcipit, vt aliquid naturæ neges: contumax est: non potest vinci: suum poscit: sed vt quicquid naturam excedit, scias precarium esse, non necessarium; & quod appetitum non tam sedat, quàm irritat. Neminem abundantia satiauit, sicut neminem pecunia diuitem fecit: imò contrà, nulli non maiorem sui cupiditatem incussit. Quæris quæ sit huius rei caussa? plus incipit habere posse, qui plus habet. At hic qui se ad id, quod natura exigit, composuit, non tantùm extra sensum est paupertatis, sed extra metum: & mortalis vitæ inquilinus, immortalitatis candidatus existit: quâ vnâ spe spes omnes humanas exuit, metus omnes excussit, omnesque molestias, aut mitigat, aut frustratur: paruoque in terris contentus est, qui coloniam in cælum traduxit. Exiguum natura desiderat, ambitio immensum. Plura in mortali corpore pati potest, qui immortalitatem vindicat animæ ad patientiæ suffragium.

2\. Paullus in priori epistola ad Timotheum, plures conglobat de Christianâ frugalitate sentētias ad omnium eruditionem in paucis proficuas. Nihil, ait, intulimus in hunc mundum: haud dubium quòd nec auferre quid possumus. Nudus, inquit Iob, egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. pauper & nudus corpore; sed animo ornatissimè diues, de virtutum spoliis, quæ surripuit tempori, ad perennem immortalitatis opulentiam. *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.* Alimenta dicit, quibus vita vt vt substentetur; non esculentas & poculentas delicias ad fugacē palati voluptatulam (1. ad Timoth. 6. v. 8.) magnò paratas. Nec omninò vestimenta expetit, sed *quibus tegamur*, exposcit, etsi vestimenti non mereantur elogium. id est: inuestis ero dum nudus non sim. quod nec animi pudor, nec corporis infirmitas patitur. Nec mirabitur quisquam tantâ rerum parsimoniâ, & penuriâ mundi, contentum esse Paullum, qui quasi exul mundi in mundo degebat, & velut præproperè cæli incola, eius conuersatio in cælis erat. Bellissimè Clemens Alexandrinus tanquam præfata Apostoli verba exponens, ita scribit: *Vir enim bonus paucis indiget, vt qui sit in confinio naturæ mortalis & immortalis: egens quidem propter corpus; paucis autem egere doctus, propter susceptam ratione continentiam.* (Clemens 2. Strom. c. 7.) Profectò escarum & vestium indigentia, perituri corporis, & mortalis vitæ, operosum æquè ac ignominiosum vectigal est; cui indies pensitando, mortalis hominum caro obærata nascitur, limi sui censu. Ast cùm rationalis animus sit generosum illud vitæ spiraculum, quod Deus corpori afflauit, sincerum, immateriale, ingenuum, immortale, & æternitatis de duratione æmulum; hæc corporis iam iam cadentis fulcra, & catuis indies cadauerascentis velut antidotum quodammodò dedignatur. Quin licet homo hanc mortalem vitam in corpore transigat; immortalem illam, huic è vicino contiguam, & breui mortalitati æternitatem vicinantem, experientia noscit, fide videt; atque temporalium propè immemor, æternitatem respicit, & immortalitatis candidatus, terrena fastidit, æternatura hianter anhelat. (*Humana mortalitas immortalitati confinis est, ind. frugalitas suadetur.*) Alimenta, & quibus se tegat, poscit, qui cupit dissolui, & æternùm esse cum Christo; cui viuere detrimentum est, & mori lucrum. *Vir enim bonus paucis indiget, vt qui sit in confinio naturæ mortalis & immortalis.* Hunc mortalitatis alendæ operosum & probrosum censum, tam crebris pensionibus grauem, redimere non potest homo in mortali corpore adhuc viuens; sed adhuc dum sic viuit, velut vitæ exul, coloniam spe in cælos præmittens minus se exhibet humanis necessitatibus tributarium: & multarum rerum mortalem necessitatem dediscit, immortalitatis memor. *Vir enim bonus paucis indiget, vt qui sit in confinio naturæ mortalis & immortalis.* Mortalitas pluribus se instanter egere suadet: immortalitatis elogium est, has necessitates procul arcere, & paucioribus contentum viuere. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.* Vnde Tobias è nuper diuite, postea pauper, æger, calamitosus; diuite immortalitatis spe, & animi angores, & lapsantis iam corporis molestias frustratur: (Tobiæ 2. v. 18.) *Quoniam filij*, inquit, *Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Mortalitatis falsatas necessitudines, de confinio immortalitatis consultissimè eludit. *Scena vitæ* legitur in Clemente Alexandrino; qui hac perbreui sententia, sententiosè multa compendiauit. Hac scena per acta, iam nunc æterna beatitudine Tobias perfruitur. (Clem. Alex. in Adh ad Gent. Hîc vers. 1. & 2.)

3\. 2. Machabæor. 7. ecce septem fratres in ea ætate, cui alludens fortuna cuncta prospera sponderet; vltrò bonorum pro criptionem patiuntur, in tetro carcere squalent, inedia macilenti penuria mundi laborant, & horribilia, & inaudita tormenta ante oculos exposita, virili pectore despiciunt: *Et illa tanquam oblatam mortis occasionem, velut pignus immortalitatis inuadunt: quod corpore accipiunt, mente non sentiunt, &c. etsi* (Euseb hom. 4. de Epiph)

Consideratio immortalitatis, humanas molestias frustratur.

2. Machab. 7. v. 9.

circa superficiem solidi roboris temporaria mors desæuit, intra conscientiæ medullas vita se recepit. Ita eleganter & doctè exponit Eusebius sacri Scriptoris verba, ad thesim præsentem tempestiuè: *Tu quidem scelestissime* (animosa vnius è septem fratribus vox est) *in præsenti vita nos perdis: sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æterna vita resurrectione suscitabit.* Scilicet bonorum despoliationem, honorum depositionem, tormentorum susceptionem, & amaram dulcis vitæ iacturam, alacri spe, & masculâ fortitudine subeunt, dum oblatam mortis occasionem, velut pignus immortalitatis inuadunt: & rerum penuriam, & acerbas molestias, quas corpore accipiunt, mente non sentiunt: nam dum sæuit temporaria mors, *intra conscientiæ medullas vita se recipit*, omniaque generosè contemnunt, *vt qui sint in confinio naturæ mortalis & immortalis.* Quod de Socrate adsimilia in dissimili causa, intrepidè admodum tolerante, subtiliter Tertullianus adnotauit: *Socrates*, inquit, *ipsâ morte coram immortalitatem vindicat animæ, necessariâ præsumptione ad iniuriæ frustrationem.* Nimirum Socrates (Græcæ tunc virtutis norma) videt in carcere vxorem mox viduam, filios iam iam pupillos, philosophicam & domesticam familiam iniustè dehonestatam, & plura in paucis acerba, quæ quantumuis magnanimum virum concutere potuissent: hæc inquam, intrepidus videt, dum attentiùs se considerat *in confinio naturæ mortalis & immortalis.* Tot molestias catervatim irruentes æquanimiter tolerat, cùm eas mortalitatem exuens, & immortalitatem iam induens, felici immortalitatis propinquitate deludit. Vnde septem fratrum Machabæorum quisque feliciùs quàm Socrates, *Ipsâ morte coram immortalitatem vindicat animæ, necessariâ præsumptione ad iniuriæ frustrationem.* O vide in confinio immortalitatis, opulentum spei, frugalitatis, & patientiæ promptuarium, facile cuique parabile!

Tertull. de Anima cap. 1.

4. Lucæ 15. prodigus ille adolescens, & nequitiâ, & pœnitentiâ nobilis, postquam tot dominorum, quot voluptatum factus est possessio; sui, & paternæ domus exul, agresti hero ad vile porcorum seruitium mancipatur. Et misit illum in villam suam, vt pasceret porcos: & cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant; & nemo illi dabat: *in se autem reuersus, dixit:* Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. *Surgam, & ibo ad patrem meum*, &c. Benè in se reuersus dicitur, quia in se antè redit, vt rediret ad patrem, qui à se antè recesserat, factus rationis extorris, cùm recessit à patre. A se migrarat, & ab homine totus transierat velut in bestiale passionum mancipium, paternæ nobilitatis degener, & gratiæ genitoris oblitus. In natura mortali penè rerum omnium indiguus, penuriâ premitur; sed dum *in se reuersus*, immortalis patris memor, paternâ iam mercenariorum alimoniâ ad immortalitatem præmaturè reficitur, nullius penè rei indigere reputatur. *In se reuersus, dixit .... Surgam, ibo ad patrem meum.* Perbellè aliorsùm Chrysologus: *Totum in se habet homo, qui se habet.* O homo, si sapis, & te possidere didiceris, tu tibi totum eris, & tibi affatim sufficies, quâdam Dei æmulatione, ad cuius imaginem conditus es. Porrò *qui se habet*, & Deum ipse habet: sine Deo enim se nemo habere potest. *Qui se habet*, in seruitium gloriæ & opulentiæ non abiit, non est libidinis ternus, honoris mancipium, & propudiosa deliciarum possessio. *Qui se habet*, & sui arbiter est, rationis frenos tenens, mentis augurationi præsidens, & appetitionum corporis ad nutum moderator, paucissimis iam eget; quippe qui in confinio immortalitatis est, cuius præsumptione humanas necessitates strenuè frustratur, nullius propè indiguus, omnium copiosè satur, se contentus, & immortalitatis spebus abundè iam felix. *Totum in se habet homo, qui se habet.* Natura paruo contenta est, vitiis nil sufficit; qui sibi sufficit, immortalitatis candidatus, omnia habere incipit; quia dum se possidet, totum in se possidet, tantùm sui possessione prædiues.

Lucæ 15. v. 17. & 18.

Totum in se habet homo, qui se habet.

Chrysol. ser. 56.

Ad Philippenses 3. Paullus, qui penuria mundi vltrò gaudebat, qui mundialia bona quasi detrimentum, aut stercora reputabat; qui in mortibus frequenter, cupiebat dissolui, & esse cum Christo; ita de se scribit: *Nostra autem conuersatio in cælis est: vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum-Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Ecce tibi Paullum, Dominicum, Franciscum, Ignatium, & alios adsimili sanctitate magnos, quàm vili ducant terrena, in confinio beatæ immortalitatis versantes. Redeat iterum Philo suæ sententiæ vindex, & assertor, sic de viro eximiè perfecto fatus: *Olympiæ cælestisque animæ sunt hæc tam ingenita facinora, quæ regione terrestri iam relicta, ad diuinarum naturarum subducta est consuetudinem, repleta enim contemplatione verorum bonorum & incorruptibilium, meritò adulterina ista in diem durantia reiicit.* Scilicet cælestis olympiaque Paulli anima, ex *contemplatione* bonorum incorruptibilium, adulterina ista & fugitiua reiicit, & illorum penuriâ gaudet, quasi regione terrestri iam relicta, ad naturarum cælestium subducta sit consuetudinem. Vnde in terris degens, ac si coloniam in cælum præmiserit, ait: *Nostra conuersatio in cælis est.* 5.

Ad Philipp. 3. v. 20. & 21.

Olympia Paulli anima, velut subducta est ad cælestium naturarum consuetudinem.

Philo. in lib. Quod Deus sit immutabilis.

---

§. CCCCXLIV.

Senex est bis puer; exinde auctoritatis etiam senectus timenda est.

VIx est aliquid quod non *senectutis* vocabulo afficiant Scriptores ad rem omnem antiquam declarandam: sic senectus ædium, mundi, vestium, legum, arborum: & quod viro eruditissimo nouum visum fuit de fonte senectutem dixit Cyprianus: *Fons*, inquit, *qui exundantibus priùs venis largiter profluebat, senectute deficiens modico sudore distillat.* Ego quidem plus admiror Tertullianum, qui etiam *authoritatis senectutem* agnouit. Nimirùm auctoritas, quæ ætate crescit; vbi ad summum peruenit, decrescere incipit, & senectutem deficientiâ patitur: & per easdem caussas per quas fastigium tenet, per easdem ruinam agnoscit *auctoritati senectus* sua est. Non negauerim Plutarcho, quòd *in senibus concupiscentia fons paruus sit & imbecillis: viget autem magis ratio, affectibus vnà cum corpore tabescentibus.* At sæpè expeditus rationis vsus affectibus tabescentibus, & languentibus præ ætate sensibus, languescere 1.

Cerda in Apol. Tert. num. 124.

S. Cyprian. lib. contra Demetr.

Tertul. Apol. cap. 4.

Auctoritatis senectus etiam est.

Plut. de lib. educ.

languescere & tabescere solet. Profectò cùm in rebus mundialibus nihil habeat quod speret, quem senectus ducit ad mortem; sibi, & æternitati opportuniùs viuat; quandoquidem quicquid debeat nolle, incipit non posse. De senibus enim dixit Chrysologus, quod est eorum *natura in viuo cadauere persepulta.* A negotiorum tumultu cesset, in placida quiete sibi viuat, ne patiatur vt vitæ, sic & *auctoritatis senectutem.*

S. Chrysol. ser. 69. Hic v. 2. 3.

2. Lucæ 12. lumbos habere præcinctos Christus admonet, ne laciniosis vestibus, & longo firmare terram ambitiosè verrentibus, pedes ad virtutem implicentur? illum in manibus gestare iubet eis, qui gressus fidei promouere cupiunt: in tenebris resident, si promouere cessant. Et vos, inquit, similes hominibus expectantibus Dominum suum. Paratos nos inueniat extrema necessitas, quæ sæpè præuenit imparatos. Certam nobis imponat sollicitudinem incerta conditio: quotidianus sit illius periculi metus, cuius nescitur incursus. *Et si venerit in secundâ vigiliâ, & si in tertiâ vigiliâ venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi.* Nemo commentatorũ non notat, & quare cùm quatuor sint noctis vigiliæ, in secundâ & tertiâ vigiles exsomni curâ inueniri admoneat; in primâ autem & quartâ, per quas pueritia & senectus designantur, id tacitus negligat? Iuuentus, & virilis ætas vigilare debet; puerilitas & senectus sic omittuntur? Drogo Hostiensis hâc de re ita scribit: *Venis in secundâ & tertia vigilia, sed beatus ille seruus, quem tunc inueneris vigilantem. Iam prima & quarta vigilia nulla mentio fit: quia nec primæua ætas sensum recipit vigilandi, nec vltima spem prolixius dormiendi.* Bene quidem, & optimè. Vereor autem vt vltima ætas de maligno plerumque somno, rationis vertigines patiatur; & acerbam inconditamque puerorum mentem, fugiens iam senectute maturitas, de acore æmuletur: indeque prima & vltima ætas æquiparentur. Audiendus est Clemens Alexandrinus, inoculatior ætatum obseruator: *Præterea cùm scripsisset Theopompus: Bis pueri senes. Sophocles: Rursus puer namque est quisquis consenuit. Et Plato: Senex ergo, vt dicitur, Bis fuerit puer.* Ecce tibi cur in secundâ & tertiâ vigilia, exsomnis mandetur sollicitudo iuuenibus virisque; at in prima & quarta vigilia, puerilis ætas, & annosa senectus adæquè negligitur: nam si puerilitas peritiam vigilandi non recipit, ob mentis hebetudinem; senectus ob affectuum, sensuumque languorẽ, mente languet, obscurata pueriliter sæpe ratione: *Senex ergo, vt dicitur, Bis fuerit puer.* Ergo & *auctoritatis senectus* est, & crescendo decrescit, & de summo fastigio ruinam patitur; ætas enim per annorum circulos incessanter gyrans, quò exiuit, reuertitur, & vnde profecta est, tandem redit. Quis ad Reipublicæ munia puerilem ætatẽ censuit idoneam? Rudis adhuc est puerorum mens, cruda ratio, ineruditum consilium, audax deliberatio, immatura discretio; puerilis ætas voluptatulis capitur, blanditiis deridetur, friuolis delinitur, cõmoditatulis indulget. Hæc semel puer. Eadem, *bis puer.* An qui propter propè decrepitam senectutem est *bis puer*, minus puer est? Senex qui pueros iuuenesve à Reipublicæ gubernando arcet, se dissimulanter arcet, & arcere se nescit: *Rursus puer namque est quisquis consenuit.* Ipsi se suo damnant suffragio.

Lucæ 12. vers. 28.

Drogo de Sacr. Dom. Passionis.

Senex est rursum puer, nec inde minus puer.

Clem. Alex. lib. 6. Stro. cap. 1.

3. 1. Regum 3. traditur bonus propria virtute vir, non bonus senio Præsul, Heli inquam. *Factum est ergò in die quadam Heli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre,* &c. Male Superior præ senectute lippus præsidet; qui deuotissimam Annam Samuelis matrem, orationis feruore æstuantem putauit tumulentã; & scelestissimos filios, libidinis, rapacitatis, & sacrigelij reos, ac si leuiter deliquissent, obiter reprehendit; dignus exindè qui acerbiùs puniretur. Et qualiter rem sacram perageret, qui rem politicam sic præ senio tractabat? *Hæc est* (inquit Philo) *lex Leuitarum. A viginti quinque annis ingreditur, vt ministret in tabernaculo testimonij: & à quinquagesimo anno ministrare cessabit, succedente fratre in ministerium. Ipse autem custodiet custodias, opera verò non operabitur.* Adsimiliter Senatoribus à quinquagesimo anno Senatui deesse licebat, à sexagesimo nec licebat adesse: prohibetur enim ætas è peruerso repuerascens: nam *quisquis consenuit, est rursùs puer.* & inde Reipublicæ parùm sæpè idoneus. Nominandus est serpens (inquit Tertullianus.) nam & quod fortitus est, conuenit corium & æuum. Siquidem *vt senium persensit*, in angusta se stipat, pariterque specum ingrediens, & cute egrediens, ab ipso statim limine erasus, exuuiis ibidem relictis nouum se explicat: *cum squammis & anni recurantur.* Male opinor, anni curantur: annorum quippe morbus sensim contractus, incurabilis est. Inde legunt aliqui, *Recursantur*, sicut homo senex fit rursùm puer, sic & serpens præ senectute (vt sic loquar) repuerascit, dum eius anni *recursantur.* Meliùs alij exscribunt, *Anni recursantur.* Scilicet *serpens*, etsi prudentiæ symbolum sit, *vt senium persensit*, ingenioso artificio, illud *curare* frustrà satagit: nam in prudentissimo etiam serpente, qui *senium persensit, anni recursantur,* quod verbum forense est, tribunalia spectans. Itaque inter reliquos recusandi iudicis titulos, quos iurisprudentia præscribit, addatur etiam annositas rursus puerilis: nam *quisquis consenuit, est rursus puer.* Exinde in prudentissimo etiam serpente, qui *senium persensit, anni recusantur.* datur enim etiam *auctoritatis senectus.* Sententiosè Chrysologus: *Sic describitur sacramentum senectutis.*

1. Reg. 3. v. 2

In prudentissima etiam serpente, qui senium persensit, anni recurantur.

Philo. in lib. Quod detur pudor, &c.

Tertull. lib. de Pall. cap. 3.

Apud Cerda ibi. num. 86.

Chrysol. ser. 91.

4. Sermo hîc non est de his, qui adhuc in longæua ætate, integra prudentia vigent; atque de pueritiæ & experientiæ excellentia ætatis defectus, aut consequentias ætatis abscondunt, aut aliunde supplent. Neque etiam loquimur de quibus dixit Seneca: *Nihil turpius est, quàm grandis natu senex, qui nullum aliud habet argumentum, quo se probet diu vixisse, præter ætatem.* Senecæ accinit Philo Hebræus, sic aiens: *Siquidem qui multum ætatis in corpore vixerunt sine probitate, longæui pueri dicendi sunt; quia nunquam disciplinas attigerunt dignas canitie.* At verò senes, qui Tobiam maturitate æmulati, de elapsis retrò annis peritiam recens adornant, quia ætati non impárem virtutem congregarunt, magno in honore habendi sunt, quasi senectus sit virtutum census. Idem Hebræus Philo nuper laudatus, exponens celebrem illam Abrahami visionem, qua numerosa feliciter soboles, & Ægyptiaca perdiu seruitus, illi præmonstratur: *Cùm ergò*, inquit, *occubuisset Sol, &c. apparuit lampas ignis transiens*, intermedia omittens verba, sic fatur: *Post occasum autem Solis emicuit flamma, quibus verbis significatur, virtutem esse rem serotinam, atque etiam vt quidam aiunt, sub vita finem constabiliri.* Nimirùm Infantia, & muta & bruta est, atque vagitibus

Senex non est, qui diu, sed qui benè vixit.

Senec. lib. 1. de Tranq. vitæ, cap. 3.

Philo. lib. de Abrah.

5. *Res est serotina virtus & senectutis stipendium.*

Genes. 15. v. 17.

Philo in lib. Quis rerum diuin. her.

tibus querula: Pueritia iocis occupatissima est, lusibus exultim iocatur, & rebus ludicris sollertiùs impenditur: Iuuentus libidinibus æstuans, census luxuriæ est, & inconsultæ audacter temeritatis officina. At Senectus, vbi deseuit virilitatis feruor, & reliquatum ætatum vitia despumauit; mitiori iam facto appetitionum fomite, & inconsultum passionum vulgus tumultuare desiuit; longæuitatis maturitate languet ad vitia, vernat ad prudentiam, & experientiæ stipendiis virtutem adornat; atque excussâ concupiscentiarum obscurâ nebulâ, sanctitatis fulgor micantiùs irradiat. *Post occasum autem Solis emicuit flamma. quibus verbis significatur, virtutem esse rem serotinam.* Precoces in ætate immaturâ fructus, immaturi, crudi, & acerbi sæpè sunt. *res est serotina virtus* (addit Philo) *atque etiam vt quidam aiunt, sub vitæ finem constabiliri.* Quasi dum vita præ senectute prope desinit, tunc robustior incipiat virtus. Exinde Iobo dixit Deus: *Vbi eras cùm me laudarent simul astra matutina?* Astra inquam, quando exoriente aurora iam albicant, occidunt, & propè deficiunt; tunc, tunc quidem Dei gloriam cumulantiùs deprædicant. De quo alibi forsan.

Astra occasui proxima, cumulatiùs prædicant Dei gloriam.

Iob 38. v. 7.

§. CCCCXLV.

Voluptas ipsa homines decipere adsueta à Salomone decipitur, & à Paullo cruciatur.

1\. NVnquam ego vniuersatim ab illo exigam, ne ex toto mœreat. Qui hoc præcipit, puræ magis quàm fortis prudentiæ vir est, & qui nunquam videtur in casum aliquem peracerbum incidisse. Alioqui excussisset illi fortuna superbam sapientiam, & ad confessionem viri etiam inuitum impulisset. Et quidèm cùm generaliter homo hominem dediscere non possit; ne aliqua voluptate, aut diuitiarum appetitu, aut gloriæ concupiscentia tantisper tangatur, præcipi omnibus non potest. Sat erit exigere, vt se confestim sistat, cùm ad impremissa blandè abduci persensit. Quisquis homo est, nihil à se humanum alienum putabit. Hominis est huiusmodi blandimento allici; Christiani, non abduci; Perfecti, istiusmodi voluptatis illicio ingratè molestari. Quid tam arduum & insolens, quàm hominem delectabilis torqueri, diuitias nauseare, gloriam contemnere, & adridente fortuna molestè exasperari? Hos cæli mores perfectior Christi disciplina excudit. Ne autem sanctitatis meta, turpis hominum videatur virtutis hyperbole, bina è Bibliis subscribâ exempla, quibus thema præsens non obscurè claratur: vbi euincam, viros aliquot virtute præstantes, vel ipsi voluptati molestos & pergraues fuisse.

Impossibile vulgo est, non tangi, aut infortunij mæstitiâ, aut prosperitatis lætitiâ.

2\. Gentium doctor, Christi Dei stigmatibus insculptus, & Christianę perfectioni impressus, postquam multa ad Galatas scripserat, de legalium ceremoniarum abolitione, de legibus à Christo promulgatis, & de perfectionis Christianæ exactiori disciplina; vt de terricolis cælicolas faciat, hoc subdit: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Cristi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Quasi dicat: Suspirent alij rem seculi cum sua dote, superbas, inquam, opes, præcellam gloriam, & blandas

Ad Gala. 6. v. 14.

Veneris voluptates, qui habetur sapidissimus mūdi fructus, quem humanæ concupiscentiæ vota spondent. Mihi autem Christi crux gloriosior voluptas est. Hanc vim habet illa sententia, quæ doctrinæ clausulam ponit: *Ego* (*crucifixus*) *sum mundo.* Sed vellem, si fieri potuisset, rimari medullitùs priora illa verba, quæ profundam emphasim habent, nempe: *Mihi mundus crucifixus est.* Tempestiuè addubitat Dorotheus: *Quo pacto mundus crucifigitur homini?* Benè est, Paullum cruci Christi confixum, & eius sculptum stigmatibus, mundo etiam crucifixum fuisse: nam honor, opulentia, voluptas, gloriæ, & si quæ aliæ sunt mundi fruges, Paulli animum acerbè excruciabant, qui Christi crux, vnica erat gloria & voluptas. At *quo pacto mundus crucifigitur homini*? S. Augustinus hanc *mundi*, id est, rerum mundialium (vt puta laudem, gloriam & voluptabilia omnia) in Paullo velut in cruce fixionem, his verbis exponit: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Quia nec Paullus mundi gloriam quærebat, nec à mundi gloria ipse quærebatur; ideò & se mundo, & mundum sibi crucifixum gloriatur.* Scilicet mundus, hoc est, mundi gloria & voluptas, ambitiosè *quæri* adsueta (Heu quot sui riuales mundus habet!) dum non *quæritur* à Paullo, in Paullo velut in cruce agi, & excruciari putat. Subtiliter quidem sed opinor; quòd verbum *crucifigere* plus significat, quàm *non quæri*: importat enim grauem molestiam, & acerbum cruciamentum, quo torquetur, qui cruci affigitur. Ait ergo Paullus, humanæ voluptatis, & mundialis gloriæ contemptor egregius: *Mihi mundus crucifixus est.* id est, mundi honor, gloria, & voluptas, (quæ tanti vniuersatim ab omnibus æstimari solitant) dum me ad eorum æstimationem & concupiscentiam non mouent, sed ad contemptum; dum ea vilipendo, sub pedibus habeo, & velut squalidum lutum proculco & contemptim pessundo; sic mundi voluptatem & gloriam meo contemptu, & fastidiosa repulsa torqueo, vt me tanquam eorum crucem, & indecorum patibulum reputent. *Mihi mundus crucifixus est*, id est, mundi gloria & voluptas à me animitùs proculcata, contemptu torquetur, repulsa velut in crucem agitur. Nempè in me, & à me mundi honor dehonestatur, mundi gloria vilescit, mundi laus vituperatur, mundi voluptas exasperat & excruciat: vnde mundi voluptabila omnia me quasi suam crucem reputant: & si quando hæc ad me inuitum veniunt, mihi velut cruci suæ affiguntur, dehonestantur, & excruciantur: *Mihi mundus crucifixus est.* In me excruciatur mundi voluptas, & eius honor contumeliosè patibulatur.

Mundi gloria & voluptas, in Paullo, velut in cruce, figitur, & excruciatur

dic. Ser. 1.

Paullus est mundialis gloriæ & voluptatis patibulum.

Augustin. apud G ... fam ...

Ecclesiastæ 2. Salomon luxuriandi satur, & delinquendo defessus, meliora sapit, & pœnitentiæ bono pristina mala abolere satagit. Ergo voluptabilium tædio lasciuitatum persequitur varitatem, iis enumeratis, quæ ad luxum, effusamque spectanț voluptatem; deplorat ea eripuisse tempus sapientiæ, & falsata gaudij spe voluptates spirasse, sub quibus postmodum grauatè suspirabat. Dixi ego in corde meo: Vadam, (ait Salomon) & affluam deliciis, & fruar bonis: & vidi, quod hoc quoque esset vanitas. *Risum reputaui errorem: & gaudio dixi: Quid frustrà deciperis?* Locus valdè difficilis, & in quo exponendo diu multumque laborant interpretes. Non admiror, quòd Salomon deliciis ad ipatus, eas tandem fastidiat; & vel de diuturna fruitione quædam nau ea inaccrescat vel de mentita voluptate, quam concupiscentia possessioni 3.

Eccle. 2. v. 8.

possessioni largè spondebat, tędio afficiatur. Quod in priori sententiæ hemistichio edisserit, aiens: *Risum*, id est, lætitiam externam, aut internam, *reputauit errorem*, hoc est, spei aut desiderio gratam pollicebatur voluptatem, sed votum possessioni mentitur. Nempe erat voluptatis possessio, quæ spei blandimento credit: promittit voluptatis delicias, & tædium possessione donat. quod apprimè Salomon his verbis expressit. *Risum reputaui errorem.* Sed quid est, quòd diu expertus, risum esse errorem, & promissis à spebus voluptate possessionem fraudare, confestim addit: *Et gaudio dixi: Quid frustrà deciperis?* Voluptas enim non decipitur, sed decipit, dum deliciarum lenocinio imposturam facit, propositæ lætitiæ grato blandimento. Quo modo vel sapientissimus Salomon, de scholà etiam experientiæ & pœnitentiæ eruditus, voluptatem decipiat, toties ipse voluptatis sagacitate deceptus? Quid est gaudium, aut voluptatem ipsam *decipere?* Græci codices, & antiqua translatio pro illis verbis: *Et gaudio dixi: Quid frustrà deciperis?* habent: *Quid hoc facis?* id est, quare? ad quid, & vt Olympiodorus exponit: *Quid me allicis, vt huiusmodi rebus gaudeam?* Sed adhuc vacat verbi *decipere* energia, quod passiuè acceptum, significat voluptatem ipsam è Salomone pœnitente decipi. Vnde Gregorius Nyssenus ita locum ad rem præsentem commentatur: *Et gaudio dixi: Cur hoc facis? Quod perinde est, ac si dicas: Voluptati restiti, suspectam habens eius appropinquationem: velut si fur clanculum ingrederetur animæ penetralia, aut fera rationi insidians.* Quod optimè vulgata expressit editio (*Quid frustra deciperis?*) qui enim fine frustratur quem intendit, frustrà operatur, & contumeliosè decipitur, & magno sui dedecore, spectatorum cachinnis subsannatur. At itaque Salomon alloquens voluptatem, quam per prosopopœiam inducit: Fateor, hucusque tuis fallatis blanditiis me decepisti; sed meliora nunc sapiens, quem spondes lætum risum, mœstum errorem reputo. Quid ergo vltra me allicis, voluptabilia spondens, cum allicientiæ fructu careas, dum te appropinquantem quasi mendaciter seductricem refutem, & indecorè abiiciam, & contumeliosè proculcem, qu.d te *decipi*, & despici tentas? Non vltrà lasciuientem decipies, sed à pœnitente decipieris: nam blandam tuam suadelam, duram execrationem reputo, & astutas rationi insidias, & falsitatem cælestis gazæ furacissimam. Heu diu decepisti! quid exambis diu *decipi*, despici, & probrosè tractari; Hucusque sapientiæ & purpuræ splendore voluptatem honoraui, exinceps eius errores benè sciens, & malè expertus; eam quasi deceptricem abiiciam, & execrabor. Quid adhuc præsumis? Non me vltra decipies, sed *decipieris*: eróque exinceps illustre voluptatis probrum, & gloriosum deliciorum dehonestamentum. *Stulta voluptas* est, inquit Nazianzenus) siquidem *frustrà decipi*, stolidè negotiatur. Sic à Tobiâ hic decepta est.

Voluptas, quæ decipere solet à Salom. ne decipitur, & quomodo.

Græci Codices.

Olymp. ibi.

Nyssenus apud Lorinum. ibi.

Stulta est voluptas. Naz. Or. 2. de Theol.

Hic v. 4.

4. Fallax voluptas, & ad circumscribendum alios ingeniosa, *stulta* sæpè est, & sagacissimè ipsa circũscribi & decipi potest. *Et gaudio dixi: Quid frustrà deciperis?* Tertullianus in lib. de Exhort. cast. scribens ad amicum, qui post vxorem in pace præmissam, de exitu singularitatis per connubium iterarò ineundum, sollertiùs cogitabat, quò permissæ nuptiarum iure voluptati conniueret; ita fatur: Tamen quoniam carnis necessitas cogitatum mouet quærere tanquam aduocatum aduersus carnis necessitatem. *Quæ quidem*, inquit, *necessitas circumscribi potest, si voluntas potiùs Dei, quàm indulgentia consideretur.* Nempe carnis voluptas, *necessitatis* obtentu homines blandiendo *circumscribit* & decipit. At quantumuis libido *necessitatem* allegauerit in rationis consilio, *circumscribetur* & decipietur ipsâ veritate: non enim vlla carnis *necessitas* nuptiis indulget; sed diuinæ voluntatis *indulgentia* ad cognatæ libidinis veniam. O *circumscribamus* voluptatem, quæ nos sæpè perniciosè *circumscripsit.* Impresèè cogita, non *necessitatis*, sed voluptatis titulum allegari.

Eccl. 2. v. 2. Tertul. Exhort. cast. cap. 1. *Voluptatis necessitas circumscribenda & decipienda est.*

§. CCCCXLVI.

Hominem, dum detestantur delicta, delictorum illecebra persæpè inquietat.

Decantatissimum est illud nostræ de nobis ignorantiæ elogiũ: *Nosce te ipsum.* Quid est homo? quodlibet quassatum vas, & quodlibet fragile iactatu, non tempestate vt dissiperis opus est: imbecillimum corpus & fragile, nudum, suapte natura inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam proiectum: ex infirmis fluidisquè contextum, ipso rursùs situ & otio iturum in tabem: & *semper alimenta metuens: quorum modò inopia laborat, modò copia rumpitur: anxia sollicitaque tutela precarij spiritus, & malè inhærentis.* Nec putes immortalis animæ robustiorem esse ethicè sanitatem, quæ variis casibus infestatur, à quibus nulla longa pax, vix induciæ sunt. Adeò est tenera morum valetudo, tam sumus ad lapsum procliues, lubricæ naturæ imbecillitate, vt nisi homo precariæ tutelæ opem à cælo exposcat, in terra passim impingat. Non curabo hic animi morbos, quos rationis ethicæ aphorismis in toto hoc Opere curare intendo, sed humanæ naturæ imbecillitatem ad rem virtutis, & pronam ad vitia procliuitatem pandimus, quò morbi magnitudo, remedij necessitatem publicet. Sed heu sæpè medicamentis magis ægrotamus, & remediis ipsis plus languescimus! ò quoties delicti detestatio, increpatio culpæ, commissi sceleris castigatio; ad flagitij non committendi cautelam, præpropera tempestiuè suasio; & lex ipsa seueriùs crimina præcauens, & criminum terrorem iniiciens, ex infirmitate nostra, male ad vitium robusta; sunt nobis velut suadela malitiæ, & quasi peruersa culparum officina! *Nouum monstri siquidem genus est, eadem penè homines iugiter faciunt, quæ fecisse se plangunt. Aliud quippe ora hominum, aliud corda agunt: & dum verbis præterita mala plangunt, sensu futura meditantur*, dixit tempestiuè Saluianus, Bona est lex, increpatio, & suasio; sed dum & cupitis absterrent, intentatis minis, sæpe non sic praua ingenia terror auertit, quàm voluptatis cupido allicit, & sub dolosis terrarum cineribus latens voluptatis illecebra micanter scintillat, & inuitat ad culpam: ô! nulla vitiorum, etiam quæ detestamur, notitia, prorsùs tuta est, quin haberi debeat occulti lenocinij suspecta: ô quam cautè res vitij tractanda est, ne eum absterreat, pelliciat, & cum medicina, serpentem morbi pestilitatem combibat, malitiæ contagio fœcunda! Parùm foret si senior Tobias probissimo præciperet filio, ne

5. Senec. lib. de Consol. ad Marc. c. 11.

Quàm sit homo ad vitia proclinis.

Saluia. l. 3. de Gubern.

Tob. 4. v. 3.

ne aliquando scelestè peccaret; *Nunquam crimen scire*, moralissimè suadet, ad nostram eruditionem. Proh? vel notitia *criminis*, suspecta lenocinij est? Quod forsan Niniue residuâ pœnitentiâ incolumis, iam seriò euertenda, experta est.

Hic vers. 5.

2.

Petrus toties lapsus est, quoties ne laberetur admonitus.

Matthæi 26. Christus Deus cum imbecillo & inermi Discipulorum agmine, ad locum certaminis alacer pergit. Et prænidens fugitiuam Discipulorum fidem, sic eos alloquitur: Omnes vos scandalum patiemini in me, in istâ nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Respondens autem Petrus, ait illi. Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. *Ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam Gallus cantet, ter me negabis.* Cautior hâc admonitione Petrus, sic animosè respondet: Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes Discipuli dixerunt. Bene est, admonitio dum cautelam ingerit, fidei propositum exacuit. Sed eleganter expendit S. Maximus quem fructum habuerit eiusmodi admonitio aiens: *Denique fidem Petrus nec admonitus potuit custodire: toties lapsus est, quoties ne laberetur admonitus. Et nisi modum quendam tertiò denegandi ei Dominus statuisset, forsan sæpiùs interrogatus, sæpius abnegasset.* Ecce tibi Petrum, qui in lugendo peccato illo fuit pœnitentium decus, in delinquendo fuit peccatorum typus: qui etsi à Christo Deo beneuolè fuerat admonitus, quò cautiùs ageret; tamen tentationis fluctibus eò naufragus abreptus est, vt toties impegerit, quoties ne impingeret fuerat præmonitus. Amicam admonitionem beneuolè excepit, & alacri animo fidem arroganter spopondit: sed ac si audaci superbiloquentiâ propositi euaporaret feruorem, & admonitionis ingesto robore elumbaretur, & de cautelâ incautior euaderet, *Toties lapsus est, quoties ne laberetur admonitus. Et nisi modum quendam tertiò denegandi ei Dominus statuisset, forsan sæpiùs interrogatus, sæpius abnegasset.* O apprimè descriptum peccatorum ingenium! Hæc humanæ imbecillitatis vmbra, peccati incitamenta claret, quò mortalibus ad cautelam innotescat, quàm viuidè alliciat vel vitij, quod detestamur, notitia. Non quia pœnitentia, aut lex, aut suasio mala sint, sed quia nos boni non sumus, & de medicinâ venenum conflamur. Nec sæpe tam detestamur culpam, à qua suasione auertimur, lege terremur, pœnitẽtia damnamur; quàm vitij detestati voluptate allicimur; cæci ad terrorem, ad voluptatem oculati. O ad peccata, quæ luges, à quibus lege, aut suasione, aut correptione auerteris, leniter animum intende; ne plus alliciaris à vitio, quàm à terrore auertaris.

Matth. 26. vers. 34.

S. Maxim. homil. 2. de latrone & Petro, &c.

3.

Gentium doctor ad Romanos 7. multa de lege cum Hebræis disputat, & sic inter disputandum fatur: *Quid ergo dicemus? lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoui, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione autem acceptâ, peccatum per mandatum operatum est in omnem concupiscentiam.* Multi sunt commentatores, vt hanc Paulli de Lege sententiam exponãt, quæ seueriori examine enucleanda forent; nunc ad rem quam versamus doctè & acutè, sic præfata Paulli verba Theodulus Cœlesyriensis interpretatur: *Quid ergo dicemus? &c. Lexne peccatrix est, aut peccati suppeditatrix? Id verò, inquit, non adsero: verùm ipsam præbere mihi peccati cognitionem.* (Diligentiùs obserua quæ addit) *Quare cruciari me grauiùs etiam oportebit, si per cognitionem delinquam. Pariter autem commonstrat, legem esse peccati constitutricem, non modo præter propriam naturam: verum etiam præter suam malitiam.* Animosè quidem Theodulus inquit, tantam esse hominis imbecillitatem aut malitiam, vt *per legis cognitionem delinquat?* Scilicet lex bonum suadet, & virtutis amore vitia cohibet, & transgressoribus vltrices proponit minas, quò magis arceat delicta. Verùm cùm fugiendum scelus memoriæ suggerat, & illud vetans, illius ingerat recordationem, moralissimè ait Theodulus quosdam aut imbecillitate, aut malitiâ insignes *per legis cognitionem delinquere*, quasi lex sit *peccati constitutrix præter propriam naturam, præter suam malitiam.* Non enim est propria natura legis, sed humani vitij natura, quod cùm dictat lex: *Ne concupiscas: qui secus faxit, pœnam sceleris acerbiùs luet*, homo ad vitia lubricus, grauioris supplicij oblitus; male dulci concupiscentiæ sapore, ad libidinem pelliciatur: inde hauriens voluptatis venenum, vnde antidotus propinatur. Sic delictum etiam dum acerbè remouetur, blandè pertrahit? de lege malitiam eliminante, bonitati insidiatur? *Per legis cognitionem* audebit homo *delinquere*? Vel lex scelerũ destructrix, scelerum *constitutrix*, non data, sed accepta occasione quodammodò efficitur? ô caute vide peccata, ad quæ impensiùs alliceris, etiam cùm illorum minas per legem intentatas cognoscis; etiam cùm illorum detestandorum suadelam excipis; etiam cùm amaris pœnitentiæ lacrymis, illorum dulcedinem extergis, Vitiorum illecebra, facilè concupiscentiam inquietat.

Ad Roman. 7. v. 7. & 8.

Per legis cognitionem homo delinquit.

Theodulus Cælesyr. ad eum locum Paulli.

Addam luculenta Hildeberti verba, quæ ex S. Ambrosio mutuauit: *Faciliùs*, inquit, *inueni, qui innocentiam seruauerint, quàm qui veram egerint pœnitentiam. Hinc professis periculosa est præteritorum recordatio voluptatum, eas enim maximè caro suspirat.* Plura qui volet hac super re, adeat §. 382. num. 1. & 289. num. 1. & 2. & 3. 4.

Hildebert. epist. 41.

3. Regum 17. defuncto filio illius mulieris apud quam vtcumque hospitabatur Elias, ipsa funesto casu mœstissima, specie querimoniæ votiuas preces dissimulat, aiens ad Prophetam: *Quid mihi & tibi vir Dei ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ:* Quæ verba sic ad rem allegoricè exponit Philo: Omnis, inquit, anima vitiis viduanda sic Prophetam alloquitur: Homo Dei, venisti in ædes meas, vt me iniquitatis & peccati mei commonefaceres. *Hic enim numine correptus & occupatus cælesti cupidine, diuinique furroris impotenti œstro perciens, quoties subintrat animam, memoriam iniquitatum peccatorumque veterum ei suggeris, non vt ad ea redeat sed vt gemens deflensque mutationem suam pristinam, eius partus auersetur præ tædio.* Ecce tibi quis animus tutò possit lenocinantem peccatorum gratiam, memoriæ ad lacrymas pœnitentiæ suggere: non vt sedeant delicta, sed præ tædio auersetur? Nempe animus *numine correptus, & occupatus cælesti cupidine*: quò cælestium *cupido*, antequam peccandi cupidinem memoriæ ingestam, quantocyùs anteuertat, sicque mentem *occupet*, vt appetitus ad terrenas iam voluptates stupidus fit, *occupatas cælesti cupidine*. Vsque adeò amore cælestium animus debet flagare, vt cælum fragans, libidinis cœnum, quod memoria, etsi ad pietatem, animitùs volutat, voluptatum fœtorem non sentiat. Capiatur sic Magdelena cælestium quasi *cupidine*, ne

3 Reg. 17. vers. 18.

Philo lib. *Quod Deus sit immut.*

Qui cælesti cupidine occupantur.

ne carnalis cupido etiam dum repudiatur, alliciat; dum excutitur, hæreat; & dum refigitur, altiùs infigatur. Inde viri spirituales magnam cautelam pœnitentiæ de lasciuiæ peccatis consiliosi præscribunt, ne libidinis malitia molita pœnitendâ rescissione præscribat, de memoriæ obiecto cupidinis lenocinio. Itaque pœnitentiæ negotium cautè etiam tractandum est: nam hominem, dum detestatur delicta, delictorum illecebra persæpè inquietat: & de propriæ malitiæ genio, à remedio languet.

---

§. CCCCXLVII.

Publicum & infame supplicium, peccata insanabilia inuenit, aut facit.

1. Sit Gubernator silentij tenax in prodendis subditorum culpis.

VErum semper erit illud Curtij: *Res magna sustineri non possunt ab eo, cui tacere graue est.* Prudenter sequamur monentem, magis etiam sequatur Princeps ne aulica garrulitas secreta sua prodat, magno gubernationis dispendio. Aliquid Princeps habeat, quod eius familiares ignorent, cùm secretum res postulat, maximè quod reipublicæ valdè interest, aut necessarium est ad famam occultè delinquentis. Firmum sit & altum Rectoris pectus, silentiique salubritate munitum, & vallatum vndique, ne aut ardore vindictæ, aut iustitiæ studio, aut punitionis desiderio propudiosum reatum publicet inconsultâ austeritate. Remedium occultè apponat, quò nec cicatricem relinquat. Heu sæpè plus remediis, quàm morbis laboramus! Sanabilia ingenia à deploratis secernat; nec tam persequatur hominem, quàm hominis culpam. Culpam sanabit, qui illibatum delinquentis honorem silentio seruabit. Nam reus, qui recuperandi honoris vltimam spem excussit, ius peccandi, aut delinquendi priuilegium simul accepisse videtur; & inde impudentiùs audet, ingenti & sui, & reipublicæ malo. Bonus Raguel, qui sic nutat, & angitur, ne Saræ suæ inculpabilem defectum prodat. Bonus medicus Raphaël,

Hic vers. 6. qui Saræ contumeliam excusat, & à reatu liberam ostendens, diffamiæ mederetur. Grande hîc Niniuitis supplicium, & quod prius vrbem maximam infamiâ subuertit.

2. Geneseos 18. peregrinos Angelos versus Sodomam Abrahamus vrbanè deducit, cui ille qui Domini præferebat speciem, dixit: Num celare potero Abraham quæ gesturus sum? cùm futurus sit in gentem magnam, & robustissimam? (alibi examinabimus, an hæc ratio ad referanda secreta mentis, idonea censeri debeat.) Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum nimis. Descendam, &c. Nec supplicibus pietatis argutiis detinere illum Abrahamus eualuit,

Genes 19. v.23. & 24. quò minùs desisteret à turpium Sodomorum incendio, quod turpitudinis reatus dignè promeruit. Sed tandem in Abrahami gratiam, Lot morosè cunctabundus à Sodomis educitur. *Sol egressus est super terram, & Lot ingressus est Segor. Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cælo: & subuertit ciuitates has.* Stupendum planè supplicium, quo & deliciosa corpora in fauillas abierunt, & flagitiorum nefandum scelus publicatur, perenni

P. Didac. de Celada in Tobiam.

infamiæ calumnia. Sed curiosiùs peruestigant interpretes, quare Angelus, qui eiusmodi peracerbo præerat supplicio, splendidum Solis ortum præstoletur, vt acres & propudiosos flammarum imbres, seueriùs iaculetur, quibus Sodomitarum corpora vstulentur, & animæ acribus gehennæ ignibus deflagrent: & cùm scelerati pereant, eorum dumtaxat infamia ad æternaturam sceleris memoriam in æuum perennet. Philo Iudæus hanc quæstionem subtiliter perstringit, & sic quæsito respondet: *In quarta porrò significatione Sol dicitur ipse Deus omnipotens, qui peccata insanabilia quamuis latere videantur, reuelat.* Nimirùm tunc Deus non in noctium caligine, nec in tenebrarum latibulo corripit; sed acerbiori supplicio in clara diei luce propudiosa delinquentium flagitia reuelat, cùm *peccata insanabilia* censentur. Porrò indecori sceleris reuelatio, insanabile ingenium inuenit, aut facit. *Sol egressus est super terram, igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem. Sol dicitur Deus omnipotens, qui peccata insanabilia reuelat.* Tunc, tunc quidem Deus consultissimè appellatur in castigando *omnipotens*, (quò eius validior & omnipotentior seueritas innuitur) quando Sole exorto, in perspicua luce infame scelus punit, & punitione seuerissima euulgat. *Peccata insanabilia*, de quibus iam desperari potest correctio, sic tractat Deus, quasi sceleris publicatio, propè sit emendationis desperatio. Quod ingenium sanabile putatur, clandestina correptione curari debet, & secretæ admonitionis, & comminationis cauterio serpens malitia sistenda est, & pestilens ægritudo curanda. Quod si hæc iterata remedia, & diu recentata non sufficiunt, & malum deploratum iam putas, tunc exorto Sole, *peccata insanabilia* ad publicam pœnam reuelantur. Quousque de correptione desperes, turpis reatus publicanda infamia non est. Hactenus improbus, sed de flagitij latebris sæpe remediabilis. Omnipotens Deus exorto Sole *peccata insanabilia* reuelat, non citat, sed seuerius punit, quod publicitùs sic castigat: nam immedicabile iam scelus publico supplicio prodit, medicabili autem delicto clanculùm medicinam apponit.

Peccatum insanabile Sole iam exorto punit Deus.

Philo lib. de Somnis.

Matthæi 26. Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit: & dedit illis, dicens: *Bibite ex hoc omnes.* Igitur Dominus Iesus fuit conuiua, & conuiuium: ipse comedens, & qui comeditur. Ne autem hoc audientes turbarentur, primùm ipse sanguinem suum bibit, inducens eos sine turbatione, in Communionē mysteriorum, vt notauit Chrysostomus. Sed quare ad Eucharisticum cibum inuitat *omnes*, omnesque sanguinis sui poculo propinat? S. Ambrosius quo solet ingenij acumine, hac in re sic philosophatur, adspectu ad morbum ex pomo paradiseo contractū quē Christus sanare intendebat. *Ille (Dæmon inquam) cibo fraudis decepit vnum, vt in vno omnes circumueniret. Iesus autem cibo salutis omnes redemit, vt in omnibus, & illum qui deceptus fuerat reformaret. Bibite ex hoc omnes.* Scilicet de paradisi gula vnus homo ægrotauit, (qui Dæmonis fraude pomum vetitum intemperanter comedit) & in eo reliqui: venit ergo Christus Deus humanarum ægritudinum è cælo medicus, qui contumeliosum inde mor-

3. Matth. 26. v. 27. Cibo fraudis vnus egrotauit, & cibo salutis cur omnes curantur?

Ambros. in Psalm. 1.

bum contractum, Eucharistico cibo & potu curaret; & *cibo salutis* ei, qui *cibo fraudis* ægrotabat, mederetur: ergo omnes propinat: *Bibite ex hoc omnes*, ne quemquam speciatim designet & designatione prodat. Vnus cibo fraudis ægrotauit contumelioso gulæ delicto, & in eo omnes; omnes igitur *cibum salutis* sumant, ne aliquis solùm ægrotus putetur, & remedio diffametur ad contumeliam. Porrò si vnus duntaxat medicinam sumeret, ille solus verbo deturpari putaretur: cùm ergo vnus gulæ vitio ægrotauit, & in eo omnes, omnes medicinam accipiant, nec singulatim aliquis. Itaque Dæmon *cibo fraudis decepit vnum, vt in vno omnes circumueniret. Iesus autem cibo Salutis omnes redemit, vt in omnibus, & illum qui deceptus fuerat, reformaret. Bibite ex eo omnes.* Sic Matthæi verba ad rem moralem leniter inflectit Ambrosius. Discat hinc peritus Gubernator, quàm solerter debet studere secreto culparum, quibus mederi inuigilat. Satius sæpe est, vt commune omnibus remedium generatim propinetur; ne de singulari applicatione remedij, occultus æger producatur, & medicinâ periculosiùs ægrotet. O quàm miré prudenti cautelâ hîc opus est! *Deus omnipotens peccata insanabilia reuelat.*

4 Genesis 3. postquam serpens Dæmon his duobus Adamum vidisset munitum, mortis metu, ac vitæ promissis, quibus ipsum munire Conditor præoccupauerat; deitatis gulosa ambitione munimentum arietat, labefacit, diruit; ac vitæ spolia detrahens, opulentum erigit mortalitatis trophæum, magno cum Dei dedecore, propudiosa hominum ruina. Detriumphatos Protoparentes pudor excepit, non de pœnitentiæ verecundia, sed de libidinum stimulis, *Cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Mirùm sanè est, quòd vbi certior infidæ præuaricationis notitia illis pudore innotuit, non de remediando scelere cogitarent. An non ipse delicti pudor viam pœnitentiæ sternebat, incentiuo euariato? An non aderat factor, qui lapsam facturam studiosè reficeret? Tale enim est Numinis ingenium: virtute cum vincat, hominum amore vinci! Quid Deum fugiunt, ad quem tunc cófugere debuissent? Quid tunc, quæso, resipiscentiæ aditum intercludunt? Audi Seleucensem Basilium, qui præfata verba illustrans, sic dilucidè philosophatur: *Cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, &c. Tales Dæmones sunt machinationes: cum voluptate sauciat, & accusat pudendum in modum, ad ruinam impellit, & ruentes publicis ignominiæ notis consignat.* Ecce tibi Dæmonis ingenium in perdendis hominibus sollertissimum, neque humanis perditionibus vnquam satur. Voluptatis gratia mellit ictum, quò vulnus medulliùs penetret: pudorem flagitiis agnatum tentatione eludit, & cæco voluptatis illicio mentis oculos tenebrat; postea sceleris turpitudinem reuelat pudendum in modum, quò peccatorem *publicis ignominiæ notis consignet*, vt scelere nudato, omnem etiam verecundiam exuat; & probroso stigmate denotatus, ad omnem impudentiam absque pudoris freno temerarius feratur. Ecquis iam ad melioris vitæ frugem facilè reuocet Adamum, præuaricationis ignominioso notaculo consignatum?

Genes. 3. v. 7.

Quare Dæmon Protoparentes publicis ignominiæ notis consignauit.

Basil. Seleu. Orat. 3.

---

§. CCCCXLVIII.

Quò maior est Potentia, eò debet esse cunctatior, ne in furorem degeneret.

NVllum clementia ex omnibus magis quàm potentiorum principem decet. Ita enim virtutes magnis viris decori gloriæque sunt, si illis salutaris potentia est; nam pestifera vis est, valere ad nocendum: quò nocentior est, eò magis pestilentiaria putatur. Quisquis sibi de potentia ad nocendum adulatur, de perniciosiori etiam insito veneno gratulari adæquè potest. Maximum remedium venenatæ potentiæ, & in peracerba supplicia impotenter ruentis, cunctatio est. Lento longioris moræ beneficio, infligendi duriùs supplicij furor deferueat; ne ad vindictam, sed ad exemplum adhibita acerbiùs pœna videatur. Si quid durum & asperum leniè scelestis infligat, prudentiæ & rationi adscribitur: quod festinato feruore iracundiæ, & sæuitiæ militare putatur. Non auferat supplicium, sed differat, ne seipsum vnà cum reo sauciet eodem ictu. Quò autem maior est præsidentis potentia, faciliúsque potest strages edere, eò cunctatior & morosior erit. Minus licet, cui omnia licent. Leni tarditate æquitatem vindica, ne de concitato furore potentiam infames. Saltem excuset tarditas, quod accusat acerbitas. Tyrannus à Rege sæpè non distat factis, sed modo faciendi. 1.

Excuset supplicij tarditas, quod accusat acerbitas.

Iosue 10. rege Haï deuicto, & deditis Gabaonitis, bellicas vires Amorrhæi reges densè conferunt, & immensis phalangibus vndequaque collectis, in Iosuanum exercitum minas iactant atroces. Sed cùm iam completæ forent iniquitates Amorrhæorum, iam illis iustum à Deo imminebat supplicium, diuinæ iustitiæ vibratum rigoribus. Primo Israëlitarum impetu corruunt, prosternuntur, diffugiunt Amorrhæi. Illos vltrix Dei manus persequitur, insequiturque exercitus Iosuanus strenue victor. Ast prælustri in terris triumpho prælustria cæli astra obscurè inuident, & præmaturo occasu, & victis latibula spondent, & stationem victoribus, vt cum hostibus victoria elabatur. Videt Iosue latêres has cæli insidias Amorrhæis auxiliares & victoriæ quodam fastu hominem oblitus, cælis audax imperat: Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. Stetitque Sol & Luna, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis. *Stetit itaque Sol in medio cæli, & non festinauit occumbre spatio vnius diei. Non fuit anteà nec posteà tam longa dies.* Eccur longissimam mundi diem Deus facit, vt victor Israël Amorrhæos deuastet? An non potuit vel in vnâ diecula, aut diei particula Amorrhæos expugnare, Dei auxilio armatus? Quid tanto prodigio mundi stuporem ædificat? An non ante quadringentos annos has Amorrhæorum strages Deus moliebatur, & suo Abrahamo ante dixerat; post tot ætatum prolixam cunctationem, prolixiorem quoque diem creat, quo Abrahamides in Amorrhæos desæuiant? Quid cunctatior hæc mora portendit, eruditve? Subtiliter Caietanus: *Non fuit anteà nec posteà tam longa dies. Deus erat ille qui pugnabat in viribus & manibus Israelitarum, quia prælium Israelitarum erat prælium ipsius Dei.* Quasi dicat 2.

Mora in acerbiori supplicio inferendo omni etentiam excusat.

Iosue 10. v. 13 & 14.

Caietanus ibidem.

Æquum

Æquum fuit, vt longior & prolixior foret mundi dies, quia tot populorum strages edendæ erant, non tam numerosâ Israëlitarum manu, quàm manu Dei omnipotentis; quæ etsi totius omnipotentiæ viribus armata, in perexiguo momento poterat hos scelestos delere populos; quò potentiùs & breuiùs id præstare poterat, eò cunctatiùs & morosiùs id præstat. Scilicet innotescat longis retrò Abrahami seculis, omnipotentem Israëlis Deum, hanc mentem in consilij sui arcano versare: & tandem eo etiam tempore, quo tot populorum strages edendæ erant, notetur longior mundi dies, vt vel ipsa durioris supplicij executio, sit à morâ longiori commendata, ne putetur tam luctuosum tot populorum excidium, non ab operantis consultâ & longanimi ratione, sed à concitatiori omnipotentiæ fastu editum. *Non fuit anteà nec posteà tam longa dies.* vt cunctatior acerbioris pœnæ executio, ab inconsulto furore omnipotentiam vindicet. Excuset longior diei mora, quod in acerbitate supplicij quis accusaret.

3. Geneseos 18. suos lautè pransos conuiuas deducit Abrahamus, honorarius hospitum comes. Cúmque simul pergerent in viâ, dixit ei Dominus: *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum?* Scilicet peracerbam Sodomorum vastationem eum Abrahamo communicat Deùs, & consiliosum senem velut aduocat in consilium. *Sicut autem amicis præsertim familiaribus & prædignis, secreta à Dominis reuelari solent: sic viri perfecti & amici Dei, per donum sapientiæ consummatæ, quasi eius consiliarij & secretarij efficiuntur*, ait inibi Lipomanus. Inducitur in hoc loco Deus velut consilij Præses, qui vt prædurum infligat supplicium, caussæ merita cum perito *Consiliario* tractat. Eximia planè Abrahami prærogatiua, quòd *Secratarij*, vel *Consiliarij* elogio nuncupetur. Quid sibi præcauet Deus, dum ad seueriora Sodomis vibranda supplicia, humanum *Consiliarium* aduocat? *Consiliarij* Abrahami sententiam expectat, aut suffragium expetit? an peracerbi supplicij excusationem apud homines quærit? Nempè publicetur diuini consilij secretum, ne inconsultæ potentiæ Sodomiticum excidium deputetur: cunctatio consultationis intercedat, ne ardor Sodomorum, diuinæ iracundiæ ardor putetur. Res diu per itineris otia, & *consiliarij* moras, & agitatur, & protelatur. Demùm æquum censet Abrahamus, vt si in vrbe quinquaginta iusti reperiantur, Deus ignoscat multitudini; & subdit ad rem præsentem opportunè: Seueriùs castigare, etsi rei merita id exposcant: *Non est hoc tuum: qui iudicas omnem terram, nequaquam facies iudicium hoc.* Piè quidem pius *Consiliarius*, qui vel irato Principi maluit de lenitate adulari, quàm intentatos fouere iustitiæ rigores. Sed ad examen vocanda est Abrahami ratio, quæ supplicij acerbitatem auertit: *Non est hoc tuum: qui iudicas omnem terram.* Imò quia Deus omnipotente iustitiâ iudicat omnem terram, negligere non debet impunita tot Sodomorum flagitia. Pereat potiùs vnus aut alter innocens, fortè nocentior futurus, ne cunctus populus vitiis insolescat. Audiendus est Mariana, antiqui æui recens scriptor. *Non est hoc tuum: qui iudicas omnem terram. Quasi dicat: Non est index superior, ad quem sit prouocatio, ideò mitis esse debes.* Vide nouum in Deo lenitatis titulum. Quasi vastior ditio, amplior iurisdictio,

Lipomanus ibi.

Abrahamus, Dei est secretarius, & consiliarius Dei.

4.

Genes. 18. v. 25.

Titulo supremi iudicis, lenitas debetur.

Ioannes Mariana ibidem.

Didac. de Celada in Tobiam.

& maior inde potentia, iras Principis auertat; supplicij seueritatem mitiget, & lenocinetur pietati. Suprema potestas, à quâ nullâ est appellatio, iure suo clementiam exigit, maioris & amplioris potentiæ titulo. Scilicet non tantùm misericordia, sed & potestas summa Dei, diuinæ iustitiæ rigores temperat, & allicit ad clementiam. Consultissimè ergò dixit Abrahamus: *Non est hoc tuum: qui iudicas omnem terram:* nam maior potestas irremediabili plaga ferit: à qua nō est prouocatio, nec executionis procrastinatio, sit consultior sententia: qui omnia potest, cunctatiùs in suppliciis infligendis procedat: ne maior potentia inconsulti furoris, nulla vi remediabilis, suspecta sit: ne vt iustitiam asseras, apud homines omnipotentiam deuenustes. Minùs licet, cui omnia licent: nec quicquid fieri licet, facere expedit. Adsimiliter Iudas in eloquenti illa oratione quam pro Beniamino habuit ad Iosephum; vt eius acerbitatem, in benignitatem conuerteret, ita fatur: Oro Domine mi, loquatur seruus tuus nunc verbum in auribus tuis, & ne irascaris famulo tuo, *Tu es enim post Pharaonem Dominus meus*, Caietanus ex Hebræo: *Quia sicut tu, sicut Pharao.* Alij non ita obscurè: *Sicut tu, sic Pharao.* Quæ est descriptio regij Familiaris sub Pharaone, idest, ab inerte Principe. Sed quare Iudas Proregem Regi comparat cùm veniam supplicat? Sic exors humanitatis Ioseph putabatur. Peritè Lipomanus ita exscribit & exponit locum: *Ita tu, sicut Pharao. Pharaoni comparas, benignitatis caussâ & clementiæ.* Quasi dicat Iudas: Regiam agis, non personam aut dignitatem, sed potestatem; regios quoque mores æmulare. Ne seueritas Regem neget, quem fatetetur clementia. In regia potestate regiam benignitatem exprime. Quid iniquius quàm sub priuatis moribus, Regis agere personam? Te benignitate Regem exhibe, siquidem Regē potestate exhibes. *Ita tu, sicut Pharao.* Nam sicu à Pharaone supremo regni Principe, nulla est ad alium appellatio, & inde clementiæ iure tenetur: ita neque à te est vlla caussæ prouocatio, qui es in Ægypto alter ipse Pharao. *Ita tu, sicut Pharao.* Sic te leuem exhibete, *non est hoc tuum qui iudicas omnem terram* Ægypti, velut supremo principatu. Vide hic vers. 21. præcipitem & inconsultum Sennacheribi Regis furorem, quem res accusat, nec excusat mora. Non est hoc tuum, ô Rex qui propè iudicas omnem terram. Imò tuum est, qui non Rex, sed Tyrannus es. Deus longiorem facit diem, quò lentè punire videatur; & cunctanter hic Niniuitarum euersio denunciatur; & tu in vna, ipsaque breui diecula, tot strages edis; Nec sic insanus furor tuus exsatiatur.

Genes. 44. v. 18.

Lipom. ibi.

Tobiæ 1. v. 21.

Hic vers. 6.

Lucæ 15. post parabolam ouis perditæ, & inuentæ drachmæ, Prodigi adolescentis parabola nectitur, quò spes humana quæ Domini seueritatem timebat, ad fiduciam de pio patre conceptam reformetur: *Ait autem: Homo quidam habuit duos filios.* &c. In hoc patre duos filios habente, Dominicæ Incarnationis sacramentum, ad rem præsentem opportunùs agnoscit Chrysologus: *Postquam*, inquit, *Christus nostræ carnis suscepit onus, & Deus induit exuuias humanas, veraciter se Deus hominem vocat: Dominus patrem verè se duorum nuncupat filiorum: (nota quæ subiicit verba,) quia humanitati permixta Deitas, Deitati consecita pietas, miscuit homi-* 5.

Lucæ 15. v. 11.

Chrysol. ser. 5.

Cur in Incarnatione dicitur, Deitati consociata pietas.

 nem

nem & Deum: quæ Dominum vniuit in patrem. Scilicet vocabulum Dei, Omnipotentis, Domini, &c. maiestatem, potentiam, iustitiam, & seueritatem ostentant: ergò ad mitigandam Domini seueritatem, & Dei iustitiam humaniùs temperandam, dicitur *humanitati permixta Deitas, & Deitati consociata pietas, quæ Dominum vniuit in patrem.* Quid est, quòd in Incarnatione dicitur, *Deitati consociata pietas?* an non potiùs humanitas Deitati consociata est hypostatico nexu? Ita quidem: sed quia hypostaticus nexus *Dominum vniuit in patrem* hominum; ad innuendum quàm pristinos potentiæ rigores Deus exuerit, indueritque mansuetudinis genium, atque patris blandimenta assumpserit; non sine epitasi dicitur, *Deitati consociata pietas, quæ Dominum vniuit in patrem.*

§. CCCCXLIX.

Estne perfectè sana conscientia, quæ plusquàm semel pœnitentiam amplexatur.

1. POenitentiam hoc genus hominum, quod & ipsi retrò fuimus, cæci sine Domini lumine (ait Tertullianus) natura tenus norunt, *Passionem animi quandam esse, quæ veniat de offensâ sententiæ prioris.* Bonorum pœnitentiæ vnus est titulus, salus hominis, criminum pristinorum abolitione perfectâ; quod non tacuit Ioannes. *Pœnitentiam agite*, inclamans; iam enim salus appropinquat. Quam Ioannis vocem in suæ prædicationis auspicio ingeminat Christus, cui Baptista præministrans, pœnitentiam destinabat *purgandis mentibus præpositam.* Vtique quicquid error vetus inquinasset, quicquid in corde hominis ignorantia contaminasset, id pœnitentia verrens & radens, & foràs abiiciens, mundam peccatoris domum Christo apparat, quò se ille cum cælestibus bonis libens inferat. Ceterum nemo nisi male Catholicus, & benè Hæreticus, abnegare audeat, pœnitentiam esse veram animi munditiem, pristinorum criminum expultricem, & pulchrum hominis de gratiæ officiositate decorem. Squalorem, inquam, peccati verè purgat, & radit; sed prauæ diu consuetudinis fibras non extirpat. Manet enim in rediuiuis ad gratiam per pœnitentiæ bonum, & fomes ad peccatum, & inueterata olim consuetudo peccandi, quæ etsi virginem gratiam minimè constuprat, proclivem tamen reddit hominem, vt cum femineis voluptatibus exinceps identidem scortetur. Ergò habes iam per pœnitentiam, quod non merebaris; amisisti enim quod per baptismum acceperas. Si tibi indulgentia Domini accommodat vnde restituas quod amiseras, iterato beneficio gratus esto; nedum ampliato, pœnitentiæ repetendæ fiduciâ. Maius enim est restituere, quàm dare; quoniam miserius est perdidisse quàm omnino non accepisse, & qui sæpiùs per pœnitentiam restaurat gratiam, (quam perdere veritus non fuit) quam per subsequens delictum persæpè amisit; de prauæ consuetudinis præstigio, fortè non longè abest, vt à gratiæ nitore in criminum squalorem iterum degeneret. O! gratiæ titubatio timenda est: nam immundus spiritus in domum scopis mundatam, & gratiis ornatam, appetentiùs subintrare nititur, prauæ consuetudinis lenocinio conscientiæ infidè ianitore. Id ipsum sub aliâ metaphorâ appositè explicuit Chrysostomus, aiens: *Radicatum semel, & postmodum euulsum, vix vnquam denuò insitum retinebitur. Quo autem semel insitum perseuerat immobile, de facili concrescit.*

Tertull. de Pœnit. cap. 1. & 2.

Pœnitentia purgandis mentibus præposita, est passio animi, quæ venit de offensa sententia prioris.

Lucæ 11. v. 25.

Chrysost. in Lucæ cap. 9.

2. Canticorum 1. Christi Dei sponsa quæ in colloquij auspicio ausa est sacri Sponsi osculum per amanter expetere, sic de se fatur: *Nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Mitto nunc vtramque similitudinem, quam alibi examinauimus. Nunc autem enucleare oportet, quomodò Sponsa, cùm se fuscam esse fateatur, se formosam dicat. Nolite, inquit, me considerare, quòd fusca sim, ne futurus color eam fœditatis arguat, & adhuc se pulchram esse affirmare non timet? Et quomodò cum insuaui colore pulchritudo constabit? Et sanè (vt notauit Origenes) cum suis æmulis loquitur, quas cautiùs alloqui oporteret, ne de proprio suffragio indecorè damnetur. Nam tametsi reliqua membrorum proportio constet, cum insuauitate fusci coloris pulchritudo non stat. Litteræ exponendæ difficultas, ad mysticos sensus compellit interpretes. Quorum Origenes, Athanasius, Theodoretus, per Sponsam, quæ hic & fusca, & formosa inducitur, intelligunt Ecclesiæ fideles nuper è gentilitate ad Christum conuersos, aiuntque nigram se esse cōcedere, quatenùs ignobilis est, nec ex Sanctis Patriarchis trahens originem; & quatenùs Idololatriæ, & tetris olim sceleribus addicta fuit: nihilominùs esse formosam per id, quòd Christo adhæsit per fidem, à quo tanquam à sponso gratiæ pulchritudinem se accepisse gloriatur. Verùm S. Augustinus, quâ pollebat ingenij subtilitate, ad thema præsens nā opportunus fatur: *Fusca sum & speciosa, vt tabernacula Cedar, speciosa sum vt pelles Salomonis. Non enim ait, Fusca fui vt tabernacula Cedar, & speciosa vt pelles Salomonis: sed vtrumque se esse dixit.* Pulchrè quidem Augustinus. (tametsi aliò hanc notationem ethicè deflectat) Nimirùm Gentilis populus Idololatriæ, libidini, auaritiæ, & ambitioni innutritus, dum per fidem, & sacramentorum gratiam, ad dignitatem Sponsæ Christi Dei recens adsciscitur, Sponsa formosa est; quippe quæ ablutis pristinorum criminum sordibus, gratiæ ornamentis venustè splendet. At quamuis *formosa, & speciosa* nunc sit; tamen adhuc *fusca* dicitur: *Fusca sum & speciosa. Non enim ait, Fusca fui: sed vtrumque se esse dixit*, Speciosa quidem per gratiæ nitorem, quo animi ùs pulchrescit. Et adhuc *fusca*, non per deformem peccati nigrorem, sed per diu inolitam delinquendi consuetudinem, & repetitam retrò malitiam, quæ in mores abiit, & à peccato est, atque in peccatum inclinat, toto repetitæ nuper prolapsionis pondere. Vnde non dicit, Fusca fui, & speciosa sum, quod reapse accidit. Sed agens de nuper tunc conuersis, & in repetitâ vitiorum consuetudine innutritis, (nisi velut piè obstinatâ mente vitiuris propositum arripiant) ait: *Fusca sum, & speciosa.* Speciosa per gratiam, quâ nunc speciosè venustior: *Fusca*, non per scelerum fuscorem; sed per diu inolitam, & repetitis actibus cognatam delinquendi habitudinem, quæ à peccati nigredine est, & ad peccati fuscorem propensiùs inclinat. Egregiè quidem exaggerauit Augustinus quàm facilè nitor, gratiæ, in malitiæ nigrorem degeneret, apud eos, qui

Cantic. 1. v. 5.

Quare Sponsa non dicit, Fusca fui, & speciosa sum, sed, Fusca sum & speciosa.

Origenes. Athanas. Theodoret. apud Ghisler. ibi.

August. de Doctr. Chri. lib. 3. cap. 31.

qui delictis inueteratè adsueti, delinquendi repetitam consuetudinem minime deserunt.

3. Isaias 1. cap. postquam flagitiosissima Iudææ populi scelera, diuturnâ consuetudine impudenter insolita, prolixè recensuit, rot fœdissimorum vlcerum pulchram medicinam subdit: *Lauamini* inquit, *mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruersè* Prophetarum eloquentissimus, frustrà id ipsum videtur iterare, & velut actum agere. *Lauamini, mundi estote.* &c. Porrò si benè abluuntur, quid opus fuit dicere, *mundi estote?* Num fieri potest, vt quis perfectè ablutus, adhuc maneat immundus? An vera mundities potest esse squalida? aut puritas quit esse impura? Pulchrè inibi Anselmus Laud. *Lauamini lachrymis pœnitentia. Mundi estote, ne recidatis.* Scilicet tametsi homo pœnitentiæ lacrymis ablutus, mundus quoque fit à peccatorum sordibus: tamen prauam contrahendarum sordium consuetudinem sollertet rescindere habet, ne in pristina peccata recidat. Qui secùs faxit, è de pœnitentiæ lauacro recenter mundus, regressu statim ad pristina peccata, confestim immundus erit, & sui olim similis. Argute Tertullianus in lib. de Pœnit. hoc argumentum accuratiùs pertractans, sic ait: *Exinde,* inquit, *quoad Dominum senseris, fides, sana conscientia semel pœnitentiam amplexata.* Trutina voculam illam *semel*, in qua tota sententiæ energia sita est. Quasi dicat Tertullianus: Non negauerim, quòd cui adest recta fides, *metus integer*, & quicquid pœnitentiæ sacramentum integrat & perficit; à peccati languore conualescat, bona acceptæ gratiæ valetudine: at qui ob iteratas delictorum sordes, sæpè de lauacri munditiâ, in peccati immunditiam degenerat; nec ad vomitum identidem redire nauseat: non vanè timuerint, quòd aliquoties non ritè pœnitentiam adeat, & quòd etsi ritè adierit, & peccata expunxerit, cùm peccandi consuetudinem crebro lapsu nutrieret, tam breui more sanus erit, vt parùm ab ægro distare videatur. *Sana conscientia semel pœnitentiam amplexatur.* Porrò licet anima à peccati languore per gratiæ sanitatem curetur; consuetudinis tamen diuturnæ velut quibusdam fibris sic vitiorum inualetudo hæret, vt homo ita ad virtutem languescat, vt non integrè sanus possit reputari, cùm morborum semina de praua diu consuetudine ad malitiam adsueta, spontiuè confestim pullulent. Id timet cum Isaia Tertullianus; hic etiam & Raguelus metuit: nam septies repetita infestatio, vlteriorem infestationem infaustè ruminatur, totóque Angeli adnixu opus est, vt sistatur: & de Niniuæ perfunctoria pœnitentia durè hic Tobias prophetat.

Isaiæ 1. v. 16.

Sana ne est conscientia, quæ plus semel pœnitentiam amplexatur.

Ansel. Laud. ibi.

Tertull. lib. de Pœnit. c. 6.

Hic vers. 6.

4. Exodi 10. permolesta locustarum plaga male vexatus Pharao, festinus vocauit Moysen & Aaron, & dixit eis: *Peccaui in Dominum Deum vestrum, in & in vos. Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice.* Augustinus hæc postrema verba sic exponit. *Iuxta Septuaginta: Suscipite igitur delictum meum. Hac locutione ad Ioseph vsi sunt fratres eius, vbi dixerunt: Recipe iniquitatem seruorum Dei patris tui.* Idem ne est, *Dimittite peccatum*, ac, *Suscipite delictum?* Qui peccatum aliis dimittit, illud in se suscipit, Viderit Iudex, viderit Confessarius, ne leuicule absoluendo, ipse fiat alienæ impunitatis reus. Sed videamus quo merito, aut voto Pharao sæpe fallete suetus, delicti absolutioem pro illa vice reposcat. Lipomanus: *Peccaui in Dominum, &c. Confessio peccatorum, cum fictione etiam sæpius iterata, non prodest; sed ipsa vera vnà cum resipiscentia, & proposito vitæ melioris. Falsa correctionis, vel emenda promissio, auxit recidiuandi perniciem.* Nempe toties a Pharaone iterata flagitiorum ficta confessio, & falsata emendationis promissio, non est conscientiæ asylum, sed delictorum fauor, delinquendi priuilegium, & conscientiæ pernicies. Porrò specie pietatis adipatur impietas, & pulchro resipiscentiæ vocabulo armatur delictum. *Nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice*, inquit Pharao: sed fraudulento emendationis voto, & vera ignoscentis benignitate; falsata malitia recidiua ædificatione ruinam exaggerat. O quoties iteratum resipiscentiæ propositum, de peccatoris malitia, factum est impietatis auctarium.

Exod. 10. v. 16. & 17.

August. Locut. 30 in Exod.

Qui peccati dimittit, illa in se suscipit.

Lipom. ibi.

Falsa emendæ vt onis promissio, exaggerat delinquentis periculum.

§. CCCCI.

Hebræa gens adeò patria sua peramans fuit, vt se putaret exilio tumulari: Ægyptij verò, seruitutis nota inuri.

1. REmoto iudicio plurium, (quos prima rerum facies, vtcumque credita est, aufert) videamus quid sit exilium: nempe loci commutatio est. Angustare videor vim eius, & quicquid pessimum in se habet, subtrahere. Hanc commutationem loci sequuntur incommoda, paupertas, ignominia, contemptus. Hucusque Seneca, qui tametsi exinceps innumeras calamitates, exilij appendices, rationis pharmaco curare præsumat, ægrè id hominibus, patriæ æque ac sui amatoribus persuadeat. Vide quam grauate exilium tulerit Tobias, quantumuis ad omnia incommoda obduratus. Et nunc Domine, inquit, memor esto mei, & ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum. *Quoniam non obediuimus præceptis tuis, ideò traditi sumus in direptionem, & captiuitatem, & mortem, & in fabulam, & in improperium omnibus nationibus, in quibus dispersisti nos.* Nempe Hebræi patrio solo extorres, auita hereditate exules, in barbara & hostili Assyria *dispersi* ac palabundi à quouis profligati, in summa egestate, ignominia, & contempto victitantes, quotidianum interitum timentes, amicos, domesticos, consanguineos suspectos habentes, in ipso terrarum orbe, tanquam in terra hospitatâ & extera habitantes; eandem cum Tobia querulam vocem edunt vnam exilij calamitatem, plurium calamitatum fœcundè grauidam ingemiscentes.

Seneca de Consol. ad Albin. cap. 5.

Exilij incommoda.

Hic vers. 4.

2. Ezechielis 37. Hebræo populo, patriæ exuli, & diuturna Babylonis captiuitate oppresso fausta quæque Propheta denunciat: *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris populus meus: & inducam vos in terram Israel.* Quid est: Aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris Babyloniæ, & ducam in terram Israël? Quæ est hæc tanta de cadaueribus cura. Viuentes Israelitæ fracti ceruices; Babylonicæ seruitutis iugum ferre non possunt; & Propheta ipsos negligit, & insensibilia cadauera de sepulturæ asylo educenda pollicetur, & in patriis Palestinæ sepulchris

Ezech. 37. v. 12.

ſepulchris trãsferenda. Sic ſollicitè curat de mortuorum cadaueribus, ne, Babylone remaneant; qui viuentes Iſraëlitas ſic negligere videtur: Imò hæc prophetia de Iſraëliratum felici ad proprios lares reditu eſt, quorum duriſſimum exilium, & ærumnoſam nimis captiuitatem, & quàm grauatè & acerbè eam Iudæi tulerint, appoſitè explicat Propheta, aiens: *Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris populus meus.* Doctè inibi Dionyſius Richel: *Quoniam captiuitas eſt mors ciuilis, idcircò per reuiuificationem mortuorum aptè ſignatur à captiuitate eductio ſiue redemptio: Loca quoque captiuitatis congruenter appellantur ſepulchra.... Promittit igitur Deus Iudæis in Babylonica captiuitate detentis, quòd tumulos eorum aperiet, id eſt, loca captiuitatis pabula eis faciet ad redeundum in propria: ſicque de ſepulchris captiuitatis eos educet: Et inducam vos in terram Iſraël.* Nempe Iſraelitæ ſic erant natalis ſoli peramantes, vt dū patria carent, & in Babylonem exules deportantur, viuas ſibi exequias celebrent, & in exilij loco vniuerſatim tumulari dicantur, quaſi ab exilio cadaueraſcant. Pulchrū adæquè ac vulgare eſt illud ex Cornelio Tacito adductum ibi à P. Sanctio, quod in Annalibus ſcripſit: *Si Iudæi transferre ſedes cogerentur, maior vitæ metus, quàm mortis.* Eleganter, eruditè, verè. Annon hic Tobias exilium à patria, quòd appellat diſperſionem inter Gentes, cum morte adiungit? *Traditi ſumus in direptionem, in captiuitatem, & in mortem..... omnibus nationibus, in quibus diſperſiſti nos.* Vnde congruè dixit Propheta Ezechiel loquens de reditu ad patriam: *Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris populus meus.* Imò & Tobias diuturnam captiuitatem tolerando defeſſus mortem cupit, vitam refutat, aiens: *Expedit mihi magis mori, quàm viuere.* Porrò ſi Iudæi *transferre ſedes cogerentur, maior vitæ metus, quàm mortis.* Vide quam grauatè ferant patriæ exilium, & graue ſeruitutis iugum: & quàm appoſitè ad eorum perſuaſionem dixerit Propheta: *Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris: & inducam vos in terram Iſrael.* Exinde gratiſſimum illis nuncium hic Tobias antedicit.

Dionyſ. ibi.

Iudæi ſi transferre ſedes cogantur, maior vitæ metus, quàm mortis.

Tacit. lib. 21. Annal. apud Sanct. ibi.

Tobiæ. 3. v. 6.

Hic verſ. 6. & 7.

Geneſeos 47. Iacob Hebræi populi Princeps, famis calamitate oppreſſus, & videndi Ioſephi deſiderio, coactus fuit natale ſolum interim deſerere, & in Ægypto ſeptem & decem annos exulare: *Cumque appropinquare cerneret diem mortis ſuæ*, vocauit filium ſuum Ioſeph, & dixit ad eum: Si inueni gratiam in conſpectu tuo, pone manum tuam ſub femore meo: & facies mihi miſericordiam & veritatem, vt non ſepelias me in Ægypto: *ſed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terra hac, condaſque in ſepulcro maiorum meorum.* Miriſſimum planè eſt, Iacobum, virum aliàs frugaliſſimum & modeſtiſſimum, tam ſollerter de ſuo cadauere ſollicitum eſſe, vt ad natale ſolum deferretur. Iacobi quid intereſt humine, an ſublimi putreſcat? quod inibi Rupertus luculenter edisſerit: *Quid autem,* inquit, *Patriarcha tantus, ciuis cæli, cui viuenti totus mundus exilium fuit, tantopere de corpore ſuo curauit, & seriò ſcire voluit, quo loco puluis in puluerem, & cinis reuerteretur in cinerem?* Cui totus mundus exiliū fuit, cùm propiùs mortem expectat, nec viuens eualet in patriam repedare? quare vel ſaltem defunctus ad natale ſolum redire ambigit? Reſpondet Caietanus: *Naturalis effectus ad ſocietatem ſuorum, fultus affectu ad proprium ſolum, mouit Iacob ad hoc, vt ſepeliretur in ſepulchro Abraham, & Iſaac.* Nec diſſentit Rupertus ſuprà laudatus: *ſaltem mortuo corpore illam* (id eſt, terram promiſſionis, & patriam ſuam) *tenere, cupit.* Qui in vita patriæ viuere ſemper non potuit, poſt mortem illi viuere ſatagit. Nimirùm Iacob *cùm appropinquare cerneret diem mortis ſuæ,* in patrium ſolum eius cadauer aſportari ſatagit: vt qui è viuis exceſſit in exilij viuâ morte; mortuus ſaltem in natali ſolo quodammodò viuat. Quod peregregiè aliorsùm notauit Sanctius ad præfata Ezechielis verba nuper enucleata: *Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educan vos de ſepulcris veſtris,* quæ erudiriſſima æquè ac ſanctiſſimus vir, ita elucidat. *Videri itaque potuerunt iacere in ſepulchris, quia à patria aberant, quæ illis pro vita, aut inſtar vitæ erat. Aperiendi ergo dicuntur tumuli, & inde euocandi, quia ab exilio, quod inſtar eſt tumuli, ad patriam, quæ inſtar obtinet vitæ, reuocandi ſunt.* Itaque Iacob dudum Ægyptiaco exilio mortuus, *cùm appropinquare cerneret diem mortis ſuæ,* (naturalis inquam) aliquo vitæ deſiderio obnixè petit à filiis, vt illum ex Ægypto vbi exulabat, ad patrium ſolum deferant, vt reuocaretur *ab exilio, quod inſtar eſt tumuli, ad patriam, quæ inſtar obtinet vitæ,* quâ ſuum viuificare cadauer exambit. Quaſi ethicè dicat: Quot annos in Ægypto exul vixi, tot annos velut in ſepulchro tumulatus fui: ergo ſaltem mortuus ferar *ad patriam, quæ inſtar obtinet vitæ.* emortuæ ſaltem fauillæ arcano patriæ fotu viueſcant. Adſimilis theſis verſatur ſuprà §. 24.

Geneſ 47. v. 30.

Exilium inſtar tumuli eſt, patria inſtar obtinet vitæ.

Rupert ibi.

Caiet. ibid.

Rupert. ſup

Sanctius ibi. num. 23.

4. Geneſeos 47. ex publico Pharaonis horreo emit Ioſeph omnem terram Ægypti vendentibus ſingulis poſſeſſiones ſuas præ magnitudine famis: *Subiecitque eam Pharaoni, & cunctos populos eius à nouiſſimis terminis Ægypti vſque ad extremos fines eius.* Quid eſt, quòd Ioſephus ſubiecit cunctos Ægypti populos Pharaoni? an non hactenus illi ſubiecti erant? Scilicet nuper dictum fuit, Ioſephum ſubieciſſe Pharaoni non tantùm terram Ægypti, ſed etiam omnes populos annonæ pretio redegiſſe in ſeruitutem, aientes, *Eme nos in ſeruitutem regiam*; nunc autem notam ſeruitutis inurit omnibus. Quod autem ſit hoc notaculum, non iam ſubiectionis, vt hactenus, ſed abiectioris ſeruitutis, percommodè exponit Caietanus, ita inibi ſcribens: *Quod dicitur hìc etiam cunctos populos eius, à nouiſſimis terminis Ægypti vſque ad extremos fines eius; iuxta Hebræum habetur: Et populum tranſire fecit ad ciuitates de vna extremitate termini Ægypti vſque ad extremitatem eius. Sonat littera, quòd Ioſeph in ſignum ſeruitutis Ægyptiorum migrare fecit populos de territorio vnius ciuitatis ad territorium alterius, vt ſic profiterentur tali facto ſe eſſe ſeruos, & non ſolùm ſubditos illi.* Nempe ſic pergraue & acerbum erat Ægyptiis charam patriam deſerere, & à quapiam Ægypti vrbe in aliam etſi potiorem, tranſmigrare, vt huiuſmodi ſedium mutatio ex Regis iuſſu non probet tantùm illi eſſe ſubiectos, ſed ſeruos etiam eſſe demonſtret. Abſentia à patrio ſolo, licèt tranſmigratio fiat in regionem fœcundam magis, magiſque ſalubrem & opulentam, nota eſt acerbioris ſeruitutis, & mancipiorum inuſtum ſtigma. Tranſmigrando à propria vrbe in alienam, intra

Geneſ. 47. v. 21.

Tranſmigratio è patrio ſolo, nota ſeruitutis putabatur.

Caiet. ibi.

terminos

terminos eiusdem regni, sub Rege & sub lege eadem præstabat vt homines *profiteantur tali facto se esse seruos, & non solùm subditos illi*, Regi inquam. Sic est dulcis amor patriæ: Præ morte timebant Hebræi, siquando eis acciderat sedes mutare: Ægyptiis non tantùm subiectionis, sed etiam seruitutis nota putatur, etsi contingeret
3.Reg.cap. 2.vers.36. in præstantiorem vrbem transmigrare. Sic ob maledicta, quæ in Dauidem congessit Semeï, iubetur, vt patriâ vrbeculâ relictâ habitet in regia vrbe, in Ierosolymis inquam, regni metropoli, regia vrbe, quæ gaudiũ vniuersæ terræ putabatur.

1\. Regius Vates psal. 21. Christi personam in typo gerens, ita de Passionis acerbitate pangit: *Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumerauerunt omnia ossa mea.* Tertullianus rei Hebraicæ benè conscius, ita præscripta verba vertit, & versione ad rem præsentem exponit: *Exterminauerunt manus meas, & pedes meos, quæ passio huius exterminij... perfecta est sub Tiberio*, &c. Nil æquè pœnale, & pœnalissimè acerbum fuit in Christi Dei passione, quàm eius crucifixio, qua diris clauis sacras manus pedesque terebrantibus, probrosis cruciamentis exæstuans, animam egit. Vnde vt dominicæ Passionis acerbitatem apud Iudæos Tertullianus exaggeraret, *exterminij* vocabulo eam expressit. Sic dirum & excrabile fuit exilium apud Hebræos!

Psal.21.v.17.& 18. Tertull. aduers. Iudæ. cap.8.

Christi passio exterminium nuncupatur.

---

§. CCCCLI.

Homo incertus, nec virtuti tutus, nec vitiis fidus, periculosè exerrat; quia illi nulla est via cui totum est via.

2\. Leuium metallorum fructus in summo est; illa opulentissima sunt, quorum in alto latè vena, assiduè pleniùs responsura fodienti. Hæc quibus delectatur volgus, (volgus etiam clamydatos
Sen.ep.23. etiam appello, nisi à turbæ opinione discordem) tenuem habent ac perfunctoriam voluptatem, & quodcumque inuectitium gaudium est, fundamento caret, mentem euocat, cerebrum vertigine mouet, hominem circumagit, & secum inaniter rotat. Vbi consilij titubatio est, rectum propositum subinde notat, auiditateque boni aut mali agitur, prout voluptas expetit, ita incitat, inuidia extimulat, aut timor suadet. Fallor, *si aliud est vita istorum omnium, quàm meditatio doli, aut trutina mendacij*, ait Saluianus. Hi qui ex aliis propositis in alia transiliunt, aut ne transiliunt quidem, sed obuia vtilitate transmittuntur, quomodo habere quicquam certum mansurumve possunt, suspensi & vagi? Pauci sunt qui consilio se suaque disponant: ceteri eorum more qui fluminibus innatant, non eunt, sed feruntur. Ex quibus alios leuior vnda detinuit, ac molliùs vexit, alios vehementior rapuit, alios proximè ripæ cursu languescente deposuit, alios torrens impetu deuexit in mare. Ideò constituendum est quid velimus, & in eo perseuerandum. Quid sit istud interrogas, aut vnde subeat; dicam: ex bona conscientia, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ & continuo tenore vnam prementis viam. Qui ergo huius propositi tenax est, certus homo est secus, incertus, anceps, ambiguus, tot mutans formas, quot coloribus affectuum penicillo pingitur.

Salu.l.4.de Gub.Dei. *Homo boni propositi tenax verus homo.*

Porrò, vt dixit Saluianus, *Inconsultissimum ac stultissimum est, id quosdam agere, vt quod affectu ac voto volunt, id ipsum re atque actu nolle videantur.* Salu.l.1. de Eccles.

3\. Regius Vates psal. 100. ita modulatè Deo pangit: *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* Locus specie tenus expeditus & facilis, penitiùs verò exploratus arduè impeditus, & quo imperiti homines magno implicantur errore. Porrò quomodo Propheta *iudicium* Deo attribuit cùm Christus dicat in Euangelio: *Qui credit in me, non iudicabitur: qui autem non credit, iam iudicatus est?* Hoc dicendo eximit iudicio fideles? non admittit ad iudicium infideles. At si vtræque partes *iudicio* vacant, quomodo vnicuique merces in iudicio pro suo actu reddetur; sine caussa etenim laborare videbitur iustus, nisi recipiat secundum facta sua; & adsimiliter quæ gessit iniustus. Ceterùm Domini dictum quo sit pondere quaue ratione ploratum, explanat proprietas ipsa verborum: *Qui credit, inquit, in me, non indicabitur.* Rectè. Quid enim (ait S. Zeno) necessè est iudicare credentem? iudicium enim ex ambiguis rebus existit: adempta ambiguitate iudicij non desideratur examen. Ex quo nec infideles necessè est iudicare: quia iam sua sunt incredulitate damnati: ex hac enim vita quis secum aut coronam portat, aut pœnam. Non adstruo modò hanc S. Zenonis interpretationem, aliter enim hunc locum in commentario super Ioannem olim multis elucidabam. Ergo vlterius sciscitari oportet, quinam sunt isti, quorum caussa ambigua est; & inde strictiùs eorum vita examinanda, & iudicanda est, eo iudicio quod hîc Propheta celebrat. Dubio à se proposito sic acutè pariter & opportunè S. Zeno respondet: *Ambiguos vtique Christianos designauit, ac lubricos: qui inter pios, impiosque sunt medij, nullam partem tenentes ad plenum, cùm vtramque tenere non desinunt. Fideles non sunt, quia habent aliquid infidelitatis insertum. Infideles non sunt, quia habent imaginem fidei, professione Deo, factis seculo seruientes. Volunt nosse legem: nolunt eius præcepta seruare. Signum salutare venerantur, & tamen à ministeriis dæmonum non recedunt. Multos namque Dei metus in Ecclesia continet: sed tamen eos mundana voluptas ad se trahit. Impij non manent, quia his Dei nomen in honore est. Pij non sunt, quia patrem venerandum piis moribus lædunt. Orant, quia timent, peccant, quia volunt. Vnde non est absolutus reatus, vbi de amoris comparatione duarum contrariarum sibimet partium iudicium flagitatur. Ambiguitas enim fuerit discussa, iure non potest mereri sententiam.* Plusculum præter morem rescripsimus, sed præstat, ad rem luculentas Zenonis addensare sententias, quàm scelectioris sermonis nostri tenebris obscurare. Ergo formidabiles diuini iudicij minæ, eos præsertim terrent, qui promiscuè in re virtutis ac vitij versantur, qui nec vitiis fidi sunt, nec virtutibus securi! qui in confinio virtuti ac vitij lubrico gressu incedẽtes, inter pios impiosque sunt medij, nullam partem tenentes ad plenum, cùm vtramque tenere non desinunt: qui obliquæ ancipitisque viæ ductum sequentes, nec per tramitem virtutis bene incedunt, nec per laxam vitiorum viam, totò vestigia premunt; quasi per viam etiam virtutis exerrent.

Psal.100.v.1

Io.a 3.v.18

Homo ancept & ambiguus iudicij minas magis timeat.

S.Zeno ser. in Psal.100.

Pergit Psalmographus psal. 106. & sic de istiusmodi hominibus concinnè modulatur. Pauci fa-

cti sunt: (ne omnium mores ad se trahant, ambiguæ malitiæ imitatione) & vexati sunt à tribulatione malorum: malorum enim pœnales molestias subeunt, nec potiuntur virtutis stipendiis. *Effusa est contemptio super Principes: & errare fecit eos in inuio, & non via.* Quid est quod non errant in via, sed in inuio? An non aliquando per tramitem virtutis incedunt, etsi persæpe ad laxam vitiorum viam declinent? Eccur dicuntur non in via, sed in inuio errare? S. Bernardus, qua solet ingenij subtilitate, sic ex hoc loco mores instruit, ad thema præsens peridoneè: *Errauerunt in inuio, & non in via.* Ita ad hæc verba fatur Bernardus. *Vbi nulla est via, totum est via: sic est via exposita vitiis, latissimos habens hinc inde terminos, quia nullos terminos habet.* Pergregiè quidē Bernard. eorū mores carpit, qui prout vtilitas suadet, aut cōcupiscentia allicit, indifferenter incedūt & vbilibet vestigia premunt, vt lubet, aut expedit. Hi nec per virtutis semitam iter agunt; quia protinùs aliò cursum deflectunt: nec per spatiosam vitiorum viam diu pergunt, quin aliquando incessum reuocent: hi inquam, inter pios impiosque sunt medij nullam partem tenentes ad plenum, cùm vtramque tenere non desinant, in vitij ac virtutis confinio semper versantes. Ergo eiusmodi homines, *errauerunt in inuio, & non in via.* nam *nulla est via, vbi totum est via.* In inuio errat, cui nulla via est: cui autem nulla via est, totum est, via & inde per auia incertus viator exerrat. Ambulauimus vias difficiles, serâ pœnitentia obganniunt impij, dum per inuia errasse fatentur, obliquæ, ancipitesque viæ ductum sequentes, Porrò vbi nulla est via, totum est via, sed inuia, difficilis, ardua, multo impedita molestiarum lapide: sic est via virtuti ac vitiis adæquè exposita. O quàm sollerter Tobias *via* ducem quærit, ne in longo itinere quoquouersùs exerret! Et vide hic quàm exarrauerit populus Israeliticus in reditu ad Terram promissionis; plerique enim in terra captiuitatis adhuc errant.

Psal. 106. vers. 40.

Vbi nulla est via, totum est via.

S. Bern. ser. 1. de diuersis.

Hic v. 6. & 7.

4. Lucæ 10. Discipulos recèns designatos mittit Christus ad prædicandum Euangelium: *Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Nempe Discipulos agninæ simplicitatis æmulos, mittit Christus inter carniuoros, agrestes, & cruentos lupos non tantùm voracitate, sed etiam astutia agnis formidabiles. Vnde illos serpentibus cōparat hic Ambrosius: & admirans, quòd sine *calceamentis* Discipulos Christus miserit, ait; *Quod si quem monet qua ratione in Ægypto calceati iubentur edere agnum: Apostoli autem sine calceamento ad prædicandum Euangelium diriguntur; is considerare debet, quia in Ægypto positus debet adhuc morsus cauere serpentis: multa enim venena in Ægypto. Qui autem minister est veritatis, venena non trepidat.* Nam veritas, venena, quæ aduersarij velut serpentes ructant, non sentit, quasi ipsa sit errorum antidotus. Ergo Christus Deus mittens Discipulos inter voraces lupos, & venenatos subdolè serpentes, addit: *In quamcumque ciuitate intraueritis, & nō susceperint vos, exeuntes in plateas eius, dicite: etiam puluerem, qui adhæsit nobis de ciuitate vestra, extergimus in vos.* Quæ Euangelistæ verba exponens Origenes, ita ad rem scribit: *Exeuntes in plateas. Et attende, quod quacumque ciuitates non suscipiunt Apostolos, sanamque doctrinam, habent plateas, iuxta illud: Lata est via, quæ ducit ad perditionem.* Laxamenta in re doctrinæ, latissima ethicè institutio, via videtur, nec via, sed error est: nam *lata via* quæ ducit ad perditionem, non tam via quàm *platea* est. Quæcumque ciuitates quæ non suscipiunt Apostolos, nec sanam doctrinam, quarum habitatores efferis lupis, & astutis serpentibus comparantur, *habent plateas, iuxta illud: Lata est via, quæ ducit ad perditionem.* Ergo si lupini aut serpentini homines, quibus laxior platea pro via est, *errant in inuio, & non in via: vbi enim nulla est via, totum est via: sic est via exposita vitiis, latissimos habens hinc inde terminos;* Exinde nunc *plateis* comparatur, iuxta illud: *Lata est via, quæ ducit ad perditionem.* O caue à latiori via, per quam etiam qui rectè it, exerrat obliquè: nam ipsa latitudo flexus habet latentes & inuisos tortuosè mæandros. Per viam incedito, non per *plateas* quarum ductum nunc excusso puluere execrantur Discipuli.

Veritas, errorum serpentium venena non timet.

S. Ambr. ibi.

Luc. 10. v. 10.

Orig. apud Caten. ibi.

Via impiorū,

quia latissimos habet terminos platea potius dicenda est.

---

§. CCCCLII.

Grauatè nimis ferunt homines, videre alium sibi ipsis debita dignitate sublimem.

NOn est quòd credas quenquam fieri aliena felicitate infelicem. Plenum malis opinionibus pectus exhauriendum est. Sin minùs, inducenda est in occupatum locum virtus, quæ mendacia contra verum placentia extirpet, quæ nos à populo cui nimis credimus, separet, ac sinceris opinionibus reddat. Hæc est enim sapientia, in naturam conuerti, & eò restitui, vnde publicus error expulerit. Quid tua interest, qualis sit alius? qualis tu sis, magni tua refert. Nemo eorum, qui in re publica versantur, quos vincat, sed à quibus vincatur aspicit: & illis non tam iucundum est multos post se videre, quàm graue aliquem ante se. *Habet hoc vitium omnis ambitio, non despici.* Quod si suspiciat aliquem in dignitate, quam sibi deberi præsumit, tunc æstuat, discruciatur, insanit, & quasi aduersus inuasorem & direptorem ferocit. Propriis bonis alium videre auctum, auctarium miseriæ est, & calamitatis meta. Quod nec Tobias, patientiæ spirans columna, nisi lacrymis infusus commemorare valuit, dum videt Assyrios suis opibus opulentos, suis vrbibus auctos, suis etiam honoribus sublimes. Vnde hîc suis Hebræis de reditu ad proprias possessiones ore prophetico gratulatur. 1.

Ambitio non retrospicit.

Senec. epist. 74.

Hic vers. 7.

2. Lucæ 4. Iesus è baptismi gloria, ad deserti palæstram strenuus luctator ducitur, vt non tam hostem tartareum, quàm eius impudentiam detriumphet. Ieiunat ante certamen, vt hominibus innotescat, quod genus armorum hominem à spiritualis nequitiæ incursione defendat. Non enim quasi Deus vtitur potestate, quid enim mihi proderat? Gulæ, & ambitionis tentatione depulsa: *Duxit illum Diabolus in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis, & ait illi: Tibi dabo potestatem hanc vniuersam & gloriam illorum: quia mihi tradita sunt,* &c. Benè autem in momento temporis secularia & terrena monstrantur: non enim tam aspectus celeritas indicatur, quàm caducæ fragilitas potestatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt, & *sæpè honor seculi labit antequam venerit.* Quo modo autem hæc

Lucæ 4. v. 5. & 6.

Matth. 4. v. 8. & 9.

Ambr. ibi.

hæc omnia Diabolus Christo ostenderit, fusè tradunt commentatores, & parùm ad rem de qua agimus, pertinet. Illud verò admirabilitate non vacat, quod vetustissimus Dæmon hoc tentationis telum, ceteris hostilitate prætulit. Nempe eum, qui gulæ delicias famelicus reiecerat, ambitione adoritur, & inanes de pinnaculo plausus aucupaturum præsumit, vt quem gula non vicerat, vincat ambitio, & vanæ gloriæ fastus hominibus cognatus. Tunc autem geminata tentatione delusus, aliquod oppidò validius tentamenti genus, de infernali pharetra vibrat, dum Christo ostendit omnia regna mundi, & gloriam eorũ, & quæ se dicit Diabolus possidere. In quonam validior huius tentationis energia sita est? eccur versutissimus Dæmonum tam de illa præsumit? Alias alibi huius dubij solutiones sparsim ad mores dedimus; nunc describam quid ad thema præsens hac super re luculenter Hugo Carensis meditatur. Subtilis hic Doctor ad ea Matthæi verba: *Et ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum*, &c. ita fatur: *Ostendit ei loquendo omnia regna mundi, & omnia concupiscibilia, & ostendit ei quomodo dominetur per totum mundum.* Obserua hic attentiùs vetustissimam Tentatoris astutiam, dolo malo altè imbutam. Scilicet sagacissimus Dæmon, quasi per anatomiæ artem habet exploratum humanum ingenium, & pronas ad vitia inclinationes; videns autem Christum esse verum hominem, & suspicatus esse Deum, (nuper enim audierat vocem è cælo, *Hic est filius meus dilectus*) validissimam exacuit tentationem, si fortè possit humanitatem passione inquietare. Nam cùm sciat omnia regna mundi Christo competere diuinitatis iure, callidissimè composito sermone ostendit Christo, quomodo ipse Diabolus *dominetur per totum mundum*, vt Christus suam præuiam dignitatem videns ab alio possessam, quà homo est, turbetur, exæstuet, & animitùs discrucietur. Nam etsi esculentas & poculentas delicias famelicus repudiarit, & hominum plausus blandè titillantes, neglexerit: at si cernat, dignitatem, quæ iure sibi competit, sub alieno possessore, (hominum spectata propensione) nimis inquietandum esse præsumit, aut ambitionis illicio, aut tristitudinis rabie, aut iracundiæ œstro, & inuidiæ lenocinio. Tot tragœdias animitùs excitat, vidisse alium, mihi debitâ dignitate sublimem, meo honore præcelsum, meis facultatibus opulentum? O, ex hac Diaboli tentatione agnoscamus, quam potenter nostra natura hac passione tumultuet, & ad vitia effrenis feratur! Ratio sistat, cohibeat virtus, propensionem tot vitiorum matricem, quàm inuitiata natura fouet, quam Diabolus impotẽter irritat, & qua vel Christum Deum subruere, & labefactare sagacissimè pertentat. De Tentatoris sagacitate, occultas naturę rimulas pernoscamus, per quas in vitia effluimus, & mergimur in malitiæ profundũ.

Iactat se Diabolus possidere regna Christi, vt illum impotenter inquietet.

Hugo ad eum Matth. locum.

Geneseos 27. natu minor Iacob, verâ sagacitate, aut mysticâ fraude subdolus, paterna sublimatur benedictione, Esaü maiori destinata. Quod peracerbè tulit Esaü: sic enim de eo sacer textus denarrat: *Auditis Esau sermonibus patris, irrugiit clamore magno: & consternatus, ait*, &c. Caietanus doloris acerbitatem sic expressit: *Et clamauit clamore magno, & amaro vsque valde.* Lipomanus ex Hebræo: *& amaro vsque nimis.* Mirabitur fortasse aliquis, quòd Esaü sic grauatè tulerit, Benedictionem sibi paratam, & natiuitatis iure sibi debitam, perdidisse, de quo nuper dictum est, quòd *vendidit primogenita, & abiit: paruipendens, quòd primogenita vendidisset.* Nempe primogenita, quæ vili pretio imprudens vendiderat, recuperare vi impudens moliebatur. Ast eùm ex ore prophetantis Isaaci audit, *Benedixique ei, & erit benedictus. Auditis Esau sermonibus patris, irrugiit clamore magno, & consternatus ait.* (Diligens & attentus expende ad rem verba, quæ subiicit) *Iustè vocatum est nomen eius Iacob: supplantauit enim me alterâ vice: primogenita mea antè tulit, & nunc secundò surripuit benedictionem meam.* Scilicet, vt subtiliter notauit Philo, non irrugiit Esaü clamore magno, & amaro vsque nimis, quia paternam benedictionem amisit: quia *Esau non tam cordi erat paterna benedictio, quàm ne frater Iacob in potioribus bonis esset*, sibi debitis inquam. Nam recuperatione desperata, sic se discrucians, & viscera rumpens, amaro vsque nimis animo exclamat: *Primogenita mea ante tulit, & nunc secundò surripuit benedictionem meam.* Ecce tibi Esaü, inuitiatæ naturæ ideam, qui paruipendens, quòd primogenita vendidisset, cùm Iacobum videt sua primogenitura, & paterna benedictione sublimem, præ inuidiæ liuore exæstuat, & amaro vsque nimis animo sæuè irrugit, & atrociter ferocit. Quid exaggeratiùs? Sic animum inquietat, & lancinat, videre alium, mihi debita dignitate auctum!

Genes. 27 v. 35.
Caietanus ibi.
Lipomanus ad eum locum.

Genes. 25. v. 34.
Fremit Esaü videns propriâ benedictione Iacobum feliciter auctum.

Genes. 27. v. 36.

Philo apud Catenam.

Geneseos 35. postquam Iacob è Mesopotamia redux, & sibi ingruentia pericula euasit: cónocata omni domo sua, ait: Abiicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra. Surgite, & ascendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo. *Dederunt ergo ei omnes Deos alienos quos habebant, & inaures quæ erant in auribus eorum: at ille infodit ea subter terrebinthum.* Benè est Iacob veri Dei cultor, Deos alienos auro & argento conflatos, è tota familia eliminet: sed quid necessè fuit è vt aurea suorum idola sub terra infodiat? Annon præstaret, vt eos redigendo in massam informem, & idola deformaret, & pretioso metallo, ad itineris sumptus, & operosam numerosæ familiæ sustentationem pottretur? Quid te suam familiam pretioso, & post deformationem innoxio metallo prodigè expoliat, & cur aureos Deos subter terram infodit. Clemens Alexandrinus in Adhortatoria ad Gentes, hoc forsan tacitus alludens, his verbis tempestiuè ad rem aduersùs Idololatras stomachatur: *O impietatem puram! ab interitu alienam essentiam quoad eius à vobis fieri potest, defoditis: & id quod est intemeratum & sanctum, eius quæ verè est essentiæ, obruitis. Deum deprædantes.* Scilicet Iacob dum redit in Bethel, vt verum Deum sumptuosiùs adoret, eum priùs ab iniuria vindicat, quam ab Idololatris accipit. Hi enim dum vero Deo cultum debitum Idolis exhibent, quoad fieri potest, sanctam & intermeratam Dei essentiam *obruunt & defodiunt, Deum deprædantes*: ergò Dei vindex Iacob antequam illi summum adorationis cultum præbeat, quò par pari, (vt vt fieriri potest) referat, idola *deprædatur*, eisque, etsi metallo pretiosis, magnanimus expoliat; atque ea subter terram *defodit, & obruit.* Sic grauatè sentitur, vt honor sibi debitus, percipiat alter, & tuis elogiis sublimetur, vt ethnici quasi verum numen idola colentes, & *Deum prædari*, & ab interitu alienam

Genes. 35. v. 3.

Idololatræ, & Deum deprædari, & diuinam essentiã, quoad fieri potest, defodere, & obruere dicuntur.

Clem. Alex. in Adhort. ad Gent.

alienam Dei essentiam, (quoad fieri potest) *defodere*, *& obruere* dicantur? Nihil ergo mirùm si grauatè nimis ferant homines, videre alium sibi ipsis debita dignitate sublimem.

5. Ticinensis Ennodius de singulari victoria his verbis regi Theodorico gratulatur: *Castrensis*, inquit, *gloria turmarum participatione dispergitur, nec ad vnum referri potest quod venerit collatione multorum. Singularis boni fructus est ambitionis refrenatio.* Nota quàm auidè vel gregarij milites de hostibus à se quoque profligatis, partem gloriæ Imperatori detrahant, ne de suis etiam gestis glorietur Imperator, qui sollertet studet singulariter vincere, quò singularis victoriæ fructus fiat militaris *ambitionis refrenatio.*

Ennod. in Panegyri. Singularis gloria est aliena ambitionis refrenatio.

§. CCCCLIII.

Qui in via virtutis alacer currit, non laborat; qui autem ignauè ambulat, passim impingit, & egregiè lassatur.

6. NVnquam me in bona re, mali pudebit auctoris. Publius tragicis comicisque vehementior ingeniis, inter multa alia, & hoc ait: *Cuiuis potest accidere, quod cuiquam potest.* Hoc si quis in medullas demiserit, & omnia aliena mala sic aspexerit, tanquam illis liberum & ad se iter sit, multò ante se armabit: quàm petatur. *Serò animus ad periculorum patientiam, post pericula instruitur.* In tanta rerum sursùm ac deorsùm euntium versatione, si virtutis arbitro, non quicquid fieri potest, pro futuro habes; das in te, vires rebus aduersis, quas infregit quisquis prior vidit, quas frustauit strenuus pietatis athleta. *Feras, non culpes, quod mutari non potest.* Feres autem non solùm fortior, sed & tranquillè, & placidè, si strenuè te ad virtutẽ accinges: sic enim & humanæ vitæ, & arduæ virtutis molestiã facilè decoques & in pietatis saporem digeres. Alacre in Dei via propositum, præuisas & obuias itineris difficultates exarmat, & arduæ viæ acerbitates mellit. Pigra viatoris desidia, cognatæ lassitudini obnoxia est. qui timidè ambulat, passim offendit. Strenuè feruidus viator, non æstuat in ardua via; vel de æstu refrigeratur, & de labore animos resumit, vt cursum contendat. Piger animis laborat; ipsâ pigritia lassus, & in terra fessus. At vir fortis, & strenuus, labore animatus, impiger currit, lassitudinis nescius; ipso feruore feliciter intrepidus, & placidè adaptus.

Seneca lib. de Tranq. vitæ cap. 11.

Cuiuis potest accidere quod cuiquã potest.

Publ. Mim.

Impiger viator, via acerbas difficultates mellit.

4. Isaias cap. 40. sic affatur Hebræum populum, in via Dei lassum, & præ lassitudine querulum: Deus sempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ: non deficiet, neque laborabit. Qui dat lasso virtutem: & his, qui non sunt fortitudinem & robur multiplicat. Deficient pueri & laborabunt & iuuenes infirmitate cadent. *Qui autem sperant in Domino mutabunt fortitudinem*, (Hebraice, *integrabunt*) *assument pennas sicut aquilæ current & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Locus quidem moralis sueci plenus, & ad alia themata non semel expressus, & adhuc emulgendus. Omitto, quòd dùm robusti iuuenes lassantur, lassi & imbecilles roborantur, adintegrata cælitus fortitudine, vt in via Dei indefessi ambulent: nam firmâ spe vegeti, & alacri virtutis voto robusti, assument pennas sicut aquilæ, & tamen assumptis alis, non volare, sed *ambulare, & currere.* dicuntur. Mitto, inquam, hæc alibi copiose enucleata, vt enucleatius Prophetæ sententiam emedullemus. Quantumuis sint, inquit, languidi & imbelles, spei animosæ exciti, mutabunt, idest, *integrabunt* fortitudinem; & aquilinis alis strenue assumptis, in virtutis ardua via, *Current, & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Quisquis attentiùs hæc verba rimetur, non potest non aduertere, quòd inidonèe videntur verba inuerti! nam cùm magis defatigetur, qui currit, quàm qui ambulat, *curenti* debuit adiici, *Non deficiet*; & *ambulanti*, siquidem minùs ambulando lassatur, debuit apponi, *Non laborabit.* ita vt sic diceretur: Current, & non deficient; ambulabunt, & non laborabunt. Et tamen verba Isaias inuertit, ita scribens: *Current, non laborabunt; ambulabunt, & non deficient.* Quod noster peruidit Cornelius, in re Biblica oculatissimus, his verbis: Plus, inquit, videtur hic promitti currentibus, quam ambulantibus in via virtutis: plus enim est non laborare, idest, non sentire laborem quàm non fatigari, & ex fatigatione non deficere. (Nota verba, quæ tempestiue ad rem ex doctrina Bernardi subscribit) *Currentes enim sunt feruidi, qui præ feruore cursus laborem non sentiunt: quia eum amant, & ambiunt. Vbi enim est amor, ibi non labor, sed sapor, ait S. Bernardus. Ambulantes sunt minùs feruidi, qui proindè in laboribus virtutum laborem sentiunt.* Quid ad litteram, & ad mores accommodatiùs? *Ambulas* pedetentim & pigrè in virtutis via; non tantùm laborem senties, sed timendum tibi est, ne passim impingas, & lassus deficias: nam lassitudo, pigritiæ appendix est. Quod si strenuè *curris*, & alacer cursum contendis, non tantùm currendo lassaberis, sed neque laborem laborando senties. *Current, & non ambulabunt; ambulabunt, & non deficient.* Porrò feruor, laboris decoquit molestias, asperitates lenit, & lenocinio amoris, difficultates exarmat. Nil arduum amanti, nil vidè conanti difficile. Labor autem, & lassitudo, pigritiæ affinis est, virium defectus, & deficiendi minæ. O beatas Sanctorum calamitates! ô timendam tepidorum desidiam!

Isaiæ 40. v. 11.

Currentes non laborant, ambulantes propè deficiunt.

Cornel. ibidem.

Bern. apud Cornel.

Matth. 11. postquam Christus Deus rudes adhuc populorum turbas, cælesti doctrina allectas, cateruatim ad se attraxerat, ne laboris tædio, à cœpta virtutis via ignauè deficerent, his verbis cum eis amice fatur: *Venite*, inquit, *ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos... & inuenietis requiem animabus vestris.* Locus & sudatus, & & difficilis; etsi aliàs à nobis ethicè versatus, adhuc enucleandus. Eequid est, quòd præcauens Christus, ne recentes Discipuli pigrescant in via virtutis nuper inceptâ, & noui itineris labore perterriti, ignauè lassi, aut sistantur, aut repedent; dum eos recreare à viæ molestiis pollicetur, nouis onerat molestiis, & oneribus pergrauat? Incedendum illis erat per arduam virtutis viam, & nouo onere, ipsoque pergraui, sequentes se leuare, & recreare promittit? Ne exonerati pigrescant lassi, grauiori sarcina eos recreat? Aut leui onere non lassabuntur, aut si leui lassantur, grauiori deprimentur. O sententiam ænigmati similem, & cum rerum natura pugnantem; Ecquis ne minori sar- 5.

Matth. 11. v. 28. & 29.

Quantò magis Christum sequeris, tantò minus laboras.

cina

cinâ onustus, in via deficiat; maiorem imponit, vt faciliùs, & iucundiùs iter peragat? Verùm qui tepidè ambulat in virtutis via, & mundum Deo adsociare dissimulanter studet, passim offensat, & valdè laborat; adhuc enim non cessat *subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus; appetere quidem transeuntia, sed cum transeuntibus nolle transire*, vt dixit Gregorius. Ecce tibi quàm laborent hi, qui incipiunt Christum in viâ virtutis sequi. Sed eosdem, qui in eâdem virtutis via nouitij & rudes sic laborant & æstuant, nouo onere Christus subleuat, maiore difficultate difficultates mollit, & mellit, aiens: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: Tollite iugum meum super vos... & inuenietis requiem animabus vestris.* Et vt inibi opportunissimè notauit Hugo: *Quanto magis Christum sequeris, tantò minus laboras.* Alacer & strenuus viator, vel *currendo* non laborat, sed æstum feruore detergit. At piger & deses, mirum est, quod vel *ambulando*, non lassetur & deficiat in via. O *curre*, ne labores, qui *ambulando*, propè deficis. Sit nouum onus ad *currendum* calcar, qui ferè exoneratus, vix *ambulare* potes. Eleganter Hilarius ad præfata Matthæi verba, concinens Tobiæ hic vers. 16. ita fatur: *Et quid iugo ipso suauius, quid onere leuius probatur: nisi scelere abstinere, bonum velle, mallum nolle, amare omnes, odisse nullum, æterna consequi, præsentibus non capi, nolle inferri alteri quod sibi perpeti sit molestum?* Qui hoc propositum tuâ sorte Tobiâ feruidè arripit: *Assumet pennas sicut aquila, curret & non laborabit, ambulabit & non deficiet:* & maiori onere minora leuabit, ne in virtutis viâ ignauè lassescat.

Greg lib. 30. Moral. c. 11.

Hugo Car. ibidem.

Hilar. can. 11. in Matt.

Hic vers. 8.

2. Matthæi 26. oscitanter dormiunt, & altè stertant Apostoli, dum Christus in mœstissimâ iamiam instantis Passionis agonia, sanguinem sudat. Et post trinam orationem, illis dormientibus, & ex interuallo excitatis, factam, venit ad ipsos, & dicit illis: *Dormite iam, & requiescite: ecce appropinquauit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatoris. Surgite eamus: ecce appropinquauit qui me tradet.* Dormite iam, & *requiescite*, dicit cùm exsomni sollertia vigilare maximè oportebat? Quin & non benè sibi videntur cohærere hæc Christi Dei verba, sed sibi inconsectariè pugnare, vt subtiliter notauit Augustinus sic fatus: *Videtur autem hic sermo secundum Matthæum sibi ipsi esse contrarius. Quo modo enim dixit: Dormite iam, & requiescite, cùm continuò: Surgite eamus?* Properantem sui sequelam à Discipulis exigit, vt vltrò, alacri animo, & festinato occursu hostilem cohortem excipiat, & se quammaturè Passioni offerat, (*Surgite*, inquit, ocyssimè: *Eamus* festinanter in eorum occursum) & tunc ait: *Dormite iam, & requiescite?* Quis dum cursum contendit, pacatè & tranquillè *requiescere* potest, nisi qui impigre Christum sequitur! *Dormite iam, & requiescite: Surgite eamus,* Quisquis ad Christum festinus it, placida & grata fruitur *quiete*, dum festinando plus æstuare videtur. *Curret & non laborabit, ambulabit & non deficiet.* Imò inde captabit requiem, vnde credi poterat fatigatus. Qui post Christum ignauè ambulat, inerter lassescit: qui strenuè currit, gratæ *quietis* placida tranquillitate potitur.

Math. 26. v. 45. & 46. Qui festinanter Christum sequitur, grata quiete potitur.

August. lib. 3. de Concord. Euangel.

§. CCCCLIV.

Eximia requiritur virtus in eo, qui proponitur quasi morum exemplar, quod alij imitatione ad amussim exprimant.

3. PRæclara Nazianzeni vox est: *Subditi Præfectorum vitio celerrimè imbui solent:* non tantùm quia magna auctoritate ad nos venit, quod de summa apud nos dignitate descendit; sed etiam quia summa æmulari, excelsa subiectorum virtus reputatur. Præfectus autem vt vitij ac virtutis censor est; sic etiam & proponitur vitæ norma, & morum idea, ad quam se subditi voto forment. Hinc vel exiguum errorem in typo, quicquid in illo excussum est, latè ampliat, vnius vitij numerosa propagine. Idcircò quoniam morum exemplar proponitur *Christus, sublimior ac præstantior est, quàm vt intra peccandi aleam esset*, ne archetypi vitij homines imprimerentur, & propositi exemplaris defectus fœdè exprimerent, quod accidit Deorum inanium cultoribus, de quibus sic fatur Athenagoras, *Si dij essent, non concupiscerent: imò etiam si Deus carnem prouidentia diuina assumeret, non deberet tamen, aut ne posset quidem in ipsum cupiditatum seruitus cadere.* Cupiditatis expers esse debet, qui cupidinis vacuos efformare & excudere satagit. Nil quod dirigi debet, flexuram curui ad rectitudinem imitatur. Exemplaris sui indecoros næuos imitamenta colorant æmulationis penicillo. Bonus morum institutor Tobias senior, qui iuniori Tobiæ, in toto cap. 4. ore dictat, quæ hactenus opere persuaserat; in quo eminet exactior pietatis forma, religionis exemplar, & absoluta virtutum idea: & hoc *quasi fundamentum construens*, sanctitatis culmen studio imitationis attollit in filio, viua parentis imagine, de tanti institutoris imitatione perfecta. Homines enim exemplum morum vitiis æquè ac virtutibus celerrimè imbui solent. Sed iam hic prophetiæ instinctu Christus Deus à Gentibus adorandus proponitur, & tanquam perfectibus morum idea suscipiendus.

S. Naz. ora. 1

Christus, morum idea, non potuit non esse cupiditatum exsors.

Idem ibid.

Athenag. in sua pro Christianis legat.

Tobiæ 4.

Hic vers. 9.

Geneseos 2. operosum mundi opificium sextiduo consummatum est. Terra stat inconcussa, & super nihilum profundè nitens, immensam rerum molem flectinescia sustinet; aquarum recessu maria pigre stagnant, & terra vomeris patiens, spontaneos absque aratore fructus opime profert: aër variegatis lucis coloribus gratè pingitur, & de Solis absentia vicissim denigratur: ignis sublimitatis ambitione altè elatus, fugitiua arrogantia oculos transcendit humanos; & nullibi esse putatur, qui nusquam apparet: cælum accensis, interstinctisve facibus varium, lucem ac tenebras constanti perpetuo inconstantia sæper alternat. Aqua piscibus ebullit; aer volucribus concinnè inquietatur; terra fontibus micat, amnibus intersecatur, montibus assurgit, vallibus iacet, floribus vernat, fructibus autumnat, animantibus pascitur. Sed nusquam homo, opificij finis. Nimirum maiori cum dignitate efformanda erat princeps mundi creatura. Ergo ad architectandum Hominem, de mūdi alis atque Angelicæ naturæ confinio generosum magnum cælitus consilium aduocatur. Itaque

Præcauet Christi humanitas, ne inidonea habeatur vt sit morum exemplar.

que hoc sumptuoso verborum apparatu facet Historicus fatur: Et vidit Deus quòd esset bonum quicquid hactenùs fecerat; & ait: *Faciamus Hominem ad imaginē & similitudinem nostram.* Quid pluratiuo nomine vtitur, cùm homo ad similitudinem Dei faciendus, publicatur. Quis consultissimum hoc consilium cogit; quinam eiusdem consilij electissimi consultores aduocantur. Alibi copiosè adstruebam, tres sanctissimæ Triados personas, ad hoc formandi Hominis consilium aduocari: cui autem earum hæc verba adscribantur, non conuenit inter expositores. Filio Deo passim tribuitur: qua de re sic ad rem præsentem peracutè fatur Zeno Veronensis: *Quippe cùm dicit: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Non inquit, Fac ad tuam, sed ait, Faciamus ad nostram, ne quam Filius hominem induturus pati videretur iniuriam.* Scilicet Homo fingendus erat ad imaginem & similitudinem Dei, quem mente referret, & gratiæ moribus æmularetur, felici sanctitatis & virtutum imitamento? exinde non ait Deus Filius Patri Deo, Fac hominem ad tuam imaginem & similitudinem, sed; Faciamus ad nostram, vt Homo etiam fiat ad Filij similitudinem, ne quis alius, aut alter adsimilis cæcitatis, putaret, Dei Filium hac dignitate exemptum, ob aliquam assumptæ aliquando carnis infirmitatem. Itaque cùm res prototypi assignandi geritur, etsi eousque in reliquorum creatione pluratiuum Personarum nomen non audiatur) consultissimè ait Dei Filius Patri Deo, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Non inquit, Fac ad tuam, ne quam filius hominem induturus pati videretur iniuriam*, si ob humanæ carnis assumendæ infirmitatem, minùs fortè idoneus putaretur, qui foret Hominis prototypus, & humanæ perfectionis, ac virtutis idea? nam *Christus sublimior ac præstantior est, quàm vt intra peccandi aleam sit:* ò! tam consummata perfectio in morum exemplari requiritur, vt ipse Filius Dei, quia aliquando carnem assumpturus erat, quodammodò præcaueat, ne inde ab ideali perfectione repudietur: *Faciamus*, inquit, *Hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: nam etsi carnem assumam, carnis contagio non polluar, sed de diuinitatis indiuiduo consortio, illam augustiùs sic sublimabo vt condignè esse possit, morum idea, & perfectū exemplar sanctitatis; opportunissimè aiens. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis:* quod ad reliqua etiam opera meritò interpretes extendunt; quasi in humilitatis exemplo reliquarum virtutum compendium inuenerit.

Gen. 1. v. 26.

S. Zeno ser. 3. de Genes.

Ioann. 13. v. 61.

3.

Psal. 1. v. 1.

Regius Vates in ipso Psalmorum vestibulo, legendam consummatæ perfectionis tabulam proponit: *Beatus*, inquit, *vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedrâ pestilentiæ non sedit. Sed in lege Domini voluntas eius.* &c. Sed quis etiam in limine non offendat? *Beatus vir*, inquit, an non etiam, Beata mulier, quæ adsimilia patrarit virtutis facinora, aut de fuga vitiorum, aut de virtutis prosecutione prælustria? Quorum natura est eadem, eorum operationes vtique non possunt esse discretæ: & quorum opus æqualè, eorum vtique æqualis & merces. Verum igitur Scriptura dicendo, quare natu æ & meriti consortem prætermisit? Paria autem studia virtutis, quamobrem par mercedis prærogatiua non sequitur? meriti enim prærogatiua, res meriti est, non sexus. Cur ergò *virum* nominat, & feminam omittit? Ambrosius multimoda eruditione rem hanc versans, ita ad thema præsens eloquenter scribit: *Quid autem sexum discutias, vbi non corporis à te, sed animæ certamina postulantur, quæ sexum non habet! Non ergo illic discernas honorem, mercedem diuidas, vbi non discernitur sexus.* (Attentius æqua mente libra, quæ subiicit v.r. sa.) *Non incautè tamen, inquit, si prior vocetur ad exercitum, qui fuit posterior ad lapsum. Quæ malè cœpit, sequi debet, non præcedere. Malè Eua naturæ ordinem prætermisit: expectare debuit præcedentem. Astutè serpens à posteriore cœpit: ideo Propheta ad superiorem reuertitur: enim vtique qui lapsus non esset, nisi esset posteriorem secutus.* Quæ malè cœpit, etsi gloriose cursum consummet, sequi debet, non præcedere. Quæ prior impegit, non benè priùs gradietur: quæ fuit vitij exemplar, non præcedat quasi virtutis idea. *Vir* duntaxat dicatur *beatus*, quia posterior fuit ad lapsum, prior exinceps ad virtutem. Quin & tanta est in exemplari virtute perfectio, & meritorum sublimitas, vt qui procedit ad virtutem duntaxat nominetur, & aspectu ad illum, qui illum subsequitur, fuentes emittatur. *Beatus vir*, inquit, & fœminæ vocabulum velut negligitur; quin *sequi debet, non præcedere.* O vidè hic quanta sit præcedentiæ prærogatiua in re virtutis, & quantum sit meritum præuentis probitate exemplari, quam alij imitatione exprimunt! Vnicus institutoris defectus, vnus plures est, de numerosâ malitiæ propagine.

Vir quia præcedit beatus. hic nominatur, non femina, quæ illum imitatione subsequitur.

S. Ambr. in Psal. 1.

Mulier, quia malè cœpit, sequi debet, non præcedere.

4.

Ad Philip. 3. vers. 17.

Paullus se, & suos imitatores, quasi exprimendum moribus typū proponit.

Gentium doctor his adhortatoriis verbis ad omnes sanctitates erudit Philippenses: *Imitatores mei estote fratres, & obseruate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* Magnum sanè foret, quòd Paullus, non iam Christum (quem sibi impressum, & in se expressum linguâ & manu gerebat) sed se ipsum proponat Philippensibus imitandum. At, quod magis peregrinum est, eos qui ipsum Paullum imitantur, velut morum formam, & conuersationis obseruandam ideam nunc proponit. Oecumenius sic præfata Apostoli verba exscribit: *Imitatores mei estote fratres, & considerate eos qui sic ambulant, quemadmodum habetis nos in typo.* Accipe Oecumenij expositionem: *Neque*, inquit, *diuinus hic vir solis docebat sermonibus, sed & pro exemplari ipsis proponebatur in operibus. Et considerantes, &c. Nunc autem communem dat eis obseruationem: vt illis, inquit: commisceamini, qui typum gerunt meæ apud vos conuersationis.* Nimirum Paullus, qui se quondam velut exemplar imitandum proposuerat, rectè se appellat *typum*, qui secum conuersantibus, eumque intuentibus imitatione impressus, alterum ipsum Paullum exprimit. Quin & eos etiam, qui illum conuersatione imitantur, *typos* etiam qui Paullum exprimant, consultissimè appellat. *Et considerate eos qui sic ambulant,* (ex mei imitatione inquam) *quemadmodum habetis nos in typo.* Scilicet dum me imitatione, imitamini, (ait Paulius) me velut impressum *typum* exprimitis, quia *typum gerunt meæ apud vos conuersationis.* Hinc obserua quàm debeat esse perfectus, qui velut vitæ idea, & morum forma proponitur, siquidem conuersantibus & intuentibus velut typus subiectæ chartæ imprimitur, exemplaremque vitam exprimit, simillimosque excudit mores. O viderint, ne typicos etiam defectus imprimant

Oecum ibi.

imprimant! obserua etiam quàm latè propagetur typica imitatio, quandoquidem etiam Paulini typi imitatores, velut multiplicirer repetitus Paulus, quasi *typus* proponuntur. *Et considerate eos qui sic ambulant, quemadmodum habetis nos in typo.* Planè eximia requiritur virtus in eo, qui proponitur quasi morum exemplar, quod alij imitatione adamussim exprimant: ô, exiguus in typo error, quam latissimè propagatur!

§. CCCCLV.

Dei Filius humanitatis assumptione, non dehonestatur ad ignominiam, sed quodammodo sublimatur.

1. Clemēs lib 5. Strom. c. 5. CLemens Alexandrinus antiquus, & locuples Auctor, ita doctè scribit: *Et honores scilicet ab hominibus, & à Dæmonibus*, (ab Angelis inquam) *inquit Plato, percipit Deus, velut quoddam vectigal accipiens à generatione: à nobis quidem fumos, à Dæmonibus* (idest, Angelis) *propria eorum munera, & ministeria.* Nempe Angeli ex suæ creationis censu, obeundis ministeriis vectigales existunt. Nec hoc pensitare vectigal, ignobilitatis stigma censeri debet, sed nobile generositatis stemma. Angeli enim quò magis tributarij, magis sancti; imò & quò magis sancti, magis tributarij sunt. Hinc mirabitur iam nemo, quòd Raphaël, vnus è septem olympij Regis facialibus hominem vel apparenter induat, & tanquam Tobiæ seruus illi ministeriali officio velut homo quispiam famuletur. Neque propter humanitatem specie tenus assumptam, nec propter seruile hominum ministerium, ab Angelica præstantia Raphaël degenerat: sicut Dei Filius verè homo factus, propter verum corpus, & corporis consequentias, à Deitatis generositate minimè desciscit.

Angeli ex censu creationis, vectigales ministeriis existunt.

Tobiæ 5 v. 15.

2. Geneseos 1. Cœlesti, elementari, & animali opificio peracto, ad hominis formationem accingitur Deus, & rem tantam præuio consilio auspicatur, vt Principis creaturæ formationem honoret: *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Quid est, quòd reliquarum rerum eò vsque creationem, nō verbo pluratiuo, sed singulari peregerit; ad hominis autem formationem pluralitas asciscitur? In principio ait, *creauit Deus* cœlum, & terram: & *dixit Deus*: Fiat lux: &, *Fecit Deus* firmamentum, &c. cùm autem homo creandus est, stylum euariat, plurali numero vtitur? Imò sciscitari etiam lubet, quis quem ad consilium aduocet? Hæc omnia S. Zeno Veronensis (nuper aliorsum expensus) paucis compendiosè strinxit: *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Non inquit, fac ad tuam, sed ait, faciamus ad nostram: ne quam Filius hominem induturus pati videretur iniuriam.* Scilicet in reliquarum rerum animalium, & exanimalium productione non expressa Dei similitudo, sed cæcum quoddam similitudinis vestigium apparet. Ast cùm Homo creandus est ad Dei imaginem, & Deus formandi hominis idea proponitur, ad cuius similitudinem efformetur, nuncupatim Dei Filius aduocatur, *ne quam Filius hominem induturus pati videretur iniuriam.* An aliquid singulare in Deo hominem induturo elucet, propter

Gen. 1. v. 26

Zeno de Genes. ser. 3.

Dei Filius humanitatem induturus, cur aduocatur ad hominis formationem.

quod nuncupatim aduocandus sit, cùm primus homo ad Dei imaginem, & similitudinem formandus est? Pulchrè ad rem Diadochus ita scribit: Illud (*ad similitudinem*) *illorum tantum est, qui per multam charitatem libertatem suam Deo in seruitutem addixerunt. Quando enim non sumus nostri, tunc similes sumus ei, qui nos sibi per charitatem reconciliauit.* Sed quomodo nos sibi per charitatem amanter reconciliauit? Scilicet quando *exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus.* Nimirum similitudo hominis ad Deum in multis sita est (vt inibi notabamus) & in naturalibus animæ: fortè etiam & in corporis lineamentis, (si Deus hominem formaturus sub humana forma apparuit) tum etiam in virtutibus Deum (vt vt humanitùs potest) repræsentantibus. Exinde cùm homo ad imaginem, & similitudinem Dei formandus erat, *non inquit, fac ad tuam, sed ait, faciamus ad nostram, ne quam Filius hominem induturus pateretur iniuriam*, vt ait S. Zeno. Tum etiam quia cum homo per charitatem se ab se alienat, & seipso vacuus, non est suus, sed Dei; tunc, tunc quidem, *similes sumus ei qui nos sibi per charitatem reconciliauit, dum exinaniuit semetipsum formam serui accipiens.* An non agnoscis hic humanitatis dominicæ præstantiam, & qua Dei Filius non modo à diuinitate non degenerat, sed alio etiam titulo dignus existit, qui simul cum Patre Deo ad elogiū ideale aduocetur, præclustri illa prærogatiua, qua de exinanitione sui generosam celsitudinem fœneratur?

Diadochus lib. de Perfect. spirit. c. 4.

Ad Philipp. 2 v. 7.

Ad Philippenses 2. ad piam ex humilitate sublimitatis ambitionem Paulus adhortatur, aiens: Implete gaudium meum, vnanimes idipsum sentientes: nil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes, hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo IESV: *Qui cum forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum, &c. propter quod Deus exaltauit illum.* Valde in hoc loco extricando sudant interpretes, vt exponant, quod sit, quòd Christus non *rapinam* arbitratus est esse se æqualem Deo. Multi multis expositionibus hunc locum vexant. Ego verò adducam ad rem Origenis verba animosè excogitata, & eloquenter exscripta: *Audendum est dicere*, inquit, *maiorem diuinioremque bonitatem Christi apparere, quando humilem præbuit seipsum factus obediens vsque ad mortem, quàm si rapinam arbitratus esset, esse se aequalem Deo, neque voluisset pro mundi salute fieri seruus.* Nempe cùm indecora res sit furtum, furti commissi propudiū omnes erubescunt. Exinde rem furto acquisitam, etsi de se præclustrem, occultare satagunt, latrocinij pudore. Itaque Christus verus homo, non abscondit diuinitatem quasi rem furto sublatam, & ambitiosa rapacitate partam; sed potius eam publicitus euulgauit. Sed vide quo euulgationis artificio. Scilicet dum homo apparuit, dum serui formam suscepit, dum se studiosiùs exinaniuit. Quasi dicat: Cum Christus Deus, verus homo apparuit, & pro hominibus humanam serui formam suscepit, & semetipsum sic exinaniuit; tunc, tunc sanè, *audendum est dicere, maiorem, diuinioremque bonitatem Christi apparere.* Cum Christus pro hominibus homo apparet, forma serui in

3.

Ad Philipp. 2. v. 6.

An Christi humanitas diuinitatem exaltauerit, ex Anselmo traditur.

Orig. tom. 12 in Ioan.

indutus, tunc maior, *diuiniorque* bonitas in eo scintillat. Pergit S. Anselmus exponens præfata
Anselm. ibi. Pauli verba: *Propter quod & Deus exaltauit illum*, illaque de Christo non modo quà homo, sed quà etiam Deus est subtiliter interpretatus: *Deus*, inquit, *illum secundum humanam naturam exaltauit, in quo & diuina natura potest dici exaltata secundum ostensionem, quia cæpit sciri quod erat.* Quid exaggeratiùs? Scilicet diuina natura immetate sublissima, excelsiùs exaltari non potest, deest enim quò sublimiùs ascendat. Verùm tanta est humilitatis celsitudo in humana Christi natura apparens, vt diuina etiam natura quo potest modo, secundum ostensionem inquam, cœ-
Hic v. 9. perit exaltari. Sic assûmpta à Christo humanitas sub forma serui, Regem Christum quà Deum etiam generosè exaltauit?

4. Exhodi 3. humilitatis instinctu præcelsam ad Ægyptios legationem velut contentiosè adhuc refutat Moyses. Quis sum ego, inquit, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël de Ægypto? Quod si dixerint mihi: Quod est nomẽ Dei,
Exhod. 3. v. 14. qui te misit? quid dicam eis? *Dixit Dominus ad Moysen: Ego sum qui sum. Ait: Sic dices filiis Israel: qui est, misit me ad vos.* Hebraïcè ita legitur locus iste: *Ero, qui ero*, & ita etiam habet Chaldaica, pro *ero*, ac si dicat: *Is sum, qui*
Lipom ibi. *ero*, quæ sunt verba Lipomani inibi. His verbis communiter putatur tradi nomen Tetragrammaton, seu Iehouah, quod arcanam Dei essentiam, eius incomprehensibilem naturam, & summam perfectionem significat. Sed quid est, quòd cùm Deus suam immetatam perfectionem explicatius hominibus promere intentat, ita dicit: *Ego sum, qui ero?* Et sanè qui in rubo ad Moysen loquitur, esse diuinum verbum postea carnem assumpturum, Interpretum proceres constanter tradunt, & in his verbis: *Ego sum, qui sum, aut qui ero*, Christum idest, hominem Deum cognoscit
Nomen Tetragrammaton, Dei naturam exponens, Christi etiam passionem innuit.

Ambr. libr. 5. de Fide c. 2. Ambrosius. Rectè ne explicatur diuina natura, & perfectio, dum dicit verbum, *Ego sum, qui ero?*
Hugo Car. ibidem. Audiendus est inibi Hugo Carensis, qui in hoc nomine Christum recognoscens, ita ad rem subtiliter philosophatur: *Et autem nomen illud Tetragrammaton, idest, quatuor litteris scriptum, scilicet he, ioth, vau, heth, quod sonat: Principium vitæ passionis iste. Hoc nomen erat scriptum in lamina aurea, quam Sacerdos gerebat in fronte. Et huius sensus: Iste, idest, Christus, quem iste Sacerdos significat, est principium vitæ, passionis, idest, per passionem. Loco enim ablatiui solebant Græci ponere genitiuum.* Nimirum dum verbum suam infinitam perfectionem cupit hominibus gloriosè ostendere, ait: *Ego sum, qui ero.* Idest, Ego *sum* primum ens, & principium essendi, & in fine temporum *ero* Deus homo, de vtero Virginis caro factus. Ne autem quis ex humana Passione perfectionem diuinam hîc dilucidè significatam, imprudens deuenustare præsumat, quasi Dei perfectioni inidoneam; ideò anticipata notione illã præmonstrat, illam ostentat, illamque explicatius deprædicat ad arcanam suæ perfectionis notitiam. *Ego sum, qui ero*, in vtero Virginis homo factus, in probrosa cruce patibulatus. Sic diuinum Verbum humanitatis assumptione, non dehonestatur ad ignominiam, sed quodammodo sublimatur ad gloriam.

§. CCCCLVI.

Grande scelus est, virtutū penicillo rem vitÿ colorare.

Facilius est excludere perniciosa, quàm regere, & non admittere, quàm amissa moderari: nam 1.
cùm se in possessione posuerunt, potentiora rectore sunt, cumque quò violentè volunt, spontè ducunt præcipiti passionum ductu; ita animus si in iram, inuidiam, aliosque se proiecit affectus, non permittitur reprimere impetum; rapiat illum oportet, & qua velit via infeliciter raptatquoniam nihil, aut parum rationis est, vbi semel ira, inuidia, odiumve dominatur. Hinc hi perniciosi affectus in aliena etiam castra migrant, & virtutem auxiliarem aduocare præsumunt. Sed nunquam virtus est, quam vitium adiuuat. Mera fraus est, qua virtus cogitur vitio suppetias ferre. Ingenium malitiæ est, ad inuidiæ, aut vindictæ defensionem, honestatem aduocare. Non benè bonitas imbonitatem colorat. De vanæ gloriæ scena prodit hoc ambitionis arbitrium. O! præcaueat virtutis hac vitiorum insidias. Periculosius malus est, qui sub virtutis vexillis, vitio militat. Falsata virtus est, quæ veræ malitiæ latebras offert ad vitij defensionem, hîc sollerter Tobias Hic v. 10.
præcauet.
Virtutis prætextu sæpè vitia colorat.

2. Genes. 37. Patriarchæ Iosephi somnium, sicut funestam illi excitauit tragœdiam sic aliud somnium finem fecit tragœdiæ, & prosperioris fortunæ auspicium dedit. Accidit autem vt visum somnium narraret fratribus suis. Audite, inquit, somnium meum quod vidi: *Putabam nos ligare manipulos in agro, quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum.* Responderunt fratres eius: Nunquid rex noster eris; aut subiiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo causa somniorum atque sermonum, inuidiæ, & odij fomitem ministrauit. Quod verosimile est Patrem non latuisse, nam res adeò noua in familia non valdè numerosa, proculdubiò sensim increbuit; præsertim cum palam somnium suum Iosephus euulgarit. Aliud quoque vidit somnium, quod narrans fratribus, ait: Vidi per somnium, quasi Solem, & Lunam, & Stellas vndecim adorare me. Quòd cum patri suo, & fratribus retulisset, increpauit eum pater suus, & dixit: *Quid sibi vult hoc* Gen. 37. v. 10. & 11.
somnium quod vidisti? num ego & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram? Inuidebant ei igitur fratres sui, pater vero rem tacitus considerabat. Vide quo cœca inuidia feratur, nam somnia, aut vera prænunciant, aut planè mentiũtur. Si vera sunt, qua ratione veritatem circumuenis? Si mentiuntur, cur dormientis pueri falsatæ imaginationi inuides? Sed explorare libet, cur prudens Pater propter hoc somnium Iosephũ increparit, non verò propter alterum, quod illi dubio procul innotuit. An quia in hoc somnio, se nomine Solis indicatum, Filio fore subiiciendum prædicitur; secus in primo, in quo fratrum duntaxat manipulos, sublimiorem Iosephi manipulum adorare dicuntur. Sic delicatè propria sentimus, & durè negligimus aliena? Grauatè ferret Pater, dilectum Filium regni solio potiri, si illi quodammodo subiiciendus foret? Verùm S. Ioannes
Præcauet Iacob ne filÿ in vitÿ auxilium aduocēt virtutem.

nes Chrysostomus, enucleatiùs Scripturæ verba perpendens, aliam paternæ increpationis causam agnoscit: *Sciens Pater*, inquit, *quod fratres inuidebant ei, propter hoc increpauit puerum.*

Chrysost. hom 61. in Genes.

Consultissimè quidem Iacobus, etsi exploratum illi erat, quod de primo etiam somno fratres inuidebant Iosepho, & fastidiose illum auersabantur, reprehensionem cohibet, quasi minimè necessariam ad sedandum familiæ tumultum, qui timeri tunc non poterat, neque enim adeò forent impudenter effrontes, (cum essent probę familiæ Iacobææ alumni) vt suam palàm inuidiam, & fraternum immerito odium querelis & iurgiis proderent. Ast cùm in posteriori somno aduertunt, Patrem quoque pariter prænunciata submissione ad Iosephum aliqualiter deuenustari, indè fortaſse inuidiam & odium præsumerent colorare, & dum Patris dehonestamentum videntur vlcisci, propria odia contumeliis & iurgiis dissimulanter vindicarent. Ergò consultissimè Pater, qui rem tacitus profunde considerabat, & somnium à Deo inspiratum prudenter coniectabat; propter *fratrum inuidiam puerum increpauit.* benè callens inuidię & odij vulpinas artes, quibus vitium virtuti solitat insidiari. Nimirùm religiosæ familiæ alumni suam palàm inuidiam propalare erubescunt; eam ergò paternæ pietatis obtentu colorarent, nisi prudens Pater vitij sagacitatem pernoscens, has malitiæ astutias opportuna somniatoris reprehensione præproperè anteuertens, consultissimè eluderet. Hæc vitium ingeniatur in malum, sed virtus non renunciauit ingenio.

5\. Matth. 1. cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto. Nempè sacer Virginis vterus Dei baiulus, quodam conuisceratæ diuinitatis fastu piè turget, & (vt cum Tertulliano loquar) *insolescit.* Ioseph autem vxoriæ castitatis exactor, zelotypiæ angoribus lancinatur. Cúmque esset iustus, nolletque eam traducere, voluit occultè dimittere eam, fugitiua cautela, aut reuerentia. Hæc autem eo cogitante. *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Quam opportunus aliger è cœlo nuncius adest, sollicitus Mariani honoris sequester, diuinæ corporationis vindex, & arcanioris sacramenti fidus assertor! Verùm peregrinam Angelici aduentus causam, tempestiuè incertus Chrysostomus his verbis adsignat: *Angelus Domini apparuit Ioseph, &c. Primò ne iustus homo ignorans faceret rem iniustam ex proposito iusto.*

Matth 1.v.20 *Solerter prænunciat Cœlum, ne Iustus rem iniustam faciat ex proposito iusto.*

Imperf hom. 1. in Matth. Remig. ibi.

Mirissimum planè est, quod vbi tot, tamque sublimes causæ suppetebant, vt de cœlo adesset nuncius, qui indecorum Iosephi diuortium impediret; hanc quasi primam Angelici aduentus rationem putarit Chrysostomus. Nam vt attentè philosophatur Remigius, si in eo rerum articulo Mariã Iosephus deíereret, perpauci essent, qui non magis suspicarentur eam esse meretricem, quam virginem; quò tota Incarnationis œconomia dehonestaretur. Verùm enimverò tanti æstimat Deus, humanarum actionum æquus arbiter, *ne iustus homo faciat rem iniustam ex proposito iusto*, & impietatem pietatis obtentu apparenter coloret; vt etsi aliæ grauiores causæ affatim occurrant, & strictim vrgeant; primo, & velut principe loco hanc apponat Chrysostomus Planè ignoranter id Iosephus præstitisset; sed in iustitiam iustitiæ penicillo pingebat, & impietatem pietatis colore adornabat. Ne ergò ideales sanctissimi viri mores, in consuetudinem posterorum abirent, celer præuolet Angelus, & hanc iniustitiæ defensionem procul eliminet. *Ecce Angelus Domini apparuit Ioseph, &c. ne iustus homo faceret rem iniustam ex proposito iusto.* Nisi fortè malis, tantam esse in cœlis curam, vt vel materiale peccati (vt vocant) deuitetur. De quo alias.

Matthæi 6. *Cùm ieiunatis*, inquit, *nolite fieri sicut hypocritæ tristes, exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes, &c. Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua*, &c Cùm dicit, Vnge caput tuum, & faciem tuam laua, non vt coma capitis illecebroso redundet vnguento, serius Magister iniungit: neque faciem nitescere solito vult lauacro: sed habitu prandentis vult celari ieiuniũ Christiano, quia Christianum vẽditare non vult artifici mœrore ieiunium. Sic non voluptuosos indulget aspectus, sed vultus qui simulantur, excludit: facies mœrore deiecta inuitat famem, non ieiunium voluntarium profitetur. Peridoneè ad lemma præsens Chrysologus: *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Si vult* ieiunare, *quare tristis? Si non vult, ieiunus quare? Meritò tali pœna viuit, qui sibi facit de virtute vitium, mendacium de veritate, de mercede stipendium, de remissione peccatum.* O quam lepidas ad rem sententias Rauennatis Præsul addensat. Tristissima diu mulctatur inedia, qui artificio ambitiosę hypocrisis, sibi facit de virtute vitium! Grande plane scelus, sacrosãctam virtutem profano recudere vitio, & pietatis penicillo prauitatem depingere, *Sibi facit de virtute vitium, mendacium de veritate:* Sic virgo veritas ambitionis libidine constupratur, vt tumenti fastu ambitiose grauida parturiat falsitatem: O degenerem sobolem, quam peruersè nutrit ambitiosus mœsti ieiunij squalor! Heu de virtutis *mercede stipendium* vitio dependitur! Inanis gloriæ auaritia, sic est effusè sanctitatum prodiga. Sed nota attentiùs verborum clausulam: *Sibi facit de remissione peccatũ.* (Sic appellat sentẽtiosè ieiuniũ) Profectò si nouo & insolẽti malitię genere, peccati remissio refingitur in peccatũ, vnde remissionem peccati sperabit hypocrita? Heu quid tã perniciosè execrabile, quã tot pietatum impietates, tot virtutum adulteria, tot religionis corruptelas, tot veritatis stupra! vbi virtus desciscit in vitiũ, veritas in mendacium degenerat, merces ieiunij fit malitię stipendium, & probitas cogitur improbitati militare. Horum votiua spes desperationem procurat, dum de falsatę virtutis stipendio, *sibi facit de remissione peccatum*: quod proditrix hominum malitia infeliciter præstat, quando virtutis penicillo rem vitij ambitiosè colorat. O infelix negotiatio, quæ inanis gloriolæ commercio abstrusas virtutum sanctitates, spectatorum oculis pulchrè nundinatur! Bellè dixit Nazianzenus: *Virtus Philosophis, inanis elegantia nomen est.*

4\. Matth 6.v.16 & 17.

Chrysol. ser. 7. *Hypocrita facit de virtute vitium, mendacium de veritate, de remissione peccatum.*

Naz Orat ii in Iulian.

§. CCCCLVII.

Quam durè puniat Deus blandam libidinis voluptatem.

1. SIcut vlcera quædam nocituras manus appetunt, & actu gaudent; & fœdam corporum scabiem delectat quicquid exasperant: non aliter dixerim de his mētibus in quas libido velut mala vlcera, erupit, voluptati esse laborem vexationemque. Sunt enim quædam quæ corpus quoque nostrum cum quodam dolore delectant. Salacibus fastidio esse incipit ipsa facilis aditu voluptas, expromptiorque libidinis copia; & subit illud rabidarum deliciarum: Quovsque eadem? Ardua difficultas, Veneris lenocinium est, quasi de difficultate placendi gratiam mutuetur. Zelotipiæ angor, sub rancoris sæui dolosis cineribus, præclaras lasciuientis amoris occultat scintillas, & acrioris incendij minas; dum apparenter zeli odium, cēsus amoris est, & libidinis exaggeratio, quæ de peruerso in maius incrementum nutritur. Inimici odij videntur insidiæ, & mera sunt voluptatis lenocinia, quæ animum aspera vexatione titillant. Vt iam libido cognatæ vexationi adsueta, ediscat quàm acerba vexatio illi maneat ad pœnam. Si vel ipsa lasciuiendi voluptas vexationibus constat, ô quam acerba supplicia libido sibi infaustè ominatur! Si vexationibus salacior voluptas nutritur, augurium atrocioris pœnæ exinde sumere liceat. O caue Dei iras aduersus libidinem è cœlo vibratas!

Voluptas humana, vexatione aliqua blandè titillatur.

2. Geneseos 9. postquam exundanti eluuione luxuriantem fœdis libidinibus terram Deus abluit, de sui naufragio rediuiuus iterum mundus paucis hominibus adsurgit. Qui de tanti supplicij gymnasio probè edocti, didicerunt, quam acerbe ferat Deus impudenter effusam mortalium libidinem, qua *omnis caro corruperat viam suam*, & quàm aduersus lasciuiam diuinus exarserit furor. Verùm inerter cessantem Noëmi familiam præ alterius diluuij metu, Deus his verbis erigit, statuam pactum meum vobiscum, & nequaquam vltrà interficietur *omnis caro* (quæ olim corruperat viam suam) aquis diluuij. Hoc signum fœderis quod do inter me & vos, & ad omnem animam viuentem, quæ est vobiscū in generationes sempiternas. Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram. *Cúmque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus: & recordabor fœderis mei vobiscum.* Cæterùm cùm perspicuum sit, hominum luxuriam accersisse stragem diluuij, (dicente Domino: *Omnis quippe caro corruperat viam suam*) diligenter perquirunt interpretes, quare Deus suā fidem obstrinxerit repetita identidem promissione, de non inundando exinceps orbe? An non adsimilia lasciuiæ peccata, adsimilem pœnam exposcunt? Sed esto, pactum cum hominibus ineundum foret de non iterando exinceps diluuio; quid est, quod cœli arcum sibi destinat in signum initi fœderis, quem dum viderit, fœderis recordetur? Profectò quicquid Deus sua promissione stabilit, sic firmum & inconcussum est, vt nulla euariatione possit mutari. Num Deus indiget externo signo, vt in memoriam illi veniat, quod semel diuino pacto sanciuit? Et vbi est veracitas Dei, & Dei omniscientia? Quin & recordatio ei non cōtingit, in quem non cadit obliuio. *Quid dicis ô beate Propheta?* (exclamat Chrysologus) *Recordabor, inquit, fœderis mei, hoc est, pacti mei, promissionis, pollicitationis, non quia ipse opus habeat recordatione, &c. Vidisti quantum Deus verbis se propter nostram infirmitatem humiliet, quantam misericordia magnitudinem declaret?* Nimirùm sic exosam habet Deus carnis militiā, sic humana libido Deum ad iracundiam proritat, vt post iteratum cum hominibus pactum de non castigāda tam acerbè luxuria, quasi prę iracundiæ furore, & velut impetu ad seueriorem vltionem, ac si pacti sui obliuisci posset, signum exterius designet, quod initum pactum reuocet in memoriam (loquitur scriptura de Deo antropopathôs, vt alias persepè.) Ecce tibi quantam diuinæ misericordiæ magnitudinem, hoc signum declarat, hæc recordatio manifestat: vt quantumvis diuinus aduersus libidinem furor, sic ad punitionem excitet, vt velut pacti obliuionem inducat; tamen non inducitur à Chrysostomo, Dei veritas, quæ initi pacti memoriam reuocet, & illud adimplere faciat; sed *magnitudo misericordia*, quæ obliuionem ableget, & recordationem inducat: *Apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum. Vidisti quantum Deus verbis se propter nostram infirmitatem humiliet, quantam misericordia magnitudinem declaret?* Sic humana libido Dei iras exasperat: Sic impudenti mortalium salacitate ad acerbiorem vindictam Deus concitatur, vt velut egere recordatione dicatur, ne obliuiscatur pacti à se initi de non seuerius tunc castiganda luxurie: ô bonam de hyperbole eruditionem!

Genes. 9. v. 14 & 15.

Cur vel obliuisci dicatur Deus pacti sui de non seuerius tunc castiganda luxuria?

Chrysol. ibi.

3. Geneseos 19. priùs vstulatur Sodoma libidinis flamma, quam flammis sulphureis de cœlo exarserit. Prępropere iustus Lot de communis incendij ruina eripitur, eductore Angelo, Dei personam gerente; & extra ciuitatē positum sic affatur: Salua animam tuam, nec stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas. Dixitque Lot: Quæso Domine mi, quia inuenit seruus tuus gratiam coram te, & magnificasti misericordiam tuam, quam fecisti mecum, vt saluares animam meam, nec possum in monte saluari ne forte apprehendat me malū, & moriar. Est ciuitas hæc iuxta (Segor inquam) ad quam possum fugere, parua, & saluabor in ea. Dixitque ad eum: *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem pro qua locutus es.* Angeli promissione protectus Lot, in vrbeculam Segor cursum contendit. Sol egressus est super terram, & Lot ingressus est Segor. Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo. Tādem detonuit tempestas, cunctis in fauillam redactis; & Lot incolumis in Segor, Dei verbo minaces igniū globulos frustratur. Sed tanquā de securitate diffideret: *Ascendit Lot de Segor, & mansit in monte, &c. timuerat enim manere in Segor.* Arduum hinc inter commentatores litigium oboritur, cur nunc timuerit Lot in vrbe Segor manere, quam tanquam tutiorem ad asylum elegerat; & ascendere maluerit in montem, quem nuper habebat suspectum? An non in Segor, Dei promissione obarmatus, à communi excidio pollicitum tutamen expertus erat? Dei verbo protectus, & experientia incolumitatis securus, vrbem Segor relinquit, & incertam montis aleam, festinus se-

Gen. 19. v. 30 Timet Loth, ne Deus promissionis sibi factæ velut oblitus lasciuientem Segor pariter sufflammet.

ctatur

statur? Cur è tuta vrbe fugam, & exilium exambit, vt maiori forsan periculo incertam securitatem quærat? Lipomanus in prælustri ad librum Geneseos catena, sic fatur, & petite ad litteram, & eleganter ad mores *Ascenditque Lot de Segor & mansit in monte... timuerat enim manere in Segor. An forte pro eo timuit, quia & illius ciuitatis vitia non disparia à Sodomorum vitiis inuenit, ac pro certo, & ipsam subuertendam à Domino credidit?* Nempè Lot tanquam præmunitam arcem nuper elegit vrbē Segor, aduersus sulphureas ignium minas, quas pestilens luxuriæ aura flabellabat. Clypeatus Dei promissione, & de propria experiētia securus erat. At vbi illius ciuitatis vitia nō dissparia à Sodomorū vitiis inuenit, & ipsam subuertendam à Domino certò credidit. Sciebat Loth quam exasperetur Deus effusæ libidinis flagitio, quò adæque cū Sodomis Segor infestabatur, & tametsi illā videt Dei promissione protectam, nutat promissiones fides, & metuit Lot, ne fortè pacti sui obliuiscatur Deus, & quodā velut impetu libidinis acerbiùs puniendæ, sulphureis comburat flammis, quos luxuriæ ignibus ardere videt. Nec propriç experiētiæ, Dei verbo obfirmatæ se Lothus credit, ne credat effusè lasciuiētes de acerbiori supplicio sospites euasuros Exinde salacissimç vrbis de cœlo securitatem timet, & montis periculum inexpertum alacer subit, plus fidens de periculi incertitudine, quàm de libidinis securitate. O hæc fidei imbecillitas, blandæ libidinis metum fundet, quç sic cœlū ad Niniuç vltionem obarmat! Exinde qui *sua libidini ita vacant sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: habet Dæmonium potestatem super eos*, vt affirmat Raphaël Angelus cap. 6. vers. 17. ô acerbissimam Dei aduersum lasciuientes iram, effusioris petulantiæ vindicem! Vltrices de inferno furias, insano furori libidinis vindicando Deus addicit.

Lipomanus ad hæc verba.

Hic vers. 11

4. Lucæ 11. Muto illo Dœmone iam expulso, obloquentibus Pharisæis ita loquitur Christus: *Cū immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & nō inueniēs,* &c. Vbinam damnatissimus Dœmon requiem inuenire præsumat? Quid arida loca ipse ignibus æstuant, auidiùs quærit? S. Ambrosius præscripta verba exponens, ita ad rem fatur: *Quia in Gentibus, quorum corda priùs arida erant? sed postmodum per baptisma rore spiritus humescebant, propter fidem Christi requiem Diabolus inuenire non potuit. Immundis enim spiritibus Christus incendium est.* Scilicet reliqui inferorum spiritus gehennalibus torquentur incendiis: at *spiritus immundi*, alio etiam pœnalissimo torquentur incendio *immundis enim spiritibus Christus incendium est.* Qui puros spiritus sic sua diuinitate feliciter beat, *immūdos* sic omnipotēter excruciat.

Luc. 11. v. 24.

Immundis spiritibus Christus incendium est. Ambr. lib. 7. in Lucam.

---

§. CCCCLVIII.

Qui magna poll[e]t auctoritate, si alios in errorem inducat, gloriosam reddidit falsitatem.

1. IN arduo est veri exploratio, sed ea imus, qua ducit verisimilitudo. Omne hac via procedit officium. Si serimus, si nauigamus, si militamus, si vxores ducimus, si liberos tollimus, si narratis assentimur: cùm omnium incertus sit euētus, & ambigua veritatis spes. Ad ea accedimus, de quibus benè sperandum, & opinandum esse credimus. Quis enim pollicetur serenti prouētum? nauiganti portum? militanti victoriam? marito pudicam vxorem? patri pios liberos? audienti veram narrationem? Sequimur, qua ratio non qua veritas trahit. Fallaces enim sunt rerū species, quis neget? Sed nihil aliud inuenio per quod cogitationē regam. Quod prudenter verū spondet, crudelitatem nostram flectit. His veritas mihi vestigiis sequenda est. Certiora nō habeo. Si omnia argumenta ad lancē cœperimus exigere, semper ambiguè fluctuabimus. Verisimilium ductu prudentia incedit, & dicentis dignitate fides humana spōte trahitur, eò impetu maiori, quo vitç integritas, & experta diu veracitas credibilitatem prolectat. Dicentis auctoritas, fidei humanæ illicisū est. Ergo viderint, qui magna apud homines auctoritate pollent, ne virginē veritatē constuprent, & de credibilitate gloriosam reddant falsitatem, ingenti humanæ conuersationis dispendio, dum eorum dignitas mēdacio adstipulatur. Exinde Tertullianus iure irascitur contra Marcionem, qui serio asserebat, Christum carnem duntaxat apparentē gestasse. *Quid*, inquit, *dimidias mendacio Christum? Christus totus veritas fuit. Maluit, crede, nasci, quàm ex aliqua se parte mentiri, & quidem in semetipsum: vt carnem gestaret sine ossibus duram, sine musculis solidam, sine sanguine cruentam, sine tunica* (idest, cute) *vestitam, sine fame esurientem, sine dentibus edentem, sine lingua loquentem.* Nota τὸ, *in semetipsum*: nam si Christus aliqua saltem ex parte mentiri videretur, sui fidem difficilius reperiret. Quis (ait Tertullianus) illi crederet dicenti se esse Christum, & diuina mysteria è cœlo promentem, si aduerteret, se in mentito corpore, & *lingua loquentem*? Ergo si *ex aliqua parte mentiretur, & quidem in semetipsum* mentiretur.

Eò it humanus assensus, quò ducit verisimilitudo.

Vera Christi caro, arguitò à Tertulliano adstruitur.

Tertul. de Carne Christi c. 5.

2. Geneseos 20. Sodomitici incendij flagrantem nuper in terris gehēnam fugit Abrahamus, patriæ profugus, impietatis refuga. Itaque profectus inde Abraham in terram australē, peregrinatus est in Geraris. *Dixitque de Sara vxore sua: Soror mea est.* Misit ergo Abimelech Rex Gerarç & tulit eā. Venit ergo Deus ad Abimelech per somnium nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem quam tulisti, habet enim virum. Respondit Abimelech: Domine, num gentem ignorantem, & iustam interficies? Nōne ipse dixit mihi: Soror mea est, & ipsa ait: Frater meus est? Statimque de nocte consurgens Abimelech, vocat Abrahamum, & seueriùs de impostura conqueritur, & probè cognita, pro illata ignoranter iniuria, illum regijs muneribus adornat: *Sara autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, & quocumque perrexeris.* Longum facerem si expeditius locum extricare molirer, quem aliàs aliorsùm ad mores versabā. Sed notatione dignissimum est, quare postquam iam Rex comperit, Abrahamum esse Saç maritum, adhuc *fratrem* appellet? Quē ex perspicua confessione scit esse maritum, cur adhuc nominat fratrem? Se periculosè deceptum expostulat fratris vocabulo, dissimulato mariti nomine, & adhuc fratrem nominat? Exulare potiùs debuisset, exitiale fratris nomen, quod vitç periculo illum

Gen. 20. v. 16

Abimelech iā sciens Abrahamum esse Saræ maritum, cur eius fratrem adhuc illum appellat.

Chryſ hom. 45. in Geneſ. expoſuit, & illud adhuc inculcat S. Chryſoſtomus exponens præſcripta Dei ad Abimelechum verba, *Et ego ſcio quod ſimplici corde feceris. Scio*, inquit, *quod ipſi* (Abrahamus, & Sara) *hanc fabulam commenti ſint, & quod deceptus eorum dictis hoc feceris.* (Et poſt multa elegãter ad rem addit) *Ecce quomodo accepta à iuſto Abrahamo doctrina, vt credidit eius dictis, etiam ipſe Abimelech fratrem huius illum vocat. Ea qua dedi, inquit, fratri tuo, tua erunt.* Scilicet vitæ, & generis dignitate, tanta apud Palæſtinos Abrahamus auctoritate pollebat, vt quamuis verborũ ambiguitate Abimelechus deceptus ſit, reputãs Sarã, ſororem duntaxat, non Abrahę vxorẽ: (quod illi propè exitiale foret) etiam poſtquam ambigua verba clarata ſunt, & indubiè cõperit, propriè eſſe maritum, impropriè fratrem; adhuc Abrahamum Saræ fratrem appellet. Tanta auctoritate Abrahamus excellit, vt poſt *commenta fabulę* perſpicuam expoſitionem, adhuc hæreat eius dictis, & dediſcere neſciat, quod eo loquente nuper didicit: *Ecce quomodo accepta à iuſto Abrahamo doctrina, vt credidit eius dictis, etiam ipſe Abimelech fratrem Saræ illum vocat. Ea quæ dedi, inquit, fratri tuo, tua erunt.* O diligentiùs attenderint, qui magna pollent auctoritate, ne quid per inconſiderantiã, aut imprudentiam, aut ſagaciorem politiam, ambiguum excidat, ne eorum dignitas indigno adſtipuletur errori, dum fortunatam reddunt falſitatem, infelici veritatis infortunio. Virgo veritas ſi dubio ſermone non conſtupratur, ſaltem deuenuſtatur, & dehoneſtatur. Cautè veritas colenda, & tractanda eſt, ab his præcipuè, quorum dignitas credibilitatis momentum eſt, & veræ teſtificationis ſuffragium. Veritatis olim fama, nũc errori militabit.

3. Ioannis 11. Cana Hebræorum ſapientia, religio, zelus, peritia aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius, in conſilium aduocatur. *Collegerunt ergo Pontifices, & Phariſæi concilium*, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem. Igitur multis rationibus hinc inde diſcuſſis ad communẽ totius populi, & auitæ religionis vtilitatẽ, conſilioſiſſimi Senatores de Pontificis ſuffragio decernunt, vt Chriſtus Deus quaſi populi ſeductor, & clancularius Dei aduerſarius, atroci morte perimatur, quò noua eius doctrina ſimul damnetur. O mẽdacium Dœmonum ſagacitate fortunatum! Nõ multum ad rem Chriſti referret, ſi repentina Scribarum iracundia, aut inueterata Phariſæorũ inuidia, aut inconſultus Iudæorum furor veritatem priuatiuè condemnaret. Aſt conſilioſiſſimos populi Senatores, re priùs ad examen vocata, propter Dei zelum, & communem populi vtilitatem, vno ſuffragio Chriſtum, Chriſtique doctrinã ſeueriùs cõdemnaſſe, magnum decreti momentum fuit, & auctoratiſſimum credibilitatis pondus: cui poſtmodum vel ipſi Chriſti Diſcipuli propè ſuccubuerũt. Hæc enim poſteà de IESV ipſo Nazareno in itinere ad Emaus peregrino denarrant: *Et quomodo eum tradiderunt ſummi Sacerdotes, & principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum, nos autem ſperabamus, quia eſſet redempturus Iſrael.* Spei naufragium, fidei iactura proculdubio anteuertit, pondere magnæ auctoritatis *ſummorum Sacerdotum, & Principum* populi, quorum concilio ſuus Magiſter, & doctrina damnata fuit. Sic vel Diſcipulorum fides in magnam dicentis auctoritatem cœcè fertur: hinc tam ſedulus feſtinat Chriſtus ad hos Diſcipulos veritate erudiẽdos, & de Bibliorum archiuis irrefragabilia depromit argumenta, quæ militent aduerſus *Summorum Sacerdotum, & Principum* auctoriatem, cui leuicula poſtmodum indicia ſuffragãtur. Nimirum putabat Diaboli aſtutia, tanta ſe poſſe auctoritate fulcire mendacium, vt etiam electi, ſi fieri poſſet, in errorẽ inducãtur. *Credebat quod comprehendere Deum fraudibus poſſet. Sed non timet veritas falſitatis inſidias*, ait eleganter alibi ſum Emiſſenus. Sagacior Diaboli fraus, & exſõnis Phariſæorum malitia, cõcilij ſui auctoritate, & dignitate Senatorũ putauit conſecraſſe mendacium, & inſidioſam fraudem veritati moliri, odij, & inuidię ingenio: *ſed non timet veritas falſitatis inſidias.* O quam validè falſitas de ſublimi teſtificantis auctoritate veritati inſidiatur! Ergo præproperet Chriſti reſurrectio, & tota Bibliorum penetralia pandantur, vt fraudis inſidias, quas concilij auctoritas veritati molitur, palam detegat, & falſitatis reuincat. O! viderit ſublimium dignitas, ne periculoſiùs veritati inſidietur, dum de auctoritate atteſtantis generoſam reddit falſitatem. Vide hîc quàm cautè Tobias probitate, dignitate, & ſanctitate præluſtris, veritatem tractet; ne linguæ inconſiderantia falſitati ſuffragium ferat; aut oris ambiguitas, inſidias veritati paret, dum propria bonitas periculoſius malitiæ militat. Infortunata eſt veritas, quam magna dicentis auctoritas palam oppugnat mendacium in ſublimium ore tanquam in aſylo tutum, periculum conſtruit veritati.

Ioan. 11. v. 47

Non timet veritas falſitatis inſidias.

Luc. 24. v. 20. & 21.

Emiſſ. hom. 3 de Epiph.

Hic v. 12.

4. Et iterum Ioannis 11. viſo Lazaro ad Chriſti vocem palam rediuiuo, Hebræi populi Summates ſtupore tenentur, liuore tabeſcunt, & ipſi mortifera æmulatione perditi, auctorum vitæ aſtu perdere machinantur. Collegerũt ergo Põtifices, & Phariſęi concilium, & publicę vtilitatis malitioſo prætextu, cruentæ inuidiæ negotium conſilioſè peragitur. Vnus autem ex ipſis Caïphas nomine, cùm eſſet Põtifex anni illius, dixit eis: Vos autem neſcitis quicquã, nec cogitatis, *quia expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cũ eſſet Põtifex anni illius, prophetauit quòd Ieſus moriturus erat pro gente.* O quàm Chriſto nocentiſſimè damnando foret perniciosa Caïphæ Pontificis auctoritas, totius concilij ſuffragiis opinatiſſima, niſi vel damnandę Chriſti Dei innocentię fauenter militare cogeretur. Acutè Chryſologus: *Caiphas profano prophetat ore, & cum Sacerdos eſſet, falſitatis ſuæ ſenſum vicit officio veritatis.* Nimirum cum Pontifex inuidię, & odij ſuggeſtione, hęc verba aduerſus IESVM, quaſi ſeditioſum, & morte digniſſimum protuliſſet, ne maxima, qua eminebat auctoritas glorioſam faceret falſitatem, Spiritus Sanctus alio flectit verborũ ſignificãtiam: *& cum Sacerdos falſitatis ſenſum vicit officio veritatis.* Peregregiè quidem Chryſologus! Vbi præſtrictim etiam animaduerte, quam prouidẽter adſit Deus his, qui officium ſuum præſtant, & ex munere operantur, cum vel ex malitioſo Põtificis ſermone, Deus excuſſerit Prophetiam: nam *cùm Sacerdos eſſet, falſitatis ſuæ ſenſum vicit officio veritatis.*

Caiphas falſitatis ſuæ ſenſum vicit officio veritatis.

Ioan 11 v. 50 & 51.

Chryſ. ſer. 49

§. CCCCLIX.

§. CCCCLIX.

Imbecillus hostis, in vilitatis suæ asylo tutus est ab hostilitate Potentis; qui nisi cum magno aduersario certare negligit.

1. Aliud est dignitates & pretia rerum vniuersatim nosse, aliud impetus frenare, & ad agenda ire, non ruere. Sæpè enim si nõ ruis, nec sanè ibis, aberit enim passio, quæ & confundit rationem, turbat & cætera. *Tunc ergò vita sibi concors est, vbi actio non destituit impetum. Impetus ex dignitate rei cuiusque concipitur, perinde remissus acriorque prout illa digna est peti.* Esto, aut pro personę tutamine, aut pro iustitię bono, aut pro tuæ dignitatis decoro, impetu animaduersionis opus sit; sed ne animaduersio ratione comite videatur, sæpe enim magni viri operosior ira, vilem aduersarium hostilitate nobilitat. Generosus canis, catelli oblatrantis vestigia, & propè morsicantis audaciam nobiliter negligit, nec ignobilem aduersariolum ira sua dignũ indicat, exindè latrantis temeritatem intrepidus prætetit. Vir magnus homuncionem, nec ira sua dignum censet, ne æstimatione nullum, & cõmuni censu vilem, bile sua è peruerso honoret. Patientia quæ de aduersarij vilitate venit, sæuior impatientia plerumque est. Ergò impetus ex dignitate personę & rei cuiusque cõcipiatur, perinde remissus, acriorve, aut nullus, prout illa digna est peti. Multa quidem sunt digna neglectu aut risu depelli, ne grauitate adorentur. Ergò Tobias (fortè plus æquo) cum insaniente fœminarixatus; *ad illam erubuisse* perhibetur, quasi indignatione sua leuiculę mulieris insaniã honorauit. Indè se gloriosè iactat Theodoricus, quod sua victoria victos honorauit, sic suos affatus milites, cum iam iam belli cecinerũt classica: *Qui in hostili acie*, inquit, *viam desiderat, me sequatur; non respiciat alterum, qui dimicandi possit exemplum. Virtus multitudinem non requirit: ad paucos vadunt bella; bellorum fructus ad primos. De me æstimabitur exercitus, & in his quæ gessero gens triumphat. Attolite signa, per quæ ne lateam, prouidetur: nouerint quem petant, aut cuius iugulis acquiescant,* (attende ad verba, quæ subdit.) *Qui congressui meo occurrerint, nobilitentur exitio.* Qui est generositatis fastus. Exinde Tobias iam locuples, & potens, hîc præcauet à Chaldæo hoste, qui hactenus in tenuitatis suæ effugio securus erat.

> Senec ep. 90
>
> *Vir iniurias, quas vilis homo contra se iactat, negligit, quasi ira sua non dignus.*
>
> Tobiæ 2. v. 13. apud Græcum textum.
>
> Ennod in Panegyr.
>
> Hic v. 21.

2. Iobus ille, vt alternantis fortunæ pila, sic & inconcussę constãtiæ meta; qui inuulnerata cõscientia, omnia infernalis pharetræ tela corpore excepit; à summo capitis vertice vsque ad imos pedũ vngues, vna pluribus plaga saucius, & diu sustinẽdo defessus, in has lugubres voces modulatè erupit: Quapropter, inquit, ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei: cõfabulabor cum amaritudine animæ meæ. Desperaui, nequaquam vltrà iam viuam: parce mihi, nihil enim sũt dies mei. *Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* Mirissimum sanè, & attẽta expensione dignissimum est, quod sãctus Iob penè tribulationibus obrutus, dicat se *magnificari*, cùm velut hostili manu sic excruciari conqueritur. Audiendus est ad præscripta verba Olympiodorus, ita ea commentans: *Quid, inquit, est, homo, si per se eius spectetur natura? prorsus nihil: quanquam ipse pro tua erga hominum genus eximia benignitate mirificè illum ipsum extulisti, & in eo obiturum desigis, & quotidianas eiusdem rationes atque actiones accurate cognoscis.* (accuratè etiã recognosce verba quæ subiicit) *Et sanè hac vna re hominis præstantia, quam à Deo adeptus est declaratur; quod eius vindex & vltor Deus est: Prorsus dignus, inquit, est homo, qui pœnis à te coerceatur, & qui in tua cogitatione verseur.* Omitto nunc quod duris calamitatibus, quibus homo deprimi & opprimi videtur, sublimissimè à Deo *magnificari* dicitur. Mitto etiam quam sit magnificum homini, in memoria Dei locum habere, vt adhuc Dei memoria, quæ dura supplicia infligenda dictat, magni æstimanda sit. Mitto inquam, hæc, pro exatiandis aliis thesibus non inidonea & obseruitare liceat, quòd hoc in loco, *hominis præstantia declaratur, quod eius vindex & vltor Deus est.* Scilicet pro decoro Dei factũ est, vt hominis præstãtia declaretur, & eius sublimitas *magnificetur*, cum homo Deum *vindicem & vltorem* patitur. Quasi Deus bonum suæ vltricis iustitię erubescat exercere aduersus hominem vilem & squalidum. Inde *magnificatur* homo, antequam velut hostiles Dei iras sentiat, ne suam vilitatem, in iratum aduersus se Deum quodammodo reuerberet, exaggeretur hominis præstantia, ne Deus velut hostilitate cũ aduersario homine denenustari videatur. An non aliquando Iobus ipse è vilitate sua asylum cõstruere presumebat aduersus Dei iras? *Contra folium*, inquit, *quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris.* Ergò *vel hac vna re hominis præstantia, quam à Deo adeptus est, declaratur; quod eius vindex vltor Deus est.*

> Iob 7. v. 17.
>
> *Quam magnificetur homo calamitatibus.*
>
> Olympiod. in Catena ibi.
>
> *Quam sit homini magnificum, in Dei cogitatione versari.*
>
> *Præstantia hominis declaratur, cùm eius vindex & vltor Deus est.*
>
> Iob 13. v. 25

3. Exhodi 7. rupea Pharaonis peruicacia, ad vim rationis & religionis flectinescia, signis & portentis frangenda erat. Sed ante pœnales plagas, serpentis ex virga facti terrore concutitur, si fortè cautus timor supplicia durè impendentia, vel coacto obsequio benigniùs redimat. Ingressi itaque Moyses & Aaron ad Pharaonẽ, fecerunt sicut præceperat Dominus, tulitque Aaron virgã coram Pharaone & seruis eius, quæ versa est in colubrum. *Vocauit autem Pharao sapientes & maleficos: & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas & arcana quædam, similiter. Proiecerunt que singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones.* Prodigium prodigio apparenter æquatur, ad apparentem diuinæ potentiæ frustrationẽ. Sed quare Magis permittit Deus, vt adsimilia portenta patrare videatur? Si Deus exerta indignationis suę potentia contendere cum Ægyptiis meditatur, eccur in ipsis resistẽtię initiis eorum non frangit audaciam; sed consimili apparenter prodigio, sibi temerariè resisti, patiẽter permittit? Ecce iam insolescit Pharao, arrogãter præsumens, diuinã se omnipotentiam æmulari, & in obstinata aduersus Deũ hostilitate impunè perdurare. Quare vtrimque prodigium adsimile patratũ appareat? S. Prosper enucleatè rem hãc versans, ita scribit, præfata Exhodi verba commentans. *Vocauit autem Pharao sapientes, & maleficos, &c. Proiecerunt que singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones. Vt Magi Pharaonis diuina potentia superarentur, talia signa facere permissi sunt.*

> Exhod. 7. v. 11. & 12.
>
> *Nobilitatur signis Pharao, vt Deum vindicem & vltorem patiatur.*
>
> S. Prosp. de Promiss. & prædict. Dei p. 1. c. 35.

sunt: proiicientes virgas suas, etiam ipsæ serpentium species ostenderunt. Scilicet Pharao cum administris Magis, se hostiliter Dei potentiæ obsistere parant, ergo consultissimè priùs nobilitètur & in prima velitatione suppares appareāt, vt sic *magnificati* nobiliùs posterioribus signis detriumphentur. Inde *Magi Pharaonis talia signa facere permissi sunt, vt diuina potentia superentur.* Generosè magnanimū, & strenue pugnatorē, piget & pudet cum imbecillo hoste decertare: ergò dum primum initur certamen, de repugnatione sibi tātisper Dei hostis gratuletur, vt sic magnificatus, non indignus appareat, cū quo Dei potentia exertè dimicet. Dum Pharao tot specie tenus prodigiis magnificatur, victoriæ gloriam, & triumphi diuini pompā adornat. Sic priùs nobilitari oportebat, qui Deum vindicem & vltorē pati debuit. Peregregiè quidē Prosper.

4. Marci 5. venit Iesus trans fretum in regionē Gerasenorum, & statim occurrit de monumētis homo in spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis. *& neque catenis iam quisquam poterat eum ligare: quoniam sæpe compedibus & catenis vinctus, disrupisset catenas, & compedes comminuisset, & nemo poterat eum domare.* Videns autē Iesum è longè, cucurrit, & adorauit eū: & clamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi, Iesu fili Dei altissimi? adiuro te per Deū, ne me torqueas. Hæc, quæ videtur Diaboli demissio, arrogantiā subolet, de superbo conflictu cum Christo Deo, nam tametsi se fateatur victum, arrogantiæ fastus est, vel audere cū Dei Filio contendisse, sicut nobilitatur Pharao dum vindicem Deum passus est. Pergit ad rem facet Historicus: *Et interrogabat eum Iesus: Quod tibi nomen est? Et dicit ei: Legio mihi nomen est, quia multi sumus.* Vide hîc quid etiam arrogantem Dœmonē torqueat, quod ex hac interrogatione innotescit, & responsione claratur: & subtiliter Chrysologus adnotauit, ita ad præfata verba fatus: *Quod tibi nomen? Et dicit ei: Legio, quia multi sumus. Christi interrogatio nostram ignorantiam sic depellit: nobis aperit quod latebat, ad vnum legio... Ad præsentiam Regis isti quid sunt, qui vt vnum, & nec dum tyronem caperent, toto cohortis suæ agmine conuenerunt?* Ecce tibi arcanam Christi Dei sapientiam, dum hac interrogatione nostram depellit ignorantiam, & ex ipsā Dœmonis confessione, Diabolorum contumeliosam imbecillitatem prodit. Iactabat Dœmō vires suas, dum ferreas rumpit catenas, & compedes dissoluit, nec vllo humano robore se domari finit. Ast interrogatus de suo nomine cogitur respondere: *Legio mihi nomen est, quia multi sumus.* O infirmissimam imbecillitatem! *ad vnum legio?* Quid sunt isti, qui in Regis sui præsentia, ad quam vel maximè milites suum robur ostentant, *vt vnum caperent, toto cohortis suæ agmine conuenerunt?* Tota Diabolorum legio contra vnum armatur? ô quā sunt imbecilli, qui totam sibi adglomerāt cohortem vt vnum hominem duntaxat exarment! Exindè consultissimè interrogat Christus: *Quod tibi nomen est?* vt cum responderint: *Legio mihi nomen est, quia multi sumus,* possit cū sarcasmo dicere: *Ad vnum legio? isti quid sunt, qui vt vnum caperent, toto cohortis suæ agmine conuenerunt?* Sic aduersarij imbecillitas, victorē, ne dum luctatorē deuenustat.

Imbecilla est legio, quæ tota contra vnum armatur.

Marci 5. v. 9

Chrysol. ser. 17.

5. S. Hieronymus his verbis libellum aduersus Heluidium auspicatur: *Nuper rogatus à fratribus, vt aduersus libellum cuiusdam Heluidij responderem, facere distuli: non quod difficile fuerit hominem rusticanum, & vix primis quoque imbutum litteris, super veri assertione conuincere, sed ne respondendo dignus fieret qui vinceretur.* Arguta sanè sententiæ clausula, & magno Hieronymo digna. Superbiet Heluidius quasi à Hieronymo vinci meruerit.

Hieronym. adu. Heluid.

---

§. CCCCLX.

Loci vicinitas, prauos mores afflat, pestifero alienæ malitiæ contagio & supplicij metu.

Pessimum genus hominum videtur, qui noxia verba ferunt, quibus audientium aures ad prauitatem fœcundè rigant. Sunt etiam qui vitia gestaut. Horum conuersatio, & sermo multum nocet. Nam si non statim proficit, semina in animo reliquit, sequiturque nos (etiam cum ab illis discesserimus) resurrecturū posteà malum. Quemadmodum qui audierunt symphoniam, ferunt secum in auribus modulationē illam, ac dulcedinem suauissimi cantus, quæ cogitationes impedit, nec ad seria finit intendi; contubernalium prauus sermo, & exemplum prauum, diutiùs hæret, quam auditur, & videtur, nec facile est animo quantumvis serio, & virtutibus innutrito, dulcem malitiæ sonum excutere. & prosequitur, & durat, & interuallo recurrit. Sic malorum frequens conuictus paulatim prauitatem suam affricat, & probissimos quoque mores sensim deprauat, cōuictorij lenocinio. Adeò vt conciuem esse malorū, sit quoddam velut prauitatis genus, (pestilentis loci exhalatum contagio) & supplicij reatus. 1.

Non est facile, dulcem malitiæ sonum excutere.

Matthæi 2. Magis monitore Angelo, repedant ad propria. Tyrannus diu expectando delusus, furit, insanit, ferocit: & conceptum in peregrinos reges furorem, in paruulos despumat inermes. O barbaricam stragem, eum perimere, qui sub cultro ridet! A Tyranni sæuitia nemo innocentiæ asylo satis tutus est. Culpæ imputatur, quod natus est; & ob hoc vnum scelus moritur, quia nascitur. Hoc ineluctabile infanticidium, grandiori cothurno, velut è tragœdiis petito, Euangelista denarrat: *Vox, inquiens, in Rama audita est, ploratus, & vlulatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.* Locus in paucis difficilis, & multis quæstionum tricis impeditus. Illa autem magis ardua quare non Lia, sed Rachel hosce pueros crudeliter occisos, plorare dicatur. An non in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, aduersus Innocentes infantulos desæuitum est? O rem mirissimam! Quid Racheli cū filiis Liæ? Æmula Liæ, pro æmulæ suæ charis pignoribus sic æmulatur. Lia mater siccis oculis tot filiorum strages videt, & eius æmula effusis lacrymis vociferatur: Sic mors simultates trāquillat, inuidiosa æmulatio vltra capulum non perdurat, an potiùs Rachel ę mulę Lię felicitatibus opplorando adhuc inuidet? Adhuc in frigidis sepulcri cineribus calent adolescentiæ vitia? Verū quoquo modo res se habeat, hic Rachelis plāctus importunè videtur induci. Imò in re ethica opportunissimè ait Hugo Carensis: *Ideò Rachel plorasse dicitur, quia iuxta Bethlehem vno milliario sepulta est. E mere prophetico dicitur egisse illa,* 2.

Math. 2. v. 18

Rachel diu defuncta, angitur affectibus loci, in quo sepulta iacet!

Hugo ibi. Gen 35. v. 19

illa, quæ in illo gerebantur loco. Nempe Rachel iuxta Bethlehem sepulta iacebat, & velut incola huius ciuitatulæ computabatur, ob diuturnam sepulchri domum: exinde cùm tragicum occisorum infantium spectaculum inibi visum fit, quod in illo loco gerebatur illi adtribuitur. Nec iam diu defuncta, adhuc in perpessæ mortis indolentia, & in sepulturæ asylo, tuta fuit Rachel, quo minus, tot vicinis lamentis acerbiùs inquietari dicatur. Quod viuæ mulieres Bethlehemitides dolent, aduena etiam Rachel, quæ iam diu vinere desiderat, doleter ploraffe perhibetur. *Ideo Rachel plorasse dicitur, quia iuxta Bethlehem sepulta est, & egisse dicitur illa, quæ in illo gerebantur loco.* Sic loci vicinia dolores afflat: Sic affectus adsimiles affricat: Sic mores suos allinit: Sic est difficile, in se non exprimere, quod sentit vicinus conuictor: (Sed iuuat cursim adnotare, quod bona Rachel, de Sanctissimi Iacobi conuictu Sācta, sic erat affecta erga locum, vbi eius reliquiæ seruabantur, vt quasi conciuis Bethlehem, eius loci calamitates deplorare dicatur. Sic Sancti afficiuntur erga ea loca, in quibus venerandi eorum cineres religiosè adseruantur!)

Sancti valdè afficiuntur erga ea loca, vbi eorum reliquiæ adseruantur.

5. Geneseos 19. Angeli Pentapolim vastatori, ab hospitali Loto perhumaniter excipiuntur. Qui vt hospitalitatis gratiam rependant, de communi salacissimæ vrbis incendio eum eripere satagunt, & totam vna familiam sospitare. Cumque esset mane cogebant eum Angeli, dicentes: surge, tolle vxorem tuam, & duas filias: ne tu pariter pereas in scelere ciuitatis. Dissimulante illo, apprehenderunt manum, eo quod parceret Dominus illi. Eduxeruntque eum, & posuerunt extra ciuitatem: ibique locuti sunt ad eum dicen-
6. tes: Salua animam tuam, *nec stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas.* Anxiè tunc Lotus exposcit, vt impunè liceat, non ire in montem, sed diuertere in vrbeculam Segor. Annuit Angelus imbecillitati postulantis, & sospes habitat in illa nefaria ciuitatula, eiusdem sceleris rea. Tunc miserabiliter flagrant Sodomæ, nec Segor semiustulatur. Et tamen quasi ibi Dei verbo egregiè munitus, non foret satis tutus: *Ascendit Lot de Segor, & mansit in monte: timuerat enim manere in Segor.* Hinc subtiliter quærit Hieronymus, è quo reliqui commentatores. *Quare Lot cùm primum fuga montis Segor pratulerit, & eam in habitaculum suum voluerit liberari, nunc de Segor rursum ad montem migret?* An non nuper timuerat, in montem à Sodomis remotiorem ascendere, ne fortè eòvsque incendij flamma pertingeret? An non in vrbe Segor satis se tutum, Dei promissione paulò antè putauit? An non Dei tutamen expertus erat toto tempore, quo mansit in Segor, vbi omni circumcirca regione miserandum in modum deflagrante, sola ciuitas Segor immunis erat à vicino incendio? Si Dei promissioni discredit, credat saltem experientiæ: ne è designato asylo discedens, flammam, quàm longiùs fugit, propiùs inueniat. Cæterùm Caietanus his verbis locum expendit, & propositam difficultatem subtiliter extricat: *Quantum temporis, inquit, Loth fuerit in Segor, non est scriptum. Ratio autem timoris fuit metus, ne flamma accensa planitiei extenderetur in Segor, & humana quidem ratione rationabilis fuit timor, propter propinquitatem ad terram ardentem, manifesta tamen diffidentia Loth de verbis Angelicis hic apparet: promiserant enim seruare ciuitatem illam.* Scilicet Sanctus Lot Sodomorum incendio incolumis, magno propinqui incendij metu exuritur: pugnant in eius corde *propinquitas ad terram ardentem*, cum certissima Dei promissione, quam de experientia veram nouerat, de Segoris incolumitate, quantumvis ardentibus Sodomis vicina. At nutat fides de Angelica promissione sibi palam facta, nec satis incolumitati expertæ credit: & tutiorem se putat in remotiori loco, incertus de loci illius incolumitate; quàm in propinquiori, etsi Angeli verbis, & experientia sospitatis munitus. O! tantùm est viciniæ periculum: Vel innocens sic metuit cum scelestis conciuibus perire: Tutiorem se credit in remoto loco, incertus de protectione Dei, quàm illa obarmatus, & de experientia certus, in propinquiori loco: Sancti alioqui viri diffidentia, exemplo non sit; sit tamen ethicæ eruditioni, & cautelæ, vt dignoscamus quanto cum periculo inter scelestos versemur; quàm vel iustis immineat prauorum contubernalium reatus. Conuictorum vitia, metuenda sunt, velut afflandæ malitiæ contagium, & acrioris supplicij minæ. Hinc Tobias *solus fugiebat consortia omnium*, qui profligatis moribus petulantiùs viuebant, & tamen quia eorum erat conciuis, & contribulis, eiusdem captiuitatis pœnam subit. Nescio quis arcanus loci genius ad malitiam habitatorum instigat, & suppliciū velut cœco impetu in loca quodammodo fertur, ac si aliquis foret inhabitati loci reatus.

Gen.19.v.30

Hier.in qq. Hebr.

Lot plus fidit in longinquitate à peccatoribus, quam Angeli verbis?

Caietanus ad eum locum.

Tobiæ 1.v.5

Hic v.12.

Lucæ 13. Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea, & venit quærens in ea fructum, & non inuenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: *Succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat?* Tota huius infrugiferę arboris malitia videtur denotari, in eo quod terram otiosè occupet. Sat enim grande damnum est, quod terra operosè exculta, prouentu non respondeat labori, quo agricola sudore fraudatur. Verùm terra quia otiosa non laborat in ficulneæ fructibus coquendis, & maturandis, ampliata virtute forsan vires impendit in vineto proximo vberiùs virescens. Sed audiendus est Chrysologus, qui ad præfata Lucæ verba ita scribit: *Infructuosa arbor intricat cespitem, necat spatia, exhaurit terræ vires, cultorem conficit damno, afficit tedio possidentem.* Parum foret quod infructuosa arbor spontiuo cespite terram intricaret, tædium reddens pro fructu; nisi otiosa noxiè sterilitate exhauriret terræ vires, & *spatia necaret.* Vna arbor adeò est perniciosè infructifera, vt subiecta atque vicina spatia simul enecet? *Necat spatia, exhaurit terra vires.* O nimis noxiam viciniæ pestilitatem!

4. Lucæ 13.v.7

Arbor infructifera, terra spatia enecat.

Chrysolog. 106.

---

§. CCCCLXI.

Multi scelerati de amico malitia fœdere, vnus plures sunt.

NEmo malus felix, nemo exgrex, nemo solus: 1.
quasi de iniquitatis genio consentiunt amicitiæ ad malitiæ propagationem:

Quis nunc diligit, nisi conscius? & cui feruent
Æstuat occultis animus, semperque tacendis?
Charus erit Verri, qui Verrem tempore quo vult
Accusare potest.

Iuuen Satyra 3.

Nequitiæ malitia gregalis est, & collegium amo:-

Porrò actuosa nimis est amicitiarum in peruersis hominibus officina, vt gregatiles faciet: factio enim numero constat, malitia completur. O iniquitatis

Psal. 52. v. 4. quitatis collegas, nequitiæ studiosissimos! Psalm. 52. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus?* postmodum pluratiuo nomine effertur: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus: non est qui faciat bonum.* Et confestim subdit: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt?* quæ verba
Hieron. inibi sic ex Hebræa origine Hieronymus vertit: *Omnes auersi sunt, pariter adhæserũt.* Nuper vnus erat iniquus: dein plures censentur, & mox qui iniquè auersi sunt, *pariter adhæserunt*, & in seditiosam factionem peruersè coniurarunt, ne exgrex foret
Gen. 46. v. 23 malitia. Genesis 46. *Filij Dan: Husim.* Cur Patriarchæ Dan vnicum tantùm filium Deus dedit?
Procop ibi. Respondent scholia Græca, & Procopius: *Serpentis filios non decuit multiplicari.* Hoc dicunt adspectu ad Antichristum ex hac tribu nasciturum. Scilicet insignis filiorum improbitas steriles facit parentes; sicut illustris filiorum virtus parentes fœcundat. Sed cur vnus filius *Husim* pluratino numero *filij* dicuntur? Scilicet à nequitiori malitia vnus plures redditur. Nunquam nequitia exgrex inuenitur: vnus est, & multos, quos amico fœdere in malum conflat, moralissimè dicit. *Filij Dan: Husim.*

2\. Matthæi 22. regales lauti epuli delicias, ex leuicula occasione, inuitati contemptu negligunt. Tunc ait rex seruis suis: Ite ergo ad exitus via-
Matth. 22. v. 11. rum, & quoscumque inueneritis, vocate ad nuptias. *Et egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes, quos inuenerunt, bonos, & malos*: & impletæ sunt nuptiæ discumbentium. *Intrauit autem rex vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali*, &c. Mirùm sanè, & reuera mirum, quòd cùm regis iussu obuij quique inuitati sint, & idcircò serui congregauerunt quos inuenerunt, *bonos & malos*; In tanta postmodum conuiuarum turba, vnum duntaxat repererit non vestitum veste nuptiali. Si nullo facto discrimine obuios quosque euocat, atque *bonos & malos* congregat; quomodo fieri potuit, vt non plures, sed vnum tantum malè indutum viderit, & palam tanquam malum reprobauerit? Subtilem Origenis sagacitatem non latuit hoc dubium, quod acutè ad rem præsentem his verbis

Multi scelerati, de malitia fœdere, vnus plures sunt.

Orig. Tract. 20. in Matt. extricat: *Congregauerunt omnes, quos inuenerunt bonos, & malos, &c. Ingrediens autem Rex inuenit quendam, qui non mutauerat proprios mores: vnde sequitur: Et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Singulariter dixit, quia vnius sunt generis omnes qui seruant malitiam post fidem.* Nimirum plures homines profligatis moribus insolentes ad conuiuium introduxit; vnum tamen inuenisse perhibetur, quia in non valdè diuturna illa conuiuij mora, tanta inter improbos conflata amicitia est, (si Deo placet) vt qui plures malos congregauit, vnum plures inuenerit. Nõ quia plures reapse non sint, congregauerunt enim multos *malos*: sed vnum hominem inuenisse duntaxat sententiosè perhibetur, *quia vnius sunt generis omnes qui seruant malitiam.* Heu! sic omnes qui auersi sunt, sibi *pariter adhæserunt*, vt plures de conflata in malum amicitia, velut vnus censeantur. Adsimiliter Lucæ 15. ait Christus Deus:
Luc. 5. v. 4. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam?* S. Hilarius præfata verba exponens, hanc in malitia vnitatem potiùs
S. Hilar. Can. 18. in Matt. quàm vnionem, & subtiliter contemplatur, & eloquenter edisserit, aiens: *Ouis autem vna, homo intelligendus est, & sub homine vno, vniuersitas sentienda est, &c. Igitur & quærens hominem, Christus est, & nonaginta nouem relictæ, cœlestis gloriæ multitudo est.* Appositè ad dicta, vnius erroneæ ouis nomine, homo à Deo delictis exerrans, intelligitur, *& sub homine vno, vniuersitas sentienda est*: quò quàm sit gregalis impiorum malitia denotetur. Itaque prudenter Raguel alterum à septem illis nequam viris cubiculum, Tobiæ præparari iubet, quò eius probitas exgrex sit ab eorum malitia. Et Tobias suis posteris à peccatrice Niniue quamprimum egredi hîc consultissimè mandat.

Tobiæ 7. Hic v. 12. & 13.

Matthæi 13. Christus Deus aliam parabolam proposuit illis, dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo, sed clãculum propter superseminata Zizania in medio tritici, nimis angitur sollicitior seruorum cura, & copiam ab hero postulant Zizania euellendi. Rennit constanter herus, & idoneam rationem offert: *Ne fortè colligentes Zizania, eradicetis simul cum eis, & triticum.* Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: *Colligite primum Zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.* Mitissimum planè est, quòd nociua nimis Zizania, & quæ Domini agrum perniciosè deprauant, auelli non possint, à proborum conuictu, & conuentu radicitùs extirpari, quin bonum semen vna eradicetur. Sic improbi conuictores bonorum causam implicant, & falsatis testimoniis implexam reddunt, vt Zizania non possint auelli, quin simul eradicetur, & triticum: Eheu! taceo: sat esto digitum intendisse. Verùm S. Augustinus argutè expendit ad thema præsens, illud, *Alligate ea in fasciculos ad comburendum*, sic ad ea verba addubitans: *Quæri autem potest*, inquit, *cur non vnum fascem, aut vnum aceruum Zizaniorum fieri dixerit, nisi fortè propter varietatem hæreticorum*, (idem cense de reliquis flagitiosis) *non solum à tritico, sed etiam à seipsis discrepantium: Ipsa vniuscuiusque hæreseos, in quibus sigillatim sua communione disiuncti sunt, nomine fasciculorum designauit, vt etiam tunc incipiant alligari ad comburendum, cùm à Catholica communione segregati, suas proprias quasi Ecclesias habere cœperint, vt combustio earum sit in fine sæculi, non alligatio fasciculorum.* Nota hæc vltima verba, quæ pulchra totius sententiæ clausula est: *Vt combustio earum sit in fine sæculi, non alligatio fasciculorum.* Scilicet scelesti quique prius alligantur in fasciculos in hoc sæculo, & postmodum in futuro comburentur gehennali incendio, prius efficiuntur malitiæ gregales seditione factiosa, & perniciosè in malum coniiciuntur, quàm infernali flammæ tradantur. Alliganda sunt Zizania *in fasciculos, non in vnum aceruum, &c. vt combustio sit in fine sæculi non alligatio fasciculorum*, subtiliter sanè Augustinus rem expressit! *Los ruines no saben irse al infierno, sino es aganillados.* Confœderata malitia, præmium æternæ damnationis omen est, quo æternaturum sibi in gehenna incendium, sibi infaustè augurantur.

3\.

Matth. 13. v. 30.

Priùs quàm comburantur Zizania, in fasciculos alligantur.

S. Aug. in lib. de qq. Euag. in Matth. c. 11.

Matthæi 26. In Passionis vestibulo, vbi in Christum Deum fremunt Pontifices, & Pharisæi, ad orationis ipse confugit asylum. Nec ibi familiares proditoris Discipuli declinauit insidias, qui vltrò aduersariis prodidit. Tradito sacrilegæ perfidiæ signo, Iudas cohortis hostilis malitioso fœdere 4.

Matth. 26. v. 50. Orig. Tract. 35. in Matth. fœdere congrex, confestim accessit ad Iesum, & dixit ei: Aue Rabbi. Et osculatus est eum. *Dixitque illi IESVS: Amice, ad quid venisti* ? Ad quæ verba sic notanter Origenes: *Dicit autem Amice, improperans simulationem : hoc enim nomine neminem bonorum in Scripturis cognoscimus appellatum. Ad malum enim dicitur : Amice quomodo huc intrasti ? Amice non facio tibi iniuriam.* Non quod inter improbos solùm vera reperiatur amicitia ; imò nec inter ipsos amicitia reperitur; nam eorum amicitia tam infida est , quàm ipsi, conspirant enim in vnum malitiæ fœdere , quo ad potentiùs nocendum vires conflent. *Pharisæi autem*(ait Matthæus) *audientes quod IESVS silentium imposuisset Sadducæis, conuenerunt in vnum? Et interrogauit eum vnus ex eis legis doctor*, &c. An pax erat inter Pharisæos, Herodianos & Sadducæos ? quid ergo est , quod nunc *conuenerunt in vnum*? Incertus Chrysostomus ita præfata verba exponit: *Conuenerunt in vnum Pharisæi, vt multitudine vincerent , quem rationibus superare non poterant , à veritate nudos se professi sunt , qui multitudine se armauerunt. Dicebant enim apud se: Vnus loquatur pro omnibus , & omnes loquamur per vnum.* Addit S. Hieronymus ad rem præsentem opportunissimus : *Pharisæi ergo & Sadducæi, qui inter se contrarij sunt, ad tentandum Iesum pari mente consentiant.* Vix inuenitur sine consensione malitia, sæuior hostilitas amicè fœderatur in malum.

Iurati alioqui inimici amico fœdere ad malum conspirant.

Matth. 22. d. 14.

Imperf hom. 42.

Hieronym. ibidem.

5. Orig. Tract. 54. *Sensuum mutua inter se ad malum conspiratio.* Hinc non bonam humanorum sensum conspirationem , aduersus rationem indecora fatuitate, publicauit Origenes, sic aiens: *sicut sequuntur se ipsas inuicem virtutes , vt qui vnam habuerit omnes habeat: sic & sensus omnes alterutrum se subsequuntur , propterea necesse est , vt aut omnes quinque sensus sint prudentes , aut omnes fatui.* O vitiorum consequentias! Si oculus visione scortatur, aures ad libidinem pruriunt, lingua lasciuit , tactus luxuriatur : Sic vnus sensus quadam malitiæ catena alios trahit : ô quis animum abstrahet à sensuum collegio !

6 *Iniquorum concordia ad perniciem innocentia conflatur.* Matthæi 9. Pharisæi apud Discipulos in Magistrum notam de publicanorum conuiuio componebant : apud Magistrum Discipulos ieiunij nescios, gulæ deditos accusabant : & discipulis de Magistro , Magistro de Discipulis odiorum causas, discordiæ semina liuore iactabant. Sed qui in Christi collegio scissuras solerter procurant , ipsi alioqui simultatibus mutuò exgreges, reciproca iam concordia vnanimes conspirarunt. *Tunc accesserunt ad Iesum Discipuli Ioannis , dicentes : Quare nos, & Pharisæi ieiunamus frequenter , discipuli autem tui non ieiunant* ? Quæ Matthæi verba , elegantiarum arbiter Chrysologus, sic examinat, & ad rem illustrat : *& cum discipulis Ioannis* , inquit , *quæ societas Pharisæis ? nisi quia iunxerat inuidia, quos disiunxerat disciplina, Hinc iam perdidit iura zelus : iunxit disiungere consuetus.* Quid tam concordiam arietat, quàm zelus , qui specie virtutis, malitiam dissimulat? Sed vide quàm perniciosè studeat concordiæ, cùm Ioannis discipulos Pharisæis adsociet ad Christi perniciem. O iam perdiderit iura zelus, qui aduersus innocentiam adhuc præscribit de falsato obsequio disciplinæ, vnitati contrarius, innocentiæ aduersarius, & iuratus disciplinę hostis.

Matth. 6. v. 14 Chrysol. ser. 31.

7. Gen 49 v. 2. Orig. hom 17 Geneseos 49. morti proximus Iacob ex familiæ parens & auctor, ita filios suos affatur : *congregamini filij Iacob.... & audite Israel patrem vestrum.* Ad quæ verba ita scribit Origenes : *Fortasse quæras, quare filij Iacob dicuntur qui conueniunt : Israel verò dicitur qui benedicit eos* Nonne idem est pater binominis, & qui filios congregat, & qui eis largè benedicit? cur ergo dum illos *cōgregat*, dicitur *Iacob* , & *Israel* dum eisdem *benedicit*? An quia Iacob, id est, Supplantator, facilè in vnum suos congregare & in vnum cogere potest, benedicere non potest ; Suspecta semper erit Supplantatoris, seu æmuli benedictio ; suorum autem in vnum coitio & congregatio, facilis. Ergo varia nomina pro munerum varietate partitur. Iacob, id est, Supplantator congregat, non benedicit. Israël , id est , præualens Deo, vel Deum videns, non facile congregat, & suos in vnum cogit; sed feliciter benedicit, fausta precatur, & propheticè impetrat.

Cur Iacob, id est supplantator congregat, Israel benedicit.

§. CCCCLXII.

Vsque adeò iniquitas insolescit , vt de nobilitate enormius peccandi , nequior fama delectet.

IN hanc morum probrositatem (inquit Saluianus) propè omnis Ecclesiastica plebs redacta est, vt cuncto populo Christiano genus quodammodo sanctitatis sit, minus esse vitiosum. Igitur qui meliores nos multò cunctis quæ sunt in mundo gentibus iudicamus ? Vita enim & peccatis sumus barbaris deteriores ; lege autem catholica sine comparatione meliores. Iniusti sunt barbari , & nos hoc sumus , infideles sunt barbari , & nos hoc sumus , cupidi sunt barbari , & nos hoc sumus , impudici sunt barbari , & nos hoc sumus. Omnium denique improbitatum atque impuritatum pleni sunt barbari, & nos hoc sumus. Imò hoc magis culpabiles sumus , si legem bonam colimus , & mali cultores sumus , ac per hoc accusatrix nostri est lex ipsa , quam colimus. Hactenus Saluianus , qui suo æuo profligatos fidelium mores acerbius castigat ; sed penè frustrà labor , nam malitia ab ipso , & in ipso delicto impudentiam edocta, eò temeritatis deuenit , vt præstantiam in delictis suis non erubescat. Ad hanc nos impudentiam malorum actuum per gradus suos incrementa traxerunt, vt dum velut impotenter in vitia ferimur, sublimioris potentiæ nobilitatem reputemus , atque apud quosdam probrosioris vitij meritum , obsequentia impudentius vota concinnant. *Qui lætantur , cum male fecerint : & exultant in rebus pessimis.* Hoc nomine se accusat Augustinus in Confessionibus , ita vt puderet inter coætaneos, minoris dedecoris esse, quando audiebat eos iactantes flagitia sua , & tanto magis exultim gloriantes , quantò magis turpes essent ; ita vt liberet facere , non solum libidine facti , sed etiam laudis , ex enormiori ortæ delicto. Hinc deliram ethnicorum vitiositatem perbellè subsannat Nazianzenus, irridens *venerandum Pana, illum ex omnibus procis vnum Deum, atque à contumelia numen.* O Gentilium rationem libidine obcæcatam! propudiosa contumeliosè salacitas insigniter procos canonizet ? vitij contumelia *Numen* dabit ? Sic census culparum sublimis habetur ? *à contumelia numen* ? Bonus Tobias, qui ad speciem culpæ , quam vel leuem , vel nullam suspicando commisit , *erubuisse*

1. Saluian. de Gub. Dei lib. 3. & 4.

Quam enormiter Christiani delinquunt, Christianismi titulo scelus exaggerante.

Prouerb. 2. v 14.

Naz Orat. I in Iulian. Tobiæ 2. v. 22. & 23. in text. Græco

Hic v. 13.

buisse perhibetur; præuidens quòd impudens Niniuitarum malitia finem dabit ei.

3. Psalmo 51. Dauid strenuus patriæ vindex, & religionis assertor, innocentiæ & victoriæ reus fugitat Saülis iras, inuidiæ liuore nocenter armatas: atque sycophanticam Doëg Idumæi delationem, tot tragœdiarum scenam, exacerbato indè animo alta mente reuersans, in has querulas voces modulatè erupit: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Porrò cùm criminum deferendorum munus vir ingenuus erubescere soleat, & susurro clandestino aueat Curiosus alienas culpas auribus stillare, declinans, delationis inuidiam; eò impudentiæ, inquit, Doëg Idumæus deuenit, vt non suffundatur turpis malitiæ pudore; imò in malitia glorietur, & de sceleris præstantia arroganter superbiat. Pro τὸ *quid gloriaris*, Caietanus exscribit, *quid gloriaberis*: quasi diceret Dauid velit, etsi nunc gloriaris in potentia malitiæ tuæ, non subest tamen cur glorieris in futurum. Sed rectè à Vulgato per præsens tempus expositum est viuaciori energia, significat enim inueteratum, & se iactando, ac laudando morem, qui porrò adhuc perseueraturus videatur. Tam longè hic scelestissimus Doëg abest, vt sceleris suffundatur pudore, vt quasi flagitij enormitate nobilitetur, de maiori flagitio magis se iactet; nec scelestius peccet libidine facti, sed etiam ambitione laudis. Argutè Ennodius adspectu ad has Prophetæ voces, ita opportunè fatur: *Vos verò qui leuia errata despicitis, qui peccati nobilitate gaudetis.* O pudor! Erubescunt leuia delicta, quasi inde leuem caperent honorem; aut remissior vitiositas, probrositas fit: & dum grande piaculum, & enormius delictum patrant, se sumptuosiùs *nobilitari* præsumunt. O propudiosissima è scelere flagitiosiori nobilitas! Ennodio Paulinus accinit, non impare ingenij & facundiæ laude, præfata Dauidis verba eleganter exponens: *Gloria*, inquit, *impio est iniquitas sua, neque solum operatio eum, nequam, sed & nequitiæ fama delectat. Vnde illud in Psalmo: Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Parùm foret, quod homines delinquendi libidine exstimulati peccarent, quod humanum foret, & imbecillitati ignoscendum, ast in peccati ignominia *nobilitatem* ambire, & criminosioris *nequitiæ famam* aucupari, frontis inopia est, pudoris iactura, & impudentiæ hyperbole. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* O Christe, quomodo tuam aduersus hæc impudentissima procaciter scelera, lenitatem & patientiam ferant? Nunc silendo dissimulas, demum loqueris quasi parturiens.

Psal. 51. v. 3.

Caiet. ibi. *Qui peccati nobilitate gaudet, malitiæ famam exambit.*

Ennod. in libello adu. eos qui contra Syn. &c.

Paul epist. 4

5. Exhodi 20. seuerissimè Deus populum suum ab Idololatria arcet: Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsùm. *Non adorabis ea, neque coles, ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Et postmodum pronunciat reliqua Decalogi præcepta, in quibus sui populi mores ad congruam virtutem informat. Quod inidoneè factum fuisset, nisi idololatriam remoueret, nam inanium Deorum cultu, vitiorum patrocinium est, dum Gentilium religio, politicarum legum energiam abrogat. Porrò Idololatræ in Venere libidinem adorant,

Exhod. 20. v. 5.

Vitium, non turpe, sed honorificum existimabitur.

in Marte iram sæuè vltricem, in Plutone auaritiam, in Ioue adulteria. Quid ergò interest, vt eiusmodi morum prodigia humani Legislatores consultissimè prohibeant, si eadem populus in Diis suis adorat? ô impudentissimum malitiæ ingenium! Grauissimè hac super re ita fatur Nazianzenus: *Hoc enim omnium grauissimum est, quod quæ legibus vindicantur, ea illi vt diuina venerantur.... vbi vitium non turpe, sed honorificum etiam existimatur.* Quid tam irrationale, agreste, barbarum, quàm vitij turpitudinem, quasi excelsè honorificam reputare, & in nequitiæ ignominia nobilitatem quærere? O vtinam pagana tantùm fides hæc propudia morum admitteret! Geminato incentiuo raptabimur ad vitia; & cupiditatis fomite, & nobilitatis honorifica ambitione? *Erat homo* (ait Chrysologus) *peccati seruus, erat captiuus mortis, erat mancipium Dæmonum, erat vitiorum verbero, erat criminum compeditus*; & sub tot ignominiis, de scelerum turpitudine insolenter superbit: Nota illud, *Vitiorum verbero*, quod probrosiorem infamiæ notam inurit.

Naz. Orat. 44 quæ est in Iulian.

Chrysol. ser. 6.

4. Ieremiæ 8. sic per Prophetæ linguam de scelerato populo Deus conqueritur: *Quare ergò*, inquit, *auersus est populus iste in Ierusalem auersione contentiosa?* Hebraïcè, *auersione perpetua*, id est, forti, iugi, pertinaci, ita vt nolit auerti à peccatis, & ad Deum suum reuerti. Sed viuacius id expressit vulgatus, exscribens *auersione contentiosa*, quasi alteruter auctiorem æmularetur malitiam, ambitioséque contenderet, quis flagitiosiùs delinqueret. Grauissimè S. Gregorius Nazianzenus hac de re ita scribit: *Etenim in profundis impietatis opibus inter se certant, perinde atque non id metuant, ne impiis erroribus se se constringant, sed ne hac in re leuius tolerabiliusque peccent, quam cæteri.* O frontem! ô profundam malitiæ opulentiam! Parum iniquitatis foret, conscientiæ rem oscitanter negligere, & iniquitatem velut aquam ebibere procliui haustu, atque inoffenso pede, & muta conscientia in obuia ruere vitia, id iam peccatores metuunt, *ne leuius tolerabiliusque peccent, quam cæteri. Quare auersus est populus iste in Ierusalem auersione contentiosa?* Qui falsata mente putat *vitium honorificum* esse, & *peccati nobilitatem* magni æstimat, non tantum peccati libidine instigatur ad vitia, sed etiam honoris ambitione de vitiorum nobilitate cum reliquis contendit, indecorumque sibi existimat, si *leuius tolerabiliusque peccet, quam cæteri.* Ad hoc malitiæ barathrum delinquendi impudentia deducit, ô non bonam æmulationem extrema supplicia de vicino peracerbè ominantem!

Ierem. 8. v. 5. *Quidam metuunt, ne tolerabilius peccent quam cæteri.*

Greg. Naz. Orat. 10

5. Geneseos 6. solus Noë cum paucula familia in communi creaturarum naufragio conseruatur, iustitiam comitem nactus ad salutem; tunc gentes densissimæ profusè fluctibus hauriebantur iniustitiæ merito profundè demersæ. *Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate.* Cumque vidisset Deus terram esse corruptam, (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram) dixit ad Noë: *Finis vniuersæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.* Præscripta sacri textus verba exponens Seleuciensis Basilius, scelerosos

Genes. 6. v. 11. & 12.

rosos impudenter, voluptuosè cœnulentos, & sacrilegè temerarios hominum mores, graphicè pariter & commodè his verbis depingit. *Tota igitur id temporis humani generis vniuersitate ad impietatem vergente, & vna conspiratione contra Creatorem acie imposita, nulla quantumuis importuna & barbara pratermissa est audacia: verum omnes cupiditatis via secabantur & inibantur, ac ipsius impietatis consuetudo nouabatur. Audacia verò & crudelitate velut armis animam vndique muniebant, ac in mutuam perniciem vtebantur* Nota attentius quæ ad lemma præsens subdit opportunus. *Quæ enim iniustitia species, qui modus intemperantia non inter eos versabatur? quæ legum prauitas non apud eos pro lege statuebatur? Virium corporis immodici in earum datorem per mentis elationem & insolentiam erunt iniuria. Tunc erat terra corruptela, vinaxque pestis. vnum ad expiationem diluuium deerat* Ecce tibi mentis elationem, & insolentem vitiorum temeritatem, qua terræ corruptela virulentè suppurat, vinaxque morum pestis non bono exemplo in omnes perniciosè grassatur. Vsque adeò enim vitiositas barbara tunc apud homines inoleuit, vt legum prauitas, & temeraria inuerecunde violatio, *apud eos pro lege statueretur.* Legum contemptus inueterata malitiæ consuetudine *nouabatur*. Vna lex illis erat, leges contemptim proculcare, quasi de peccati nobilitate malitiæ famam expectarent, vitiumque non turpe, sed honorificum censeretur; ac quilibet metueret, ne tolerabilius peccaret, quam reliqui, vnde peruersâ malitiæ contentione, de enormiori patrando scelere intentiùs decertabant, dum *legum prauitas apud eos pro lege statuebatur*; *vnum ad expiationem diluuium deerat.* Appositè Damascenus: *Impudens aspectus, & pendula ceruix, ac continua superciliorum agitatio, & superbus incessus, & nulla ex re turpi rubore affici, fœdissimi animi indicia sunt, obscuras probrorum suorum formas in conspicuo corporis insculpentis.*

Basil Orat. 5.

Legum prauitas apud primaeuos homines pro lege statuebatur.

Damasc. lib. 3. Parall c. 36

6. Paulus ad Philippenses 3. de quibusdam scelestissimè flagitiosis, ita scribit: *Quorum finis interitus: quorum Deus venter est: & gloria in confusione ipsorum.* Enormissimè scelerosus est, qui in his flagitiis *gloriatur*, in quibus rubore suffundi debuisset. *Ob ea* (inquit inibi Oecumenius) *gloriantur propter quæ occultari, & pudore affici oportuit.* Luculentiùs philosophatur Saluianus alludens ad præscripta Apostoli verba: *Nam sicut hæc*, inquit, *bonorum gloria est, vt quotidie meliores sint, sic malorum omnium vt deteriores. Et sicut optimi cupiunt virtutum vniuersarum culmen ascendere, pessimi optant palmas sibi vniuersorum scelerum vendicare.* Nota τὸ *scelerum palmas.* Vsque adeò iniquitas insolescit vt de nobilitate enormius peccandi nequior fama delectet.

Ad Philipp. 3 v. 19. Oecumen. ibi.

Pessimi optāt palmas scelerum sibi vendicare.

Saluian. l. 6. de Gubern Dei.

---

§. CCCCLXIII.

Homo de latentis inuidiæ genio, inimicum se feliciter præsentium exhibet, amicum verò pereuntium.

1. DE ambitionis aut inuidiæ genio est, vt quos viuentes contemnimus, iam mortuos charius æstimemus, & seris honoremus votis. Illorum claritudine inuidia nostra perstringebatur, ne ad eorum fulgores attenderet. Vnde Nazianzenus rogatus quis pro illo in dignitate substituendus sit, ita fatur: *Quem tibi substituemus, dicet aliquis? Hoc vnum peto, vt ex eorum numero sit, qui inuidia premuntur, non qui misericordiam mouēt. Qui nonnullis in rebus ob recti studium in hominum offensionem incurrit.* At illi ipsi in vita inuidiosi, vbi in vitæ occasu tumulati fulgere desierunt, mitius ac dulcius iam eorum lumen, de eorundem defectu videmus, & eunitibus præ desiderio lacrymis, serò dolemus. In asylo mortis tutum, vel inimica inuidiosè hostilitas, non lædit, quin & clementer ignoscit, & beneuola illacrymat, quod de occultæ tectius inuidiæ clancularijs insidijs sæpè venit, quasi extrema mortis calamitas, fulgores mortalium propè tumulans, feras amicitias conciliet O inuidas cum mortuis amicitias! Qui ad præsentia cæcus eras, alienæ calamitatis collyrio inoculatus, sic perspicaciter præterita vides? Vel senioris Tobiæ clarior virtus, eius etiā domesticis & familiaribus, necdum vsque ad eius obitum, satis nota fuit. Tobias autem iunior sicut erga viuentes, sic etiam in defunctos beneficè pius prædicatur.

Naz Orat. 28

Inuidiosum esse, candidati meritum est.

Hic v. 16.

2. Isaiæ 53. ita Propheta scribit, vel Hebræo populo in Babylonis captiuitatem abducto, vel de Christo Deo probrosæ cruci acerbissimè affixo (saltem mysticè de Christo sermo est) Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti: *Non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desiderauimus eum.* Scio hunc perdifficilem locum per Ccumā, litteralissimè reperita negatione exponendum; sed (vt iacent verba, & à pluribus accipiuntur, & exponuntur) arduus planè explicatu est. Quid est, quod Iudæi dum Christum sapienter ad turbas concionantem, miracula gloriosè patrantem negligunt, & fastuosè despiciunt, & contumeliosè à se abijciunt: cum autem eum inter fontes patibulatum vident, quando non erat ei species, neque decor, sed mortis tristissima facies, tunc eum *desiderant*, & amissum plures suspirant? Hugo sic prædicta verba exponit: *Et desiderauimus eum despectum & nouissimum virorum, id est, suspirauimus & doluimus esse abiectissimum hominum, desiderium enim suspiria elicit.* Planè mirissimum est, quod dum clarum & gloriosum vident in viuis vitam agentem, eum negligant, & despiciant; cum autem eundem iam despectum, nouissimum virorum, & inter mortuos compotatum animaduertunt; tunc, tunc quidem eum magni faciant, anxie *desiderent*, & eius vicem & absentiam suspirijs doleant. Hostes eius dum viueret, eiusdem nuper defuncti, iam derepentè amici facti sunt? Sic mors & calamitas amicitias conciliat & fœderat. O tectum inuidiæ genium! quem Zeno Veronensis & subtiliter contemplatur, & his verbis eloquenter publicat, sic de inuido fatus: *Miratur & laudat diuitias, sed post ruinam, decorem vultus, & corporis robur in languoris macie, & tabe ægritudinis prædicat: & in omnibus inimicum se præsentium seruat, amicum verò pereuntium.* Nota hęc postremā verba, in quibus stat tota moralissimæ sententiæ energia. Nempe dum quisque vita fruitur, diuitijs, honore, & dignitate, & nominis claritudine floret,

Isaiæ 53. v. 2.

Inuidus inimicum se præsentium seruat, amicum pereuntium.

Hugo ibi.

Zeno ser. de Liuore & Inuid.

hoc ipso felicitatis titulo inimicitias cum pluribus contrahit, & dissimulatam inuidiæ hostilitatem paritur; quæ non finit pulchra eius elogia dignè suspicere, & æquo æstimare censurat vbi è viuis excessit, neque est ei species, neq; decor, & propè omnis gloria mundialis tunc cum illo pariter tumulata est; tunc *desiderauimus eum, voluimus, suspirauimus desiderium enim suspiria elicit*: tunc deposita inimicitia, quam famæ splendor rectius conciliabat ipsius calamitatis, & tristissimæ mortis genio, beneuola initur amicitia: nam de inuidia dissimulata venit, quòd homo *inimicum se præsentium seruat, amicum verò pereuntium.* O feram & malignam amicitiam, quæ de nuper felicis infortunio conciliatur! Prosperior fortuna, de alienæ ambitionis ingenio, amicitias inire solet: & ærumnosior quoque calamitas, dum inuidiam mitigat, nouas insolenter conciliat amicitias. Pudor! Similem ad modum expendere licet illud Zachariç 12. *Et aspicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctu*, &c. Consule Glossam inibi.

Zachar. 12. v. 10.

3. Sap. 5. v. 1. Sapientiæ 5. ita scribitur: *Tunc stabunt iusti* (Græcè in singulari habetur, *stabit iustus*) *in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum.* Persecutores, Iusti labores auferunt, an cumulatiùs agent, dum vberem calamitatum materiem exhibent? de quo forsan alibi. P. Lorinus ex Græco textu sic explicat. *Qui abstulerunt labores eorũ*, qui *deposuerunt, irritauerunt, spreuerunt, irritos & inanes consuerunt*; imò & quòd in ipsis fuit, in nihilum redegerunt, siue opera ex virtute peracta intelligas, siue res ac bona, quæ sibi labore pepererunt, &c. Plura suppetunt exempla in quibus Interpres ἀπωθῶν reddit *spernere*, vel *abiicere*, vel *reprobare.* Sic dum vel iusti labores spernuntur, abiiciuntur, & reprobantur à vulgo maledico eiusmodi sisti, inhiberi, imò & auferri dicuntur, sic celebri plausu aliquorum virtus stimulatur aliquando ad pietatis facinora; & reprobatione & contemptu compescitur? Hac super re alias vbertim. Pergit Sapiens ad rem præsentem: Videntes (hi qui iustum dum viueret, spreuerunt, videntes iam post mortem eum conspicuum & illustrem) turbabũtur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis: *Dicentes intra se*, (*inter se*, alij exscribunt) *pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij.* Lucifer: *Pœnitentiam habentes. Sara veritatis cognitio*, inquit Cyprianus: *alieno tempore missa suspiria*, indicat Basilius. Nempe dum viuentem *spreuerunt* iustum, virtutibus, fama, & rebus gestis aspectabilem; dum eundem post mortis calamitatem, præclarum suspiciunt, pœnitentiam habẽt, & sera veritatis cognitione, alieno tempore suspiria è præcordiis dolenter emittunt, se dum viueret spreuisse eum, quem post mortem sic gloriosum suspiciunt. Appositè ergo inducuntur, *Dicentes inter se, pœnitentiam habentes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum.* Est enim Pœnitentia, vt Clemens Alexandrinus definit: *Tarda cogitatio.* Bellissimè quidem: *Es la Penitencia, vna aduertencia, y estima de la virtud, que llego tarde; que no se reparo, hasta, despes de perdida.* Itaque opportunè vulgò homines nequam inducuntur, *despicientes* sanctitate prælustres viros; & post eorum mortem feram pœnitentiam habentes dum *tarda cogitatio* debitæ æstimationis, mentem eorum tardè subit, quasi mors amicitias ineat cum eis, cum quibus vita inimicitias conciliat. Nam homo de latentis inuidiæ ingenio habet, vt *in omnibus inimicum se præsentium seruet, amicum verò pereuntium.* Interitu enim & ruina æmuli, nequior inuidia desçuit, & cognatę hominibus malitiæ furor deferbuit.

Lorin ibi. *Qui præclara opera Iustorum contemnunt, illa auferre dicuntur.*

4\.

Sap. 5 v. 3. Lucifer. Cyprianus Basilius apud Lorinum ibi.

Pœnitentia est, Tarda cogitatio qua quod despeximus, serò æstimamus.

Clem Alex. 2. Strom.

Ioannis 6. inopinata in deserto turbarum saturitas, quando Christi manus escarum fœcundæ, furtiuo panum & piscium incremento, factæ sunt tot millium miserè esurientium affluens panarium; sic palati lenocinio benè pransos homines ad se traxit, vt prę audaci tunc beneuolentia, Christum proclamare Regem, increbrescente rumore gratanter affectarit. *IESVS ergò cùm cognouisset, quia venturi essent vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Quid est, quod Christus dum pene proclamatur Rex, *solus* abire permittitur? Turbæ eum sequuntur miracula facientem, Pharisæi, & Scribæ profunda eruditione concionantem, Discipuli vsque ad mortem eum subsequi audenter pollicentur, nec illum prorsùs in cruce deseruerunt; & cum Rex proclamatur, *solus* abire finitur? Socios habuit, quandò præ agonia sudabat sanguinem, & in cruce patibulatus occubuit; & in oblati regni gloria *solus* inuenitur? Profectò nemo est vsque adeò miserè infelix, qui in calamitate etiam omninò deseratur. Quosdam vetus amicitia, nonnullos cognationis pietas, alios pia compassio miseris adsociat. At fortunatus felix vnicè solus est, etiam dum plures illum coemittantur. Bellissimè Seneca: *Iste quem beatum credis, sæpe dolet, sæpe suspirat. Multi illum comitantur. Mel musca sequuntur, cadauera lupi, frumenta formicæ. Prædam sequitur ista turba, non hominem.* Christus proclamatus Hebræorum Rex, *solus* discedit: ciborum prædam sequitur ista turba, non hominem Deum O Regum, & Felicium solitudo, etsi frequenti apparitorum comitatu stipatissima! Nil facit externa corporum præsentia, quando præsentiũ apparitorum animus longè absentatur. Ille, qui in comitatu est, & homini diu noctúque assiduus, inuidiæ malo alienus est, & Felicis fortuna torquetur: isti ambitionis genio de Principum familiaritate elationem nutrit: alius seduli obsequij ingenio, Munerum lucra auare negotiatur. *Prædam sequitur ista turba, non hominem.* Exinde in frequenti etiam comitantium turba *solus* inuenitur, quem adridens fortuna excelsiùs sublimauit: & Rex palam proclamatus, *solus* abscedit. Hominum infelix elogium est, quòd inimicum se felicium præsentium seruat, amicum verò pereuntium. Amicitias frequenti obsequiorum sedulitate ambitiosus simulat; sed etiam dum comitatur, *solum* relinquit. Heu sæculi feliciter Proceres, qui dum principale fastigium parant, *ædificant sibi solitudines.* Quisquis felix est in frequenti etiam satellitio solus est.

5\.

Ioann. 6. v. 15

Solus plerumque est quisquis fortunatus est.

Senec. de remed fortuit.

* *
*

§. CCCCLXIV.

§. CCCCLXIV.

Num parentum mores hæreditario iure, & velut lata imitationis lege, genere manante, in posteros deriuantur?

1\. AVlus Fuluius vir prænobilis, & egregiâ in patriam fide; filium, ingenio, litteris, & forma florentem; quoniam à paterno studio degener in Catilinæ castra properabat, ex itinere reuocatum occidit, dicens: *Ego te non Catilinæ aduersus patriam, sed patriæ aduersus Catilinam Genui.* Nimirum bonus pater, non naturam duntaxat, sed eosdem etiam mores, idem studium, & fidem eandem, paternitatis iure generasse in filio præsumebat, quasi paterna fides per generationis traducem ad filios emanet. Exhodi 3. sic de rubi incombusti flamma Moysen Deus alloquitur: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.* Quę Dei ad Moysen verba sic commentatur ibi Caietanus: *Dicendo Deus patris tui, non alios patres intelligit, quam Abraham, Isaac, & Iacob..... cui hæreditario iure tenetur Moyses cultum exhibere imitando patres suos.* Quasi parentum fides, religio, & pia virtutum studiositas, deriuentur ad filios, altiori quodam hæreditario iure, quo parentum mores & studia in hæreditario filiorum censu numerari debeant. *Ergo facies erit filij pater*, inquit Tertullianus. Tobias vir iam factus, accepit vxorem Annam de tribu sua, genuitque ex ea filium, nomen suum imponens ei, quem ab infantia timere eum docuit, & abstinere ab omni peccato. Et infrà cap. 7. Intuens iuniorem Tobiam Raguël, dixit Annæ vxori suæ: *Quam similis est iuuenis iste consobrino meo.* Tobiæ parenti inquam, non solum externis corporis lineamentis; sed etiam modestia, verecundia, & reliquis virtutibus, quas per sensuum rimulas interna animi compositio spirabat. Ne verò à paternis auitisq; moribus vnquam degeneraret, tot filium documentis erudit aiens: *Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo, quasi fundamẽtum construe*, ne velut congenitam maiorum pietatem aliquando desuescat. Et omnis Tobiæ posteritas boni patris hîc mores redolet.

Erasm. l. 6. Apoph. — *Exod. 3. v. 6.* — *Caietan. ibi.* — *Num parentum mores hæreditario iure trãseunt ad filios?* — *Tertul. adu. Prax. c. 14.* — *Tob 1. v. 9. & 10. c. 7. v. 2.* — *Hic v. 17.*

2\. Geneseos 24. Demortua Sara Abrahamus iam senex de Isaaci nuptiis sollicitus, exosus feminas Chananitides, seruum Eliezerem ad Mesopotamiam mittit, qui ex heri sui semine puellam quærat Isaaco dignam, cuius posteritati tot Dei benedictiones vnicè impenduntur. Mesopotamiam peragrat Eliezer, & venit ad Haram vrbem Nachor. Cumque camelos fecisset accumbere extra oppidum iuxta puteum, tempore, quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam, dixit: Domine Deus Domini mei Abraham, occurre, obsecro, mihi hodie: Ecce ego sto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egrediuntur ad hauriendam aquam. *Igitur puella, cui ego dixero: Inclina hydriam tuam vt bibam: & responderit: Bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac: & per hoc intelligam quod feceris misericordiam cum Domino meo.* Superstitionem hæc subolet coniectura, & consultior prudentia est. Nam hoc signo puellæ beneficentiam explorat, Abrahamidum moribus congruam, quam in sobolem tot benedictionibus augendam, genere manante detinet, ac si soboles sic matrizet, matrumque mores opere exprimat, in secreto materni vteri velut in gymnasio edocta, vt filij cum materno sanguine, matris etiam naturalem combibant pietatem, & quasi hæreditario iure illam arripiant, & pio quodam virtutis furto maternos mores tanquam rem suam adeant. Doctè S. Gregorius Nazianzenus Oratione in laudem Cæsarij fratris, sic de vtriusque Sanctissima Matre scribit: *Mater autem iam olim & ab ipsis proauis Deo consecrata, pietatem instar cuiusdam hæreditatis, non ad se ipsam tantummodo, sed ad liberos etiam deducens.* O consiliosissimum Eliezerem, qui eiusmodi pietatis auspicio, idoneam Isaaco sponsam à Deo putat consecratam! dignamque eligit matrem felici soboli, quæ Dei populum generosè conflet. Benefica pietate insigniter floreat Rebecca, quæ in liberis post tot generationes detrimenta non sentiat, sed quæ semper indole vernet in prole. Mater autem iam olim & ab ipsis proauis consecrata, *pietatem instar cuiusdam hæreditatis, non ad se ipsam tantummodo, sed ad liberos etiam deducens.* Hanc Rebecca pietatem instar cuiusdam hæreditatis deducens in Iacobum, in Iosephum, in Dauidem, vsque ad Dei matrem, & Dei filium quodammodò deduxit, vt ab ipsis prauis consecrata pietas, per sanguinis traducem hausta, in generosa sobole indolis priuilegio micantiùs eluceret. Sic filij parentum mores velut hæreditario iure arripiunt, hauriunt, exprimunt, cognato etiam genitorum imitamento.

Gen. 24. v. 14. — *Parentum pietas velut hæreditario iure ad filios deducitur.* — *S. Nazian. orat.*

3\. Matthæi 1. generosa Christi Dei in terris genealogia seriatim texitur, & ab Abrahamo familiæ retrò principe, & gentis Hebrææ patriarcha per tres omnino quaterdenas ducitur, ne generis nobilitas Christo Deo deesse videretur ad cuius generationem sic tandem deuenit: *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est IESVS, qui vocatur CHRISTVS.* Vide in terris velut peregrinum Deum agnoscemus? Nobilis paterni pectoris inquilinus, (vt Zeno loquitur) ex quonam poterit in mundo iam corporatus cognosci? Benè est, virginis Deiparæ filius nuncupatur; sed quare Euangelista eius nunc omisit elogia, nec saltem perstrictim libauit? Sic hominem Deum, quem hominibus notificare intendebat, velut vnum è reliquis recenset; nec elogio aliquo, quod augustas eius virtutes prodat, vel in historiæ transitu illustrat? An Christi indolem, virtutes, encomia tanquam compendio expressit, ipsius augustam Matrem, præter Scripturarum morem, in genealogiæ serie recensendo? Perbellè Nazianzenus, vt Theologiæ vertex, sic & sententiarum maiestate prælustris, tacitè adludens ad præfata Matthæi verba: *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est, IESVS, qui vocatur Christus*, sic tempestiuè de Christo fatur: *Filius autem hominis propter Adamum ac Virginem, ex quibus natus est: illo quidem vt genere auctore, hac autem vt matre & lege, & supra legem generationis.* Grande quidem miraculum, quod vltra humanæ generationis fastigium, Deus homo nascatur, & sanè ex Virgine illibato matris pudore, & virginitate partu nobilitata. Sed quid est, quòd virgo Deipara, non tantum Christi mater, sed eius etiam quasi lex

Matth. 1. v. 16. — *Ex Virgine Christus natus est, vt matre, & lege.* — *S. Naz. orat. 35. quæ est 4. Theolog.*

lex à Gregorio nuncupatur? Ex Virgine Christus *natus est, vt matre & lege.* Mi a ne maternitatis titulo Christi Dei *lex* erit? Vnigenitus Dei Filius, verus Deus de Deo vero æternum satus, subiectus erit vlli legi? & vbi est eius augusta generosè nobilitas? subiectio legi, Christi Dei maiestate deuenustare videtur. Et quæ potest esse lex, quæ legislatoris solium sibi sternet, & obligatione obstringat? An matris Virginis indoles ab omnes pietates facta, per generationis traducem ad filium Deum traducta, velut *lex* ad pietatem illi fuit? An quia totos nouem menses matri conuisceratus, & tot exinceps annis cum illa intimiùs conuersatus, eas virtutum prærogatiuas in Matre de experientia recognoscebat, vt (etsi alia incentiua deessent.) Filij imitationem velut lata pietatis lege allicerét, & aliqua quodammodo æmulatione prouocarent? Ad tantum perfectionis fastigium Dei mater sublimata est, vt quasi filij Dei *lex* meruerit appellari? Ex Virgine Christus *natus est, vt matre, & lege*, ac si Christus Deus ex Virgine matre censendus sit. Sic parentum mores indole, & imitamento in filios transeunt, vt parentes sint velut filiorum leges: ô nouas leges, & Iurisperitis hactenus ignotas!

4. Gen. 21. v. 6. *Reprehensum parentis, risum in ipso nomine Isaacus imbibit.* Genes. 18. vers. 10. Bonfr. ibi.

Genesis 21. Visitauit autem Dominus Saram sicut promiserat. Concepitque, & peperit filium in senectute sua. Vocauitque Abraham nomen filij sui quem genuerat ei Sara, Isaac. Dixitque Sara: *Risum fecit mihi Deus.* Tempestiuè Sara dum parit *Isaac*, quod nomen interpretatur *risus*, dixit: *Risum fecit mihi Deus.* Et quidem acute notauit Bonfrerius inibi, quod nunc Sara *alludit ad risum cap.* 18. v. 10. (*Quo audito*, inquit, *Sara risit*; *& simul ad nomen Isaac, quod risum significat.* Saræ filius appellatur *Isaac*, id est, *risus*, propter Saræ risum ab Angelo reprehensum. Sic vel parentis næuos arripiunt, hauriunt, & exprimunt filij: sic parentum defectus vel in ipso nomine filij præferunt: vel ipsum filij vocabulum, maternis vitiis obnoxium est: Reprehensum parentis *risum* in ipso nomine Isaacus imbibit: Tametsi Virgo Deipara non deriuaret originalem culpam. (Si illam ipsa contraxisset) in filium Deum; at filium fuisse imputæ aliquando parentis, non parùm filij nomen deuenustaret.

Lucæ 1. Zacharias magni Dei Sacerdos, & coniubibulis Elizabeth vxor eius, erant iusti ambo, ambóque processerant in diebus suis: & non erat eis filius, eò quòd Elizabeth esset sterilis. Dum ergo Zacharias vicis suæ officio in templo fungeretur, ait ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, & vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem: *Erit magnus coram Domino, & vinum & siceram non bibet, & Spiritu-Sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Qui magnus est coram Domino, quantus sit apud homines quis probabit? Verùm enim verò tametsi exploratum sit, quòd sanctitatis sublimitas in Ioanne prouenerit ex afflatu Spiritu-Sancti, quo adhuc ex vtero matris suæ repletus est; tamen huic plenitudini addit opportunè Chrysologus, præfata Lucæ verba exponens, & de Ioannis natiuitate & meritis agens: *Qui natus est sancto de corpore Sacerdotis, & summa senectute ab omnibus vitiis defœcato, exemptio iuuentutis incendiis.* Ecce tibi quomodò parentum probitas, velut genere manante transeat in filiorum mores. Nempe Ioannes Baptista natus est de sancto corpore Sacerdotis, in summa senectute ab omnibus vitiis defœcato, atque incendiis iuuentutis exempto: exinde sic indolis bonitate Ioannes floret, velut cognationem cum virtute habeat; nec parentum moribus degener inuenitur. Inde etiam Ioannes in ætatis iuuenilis ardore, paternæ senectutis hyemem sensit; dum supernaturali Spiritus-sancti gratiæ, indolis bonitas virtuti egregiè adstipulatur. Hinc maior omnibus, quia vndequaque optimus nascitur.

Luc. 1. v. 15.

Ioan. nascitunus ex sancto Sacerdotis corpore, vitiis defœcato vt perfectæ indolis bonitate floreat. Chrysol. ser. 88.

Geneseos 37. *Israel autem diligebat Ioseph super omnes filios suos, eò quòd in senectute genuisset eum.* Paraphrasis Chaldaïca sic exponit præfata verba: *Israel autem diligebat Ioseph plusquam omnes filios suos, quoniam filius sapiens erat ei.* Quasi idem sit: *Eò quod in senectute genuisset eum*, ac, *Quoniam filius sapiens erat ei.* Scilicet *filius sapiens* dicitur Ioseph, quia non lasciniam paternæ iuuentutis, (tametsi non audentis vltra licitum) sed *senectutis* paternæ maturitatem moribus exprimebat. In senectute gignit dicitur, qui in iuuenali ætate, patris ætatem maturam repræsentat. Nempè Iosephus de sancto senis Iacobi corpore vitiis defœcato, vt perfectæ indolis bonitate floreat.

6. Gen. 37. v. 3. Paraph. Chald.

Si quid in hoc Opere humana tenuitas deliquit, lubens subiicio correctioni Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ, & eruditorum cultiori iudicio.

Si quid fortè laude dignum appareat, illud vltrò destino Deo O. M. Virgini Deiparæ, & S. Ignatio Protoparenti optimo.

COPIA

COPIA
AD
SACRAS CONCIONES
DE TEMPORE ET
DE SANCTIS.

Dominica I. Aduentus.

LVCÆ XXI.

ET erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis, &c. Eccur dum Ecclesia lætum Redemptoris aduentum spebus gratanter celebrat, tot pauidi timoris signis concutitur? An quia timere Deũ idem est, ac gratum esse, & Deum honorare? §. 280. num. 5. p. 439

Et erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis, &c. Cur vltimum Iudicium tot creaturarum timoribus præstruitur? An quia timor diuinæ iustitiæ patronus dicitur? §. 280. n. 3. & 4. p. 438. & 439. An quia timor, virtutis est custos? securitas ad lapsum facilis? ibid. n. 1. p. 438. & 439. An quia timor omnes omnipotentiæ plagas sibi imminere metuit? ibid. n. p. 438. An quia de periculi timore, ab homine Deus honoratur? §. 280. n. 2. p. 438

Et erunt signa in Sole. Quam ob culpam funestatur Sol, cùm creaturæ in die Iudicij ad examen citátur? An quia Sol oriens manifestat terrestria, & cœlestia occultat? §. 179. n. 8. & 3. &c. p. 280. & 281

Et erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis. Quod Matthæus cap. 24. v. 29. edisserit: *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum* Non Sol, qui est lucis conceptaculum, sed Luna, quæ lucem à Sole mutuatur, lumen appellat *suum*; quia Solem fugiens, lumen accipit, quò negotiosa ambitio damnatur. §. 48. num. 3. & 2. p. 72. & 71. Vel quia grande prodigium est, quòd Luna dans lumen *suum*, lumen in se habeat. §. 410. n. 3. & 2. p. 673. Vel quia moralissimè Sol obscuratur, dum absentantur stellæ, quas illuminet. §. 182. n. 2. & 3. p. 284. & 285

Et erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis. Quod Matthæus suprà dixit: *Stellæ cadent de cœlo.* Eccur stellæ in cœlo creatæ, ante finalis Iudicij examen, in terram cadens; secus Sol, & Lunæ? §. 213. n. 2. pag. 348

Arescentibus hominibus præ timore. Quare tot signa præmittuntur, quæ timorem incutiant? An ne se esse securos arbitrentur? Porrò qui securus sua opinione est, plures timendi causas habet. Time non timere. §. 73. n. 1. & 2. p. 113

Arescẽtibus hominibus præ timore. E beneficio cœlo tam potens timendi causa accersitur? Ita quidem maiora enim olim beneficia, maiorem metum incutiunt. § 417. n. 3. & §. 416. n. 3. p. 669. & 683

Arescentibus hominibus præ timore. Scilicet homines ad magnam Iudicij calamitatem valido timore armantur. Nam Petrus dum non metuit, imbecillus cadit, qui nuper cùm timeret, inconcussus stetit. §. 200. n. 2. pag. 312

Arescentibus hominibus præ timore. Vt securi sint in tremendo Iudicio, muniuntur prænio timore. Nam præuius periculi timor, de ipso periculo, & periculi facit asylum. §. 313. n. 2. & 3. p. 494. & 495

Arescentibus hominibus præ timore. Quare tot timendi causis, è cœlo, & terra accersitis, ad metum homo excitatur? An quia anima voluptatis scabie cooperta, metum Dei nõ sentit? §. 257. n. 3. & 2. & 1 p. 402

Præ timore, & exspectatione. Cur timori expectatio annectitur? An quia spes vicina plus metuit. §. 280. num. 4. p. 439

Quæ superuenient vniuerso orbi. Vniuersus orbis in Iudicio sistendus est; nullus locus eximitur; ne Deus, (quod putarunt Samaritæ) localis putetur. §. 310. num. 3. p. 490

Et tunc videbunt Filium hominis, &c. Sæculi Potentes ad Christi inopinati Iudicis Tribunal palpitabunt. §. 111. n. 2. & 1. p. 174. & 175. Quàm debeat homo trepidè in Dei apparere iudicio. §. 387. num. 3. p. 619 Sed spes humanas in Iudicio erigat, quòd Deus est hominis auctor. Ibi.

Tunc videbunt Filium hominis, &c. In die Iudicij prima erit in reos sententia, reuerendarum præsentia cicatricum. §. 295. n. 3. p. 461

Tunc videbunt Filium hominis, &c. Christi Dei vulnera, & Passio valdè ab hominibus timenda est. §. 417. num. 3. p. 669

Tunc videbunt Filium hominis, &c. Laudabilis est, qui Dei iram metuit; sed forsan laudabilior, qui Dei etiam hactenus indulgentiam timet. §. 202. n. 1. 2. & 3. p. 314. & 315

Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube. Quia Noëmi tempore in nubibus extitit periculi securitas, vnde poterat timeri periculum. §. 73. n. 3. p. 114

Venientem in nube cum potestate magna, & maiestate. In maiestate tunc apparet Christus, quia eius Sancti persecutione non vincuntur? §. 297. n. 4. p. 464

Discedite à me maledicti in ignem æternum, &c. (Matth. 25. v. 41.) Describitur gehennalis incendij pyra. §. 150. n. 1. & 2. p. 233

Discedite à me maledicti in ignem æternum. Pœnalissimum est habitare cum ardoribus sempiternis, qui culpam perpetuò inquirunt. §. 253. num. 2. p. 396

Discedite à me maledicti in ignem æternum. Rationabilis gehennæ flamma, quia damnati culpam iubetur punire, eius substantiam nescit absumere. §. 419. n. 2. p. 672

Discedite à me maledicti in ignem æternum. Miser damnatus quantum perdidit pretium, tantum est excepturus

Dominica II. Aduentus.

MATTHÆI II.

Dominica III. Aduentus.

IOANNIS I.

Index Concionatorius.

Dominica IV. Aduentus.

LVCÆ III.

In Natiuitate Domini.

LVCÆ II.

In Natiuitate Domini.

IOANNIS I.

Erat

In Festo S. Stephani Protomartyris.

MATTHÆI XXIII.

In

Index Concionatorius.

In Festo S. Ioannis Apostoli, & Euangelistæ.

IOANNIS XXI.

In Festo Sanctorum Innocentium.

MATTHÆI II.

In Festo Circuncisionis Domini.

LVCÆ II.

In Epiphania Domini.

MATTHÆI II.

Dominica infra octauam Epiphaniæ.

LVCÆ II.

Dominica II. post Epiphaniam.

IOANNIS II.

Dominica III. post Epiphaniam.

MATTHÆI VIII.

de

Dominica V. post Epiphaniam.

MATTHÆI XIII.

Dominica VI. post Epiphaniam.

MATTHÆI XXIII.

Cum

Dominica in Quinquagesima: & in festo 40. horarum.

LVCÆ XVIII.

Feria IV. Cinerum.

GENESIS III.

MATTHÆI VI.

Feria V I. post Cineres.

MATTHÆI V.

Dominica I. Quadragesimæ.

MATTHÆI IV.

Dominica II. in Quadragesima.

MATTHÆI XVII.

plus

Feria IV. post Dominicam secundam Quadragesimæ.

MATTHÆI XX.

Feria V. post Dominicam secundam Quadragesimæ.

Feria VI. post Dominicam secundam Quadragesimæ.

MATTHÆI XXI.

Sabbato post Dominicam secundam Quadragesimæ.

LVCÆ XV.

Dominica III. in Quadragesima.

LVCÆ II.

Feria IV. post Dominicam III. Quadragesimæ.

MATTHÆI XV.

Feria VI. post Dominicam III. Quadragesimæ.

IOANNIS IV.

Dominica IV. in Quadragesima.

IOANNIS VI.

Feria IV. post Dominicam IV. Quadragesimæ.

IOANNIS IX.

Feria VI. post Dominicam IV. Quadragesimæ.

IOANNIS II.

Dominica in Passione.

IOANNIS VIII.

Feria IV. post Dominicam in Passione

IOANNIS X.

Feria V. post Dominicam in Passione.

LVCÆ VII.

Feria VI. post Dominicam in Passione.

IOANNIS II.

Dominica in Palmis.

MATTHÆI XXI.

De S.Petri negatione, & lachrymis.

LVCÆ XXII. MATTHÆI XXVI.

De bono Latrone.

LVCÆ XXIII.

De Spinea Corona.

MATTHÆI XXVII.

Feria V. in Cœna Domini

IOANNIS XIII.

Feria II. in Resurrectione Domini.

LVCÆ XXIV.

Dominica in Albis.

IOANNIS XX.

In Litaniis maioribus, & minoribus.

LVCÆ XI.

In die Ascensionis.

MARCI XVI.

In die Pentecostes.

IOANNIS XIV.

In festo SS. Trinitatis.

MATTHÆI XXVIII.

In festo Corporis Christi.

IOANNIS VI.

Dominica infra octauam Corporis Christi.

LVCÆ XIV.

ni

ni pauperis non miseretur, nec eius necessitates haurit, arcanæ ingratitudinis reus est §.181.n.·.& 2.&c. p.283. Profectò miseria pauperis est census diuitis, qui de misericordiæ opulentia ditatur. §. 420.n.·.& 3.&c. p.673

Et cœperunt omnes simul excusare. Inuitati-ne misericordiam acceptent, se sollicitè excusant: sed qui misericorditer illos inuitauerat, priùs delicta sua copioso illo conuiuio excusauerat. Pauperes enim famelici sunt misericordium excusatores idonei.§.124.num.4. p.194

Et cœperunt omnes simul excusare. An quia *homo quidam* cùm sit, faciens cœnam magnam, sumptuosæ improbitatis suspectus est? Profectò beneficia ab improbis accipere nonnulli dedignantur; quòd existiment eius vtilitatem corrumpi admixto dedecore.§.380.n. 2.& 3.&c. p.608

Et cœperunt omnes simul excusare. Sic omnes *simul* conglutinantur ad ingratum scelus? Scilicet multi scelesti de amico malitiæ fœdere, vnus plures sunt.§.461.n.1. & 2.&c. p.737.738

Et cœperunt omnes simul excusare. Etenimverò apud vulgus hominum secuta sunt vitia in excusationis effugio.§.124.num.1.& 2.&c.p.193. Scelera nostra quia adhuc amamus, excusationibus defendimus. §.425.n. 4.& 3. p.681

Villam emi: & necesse habeo exire, & videre illam. Rogo te, habe me excusatum. Antequam villā emeret, potiùs necessè habuit explorare, qualisnam illa foret, villa iam empta, serò explorationem apparat; & quæ ingratam inurbanitatem non tam excusat, quam acerbius accusat. Heu excusatio delicti, ipsiùs potiùs accusatio est! Super hac thesi iam iam agimus in Commentarijs super Esther.§......

Iuga boum emi quinque: & eo probare illa. Rogo te, habe me excusatum. Omnes sensuum voluptates, curiositate exprimuntur. Profectò dum malus Dœmon tentando suggerit cupiditatem, astute acuit curiositatem, quò faciliùs ad delicta pertrahit.§.350.n.5.& 4.& 3.& 1. p.555.& 554

Iuga boum emi quinque: & eo probare illa. Rogo te, habe me excusatum. Quia sensus non pascuntur voluptatibus, sed illa probant.§.231.n.5.&c. p.361

Vxorem duxi: & ideo non possum venire. Qui concupiscentiæ deliciis indulget, *Non possum venire*, impudenter dixit. Profectò carnis fluxa imbecillitas, petram de prædura obstinatione æmulatur. §.257. num.2. &c. p.402

Vxorem duxi: & ideo non possum venire. Et non aduertit, quā grauatè feret cœlestis Pater-familias hanc agrestem nimis inurbanitatem? Scilicet ferè intueri non possunt diem iudicij, qui nimiæ cupiditatis delectantur ardore.§.257.n.1.& 2.&c. p.401

Vxorem duxi: & ideò non possum venire. Num cùm ait, *Non possum*, se hominem rationalem diffitetur, de concupiscentiæ præstigiis? Nempe libidinis tantilla apparentia, & citissima vanescentia, hominis illusio & ludibrium est, nullam mox rationem flagellans. §. 256.n.1.& 2.&c.p.400. O! cauendum est à voluptate, non enim incorrupti iudicamus de illa.§.259.num.4. p.406

Exi citò. Expromptior, & exoculatior obedientia, de festinantiæ merito, superstitioni quodammodò affinis putatur?§.351.n.1.& 2.&c. p.393

Exi in vias. Sed in virtute cœcos, debiles, & claudos, in viis non inueniet: per inuia enim incedunt: quia illi nulla est via, cui totum est via.§.451.n.2.& 3.p.723. 724

Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. Ipsi nolunt eam gustare, & supplicij nomine illis dicitur, quòd cœnam illam minimè gustabunt? O penè ridicularias minas! Imò acerbissimas. Potiò sat grande impiorum supplicium est, quod desideriis suis non fraudentur.§.110. n.1. & 3.&c. p.173.& 174

PRO SANCTIS.

In festo S. Andreæ Apostoli.

MATTHÆI IV.

AMbulans Iesvs iuxta mare Galilææ, vidit, &c. Iuxta matris vndas, Ecclesiæ Antistites cōsultissimè Christus eligit: est enim aqua Præfectorum, & subiectorum consummata idea: nam ipsa se præcedit, vrget, & sequitur.§.325.n.3. p.514

Vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius. Binos videt, & binos eligit ad summam Apostolatus præfecturam. Quò Præfecti, oculorum præfecturam mutua consensione æmulentur, vt tanquam in duobus luminibus idem inueniatur aspectus §.268.n.1.& 2.&c. p.420

Vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius. Vidit ad Apostolatum idoneos, quos electione sublimauit; vt castigaret Potentiorum inconsultam arrogantiam, quæ ad nutum merita aut demerita ad dignitates in aliis excudere ambitiosiùs præsumit.§.59.n.1.& 2.&c. p.88

Vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andreā fratrem eius. Præsentes videt, & tamen illos ad tantam dignitatem eligit? Opinor, prærogatiua hæc est Dominicæ electionis. Alioqui apud homines, præsentia Candidati suspecta est ambitiosi lenocinij: absentia benemeriti consultiùs eligitur, & felicius præest. §. 39.n.1.& 2.&c. p 58

Vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andreā fratrem eius. Auspicium electionis ad summos Ecclesiæ honores, in viris dedicatur; non in iuuenibus, de quibus indoles & ingenium multa prospere spondēt. Heu apud homines, sic præferri solet iuuenum florida ætas, canis seniorum meritis, vt certiùs sit de iuuenibus credi, quam quod de aliis potuit approbari? §. 344.n.2.& 3.&c. p.545

Mittentes rete in mare; erant enim piscatores. Piscatores eligit, piscationi diu solerter intentos? An non Apostolatus expetit homines in re virtutis oppidò eruditiores? Verùm qui debitis sui officij occupationibus negotiosiùs impenditur, tunc sibi, & virtuti generosiùs vacat.§.151.n.1.& 2.&c. p.236

Mittentes rete in mare; erant enim piscatores. Dum verè officio suo laboriosè vacant, consultissimè præcelsa dignitate munerantur. Heu persæpè iners, otium, laboris speciem repræsentans, dum apud homines merita colorat, laborantium mercede potitur. §.218.n.1. & 2.&c. p.340

Mittentes rete in mare; erant enim piscatores. Dum muneri suo solerter impenduntur, toto orbi proficuos fore censentur. Nam homo dum cessatione à muniis otio vacat, sibi & aliis. Nemo putatur. §.210.n.1.& 2.&c. p.329

Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Piscatores eligēs ad summā Apostolici culminis dignitatem, cur eam sub piscationis vocabulo abiectè colorat? Scilicet perfectus vir faciliùs capessit honores, quos suæ ignominiæ notis respersos videt.§.215.n.1. & 2.&c. p.336

Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Eccur sub vilis piscationis vocabulo, summos Eccle-

---

Pro S. Francisco Xauerio P. N. Orientis Apostolo.

LVCÆ XII.

In

Index Concionatorius.

In festo Præsentationis B. Mariæ Virginis.

LVCÆ XI.

Pro S. Nicolao.

MATTHÆI XXV.

P.Didac.de Celada in Tobiam. VVu 3 rum,

In festo immaculatæ Conceptionis Deiparæ.

MATTHÆI I.

In festo Expectationis B. Mariæ.

In festo S. Thomæ Apostoli.

In festo S. Sebastiani Martyris.

LVCÆ VI.

In Festo sanctæ Agnetis.

MATTHÆI XXV.

In Conuersione S. Pauli Apostoli.

MATTHÆI XIX.

 sed

In Festo Purificationis B. Virginis.

LVCÆ II.

In

In Festo Sancti Blasij Episcopi, & Martyris.

MATTHÆI XVI.

Pro Beatis Paulo, Ioanne, & Didaco, Iaponiæ, & nostræ Societatis protomartyribus.

LVCÆ XXI.

Pro S. Matthia Apostolo.

MATTHÆI XI.

Omnia

In Festo S. Iosephi Deiparæ sponsi.

MATTHÆI I.

Hæc

In Festo Annunciationis B. Mariæ Virginis.

LVCÆ I.

Dixit

In festo S. Marci Euangelistæ.

LVCÆ X.

In festo B. Ludouici Gonzagæ P. N.

LVCÆ XII.

In festo Apostolorum Petri, & Pauli.

MATTHÆI XVI.

 est

In festo Visitationis B. Mariæ Virginis.

LVCÆ I.

In festo S. Mariæ Magdalenæ.

Adi Feriam quintam à Dominica in Passione.

In festo S. Iacobi Apostoli.

MATTHÆI XX.

In feſto S. Annæ, Deiparæ matris.

MATTHÆI XIII.

In festo S.P.N. Ignatij.

LVCÆ XII.

In Transfiguratione Domini.

Vide in Dominica secunda Quadragesimæ.

In festo S. Laurentij Martyris.

IOANNIS XII.

In festo S. Bartholomæi Apostoli.

LVCÆ VI.

In festo S. Augustini Episcopi, & Doctoris.

MATTHÆI V.

In festo Natiuitatis B. Mariæ Virginis.

MATTHÆI I.

In festo S. Matthæi Apostoli.

LVCÆ V.

In Festo S. Michaëlis Archangeli.

MATTHÆI XVIII.

In Festo S. Angeli Custodis.

Adi Festum S. Michaëlis.

In festo B. P. N. Francisci de Borgia.

LVCÆ XII.

EVangelium expositum est in festo S. P. N. Ignatij. Pro eius elogiis, vide in Indice rerum, verbo, *Perfectus vir.*

In festo S. Lucæ Euangelistæ.

LVCÆ X.

In festo omnium Sanctorum.

MATTHÆI V.

Pro commemoratione omnium fidelium defunctorum.

De communi vnius Martyris.

De communi plurimorum Martyrum.

De communi Confessorum Pontificum.

De communi Doctorum.

De communi Confessorum non Pontificum.

De communi Abbatum.

De communi Virginum, & Martyrum.

De communi non Virginum, & Viduarum.

Pro Dedicatione Ecclesiæ.

INSTITVTIO POLITICO-CHRISTIANA carptim ex hoc Opere excerpta, ad supremos, medianos, & infimos Ecclesiasticæ atque sæcularis politiæ Antistites.

PROOEMIOLVM.

TAMETSI quiuis de humanæ rationis instinctu, & synderesis genio, peritus sui iudex sit, & consultus legislator, (§.191. n.2.) & scelerum castigationes ex Dei etiam censura persępè vibrentur: (§.419.num.3.) tamen quia cognatus scelerosis error ipsa veritate aliquando apparet credibilior: (§.3 num. 1.) illique nulla est via, cui totum est via, (§.451 n.3.) Auctoris indigus sæpè exerrat homo in rei politicæ itinerario: exinde iustitium peritè stat sublime, micat in throno purpura, & Princeps minas sceptro: non quo delicias velut Ionathas libet? (§.50.numer.2.& 3.) sed quo subiectos regat populos, sitque vniuersatim spectata morum idea, ad quam subditi imprimantur, licet subiectus populus non tam moribus exprimit, quod benè operatur, & peritè dictat, quam quod Superior scelestè peccat, (§ 161. n.1. & 2.) Ergo his Christianæ politiæ aphorismis medicinam facimus Reipublicæ Capiti, si fortè inde illius etiam Corpus bene per nos valeat, in tanta morum pestilitate. Hęc nostra vota, Tu mente solerter concipe, & ore ac manu constanter describe.

CAPVT PRIMVM.

Subiectorum, ad vtramque felicitatem commodis, Superior solerter inuigilet.

NVm Superior magis honestatur, gratiorque Deo est, de Subiectorum virtute, quam de propria bonitate? §.91.n.1.2.& 3. p.141.142

Exsomnes Superiores Respublica exoptat. dormiturientes & oscitantes irreuerenter contemnit. §.78.n.2.3.& 4. p.121.122

Quia popularis Subiectorum plaga moram negligit Pharao, regni excidio mulctatur? §.380.n.4. p.609

Occupatissima Moysis cura in populo gubernando, est eius spiritus? §.151.n.2. p.235

Post preceptionem, rei iussa executioni Superior inuigilet. §.161.n.2. p.253. Nam vbi est Superioris iussio, illic sapè & ministrantium offensa. §.328.n.1. p.517

Dum Superior dormit, male Subditus ad malitiam vigilat. §.161.n.3. pag.253

Sopore Principis dormiunt Subditi. §.161 n.4. p.253

Sciat Superior, quod sape Innocens præstantioris Patroni auxilio destitutus, maximis culpis & criminibus obnoxius fit. §.254.n.1.2.& 3. pag.397.398

Bene & consulte cœpta, meliùs sape reuocantur; quod non est leuitatis vitium, sed aliquod velut numen consilij. §.182. n.1.2.& 3. p.441.442

Dauid, quia pro sui gregis ouicula cum sæuo rixatur leone, inde merito ad regnum eligitur. §.228. n.3. p.356

Annonam, quam Subditus ab alio quouis postulat, à Superiore impetret, de Præfectura stipendio. §.227. num.1.2. & 3. p.354

Laudatissimum Superioris elogium est, proprie periculo redimere alienum §.228.n.1.2.& 3. p.355.356

Male Superior suam defendit auctoritate mentito Subditorum reatu, quem puniat. §.94.n.2. p.146

Qui propria detrimenta valde dolet, aliena, etsi communia nimis negligit. §.193 n.2. p.457

Subditorum vtilitates negligit Iudex, cuius ardor pro tuēda iurisdictione totus feruet. §.28.numero 1.2.3.&c pag.41. & 42

CAPVT SECVNDVM.

Superioris ac Subditi beneuolentia, boni regiminis vota implet.

HAbe charitatem, & fac quicquid vis. §.46.n.1.& 2. p.68

Amoris onus, onus tollit peccatorum. §.319.n.2. p.504

Amor, & clementia feliciùs gubernant §.326.n.1. p.515

Amor Subiectorum erga præcipientem, preceptionis difficultates exarmat. §.326.n.3. p.515

Charus Subditis Superior, etiam post mortem imperat. §.326.n.2. p.515

Si Superior benefaciendo deliquit, hoc ei populus plus debet, quod dilectionis nimietate peccauit. §.46. n.2. p.68

Quem Superior exerta vi coegerit, exinceps non amabit. §.263.n.1.2.& 3. p.411

Cur dilectio dicatur operire peccata. §.76.n.3. p.118

Quod aliquorum amor non merebatur, quodammodo obtinuerunt per culpam. §.149.n.2.& 3. p.232

Strenuè

CAPVT III.

Sit pronus ad clementiam: nam benignitas & humanitas est Rectorum elogium.

CAPVT IV.

In condignis etiam scelerum pœnis infligendis, sit constanter seuerus.

CAPVT

CAPVT V.

Quàm se debeat exhibere mitem erga sibi infensos.

CAPVT VI.

Insolens arrogantia in Superiore castigatur.

CAPVT VII.

Expromptum obsequium subiectus populus Superiori præstet.

CAPVT VIII.

Subditi ad obsequium vltrò trahendi sunt.

CAPVT IX.

Licentia sinistræ suspicionis, in Superiore vapulat.

CAPVT X.

In scelerum inquisitione, & punitione, intentiùs prospiciat reorum famæ.

In

CAPVT XI.

Cautela opportunæ reprehensionis, artificium est emendationis.

CAPVT XII.

Liberalitas, & opulenta præmia, cognatum Principum elogium est.

CAPVT XIII.

Electorum politia eruditur, & ſedulitas ambitionis taxatur.

CAPVT XIV.

Prudentia, qui eſt præſidentiæ vigor, ſpeciatim eruditur.

INDEX

INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ
ex vtroque Teſtamento.

P.Didac.de Celada in Tobiam.

18. Num

7.Et

EX LEVITICO

EX NVMERIS.

EX DEVTERONOMIO.

33. 2. Bea

27.14. Quis

P.Didac. de Celada in Tobiam.

Ex Psalmis.

131. 8

Ex Prouerbiis.

Ex Ecclesiaste.

Ex Cantico Canticorum.

Ex lib. Sapientiæ.

Ex lib. Ecclesiastici.

Ex Isaia.

Ex Ieremia.

Ex Threnis.

Ex Baruch.

Ex Ezechiele.

10. 5. Et

Index locorum

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matthæo.

45. Amen

Ex Marco.

9.16.Ma

11.Quis

Ex Ioanne.

Ex Act. Apostolorum.

Ex Epist. I. Ioannis.

Ex Epist. Iudæ.

Ex Apocalypsis.

SYLLABVS

SYLLABVS
RERVM ET VERBORVM,
præsertim quæ mores instruunt, & paulò vberiùs traduntur.

§. Paragraphum designat. n. *numerum denotat marginalem.* p. *paginam indicat.*

Auctor.

Contumelia.

Benefi

Lauda

Oratio.

Adeò

Querela.

Testis,

V.

Sollicitior

FINIS.